Universidad de Deusto
Biblioteca

Valerius Reginaldus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



PRAXIS
FORI POENITENTIALIS
AD DIRECTIONEM
CONFESSARII, IN VSV
SACRI SVI MVNERIS.

25541

AVCTORE
P. VALERIO REGINALDO,
BVRGVNDO SEQVANO,
E SOCIETATE IESV.

OPVS TAM POENITENTIBVS,
QVAM CONFESSARIIS
VTILE.

NVNC PRIMVM
IN LVCEM EDITVM.

Cum Priuilegio Regis.

LVGDVNI

del Collegio de la Comp.ª de Jhs de Valencia y de su libreria

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
Domino D. Ferdinando de Rye
Bisuntinensi Archiepiscopo
S.R. Imperij Principi,&c.

EVCVBRATIONES nostras practicæ Theologiæ summam continentes, tuæ dignitatis excellentia, principatus amplitudo, generis denique splendor (Archipræsul Reuerendissime) sibi summo iure vẽdicarunt. Sustinui opus quoad licuit, & pluribus licèt annis pressum, quàm Lyricus ille moneat: nec sic tamen in animo esset, ancipiti iudiciorum aleæ committere, si rem priuatis rationibus, & non Dei, proximíque charitate metirer: sed mentem meam cum Dei gloria animarúmque salute coniunctam, omnibus probatum iri confidi, si nominis tui præsidio muniretur, autoritatéque sanciretur. Hæc vna nimirum causa, vt cæteræ abessent, satis foret, vt te potissimùm, hisce nostris commentationibus Patronum aduocarem: quippe qui animum induxerim sub tantis auspiciis, & splendore tanto, opus obscurum sine cuiusquam insimulatione posse prodire. Sed alia sunt nomina, Princeps Illustrissime, ac imprimis tua, familiæque tuæ clarissimæ in nostrum Ordinem prolixissima iampridem voluntas, nec vulgaria merita: quæ faciunt, vt neque Burgundo homini externus censeri debeas; neque à me Societatis alumno, præteriri. Ecquis non videt, vt alios omittam Illustrissimi Marchionis à Varambon, te patruo digni nepotis, ac fratrum propensum in nos animum? Aut qua ratione tuis, tuorúmque in nos singularibus meritis, aliquid dignum remetiri possi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus, nisi prædicationem, & quamcumque grati animi significationem? Quod ad me attinet, iniquus essem profectò, si tam studioso Societatis Patrono non studerem, si tam amantem non redamarem, & aliquo propensæ voluntatis testimonio non prosequerer: nec enim, quia id, quod debeo, haud possum: debeo id, quod possum prętermittere. Accipe igitur (Antistes Reuerendissime) hoc, qualecúnque est, nostræ voluntatis officium, exiguum quidem, sed ex magna tamen tui obseruandi voluntate profectum; eo præsertim tempore tibi deuotum oblatúmque, quo in te omnium vota conspirarunt: scilicet ea Visitatione quâ proximè gregem tuum Dolæ lustrasti laboribus permultis exhaustis, miróque sensu pietatis ac exemplo, nec impari fructu id assecutus es, vt te verè πομένα λάων, huc quasi de cœlo demissum conspirante consensu, suspexerint vniuersi. Has inter gratulationes, publicámque celebritatem meritorum tuorum, nihil habui dignius hoc labore meo, quod admiscerem. Patere tantùm sub tui nominis tutelâ in lucem, conspectúmque fidelium, quorum saluti studemus, exire; & si quid ex eo fructus, *vti spero*, decerpetur, tibi debebitur, tibi secundùm Deum referetur acceptum.

VESTRÆ CELTITVDINIS

Humilis in CHRISTO *seruus.*

VALERIVS REGINALDVS
è Societate IESV.

AD

AD CANDIDVM LECTOREM.

IN huius Operis molitione, cuius mihi vt author, sic & propitius adiutor fuit Dominus noster IESVS CHRISTVS: *sectanda potius fuit familiaris docendi ratio ad vsum accommodata, quàm subtilis, ad eruditionem eminentem comparata tractatio. Vnde nihil est quod mirere, me ab accuratâ nonnullarum difficultatum grauiorum abstinere examinatione. Potui enim ac etiam debui (breuitatis saltem studio) illam Theologis Scholasticis relinquere; præsertim cùm in talibus, nihil quoad vsum referat, affirmantémne partem, an negantem amplectaris; si quidem vtraque sit probabilis: vt censetur esse, quando iis authoritatum & rationum momentis innititur, quibus virum prudentem ad assensum moueri par sit.*

Nec etiam est quod mirere, post annos amplius viginti positos in istiusmodi doctrinâ tradendâ, si authorum etiam recentissimorum vestigiis sic insistam, vt de meo interdum nihil fere adferre videar. Quidquid enim existimandum esset de me (quod parui refert) animarum vtilitas, ad maiorem Dei gloriam, habenda fuit mihi præ oculis; vtpote qui scirem, in definiendis quidem circa credenda occurrentibus difficultatibus, quo antiquiores fuerint Authores, eo maioris ponderis censeri ipsorum placita, tanquam viciniora traditioni, doctrinæque Apostolicæ. In dirimendis tamen controuersiis circa agenda enatis, potiorem ex aduerso haberi rationem Doctorum recentiorum, quos constiterit excelluisse in doctrina, ac diligentes extitisse in euoluendis & expendendis aliorum sententiis; atque ponderandis de nouo emergentibus agendorum, quæ ex earum inspectione definienda sunt, circumstantiis: quarum tanta est inconstantia, ex varietate personarum, locorum, & temporum: vt plerumque nihil aliud in genere statui possit, quàm totum esse relinquendum prudentis arbitrio, qui illis inspectis ac ponderatis statuat, quid rationi consentaneum censeatur. Qua in re potiores partes meritò tribuuntur recentioribus, qui præsentium temporum morúmque conditiones perspectas habent. Iam si quid in eodem hoc Opere tibi occurrat, quod minus probes: Ecclesiasticæ ac etiam tuæ censuræ libenter subiicio. De eo verò quod probaueris, gratias age Christo, communi nostro Domino.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

EGO Antonius Suffrenus Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. Claudio Aquauiua Præposito Generali, facultatem concedo, vt PRAXIS FORI POENITENTIALIS P. VALERII REGINALDI, duobus voluminibus comprehensa, & grauium Societatis nostræ Theologorum iudicio approbata, typis mandetur. Insuper iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos, absque Superiorum eius permissione imprimant, permitto HORATIO CARDON Lugdunensi Bibliopolæ, vt dictam PRAXIM FORI POENITENTIALIS, à sex primos anno s imprimere ac liberè diuendere possit. *Datum Lugduni die 9. Septembris* 1615.

ANT. SVFFRENVS.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in Sacra Theologia Magister, & diuini verbi Prædicator, in Sancti Pauli huiusce ciuitatis Canonicus, atque in hac Lugdunensi Diœcesi librorum Censor designatus: fidem facimus, nos *Praxim Fori Pœnitentialis ad directionem Confessarij, in vsu sacri sui muneris, Auctore P. Valerio Reginaldo, Burgundo Sequano, è Societate* IESV, perlegisse, omniáque in ea iuxta orthodoxam Catholicæ Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum sanam doctrinam summa cum eruditione exponi. Lugduni apud sanctum Paulum 10. Octobris 1615.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

R. D. D. Thomæ de Meschatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus, quod inscribitur, *Praxis Fori Pœnitentialis ad directionem Confessarij in vsu sacri sui muneris. Auctore P. Valerio Reginaldo, Burgundo Sequano, è Societate* IESV, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 10. Octobris 1615.

MESCHATIN LA FAYE.

CONCESSIO.

LIbrum hunc, qui inscribitur, *Praxis Fori pœnitentialis ad directionem Confessarij in vsu sacri sui muneris, Auctore P. Valerio Reginaldo, Burgundo Sequano, è Societate* IESV, Ego Iacobus Dauceyne Regis Procurator typis mandari, tum demum in lucem exponi consentio Lugduni 11. Octobris 1615.

DAVEYNE.

LIBRVM hunc inscriptum, *Praxis Fori pœnitentialis ad directionem Confessarij in vsu sacri sui muneris: Auctore P. Valerio Reginaldo, Burgundo Sequano, è Societate* IESV, ab HORATIO CARDON Bibliopola Lugdunensi in lucem dari permittimus: simul, ne quis citra factam ei ab ipso potestatem, denuò excudat, interdicimus. Datum Lugduni die 12. Octobris M. D CXV.

SEVE.

SVMMA PRIVILEGII
A CHRISTIANISSIMO
GALLIARVM REGE
CONCESSI.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno suo, aliísve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat; excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione conetur librum, qui inscribitur, *Praxis Fori pœnitentialis, ad directionem Confessarij in vsu sacri sui muneris, Auctore P. Valerio Reginaldo, Burgundo Sequano, è Societate* IESV, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eâdem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti HORATII CARDON. Idque omne sub confiscatione librorum, aliísque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum in Fonte-bellaqueo, die vigesima quarta Octobris, anno domini millesimo sexcentesimo decimoquarto.

De mandato Regis,

Signatum

BRVLART.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARGVMENTVM TOTIVS OPERIS.

AMediatore Dei & hominũ Domino nostro Iesv Christo *duplex erectum est tribunal: vnum iustitiæ pro futura vita seuerum, cui peccator sisteretur ad punitionem: alterum misericordiæ pro vita præsenti, cui peccator sisteretur ad emendationem. Illud est de quo ad Roma. decimoquarto D. Paulus inquit,* Omnes stabimus ante tribunal Christi: *& in posteriori ad Corinth. capite quinto,* Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, siue bonum, siue malum. *Istud verò est sacramentum Pœnitentiæ, quod Concilium Trident. sess. 14. cap. 2. ait, ab eodem Domino nostro institutum esse in forma iudicij. pro iis quos lauacro baptismi, sui corporis membra semel effecit: his enim, vt ibi additur, si se postea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito baptismo ablui (cùm id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat) sed ante hoc tribunal, tanquam reos sisti voluit: & per Sacerdotum sententiam, non semel: sed quoties ab admissis peccatis, ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Ex quibus Concilij verbis, sicut intelligitur summa Sacerdotum dignitas & auctoritas in negotio tanti momenti, quanti est absolutio hominis à suis peccatis: ita & summa eorumdem obligatio applicandi seriò animum, ad comparanda sibi ea, sine quibus illud rectè geri non potest. Qua in re vt ipsis aliquatenus inseruirem, voluntate eorum quibus vitæ meæ rationes commissi, diuinóque fretus auxilio, pro ingenij mei tenuitate Institutiones (quantum potui ad rudiorum etiam captum accommodatè) digessi tripartitas, pro triplici genere attinentium ad iudiciale forum: personarum, inquam, actionum, & rerum: ita vt prima pars complectatur spectantia ad personas fori pœnitentialis, tanquam eas ex quibus dependet sacramenti Pœnitentiæ vsus. Sunt autem Confessarius, tanquam Iudex legitimus in illo foro: & peccator pœnitens, tanquam reus simul & testis: adeóque Aduocatus accusator sui, tanquam is, qui à se offensi Dei causam agat contra semetipsum. Secunda verò pars contineat spectantia ad actiones, in quibus idem vsus consistit; quæ sunt, Quoad pœnitentem quidem, contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis. Quoad Confessariũ verò, absolutio Sacramentalis. Illæque sacramenti Pœnitentiæ materiam constituũt: & hæc formam. Tertia demum pars (in tres ob prolixitatẽ secanda) sit de rebus, circa quas idem vsus versatur. Eæ autem sunt peccata pœnitẽtis post Baptismum cõmissa: vtpote de quibus in vsu sacramenti Pœnitentiæ conteritur, confiteturq; pœnitens, & pro quibus satisfacit, ac denique à quibus Confessarius ipsum absoluit. Cæterùm in citandis Auctoribus non ero multus; immò interdũ cum plures commemorandi occurrent, contentus ero indicare aliquem ex recentioribus, à quo referuntur: quoniam ad praxim nobis propositam id sufficere potest: sicut & paucis tantùm delibare, ea quæ à Theologis Scholasticis aduersus hæreticos, aut ad doctrinæ eminentiam, copiosè disputantur. Concedat Christus, intercedente Beatissima Matre, vt qualiscumque iste meus labor, cedat ad ipsius maiorem gloriam, & Ecclesiæ sanctæ ædificationem: sicut me imprimis habere, in votis misericorditer largiri dignatus est.*

INDEX

QVINDECIM LIBRORVM PRIORVM, SVO VOLVMINE AD COMMODITATEM Lectoris, separatorum à septemdecim posterioribus,

INDEX CAPITVM.

LIBRI I.

Cap.1. De potestate ordinis Sacerdotalis. pag.3.col.2
Cap.2. De potestate Iurisdictionis. 6. 1
Cap.3. De spirituali Iurisdictione in foro externo. 6. 2
Cap.4. De Iurisdictione in foro interno. 7. 2
Cap.5. De Iurisdictione in foro interno ordinaria. 10. 2
Cap.6. De Iurisdictione extraordinaria, seu delegata in foro interno. 13. 2
Cap.7. De modis, quibus obtinetur Iurisdictio delegata. 15. 2
Cap.8. De dubiis circa Iurisdictionem in foro interiori. 23. 2
Cap.9. De potestate executionis. 30. 2
Cap.10. De potestate executionis impedita per Ecclesiasticam censuram. 32. 1
Cap.11. De potestate executionis impedita per casuum reseruationem. 34. 1
Cap.12. De scientia requisita in Confessario. 39. 1
Cap.13. De qualitate, & quantitate scientiæ in Confessario requisitæ. 40. 1
Cap.14. De bonitate Confessarij. 43. 2
Cap.15. De approbatione Confessarij. 48. 1
Cap.16. De approbante Confessarium. 50. 1
Cap.17. De materia excommunicationis latæ in cap. Si quis suadente Diabolo, 17. quæst. 4 56. 1
Cap.18. De casibus, in quibus excommunicatio lata in Clerici, vel Monachi percussorem non habet locum. 61. 1
Cap.19. De absolutione ab excommunicatione lata in percussorem Clerici vel Monachi. 65. 2

LIBRI II.

Cap.1. De prudentia Confessarij in audiẽda confessione Pœnitentis. 75. 1
Cap.2. De prudentia Confessarij in interrogando Pœnitente. 77. 2
Cap.3. De interrogationibus Pœnitenti faciendis à Confessario. 78. 2
Cap.4. De prudentia Confessarij in adhortando, & monendo Pœnitente. 94. 1
Cap.5. De Confessarij prudentia in disponendo Pœnitente ad contritionem, seu odium, & detestationem suorum peccatorum. 97. 1
Cap.6. De Confessarij prudentia in dirigendo Pœnitente ad contritionem executioni mandandam. 105. 2
Cap.7. De ratione exercendi contritionem. 110. 1
Cap.8. De prudentia Confessarij in expendendo Pœnitentis proposito non peccandi de cætero, iuuandíque ipsum aduersùs recidiuũ. 112. 1
Cap.9. De prudentia Confessarij in tranquillando Pœnitentis animo agitato scrupulis. 113. 2
Cap.10. De speciali ratione tranquillandi animum certis quibusdam scrupulis agitatum. 117. 1
Cap.11. De Confessarij prudentia in agendo cum Pœnitente, quem vt scrupulis, sic & Dei timore carere inuenerit. 122. 1
Cap.12. De prudentia in iuuãdo Pœnitente: propositis tum remediis aduersùs prauas suas propensiones; tum dispositionibus ad progressum faciendũ in Dei gratia, & virtutibus. 123. 2
Cap.13. De prudentia Confessarij in erudiendo rudi in fide, nec satis sciente viam salutis. 127. 1
Cap.14. De dispositionibus necessariis in anima, ad tenendam salutis viam, Pœnitenti inculcandis. 129. 1
Cap.15. De ratione tenendi viam salutis; prout Pœnitens à Confessario potest de illa moneri, ac instrui. 137. 2
Cap.16. De ratione vtendi antedictis, & iuuandi morti vicinum. 143. 1

LIBRI III.

Cap.1. De natura sigilli Sacramentalis. 148. 1
Cap.2. De vi Sacramentalis sigilli; quanta sit. 149. 1
Cap.3. De his, qui tenentur seruare Sacramentale sigillum. 153. 2
Cap.4. De his, quę sub Sacramentale sigillum cadunt, seu quorum reuelatione ipsum frangitur. 155. 2
Cap.5. De casibus, in quibus licet reuelare aliquid auditum in confessione. 159. 1
Cap.6. De obseruatione sigilli Sacramentalis in ordine ad complices Pœnitentis. 162. 1

LIBRI IV.

Cap.1. De conditionibus requisitis in Pœnitẽte, vt censeatur capax sacramenti Pœnitentiæ. 165. 1
Cap.2. De examine conscientiæ, vsui sacramenti Pœnitentiæ præmittendo à Pœnitente. 166. 2
Cap.3. De excitatione voluntatis ad vsum sacramenti Pœnitentiæ. 169. 1
Cap.4. De ratione, qua Pœnitens debet ad vsum sacramenti Pœnitentiæ concurrere. 170. 1
Cap.5. De executione concepti à Pœnitente propositi vitam emendandi, per quam faciat fructus dignos pœnitentiæ. 172. 1
Cap.6. De nomine, & natura orationis. 175. 1
Cap.7. De varietate orationis. 175. 2
Cap.8. De effectibus, seu fructibus orationis. 176. 2
Cap.9. De præcepto, & obligatione orandi. 180. 1
Cap.10. De requisitis ad orationem, vt tanquam bona, censeri possit accommodata ad implendum præce

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX CAPITVM.

præceptum diuinum datũ de orando. 182. 1
Cap. 11. De vsu debito orationis. 189. 1
Cap. 12. De ieiunij nomine, definitione, & diuisione. 195. 1
Cap. 13. De necessariis ad ieiunium Ecclesiasticũ. 199. 1
Cap. 14. De modis, quibus violatur ieiunium Ecclesiasticum. 203. 1
Cap. 15. De peccato, quod committitur violatione ieiunij Ecclesiastici. 211. 1
Cap. 16. De modo, quo peccatur participando in ieiunij violatione. 212. 2
Cap. 17. De causis à peccato excusantibus non seruantem ieiunium Ecclesiasticum. 216. 2
Cap. 18. De iis, quæ vrgent nos ad ieiunij Ecclesiastici obseruationem. 223. 1
Cap. 19. De nomine, ac definitione Eleemosynæ, déque illius diuisione in spiritualem, & corporalem. 226. 1
Cap. 20. De præcepto, ex quo nascitur necessitas, seu obligatio faciendi Eleemosynam. 227. 2
Cap. 21. De iis, à quibus debet Eleemosyna corporalis fieri de præcepto. 235. 1
Cap. 22. De bonis, de quibus fieri debet Eleemosyna. 238. 2
Cap. 23. De iis, quibus facienda est Eleemosyna, & debito modo faciendi. 240. 1
Cap. 24. De iis, quæ retardare, & promouere possunt Eleemosynæ vsum. 246. 2
Cap. 25. De Eleemosyna spirituali. 248. 2

LIBRI V.

Cap. 1. DE natura contritionis. 258. 1
Cap. 2. De necessitate contritionis exercendæ. 260. 2
Cap. 3. De iis, quæ ad exercitium contritionis concurrere oportet, quoad detestationem, quam includit in sua natura. 263. 2
Cap. 4. De modo, quo detestatio, quam contritio in sua natura includit, exercenda est in vsu sacramenti Pœnitentiæ. 267. 2
Cap. 5. De modo exercendi propositum emendationis, quod contritio in sua natura includit cum antedicta detestatione. 271. 1
Cap. 6. De defectibus contritionis, qui reddunt Pœnitentiæ sacramentum inualidum. 273. 1

LIBRI VI.

Cap. 1. DE natura Sacramentalis Confessionis. 277. 1
Cap. 2. De necessitate, obligationéve faciendi Sacramentalem Confessionem. 278. 1
Prima pars capitis. De præcepto, quo imposita est obligatio faciendi Confessionem Sacramentalem. ibidem.
Pars 2. cap. De modo, quo imponitur obligatio faciendi Confessionem Sacramentalem. 279. 2
Pars 3. cap. De tempore, pro quo imponitur obligatio faciendi Confessionẽ Sacramentalẽ. 280. 1
Pars 4. cap. De personis, quibus imponitur obligatio faciendi Confessionem Sacramentalẽ. 285. 1
Pars 5. cap. De requisitis ad satisfaciendum obligationi confitendi. 286. 2
Cap. 3. De conditionibus, quas Sacramentalis Confessio ad suam perfectionem requirit. 288. 1
Cap. 4. De iis, quibus facienda est Sacramentalis Confessio. 294. 2
Pars prior capitis, in qua proponuntur ea, quæ certa sunt. ibidem.
Pars posterior, in qua explicantur quæ sunt dubia. 297. 1
Cap. 5. De iis, per quæ Confessio Sacramentalis redditur inualida, seu inefficax ad peccatorum remissionem. 306. 1

LIBRI VII.

Cap. 1. DE propria ratione Sacramentalis satisfactionis. 316. 1
Cap. 2. De necessitate satisfactionem per Confessarium imponendi, & per Pœnitentẽ acceptandi. 318. 1
Cap. 3. De iis, quæ imponi possunt in satisfactionem. 320. 2
Cap. 4. De prudentia Confessarij in imponenda Pœnitentia. 322. 2
Cap. 5. De qualitate, & quantitate satisfactionis Pœnitenti à Confessario imponendæ. 324. 2
Cap. 6. De remediorum, & pœnitentiarum varietate accommodata varietati peccatorum capitalium. 330. 1
Cap. 7. De adimpletione satisfactionis, seu pœnitentiæ à Confessario impositæ. 336. 1
Cap. 8. De mutatione, & diminutione satisfactionis acceptatæ à Pœnitente. 339. 2
Cap. 9. De nomine indulgentiæ, & iis, ex quibus ipsa pendet. 341. 2
Cap. 10. De definitione indulgentiæ, qua, quid rei sit explicatur. 344. 2
Cap. 11. De illis, à quibus possunt indulgentiæ concedi. 346. 1
Cap. 12. De causis legitimis concedendi indulgentias. 348. 2
Cap. 13. De modis concedendi indulgentias. 351. 1
Cap. 14. De indulgentiis, quoad earum acquisitionem. 357. 2

LIBRI VIII.

Cap. 1. DE absolutione Sacramentali secundùm se absolutè. 365. 1
Cap. 2. De absolutione Sacramentali in ordine ad Confessarium. 368. 1
Cap. 3. De eadem in ordine ad Pœnitentem. 370.
Cap. 4. De potestate absoluendi à casibus reseruatis. 373. 2
Cap. 5. De commissione potestatis absoluendi à casibus reseruatis. 376. 1
Cap. 6. De executione potestatis absoluendi à casibus reseruatis. 380. 1
Cap. 7. De effectu sequente executionem absolutionis à casibus reseruatis. 383. 1

LIBRI IX.

Cap. 1. DE eo, qui potest absoluere ab excommunicatione lata à iure. 387. 1
Cap. 2. De eo, qui absoluere potest ab excommunicatione lata ab homine. 391. 2
Cap. 3. De eo, qui absoluitur ab excommunicatione. 393. 2
Cap. 4. De iis, quæ obseruari debent ad ritè impendendam absolutionem ab excommunicatione, cùm incursam esse constat. 398. 2
Cap. 5. De iis, quæ obseruari debent, cùm non constat de excommunicatione. 403. 2
Cap. 6. De definitione, & varia diuisione excommunicationis. 406. 1
Cap. 7. De eo, à quo excommunicatio ferri debet, vt sit valida. 410.
Cap. 8. De eo, in quem excommunicatio validè ferri potest. 415.
Cap. 9. De causa, ob quam ferri debet excommunicatio, vt sit valida. 420.
Cap. 10. De modo, quo maior excommunicatio ferri debet vt censeatur valida. 426. 2
Cap. 11. De causis, quæ excusant ab incurrenda excommunicatione; etiamsi aliàs sit valida. 431. 2
Cap. 12. De ratione cognoscendi, num quis incurrerit excommunicationem legitimè latã. 437. 1
Cap. 13. De Bulla dicta Cœna Domini. 440. 1
Cap. 14. De prima excommunicatione lata in Hæreticos cuiuscunque sectæ, ac eorumdem credentes, receptatores, fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, atque Schismaticos. 441. 2
Cap. 15. De secunda excommunicatione in appellantes à Papa ad futurum cõcilium, ac in dantes eis auxilium, vel fauorem. Item de tertia in Piratas, cursarios, & latrunculos maritimos, ac in eorum receptatores, fautores, & defensores; atque de quarta in surripientes bona naufragorum Christianorum. 450. 2
Cap. 16. De quinta excommunicatione in imponentes noua pedagia, seu gabellas, vel ea augentes. 455. 1
Cap. 17. De sexta excommunicatione in falsificantem literas Apostolicas. 458. 1
Cap. 18. De septima excommunicatione contra ferentes arma Infidelibus. 459. 2
Cap. 19. De octaua excommunicatione in impedientes eos, qui victualia ad Romanam Curiam conuehunt; & de nona in lædentes eos, qui ad eandem curiam recurrunt; & de decima in eos, qui lædunt Romipetas. 462. 2
Cap. 20. De vndecima excommunicatione in eos, qui nocuerint S.R.E. Cardinalibus, & Episcopis; & de duodecima in eos, qui ad Romanam Curiam in causis, & negotiis suis recurrẽtes, lædunt per se, vel per alios. 464. 2
Cap. 21. De decimatertia excommunicatione in eos, qui à grauamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum appellant ad laicam potestatem. 467. 2
Cap. 22. De decimaquarta excommunicatione in eos, qui causas spirituales, aut spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Cõmissariis Apostolicis, aliisve Iudicibus Ecclesiasticis auocant. 471. 2
Cap. 23. De decimaquinta excommunicatione in Iudices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt, aut libertatem Ecclesiasticorum tollunt, vel in aliquo lędunt. 477. 1
Cap. 24. De decimasexta excommunicatione in impedientes vsum iurisdictionis Ecclesiasticæ, & recurrentes ad forum sæculare. 483. 2
Cap. 25. De decimaseptima excommunicatione contra vsurpantes Sedis Apostolicæ, vel quarumcunque Ecclesiarum iurisdictiones, vel fructus, aut hos sequestrantes: & de decimaoctaua contra eos, qui imponunt decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, & eorum fructibus. 486. 2
Cap. 26. De duabus reliquis excommunicationibus Bullæ Cœnæ Domini. 490. 2

LIBRI X.

Cap. 1. DE obligatione ad restitutionem considerandam secundùm se. 494. 1
Cap. 2. In quo obligatio ad restitutionem consideratur in ordine ad causas, ex quibus nascitur. 496. 2
Cap. 3. De obligatione ad restitutionem ratione rei iustè acceptæ. 497. 2
Cap. 4. De obligatione ad restitutionem ratione rei iniustè acceptæ. 499. 2
Cap. 5. De quæstionibus, quæ moueri possunt circa propositam obligationem. 503. 1
Cap. 6. De obligatione ad restitutionem ratione iustæ acceptionis. 506. 2
Cap. 7. De obligatione ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis. 508. 1
Cap. 8. De obligatione ad restitutionem ratione damni iniustè illati rebus proximi, earum destructione. 509. 1
Cap. 9. De obligatione ad restitutionem ratione participationis in iniusta acceptione. 512. 2
Cap. 10. De quæstionibus, quæ mouentur circa obligationem ad restitutionem ratione participationis in iniusta acceptione. 517. 1
Cap. 11. De eo, qui ad restitutionem faciendam tenetur. 524. 2
Cap. 12. De eo, quod est restituendum. 526. 2
Cap. 13. De eo, cui facienda est restitutio. 530. 2
Cap. 14. De restitutione bonorum incertorum, an sit, & cui sit facienda. 538. 2
Cap. 15. De quantitate, in qua; & de modo quo facienda est restitutio. 543. 2
Cap. 16. De tempore, ac loco, in quo facienda est restitutio. 545.
Cap. 17. De ordine, quo facienda est restitutio. 549. 2
Cap. 18. De causis, quæ debitorem excusant à restitutione. 553. 2
Cap. 19. De quæstionibus, quæ mouentur circa debitoris excusationem à restitutione. 557. 1
Cap. 20. De præscriptione, seu vsucapione, tanquam speciali causa excusãte à restitutione. 563. 2
Cap. 21. De obligatione ad restitutionem damni illati in bonis animæ. 567. 1
Cap. 22. De obligatione ad restitutionem damni illati proximo in bonis corporis. 568. 2
Cap. 23. De obligatione ad restitutionem damni illati proximo in rebus honorariis. 575. 1
Cap. 24. De obligatione damni illati in bonis pecuniariis, venando, piscando, lignando, aut pascendo animalia. 582. 2
Cap. 25. De obligatione ad restitutionem, orta ex iniustitia cõmissa in gabellis, aut in ludo. 586. 1
Cap. 26. De obligatione ad restitutionem acquisitorum per vsuram. 592. 1
Cap. 27. De obligatione restituendi acquisita per simoniam. 603. 2

LIBRI XI.

Cap. 1. DE deliberatione ad iudicandum de peccatis considerandæ ex parte intellectus. 613. 1
Cap. 2. De ignorantia ad iudicãdum de peccatis considerandæ ex parte intellectus. 615. 1
Cap. 3. De ignorantia inuincibili specialiter. 618. 1
Cap. 4. De iis quæ ad generaliter iudicandum de peccatis, considerãda sunt ex parte voluntatis, & primò de interiore consensu. 621. 1
Cap. 5. De regulis iudicandi in genere de peccatis, ex parte interioris consensus voluntatis. 622. 2
Cap. 6. De ratione iudicandi de peccatis ex parte dominij voluntatis in cæteras facultates hominis. 627. 1
Cap. 7. De generali ratione iudicandi de peccatis ex parte appetitus concupiscentis. 629. 1
Cap. 8. De

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX CAPITVM.

Cap.8. De ratione in genere iudicandi de peccatis ex parte appetitus irascentis quoad metum. 630. 2

LIBRI XII.

Cap.1. De habitudine debita inter finem, & medium quo quæritur. 633. 1
Cap.2. De intentione debita in constitutione finis vltimi. 636. 1
Cap.3. De intentione debita in cõstitutione finis medij. 638. 1
Cap.4. De notandis præter antedicta in iudicando de peccatis ex fine. 640

LIBRI XIII.

Cap.1. De nomine, & existentia legis. 643. 2
Cap.2. De natura, & causis legis. 644. 2
Cap.3. De qualitatibus, & officiis legis. 647. 1
Cap.4. De propositionibus practicis, legem naturalem constituentibus. 648. 2
Cap.5. De obligatione legis naturalis. 650. 2
Cap.6. De Synderesi, & conscientia. 652. 2
Cap.7. De naturali obligatione conformandi voluntatem nostram cum diuina. 655. 1
Cap.8. De conscientia erronea, quatenus voluntas nostra debeat ei ex obligatione conformari. 657. 1
Cap.9. De conscientia dubia, quatenus voluntas nostra debeat ei ex obligatione conformari. 660. 1
Cap.10. De Regulis iudicandi, an in re dubia tutam formauerimus conscientiam. 662. 2
Cap.11. De conscientia scrupulosa, quatenus debeat voluntas nostra ei conformari. 666. 2
Cap.12. De ratione cognoscendi quis scrupulus tanquam inanis, carénsque fundamento contemni possit. 668. 2
Cap.13. De diuina lege vniuersè. 671. 1
Cap.14. De veteri lege. 672. 1
Cap.15. De noua lege. 673. 2
Cap.16. De iis, quæ necessaria sunt, vt lex humana obligandi vim habeat. 676. 1
Cap.17. De iis, quos lex humana obligat. 681. 2
Cap.18. De modo, quo lex humana obligat. 683. 2
Cap.19. De modis, quibus legis humanæ obligatio tollitur. 686. 2
Cap.20. De iure canonico. 690. 1
Cap.21. De iure ciuili. 691. 1
Cap.22. De priuilegio. 693. 2
Cap.23. De consuetudine. 697. 2
Cap.24. De definitione, & diuisione legis pœnalis. 703. 2
Cap.25. De modo interpretandi legem pœnalẽ. 706. 1
Cap.26. De quæstionibus, quæ mouentur circa obligationem legis pœnalis. 707. 2

LIBRI XIV.

Cap.1. De obiecto humanorum actuum, prout ex illo in hos moralis malitia deriuatur. 717.
Cap.2. De circumstantiis in genere, prout ex eis malitia in actum humanum deriuatur. 719. 2
Cap.3. De generalibus regulis cognoscendi, quatenus peccatorum malitia ex circumstantiis augeatur. 721. 2
Cap.4. De circumstantia *Quis*, seu particularis agentis. 723. 1
Cap.5. De circumstantia, *Quid*, seu effectus. 726. 1
Cap.6. De circumstantia *Vbi*, seu loci. 727. 2
Cap.7. De circumstantia, *Quibus auxiliis*, seu causæ instrumentalis, *& cur*, scilicet causæ finalis. 729. 1
Cap.8. De circumstantia, *Quomodo*, seu modi agendi. 729. 2
Cap.9. De circumstantia, *Quando*, seu temporis. 731
Cap.vlt. De circumstantia *circa quid*, seu obiecti. 726. 2

LIBRI XV.

Cap.1. Qvæ dicantur peccata carnalia, quæ spiritualia, quæque nonnulla alia. 728.
Cap.2. De diuisione peccati in peccatum commissionis, & in peccatum omissionis. 730. 1
Cap.3. De distinctione peccati in mortale, & veniale. 733. 1
Cap.4. De regulis iudicandi de peccato, sitne mortale, an veniale. 735. 1
Cap.5. De regulis iudicandi de peccato sitne mortale, an veniale ex suo genere. 737. 2
Cap.6. De documentis, per quæ cognoscendum est, quæ lex humana obliget ad peccatum mortale. 738. 1
Cap.vlt. De reliquis regulis iudicandi de peccato num sit mortale, an veniale, cum quibusdam additionibus eodem spectantibus. 744. 1

Adnerte hic in numeris paginarum esse notas, 26. 27. 28. 29. 30. 31.

PRIMA

PRIMA PARS.

DE PERSONIS FORI POENITENTIALIS EX QVIBVS PENDET SACRAMENTI pœnitentiæ vsus.

AS personas iam attigimus esse tum Confessarium, tum peccatorem pœnitentem: in quorum vtroque ad istiusmodi vsum legitimum, quædam ante eum, quædam in eo, & quædam post eum requiruntur; de quibus sigillatim dicturi, partem hanc distinguemus quatuor libris, in quorum primo agetur de dispositione, quam talis vsus prærequirit in Confessario. In 2. verò de prudentia cum qua idem Confessarius debet in executione sui ministerij procedere. In 3. porrò de secreto, quod post perfectum pœnitentiæ sacramentum seruare tenetur: in 4. demum, de requisitis in pœnitente, præter ea quæ commodius in sequenti parte proponentur cùm de actionibus ipsius dicetur.

PRIMÆ PARTIS LIBER PRIMVS.

De dispositione quam legitimus Sacramenti pœnitentiæ vsus prærequirit in Confessario.

CONSISTIT hæc dispositio in iis quæ concurrere oportet in Confessario vt censeatur Iudex idoneus pro foro pœnitentiali. Ea verò sunt.

1 *Potestas ordinis.*
2 *Potestas iurisdictionis: quæ vel est in externo causarum, vel in interno conscientiæ foro: & hæc rursus vel ordinaria, vel extraordinaria seu delegata.*
3 *Potestas executionis, quæ est iurisdictio in foro pœnitentiali, nec per censuram Ecclesiasticam, nec per casuum reseruationem impedita.*
4 *Scientia quæ ex parte intellectus: &*
5 *Bonitas, quæ ex parte voluntatis: in Confessario debet comes esse potestatis.*
6 *Approbatio quam in Confessario ad scientiam & bonitatem, vt plurimum accedere oportet.*

Atque de his quantum Deus dederit ad institutum nostrum accommodatè dicturi, librum hunc sexdecim capitibus (aliquot additis per modum appendicis) distinguemus: quorum

1 Erit de potestate ordinis sacerdotalis.
2 De potestate iurisdictionis vniuersè.
3 De iurisdictione in externo, siue causarum foro.
4 De iurisdictione in interno, seu pœnitentiali foro.
5 De eadem ordinaria.
6 De extraordinaria seu delegata.
7 De modis quibus iurisdictio delegata obtinetur.
8 De dubiis, quæ mouentur circa iurisdictionem in foro interno.
9 De potestate executionis.
10 De eadem impedita per censuram Ecclesiasticam.
11 De eadem item impedita per reseruationem casuum.
12 De scientia in Confessario requisita.
13 De quantitate & qualitate eiusdem scientiæ.
14 De bonitate Confessarij.
15 De approbatione eiusdem.
16 De eo à quo debet Confessarius approbari.

Cui per modum appendicis addetur tractatus de excommunicatione lata in Clerici vel Monachi percussorem.

CAPVT PRIMVM.

De potestate ordinis sacerdotalis.

SVMMARIVM.

1 *Necessitas potestatis ordinis sacerdotalis in Confessario.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

1 *Potestas duplex ordinis sacerdotalis.*
2 *Quid rei sit potestas de qua hic agitur, & vnde appellentur nomine clauium*
4 *Quomodo intelligendum sit remitti à sacerdotibus peccata, deque triplici potest.ate peccata remittendi.*
5 *Quod confessio facta non Sacerdoti, sacramẽtalis nõ sit.*
6 *Quòd neque ea sit posita in præcepto.*
7 *Quando licita sit & in consilio confessio facta non Sacerdoti.*
8 *Quando nec licita sit, nec in consilio.*
9 *Quòd confessio facta non Sacerdoti sit iteranda.*

Num. 1. PLVRA quidem adferri possunt ad ostendendum necessariam esse in Confessario potestatem sacerdotalis ordinis. (Illa habet Suarez *tomo 4.disput. 24. sect. 1.*) sed ad nostrum institutum sufficit vna Concil. Tridentin. aperta definitio. sess. 14. cap. 6. & can. 10. qua statuit solos Sacerdotes esse absolutionis sacramentalis ministros ; neque ad alios extendi debere verba Domini Matthęi 18.Quæcumq; alligaueritis super terram erunt ligata & in cœlo,& quæcumque solueritis super terrã,erũt soluta &in cœlo.]Et Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis,retẽta sunt.] Vnde intelligitur quod idẽ Suarez docet in eadẽ *sect.1.n.7.& sequentib.* (patetque ex receptissimo Ecclesiæ vsu) neque ex dispensatione, neque ob necessitatem, pœnitentiæ sacramentum à non Sacerdote posse administrari.

Quid & quotuplex sit potestas ordinis sacerdotalis.

Sectio I.

Nu. 2. VT autem intelligatur quænam sit potestas ordinis sacerdotalis, obseruandum est, quòd vt duplex distinguitur corpus Christi: vnum naturale, quod est verum illud ex beatissima Virgine natum, inuisibiliter in Sacramento altaris, & visibiliter in cælo existens:alterum ciuile seu mysticum, quod est Ecclesia, cœtusve fidelium : ita etiam duplicem distingui potestatem ordinis sacerdotalis (quam diuisionem pluribus persequitur à Turrecremata *lib.1.de Ecclesia c.93.94.& 95.*) vnam in corpus Christi verũ: ad ipsum scilicet conficiendum in sacrosanctæ Eucharistiæ consecratione, & offerendum sacrificandumque:alteram in corpus Christi mysticum;nimirum ad Sacramenta fidelibus administranda in peccatorum remissionem,& diuinę gratiæ adeptionem. Illam Christus discipulis suis contulit Lucæ 22. dicens:Hoc facite in meam commemorationem:]Hãc verò verbis illis, quæ ex Concilio Trident.ante habitum est,num.1. non ad alios, quàm ad Sacerdotes extendenda esse.

Atque priorem Sacerdotes accipiunt in sua ordinatione, cùm Episcopus eis tradens calicem cum vino aquâ mixto, superpositáque cum pane patena dicit: Accipite potestatem sacrificandi pro viuis & mortuis.]

Posteriorem verò, cùm interpositis quibusdam: idem Episcopus ponens manus super capita eorum, inquit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.] hæcque est de qua in præsentiarum agitur.

Nu. 3. Relictis autem cæteris(de quibus videri possunt Sotus *in 4.distinct.* 20. *quæstion.* 1. *artic.*1. & Suarez *tomo 4. disputat.* 16.) Theologorum, Scholasticorum discussioni:ad institutum nostrum sufficiet de ea notasse paucis, nihil aliud esse in re quàm sacerdotalẽ characterem(prout in eadem disput.sess.3. Suar. notat)quo nomine significatur spiritalis quędam &indelebilis qualitas impressa animæ Sacerdotis in sua ordinatione;quæ sit quidem vna in se,sed per diuersos respectus ad diuersa officia,dicatur plures potestates;nempe vna conficiendi Eucharistiam,seu trãssubstantiandi panem in corpus Christi verum,& vinum in sanguinem;& alteram administrandi Sacramenta ; quæ est huius loci propria;nõ quidẽ simpliciter, sed quatenus instituta ad remittẽdum peccata per administrationem Sacramenti pœnitentiæ.

Ratio nominis clauium, quo significatur huc spectans potestas ordinis.

Sectio II.

SIc autem accepta,metaphoricè significatur nomine clauium (de qua re pluribus Sotus loco citato,& Suarez in sect.4.)quia sicut per clauem tollitur obstaculum introitus in domum,id est, referatur ianua, vt in domum pateat ingressus : sic per talem potestatem aufertur ab homine peccatum,quod excludit ipsum ab ingressu regni cœlorum. Ideo verò plurali numero idem nomen cõmuniter vsurpatur, quòd talis potestas duas in se includat; vnam informandi se de statu pœnitentis, examinandiue ipsum de suis peccatis : habet enim Confessarius eam potestatem in suum pœnitentem, vt possit ipsum obligare ad manifestandum sua peccata, tanquam iudex reum;quæ potestas dicitur clauis scientiæ. Alteram verò ferendi in ipsum sententiam,absoluendo à peccatis, vel retinendo peccata ; per negationem scilicet absolutionis,si se exhibeat illâ indignum,aut per impositionem pœnitentiæ,ad quam acceptatam implendam manet obligatus.Hæcque dicitur clauis potestatis. Quæ cum ita sint,tales claues aptè comparantur cum ciuili potestate iudicis, qua potest & examinare reum,& sententiam in eum proferre. De illis in extrauag.Ioan.22. Quia quorũdam. De verb. signif. §. Quòd autem,mentio est expressa, cum approbatione difinitionis vsu tritæ. Clauis est specialis potestas ligandi atque soluendi, qua Ecclesiasticus iudex dignos recipere,& indignos excludere debet à regno.

Iam quod dictum est per illas à Sacerdotibus peccata remitti,sic accipi debet,vt non negemus remissionem peccatorum esse à solo Deo,tanquam à causa omnino principali & independente, ipso dicẽte Isaiæ 43.Ego ipse sum qui deleo iniquitates tuas propter me.]Item esse à Christo,tãquam à causa meritoria ex definitione Conc.Trid. *sess.6.cap.7.*(de qua re Bellarmin.*lib.1.de iustificatione cap. 2. in tomo 3. controuersiarum.*) Sed tantùm tribuamus Sacerdotibus ministerialem potestatem,qua ad ipsam peccatorum remissionem concurrant;non quidem ad instar manus cum anima ad scribendum concurrentis, vt instrumentum coniunctum ; sed vt instrumentum externum per applicationem Sacramenti ad peccatorem;nimirum ad instar calami concurrentis ad scriptionem, per applicationem atramenti ad papirum. Itaque, vt bene notatum est à Soto *in 4. distinct.*20. *quæstio.*1.*artic.*1.*conclus.*1. triplex distinguitur potestas remittendi peccata:vna primæua ac natiua,quę propria est Dei,cui soli naturaliter conuenit posse peccata dimittere, iuxta illud antè ex Isaia citatum, & illud Lucæ 5.Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?]Quod & ratio confirmat : quia vt peccata de

Nu. 4.

de se,sunt Dei offensæ,iuxta illud Psalm.50.Tibi soli peccaui.]sic de se,Dei est illa remittere.

Altera est, quæ dicitur potestas excellentiæ propria Christi hominis;peccata(pro quibus abundantissimè satisfecit)remittentis cum voluerit, iuxta illud Luc.5.Vt sciatis,quia filius hominis potestatem habet in terra dimittẽdi peccata,ait Paralytico, Tibi dico surge,&c.]Tertia est quæ dicitur potestas ministerialis propria Sacerdotum,tanquam ministrorum Christi,qui postquam factus homo genus humanũ redemit, eidem voluit consulere per homines à se constitutos iudices,suáque authoritate munitos, ad quos peccatorum nostrorum causas referremus, & ipsi nos iudicarent absoluendo,vel ligando ; per ipsorumque iudicium emendaremur.De quibus plura dicere non attinet ad nostrum institutum:sed potius pro praxiquædam notare,quæ inferuntur ex proposita necessitate potestatis ordinis in Confessario.

De confessione facta non Sacerdoti.

Sectio III.

Nu. 5. INfertur ergo 1. ex defectu idonei Confessarij non censeri sacramentalem confessionem eam, quæ fit non sacerdoti,etiamsi aliis sacris ordinibus is initiatus sit : multóque minus factam simplici clerico, aut laico, vel fœminæ, quantumuis esset Abbatissa cui sua monialis confiteatur : ex cap.Noua,de pœnitentia & remiss.quia, qualicumque dignitate polleant tales personæ,carent clauibus à Christo in Ecclesia relictis,ad aperiendum aditum in cœlum per remissionem peccatorum. Quam rationem in memorato cap. Summus Pontifex attigit inquiens:Licet Beatissima virgo Maria dignior & excellentior fuerit cunctis Apostolis; non tamen illi, sed istis Dominus claues regni cœlorum commisit:]Quod verò confessionis factæ non Sacerdoti apud veteres vsum aliquẽ fuisse inueniatur, non est, quòd talis confessio tanquam sacramentalis vsurparetur ad consequendam gratiam quæ per sacramentum confertur ; sed tantùm vt pœnitens testatum faceret, se paratum esse confiteri sacramentaliter,si præsentem

Nu. 6. haberet Confessorem.Videri potest Sotus *in* 4. *dist.* 18.*quæst.*4. *art.*1.*conclus.*3. Infertur2.totum illud quod habetur in principio cap. 1. de pœnitentia,dist. 6. si deest Sacerdos, consiteatur proximo.] Tum aliud quoduis eiusmodi, quo videatur iniungi confessio facienda non Sacerdoti, minimè cõtinere præceptum, etiamsi ad articulum mortis referatur : sed tantummodo consilium, prout ad principium eiusdem cap. 1. num. 7. Nauar. docet. quia non inuenitur datum præceptum, siue diuinum,siue humanum de alia confessione, quàm de sacramentali. Ideóque datum esse, asserendum non est:argumẽto cap. Legatur 24.quæst.2.Sicque omnes sentire Nauar.ipse annotat in Enchir.*cap.*2.*num.*4.

Dubiũ autẽ est quod monent Frãciscus à Victoria De sacram.nu. 143. & Sotus loco citato si præceptũ nõ sit,an saltẽ sit licitũ ac salutare consiliũ,confiteri non Sacerdoti.Explicatur verò tribus propositionibus. Prima est, nec licitum, nec salutare consilium esse,nonSacerdoti confiteri eo animo,vt det absolutionem à peccatis;quia ob magnam irreuerentiam sacramenti graue sacrilegij crimen esset, vt Nauar. bene notat ad cit. princip.num. 78.

Nu. 7. Secunda est, licitum ac salutare consilium esse, existentem in articulo mortis, cui copia Confessarij deest, confiteri peccata sua fideli amico ; non vt absoluatur ab eo,sed vt ei propterChristũ se humilier, excitetque in se pudorem,vel ab illo iuuetur consilio, ac disponatur ad contritionem , & satisfactionem,Deoque commendetur.Probatur tùm per citata verba cap. 1. de pœnit.dist. 6. Si deest Sacerdos, confiteatur proximo.]Tùm per cap.Fures.de furtis. Vbi vulnerati furis confessio facta Diacono sic commendatur, vt ratione illius statuatur non esse negandâ illi communionem (subintellige cũ glosa) siue Eucharistiæ,siue sacræ sepulturæ: Tùm demum per vsum Ecclesiæ,qui frequentior olim fuit, quàm nunc:cùm videtur tantùm vigere in naufragio, vt attigit à Victor.loco citato.Quod si quis obiiciat id esse diffamare seipsum, quod illicitum est: idem à Victoria bene respondet, negando diffamationem sui esse,quando propria peccata declarantur, ad auxilium contra illa obtinendum.

Tertia propositio est non esse licitum nec salutare consilium confiteri non Sacerdoti ; nequidem in articulo mortis, nisi is sit persona prudens, secretique tenax,& quæ profutura sit,nec obfutura. Huius priorem partem Nauarr. *ad idem principium numer.* 79.probat:quia non magis licet detrahere sibi,quàm detrahere alteri (quod summa iniquitas est. cap. Summa iniquitas 6.quæst.1.)sicut non licet magis vitam suam,quàm alienam in discrimen vocare. At confiteri tali laico qui non prodesset, aut non esset seruaturus secretum,nihil aliud esset quàm sibi detrahere. Posteriorem partem verò probat per cap. Hoc videtur 22.quæst. 5. ex quo habetur eum non detrahere alteri, qui crimen illius, etiam occultum, indicat ei , qui prodesse potest, & verosimile est quod obfuturus non sit. Quare nec sibi detrahet is, qui peccata sua confitebitur alteri qui proderit, nec oberit. Ex quo eodem Nauar. in Enchir. *cap.* 21. *num.*41. aduerte, iuxta communem Theologorum sententiam, peccatum illius qui non Sacerdoti confitetur absque necessitate,cùm possit confiteriSacerdoti : aut cum necessitate quidem , sed animo accipiendi ab eo sacramentalem absolutionem, aut detegendo imprudenter mortalia peccata : perinde mortale esse, ac fuerit aliquod aliud crimen committere,ad obtinendam à Deo peccatorum suorum veniam , si quidem sciat absolutionem sacramentalem tentatam à nõ Sacerdote, sacrilegam esse;aut si sciat graue peccatum esse diffamare seipsum, & detegit nihilominus in tali confessione peccata , de quibus non potest se diffamare sine peccato mortali : ob grandem sui læsionem inexcusabilem. Quod si tale quid faceret, bona simplicique fide, credens esse licitum, excusaretur per ignorantiam : præsertim cùm agat id,in quo nemini nocet,nisi sibi,satisfaciendo plus quàm debeat suo proposito;prout bene notat idemNauarrus ad memoratum principium num.81. *Nu.* 8.

Postremo ex eadem necessitate potestatis ordinis infertur, quòd idem author habet in sequenti num.83. eum,qui tempore necessitatis est confessus peccata sua mortalia non Sacerdoti , teneri denuo confiteri Sacerdoti habenti sufficientem potestatem,peccareque mortaliter non confitendo eo tempore quo tenetur ex præcepto , non minus quàm si non fuisset illo modo confessus. In quo omnes conuenire, idem etiam annotat in Enchir. *cap.*. 21. *num.* 41. Et ratio est in promptu, quia nondum subiecit illa sua peccata clauibus Ecclesię,iudicióve Sacerdotis , sicut sacramentalis confessio in præcepto posita requirit. *Nu.* 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT SECVNDVM.

De potestate iurisdictionis.

SVMMARIVM.

10 *In quo consistat iurisdictio.*
11 *Iurisdictio alia temporalis, alia spiritalis.*
12 *Spiritalis quædam est in foro externo, & quædam in interno.*
13 *Iurisdictio in foro externo esse potest sine potestate ordinis; non item iurisdictio in foro interno.*
14 *Iurisdictio in foro interno, in quo consistat: qualiter adhuc eadem differat à iurisdictione spirituali in foro externo.*

*Nu.*10. POTESTAS iurisdictionis, vt nomen ipsum indicat, est ea qua quis præest iuridicundo; ideoque consistit in prælatione super aliquam multitudinem, aut etiam super aliquam certam personam, vt regatur, & vt secundum leges iustitia ei administretur.

Potestas iurisdictionis multiplex.

SECTIO PRIOR.

*Nu.*11. DVplex autem est potestas iurisdictionis; vna temporalis, seu sæcularis, ad temporale bonum ordinata, qualis est ciuilis regum, & aliorum principum, instituta ad reip. pacem. Altera spiritalis, qualis est Ecclesiastica in Papa, & in aliis Ecclesiasticis gerentibus curam animarum, ad quarum salutem ea ordinatur. De qua diuisione pluribus à Turrecrem.
*Nu.*12. *lib. 1. de Ecclesia cap. 87. & aliquot sequentibus.* Spiritalis adhuc duplex est: vna ad regendum populum Christianum in externo causarumque foro; altera ad curandum eumdem populum in interno pœnitentialique foro; per illam potest quis in definiendis causis, quæ inter ipsius subditos controuertuntur, ius dicere, sententiamve ferre, etiam in inuitos; vnde coercitiuam dictam esse notat à Turrecrem. *in lib. 1. de Ecclesia cap. 96. concl. 1.* Per hanc verò in causa Dei offensi, facta à subdito suo confessione, potest illum absoluere à culpa, & obligare ad satisfactionem, non tamen inuitum; quia nemo, nisi volens, suscipit pœnitentiæ sacramentum ad quod eiusmodi prolatio sententiæ pertinet: ideoque voluntaria esse debet, non modo ex parte proferētis, sed etiam ex parte eius in quem profertur. De hac etiam diuisione pluribus à Turrecrem. *in cit. c. 96. & sequentibus.*

Discrimina inter iurisdictionem in foro interno, & iurisdictionem spiritualem in foro externo.

SECTIO POSTERIOR.

*Nu.*13. POtest autem prior illa, sine potestate ordinis in præcedēti cap. descripta, & esse, & exerceri prout patet ex Archidiaconis, & aliis, qui in Prælatos instituuntur, antequam facti sint Sacerdotes; posterior verò hæc, non potest. Immo (etsi alij alia dicant de quo legendus est Suarez in D. Thomam *tomo 4. disput. 16. sect. 3.*) videtur habitualiter seu aptitudinaliter eadem esse cum potestate ipsa ordinis; cui tamen actualiter superaddat applicationem materiæ circa quam exerceatur; siue (quod idem est) illa prædito, datos esse subditos in foro conscientiæ absoluendos & ligandos. Hócque significat Sotus *in 4. distinct. 20. quæst. 1. art. 1. col. penult.* cùm sic inquit: Potestas clauium non dicit nisi meram potentiam; iurisdictio autem non est propriè potentia, sed applicatio materiæ ad agens, vt sequatur actio; nempe applicatio subditorum ad sacerdotem, vt sequatur absolutio, quæ scilicet alioqui non sequeretur: sicut nec fieret consecratio corporis Christi sine pane; nec in vacuo fieret calefactio, quamuis ignis in eo existens vim haberet calefaciendi, quia materia non esset ei admota. Vnde, vt idem author addit, dum Sacerdoti confertur beneficium curatum, non datur ei potestas clauium, quam per Characterem Sacerdotalem iam habebat; sed applicatur ei populus, in quem illam exerceat, eaque applicatione facta ipse est proprie iudex. Quæ est etiam Nauarri doctrina *ad cap. Placuit de pœnitentia dist. 6. num. 46.* vbi eam illustrat exemplo licentiæ Principis, quam medico dat vtendi sua arte; superaddit enim eidem arti, non quidem vim aliquam operandi; sed tantùm applicationem materiæ circa quam operetur, hoc est, populum, cuius curationi incumbat.

Ex qua doctrina intelligitur duplex adhuc esse *Nu.*14. inter easdem spirituales iurisdictiones discrimen. Vnum est, quòd per posterioris collationem, duntaxat subiiciatur materia, in quam exerceatur clauium potestas adepta in susceptione ordinis sacerdotalis: per collationem verò prioris, obtineatur prælatio qua quis in eos quibus præficitur possit in externo, publicoque foro, de iis quæ ad spirituale regimen ipsorum pertinent, sententiam proferre etiam in inuitos: quodquidem additur, quia ad talis sententiæ validitatem non requiritur voluntas ei submittendi, sicut ad validitatem sententiæ quæ in interno foro profertur, prout iam num. 12. attigimus. Alterum discrimen est illud, cuius meminit Gabriel *in 4. distinct. 18. quæstion. 2. artic. 2. conclus. tertia.* quòd prior potestas sit arbitrandi inter hominem & hominem; dicaturque gladius, quia subditos pœnis coërcet; posterior verò sit arbitrandi inter Deum & hominem; & dicatur clauis, eo quod aditum aperiat ad cœlum, quę sola quidem ad vsum Sacramenti pœnitentiæ necessaria est; quia tamen in eodem vsu pendet ex priore, per quam dari, limitari, tolli, aut suspendi potest; non erit abs re incidenter de eadem paucis dicere.

CAPVT TERTIVM.

De spirituali iurisdictione in foro externo.

SVMMARIVM.

15 *Actus varij ad quos istiusmodi iurisdictio extenditur.*
16 *Totalis plenitudo illius est in Papa.*
17 *In Prælatis aliis, est limitata.*
18 *A Christo transfusa est in D. Petrum, & ipsius successores.*

*Nu.*15. SVFFICERE potest ad nostrum institutum tria de hac annotasse in præsentiarum.

Primum est, quòd ea se extendat ad actus varios; qui sunt; visitare subditos, inquirere in illorum mores, & punire, legatos mittere, contumaces rebellesque accersere, & illorum compescere audaciam, ad concilium vocare eos quorum interest adesse, determinata in Concilio confirmare, pœna Ecclesiastica coërcere delinquentes, vt excommunicare; & à talibus

bus pœnis, vt ab excommunicatione, absoluere: casus reseruare, & reseruatos relaxare; dare indulgentias, dispensare in voto & in iuramento, hæreticos & scripta ipsorum condemnare, scripta antequam in lucem edantur examinare, & iudicare num sanam, an pestiferam doctrinam contineant, qui verè sint articuli fidei exponere, quæ sint canonicæ scripturæ testari, dubia circa fidem & circa religionem orientia soluere, ritus & cæremonias ordinare, constituere Episcopos & alios Ecclesiæ ministros, beneficia Ecclesiastica distribuere, & de bonis temporalibus ad Ecclesiam pertinentibus disponere, aliquē vita functum in Catalogo Sanctorum cum Christo regnantium scribere, ordinare vt certis diebus memoria illius sit venerabilis in populo Christiano; & forte adhuc plures alij, de quibus qui ex professo disserere voluerit, in vnoquoque materiam longi tractatus inueniet. Sed ne quidem de illis, qui ad hoc nostrum institutum pertinent, iste est proprius dicendi locus.

*Nu.*16. Secundum est, totalem huius potestatis plenitudinem esse in Papa: cap. Ad honorem. de authoritate & vsu pallij. Et cap. cum ex eo, de pœnit. & remiss. (de qua re plenius à Turrecremata *lib. 2. de Ecclesia cap. 52.*) ita vt is illam habeat in omnes Christiani orbis Prælatos, ac in omnes subditos ipsorum cap. finali de foro competen. & cap. Antiqua de priuilegiis: possitque cognoscere de eorumdem omnium causis. cap. Antiquis, cap. Aliorum, & cap. Cuncta, 9. quæst. 3. atque id ex officio cap. vnico Extra Vt Eccles. benef. sine diminut. confer. §. Cùm enim adeout cæteris ipse præemineat dignitate & officio, ex cit. cap. Antiqua, vbi de Romana Ecclesia dicitur: quod disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis habeat principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra: cæteri autem Ecclesiæ Prælati ex citato cap. Ad honorem, vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis (de qua re fusè à Turrecr. in *sequenti cap. 53.*) sicut ipse Papa: qui idcirco restituit depositos Episcopos, & institutos deponit, diuidit vnum Episcopatum in duos, aut in vnum duos vnit, eximit à superioris iurisdictione, vt Abbatem à iurisdictione Episcopi, & Episcopū à iurisdictione Archiepiscopi, approbat Concilia, dubia de articulis fidei soluit, Synodum generalem facit, sedem Episcopalem transfert de loco in locum, mutat Episcopos, nec vllus appellat ab ipso. Quæ notans glosa ad cap. Sicut vnire. de excessib. Prælat. verbo Pertinere. refert de illis hos versus.

Restituit Papa solus, deponit & ipse,
Diuidit, ac vnit, eximit, atque probat:
Articulos soluit, Synodumque facit generalem,
Transfert, & mutat, appellat nullus ab ipso.

*Nu.*17. In aliis autem Prælatis eadem potestas inest secundum limitationem eis immediatè vel mediatè constitutam à Papa, à quo illam omnes accipere Bellarm. confirmat *tom. 1. lib. 4. cap. 24. in controuersia de S. Pontif.* & latius à Turrecr. *in summa de Ecclesia lib. 2. cap. 54. ac sequentibus.* Et certè (vt reliqua omittam) inæqualitas iurisdictionis id satis indicat. Nam videmus vnum Episcopum, intra fines suæ iurisdictionis habere decem oppida, alium viginti, alium aliquot prouincias: quod argumento est non accipere immediatè à Deo talem iurisdictionem; alioqui enim Episcopi omnes haberent æqualem, sicut habent æqualem potestatem ordinis. Dici verò non potest, à quo alio potius illam acceperint, quàm à Papa totius Ecclesiæ Principe: qui sic eandem illis attribuerit, vt alius maiorem, alius minorem sub se haberet populum.

Tertium est, eandem de qua agimus potestatem, à *Nu.*18. Christo esse transfusam in D. Petrum, & in ipsius successores summos Pontifices cap. In nouo dist. 21. cap. Omnes dist. 21. & cap. 1. de trāslatione Episcopi. Probatúrque ex eo, quod Christus Matth. 16. promiserit D. Petro se daturum illi claues regni cœlorum, & promissum præstiterit Ioann. 21. cùm ei dixit bis, *Pasce agnos meos*; & tertio addidit, *Pasce oues meas*; nomine clauium Matth. 16. significans summam potestatem in vniuersam Ecclesiam; & Ioannis 21. significans per agnos, omnes fideles: & per oues, Prælatos: qui sunt eorum quasi matres. De qua re Bellar. in eadem controuer. de Summ. Pontif. *lib. 1. capit. 10. & aliquot sequentibus*: in quorum 13. & 16. confirmat ex professo illorum Christi verborum sensum esse quem tangimus.

CAPVT QVARTVM.

De iurisdictione in foro interno.

SVMMARIVM.

19 *Quid ostendat iurisdictionem hanc à præcedenti diuersam esse.*
20 *Necessaria est hæc iurisdictio ad ministrandum pœnitentiæ sacramentum.*
21 *Iurisdictio in foro interno tota est in Papa.*
22 *Papa quomodo Ecclesiæ princeps dicatur.*
23 *Quomodo ista iurisdictio sit in aliis Sacerdotibus dependenter à Papa.*
24 *Ea dependentia non obstante, tùm Episcopi, tùm Parochi, sunt in Ecclesia authoritate Dei, nec Papæ, sed Dei authoritate absoluunt à peccatis.*
25 *Quomodo fiat applicatio subditorum, in qua maximè consistit istiusmodi iurisdictio.*
26 *Proprius Sacerdos dicitur, tùm communissimè, tùm communiter, tùm propriè.*
27 *Quarundam propositionum intelligentia, petita ex proposita distinctione.*

DE hac iurisdictione prout in se includit potestatem ordinis, nihil superest addendum antedictis in cap. 1. vnde hìc occurrit consideranda tantùm, vt eidem potestati superaddit applicationem subditorum; qua potissimùm ratione ipso iurisdictionis nomine ea significatur, cùm in Confessario præter Sacerdotalem ordinem, iurisdictio requiri dicitur. Atque de ea vniuersè (prout in præsentiarum spectatur) notabimus quæ pro praxi nobis proposita generalium documentorum loco esse possunt.

Notandum est igitur primò, istiusmodi iurisdi- *Nu.*19. ctionem ab ea, de qua proximè dictum est, distingui, prout à Turrec. *lib. 1. de Ecclesia cap. 96. concl. 2.* ex eo probat; quod multi Sacerdotes curam habentes animarum, sine illa, istam habeant; vt indicio est, quòd excommunicare non possint, nisi fortè ex commissione ipsis data; contrà verò aliqui illam sine hac habeant, vt patet in Archidiaconis, quorum dignitati non est annexa animarum cura in foro interno.

Notandum est secundò eandem iurisdictionem *Nu.*20. necessariò requiri in Confessario, ita vt is nequeat absque illa, siue in quadragesima, siue alio tempore, validè absoluere, iuxta receptam sententiam: quæ roboratur definitione Concilij Florent. in Instruct. Armenorum, de sacramento pœnitentiæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Concilij Tridentin. sessione. 14. capite 7. vbi adfertur in confirmationem, quòd natura & ratio iudicij id exposcat, vt sententia in subditos duntaxat proferatur. Accedit & quòd feratur obligando per modum imperij quo vrgetur obseruatio eius quod per eam decernitur. Vnde sequitur Confessario opus esse iurisdictione, qua pœnitens ei subiiciatur in pœnitentiali foro, quodquidem non est minus ordinatum, quàm seculare, in quo non potest quilibet Iudex quemlibet hominem iudicare, sed tantùm sibi subditum; eúmue in quem habet iurisdictionem. Accedit etiam, quod Christi institutione sacramentum pœnitentiæ sit quoddam iudicium, vt constat ex verbis Concilij Trid. quæ in præfatione huius libri attulimus: vnde sequitur ad illius administrationem, iure diuino requiri ministrum, qui habeat iurisdictionem, tanquam Iudicis authoritatem, ad iudicium exercendum: adeóque meritò statui, ad idem sacramentum administrandum, sic necessariam esse iurisdictionem, vt sine ea administratum, sit nullum. In quo ipsum differt ab aliis sacramentis; ad quorum administrationem iurisdictio requiritur tantùm iure Ecclesiastico prohibente, ne ea sine hac administrentur. Cui prohibitioni contrauenientes administrando ea sibi non subditis, peccant quidem, sed tamen valida sunt taliter administrata: vt hinc patet, quòd non sit denuò confirmandus, vel ordinandus, qui ab Episcopo alieno confirmatus fuit, vel ordinatus; sicut denuò absoluendus est is, qui à Sacerdote non suo, id est, à non habente in ipsum iurisdictionem, nec ordinariam, nec delegatam absolutus fuit. Siquidem nullius momenti est absolutio ea quam Sacerdos in eum profert, in quem nec ordinariam, nec delegatam habet iurisdictionem; vt totidem verbis Conc. Trid. in cit. cap. 7. statuit.

De diuersa ratione qua hæc iurisdictio est in Papa, & in aliis Sacerdotibus.

SECTIO PRIOR.

Nu. 21. NOtandum est 3. iurisdictionem huiusmodi (perinde ac eam de qua dictum est in præcedenti cap.) esse totam in Papa, datam ei à Christo ex cap. In nouo. dist. 21. & cap. Omnes. dist. 22. confirmatúrque per illud Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorũ:] quo promissum esse summũ principatum, intelligitur ex vi Metaphoræ; quia claues domus, vel ciuitatis, sunt penes eum qui in domo vel ciuitate princeps est. Vnde in scriptura per illas significatur principatus Isaiæ 22. cùm dicitu: Dabo clauem Dauid super humerum eius; & aperiet & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.] Quod de Christi principatu, summáque potestate dici, patet ex cap. 3. Apocalyp. Accedit illud in eo ipso cap. 16. Quodcumq; ligaueris super terrã, erit ligatũ & in cælis; & quodcumq; solueris super terrã, erit solutũ & in cælis:]quod glosa ad hanc iurisdictionem refert, illud sic interpretans, Quemcumque indignum remissione iudicaueris dum viuit, apud Deum indignus iudicabitur; & quemcumque iudicaueris soluendum dùm viuit, remissionem peccatorum consequetur. Ad idem faciunt aliquot Canones qui habentur 9. quæst. 3. sub finem: atque cap. Cuncta per mũdum, de maiorit. & obedientia. Facit quoque ratio, quia in S. Pontif. tanquam in supremo totius Christianæ reip. principe, residere debet plenitudo potestatis, extendens se ad omnia necessaria, aut expedientia saluti eiusdem reip. Quare residebit & iurisdictio, qua omnes fideles ei subiiciantur in foro conscientiæ necessaria ad aperiendum peccatoribus per sacramentum pœnitentiæ regnum cœlorum.

Obiter aduerte differenter à Christo homine (quem Deus pater dedit caput super omnem Ecclesiam, ad Ephesios cap. 1.) Papam dici Ecclesiæ principem habentem potestatis plenitudinem: ministerialis enim est potestas Papæ, quippe qui à Christo est super vniuersam Ecclesiam constitutus, tanquam fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam; Christi verò hominis præcellens est potestas, tanquam filij in domo sua: nempe Papa est vt Moyses, fidelis in tota domo Dei, tanquam famulus; Christus verò tanquam filius in domo, quæ domus nos sumus, ad Hebr. cap. 3. Aduerte 2. nihil antedictis obstare quòd in particulari à Christo dictũ sit D. Petro, Tibi dabo claues regni cœlorũ.] Matth. 16. & pasce oues meas.] Ioan. 21. Quòd enim voluerit, vt id ad D. Petri successores pertineret, argumento est, quod hos etiã cõstituerit Ecclesiæ suæ fundamentum: dicendo, super hãc petram ædificabo Ecclesiã meã.] Nam Ecclesiam suam immortalem non fundauit super hominem mortalem, sed super ipsum, & ipsius successores, qui defuturi nõ sunt, sicut nec Ecclesia ipsa deficiet. Adhæc, sicut Ecclesia opus habuit Principe visibili, in quo ipsa fundaretur, & qui cum ipsa perseueraret, sic etiã opus habuit potestate plenissima ligandi & soluendi, quæ in eodem Principe perseueraret, non deficiendo in Petri successoribus. *Nu. 22.*

Cæterum licet iurisdictio hæc detur Papæ à Deo, præsupponit tamen in eo humanam electionem ipsius factam legitimè, seu secundùm Ecclesiæ receptam consuetudinem: sicut voti obligatio, quæ est de iure diuino, requirit illius emissionem factam ab homine. Vide cap. In nomine Domini. dist. 23.

Notandum est 4. de eadem iurisdictione, quatenus inuenitur in aliis Sacerdotibus, vocari in controuersiam, an ad illos ab ipso S. Pontifice, deriuetur; an verò illi eam à Deo immediatè habeant. Quod latiùs discutere, non est præsentis instituti; cui satis est obseruasse rationes quas adferunt Bellarm. & Suarez *ille tomo 1. in controuer. de S. Pontif. lib. 4. cap. 14. & hic tomo 4. disput. 25. sect. 1. à num. 10.* pluréque alias, quas habet à Turrecr. *in lib. 2. de Ecclesia. cap. 54. & sequentibus*, sufficienter ostendere deriuari à Papa in Sacerdotes eos in quibus residere inuenitur, idest, quamuis originaliter ea sit à Deo, vtpote quæ ad beatitudinem supernaturalem ordinata, excedit omnem facultatem naturæ; ad eos tamen deuenire per potestatem capitis à Deo datam Papæ. Itaque sicut in corpore humano, virtus membrorum ex capite, & in arbore virtus ramorum ex radice; ita in Ecclesia iurisdictio cæterorum deriuatur à Papa, quem Christus suum in Ecclesia Vicarium designauit, omnes qui ad illam spectarent ei subiiciens, cùm dixit diuo Petro Ioann. 21. Pasce agnos meos, pasce oues meas:]prout in cS. olitæ. de maioritate & obed. & in extrauag. commun. Vnam sanctam. eod. tit. confirmatur; ex eo, quòd Christus oues meas, non autem has, vel illas dicens, nullas exceperit, sed omnes commiserit. *Nu. 23.*

Quoniam verò Papa non potuit solus sufficere regendis omnibus fidelibus, suam illam iurisdictionem taliter accepit, vt posset in alios in partem solicitudinis vocatos eam deriuare, prout videretur necessitas vtilitásque Ecclesiæ exigere. Hincque est, quòd cùm istiusmodi iurisdictio in Summo Pontif. resideat

resideat cum omni plenitudine (ex antedictis, *num. 21.* atque ex aliis quę adfert à Turrecr. *lib. 2. de Ecclesia cap. 52.*) in cæteris resideat tantummodo limitata, restrictáque ad certam fidelium partem; hocque, limitatione restrictioneque facta per Ecclesiam Romanam: quemadmodum expressum est in cap. Decreto. & sequenti. 2. quæst. 6. cùm dicitur, Ecclesiam Romanam vices suas impertiuisse aliis Ecclesiis, vt in partem vocatæ sint solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. In quam sententiam plura à Turrecr. *in sequenti cap. 53.* Et confirmatur ex eo quòd iurisdictionis huius vsum nemo habeat in Ecclesia, nisi fultus authoritate Summi Pontif. qui ei populum aliquem subiecerit, instituendo ipsum in officio coniunctam habente curam animarum: quod interdum facit immediatè, vt instituendo aliquem in Archiepiscopum; interdum verò mediatè, vt dùm Archiepiscopus ab ipso institutus, alium instituit in Episcopum; & hic alium in Abbatem, vel in Parochum; aut ex his aliqui tribuunt alteri Sacerdoti facultatem audiendi cõfessiones suorum subditorum. Confirmatur item ex eo quòd Papa possit aliquos eximere à Prælatorum suorum subiectione, vt Episcopum à subiectione Archiepiscopi; Abbatem, aut etiam Curatum à subiectione Episcopi; & dare facultatem alteri, quàm suo proprio Sacerdoti, confitendi. Quod qua ratione rectè fieret, si immediatè à Deo, non autem mediante Papa iurisdictionem haberent, vix explicari potest. Quod etiam cogit fateri, quantumcumque probabile sit (vt ostendit Sotus) *in 4. distinct. 20. quæst. 1. art. 2.* Apostolos suam iurisdictionem in vtroque foro habuisse immediate à Christo, prout munus Apostolicum exigere videbatur; Episcopos tamen, qui ipsorum successores sunt, cap. Quorum vices, *dist. 68.* non accipere talem authoritatem, nisi per Romanum Pontificem, vt probat Suarez, *in citata sect. 1. num. 12.* fateturque Sotus *in memorato art. 2. concl. 4. sub finem.* Qui & admonet *in sequenti art. 4. concl. 4.* cauendum esse ne eliciamus ex his, Episcopos & Parochos esse in Ecclesia, Papę tantùm non Dei authoritate. Tam enim id dicendum non est, quàm non esse sacramentum ordinis, pro institutione ministrorum Ecclesiæ: aut Papam posse facere vt nulli sint in Ecclesia Episcopi & Parochi. Elici ergo tantummodo debet, quòd per Papam singuli Episcopi suis diœcesibus, & singuli parochi suis parochiis mancipentur attribuanturue. Videndus est Suarez *in eádem sess. numer. 6. & aliquot sequentibus.* Admonere pariter potuit Sotus, ne eliciamus Sacerdotes à peccatis absoluere authoritate Papæ, non Dei. Nam quamuis possint tantùm subditos à summo Pontifice mediate, aut immediatè sibi datos, absoluere; potestatem tamen absoluendi (quam cum sacerdotali charactere eamdem esse antea num. 3. annotauimus) non habent ab eo, sed à Deo, interuenientibus Christi meritis, & Episcopi ordinantis ministerio, ordinisque Sacerdotalis susceptione. *Nu. 24.*

De applicatione subditorum, per quam iurisdictio hæc acquiritur, & proprius Sacerdos constituitur.

SECTIO POSTERIOR.

Nu. 25. NOTANDVM est 5. applicationem subditorum, in qua maximè iurisdictio hæc consistit, fieri tum via ordinaria, tum delegatione: vnde sumitur distinctio eiusdem iurisdictionis in ordinariam & delegatam, roborata Concilij Trident. authoritate *in sess. 14. cap. 7.* Via autem ordinaria fieri censetur, quando populo Christiano præficitur aliquis, cui ex officio incumbat animarum cura, & munus pascendi; vt cum quis constituitur Episcopus alicuius diœcesis, aut Curatus alicuius parochię. Delegatione verò, quando is, qui via ordinaria iurisdictionem obtinuit, illam cum altero communicat: non quidem instituendo ipsum pastorem ouium proprium, seu qui eas pascat ex officio; sed qui proprij pastoris vices in Sacramenti administratione gerat. Atque iurisdictionem habens priore via, non potest ea priuari, nisi iusta aliqua causa subsit. cap. Omnes, dist. 22. iuncta glosa in verbo Iniustitiam. Habens verò posteriore modo, potest ea priuari pro arbitrio illius qui dedit ei subditos, vices tantùm suas committendo; non autem instituendo ipsum in pastorem.

Notandum est 6. ex istiusmodi iurisdictione pendere quòd quis cẽseatur alicuius Sacerdos proprius, cui debeat confiteri ad sacramentalem absolutionem consequendam; ex cap. Omnis vtriusque sexus, de pœniten. & remiss. §. Si quis autem. & ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 7. vbi ad eiusdem absolutionis validitatem iurisdictio exigitur in Confessario, vel ordinaria, vel delegata. Pro cuius rei maiore intelligentia aduerte quod ex D. Bonauent. Nauar. ad cap. Placuit, *de pœnuent. distinct. 6. num. 131.* habet: proprium Sacerdotem tripliciter dici, communissimè, communiter, & propriè. Communissimè quidem, de omni Sacerdote, qui sibi confitentem potest absoluere, siue ex officio tanquam Pastor, siue ex commissione tanquam delegatus: quem aliqui ad vitandam ambiguitatem malunt dicere legitimum Sacerdotem. Communiter verò dici angustius de eo solo, qui ex officio potest absoluere, iurisdictionem habens ordinariam: vt habet Papa in tota Ecclesia, Episcopus in sua diœcesi, & parochus in sua parochia: idque sumpto generaliter nomine, tùm Episcopi, vt comprehendat Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas; tum etiam parochi, vt comprehendat eos qui in dignitate constituti sunt infra Episcopum, si incumbat eis cura animarum; quo modo Prępositus generalis in ordine Religioso dicitur Sacerdos proprius omnium Religiosorum qui sunt talis ordinis; & Prouincialis eorum Religiosorum qui sunt in ipsius Prouincia; & Superior immediatus religiosæ domus, Religiosor ũqui in ea morãtur. Similiter Decanus dicitur Sacerdos propri⁹ Clericorũ fæculariũ, qui sunt de collegio cui ipse prę est. Dici pariter potest proprius Sacerdos quicumque similem habet animarum curam, quocumque vocẽtur nomine. *Nu. 26.*

Propriè denique proprium Sacerdotem dici angustissimè de eo, cui ex officio incumbit animarum cura, neque alium pastorem habet subordinatum sibi: sic proprij Sacerdotis appellatio tribuitur parochis, & particularibus familiarium Religiosorum Præfectis; hoc est, Prioribus, Guardianis, & aliis simili munere fungentibus.

Ex qua distinctione intelligendus est germanus sensus trium harum propositionum practicarum. Inualida est omnis confessio facta non proprio Sacerdoti. Nemo potest ab alieno Sacerdote absolui, sine proprij licentia. Erroneum est dicere, confessum habenti à Papa generalem potestatem audiendi confessiones ita absolui, vt teneatur iterum confiteri proprio Sacerdoti. In prima enim, proprius Sacerdos accipi debet communissimè, quandoquidem acceptus communiter, aut propriè, falsam propositionem facit; cùm non solùm ordinarius, sed etiam *Nu. 27.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam alius de licentia, seu delegatione ipsius absoluere possit, vt sequitur ex antedictis *num.*25. & patet ex extranagāti communi Vas electionis. De hæreticis: vnde habetur erroneum esse contrarium sentire. In secunda verò propositione accipi debet communiter, alioqui falsa est; quandoquidem non omnis qui iurisdictionem habet tantùm delegatam, potest illam alteri committere, ex cap. finali §. Cæterum. De officio & potestate Iudicis delegati. Vbi inter cętera statuitur, nulli, cui commissum fuerit iniungere pœnitentias, licere id alteri committere. Quod Nauar. ad memoratum cap. Placuit, *num.*73. accommodans ad hoc propositum, illud interpretatur procedere, cùm tacitè negatur subdelegandi potestas; vt censetur negari, quando industria personæ eligitur tantùm ad ministerium, sine animo plenæ concessionis faciendæ: quia tunc non censetur aliud suæ fidei commissum quàm ministeriū illud ad quod electus, substitutusque est; (inquit ipse in præcedenti *num.* 72.) non autem cùm delegandi potestas tacitè conceditur: vt censetur concedi, quando ordinarius ea mente suas vices alteri plenè committit, vt omnia circa Sacramentorum administrationem gerat, quæ ipsemet potest. Hinc ex eod. Nauar. ibidem *num.*69. illi qui cum licentia Vicarij confitentur alieno Sacerdoti legitimè confitentur; siue fuerit Parochi Vicarius perpetuus; de quo ius idem ac de principali Parocho statuit in Clement. vnica de officio Vicecurati; siue Generalis Vicarius Episcopi; cuius vnū idemque Tribunal est, cum Tribunali Episcopi cap. Non putamus. De consuetudine, & cap. Romana. De appellationibus. vtrobique in 6. sine summus Papæ Pœnitentiarius, habens suo officio eam facultatem annexam (non item alij simplices Pœnitentiarij eiusdem Papæ, ex Palud. *in* 4. *dist.*17. *quæst.* 4. *art.*1. *concl.* 3.) siue etiam fuerit Vicarius temporalis positus in Parochia, aut ab Episcopo propter absentiam Parochi; aut à Parocho ipso, vel à Vicario perpetuo; etiam ad modicum tempus; quia omnium sic ponentium (inquit Nauarrus *in citato num.* 70.) mens esse consueuit, vt sic posito concedatur saltem implicitè ac tacitè facultas agendi omnia illa, quæ Parochus agere posset: atque adeo dandi facultatem Parochianis vt confiteantur alieno: alioqui (addit idem *in sequenti num.* 71.) non posset Vicarius in solemnibus festis alios Sacerdotes in partem curæ vocare; contra generalem Ecclesiæ consuetudinem. Idem docet Medina *in Codice de confessione quæst.*32. & latius persequitur Sanchez *in lib.*3. *de matrim. quæst.*31. Nec refert quod solus Principis delegatus (qualis non est Vicecuratus) subdelegare valeat, ex cap. Cum causam. De appellationibus: nam ex glosa ad cap. Is cui. De offitio deleg. in 6. notabili 3. id non habet locum quando quis suo delegato specialem dat subdelegandi facultatem, quam nomine ipsius exerceat: non secus ac si procuratorem constituens, facultatem ei concederet alium adhuc constituendi nomine ipsius. Quod notabile Nauar. *in citato num.* 71. monet non tantùm procedere, quando subdelegandi potestas conceditur expresè; sed etiam quando tacitè; quod (vt ille addit) existimandum non est fieri, nisi quando ex vsu, vel ex sufficientibus coniecturis idipsum apparuerit.

Denique, quod nomen proprij Sacerdotis intelligi debeat propriè in tertia propositione antè posita initio huius numeri patebit per dicenda in sequenti cap. 7. cùm declarabitur quartus modus acquirendi iurisdictionem delegatam.

***

CAPVT QVINTVM.

De iurisdictione in foro interno ordinaria.

SVMMARIVM.

28 *Huius iurisdictionis diuisio in habitualem & actualem improbatur.*
29 *Diuisio eiusdem iurisdictionis in Papalem, Episcopalem, & Parochialem.*
30 *A Papali nemo eximi potest; à cæteris potest.*
31 *Quomodo in Papam iurisdictio hæc possit haberi: & quis habeat in ipsius familiares.*
32 *Quis habeat in Cardinales, & eorundem familiares.*
33 *Quis in eos qui pollent Episcopali dignitate.*
34 *Quam iurisdictionem Archiepiscopus habeat in subditos suorum Suffraganeorum.*
35 *Cuius iurisdictioni subiiciantur illi qui sunt de laica familia Episcopi.*
36 *Cuius iurisdictioni subiiciantur Prælati inferiores Episcopo.*
37 *Qui comprehendantur nomine Prælatorum.*
38 *Difficultas de Prouincialibus, Prioribus, Guardianis, & huiusmodi aliis.*
39 *De iurisdictione in Clericos non exemptos.*
40 *Vnde habeant Sacerdotes sæculares facultatem eligendi sibi Confessarium.*
41 *Quis iurisdictionem habeat in Religiosos non Prælatos, & in Moniales.*
42 *Quis in Imperatorem, Regem, & alios Principes maiores.*
43 *Quis in minores Principes, & alios dominos sæculares.*
44 *Quis in alios Sæculares.*

*Nu.*28. DVPLICEM esse in conscientiæ foro iurisdictionem: vnam ordinariam, & alteram delegatam, patet ex antedictis. De ordinaria autem addendum est primò, diuisionem illius in habitualem, & actualem, quam Nauar. approbat in Enchir. *cap.*4. *num.* 1. *aliàs* 3. non videri niti firmo fundamento; nam per habitualem, vel intelligit potestatem ordinis ad absoluendum; & ita illi cum Neotericis, quos reiicit, quæstio erit tantùm de nomine: nimirum quòd ipsi nolint, vt ille, eam potestatem esse appellandam nomine iurisdictionis: vel intelligit aliquam aliam potestatem; quæ nulla fingi potest, nisi ea cuius respectu Sacerdos habet subditos in foro conscientiæ; talis autem non distinguitur ab actuali; neque Sacerdos eam in sua ordinatione accipit; cùm simplex Sacerdos nullos subditos habeat: etenim cur hos potius quàm illos habeat: ratio, reddi non potest. Habere verò omnes fideles alienum est à ratione; quia iurisdictionem haberet ampliorem Episcopali, & æqualem Papali, quod absurdum est.

*Nu.*29. Addendum est secundò, quòd cùm istiusmodi iurisdictio quædam sit Papalis, quædam Episcopalis, & quædam Parochialis, primam à duabus reliquis differre tùm origine, quòd immediatè sit à Christo, tùm independentia, quòd non dependeat ab aliis, sicut aliæ ab ipsa dependent; tùm demùm vniuersitate absoluta, quòd vniuersalissima sit, quoad loca, personas, & causas, ac etiam quoad modum vtendi illa, vel per se, vel per alios, concedendíque aliis eam prout libuerit; nihilominus tamen in hoc foro, quicquid potest summus Pontifex in vniuersa Ecclesia, id posse Episcopum in sua Diœcesi, & Parochum in sua parochia, exceptis iis quæ specialiter fuerint illis prohibita, aut reseruata superiori. Ad quod

quod facit cap. Nuper. in fine De sententia excommunicationis: & quòd iurisdictio in foro pœnitentiali circa oues proprias, annexa muneri pastorali, sit de se vniuersalis, nisi limitetur. De qua re Suarez *tomo* 4. *disput.*25. *sect.*1. *num.*13.

*Nu.*30. Addendum est tertiò à Papali iurisdictione cùm vniuersalissima sit, & immutabilis, neminem eximi: ab Episcopali verò, quamuis de se sit vniuersalis in omnes fideles habitantes in ipsius diœcesi; aliquos tamen Papæ authoritate, ab ea eximi posse. Immo hac ratione fieri posse, vt aliqua sint loca, quæ non habeant Episcopum; sed tantùm Abbatem aliquem, aut alium simplicem Prælatum, qui Papæ priuilegio particeps sit iurisdictionis Episcopalis, & superior sit iis, qui proximam & immediatam gerunt curam animarum; sicut contingit Generalibus, & Prouincialibus religionum exemptarum à iurisdictione Episcoporum. Similiter quamuis parochialis iurisdictio de se sit vniuersalis in omnes fideles, qui intra terminos parochiæ degunt, domiciliúmve habent, ex cap. finali. De parochiis: multos tamen siue Papę, siue Episcopi priuilegio solere ab ea eximi.

Addendum est quarto (quod doceri praxis nobis proposita exigit) quis, cui per istiusmodi iurisdictionem subiiciatur. Id quod persequūtur D. Antoninus & Syluester, *ille* 3. *par. tit.* 17. *cap.* 2. & 3. *hic* in verbo *Confessor.* 1. *quæst.* 2. & 3. vterque post Palud. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 2.

Quis in Episcopum & superiores Prælatos, eorúmque familiares iurisdictionem habeat in foro interno.

SECTIO I.

*Nu.*31. PRogrediuntur autem hac methodo, vt priùs de Ecclesiasticis, posteriùs de laicis id doceant, facta progressione à superioribus ad inferiores. Papa igitur (inquiunt illi) etiamsi in Ecclesia supremus sit, nec habeat superiorem; quia tamen potest in foro interno ligari tanquam peccato obnoxius, nec à Christo relictus est sine remedio; potest se subiicere cui velit Sacerdoti, qui accepta iurisdictione ad eum effectum sufficienti, ipsum sacramentaliter absoluat. Vnde autem adueniat talis iurisdictio, difficile est explicare, vt videre licet apud Nauar. *ad cit. cap.* Placuit *distinct.* 6. *à num.* 15. *ad* 22. quod relinquemus Theologorum scholasticorum discussioni, ne instituti nostri limites egrediamur. Qui verò sunt de familia Papæ, proprium habent Sacerdotem (quod idē est ac subiici iurisdictione ordinaria) summum Pœnitentiarium; cui tanquam ipsius Papę Vicario subsunt in foro pœnitentiali, non alteri: exceptis iis, qui per orbem terrarum dispersi, familiares seu de familia Papæ esse dicuntur: nam tales à iurisdictione aliorum ordinariorum exempti non sunt, nisi nouo aliquo priuilegio potiantur, vt notat Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 2. *col.* 8.

Nu. 32. Secundò, omissa distinctione, qua cum Palud. D. Antoninus, & Syluester vtuntur, tenendum est vt certum, Cardinales gaudere priuilegio eligendi sibi Confessarium, siue id habeant ex iure, siue ex consuetudine, aliáue Summi Pontificis concessione; prout Suarez notat *tom.* 4. *disput.* 27. *sect.* 2. *num.* 6. & vsus non improbatus ostendit. Qui autem sunt de illorum familia, possunt sibi eligere Confessarium de ipsorum licentia: cùm de consuetudine sint ipsis subiecti, tanquam habentibus curam suæ familiæ; prout notat Caietanus *in Summula, verbo Absolutio a peccatis* 2. *in fine.*

Tertiò, qui Episcopali pollent dignitate, nisi sint exempti, proprios Sacerdotes habent suos immediatos superiores; Episcopus, Archiepiscopum; hic Primatem; Primas Patriarcham; & hic Papam. Quod autem Sotus in sequenti col. 9. ait, & cum eo Suarez *tom.* 4. *disput.* 25. *sect.* 2. *n.*10. Archiepiscopum esse superiorem Episcopo, tantùm in foro externo; quoad forum verò internum, Episcopos nulli alteri quàm Papæ subiici, nos remorari non debet; quia pro vsu sacramenti pœnitentiæ notare sufficit, vnumquemque eorum etiam non exemptum posse sibi Confessarium libere eligere per concessionem Gregorij noni, in cap. finali De pœniten. & remiss. quam Palud. & D. Anton. aiunt valere etiam quando iidem Prælati fuerint Romæ; quia datur absolutè, & sine determinatione certi loci. Notat etiam Suarez *tom.* 4. *disput.* 27. *sect.* 1. *num.* 5. extendi ad Episcopos consecratos, qui non habent populum: & ad confirmatos, sed nondum consecratos, quia vtrique censentur verè, & simpliciter Episcopi: & ideo priuilegium loco citato Episcopis concessum (quod ampliandum est interpretatione, non restringendum) talibus quoque competit. Addunt Palud. & D. Antoninus virtute dictæ concessionis censeri datam à iure potestatem, per quam Episcopi possint ab eo quem elegerint in Confessarium absolui ab omnibus iis peccatis, & cēsuris, à quibus ipsimet possunt subditos suos absoluere: itémque potestatem dispensandi cum illis in omnibus casibus, in quibus ipsi possunt cū suis subditis dispensare; quoniam Papa voluit ipsis pari modo per Confessarium electum prospicere, quo per ipsos prospicit aliis. *Nu.* 33.

Iam quod idem Sotus notat *in præcedent. col.* 3. Archiepiscopum non esse proprium Sacerdotem in Episcopatu sui Suffraganei, patet ex cap. Pastoralis De officio ordin. Excipitur tamē vnus casus, quem Syluester attigit *Confessor.* 1. *quæst.* 1. nempe dum ipse eundem Episcopatum visitat: tunc enim iurisdictionem habet in foro interno in sui Suffraganei subditos, ex cap. fin. De censib. in 6. Excipiuntur etiam plures alij casus quoad forum externum, quos idem Syluester refert in verbo Archiepiscopus *num.*2. *Nu.*34.

Qui autem sunt de familia laica Episcopi, ex Palud. *in citata quæst.* 3. *art.* 3. *concl.* 4. existentes in aliā diœcesi, debent Episcopo eiusdem diœcesis, vel Parocho ad cuius parochiam venerunt, vel alteri de ipsorum licentia confiteri; quia Episcopi non gaudent priuilegio Cardinalium. Eamque summulariorum sententiam esse notat Franciscus à Victoria *de sacramentis num.* 154. cui tamen ipse non acquieuit, nec esse necessarium acquiescere, satis constat ex consuetudine, cuius meminit loco suprà citato Caietanus, his verbis: Consuetudo non eligendi Confessorem, sed habendi curam animarum præscripta, operatur vt tam Cardinales curam habeant familiæ suæ, & de eorum licentia, sui familiares confiteri possint cui velint: quàm quicumque alij huiusmodi curam habentes, possint similiter absolutionis beneficium per se, vel per alium, suis impertiri.] *Nu.* 35.

Qui in Prælatos exemptos Episcopo inferiores, iurisdictionem habeant, in foro interiori.

SECTIO II.

QVartò, Prælati inferiores Episcopo, si exempti sunt (vt multi Canonicorum Præpositi, & monaste *Nu.*36.

Universidad de Deusto
Biblioteca

monasteriorum Abbatesc, omnunitérq; Generales ordinum Religiosorum,) priuilegium habent sicut Episcopi eligendi sibi Cófessarium, per citatum cap. finale De pœnit.& remiss. non item alij Prælati,siue regulares,siue sæculares;qui si sint membra Collegij tum in suo capite, tũ in suis mẽbris exempti,tenẽtur confiteri suis immediatis Prælatis:nec possunt alteri, nisi de ipsorũ licẽtia. Si verò ita sint exẽpti, vt nullũ præter Papam Prepositum habeant,qui curam ipsorum gerat,debent ab eodem Papa,vel à summo Pœnitentiario ipsius,habere licentiã eligendi sibi Confessarium,sine qua absolui non possunt:sicut nec cęteri sine licentia proprij sui Sacerdotis.

Nu.37. Cæterùm,ex Ecclesiasticis Episcopo inferioribus, illi cẽsentur propriè Prælati, de quib° hîc agitur,qui iurisdictionem ordinariam in Ecclesiastico foro externo habent;prout habere censentur illi, qui de iure,aut consuetudine legitimè præscripta,potestatem habent citandi suos subditos,illisque reddendi ius in foro externo. Neque necessarium esse, vt simul habeant iurisdictionem in foro interno, contra Palud. Suarez *tom.4.disput.27.sect.2.num.*8. cum Sylu. docet: quia memoratum cap. finale absolutè loquitur de Prælatis: neque priuilegium,quod in eo datur,restringendum est interpretatione, sed potius ampliãdum,iuxta 15.regulam iuris in 6.Tandiu autem possunt prædicti facultate hac vti,quamdiu prælationis officium retinent:nec enim desinentes esse Prælati, gaudent eâ licentiâ Prælatis concessa; etiamsi eadẽ gaudeãt,quantumcumq; longè absint à suo territorio,quoniam absentia non obstat quominus maneãt Prælati; & ideo Prælatorum facultate vti possunt, prout notat Sylvester *in verbo Confessor.1.qu.8.vers.* 3. Infertur autem ex dictis quod Palud. & D. Antoninus addunt;Abbatissam quantumuis exemptam,non posse istiusmodi permissionis virtute Confessarium sibi eligere : quia iurisdictionem non habet, cuius (tanquam spectantis ad Ecclesiæ claues)incapax est. cap.Dilecta De maiorit.& obedien.& cap.Noua De pœnit.& remiss.Vide Sotum in 4. *dist.*20.*qu.*1.*artic.*4. *concl.*3. Inferre quoque licet quod Suarez habet loco citato eum qui iurisdictionem habet, aliisve præest solùm ex commissione; vt Vicarium tàm Episcopi, quàm aliorum Prælatorum, qui vice tantummodo aliorum vtuntur iurisdictione, non comprehendi nomine Prælatorum gaudentium priuilegio,de quo agimus;quia non habent iurisdictionem propriam, quod Prælatorum est.

Nu.38. An verò comprehendantur Prouinciales,Priores, Guardiani,& huiusmodi alij,qui in ordine religioso exempto supra se habent suum Generalem, aliqua Controuersia est, de qua Sylvest.*Confessor.1.quæst.octaua.*duas refert sententias,vnam Hostiẽsis Panorm.& Angeli negantium memoratum cap. finale extendi ad istiusmodi Prælatos : alteram Palud. contrarium affirmantis,quam Sotus sequitur *in 4.distinct.*18.*quæst.* 4.*art.*2 *col.*9. duplici ratione ductus:tùm quòd illi(vt ea quæ Sylu.ipse habet in verbo Prælatus nũ.1.& 2. ostendunt) perinde sint Prælati,ac Priores conuentuales monachorum:quos, si exempti sint, Diuus Anton. & idem Sylu.cum Palud. ponunt in numero eorũ qui gaudent memorato Episcoporũ priuilegio. Tùm etiam quòd in religionibus ita sit in vsu, & more receptum. Eidem quoque sententiæ subscribit Suarez *in citata disput.* 27.*sect.* 2. *num.* 9. ponderando verba citati cap.finalis(possint eligere Confessorem sine sui superioris licentia) quæ indicant inter exẽptos Prælatos,quibus illic conceditur licentia Confessarium eligendi, censendos esse eos, qui superiores habent,atqueadeò illos, de quibus proposita difficultas mouetur. Contraria autem sententia procedere potest,cùm secundùm priuilegia, vel constitutionem religionis à sede Apostolica approbatam, Prælatus inferior habuerit Cófessorem designatum à suo Prælato superiore(quod etiam notat Suarez in sequenti num. 10.) quia non est verosimile Papam iure illo generali voluisse derogare spectantibus ad conuenientem ordinem religionis, argumento cap. 2.De pœnit. & remiss.in 6.Quæ ratio ostendit etiam quod idem subiũgit;eum qui gaudet istiusmodi priuilegio, debere curare,vt in illius vsu seruet propria iura & priuilegia religionis,eligendo Confessarium intra,& non extra eam. Cæterum quod de Episcopis antea num.33. dictum est,pari ratione de talibus Prælatis dicendum est;nimirum per Confessarium à se electum absolui posse à peccatis,& censuris,à quibus ipsi possunt alios absoluere ; nam & ipsis per electos Confessarios prouidetur,sicut per ipsos prouidetur aliis.

Quis iurisdictionem in foro interno habeat in Clericos non exemptos.

SECTIO III.

Nu.39. QVintò Clerici non exẽpti,siue Prælati,siue alij, proprios Sacerdotes habẽt eos qui dicti sut in præced.*num.*26. etiamsi de consuetudine Sacerdotes sæculares, non modo habentes curam animarũ, sed etiã alij,qui dicũtur Sacerdotes simplices,eligere possunt in Cófessarios, quos voluerint Sacerdotes, siue sęculares, siue religiosos;modo tamen electi,vel Parochiale beneficium habeant, vel per examen aut aliàs ab Episcopo iudicati idonei, approbationem obtinuerint. Nulli enim alij possunt audire sæcularium confessiones,vt decernitur in Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. cuius consuetudinis Sotus loco citato meminit. Addẽs eam habere locum,etiamsi religiosus qui eligitur, non sit à suo Prælato expositus ad audiendas confessiones:quia quamuis pœna dignus sit,audiens contra suæ regulæ,aut sui superioris pręscriptum : tamen sacramentum tenere potest, propter facultatem,quam alter habet,illum eligendi : & bonam fidem,cum qua procedit.Meminerunt etiam eiusdem consuetudinis Medina in Codice de confessione *quæst.* 31. & Nauar. ad cap. Placuit *De pœnit. dist.6.num.*12. qui multùm laborat *ibidem num.* 28. *& aliquot sequentibus.* in explicando qua auctoritate dictis Sacerdotibus talis electio liceat, vt per illam electi habeant sufficientẽ in eligẽtes iurisdictionem.

Nu.40. Non enim auctoritate iuris scripti, quia nullum proferri potest : nec item iuris non scripti, seu consuetudinis,quia,vt habetur in cap.Si quis Episcopus. De pœnit. & remiss. in 6. nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam,Confessorem sibi eligere valeat,qui eum possit soluere, vel ligare. Tandem autem *in num.*43. id refert ad tacitam superiorum facultatem ; proximè proposita verba cap. Si Episcopus interpretans, subaudiendo exceptionem: Nisi eadem consuetudo expressè,vel tacitè tali electo facultatem fecerit actualem absoluendi : vt censetur fecisse cum approbata est à superiore. Id quod attigerunt locis citatis Medina & Sotus col. 10. & bene declarat Caietanus *in verbo Absolutio à peccatis 2. versu Licentia* : dicens ex eo quòd Episcopus, qui dictis Sacerdotibus de Confessore prouidere tenetur, eorum consuetudinem scit, & tacet, exurgere tacitam licentiam, quæ dat robur absolutionibus:faciens vt eæ non sint inanes ex defectu iurisdictionis:consuetudinem verò concurre,

re,tantum vt testem licentię tacitæ.Vbi aduerte non eximi propterea Sacerdotes à iurisdictione sui Parochi,sicut nec eximuntur fideles qui per bullam Papæ eligere possunt Confessarium;ita vt in aliis, quæ ad pastorale munus pertinent,eadem illorum subiectio, subordinatioque maneat.Quod etiam tom.4.disput. 25.sub finem Suarez annotat.

Nu.41. Religiosi verò,qui secundum statuta suorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent, aut ab eis prohibiti sunt aliis confiteri;nequeunt absque licentia eorundem Prælatorum confiteri alienis : ne quidem Religiosis, & expositis legitimè ad audiendas confessiones : vt habetur ex Extrauag.communi Inter cunctas. De priuileg.§. Sed quia multoties. Vnde intelligitur Prælatorum in suos Religiosos iurisdictionem esse ordinariam : cùm eam habentis sit, dare licentiam confitendi alieno, ex cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnit.& remissione §. Si quis autem. Idem pari ratione iudicandum est de Monialibus,quæ sunt subiectæ Religiosis. Aliæ verò, quæ Papæ, aut Episcopo immediatè subiiciuntur, illum habent proprium Sacerdotem, quem illi designauerint,vices suas ei committendo : quod etiam Suarez ibidem notat. Illi autem Religiosi, qui vel à Papa vel à suo Superiore (vt solet dari iter facturis)licentiam habent eligendi sibi Confessarium)possunt adhuc,sicut ante Concil. Trident. eligere,siue regularem,siue sæcularem Sacerdotem, etiam non approbatum ab Episcopo:quod Nauar. probat in Enchir. cap.4.num.2.quia Concilium in hac re nihil quoad Religiosos mutauit, vt patet consideranti verba illius in sess.23.cap.15.

Quis iurisdictionem ordinariam habeat in Sæculares siue Principes,siue alios.

SECTIO IV.

Nu.42. SEXTO, inter Sæculares Imperator,& Augusta,(vt Palud.Diuus Anton.& Sylu. ex Hostien. habent *locis citatis in fine numeri* 30.) de antiquissima consuetudine confitentur suis Capellanis : de qua tamen re nihil certi haberi notat Sotus in citata col. 10. itavt de illis fortè eadem sit ratio, quæ de Rege habente (inquit ille)proprium Sacerdotem, Episcopum loci vbi regia ipsius est sita, aut vbi inungitur, & coronatur:immo vbicumque haberet ædes regias,& moram traheret habitandi,posset & Episcopo, & Parocho loci confiteri.

Additque idem iudicium esse de aliis magnis principibus : puta ducibus, Comitibus. Hęc Sotus, admonens non esse necessarium minutatim talia persequi,cùm Magnates abundent diplomatis Pontificiis ad eligendos quos voluerint Confessarios. Quod si qui talibus careant,ex Palud.D.Ant.&Sylu. ibid.Reges quidem propriumSacerdotẽ ad quem recurrere possunt, pro licentia eligendi sibi Confessarium, habent Episcopum illius ciuitatis, in qua inunguntur, & coronantur.

Nu.43. Minores verò principes, si sub se habeant plures ciuitates, quarum vna sit omnium principalis sui ducatus, vel comitatus, habent illius Episcopum, à quo licentiam accipiant. Sin non vna, sed duæ sint principales, ab vtriusque Episcopo licentiam obtinere debent: non item (vt voluit Hostiensis)ab Archiepiscopo:qui non habet iurisdictionem in subditos suorum Suffraganeorum, quoad forum internum : nisi cùm ipsorum diœcesim visitat. Idem per proportionẽ dicendum est de aliis dominis, qui habentes dominia in diuersis locis,non habent ea super Episcopales ciuitates : debere licentiam accipere ab Episcopo in cuius diœcesi principaliter dominium habent : vel, si æqualiter habeant in duabus diœcesibus, debere ab Episcopis vtriusque petere. Idem similiter dicendum est de dominis,qui in eadem diœcesi obtinent diuersatum villarum dominia : nempe si in harum vna principaliter habeant dominium, in qua vel non sint plures Parochię,vel vna sit principalis,proprium Sacerdotem ipsorum esse eiusmodi vnius, vel principalis Parochiæ Curatum. Si verò nulla sit,in qua principale dominium habeãt, aut in qua principalis Parochia censeatur esse : tunc nulli Curato subsunt, sed immediatè Episcopo.

Nu.44. Septimò addunt Balliuos, Seneschalcos,aliósque eiusmodi præpositos ; qui si nullibi mansionem habeant,nisi secundùm quod assisiæ,id est comitia, requirunt:modò huc,modò illuc discurrendo; possunt vbique confiteri Episcopis, in quorum diœcesibus, vel Parochis, in quorum parochis hospitium delegerunt. Sin principaliter degant alicubi, proprius Sacerdos eorum est idem qui cæterorum illius loci, etiamsi domos parentum extra talem locum habeãt quia per suum illud officium, quasi domicilium acquirendo,fortiuntur ibi forum. Addunt etiam postremò cæteros laicos,non constitutos in potestatibus, subesse illis Parochis in quorum parochiis degunt principaliter : vel si in duabus degunt æqualiter,censeri parochianos illius, in qua degunt,quãdo confiteri volunt, próque proprio Sacerdote habere talis parochiæ Curatum. Nauar. tamen ad cap. Placuit.de pœnit.distinct. 6.nu. 78. vult eum,qui ex æquo est Parochianus duorum, vtrique indifferenter confiteri posse, argumento cap. Cum quis §. 2. De sepulturis in 6. Quod idem tenent Suarez *tom.* 4. *disput.* 26. *sect.*2. *n.*5. & Sanchez *lib.*3. *de matrim.disput.*25.*num.*5. & Henriq. *lib.*6.*Suæ summæ cap.*7. *num.*2. vbi in margine littera h, addit debere recipere Sacramentum ab eo Parocho, cuius parochiam inhabitat:quia indecens est, vt in sua parochia illi alter præferatur.

CAPVT SEXTVM.

De iurisdictione extraordinaria seu delegata in foro interno.

SVMMARIVM.

45 *Quòd iurisdictio in foro interno,delegari possit:cui,& à quo possit.*

46 *Differentia inter Papam,Episcopum,& Parochum in potestate delegandi iurisdictionem in foro interno.*

47 *Generalis Vicarius Episcopi, aut alterius habentis iurisdictionem quasi Episcopalem, & Vicarius perpetuus Parochi tanquam habentes iurisdictionem ordinariam possunt eam delegare ; non item Vicarius foraneus Episcopi,& temporalis Parochi.*

48 *Modi quibus in generali Vicario Episcopi cęssat iurisdictio ordinaria.*

49 *Qualiter iurisdictionem suam delegare possint duo qui sunt in solidum Parochi eiusdem parochiæ.*

50 *Nonnunquam delegatus Episcopi, vel Parochi potest subdelegare.*

51 *Qualiter possit Parochus delegare curam suam pastoralem.*

52 *Qualiter Vicarius, cui ab Episcopo commissa est ad tempus aliqua parochia, possit subdelegare.*

53 *Parochus vt per se, sic per alterius ministerium potest*

Universidad de Deusto
Biblioteca

suam iurisdictionem delegare.

54 *Vicarius, quem Parochus præsens assumit, nequit delegare; sicut nec religiosus per priuilegium suæ religionis audiens confessiones tanquam assumptus à Papa ad illud ministerium.*

Nu. 45. IVRISDICTIONEM in pœnitentiali foro delegari posse manifestum est ex cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnit. & remiss. & ex cap. Si Episcopus. eod. tit. in 6. & ex Conc. Flor. in instructione Armenorum. De sacramento pœnitentiæ. & ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. ac demum ex communi Ecclesiæ vsu, quo Ordinariorum onus leuari, aut defectus suppleri solet istiusmodi delegatione: de qua oportet hic ea notare quæ in praxi nobis proposita possint generalium documentorum locum tenere.

Notandū est igitur primò iurisdictionem in foro interiori delegari non posse, nisi Sacerdoti, qui sufficienti scientia præditus sit, & ab Episcopo approbatus, iuxta dicenda in sequenti cap. 10. & 15. de necessitate eiusdem scientiæ & approbationis ad ministrādum valide Sacramentum pœnitentiæ. Eam verò delegare, ad eos tantùm pertinere qui habent ordinariam, de qua antea *in cap.* 5. dictum est. Hoc constat ex cap. finali De officio deleg. in fine. vbi ratio hæc tangitur: quòd delegare, non tàm sit iurisdictionem, quàm iurisdictionis ministerium committere. Excipitur tamen Sedis Apostolicæ legatus, quem subdelegare posse habetur ex principio eiusdē cap. finalis: Id quod fit ob summi principis authoritatem; cuius solius cùm sit dare iurisdictionem ordinariam, aut quæ ordinariæ æquipolleat, ex cap. A iudicibus 2. quæst. 6. mirum non est delegato ipsius concedi, quod cæteris negatur.

De iis in particulari, qui possunt delegare iurisdictionem in foro interno.

SECTIO PRIOR.

Nu. 46. NOTANDVM est secundò inter habentes iurisdictionem ordinariam (ad quos cæteri reducuntur) poni primò Summum Pontificem qui illam habet vniuersalissimam, 2. Episcopum, & 3. Parochum; quorum ille in sua diœcesi, & hic in sua Parochia habet vniuersalē. Atque summum Pontificē delegare posse cuilibet Sacerdoti capaci, pro quolibet loco, & pro quibuscúque personis, non expectato Episcopi, aut Parochi cōsensu; cōstat ex plenitudine potestatis quam ipsum habere in Ecclesia, docuimus in præced. num. 21. Posse quoque Episcopum in sua diœcesi delegare, patet ex cap. Quoniā & ex cap. Inter cætera de officio ord. & ex cap. Cum Episcopus eodem tit. in 6. & ex cap. 2. De pœnit. & remiss. item in 6. Posse denique Parochum delegare in sua Parochia, constat ex cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnit. & remiss. per illud quod dicitur; [de licentia proprij Sacerdotis, alienum absoluere posse.] Iam quòd sicut Papa inuitis Episcopo, & Parocho; ita & Episcopus inuito Parocho delegare possit; non contrà, Parochus inuito Episcopo; sicut nec tā hic, quā ille inuito Papa: ratio hæc ostendit: quia superior potest delegationem inferioris impedire: quandoquidem potest casus reseruare, & ex consequenti impedire inferiorem, vt nequidem per se absoluere possit. Inferior verò superiorem in vsu suæ iurisdictionis impedire nequit: quia cùm par in parē non habeat imperiū; multo minus habebit inferior in superiorem.

Notandum est tertiò, quoties mentio fit Ordinarij, qui suam iurisdictionem delegare potest, eo nomine (nisi materia subiecta aliud exposcat) intelligi, non modo Episcopum, sed etiam alios omnes iurisdictionem habentes ordinariam, annexámve pastorali curæ, authoritate summi Pontificis, qui solus tanquam Princeps supremus potest Ordinarium cōstituere; iuxta illud in cap. A iudicibus 2. qu. 6. Ordinarij sunt, qui ab Apostolico, vt Ecclesiastici; vel ab Imperatore, vt sæculares, legitimam accipiunt potestatem. Hinc que est quòd Episcopi Vicarius generalis, qui à summo Pontifice iurisdictionem habet per c. 2. de officio Vicarij in 6. censeatur ordinarius, seu ordinariā habere iurisdictionē; prout ibid. glossa verbo, officialem, expressit: & ideo possit confessiones audire omnium eorum, qui sunt de diœcesi illius Episcopi, & aliis licentiam audiendi concedere: quod latè tractat Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 29. qu. 1. & 2.* admonēs in nu. 4. aliis citatis, idē esse dicendum de Vicario capituli sede vacante: & de Vicario generali aliorum habentium iurisdictionem in suos, Episcopalem; hoc est, etiā in externo foro. Vbi aduerte (quod idem aliis citatis, addit *num.* 11.) Vicarium generalem dici eum, qui Ordinarij vices gerit constitutus in eodem loco & tribunali, in quo Ordinarius ipse consueuit ius dicere: alio enim modo constitutus Vicarius qui foraneus dicitur, est tātummodo delegatus (quod etiam citatis aliis Sanchez ibid. *num.* 10. notat) quia iurisdictionem habet tantummodo ab Episcopo, qui nequit ordinarium constituere, cum id sit solius Papæ, vt prædictum est. De Vicario autem parochi perpetuo, quod is possit Ordinarius dici, patet ex eo, quòd ius Pontificium de ipso idem statuat ac de Parocho, in clementina vnica. De officio Vicarij. De temporali autem Vicario, quem Parochus instituit, certum est quòd multò minùs, quàm foraneus ab Episcopo institutus dici possit Ordinarius.

Cæterùm cessat illa generalis Vicarij iurisdictio ordinaria primò, morte Episcopi, cum quo ille reputatur eadem persona, quia vtriusque idem prorsus est tribunal, ex cap. 2. de cōsuetud. & ex cap. Romana. de appellat. vtrobique in 6. Secūdò cessat seu suspenditur talis iurisdictio suspensione iurisdictionis Episcopi: ex cap. 1. de officio Vicarij. in 6. Cùm enim sit idem vtriusque tribunal, cessante, aut per Ecclesiasticam censuram suspensa iurisdictione Episcopi, cessabit aut suspendetur iurisdictio Vicarij ipsius. Postremò cessat reuocatione facta per ipsum Episcopum, si ea nota sit eidem Vicario; non quidem qualicumque notitiā, sed accepta ab eodem Episcopo, reuocationem ipsam ei intimante per se ipsum, aut per suam epistolam, aut per suum procuratorem, aut alium nuntium ad id destinatum; nam res per easdē causas nascitur, & dissoluitur: De regulis iuris, regula prima. Ad constitutionem verò generalis Vicarij requiritur vnio voluntatum: & constituentis, tanquā donantis; & eius qui constituitur, tanquam acceptantis: quare ad oppositam dissolutionem requiretur, non modo voluntas Episcopi reuocantis, sed etiam illius declaratio facta Vicario, vt suam voluntatem voluntati illius conformet prout debet.

Nu. 47.

Nu. 48.

Nu. 49. Notandum est 4. cum duo Parochi eidem parochiæ insolidum præsunt, posse vtrumuis illorum, altero inuito, vt ministrare pœnitentiæ sacramentum, sic & tertio licentiam ministrandi dare: vt ex Sylu. Sanchez habet, lib. 3. de matrimonio disp. 24. in fine; & probat: quia par in parem non habet imperium, cap. innotuit. de electione.

De de

De delegato Episcopi & Parochi.

SECTIO POSTERIOR.

Nu. 50. NOTANDVM est quintò nonnumquam delegatum Episcopi aut Parochi posse subdelegare, vt patet ex iis quæ idem Sanchez *in seq. disput.* 31. plenius tractat: quorum aliqua attigisse, potest sufficere ad praxim nobis propositam. Primum est (pro quo plures authores idem ibidem refert *nu.* 2.) delegatum ad vniuersitatem causarum posse vnam vel alteram causam subdelegare; non tamen vniuersam suam delegationem. De quo tanquam potissimùm pertinente ad forum externum, contenti erimus monere quod habetur *in seq. num.* 4. delegatum ad vniuersitatem causarum censeri eum, cui facta est commissio vniuersalis quoad causas, licet restricta sit quoad tempus; vt si committantur causæ tali anno occurrentes: vel quoad quantitatem, vt si committantur causæ decem librarum: vel quoad locum, vt si causæ certi territorij indefinitè delegentur.

Nu. 51. Secundum est, parochum inconsulto Episcopo curam suam pastoralem subdelegare non posse nisi ad breue tempus: tùm quia ius præcipit, vt per se, & non per Vicarium suæ Ecclesiæ deseruiat. cap. Extirpandæ. §. Qui verò. De præbendis: tùm quia, si ei dispensatio per septennium concedatur causa studij (quod ius permittit in cap. Cum ex eo §. Porro. De electione, in 6.) debet Episcopus, prout ibidem statuitur, solicitè prouidere, vt per Vicarium ab ipso deputandum, animarum cura diligenter exerceatur. Tempus autem breue indicabitur, si non accedat ad spatium trium hebdomadarum; iuxta illud in cap. Si quis in clero. 7. qu. 1. Similiter Diaconus vel presbyter si à sua Ecclesia per tres hebdomadas defuerit, huic damnationi succumbat. De hoc in eadem disput. Sanchez, *num.* 11.

Nu. 52. Tertium est, delegatum ab Episcopo, quem præficit toti alicui Parochiæ, vt curam illius gerat; siue quia ipsemet est Parochus immediatus, vt in nonnullis diœcesibus Hispaniæ contingere Sanchez *in seq. num.* 13. sine alia iusta de causa posse subdelegare, non quidem Parochiæ curam omnem, sed aliquam eius partem, iuxta ante dictum num. 50. Cum enim delegetur ad omnes causas, seu ministeria Parochialis officij, in tota parochia; potest vnam vel alteram causam, seu ministerium (vt audiendi confessiones) subdelegare: quod Sanchez *in seq. num.* 14. aliis citatis procedere vult, non tantùm cùm delegatus fuerit ad longum tempus, sed etiam cùm ad breue; ad quod cùm Parochus delegare possit, vt ante attigimus nu. 51. poterit item Vicarius ab eo constitutus partem aliquam potestatis sibi delegatæ pariter committere alteri ad breue tempus; totam verò nullo modo: nisi consuetudo obtinuerit, vt tales Vicecurati, dum ad breue tempus absunt, substituant aliquem ministraturum omnia Sacramenta in Parochia: quiquidem substitutus, non dicetur delegatus ipsius Vicecurati, sed Episcopi, qui talis consuetudinis conscius, eam patitur. Illa enim scientia & tolerantia, est tacita licentia data eidem Vicecurato, ad substituendum sibi alium, eo quo dictum est modo. Ita docentes authores *ibidem num.* 15. Sanchez refert.

Nu. 53. Quartum est, quamuis Parochus non possit suo delegato dare facultatem subdelegandi, posse tamen ei sic dicere, Do facultatem ministrandi Sacramentum pœnitentiæ, Sacerdoti quem designaueris. Rationem reddit Sanchez *in seq. num.* 17. quia tunc delegatus non censetur subdelegare, sed solummodo esse nudus minister delegantis, qui per illum exequitur suam voluntatem committendi alteri administrationem Sacramenti.

Quintum est, Vicarium locantem suas operas, quem Parochus præsens assumit, vt se adiuuet, non posse delegare. Ratio est, quia Parochus ipse non censetur tunc illi suas vices committere, sed tantùm ministerio illius vti: sicut cùm alium Parochum, aut simplicem Sacerdotem approbatum aduocat ad se iuuandum in audiendis confessionibus tempore Paschatis. Quæ eadem ratio reddi potest cur Religiosi, qui ad audiendas confessiones censentur à Summo Pontifice delegati esse, per facultatem Superioribus ipsorum concessam, deputandi ad hoc ministerium quos inuenerint idoneos; cur (inquam) non possint, illam suam iurisdictionem aliis committere; quia scilicet talis delegatio non ita fit, vt Summus ipse Pontifex committat eis suas vices, sed tantùm eorum ministerio vtatur in executione huius muneris, passim necessarij in populo Christiano sibi diuinitus commisso. *Nu.* 54.

CAPVT SEPTIMVM.

De modis quibus obtinetur iurisdictio delegata.

SVMMARIVM.

55 *Quando censeatur iurisdictio per commissionem obtineri.*
56 *Parochus institutus ante susceptum sacerdotium potest suam iurisdictionem alteri committere.*
57 *Nulla est commissio iurisdictionis facta à pastore, aut nominatim, aut ob Clerici percussionem notoriam excommunicato: vel ab intruso, aut ab eo qui pastorali titulo priuatus est.*
58 *Necessitas in articulo mortis dat omnibus Sacerdotibus iurisdictionem ad quemuis fidelem, à quibuscúmque peccatis, & censuris absoluendum.*
59 *Quis in hac re censeatur mortis articulus.*
60 *Iurisdictionis quam prædicta necessitas dat, capaces sunt etiam excommunicati denunciati, ac publici percussores clericorum: imo & hæretici.*
61 *Quæ varietas inueniatur in participatione istiusmodi iurisdictionis.*
62 *Quando debeat se præsentare superiori conualescens, quem in articulo mortis inferior absoluit à casu reseruato.*
63 *Aliæ necessitates confitendi non dant iurisdictionem, & ob quam earum nihilominus, habens reseruata possit ante recursum ad Superiorem absolui.*
64 *Qui comprehendantur nomine vagabundorum habentium libertatem eligendi sibi Confessarium.*
65 *Qui tantum habet venialia, aut tantum mortalia, de quibus iam est ritè confessus, potest sibi eligere Confessarium.*
66 *Facultas eligendi Confessarium quomodo interpretanda, & de facultate audiendi confessiones Religiosis mendicantibus à summo Pontifice concessa.*
67 *Potuit Papa talem facultatem dare, non requisito Episcoporum & Parochorum consensu.*
68 *Varietas licentiæ qua iurisdictio delegatur.*
69 *Non obtinetur iurisdictio per licentiam tacitam ex ratihabitione de futuro.*
70 *Obtinetur autem per eandem ex ratihabitione de præterito, vel præsenti.*
71 *Obtinetur quoque, vt per specialem, sic & per generalem licentiam expressam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

72 *Item vt per expliciam, sic & per implicitam; & ad quæ se extendat licentia simpliciter data.*
73 *Tam tacita, quàm expressa: & tam implicita, quàm explicita licentia qua iurisdictio delegatur, potest vti elligi sine limitatione.*
74 *Consuetudo non dat iurisdictionem, sed testis est data.*
75 *Ratio consuetudinis qua Sacerdotes sibi eligunt Confessarium.*
76 *Vnde fit quod viatores possint in Paschate confiteri & communicare in Parochia in qua tunc fuerint.*
77 *Cui possint viatores confiteri, explicatur aliquot propositionibus.*
78 *Difficultas tractatur de viatoribus, qui domicilium suum retinere statuentes, peregrinantur sine Sacerdotis sui licentia.*
79 *Quid tenendum sit de talibus, cùm diutius alicubi manere statuunt, vt de scholasticis, præsidiariis militibus, & id genus aliis.*
80 *Quid de illis qui ad breue solùm tempus alicubi hærere statuunt.*

HI modi ex Caiet. in summula verbo, absolutio à peccatis secundò, sunt sex: commissio, necessitas, libertas, facultas, licentia, & consuetudo: de quibus sigillatim agere oportet, quantùm requiritur ad nostrum institutum.

Primus modus per commissionem.

Nu.55. QVod igitur attinet ad commissionem; iurisdictio extraordinaria per eam habetur, cùm ille, qui ex pastorali officio habet ordinariam (vt Papa, & cæteri de quibus in præcedenti capite dictum est) audientiam confessionum alicui commiserit.

Nu.56. Quod aduerte iuxta receptam ab omnibus sententiam, teste Nauar. ad cap. Placuit. De pœnit. dist. 6. num. 140. locum habere in eo etiam, qui ante susceptum sacerdotium instituitur Parochus: quamuis enim is non possit audire confessiones suorum Parochianorum, ob defectum potestatis ordinis; potest tamen, imò & debet, alteri committere earum audientiam: argumento cap. Suffraganeis. De electione. Et confirmatur quia tali institutione verè constituitur Pastor, illique fit subditorum applicatio sufficiens ad absolutionem sacramentalem, si illius dandæ potestatem ordinis haberet: qua carens illam applicationem alteri committere & potest, & debet; vt pascantur oues sibi commissæ: seu populo sibi applicato præstetur debitum obsequium.

Nu.57. Aduerte præterea ex Paludano *in 4. dist. 17. sub finem*, & ex D. Anton. tertia parte *tit. 17. cap. 9. sub finem*: commissionem ad audiendas confessiones ab Episcopo vel alio pastore excommunicato factam alteri, etiam non excommunicato, minime tenere: atque officialem ab ipso institutum, tanquam iurisdictione carentem nihil agere audiendo: iuxta cap. 1. De officio Vicarij, §. finali, in 6. Quod tamen ad excommunicatum nominatim, vel ob notoriam Clerici percussionem, restringendum est, cùm cæteri ab Ecclesia tolerentur, per Extrauagantem Martini 5. vt in sequentibus cap. 10. declarabitur. Atque idem quod illi de excommunicato; pariter etiam maiori ratione dicendum est de Parocho, qui sine vlla Superioris authoritate, se in beneficium intrusit: vel gerit se pro Parocho Ecclesiæ, cuius non habet possessionem; vel qui notoriè ipso iure, aut per sententiam Iudicis est suo titulo priuatus: quandoquidem excommunicationis sententia, teste Nauar. *loco cit. num. 177. & duob. sequentib.* nulli horum facta confessio est valida, sed iteranda: tantùm abest vt illi iurisdictionem habeant, quam alteri committere possint.

Secundus modus per necessitatem.

QVod attinet ad necessitatem; ea dat iurisdictionem extraordinariam in articulo mortis, prout habetur ex cap. De his. & sequentibus 26. q. 6. & ex aliis quæ habes notata in margine Concilij Trident. sess. 14. cap. 7. vbi idem Concilium definit, in articulo mortis omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibuslibet peccatis & censuris absoluere posse. Ad cuius definitionis plenam intelligentiam, quædam notanda sunt; omissa difficultate (tanquam non attinēte ad vsum) an sit, & à quo sit delegata istiusmodi iurisdictio. De qua Suarez tom. 4. disput. 26. sect. 4. num. 6. *Nu.58.*

Primò igitur notandum est, iudicio Soti *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4. col. 4.* articulum mortis in hac materia vocari tantùm, cùm quis est morti proximus: sed probabilius esse, quòd dicatur etiam cùm quis exponitur mortis, siue violentæ, siue naturalis periculo probabili; seu ex quo mortem imminere admodum verisimilis coniectura est, prudentis iudicio; vt in imminenti naufragio, in bello, quo tempore cum hoste confligendum est, in graui & acuta febri, aliisque similibus magnis vitæ periculis, ex Nauarro in Enchir. *cap. 2. num. 8.* in quibus Ecclesiam piam matrem suis filiis deesse velle, credendum non est, Et confirmatur, quia cùm in malis cauendis necessitas vrgeat, non modò ex parte euentus, sed etiam ex parte periculi eiusdem (siquidem qui amat periculum peribit in illo) certè in mala morte cauenda per pœnitentiæ Sacramentum, in remissionem peccatorum susceptum: necessitas vrgebit, non tantùm cùm propè adest talis mors, sed etiam cùm illius probabile periculum. Vnde si Ecclesia in eo susceptionem illā impediret aliqua reseruatione casuum, vel negatione iurisdictionis; non ageret secundùm Christi misericordiam; qua suis fidelibus peccatō mortali cōtaminatis voluit per eandem susceptionē prouidere: per quam ipsi (pro humana conditione ex magna parte imbecilles) possent ex imperfectè contritis, perfectè contriti fieri: specialiter autem in tali periculo, in quo (si aliàs vmquam) obligat præceptum ab ipso Christo de eadem susceptione: Ioannis 20. datum, interprete Concil. Triden. sess. 14. cap. 5. *Nu.59.*

Existimandum igitur est Ecclesiam, quæ à Spiritu-sancto regitur, in tanta necessitate non modo non ponere, sed omnino tollere, quantum in se est, impedimentum omne administrandi pœnitentiæ Sacramentum, atque adeo veram esse sententiam quam Sotus reprehendit: nempe in hoc negotio articulum mortis vocari, non tantùm cùm quis est morti proximus; sed etiam cùm expositus est mortis periculo, non tamen cuicumque, sed probabili, vt Sylu. *in verbo absolutio. 1. num. 10.* declarauit inquiens: Non posse absolui à simplici Sacerdote omnem transfretare volentem, sed credentem, aut dubitantem probabiliter se naufragaturum, aut aliàs de vita periclitaturum. Similiter non quemlibet obsessum ab hostibus, sed telis impugnatum, nec quamuis mulierem prægnantem, sed eam quæ periclitatur de vita, arbitrio prudentis viri. Quæ etiam est sententia Palud. in 4. *dist. 20. quæst. 1. art. 2. concl. 3.* Nauar. in Enchiridio *cap. 27. num. 271.* & Couarr. ad cap. Alma mater. *par. 1. §. 11. num. 8.* eámque à Magistris Salmāticensibus tenerire

ri refert Alfonsus à Vualdo in Cadel. aureo *cap. de absolutione nu. 60.* quibus assentitur Suarez *to. 4. disp. 26. sect. 4.* Quod autem Sotus obiicit, sacros canones quibus hoc priuilegium conceditur nunquam loqui, nisi de articulo mortis, nihil efficit: quia iidem canones confundunt inter se, articulum, & periculum mortis, vt obseruat Couar. loco citato, & patet ex cap. Eos qui. De sententia excommunicationis in 6. vbi quod priùs dictum est mortis articulus, pòst vocatur periculum. Adde quòd in cap. Si quis suadente Diabolo 17. quæst. 4. id priuilegium detur his verbis nisi mortis vrgente periculo.

Nu. 60. Secundò notandum est Medinam cum quibusdam aliis, quos ipse refert in Cod. De confessione, *quæst. 23.* à numero Sacerdotum qui possunt absoluere in articulo mortis, excipere excommunicatum non toleratum; hoc est, nominatim denunciatum, aut notorium Clerici percussorem: sed id non videri necessarium, propter suprà *num. 58.* recitata verba Concilij Tridentini generalissima, quæ impulerunt Nauar. loco citato (cui assentitur Suarez *in citata sect. 4. num. 5.*) relicta ea Medinæ sententia, quæ communis erat, cōtrariam sequi: quia sicut verba illa, (quoslibet pœnitentes, à quibuslibet peccatis, & censuris) non patiuntur exceptionem fieri vllius pœnitentis, vel peccati, & censuræ, ita nec illa, (omnes Sacerdotes) patiuntur fieri vllius Sacerdotis; ne quidem hæretici, quicquid in contrarium dubitet Sotus *in citato art. 4. col. 5.* & D. Thomas 3. *par. quæst. 82. art. 7. ad 2.* insinuare, alicui videri possit inquiens, in nullo casu hæreticum posse Sacramenta alia à Baptismo licitè conferre. Nam etiam ante Concil. Trid. plures viri docti senserunt (excepto casu in quo esset periculum subuersionis) licitum esse ab hæretico recipere pœnitentiam in articulo mortis, prout notat Melchior Canus in relectione de pœnitentia *parte quinta*, adferens Palud. Sylu. Ioannem Maiorem, & authorem glosæ ad cap. Non est vobis. De sponsalibus: & addens rationes quibus eorum sententia confirmatur. Quarum præcipua est, quòd multis (eorum aliquos Canus ipse commemorat, plures à Vualdo *in citato cap. de absolutione numero 62.*) visum sit, quemlibet Sacerdotem in mortis articulo potestatem absoluendi habere iure diuino: & quamuis habeat iure tantùm humano (quod contendit Sotus *in eodem art. 4. sub initium*; & post eum Suarez, plures alios in eandem sententiam referens to. 4. *dispu. 26. sect. 4. num. 7.*) Ecclesia tamen non posset illam rescindere per contrariam legem rationabilem, quia contra rationem est, piam matrem filio de æterna salute periclitanti aliquid subtrahere, quo posset tale periculum euadere. Irrationabilē verò legem in sua Ecclesia Spiritus-sanctus vigere numquam permittet. Pro omni alia ratione sufficit nobis Cōc. Tridentini authoritas satis manifesta.

Nu. 61. Tertiò notandum est, Ecclesiam non concedere prædictam facultatem iudicio Soti *ibidem col. 4.* nisi cùm proprius Sacerdos haberi non potest. Pro quo facit; tùm quòd tunc demùm vrgeat necessitas, aliàs non: tùm quòd aliquid simile statuatur in cap. finali 26. quæst. 6. his verbis: Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo vltima necessitas cogat.] Vnde, vt habet Franciscus à Victoria *de Sacramentis num. 156.* si proprius Sacerdos sit præsens, vel possit facilè haberi, constitutus in articulo mortis absolui nequit, nisi ab eodem proprio Sacerdote: largè tamen sumpto hoc nomine (vt ipse monet) nimirum tam pro eo qui delegatam, quàm qui ordinariam habet iurisdictionem. Et sumendum esse, hinc patet: quia cùm semper custoditum sit in Ecclesia, vt nulla sit reseruatio in mortis articulo, prout habet Concil. Trident. in citato cap. 7. sicut à non reseruatis quilibet Sacerdos habens communem iurisdictionem potest absoluere, nullo spectato ordine inter ipsum & alios simili iurisdictione præditos; poterit quoq; absoluere à reseruatis in articulo mortis, in quo cessat reseruatio: præsertim cùm ob hanc à Papa factam, nullum ius speciale acquiratur Episcopo, & Parocho; ideoque cæteri quia iurisdictionem (sicut illi) communem alicunde habent in hoc foro, manent illis æquales. Eodem modo, vt *in præced. num. 4.* Suarez notat; simplex Sacerdos non approbatus nequit absoluere præsente approbato; neque ab Ecclesia exclusus præsente tolerato ab ea. Iam si absens sit superior, nec facilè haberi possit; inferior vt licitè, sic etiam validè à reseruatis in articulo mortis (etiam non petita licentia ab eo cui reseruatur) potest absoluere; prout deducitur ex eo quod Conc. Trident. loco citato ait, quemlibet Sacerdotem in articulo mortis potestatem habere absoluendi à quibuscumque peccatis, & censuris reseruatis. Hæc enim verba satis indicant simplicibus Sacerdotibus sufficientem tunc temporis adesse potestatem absoluendi à reseruatis; itavt opus non sit pro ea obtinenda ad hominem recurrere. Pro quo facit traditum à Nauarr. in Enchir. *cap. 27. num. 9. ad 5.* quòd irretitus excommunicatione reseruata Papæ, si impedimentum habeat eum adeūdi personaliter, licet ad eum mittere possit, tamen ab Episcopo absolui valeat; quia ius non imponit illi, vt mittat: sed vt vadat ad eum, si possit. Quinimò idem in lib. 5. Consiliorum, *tit. de pœnitent. & remiss. consil. 15.* ponderando generalitatem memoratorum verborum Concilij Trident. tenet iam non esse locum exceptioni propositæ, qua limitetur iurisdictio in articulo mortis concessa: nam cùm in eo nulla sit reseruatio, sed quilibet Sacerdos potestatem habeat absoluendi à quibuscumque peccatis, & censuris reseruatis, nihil est cur ex defectu iurisdictionis inualida dicatur absolutio, tunc data ab inferiore, etiamsi posset superior haberi. Quamquam (vt bene ibidem nu. 3. Nauar. ipse addit) consultè facturus est, qui præsente suo Parocho, vel Superiore, ab eo potius, quàm ab alio se absolui curat; nisi ille alius esset de iis qui ex priuilegio habent iurisdictionem ad absoluendum à casibus Summo Pontifici reseruatis; Nam tali confiteri, vt notat Suarez *tom. 4. disp. 30. sect. 3. num. 5.* consultum esset: tum quia id securius est; vbi enim talis aliquis adest, non videtur omninò impeditus aditus ad Summum Pontificem, cùm habens iurisdictionem ab alio, sit quodammodo vnum cùm illo: tùm etiam quia vtilius est; cùm æger inde liberetur ab onere comparendi coram Summo Pontifice: quod si conualuerit, subire tenetur, iuxta cap. De cætero. De sententia excommunicationis. & cap. Eos qui. eod. tit. in 6. Istud enim est quod tale priuilegium speciale operatur supra commune in hac re concessum omnibus Sacerdotibus. Dixi, consultum, non autem necessarium: quia reseruatio facta Summo Pontifici non comprehendit articulum mortis, vt patet ex dictis; nec idipsum priuilegium aliquam inducit necessitatem eo vtendi, sed relinquit liberum sequi ius ordinarium.

Quartò notandum est, quòd in Ench. *cap. 26. num. 27.* idem quoque Nauarrus habet, & bene declarat Suarez in sequenti num. 7. in eo de quo agimus casu absolutum, si à morte liberetur, non teneri se præsentare Superiori propter peccatum, quod habuerat reseruatum: vtpote cuius tota remissio purè facta est in pœnitentiali foro; nisi illud reseruatum esset ob *Nu. 62.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

excommunicationem ei annexam : quod quando contingit, tenetur se Superiori ipsi præsentare quam primum potest commode: quia licet fuerit verè absolutus; ius tamen (ad rigorem Ecclesiasticæ disciplinæ) ei talem obligationem specialiter imponit sub excommunicatione; in citato cap. Eos qui. Ideoque pœnitens de illa monendus est; sicut & de alia, qua iniuriam ab ipso passis tenetur satisfacere; vel reipsa si potest: vel si non potest, data cautione per pignus, aut per fideiussorem: aut his deficientibus per iuramentum, prout explicant idem Nauarrus in Enchir. *cap.* 27. *n.* 47. & 48. & Couar. in cap. Alma mater. De sententia excommun. *in* 6. *part.* 1. §. 11. *num.* 11. Vbi aduerte, quòd si Sacerdos aliunde haberet potestatem absoluendi à reseruatis, quàm ex necessitate de qua agimus, vt ex aliquo priuilegio sibi aut pœnitenti concesso à Summo Pontifice, non esse opus talem præsentationem iniungere, quia memoratum cap. Eos qui (vt *in præced. num.* 6. idem Couarr. notat) loquitur de eo excommunicato, qui ob imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, absoluitur ab eo qui non habet alioqui potestatem, non modo ordinariam, sed nec delegatam absoluendi à talibus casibus reseruatis.

Nu. 63. Quintò notandum est (de quo late Suarez tom. 4. disp. 30. sect. 3. assertione 2. & disput. 31. sect. 3.) extra mortis articulum nullum Sacerdotem posse absoluere directè à peccatis reseruatis propter vllam occurrentem occasionem; nisi vel ex iure, vel ex speciali priuilegio, aut declaratione Superioris constet facultatem esse illi commissam. Hoc patet per illud quod habet Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. Extra mortis articulum Sacerdotes nihil posse in casibus reseruatis. Illud enim regula est, quam cùm exceptio firmet, procedit in omni casu eius generis, præterquam in excepto: nam si in aliquo non procederet, nulla ratio esset cur potius illius quàm alterius exceptio taceretur. Nequeunt igitur ob quamlibet occurrentem necessitatem inferiores Sacerdotes (quantumuis aliàs præditi essent sufficienti iurisdictione etiam ordinaria) à reseruatis absoluere: sed extra mortis articulum (vt Concilium ibidem addit) eniti debent, vt pœnitentibus persuadeant ad Superiores & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedere: perinde scilicet ac debent simplices Sacerdotes, ad ordinarios vel ipsorum delegatos remittere, sibi confiteri volentes, contaminatos peccato mortali: circa quod ex defectu iurisdictionis nihil possunt. Verumtamen moderationem proposita regula admittit in casibus reseruatis Papæ; vt quoties ad ipsum, vel ad ipsius legatum, aut delegatum aditus non patet, nisi cùm magna difficultate & mora, possit peccator absolui ab inferiore Sacerdote, cum onere comparendi coram eodem Papa. Ratio est, ne per dilationẽ pœnitentiæ, periculum immineat animarum: argumento cap. finalis. De pœnitentiis & remiss. in 6. néue reseruatio, quæ pro bono charitatis introducta est, contra charitatem militet. Et quia in eo sic subuenitur necessitati subditi, vt seruetur rigor per reseruationem intentus: nihil impedit quominus benignè interpretari possimus voluntatem Superioris reseruantis, quòd ita fieri velit. Concilium autem Trident. dicens tales nihil posse in casibus reseruatis: sic intelligi potest, vt significet eos non habere iurisdictionem, per quam possint à reseruatis, per se, directéque absoluere, sicut possent ablata reseruatione. Nam cùm non dicat absolutè, nihil posse; sed cum limitatione, nihil posse in casibus reseruatis; non excludit omnem potestatem & iurisdictionẽ in personas, quas respectu aliorum casuum habet in hoc foro sibi subditas. A quibus casibus eadem sufficienter dispositas possunt (interueniente graui causa, quæ confessionis dimidiationem excuset) per se & directè absoluere; nam ad valorem Sacramenti pœnitentiæ non esse simpliciter necessariam iurisdictionem super omnia peccata mortalia, quibus pœnitens ligatus est, ex eo patet; quòd si ex obliuione inculpabili, aut ex necessitate vitandi aliquod graue incommodum externum (siue à pœnitente, siue à Confessario incurrendum) peccatum reseruatum omittatur in confessione de aliis non reseruatis: eâ factâ coram inferiore Sacerdote bona fide; isque absolutionem det, perficietur Sacramentum, quo tàm reseruata, quàm non reseruata delebuntur: etsi non eodem modo, sed hæc per se & directè: illa verò, indirectè solùm & concomitanter: nẽpe quia nõ potest in pœnitente vnum peccatum mortale deleri sine alio: cùm id fiat per infusionem diuinæ gratiæ: cui cùm peccatum quodcumque mortale obsistat, ad vnius deletionem interuentu ipsius gratiæ diuinæ, sequitur omnium aliorum deletio. De qua re pluribus agere spectat ad eum locum sequentis partis, in quo tractandum est ex instituto de absolutione à reseruatis.

Tertius modus per libertatem.

QVod attinet ad libertatem (qua ex Caiet. *citato huius capitis initio.* homo est talis status, vt nulli particulari tanquam proprio Sacerdoti subiiciatur) ea in aliquo inuenitur, vno ex his tribus modis: nẽpe vel eoquod sit persona nulli alteri subiecta, vt Papa: vel eoquod nunquam in eodem loco permaneat: ita vt maior ratio non sit cur subiiciatur vni particulari ministro Sacramenti pœnitentiæ, quàm alteri; vt vagabundi, qui nullibi consistunt, sed huc illucque vagantur: aut licet domicilium cum liberis alicubi habeant; communiter tamen sunt in cõtinuo motu, nã vt consueuerint, etiã in Paschate, extrà inueniri: Vel denique ratione materiæ: nimirum quia tantùm habent peccata venialia, propter quæ nulli Confessario subiiciuntur à iure: & ideo possunt de illis à quocumque Sacerdote absolui. Atque quoad Papam nihil occurrit addendum ad ea quæ antè dicta sunt.

Nu. 64. De vagabundo notandum est, vagos dici qui nullibi certam & constantem sedem domiciliúmve habent, sed hinc inde vagantur, ac etiam qui pristinum domicilium omnino deserentes nauigant, vel iter faciunt quærentes vbi se collocent. Nam & tales sine domicilio sunt, ex lege 27. §. Celsus. ff. Ad municipalem: ideoque vagi censentur. Pro quo plures authores citat Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 25. num. 2.* illudque extendit primò ad eum qui relicto priori domicilio iter facit ad locum in quo domicilium constituere destinauit: quia talis dum est in via caret omni domicilio; nam prius non tantùm animo, sed etiam facto iam reliquit omnino, & posterius nondum acquisiuit. Atque vt tam hoc quàm illud ad deperditionem pertinet antiqui domicilij: ita ad acquisitionem noui requiritur, tum animus habitandi perpetuò in eo, tum etiam habitatio de facto. Ita Sanchez *initio precedentis disput.* 23. vbi numero 2. annotat ad acquirendum domicilium alicubi, non esse opus ibi diu habitasse, sed statim ac cœptum est ibi habitari animo manendi perpetuò, acquiri domicilium.

Extendit secundò pari ratione in illa disput. 25. Sanchez, ad eum qui relicta parochia nondum statuit ad quam aliam migraturus sit, sed quærens domum, interim in aliqua commoratur ad breue tempus. Nam & talis priorem Parochiam amisit, necdum nouam acquisiuit; sicut nec nouum domicilium; imo nec habitationem, cùm ad eam non sufficiat modico tempore alicubi esse: nec enim inter habitantes, sed inter aduenas numeratur, qui breui solùm tempore alicubi hæret.

Extendit tertiò ad eum qui, relicta priori Parochia, ad aliam se transfert; & quia domus quam inhabitare instituit, nondum expedita est alio habitatore, hospitatur interea in aliqua domo alterius Parochiæ; nam & in tali casu, prius domicilium relictum est omnino, necdum habitatione cœptum est acquiri nouum.

Extendunt quartò Paludanus & Diuus Anton. *ille in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. concl. 4. & hic 3. par. tit. 17. cap. 4. casu* 4. Tú ad mercatores, si nullibi habeant domicilium, sequentes semper nundinas; aut habeant quidem hospitium in certo loco, sed communiter eò non declinent in Paschate; nam tales non videntur illic habere domicilium respectu Sacramentorum. Tum etiam ad eos qui de familia sunt Principis, qui in ministerio dominorum suorum, sic nunquam consistunt in eodem statu, vt quantumuis alicubi domicilium habeant, eò tamen non redeant nisi ad horam.

Addunt iidem, quòd si vagetur quis tantùm intra vnam diœcesim, is debeat confiteri de licentia Episcopi talis diœcesis; aut si eam commodè habere non potest, de licentia Parochi in cuius Parochia est tunc temporis. Ratio esse potest, quòd respectu illius diœceseis, quam non deserit, stabilis sit; & Parochus in sua Parochia suppleat vices Episcopi, tanquam in solicitudinis partem vocatus.

De cæteris autem vagis in præced. casu 3. iidem statuunt posse confiteri non solùm Parocho, ad cuius Parochiã venerint; sed etiam alteri Sacerdoti, etiam simplici, quem elegerint. Quod Sotus *in 4. dist.* 18. *quæst. 4. art. 2. col.* 10. negat quidem: sed illud tenere possumus cum Nauar. *ad cap. Placuit De pœnit. dist. 6. num.* 80. rationem hanc adferente: quòd, cùm nulli particulari Pastori Ecclesia tales subiiciat (siquidem ratione domicilij quo illi omnino carẽt, ea voluit subiectionem eiusmodi contrahi, prout patet ex vsu communi) liberum eis relictum sit, cui velint Sacerdoti, se subiicere. Quod est, ab ipsa Ecclesia, tacitè saltem, concessam eis esse facultatem eligendi sibi Confessarium. Cuius electionis capaces sunt simplices etiam Sacerdotes: cùm in sua ordinatione potestatem acceperint remittendi peccata iis quos habuerint legitimè subditos. Iura autem, quæ tollunt libertatem confitendi cuilibet Sacerdoti, intelligenda sunt ex Palud. de eo qui, cùm semel se alicui commiserit, factus est illius Parochianus, capiendo in Parochia domiciliũ. Quod Nauar. loco citato cõfirmat ex verbis illis cap. Placuit De pœnit. dist. 6. Deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam suscipere, sine eius consensu, cui priùs se commisit. Itemque ex illis aliis cap. Omnis vtriusque sexus De pœnitentiis & remiss. Si quis alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote. Addit rationem idem Nauarrus *in sequenti num.* 81. quia qua lege tenetur Parochianus Parocho confiteri, eadem tenetur Parochus Parochianum audire. Quare cùm nullus Parochus sit, qui magis teneatur vagabundi confessionem audire, quàm alterius aduenæ; neque vagabundus habebit Parochum, cui teneatur confiteri; sed quem libuerit Sacerdotem potest eligere: approbatum tamen ab Episcopo, vel habentem Parochiale beneficium; cùm nullus alius respectu sæcularium sit idoneus Confessor; ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. Neque ab Ecclesia præcisum per censuram incursam ob notoriam Clerici percussionem, vel in ipsum nominatim quacumque alia iusta de causa fulminatam: quia peccaret mortaliter confitendo tali scienter, vt docebitur in sequẽti num. 363. Procedit autem hæc doctrina quoad ea etiam loca, in quibus pro vagabundis deputatus esset Confessor, nisi Papæ authoritate sic esset deputatus, vt ibi nullus alius eos absoluere posset. Quod etiam Sanchez notat in lib. 3. de matrim. disput. 25. num. 12.

Nu. 65. De habente tantùm venialia notat Nauarr. in præced. num 22. inueniri quidem textum expressum, quo probetur ipsum posse cui voluerit Sacerdoti confiteri: credendum tamen esse, quòd talem potestatem à lege habeat tacitam: nam etsi vocari possit in controuersiam an habeat iure diuino: nulla tamen ratio est dubitandi, quin habeat iure saltem humano; seu, tacito saltem Summi Põtificis, Ecclesiæve consensu, prout recepta consuetudo ostendit. Et cõfirmatur ex eo quòd non sit credibile Ecclesiã eodem rigore regere, similiterque in facienda confessione restringere habentem solùm venialia, ac habentem mortalia; immo quadam ratione magis restringere, cùm nihil sit quod cõpellat venialia proprio Sacerdoti confiteri, sicut mortalia; vt vna est (teste Nauarr. *ibid. num.* 23.) omnium fere Canonistarum sententia ad cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnitentiis & remiss. Neque audiendus est *citatus initio huius capitis* Caietanus, dicens talem potestatẽ nõ dari à lege, vel Legislatore, sed solùm à confitente se subiiciente: itaut non sit censenda iurisdictio, neque sufficiat ad absolutionem à minore excommunicatione. Non est, inquam, audiendus, quia (vt rectè vrget Nauar. *in sequen. num.* 26.) nullus potest esse Sacramenti minister sine iurisdictione ordinaria, vel delegata, prout patet ex supra dictis *num.* 20. Deinde cùm ligatus minori excommunicatione, antè debeat ab ea absolui, quàm à peccatis, qui sufficientem habet potestatem absoluendi à quolibet veniali, debet etiam habere ad absoluendum à minore excommunicatione, quæ propter peccatum veniale incurri potest. Hanc doctrinam sequens Suarez *tomo 4. disp. 26. sect. 5.* duo addit; quorum prius est (de quo ille num. 6.) idem ac de venialibus, in hac re esse de mortalibus iam confessis dicendum, ob parem consuetudinem & rationem.

Posterius est (*de quo ille in seq. num.* 10.) cùm istiusmodi licentia confitendi à Summis Pontificibus manarit, & ex eorum tacito consensu duret (quod vsitata saltem consuetudo traditioque ostendit) nullum inferiorem Prælatum posse eam auferre: quamquam tamen ea potest per censuram ligari in aliquo: siquidem & ordinaria potest, iuxta pòst dicenda in cap. 10.

Quartus modus per facultatem.

Nu. 66. QVod attinet ad facultatem, ea est primò, qua certi alicuius status hominibus ius concedit eligere Confessarium: vt Episcopis, & superioribus Prælatis, ac etiam inferioribus exemptis, vt in cap. 5. antea proposuimus ex cap. finali. De pœniten. & remiss. ad quod de illa nihil aliud occurrit addendum, quàm quod ex Palud. Diuo Anton. & Nauarr. habet, & aliquot rationibus probat Suarez tom. 4. disput. 27. sect. 2. num. 11. sic interpretandam esse, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

censeatur non esse ad vnum tantummodo Confessarium eligẽdum,qui postquam semel fuerit electus immutabilis maneat;sed esse ad eligendum suo arbitrio,hunc vel illum,ac etiam sæpe eundem.

Est 2.facultas ea,quam ius concedit quibusdam audiẽdi confessiones,qualis est cõcessa Religiosis mẽdicantibus per Clemẽtinam Dudũ.De sepulturis:cui hodie in iure communi statur,tanquam ei ex qua iudicium ferendum sit, de aliis Summorum Pontificum constitutionibus ad tale priuilegium spectantibus, corpori iuris insertis. Circa quas constitutiones aduertendum est,eas quidem mentionem tantùm facere Dominicanorum , & Franciscanorum, sed idipsum eorum priuilegium extensum esse ad duos alios ordines mendicantium: nempe à Ioanne 22. ad Carmelitas, & à Clemente 5. ad Augustinianos,vt ex Ioanne Andrea ad cap. Omnis vtriusque sexus.De pœnitent. & remiss. habet Nauarr. *ad cap. Placuit. De pœnit. dist.6.num.59.&* 184. In sequenti nu. 186. addens ipsos teneri probare eam extensionem, si negetur:quia non est expressa in iure communi. Aduertendum est 2.à sæcularibus aduersus istiusmodi priuilegium succlamatum esse iam inde ab initio dictorum ordinum : nonnullis illorum vrgentibus, etiam, quòd Papa potestatem non haberet tale dandi:inter quos ponitur Henricus Gandauensis quodlibeto primo. Nonnullis verò addentibus neque Deum eiusmodi potestatem habere : ita enim Ioannes de Poliaco sensit:cuius opinio , vt hæretica , dãnata est à Ioanne 22. in extrauaganti communi Vas electionis. De hæreticis. Nonnullis item(inter quos Hostiensis, Archidiaconus,&Ioannes Monachus referuntur ab Adriano *quodlibeto 5. de confessione)* dicentibus Confessos Religiosis tali priuilegio munitis, teneri iterum confiteri propriis Parochis.Succlamatum esse,inquam,vt sine ratione valida(quemadmodum videre est apud Sotum *in 4.dist.* 18.*quæst.4.art.3.*) ita & sine effectu : adeòvt temporis progressu non modò non sit sublatum idem priuilegium , sed potius frequenter confirmatum à Summis Pontificibus,vt ostendit idem Sotus *ibidem col.* 6. atque adeo communicatum cum aliquibus aliis Religiosis familiis,quas postea dignatus est Deus in Ecclesia sua suscitare. Et certè quin possit Papa tale priuilegium dare,nemo Catholicus negabit,confitens ipsum esse omnium fidelium Pastorem ordinarium.

*Nu.*67. Quod si quis dicat posse quidem; sed ita , vt requiratur præterea consensus Episcopi , & Parochi, qui sunt etiam proprij Sacerdotes: ille suorum diœcesanorum, & hic suorum parochianorum ; refellendus est per illud quod Nauar.ad citatum cap.Placuit.*num.*58.habet ex communi Canonistarum doctrina,& huic rei accommodat Paludanus *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 4. *initio art.tertij*, quòd iurisdictio quidem, cum est penes plures quatenus vnum sunt(vt ea quę est penes capitulum sede vacante)non possit ab vno siue alio committi : (sic enim Pœnitentiarium sede vacante non vnus ex Canonicis ; sed totum capitulum instituit) quoties verò aliqua iurisdictio est in solidum penes multos , perfectéque residet apud vnumquemque,ita vt eorum quilibet possit sine alio procedere:tunc vnum sine alio delegare posse , cæteráque omnia perinde facere,ac si nullus alius cum ipso in ea iurisdictione concurreret. At ligandi absoluendique in conscientiæ foro potestas , est in solidum penes Papam,Episcopum, & Parochum : Igitur quilibet eorum potest sine aliorum licentia absoluere subditum suum, aut illius absolutionem alteri committere. Id quod vsus quotidianus confirmat:Parochus enim siue per se, siue per alium à se commissum absoluturus suum Parochianum , non requirit ad id Papæ aut Episcopi consensum,nisi casus esset reseruatus Cuius certè rei causa alia reddi non potest,quàm iam proposita : quæquidem æquè, ac etiam efficacius ostendit, neque Papam, aut Episcopum,qui per se , aut per alium à se commissum, absoluturus sit suum subditum , requirere consensum Parochi: itavt is qui à Papa, vel à suo Episcopo habet facultatem eligendi Confessarium , possit ab electo absolui,nulla licentia à Parocho petita.Quod confirmatur:quia cum Parochi licentia de se sufficiat,illud Papæ,vel Episcopi priuilegium nihil præter ius largiretur,nihilque operaretur : quorum hoc aduersatur capitulo In his. De priuilegiis : & illud cap. Si Papa.eodem titulo in 6.§. Si autem. Atque constitutionibus Clementis,& Alexandri,veritatem huius rei sic declaratam fuisse, vt nemo postea Parisiis ei contrauenire ausus sit,meminit D. Antoninus. 11. *part. tit.17.c.5.in fine*,& alijab ipso citati. Legi possunt Suarez , tomo 4. *disput.26. sect. prima num. nono.* Illud autem quod confessi Religiosis habentibus prædictum priuilegium , teneantur confessiones suas iterare Parocho,in Extrauaganti communi Inter cunctas. De priuilegiis §. Sed quia. repudiatur hoc argumento : quòd perinde absurdum sit ritè confessum iterare debere confessionem : ac debitorem liberatum debito, adhuc manere obligatum ad soluendum. Vbi & additur in §. Super confessione, standum esse simplici verbo petentis Eucharistiæ aut Extremę vnctionis Sacramentum;si dicat se cõfessum dictis Religiosis, nisi possit ei obiici quòd sit excommunicatus , aut notorius peccator. Cætera quæ super hac re disceptantur , vt parum aut nihil necessaria pro praxi nobis proposita , qui volet videat apud Sotum in citato art.3. qui bene respondet obiectionibus sæcularium aduersus tale Religiosorum priuilegium. Videri quoque potest Suarez in sequent.sect.2.

Quintus modus per licentiam.

*Nu.*68. QVod attinet ad licentiam , prænotandum est eam esse posse aut tacitam , aut expressam ; illa est quæ habetur per ratihabitionem proprij Sacerdotis:& esse potest vel de futuro;scilicet quando ille creditur, cùm sciuerit,ratum habiturus factum : vel de præsenti , aut præterito ; nempe cùm ante Sacramenti administrationem , vel quo tempore administratur , adest tacitus seu interpretatiuus consensus parochi aliquo signo externo manifestatus : vt cùm subditus confitetur alieno in præsentia ipsius, qui id videns tacet , cùm facilè impedire possit:vel cùm duo Parochi tanta sunt familiaritate inter se coniuncti, vt vnus sciens suos parochianos alteri confiteri,gaudeat,& admittat confessionis schedulas. Expressa verò licentia est , quæ habetur per expressam proprij Sacerdotis concessionem subditis factam:siue explicitè, siue implicitè. Explicitè quidem , vt cùm Curatus dicit populo,Quisque confiteatur cui vult:quod idem est,ac si dicat: Do vnicuique licentiam confitendi cui vult : aut cùm alicui Sacerdoti facit potestatem audiendi confessiones in sua Parochia , vel in ea exercendi omnia ad curam animarum pertinentia:idem enim est , ac si det suis parochianis licentiam ei confitendi. Implicitè verò, vt quando Parochus dat suo parochiano licentiam peregrinandi ad sacra loca:in ea enim includitur licentia confitendi,quia confessio debet esse comes talis peregrinationis.

Cumque

*Nu.*69. Cumque hæc ita sint,tenendum est primò,per licentiam tacitam ex ratihabitione de futuro , id est, qua Sacerdos alienus probabiliter credit , quòd Parochus ratum habebit factum , non acquiri iurisdictionem , ad validitatem Sacramenti sufficientem. Quod probatur , quia iurisdictio data per licentiam de futuro,præsens non est,prout esse debet,vt Sacramentum pœnitentiæ valide administretur. In hocque omnes Doctores conuenire annotans Sanchez aliquot citatis lib. 3. de matrim. *disput.* 35. *num.*17. & in fine sequentis num.19. addit (aliquot etiam citatis)quòd si eadem die licentia sit concessa , & Sacramentum administratum ; neque constet quodnam horum præcesserit , præsumi licentiam præcessisse: quia cùm duo actus eodem die fiunt , nec constat vter eorum præcesserit,cum censendum præcessisse, qui necessarius est ad alterius valorem.

*Nu.*70. Tenendum est secundò,iurisdictionem ad Sacramentum pœnitentiæ sufficientem acquiri per licentiam tacitam , quæ habetur ex ratihabitione de præsenti;tunc contingentem,cùm videnti,& sciente,ac tacente Sacerdote proprio , qui potest contradicere, Sacramentum ipsum pœnitentiæ administratur.Ratio est , quia scientia & patientia in iis quæ sunt modici præiudicij , operantur consensum. At audire confessionem alicuius ex parochianis modicum aut etiam nullum adfert præiudicium Parocho : Ergo huius scientia & Patientia censenda est inducere consensum,& legitimam licentiam. Pro hoc etiam plures authores citans *ibidem num.*20. Sanchez admonet *in sequenti num.*21.*&* 22. tum idem prorsus dicendum esse , quando ratihabitio est de præterito, quia tunc quoque per licentiam habetur de præsenti iurisdictio sufficiens ad valorem Sacramenti : tum etiam scientiam prædictam proprij Sacerdotis cum taciturnitate,non inducere simpliciter licentiam administrandi pœnitentiæ Sacramentum , sed tantùm pro ea vice:quia neque si daret expressam licentiam ad audiendam illam confessionem,licentia esset simpliciter,sed tantùm pro eo actu.

Nu. 71. Tenendum est tertiò,iurisdictionem sufficientem acquiri per licentiam expressam , non modo cùm fuerit specialis,hoc est,specialiter ad audiendas confessiones,data Sacerdoti alieno ; sed etiam,cum fuerit generalis:hoc est , data generaliter ad exercenda, quæ pertinent ad curam animarum , vel ad Sacramenta omnia administranda. Ratio est , quia verbo generali , debent omnia comprehendi ; iuxta cap. Si Romanorum. distinct. 19. §. Dicendo , vbi glosa id notat citatis aliis canonibus. Idem dic de licentia data indefinitè ad Sacramenta ministranda , quia eo nomine maximè significantur Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ,tanquam præcipuæ necessitatis.

*Nu.*72. Tenendum est quartò , acquiri quoque sufficientem iurisdictionem non modo per expressam licentiam explicitam,sed etiam per implicitam,qualis est quæ speciali æquialet:& contingit:tùm eo, quo superius num.68. in fine dictum est modo : tùm etiam quandocumque ex verbis proprij Sacerdotis communiter intelligitur talem concedi , etiamsi Sacramentum pœnitentiæ non nominetur specialiter : ex Caietano in verbo Excommunicatio:cap. 64. Et ratio esse potest; quia per talem quoque licentiam voluntas ipsius proprij Sacerdotis satis apparet ; & ad iurisdictionem delegatam acquirendam ex parte concedentis , sufficit voluntas ipsius signis externis declarata sufficienter arbitrio boni viri.

Tenendum est quintò,licentiam simplicem concessam siue eligendi Confessarium , siue audiendi confessiones,se extendere ad peccata mortalia; quia propter sola venialia non esset necessaria. Non extendere autem se ad ea mortalia , ad quæ potestas concedentis se non extendit ; quia nemo potest iurisdictionem delegare ampliorem , quàm ipse habeat. Nec item ad omnia peccata ad quæ delegans habet iurisdictionem , si aliqua sibi specialiter reseruauit. Nam talia non comprehenduntur sub simpliciter data licentia,sed oportet ea specialiter exprimi. ex cap. Si Episcopus. De pœnitentiis & remissionibus in 6. De qua re Suarez agens tomo 4. *disp.* 27. *sect.* 4. *dubit.* 1. addit num. 6. eamdem licentiam non extendi per se extra absolutionem à peccatis , & ea quæ sunt cum illa connexa , sicut est absolutio ab excommunicatione , quæ illi præmitti debet : non autem dispensatio in voto,vel in irregularitate, quibus manentibus,absolutio à peccatis dari potest:neque ad Confessarij munus pertinet talium (sicut nec præceptorum) obligationem tollere ; sed potius ad obseruationem illorum adiuuare.

Cæterùm licentia tacita , sicut & expressa ; item- *Nu.*73.
que implicita , sicut & explicita , potest sine limitatione intelligi. Vnde quod Caiet. ait , licentiam confitendi alieno , quam implicitè proprius Sacerdos suo subdito dare censetur , ei dando facultatem peregrinandi , limitandam esse ad solam confessionem positam in præcepto ; aut ad solitas , quoad eos qui consueuerunt sæpe confiteri. Nauarrus *ad cap. Placuit. De pœnit.distinct.6.num.66.& aliquot sequentib.* reiicit , contendens nullum talis limitationis faciendæ,dari solidum fundamentum: quoniam quæcumque ratio censetur mouere Pastorem dum peregrinaturo dat expressam explicatámque licentiam confitendi , censeri quoque potest mouere , dum solùm dat tacitam , vel implicitam : quia propositum illius semper est,subdito de necessariis quoad animam , in sua peregrinatione prouidere. Quare tam tacita, quàm implicita licentia intelligenda est sine limitatione: quandoquidem expressam debere sine limitatione intelligi constat , per illud quod ab omnibus receptum esse habet idem Nauarrus *ibidem num.* 42. eum qui facultatem habet eligendi Confessarium, posse quemcumque Sacerdotem , etiam non habentem curam animarum , eligere : quod & confirmat *ibidem num.*49.*& aliquot sequentibus.* Tum quia ius nihil aliud exigit etiam ab habente mortalia (vt patet ex cap. Omnis vtriusque sexus , De pœnitentiis & remiss.) quàm vt confiteatur proprio Sacerdoti , vel alieno,de ipsius licentia,nulla facta restrictione alieni, ad eum qui curam habet animarum : Tùm quia consuetudo sic interpretata est ius. Adhuc enim vbique seruatur,quod habet Adrianus, *in* 4.*de confessione dubio* 1. post quintam quæst. vigore facultatis eligendi Confessorem idoneum,indifferenter quemcumque adiri. Et certè cùm paria sint , vt rectè notauit Nauarrus *in citato num.* 42. Parochiano dari à Parocho licentiam eligendi Cõfessarium: & à Parocho ei,quem Parochianus elegerit, committi potestatem audiendi confessiones ; nihil est necessarium vt is qui eligendus est , tunc habeat curam animarum, quia alius est æquè capax commissionis , si adsint cætera in idoneo Confessore necessaria. Vbi aduerte obiter ex Palud. *in* 4.*dist.*17.*quæst.*3.*art.*2.*concl.*2. Confessorem electum non habere potestatem ab eligente , sed à Superiore qui eligendi licentiam dedit; vt qui per literas Pœnitentiariorum eliguntur, potestatem habent non ab eligentibus, sed ab ipsis Pœnitentiariis. Porro si non datur ratio restringendæ dictæ licentiæ,ex parte Confessarij: multo minus datur ex parte confessionum : quarum frequentiam Pastor in suo subdito non potest non maximè probare,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bare,&optare.Vnde etiam quoad istiusmodi limitationem Sotus *in 4.dist.*18.*quæst.*4.*art.*2.*col.* 10. quoque reprehendit memoratam Caietani sententiam.

Sextus modus per consuetudinem.

*Nu.*74. QVod attinet ad consuetudinem;ea(vt rectè monet Caietanus in verbo Absolutio à peccatis 2. versus finem)nec dat reuera iurisdictionem; id enim satis constat ex eo, quod in cap. Si Episcopus.De pœnitentiis & remissionibus in sexto dicitur. Nulla posse consuetudine introduci, quòd aliquis, præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat,qui eum possit soluere & ligare.]Itaque consuetudo tantùm est testis tacitæ licentiæ à proprio Sacerdote sufficienter concessæ, nec reuocatæ; sed (prout continuatio consuetudinis ostendit) continuatæ cum ipsius tacito consensu. Accedit quod delegare iurisdictionem sit superioris habentis ordinariam:non autem subditorum ipsius, quorum est consuetudo. Id quod *tom.*4.*disp.*23.*sect.*3. Suarez pleniùs tractans: inde *ibidem nu.*6.infert iurisdictionem consuetudine obtentam,semper pendere à voluntate proprij Sacerdotis;ita vt non obstante consuetudine semper sit in illius potestate eam reuocare, si velit.

Qua in re,vt idem author *in seq.num.*7. addit, aduertendum est,ex cuius Superioris voluntate manarit consuetudo:ex illius enim,vel alterius qui sit eius superior (non item ex inferioris) voluntate eam iurisdictionem reuocari posse tenendum est.

*Nu.*75. Atque ex his intelligitur, quòd Sacerdotes etiam simplices dicuntur posse sibi de consuetudine eligere Confessarium, interpretandum esse (quemadmodum attigit Caietanus loco citato) quòd cum Episcopus sciens Sacerdotes suos, quibus de Confessario prouidere tenetur, consueuisse inuicem se absoluere,id patiatur valens impedire; censeatur tacitam licentiam illis dare, ex qua absolutio robur obtineat,consuetudine nihil ad eam conferente,nisi vt eiusdem licentiæ teste.

*Nu.*76. Ad quem etiam modum, ex eod. Caiet. ibidem, interpretari licet; quòd viatores dicuntur de consuetudine in Paschate suscipere pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta in loco in quo tunc fuerint; etiamsi malit ipse dicendum esse, quòd talis licentia habeatur generaliter à Papa; eoquod legerit Eugenium quartum concessisse seu declarasse viuæ vocis oraculo,viatores vbi se inuenerint in Paschate, censendos tanquam adeptos incolatum, quoad Sacramenta Pœnitentiæ,& Eucharistiæ. Siue autem hoc, siue illud dicatur,parui refert,pro praxi: difficultas verò de viatoribus, cui de consuetudine possint confiteri, sufficienter explicari videtur sequentibus propositionibus.

Explicatio difficultatis de viatoribus cui de consuetudine possint confiteri.

*Nu.*77. PRima est de viatoribus, qui relicto priori domicilio, aliud sibi quærunt iter faciendo,aut nauigando, necdum statuerunt vbi consistere debeant, idem esse,ac antè de vagabundis censendum. Hanc expresserunt à Victoria & Nauarr. *ille de Sacram. nu.* 155.*& hic ad cap.Placuit. De pœnit.dist.*6.*num.*82.Et probatur,quia tales viatores sunt sine domicilio, perinde ac vagabundi, lege Eius 2.ff. Ad municipalem.§. 2. sub finem.

Secunda est:viatores,qui sibi domicilium delegerunt, seu transtulerunt ex vna Parochia in aliam, effici Parochianos illius Parochiæ in quam migrarunt animo ibi perpetuò residendi. Hæc habetur ex cap. finali de Parochiis.

Tertia est:qui non mutât, sed cumulât domicilia, vnum habentes in vna Parochia, in quo vnam anni partem: alterum,in quo alteram partem transigant, Parochianos esse Parochorum vtriusque Parochiæ. Hæc deducitur ex cap. Cum quis.De sepulturis in 6. vbi decernitur, si talis eligat sepeliri extra eas Parochias, inter vtramque diuidendam esse portionem canonicam,id est, quartam partem emolumẽtorum: quæ tertia illa Ecclesia ex funere accepit, debitam Parochiali Ecclesiæ. Secus verò est de iis, qui, cùm habeant domicilium in ciuitate vel castro, recreationis gratia, vel vt opus aliquod etiam rurale exerceant,eunt aliquando ad villam ruralem: non enim ex eo fiunt Parochiani loci in quo est villa, adeovt ibi morientes, debeant in Parochiali Ecclesia dictæ ciuitatis,vel castri sepeliri, vel in alia, in qua maiorum suorum sepultura ab antiquo extitit:dummodo possit eò sine periculo deportari,vt definitur in cap. Is qui.eod.titulo & libro.

Quarta propositio est,Viatores,qui prius domicilium retinere statuunt, nec nouum sibi constituere volunt,si absint ab illis suis domiciliis de licentia suorum Parochorum,aut Episcoporum, censendos esse licentiam tacitam habere confitendi alieno: sicut antè *num.*68. dictum est de peregrinantibus.Hæc est Nauarr. *in seq.num.*85.quam probat,quia his quoque sui superiores dum expressam licentiam recedendi dant, tacitam quoque confitendi alieno dare meritò censentur: tanquam de necessariis ad vitæ spiritualis sustentationem, curantes per alios prouidere suis,quibus non possunt per se in eorum absentia.

Magna autem difficultas est de iis qui absque Superioris licentia absunt prædicto modo à suis domiciliis;num possint alieno confiteri, saltem Parocho loci ad quem venerunt. De qua Sylu. *Confessor.* 1.*quæst.* 10. citatis authoribus, & Nauar. *in eodem nu.* 85.*& aliquot sequentibus*, allatis rationibus in vtramque partem,statuunt non posse;non modò cùm non elegerint habitationem (vtpote qui absentes à domiciliis suis nolunt,vbi sunt,diutius morari) sed etiã cùm alicubi elegerunt habitationem, siue maiorem siue minorem annali. Probatur, quia ratione nudæ habitationis nemo sortitur forum conscientiæ, si alibi habeat domicilium: quia nullum ius datur (vt in sequent. num.88. notatum est ab eodem Nauarro) per quod probetur sortiri. Cæterùm quia iam vsus inualuit in contrarium,quæ pro eo Suarez habet *tomo* 4.*disput.*25.*sect.*2. attendenda sunt. *Nu.*78.

Ac primò quoad viatores,qui in vno loco domiciliũ habent,& alibi quasi domicilium,habitationẽve diuturnam quidem, seu pro maiori anni parte; non tamen fixam(quales censentur tum scholastici, tum milites præsidiarij,tum etiam litigãtes, ac mercatores, quando in alienis oppidis diu morantur) sentit ille,quòd per idipsum quasi domicilium subiiciantur Parochis illorum locorum in quibus habitant. Pro quo facit quòd moraliter necessarium sit eos,sicut alios incolas,habere ad quos spectet ex officio ministrare ipsis Sacramenta eo tempore quo ibi demorantur.De quo Thom.Sanch.copiosè *in lib.* 3.*de matrim.disp.*23.*quæst.*2. Non esse autem opus cum Nauarro vti restrictione,vt id dicatur tunc procedere,cùm huiusmodi homines nequeunt facilem recursum habere ad proprios suos Sacerdotes, probat *Nu.*79.

Sua

Suarez *in antecitata sect.*2.*num.*6.quia quòd ille vrget: nullo iure constare per solam inhabitationem diuturnam forum acquiri:nimis multum probat. Nam pariter ostendit deesse Parocho iurisdictionem in alienum demorantem in ipsius parochia, qui non valet facilè recurrere ad proprium suum Sacerdotem. Adde quòd ipse fateatur talem recursum ferè semper difficilem esse:ideoque introductam esse memoratam consuetudinem, quæ non desinit vim habere vniuersalis legis,ex eo quòd talis difficultas in qua fundatur,cesset in aliquibus particularibus.

Aduerte hîc obiter (quod loco cit. *num.*14. Sanchez habet alios referens) ad acquirendum quasi domicilium non esse opus,vt quis maiori anni parte in Parochia habitarit; statim enim atque animum habens habitandi maiori anni parte, incipit habitare,fit quasi Parochianus; sicut statim ac quis incipit habitare, animum habens ibi perpetuò manendi, Parochianus fit simpliciter, iuxta ea quæ habet Sylvester in verbo domicilium,num.2.

*Nu.*80. Quoad viatores autem iter agentes, eósve qui habentes proprium domicilium,extra illud peregrinantur, nec alibi statuunt consistere, nisi ad breue tempus; vt vsuvenire solet mercenariis locantibus operas ad fodiendũ,aut aliud opus eiusmodi faciendũ;Suarez *in seq.n.*8.aliis citatis,valde probabile iudicat aliam esse de eis rationẽ, quàm de præcedẽtibus; quia cùm nec domicilium nec quasi domicilium de nouo acquirant, eundem semper firmum retinent Parochum; cui,iuxta cap. Omnis vtriusque sexus. De pœniten. & remiss. confiteri debeant,non alteri, nisi de ipsius licentia. Et ita de rigore iuris tenendum esse,ostendit consuetudo, quæ olim viguit inter fideles,vt facultatem peterent à suis propriis Sacerdotibus ad faciendum iter:quã concessã censebatur simul data licentia confitendi alteri,si opus esset. Sed quia iam desiit talis consuetudo; nec ideò existimandi sunt proprij Sacerdotes velle subtrahere præsidium speciale Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ suis subditis, cùm sibi necessarium aut saltẽ vtile esse iudicauerint:teneri potest quod addit idem Suarez ibidẽ, tales de tacito consensu suorum Parochorum posse confiteri vel Parocho loci ad quem perueniunt,vel alteri habenti ab eo, vel ab Episcopo loci, iurisdictionem delegatam. Quamquam, addit ille, si fuerint ibi alij habentes iurisdictionem à Papa,securius erit illis confiteri, quia res erit magis certa. Addit hîc quoque exigi bonam fidem; quia si quis ad hoc tantùm ageret iter, vt haberet occasionem confitendi alieno, & fugiendi censuram proprij Sacerdotis volentis amputare occasiones peccatorum, iam illa non esset necessitas; sed mera voluntas,nec intentioni Pastorum,nec Ecclesiæ consuetudini conformis. Sicque ex defectu iurisdictionis censenda esset confessio inualida. Ad confirmationem suæ sententiæ idem Suarez *in seq. num.*9. inducit quod ex Caiet. ante allatum est, Eugenium 4. declarasse viatores vbi se inuenerint in Paschate, tanquam incolas esse censendos, quoad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta.Ea enim declaratio non est limitatio licentiæ viatoribus concessæ accipiendi ab alieno Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ,sed potius extensio: quia si de aliqua tali acceptione dubitari potuit, maximè de illa quæ contingit in Paschate, quia eo maximè tempore obligatio est accipiendi Sacramẽta ipsa à proprio Sacerdote. Vnde si ex eadem declaratione possint tunc accipi ab alieno Sacerdote, poterunt etiam quocumque alio tempore,si necessitas, aut specialis vtilitas id exigat.

CAPVT OCTAVVM.

De dubiis circa iurisdictionem in foro interiori.

SVMMARIVM.

81 *Non tenetur Parochus sub peccato, audire sui subditi confessionem,nisi vrgeat confitendi necessitas.*
82 *Peccat nihilominus venialiter,sine iusta causa recusans audire.*
83 *Per eiusmodi recusationem non est censendus facere potestatem confitendi alteri pro arbitrio.*
84 *Eum,cui malitiosè proprius Sacerdos licentiam petitam negat, non posse eo ipso confiteri alieno.*
85 *Quod procedit, etiamsi nullum vrgeat confitendi præceptum, iustaque adsit causa alteri quam eidem proprio Sacerdoti confitendi.*
86 *Responsio ad id quod ex cap.Placuit. De pœnitent. distinct. 6. in contrarium obiicitur.*
87 *Præsumptio de authoritate in eo casu, alieno concessa, siue à superiore Prælato,siue etiam à Christo.*
88 *Quomodo possit peccator(vt concubina Curati)suo complici valide confiteri,& ab eo absolui.*
89 *Spes futuræ ratificationis proprij Sacerdotis non sufficit, vt subditum ipsius possit alienus in confessione audire & absoluere sacramentaliter.*
90 *Nec sufficit spes de præsenti quod ipsi placeat id fieri.*
91 *Quod non sufficiat voluntas præsumpta proprij Sacerdotis,etiamsi nec indicium,nec causa appareat, cur ipsi non placeat.*
92 *Non potest Parochus alienum absoluere, etiam habentem tantum peccata in parochia ipsius commissa.*
93 *Non modo iurisdictionem habẽs ordinariam,sed etiam habens tantum delegatam potest vbiuis locorum audire,& absoluere eum in quem illam habet.*
94 *Religiosis à iure concessum priuilegium audiendi confessiones,quantum operetur.*
95 *Generalis licentia eligendi Confessarium non extinguitur extincto eo à quo concessa est, nisi eam ad suum placitum restrixerit.*
96 *Per talem licentiam liberum esse, nunc vnum, nunc alium eligere,quoties placuerit.*
97 *Repetenda est confessio facta habenti impedimentum iuris naturalis,aut diuini.*
98 *Itemque facta ei cui nullus superior legitimus iurisdictionis titulum contulit.*
99 *Non est autem ex eo repetenda,quòd facta sit ei, cui superior contulit quidem iurisdictionis titulum, sed inualidum ob aliquod latens impedimentum; si quidem talis defectus vbi, & quando confessiones audit,communiter ac probabiliter ignoratur.*
100 *Valere potest sacramentalis absolutio data ab eo, qui verum iurisdictionis titulum,quem prius habebat, amisit:si talis amissio sit ignota,secus,si sit notoria.*
101 *Ad quid teneatur qui bonafide confessus est Sacerdoti non habenti in ipsum iurisdictionem.*
102 *Quomodo liceat administrare Pœnitentiæ Sacramentum cum iurisdictione dubia. Atque obseruanda quando sit confessio habenti iurisdictionem dubiam.*
103 *Quòd impropriè dictum dubium de iurisdictione Sacerdotis, non obstet quin is sacramentaliter absoluere possit.*
104 *Quando valida sit confessio facta ei, qui audiendi facultatem petiit:sed quid responsum sit, non intellexit.*
105 *Ob reuocationem facultatis audiendi confessiones, ea non redduntur inualida,nisi illa intimata sit.*

106 *Tres*

Universidad de Deusto
Biblioteca

106 *Tres casus, in quibus exceptionem patitur generalis facultas concessa ad absoluendum à reseruatis.*

MVLTA dubia mouentur circa iurisdictionem in foro interno, de qua nobis est sermo, quibus supereſt satisfaciendum.

Primum est, an iurisdictionem habens ordinariam, teneatur sui subditi confessionem audire, quoties ille postulauerit.

MOuetur tantùm istiusmodi dubium de habente iurisdictionem ordinariam: quia ei soli ratione iurisdictionis incumbit ex officio ordinaria animarum cura pastoralis: non item aliis, nisi assumantur ad subeundas illorum vices. Non habet autem difficultatem quoad Episcopos, & alios maiores Prælatos. Conceditur enim facilè, quod propter vniuersaliorem, quæ incumbit ipsis, Ecclesiæ administrationem, possint (quando in contrarium nulla grauis necessitas vrget) subditum suum petentem sibi confiteri, remittere ad ipsius Parochum, à quo audiatur, aut per quem de alio idoneo ipsi prouideatur. Tota igitur difficultas est de eodem Parocho, aut alio qui simili munere fungitur, vel qui eius vices gerit. Sotus autem, & Nauarrus, *ille in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. & hic ad capit. Placuit De pœnit. dist. 6. num. 152.* quibus assentitur Suarez *tomo 4. disp. 32. sect. 1.* asserunt Parochum teneri audire confessionem sui subditi id petentis, etiamsi nulla necessitas vrgeat, nisi seriis ipse negotiis detineatur: quia Pastoris officium est, gregi suo ministrare pabulum; quod Parochus non exequitur, nisi populo suo procuret non solùm necessaria, sed etiam vtilia ad salutem.

Nu. 81. Medina autem *in Cod. De confessione quæst. 37.* post Richardum *in 4. dist. 18. art. 2. quæst. 3.* (quem etiam sequuntur Sylvester & Fumus; *ille Confessor 1. num. 14. & hic verb. Absolutio num. 28.*) existimat, ne Curatum quidem teneri sub pœna peccati mortalis audire suorum confessiones, extra casum in quo confiteri illi adstringuntur, vel iure humano, vt semel in anno: vel iure diuino, vt in verosimili mortis periculo: aut quoties tale remedium eis necessarium esse videtur ad aliquod peccatum mortale vitandum. Namque aliàs nec lege fraternæ charitatis, nec ratione pastoralis officij tenetur. Non quidem lege charitatis fraternæ, quæ omnes æqualiter respicit; iuxta illud Ecclesiastici 17. Mandauit illis vnicuique de proximo. Vnde cùm alius Sacerdos non peccet mortaliter contra legem fraternæ charitatis, nolendo audire alicuius confessionem; nec peccabit Curatus. Ille autem extra casum necessitatis non peccat mortaliter, quia lex charitatis fraternæ non obligat sub mortali, nisi cùm proximus laborat graui necessitate, seu quando verisimile est ipsum sine opera nostra salutem siue animæ, siue corporis adipisci non posse. Quare nec Curatus nolens audire suum parochianum extra tempus necessitatis confitendi, censendus est peccare mortaliter contra charitatem. Nec etiam ratione pastoralis officij mortaliter peccare contra iustitiam, probatur: quia officio suo satisfacit, si onera sibi à iure, vel à Superiore imposita compleat: Sed neque ius, neque Superior imponit Curato Sacramẽtum pœnitentiæ ministrare subditis, nisi cùm necessarium est hos illud recipere. Vnde quamuis Curato commissa sit cura subditorum tanquam patri filiorum spiritualium: tamen sicut pater carnalis satisfacit suo officio dando filio necessaria, aliis abundantioribus denegatis: ita etiam Curatus suo satisfacere iudicandus est, Sacramẽta necessaria tunc ministrando subdito, cum eorum suscipiendorum necessitas vrget.

Negandum tamen non est, quin officium pastoris, *Nu. 82.* si non de necessitate, saltem de congruitate exigat à Curato, vt suis operam præstet, iuxta priorem sententiam: itavt eam denegans vituperatione dignus sit, & venialiter peccet; idque nonnumquam grauiter; vt cùm lucrandum esset Iubileum, aut subditus ostenderet se pati aliquam indigentiam spiritalem, opportunóque tempore peteret, nec rationabilis negandi causa adesset. Non peccaret tamen mortaliter contra debitum iustitiæ, quia licet subditus aliquod ius habeat petendi Sacramentum à suo Curato, quoties vult confiteri, non habet tamen coactiuum, quo possit contra eundem agere, & extra casum necessitatis compellere ad Sacramentum ipsum ministrandum, sicut nec filius potest compellere patrem ad aliqua non necessaria, licèt commoda, sibi largienda.

Secundum dubium est, an proprius Sacerdos recusans audire subditi confessionem, censeatur eo ipso tacitè dare ei licentiam adeundi alium, itavt passus repulsam possit quemcumque Confessarium eligere.

HVius partem affirmantem, hoc est, posse; tenent *Nu. 83.* Richardus, Sylvester, & Fumus locis citatis: negantem verò, hoc est, non posse; tenet Sotus vbi suprà, quæ videtur probabilior. Neque enim licet talem licentiam facilè sibi fingere, cùm ad validitatem confessionis ea tantopere sit necessaria: neque proposita Parochi recusatio sit illius datæ sufficiens argumentum. Etsi enim facilis & misericors esse debeat Parochus, peccetque se præbendo difficilem *ex D. Thoma in 4. distinct. 17. q. 3. art. 3. ad 6.* tamen meritò præsumitur velle, vt ea expresè petatur, dum ipse sua sponte eam non offert, præsertim cùm tam facilè possit responsum dare dicendo, adeas alium, quàm dicendo, Nolo te audire. Accedit, tum quòd volens alieno confiteri, teneatur licentiam à proprio Sacerdote petere, ac obtinere, ex præscripto cap. omnis vtriusque sexus. De pœnitentiis & remiss. tum etiá quòd Curato recusanti audire subditum, Adesse possint occasiones negandi licentiam confitendi cuilibet: cùm vereri debeat ne is adeat aliquem minus idoneum, qui non inducat ad vitæ emendationem, & peccatorum odium: vel non cogat ad restitutionem faciendam: aut ad declarandum peccatorum numerum & circumstantias, quæ sunt causæ iustæ negandi talem licentiam, iuxta doctrinam quam pro Curatis de ea tradunt D. Anton. & Sylvester, ille 3. part. tit. 17. cap. 16. & hic Confessor 1. quæst. 16.

Tertium dubium, An si Curatus petitam licentiam malitiosè neget subdito, possit hic eo-ipso confiteri alieno.

DE hoc, repudiatâ sententia contrariâ Paludani *Nu. 84.* Franciscus à Victoria *de sacram. num. 145.* cum Diuo Thoma *in 4. distin. 17. q. 3. art. 3. quæstiuncula 4. ad 5.* & cum Caiet. in verbo Absolutio ex parte absoluentis, sentit recurrendum esse pœnitenti ad superiorem, vt ad Episcopum, vel Papam; à quo si non possit

possit licentiam obtinere, habere se tanquam Confessoris copia carentem, ita vt contritus possit (quod addit Medina in cod. de confess. quæst. 30. eandem sententiam approbans) Missam celebrare, aut Eucharistiam sumere. Eidem sententiæ aliis in eam citatis subscribit Suarez *tom. 4. disp. 27. sect. 4. num. 20. & 21.* ad cuius rationem potest hæc addi à pari: quòd extra mortis articulum alienus non magis habeat facultatem absoluendi à mortalibus sine licentia proprij Sacerdotis: quàm inferior absoluendi à reseruatis sine licentia superioris cui reseruata sunt. At Superiore facultatẽ absoluendi à reseruatis negante, etiã malitiosè, inferior absoluere non potest, cùm perseueret reseruatio, validitatem absolutionis sacramẽtalis impediens, ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. & can. 11. Quare nec poterit alienus absoluere, negante licẽtiã proprio Sacerdote. Quod Canus de pœnitẽtia parte 6. adeo verum esse putat, vt dicat nullum, nisi indoctum & temerarium, admissurum esse contrarium. Et confirmatur per verba illa cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnitentia & remiss. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa, sua cõfiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote: cum alter ipsum non possit absoluere vel ligare.]

Nu. 85. Vnde loco citato Medina ponderando verbum (voluerit) infert necessariam esse dictam licentiam in confessionibus etiam voluntariis, seu quæ extra tempus Paschale fiunt ex deuotione. Inferri quoque potest (ponderatis verbis, Iusta de causa,) quod tangunt Franciscus à Victoria loco citato & Sotus, *in 4. dist. 18. q. 4. ar. 2.* in nullo casu extra mortis articulũ, ne quidem cum adfuerit iusta causa non confitendi proprio Sacerdoti, liberũ esse cõfiteri alieno absque licentia, vt cum timeretur scandalum, vel reuelatio confessionis; vel aliquid cognosceretur in ipso proprio Sacerdote, propter quod meritò deseratur: vt inscitia, indiscretio, aut aliud simile. Confirmatur à pari hæc illatio: quia mortuo Parocho, vel excommunicato nominatim, aut ob iniustam Clerici percussionem (qui, cùm suæ iurisdictionis vsum non habeat, delegare non potest, ex cap. Romana. De officio Vicarij in 6.) non licet Parochianis cuilibet cõfiteri eo nomine, quòd nequeant licentiam à suo Parocho obtinere: sed illi tantùm, quem Episcopus, vel Papa prouiderit. Quare neque illud licet, quando Parochus licentiam malitiosè denegat; sed tunc ad Superiorem (cui ius suum malitia inferioris non tollit) recurrendum est: sicut cum quis casum habet Episcopo reseruatum, à quo malitiosè recusat absoluere, recurrendum est ad Papam pro absolutione. Et certè si aliquo iure concederetur confiteri cuilibet Sacerdoti, hoc ipso quòd iusta adsit causa non confitendi proprio, inde aperiretur via multis abusibus qui committerentur, dum quisque facilè ansam arriperet, fingendi malitiam, vel defectum pernicioſum in proprio Sacerdote: quod incommodum maius est, quàm illud quod contrariæ sentrntiæ propugnatores obiiciunt, fore vt alicui subtrahatur remedium à Christo institutum, quo possit ex attrito fieri contritus. Namque sine Sacramẽto pœnitentiæ reipsa suscepto, potest cõtritio obtineri, cùm vt susceptione Sacramenti pœnitentiæ, sic & susceptione Eucharistiæ (ad quam is qui ob inopiam Confessarij confessus non est, si vrgeat necessitas, admittitur, iuxta Conc. Trid. sess. 13. cap. 7.) possit quis ex attrito fieri contritus. Quæ responsio est Soti in suprà citato art. 2.

Nu. 86. Quod autem pro eadem contraria sententia adfertur ex cap. Placuit De pœnitentia distinct. 6. cùm alicuius proprius Sacerdos ignarus fuerit, licere a. lieno Sacerdoti illum ad pœnitentiam suscipere sine eiusdem proprij consensu: Canus loco citato intelligendum censet de pœnitentia publica, quæ cum impoſita esset ab vno Sacerdote, curabat pœnitens per alium Sacerdotem relaxari: quod illic Vrbanus 2. prohibet fieri, nisi prior Sacerdos adeo imprudens & ignarus fuerit, vt pœnitentiam indixerit indiscretam. Quod si quis contendat, ad rem quoque eã, de qua agimus, accommodandum esse illum canonem: Nauarrus in eundem, num. 141. & aliquot sequentibus, quatuor adhibet responſiones, quarum quarta, quam cæteris repudiatis amplectitur, est: limitatum esse hac ex parte per pòst editum cap. Omnis vtriusque sexus De pœnitentiis & remissionibus, quodquidem exigit, vt qui iusta de causa velit alieno Sacerdoti confiteri, id faciat priùs petita & obtenta licentia à Parocho: de qua re latiùs Suarez in citata disput. 27. sect. . num. 12.

Quod verò in eadem responſione Nauarrus addit, *Nu. 87.* petitam licentiam, siue obtineatur, siue non, sufficere ad confitendum alieno Sacerdoti, quando iusta de causa proprius deseritur, iam antè refutatum est: & adhuc ex eo reiicitur, quòd sufficiens iurisdictio delegata non habeatur, nisi concessa à proprio Sacerdote, iuxta citatum cap. Omnis vtriusque sexus. Neque ea in tali casu censenda est concedi ab Episcopo, vel à Papa: quia id tantùm est præsumptio voluntatis ipsorum, nullo externo signo ab eis iudicatæ, nec per aliquam consuetudinem testificatæ, aut per ius aliquod intimatæ: proindéque insufficiens ad moralem certitudinem, quæ in re tanti momenti exigitur. Neque concedi à Christo, patet: quoniam (vt in priùs citato num. 21. Suarez argumentatur) quantumcumque casu vel iniuria desit institutum ad salutem necessarium remedium, non ideò statim Christus in eo dispensat, vel de alio prouidet, vt si desit aqua ad Baptismum necessaria, non statim dispensat vt vinum possit ad eum sufficere.

Addit ad antedicta Sotus *in fine cit. art. 2.* de pecca- *Nu. 88.* tore, qui peccati sui complicem habet Sacerdotem suum proprium: vt de concubina Curati, si sine aliorum scandalo (quod valdè difficile est) possit ei confiteri, posse quoque ab eodem validè absolui, si nullum alium ponat obicem: quæ est etiã Richardi sententia in 4. *distinct. 17. art. 3. quæst. 7.* & communis. Sin autem aliquod eiusmodi adsit periculum, talem quidem posse Curatum ipsum deserere: non tamen sine ipsius licentia alteri confiteri. De qua re videri potest Medina in codice de confessione, quæst. 33.

Quartum dubium, An ratione spei ratificationis proprij Sacerdotis, possit alienus confessionem alicuius excipere, & ipsum absoluere.

DOctores, vt Sylvester *Confessor. 1. quæst. 6. versu 8.* *Nu. 89.* à Victoria *De Sacram. num. 153.* Nauar. in Enchir. *cap. 9. num. 5. & ad cap. Placuit De pœnit. dist. 6. num. 105.* ac Sotus *in 4. distinct. 18. quæst. 4. art. 3.* communiter & istud explicant distinctione, quam in præced. cap. num. 69. & 70. iam attigimus. Si illa spes sit de futuro; nempe quòd Superior, qui facultatem dare potest, ratum habebit id, quod factum fuerit; tunc omnium consensu nullum esse Sacramentum, ne quidem si Papa ratum haberet.

Ratio optima est, quòd Sacramentum collatum cum defectu, alicuius eorum quæ pertinent ad ipsius substantiam, nulla ratihabitione futura, ne quidem Papæ, validum esse possit; cùm substantia Sacramen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

torum ex Christi tãtùm sit institutione. De substantia autem Sacramenti pœnitentiæ est, vt minister illius sit Sacerdos habens actu iurisdictionem, siue ordinariam, siue delegatam, ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. Accedit prout bene vrget Franciscus à Victoria; quòd in substantia Sacramenti nihil sit pendens ex futuro: siquæ aliquid ad substantiam illius spectans desit ab initio, id nullius hominis authoritate postea suppleri possit. Vnde illa regula iuris in 6. ratihabitio æquiparatur mandato, non habet hîc locum, sed tantùm in rebus quæ pendent ex voluntate & mandato hominis: vt recte explicat Med. in Codice de confessione *quæst. 31. corol. 1.* Neque propositæ sententiæ, aduersatur, quod Episcopus alienus aliquem ordinare possit, quando scit proprium Episcopum ipsius id ratum habiturum. Sic enim refertur in cap. Lugdunensis 9. quæst. 2. D. Epiphanium quosdam Clericos in diœcesi D. Chrysostomi ordinasse: Non aduersatur, inquam; quia, vt rectè ait Palud. *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. sub finem.* ex eo quòd quis ab alieno Episcopo ordinetur, nihil detrahitur eorum quæ ad substantiam Sacramenti Ordinis sunt necessaria: sicut cùm aliquis alieno Sacerdoti, sine proprij licẽtia confitetur: Episcopus enim, quantumcumque alienus sit, Episcopus est: & ideo sufficiens Minister Ordinis. Sin autem dicta spes ratihabitionis sit de præsenti; vt cùm quis sibi tantum de proprio Sacerdote pollicetur, vt non dubitet ipsum velle suos subditos audiri à se, & absolui; tunc Doctores Sacramentum validum esse communiter dicunt. Alij quidem sine restrictione, vt Nauar. ibidem cùm rem exemplo illustrat, sic inquiens; Sunt duo Sacerdotes quorum alter est meus Parochus, alter verò eidem Parocho satis fama, vel consuetudine cognitus: adeoque illi probatus, vt tantumdem, aut etiam plus (saltem tacitè) illi placeat suos ei confiteri, quàm sibi: quo casu posito, confessio à me eidem facta valebit, propter præsentem parochi ratihabitionem tacitam.]

Nu.90. Alij vero, & melius, vtuntur restrictione, qua negant ad illam validitatem sufficere proprij Sacerdotis complacentiam; vt Francis. à Victoria, inquiens loco citato, ratihabitionem de præsenti, si per eam intelligamus complacentiam virtualem, consistentem in eo, quòd si moneretur proprius Sacerdos de tali auditione cõfessionis, ea ipsi placeret, nõ sufficere ad licentiam audiendi confessiones. Ad quod confirmandum Suarez *tomo quarto disputatione 26. sect. prima numero 16.* rationem adfert: quia interior voluntas non sufficit ad dandam talem iurisdictionem, cùm debeat conferri humano modo; neque homines cognoscant interiores voluntates, nisi per externa signa. Quare dicta complacentia, nisi per externum signum sufficienter innotescat, censenda nõ est conferre hanc iurisdictionem. Talis signi exemplum esse potest, si proprius Sacerdos aliquando dixerit, Mihi placeret talem Sacerdotem audire confessiones meorum parochianorum; aut si videat suũ subditum confiteri alteri, & tacens dissimulet, cum possit resistere: eo enim casu dat signum externum interioris complacentiæ, sufficiens ad licentiam tacitam: siue (vt vocat Sotus) ad consensum interpretatiuum, vt subditus confiteatur alieno. Quod si externum signum tale fuerit, vt rem relinquat dubiam, non esse censendũ sufficiens, bene addit Suarez: tùm quia non satis manifestat voluntatem: tùm quia tentantem absoluere, exponit periculo nihil faciendi.

Nu. 91. Porro Medina in cit. quæst. 31. corol. penult. eam restrictionem temperandam esse significat, cùm ait; quòd si proprius Sacerdos nullum signum externum dederit suæ voluntatis concedendi, vel negandi subditis licentiam confitendi alieno; casusque occurrat, in quo rationabiliter de illius voluntate concedendi ideo præsumatur, quòd nec vlla adsint indicia contrariæ in eo voluntatis, nec vlla causa negandi appareat; tunc ob præsumptionem ipsam rationabilem tacitæ licentiæ proprij Parochi, posse parochianos licitè confiteri alieno Sacerdoti, ab eoque absolui; quandoquidem rationabilis præsumptio, quoad effectum excusandi à noua culpa, æquiparatur scientiæ. Quamquam, si veritas sit contra præsumptionem, confessio erit nulla. Itaque (inquit ille) quamdiu de veritate præsumptioni opposita non constiterit, licitè stari poterit præsumptioni; cùm autem de ea constiterit, nempe quòd Curatus nunquam verè consensit suos Parochianos confiteri Sacerdoti alieno, confessiones huic factæ ab illis, erunt iterandæ. Quæ sententia in praxi facilior est quidẽ, quàm præcedens, sed minus secura; quia talis præsumptio non ponit in proprio Sacerdote consensum, seu voluntatem dandi licentiam; sed tantùm ponit in aliis de tali voluntate opinionem, seu fiduciam, quæ non dat iurisdictionem, vt patet: quia si proprius ipse Sacerdos postea expresse nolit ratum habere factum, nec in iurisdictionem pro illo tempore præterito consentire, dicendum est nullam fuisse absolutionem; aut alienum Sacerdotem iurisdictionem habuisse, sine vlla voluntate proprij Sacerdotis, imò contra eius voluntatem; quod absurdum est.

Quintum dubium, An habens tantùm peccata commissa in aliena parochia, possit ab eiusdem parochiæ Curato audiri in confessione, & absolui absque alia licentia.

Nu.92. AD hoc respondendum est negatiuè, per illud quod ex Glosa penult. in cap. Placuit 1. 16. qu. 1. communiter receptum Nauar. *ad cap. Placuit De pœnit. dist. 6. num. 83.* testatur: videlicet neminem ratione delicti sortiri forum conscientiæ; id est, neminem eo ipso quod alicubi deliquerit, illius qui ibi præest iurisdictioni subiici quoad forum pœnitentiale, etiamsi sortiatur forum causarum: in quo qui præest iurisdictionem suam potest secundum ius in eũ exercere, ex cap. primo De priuilegiis in 6. Cuius differentiæ Suarez *tomo 4. disput. 25. sect. 1. in fine.* aliis citatus rationem hanc adfert; quia iudicium fori causarum ordinatur ad externam gubernationem, & publicam punitionẽ; quæ fit ad aliorum exemplum: ideoque expedit vt ibi puniatur delictum, vbi committitur: hoc verò iudicium ordinetur ad æternam salutem, & peccatoris reconciliationem cum Deo. Quocirca nihil refert, quod in hoc, vel in illo loco committantur peccata, quando à Superiore non reseruantur.

Sextum dubium, An habens iurisdictionem in aliquem, quoad forum conscientiæ, possit illum audire in confessione & absoluere extra locum eiusdem iurisdictionis.

Nu.93. AD hoc Syluester in verbo Confessor. 1. quæst. 14. significat respondendum esse distinctione; nempe quòd iurisdictionem habens ordinariam, id possit; non autem habens tantùm delegatam. Ait enim proprium Sacerdotem posse absoluere parochianos

chianos suos siue intra territorium parochiæ suæ, siue extra: quia iis quæ fiunt sine strepitu & externa solemnitate iudicij, nullius territorium læditur. Extraordinarios autem Confessarios, vt Religiosos mendicantes, ait non posse extra territorium absoluere: quoniam in Clementina Dudum. De sepulturis. §. Statuimus: ita illis Episcopo præsentatis conceditur facultas audiendi quoscumque sibi confiteri volentes, vt extra ciuitates & diœceses, in quibus fuerint deputati, nullatenus sint audituri. Quam responsionem Sotus *in 4. distinct. 18. quæst. 4. art. 3.* reiicit ex eo, quòd in eadem Clementina. §. Per huiusmodi; Religiosis prædictis tantum potestatis tribuatur, quantum Curatis concessum est à iure. Vnde constat nullam rationem esse distinguendi inter vtrosque in hac re: quod Xistum 4. determinasse meminit à Victoria *De Sacram. num. 151.*

Nu.94. Illud verò citatum ex §. Statuimus; sic accipi potest, vt non fuerit illic Pontificis animus restringere locum, sed personas; sensusque sit, non quòd nullatenus illi possint confessiones audire extra ciuitates & diœceses in quibus deputati fuerint: sed quòd extra eas non possint audire confessiones illorum qui ad alias ciuitates & diœceses pertinent: ne scilicet ipsi putent se, vbi semel præsentati sunt, esse totius orbis Confessores, vt inquit Sanchez *lib. 3. De matrimonio disput. 34. num. 2. in fine.* Aduerte tamen per priuilegiũ Xixi 4. cuius meminit Nauarr. *in Enchir. cap. 27. num. 265.* eosdem habere potestatem audiendi confessiones omnium qui ad sua loca confitendi causa venerint, licet non sint de Episcopatu ad quem fuerint præsentati. Tantùm ergo illis negatur potestas audiendi tales extra loca pro quibus deputati sunt.

Septimum dubium, An licentia generalis eligendi Confessarium, siue à Papa, siue ab alio qui dare potuit concessa, extinguatur extincto concedente.

Nu.95. DE hoc Nauarr. ad cap. Placuit De pœnit. dist. 6. num. 161. & quinque sequentibus disputat, statuitque non extingui: quia licet mandatum de faciendo aliquid expiret morte concedentis, ex cap. Relatum. & ex cap. Gratum. De officio delegati: non tamen gratia facta, ex cap. Super gratia, eod. titulo, in sexto. Sic enim (vt ex eodem cap. haberi notat Glosa summaria) mortuo Papa non expirant gratiæ per ipsum ad beneficia concessæ: nec etiam potestas conferendi aliqua beneficia, facta alicui nulla persona expressa, expirat morte concedentis, ex cap. Si cui. De præbendis, in sexto. Pari ergo ratione iudicandum est non expirare licentiam audiendi confessiones, morte illius qui concessit. Adde ex Soto *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4. col. 10.* nec per excommunicationem ab ipso incursam: itavt si quis, postquam facultatem audiendi confessiones alteri delegauit, excommunicetur etiam nominatim, non ideo cesset in delegato ipsius, iurisdictionis vsus. Hoc ipsum dubium Suarez tractans *tomo 4. disput. 27. sect. 4. num. 8. & duobus sequ.* assentitur Nauarro: excipiens tamen casum, in quo facultas concederetur sub hac forma, Vsque ad beneplacitum nostrum. Cum enim beneplacitum personæ ex ipsa persona pendeat, talis concessio limitatur ad personam concedentis: ideoque per huius mortem illa extinguitur. Si quæras à quo iurisdictionem accipiat electus post mortem eius, qui eligendi potestatem contulit. Respondet Suarez accipere ab eomet, virtute illius voluntatis efficacis quã tunc habuit, cùm prædictam facultatem conferebat: quia voluntas non retractata absque alia noua, sufficit ad rationem priuilegij, non obstante concedentis morte. Est enim gratia: quæ, vt prædiximus, non expirat morte concedentis.

Octauum dubium, An licentia de eligendo Confessario finiatur per primam electionem.

Nu 96. DE hoc etiam disserit Nauarrus loco citato numero 166. & quatuor sequentibus: admittitque cum Palud. eum qui habet facultatem eligendi Confessarium posse nunc eligere vnum, nunc alium toties quoties voluerit. Fundamentum illius est, quòd quamuis sermo simpliciter prolatus debeat in onerosis & odiosis intelligi de primo tantùm actu, (sic enim dispẽsatio facta alicui, vt possit duo beneficia incompatibilia obtinere, intelligitur de duobus primis beneficiis ex cap. Non potest. De præbendis. in sexto. Et promissio dotis facta alicui cum nupserit, intelligitur tantùm de primis nuptiis, ex lege dotis promissio. ff. De iure dotium; in parum onerosis tamen, & satis fauorabilibus, intelligi potest cum extensione ad actus iteratos: argumento legis Placet. ff. De liberis & posthumis: addito quod vt odia restringi, sic conueniat fauores ampliari, ex Regula 15. iuris, in sexto. Iam vero gratia, de qua loquimur, eligendi Confessarium nemini onerosa esse videtur, sed tota est fauorabilis: vtpote concessa in animæ fauorem ad liberius exequendum consilium de optimo Confessario deligendo, datum in cap. . De pœnitentia distinct. 6. per illa verba Sacerdoti meliori quàm potest confiteatur.] Quare consentaneum est sentire, quòd ea non consumetur primo actu. Libenter tamen admitto id, quod ex Ioanne Andrea adfert Syluester *in verbo Confessio 1. quæst. 7.* tutius esse in facultate exprimi, vt quoties confiteri voluerit qui eam petit, Confessarium eligere possit.

Nonum dubium, An eo ipso, quòd quis se gerit pro Parocho, vel alio Ordinario habeat iurisdictionem, ad hoc saltem sufficientem, vt is, qui illi bona fide confessus est, non teneatur confessionem suam tanquam inualidam iterare.

Nu.97. AD huius explicationem faciunt quæ latè disputat Sanchez *in lib. 3. De matrimonio, disput. 22.* Ea complectemur aliquot propositionibus, tacitis authoribus quos ille commemorat abundè.

Prima est: inualidam esse confessionem factam habenti impedimentum iuris diuini, vel naturalis; sicut habet non initiatus sacerdotali ordine, qui requiritur iure diuino in ministro Sacramenti Pœnitentiæ, per antedicta in cap. 1. Itemque is, qui Sacerdos quidem est, sed carens iudicio, naturaliter requisito ad eiusdem Sacramenti administrationem. Quæ propositio de se patet: quia defectus iuris diuini, vel naturalis nequit humano iure suppleri: sicut nec inferior in Superiorem ius imperiúmue exercere; quod ne quidem pari in parem conceditur: ex lege, Nam Magistratus. ff. De receptis arbitris. Vnde est, quòd Ecclesia circa Sacramentorũ substantialia, quorum author est Christus, nihil possit: prout satis insinuatum est in Concilio Trident. sess. 21. initio cap. secundi.

Nu.98. Secunda propositio (pro qua *loco cit. num. 49.* Sanchez multos citat) est: iterandas esse confessiones fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cus Sacerdoti, qui etsi communi errore Parochus aut Prælatus legitimus putaretur, nullum tamen habuit iurisdictionis titulum collatum à legitimo Superiore valente illum conferre. Hæc quoque patet: quia iurisdictio non acquiritur, nisi eam conferente eiusmodi Superiore; nec confessio sine iurisdictione potest esse valida. Dictum est valente illam conferre; tum propter Archiepiscopum, qui etsi aliquid superioritatis habeat in Episcopatu sui Suffraganei; non tamen talem qua in illo conferre possit iurisdictionem necessariam ad confessionis validitatem; tum etiam propter eum qui quamuis sit verus Prælatus, suam tamen iurisdictionem delegat in casu in quo non potest: vt cùm est nominatim excommunicatus: tùm demum propter electum ad prælaturam, sed nondum confirmatum; nisi dignitas talis esset, quæ confirmatione non indigeret, sed illius collatio seu prouisio obtineret vim confirmationis. De quo Sanchez in sequenti num. 52.

Nu. 99. Tertia propositio est, non esse censendas inualidas ex defectu iurisdictionis, confessiones factas ei, cui à Superiore valente conferre, collatus fuerit Pastoralis titulus, etiamsi ob aliquod vitium latens inualidus: si communiter existimetur accepisse validú, sufficientemque habere iurisdictionem, siue ordinariam, siue delegatam: vt contingere potest ei, qui per simoniam acquisiuit parochiale beneficium: iuxta illud in 2. Extrauaganti communi De simonia. §. Per electiones. Viribus omnino careant quorundam beneficiorum adeptiones, quæ simoniaca contigerit labe fieri.] Ad cuius propositionis confirmationem inducitur cap. Infamis 3. quæst. 7. §. Verumtamen: Itemque lex Barbarius Philippus. ff. De officio Prætoris. Vtriusque verba Sanchez habet *inuito citatæ disputationis*. Ratione verò confirmatur, quia sequerentur alioqui inconuenientia grauia & scandala, dum populus confessus ei, quem à Superiore accepisset, siue ordinarium, siue delegatum pastorem, & bona fide admisisset, compelleretur de animæ suæ statu dubitare: vtpote qui tali confitendo, in vanum laborauerit. Cum igitur eiusmodi malis Ecclesia possit occurrere, iurisdictionem in tali casu delegando ei qui falsò alioqui creditur eam habere, existimanda est id facere: & nominatim per memoratum §. Verumtamen: quem de iurisdictione in foro externo intelligi, nihil refert; quia (vt bene adnotat Sanchez *lib. 3. De matrimonio disput. 22. num. 13.*) in initiato sacerdotali ordine forum internum animæ quoad iurisdictionem, eiusdem rationis est cum foro externo Ecclesiastico, prout patet ex eo, quòd Sacerdos, qui in externo foro Ecclesiastico absoluere potest aut ligare, possit etiam in foro interno animæ: vnde sequitur posse confessiones valide audire.

Cæterùm vt propositio hæc procedat, oportet populi errorē esse cōmunem; propterea quod ex errore paucorum (quantumuis Superior qui titulum contulit sit de eorum numero) non oriuntur facilè inconuenientia grauia & scandala, si cæteri communiter sciant veritatem. Oportet quoque probabilem esse; quia improbabilis, seu crassus & supinus error, cùm æquiparetur scientiæ, non excusat errantem; ex cap. 2. De const. in 6. Non refert verò impedimēntum illud, quo titulus à Superiore collatus inualidus est, esse alibi notorium, aut etiam aliquando notoriū fuisse vbi confessiones audiuntur: quia nunc non esse ibi notorium, sufficit ad communem & probabilem errorem constituendum inter eos qui tali Confessario exposito confitentur: adeoque ad ipsos bona fide confitentes excusandos. Videri potest Sanchez in præced. num. 6. & aliquot sequentib.

Nu. 100 Quarta propositio (quam idem *in tad. disp. quæst. 6.* latè tractat) est, valere absolutionem datam ab eo qui cùm anteà bonum haberet titulum, aliqua de causa illum amisit: dummodo tamen amissio illa non sit notoria: vt si Parochus ipso iure, aut per sententiam Iudicis priuatus sit titulo suo, possessioneque sui iuris; sed non adeo notoriè, quin possessionem facti retineat, & à Superiore toleretur. Ratio est, quia gesta per talem, valent in foro conscientiæ; argumento ante memoratæ legis Barbarius Philippus. & authoritate Glosæ ad cap. Dudum 2. De electione. Verbo Deceptæ, à Canonistis communiter approbatæ, teste Panormitano, ad idem cap. num. 20. Qui & vult id adeo verum esse, vt tali Parocho confessi, non teneantur suas confessiones iterare, quando postea sciunt illum fuisse iure ipso priuatum suo titulo: id quod Nauarrus *ad cap. Placuit de pœnit. distinct. 6. num.* 180. mirificè commendat. Procedit autem siue talis tanquam Ordinarius, siue tanquam delegatus se gesserit: Id quod latiùs Sanchez tractat *in præced. quæst.* 2. & satis constat à pari per illud quod statuitur in cap. Infamis Tertia quæstion. Septima Si seruus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret; quamuis postea in seruitutem depulsus, sententiam ab eo dictam, rei iudicatæ firmitatem tenere.

Porro si amissio eiusmodi notoria esset, absolutionem datam non valere constat; per illud quod sub initium priùs citati capituli Dudum, quidam ipso iure priuatus suo titulo, dicitur damnabiliter decepisse animas, quarum cura nullatenus ad eum amplius pertinebat. Id quod (*inquit Nauar. in præced. num.* 179.) nulla alia ratione verificari potest, quàm quia absolutiones subditorum, qui ei per priuationem tituli subtracti fuerant, nullæ erant.

Aduerte quod *in sequenti num.* 181. *&* 182. idem habet dignum obseruatione: eum qui bona fide confessus est intruso, vel alteri non habenti in ipsum iurisdictionem: putans (sed errando per rusticitatem quandam) id sibi licere; vbi primum se non potuisse tali confiteri resciuerit, teneri factas ei confessiones iterare, non item alias, quas deinceps fecit suo Parocho, aut alteri iurisdictionem sufficientem in ipsum habenti: quantumcumque dum faceret, recordaretur peccatorum confessorum eidem intruso, aut non habenti iurisdictionem, nec tamen ea expresserit, eo quod bona fide putaret se de illis iam esse legitimè confessum: & ita quibusdam, qui cùm ad trigesimū, aut quadragesimum annum peruenissent, recordabantur confessiones peccatorum se in pueritia fecisse alianis Sacerdotibus, idem Nauarrus respondit, vt ipse testatur *in citato numero* 182. eos teneri tales confessiones iterare: non autem illas quas propriis Sacerdotibus legitimè fecissent. *Nu.* 101.

Decimum dubium, An liceat Pœnitentiæ Sacramentum administrare cum iurisdictione dubia, aut tantùm probabili.

HVius explicationem bonam habet Suarez *tomo quarto disput. 26. sectione sexta.* Eam complectemur duabus propositionibus, præmissa distinctione dubij in proprie dictum, quo intellectus suspensus manet, & anceps, nec in alterutram partem determinari potest, per iudicium positiuum probabile: & in improprie dictum, quo intellectus determinatur quidem ad alteram partem per iudicium probabile, sed incertum. Quod tribus modis fieri potest; nam vel vtraque pars iudicari potest æquè probabilis, vel vna probabilior esse, quamuis altera quoque sit probabilis:

vel denique vna tantùm probabilis, eo quòd altera non habeat fundamentum probabilitatis, neque ipsa habeat certum & euidens.

Nu. 102. Quæ cum ita sint, pro explicatione istius dubij prior propositio est. Cùm dubium fuerit proprie dictum, nunquam licere durante eo vti hoc ministerio, nisi concurrente duplici conditione: vna est, vt euidens occurrat necessitas. Altera vt absolutio detur sub conditione, & cum onere illa peccata denuo, nacta opportunitate confitendi alicui iurisdictionem habenti certam. Hæc probatur, quia sine iurisdictione Sacramentum Pœnitentiæ non perficitur. Ergo quantum quis dubitat de iurisdictione, tantum dubitat de validitate eiusdem Sacramēti: atque adeo administrans illud cum proprie dicto dubio, aperte se exponit periculo faciendi Sacramentum nullum: quod temere faciens, mortaliter peccat, tanquam temerè exponens se sacrilegij periculo; perinde ac ille se exponit, qui materia vel forma dubia in quouis Sacramento administrando voluntariè vtitur. Concurrentibus autē duabus propositis conditionibus, cessat periculum talis peccati, cùm cesset inordinatio voluntatis, & irreuerentia Sacramenti. Nam necessitas facit, vt non agatur temerè, & ex irrationabili voluntate. Absolutio verò sub conditione tollit sacrilegij periculum, cùm nihil ea ponat in esse, si conditio ipsa non subsit: si vero subsit, perficiatur Sacramentum. Circa quod monet Suarez talem necessitatē debere consurgere: tùm ex parte ministri, nempe vt non occurrat alius qui certiorem habeat iurisdictionem: alioqui enim necessitas non vrgeret; tum ex parte pœnitentis, vt quando is debet necessariò Eucharistiam suscipere, aut postea per longum tempus nequit confiteri: nam alioqui dubiam confessionem faceret sine rationabili causa: & per consequens sine excusatione à peccato.

Monet etiā, tunc optimū esse consilium confiteri aliquod veniale peccatum, vt tollatur omne dubium de valore Sacramenti ex defectu iurisdictionis, quia quilibet Sacerdos *ex antedictis num.* 65. sufficientem habet ad absoluendum directè à venialibus; licet forte nō habeat absoluēdi directe à mortalibus: de quibus cùm confessio fit illi, de cuius iurisdictione dubitatur dubio proprie dicto, ea iteranda est, oblata opportunitate confitendi Sacerdoti iurisdictionem certiorem habenti: cùm semper maneat morale dubium, an eadem mortalia fuerint verè suppositā clauibus, prout supponi debent ab eo à quo commissa sunt, quamdiu non habet moralem certitudinem id se sufficienter præstitisse.

Nu. 103. Posterior propositio est: Impropriè dictum dubium de iurisdictione Sacerdotis non obstare quominus is Sacramentum Pœnitentiæ administrare possit. Probatur, quia tale dubiū est in speculatione, non in praxi: quandoquidem opinione probabili vti licet in moralibus: de quibus certa scientia non habetur; sicut nec de salubribus, & insalubribus: ita vt pro moraliter certo recipiatur quod versatur in opinione probabili: qualis est ea quæ nititur ratione, quæ ad assentiendum, posit virum prudentem mouere. Sed obiici potest, probabilitatem opinionis de iurisdictione Sacerdotis non facere vt ea in illo sit reipsa, prout necessarium est ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ. Cui obiectioni vt satisfaciat, multa dicit Suarez: sed sufficit quod inter cætera ille docet num. 8. opinionem probabilem, in qua Confessarius fundatur ad audiendam confessionem, non facere quidē vt is iurisdictionem reipsa habeat, facere tamen vt confessio ei facta bona fide, sit recta, ipseque dando absolutionem conficiat verum Sacramentum, virtute iurisdictionis quam à iure habet absoluendi à venialibus. Concurrunt enim ex parte quidem pœnitentis, vt supponimus, debita dispositiō cum integra confessione: ex parte Confessarij verò, iurisdictio circa aliquam partem materiæ, quæ sufficit ad valorem absolutionis, quando pœnitens bona fide procedit. Sic enim qui peccatum habet reseruatum, si illius obliuiscatur dum confessionem quantum potest integram facit suo Parocho: hicque (etiamsi iurisdictionem non habeat in tale peccatū) illum absoluat, valida est absolutio, vt docebimus suo loco in sequenti parte, cùm de absolutione à reseruatis agetur ex instituto: neque reseruationē pōstea detegens tenetur iterare totam confessionem, sed tantùm de reseruato confiteri Superiori. Pari ergo modo valida potest esse absolutio data ab habente dubiam iurisdictionem circa mortalia. Quāquam, quia in re tanti momenti conuenit tenere certum, & relinquere incertum; bene monet idem author: nisi grauis rationabilisque causa vrgeat, tam Confessario, quàm pœnitenti vtendum semper esse illa meliori ac tutiori via, vt Confessarius certam aut probabiliorem habens iurisdictionem, præferatur dubiam, aut minus probabilem habenti.

Vndecimum dubium, An si Parochus vel Episcopus concesserit Sacerdoti licentiam audiendi confessiones, & idem Sacerdos adhuc ignarus concessionis, confessiones audiat: an, inquam, illæ valeant.

AD huius explicationem faciunt quæ habet Sāchez in libro tertio de matrimonio *disput. 36.* Ea autem continentur distinctione hac: Si Parochus eam licentiam concesserit Sacerdoti, qui ad illam petendam nuntium miserit, valebunt confessiones: quoniam eiusmodi licentia rationem habet priuilegij, quod impetratum per procuratorem vel nuntium valet à tempore, quo intimatum est eidem procuratori vel nuntio, ab ipsoque acceptatum, tanquam donatio; in qua sicut in cæteris contractibus, negotium transigi potest per procuratorem, vel nūtium ad id destinatum. Si verò Parochus concesserit licentiam motu proprio vel ad instantiam alicuius non missi à Sacerdote cui concessit, non valent confessiones factæ eidem Sacerdoti licentiam ignoranti, aut scienti quidem sed per alium, quàm per impetrantem, aut per nuntium ad petendum à se missum, vel certè destinatum à concedente ad concessam licentiam ei intimandam. Ratio est, quia hæc licentia, cùm sit concessio facta homini ad actum externum, oportet ita externā esse vt eiinnotescat. Quando autem is cui conceditur, nondum de illa factus est certior: perinde est respectu illius ac si interna tantùm esset. Debere verò certiorem fieri per nuntium ad id destinatum, probatur ex eo quod talis concessio sit donatio quædam; & donatio, vt omnino valida sit, & irreuocabilis, tale quid requirat: cùm sit contractus quidam, cuius perfectio in voluntatum vnione consistit; neque absentium voluntates in vnum veniunt, nisi voluntas vnius eorum per epistolam seu nuntium ad id ab eo missum intimetur, pro quo in præced. lib. 1. *disp. 6. n. 3.* plures authores idem Sanchez refert. *Nu.* 104.

* * *

Universidad de Deusto
Biblioteca

Duodecimum dubium, Quid dicendum sit quando licentia concessa reuocata est, nec de reuocatione constat.

Nu. 105. CONsentaneè proximè dictis, ad hoc respondẽdũ est cùm memorato authore in eadẽ disp. 36. num. 9. non sufficere ad cessationem iurisdictionis reuocatam esse licentiam datam, nisi reuocatio intimetur per nuntium ad id destinatum illi, cui concessa fuerat: itavt ante eam intimationem confessiones eidem factæ, sint validæ, etiamsi ille aliunde reuocationem norit. Ratio est, quia per easdem causas res nascitur, & dissoluitur: extra De regulis iuris. Sed collatio licentiæ ad audiendas confessiones, vt efficax sit, requirit notitiam illius per nuntium ad id destinatum, vt ante habitum est. Ergo illius dissolutio, seu reuocatio parem notitiam requiret. Nota obiter quod idem author addit *ibid. in fine*: licentiam semel concessam reuocari posse ad libitum, quia est merè gratuita, omninóque pendens à voluntate concedẽtis. Nota item cum eodem, *in sequenti disput. 37. num. 2.* ordinariè credendum esse dicenti se licentiam à proprio suo Sacerdote habere confitendi alieno: quia pœnitentiale forum non exigit aliud testimonium, quàm pœnitentis confitentis.

Decimumtertiũ dubiũ, An facultas generaliter concessa alicui ad absoluendum à quibusuis peccatis & censuris, sit semper accipienda generaliter, an verò patiatur exceptionem aliquam.

Nu. 106. AD quod respondendum est iuxta post dicenda in secunda parte lib. 4. cùm agetur de absolutione à casibus reseruatis: tres haberi exceptiones, quibus eam generalitatem restringere oportet. Prima est criminis hæreseos, cuius absolutio non conceditur, iuxta Romanæ curiæ stylum, nisi de eo nominatim fiat mentio. De qua re Nauarr. in Enchir. *cap. 27. vbi de regulis Confessariorum. §. 5.* Secunda est criminis particularis, quod præuisum à Superiore, probabilissimum est, quòd illius absolutionem nusquam commisisset: vt si quis in graue scandalum populi Christiani, & reipublicæ perniciem, iniquè occidisset Prælatum magni nominis: nam, vt habet 81. reg. iuris in 6. in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus.

Tertia est casuum occultorum reseruatorum Papæ, nec deductorum ad forum externum: quorum absolutionem Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 6. committit Episcopo. Quia enim sic fit talis cõmissio, vt Episcopus per se absoluere debeat, vel per Vicarium ad id specialiter deputatum, generalis facultas eidem Episcopo data absoluendi ab omnibus casibus sibi reseruatis, patitur exceptionem in memoratis, qui requirunt speciakem mentionem de ipsis factam, vt censeantur commissi.

CAPVT NONVM.

De potestate executionis.

SVMMARIVM.

107 *Potestas executionis hîc dicitur liber iurisdictionis vsus prater naturalem habilitatem necessarius ad pœnitentis Sacramentum administrandum.*
108 *Modi quibus impediri potest potestas iurisdictionis.*
109 *Quis possit in alio potestatem iurisdictionis impedire.*
110 *Per quam Ecclesiasticam censuram potestas executionis impediatur post Concilij Constantiensis decretum, Ad euitanda, &c.*
111 *Duplex eiusdem decreti tenor, & secundum quem sit vsu receptus.*
112 *Qui est nominatim excommunicatus, non est censendus eo ipso nominatim denunciatus.*
113 *Quod dicitur de excommunicatione, dicendum est pari ratione de aliis censuris, quoad effectum impediendi potestatem executionis.*

AD Sacramentum pœnitentiæ à Christo in forma iudicij institutum, vna potestas executionis necessaria est, quam Sacerdos habere debet à natura: nimirum posse audire, aut alio modo percipere confessionem pœnitentis: itemque loqui posse ad dandam absolutionem, quæ in verbis consistit: ac denique ratione vti posse, ad ferendum iudicium de eiusdem pœnitentis statu. Necessaria est & altera, quæ pleniore indiget explicatione, tradenda hoc loco: quæ non est aliud quam liber & non impeditus iurisdictionis in foro interiori vsus: ideo necessarius Confessario ad absoluendum validè, quòd sine eo, iurisdictionem habeat tãquam gladium in vagina conditum, quem nequit educere ad secundum. *Nu.* 107.

In aliquo autem iurisdictionis vsus impeditur duobus modis, vltra eum qui nouo iure Concilij Tridentini sess. 25. cap. 15. constituitur (is est defectus approbationis Episcopalis, in eo qui in Sæculares iurisdictionem habet tantummodò delegatam) cuius explicatio habebitur per illa, quæ postea in ca. 15. & 16. ex instituto dicenda sunt de eadem approbatione. Prior modus est per excommunicationem, aut alium Ecclesiasticam censuram, qua iurisdictio suspenditur, seu exerceri prohibetur sufficienti Superioris authoritate. Posterior verò est per casuum reseruationem. De vnoquoque autem eorum duobus sequentibus capitibus sigillatim dicturi, quædam præcognoscenda annotabimus in præsenti. *Nu.* 108.

Quis iurisdictionem habentium possit illius executionem in altero impedire.

SECTIO PRIOR.

NOtandum igitur est primò ex Paludano, in 4. *distinct. 17. quæst. 4. art. tertio concl. 2.* cum iurisdictionem habentium, alij habeant ordinariam ex officio pastorali, alij extraordinariã ex commissione. Et ordinariam habentium in solidum, respectu eorumdem subditorum, alij sint pares; vt duo qui eiusdem parochiæ constituti sint Parochi in solidum; alij verò aliis superiores, vel inferiores vt Papa, Episcopus, & Parochus. Notandũ est, inquã, eos qui extraordinariam, seu delegatam tantùm habent, sicut nulli iurisdictionem dare possunt, ita illius vsum in nullo impedire posse. Vnde (inquit Palud.) si quis talium prohiberet, ne aliquis alteri confiteretur sine sua licentia, derideretur. Eorum verò qui ordinariam habent in solidum, paréque sunt, vnum posse contra inhibitionem alterius, non tantùm per se illam exercere, sed etiam exercitium illius alteri committere; quia par in parem non habet imperium: lege Nam *Nu.* 109.

Nam Magistratus. ff. De receptis arbitris. Ex cæteris autem, illum qui superior est, multo maiore ratione posse iurisdictione sua vti, siue per se, siue per commissarium suum, contra inferioris prohibitionem: quia multominùs in maiorem, quàm in parem habetur imperium. Eum porrò qui inferior est, licèt possit sua iurisdictione vti, & eam committere alteri, sine Superioris licentia; non posse tamen contra eiusdem inhibitionem, cum Superior in inferiorem habeat potestatem coactiuam, ex citata lege, Nam Magistratus: talique prohibitione Superior inferiori, assumpto *(iuxta antedicta nu. 23.)* in partem suæ solicitudinis, subditos subtrahat. Quo fit, vt ille tentans contra eandem prohibitionem iurisdictione vti, siue audiendo confessiones, siue earum auditionem alteri committendo, nihil validè faciat: perinde ac Carpentarius, à cuius conspectu amota sunt omnia ligna, incassum conatur vti arte sua fabrili.

Quæ censura Ecclesiastica impediat iurisdictionis executionem.

SECTIO POSTERIOR.

Nu. 110. NOtandum est secundò, excommunicationem esse duplicem: vnam generalem, quæ generaliter fertur in eum qui hoc vel illud fecerit, aut facere omiserit: alteram specialem, qua aliquis excommunicatur nominatim: id est, expresso proprio nomine ipsius, aut saltem appositis aliquot signis, quæ ipsum tam speciatim designent, quàm si proprio nomine exprimeretur: neutram autem impedire eam de qua agimus, potestatem executionis, exceptis duobus casibus, propter decretũ Concilij Cõstantiensis, quo Christi fidelibus indulgetur communicatio in Sacramentorum administratione & susceptione cum Ecclesiastica censura innodato: nisi illa contra ipsum speciatim & expresse fuerit Iudicis authoritate publicata: aut nisi incursa sit ob Clerici percussionem ita notoriam, vt nulla tergiuersatione celari possit; secundùm tenorem nouum, talis fiat priuilegij restrictio, vt communicatio nõ permittatur cum vllo, cuius excommunicatio notoria fuerit. Quod cùm ita sit, difficultas mouetur, secundùm quem tenorem ex illis duobus, hodie accipiendum sit memoratum decretum. De qua re in vtramque partem authores loco citato proponit Couarr. nec audet quidquã simpliciter definire: quamquam magis propensus est in eam partem, vt putet accipiendum esse secundùm tenorem antiquum. Et id meritò; quia vt tum ipse, tum etiam Sotus *loco cit. & in præcedenti distinct. 1. qu. 5. art. 6. propos. 4.* bene notat, vsus inualuit vt idipsum decretum retineatur secundum illius antiquum tenorem; & sine metu retinendum esse addit ipse Sotus. Non enim obstat constitutio Concilij Basilien-sis, quæ (vt Nauarr. notat in Ench. c. 27 *n. 35.*) est vsu recepta tantùm secundùm tenorem antiquum, cuius est confirmatio, non autem reuocatio, ex. D. Antonino, *in fine citati cap. 3.* Accedit quòd (vt bene aduertit Couarr. *in sequenti num. 9.*) ipsa constitutio Concil. Basilien-sis accipiatur prout verba illius sonant, tanquam prohibens communicationem cum quouis excommunicato notorio; parum consentanea sit fini ad quem dirigitur: nempe ad euitanda scandala, multáque pericula, & subueniendum conscientiis timoratis, prout initio eiusdem constitutionis dicitur.

Nam passim plerisque in locis obuij sunt notorij hæretici, aut simoniaci, aliíque criminosi à iure excommunicati, quorum communicatio si vitanda sit, vix possunt scandala & pericula abesse, & conscientiarum timoratarum adesse tranquillitas: itavt, quantumuis esset verbis hærendum, dici possit cum Nauarr. *in fine citati num. 35.* necessitatem communicandi passim & negotiandi cum hæreticis, simoniacis, aliísque excommunicatis notoriis, in multis regionibus, id quod non est lege licitum, facere licitum. Extra De regulis iuris.

Adhuc mouetur alia difficultas hîc explicanda. An ille in quem nominatim excommunicatio fertur censeri debeat eo ipso non tantùm nominatim excommunicatus, sed etiam nominatim denunciatus.

De ea autem authores & rationes proponit in vtramque partem Nauarr. *ad cap. 1. §. laboret. De pœnit. dist. 6. num. 22. 23. & 24.* eorúmque sententiam sequitur, qui volunt non esse censendum denunciatum, nisi data in ipsum sententia, fuerit publicata. Tum quia omnium ferè vsus habet (inquit ille) vt nemo vitetur ob excommunicationem speciatim in ipsũ latam, donec denuncietur vitandus: consuetudo autem est optima legum interpres. cap. Dilectus. De cõsuetud. Tum quia propositum Concilij Constantiensis decretum, constitutum est ad vitanda scandala & pericula quæ timoratis conscientiis contingere solent. Quæ autem eiusmodi contingere possent ex obligatione vitandi excommunicatos generaliter, antequam speciatim Iudicis authoritate publicè denuncientur vitandi: contingere pariter possunt ex obligatione vitandi excommunicatos specialiter, antequam similiter denũcientur: vtrouis enim modo siue generaliter, siue specialiter lata sit excommunicatio, effectus eosdem fortitur. Vnde meritò putandum est nos ab vtraque obligatione liberari per idem decretum; quod, cùm sit lex fauora- *Nu.* 111. *Nu.* 112.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bilis, debet interpretatione extendi potius, quàm restringi: iuxta regulam 15. iuris in Sexto.

Quanquam tamen si excommunicatio à Iudice publicè in aliquem nominatim feratur, nulla videtur alia denuntiatio expectanda, vt excommunicatus censeatur vitandus; quia nominatim excommunicati in publico: idem est, ac nominatim publicari, seu publicè denuntiari excommunicatum esse. Eandem sententiam pluribus aliis in eam citatis sequitur Georgius Sayrus in tomo primo thesauri casuum conscientiæ. lib. 2. cap. 12. num. 16.

Nu. 113. Iam quod in hac re de excommunicato dicimus, similiter dicendum est de irretito aliis censuris, nominatim denuntiato: nempe in Sacramentorum susceptione vitandum esse, si suspensio talis sit, per quam ei prohibeatur generaliter vsus omnis officij Ecclesiastici, aut specialiter vsus officij Sacramenta ministrandi: aut interdictum sit tale, quo ei tam actiua, quàm passiua participatio Sacramentorum prohibeatur.

Hoc patet ex eo quod Concilij Constantiensis decretum vniuersè de censuris denunciatis loquatur secundùm vtramque verborum formam tam nouã, quàm antiquam, quibus ipsum conceptum esse referunt authores memorati in præced. num. 111. Videri potest Nauar. in cap. 1. §. laboret. De pœnitentia, distinct. 6. à num. 12. ad 22. vsque.

CAPVT DECIMVM.

De potestate executionis impedita per Ecclesiasticam censuram.

SVMMARIVM.

114 *Absolutionem sacramentalem datam ab excommunicato nominatim denunciato esse nullam.*

115 *Valere autem datam ab alio excommunicato, si præter censuram nihil aliud, eum impediat.*

116 *Talem ratione censuræ non peccare, cùm absolutionem dat iustè petenti eam.*

117 *Aliquando validè esse potest confessio facta excommunicato nominatim denunciato, aut publico Clerici percussori.*

118 *Quid requirat denunciatio censuræ impedientis potestatem executionis.*

119 *De notitia talis denunciationis, requisita ad idem impedimentum efficiendum.*

120 *De notitia percussionis Clerici necessaria, vt censura propter illam incursa impediat potestatem executionis.*

121 *Quid sit notorium siue iuris, siue facti.*

122 *De quo notorio, in suo decreto Concilium Constan. loquatur, quodque rarò tale contingat, quale idem Concilium requirit.*

Nu. 114. DE hac congruenter antedictis occurrit dicendum cum Nauarro in Enchir. *cap. 9. num. 6.* absolutionem datam ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim, Iudicis authoritate denunciato, nihil valere: itaut confessio, super quam data fuerit, iterari debeat; quia talis repellitur à Iudicis officio, ex cap. Exceptionem. De exceptionibus: & sententia illius, ex cap. Ad probandum. de sententia & re iudicata, est infirmanda, id est, reputanda irrita, iuxta glosam in verbo cassata (*pro quo in lib. 3. de matrimonio disput. 22. num. 36. Sanchez alia iura citat*) idemque iudicandum est de eo qui incurrit in censuram ob sacrilegam manus iniectionem in Clericum ita notoriam, vt nulla tergiuersatione celari possit, nec per aliquod iuris remedium excusari: quantumcumque non sit nominatim denunciatus.

Quod verò attinet ad cæteros censura innodatos, *Nu.* 115. etiam illo modo notorios, dicendum est valere absolutionem ab eis datam, nisi aliquid aliud interueniat, vnde valor illius impediatur. Cum enim tolerentur ab Ecclesia per memoratum priuilegium; actus, quos illi exercuerint ratione publici officij Ecclesiastici, obtinent suum valorem, prout cum Panormit. & Felino in supracit. cap. Ad probandum, communiter resolui Nauarrus ait in sequenti nu. 7. per legem Barbarius Philippus. ff. de officio prætoris. & per cap. 1. §. Verumtamen. tertia quæst. 7. Plures ita resoluentes Sanchez refert in præced. nu. 31. Si quis obiiciat excommunicatum non denunciatum, perinde ac denunciatum extra Ecclesiam esse. Respondendum est cum Felino, dignitatẽ, non personam facere, quòd quis validè exerceat actus sui officij: excommunicatum autem non denunciatum, quantumuis sit notorius (de qua re idem Sanchez *in seq. num. 43. & 44.*) dummodo non sit notorius percussor Clerici, toleratur in officij sui dignitate & vsu, valéntque per ipsum gesta: itaut audiendi non sint, qui negant confessionem illi scienter factam, esse validam; sicut & qui negant ipsum posse excommunicare, aut ab excommunicatione absoluere, quasi ab illo geri quidem possint pertinentia ad iurisdictionem in temporalibus, non autem in spiritalibus; de qua re idem Sanchez *in eadem dispu. 22. num. 34. & 35.*

Ad illud verò quod obiici potest ex cap. Illud §. *Nu.* 116. Licet, de Clerico excommunicato, illicitum esse excommunicato Sacramenta ministrare: & in memorato Concilij Constan. decreto expresè haberi, excommunicatos in nullo per ipsum releuari: vnde sequitur illos perinde ac antea peccare ministrando: itaut quemquam eorum ad id inuitare, sit ad peccatum inducere: quod non licet. Respondendum est; hoc ipso, quòd non excommunicatis facta est potestas suscipiendi Sacramenta ab excommunicaris, relictam his esse potestatem ea illis ministrandi: quandoquidem maneret alioqui eadem difficultas suscipiendi, quæ fuit ante Concilium ipsum Constantiense: neque esset per illud consultum conscientiis timoratis: non enim quietas & sine scrupulis esse contingeret, solicitando tales ad id quod non posset ab illis sine peccato præstari. Adde quòd ex ea potestate facta fidelibus, excommunicati non censeantur releuati per decretum Concilij Constantiensis, sed potius restricti: cùm onus, de quo se propter excommunicationem excusare poterant, sustinere cogantur: sicut nec releuantur debitores, sed restringuntur potius, cùm creditoribus permittitur, debitum ab ipsis repetere: neque ipsi impediuntur soluere: alioqui futuri melioris conditionis, quàm essent non excommunicati.

Aduerte autem hanc excommunicati excusationem à peccatis, requirere ex parte quidem ipsius, vt pœniteat ipsum peccati propter quod in censuram incurrit: imò & cuiuscumque alterius mortalis, quo conscientiam suam grauatam sentit: sine qua pœnitentia, nec liceret non excommunicato, conscio sibi peccati mortalis, tali administrationi se ingerere, iuxta post dicenda in cap. 14. *sect.* 2. Ex parte vero alterius à quo inducitur ad ministrandum, vt is habeat iustam causam inducendi: quia dispensatio per memoratum decretum facta, ne teneatur in Sacramentorum vsu excommunicatum vitare, requirit iustam causam vt valeat: cùm facta sit in iure diuino, sicut & facta in voto, vel in iuramento. Christi enim

enim præceptum est de eadem euitatione Matth. 18. illis verbis, Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.]

Nu. 117. His addendum est quod in sequenti num. 46. adhuc tradit Sanchez notatu dignum pro praxi: validam esse posse sacramentalem absolutionem datam ab excommunicato nominatim denunciato, aut à percussore Clerici notorio, quando in audiendis cõfessionibus exponitur in loco, vbi impedimentum ipsius communiter ignoratur. Tunc enim concurrunt communis error, & titulus putatiuus, à legitimo superiore collatus, vnde iurisdictionem acquiri sufficientem ad validitatem confessionis, habitum est in præcedentibus *cap. 8. dubio nono.* Si tamen idipsum quod communiter ignoratur, confitens sciat, confessio ipsius erit inualida; non quidem ob defectum iurisdictionis, sed propter obicem quem ponit peccans mortaliter communicando in diuinis cum excommunicato, quem secretum tenetur secretè vitare, iuxta cap. Cum non ab homine. De senten. excommunic. ideóque & in confessione illi secretò facta. Quamquam potest excusari inuincibiliter ignorans non licere tali confiteri, aut etiam graui necessitate vrgente coactus id facere, tanquam suo pastori, cum alium habere nequeat qui sibi subueniat. Nam quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Extra, de regulis iuris regula quarta.

APPENDIX *ad antedicta, cuius prior pars est de denũciatione censuræ, requisita vt hac in foro interno impediatur executio iurisdictionis.*

ANtequam ad sequens caput veniamus, addendum est pro praxi, quid censuræ denunciatio requirat, vt impediat potestatem executionis, & quẽnam Clerici percussio censeatur notoria, ob quam incursa censura adferat idem impedimentum.

Nu. 118. Atque de priore sciendum est, quod attigit Henriquez in Summa Theologiæ moralis *libro 13. capite 5. §. 1. litera* (E) ipsam requirere, vt quis publicè & notoriè proprio nomine, aut ex aliis indubitatis signis illum certò demonstrantibus declaretur excommunicatus, aut alia censura irretitus: qualis declaratio censetur esse ea quæ solet fieri in Ecclesia tempore Missæ, aut pro tribunali, Iudice coram multis fulminante talem sententiam, aut etiam literis declaratoriis censuræ, à tali certa persona incursæ, affixis in loco publico iuxta consuetudinem regionis. Nec sufficit aliquem domi priuatim declaratum esse excommunicatum, aut alia censura innodatum, quoniam talis declaratio non est publicatio. Nec etiam sufficit, publice declaratum esse talem, qualis cognitus consequenter cognoscitur excommunicatus esse, vt cum quis publicè de hæresi nominatim damnatus est: requiritur vt expresè à Iudice declaratus sit, nominatim incurrisse in excommunicationem, prout docet Nauarr. *in miscell. 47. de oratione num. 2. & in lib. 5. consiliorum, tit. de hæreticis consil. 15. num. 2.* quoniam, inquit ille, aliud est hæreticum esse, & aliud esse excommunicatum; & per consequens aliud denunciatum esse hæreticum, & aliud denunciatum esse excommunicatum: adeo vt non omnes qui sciunt aliquem esse hæreticum, sciant esse eo ipso excõmunicatum. Quamquã tamen ratione periculi infectionis, dubium non est, illum esse iure diuino vitandum, dicente D. Ioann. *in sua 2. Epistola.* Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, & Aue ne ei dixeritis.] Nec porro sufficit quòd quis sufficienter cognoscatur de numero esse eorum in quos publicata est à Iudice aliqua excommunicatio, nisi in tali sententia ille notetur expresso nomine proprio, vel appositis circumstantiis, quæ illum certò demonstrent; cùm aliter censeri non possit nominatim denunciatus. *Pro quo authores Georg. Sayrus citat lib. 2. thesauri casuum conscientiæ. cap. 12. num. 17.* Vnde sequitur quod ex Astensi habet Syluester *Excommunicatio. 5. num. 8.* Si Papa excommunicet Titium cum fautoribus suis; illum esse vitandum, non item istos, quousque nominatim specificentur per publicam denunciationem, quam Concilium Constant. requirit ad obligationem euitandi excommunicatum.

Nu. 119. De qua obligatione addendum est, requirere talis denuciationis notitiam probabilem: qualem habere censetur, non modo is, qui audiuit sententiam denunciare: sed etiam is qui ex fama publica, aut testificatione ipsius excommunicati, aut Episcopi, vel Parochi àquo denunciata est, aut alterius viri fide digni id didicit. Authores ita sentientes refert Sayrus *in seq. num. 22. & 24.* Pro quo facit quod per solam famam publicam cognoscens se excommunicatum esse, debeat à diuinis abstinere, *ex cap. Illud. §. Licet. De clerico excommunicato.*

Item quòd cum eo, quem publica fama est verberasse Clericũ, non sit communicandum, antequam se de eo ad arbitrium Episcopi purgauerit, aut ad cautelam absolutionis beneficium consecutus sit: *ex cap. Cum desideres. §. Secundæ quæstioni De sentent. excommunic.* Nec refert quod fama sola publica non det certam notitiam: quia in casu spectante ad animę salutem (qualis est hic noster de euitatione excommunicati) illa est sufficiens testimonium, donec facta inquisitione, de contrario probabiliter constiterit: quandoquidem in dubiis, vbi de periculo animæ agitur in vtroque foro, tutior via est eligenda; vt annotant Canonistæ *ad memoratum cap. Illud*, teste Couarr. *ad cap. Almamater. 1. parte §. 2. num. 4.*

Cæterùm si coniecturæ probabiles haberentur, quòd talis fama esset falsa; vt si deprehẽderetur eam esse sparsam ab emulis illius qui fertur denunciatus, aut ab hominibus parum fide dignis; aut certè fide dignis quidem, sed qui decepti fuerint; tunc non est obligatio eum vitandi, iuxta Palud. *in 4. dist. 18. qu. 6. art. 2. versus res ignorata*: & Syluestrum *in verbo Excommunicatio 5. num. 28.* præsertim cùm in tali casu persuaderi, non sit prudentis, sed leuis corde: de quo Ecclesiastici 19. Qui credit citò, leuis corde est.] Idem dicendum est, cùm is qui sciebatur denunciatus, cõmuniter habetur pro absoluto, aut verosimile est absolutum esse: vt quando vir integer vitę esse, animæque suæ curam gerere saris apparet; longumque tempus effluxit ex quo denunciatus fuit: quod ex Panorm. & aliis Canonistis habet Couarr. in sequenti numero 6.

Posterior pars de notitia excommunicationis incursæ ob Clerici percussionem, necessariâ ad impediendum eam de qua agimus potestatem executionis.

Nu. 120. DE posteriori nobis proposito ad explicandum, constat ex decreto Concilij Constantiensis duo ad illud requiri. Vnum, vt adeo manifestè constet aliquem in eiusmodi excommunicationem incurrisse, quòd nullo modo (siue vt habet idipsum decre

Universidad de Deusto
Biblioteca

decretum) nulla tergiuersatione celari possit. Alterum vt notorium sit, Clerici percussorem nullo iuris remedio se excusare posse: quæ duo cùm rarò concurrant; rarò etiam, sic excommunicatum aut denunciatum vitare tenemur.

Nu. 121. Ad cuius rei euidentiam notandum est, duplex notorium distingui, vt pluribus explicatum habes apud Angelum, & Syluest. in verbo notorium. Vnum iuris, de quo aliquis in iudicio clara indubitataque probatione cõuictus est, aut per sententiam Iudicis condemnatus, aut quod ipse spontè confessus est. Alterum verò facti, cuius testis est sensus, nec datur locus inficiationi. Quę definitio, iuxta Nauarr. *in Enchir. cap. 25. num. 73.* sic accipienda est, vt sensus sit, notorium facti esse illud, quod euidenter scitur à maiori parte populi vicinorum, aut Collegij, dummodo in eo sint saltem decem (quot scilicet requiruntur ad constituendum populum; iuxta cap. Vnio. 10. *quæst. 3. §. finali.* vnde Glosa finalis id colligit) itavt notitia pauciorum quàm sex, nunquam faciat notorium facti. Nec etiam notitia sex hominum illud facere possit, nisi hi sint maior pars illius congregationis, respectu cuius dicitur notorium; prout Nauarr. ibidem probat contra Sylvestrum; qui ex eo quòd decem homines constituunt populum; definit in parochia etiam mille hominum notitiam quam sex viri graues habent, facere notorium facti: quia oporteret alioqui (quod absurdum est) numerare vniuersum populum ad cognoscendum an maior pars nosset factum. Cui rationi obsistit, quòd vix vnquam talis necessitas numerandi contingat: cùm locutio famosa ex rei euidentia proueniens, vt solet in notorio facti, vix esse possit, quin sine difficultate intelligatur notitiam esse maioris partis populi eiusdem viciniæ, aut Collegij.

Nu. 122. Quæ cum ita sint, Couarr. *ad cap. Alma mater part. 1. §. 2. num. 9. in fine.* secutus Cosmam in Pragmatica sanctione, sentit notorium iuris non sufficere ad obligationem euitandi Clerici percussorem, sed requiri notorium facti: quod solum exprimitur in decreto Concil. Constantiensis: cuius verba sunt hæc, Adeo notoriè cõstiterit incidisse, quòd factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio (iuris nempe vel rationis) excusari.] Quæ duæ conditiones satis ostendunt quod proposuimus, rarò posse contingere notorium, quod requiritur ad obligationem euitandi in Sacramentorum participatione, Clerici percussorem: præsertim cùm suffragium illud esse possit, non modò verum, vt quòd aliquis ad sui defensionem Clericum percusserit: sedetiam apparens, & disputatione sustentabile, vt loquitur Sylu. Id probans: quia nihil alioqui in hac re decretum Concilij Constantiensis concederet: quandoquidem sine eo, verum suffragium posset sortiri effectum suum liberandi, siue ipsum ab excommunicatione, siue alios ab obligatione ipsum vitandi. Plenam notitiam eiusdem excommunicationis tanquam antedictis necessariam; & multis aliis in hac disciplina adferentem lucem: trademus peculiari tractatu addito ad calcem huius libri.

CAPVT VNDECIMVM.

De potestate executionis impedita per casuum reseruationem.

SVMMARIVM.

123 *Origo & ratio reseruationis casuum.*
124 *In quo consistat talis reseruatio, & quòd stricte interpretanda sit.*
125 *Superiores cum restrictione qua voluerint, iurisdictionem suam committere possunt: quod inferiores Ordinarios facere non conuenit.*
126 *Peccata venialia à nullo reseruari propriè possunt, sicut nec mortalia, iam aliàs debitè confessa.*
127 *Mortalia autem nondum confessa, non omnia, sed ea tantùm, quæ expedierit ad commune bonum Ecclesiæ, reseruari possunt respectu inferiorum Ordinariorum.*
128 *Peccata quæ interiora tantùm sunt, etsi possint, non tamen conuenit reseruari.*
129 *Peccata reseruata Papæ.*
130 *Excommunicationes eidem reseruatæ in Bulla Cœnæ Domini.*
131 *Reseruatæ in Decreto & Decretalibus.*
132 *Reseruatæ in Clementinis & Extrauagantibus.*
133 *Reseruatæ extra corpus iuris.*
134 *Peccata in particulari reseruata Episcopo.*
135 *Peccata cum censurâ Episcopo reseruata iure, vel consuetudine communi; & de restrictione cum qua reseruata sunt.*
136 *Peccata eodem modo eidè reseruata, sed sine censura.*
137 *De ampliatione in eis facta à Sylvestro & Nauarro.*

Nu. 123. SICVT per Superiorem Prælatum Sacerdoti absoluturo exhiberi oportet materiam remotam, quæ est persona absoluenda; ita necessarium est exhiberi materiam propinquam, quæ est peccatum mortale: itavt nemo inferiorum Sacerdotum quemquam à mortali absoluere possit, nisi iurisdictionem in eum acceperit à Superiore. Vt autem Superiores non subiiciunt absque discrimine omnes suos subditos omnibus Sacerdotibus, quos in partem suæ solicitudinis assumunt; ita nec subiiciunt omnia peccata eorumdem subditorum: sed ex eis tot subtrahunt, quot intelligunt sufficere ad consulendum saluti fidelium, & ad bene regendam & moderandam Ecclesiam. Ex quo fonte orta est peccatorum reseruatio: pro qua aduersus hæreticos Sotus *in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 5. circa 2. argumentũ*: vrget rationem regiminis, quæ exposcit grauiora peccata grauiori iudicio subiici; tum vt meliùs corrigi possint, & commodiùs aduersus ea remedium adhiberi, si perniciosa sint reipublicæ: tum vt nefarij homines à patrandis talibus sceleribus maiori metu reuocentur. Et verò nobis sufficit, quòd eadẽ reseruatio expresse approbetur in Conc. Tridentino sess. 14. cap. 7. tanquam magnopere pertinens ad populi Christiani disciplinam; neque in externa tantùm politia, sed etiam coram Deo vim habens: ideóque obstet (quemadmodum in eadem sessione Can. 11. definitur) quominus Sacerdos verè absoluat.

Nu. 124. Consistit autem in limitatione, seu restrictione iurisdictionis in inferiore Sacerdote, facta à Superiore potestatem ad id habente: prout habet Papa in tota Ecclesia; & Episcopus in sua diœcesi; non autem extra eam: quia licet ratione status & officij quiuis Episcopus Superior sit quibusuis Parochis: tamen non omnium, sed eorum tantùm, qui de ipsius diœcesi sint, potest iurisdictionem restringere; adeovt reseruatio peccatorum per illum facta, nihil impediat vsum iurisdictionis eorum, qui sunt de alia diœcesi.

Porro stricte interpretanda est reseruatio casuum: cùm rationem quamdam habeat pœnæ, quæ restringenda est interpretatione, ex regula 15. iuris in sexto. Vnde fit, quòd in materia reseruationis non valeat argumentum à pari; imò nec à maiori; itavt non sequatur, Legens librum hæreticum incurrit in excommuni

communicationem Papæ reseruatam; Ergo & audiens hæretici concionem. Nec obstet, quòd istud sit illo periculosius; quia reseruatio pendet potius ex voluntate Superioris reseruantis, quàm ex ratione quæ illum mouere potuit ad reseruandum; ex illa enim potissimùm vim suã accipit. Hîc duo sequuntur tradenda. Vnum, quæ peccata reseruari possint. Alterum, qunæam sint reseruata. De absolutione à reseruatis, in sequenti parte tractabitur proprio loco.

Quæ peccata reseruari possint.

SECTIO PRIOR.

Nu. 125. ISTud cum Soto *in eodem art. 5.* explicabimus aliquot propositionibus. Prima est, Superiores posse quæcumque voluerint peccata mortalia sibi reseruare, quando non habentibus ordinariam iurisdictionem delegant suam: vt Episcopi simplicibus Sacerdotibus, & Prælati religionum simplicibus Religiosis. Hæc probatur: quia cùm tales nullam habeant iurisdictionem, nisi commissione libera Ordinariorum; sicut ex horum voluntate & arbitrio pendet, quòd eam illi accipiant, vel retineant; ita etiam, quòd eam habeant cum hac, aut illa ampliatione, vel restrictione.

Aduerte autem primò, quòd Suarez *tomo quarto disput. 29. sect. 1. num. quarto.* annotat: Parochos habere quidem ius reseruandi sibi peccata, sicut cæteros delegantes: consuetudinem tamen esse vt eo non vtantur; quia ordinariè id necessarium non est; cùm communiter oporteat tam idoneum esse ab ipso delegatum, quàm ipsummet delegantem.

Nu. 126. Aduerte secundò: quòd etsi peccata venialia iurisdictionem requirant in absoluente: à nullo tamen propriè reseruari posse; Tùm quia ratione eorum nõ sumus pœnitentiali foro obnoxij: sed arbitrio nostro relictum est à Christo, clauibus ea subiicere; vt patet ex Concil. Tridentino *sessione 14. cap. 5.* Tum quia licet Ordinarius possit suam iurisdictionem committere, cum ea qua voluerit restrictione; non potest tamẽ facere, vt pœnitens cogatur ad ipsum recurrere pro absolutione à venialibus: quãdoquidem multis aliis, quàm Sacramenti pœnitentiæ remediis, expiari possunt, vt Concilium Trident. ibidem expressit: adeovt nolenti de illis confiteri neganda nõ sit absolutio à mortalibus, si de eis confiteatur. Quã doctrinam tradens Suarez *in sequent. sect. 3. numero 2.* addit eam habere quoque locum in peccatis mortalibus iam debitè confessis. Quod patet, quia nec item ratione illorum obnoxij sumus foro pœnitentiali: cùm non sit necessitas eadem peccata iterum confiteri, ex Extrauag. communi, Inter cunctas. §. Cæterùm, de priuilegiis.

Nu. 127. Secunda propositio est Superiores respectu Inferiorum habentium iurisdictionem ordinariam, non posse quæcumque libuerit peccata sibi reseruare; sed quæ expedierit ad commune Ecclesiæ bonum, & subditorum ædificationem; in quam, non autem in destructionem, authoritas supra reliquos Pastores est illis tributa: prout habet Concilium Trident. *in eadem sess. 14. cap. 7.* Ad cuius propositionis confirmationem facit, quòd tales pastores cùm sint Ordinarij, possint ratione sui pastoralis officij (*iuxta illud Ioan. 20.* Quorum remiseritis peccata remittuntur eis) absoluere ab omnibus peccatis, nisi aliunde impediantur. Cuiusmodi impedimentum eis sine iusta causa afferre, perinde iniurium est (licet inæqualiter) atque eos pastorali officio priuare sine iusta causa; immo tãtus posset esse abusus reseruationis (vt addit Sotus) quòd Parochi non tenerentur Superiori parere; sed possent eo inconsulto à peccatis sic reseruatis absoluere; præsertim cùm nimiæ reseruationes sint in grauamen populi; & ideò illicitæ; vt patet ex eo quòd Pastores Ecclesiæ reseruandi potestatem nõ habeant tanquam absoluti domini, & propter suum commodum; sed vt Christi Vicarij propter bonum ouium: ideoque, si per reseruationem nimium onerosi sint subditis, vel eos exponant aliquibus periculis, grauiter peccabunt contra charitatem, abutendo potestate sua.

Non est tamen dubitandum quin in ea re, vtẽdum sit magna prudentia, maturoque consilio, ne aliquid perperam in negotio tanti momenti agi contingat. Vnde quamdiu de abusu non constat apertè, abstinendũ est ab absolutione, & præsumendum pro Superiore: quòd is iustam reseruandi causam habuerit, etiamsi nos lateat. Cui præsumptioni quia fere semper locus est, rarissime licere potest, id quod dicit Sotus. Videatur *in cit. disput. 29. sect. 4.* Suarez; & addatur ex eodem *in præced. sect. 1. num. 8.* quòd Superior possit non tantùm sibi, sed etiam alteri casus reseruare, vt Papa Episcopo, & Episcopus Decano vel Archidiacono. Videatur adhuc quod idem in eadem disput. *sect. 3. num. 11.* & sequentibus habet de restrictione facultatis reseruandi casus in Prælatis Religiosorum.

Nu. 128. Tertia propositio est, peccata interiora, id est, quæ latent intus in anima (vt consensus in hæresim, aut in conspirationem aduersus Ecclesiam) Superiores absoluta quidem potestate posse sibi reseruare; si tamen faciant, grauiter errare. Priorem partem probat Sotus: quia reseruatio peccati est restrictio quædam, seu non concessio iurisdictionis, quæ quoad peccata occultissima & solo interno affectu commissa, perinde necessaria est, ac quoad alia mortalia, ex Concilio Tridentino in citato cap. 5. Vnde Papa dicente, Nolo quemquam habere facultatem absoluendi à consensu voluntatis in hæresim: nemo, nisi de ipsius licentia, ab eo peccato absoluere potest, tanquam sufficienti iurisdictione carens. Verumtamen Ecclesia non vtitur ordinariè tali reseruatione, quamuis vti possit: sed committens alicui iurisdictionem ad absoluendum à mortalibus, censetur dare ad absoluendum à quibusuis internis; ita expedire iudicans; eo quod talia nec aliis nocumentum adferant, nec curatione egeant, quæ non videatur posse ab Ordinariis adhiberi. De qua etiam re agit Suarez *in ead. disput. sect. 3. num. 3.* Posteriorem vero partem Sotus confirmat, quia peccata cordis sunt tùm frequentissima, tùm etiam occultissima; itavt homo vix possit discernere an consenserit, necne: & in talibus dubiis, semper ad Papam recurrere, esset onus intolerabile. Itaque cùm peccatum aliquod à Superiore reseruatum esse dicitur, nunquam intelligitur de interno actu, qui nullo signo externo se foras protulerit. Cæterùm, quamuis omnia mortalia peccata externa diuisiuè, imò & collectiuè sumpta (vt in seq. num. 4. docet Suarez) reseruari possint: tamen licitè, & secundum rectum procedendi ordinem, non possunt quælibet talia reseruari; sed tantùm ea quæ specialem grauitatem habent reseruationis rigori proportionatam.

Ad quod facit præcedens propositio secunda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ peccata sint reseruata.

SECTIO POSTERIOR.

Nu. 129. QVod ex Diuo Antonino Nauar. habet in Ench. *cap.*27.*num.*254. multi quoque alij annotarunt (quorum meminit Henriquez in Summa *lib. 6.capite* 14.§.1.*lit. E, in margine*) nulla peccata reseruata esse Papæ, nisi ob annexam eis excommunicationem; per quam Papa ipse talia peccata sic punit, vt illius relaxationem sibi reseruet; vnde fit, vt idem Nauar. pluresque alij addunt (quorum Henriquez etiam meminit *ibidem litera F*) quod Parochus possit ab omnibus peccatis Papæ reseruatis absoluere, postquam per legitimam absolutionem, siue ab ipsomet Papa, siue ab alio ex commissione sufficienti ipsius, ablata fuerit excommunicatio, secundùm quam vnumquodque eorum reseruatur.

Iam quot & quæ excommunicationes reseruatæ sint Papæ, quibúsve peccatis singulæ sint annexæ, & quas personas ligent, persequi explicando est alterius loci; sicut & de excommunicatione generalem instituere tractationem: quæ ordine doctrinæ debet præmitti tali explicationi. Attamen earum Catalogum hîc intexere, nec alienum est, nec, vt existimo, ingratum futurum. In eo ponemus primo loco contentas in Bulla Cœnæ Domini. Secundò verò, insertas corpori iuris Canonici; ac postremò extra hoc ac extra illam repertas.

Excommunicationes reseruatæ in Bulla Cœnæ Domini.

Nu. 130. COntentæ igitur in Bulla Cœnæ Domini sunt hæ. Prima in hæreticos cuiuscumque sectæ, eorumdem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, ac schismaticos. Secunda in appellantes ad futurum Concilium, eorumque fautores. Tertia in piratas & eorum receptatores & fautores. Quarta in naufragiorũ Christianorum cuiuscumque generis bona, etiã in litoribus inuenta, surripientes. Quinta in imponentes noua pedagia & gabellas vel augentes. Sexta in falsificantes literas Apostolicas, aut supplicationes à quocumque authoritatem habente signatas, aut falsò fabricantes literas Apostolicas. Septima in deferentes arma, aut aliavsui bellico idonea ad Turcas vel alios Christiani nominis inimicos: & ad reipub. Christianæ statum pertinentia, iisdem in damnum Christianorum nunciantes. Octaua in impedientes eos qui victualia & alia necessaria Romam conuehunt. Nona in eos qui ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, suâ aut aliorum operâ lædunt; & sine iurisdictione vexant in curia commorantes. Decima in eos qui lædunt Romipetas ac peregrinos, etiam in vrbe morantes, vel abeuntes. Vndecima in offendentes S. R. E. Cardinales & alios Prælatos. Duodecima in lædentes eos qui per se vel per alios recurrunt ad Romanam curiam pro suis negotiis. Decimatertia in eos qui à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum appellant ad potestatem laicam. Decimaquarta in eos qui impediunt & prohibent expeditionem literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum ad gratias impetrandas. Decimaquinta in Iudices sæculares qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant. Decimasexta in eos qui Prælatos impediunt ne sua iurisdictione vtantur: quique illorum, & delegatorum iudicia eludentes, ad curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt: atque præstantes auxilium. Decimaseptima in vsurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcumque Ecclesiarum iurisdictiones, vel etiam fructus sequestrãres. Decimaoctaua in imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, monasteriis aut eorum fructibus. Decimanona in Iudices sæculares qui se interponunt in causis capitalibus seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas. Vigesima in occupantes terras Ecclesiæ Romanæ, & illius iurisdictionem vsurpantes. Harum explicatio satis copiosa habebitur in sequenti *parte*, *lib.5. à cap.13. ad finem vsque.*

Excommunicationes reseruatæ in Decreto & Decretalibus.

EX cõtentis in corpore iuris Canonici Prima habetur in ca. Si quis suadente diabolo 14.q.4. (quã vnicam esse in decreto Gratiani ostendit Suarez *to.5. disput.22.sect.1.*) in percussorem Clerici vel Monachi lata: de qua agemus in appendice addenda ad calcem huius libri; de cæteris verò consequenter memorandis, passim pro re nata tractabimus in 3. par. to. 2. præsertim. Eas in citata disput. Suarez copiosè accurateque persequitur eo ordine quo à nobis paulo-post proponentur. Secunda igitur est lata à delegato Papæ in eum qui rei iudicatæ parere contemnit. Illa enim post annum transactum, manet reseruata Papæ ex cap. Quærenti. De officio delegati. in antiquis Decretalibus. Tertia est, lata in falsarios literarum Apostolicarum ex cap. Ad falsariorum De crimine falsi: quæ habetur etiam in Bulla Cœnæ Domini. Quarta est, excommunicatio promulgata ab Episcopo contra eos, qui literas falsas Apostolicas habentes, non destruunt eas, aut resignant intra 20. dies. Postquam enim talis contracta fuerit, recurrendum est ad Papam pro absolutione, ex cap. Dura. De crimine falsi. §. Adiicientes. Quinta est, ex cap. Conquesti. De sententia excommunicationis lata in sacrilegos, qui violenter Ecclesiam confregerint, eámque spoliare minimè dubitauerint. Sexta est lata in incendiarios; qui postquam sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam sedem sunt mittendi, ex cap. Tua nos. De sentent. excommunic. Septima est lata in Clericos, qui cum excommunicatis à Papa communicant in diuinis, ex cap. Significauit. De senten. excommunic. Octaua est lata in eos qui in bonis aut personis suis grauant eos qui excommunicationis, aut suspensionis, aut interdicti sententiam tulerunt in aliquem, ex cap. Qui cumque De sententia excommunicationis in 6. Nona est lata per cap. Eos qui, eodem titulo, in illos, qui post absolutionem à priori excommunicatione reseruata Papæ obtentam sub conditione comparandi coram Summo ipso Pontifice, vel satisfaciendi parti læsæ: talem conditionem non implent tempore debito. Decima est lata in cap. Fœlicis De pœnis eod. lib. contra eum qui in Cardinalem S. R. E. manus violentas iniecerit, aut illum hostiliter insecutus fuerit: quæ habetur etiam reseruata in Bulla Cœnæ Domini. *Nu.* 131

Excom

Excommunicationes reseruatæ in Clementinis & Extrauagantibus.

Nu. 132. VNdecima habetur ex Clemen. 1. De hæreticis §. Verum, contra Inquisitores vel eos qui vices ipsorum gerunt, ipsorúmve loco ad illud officium agendum deputãtur: si in vsu sui officij ita deliquerint, vt odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut temporalis commodi obtentu, contra iustitiam & conscientiam suam omiserint contra aliquem procedere, vbi fuerit procedendum super huiusmodi prauitate: aut obtentu eodem, prauitatem ipsam vel impedimentum officij sui imponendo, eum super hoc præsumpserint quoquo modo vexare. Duodecima habetur in Clemen. Religiosi de priuilegiis; lata contra Religiosos, qui Sacramenta Extremæ vnctionis aut Eucharistiæ ministrare, vel Matrimonia solemnizare sine Parochialis presbyteri licentia speciali: vel qui excommunicatos à Canone, præterquam in casibus eis à Summo Pontifice concessis, absoluunt: vel etiã à sententiis per statuta Synodalia, aut prouincialia promulgatis, seu à pœna & culpa (vt aiunt) absoluere præsumpserint. Decimatertia habetur ex Clemen. Cupientes. §. Sanè. De pœnis: lata in Religiosos & in Clericos sæculares violantes constitutionem Bonifacij in cap. 1. De sepulturis in 6. ne aliquis Clericus sæcularis aut Religiosus inducat quempiam, ad vouendum, iurandum, vel fide interposita seu aliàs promittẽdum, vt apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel iam electam vlterius non mutent. Decimaquarta habetur ex Clemen. Grauis De sententia excommunic. lata in violantes interdictum per vnã ex quatuor actionibus: quarum prima est: quemquam quomodolibet cogere ad officia Diuina celebranda in loco interdicto. Secunda est, aliquos præsertim excommunicationis vel interdicti censura ligatos, euocare ad prædicta officia audienda. Tertia, prohibere ne excommunicati publici aut interdicti ab Ecclesiis exeant, dum in eis missarum solemnia celebrantur, etiam à celebrantibus admoniti. Quarta est, publicè excommunicatum, aut interdictum existentem in Ecclesia dum Missarum solemnia celebrantur, etiam nominatim monitum à celebrante vt exeat, nihilominus permanere atque exire nolle. Decimaquinta excommunicatio habetur ex Clemen. Si quis suadente. De pœnis: lata in eos qui violentas manus iniiciunt in Episcopũ: quæ habetur quoque ex Bulla Cœnæ Domini. Decimasexta habetur ex Extrauag. 1. De sepulturis lata in dilacerãtes & exenterantes corpora hominum defunctorum, vt conseruentur vel vt decoquantur, quo ossa possint in alia loca transferri. Decimaseptima ex Extrauag. prima de Simonia, contra eos qui aliquid ob ingressum religionis dant vel recipiunt per modum pacti & conuentionis. Decimaoctaua ex Extrauag. prima De regularib. in qua Martinus IIII. prohibet ne Religiosi mendicantes ad aliam Religionem transeant, excepta Carthusiensi, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali: excommunicationisque sententiam ipso facto incurrendam & sibi reseruatam fert tam in recipientes quàm in receptos contra eam constitutionem. Decimanona, quam ex Extrauag. communi, De Simonia incurrunt qui simoniæ peccatum committunt. Quam intellige de simonia reali consummata, id est, in qua de facto datum & acceptum est temporale pro spirituali, vt plenius *in 3.par.tomo 2. lib.* 8. declarabimus suo loco agentes de simonia. Vigesima habetur ex Extrauag. Graue minus, De reliquiis & vener. Sanctorum: in qua Sixtus IIII. excommunicationem ipso iure latam, sibique reseruatam profert, in præsumentes affirmare illos qui credunt aut tenent Beatissimam Virginem Mariam ab originali peccato fuisse præseruatam, aliquius hæresis labe pollutos ideo fore, vel mortaliter peccare, vel etiam illos qui officium Conceptionis eiusdem sanctissimæ Virginis celebrant, vel conciones audiunt eorum qui ipsam sine macula peccati conceptam esse prædicant, vel libros talem doctrinam continentes pro veris legunt, tenent vel habent, alicuius peccati reatum incurrere. Profert similiter in eos qui affirmant hæresim esse aut peccatum mortale eum incurrere, qui docuerit aut asseruerit Beatam Virginem in originali peccato conceptam fuisse.

Excommunicationes reseruatæ extra corpus iuris Canonici & bullam Cœnæ Domini.

QVod attinet ad excommunicationes quæ tam extra corpus iuris quàm extra bullam Cœnæ Domini latæ inueniuntur per varias constitutiones, aut motus proprios Summorum Põtificum, sufficiet eas attigisse quæ sunt totius Ecclesiæ communes, & positæ in quotidiano vsu. Quoad cæteras enim quæ speciales sunt pro aliqua cõgregatione, vel natione, aut quæ non sunt in vsu, ignorantia excusare potest à periculo sacrilegij, prout indicat Suarez, *in cit. disp. 22. in initio, & in fine sectionis 6.* Itaque contenti erimus attingere eas quarum explicationem idem author persequitur. Prima est lata à Leone 10. in Concil. Lateran. sess. 11. contra Prædicatores qui contrauenerint iis quæ ibi præcipiuntur. Quorum primum est, vt Euangelicam veritatem & sanctam Scripturam iuxta Doctorum Ecclesiæ declarationem pertractent; nihilque adiiciant contrarium aut dissonum verò sensui Scripturæ. Secundum est, vt tempus præfixum futurorum malorum, vel aduentus Antichristi, aut certum iudicij diem prædicere non præsumant. Tertium, ne alia futura quasi sibi specialiter reuelata dicant, aut alienas inanésque diuinationes asseuerent. Quartum, vt à Prælatorum aliorúmque Superiorum, eorumque status scandalosa detractione abstineant. Secunda sumitur ex quodã motu proprio Pij V. qui incipit Regularium personarum, lata in fœminas quæ ingrediuntur Monasteria Carthusiensium, & aliorum virorum vitam regularem agentium. Tertia ex eiusdem Pontificis constitutione quę incipit Intolerabilis, contra eos qui committunt crimen simoniacæ confidentiæ beneficialis: vt censentur: tum alij quorum ibidem mentio est: tum ij qui beneficium recipiunt ab aliquo sub confidentia, quòd postea vel illud eidem restituent, vel alteri dabunt, vel fructus eius aut eorum partem aut pensionem eidem vel alteri soluent. Quarta est, quam Concil. Trident. *sess. 22. cap. 11. de reform.* fert in quoscumque siue Clericos siue Laicos qui præsumunt vsurpare quacumque arte, aut modo bona, res, iura, redditus, aut iurisdictiones alicuius Ecclesiæ, aut beneficij sæcularis vel regularis, Montium pietatis, vel aliorum piorum locorum: vel impedientes ne ab eis percipiantur, ad quos iure pertinent. Tales enim subiicit anathemati donec plenè restituant, & à Romano Pontifice absoluantur. *Nu.* 133.

Pro praxi autem circa hasce omnes, notandum est ex cap. Nuper & cap. Si concubinæ De sententia excommunicationis (quod Nauarr. in Enchir. *cap.27. num.*112. habet, & declarat) eum qui cum aliquo participat in peccato, propter quod excommunicatus

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, vt sit dando circa illud fauorem, consilium vel auxilium in eamdem excommunicationem similiter reseruatam incurrere.

De peccatis Episcopo reseruatis.

Nu.134. DE peccatis Episcopo reseruatis monendum occurrit, quædam illorum reseruari de iure aut consuetudine particulari illius diœcesis, cuius ipse pastor est; quædam verò de iure aut consuetudine communi totius Ecclesiæ: tamque hoc quàm illo modo; quædam esse reseruata ratione censuræ annexæ, & quædam secundùm se. Atque de reseruatis à iure vel consuetudine particulari, certam regulam dari non posse, communem omnium sententiam esse notat Nauarr. *in sequen. num. 259.* Nam vnaquæque prouincia in suo sensu abundat. *cap. Vinam distinct. 76.* vnúsque Episcopus iudicat aliqua suo Episcopatui conuenire, quæ alius iudicat non conuenire suo; idque (vt fieri potest) vterque probabiliter. Vnde Curati, & alij eis subiecti confessiones audituri, dare debent operam vt in promptu habeant casus, quos in particulari, Episcopus suus in ea diœcesi sibi reseruat: simúlque aduertere, quod monet Syluester *in verbo casus, quæst. 5.* Si quem Episcopus absoluere noluerit, eo ipso inferiorem impediri, illum absoluere, iuxta cap Inferior, distinct. 21.

Nu.135. De reseruatis autem à iure, vel consuetudine communi totius Ecclesiæ; notandum est, eius generis esse, ratione quidem censuræ annexæ; tum leuem Clerici aut Monachi percussionem, quatenus ob eam ex affectu mortali profectam incurritur excommunicatio; quæ reseruata est Episcopo *per cap. Peruenit. De sentent. excommunic.* Tum omne illud propter quod Papa imponit excommunicationem, reseruando sibi illius absolutionem; quando crimen fuerit occultum, nec deductum ad forum contentiosum, ex priuilegio Episcopis concesso per Concil. Triden. *sess. 24. de reform. cap. 6.* In quo per occultum, id intelligi quod publicum non est, sed paucis tantummodo notum (prout à Nauar. & quibusdam aliis recentioribus intelligi, notat Sanchez *disput. 37. num. 11. libri 2. de matrimonio*) ex eo doceri potest, quòd causa illius restrictionis ad casus occultos, nec deductos ad forum externum, sit euitatio scandali, quòd quando paucis tantùm crimen est notum, non contingit adeo notabile, vt ad ei obuiandum necessarius sit ad Papam recursus pro absolutione: præsertim cùm eidem etiam prouiderit Concilium: dum voluit Episcopum per se tantùm & non per Vicarium absoluere ab hæresi occulta; atque ab aliis casibus, per Vicarium quidē, sed specialiter ad id deputatum; itavt non sufficiat quòd Episcopus illi generaliter potestatem absoluendi à casibus sibi reseruatis concesserit, nisi specialem mentionem fecerit eorum, à quibus potest per Concilij Trident. priuilegium absoluere.

Aduerte verò, quod etiamsi crimen fuerit publicum, si tamen iustum aliquod impedimentum interueniat adeundi Papam, ligatum censura ei reseruata, absolui posse ab Episcopo: quod de ligato propter enormem Clerici percussionem, varia iura expresserunt: dum ob sexum, ægritudinem, ætatem, & alia iusta impedimenta adeundi Sedem Apostolicam à viro prudente, ex circunstantiis personæ, loci, & temporis considerandа, Episcopo committunt illius absolutionem, prout exponetur in appendice adiicienda huic libro. Atque ea de re agēs Nauarrus *in Ench. c. 27. n. 88. & 89.* rectè monet *ibid. in responsione ad 1. quæst.* sicut ob Clerici percussionem enormem: ita & ob quamcumque aliam causam excommunicatum, cuius absolutio reseruata sit Sedi Apostolicæ, posse ab Episcopo absolui, si ob iustum impedimentum nequeat eandem Sedem adire: quia in omnibus idem ius esse, eadem ratio suadet: scilicet ne reseruationem, quæ pro bono charitatis introducta est, contra charitatem imminente animarum periculo vigere contingat. Videri potest Suarez *tomo 4. disput. 30. sect. 3. num. 9.* referens ex Sylueſtro eam esse opinionem interpretum iuris. Eundémque reprehendens quod excipiat casus Bullæ Cœnæ Domini, & omnes illos, in quibus nullus alius à Papa absoluere potest, nisi in articulo mortis. Nam, inquit ille, in his perinde ac in aliis procedit ratio proposita: Nó posse autem ab alio inferiore absolui idem Nauar. *in ante citato num. 112.* ex Innocentij communiter recepta sententia habet, agens de excommunicationibus Episcopo reseruatis. Ad quod facit quod dici solet, reseruationem propter iustum impedimentum ex Papali fieri Episcopalem. Faciunt etiam quæ habet Suarez *in sequenti num. 12. & 13.* Quocirca eidem inferiori opus est ad id Superioris facultate, in qua danda liberalis esse debet; maximè quando impediente infirmitate aut paupertate, nequeūt subditi ipsum adire: nam eorum grauamen & detrimentum potest illi causa esse grauis peccati, tanquam abutenti contra charitatem potestate à Christo cōcessa pastoribus: non in suum, sed in gregis sibi commissi commodum & ædificationem, non in detrimentum & destructionem. An autem dare, & quomodo dare teneantur, exponetur in sequenti parte, cùm ex instituto dicetur de absolutione à reseruatis.

Secundùm se autem, quæ peccata sint Episcopo *Nu.136.* reseruata de iure vel consuetudine, magnam esse inter authores controuersiam idem Nauarr. *in eodem ca. 27. num. 256.* monet. Ex communiore verò sententia ista eius generis commemorat ibidem & tribus sequentibus numeris.

Primò incendium domorum, frugum, aut aliarum rerum ex proposito, seu intentione mala factum. Itēque consilium, & auxilium ad illud præstitum, iuxta cap. Pessimam 23. quæst. 8. Intellige autem cum Caietano in verbo Incendiarius, si quidem per illud, illatum damnum fuerit manifestum, & cætera sint periculo exposita.

Secundò, peccatum propter quod imponenda est solemnis pœnitentia; nempe notorium peccatum graue, & scandalosum, vt concubinatus notorius, blasphemia publica; quam tamen reseruationem *tomo 4. disput. 29. sect. 3. num. 6.* Suarez ait omnium confessione iam non esse in vsu, quando ipsa solemnis pœnitentia in vsu esse desiit: aut si quę talis supersit, ea pertineat ad forum contentiosum, vnde ratione illius non reseruatur peccatum in pœnitentiali foro; nisi in eum effectum, accederet aliquod speciale statutum Superioris.

Tertiò homicidium voluntarium, seu dedita opera perpetratum, & realis abscissio membri; non item mentalis, aut verbalis; etiam perueniens ad percussionem: vt ex Diuo Anton. addit Nauarrus, & confirmatur per illud quod ex Palud. habet Sylu. *in verbo Casus, sub finem*, reseruationem intelligi de actibus exterioribus cum effectu, nó autem de interioribus: itaut homicidium cordis non reseruetur Episcopo.

Quartò, peccatum falsarij, id est, falsitas admissa in Scripturis exhibendis (excipe falsitatem commissam in scripturis literarum Apostolicarum, propter quam imposita est excommunicatio reseruata Papæ in Bulla Cœnæ Domini) aut in dicendo testimonio, aut in tacenda veritate coram Iudice; dicendo scilicet se nihil scire de eo super quo interrogatur,

tur, aut multa subticendo, cùm iurauerit se dicturū puram veritatem, vt ex Panorm. *Sylu. loco cit. quæst. 4.* admonet. Cui peccato in hac re secundùm Nauarr. *in citato cap. 27. num. 158.* æquiparatur illud quod cōmittitur ab Aduocatis, Procuratoribus, & Notariis, scripturas & instrumenta vnius partis ostendendo parti aduersæ; quod item notat Sylvest. *in eadem qu. 4.* addens peccatum quod committitur recipiendo pecuniam, siue ad non ferendum, siue ad ferendum testimonium.

Quintò, violatio Ecclesiasticæ libertatis, id est, qua personæ, vel res Ecclesiasticæ grauantur iniustè: sed ordinariè peccatum istud punitur excommunicatione reseruata Papæ in Bulla Cœnæ Domini.

Sextò, violatio Ecclesiasticæ immunitatis, quâ scilicet quis in Ecclesia, vel loco sacro, aut spatio priuilegiato in circuitu Ecclesiæ offendit proximum in persona, vel rebus: ex quibus duobus casibus omne sacrilegium videri casum esse Episcopalem de consuetudine, infert post Sylueſtrum *sub finem citatæ quæst. 4.* Nauarr. *in sequenti num. 259.* Postremò sortilegium & diuinatio: quod peccatum (omissum à Nauarro) expressum est à Sylueſtro *in fine eiusdem quæst.* cui aperte fauet Extrauagans communis, Inter cunctas. De priuileg. §. Incendiarios: vbi cum homicidis voluntariis, falsariis, & violatoribus immunitatis Ecclesiarum, libertatisque Ecclesiasticæ, sortilegi ponuntur in numero eorum, quorum absolutionem rationabilis consuetudo reseruauit Episcopis.

Nu.137. Aduerte autem cum Suarez *tom. 4. disput. 29. sect. 3. num. 10.* quòd Sylüester & Nauar. antecitati, homicidium voluntarium extendunt ad realem abscissionem membri: & peccatum falsarij, ad peccatum tacēdi veritatē, & reliqua memorata in quarto peccato; ac demum violationem immunitatis Ecclesiæ, ad omne sacrilegium. Hoc inquam ex eo reiici posse, quòd nullo iure muniti, in materia odiosa ampliatione vtantur, quam illa non admittit, etiam roboratam argumento à simili, vel paritate rationis: itaut præcisè standum sit verbis legis, latæ de tali materia; aut si non sit lex scripta, sed consuetudo, videndum sit quid ea ipsa præcisè ferat; nisi per aliquam specialem constitutionem, aut consuetudinem alicubi receptam, ampliata ibi esse censeatur.

CAPVT DVODECIMVM.

De scientia requisita in Confessario.

SVMMARIVM.

138 *Quòd præter iudiciariam potestatem requiratur in Confessario scientia.*

139 *Mortale peccatum est ingerere se audiendis confessionibus, sine debita scientia, à quo peccato nec approbatio Episcopi, nec iussio Superioris excusat, nisi in dubio.*

140 *Quem possint tuta conscientia Superiores exponere audiendis confessionibus.*

141 *Quòd defectus scientiæ in Confessario sit de numero eorum, qui confessionem reddunt inualidam.*

142 *Ratio duplex deprehendendi, an alicuius confessio, ob defectum scientiæ in Confessario, sit inualida.*

Nu.138. PRIMARIVM Confessarij munus in foro pœnitentiali est ligandi & soluendi subditos sibi confitentes. Cuius executionem actum esse iudiciarium, tenendum est de fide, ex Concil. Trident. *sess. 14. can. 9.* atque de necessitate requirere non modo potestatem, de qua hactenus; sed etiam debitam scientiam, quæ vicem teneat lucis necessariæ Confessario ad talem actum; sicut lumen materiale necessarium est Clauigero ad vsum Clauis materialis, expressis verbis traditur in Extrauag. Ioan. 22. *Quia quorundam. De verborum significatione §. Quod autem 1.* apertáque ratione probatur, in cap. primo De pœniten. distinct. 6. §. Caueat, cùm de spiritali Iudice, hoc est, de Confessario, sic dicitur: Oportet sciat cognoscere quidquid debet iudicare: iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debeat Iudicare, discernat.] Cui rationi aliæ addi possunt ex Nauarr. in eundem locum: sed res tam clara est, vt nemo sit, nisi salutis suæ immemor, nec mentis suæ compos, quin eam sibi ita persuadeat, vt nullatenus velit Confessarium eligere ignarum, sequens potius monitum quod in principio eiusdem cap. primo habetur, cum dicitur: Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare & soluere; ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui cum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit.]

Quæ verba ostendunt primò illud, quod Nauarr. *Nu.139.* ex communi sententia in Enchir. *cap. 4. nu. 4.* adfert, peccare mortaliter eos qui sine debita scientia, dant operam audiendis confessionibus, cognoscentes se non intelligere quod oporteret, quantalibet præfulgeant bona vitâ, ac conscientiâ & subtilitate ingenij, industriáque naturali ad alia munera obeūda. Et ratio confirmat, quia indignè dignissimum Sacramentum administrant, iudicantes solummodò casu, & tanquam si cæcus cæco ducatum præster. Neque excusabit approbatio ab Episcopo facta per examen, etiam bona fide: quoniam ea non reddit scientem: sicut nec obedientia, ex qua aliqui Religiosi à suis Superioribus iubentur audire confessiones. Vnde ex eodem Nauar. *in seq. num. 6.* in tali casu mortaliter peccarēt & iubentes, & iussum exequentes. Ratio est, quianon nisi indignè tam dignum munus sine sufficienti scientia exerceri potest. Quæ ratio ostendit etiam quod idem *in cit. num. 4.* adhuc habet: mortaliter peccare Superiorem qui exponit, aut expositum tolerat eum qui nó habet scientiā ad hoc munus sufficientem. Obedientia autem illud tantùm efficere potest (quod post eundem *in seq. nu. 6.* admonet Suarez *tomo 4. disput. 28. sect. 2. num. 7.*) vt inferior excusetur à peccato, si de sua capacitate dubitans, tali dubio scrupulóque deposito, credat suo Superiori, dicenti quod idoneus sit ad Sacramentum hoc ministrandum: dummodo aliud non constet sibi euidentissimè (quo casu agens contra conscientiam, ædificaret in gehennam cap. Literas. §. Porro. De restitut. spoliatorum) standō enim Superioris iudicio, cui suum in dubio submittere debet, non peccat in ea re. Addit verò Suarez ibidem, approbationem Episcopi bona fide factam, posse idem efficere respectu Sacerdotum secularium sua sponte hoc munus assumentium: quia Episcopus quoque Superior est, cuius iudicio illi stare possunt, quando contrarium non constat euidenter.

Doctrinam hanc Sylueſter expositis ad audien- *Nu.140.* das confessiones tradens pro regula *in verbo Confessor 3. num. 3.* alteram subiungit pro exponentibus: quòd si viderint exponendum, habere tantùm grammaticam, per quam lecta intelligat, & constet quod viderit, lectitaritque, Defecerunt, id est, Summam confessionalem D. Antonini, aut alium similem librum; (quod intellige cum Armilla *verbo Confessor num. 2.* lectitasse sufficienter ad praxim) neque ita stolidum esse, quin dubitet, vbi dubitandum est; neque teme-

Universidad de Deusto
Biblioteca

farium & præsumptuosum in iudicando, posse talem secutè exponere.

Nu. 141. Ostendunt secundò antè proposita verba, defectum scientiæ debitæ in Confessario esse de numero eorum qui reddunt confessionem inualidam, & iterandam. Si enim is validitati absolutionis non obstaret, nihil esset cur ob eum diceretur Pœnitens, tâquam circa se negligens, negligi à Deo, & cum suo Confessario cadere in foueam; *iuxta illud nimirum Math.* 15. Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.] quodquidem in valide absolutum non quadrat. Et certè, cùm ignarus sit tanquam cæcus, qui de coloribus non iudicat, vt nec quisquã alius de incognitis, iudicium quod ille protulerit, nequit prudenter validum censeri, taléque esse cui meritò standum sit. Id quod cum in omnibus aliis iudiciis homines sibi facilè persuadeant, cur idipsum aliqui non faciant de iudicio pœnitentiali; ratio alia esse nõ potest, quàm quod suis affectibus seruientes; tàm naturale, quam fidei lumen menti suæ impressum, opprimant; tanquam claudentes oculos ne videant, nec conscientiæ stimulis verberentur. Nam alioqui res ipsa loquitur, vt pote manifestissima: tum ex multiplici persona, quam Confessarius in tali iudicio sustinet, Vicarij Christi, Iudicis, Medici, Pastoris, Doctoris, & Sacerdotis proprij: tum ex multiplici munere quod in eodem obire debet: nimirum Pœnitentem excitandi ad veram contritionem, iuuandi interrogationibus ad faciendam integrè confessionem; docendi, monendi, arguendi, obiurgandi, consolandi, animi morbis medendi, satisfactionem imponendi, ad vitę emendationem confirmandi, aduersus relapsum corroborandi, iudicandi de ipsius non modo externis actionibus, & verbis; sed etiam de internis cogitationibus, omninóque de dispositione, num ea sufficiens sit ad absolutionem, ac demum munus proferendi sententiam, ex qua hominis æterna salus pendet. Qualia sine scientia, vt par est præstari non posse, apertum est.

Nu. 142. Porrò qui debeant confessionem iterare, eoquod illam Confessario ignaro fecerint, eruditus ac prudens Confessarius cognoscet duobus modis, vt notat Nauar. *in Enchir. cap. 9. num.* 9. Altero, exploratum habendo omnimodam ignorantiam illius prioris Confessarij, quem aliunde probè nouerit ignorare, quæ communiter passimque sciuntur; vt verbi gratia quod peierare, aut per se vindictam sumere de iniuria accepta, non sit peccatum. Iterandam enim esse confessionem, quando talis ac tanta fuerit ignorantia, habet à Victoria *de sacrament. num.* 168. ex cõmuni opinione. Altero modo verò, eiusmodi ignorantiam colligendo ex discursu confessionis, quam Pœnitens tunc facit: nempe si ostendat Confessarium in rebus grauibus, quas (iuxta dicenda in sequenti capite) neutiquam ignorare debuit, nullum ei iniecisse conscientiæ remorsum.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De qualitate & quantitate scientiæ in Confessario requisitæ.

SVMMARIVM.

143 *Perfecta Confessarij scientia, quænam sit: quòdque ea non requiratur de necessitate ad vsum Sacramenti Pœnitentiæ.*

144 *Regula generalis dari non potest de mediocri scientia Confessarij, sufficiente confessionibus dignè audiendis.*

145 *Talis scientia requirit peritiam iudicandi tum de Pœnitente, an absolui possit; tum de illis de quibus confitetur, an peccata sint, & an mortalia, vel venialia.*

146 *Quæ oporteat Confessarium de peccatis scire.*

147 *Tres casus in quibus potest à peccato excusari ignarus audiens confessiones.*

148 *Quid tenendum sit de confessione ignaro facta, bona fide.*

149 *Cognoscenda à Confessario de eo cuius confessionem excipit, & inter ea irregularitatem esse numerandam.*

150 *Quatenus à Confessario talis cognitio exigatur.*

151 *Pœnitentem peccare, inualidamque confessionem facere, qui ei confitetur, quem nouit non habere scientiam sufficientem.*

152 *Abusus damnabilis substituentium sibi Vicarios ignaros.*

153 *Præsentem scientiam esse in Confessario necessariam.*



Valis quantáque sit ea scientia, cuius defectus in Confessario parit antedicta incommoda, aut eorum saltem apertum periculum, sub mortali vitandum, iuxta illud *Ecclesiastici* 3. Qui amat periculum, peribit in illo] explicatur sequentibus propositionibus.

Prima est: ad eminentem Confessarij scientiam, *Nu.* 143. per quam vndequaque sibi sufficiat, requiri, vt vtramque practicam Theologiam, tàm moralem, quàm sacramentalem calleat; ac iuris, præsertim canonici, peritiam habeat, constitutionésque Synodales regionis, in qua confessiones audit, teneat. Hãc habet Nauarr. *in Enchir. cap. 4. num.* 3. *& ad* §. *Caueat num.* 9. *De pœnit. distinct.* 6. *cap.* 1. Et probatur, quia nemo potest censeri Confessarius suis numeris absolutus, nisi omnibus sibi confiteri volentibus satisfacere possit per seipsum. Hoc autem non potest sine plena Theologiæ practicæ, & iuris saltem Canonici cognitione; dixi (saltem Canonici) quia non videtur ad id tam necessaria esse iuris ciuilis notitia, quàm vrget Nauarrus: vt argumento est, quòd ab eiusdem iuris studio Ecclesia, vibrato etiam excommunicationis gladio, reuocet non modo Religiosos, & in Ecclesiastica dignitate constitutos sæculares; sed etiã Presbyteros simplices. cap. finali. Ne Clerici vel Monachi. Porrò, sicut certum est Confessarium istiusmodi eminenti doctrina instructum, idoneum esse audiendis confessionibus vbiuis locorum, & quarũuis personarum: sic etiam constat non esse necessarium, vt quicumque non est ea instructus, iudicetur ad id munus ineptus: alioqui enim, vt loco citato Nauarrus rectè argumentatur, non modò nunc, sed etiã anteà, in Ecclesia nonnisi admodum pauci, aut penè nulli fuissent idonei Confessarij: quod cùm absurdum sit, concedendum est, mediocrem aliquam scientiam posse in foro interno sufficere; sicut in externo sufficere idem author communiter concedi, ibidem tradit.

Secunda propositio est: quæ scientia mediocris *Nu.* 144. sufficiens sit confessionibus dignè, ac sine peccato mortali audiendis, non posse aliqua certa regula determinari, sed relinqui arbitrio boni viri, prudenter considerantis qualitatem loci vbi audiendæ sunt, & cõditiones personarum tam Pœnitẽtis, quàm Confessarij. Hæc, quam Caiet. attigit in Summula *verbo Confessionis iteratio, sub finem*, cõfirmatur per illud quod Nauarr. *in eod. num.* 4. *& ad* §. *Caueat ante memoratum num.* 17. notat, & ante eum Panorm. *ad cap. Cum in cunctis. de electione num.* 4. non quemcumque idoneum ad audiendam confessionem alicuius certæ personæ, vel in aliquo certo loco, esse pariter idoneum ad audiendas

diendas confessiones quarumuis aliarum personarum, aut in quouis alio loco; quia audiens confessiones in aliquo vico, aut pago rusticorum simpliciumque hominum, non indiget tantã scientiã, quãta ille qui audit in ciuitate, vbi plures & grauiores occurrunt difficultates exequendi pro dignitate, illa quæ ei de necessitate incumbunt ex officio. Similiter scientiã maiore indiget, qui audit in ciuitate in qua homines sunt subtiliori ingenio, aut mercimoniis, aliisve arduis negotiis implicantur, vel in qua subtiliores solent contractus fieri, quàm in aliis. Adde & qui in toto regno audit, quàm qui in vna tantùm ciuitate: Item qui in ciuitate, alióve loco audit, vbi nõ habentur viri docti qui consulantur; quàm vbi habentur. Adhæc maior requiritur scientia in Episcopo, quàm in Parocho; non tantùm quia ille est omnium de Diœcesi Ordinarius Confessarius, & hic, tantùm eorum qui sunt de vna Parochia: sed etiam quia Episcopus est is, ad quem in suis difficultatibus debent Parochi recurrere, tanquam ad suum, & suorum Iudicem, animarúmque pastorem, qui eorum instructioni debet prouidere; ne per ignorantiam, in ipsis etiam diuinis Sacramentis offendant. Videri possunt quæ in eam sententiam habet Petrus à Soto *in institutione Sacerdotum, titulo primo, qui est de scientia Sacerdotibus necessaria. Lect. 2. propos. 2. corol.* 3. Denique, quò Pœnitentes casus habent grauiores, & plures, vt communiter Reges, Principes, Episcopi, Iudices, aliique Magnates, eò doctiores Confessarios habere debere dubium non est. Ex quibus relinquitur manifestũ, certã generali regulã determinari nõ posse, quę scientia in Cõfessario requiratur ad dignè exequendum suum munus; sed id arbitrio prudentis ex inspectione conditionum loci & personarum, relinquendum esse.

Nu 145. Tertia propositio est: Confessario necessariã saltẽ esse scientiam, quà sciat, possitne eum qui sibi confitetur absoluere an non: & an ea de quibus ille confitetur, sint peccata, vel non: & an peccata mortalia, vel venialia: sique in aliquo esset difficultas, dubitare sciat. Hanc Nauar. habet partim in Enchir. *ca.* 4. *n.* 4. partim ad §. Caueat De pœnitẽtia dist. 6. *c.* 1. *n.* 20. vbi illam ex D. Tho. refert: sicut & Sylu. Cõfessor. 3. n. 2.

Confirmatur autem per illud quod in cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnitentiis & remiss. §. Sacerdos statuitur, debere Sacerdotem inquirere peccatoris circunstãtias, & peccati. Inde enim constat Confessariũ debere minimùm scire, an peccatori, cuius confessionem audit, aliquid insit propter quod illum absoluere non possit: & an peccata illius sint mortalia, aut venialia: quas enim circunstantias peccatoris, & peccati inquirere, sciréque debeat, si has non debeat, dici non potest. Et certe vsum potestatis ligandi & absoluendi, à Christo in Ecclesia relictæ, requirere in Confessario scientiã, qua discernat inter casus in quibus possit, vel non possit absoluere; patet ex definitione clauis (quo nomine metaphoricè talis potestas significatur) approbata in Extrau. Ioan. 22. Quia quorũdam. De verborum significatione. Qua dicitur esse spiritalis potestas ligãdi atque soluendi, qua Iudex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere debet à regno. Accedit ad eandem propositionis huius confirmationem, doctrina tradita in Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. cũ necessitas integrã peccatorũ confessionẽ faciendi Cõfessario infertur ex eo, quòd Christus è terris ascẽsurus ad cœlos, Sacerdotes suiipsius Vicarios reliquerit tanquã Præsides, & Iudices, qui pro potestate clauium, remissionis aut retentionis peccatorũ, in quæ fideles ceciderint, sententiã pronunciẽt. Atque illationis ratio deinde redditur, quòd constet Sacerdotes nõ posse tale iudiciũ incognita causa exercere: neque æquitatẽ in iniungendis pœnis seruare, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim fideles ipsi peccata sua declarassent. Ex hac enim doctrina allatam propositionem de scientia necessaria Confessario deduci patet; quia confessione facta Confessario nescienti discernere inter ea quæ sunt, & non sunt peccata: aut quæ sunt mortalia, vel venialia, aut à quibus absoluere potest, vel non potest: perinde ac non facta cõfessione, manet causa incognita, saltem cognitione requisita, ad eam æquitatem iudicij, de qua Concilium loquitur, quidquid sit de validitate sacramenti, quam interdum contingere non obstante talis cognitionis defectu, ostendunt paulo post dicenda.

Enimuero eum duplici moderatione intelligenda *Nu.* 146. est hæc eadem propositio. Prior est, quam attingit Nauar. *ad cit.* §. *Caueat num.* 21. vt ea procedat tantùm quoad peccata illa quæ communiter sciuntur peccata esse: vt septem capitalia (inquit D. Antoninus *parte 3. tit. 17. cap. 16.* §. 2.) quia sunt elementa quædam & principia quæ de necessitate scire oportet; itemque illorum species tales, quæ nominatæ statim intelliguntur alicuius talium generum malitiam annexam habere; vt inobedientia habet superbiæ; fornicatio, luxuriæ; furtum; auaritiæ; ebrietas, gulæ; detractio, inuidiæ; & similia communiter nota, quæ Sacerdotem ignorare rarò contingit, itavt necesse non sit hac ex parte nos formare scrupulos, inquit Franc. à Victoria *de sacramentis num.* 168. Itemque procedat quoad mortalia & venialia in genere: nempe vt Confessarius non ignoret in genere quod peccatum pro mortali, quodque pro veniali habendum sit (id quod in sequenti tertia parte tomo 1. lib. 5. explicabitur ex instituto) adeovt difficultates saltẽ percipere sciat, & dubitare de non communiter notis, an sint mortalia, necne, vt consulere valeat peritos, à quibus discat quid sequi debeat. Aduerte verò obiter, quod ex Corduba Suarez adfert *tom. 4. disput. 28. sect. 2. num.* 17. cùm non sit de necessitate huius sacramenti, vt Sacerdos & Pœnitẽs cognoscant totam grauitatem culpæ; probabile esse, quod Confessio sit valida, quantumuis Pœnitens confiteatur aliquod peccatum vt veniale, quod est verè mortale, & Confessarius eãdem ignorantiã laboret.

Aduerte etiam, in re proposita non esse faciendã distinctionem inter eos qui onus confessiones audiendi ex obedientia assumunt, & eos qui sua sponte ad illud se offerunt, quasi hi de omnibus, de quibus Pœnitẽtes confitentur, tenẽantur iudicare; num peccata sint mortalia nécne; illis verò sufficiat quod antè dictum est. Nam, vt Nauarr. *in Enchir. c. 4. num.* 3. argumentatur: nullus potest canon adferri in quo talis distinctio fundetur: sique ea esset vera, pauci aut nulli ex Confessariis sæcularibus salui fierent.

Itaque generaliter constitutũ sit, quod habet Sylu. *in verbo Confessor tertio q. 9.* Confessarium non teneri semper audito quouis peccato iudicare vtrum sit mortale; quia vix alioqui reperiretur in toto mundo vnus Confessarius idoneus: sed sufficit vt iudicet de iis quæ scire tenetur iuxta antedicta. De aliis verò difficilibus potest suspendere iudicium, dummodo opportunum remedium apponat, ne denuo committantur, si dubitet esse mortalia: quod sæpè contingere potest ex incertitudine facti, aut ex materiæ leuitate, aut ex defectu plenæ aduertentiæ, aut ex ignorantia, vel scrupulis Pœnitentis, aliisque circunstantiis, per quas potest iudicio faciendo impedimentum adferri. Nec etiam tenetur cognoscere omnes species peccatorum minutissimas, quarum cognitionem suis disputationibus ægrè assequũtur docti Theologi: sed communiores,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& mediocribus Confessariis vt plurimum notas. Quando autem ei se offert Pœnitens, implicatus grauibus negotiis, & difficultatibus; simoniæ, vsuræ, censuum, cambiorum, testamentorum aut similium, debet illum remittere ad virum aliquem doctum, à quo plenius instruatur de eo quod licitè vel illicitè actum fuerit: ea enim omnia ex se scire non tenetur Confessarius, sicut nec esse Doctor in Theologia, vel in iure; sed sufficit vt nesciens, ad doctiores recurrat pro talium difficultatum resolutione.

Posterior moderatio traditæ propositionis est, vt ea intelligatur exceptionem pati in tribus casibus, in quibus ex Nauarr. *in seq. num. 5.* à mortali peccato excusari potest imperitus audiens confessionem.

Nu.147. Primus est, quando Pœnitens sibi ipsi valdè sufficiens est, non tantùm ad confitendum peccata, & eorum circumstantias, ac numerum; sed etiam ad exponendam Confessario peccatorum suorum grauitatem: dicendo exempli gratia. Istud est mortale sacrilegium, cum excommunicatione non reseruata: Illud est furtum, cum obligatione ad restitutionem: & sic de cæteris. Neque id tantùm, sed simul etiam talis est, qui meritò iudicetur bonam rectamque habere conscientiam; vt non tantùm possit, sed etiam velit Sacerdotis ignorantiam supplere, instruendo ipsum sufficienter. Quod tamen parum decet, nec consultum est pœnitenti ipsi: quia Confessario docto & idoneo confitens, si ille fortè etret, ipse excusatur per ignorantiam probabilem, tamquam is qui nitatur authoritate viri docti, & ad munus suum obeundum idonei: quod non contingit confitenti Cõfessario indocto, ac ignaro. Seruet igitur quod præscribitur initio cap. 1. De Pœnitent. distinct. 6. his verbis: Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare & soluere.]

Secundus casus est, quando pœnitentes sunt personæ spiritales, accedentes crebrò ad confessionem, ideoque subinde, nõ nisi venialibus peccatis obligati tenentur; quæ cùm nõ sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ (ex definitione Concil. Trid. *sess. 14. cap. 5.*) quòd pleraque illorum nõ intelligantur à Confessario, non impedit confessionis validitatem: sicut nec impediret, si talia in confessione à pœnitente silerentur.

Tertius casus est, quando Pœnitens versatur in articulo mortis, nec præter ipsum imperitum adest alius, à quo audiri possit. Quem casum ob similem extremam necessitatem spiritalem Nauarr. ibidem extendendum esse vult, ad eos qui degunt apud infideles, cum deest illis copia Confessarij peritioris, siue ij liberi sint, siue serui. Ratio verò exceptionis faciendæ in his casibus hæc reddi potest: quòd in eis cum sufficiente dispositione Pœnitentis concurrat (vt supponimus) sufficiés potestas Confessarij, cuius acquirendæ, imperitus capax esse potest, ex omnium sententia, *vt monet Suarez in cit. disput. 28. sect. 2. num. 13.* Et patet ex eo quòd proprius Sacerdos ignarus possit iurisdictionem in suos validè delegare, ipseque depulsa ignorantia, confessiones eorum audiendo ex officio, illâ per se vti.

Nu.148. Immo idipsum quod in hac re necessitas dicitur facere, idem Suarez *in præcedenti num. 12.* censet bonã quoque fidem confitentis facere; quando simul adest sufficiens tùm contritio, tùm confessio ex parte Pœnitentis. Quod probat, quia cùm interueniat tunc ex parte Pœnitentis confessio integra, si ex parte quoque Sacerdotis interueniat talis eiusdem perceptio, quæ etsi non sit exacta cognitio, sufficiat tamen ad cognoscendum materiam adesse ad Pœnitentiæ sacramentum sufficiétem: nihil obstabit quin ipsum sit validum, si super eamdem materiam sacramentalis forma verborum proferatur cum intentione & iurisdictione ad id requisita; quia nihil substantiæ deerit; præsertim Pœnitente procedente bona fide, prout ponimus. Si quis obiiciat quod sub finem præcedentis capitis habitum est, ex communi opinione iterandam esse confessionem factam ignaro, cuius ignorantia tanta est, vt ipsa sit etiam eorum, quæ à paucis ignorantur. Respondendum est id procedere quando, etiamsi bona fide confessio facta est; postea tamen deprehenditur Confessarius ob imperitiam nihil eorum quæ audiuit intellexisse tanquam peccata (qua tantùm ratione constituunt materiam sacramenti Pœnitentiæ) sed solùm percepisse vt facta quædam; de quo, vt inquit à Victoria, *de sacrament. num. 168.* non oportet formare scrupulũ, cùm rarò occurrat talis Confessarius. Vel procedere quando mala fide agitur, vt fieri potest duobus illis modis quos adfert Suarez *in fine cit. sectionis 2.* Prior est, quando cognouit illum cui confitebatur, ita imperitum esse, vt suam conscientiam diiudicare non sufficeret: & nihilominus ei confessus est. Posterior verò, quando inter confitendum aduertit Confessarium non percipere sufficienter grauitatem peccati sui, & nihilominus de eo confessus est solùm simpliciter, illo non instructo, nec sufficienter informato.

Quarta propositio est: necessarium esse Confessario quinque in particulari cognoscere de eo, cuius confessionem excipit. Primum, An sit excommunicatus. Secundum, An teneatur ad aliquam restitutionem famæ, vel pecuniæ, vel alterius ablati. Tertium, an sit in statu damnationis: habendo scilicet voluntatem perseuerandi in peccato mortali, aut quid aliud, per quod impediatur validitas confessionis, iuxta dicenda suo loco in sequenti lib. 6. cùm de ipsa confessione agetur. Quartum, an habeat casum reseruatum. Quintum an in illum, quem audit, iurisdictionem sufficientem habeat. Hanc propositionem ex Caietano *in verbo Confessor.* acceptam Nauarrus approbat. *De pœnitent. distinct. 6. cap. primo §. Caueat num. 24.* Et meritò: quia talibus ignoratis Cõfessarius nequit scire, an eum qui sibi confitetur absoluere possit, cùm id sit ignorare illa quæ de necessitate Sacramẽti cõcurrere oportet ad rectè validéq; absoluendũ; prout patet ex cõmuni doctrina de validitate confessionis loco ante memorato tradenda. *Nu.149.*

Tria autem aduertenda sunt in hac re, quæ idem Nauarrus *ibidem* consequenter persequitur. Primum est, quod quamuis verum sit irregularem absolui posse à peccato, non ablata irregularitate; non ideo tamen negandum esse, quin Confessario Clericos frequenter audienti necessaria sit cognitio casuum, in quibus irregularitas incurritur: quia munus Confessarij non solum est peccatorem absoluere; sed etiam super iis, à quibus abstinere debet, præbere consilium, & remedium adhibere accommodatum; *iuxta cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnitent. & remiss. §. Sacerdos.* Si autem nesciat in quibus casibus fiat quis irregularis (*de illis dicetur lib. 30. tract. 2.*) nec sciet suo pœnitenti aliquem talem casum habenti, consilium dare de eo, ad quod sub mortali tenetur; abstinendi, inquam, ab vsu Sacramentorum, donec ab irregularitate, qua tenetur, liberetur: vel quoad beneficium, quod irregularis acquisiuit, relinquat: Quæquidem consilia sequi recusantem, debet sine absolutione dimittere; cùm sic celebrandi, aut sic retinendi beneficium voluntatem habere, sit in malo statu perseuerare velle; *argumento cap. Pœnitentia 1. & 2. De Pœnitentia. Distinct. 3.* Idipsum quod Nauarrus de ir

de irregularitate ait, maiori ratione dicendum etiam est de suspensione, & interdicto. Et ita ad quinque memorata in allata propositione, addendum sextum, An pœnitens sit irregularis, aut irretitius aliqua censura, suspensione vel interdicto.

Secundum est, necessarium esse omnibus Confessariis, ex quinque in propositione memoratis, cognoscere tria prima, cum sexto illis superaddito; quartum verò de casibus reseruatis, necessarium præsertim esse iis qui nequeunt ab iisdem casibus absoluere: quintum autem iis maximè, qui non habuerint iurisdictionem, qua possint quoscumque fideles ad se venientes audire. Id quod ante Nauarrum notauit etiam Caiet. *in eodem verbo Confessor.*

Nu.150. Tertium est, iam dictam cognitionem non esse ita exigendam, vt Confessarius in promptu habere debeat omnes excommunicationes in particulari, omnesque casus in quibus pœnitens manet in statu dãnationis ob voluntatem peccandi mortaliter, aut omnes casus reseruatos, aut omnes irregularitates, & suspensiones; sed vt audiendo confessionem, sciat de talibus dubitare; & habito consilio doctioris, vel recursu ad libros, sciat rectè iudicare. Nam, ex recepta sententia Innocentij *ad cap. Cum in cunctis. De electione.* scientia censetur sufficiens, per quam quis studio, ac librorum reuolutione conclusiones ad suum officium pertinentes explicare valeat, atqueadeo (prout addit Nauarr.) per quam Confessarius consilio adiutus doctiorum virorum, & librorum quos possit sine magna difficultate inuenire, de pertinentibus ad suum munus sufficienter instruatur. Ad quam instructionem spectantia persequemur Deo iuuante ex instituto, in sequenti secunda & tertia parte.

Nu.151. Quinta propositio est: Pœnitentem peccare mortaliter, & ad iterandam confessionem teneri, qui eam facit Confessario, quem nouit ita imperitũ, vt suam conscientiam diiudicare non sufficiat. Hanc habet Suarez *tomo 4. disput. 28. sect. 2. num. 9.* addens eam procedere non obstante quòd talis Confessarius sit approbatus, & publicè expositus, aut etiam proprius pastor eiusdem Pœnitentis. Ratio est, quòd eligat indignum, & inducat illum ad id quod non potest licitè præstare: & quòd circa se negligens, negligatur à Deo, *iuxta cap. primum De Pœnitentia. Distinct. 6. in principio.*

Nu. 152. Vnde, atque ex aliis antedictis, intelligitur abusum esse intolerabilem, quem meritò Nauarrus *ad citatum §. Caueat num. 9.* optat quotidie argui à Concionatoribus; vt qui animarum curam susceperunt, illarum regimen, (quod est ars artium, *vt dicitur in cap. Cum sit, de ætate & qualitate*: ordinariéque requirit notabilem scientiam propter necessitatem audiendi confessiones quorumcumque subditorum, qui sunt diuersæ conditionis) committunt Vicariis, quibus nihil est plus eruditionis, quàm visum est sufficere, vt Sacerdotio initiarentur: non curantes quis doctior sit, cui Vicariatum concedant: sed quis minori mercede inseruiat; quod quidem est ab omni ratione alienum, vt satis ostendit sententia ab omnibus Theologis & Canonistis recepta, teste Petro à Soto *in institut. Sacerd. de scientia Sacerdotibus necessaria. sect. 2.* Quòd quilibet ordinem aliquem, aut gradum habens in Ecclesia, teneatur scire, quæ necessaria sũt ad ritè exercendos sui ordinis actus. Nec enim (inquit ille benè) sine ratione dirigente potest aliquis humanus actus fieri: nec ratio rectè dirigere, nisi per scientiam instructa: itavt carens scientia eorum quæ operatur, non nisi temere operetur.]

Vnde & infert, ei qui ordinatur tantùm ad celebrandum, seu qui vult eum tantum Sacerdotij actũ exercere, nec ad alium adstringi; sufficere vt habeat scientiam illorum quæ ad talem peragendum necessaria sunt; vt est (secundum receptam sententiam teste Nauarr. *in cit. num. 19.*) quòd sciat legere & construere verba illius idiomatis in quo est Missam celebraturus. Eum autem qui omnes sacerdotales actus exercere vult in Ecclesia, aut curam animarum habere, teneri scire quæ ad integritatem & vsum Sacramentorum pertinent; præcipuè illorum quæ administraturus est: & communem fidei ac morum doctrinam populo necessariam. Ad administrationem autem Sacramenti Pœnitentiæ, ostendimus multa esse necessaria, quę ignorantur à plerisque Sacerdotibus.

Nec satis est, quòd appareant progressu temporis comparaturi sufficientem scientiam; quia dicta administratio non est contenta possibili ac futura scientia, sed actualem præsentemque requirit: cùm per futuram scientiam ratio non magis dirigatur de præsenti, quàm per nunquam futuram, vt manifestum est. Nec item satis est quòd dicturi sint Pœnitentibus, vt antequam ad confessionem veniant, consulant doctiores, à quibus intelligant, num habeant excommunicationem, aut casum reseruatum, aut obligationẽ restituendi, aut aliud quod difficultatem parere possit. Nam, vt Nauar. *in sequenti num. 27.* contra vrget, nihil tale est vsu receptum, indéque multi à confitendo retraherentur, præsertim cùm id meritò molestum sit, & ansam præbeat propalationi: occultorum criminum, compellatque Pœnitentem, ad bis confitenda (saltem indirectè) eadem peccata; semel quidem docto qui consulitur; cum nõ possit statuere, an quis liber sit ab excommunicatione, aut ab alio impedimento absolutionis, nisi is aperiat illi totam suam conscientiam; iterum viro indocto, à quo, tanquam proprio Sacerdote, accipiẽda est absolutio: quem adhuc debebit certiorem facere, quòd omnia sua crimina prædicto docto aperuerit: alioquin dubius manebit, nec nisi temerè absoluet, cæcusque cæco ducatum præbens ambo in foueam cadent: quo nihil indignius, miserius, & horribilius; quandoquidem relictum fidelibus à Christo speciale remedium salutis, ea ratione fiet illis occasio æternæ damnationis. *Nu.153.*

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

De bonitate Confessarij.

SVMMARIVM.

154 *Bonitas in Confessario requiritur non tantùm quæ Pœnitenti, sed etiam quæ sibi bonus sit.*
155 *Pertinentia ad bonitatem Confessarij.*
156 *Necessaria est maximè in Confessario charitas, cum humilitate, & patientia.*
157 *Applicatio ad nostrum institutum ex D. Bernardo, quod tres mulieres cum aromatibus venerunt ad Christi sepulchrum, vt eum mortuum ungerent.*
158 *Mentis, tanquam primæ mulieris, quasi aromata, Zelus iustitiæ, compassio proximi, & discretio.*
159 *Linguæ verò, tanquam secundæ mulieris, modestia in increpando, copia in exhortando, & efficacia in persuadendo.*
160 *Manus denique, tanquam tertiæ mulieris, continentia, misericordia, & pietas.*
161 *Peccatum est mortale, Sacramentum Pœnitentiæ administrare in peccato mortali.*
162 *Malitia Confessarij, in peccato mortali Sacramentum Pœnitentiæ administranti, non reddit de se*

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud inualidum.

163 *Peccatum est mortale ab excommunicato non tolerato ab Ecclesia, Sacramentum suscipere, quantumcumque ad administrandum vltrò se offerat, ac etiam proprius Pastor sit.*

164 *Quando liceat Sacramentum suscipere ab excommunicato tolerato ab Ecclesia, aliòve qui illud ministraturus est in malo statu.*

165 *Quando liceat improbum ministrum non paratum, nec se offerentem inducere ad Sacramentum administrandum.*

166 *Excommunicatus toleratus per pœnitentiam ad Deum conuersus, licitè ministrat Sacramentum, quando ex officio, aut vrgente necessitate ad id obligatur.*

167 *Licitè Sacramentum petitur à Sacerdote, quem non constat in malo statu esse, etiamsi non constet esse in bono statu.*

*Nu.*154. IN Confessario bonitas requiritur, non tàm qua Pœnitenti bonus sit, instructus virtutibus ad munus suum dignè obeundum requisitis: sed etiam qua sibi sit bonus, diuinâ auctus gratiâ, eliminante ab anima omne mortale peccatum. Ipse enim, cuius genibus humiliter aduoluitur peccator, exponés ei suos languores ita dispositus in se debet esse, vt in nullo eorum in quo iudicare paratus est, sit iudicandus, ne in quo alterum iudicat, seipsum condemnet; ac dum alterius repurgationi à peccatis incumbit, semet similiter inquinatum contemnens, audiat meritò illud Ecclesiastici 14. Qui sibi nequã est, cui alij bonus erit?] Debet igitur cognoscere seipsũ, sique aliquid quod in aliis damnandum est, in se deprehendat, debet illud (iuxta D. Augustini præscriptum, *relatum de pœnitentia dist. 1. cap. 1. §. Sacerdos*) à se proiicere, atqueadeo per veram pœnitentiam recuperationi diuinæ gratiæ operam dare: præsertim cùm in statu peccati mortalis constitutus, toties mortaliter peccet, quoties confessiones audit: etiamsi validè absoluat, vt inferiùs in hoc ipso cap. tractabitur, sub titulo de administratione Sacramẽti Pœnitentiæ per Confessarium existentem in statu peccati mortalis: addita explicatione difficultatis huc quoque spectantis, An liceat confiteri tali Confessario. Prius enim persequi oportet quæ pertinent ad ipsam, de qua ex instituto agimus, Confessarij bonitatem.

De iis quæ ad Confessarij bonitatem pertinent.

Sectio I.

*Nu.*155. AD hanc igitur bonitatem (vt in directorio notat Polancus *ca. 1. art. 3.*) pertinet vt exterius nihil in Confessarij vultu, & gestibus, vel motibus corporis, vel etiam in vestitu videatur, nec in voce audiatur, quod non deceat virum maturum, qui meminit se locum Dei tenere. Interius verò, vt secum reputans cuius vices gerat, tanquam in eius oculis cõstituturus, cum reuerentia & timore munus suum obeat, ac humiliter de se sentiens Pœnitentes sibi præferat, & se meliores existimet, satagendo eos lucrari ad amplificandum Christi regnum; augendam, ac ditandam sanctis viris Ecclesiam, extirpandam diaboli tyrannidem; ac Christi sanguine redemptas animas ad salutis portum deducendas.

*Nu.*156. Cæterum cùm ad hoc plurimæ virtutes in Confessario requirantur, vt bene ostendit, piéque in particulari inculcat Gaspar Loartes *libro 1. institutionis Sacerdotum*: eminere tamen ipse potissimum debet in charitate: quia cùm sit medius inter Deum & peccatorem continentem, debet per amorem vnitus esse Deo, vt ea quæ pro peccatore petierit, tanquam amicus obtinere valeat. Itemque proximum amare sicut seipsum, vt de æterna sua salute ob peccata commissa periclitanti non detrectet subuenire cum humilitate & patientia. Quibus duabus virtutibus ipsum munitum esse oportere patet: humilitate quidem, quia licet Confessarij munus nobilissimum sit, ex eminenti authoritate ligandi & soluendi in terra, quæ ligentur & soluantur in cœlis, non modo Angelis, sed & Beatissimæ Virgini non concessa, cap. Noua. De pœnitẽt. & remiss. ex vsu tamen humillimum est, vtpote ei simile, quo Chirurgus saniem abstergit ex vulneribus, & cuique pro sua conditione emplastra, aliaque id genus remedia applicat: quæ similitudo est D. Basilij *in regulis fusius disputatis respon. 30.* Patientia verò munitum esse oportet, quia longè difficilius est animi, quàm corporis vulnera curare. Cùm enim in morbis corporis is maximè morbum cognoscat, & sentiat qui patitur; maximéque omnium cupiat sanari, medicum accersat, & desiderio sanitatis nullum, quamuis ingratum, refugiat medicamentum: in anima contrà omnino euenit, vt plerumque infirmus præ omnibus, morbum suum ignoret, medicum refugiat, curationémque ęgrè admittat: ideo hac in re opus est patientia: nec despondendum animo, sed habendum in memoria illud eiusdem D. Basilij *in præced. respon. 10.* nihil esse in rerum natura, quod diligentia non corrigatur; neque esse vitium adeo graue, quod Dei timore non peruincatur. De illius ergo, qui ex lapidibus potest excitare filios Abrahæ, confisi misericordiã non defuturã, demus operam comparandæ bonitati, per quam tanti huius ministerij simus ministri idonei.

*Nu.*157. Ad illam verò imprimis spectant nouem ea quæ D. Bernard. in sermo. 2. de Resurrect. præclarè explicat sub typo trium mulierum, quæ cum aromatibus venerunt ad sepulchrum Domini nostri, vt eum vngerent. Peccator enim fidem habens sine charitate, est quasi sepulchrum, in quo Christus iacuit mortuus, iuxta illud quod D. Paulus ait *ad Ephes. tertio.* Christum per fidem habitare in nobis: & D. Iacobus *in ca. 2. suæ epistolæ*, mortuam esse fidem sine operibus: seu non operantem per charitatem: sicut corpus sine spiritu mortuum est. Fides, inquit D. Bernar. sine charitate in animo, est Christus mortuus in sepulchro, quem suscitare nostrum non est, sed vngere incumbit. Itaque amore Christi accensæ, ad eum in peccatore vngendum veniant cum aromatibus quasi tres mulieres, mens, lingua, & manus.

*Nu.*158. Ac mens quidem cum aromatibus zeli iustitiæ, compassionis proximi, & discretionis, per quam duo illa temperentur, ne in spiritu vehementi conterantur naues Tharsis: sed Confessarius ęmulari opportunè, & nihilominus ignoscere sciat, temporaque aptè miscens temporibus, obseruet quando oleum misericordiæ, quando vinum seruoris adhibere debeat, ex mandato cœlestis Samaritani curam habens eius, qui incidens in latrones, plagis acceptis relictus est semiuiuus. De qua re plurib. D. Bern. in eod. sermone. Bene addens terrã cordis nostrinó proferre talia virtutum germina, sed potius vitiorum tribulos & spinas nobis germinare, ideoque emenda esse ab eo qui ait *Esa. 55.* Venite, emite absque argento & commutatione vinum & lac.] Vinum enim sua austeritate zelum iustitiæ; & lac, sua dulcedine compassionem proximi significat. Ememus autem (inquit D. Bernard.) nũmo propriæ voluntatis, ex propria facientes communem, quærendo non particulariter quæ nostra sunt; sed communiter quæ Dei quoque sunt, & proximi

proximi, prout Christiana charitas exigit.] Quę emptio sit absque argento & commutatione; quia propria voluntas sic in pretium datur, vt non alienetur, sed solùm in melius mutetur, vt pote reddita apta, tùm ad alia bona, tùm maximè ad ea de quibus agimus, ad quæ inepta alioquin est. Qu omodo, inquit D. Bernardus, compatietur fratri, qui propria volũtate nescit compati nisi sibi ipsi: aut quando amans seipsum, diliget iustitiam, & odio habebit iniquitatem? Et quis nesciat nihil esse quod discretionis spiritum sic extinguat, quomodo voluntas propria, subuertens corda hominum, & rationis oculos claudens?]

*Nu.*159. Mentem verò comitetur lingua tanquam altera Maria, habens quoque sua tria aromata: modestiam in increpando, copiam in exhortando, & efficaciam in persuadẽdo: quæ à natura nõ habentur, sicut nec præcedentia: sed apud Patrem luminum comparanda sunt: à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum] *Iacobi* 1. præsertim cùm talia debeant esse quæ in cor hominis influant, quod inscrutabile est.] *Ierem.* 17. nec vlli notũ, nisi ei, cuius oculis omnia nuda sunt & aperta] *ad Hebr.* 4. Emenda vero sunt (inquit D. Bernardus) nũmo confessionis, per quam templum Spiritussancti, quod sumus nos, emundatur à peccatorum sordibus impedientibus ne ille inhabitet in nobis, diffundens charitatem in cordibus nostris, nobisque assistens det quid & quo modo loquamur.]

*Nu.*160. Linguæ denique adiungatur manus; quia cuius vita despicitur, restat vt prædicatio contemnatur: illaque habeat sua tria aromata, continentiam in ordine ad seipsum, ne peccans in corpus suum, tollésque membra Christi, & faciens membra meretricis, pauendo pudendóque dedecori se addicat. Deinde misericordiam in ordine ad proximum, quam debet ei cum quo saluandus est. Postremo pietatem in ordine ad Deum, vt omnia sustineat pro eo, qui pro ipso maiora factus homo sustinuit, maximáque largiturus est. Quæ tria adhuc emenda sunt ab eo, qui est omnis sufficientia nostra, cùm ne quidem cogitare aliquid boni, sufficientes simus ex nobis] 2. *ad Corinth.* 3. Ementur autem nũmo subiectionis, seu obedientiæ, quæ dirigit gressus nostros, & sanctæ conuersationis gratiam promeretur; sicut contraria lex est in mẽbris nostris inuenta per inobedientiam: de qua *ad Rom.* 5. Per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi.] Ex quibus omnibus relinquitur, Confessarium ad cõsequendam bonitatem sibi ad suum munus necessariam, non tam studio (vt ad consequendam scientiam) opus esse, quàm mortificatione affectuum: præsertim carnaliũ, præ cæteris abominabilium in eo qui tam diuinum, tamque salutare & excelsum munus, tanquam Christi cooperator, exequitur: itémque conscientiæ repurgatione: maximè autem cùm à pecuniarum excæcante cupiditate, ponderando illud *Matth.* 16. Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?] tum etiam ab illa acceptione personarum qua nonnullis tantum deferatur, vt cum illis non agatur, eâ qua par est libertate, nec seruato quantum oportet iudicij rigore, quod est contra Iudicis officium, *iuxta illud Ecclesiastici* 7. Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.] Accedere debet innocentia vitæ, per quam diuinis bonis cumulari meremur.

De administratione Sacramenti Pœnitentiæ per Confessarium contaminatum peccato mortali.

Sectio II.

DVo de hac occurrunt docenda pro praxi: vnum est, per eam Confessarium peccare mortaliter; alterum, eam non obstare de se quominus Sacramẽtum ipsum sit validum.

De priori ergo sciendum est, commune esse Sacramento Pœnitentiæ cum omnibus aliis Sacramẽtis, vt ministrans ipsum in peccato mortali, peccet mortaliter; ideoque explicationem hanc esse illi cũ iisdem aliis communem: quam latè post Sotum & Nauarrum (*illum quidem in 4. distinct. 1. quæst. quinta art. 6. hunc verò ad cap. 1. De pœnitentia dist. 6. §. Sacerdos*) Suarez persequitur tomo 3. disput. 16. sect. 3. Ratio verò talis peccati in eo consistit, quòd Sacramentorũ administratio, cultus sit Dei, ab eo sic institutus, vt in ministro, per quẽ exhiberetur, requireret sanctitatem, maiore ratione quàm ab iis quibus dixit *Leuit.* 19. Sancti estote, quia sanctus ego sum.] Ob maiorem nimirum dignitatem muneris, ad quod ea de causa nemo admittatur, nisi ad illud deputatus sit per consecrationem sacramentalem, hoc est, per susceptionem Sacerdotalis ordinis. In qua, si obex non ponatur, animæ puritas datur. In ea enim gratia diuina (sicut in aliorum Sacramentorum susceptione) confertur ex opere, vt vocant, operato; seu non ex suscipientis, sed ex Christi merito. Cùm igitur hæc ita sint, & nouæ legis Sacramenta dignissima sanctissimáque, dignè sãcteque ministrari oporteat, meritò statuitur is mortaliter peccare, qui peccato mortali contaminatus ea administrat: vtpote Deo iniurius; cum notabili irreuerentia rerum diuinarũ, impudenter diuinæ voluntati ipsius & institutioni contraueniens. Etenim si in administratione Sacramentorum vti vase immundo, irreuerentia est, propter indecentiam, qua Sacramentum, res adeò sancta, veréque hominem sanctificans, tractatur tanquam profana: eáque indecentia potest tanta esse, vt ob notabilem irreuerentiam quam habet coniunctam, censeatur peccatum mortale: apertè intelligitur ministrantem Sacramentum in peccato mortali peccare mortaliter, quandoquidem immunditia peccati mortalis infinitè maior est quacunque alia; & concursus ministri, deputati ad tale ministerium, longè ei propinquior, excellentiórque est quocunque concursu vasorum. *Nu.*161.

Vnde habendum est pro documento in praxi fori pœnitentialis: quòd cùm sit irreuerentia maxima, mortali peccato contaminatum audere ministerium exhibere in Sacramentorum operatione, idem quoque peccatum esse genere suo mortale; illudque eò grauius, quò iniquitas ministri grauior fuerit, & Sacramentum dignius.

Ex quo documento colligitur, Sacerdotem ministraturum Sacramentum teneri ad veram contritionem, quâ peccatum detestetur ex amore Dei, tanquã parentis optimi: vel si solùm habeat attritionem, qua peccatum detestetur solùm ex timore Dei, tanquam Iudicis peccata vindicantis, teneri confessionem sacramentalem præmittere, vt ex attrito fiat contritus: quia, vt constat ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 4. per solam attritionem homo non disponitur sufficienter ad diuinam gratiam consequendam. Neque refert probabile esse quod ad susceptionem Sacramẽti,

Universidad de Deusto
Biblioteca

si,possit quis sufficienter disponi per solam attritionem. Nam ipsa sumptio Sacramenti cùm ex attrito contritum faciat,secundùm probabiliorem sententiam,adfert secum gratiam,tollitque immunditiem animæ:administratio verò Sacramenti non item:neque enim dat ministro gratiam, vt faciat ex attrito contritum:ideoque in illo prærequirit hanc aliunde prouenientem, tanquam animæ munditiẽ.Aduerte autem quod notatum est à Nauar. *loc. cit. numero* 21. propositum documentum procedere in eo peccatore,qui nouit, aut credit se in peccato mortali manere; non autem in eo qui probabiliter se contritum esse putans,esset tantummodo attritus: aut qui facta diligenti conscientiæ discussione, non esset sibi peccati mortalis conscius. Quantumcumque enim verè,& coram Deo esset in illo malo statu, excusaretur tamen per ignorantiam inuincibilem, administrans Sacramentum cum eo defectu. Difficultates verò, quæ circa idem documentum moueri solent, cum nihil attineant ad Sacramentum Pœnitentię,non est necesse in præsentiarum attingere.

*Nu.*162. Sequitur vt dicamus de posteriori,quod est,malitiam Confessarij peccato mortali contaminati non impedire validitatem Sacramenti Pœnitentiæ : id quod *in præced.num.*2. Nauarr. expressit,& benè ostẽdit Medina *in Cod.de Confessione quæst.* 24. & satis patet per illud quod Sotus fusè tractat *in præced. art.*5. per malos ministros Sacramenta validè conferri posse.Quod & apertè confirmatur ex eo,quod Concil. Trid. *sess.*14. *cap.*6. *& Can.*10. definit potestatem absoluendi non impediri per peccatum mortale. Ad cuius rei intelligentiam Caietanus docta (vt meritò vocatur à Soto *in prius citato art. sexto col.*2.) vsus est distinctione. Inquiens Sacramẽti exhibitionem spectari posse dupliciter : vno modo ex opere operato, hoc est,tanquam Dei instrumentum quo ipse vtitur ad infusionem gratiæ in animam : altero modo ex opere operantis,id est,vt actio est humana, exiens à Dei ministro. Atque priore modo non requirere probitatem Ministri,quia sine ea fortitur suum effectum ; nec enim per malum Ministrum contaminatur Christi donum,quod per illum sicut purus fluuius transit, & venit ad fertilem terram; ad modum quo per lapideos canales aqua transit in areolas.*Cap. Si iustus,prima quæst.prima.* Neque à Iuda collatus Baptismus,tanquam inualidus , fuit repetendus. Cap. Dedit, eadem quæstione. Posteriore verò modo requirere; quia cùm homo tunc sit Dei Minister , coagens ei,debet(quoad eius fieri potest) simili bonitate , qua ipse operari : & quo melior , & in omnibus virtutibus eminentior fuerit , eò aptius instrumentum erit diuinæ bonitatis,vrper ipsum dignetur Pœnitenti largiri plenius gratiæ & virtutũ incrementũ,

---

De susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, quando Confessarius illud administrat contaminatus peccato mortali.

Sectio III.

DE hac magna difficultas est, omnibus quoque Sacramentis communis, An sit licita : siue,An liceat petere & accipere Sacramentum à Ministro qui scitur contaminatus peccato mortali, vel Ecclesiastica censura innodatus , in eóq; malo statu illud ministraturus. Eam autem aliis citatis fusè disputat Suarez,*tomo* 3.*dispur.*18. & ante eum Sotus *in* 4.*dist.*1. *quæst.*5. *art.sexto*. Pro explicatione verò illius, statuemus aliquot propositionnes,præmissa distinctione; quòd nequam ille Minister,vel toleretur ab Ecclesia in suo ministerio , vel non toleretur: vt is qui nominatim , vel ob notoriam Clerici percussionem excommunicatus est,aut ab officio suspensus: nõ item alius siue excommunicatus, siue suspensus;quem ne in Sacramentorum participatione quidem,vitare tenemur,ex priuilegio Martini quinti in Conc. Constan. quod explicatum est in præcedenti capite 9.sectione posteriore. Rursus idem Minister, vel sit expositus ad ministranda Sacramenta, vt ille qui sedet in certo loco ad audiendas confessiones : vel non sit quidem illo modo expositus,sit tamen paratus, vt si quis Sacramentum ab ipso petat,statim conferat.

Supposita igitur hac distinctione , sit prima pro- *Nu.*163.
positio ; Peccatum esse de se mortale , suscipere Sacramentum à non tolerato ab Ecclesia, siue is expositus sit,siue non:& siue paratus sit, siue non;siue ex officio ei incumbat ministrare , siue non. Probatur, quia talis susceptio in re graui, vtpote ad salutem æternam pertinente,directe est contra obedientiam debitam Ecclesiæ: quæ per suam censuram , præsertim excommunicationem maiorem, non tantùm illum qui excommunicatur arcet à ministerio Sacramentorum:sed etiam aliis prohibet directè, ne cum illo communicent,præsertim in sacris,& maximè in Sacramentorum perceptione;prout constat ex communi doctrina de effectis maioris excommunicationis. Quæ propositio , quam restrictionem patiatur quoad casum necessitatis,iudicandum est ex antedictis in capite sexto num. 58. & aliquot sequentib. Eam autem Sotus(apud quem est octaua)censet extendendam ad hæreticos , schismaticos,& apostatas à fide ; si sint hæreseos , Schismatis , aut apostasiæ damnati.Cui fauet quòd à talibus,qui per suam culpam ab Ecclesiæ vnitate diuisi sunt , non debeant fideles,nisi necessitas in mortis articulo vrgeat,Sacramenta suscipere, §. *Laboret. De Pœnitent. distinct.* 6. *cap.primo*. Sed,vt bene monet Suarez,cùm priuilegiũ Concilij Constantiensis generale sit,extendatúrque ad omnes excommunicatos , nisi sint notorij Clericorum percussores,aut nominatim excommunicati: tales(& multominus simoniaci, quos Sotus illis adiungit)quamdiu non fuerint ab Ecclesia denuntiati excommunicati , non erunt ratione Ecclesiasticæ censuræ vitandi;sed tantùm ratione scandali , aut alterius mali inde impendentis. Nec dici potest vitandos esse , eoquod sint extra Ecclesiam : quia occulti quoque hæretici,schismatici, vel apostatæ per suam culpam,diuisi sunt ab vnitate Ecclesiæ,& censura irretiti:nec tamen censentur vitandi Ecclesiæ præcepto,potius quàm alij excommunicati occulti.

Ad irregulares autem eidem Soto extendenti hãc propositionem,fauet:quòd eorum compatatione nihil specialiter indultum sit per priuilegium Concilij Constantiensis.Sed aduersatur,quòd cùm per violationem censuræ, irregularitas contrahatur,non esset sufficienter consultum timoratis conscientiis,si quẽ per tale priuilegium non tenemur vitare ratione censuræ,teneremur ratione irregularitatis,tum ex ea causa,tum ex multis aliis passim, nascentis. Vnde quantumuis in tenore dicti priuilegij non fiat expressa mentio irregularitatum:implicita tamen censeri potest facta in illis verbis,Cuiuscumque sententiæ,aut censuræ Ecclesiasticæ.] Quia enim constitutio fauorabilis est , eam interpretari possumus cum eiusmodi extensione : sicut Doctores priuilegium à iure concessum Episcopis absoluendi ab excommunicatione incursa ob percussionem Clerici, vel Monachi , cùm adest iustum impedimentum adeundi Papam:extendunt ad omnem excommunicationem ipsi Papæ reseruatam , propter paritatem rationis, prout

prout antè num.135.habitum est.

*Nu.*164. Secunda propositio est : licere vrgente aliqua necessitate, Sacramentum suscipere à quocumque ministro tolerato:dummodo expositus sit , vel paratus illud ministrare,& ad id ex officio, vel ex delegatione sufficientem potestatem habeat.Hanc,receptissimam esse inquiens Sotus probat: quia sic suscipiens Sacramentum,non cooperatur peccato conferentis, præbendo illi occasionem aliquam ruinæ ; vtpote quem inuenit paratissimum ad conferendum : itaut illum eo ipso iam lapsum,nihil ad labendum impellat:neque petit vt ipse peccet, sed tantùm vt Sacramentum conferat:quæ actio est de se bona: & quam ille à praua voluntate (si quam habeat) resipiscens, potest sanctè exercere: perinde ac vsurarius expositus,aut paratus ad fœnerandum , potest mutata praua sua voluntate fœnerandi,gratis mutuam pecuniã dare petenti. Ad quam rationem accedit textus præclarus in cap. finali.15. quæst.8.qui legendus est. Aduerte verò prædictam necessitatem non debere esse extremam,aut valde grauem ; sed sufficere contingentem ordinariè : qualis est indigentia diuinæ gratiæ ad progressum faciendum in vita spirituali , & ad superandas difficultates quæ in ea contingunt. Si enim propter necessitatem , vel notabilem aliquam vtilitatem temporalem licet vti opera eius qui illam exhibebit peccando : vt pagani,qui rogatus pro me in iudicio testimonium ferre,malitiã suã id faciet iurando per falsos Deos;vel vsurarij, qui rogatus dare indigenti mutuo pecuniam,dabit exigendo vsuram: multo magis propter spiritalem necessitatem , aut vtilitatem notabilem(qualem adfert debitus Sacramentorum vsus) licebit accipere Sacramentum ab eo,qui illud sua malitia cõferet cũ mortali peccato.

Excipiendus tamen est casus,in quo sine vllo meo detrimento , abstinendo à susceptione Sacramenti possum tale peccatum impedire : quia lex charitatis in Deum,& in proximum,à me tunc exigit ; vt auferam occasionem, quæ offertur irreuerentiæ Sacramenti, & vt subueniam indigentiæ & miseriæ , cui proximum per suam malitiam moraliter expositum video. Sic ergo(*vt in citato art. 6. propos. prima*, inquit Sotus) si plures Sacerdotes sedeant ad audiendas confessiones,& inter eos sciam Petrum in concubinatu viuere;possum quidem illum præ aliis eligere, si sciam ipsum cæteris doctiorem esse , & conscientiam meam sapientiùs posse discutere : tamen si cæteri pares illi essent,culpa esset illum præeligere,non tamen mortalis,vt idem addit;nisi fortè peccator esset tàm publicus,quòd mea confessio illi facta, scandalum generaret populo , aut aliud peccatum graue inde imminere probabiliter crederetur.v.g. quod ex audita confessione excitaretur ad sumendam vindictam de aliquo , aut ad tentandam alicuius puellæ pudicitiam.

Ex quibus solui potest dubium, de quo Suarez *in cit.disp.*18.*sect.*1.*in fine*.An peccatum sit ministrare Sacerdoti celebranti indignè , non ex alio defectu, quàm malitiæ suæ;aut illi præbere vestes,vel alia necessaria ad celebrandum. Constat enim non esse; quia celebratio Missæ,cui tũc quis cooperatur,actio est de se bona,eique malitia ministri aduentitia est, ex circumstantia tantùm malam illam reddens : ad quam circumstantiam,is qui inservit celebranti, aut vestes præbet,nullo modo concurrit.Quamquam in eo quoque locum habet regula charitatis, vt si quis commodè possit vitare tale obsequium,vt peccatum impediatur,vitare debeat. Sed moraliter loquendo vix potest talis commoditas vsuvenire , propter periculum offensionis proximi, & facilitatem aliundè sibi prouidendi.

Tertia propositio est , Nemini licere improbum *Nu.*165.
ministrum neque paratum,neque offerentem se ad Sacramentum ministrandum,ad id inducere;nisi vel petentem necessitas extrema vrgeat,vel exhibentem obliget officium. Probatur,quia tali inductione daretur alteri occasio peccandi, quod non licet. Si opponas,eam inductionem non esse causam vt Minister ipse peccet , sed vt Sacramentum administret:quod sanctè potest,resipiscendo à sua malitia , vt ante dictum est. Occurritur, proximè quidem eam inductionem non esse causam vt dictus Minister peccet: esse tamen consequenter:siue (vt Sotus *propos.* 2. ait) esse materialiter : quia offertur ei aliqua materia , ex qua sumet occasionem hîc & nunc peccandi ; quod sufficit vt occasio talis censeatur data esse ab eo qui sciuit & credidit,illud inde secuturum esse : perinde ac ille occasionem incendio dedisse censetur , qui aliquid etiam de se licitum faciens, applicuit ignem ad aliquid,vnde sciuit aut credidit incendium secuturum. Ratio autem exceptionis positæ in eadem propositione est, quòd (vt habetur in cap. Cum Ecclesia Vulturana. De electione:& in lege Iniuriarũ. ff.De iniuriis)is nemini iniuriam faciat, qui iure suo vtitur:ac proinde nec peccet , si eo rationabiliter vtatur:vt vti meritò censetur is,qui extrema necessitate compulsus , petit sibi Sacramentum ministrari à quocunque Sacerdote,qui tali necessitate laboranti tenetur subuenire: vt quãdo in articulo mortis constitutus,peccati mortalis sibi conscius confessionem suam excipi postulat: vel quando in alia minori necessitate constitutus : v. g. constituendi se in Dei gratia die aliquo solemni,vel lucrandi Iubilæum,vel implendi aliquod præceptum , petit sibi Sacramentum aliquod à suo pastore conferri,ad quod ex officio tenetur,& iure compelli potest. Neque id,vt ex dictis patet,est peccatorem inducere ad peccandum, sed ad præstandum illud quod tenetur; nec , quia id præstabit peccando,necessarium est iure suo cedere cum proprio detrimento: maximè cùm ex sola malitia ipsius , tale peccatum oriatur ; quæ doctrina est Caiet. *ad tertiã part. D. Thomæ quæst.* 64. *art.* 6. *ad* 2. Quod si necessitas & detrimentum abfuerint , abstinendum est à tali petitione: quia tunc lex charitatis locum habet,qua,cùm sine detrimento meo possum,debeo occasionem ruinæ proximo adimere.

Hic duo restant admonenda. Alterum est , cùm *Nu.*166.
quis ius habet petendi ab aliquo Sacerdote vt Sacramentum sibi administret ; non inde impediri ab ea petitione , quòd talis Minister irretiatur excommunicatione,dummodò tamen toleratus sit: nam is non peccat ministrando; si quidem per debitam pœnitentiam (prout tenetur iure diuino, in quo Ecclesia non dispensat) se ad Dei gratiam disposuerit. Nam,vt rectè ait Sotus *propos.sexta*,ius non permitteret talem petitionem,nisi simul cum illo cui fit , dispensaret vt sine peccato violationis censuræ Ecclesiasticæ præstare possit illud quod ab eo petitur. Alioqui enim ipse relinqueretur perplexus , dum ex vna parte videret se nõ posse negare debitũ iustè petitum:& ex altera,se non posse illud reddere sine sacrilega censuræ violatione. Quòd enim excõmunicati dicãtur excluſi à participatione tã actiua , quàm passiua Sacramentorum;sensus est, inquit Sotus *propos.septima*, quòd nec possint Sacramenta suscipere, nec ad ea conferenda sese ingerere,nisi cõpulsi.Itavt Sacramenta ministrare non debeant,etiamsi tolerati sint,nisi curam animarum habeant;vel petentes sint in extrema necessitate ; quoniam aliàs nullo iure ad id compelluntur. Quam Soti doctrinam tuetur Nauarr. *in Miscellaneo* 47. *De oratione , numero tertio.*

Alte

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.167. Alterum quod monendum restat est, quod habet Suarez *in citata sectione prima, paulo ante finem*, non esse necessarium vt petenti Sacramentum constet Ministrũ esse benè dispositum, quia hæc cura non est illi commendata; sed sufficit vt illi non constet esse malè dispositum. Vnde vt obligetur ad non petendum, opus erit moraliter ei constare ministrum malè dispositum esse, & cum ea mala dispositione ministraturum Sacramentum: quod difficillimum est iudicare: nisi vbi manifestò constat, illum esse in diuturna consuetudine, & proxima occasione alicuius peccati. Extra eum casum verò, etiamsi contigerit videre Sacerdotẽ paulo antea mortaliter peccantem, potest ab illo peti Sacramentum, quantumuis non sit paratus, neque ex officio illud dare teneatur: quia semper sperare licet futurum, vt se conuenienter disponat, quod breuissimo tempore facere potest per actum contritionis.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De approbatione Confessarij.

SVMMARIVM.

168 *Approbatio Confessarij diuersa est à delegatione iurisdictionis.*

169 *Statutum Concilij Tridentini de eadem approbatione.*

170 *Peccat mortaliter qui contra idem statutum, Sacramentum Pœnitentiæ administrat, nisi excusset necessitas in articulo mortis; vel materiæ leuitas, cum Pœnitens tantùm habet venialia.*

171 *Pariter peccat qui ab eo idem Sacramentum mala fide suscipit.*

172 *Difficultas, an confessio bona fide facta Confessario non approbato sit valida: cuius pars negans tenenda est.*

173 *Approbatio, sicut & iurisdictio, obtineri potest per Episcopi ratihabitionem de præsenti.*

174 *Approbatio Episcopi necessaria est Religiosis habentibus à Papa facultatem audiendi sæcularium confessiones.*

175 *Ad audiendas Religiosorum confessiones sufficit iurisdictio sine approbatione.*

176 *Papa potest si velit iurisdictionem ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficienter concedere sine approbatione, non item alij Ordinarij.*

177 *Publicum sufficientis doctrinæ testimonium non tollit eam de qua agimus necessitatem approbationis.*

178 *Facultates à Summo Pontifice concessæ ad audiendas confessiones, intelligendæ sunt cum conditione istiusmodi approbationis.*

179 *Post decretum de approbatione perinde ac ante, Sæculares Sacerdotes possunt de consuetudine sibi eligere Confessarium quemcumque Sacerdotem de approbatis secundum formam eiusdem decreti.*

Nu.168. APPROBATIONEM esse diuersam à delegatione iurisdictionis constat ex his. Tùm quòd Religiosi mendicantes per sua priuilegia iurisdictionem habeant à Summo Pontifice delegatam, approbationem verò habeant ab Episcopo: Tùm quòd ab eodem Summo Pontifice data in Iubilæo facultas Confessarium eligendi, requirat in electo approbationem Episcopi: Tùm etiam quòd possit Episcopus approbare aliquem nõ delegata ei sua iurisdictione; itemque possit simpliciter ipsum approbare, & suam iurisdictionem delegare tantùm ad certum tempus, aut pro certo tãtùm loco. Tùm demum quòd delegatio iurisdictionis sit concessio quædam & velut gratia liberaliter facta à Superiore: istiusmodi verò approbatio sit opus iustitiæ; nempe iustum iudicium seu publica sententia, authenticóque attestatio quædam, de Sacerdotis eam iure suo petentis sufficientia, quantum ad scientiam & alia requisita ad audiendas confessiones, si iurisdictio ei delegetur.

Iam de approbatione ipsa sic statuitur in Concilio Trident. sess. 23. cap. 15. Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam regularem, posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium; aut aliàs idoneus esse iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; priuilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.] Cui statuto congruenter nonnulla occurrunt notanda. *Nu.169.*

De peccato & inualiditate prouenient ex defectu approbationis Confessarij.

SECTIO PRIOR.

NOtandum est igitur primò, mortaliter peccare Sacerdotes non habentes Parochiale beneficium, si confessiones sæcularium audiant non approbati ab Episcopo, quia indignè administrant Pœnitentiæ Sacramentum: (quandoquidem secundùm hanc Ecclesiæ definitionem non sunt illius idonei ministri) nisi quòd excipiendi videantur duo casus; alter est articuli mortis, & alter quando Pœnitẽs habet tantummodò peccata venialia. In illo enim necessitas, & in hoc libertas eadem ratione approbationem inducunt (de tacita saltem Papæ voluntate) qua ratione iurisdictionem induci habitum est in præcedenti cap. 7. Neque enim existimandum est Ecclesiam in articulo mortis absolutioni sacramentali impedimentum vllum obiicere: aut ad confessionem de venialibus solummodò faciendam, propositum decretum extendere: cum ratio illius instituendi hæc (si quæ alia) censenda sit: vt tolleretur abusus, quo grauibus peccatis obnoxij, Confessariis vtuntur non sufficientibus ad ea diiudicanda. Vnde quia Religiosi, moraliter loquendo, in hoc minus offendunt, maiorem ordinariè gerentes suæ conscientiæ curam, habentésque Superiorem qui ipsis specialiter inuigilet: nihil quoad eos hac ex parte Concilium innouauit. *Nu.170.*

Alicui autem ex iisdem Sacerdotibus extra dictos casus sæculares confitentes mala fide (vt ij qui non sunt ignari istiusmodi impedimenti) dubium non est peccare mortaliter, tanquam cooperantes illorum mortali peccato; & consequenter facere confessionem, ex defectu saltem sufficientis contritionis, inualidam. *Nu.171.*

De eo verò qui alicui tali confiteretur bona fide, nempe ignorando inuincibiliter huiusmodi impedimentum: An, sicut excusatur à peccato, sic faciat confessionem validam, habet difficultatem aliquam. Nam, vt Medina in Cod. de confessione *question.* 34. contendit, quòd etiamsi per statuta Synodalia prohibeatur, ne quis Sacerdos confessiones audiat, antequam sit per Prælatum examinatus: nihilominus (quia talis prohibitio non est de se suspensio iurisdictionis) *Nu.172.*

ctionis) valeat confessio quæ bona fide de licentia Curati fuerit facta Sacerdoti non examinato, etiamsi is peccet audiendo confessiones contra sui Superioris prohibitionem. Pari quoque ratione vrgeri posse videtur, ob memoratum Concilij Trident. decretum, peccare quidem Sacerdotem qui sine approbatione Episcopi audiendis confessionibus sæcularium dat operam; non ideò tamen confessiones illi bona fide factas esse inualidas. Sed ex aduerso non nisi approbatum ab Episcopo iuxta idipsum decretum; posse absoluere à mortalibus (sicut habet Lopés in Institutorio conscientiæ *part. 1. cap. 26. §. Insuper.*) tam consentaneum est ipsius Concilij verbis, vt temerarium sit contradicere: habent enim, Eum qui in sua ordinatione potestatem absoluendi accepit, non posse sine approbatione audire confessiones sæcularium, neque ad id reputari idoneum] quæ vix aliquid minus indicare possunt, quàm per defectum approbationis; Sacerdotis non Parochi potestatem ita suspendi, quoad confessionem sæcularium, vt in actum suum valide absoluendi, exire nequeat: præsertim cùm ad Sacramenti validitatem præter debitam materiam & formam, oporteat idoneum ministrum cõcurrere. Neque dici possit de proposito decreto, quod Medina de statutis synodalibus dicit: nimirum tantummodò prohibere non approbato auditionem confessionum. Ea enim verba Concilij nõ indicant fieri ibi prohibitionem, sed potius limitationem potestatis absoluendi in Sacerdote: vt scilicet eius vsus quoad confessiones sæcularium, non extendatur ad non habentes parochiale beneficium, nisi sint ab Episcopo approbati.

Vnde licet inferre, quòd sæculares teneantur ad repetitionem confessionum, quas fecerunt Sacerdotibus non approbatis ab Episcopo, nec habentibus parochiale beneficium. Ad quod facit quod Suarez annotat *tomo 4. disput. 28. sect. 4. num. 9.* Concilium generaliter, & indifferenter requirere istiusmodi approbationẽ ad exercendum munus Cõfessoris, quacumque ratione ei iurisdictio delegetur. Additque postea *in seq. nu. 14.* eandem esse necessariam, non modò necessitate præcepti, sed etiã necessitate Sacramẽti; itaut Sacerdos, sine illa sacramentaliter absoluere tentãs nihil faciat; nõ solùm per accidẽs, ob indispositionem seu malam conscientiã Pœnitentis; sed etiã per se, ex defectu necessariæ conditionis: quantumcumque Pœnitens bonam fidem habeat. Si obiicias, Ecclesiam nihil posse Sacramentorum institutioni addere, quod simpliciter necessarium sit. Respondetur: neque in hac re addere aliquid institutioni Sacramenti Pœnitentiæ; sed cùm iurisdictionis collatio ab ipsa pendeat, *iuxta antedicta, in cap. 4. num. 23.* ipsa statuit conditionem, quæ si Sacerdoti desit, is habeat iurisdictionis sibi delegatæ vsum impeditum: itavt tentans absoluere nihil faciat, eo modo quo dictum est *in num. 114.* De excommunicato non tolerato.

Nu.173. Cæterùm non negauerim, vt ad iurisdictionem, sic ad approbationem consequendam sufficere posse Episcopi ratihabitionem de præsenti; siue quòd Episcopus videat Sacerdotem non approbatum audire confessiones, & toleret, cùm possit prohibere. Cur enim dicamus per eiusmodi dissimulationem obtineri ab Episcopo iurisdictionem sufficientem ad absoluendum, non item approbationem, nulla ratio videtur persuadere: cùm præsertim necessitas iurisdictionis ordinariæ, vel delegatę ad validitatem absolutionis, longè clariùs determinetur, in ipso etiam Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. quàm necessitas approbationis in antè memorato decreto; atque modus approbationis relinquatur Episcopo valdè liber, vt hæc eius verba satis indicant. Nisi ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs, idoneus esse iudicetur.

Quibus necessaria sit approbatio de qua agimus.

SECTIO POSTERIOR.

AD hoc intelligendum faciunt sequentia notabilia. Notandum est igitur secundò: dictam approbationem ad audiendas confessiones sæcularių, requiri etiam in Religiosis habentibus à Papa priuilegium eas audiendi. Vnde cùm ante Concilium Trident. per Clementinam Dudum De sepulturis §. Statuimus & §. Si verò. Itémque per Concilium Lateranense sub Leone decimo sess. 11. tales Religiosos, vt idonei censerentur, sufficeret à suis Superioribus Episcopo præsentari, siue ille approbaret, siue non (de quo Nauar. in Enchir. *cap. 27. num. 260. & aliquot sequentibus.*) nunc id non sufficit: quia Concilium ipsum Trident. aliis Presbyteris non habentibus parochiale beneficium paremfacit Regularem, non obstantibus priuilegiis quibuscumque. Quare debent Religiosi, sicut iidem Presbyteri, ab Episcopo obtinere approbationem ad audiendas confessiones sæcularium. *Nu.174.*

Ad audiendas verò confessiones Regularium (excepto casu, quo vellent eligere Confessarium extraordinarium virtute Iubilæi concedentis omnibus facultatem eligendi quem velint de approbatis: de quo Suarez *tomo 4. disput. 28. sect. 6. num. 11.*) non requiritur approbatio, nequidem in Sacerdote sæculari: sed sufficit licentia quam illi siue à Papa, siue à suo Superiore habuerint eligẽdi sibi Confessarium; vt Nauar. *in Enchir. cap. 4. in additione ad 1.* dictum (quod in nonnullis exemplaribus deest) ex eo confirmat, quòd Concilium Trident. nihil circa Regulares mutauerit de iure antiquo: secundùm quod illi habentes licentiam eligendi Confessarium, poterant eligere Sacerdotem simplicem nondum expositum ab Episcopo ad audiendas confessiones, prout triualem multúmque receptam sententiam fuisse ait Franciscus à Victoria, *De Sacram. num. 150.* Pro qua authores & rationes affert Suarez *in citata disput. 28. sect. 3. num. 4. & 5.* in quibus memorandis non est necesse immorari. *Nu.175.*

At verò hæc non sunt ita accipienda, quasi Papa dare nequeat priuilegium audiendi confessiones, quin is cui dederit debeat necessariò ab Episcopo approbari: sed quòd semper dare censeatur saluo iure communi, quando non ostendit se in aliquo ei derogare velle. Alij autem Ordinarij, quia nihil possunt aduersùm ius commune, cui etiam ipsi subsunt, priuilegium dare non possunt, ex quo quis idoneus sit audiendus confessionibus sæcularium, nisi eum vel ipsi approbent si possint; vt Episcopi (paucis exceptis de quibus in principio sequentis capitis) vel si non possint, vt inferiores Episcopo, illud conferant ei, qui iam approbatus est, vel qui antè approbetur, quàm confessiones audiat. *Nu.176.*

Notandum est tertiò, vt sæculares validè confiteantur Sacerdoti non habenti beneficium Parochiale, in eo requiri istiusmodi approbationem esse veram sine exceptione: ne quidem Doctorum habentium suæ scientię publicum testimonium. Quod Suarez notans *in seq. sect. 4. num. 3.* illud probat *ibidem num. 6.* ex eo, quòd Concilium vniuersaliter loquatur absque limitatione; imò potiùs (cùm scilicet dixit, etiam Sacerdotes) addita ampliatione de Sacer- *Nu.177.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

doctibus, qui propter statum & consuetudinem frequenter confitendi, eligendique Confessarium, videri poterant excipi ab ea generali regula. Ad id verò de quo Romæ dubitatum est, An in hac re Sacerdotum nomine comprehendantur Prælati habentes à iure facultatem eligendi Confessarium: respondit super ea re consultus Greg. 13. tutius esse in tali dubio adhærere Concilio Trident. Quod Suarez refert. in eadem sect. num. 8.

Nu. 178. Notandum est 4. quotiescumque per bullam, aut priuilegia conceditur facultas eligendi Confessariũ idoneum, debere intelligi de approbato ab Episcopo, iuxta Concilij Tridentini decretum propositum, vt omnes Doctores tenere habet Alphonsus à Viualdo in Candelabro aureo *cap. de Confessione num.* 26. Ratióque est, quia dicta approbatio non obstantibus quibuscumque priuilegiis, in Confessario idoneo requiritur per idem decretum: quod cùm sit ius ordinarium à Concilio constitutum, de re grauissima, ex qua pendet valor Sacramenti, censendus est Papa nolle ei derogare; nisi cùm id expresse declauerit; vel ex modo ab ipso factæ confessionis ipsum id velle, sufficienter constiterit. Itaque cùm absolutè concedit facultatem eligendi Confessarium, id intelligendum est (etiamsi non exprimat) de Confessario iuxta formam dicti decreti, approbato: similiter & omnia priuilegia à Summis Pontificibus concessa nõnullis Religionibus, vt Religiosi earum possint confessiones audire, intelligenda sunt sub eadem conditione approbationis. Quod vtrumque Suarez notat *in eadem sect. 4. num. 9.*

Nu. 179. Notandum est 5. quòd sicut regulares post decretum, de quo agimus, adhuc retinent libertatem eligendi Confessarium non approbatum (vt antè *num.* 175. dictum est) sic etiam Sacerdotes sæculares retinere facultatem longa consuetudine sibi quæsitam eligendi in Confessarium quemlibet de Sacerdotibus approbatis, non impeditis per censuram Ecclesiasticam: quia Concilium non sustulit eam facultatem, sed solùm restrixit, ne quis ab illis eligatur, nisi approbatus. Adhuc enim tolerandæ talis consuetudinis, optima ratio fuit; quòd Sacerdos quotidie celebrare possit: teneatur autẽ celebrationi præmittere confessionem, si peccati mortalis conscius sibi sit, & habeat copiam Confessarij ex decreto eiusdem Concilij Trid. sess. 13. cap. 7. & can. vltimo: ideoque rationabile fuit talem ei facultatem permittere, ad facile habendum Confessarium pro implendo illo ipso præcepto.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De approbante Confessarium.

SVMMARIVM.

180 *Approbatio actus est iurisdictionis, non autem ordinis Episcopalis.*

181 *Nomine Episcopi approbantis Confessarium, non comprehenditur is qui nullum habet populum sibi subditum: comprehenditur autem Capitulum sede vacante.*

182 *Comprehenduntur item Abbates qui iurisdictionem habent in Sæculares Episcopalem, non autem Generales, & Prouinciales religionum.*

183 *Diuersæ sententiæ de Episcopo, cuius approbatio requiritur in idoneo Confessore.*

184 *Cæteris probabilior quòd is sit Ordinarius Sacerdotis approbandi.*

185 *Solutio rationis quæ ostendere videtur, esse Ordinarium Pœnitentis.*

186 *Cum datur omnibus à Summo Pontifice facultas eligendi sibi Confessarium, quis à quo approbatus eligi possit.*

187 *Quando possit Episcopus pro audiendis suorum confessionibus, alienum Sacerdotem approbare.*

188 *Approbatio à proprio Episcopo simpliciter & sine restrictione data Sacerdoti, sufficit pro tota Ecclesia.*

189 *Sufficit pariter collatum ei esse Parochiale beneficium.*

190 *Is qui dimisit Parochiale beneficium, sine approbatione idoneus non est audiendis secularium confessionibus.*

191 *Quid nomine Parochialis beneficij significetur in hac materia.*

192 *Approbatio non obtinetur ex eo, quòd iustè petita sit, & iniustè negata.*

193 *Solutio rationis in contrarium.*

194 *Ne quidem obtineri eo modo à Religiosis habentibus à Papa priuilegium audiendi confessiones.*

195 *Peccant Episcopi grauiter siue iusta causa negantes approbationem Religiosis habentibus Papale priuilegium audiendi confessiones.*

196 *In iisdem approbatis, ad validè absoluendum (si cetera necessaria adsint) non est opus præsentatione præscripta in Clemen. Dudum. De sepulturis, nec facultate sui Superioris, nisi ex accidenti.*

197 *Approbatio, vt valeat, debet esse ex iudicio, quo reipsa iudicetur quis ad hoc munus idoneus: neque obest quod fortè res aliter habeat.*

198 *Eundem valorem non impedit quòd sine scripto, vel symoniacè obtenta sit approbatio.*

199 *Per directam collationem iurisdictionis censetur facta approbatio, non item per indirectam.*

200 *Approbatio limitata, deficit extra limites præscriptos: data verò simpliciter, non extinguitur.*

201 *Approbatio etiam data simpliciter, siue Sæcularibus, siue Religiosis reuocari potest.*

202 *Non tamen sine iusta causa: quam adesse, præsumendum est in dubio pro Superiore.*

203 *Approbatio accepta in vno Episcopatu cessat in Sacerdote transferente domicilium in alium Episcopatum.*

204 *Quatenus Papali suo priuilegio vti possint Religiosi approbati.*

ONSTAT ex decreto Concilij Tridentini, Episcopi esse dare eam, de qua agimus approbationem: circa quod moueri possunt aliquot quæstiones, quarum explicationem bene persecutus est Suarez tomo 4. in 3. partem D. Thom. disput. 28. ideóque contenti erimus quæ ille habet, quàm paucis fieri poterit perstringere, sufficienter ad praxim nobis propositam.

Prima quæstio. Qui comprehendantur nomine Episcopi, cui commissa est approbatio Confessarij.

Nu. 180. HVius explicationem Suarez in illa disp. 28. sect. 5. in principio repetit: tum excommuni vsu, tum ex eo, quod ista approbatio nõ sit actus ordinis, sed iurisdictionis Episcopalis, vt argumento est, quòd is qui Episcopus non est, vt Vicarius generalis Episcopi, vtens ipsius iurisdictione, illam dare soleat nemine reclamante; quia cùm Concilium non præscribat vt Episcopus approbet per seipsum, iudicatur ei relictum esse liberum, vt id faciat per suum Vicarium. Accedit sufficiens actus iurisdictionis signum esse,

esse, quòd istiusmodi approbatio instituatur ad bonum regimen, debitámque curam animarum.

Nu. 181. Vnde statuit idem author primò: neque Episcopum, (etiamsi consecratum) qui nullum populum sibi subditum habet; neque Episcopum tantummodo electum, necdum per confirmationem constitutum super subditam plebem, habere potestatem approbandi: quia neuter eorum habet Episcopalem iurisdictionem. Statuit secundò Capitulum sede vacante, hìc comprehendi nomine Episcopi, haberéque propositam potestatem approbandi: quia tunc succedit Episcopo in iurisdictione Episcopali, *ex cap. Cum olim, de maiorit. & obed. vbi glosa finalis id notat.* Videri potest ad idem cap. Felinus. Et certè cùm istiusmodi actus iurisdictionis Episcopalis sit valdè necessarius ad curæ pastoralis administrationem, quæ tunc commendatur capitulo; non est verosimile ipsum ita priuatum esse potestate munus illud exercendi, vt tempore vacationis oporteat recurrere ad Sedem Apostolicam, pro alicuius Sacerdotis simplicis approbatione ad audiendas confessiones.

Nu. 182. Statuit tertio, hìc Episcopi nomine comprehendi quoque eos Abbates qui Summi Pontificis priuilegio exercent iurisdictionem Episcopalem in populum ab omni Episcopi iurisdictione ordinaria exẽptum. Nam si Vicarij Episcoporum approbare possunt, quia Episcopi ipsi illos vice sua constituunt: si item potest Capitulum Cathedrale, quia succedit Episcopo sede vacante; cur non poterunt quoque idẽ efficere memorati Abbates à Summo Pontif. super aliquem populum, loco Episcoporum constituti cũ Episcopali iurisdictione.

Statuit quartò, non comprehendi hìc ipso nomine Episcopi religionum Generales & Prouinciales: quia quantumuis ipsi cum suis exempti sint ab ordinaria iurisdictione Episcoporum, in suósque iurisdictionem habeant quasi Episcopalem; non habent tamen in Sæculares, pro quorum confessionibus audiendis requiritur approbatio. Non possunt igitur pro audiendis confessionibus Sæcularium quemquam, etiam de suis, approbare: quandoquidem id esset respectu eorundem Sæcularium exercere iurisdictionem, qua tales Prælati carent. Ex quibus omnibus illud relinquitur constitutum, nomine Episcopi in proposito decreto Concilij Trid. comprehendi omnem & solum eum, qui iurisdictionem Episcopalem ita participat in sæculares, vt supra se non habeat proprium Episcopum, præter Summum Pontificem.

Secunda Quæstio. Cuius Episcopi approbatio sit necessaria, vt Sacerdos non habens ordinariam curam animarum, censeri possit idoneus audiendis confessionibus.

HAnc fusè tractat Suarez *in sect. sexta eiusd. disput.* 28. Difficultas autem in eo consistit, quòd cùm interdum alius sit Episcopus loci in quo facienda est confessio, & alius Pœnitentis, vel Confessarij: interdum verò idem sit loci & Pœnitentis, non item Confessarij: vel contra, idem loci & Confessarij, non item Pœnitentis: cuiusnam ex eis approbatio sit necessaria, & cui sufficiens Sacerdoti simplici ad audiendas confessiones. De ea igitur quatuor sententias Suarez refert.

Nu. 183. Prima est, cuiuslibet Episcopi indifferenter approbationem sufficere: quam reiicit tanquam nimis laxam, nimiámque licentiam concedentem: quæ esse non potest de mente Concilij, volentis prospicere incommodis non modo turbarum & dissensionum, sed etiam peruersionis fidei ac depranationis morũ, quæ sequũtur ex nimia libertate Sæcularium in eligendis Confessariis non idoneis. Quæ sanè incommoda perinde ac antea contingerent, si illi adhuc possent eligere à quouis Episcopo approbatum.

Secunda est, esse necessariam approbationem datam ab Episcopo loci in quo fit confessio: quam item reiicit, quia accidentarium est Sacramento Pœnitentiæ, quòd in hoc, vel in alio loco perficiatur: dummodo iurisdictio Confessarij in Pœnitentem retineatur. Sic enim Parochus sui Parochiani confessionem audire potest in Parochia, immo & in Diœcesi aliena, vt antea habitum est in cap. 8. dubio 6. Et ratio est, quia Sacramentum Pœnitentiæ, per se quidẽ requirit iurisdictionem determinatam: non tamen termino localis præsentiæ vel absentiæ; sed personæ in confessione audiendæ.

Tertia est, necessariam esse approbationem datam ab Episcopo Pœnitentis; hanc probabilem facit, quòd Concilium per istud decretum voluerit prospicere saluti animarum, ad quam maximè necessarium videtur, vt Episcopus Pœnitentis, ei prouideat de digno Sacramenti pœnitentiæ ministro. Illius ergo potius quàm alterius erit de Confessario ferre sententiam, vtrum ad id munus dignus sit; seu (quod idem est) ipsum approbare.

Nu. 184. Quarta sententia est, necessariam esse approbationem illius Episcopi qui est Ordinarius Confessoris. Hanc Suarez *ibid. num. 6. & 7.* præferendam censet, propter duas responsiones datas de mente Papæ à Congregatione Cardinalium institutas Romæ, ad explicationem difficultatum quę orirentur circa decreta Concilij Tridentini. De quibus, quia paucis dici non potest, contenti erimus ratione, quam ille subiungit: quòd per se loquẽdo approbatio sit actus iurisdictionis, idcóque pertineat per se ad Superiorẽ, qui iurisdictionem habet in eum qui approbatur, atque adeò ad Ordinarium Confessarij. Quod confirmatur: quia approbatio, per se loquendo, respicit non quidem Pœnitentem, sed Confessarium; cùm sit iudicium seu testimonium authenticum de eius sufficientia ad audiendas confessiones: quod pronuntiare spectat ad Episcopum qui est eiusdem Confessarij ordinarius Iudex.

Nu. 185. Iam argumento allato pro tertia sententia, respondeti potest; Episcopum ratione iurisdictionis quam habet in suum populum, esse sibi plenè sufficientem ad prouidendum illi de idoneo Confessario: & ita licet approbatio simplici Sacerdoti data legitimè, ipsum per se & ex vi decreti Concilij Trid. reddat propriè capacem cuiuscumque iurisdictionis delegate in foro interno: nihilominus ea non impedit quin deleganti ei iurisdictionem, sit liberum exigere conditionem sine qua non censeatur facta delegatio: vt quòd is cui delegat, Doctor sit, quòd trigesimum annum attigerit, aut aliud eiusmodi: atque inter cætera, quòd is sit vnus de iis quos ipse approbarit: adeo vt subdito petenti facultatem eligendi Confessarium possit Episcopus eam concedere cum limitatione non eligendi alium quàm à se approbatum: ac etiam iniungere Parochis suæ Diœcesis, ne suam iurisdictionem delegent aliis, quàm iisdem à se approbatis; eoquod tales ei sufficiant ad consulendum suis ouibus: nec fortè expediat aliorum operâ vti in eadẽ diœcesi. Adde quòd Episcopus possit delegare pro certo tantùm loco, vel ad certum tantùm tempus, vel pro certis tantùm personis, prout interdum iusta causa exigere potest: præsertim cùm idoneum ac sufficientem Confessorem esse, non pen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cere ex sola scientia: sed etiam ex moribus, ætate, & aliis conditionibus à prudente pensandis: ex quibus nonnunquam iudicabitur quis simpliciter idoneus ad audiendas confessiones; nonnunquam pro certo tantùm loco, vel certo tempore, aut pro certis tantùm personis; vt pro pueris, non pro grandioribus: pro viris, non pro mulieribus: & sic de cæteris.

Nu. 186. Atque cum hac propositæ quæstionis resolutione congruit, quod Suarez *in seq. sect. 7. num. 6. & 7.* probabile iudicat; dum Summus Pontifex concedit omnibus facultatem eligendi in Confessorem approbatum ab Ordinario, posse eligi Presbyterum alterius Diœcesis approbatum à suo Ordinario: præsertim cùm Confessor, quando eligitur per priuilegium Papæ; confessiones audiendo non gerat se in eo actu tanquam subditus Episcopi Diœcesis in qua audit, sed solùm vt delegatus Papæ. Quod si Papa præscriberet eligendum approbatum ab Ordinario loci, tenenda esset contraria sententia de approbato ab Episcopo proprio Pœnitentis: quæ etiam sententia tanquam securior consulenda est in praxi; vt videlicet habens priuilegium eligendi Confessarium, eligat potius approbatum à suo, quàm ab alieno Episcopo. Id quod Suarez adhuc monet.

Tertia Quæstio. An Episcopus Sacerdoti alienæ Diœcesis possit vt iurisdictionem, sic approbationem sufficientem dare ad audiendas confessiones suorum subditorum.

Nu. 187. AD hanc Suarez *in priùs citata sect. 6. num. 13.* respondendum censet cum distinctione: nempe non posse quamdiu talis Sacerdos ei subditus non est: quod sequitur ex sententia approbata in explicatione proximæ præcedentis quæstionis. Dum verò ei subditus fit, vel ratione alicuius ministerij Ecclesiastici ad quod obligatur in ipsius Episcopatu, vel ratione translationis domicilij in eundem Episcopatum; vel etiam ratione habitationis (per quam etiam efficitur quis subditus iuxta antedicta in cap. 7. sub finem) posse approbare pro eo saltem tempore quo fuerit subditus. Nam nec Concilium Trid. prohibet id fieri, nec quidquam est cur fieri repugnet, aut cur censeatur Episcopi potestatem excedere: vt ex eo confirmatur, quòd dici non possit à quo Episcopo Regulares exempti approbari possint, tãquam ipsius subiecti; nisi admittatur ratione domicilij vel habitationis, eos Episcopo loci in quo resident, sufficienter subiectos fieri, vt possint ab ipso approbari. De qua re idem author agens *in seq. num.* 14. talis subiectionis testem esse addit communem modum loquendi & sentiendi, quo iidem Regulares, quandiu in aliquo Episcopatu domicilium habent vel habitant, Episcopum illius, vocant suum Episcopum, atque vt talem illum reuerentur, illique parent in iis in quibus subiecti esse censentur.

Quarta Quæstio. An vnius Episcopi approbatio sufficiat pro tota Ecclesia.

Nu. 188. HAnc in memorata sect. 7. Suarez disputat, admonens in numero 3. eam non moueri de approbatione secundùm quid tantum, idest, qua Sacerdos pro certo tantùm loco, aut pro certis tantùm personis approbatur: cùm constet eam non sufficere vltra terminos concessionis, nec plus valere quàm velit Episcopus à quo datur, tanquam is cui à Concilio Trid. commissa est. Mouetur ergo de approbatione datâ simpliciter & absque restrictione ad loca vel personas, atqueadeo declarando simpliciter hunc Sacerdotem esse idoneum ad pœnitentiæ Sacramentum ministrandum. Partem autem affirmantem in Hispania Doctores Salmanticenses secutos esse refert Alphonsus à Viualdo in Candelabro aureo *cap. de confessione num. 28. concluf. 3.* Complutenses verò, partem negantem. Suarez autem sequitur affirmantem, cui libenter assentior: quoniam ea facilis est in praxi, nec exposita difficultatibus, quibus est pars contraria, nec quidquam ex decreto Conc. Trid. habetur vnde illa arguatur: quandoquidem ipsum absolutè & sine determinatione loquitur de Episcopis, quorum approbationem in Sacerdote non habente beneficium Parochiale requirit, vt censeatur idoneus audiendis Sæcularium confessionibus, ita vt ratione inuestigandum sit quinam sint tales Episcopi: atque esse Episcopos proprios Confessorum, non item proprios Pœnitentium, si diuersi sint, satis bona ratione antè nu. 184. ostensum est.

Quando igitur contigerit Sacerdotem per suum Episcopum approbatum simpliciter, & sine restrictione ad certa loca, aut certas personas; vbicumque locorum sit, censendus est habere approbationem (nisi fortè reuocata sit vt fieri potest, iuxta pòst dicenda *in explicatione vltimæ quæstionis*) quæ per decretum Concilij Triden. requiritur in Confessario idoneo. Vnde siue sæcularis sit, siue regularis eligi potest ab omni eo cui facta est eligendi potestas, siue à Summo Pontif. siue ab Episcopo, siue etiam à Paroco proprio, prout idem Suarez tractat *in ead. sect. 7. num. 10. & 18.* Obiici autem potest, quòd Episcopus non habeat potestatem dicendi ius extra suum territorium. Sed facile respondetur, id nihil obstare; quia sententia in vno loco data, quatenus personæ in quã data est adhæret suo modo, vbique locorum habet suum effectum: sic enim excommunicatus ab vno Episcopo, est vbique excommunicatus, & ad doctoratum promotus in vna Academia, vbique publicum testimonium habet suæ scientiæ; & ita in aliis.

Nu. 189. Cæterum quod hic dicitur de simpliciter approbato, dici quoque debere de habente Parochiale beneficium, satis perspicuè idem Suarez ostendit *in præced. sect. 4. num.* 18. videlicet ipsum vbique capacem proximè esse iurisdictionis, si ei conferatur ab eo qui potest eam delegare, aut eligatur ab eo, cui per bullam aut aliud Priuilegium facta est potestas eligendi Confessarium. Nam Concilium nullam istiusmodi approbationem ad audiendas confessiones sæcularium, requirit in eo qui Parochiale habet beneficium: sed integrum relinquit antiquum ius, quo (iuxta receptam sententiam, vt attigit à Victoria *de sacram. num.* 150.) potuit Parochus eligi in Confessarium per quemcumque qui sufficientem eligendi facultatem haberet.

Nu. 190. Vbi aduerte, quod etiam ibidem num. 20. Suarez ipse habet; ad istud non sufficere quòd quis habuerit beneficium Parochiale si illud dimisit; quia Concilium expresè dicit, nisi Parochiale beneficium habeat: & in iis quæ pendent ex iure positiuo, standum est verbis eiusdem iuris. Nec obstat quòd talis tam sit sufficiens dimisso, quàm retento Parochiali beneficio: quia in non habente beneficium Parochiale, Concilium expresè requirit approbationem factam ab Episcopo: itaut non sufficiat, quòd quis sit Doctor in Theologia, vel in Iure canonico; aut quòd communi consensu iudicetur ad istud munus idoneus: quia Concilium voluit talem approbationem

ex iurisdictione Episcopi pendere, sicut pendet Parochorum institutio; omnémque exceptionem excluisit, cùm simpliciter dixit: Nullum, etiam Regularẽ, &c. adeovt nemo ratione doctrinæ, aut sanctitatis, aut dignitatis cuiuscumque excipiendus videatur, nisi habeat Parochiale beneficium.

Nu. 191. Vbi etiam aduerte, quòd idem addit *in sequenti nu.* 21. ipso nomine Parochialis beneficij hîc intelligi non tantùm illud quod communiter vocatur beneficium curatum: sed etiam superiora beneficia, quæ habent annexam ordinariam iurisdictionem in hoc foro: vt Episcopatus, & quædam Abbatiæ, vel Archidiaconatus, nonnullæque aliæ dignitates. Eadem enim (ac etiam maior) est ratio, cur de talibus prouisi, non egeant approbatione, vt censeantur idonei, quibus iurisdictio delegetur, atque de Parochis. Id verò dici nequit de Prælatis Religionum, vt addit Suarez; quia licet habeant iurisdictionem ordinariã in hoc foro, non habent tamen Parochiale beneficium, sicut Concilium Trid. requirit: neque illa iurisdictio ipsorum est in Sæculares, respectu quorum idem Concilium agit de approbatione.

Quinta quæstio. An sufficiat approbationem petiisse, si iniustè negetur.

Nu. 192. HAnc Suarez proponit & tractat, *in eadem disput. 28. sect. 5. à num. 5. ad* 11. bene præmonens certũ esse, quòd si iusta de causa negetur approbatio, nihil referre quòd petita sit; quia Concilij statutum, nullius alioqui esset momenti: quandoquidem potest quiuis siue dignus, siue indignus sit, eam petere. Immo, nisi euidenter constet iniustè negari, nihil referet quòd petita sit; cùm in dubio ius Superioris semper integrum maneat, iustéque fecisse præsumatur, quando oppositum non constat. Tota ergo difficultas est, quando euidenter constat personam quæ petit, idoneam esse: & sine causa ex mala voluntate repellitur. Pro cuius parte affirmante facit, quod cõsensus debitus, & iniustè negatus eamdem vim habeat in iure, quàm consensus datus. Ideo enim statuitur in ca. Licet De Regularibus, sufficere Regulari volenti transire ad perfectiorem ordinem, si à suo Superiore licentiam ad id petat, etiamsi non obtineat. At consensus Episcopi in approbationem Sacerdotis illam petentis secundùm suum meritum, est debitus; cùm approbatio non sit opus gratiæ, sed iustitiæ: quam Episcopus ipse negans contra merita personæ petentis, & absque iusta causa, facit iniuriam. Contraria tamen pars tenetur communiter: quia Concilium statuens, nullum nisi habentem Parochiale beneficium aut approbatum ab Episcopo, idoneum esse audiendis confessionibus, satis indicat ad eam idoneitatẽ requiri approbationem actu datam. Nam particula conditionalis *Nisi* eam vim habet, vt si conditio requisita non ponatur reipsa, non sequatur effectus. Sic enim facto statuto ne quis bonis suis priuetur, nisi per sententiam Iudicis declaratus fuerit hæreticus; quamdiu Iudex aliquem non declarat talem esse, etiamsi forte id iniustè faciat, ille non priuatur bonis suis: & sic de similibus.

Nu. 193. Rationi autem allatæ in contrarium, respondetur, negando esse vniuersè verum, quòd consensus debitus & iniustè negatus tantum operetur, quantum reipsa exhibitus. Id enim falsum esse constat quoad Sacramentorum administrationem. Potest autem verum esse quoad aliquas actiones; præsertim eas de quibus in iure id declaratur, vt fit in memorato capitulo Licet: non verò in decreto Concilij Trident. de Valer. Pars 1. quo agimus; in quo potius contrarium significatur, vt patet ex dictis.

Nu. 194. Iam quod hæc resolutio non patiatur exceptionem in Religiosis mendicantibus, Suarez *in seq. num.* 13. contra Nauarrum bene probat; quia talis exceptio repugnat verbis illis Concilij (Nullum, etiam Regularem, posse confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire) quibus Regulares in hac re pares facit aliis Sacerdotibus non habentibus Parochiale beneficium. Et certè nihil esset cur Regularium meminisset, si nihil de illis statuere voluisset. Quid verò de illis statuerit, dici non potest, nisi idem quod de cæteris: nimirum egere approbatione actu obtenta ab Episcopo, vt censeantur idonei audiendis confessionibus. Si dicas id quidem statuere de Regularibus, sed exceptis iis qui haberent suo ordini concessum à Papa priuilegium audiendi Sæcularium confessiones, vt habere solent Religiosi mendicantes. Respondetur verba Concilij (Non obstantibus quibuscumque priuilegiis) satis indicare contrarium; sicut & bullas, quarum Suarez *ibidem nu.* 14. meminit: quarum vna est Pij V. edita anno Domini 1571. quæ incipit, Romani Põtifices. altera Gregorij XIII. edita sequenti anno 1572. quæ incipit. In tanta. Illis enim statuitur etiam in Theologia magistros eorundem ordinum, egere approbatione iuxta formam præscriptam à Concil. Trident.

Nu. 195. Circa quod, idem Suarez *in sequenti num.* 15. duo admonet. Alterum grauiter peccare Episcopos qui talibus Religiosis sine iusta causa, istiusmodi approbationem denegant: cùm sic illos impediant vti priuilegio à Papa concesso, quod tenentur saluum ipsis seruare, iuxta cap. Quanto. De priuilegiis. Alterum est, in prædictis Religiosis ad audiendas confessiones, non esse cum approbatione Episcopi, necessariam solemnitatem, qua olim per Clemen. Dudum De sepulturis §. Statuimus, debuerunt præsentari Episcopo per suos Superiores, aut per seipsos, vt admitterentur ad audiendas confessiones in ipsius Diœcesi.

Nu. 196. Non esse, inquam, necessariam: quia Concilium Trident. Confessarios regulares faciens pares Sæcularibus in necessitate approbationis, verosimile est pares quoque fecisse in sufficientia eiusdem approbationis: itaut in Sacerdotibus regularibus, nunc non requiratur plus quàm in Sæcularibus ad audiendas confessiones; ne quidem respectu suorum Superiorum: à quibus cùm fuerint deputati, si cætera eis necessaria adsint, possunt non requisita alia eorum facultate tùm validè, tùm etiam licitè confessiones audire. Quod Nauarr. *in Enchir. cap. 4. nu.* 2. probat: quia confessiones audire est opus charitatis: & sicut Religiosus absque alia Superioris facultate (dummodo non desit mandatis sibi ab eo factis, nec sibi prohibita transgrediatur) potest inter duos inimicos pacem conciliare, aut bonum consilium petenti dare; ita (maiori etiam ratione) potest audiendo confessiones pacem componere, inter Deum & hominem, hunc que salutaribus consiliis iuuare ad æternam salutem consequendam. Hocque idem Nauarr. notat obseruare communiter Religiosos nullum habentes statutum aut præceptum contrarium. Tale autem aliquod habentes, peccarent contrauẽiendo, & esset inualida confessio si præceptum obligaret sub mortali, ac Pœnitens id sciens, illum nihilominus induceret ad se audiendum. Eiusmodi enim inductione peccando mortaliter, poneret obicem gratiæ Sacramenti. De qua re Medina in Codice de confessione *quæstione* 34. §. *Si quæras.*

* * *

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sexta quæstio. An valeat approbatio Confessarij, quouis modo data ab Episcopo.

*Nu.*197. HÆc aliquot dubiorum explicationem quærit. PRIMVM EST, An valeat approbatio, si Episcopus eam det, absque iudicio, aut etiam contra iudicium, puta videns illum cui dat non esse idoneum. Ad quod Suarez *in eadem disput.*28.*sect. quinta num.*7. respondet: quod vt approbatio valeat, non esse quidem necessarium,eam esse ex iudicio reipsa, nec existimatione sola vero; vel factâ esse cũ summa diligentia:alioqui enim scrupuli & dubitationes passim occurrerent de Sacramenti validitate,cùm sæpe appareat deceptionem & negligentiam in approbando contingere.Nihilominus tamen necessarium esse vt talis persona iudicetur idonea audiendis confessionibus;siquidem non esset alioqui approbatio, sed tantùm fictio, quâ exterius is fingitur idoneus, qui in rei veritate,interiùs non iudicatur esse; quod est contra propriam rationem approbationis,&contra verba & intentionem Concilij: cum dicat (aut alias idoneus iudicetur) quod iudicandi verbum interiorem mentis actum denotat.

*Nu.*198. SECVNDVM DVBIVM EST, An vt approbatio valeat, ea debeat haberi in scriptis:Ad quod respondetur consultum quidem esse, vt ea in scriptis recipiatur,quò certius de recepta constet cùm opus fuerit; id tamen non esse ad illius validitatem necessarium. Nec enim Concilium id requirit, vsusque communior est,vt concedatur solo verbo.

TERTIVM DVBIVM EST, An si contingat approbationem pecuniâ obtineri, ea sit inualida, sicut est collatio beneficij quæ pecuniâ obtinetur. Pro huius parte affirmante facit quod Concilium requirat vt gratis detur. Verum id non impedit quominus negantem sequamur. Nam vt bene addit Suarez *in sequenti num.*10. verba illa Concilij(quæ gratis detur) non imponunt conditionem,quæ si expleta non fuerit,approbatio non valeat: (quia id non fuit necessarium,nec forte expediens:)sed tantùm continent præceptum datum Episcopis, vt gratis approbationem istam concedant.

QVARTVM DVBIVM EST, An delegatio iurisdictionis aliquando annexam habeat approbationem sufficientem. De quo prænotandum est non moueri de possibili; quia certum est posse, tùm Papam, tùm etiam Episcopum cum iurisdictione approbationem conferre Sacerdoti vtrâque carenti: Parochum verò non posse,vtpote carentem necessaria ad id iurisdictione Episcopali.

*Nu.*199. Nec item moueri de iurisdictionis delegatione directa, quâ Episcopus tradit alicui simplici Sacerdoti subditos,quorum audiat confessiones, vt cùm instituit temporalem Parochi Vicarium.Cum enim sic institutus nequeat id munus exequi sine approbatione,intelligendum est hanc illi cum iurisdictione dari, saltem in ordine ad populum qui illi committitur,& ad tempus pro quo committitur. Neque id aduersatur Concilio, quia relinquit Episcopo liberum per examen,aut aliàs,iudicare idoneum. Denique nec mouetur de iurisdictione quam Papa delegat,faciendo fidelibus potestatem eligendi Confessarium,vt solet in Iubilæis; vel dando Sacerdotibus priuilegium, quale concessum est Religiosis mendicantibus audiendi confessiones quorumcumque fidelium ad se venientium. Nam vsus ostendit tale beneficium intelligendum esse, vt seruata Concilij Tridentini forma,interueniat approbatio Confessarij facta ab Episcopo.

Mouetur ergo de iurisdictione Indirecte delegata ab Episcopo,nempe per facultatem subditis suis datam eligendi sibi Confessarium. Ac pro parte affirmante facit,quòd Concilium Episcopo relinquat liberum approbandi modum,verbis illis;Per examen, aut alias: & quod Episcopus facultatem approbandi committere possit alteri, vt communis vsus ostendit:quo eam committere solet, non tantum suo Vicario Generali, sed etiam Superiori Religionis; vt quem ille de suis approbauerit, ipse approbare iudicetur. Vnde patet nihil obstare quominus Episcopus, dando facultatem suis subditis eligendi sibi Confessarium, censeatur simul eis virtualiter concedere facultatem illum suo nomine approbandi.

Negantem verò tenendam esse bene probat Suarez *in sequenti sect.*7. *num.*17. quia per datam ab Episcopo facultatem eligendi Confessarium, approbari electum,idem est in re,ac per Episcopum, posse Sacerdotem non approbatum eligi pro audiendis suorum confessionibus: quod repugnat intentioni Concilij: neque fieri potest nisi dispensando in illius decreto: quod Episcopus nequit,vt nec in alio iure communi. Accedit quòd talis approbatio fieret vniuersaliter: quandoquidem per eam in confuso quilibet Sacerdos approbaretur; posset enim quilibet eligi ab habente eiusmodi facultatem. Id autem præterquam quòd est alienum à ratione, repugnat quoque intentioni Concilij exigentis approbationem personæ, quæ per examen aut aliàs iudicetur idonea:& per consequens in particulari factam personæ determinatæ: non autem personæ in confuso, de qua tãquam incognita, iudicari nequit eo modo, quo Concilium requirit, in ordine ad approbationem necessariam ad confessionis validitatem,etiam si vnius tantùm confessio esset audienda.

Si quid autem ratio in contrarium efficiat, illud tantùm est,quòd si Pœnitens fuerit vir doctus,possit Episcopus ei committere approbationem,sicut posset alteri:quia Pœnitentem esse,non facit virum doctum peioris conditionis esse,quàm aliàs esset. Tale verò quid, tanquam insolitum præsumendum non est in dubio: multò verò minus quando in personis approbantibus,& approbatis deest capacitas;cùm in concedente intentio sic approbandi, haud valeat moraliter inesse.

Quæstio vltima. An semel concessa approbatio auferri possit,aut aliter cessare.

*Nu.*200. PRo huius explicatione sequentia documenta notatu digna sufficient. Primum est, approbationem secundum quid tantùm, id est pro certo loco,vel ad certum tempus,vel pro certis personis,deficere extra terminos eiusmodi præscriptos in concessione. Ratio est, quia cùm approbatio commissa sit Episcopo,non valet plus quàm data est ab eo.Vnde Suarez *in citata sect.*7. *num.*3. infert, quòd quando Episcopus approbat Sacerdotem, cuius non est Ordinarius, quia respectiuè tantùm potest eum approbare,pro suis nimirum subditis,cæteros non posse talem eligere,tanquàm sufficienter approbatum; sicut nec possent, si Episcopus approbans esset quidem Ordinarius approbati,sed approbasset ipsum limitatè pro solis personis suæ Diœcesis.

Secundum documentum est, quod idem author habet *in seq. sect.*8. *num.*2. approbationem simpliciter factam durare quamdiu non reuocatur, neque extingui per mortem concedentis. Ratio est, quia approbatio non est tantùm gratia, sed etiam iuridica quædam declaratio; ideoque suam vim retinet quamdiu non reuocatur.

*Nu.*201. Tertium documentum (*de quo idem author ibidem*) est, approbationem posse ex iusta causa reuocari. Probatur,quia non est immutabilis,cùm habeat fundamentum mutabile:fundatur enim in scientia, bonis moribus,& aliis conditionibus, in ministro requisitis ad hoc ministerium cõuenienti modo exercendum:secundùm quas illum mutari posse dubium non est: aut certe in quibus diiudicandis erratum esse potuit, quando approbatio dabatur. Accedit quod Sacerdotes per approbationem non acquirant nouum aliquod ius,sicut per adeptionẽ Parochialis beneficij: neque Episcopus approbando obligauerit se vllo titulo quo teneretur ita ratam habere approbationem, vt nusquam posset eam in dubium reuocare:præsertim cùm moraliter contingat plures indignos, vel negligentiâ, vel malitiâ, vel casu inter dignos approbari; ideoque ad vitandum scandalum conueniat tales ad examen reuocare. Atque hac de causa successori approbantis conceditur(vt suæ conscientiæ satisfaciat) ad examen vocare approbatos à suo prædecessore; & quos non inuenerit idoneos reprobare, & sic reuocare approbationes. Quod procedere etiam quoad Religiosos mendicantes approbatos, patet ex Bulla Pij V. edita anno Domini 1571. quæ incipit Romani Pontifices. Vbi habetur ipsos à successore approbantis,pro maiori conscientiæ suæ quiete,posse de nouo examinari: non autem ab eodem Episcopo, à quo præuio examine approbati fuerunt. Circa quod Suarez ponderando verba(præuio examine)notat nõ impediri Episcopum, quin eosdem Religiosos sine examine approbatos, possit postea examinare, & eorum approbationem reuocare,si non ritè factam esse inuenerit.

*Nu.*202. Quartum documẽtum(de quo adhuc Suarez *in cit. sect.*8.*num.*7.)est,probabile esse Episcopum non posse datam subdito approbationem reuocare sine iusta causa. Ratio est, quia vt ante diximus, approbatio est iuridica quædam declaratio, quæ se habet tanquàm iusta sententia,inferiori petenti debita à suo Superiore:quam si negare non potest sine iusta causa,multò minus potest reuocare concessam:itavt sic facta reuocatio videri possit nulla,tanquam ablatio rei per iustam sententiam adiudicatæ, iustéque possessæ; nec ita pendentis ex voluntate Iudicis, vt is per contrariam sententiam validam,possit sine iusta causa illam auferre. Quia tamen non potest facile constare talem reuocationem esse sententiam sine iusta causa latam; & in dubio semper est pro Superiore præsumendum, ea non est contemnenda, sed timenda, ne in præiudicium animæ tàm propriæ, quàm Pœnitentis, confessionem inualidam fieri contingat: quandoquidem approbatio conditio est ex qua illius valor pendet.

*Nu.*203. Quintum documentum est, approbationem in vno Episcopatu acceptam,cessare per translationem domicilij in alium Episcopatum,itavt Sacerdos qui ab Episcopo proprio approbatus, domicilium mutat,transferendo illud in aliam Diœcesim, indigeat noua approbatione. Ratio est, quia tunc de eo non verificatur quòd approbationem habeat à suo Episcopo:siquidem ille qui eam dedit,iam non est ipsius Episcopus,sed alter in cuius Diœcesim transtulit domicilium. Et verò,is qui non habet approbationem proprij Episcopi,etiamsi ante habuerit, sicut & qui non habet Parochiale beneficium, etiamsi ante habuerit; non censetur idoneus de præsenti ad confessiones audiendas.Id quod procedere etiam quoad Religiosos monet Suarez *in prius citata sect.* 7. *num.*8. ideoque maius in hac re onus ipsos sustinere, quàm sæculares, cum sæpius domicilium mutent ex vna Diœcesi in aliam. Quanquam, vt ille addit,num.9. redeuntes ad eundem Episcopatum, eamdemque subiectionem subeuntes, recuperant approbationẽ, tanquam de intentione Episcopi à quo data fuerat (nisi eam reuocarit)redeuntem ad suum statum,prout communis vsus ostendit, quo in tali casu approbatio non petitur de nouo.

Addit idem ibidem *num.*11.*& tribus sequentibus*, de *Nu.*204. iisdem Religiosis:quòd priuilegio à Papa ipsis concesso audiendi confessiones, vti non possint de iure communi, nisi approbati fuerint ab Ordinario loci in quo degunt;& quòd ab eodem approbati possint audire omnes qui sunt de illa Diœcesi: immo (ex priuilegio Sixti IV. quod iam antea num. 93. attigimus) & eos qui sunt alterius Diœcesis, si veniant ad ipsorum loca confitendi causa: non verò si extra eamdem Diœcesim ipsi excurrant ad loca volentium ipsis confiteri:tum quia memoratum priuilegium id eis non concedit:tum quia approbatio ab Episcopo obtinenda ex decreto Concilij Tridentini,non facit obtẽta, vt tale priuilegium magis amplum sit,quàm antea: sed solummodo successit in locum præsentationis ipsorum Religiosorum,quę facienda erat iuxta Clement. Dudum. De sepulturis. §. Statuimus. & Extrauagantem communem Super cathedram eod. tit. & §. Itaque Religiosi mendicantes in vno Episcopatu approbati, non consequuntur inde, vt per suum priuilegium possint in alia Diœcesi audire confessiones,sicut nec antea consecuti sunt,per præsentationem ipsorum factam Episcopo.Quare si aliqui eorũ aliquid amplius possint, id erit propter aliquod speciale priuilegium tpsis concessum:quale est quod Suarez *in cit. num.* 13.*& in præced.* 10. *sub finem.* refert nostræ Societatis Religiosis concessum à Gregorio XIII. vt possint audire confessiones dum iter agunt siue terra,siue mari,vbi non sunt approbati, si alibi approbati fuerunt.

Tractatus ad antedicta per modum appendicis additus. De excommunicatione lata in percussorem Clerici vel Monachi 17.*quæst.* 4. *cap. Si quis suadente Diabolo.*

FRequens antea de istiusmodi excommunicatione facta mentio exigit, vt ad calcem huius libri tractatum de ea adiiciamus. In eo autem illud præfari oportet:authorem capituli Si quis suadente diabolo 17.quæst.4.in quo excommunicatur percussor Clerici vel Monachi, fuisse quidem Innocentium II. vt Gratianus illi tribuit: (quod etiam facit Bonifacius VIII. in cap.Vnico de Clericis coniug. in 6.) quia tamen is, prout notat Couar. *in lib. practicarum qu. c.*31. *num.*4. illud edidit in Concilio Lateranensi, tacito eiusdem Innocentij nomine, ea tribuitur ipsi Concilio in cap. Non dubium. De sentent. excommunic. Agunt verò de eadem excommunicatione Paludanus & Richardus in 4.distinct. 18. ille quæst. 3,art.3.& hic art.11.quæst.5.D.Anton.3.part.tit.24. cap. 1. Angelus & Tabienſis vterque in verbo excommunicatio 5. casu 1. Rosella eodem verbo 2. & Syluester eodem 6. per totum,Caiet. eodem adhuc verbo cap.10.Nauar.in Enchir.cap.27.à num. 76. ad 93.& plerique alij recentiores,vt Suarez tomo 5. ad 3.partem D.Thomæ disput. 22. sect. 2. Lud. Molina de iust.& iure tract.3.disput. 50. & seq. vsque ad 65. & Georgius Sayrus cæteros commemorans in lib. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

thesauri casuum conscientiæ cap. 26. 27. & 28. Ac quæ dicenda sunt, ad tria capita reuocantur, quorum primum erit de propositæ excommunicationis materia: secundum de casibus in quibus talis excommunicatio non habet locum: tertium de illius absolutione, quæ est vnica ratio eiusdem tollendæ.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De materia excommunicationis latæ in cap. Si quis suadente Diabolo 17. quæst. 4.

SVMMARIVM.

205 *Quid intelligi debeat per violentam manus iniectionem in Clericum vel Monachum, ob quam imposita est excommunicatio.*
206 *Intelligi non modo percussionem: sed etiam conspurcationem Clerici iniuriosam & violentam, factam rebus adhærentibus personæ ipsius.*
207 *Itémque violentam detentionem ipsius aut compulsionem, nisi ea fiat tantùm verbis.*
208 *Non continetur surreptio rerum facta dormienti, aut aliàs non sentienti.*
209 *Clericum de ipsius voluntate percutiens iniuriosè, non excusatur ab ex communicatione.*
210 *Quando Clericus ipse in eam incurrat percutiendo seipsum.*
211 *Animus inferendi iniuriam Clerico vel Monacho, isque mortalis requiritur ad eamdem incurrendam & sufficit: quantumuis non sit cum externa læsione notabili.*
212 *Quis intelligatur nomine Clerici, cuius percussione, proposita excommunicatio incurritur.*
213 *Quatenus incurratur excommunicatio hac percussione Clerici non gestantis habitum & tonsuram Clericalem: & quod non incurratur percussione gestantis eumdem habitum, si non sit Clericus.*
214 *Qui intelligantur nomine Monachi. cuius percussione hæc censura incurritur.*
215 *Actiones accessoriæ ob quas incurritur.*
216 *An in excommunicationem hanc incurrat qui mandauit manus violentas iniici in Clericum vel Monachum, & reuocauit mandatum ante executionem.*
217 *Quid si non reuocarit quidem, sit tamen mortuus ante executionem.*
218 *Quando in excommunicationem incurrat, qui ratam habet iniectionem manuum in Clericum violentam suo nomine factam.*
219 *Quando in excommunicationem incurrat percutiens Clericum, in pœnam qua dignus est.*
220 *Quando incurrat Iudex Ecclesiasticus, puniendo Ecclesiasticum sibi subditum.*
221 *Quòd is incurrat qui cùm potest non impedit iniectionem manuum de qua agimus.*
222 *Clericum non incurrere in excommunicationem ex eo, quòd subiiciat se verberationi in satisfactionem pœnæ qua dignus est.*

IN excommunicatione nobis ad explicandum proposita, vt & in quauis alia, duplex distinguenda est materia: vna remota, altera propinqua. Illa est persona, quæ eam incurrit: hæc verò, actio vitiosa seu peccatum propter quod incurrit. Atque persona potest esse quiuis Christianus habens vsum rationis: siue vir, siue fœmina, siue senex, siue iuuenis, etiam puer, vt indicant verba *Si quis*. & rectè Nau. confirmat *in Enchir. cap. 27. num. 76.* Actio autem vna est principalis nimirum iniicere manus violentas in Clericum vel Monachum suadente Diabolo, & plures accessoriæ, de quibus postea.

De actione principali ob quam proposita excommunicatio incurritur.

SECTIO PRIOR.

TAlis actio est iniicere manus violentas in Clericum vel Monachum suadente diabolo: quam, vt excommunicationem inducat, oportet circumscriptam esse tribus conditionibus. *Nu.205.*

De prima conditione propositæ actionis, vt sit violenta.

Prima est, vt sit effectus violétus & iniuriosus personę Clerici vel Monachi: seu quo vis cõtra ius quod vnusquisq; habet in corpus suũ, infertur tali personę in detrimentum graue reuerentiæ & honoris ei debiti. Cuiusmodi effectum aduerte appellari manuũ iniectionem, non quòd manibus ipsum perfici necesse sit, ad incurrendam hanc excommunicationem (lata est enim ad tuendam status Clericalis dignitatem: quæ non minus læditur tali effectu, si alia ratione, quam manu perficiatur) sed vt notãt Caiet. & Nauar. *ille in verbo Excommunic. cap. 10. & hic in seq. num. 77.* quòd cum manus sit ὄργανον ὀργάνων, prout ab Aristot. dicitur, atqueadeo potissimum membrorum, quibus tanquam instrumentis in exteriori executione vtimur, à præcipuo modo quo potest idem effectus perfici, nempe ministerio manuum, appellatur iniectio manuum violentarum in Clericum vel Monachum.

Cùm igitur non ille solus qui manibus perficitur, sed etiam quilibet alius effectus illius generis, cuius meminimus, causa sit sufficiens incurrendæ huius excommunicationis, si cæteræ conditiones post notandæ adsint; inferimus ei subiici. *Nu.206.*

Primò non tantùm eum qui Clericum vel Monachum manu, pugno, pede, ense, baculo, saxo, alióve corporis membro, vel instrumento externo percutit: sed etiam qui puluere, aqua, saliua, aut alia huiusmodi re iniuriosè conspergit: vt ad propositum cap. Si quis suadente Diabolo Glosa expressit, verbo Manus: & post eam authores initio memorati: commúnémque sententiam esse notant Rosella num. 16. & Sylu. num. 5. vers. 6. locis initio citatis.

Secundò subiici (quod iidem quoque authores expresserunt) illum qui vim facit rebus adhærentibus Clerici vel Monachi personæ (cùm in hanc illa redundet) nempe eum qui aliquid ipsi è manibus vel corpore eripit vi (inquit Nauar.) seu frangit, vel scindit violenter, vt inquiunt locis citatis Angelus, & Sylu. num. 11. addita hac moderatione: nisi res sit quam quis taliter capere potest authoritate propria: vt si sua sit quam Clericus furto sublatam fugiens asportet: quia vim vi vt in persona, sic in rebus propulsare licet, prout argumentatur Palud. Intellige autem si continuò id fiat: non item post aliquod temporis interuallum; quando Clericus si non de iure, saltem de facto est talis rei plenus possessor, vt Sylvester quoque admonet. Et ratio est, quia tunc non esset repellere vim, sed inferre. Similiter eum qui immittit manum fræno equi, cui Clericus insidet, aut abscindit cingulum ephippij vt Clericus ipse cadat, vel inuitus descendat, prout addit Palud.

Quòd

Quòd si occidat equum cui Clericus insidet, vel laceret vestes quibus ille induitur, ait D. Anton. versari in controuersia, An incurrat in hanc excommunicationem: statuitque probabilius esse quòd incurrat: quia quamuis pœnæ sint legum interpretatione restringẽdæ in materia odiosa: in fauorabili tamé sunt ampliandæ, *iuxta 15. Regulam Iuris in 6.* Atque propositus Canon Si quis suadente Diabolo, est maximè fauorabilis respectu Ordinis Clericalis, cui vt indulgeretur constitutus est.

Nu.207. Tertiò subiici eum qui illicitè Clericum detinet in carcere, vel in custodia siue publica, siue priuata: quod etiam expresserunt D. Anton. & Nauarrus. Patétque ex cap. Nuper De sentent. excommunicationis. Immo & eum qui illicitè capit. vt ex eod. cap. deducit Panor. *ad cap. Vniuersitatis De sententia excommunic. in. 6.* cuius sententiam sequitur Caietan. Quam vt Canonistarum communem attingens Iacobus à Graphiis *lib. 2. decis. aurearum cap. 48. num. 12.* excipit illum qui capit aut capere facit Clericum gerentem se pro laico, sicut excipiendum esse intelligitur ex cap. Si Iudex *in fine De sentent. excommunic. in 6.* Idem ac de eo qui in carcere detinet, iudicium est de illo, qui claudit domum in qua est Clericus, ne possit inde libere, aut sine pudore exire, vt expressit Angelus loco cit. Item de illo qui milites constituit vt ipsum capiant, si inde exierit vt Palud. habet, & post ipsum Sylu. *excommunic. 6. nu. 12.* Addẽs similiter illum qui arrestat vel secum ad iudicium ire facit quasi victum & captum. Itémque illum qui ipsum adeo atrociter insequitur, vt is quasi coactus ad euadendum se in aquam det præcipitem, vel alteri periculo se obiiciat, cadat aut lædatur grauiter: quod communem sententiam esse notat *in cit. num. 77.* Nauarrus. Intelligendum est autem, cùm insecutio ipsa moraliter fuerit non modo occasio, sed etiam vera causa præcipitij, alteriúsue periculi: sicut fuisse iudicari potest, quando illa est adeo vehemens vt facile talis effectus inde oriri potuerit. Et ista ratione, conciliari possunt pugnantes sententię quas idẽ Nauar. refert de ead. re, Diui Antonini & Sylu. ex vna parte: & Angeli ac Armillæ ex altera.

Hic tria obseruanda sunt. Primum est: si quis Clerico præcipiat exilium, vel vt intra aliquem locum se contineat, nec interueniat aliud, quàm vis ea præcepti, eum non incidere propterea in excommunicationem ex Caiet. *in cit. cap. 10. notab. 1.* deducíque potest ex Clement. 1. De pœnis, iuncta ipsius Glosa in verbo De prædictis. Idem iudicandum est si quis metu verbali seu minis aut iniuriis cogat Clericum aliquid sibi dare, vel fundum suum sibi relinquere ex D. Anton. §. 1. *sub finem*, Angelo *num. 29.* Sylvestro *num. 5. sub finem & num. 12. versus 5. locis initio citatis.* Ratio est, quia tali metu nulla censetur fieri, Clerico violentia, quandoquidem nec contactu physico tangit vllo modo Clericum: nec ita pertingit ad ipsius personam vt censeatur ei exterior vis fieri, per quam aut lædatur, aut detineatur seu impediatur quominus ire possit quò velit. Attamen si metus fundaretur in aliqua actione violenta circa personam: vt cum quis Clerico dicit sequere me, alioqui ego te interficio: quia non esset purus metus, sed permixtus cum violentia; incurreretur hæc censura prout notat Suarez *tomo 5. disput. 22. sect. 1. num. 31.*

Nu.208. Secundum est: si quis Clerico dormienti aut aliàs non sentienti surripiat zonam qua cingitur, aut pallium vel pileum quo tegitur, aut pecuniam quam habet in marsupio vel marsupium ipsum præscindat; quantumuis locis cit. D. Anton. & Sylvester *num. 11. vers. 4.* nonnullique alij (quos hìc refert) sentiant ipsum in excommunicationem incurrere: probabilius tamen esse, quod contra sentiunt locis cit. Palud & Caiet. *in seq. notab. 2.* pluresque alij, quorum etiam Sylvester meminit. Ratio verò est quia in illis casibus non datur violentia redundans in personam Clerici, sed solùm dolus.

Tertium est quantumuis Clericas consentiat vt ab aliquo verberetur, ipsum tamen verberantem incurrere in excommunicationem: quod notant Sylu. & Caiet. *ille in prius cit. num. 5. versu 1. & hic notab. 3.* Et ratio est, quoniam ea non est tam lata in fauorem Clerici, quàm Ordinis & status Clericalis; vnde vt locum habeat, sufficit percussionem iniuriosam esse eidem Clericali statui, seu Clericorum collegio: quantumcumque Clerico voluntaria sit, non autem violenta. Quæ ratio datur in cap. Contingit 1. de sentent. excommunic. Vbi exemplum ponitur de Clericis quibusdam qui in Archiepiscopatu Bracharensi secundùm morem patriæ, quem Laici obseruabant, si quem iidem Clerici offendissent & vellent satisfacere offenso, corpora sua supponebant triginta seu pluribus aut paucioribus percussionibus fustium. In quem locum Glosa & Panormit. aliique annotant tales percutientes incurrisse in excommunicationem. *Nu.209.*

Idem iudicandum esse de Clerico si seipsum iniuriosè percutiat, ex communi sentẽtia interpretum eiusdem cap. annotat Panormit. *num. 6.* & locis citatis sequuntur Paludanus ac Nauar. *num. 78.* Id quod eadem ratio cõfirmat, quia etsi in ea re iniuriam sibi minimè faciat (quandoquidem volenti non fit iniuria) facit tamen Ordini Clericorum in cuius fauorem proximè, hæc excommunicatio lata est. Sed aduerte, quòd si percutiat se deuotionis zelo, excusabitur ex Nauar. *in Enchir. cap. 15. num. 11.* vt si coram Deo in amaritudine animæ, peccata sua recogitans, pugno tundat pectus, aut palmâ faciem: vel ad domandam carnem se flagris cædat: aut etiam (addit Nauar.) vellat sibi capillos, vel alapas impingat ob mortem parentum vel amicorum. *Nu.210.*

De secunda conditione propositæ actionis vt fiat animo iniuriandi.

SEcunda conditio actionis de qua agimus est, vt fiat animo iniuriam inferendi Clerico vel Monacho, prout illa verba *Suadente Diabolo* significare annotat Panor. ad cap. 1. & ad esp. Si vero 2. De sentẽ. excommunicationis, *illic num. 4. & hic sub finem.* Vnde ipse infert eum qui per iocum aut ignorãtiam percutit Clericum, non incurrere in hanc excommunicationem. Cæterùm quia ex cap. Nemo Episcoporum 11. *quæst. tertia* oportet peccatum propter quod excommunicatio maior incurritur, mortale esse: dubitatur, An ad incurrendam hanc excõmunicationem sufficiat animum illum, seu affectum interiorem, cuius impulsu violentæ manus iniiciuntur in Clericum, peccatum esse mortale: neque referat, quòd actu exteriori modica tantùm violentia inferatur: vt vsuuenit cùm quis ex odio mortali vibrat saxum in Clericum, & hunc leuiter tantùm contingit. *Nu.211.*

Cui dubitationi occurrendum videtur dicendo: Cùm animus iniiciendi manus ita peruersus est, vt mortale peccatum constituat, iniectionem ipsam externam, etiamsi leuiter tantùm contingatur Clericus; sufficientem esse posse, ad eum qui tali animo fuit subiiciendum huic excommunicationi: si ea sic fiat vt secundùm moralem existimationem sufficiat ad grauem iniuriam contra honorem & reuerentiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam debitam tali personæ. Non enim requirit vt corporis læsio notabilis sit reipsa, vt patet ex eo, quòd ante ex communi doctrina retulimus, spuendo vel iaciendo aquam aut puluerem in Clericum (affectu scilicet ita illicito vt peccatum sit mortale) hanc censuram incurri: cùm tamen Clericus ex illis externis actibus non accipiat notabilem corporis læsionem. Ratio idem confirmat: quia per actum externum absque notabili læsione, notabilis iniuria inferri potest statui Ecclesiastico; ad cuius dignitatem retinendam lata est proposita excommunicatio. Quod si iniectio ipsa manuum fiat absque notabili lesione, & absque notabili ignominia, quantumuis fiat animo mortali, locus datur excusationi. Ratio est quia excõmunicatione punitur tantùm peccatum externũ, illúdque mortale: ad quod constituendum, leuis iniuria non sufficit. Nec obstabit si forte interueniat conatus grauiter lædendi: quia conatus sine effectu non obest, *ex cap. Adolescens. De sponsal.*

Si quæras an incidat in hanc excommunicationem, qui capiens Clericum per capillos aut vestes protestatur dicens: Nisi Clericus esses, ego te egregiè percuterem. Respondent Tabien. & Syluester *ille num.* 41. *& hic num.* 10. vterque Excommunicatio 5. incidere, si id faciat animo iniuriandi: quod intelligendum est congruenter iamdictis.

De tertia conditione propositæ actionis, vt exerceatur circa Clericum aut Monachum.

*Nu.*212. TErtia conditio est, vt is circa quem proposita iniectio manuum exercetur, id est patiens, sit Clericus vel Monachus. Nomine verò Clericorum intelligũtur nõ modo ij qui sacris aliquibus ordinibus: sed etiam qui sola prima tõsura initiati sunt ex Glosa propositi cap. Si quis suadente Diabolo *verbo In Clericum*: id confirmante ex eo, quòd distinct. 21. cap. Clericos, in numero eorum qui Clerici nuncupantur, cum iis qui sacris Ordinibus initiati sunt, recenseatur Psalmista; quo nomine significatur is qui habet primam tonsuram ex Sylu. verbo Ecclesia *quæst. 5. versu* 4. vbi eamdem sententiam expressè sequitur; *sicut & in verbo Excommunic. 6. num.* 3. & Angelus *Excommunic. 5. casu* 1. *num.* 27. Caiet. *in cit. cap.* 10. *notab.* 7. & Nauar. *in Enchir. cap.* 27. *num.* 79. (quibus fauet cap. Cùm contingat, de ætate & qualitate) etiamsi, *addunt Syluester sub finem citati num. tertij, & Nauar. loco citato,* ille sit coniugatus: dummodo vnicam eamque virginem duxerit: & gestet habitum & tonsuram Clericalem *ex cap.* 1. *De Clericis coniugatis in* 6.

*Nu.*213. Notat autem Iacobus à Graphiis in lib. 2. decis. aurearum *cap.* 48. *num.* 27. conditionem hanc sic esse accipiendam, vt locum habeat quãtumcumque Clerici nõn incedant cum habitu Clericali, nec inseruiant alicui Ecclesiæ in diuinis. Etsi enim tales priuentur priuilegio fori per Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. itavt possint conueniri coram Iudice laico: non priuatur tamen priuilegio Canonis, imponentis hanc excommunicationem percussoribus illorum. Verumtamen (quod idem author addit) iuxta cap. finale De Clericis coniug. si quis percuteret Clericum primæ tonsuræ, vel in minoribus Ordinibus constitutum, qui habitum dimiserit, & ad sæcularem vitam redierit, non incurreret hanc excommunicationem, sicut nec incurreret percutiens eum qui neque Ordinem vllum neque tonsuram Clericalem habens, fert habitum Clericalem: ex Panormit. ad caput. Si vero 2. sub finem. De sentent. excommunic.

Nomine verò Monachi intelliguntur imprimis *Nu.*214. omnes vtriusque sexus, qui professi sunt religionem aliquam ab Apostolica sede approbatam; vt locis quoque citatis Angelus, Sylu. Nauar. & Caiet. expresserũt: apertéque patet quoad Religiosos professus, ex cap. Cùm illorum. De sentenexcommunic. & quoad Religiosas Professas, ex cap. De monialibus eod. tit. Intelliguntur præterea secundùm eosdem authores. Nouitij & Nouitiæ, Conuersi & Conuersæ earumdẽ Religionum. Ac de Nouitiis patet ex cap. Religioso §. Quamuis. De senten. excommunic. in 6. quorum nomine (inquit Angelus) intelliguntur ingressi approbatam Religionem, vt experiantur an in ea manere debeãt. De conuersis verò patet ex ca. Non dubium. eod. titulo: quorum nomine (addit Angelus, cum eóque tradunt Caiet. & Syluester, *ille in cit. notab. 7. & hic in cit. num.* 3.) comprehenduntur omnes qui mutato habitu se & sua alicui de religionibus approbatis dedicarunt, siue mares, siue fœminæ. Dictum est, se & sua: quia, vt tradit Panormit. *ad cap. Vt priuilegia, de priuilegiis num.* 3. Si adhuc stant in sæculo, habentes vsumfructum suorum bonorum, non gaudent hoc priuilegio; sicut nec Nouitius vel Nouitia egrediens religionem ante professionem, vt expressit Palud. *in 4. distinct. 18. quæst. 5. art. 1. vers. sed hoc quari solet.*

Opponi autem potest, quod cùm restringi potius, quàm relaxari debeat pœna ex cap. Statutum. De elect. in 6. non videatur consentaneum vt Monachi nomine in proposito Canone. Si quis suadente diabolo (qui pœnalis est) intelligantur Nouitij & Conuersi: quia tali interpretatione extenditur, non autem restringitur illius pœna. Ad quod respondet idẽ Panormit. *ad cap. Non dubium. De senten. excom.* quòd vbi in constitutione concurrunt odium & fauor: prout accidit in proposito Canone: qui etsi contineat odium ex parte percutientium, continet tamen fauorem ex parte Clericorum & Monachorum, magis attendendus sit fauor, quàm odium. Quinimo nõ ad Nouitios modo & Cõuersos, aut eos qui sacris ordinibus aut prima tonsura initiati sunt; sed adhuc ad alios qui hoc priuilegio gaudeant, nomen Clerici vel Monachi hic extendendum esse, videre est apud Sylu. *in memor. num.* 3. *& in verbo Ecclesia* 1. *quæst.* 5. De quibus vniuersè sufficiet illud annotasse (quod communem sententiam esse refert Nauarr. *quæst.* 1. *de redditibus Ecclesiasticis monitione* 55. *num.* 2.) omnem personam deputatam & donatam perpetuò alicui Ecclesiæ siue sæculari, siue regulari (saltem si defert habitum aliqua ex parte Religiosum) licet non emittat tria vota substantialia, *paupertatis inquam, castitatis & obedientiæ,* censeri personam Ecclesiasticam: ideoq; gaudere hoc priuilegio. Quod similiter sentiendum esse de Heremita, qui adstrictus est alicui regulæ aut Superiori qui Religiosus sit: aut saltem qui isto priuilegio gaudeat: idem Syluester expressit tum locis cit. tum distinctiùs in verbo Heremita quæst. 1. & post ipsum attigit ipse Nauarr. in Enchir. *cap.* 27. *nu.* 79. *De quo videri potest Suarez. tomo* 5. *disput.* 22. *sect.* 1. *nu.* 21. & 22. Secus autem est de Heremita vago, seu nulli Superiori vel regulæ adstricto: absonum enim est talem censere personam Ecclesiasticam cùm sit merè laicus; pro libito recedere valens, nec ad vllum vsũ Ecclesiasticum, piúmue deputatus authoritate Prælati Ecclesiastici, qui id possit: itaut de eo non sit in hac re aliter iudicandum, quàm de illo qui habitum Clericalem vel Religiosum gerit tantùm ex deuotione. Hoc etiam annotans Iacobus à Graph. *lib.* 2. *decis. aurearum cap.* 48. *num.* 26. consequenter monet, illud quod dictum est de Religiosis professis, procedere quantumcumque ipsi efficiantur apostatæ & eiician-

eiiciantur aut licentientur ad manẽdum extra claustrum aut incedant sine habitu; dummodo Religiosi esse sciantur. Exceptiones quas ista patiuntur patebunt per post dicenda in proximè sequẽnti cap.

De actionibus accessoriis ob quas excommunicatio hæc incurritur.

Sectio Posterior.

*Nu.*215. ETsi in proposito cap. Si quis suadente Diabolo fiat tantùm mentio de iniiciente manus violentas in Clericum vel Monachum: à iure tamen addita interpretatione, aut certè extensione excommunicationem per ipsum decretam incurrere non modo talis iniectionis executorem: sed etiam *iuxta cap. Quanta. & cap. Mulieres. §. Ille verò, De senten. excomm.* illum qui eam mandauerit, aut ad eam consilium, auxilium, vel fauorem præstiterit. Id quod notant D. Anton. 3. *par. tit.* 24. *cap.* 1. Syluester excõmunicatio Sexto *num.* 5. *versic.* 3. Angelus *Excommunicatio* 5. casu primo *num.* 31. *& sequent.* ac Nauarr. in Enchir. *cap.* 27. *num.* 78. Aduerte autem id esse intelligendum de eo tantùm cuius mandatum, auxilium, consilium, aut fauor, tanquam moralis causa, in ipsam iniectionem manuum violentam aliquid ita influit, vt ipse censeatur concausa & cooperator iniiciẽtis; qui causa est physica, atque executor eiusdem iniectionis. Vnde sumitur ratio cur tale siue mandatum, siue auxilium, siue consilium, siue fauor non dicatur hîc principalis, sed accessoria actio, propter quam excõmunicatio de qua agimus, incurritur. Aduerte etiam quòd quamuis ad incurrendam excommunicationẽ ob tale mandatum, auxilium, &c. opus sit executioni mandari iniectionem manus in Clericum vel Monachum (cùm ad causam de facto veram, requiratur effectus de facto verus) posse tamen contingere vt executor non incurrat in excommunicationem: vt si inuincibiliter ignoret Clericum esse eum quem percutit. Incurrat autem mandans vel ferens auxilium aut dans consilium vel fauorem: si nimirum non laboret simili ignorantiâ, & iniectio manuum executioni mandetur.

*Nu.*216. QVAERI POTEST 1. si mandans reuocet mandatum ante executionem, ipse in hanc excommunicationem incurrat. Respondet Sylu. Excommunic. 6. *qu.* 5. *casu tertio* adhibita distinctione, quam attingit glosa *ad cap. Mulieres. De senten. excõmunicationis sub finem.* Vel enim de tali reuocatione constitit mandatario, qui nihilominus executus est iniectionem: & tunc mandans non incurrit, quia effectus non est illi tribuendus, sed malitiæ mandatarij: nisi fortè mandatum haberet aliquid consilij seu persuasionis admixtum, vnde mandatarius ipse non obstãte mãdati reuocatione, motus esset ad executionem. In hoc enim à præcisè mandante consulens distinguitur: quòd etiamsi reuocet suum consilium, conetúrque rationibus dissuadere illud quod consuluit; si ille cui datum est consilium, ex eodem prius accepto ad exequendum moueatur, tunc vtrique tribuitur effectus: quia vterque in illum influit. Vel certè de tali reuocatione non constitit mandatario, ísque mandatam manuum iniectionem violentam in Clericum executus est: tunc vterque in excommunicationem incurrit. Si opponas fieri posse, vt tunc ipse mandans contritus sit & gratiæ Dei restitutus. Occurrit idem Syluester, satis esse quòd peccatum quo damnum infertur præcesserit, vt subiiciatur quis pœnæ propter illud impositæ. Quia igitur ex hypothesi peccatum mandantis etiam per pœnitentiam deletum concurrit moraliter ad iniectionem manus in Clericum tanquam cooperatio, perinde ac non deletum; censendum est causa esse sufficiens, sicut ad ciuiles pœnas subeundas. ita & ad hanc excommunicationem incurrendam, eadem iniectione tanquam complemento eius, interueniente.

*Nu.*217. De eo autem qui excedit è vita antequam iniectio manuum quam præcepit, mandetur executioni, An in excommunicationem incurrat postquam mandata est executioni, pluribus disserit Syluester: sed tenendum videtur non incurrere: quod expressè docet glosa *ad cap. Mulieres sub finem. De senten. excomm.* quia mandatoris morte soluitur mandatum ff. mandati, lege Inter causas §. primo: nec quisquam nisi super terram excommunicatur 24. *quæst.* 1. *cap. Quodcumque*: etsi probabile admodum est quod idem Syluester ex aliis refert: cùm mandatum est notorium, & mandans sine signis pœnitentiæ & sine reuocatione mandati excessit è vita, ipsum esse tanquam excommunicatum habendum, nec sepeliendum in loco sacro: non tamen ratione vinculi quo Ecclesia militans ipsum ligauerit, sed ratione peccati notorij in quo pertinax excessit ex hac vita: sciens illud tali pœna puniri, complemento illius adueniente:

*Nu.*218. SECVNDO QVÆRI POTEST, An is qui ratam habet iniectionem manus in Clericum, suo nomine factam incurrat in hanc excommunicationem. Respondendum est incurrere prout definitur in cap. Cùm quis De senten. excomm. in 6. per regulam 15. iuris eodem libro habentem, quòd ratihabitio retrotrahatur ac mandato comparetur. Quod si ratam habet factam alterius nomine, etiamsi peccet, nulla excommunicatione innodatur, vt consequenter in eod. cap. definitur per præcedentem 9. regulam, habentem: quòd quis ratum habere non possit id quod ipsius nomine gestum non est.

Cæterùm cùm ad incurrendam excommunicationem interior affectus non sufficiat, nisi is exterius manifestetur: iuxta illud *cap. Erubescant distin.* 32. De manifestis quidem loquimur (secretorum autem cognitor Deus & Iudex est) is qui gaudet de tali iniectione facta suo nomine, illam non incurrit: si nullo externo signo prodat ratihabitionem, penitus celans eam in mente. Quod tamen aduerte posse dupliciter contingere: vno modo, non tantùm factum non approbando aliquo externo signo: sed etiam reprehendendo eum qui factum perpetrauit: altero modo habendo se, vt loquũtur, negatiuè, id est, nihil in alterutram partem dicendo agendóue exteriùs, quo ostendat se approbare factum vel reprobare. Hocque posteriore modo fieri potest vt incurrat in excommunicationem: vt quando ei constat tale factum, suo nomine patratũ esse, atque ei constare alij sciunt: tunc enim dissimulando nec contradicendo censetur signo exteriore sufficienter declarasse interiorem ratihabitionẽ. Cùm enim ille qui dum contradicere debet, tacet, consentire videatur: talis taciturnitas habetur pro externo signo interioris ratihabitionis, prout indicant Angelus verbo Consentire, & Sylu. verbo Consensus, *ille num.* 4. *& hic qu.* 5. vbi vocant ratihabitionem tacitam. Sed aduerte non incurrere ob solam taciturnitatem exteriorem deficiente interiore ratihabitione, quia per illam sine hac non habet reuera ratum illud quod factum est suo nomine: quantumuis in foro externo, in quo ex signis externis proceditur, possit præsumi excommunicatus. Aduerte item ad hoc vt quis ob eam quam diximus ratihabitionem, in excommunicationem incurrat, opus esse vt quo tempore ipsius nomine gesta est iniectio manuum in Clericum, ipse fuerit

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit in eo statu,vt eam præcipere,atque adeo ipsi tanquam præcipienti,eadem imputari potuerit. Nam si tunc infans fuit aut furiosus, quantumuis postea vtens rationis iudicio approbet factum, non incurret in excommunicationem: quia id non sufficit ad veram ratihabitionem,quæ ex Panormit. *ad cap. 1. de conuersione infidelium sub finem* requirit inter cætera vt ille qui ratum habet,ad ratihabitionem ipsam habilis sit, quo tempore peragitur illud, quod per ipsum habetur ratum. Ratio est,quia id quod non fuit in alicuius potestate cùm perageretur,non potest rationabiliter ei tanquam causæ tribui.

Nu.219. TERTIO QVÆRI, POTEST An is qui præcipit Clericum percuti in pœnam, qua,ac etiam maiore verè dignus est, in excommunicationem incurrat. Cui quæstioni vt satisfiat notãdum est ex Caiet. verbo Excommunicatio *cap.10.notab.4.* iniectionem manuum in Clericum violentam, posse duobus modis Ecclesiastico statui iniuriosam esse : altero absolutè, & secundùm se,vt accidit cùm iniquè, immeritóque aut plus quàm ille meruit percutitur ; altero ex dispositione iuris positiui, vt fit quando causa correctionis percutitur aliter quàm ius disponit.Respondetur ergo tam hoc quàm illo modo, violentam iniuriosámque manuum iniectionẽ in Clericum præcipere,sufficientem causam esse incurrendi excommunicationem ex eod. Caiet. & Nauar. in Enchir. *cap.27.num.76.*Et probatur,quia cùm statutum sit lege Ecclesiastica vt Ecclesiastici non possint puniri à Iudicibus laicis;immo nec ab Ecclesiasticis : nisi legitimam ad id potestatem habeant : sique Episcopi non sint, siue pro delictis illos puniant, siue ad explorandam alicuius rei veritatem torqueant, id faciant per seipsos, aut in casu necessitatis per Clericum aut Religiosum; nunquam autem per laicum, *ex cap.Vniuersitatis. De sentẽ.excommunic.*Cum inquam ita sit lege Ecclesiastica statutum, fit vt si Iudex laicus pœnam percussionis in Clericum statuat,& eam per se vel alium exequatur,tam ipse quàm executor incurrit in excommunicationem:etiamsi reus fuerit dignus illâ,ac etiam maiore pœna.

Nu.220. Similiter vt Iudex Ecclesiasticus, qui Episcopus non est quidem,habet tamen potestatem legitimam in Ecclesiasticum puniendum, punitionem sine priuilegio Sedis Apostolicæ exequatur per laicum, aut nulla necessitate exigente,per aliquem Clericum aut Religiosum:tam ipse quàm executor in excommunicationem incurrit : *Ex eod.cap.Vniuersitatis*:etiamsi Ecclesiasticus ille qui sic punitur in talem modum punitionis consentiat,*vt habet glosa vltima ad idem cap.* Diximus IudexEcclesiasticus,qui Episcopus non est, quia non licet Episcopo aliquem manibus suis cædere,*ex cap.Non liceat dist.*86. Et ratio est, quòd id sit indecens statui ipsius. Itaque si Episcopus pœnam percussionis vel torturæ in aliquem Ecclesiasticum suum decernat,debet eam exequi per alium,qui non nisi Ecclesiasticus esse potest:itaut illam per laicum exequens incurrat in excommunicationem. Quodsi non habeat Ecclesiasticum per quem puniat , potest tunc per seipsum punire,*vt glosa expressit ibidem,& distinct.45.in summa.*

Admoneт autem duo super hac re Nauar.*in sequen. num.*86.alterum laicos,per quos Iudices Ecclesiastici torquent Clericos , non incurrere in hanc excommunicationem,cùm desint Clerici ad id idonei. Sicut enim cùm Clericus aliter corrigi non potest; mandato Prælati per laicum corrigitur *iuxta cap. Vt famæ. De senten.excommunic.&cap.Si Clericos.eod.tit. in.6.* Sic cùm non potest per Clericum idoneè torqueri, per laicum eiusdẽ Prælati mandato torquetur:quod est argumentum Sylvestri *Excommunicatio 6. numer. 6.casu 11.sub finem.* Alterum est,Iudicem Ecclesiasticũ, qui per laicum ibi torquet aut cædit Clericum , vbi consuetudo præscripta id fert,non esse excommunicatum,quantumuis peccet : quia,*inquit Nauar.* consuetudo etiamsi non excusat à culpa , excusat tamen à pœna saltem ordinaria.

QVARTO QVAERI POTEST, An is qui debet & *Nu.221.* potest impedire violentam manuum iniectionem in Clericum non impedit, incurrat in hanc excommunicationem tãquam auxilium dans aut fauorem. Cui quæstioni satisfit distinctione. Nam vel debet ex iustitia,vt Officialis , cui ex officio tale quid incumbit :isque citra controuersiam incurrit non impediendo ,*prout patet ex cap. Quanta. De semen.excom.* Vel debet tantùm ex charitate,tuncque si potuit impedire sine damno periculóque suo,sed dolosè noluit (quòd nimirum gauderet ita fieri)incurrit iuxta Panormit. *ad idem cap. Quanta. num. 6.* & Angelum Excommunicatio *5.casu 1.num.35.*ac Sylvestrum eodem verbo *sexto,num.quinto versic. 5.* & communem sententiam esse annotat Nauarr.*in Enchir.cap. 24.nu. 20.* vbi tamen ipse innuit contrarium (quod tenet glosa eiusdem cap. Quantæ)sed ipsa communis sententia videtur tutior:cùm sub finem illius cap. generaliter dicatur:eos delinquentibus fauere (& ex cõsequenti in excommunicationem incurrere) qui cùm possint,manifesto facinori desinunt obuiare. Vnde Nauar. ipse *in seq. cap. 27. num. 78.* confirmat quoad forum externum,quemlibet incurrere in excommunicationem,qui agnoscit facinus (violentæ scilicet iniectionis manuum in Clericum)esse manifestum,seque posse commodè ei obuiare,nec obuiat. Si autem potuit impedire & omiserit : non quidem ex dolo,sed ex negligentia (non tamen crassa quæ dolo æquiparatur) aut ex timore etiam inani,aut ne se iurgiis immisceret ; etsi ea omissione peccet:liber tamen est ab hac excommunicatione , vt locis cit. annotant Sylu. & Angelus,qui communem sententiam esse ait.*Videri potest tomo 5. in 3. partem disput. 22. sect.1.num 56.Suarez.*

QVINTO QVÆRI POTEST , An si Clericus in sa- *Nu.222.* tisfactionem se sponte subiiciat verberibus, in hanc excommunicationem incurrat tanquam non impediens memoratam iniectionem manuum. Ad quod respondendum est negatiuè cum Angelo *in seq.nu.36.* & Syluestro *in seq.num.octauo* : quia ex hypothesi id non facit dolosè,sed ad satisfactionem , & vt maius malum vitet. Accedit quod in cap. Contingit 1. de sentent. excommunic. Pontifex de iis Clericis loquens qui in satisfactionem subiiciebant se triginta percussionibus, præcipiat vt si quis Clericus id denuo fecerit excommunicetur.Vnde manifestum est, quòd Clerici illi qui iniuriosè percussioni se sponte subiiciunt,etiamsi peccent,excommunicati non sint ipso facto,sed solùm sint excommunicandi. Neque est quod quis opponat, cùm percutiens in hanc excommunicationem per primum actum incurrat, Clericum percussum qui reliquis actibus consentit, in eamdem incurrere, tanquam participantem cum excommunicato in crimine criminoso.Nam vt post Ioan.Andream *ad regulam Delicium de regulis iuris in 6.* & Panormitanum *ad memoratum cap.Contingit num. 8.* notãt Angelus & Sylu.locis cit.ac Nauar.in Enchir. *cap.6.num.16.* omnes illi actus qui fiunt vno impetu reputantur pro vno, pérque omnes vna excommunicatio incurritur à verberante. Quapropter Clericus subiiciens se vltrò triginta ictibus , non magis censendus est ea re cum excommunicato participare in crimine criminoso dum infligitur secundus, tertius aut alius ictus,quàm cùm primus. Neque est etiam quòd opponat quis Clericum se ita subiicien-

do fauere percussioni:quia Summus Pontifex talem fauorem ad incurrendam excommunicationẽ hanc non sufficere declarauit:cùm in eod. cap. Contingit, statuit,ipsum non excommunicatum,sed excommunicandum esse. Quanquam tamen si Clericus verberationem sui iniuriosam apertè consuleret aut præciperet, non videretur ab excommunicatione excusandus potius , quàm alius similiter consulens aut præcipiens,sicut nec si ipsemet se verberaret.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

De casibus in quibus excommunicatio lata in Clerici vel Monachi percussorem non habet locum.

SVMMARIVM.

223 *Excusatio prima ,ratione ignorantiæ inuincibilis: & secunda,ratione imperfectionis actus.*
224 *Excusatio tertia,ratione necessitatis.*
225 *Excusatio quarta,ratione turpis operationis Clerici cum persona percutiente coniunctæ.*
226 *Excusatio quinta,ratione correctionis ac 1. in Prælato puniente Clericum suum.*
227 *Prælatum posse suum Clericum comprehendere,& in carcerem mittere per laicum;quomodo sit intelligendum.*
228 *Quomodo liceat laico apprehendere Clericum ; & in carcere detinere sine mandato sui Superioris.*
229 *Excusatio magistri, patris, domini vel heri , & senioris Clerici.*
230 *Quomodo intelligenda sit talis excusatio.*
231 *Excusatio magistri corrigentis discipulum Clericum, procedit etiamsi hic constitutus sit in maioribus Ordinibus.*
232 *Excusatio violenter expellentis ab Ecclesia Clericum aut Monachum turbantem diuina officia.*
233 *Excusatio percutientis eum qui nihil de Clericatu præ se fert.*
234 *Excusatio percutientis Clericum gerentem arma militaria , aut immiscentem se enormitatibus.*
235 *Excusatio percutientis Clericum ioculatorem aut digamum.*
236 *Excusatio percutientis Clericum coniugatum, publicè & personaliter exercentem officium macellariorum,aut laniorum,aut tabernariorum.*
237 *Excusatio percutientis Clericum degradatum.*
238 *Excommunicatio, aut suspensio , aut irregularitas Clerici non excusat ab excommunicatione eum qui ipsum percutit.*

Nu.223. QVI Clericum percutit excusari potest ab excommunicatione. Primò ratione ignorantiæ inuincibilis , iuxta cap. Si verò secundò de sentent. excommunic. vbi decernitur percutientem Clericum , quem ignorauit talem esse , non innodari sententia excommunicationis. Id quod *ex Nauarr. in Enchir. cap. 27. num.*80.procedit,etiamsi percutiens det tunc operam rei illicitæ,adéóq; peccet.Et ratio est,quòd talis pœna non sit imposita pro quauis mortali culpa ; sed tantùm pro ea quæ admixtum habet voluntarium sacrilegium in personam Clerici:quod non contigit in eo qui inuincibiliter ignorat Clericum esse illum quem percutit. Iam quòd ignorantia vincibilis non sufficiat ad istiusmodi excusationem , ex eo patet: quòd reportaretur alioqui fructus de peccato negligentiæ:quod absurdum est.

Secundò ratione modi,nempe *vt Caiet. verbo Excommunicatio cap.10.notab.6. casu 3.* & *D. Anton. 3.parte tit.24.cap.1.§.2.sub finem, Angelus & Sylvester locis citatis, ille num.2.& hic num.6.* docent:cùm manus violenta imperfecta est ex defectu deliberationis. Si quis enim absque deliberatione subito quodam animi impetu hinc *vt loquitur a Graphiis lib.2.decis.aurear.cap.42.num 33.* cum tantæ animi turreptione , vt nec se vindicare,nec iniuriam inferre intendens , manus in Clericum iniiciat ; deindéque aduertens ad id quod facit , statim abstineat:non est excommunicatus,inquit Caiet. *in sequen. casu 4.* Addens quando ipsa manuum iniectio violentã in Clericum est imperfecta ex defectu actus externi:nimirum cùm adeo leuis est,vt habenda sit pro nulla : aut omnino talis est(quòd communem sententiam esse annotat Nauarr.in Enchir. *cap.27.num.85.*) quæ si vsurpata esset in laicum non constitueret peccatum mortale. Ratio est,quia excommunicatio hæc imponitur ob violentam & iniuriosam manuum iniectionem in Clericum, quæ peccatum sit mortale completum. Nam incompletum,seu peccatum tantùmmodo veniale, non esse sufficientem causam excommunicationis maioris,manifestum est ex cap.Nemo Episcoporum 11. quæst.3. Addit præterea idem Caiet. *in sequen.casu 5.* cùm eadem iniectio imperfecta est ex defectu intentionis;seu quia non intenditur violentia iniuriosa:vt accidit cùm quis corrigés Clericum, in quem habet potestatem,modum excedit per imprudentiam,non putans excedere. Hinc etiam potest reuocari,quòd percutiens Clericum nó ex odio,ira, vel indignatione,sed ex leuitate iocosa, non incurrit in hanc excommunicationem, vt expresse definitur in cap. 1.de senten. excom.

Tertiò ratione vrgentis necessitatis.Exemplum *Nu.224.* est,cùm quis fugiens persequentes obuiam sit Clerico , cum ex equo cui insidet, descendere cogit, vt illo conscenso euadere possit; aut ensem, aliámue rẽ ad defensionem suam necessariam ei auferet. Tunc enim non incurrit in hanc excommunicationẽ,iuxta D.Anton.*in cit.cap.1.§.versu Fugiens* Caiet.*sub finem cit.notab.6.* & Nauarr. *in præced.num.* 84.Ratio verò est, quia non facit id animo inferendi iniuriam Clerico,sed subueniendi præsenti suæ necessitati. Quæ an extrema debeat esse necne,dubitatio est : de qua ibidem D. Antoninus statuit talem esse debere, quæ à peccato mortali excuset iudicio viri prudentis. Alteri ratione sentiendum est ex Nauarro *in eod.num. 84.* non incurrere eum qui licitè vim aliquam Clerico inferret propter ipsius necessitatem;nimirum vt eũ liberet ab aliquo magno malo ; aut ipsum impediret delinquere:sicut enim faciendo id licitè,excusatur a peccato mortali, ita & ab excommunicatione. Alterum exemplum est,cùm quis defendendo se, aut res suas, vel suum honorem , aut etiam alium , vel res ipsius , Clericũ percutit cũ moderamine inculpatæ turelæ. In quo casu,quandiu vera instáque adfuerit ratio defensionis , non incurri in excommunicationem tenent D. Anton. *in eod.cap.1.§. 2.casu 6.* Angelus *Excommunicatio 5.casu 1. num.* 13.14.& 15. Sylu. *Excomm.6.nu.6.casu.9.* Caiet.*in cit.notab. 6.* Nauarr. *in Enchir. cap. 27.num.* 82. & sequitur Suarez tomo 3. *disput.22.sect.1.num.39.* Patétque ex cap. Si verò primò,& ex cap. Ex tenore,de sentẽt.excomm.Item ex ratione quam iam insinuauimus (& habet Sylvester) quòd ibi non sit manus violenta,sed violentæ repulsoria,defensióque iusta atque licita , quandóquidem,vt habetur in eod.cap.Si verò,vim vi repellere omnes leges,omniáque iura permittunt.

Ex quo eod. Sylvestro aduerte primò eam percussionem debere fieri cùm instat aduersarij violentia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

siue vt loquitur Pontifex in eod.cap.Si verò, *incontinentiæ*: non autem cum iam ea cessauit.Secundo non esse licitum alicui ad defensionem rerum suarum Clericum percutere cum mutilatione, nisi is in defensorem ipsum insurgat ad rapiendum: quia tunc licet resistere ei tanquam inferenti vim personæ. Tertio si percutiens Clericum defensionis causa nõ seruet moderamen inculpatæ tutelæ, id est, excedat modum (vt fiet si occidat vel mutilet quando potest vim illatam propulsare percutiendo leuiter) nõ excusari ab excommunicatione, si id faciat ex deliberatione;sin autem ex indeliberatione, excusari: *quod etiam Angelus asserit in cit.num.*14.

Quæres, An si is quem Clericus inuadit, possit fugiendo euadere,non fugiat sed percutiat inuasorem, incurrat in hanc excommunicationem?Respondent iidem authores non incurrere si fuga esset ei ignominiosa. Si enim licet alicui Clericum percutere ad defensionem rerum suarum, multo magis licebit ad defensionem sui honoris.Quibus consentaneum est quod Caiet. *in eod.notab.6.* Angel. *nu.* 21. Sylu.*nu.*9. Nauar.*nu.*85.*locis citatis* definiuntmulierẽ de stupro interpellatam à Clerico, si vel mordendo vel alia huiusmodi ratione eum ad defensionem castitatis violenter à se propellat, non incidere in hãc excommunicationem; si non modo verbis, sed etiã facto interpellet.Si enim verbis tantummodo interpellaret (*inquiunt illi*) quia posset verbis, aut declinando ab eo, se sufficienter defendere:non seruaret moderamen inculpatæ tutelæ mordendo, aut aliud simile faciendo, ideoque cessaret excusatio. Consentaneum etiam est, vt si Clerico iustè prohibitus sit ingressus alicuius loci,& ipse nihilominus ingredi conetur: is cui commissa est cura impediendi aditum, vim illi faciendo quantum ad arcendum ipsum iudicabitur necessarium, non incurret in excommunicationem.

Nu 225. Quartò ratione turpis operationis Clerici cum vxore,matre, sorore aut filia. Nam vt expresserunt locis cit. D. Anton. *casu* 7. Angelus *num.*16. Syluest. *casu* 10. Nauar. *num.*84. qui sic cum talibus personis Clericum inuenit, sine excommunicatione ipsum percutit, *iuxta cap. Si verò* 1. *De sentent. excommunic.*§. *Nec ille*: vbi idem statuitur de hoc casu ac de defensione cum moderatione inculpatæ tutelæ: atque id in odium tanti criminis: & ob iustum dolorem illius qui sic est à Clerico iniuria affectus: quemquidem adeo iustum dolorem, quia non potest facile compescere,Canon ei parcit,*vt habet Glosa ibidem verbo Turpiter.* Intelligi debet verò siue leuiter, siue etiã grauiter percutiat (*inquiunt Angel.Sylu. & Nauarrus*) quia ius memoratum non distinguit; sed absolutè meminit illius qui in Clericum violentas manus iniicit. Quamquam tamen qui in eo casu mutilat vel occidit,*vt monet Angelus*, grauiter peccat iuxta cap. Quicumque percutit 23.quæst.octaua.Immo,*vt idem addit*,si id faceret maturo consilio, & negotio attentiùs perpenso,non autem ex subito feruore iræ, quia cessaret ratio ob quam per Canonem excusatur, in excommunicationem incurreret.Idemque iudicium esse ait in sequenti num. 20. si quis procuret vt Clericus ab vxore vocetur ad turpitudinem,& sic ipsum verberet; quia cùm tunc tam ipse, quàm vxor sint in dolo; tali percussione incurrunt in excommunicationem. In quibus Nauar. & Sylu. ei assentiuntur:sicut & in eo quod præmittit num.18.non esse antedicta restringenda ad actum copulæ carnalis: sed extendenda quoque ad amplexus,oscula, & alia id genus signa propinqua operis nefarij explendi vel expleti.

Cæterùm in hac re,quia pœnæ non sunt extendendæ vltra id quod verba legis sonant: in propria sua significatione nomina matris,vxoris,& filiæ sunt hic accipienda sine extensione:itavt nomine vxoris non intelligatur sponsa de futuro: sponsam verò de præsenti,id est, eam cum qua celebratum est matrimoniũ,sed nondum consummatum intelligẽdam esse putat Glosa ad cit. cap. Si verò: quod Sylvester approbat. Neque nomine matris intelligendæ sunt omnes ascendentes; aut nomine filiæ, omnes descendentes,vt intelligit Innocentius, quod Angel.& Sylu.& ante eos citata glosa reiiciunt: nec nomine sororis omnes collaterales. Ratio in promptu est, quod percutiens Clericum in tali facinore deprehensum,non excusatur ab excommunicatione, nisi ex indulgentia propositi cap. Si verò: quod non facere talem extensionem patet ex ipsius verbis, quibus statuit non excusari ab excommunicatione illũ, qui percutit Clericum inuẽtum in stupro, vel adulterio cum ea, quæ ita proximâ consanguinitatis lineâ,illum non attingit. Quanquam ex Sylu. & Nauar. per filiam & sororem non tantùm legitima: sed etiam naturalis intelligenda est,non item adoptiua, quæ non est verè filia aut soror.

Quintò ratione correctionis:quò referuntur multi casus.Primus est cũ Iudex seu Prælatus Ecclesiasticus ea ratione qua licitum illi esse intelligitur ex proximè præcedenti cap. *sect.posteriore quæst.* 3. punit suum Clericum.Non enim ex eo in excommunicationem incurrere,communis consensus est,receptúsque vsus satis docet; etiam quoad constitutum in maioribus ordinibus. Dixi (suum) quia si in alienum ipse, vel per se vel per aljum manus iniiciat, etiam correctionis gratia, non excusatur ab excommunicatione: vt post Panormit. *ad cap. Vt famæ De sentem. excommunic.* annotant Angelus & Sylvester *locis citatis,ille num.* 5. *& hic casu* 11. sequitúrque Nauar. *in Enchir. cap.* 27. *num.*86. Requiritur autem in ea punitione ex eod. Sylu.primò vt talis Prælatus saltem habitu intendat correctionem dum percutit, aut percuti iubet suum Clericum:neque id principaliter faciat ex odio, malitia,vel ira, *vt habet Nauar. in præced.num.* 82. sed si quid eiusmodi,correctioni misceatur;ipsum non dux sed comes illius sit, prout habet à Graphiis in lib. 2. decis.aurearum *cap.*48.*num.*37. Secundò vt in corrigendo non excedat modum notabiliter, *iuxta cap.Vt famæ sub finem De sentent. excommunic.* Quamquam si excedat quidem, non tamen ex proposito sed per imprudentiam (*quod Angelus admonet num.* 11. *sub finem*) non esset excommunicatus. Tertiò vt correctionem non exequatur per laicum, nisi Clericus ipse, aliter sit incorrigibilis: in quo casu sicut capi, ita & corrigi potest per laicum ex mandato Superioris, cui ex officio incumbit ipsum corrigere, neque aliter potest. Id quod deducitur ex citato cap. Vt famæ. Etenim accideret alioqui id, quod dicitur ibidem, vt per impunitatis audaciam fiant qui nequam fuerant,nequiores.] *Nu.*226.

Etsi autem Prælatis Iudicibúsve Ecclesiasticis non sit concessum Ecclesiasticos sibi subditos punire per laicos:eos tamen licet per hos comprehendere,& in carcerem mittere, vt ex cap. Si Clericos De senten.excommunic.in 6.post Palud. *in* 4. *distinct.*18. *quæst.*5.*art.*1.Sylvester ipse consequenter annotat.Sed aduerte id intelligendum esse,dummodo iusta causa interueniat talis comprehensionis, & incarcerationis; illa enim deficiente cessat ratio correctionis. Item dummodo Clerici qui capi mandantur non tantùm sint subditi Prælatorum mandantium,*vt habet Panormit.ad cit.cap.Vt famæ num.*5.sed etiam ad hos pertineat illos corrigere: sicut idem Panormit.*in sequent. num.* 6. pertinere ait ad eos qui habent in subditos *Nu.*227.

ditos iurisdictionem ordinariam,vt Episcopi in suos Ecclesiasticos:Abbates in suos Monachos. Aduerte etiam vt dicta incarceratio Clerici per laicum fieri licitè possit,non esse necesse vt ille iam appareat incorrigibilis,*ex cit.cap.Si Clericos.*

Cæterùm etiamsi licitum est,dum Clerici capiuntur, aut detruduntur in carcerem, ipsis inferre violentiam, quæ necessaria est ad defensionem capientium,vel detrudentium, & ad superandam ipsorum Clericorum renitentium rebellionem, *ex cap.Vt famæ De sentem. excommunic.* non potest tamen inferri maior quàm sit necessarium, vt ibidem exprimitur. Vnde si Clericus captus:*inquit Glosa ad cit. cap. Si Clericos verbo Excedatur*, quietè se duci permittat, & ducentes non resistentem calce, pugno,vel alio modo percutiant,in excommunicationem incurrunt: non item si considerata qualitate personæ aut aliis circumstantiis iudicaretur ad eum cautè ducendum expedire vt per vestes traheretur, vel manus ei ligarentur;idque ita fieret, vel aliquid simile. Adde ex eod.cap. Si Clericos: quòd cùm Clericus detrudendus est in carcerem, aut in eo detinendus ad cautelam,nempe vt compareat in iudicio,& sententiæ pareat: si ipse offerat sufficientes fideiussores aut pignora ne in carcerem detrudatur aut detineatur; in excommunicationem incurrere eum qui tunc illum in carcerem detruderet, vel in eo detineret: nisi excessus enormitas vel alia causa rationabilis aliter suaderet.

*Nu.*228. Adhæc etiamsi ius memoratum non permittat laicis capere vel detrudere in carcerem Clericos etiã incorrigibiles: *addit Panor. ad cit.cap. Vt famæ num.*9. excipiendo tamen eos,qui depositi sunt,&curiæ sæculari traditi *iuxta cap. Cum non ab homine. De iudiciis*: nisi de mandatis eorum Superiorum,quorum est illos corrigere:attamen, vt post eumdem Panormit. docent ex professo locis cit. Angelus & Sylvester *ille nu.*12.*& hic,tum in eod.casu* 11.*tum in sequent.nu.*14.

Laicus in certis casibus absque excommunicatione potest,etiam vi adhibita,si opus sit, Clericum sine mandato Prælati ipsius, apprehendere & detinere in eum finem, vt præsentet ipsum eidem suo Prælato.Primus talis casus est,cùm Clericus debitor est, & fugit aut fugam meditatur: tunc enim comprehendi potest à creditore ad præsentandum ipsum Prælato suo,à quo cogatur soluere debitum.

Secundus est,cùm Minister iustitiæ sæcularis(aut etiam *vt habet Sylvester in cit.num.* 14. quiuis inde læsus)inuenit Clericum in fragranti delicto:tunc enim licet eum comprehendere ad præsentandum ipsum quàm citiùs *inquit Caiet.in cit.cap.*10.*notab.*4. suo Prælato à quo puniri queat.Similiter cùm inuenit ipsum de nocte vagentem, estque in illo præsumptio sceleris:quæ si absit (vt abest in persona carente de se tali suspicione, & comitata socio cum lumine) in excommunicationem ille incurreret,qui vim ei adferret etiam comprehendendo ad ipsum statim præsentandum suo Prælato. Addit Angelus cùm Clericus commisit delictum aliquod, posse detineri per viginti horas, ad vocandum testes ne sit locus insiciationi. Rationem verò cur in talibus casibus iniiciendo manus violentas in Clericum non incurratur excommunicatio, Caiet. hanc reddit ibidem: quòd in illis non committatur sacrilegium illud pro quo ea decreta est:quandoquidem non ad iniuriam,sed ad iustitiam tenditur: neque Ecclesiastica iurisdictio vsurpatur: sed potius iustum ministerium Iudici Ecclesiastico exhibetur.

Casus in quibus ratione correctionis excusantur, qui non sunt Prælati Clericorum.

SEcundus casus principalis est,cum Magister percutit Clericum discipulum, disciplinæ correctionísve causa.Tunc enim in excommunicationem non incurrere tradunt Palud. *in quartum distinct.* 18. *quæst.*5.*art.*1.Richar.*ead.distinct.art.*11.*quæst.*5.D. Anton. 3.*parte tit.*24.*cap.*1.§.2.*casu* 5. & locis citatis Angelus *num.* 9. Sylvest. *num.*6. *casu* 8. Nauar. *num.*82. Caiet.*notab.*6.Et patet ex cap. 1. & cap. Cum voluntate De senten.excommunic. *Nu.*229.

Tertius casus est; *de quo iidem authores Richar. Palud.Caiet.Nauar.& Sylu.ibid. D.Anton. casu* 12. *Angel. num.*10. cùm pater carnalis disciplinæ & correctionis causa percutit suum filium Clericum.

Quartus est, *de quo item Palud. Sylu. & Nauar.ibidem* cùm simili de causa propinquus percutit propinquum Clericum;vt v.g. frater fratrem: adde potiori ratione,& mater filium.

Quintus, *de quo Richar.Palud.Angel.& Nauar.ibidem.* cùm herus famulum suum Clericum, aut alius, qui familiæ caput,aliquos Clericos de eadem familia percutit correctionis gratia, aut ad ipsos à suis insolentiis cohibendos.

Sextus, *de quo Richardus ibidem Angelus numero* 11. *Sylvest.casu* 12.*Caiet.notab.6.* cùm seniores Clerici zelo deuotionis, pueros & adolescentes in minoribus ordinibus constitutos percutiunt leuiter seu, seruata moderatione, respectu habito ad percutientem & percussum ac percussionis finem, qui est huius emẽdatio. Nam neque in his casibus ob percussionem Clerici in excommunicationem incurri expressum est in cit.cap.Cùm voluntate.

Id intelligendum est autem,vt ex eodem capitulo patet, dummodo talis percussio principaliter fiat causa disciplinæ,vel correctionis;neque scienter deliberatéque modus excedatur in ea:si enim principaliter ex ira vel odio vel malitia, Magister v. g. suum discipulum Clericum etiam pœna dignum percutiat, non excusabitur ab excommunicatione, vt notant Caiet. *ibidem*, & Sylu. *in superius citato casu* 8. Quanquam,vt hic præterea notat post Panormit. *ad cap. Veniens De senten.excommunic. num.*1. si interueniret quidem aliqua ira, sed principaliter percuteret causa correctionis vel disciplinæ, non incideret in excommunicationem. Similiter si in percutiendo excederet modum,liber non esset ab excommunicatione,nisi id absque proposito, & per inaduertẽtiam ei accideret: quia tunc imprudentia illum excusaret ex Caiet.*in eod.not.ab. 6. casu* 5.Soto *in* 5.*De iust. & iure qu.*2.*art.*2.*sub finem* Angelo *casu* 11.& Sylu.*casu* 12.etiãsi *qu.*2.*art.*2.*sub finem* Angelo *casu* 11.& Sylu.*casu* 12.etiãsi (vt hic addit) imprudentia propter non adhibitam diligentiam quam debuit & potuit, culpabilis esset; quia ad hanc excommunicationem incurrendam dolus requiritur,vt indicant verba Si quis suadente Diabolo: & is qui ex imprudentia seu ignorantia agit(nisi crassa esset aut affectata)non agit ex dolo. *Nu.*230.

Cæterùm quia memoratum cap. Cum voluntate expresse loquitur de Clericis constitutis in minoribus ordinibus, excusatio in his quatuor postremis casibus de quibus ibid. particulariter mentio habetur, extendenda non est ad percussionem Clericorum constitutorum in maioribus ordinibus: *prout illic verbo In maioribus Glosa expressit.*Intelligenda est nihilominus: cum ipsius restrictione ad modum percussionis, de qua in eodem capitulo est sermo. Est autem de accommodata correctioni puerorum: cui *Nu.*231.

Universidad de Deusto
Biblioteca

subiicere maioribus ordinibus initiatos indecentiam habet ac dedecus ordinis. Vnde in aliis casibus, vt annotant Sylueſter casu 8. & Nauar. numero 82. à Patre Filius, & à Magiſtro diſcipulus in maioribus ordinibus conſtitutus, poteſt eo quo prius dictum eſt modo puniri abſque excommunicatione. Quodquidem de magiſtro (cui pater, cuius vicē ille gerit, æquiparatur) confirmari poteſt ex eo quod in cap. 1. De ſentent. excommunicationis abſolutè ac ſine diſtinctione ſermo ſit de magiſtris & diſcipulis, faciendo illis poteſtatem hos percutiendi correctionis & diſciplinæ gratia. Et ita cùm non modo Clerici, ſed etiam laici poſſint eſſe magiſtri: ſicut contra non modo laici ſed etiam Clerici tam conſtituti quàm non conſtituti in ſacris ordinibus, diſcipuli eſſe poſſint: eidem Canoni congruenter dicere poſſumus Magiſtros laicos, ſine excommunicatione eā quæ dicta eſt diſcipuli ſui, in maioribus etiam ordinibus conſtituti, correctionem valere exequi. Id quod citati authores ſatis indicarunt cùm abſolutè & ſine reſtrictione locuti ſunt. Neque eſt quod quis opponat id indecens eſſe: officium enim magiſtri & diſcipuli poteſt illud cohonestare. Attamen quod ad praxim attinet; videtur, vt loco cit. habet Sotus, ſtandum vſui recepto in foro Eccleſiaſtico, atque adeo cum talibus potius verbis quàm verberibus agendum eſſe, iuxta doctrinam quæ de tali correctione traditur. diſtinct. 45. *per totam.* Admonet verò D. Anton. *in cit. caſu* 5. & Sylu. *in caſu 8.* quòd ſi principalis magiſter ſub ſe alios magiſtros habeat, quibus committit diſcipulos Clericos docendos, & prohibeat ne eos percutiant, non ideo diſciplinæ aut correctionis gratia percutientes in excōmunicationem incurrere: quia per talem prohibitionem non poteſt tolli priuilegium quod docenti datur corrigendi eos quos docet.

Nu. 232. Septimus caſus eſt *de quo Angel. num.* 11. *Caiet. notab. 6. Nauar. num.* 87. quando presbyter vel quilibet alius ratione officij quod habet in Eccleſia, violenter etiam, expellit Clericum vel Monachum turbantem in ea diuinum officium. Nam non incurrere in excommunicationem, dummodo id animo quietandi officia diuina (non item ex ira vel odio) principaliter faciat, nec modum excedat, habetur ex cit. cap. Cum voluntate, *& ex cap. Veniens De ſent. excom.* Quod cum Panormit. *ad hoc poſterius cap. ſub finem* & Angelo loco cit. intellige quantumuis eiiciens nō habeat prælationem ſuper eum quē eiicit. Idem iudicium eſt ex Nauar. loco cit. de eo qui Clericum excommunicatum denuntiatum aut notorium percuſſorem Clerici ex Eccleſia eiicit ingreſſum in eam, vt interſit diuinis officiis. Id quod deduci poteſt ex prædicto cap. Veniens. Ratioque eſt: quia talis præſentiā ſuā turbat diuina officia. Prius tamen monendus eſt vt exeat, omninóque abſtinendum eſt à ſanguinis effuſione, prout monet Palud. *in 4. diſtinct. 18. quæſt. 6. art. 3. concluſ. 2.*

De excuſatione ratione amiſſionis priuilegij Clericalis.

Nu. 233. POſtremo qui Clericum percutit, poteſt ab excōmunicatione ex eo excuſari, quòd ille priuilegiū in propoſito cap. Si quis ſuadēte Diabolo cōceſſum, amiſerit. Id quod contingit in aliquot caſibus. Primus eſt, quando quis Clericum neque tonſurā neque veſtium genere quidquam de Clericatu prę ſe ferentem tertiò monitum ab Epiſcopo, neque inde correctum, percutit: talis enim ſic incedens amittit priuilegium iſtiuſmodi. Nec enim ipſe de priuilegio Clericorum debet aliquod ſubſidium habere, tanquam effectus illius immunitatis extorris, quæ pro Clericorum tutela, & laicorum violentia coercenda dignoſcitur inſtituta, *prout ſtatuitur in cap. Contingit. 2. De ſentent. excommunic.* Ob percuſſionem igitur illius excommunicationem hanc non incurri, expreſſerunt Richard. *in 4. diſtinct. 18. art. 11. quæſt. 5.* & D. Anton. *3. par. tit. 24. cap. 1. §. 2. caſu 2.* & alij ſupra cit. Neque opus eſſe alia declaratione notat Suarez *tomo 5. diſp. 22. ſect. 1. num.* 11. Rationem reddens, quòd in illo cap. ad excuſationem eiuſmodi Pontifex nihil requirat præter publicam incorrigibilitatem & pertinaciam poſt trinam Superioris monitionem. De qua monitione annotat Panorm. *ad cit. cap. Contingit* & poſt eum Sylu. *excomm. 6 nu. 6. caſu* 3. debere fieri, non quidem ſimul: id eſt, vnā pro tribus: ſed cum aliquo dierum interuallo: quod etiam habet Gloſa *ad Clem. 1. de vita & honeſt. Cleric. verbo Tertiæ.* Item debere fieri nō ab alio quàm ab Epiſcopo, aut certè ab eo qui in Clericum ipſum habeat iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Addit. Sylueſter ſufficere poſſe generalem monitionem per edictum Epiſcopi, quo præcipiat vt infra tantùm temporis, vt vnum menſem, omnes Clerici habitum Clericalem accipiant. Quamuis autem, vt loco cit. animaduertit Panormit. per ſolam dimiſſionem habitus vel tonſuræ Clericalis, Clericus ipſum Canonis priuilegium non perdat: cùm ad id præter eam, ius requirat trinam monitionem factam ab Epiſcopo: tamen vt recuperet idipſum priuilegium amiſſum, ſufficit vt talem habitum & tonſuram reſumat: quod Angelus *excom. 5. caſu 1. num.* 23. confirmat ex Clement. 1. de vita & honeſt. Clericorum: vnde Gloſa ibid. verbo Quamdiu, idem colligit: ſequitúrque Sylueſter *excomm. 6. num.* 4. Hæc autem intelligenda ſunt procedere quantumuis percutiens ſciat illum quem percutit Clericū eſſe: alioqui enim memoratum ius nihil ſpeciale concederet, cùm conſtet ab excommunicatione excuſari omnem eum qui percutit Clericum, quem Clericum eſſe inuincibiliter ignorat: *pro quo textus eſt expreſſus in cap. Si verò 2. de ſentent. excommunic.*

Addit loco cit. Suarez differentiam in hac re inter Clericos cōſtitutos in minoribus ordinibus & conſtitutos in maioribus: quòd illi omnino deſerentes habitum & tonſuram Clericalem; itavt non ſemel aut iterum, ſed continuata conſuetudine illis non vtantur, amittant iſtud priuilegium quandiu perſeuerant in tali ſtatu: hi verò non amittant idem faciētes, donec ter per ſuum Prælatum admoniti, ſe incorrigibiles oſtendant iuxta antedicta. Ratio differentiæ eſſe poteſt, quòd illis ſit liberum à ſtatu Clericali reſilire: his non item: ideóque nequeant, vt illi, tanquam non Clerici ex eo haberi, quòd externo habitu nihil de Clericatu præ ſe ferant.

Secundus caſus eſt: cùm quis dimiſſo Clericali habitu arma geſtat militaria, nec ſe correxit ter monitus illo modo qui traditus eſt pro præcedenti caſu. *Nu.* 234. Nam cùm talis priuetur Clericorum priuilegio *per cap. In audientia, De ſentent. excomm.* qui percutit ipſum non incurrit in hanc excommunicationem. Immo ex Nauarr. *in Enchir. cap. 27. num.* 80. id habet locum ſi Eccleſiaſticus geſtet quidē habitum Clericalem, ſed admonitus eo quo dictum eſt modo, à militaribus actis non abſtineat. Verum id non habetur ex propoſito iure; neque vt Suarez *in ſequent. num.* 17. bene oſtendit pro ipſo Nauarro facit cap. Finale De vita & honeſt. Cleric. quod ille citat.

Tertius caſus: cùm quis percutit Clericum qui relicto Clericali habitu, ſe immiſcet enormitatibus. Talem enim amittere priuilegium Canonis, patet ex cap. 1.

cap. 1. De Apoſtatis & ex cap. Cùm non ab homine & ex cap. Perpendimus De ſentent. excomm. etiamſi admonitus non ſit *vt habent Gloſa penult. ad dictum cap. Cum non ab homine*, & Panorm. *ibid. num.* 6. Angelus verbo Clericus 10. *num.* 1. & 2. & Sylu. eod. verbo 3. *quæſt.* 9. & Nauar. *cap.* 27. *num.* 81. quia iſti Canones non præexigunt admonitionem ſicut priùs citati.

Aduerte verò illud quod dictum eſt de primo caſu; ipſum nimirum procedere, quantumcumque percutiens ſciat eum quem percutit eſſe Clericum: Panormit. ibid. notare in hoc quoque & precedēti procedere eadem ratione. Aduerte etiam illum ſe enormitatibus immiſcere, iuxta citatos Canones *(quod monet idem Panormit. ad memoratum cap. Perpendimus num.* 3.) qui armis acceptis ſeditionem in populo iniuſtumque bellum facit. Addit Angel. *in cit. numero* 2. illum qui atrociter delinquit publicè, prout faciunt publici latrones armati, aſſaſini, & alij qui crimina cum ſæuitia & graui proximi iniuria contra iuſtitiā ac reip. pacem committunt: talia enim ſunt crimina, quæ in memoratis iuribus inſinuātur. Quæ iura cùm pœnalia ſint, non ſunt interpretatione extendenda ad alia crimina. Aduerte demum, eadem iura ſic liberare ab excommunicatione percutientem Clericum, vt non faciant immunem à peccato: quandoquidem præſcribunt vt pœnitentia illi iniungatur etiam grauior, quàm ſi in caſu ſimili percuſſiſſet laicum.

Nu. 235. Quartus caſus eſt: cùm percutitur is qui ſe ioculatorem ſeu mimum aut ſcurram facit per annum: talis enim caret omni Clericali priuilegio: vt & quando fecit quidem breuiori tempore, ſed ter monitus non reſipuit, prout habent Angelus *in verbo Clericus 9. nu.* 10. Sylu. *eod. verbo 3. quæſt.* 8. Nauar. loco cit. ex cap. vnico De vita, & honeſt. Clericorum in 6. Quæ monitio, *vt ait Gloſa ibidem verbo Moniti*, debet per Prælatum vel Iudicem ipſius Clerici fieri eo modo quo dictum eſt in 1. caſu. Aduerte ex eadem Gloſa, in verbo Ioculatores, hîc non comprehendi eos qui ioculantur priuatim aut infirmitatis ſolandæ vel alterius honeſtæ rei cauſa: non verò publicè, nec quaſi artem ioculandi factitando. Adde, quia verbum exercendi importat frequentationem actuum, neque comprehendit eum qui ſemel tantùm, aut iterum tale quid faceret. Adde etiam cùm conſtitutio loquatur indiſtinctè, eā includi etiā initiatos maioribus ordinibus

Quintus eſt, cùm percutitur Clericus bigamus, hoc eſt, qui contraxit matrimonium cum duabus, vel cum vnica quidem tantùm, ſed corrupta; talis enim priuatur omni priuilegio Clericali per cap. Vnicum. De Bigamis in 6. Id quod notant Caiet. *in verbo Excommunicatio cap.* 10. *notab.* 7. Sylu. *verbo Clericus 3. quæſt. vlt. & Excomm. 6. num. 6. caſu.* 14. & Nauar. loco cit. Aduerte autem hæc non eſſe intelligenda de Bigamis conſtitutis in maioribus ordinibus *ex Gloſa ad cit. cap. Vnicum verbo Bigamus* & Palud. *in 4. diſtinct. 27. quæſt. 4. art. 2.* & Sylu. *verbo Bigamus quæſt. vltima*: vbi rationem adfert quod tales non poſſint amplius tanquam laici viuere: ſicut poſſunt (immo & debent ſub excommunicatione ex eod. cap. Vnico) qui in minoribus ordinibus facti ſunt bigami. Addit ibidem Sylu. quod ſi Bigamus efficiatur Religioſus quamuis ratione Clericatus non gaudeat hoc priuilegio, gaudere tamen ratione Religionis; quia cap. propoſitum quo tollitur priuilegium bigamis mentionem tantùm facit de Clericis: priuilegium verò Canonis datur quoque Monachis; vt patet ex verbis illis *Si quis ſuadente Diabolo Clericum vel Monachum, &c.* De Clerico vxorato quidem: ſed non Bigamo, ſi portet habitum & tonſuram Clericalē, quòd gaudeat iſtiuſmodi priuilegio, habetur ex cap. 1. de Clericis cōiugatis in 6.

Sextus caſus eſt, cum Clericus coniugatus exercet *Nu.* 236. publicè & perſonaliter officium Macellariorum, aut Laniorum, aut Tabernariorum, aut Cauponarum, & ter nominatim monitus à Diœceſano loci, non deſiſtit: aut poſtquam deſtitit iterum illud aſſumpſit. Talis enim perdit priuilegium Clericale vt habent Angelus *Clericus 9. num.* 7. Sylu. *eod. verbo 3. quæſt.* 5. & 6. Nauar. *cap.* 27. *num.* 81. *in fine*: eſtque textus expreſſus in Clemen. 1. De vita & honeſt. Clericorum. Quod ſi talis (vt conſequenter in ead. Clement. ſtatuitur) non eſſet coniugatus, & incederet omnino vt laicus, id eſt, ſine veſte & tonſura Clericali, priuilegium quoque amitteret Clericale, tam in rebus propriis quàm in perſona, quamdiu inſtiterit in præmiſſis. Quod ſi incederet vt Clericus amitteret quidem priuilegium in rebus, id eſt *(vt Gloſa verbo In rebus, interpretatur)* non gauderet immunitate conſueta: gauderet tamen priuilegio in perſona, quale conceſſum eſt per cap. Si quis ſuadente Diabolo; & ideo in excommunicationem incurreret, qui manus violētas in eumdem iniiceret. Aduerte verò ex eadem Gloſa, verba illa *Publicè & perſonaliter*, indicare quòd ſi prædicta officia Clericus exerceat perſonaliter quidem, ſed occultè: vel publicè quidem ſed per alium, vt per ſeruum vel aliam perſonam interpoſitam, non eſſe locum huic caſui. Neque item ad eum ſufficere, vt trina monitio per alium ordinariū quàm per Epiſcopum fiat: neque vt fiat generaliter: quia committitur ſpecialiter Diœceſanis locorum: præcipitúrque vt fiat nominatim. Porro ſi à tali officio deſiſtens habitum ac tonſuram Clericalem reſumpſerit, gaudere ſuo Clericali priuilegio, ſi nihil aliud obſit, in eadem Gloſa infertur ex illis verbis eiuſd. Clemen. Quamdiu præmiſſis inſtiterit.]

Poſtremus caſus eſt, cùm Clericus eſt degradatus *Nu.* 237. realiter, id eſt, cum iis ceremoniis quæ proponuntur in cap. Degradatio De pœnis in 6. Talis enim priuatur omni Clericali priuilegio iuxta idem cap. in fine: & ideo non incurrit in excommunicationē qui illum percutit, vt ibidem notat gloſa vlt. Degradatus verò verbaliter (quo nomine ſignificatur is, qui depoſitus eſt ab ordinibus vel gradibus Eccleſiaſticis abſque cæremoniis quæ fiunt in reali degradatione) non priùs amittit priuilegia Clericalia, quàm poſt degradationem inueniatur incorrigibilis, eáque de cauſa anathematizetur: & poſtquam anathematizatus eſt, iterum inuentus fuerit incorrigibilis iuxta cap. Cùm non ab homine, de iudiciis.

Cæterum quia excommunicatus aut ſuſpenſus *Nu.* 238. aut irregularis nullo iure ſpecialiter priuatur ſuo Clericali priuilegio: neque ex eo quod talis ſit deſinat eſſe Clericus, excommunicationi planè ſubijci videtur qui illi manus violentas intulerit, niſi interueniat excuſatio aliqua ex iis quæ hactenus propoſitæ ſunt. Item, quia Clericus qui reperiretur non fuiſſe baptizatus, non eſſet verè Clericus iuxta cap. Veniens De presbyt. non bapt. ſicut non poteſt gaudere priuilegiis Clericorum, ita nec in excommunicationem incurreret qui illum percuteret quamuis Clericus eſſe putaretur.

CAPVT DECIMVMNONVM.

De abſolutione ab excommunicatione lata in percuſſorem Clerici vel Monachi.

SVMMARIVM.

239 *Diſtinctio perſonalis iniuriæ Clerico factæ in leuem, enormem & mediocrem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

240 *Quando censeatur enormis.*
241 *Quando leuis aut mediocris.*
242 *De casu in quo Religiosus potest à suo Prælato absolui.*
243 *An procedat cùm percussus,est alterius claustri Religiosus.*
244 *Ad quem recurrendum sit, cùm proprius Prælatus habet impedimentum absoluendi.*
245 *Si Religiosus percusserit Clericum secularem, à quo absolui debeat, & à quo Nouitius istiusmodi excommunicatione irretitus.*
246 *De articulo mortis & de fœmina.*
247 *De habente capitales inimicitias & de puero.*
248 *De officiali quid sit in hac re tenendum.*
249 *Quid de delicato, & de constitutis in potestate non valentibus ire Romam.*
250 *De paupertate,morbo, & senectute, impediente ne quis valeat recurrere ad Sedem Apostolicam pro absolutione.*
251 *De excusatione sodalis & ianitoris.*
252 *De subiectione excusante in seruo, aut in filiofamilias.*
253 *An pariter excuset aliqua subiectio marii,respectu vxoris aut liberti,respectu patroni.*
254 *Quid agendum ei de quo fama est publica quòd Clericum percusserit; & de eo qui habet impedimentum legi consonum aut à lege tolerandum.*
255 *De leui percussione ob quam non est recurrendum ad Sedem Apostolicam: & de debilitate,qua quis impediur eam adire.*
256 *Quædam obseruanda circa priuilegium non adeundi Sedem Apostolicam pro absolutione à reseruatis.*
257 *Quando nec Episcopus adiri potest, an possit Curatus absoluere,oppositæ sententiæ: quarum negans videtur probabilior.*
258 *Episcopus,& Prælatus religionis suam potestatem absoluendi à reseruatis possunt alteri committere.*
259 *De satisfactione facienda Clerico percusso, & promissione adeundi Sedem Apostolicam à percussore sub iuramento exigenda, antequam ei ab inferiore detur absolutio.*
260 *Quod in hac re dicitur de excommunicatione incursa ob percussionem Clerici,locum habet in quacumque alia reseruata.*

EX iure Canonico habentur varij casus, in quib. pro absolutione ab excommunicatione lata in percussorem Clerici, recurrendum non est ad Sedem Apostolicam, etiamsi illi sit reseruata. Qui casus indicantur dictionibus horum versuum apud Panor. *ad cap. Cùm illorum de sentent.excommunic.nu.1.*

Regula,mors,sexus,hostis,puer,Officialis
Delicios us,inops,æger, senex atque sodalis
Ianitor,adstrictus,dubius causæ,leuis ictus,
Debilis,absolui sine Summo Antistite possunt.

Eorum autem explicationi præmittere oportet pro faciliore intelligentia, distinctionem iniurię personalis Clerico factæ, in grauem siue enormem, mediocrem,& leuem.

De distinctione *iniuriæ Clerico illatæ, in grauem,mediocrem,& leuem ad sequentium intelligentiam.*

Sectio I.

Nu.239. DIstinctio hæc colligitur partim ex cap. Peruenit De sentenc. excomm.quod enormem & leuem commemorat: partim ex Extrauaganti Perlectis (eam refert Nauarr.in Enchir. *cap. 27.num.91.*) quæ mediocris quoque facit mentionem. Dicitur autem in hoc negotio leuis iniuria, non quidem illa quæ non est peccatum mortale, cùm talis non sit causa sufficiens excommunicationis: sed quæ licet peccatum mortale sit;respectu tamen aliarum grauiorum nec enormis, nec mediocris est arbitrio Episcopi,vel alterius cui iuxta post dicenda commissa est absolutio,de qua est nobis sermo: tali enim arbitrio standum esse (*quod post glosam ad cap.Cùm illorum. De senten.excommun.verbo Effusionem sanguinis,admonet Panormit.ibidem num.3.*) expressum est in memorata Extrauag. circa finem. Adde ex Hostiensis sententiâ communiter recepta,teste Nauar. *in sequen.nu.92.* arbitrio etiam Confessarij; qui vel à Papa vel ab Episcopo potestatem habet sufficientem dandi eiusmodi absolutionem. Iam tale arbitrium,vt in eadem Extrauag. indicatur, formâdum est ex variis circunstantiis;præsertim facti, personæ læsæ, vel lædentis, loci, vel temporis.

Quando iniuria censenda sit enormis.

ITaque iniuria enormis censebitur ex circumstãtia facti iuxta eãdem Extrau. & cap. Cùm illorum De senten. excommun. (quod annotant Panorm. *ad idem cap.num.8.* D. Anton. *3.par.tit.24.cap. 1. §. 3. casu vltimo* Caiet.verbo Excommunicatio *cap.10.notab.7.* Sylvest. *Absolutio 4.num.1.* Nauar.in Enchir.*cap.27.nu. 92.*) si quis Clericum iniustè occidat, vel aliquod membrum ei abscindat,aut etiam mutilet, idest, sic lædat,vt ad munus suum exequendum reddat ipsum ineptum:aut ei infligat notabile vulnus, vnde multum sanguinis effundatur; aut non adhibito præsenti remedio effundendum erat: nisi id contingat in corporis parte ex qua sanguis facilè erumpit,vt in naribus,aut in aliqua venula:quia percussio ex eo nõ habebitur grauis,inquiunt Panorm. in sequen.num. 10. & Nauar.loco cit. *Nu.240.*

Aduerte verò non modò cum multa effusione sanguinis Clerico illatam iniuriam enormem esse posse, verumetiam absque vlla planè effusione illatam. Quod Sylu. notat post glosam ad cap.vnicum de consecr. Ecclesiæ,verbo Sanguinis: & patet,quia occisio Clerici potest esse absque sãguinis effusione, vt si strãguletur. Adde quòd memorata Extrauagans inter iniurias non leues in hoc negotio ponat; si percussione relinquatur signum aut liuor in carne:si frangatur dens, si multi capilli euellantur, ex quibus non solet sequi multa sanguinis effusio.

Aduerte secundò in hac re non esse necessarium ad grauem iniuriam,vt læsio exterior Clerici sit grauis in ordine ad ipsum percussum, si sit grauis in ordine ad statum Clericalem:licet Clericus non lædatur grauiter in sua persona, iniuria tamen grauis in eo sit statui Clericali: vt potest fieri spuendo in illum.

Porro ex circunstantia personæ læsæ vel lædentis censebitur iniuria enormis (vt post Hostien.D. Antoninus *loco cit.* & Sylue. *in sequenti num. 2.* tradunt) quoties inferior & subditus in suum Superiorem manum iniecerit. Quamuis enim memoratum cap. Cùm illorum,mentionem faciat tantùm Episcopi & Abbatis:idem tamen dici posse de aliis Prælatis & Superioribº, satis significatur indicta Extrauag.Perlectis, cùm inter circunstantias personæ, ex quibus iniuriæ interdum censentur graues,quæ alioqui sunt ex se leues aut mediocres, ponit si est Magister, Iudex,Prælatus,Pater,Patronus aut Dignitas,qui iniustè

stè percutitur à subdito aut ab alio se viliori. Censebitur quoque enormis (*vt in eod.num.2.Sylu.habet*) ratione scandali quod generatur ex talis personæ percussione, vt verbi gratia, si percutiatur Sacerdos vestibus sacris indutus: quod est exemplum Caietani. Vbi aduerte ex sola dignitate personæ non iudicari de enormitate iniuriæ:vt argumento est, quòd non omne peccatũ,etiam mortale, dicatur enorme;quãtumuis commissum contra Deum. Cum illa igitur coniuncta esse debet proportionata quantitas læsionis:quandoquidem tam parua hęc esse potest,vt percussio,aut violentia minimè censenda sit enormis: quod idem iudicandum est de aliis circunstantiis iniuriam minuentibus arbitrio prudentis.

Quod verò ad circunstantiam loci attinet:quamuis post Ioannem Andream ad cit.cap.Cùm illorum, Sylu.in prius citato nu. 1. statuat iniuriam censeri posse enormem, ex eo, quòd inferatur in platea vel in Ecclesia; vel in cœmiterio vel in claustro vel in theatro vel coram Prælato ac Iudice:adde & de loco vulneris(vt quod in oculo) nihilominus tamen probabile est quod Nauar. *in cit.num.92.* existimat, id tãtùm esse verum,cum percussio est in se notabilis, vel magnum aliquod scandalum gignit in populo:etiãsi negandum non est,quin id possit multum ad hoc facere, vt arbiter nonnumquam iudicet, iniuriam non esse leuem,quam aliàs leuem iudicaret.

Ex circunstantia autem temporis, vt Caiet. indicat,iniuria potest enormis iudicari ex eo, quòd factum reddat notorium:vt quando ipsum patratur in solemniori die festo: vbi nota regulam generalem quam habet Sylvester *in cit.num.2.* post Panorm. *ad sæpe memoratum cap. Cùm illorum num. 9.* omnem violentam in Clericum iniectionem manuũ, esse enormem iniuriam,ratione (vt illi loquuntur) notorietatis.

Quæ iniuria illata Clerico censenda sit leuis, & quæ mediocris.

Nu.241. DE hac iniuria ex oppositis eorum quæ proximè dicta sunt iudicãdum est:vt verbi gratia iniuria leuis esse iudicabitur ex circunstantia facti *per sæpius memoratam Extrau.Perlectis*,si quis malo animo Clericum ita percutiat,palmâ,pugno,pede, baculo, vel lapide aliaue eiusmodi re,vt ex percussione non relinquatur signum, aut liuor in carne,nec per ipsam fiat membri alicuius mutilatio vel dentium fractio, aut multorum capillorum euulsio,vel demum multi sanguinis effusio; nisi forte ex naribus,aut ex aliqua alia parte ex qua sanguis facilè erumpere solet:multo etiam magis iudicabitur si quis illum arripiat per vestes aut per habenas equi cui insidet.

Aduerte autem,quod in eadem Extrauag. tangitur;iniurias quæ ex se leues sunt, spectatâ sola circũstantiâ facti:aliquando graues esse spectatis aliis circunstantiis;personæ scilicet læsæ,aut lædentis, loci, vel temporis:vt si quis baculo percutiatpatrem,etiãsi nullum ex percussione signum relinquatur,censebitur percussio enormis ex circunstantia personæ: sicut contrà iniuriæ, quæ ex vna circunstantia sunt graues,possunt leues esse ex aliis:vt percussio patris, quæ grauis est ex circumstantia personæ; potest leuis esse ex circunstantia facti: vt quando necessitate compellente facta est,ad se iustè defendendum;& sic de cæteris.

De mediocri autem iniuria non potest certa regula tradi,prout notat Nauar. *in eod. num. 92.* nisi quòd ea iudicanda sit talis, quæ inter enormem & leuem est media arbitrio Episcopi, aut Confessarij facultatem habentis absoluendi in eiusmodi casu. In dubio autem,prout habetur sub finem citatæ Extrauag. iniuria mediocris censenda est potius quàm leuis. Atque his ita expositis veniendum est ad explicationem nobis propositam casuum in quibus ad Sedem Apostolicam recurrendum non est pro absolutione ab excommunicatione lata in percussorem Clerici vel Monachi.

De casibvs *in quibus non est recurrendum ad Sedem Apostolicam pro absolutione ab excommunicatione Lata in percussorem Clerici vel Monachi.*

Sectio II.

HOs proponemus eodem ordine quo indicantur ante propositis versibus. Primus igitur est Regula, hoc est,quando Religiosus Religiosum percutit: tunc enim percutiens potest à suo Prælato absolui ab excõmunicatione ex cap. Monachi De sentent. excom. si quidem (quod plenius tractat Suarez *tom.5.disput.22.sect.1.num.72.& 73.*) iniuria sit leuis aut mediocris:non item si sit grauis, *ex cap. Canonica,& cap.Cum illorum eod.tit.* Per Prælatum autem intellige Abbatem,Præpositum,Guardianum, omnémque Priorem conuentualem non habentem supra se Superiorem in illo conuentu, *ex glosa ad idem cap.Cum illorum,verbo Abbatem,& Panorm.ibid.num.13.* Quod idem tradens Sylu. *Absolutio 4.num.3. casu 1.* moderationem hanc adhibet si is, canonicè electus sit:cùm solus talis in religione dicatur Prælatus iuxta ea quæ idem habet in verbo Prælatus quæst. 1. & 2. Quæ etiam ratio esse potest eius quod ille addit, non esse extendendum priuilegium istiusmodi ad Priorem trium vel quatuor Religiosorum, qui instituitur & remouetur ad arbitrium Superioris. *Nu.242.*

Cæterum procedit casus iste, siue Religiosus ante ingressum religionis percusserit, siue postquam ingressus est,*ex glosa ad prædictum cap.Cùm illorum verbo Talibus.* Procedit item siue percusserit in claustro ex citato cap.Monachi, siue extra claustrum, prout Panormit. *ad idem cap.nu.5.* ex eo confirmat;quòd maius delictum sit, quòd committitur percutiendo in claustro,quàm extra illud; quandoquidem ibi silentium seruari debet:ideóque à percussione ibi abstinere oportet multo magis quàm alibi: maximè cùm per illam ipsius claustri immunitas violetur.Quocirca ius dando priuilegium percutienti in claustro,cẽsendum est à fortiori dare etiam percutienti extra claustrum.

Dubia de absolutione Religiosorum.

HIc occurrunt aliquot dubia.

Primvm est, si Religiosus percutiat Religiosum alterius claustri, à quo Prælato absoluendus sit:suóne an eius qui percussus est.Respõdetur ex cap. Cùm illorum. De senten. excomm. absoluendum esse ab vtroque: quod Panorm. *ad idem cap.num.13.* & cum eo Angelus & Sylu. *ille excommunicatio 5. casu 1.nu.42. & hic absolutio 5.quæst. 6.* ita accipiunt,vt velint esse quidem absoluendum à proprio Prælato; sed alterum aduocandum esse ad remittendam iniuriam, & accipiendam satisfactionẽ; quia *inquit Panorm.* non videtur esse alia ratio cur alienus Abbas aduocetur ad absolutionem non subditi sui. Quamquam tamen propter aperta verba *Nu.243.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

citati cap. quibus ſtatuitur abſoluẽdum eſſe ab vtroque;tutius videtur quod alij dicunt (& approbat Sylu.) vt alter alteri ſuas vices in eo committat.Nihil autem intereſt in hac re,quòd vterque Religioſus ſit eiuſdem ordinis , niſi quod habentes communem Prælatum vt Prouincialem vel Generalem, criminoſus poſſit ab illo abſolui tanquam habente iuriſdictionem, ſuperiorem iuriſdictione vtriuſque Prælati immediati.

Nu.244. SECVNDVM dubium eſt: ſi Prælatus Religioſi qui percuſſit , impedimentum aliquod abſoluendi habeat, ad quem recurrẽdum ſit pro abſolutione.Reſpondent in iiſdem locis Angelus & Sylu.*ille num.40. & hic quæſt. 2.* tecurrendum eſſe ad proprium Epiſcopum,qui abſoluat in eo caſu in quo eiuſdem Religioſi Prælatus poteſt ipſum abſoluere. Quod quãuis indubitanter concedatur de non exemptis ; de de exemptis tamen , *vt videre licet apud eoſdem authores* , controuerſia eſt : quam *in ſequent. quæſtio. 3.* Sylu.poſt Panorm. rectè dirimit diſtinctione ; dũ ait partem negantem de rigore iuris veriorem eſſe, quia per exemptionem efficitur quis immediatè ſubditus Papæ:vnde ſequitur quod Epiſcopus iuriſdictionem in illum non habeat niſi in caſib. ſibi expreſsè conceſſis , neque in aliis poſſit ipſum abſoluere ab excommunicatione. Partem verò affirmantem admittendam eſſe ex æquitate : quæ poſtulat vt in materia fauorabili ſecundùm legislatoris intentionem agatur,verbis omiſſis.Quia igitur Papa eximendo aliquem,non intendit facere ipſum deterioris conditionis quàm cæteros ; omnibus verò Catholicis conceſſum ſit,vt pro leui iniuria , aut legitimo interueniente impedimento adeundi Sedem Apoſtolicam , poſſint per Epiſcopum abſolui ab iſta excommunicatione : certè qui id negant exẽptis, faciunt contra eximentis intentionem,niſi fortè(vt rectè addit Sylu.) tales ſint exempti quorum priuilegia prohibeant ipſos ab aliquo abſolutionem petere,qui non ſit eiuſdem ordinis.

Si quæras, quid iuris ſit ſi Monachus percutiat ſuum Abbatem. Reſpõdetur pro abſolutione eſſe recurrendum ad Summum Pontificem:quia percuſſio eſt enormis ex circunſtantia perſonæ:ſecus ſi percutiat alienum Prælatum , niſi Epiſcopus ſit , in quo conſecratio dignitatem auget maximè. Cæterùm ſi Abbas ſubditum ſuum percutiendo vltra menſuram debitę correctionis incurrat in hanc cenſuram , abſoluendus eſt ab Epiſcopo ſecundùm antedicta:cùm enim Iudex eſſe nequeat in propria cauſa : locus eſt illi clauſulæ citati cap. Monachi. Et ſi diſcretio Abbatis non ſufficiat, ad eorum correctionem:eſt prouidentia diœceſani Epiſcopi adhibenda.]

Nu.245. TERTIVM dubiũ eſt:ſi Religioſus percutiat Clericum ſæcularem, à quo ſit abſoluendus:Reſpondetur quamuis talis iuxta cap. Cùm illorum. De ſent. excommunic.non niſi à Sede Apoſtolica abſolui debeat,vt ſcandalum vitetur:tamen ne eo prætextu occaſionem euagandi haberet,poſtea in cap. Religioſo,de ſenten. excommunic. in 6. facta eſt Epiſcopo poteſtas illum abſoluendi in eo caſu in quo poſſet Clericum ſuum vel laicum,qui Clericum percuſſiſſet; nempe ſi percuſſio leuis fuerit , vel interueniat aliquod impedimentum ex iis, de quibus poſtea dicetur. A ſuo Prælato verò abſolui non poteſt , niſi talis percuſſor ita exemptus ſit,vt ratione delicti cõueniri non poſſit, niſi ſub ſuo Prælato;quia tunc abſolueretur ab eodem ſuo Prælato de conſenſu Epiſcopi,vt annotant locis citatis Angelus &Sylueſt.*ille num.44.& hic caſu 8.* vbi prædictum cap. Religioſo, intelligit de Epiſcopo proprio percutiẽtis ita loqui, vt ſi ille qui percuſſus eſt,fuerit alterius diœceſis,debeant duo Epiſcopi conuenire.

QVARTVM dubium eſt:ſi Religioſus nondum profeſſus,ſed adhuc Nouitius in hanc excommunicationem inciderit , an abſolui poſſit à ſuo Prælato? Reſpondetur poſſe:dũmodo iniuria nõ fuerit enormis,quod Sylu.quæſt.9.probat:quia talis ex cit.cap. Religioſo,gaudet priuilegio canonis, tanquam perſona Eccleſiaſtica (ex gloſa ad verbum non poſſit) ibi comprehenſa nomine Monachi. Quare pariter gaudebit priuilegio cap.Monachi & cap.Cùm illorum.De ſenten.excommunic.in quibus ille pariter poteſt nomine Monachi comprehendi.

Addit autem Sylueſter ex Hoſtien. id procedere, etiamſi talis in excommunicationem incurrerit ante Nouitiatum,ſeu cùm adhuc eſſet in ſæculo : & ſubiungit eum qui in Nouitiatu fuerit ab hac excommunicatione abſolutus, ſi exeat priuſquam religionem profiteatur, teneri quamprimum commodè poterit ſe præſentare ei à quo fuerit aliàs abſoluendus : alioqui reincidere in eamdem excommunicationem : quia per cap.Eos.De ſenten.excommunic. in 6. illi qui propter legitimum impedimentum adeundi eum à quo de iure abſoluendi ſunt per aliũ abſoluuntur ab excommunicatione reſeruata,ſubiiciuntur iterũ eidem excõmunicationi,niſi priori illi præſentent ſe quamprimum commodè poſſunt ſublato eo impedimento. In Nouitio autem impedimentum adeundi eum à quo potuit ab hac excommunicatione abſolui , eſt quòd non deceat vagari eum qui eſt in religione:quæ cauſa mouit Summum Pontificem priuilegium in hac re conferre Religioſis,vt patet ex cap.Cum illarum,&cap.Religioſo,ſupracitatis. Tale verò impedimentum ceſſare in Nouitio religionem deſerente manifeſtum eſt. Cæterùm hæc omnia accipienda ſunt ſecundùm ius commune.Quod ſi quid aliud conſtiterit ſecundùm peculiaria aliquarum Religionum priuilegia,id attendendum erit.

Secundus caſus in quo irretitus hac excommunicatione poteſt per alium quam per S.Pontificem abſolui,eſt (*mors*) id eſt,cùm talis conſtitutus eſt in articulo mortis. Qui caſus expreſſus habetur in ipſo cap. Si quis ſuadente Diabolo, itémque in cap. Non dubium, & in cap. Neſcitur,& in cap. Quòd de his, de ſenten. excommunic.De qua re obſeruanda,quia ſunt communia cæteris excommunicationibus reſeruatis,reiicienda ſunt in ſequentem librum nonum vbi *cap.1.ſect.3.* tradentur. *Nu.246.*

Tertius caſus eſt (*ſexus*) hoc eſt,ſi fœmina irretiatur hac excommunicatione. Etenim ab Epiſcopo loci *iuxta cap.Mulieres & cap.Noſcitur & cap.Quamuis De ſentent.excommunis* abſolui poteſt, cuiuſcumque conditionis illa fuerit,ex communi ſentent.teſte Panor. *ad memoratum cap.Mulieres num.2.* Et ratio eſt quam Sylueſter habet *Abſolutio 4.nu.3.caſu 3.* qua ius in hac re loquitur de mulieribus:indiſtinctè, ſeu nõ diſtinguendo quales ſint,fortéſne an debiles : viduæ , vel virgines, aut maritatæ : diuites an pauperes;neque qualiter percuſſerint leuitérne an mediocriter vel atrociter : adeovt gaudeant hoc priuilegio abſolutè quatenus ſunt mulieres quibus non expedit vagari. Hoc autem ſi in quibus aliis,Maximè in Monialibus debet habere locum,quibus idipſum ſpecialiter adhuc conceditur in cap. De monialibus De ſentent. excommunicationis.Vbi gloſa *verbo Per Epiſcopum* & Panorm. *num. 5.* putant illud extendendum eſſe ad Moniales exemptas:quia Põtifex indiſtinctè loquẽs de monialibus,eas quoque iſtiuſmodi excommunicatione irretitas, Pontifex cenſendus eſt abſolui velle per Epiſcopum,in cuius Diœceſi fuerint monaſteria ipſarum.Excipe autem cum Angelo *Excommunicatio*

catio quinto caſu 1.num.45. niſi aliter in priuilegiis ſuæ exemptionis caueatur:nempe vt non niſi per aliquẽ *Nu.247.* eiuſdem ordinis abſoluantur.

Quartus caſus eſt (*hoſtis*) id eſt, ſi is qui irretitur hac excõmunicatione habeat capitales inimicitias, vel alia iuſta impedimenta propter quæ iudicio viri boni , ſine magno vitæ periculo,iter Romanum eõficere non poteſt, aut propter latronum continuas excurſiones aut bella,aut graues peſtilentias ſæuiẽtes in locis per quæ iter faciendum eſt.Nam Diœceſanus Epiſcopus poteſt talem abſoluere per priuilegium cap.De cætero.De ſenten. excom. etiamſi iniuria ſit grauis:quandoquidem abſolutè & ſine diſtinctione conceditur. Quod autem Angelus *in ſeq. num.51.* & Sylu. *in ſeq.caſu 4.* ac Nauar. *in cit.cap.27. nu.88.* docent iſtud procedere etiamſi tales inimicitiæ contractæ fuerint culpâ ipſius excommunicati, accipiendum eſt cum hac exceptione : niſi ille in eis perſeueret ſuâ culpâ:nempe quòd alter quidem velit ei reconciliari,ſed ipſe nolit. Nam ſi volens fouere inimicitias gauderet propoſito priuilegio , malitia ſua ei prodeſſet:quod non eſt de intentione iuris.

Quintus eſt *(puer)* id eſt, ſi quis ante pubertatis annos,doli tamen iam capax,itaut mortaliter peccare potuerit, in hãc excommunicationem incurrerit. Nam ipſum,etiamſi poſt pubertatem petat abſolutionem, Epiſcopus Diœceſanus poteſt abſoluere *ex cap.1.& cap.Quamuis & cap.vlt.De ſenten. excomm.* vbi hæc ratio redditur,quòd propter defectum ætatis,in qua fuit commiſſus exceſſus,rigor ſit manſuetudine temperandus. Quæ verba indicant, excommunicationem de Papali Epiſcopalem fieri propter excuſationem,quam habet delictum tunc commiſſum. Atque iſtud procedere quantumuis iniuria enormis fuerit , argumento eſt quod ea iura non diſtinguant in hac re.

Cæterùm cùm quis ante pubertatem ab hac excommunicatione abſoluitur,non eſſe ab eo exigendum ſub iuramento, quòd poſt pubertatem præſentabit ſe S.Pontifici,notat Angelus *in eod.caſu 1.nu. 58. ex cit.cap. Quamuis*, Cui accedit, quòd poſt pubertatem poſſit ab incurſa ante pubertatem abſolui per Diœceſanum Epiſcopum ex cit.cap. vltimo:& ratio eſt,quia talis excommunicatio ab initio,iuxta proximè dicta , fuit cenſura Epiſcopo tantùm reſeruata. Porro contingit pubertas anno 14.finito:extra quod tempus Nauar.quidem *in eodem nu.88.* ſignificare videtur non eſſe locum excuſationi adeundi Sedem Apoſtolicam: ſed pro Angelo quem contra ſentientem ille reprehendit,facit quòd memorata iura abſolutè loquantur,& quòd peregrinatio iuuenis periculoſa ſit,ſi non corpori : ſaltem animæ, prout patet ex iis quæ contingunt frequenter. Quod ſi conſiderata conditione perſonæ & modo iter peragendi, aliiſque id genus perpenſis periculum abeſſe cognoſcatur , locus eſſe poteſt opinioni Nauarri, prout Suarez *tom.5.diſput.22. ſect.1.nu. 67.* admonet rationi congruenter:cùm tunc impedimento ceſſante omnino ; ceſſet exemptio conceſſa ob impedimentum.

Nu.248. Sextus caſus eſt (*Officialis*) id eſt , cùm Officialis turbam irruentem areendo,percutit Clericum non ex deliberatione ſed caſu:cum culpa tamen mortali propter non adhibitam quam debuit & potuit diligentiam in cauendo ſibi ab iniuria inferenda. Ille enim ab Epiſcopo ſuo abſolui poteſt, ſi iniuria leuis aut mediocris fuerit,non autem enormis,*ex cap. Si verò 1. De ſenten. Excommunicationis* vbi gloſa per Officialem intelligit , Iudicem vel Apparitorem alicuius poteſtatis vel Principis,hoc eſt, vt Sylu. *Abſolutio 4. num.8.* interpretatur : cum qui reos ad iudicium cogit.Qui & addit quòd ſi Officialis laicus nõ caſu, ſed deliberatè Clericum percuſſerit , etiamſi percuſſio fuerit leuis, ipſum non poſſe ab Epiſcopo abſolui, prout deducitur ex eod. cap. Si verò. Ad quod Panormit. idem annotans , rationem addit qua talis iniuria,alioqui in ſe leuis , efficitur ex eo grauis,quòd non tantùm lædat Clericum; ſed etiam prætextu Officij quo fungitur vſurpet in eum iuriſdictionem:adeóque violando libertatem Eccleſiaſticam inferat grauẽ iniuriam ſtatui Clericali:quod non ita contingeret , ſi tanquam perſona priuata percuteret. De qua re etiam Sylueſter.

Septimus eſt (*delicioſus*) id eſt , cùm irretitus hac excommunicatione eſt ita delicatus, vt Romani itineris moleſtias ferre non poſſit. Is enim pro abſolutione non eſt ad Sedem Apoſtolicam mittendus;nec item per Epiſcopum ſtatim abſoluendus , ſed priùs perſonæ ſtatus, & negotij veritas intimanda eſt Papæ,idémque (delicatus inquam) de commiſſo ſcelere poſtea prout Papa decreuerit , corrigendus & abſoluendus *ex cap.Mulieres De ſenten.Excomm.* Vbi idẽ ſtatuitur de iis qui ſunt magnæ potentiæ ; quia (inquiunt Angelus *Excom.5.caſu 1.nu.52.*& Sylu. *in præced.nu.3.caſu 15.*)ipſi ſuas terras nequeunt ſine periculo aut incommodo graui deſerere. *Nu.249.*

In quibus autẽ perſonis excuſationes iſtæ habeant locum,deferendum eſſe ad arbitrium Epiſcopi admonet gloſa ad memoratum cap.Mulieres *verbo Laborem.* Sed ſatis probabiliter ait Suarez in citata *ſect. 1.nu.80.* ſi res de ſe euidens ſit,non requiri alienum arbitrium;ſin ſit dubia, ſufficere poſſe iudicium viri prudentis in ea re,quia ius propoſitum , non committit Epiſcopo vt iudicet an perſona ſit magnæ põtẽtiæ, vel delicata:ſed declarat quid tali conditione ſuppoſita agendum ſit : nempe conſulendum eſſe Summũ Pontificem : ab eo ſcilicet qui abſolutione indiget:qui poteſt id perinde facere ſiue per ſe ſiue per alium,ac per Epiſcopum.

Si quæras, An interea dũ conſulitur Papa , poſſit talis perſona ante acceptum reſponſum abſolui ſub cautione iuratoria, quòd parebit reſponſo & conſilio Papæ : Reſpondetur ex ead Gloſa poſſe , cùm in mora periculum fuerit : mortis ſcilicet aut alterius grauis mali , vt peccati mortalis (quod eſt malum grauius morte) aut maximi damni temporalis , cui Papa ſua reſeruatione nolit occaſionem dare. Cùm autem non eſt periculum in mora; niſi aliàs de iure poſſit , nequit Epiſcopus tales abſoluere non accepto priùs Papæ reſponſo vel conſilio;etiamſi cognoſcat excuſationem hanc in ipſis locum verè habere: ipſique iurent quòd eidem reſponſo vel conſilio Papæ parebunt.Id quod Panormit. *ad idem cap. Mulieres num. 6.* deducit ex vi verborum illorum. Reſpondemus quod ſtatus perſonæ priùs,& veritas negotij eſt intimanda Romano Pontifici.] Porro non eſt exigenda cautio in hoc caſu,vt in aliis,de preſentando ſe Papæ,vt monet *in ſeq. num.9.*Sylueſter:& ratio eſt,quia impedimentum ipſorum eſt perpetuum.

Octauus caſus eſt(*Inops*)id eſt,cùm quis tanta inopia premitur,vt S. Pontificem , aut ipſius legatum,à quo debeat abſolui , adire non poſſit. Tunc enim ſi incurrerit in hanc excommunicationem poterit per ſuum Epiſcopum abſolui,*ex cap. Quod de his,& ex cap. Quamuis De ſenten.excommunicat.* Id quod, vt notant ex Ioan.Andræa & Panor.Angelus *in cit. caſu 1. num. 51.*Sylu. *Abſolutio 4.num.3. caſu 8.* & Nauar in Enchir. *cap. 27. num. 88.* intelligendum eſt de paupere , qui aliàs non eſt mendicus , ſed viuit ex artificio , quod nequit in via exercere : vel ſi mendicus ſit quidem, ſolitus eſt tamen ſibi vel vxori aut reliquæ familiæ prouidere ſua mendicatione:quod facere nequit ſuſcipiendo *Nu.250.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

scipiẽdo illud iter: Quod si solitus est prouidere sibi ex artificio,vel ex mendicatione: idipsumque facere potest adeundo Papam vel Legatum ipsius,non potest absolui ab Episcopo, nisi iniuria fuerit leuis, de qua superius num.241.

Quodquidem pari ratione intelligendum est de eo qui aliunde quam ex artificio aut ex mendicatione sibi ac familiæ prouidet,si Romam adeundo possit idem præstare. Sicque accipi debet illud quod in cap. Ea noscitur De senten. excommunic. habetur: Siue pauperes, siue diuites in hanc excommunicationem incurrant Sedi Apostolicę,vel ipsius Legato vt beneficium absolutionis obtineant, necesse esse præsentari.]

Nonus casus est(*Æger*)id est,cùm quis ita detinetur infirmitate, vt non possit subire laborem adeundi Sedem Apostolicam: aut eum qui ex illius commissione possit ipsum absoluere.Talis enim si incurrat in hanc excommunicationem, potest ab Episcopo suo absolui *iuxta cap. Ea noscitur & cap. Quod de his & cap. Quamuis De senten. excomm.* etiamsi iniuria enormis fuerit:cùm hæc iura non distinguant.Id autem intelligendum est, ex Syluestro *in sequenti casu* 9. & Nauar. *in cit. num.* 88. de infirmo qui afflictatur morbo insanabili, aut sanè diuturno: siue is adiunctum habeat periculum mortis, siue non habeat, vt febris quartana, febris hectica, podagra & eiusmodi alij ob quos meritò iudicatur tale iter ab eo perfici non posse.

Decimus casus est(*Senex*) idest,cùm quis est ætate ita prouecta vt Sedem Apostolicam,cuius à quo ex illius commissione potest absolui,adire nequeat.Talis enim potest ab hac excommunicatione absolui per Episcopum suum *ex cap. Ea noscitur,ex cap. Quod de his,& ex cap. Quamuis De senten.excommunic.* etiamsi iniuria fuerit enormis,cùm hęc iura,vt iam diximus, absque distinctione loquantur.Hoc autem ex Panor. *ad cit.cap. Quamuis num.2.* (quod etiam notant Angelus *in cit.num.5*1.& Sylu.*in seq.casu* 10.)procedit quantumuis senex valeret quidem adhuc viribus (quæ in aliis citius, & in aliis tardius deficiunt) sed iudicio boni viri, præsertim Episcopi, periculosè ratione ætatis tale iter aggrederetur. Quod etiam Syluester in eod.num.3.casu 1.notat.

*Nu.*251. Vndecimus casus est *(Sodalis)* id est, cùm Clerici sęculares viuunt collegialiter, sub eodem tecto dormientes, & in eadem domo vescentes; hi enim si se inuicem percusserint, iniuriáque leuis vel mediocris fuerit, ab excommunicatione quam inde incurrant absolui possunt à suo Episcopo *iuxta cap. Quoniam De vita & honest. Cleric.* Vbi Panormit. id notat & postipsum Syluester in sequen.casu 11.

Duodecimus est (*Ianitor*) id est, cùm Ianitor prætextu sui officij percussit Clericum arcendo illum ab ingressu ianuæ sibi commissæ: nam ab excommunicatione quam inde incurrit, potest absolui per Episcopum si iniuria fuerit leuis aut mediocris,nó item si enormis:vt expressum est initio cap.Si verò primò De senten. excomm. Quod debet intelligi ex Glosa 1. ibidem (& annotat Syluester *in sequenti casu* 12.) etiamsi talis percussio non esset fortuita sed à Ianitore ipso intenta, factáque animo inferendi iniuriam. Id enim indicatur illis verbis eiusdem capituli malignatus Clericum læserit.] Atque in eo differentia est inter Ianitorem & Officialem laicum de quo in præced.casu sexto.

*Nu.*252. Decimustertius casus est (*adstrictus*) id est,cùm is qui sui iuris non est,sed in alterius potestate,vt filiusfamilias aut seruus percussit:talis enim potest ab hac excommunicatione absolui per Episcopum Diœcesanum *iuxta cap.Mulieres De senten.excomm.* vbi Glosa *verb.Sui iuris*,vult istud locum habere tãtùm in filiisfamilias impuberibus: sed ea non videntur in eo sequẽda; quia filiifamilias quatenus impuberes sunt, priuilegium istud habent per alia iura sub nomine puerorum,prout in casu 5.antea traditum est. Cùm ergo in proposito cap. ipsum detur filiisfamilias nouo quodam nomine:nimirum prout sui iuris non sunt:ad eiusdem Capituli explicationem, non videtur distinguendum inter filiosfamilias puberes & impuberes:sed absolutè prout verba sonant esse de filiisfamilias intelligendum: sicut cum Panormit. intelligit Angel. *excommunicatio quinto casu* 1. *num.*54. & Sylu, *absol.*4.*num.*9.*quæst.*7.Vbi rationem reddunt, quòd licet filius existens sub potestate patris, postquam est pubes,sit sui iuris quoad ea quæ ad personam suam spectant: qualia sunt Religio & Matrimonium, secundum D. Thomam 2. 2. *quæst.*88.*art.*8. non est tamen quoad ea quæ concernunt gubernationem domesticam: itaut nihil possit facere in quo expendat, aut subtrahat se à lucrando patri secundùm suam conditionem; cui assistere & obedire commodáque patrię potestatis exhibere tenetur, vt bene *ibid. num.* 5. ait Panormit. Itaque filiusfamilias factus pubes,si nondum emancipatus,sed adhuc positus sub potestate patris, Sedem Apostolicam adire nequeat sine præiudicio & displicentia patris, non tenetur adire: sed per Episcopum Diœcesanum potest ab hac excommunicatione absolui iuxta priuilegium propositi cap. Mulieres.Etenim talis priuilegij ratio est,ius alienum; quale censetur ius patris in filium quandiu hic sub illius est potestate. Atque cessante tali præiudicio & displicentia, tenetur filius ipse familias Sedem Apostolicam adire,quemadmodum expressit Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *numero* 88. Cæterùm quia omnibus concessum est,vt ab Episcopo suo absolui possint, cùm hæc excommunicatio incursa fuerit pro illata Clerico iniuria leui,de qua in sequenti casu decimosexto; certum est priuilegiũ istud locum habere, quando iniuria Clerico illata, mediocris fuerit: alioqui enim filiisfamilias prout adhuc sunt alieni iuris,nihil speciale per idem priuilegium concederetur, quod alienum est à ratione. Immo locum etiam habere cùm enormis fuerit iniuria,argumento est,quòd ius non distinguat nec vtatur restrictione in ea re quoad filiosfamilias: sicut vtitur quoad seruos *in cap. Relatum De senten. excommunic.*vbi statuitur illos ad Sedem Apostolicam esse mittendos pro absolutione ab hac excommunicatione(nisi fortè hæc incursa fuerit pro iniuria leui) exceptis duobus casibus: quorum alter est cùm seruus percusserit Clericum in fraudem domini sui; nempe vt se subtraheret ab ipsius obsequio iturus Romam.Alter cum dominus non fuit in culpa,& ex absentia eiusdem serui sui graue damnum pateretur. Videri potest Sylueſt.loco citato. Aduerte autem ex eodem Syluestro *in præced.num.*3.*casu* 13.& Nauar. *in cit. num.* 88. nomine serui hîc non comprehendi famulum liberum,sed tantùm eum, qui est seruilis cõditionis:huncque si post absolutionem manu mittatur aut facultatem habeat à domino,teneri se præsentare Sedi Apostolicę *iuxta cap.Eos De senten.excom. in. 6.* Idemque iudiciũ est de filiofamilias postquam emancipatus est,nisi aliunde excusetur: vt v.g. quòd iniuria fuerit leuis:vel quòd in hanc excommunicationem incurrerit ante pubertatem iuxta antedicta casu sexto.

Dubitatio verò est, Num hoc priuilegium datũi is *Nu.*253. qui non sunt sui iuris, extendi etiã debeat ad maritum,& ad libertum, qui tenentur dare operam, ne vxor & patronus damnum accipiant in eo,quod iurè illis debetur.Atque Angelus *in eod.casu* 1.*num.*55.post Hostien

Hostiensem censet extendi debere: quia tales personæ non sunt sui iuris. Sylu.verò *Absolutio* 4. *sub finem* post Gloſam & Panormit.*ad cit.cap.Relatum*,id negat: quia præceptum mittendi percussorem Clerici ad Sedem Apostolicam pro absolutione ab excommunicatione generale est, à quo nemo excusatur nisi priuilegiatus ex cap.Cùm illorum & cap. Quamuis De senten.excommunicationis. At maritus & libertus non sunt in hac re priuilegiati,nam essent maximè per cit.cap. Mulieres, eo quod similitudine quadam filiorumfamilias, & seruorum non sint sui iuris. Verùm vt Sylueſter in eod. verbo nu.3.casu 1.ex eodem Hostiensi habet, ius priuilegiatum nõ extenditur ad simile ob identitatem rationis, sicut ius commune. Et causa esse potest, quòd priuilegium habeat vim ex voluntate sola concedentis.

*Nu.*254. Decimusquartus est *(dubius)* id est, vt Sylu.in eod. num.3 casu 14. interpretatur;is de quo publicâ famâ sparsum est,quòd Clericum verberauerit.Talis enim *iuxta cap. Cum desideres, de senten.excomm.* vitandus est, nisi ab ea re ad arbitrium Episcopi se purgauerit,aut ad cautelam beneficium absolutionis consequatur ab eodem Episcopo.

Decimusquintus est (*causa*) id est,cùm quis habet Canonicum seu legitimum impedimentum propter quod Sedem Apostolicam aut Legatum ipsius adire nequit;talis enim si Clericum percusserit,potest per Episcopum proprium absolui *iuxta cap. De catero & cap. Quod de his,& cap. Quamuis De senten.excommunic.* Cùm autem impedimentum legitimũ (vt rectè monet Sylu. *in seq. casu* 15.)dupliciter dici possit: tum quod est à lege expressum,tum quod est legi consonum, vel à lege tolerandum: hoc posteriore modo sumitur in hoc loco (priore modo enim non venit in numerum cum aliis:sed eos omnes complectitur) itaut sit illud,*prout à Sylu.definitur*,quod arbitrio boni viri æquale est vel maius aliquo expresso in lege. Rationabiliter enim (*inquit ille*) sicut in naturalibus quando eadem est causa, idem quoque est effectus: ita in moralibus vbi est eadẽ ratio iuris, erit & idem ius.Sic igitur impedimentum legitimum potest esse in eo qui damnatus est ad carcerem, vel ad exilium perpetuum,aut valde longum, sicut in eo qui detinetur insanabili aut valde longa infirmitate. Item iuxta Nauar. in Enchir. *cap.*27.*num.*90. in eo qui curam habet animarũ, & iustè timet has ob absentiam suam notabile damnum accepturas: cui per Vicarium idoneum occurrere non posset: sicut & in eo qui familiam habet, cui Romam adiens prouidere non potest de necessariis.

*Nu.*255. Decimussextus est *(leuis ictus)* id est,quando iniuria personalis facta Clerico, leuis est: tunc enim,is qui illam intulit,potest ab excommunicatione inde contracta absolui pet suum Episcopũ *iuxta cap. Peruenit. De senten.excomm.* Quodquidem Capitulum esse hoc sensu accipiendum, recte ad illud Panormit. (cuius sententiam sequuntur Angelus *in dicto casu* 1.*num.*38. Sylu.*Absolutio* 4.*num.*3.*casu* 16.& Caiet. *verbo Excom. cap.* 10. *notab.*7.)confirmat refutando id,quod Glosa ibidem voluit, ipsum continere tantùm specialem indulgentiam seu commissionem: non autem ius commune. Id quod non esse rationi consentaneum probat:tum quia non apparet cui Pontifex loquatur in ea Decretali, & cuius sit illud priuilegium: tum quia interpretatio benignior est amplectenda: & in dubio attendenda consuetudo,nec mutanda.

Postremus casus est*(debilis)* id est, cùm quis membri alicuius vsu destitutus,nequit adire Sedem Apostolicam, vel alium priuilegio illius cõmunitum;talis enim si in hanc excommunicationem incurrerit, etiam quando iniuria grauis est, potest per Episcopũ loci absolui *iuxta cap.Ea noscitur, & cap. Quamuis De senten.excommunic.* Et ratio est, quòd impedimentum eiusmodi sit perpetuum.In hoc autem genere hominum(vt post Panormit. *ad illud cap.Ea noscitur.num.*2. notat Sylu.*in sequenti casu* 17.) sunt cæci,claudi,& alij simili modo membris ita impediti vt Sedem Apostolicam, eúmve cui competit ipsos absoluere, adire non possint.Si enim quis altero tantùm oculo orbus esset, altero videns optimè, aut ita parum claudicaret, vt pro nihilo reputandum foret, non gauderet hoc priuilegio.

Obseruationes quædam supradictis addendæ.

Sectio III.

*Nu.*256. DE hac absolutione quæ per alium quàm per S. Pontificem dari potest, restant quædam obseruanda ex Nauar.in Enchir.*cap.*27.*num.*90.

Primum est,vt ob impedimentum temporaneum possit quis absolui ab Episcopo,sufficere vt ipsum sit tanti temporis, quantum necessarium est à discessu ad appulsum: id est, quantum ponendum est in peragendo itinere, quo ille distat à Papa aut ab alio à quo Papę authoritate absoluendus est.Nam Ecclesia non censetur ei subtrahere priuilegium, quamdiu facit quod in se est;neque Ecclesia ipsa inde frustratur sua intentione,quia si talis impedimento cessante iter non arripiat, recurrit in eamdem excommunicationem per cap. Eos De senten. excommunicationis in 6.

Secundum est, eum non gaudere priuilegio quo possit per Episcopum absolui ab hac excommunicatione,qui licet ad Sedem Apostolicam ire nequeat, potest tamen legatum eius adire.Pro quo facit quod sub finem cap. Ea noscitur De senten. excommunic. præcipitur: vt talis sublato impedimento ad Sedem Apostolicam vel eius legatum accedat, accepturus mandatum Apostolicum. Vnde sequitur quod vt Episcopus absoluere non debet, quando Papa adiri potest:ita nec debere cùm adiri potest Legatus ipsius,munitus absoluendi potestate.

Tertium est, eum qui per iustum impedimentum non potest adire Papam vel alium priuilegio ipsius munitum,quantumuis possit ad eos pro absolutione mittere:ad id tamen non teneri: sed posse per Episcopum suum absolui. Ratio est,quia ius non obligat illum ad mittendum,sed solùm ad eũdum si possit;alioqui absoluatur per suum Episcopum.

*Nu.*257. Quartum est,si in superius memoratis casibus nõ daretur copia Episcopi, vel Episcopus ex nequitia nollet absoluere, non posse Parochum aut alium Sacerdotem (nisi forte ad hoc esset aliquo speciali priuilegio Pontificis munitus) extra mortis articulum absoluere irretitum hac excommunicatione.Etsi enim contrarium visum est Innocentio *ad cap.*1. *De senten. Excom.* cui assentiuntur Angelus & Sylu.*vterque Absolutio tertio,ille num.*17.*& hic sub finem, itemque Absolutio* 4. *num. quinto*: nihilominus tamen fundamentum Nauarr. loco cit.vix patitur ab ipsius sententia discedere: nempe quod hæc absolutio ita sit reseruata S. Pontifici, vt nulli alij liceat eam impertiri sine ipsius priuilegio, quod in iure solis Episcopis conceditur vt patet ex dictis: minimè verò iis qui sunt Episcopo inferiores:velut Archidiaconi, Archipresbyteri vel Curati. Sed de tota ea re documenta sequenda in praxi, trademus in sequenti libro octauo nu.79. & aliquot sequentibus.Interea illud obiter monendum est,de articulo mortis speciam

Universidad de Deusto
Biblioteca

lem rationem esse: vt si in eo ad Episcopū proprium recurri nequeat (vt nec ad Papam) à Curato proprio vel ab alio Confessario legitimo, & his deficientibus à quouis Sacerdote, possit hæc absolutio dari; iuxta Concil. Trident. sess. 14. cap. 8.

Nu.258. Quintum est ex Angelo *Excommunicatio 5. casu 1. n. 39.* & Sylu. *Absolut. 4. num. sexto post Glosam ad cap. finale De offic. Ordinarij*: cum cui facultas absoluendi confertur priuilegio perpetuo ratione dignitatis, posse vices suas alteri committere iuxta idem cap. Ideoque inferiorem Episcopo ex ipsius commissione posse absoluere ab hac excommunicatione in casibus in quibus eidem Episcopo talem absolutionē concedi habitum est antea. Quod illi addunt pariter de inferiore Abbatis, vel alterius Prælati Religiosi, qui ei commiserit absolutionem pro casu (Regula) qui primus est antea propositorum.

Nu.259. Sextum est, quod Caiet. in *verbo Excommunicatio cap. 10. sub finem* Sylu. *Absolut. 3. num. 16.* Nauar. *cap. 27. num. 89.* & alij passim admonent: antequam Episcopus absoluat in supradictis casibus: eum qui absoluendus est; priùs quantum potest debere non modo Clerico quem iniuriā affecit, satisfacere *iuxta cap. Pœna & cap. Parochianos, & cap. Ea noscitur De sentent. excomm.*: sed etiam priùs præstare iuramentum, quòd cessante impedimento quo detinetur, se præsentabit Apostolicæ Sedi, mandato ipsius pariturus *iuxta cap. De catero & cap. Quod de his & cap. Quamuis De sent. excomm.* Quod aduerte ita esse accipiendum, vt quoties impedimentum fuerit perpetuum; sicut est in mulieribus, senibus & nonnullis aliis, tale iuramentum exigi non debeat. Id quod loco cit. Sylu. annotat ex Innocentio *ad memora. cap. Quamuis*, ex quo ipsum colligitur. Ratióque accedit, quia ridiculum esset tale iuramentum aut exigere, aut præstare, quandoquidem esset de eo quod fieri non potest. Adde nec exigi debere quoties casus occurrerit; in quo Episcopus absoluere potest, non quidem ratione impedimenti, sed ratione dignitatis Episcopalis: vt quando leuis est iniuria. Ratio patet, quia tunc absolutio conceditur Episcopo, non ob impedimentum adeundi Sedē Apostolicam, sed in gratiam dignitatis Episcopalis. Quoquidem modo, cùm in Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 6. concedatur Episcopis ipsis vt in quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque suos subditos in sua Diœcesi absoluere possint; fit ea de causa vt Episcopus ipse in talibus casibus non teneatur ante absolutionē exigere à Pœnitente iuramentū, quòd sistet se S. Pontifici, mandatis ipsius pariturus. Idemque dicendum est pariter de eo qui a casibus reseruatis absolueret ex priuilegio, quale plerumq; dari solet in Iubilæis.

Nu.260. Postremum est sicut excommunicatus de quo, hactenus dictum est, potest ab Episcopo absolui, si legitimum impedimentum habeat adeundi Sedē Apostolicam, aut ad ipsius legatum: ita etiam excommunicatus quacumque alia excommunicatione S. Pōtifici reseruata posse similiter ab Episcopo absolui, dum simili impedimento laborat; prius satisfacta parte læsa quantum oportet, & præstito iuramento quòd se præsentabit ipsi S. Pontifici cum primum poterit: hoc ante Nauar. *initio ciuati num. 90.* Panormitanus notauit, *ad cap. De catero num. 1. De sentен. excomm.* Et Syluester *Absol. 4. num. 7.* communem sententiam esse ait quæ videtur satis colligi ex cap. Ea noscitur & cap. Quod de his De sentent. excommunic. & ex cap. Eos eod. tit. in 6. in quibus Papa loquitur indistinctè de excommunicatis qui Sedem Apostolicam, à qua absoluendi erant, adire nequeant; & ea de causa permittit Episcopis, ipsorum absolutionem. Accedit, quod præsumendum sit de pietate Apostolica, quòd vbi par est ratio, pari benignitate & indulgentia in filios vti velit: nisi aliud significetur in reseruatione excommunicationis: vt fit dicendo quod eâ irretitus non possit per alium quàm per Papam absolui, excepto mortis articulo. Cæterùm quia meminimus aliquoties Legati Sedis Apostolicę, non erit abs re obiter monere antequam finem faciamus: Legatum Papę à latere, seu Legatum Cardinalem, posse ab excommunicatione eidem Papæ reseruata absoluere (quantumcumque iniuria enormis fuerit) quandiu extra almam Vrbem est in sua legatione: siue excommunicati de ea sint prouincia ad quam mittitur, siue extranei seu aliunde venientes, vt communem Doctorum sententiam esse notat Sylu. *in verbo Delegatus quæst. 12. per cap. Ad eminentiam & cap. Quamuis De sent. excommunic.* Alios Legatos verò *iuxta cap. penult. De offic. Legati*, id non ita posse: quia vt ad idem cap. *verbo Commissum* Glosa notat, tantùm possunt absoluere dum sunt intra terminos prouinciæ sibi commissæ: ac tantùm eos qui sunt de ea ipsa Prouincia. De qua re D. Anton. 3. parte tit. 24. cap. 1. sub finem.

FINIS.

LIBER

LIBER SECVNDVS

DE PRVDENTIA, CVM QVA OPORTET CONFESSARIVM PROCEDERE in executione munerum sacri Ministerij sui.

PRAEFATIO.

QVM in iudicio fori pœnitentialis, vt ab initio diximus, non tam agatur vt Pœnitens puniatur, quàm vt emendetur, & saluetur: iuxta illud Domini nostri *Joan. 2.* Non misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum:] Confessarius in illo exercendo, sustinet partes non modò Iudicis, sed etiam Medici: sicut & peccata non modò sunt reatus, & dedita, sed etiam lethales morbi, grauissimáque vulnera animæ inflicta. Vnde vltra priùs traditam in præcedenti libro *cap. 12. & 13.* scientiam iudicialem, seu requisitam ad ferendam sententiam in foro Pœnitentiali; necessaria illi est medica: prout Nauar. *De Pœnit. distinct. 6. cap. 1. §. Caueat. num. 32.* appellat, idem significans quod alij, cùm dicunt præter scientiam speculatiuam, requiri in Confessario practicam: aut præter scientiam requiri prudentiam. De qua *in cap. Omnis vtriusque sexus, De poeniten. & remiss. §. Sacerdos*, sic dicitur Sacerdos autem sit discretus & cautus, vt more periti Medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati: diligenter inquirens & peccatoris circunstantias, & peccati: quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere; diuersis experimentis vtendo ad saluandum ægrotum.] Ex quibus verbis intelligere licet, eam, de qua agimus, siue scientiam medicinalem, siue scientiam practicam, siue prudentiam, generaliter consistere in industria, qua Confessarius tractare debet cum Pœnitente, exequendo munera sui Ministerij in vsu Sacramenti Pœnitentiæ: adeóque ipsam variam esse, pro eorundem munerum varietate. Hæc autem qualis sit, sic accipe. Cum in vsu Sacramēti Pœnitentiæ Confessarius gerat Officium, tum Iudicis à Christo constituti in hoc foro: tum Patris spiritalis, vt Christi coadiutoris, ad faciendos ex filiis Diaboli, filios Dei: qui non ex sanguinibus, neque ex volūtate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt: tum etiam Medici animarum ad earum conseruationem, & incrementum in diuina gratia, & virtutibus tanquam vitâ, sanitatéque spiritali: tum demum Magistri ad earum directionem in vita spiritali. Ex officio Iudicis incumbit illi primariò quidem, munus absoluendi à peccatis, & ligandi ad pœnam pro eis imponendam in satisfactionem. De quo agere differemus in sequentem partem, in qua locus est proprius dicendi de Sacramentali absolutione & satisfactione. Secundariò verò, seu in ordine ad primarium prædictum, incumbit illi primò, munus audiendi confessionem Pœni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentis. Secundò munus eumdem Pœnitentem interrogandi ad plenè & integrè aperiendam conscientiam suam, torúmque animæ suæ statum patefaciendum.

Ex officio autem patris spiritualis, incumbit illi primò munus adhortandi & monendi Pœnitentem. Secundò munus eum disponendi ad contritionem, detestatione peccatorum su orum. Tertiò munus excitandi ipsum ad eandem detestationem mandandam executioni ac instruendi de ratione qua mandanda est. Quartò munus expendendi propositum ipsius non peccandi de cætero, eique prouidendi aduersus relapsum in peccatum.

Ex officio porro Medici animarum, incumbit illi, primò munus diiudicandi in iis de quibus Pœnitens confitetur; quænam sint vera peccata, & quænam tantummodo scrupuli. Secundò munus iudicandi de peccatorum varietate & grauitate; maximè num sint mortalia an venialia. Tertiò munus iudicandi de peccatorum & peccatoris circumstantiis: *ex cap. Omnis vtriusque sexus De poenitent. & remiss. §. Sacerdos.* Ad quæ tria munera debitè exequenda instruetur Confessarius per dicenda in 3. parte de ratione iudicandi de peccatis. Quartò munus tranquillandi animum Pœnitētis agitatum scrupulis; aut contra perniciosè vacuum non modo scrupulis, sed etiam Dei timore, hunc incutere, per inculcationem pœnarum, præsertim inferni maximarum, quæ ipsum manent. Quintò munus ipsum muniendi præsidiis conseruandæ augendæque spiritalis sanitatis.

Ex officio denique Magistri incumbit illi munus erudiendi rudem in fide, informandíque ignarum de via salutis, & de dispositionibus ad eam necessariis in anima; déque ratione eam tenendi. Pro qua munerum varietate, ex qua pendet prudentiæ nobis propositæ varietas, variis capitibus librum hunc distinguemus, omissis iis quæ aliò pertinere præmonuimus. Atque primum erit de prudentia Confessarij in audienda confessione Pœnitentis. Secundum de prudentia in eodem Pœnitente interrogando. Tertium de interrogationibus eidem faciendis à Confessario. Quartum de prudentia in adhortando, ac monendo Pœnitente. Quintum de prudentia in eodem disponendo ad contritionem, detestationémve suorum peccatorum. Sextum de prudentia in illo excitando ad eamdem exequendam. Septimum de ratione qua contritio mandanda est executioni. Octauum de prudentia expendendi in Pœnitente propositum non peccandi de cætero, iuuandique ipsum aduersus reciduum. Nonum & decimum de prudentia in tranquillando ipsius animum scrupulis agitatum. Vndecimum de prudentia Confessarij in agendo cum Pœnitente, quem deprehendit, vt scrupulis, sic & Dei timore carere. Duodecimum de prudentia in Pœnitente iuuando remediis aduersus prauas suas propensiones, & adiumentis ad progressum faciendum in Dei gratia & virtutibus. Decimumtertium de prudentia in erudiendo rudi in fide, nec satis sciente viam salutis. Decimumquartum de dispositionibus necessariis in anima ad tenendam viam salutis. Decimumquintum de ratione tenendi eandem viam. Quibus nonnulla appendicis loco addentur de vsu priùs dictorum, & ratione supplendi, quæ deesse, addendáque videantur.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

De prudentia Confessarij in audienda confessione Pœnitentis.

SVMMARIVM.

1 *Animi præparatio cum qua debet Confessarius ad tanti momenti opus accedere, quódque tam sibi quàm Pœnitenti gratiam Spiritussancti implorare debeat.*
2 *De seueritate cum suauitate miscenda in audienda confessione.*
3 *Accendere debet Confessarius in se desiderium salutis animarum, & quomodo.*
4 *Curare debet vt Pœnitens decenter se habeat.*
5 *Cunctantem in aggrediendo confessionem debet monere, vt ea quæ magis conscientiam suam grauant, quamprimum proponat, ad manifestationem status animæ suæ.*
6 *Vitandus inter confitendum, mutuus Confessarij & Pœnitentis aspectus.*
7 *Vitandum etiam signum externum interioris abominationis peccatorum, quæ in confessione audiuntur.*
8 *Ratio agendi cum Pœnitente dicente sua peccata in confessione.*
9 *De supplendis defectibus illius.*
10 *Modus perducendi illum ad omnia peccata sua detegenda, cùm existimatur aliqua celare.*
11 *Attendendum, An aliquid dicat vt de intelligatur aliquas præcedentes confessiones feciſſe inualidas.*
12 *Pauci potius ferio, quàm multi perfunctorie Pœnitentes audiendi, iisque cæteris præponendi, qui maximè indigent aut maioris momenti sunt.*

Num. 1. AD hanc prudentiam pertinet primò vt Confessarius forti animo ad opus tanti momenti exequendum accedat; vitam etiam ipsam Christi imitatione, paratus profundere potius, quàm officio suo deesse in hac templi Dei repurgatione à peccato, per quod, vt per idolum quoddam abominabile, polluitur, fitque Dæmonis habitatio, in ipsius Dei grauissimā, iniuriā & animæ Christi sanguine perfusæ, summam perniciem. Neque sibi adeo fidat, etiam post diligentem operam positam in paranda necessaria scientiā, vt non præmuniat se oratione antequam audiat confitentem. Debet igitur per illud *Psalm. 50.* Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis.] vel illud, Veni sancte Spiritus] aliúdve simile, implorare SanctiSpiritus assistentiam, in negotio adeo difficili sic necessariam, vt nisi Deus suā gratiā assistat, nullæ vires & industriæ humanæ sufficiant ad ipsum fructuosè perficiendū, iuxtā illud *Ecclesiastis. cap. 7.* Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit;] & illud *in priori ad Corinth. cap. 3.* Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.] Quibus verbis significatur exteriorem hominis correptionem nihil operari nisi excitatoris interioris concursus accedat. Implorare autem debet eam assistentiam, vt necessariam. Tum sibi vt ex eo intelligitur, quòd Dominus discipulis imponens hoc onus audiendi confessiones *Ioan. 20.* ante dixerit, Accipite Spiritumsanctum] quàm: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:] Tum etiam confitenti cuius confessio procedere imperatiuè debet ab interiori contritione, quæ Dei donum est, & Spiritussancti impulsus, etiam imperfecta illa quæ attritio dicitur, vt definitum est *in Concil. Triden. sess. 14. cap. 4.* Confessarius igitur, quemadmodum habet Polacus *in Direct. cap. 2. art. 1.* accedens ad audiendas confessiones, primum omnium per orationem eleuata mente ad Deum, debet ab eo humiliter petere gratiam: Pœnitentibus quidem, vt verè ad ipsum redeāt sacramentique finem consequantur: sibi verò, vt rectè suo munere fungatur, nec ob vllam occasionē occurrentem deferat veritatem, aut ab eo quod agendum est desistat; nec sua negligentia impediat efficaciam sanguinis Christi, diuinéque suæ liberalitatis influxum in Pœnitentem: atque summa bonitas ipsius, & potentia suppleat vilis instrumenti sui defectus. Ista est communis doctrina, de qua videri potest Nauarr. *in Enchir. cap. 10. in principio.* Quanti autem ea sit momenti, ex eo intelligitur; quòd si deprauata iudicia in foro externo tantopere reprehendantur, multo magis reprehendenda sint in foro interno concernente animam, in cuius salute plus innumeris partibus positum est, quàm in omnibus temporalibus bonis.

Pertinet secundò, quod Nauarr. *ibidem num. 2.* tangit, vt in ipso Confessario paterna quædam, & spiritualis grauitas eluceat; itaut nihil videatur in vultu & gestibus, vel motibus corporis, nec in voce audiatur, quod non deceat virum maturum, & qui meminit se Dei locum tenere, à quo sit Iudex constitutus in causa maximi omnium momenti. Suscipiat tamen Pœnitentem benuolè paratus ipsum iuuare, secumque onus portare: & habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius discrimine, discretionem in varietate, promt habetur *in cap. 1. De pœniten. distinct. 6. §. Quibus cognitis*: indicántque versus illi ex Diuo Thoma ab eodem Nauar. propositi: *Num. 2.*

Confessor dulcis, affabilis, atqua suauis,
Prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus.

Quanquam vt cauere debet ne terrorem incutiat ei quem consolari oportet; ita etiam ne clementiā nimia vtatur erga eum, quem acriter increpare conuenit: sic enim incideret in peccatum Heli grauissimè reprehensum, & punitum à Deo 1. *Reg. cap. 2.* Item quia familiaritas nimia parit contēptum, debet Cōfessarius seuerum potius quàm familiarem se exhibere in confessionibus audiendis, præsertim feminarum: vt Polancus expresit *in Directorio cap. 1. art. 4.* Et Dominus noster exemplo suo docuisse monstratur ex eo, quòd matri sanctissimæ in nuptiis familiariter vini defectum denuntianti, verbis illis seuelitatem præ se ferentibus, responderit. Quid mihi & tibi mulier.] *Ioan. 2.* quódque nunquam ei à maleuolis exprobrata sit amicitia mulierum, sicut amicitia peccatorum & publicanorum: quod illi non omisissent, si in ea florenti ætate, non vxoratum nō. tassent familiariter cum mulieribus tractantem, sicut cum publicanis & peccatoribus. Accedit quòd ipsius discipuli *Ioan. 4.* mirati sint, quòd cum muliere loqueretur; tanquā de re scilicet inusitata. In vniuersum autē obsecrare debet potius, quàm asperè increpare: senes quidem tanquā patres vel matres: iuuenes verò tanquā fratres, aut sorores in omni castitate.

Pertinet tertio, quod Polancus etiam expresit *in sequen. cap. 2. art. 1.* vt Confessarius renouet desideriū salutis animarum. & diuini honoris, ac in toto confessionis decursu exerceat charitatem in Pœnitentem, ob quam principaliter debet acceptare officiū audiendi confessiones; non autem principaliter ob lucrū, fauoré, curiositatem, vel carnalé voluptā- *Num. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem quod esset peccatum mortale, vt notat Nauarr. *in fine citati cap.* 10. Excitet igitur & retineat compassionis affectum erga peccatorem longe deterius habentem eo, qui *Lucæ* 10. in latrones incidisse dicitur; oculisque mentis obiiciat illum sibi, tanquam imaginem Dei quæ perfusa Christi sanguine, diuinę gratiæ restituta sit formosissimáq; effecta: sed per cómissum peccatum mortale, turpissima reddita iuxta illud *Ezechielis* 16. Abominabilem fecisti decorem tuum.] Ad quam pristino nitori restituendam, istud singulare à Christo Domino misericorditer institutum est remedium; per quod peccata delentur & ex filiis tenebrarum fiunt filij lucis, soluti à laqueis quibus à Diabolo captiui tenebantur ad ipsius voluntatem iuxta Apostolum *posterioris ad Timoth. cap.* 2. *in fine*. Meminerit quoque assiduè Confessarius, quæ sint in hoc negotio suæ partes; seipsum pertundo tum vt Stabularium illum Euangelicum, ad quem misericordissimus Samaritanus impositum iumento saucium semiuiuum adduxerit curandum, cum pollicitatione compensationis omnium quæ supererogarit: tum etiam vt speculatorem illum datum domui Israel, ad quem diriguntur illa verba *Ezech.* 3. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autẽ eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem liberasti animam tuam] Quibus etiam considerationibus corroborabitur idem Cõfessarius ad sustinendas patienter varias molestias, & tædia quæ in audiendis confessionibus contingunt; partim ob horrenda & fœdissima peccata, quæ narrantur: partim ob graues & intricatos casus qui occurrunt: partim ob periculum errandi in re tanti momenti: partim ob ingeniorum, quæ tractantur varietatem & duritiem; necnon ob exiguam præparationem, cum qua non rarò peccatores ad confitendum accedunt: quam supplere

Num. 4. spectat ad Confessarij officium.

Pertinet quartò quod post Nauarr. & Polancum proponit quoque Iacobus à Graphiis *lib.* 1. *decisionum aurearum cap.* 24. *num.* 2. vt Confessarius aduertat, An Pœnitens (quem sibi subiectum agnoscat oportet) decenter se habeat: nempe An vtrumque genu flectat, An caput aperiat, An ita se componat, vt non Sacerdotis faciem, sed Crucifixi imaginem intueri velle videatur: quæ omnia si viderit ipsum sua sponte facere, laudet Deum; sin secus, monere debet vt faciat, ac secũ reputet se nõ coram homine peccatore, sed coram Altissimo constitutum esse, à quo humiliter, & cum summa reuerentia, veniam suorum peccatorum postulare debeat. Præterea illum doceat (si tam rudis sit vt nesciat) se munire signo crucis dicendo: In nomine Patris & Filij, & Spiritussancti, cum eóque dicat confessionem generalem vsque ad verba *Mea culpa*. Quanquam postremum istud non est necessarium, vt Nauar. monet *in eod. cap.* 10. *num.* 5.

Num. 5. Pertinet quintò quod ibidem Nauarr. subiungit, vt si pœnitens non incipiat statim confiteri, ipsum admoneat, vt omnia sua peccata quorum memoriam habet, & de quibus conscientia magis ipsum remordet, quæque sibi in extremis constituto à Dæmone obiici coram cœlesti Iudice maximè timeret, statim exponat; culpam sibi soli aut certè potius & principalius imputando, quàm cœlo vel Dæmoni, vel carni, vel sodalibus, vel naturali complexioni; circunstantiásque necessarias declarando, itaut per ipsum non stet, quominus à Confessario, perinde atque à semetipso intelligatur animæ suæ status.

Pertinet sextò: quod etiam Polancus habet *in cit. art.* 4. vt nec qui confitetur faciem Confessarij, nec Confessarius faciem confitentis videat, præcipuè in confessionibus mulierum: sed Pœnitente constituto ad latus, si nihil fuerit intermedium quod ei præbendo aurem mutuum aspectum prohibeat, manu ab eodem latere apposita maxillę, excludi poterit faciei aspectus. Sic autem exteriùs constitutus Confessarius, interiùs mente ad Deum eleuata tacitè oret vt diuina maiestas Pœnitenti auxilium præstare dignetur ad verè agnoscenda, & cum vera contritione confitenda sua peccata. Quæ mentis eleuatio potest & debet breuiter fieri, vt nihil obsit attentioni necessariæ in audienda confessione. Oret pariter & pro seipso, si ex tali auditione tentationem aliquam in se sentiat; medicos corporum imitatus, qui visitantes infectum morbo contagioso, solent habere aliquid odoriferum per quod à contagione se protegi, defendique posse sperant. De quo antidoto nihil ad sui conseruationem solicitis contingit frequenter, vt quam in aliis pestilentiam spiritalem curare volunt, ipsis adhæresćat; quasi insiliente in eos habente Dæmonium, & ita inualescente contra eos, vt nudi & vulnerati relinquantur ad modum filiorum Scæuæ Iudæi, de quibus *Actor.* 19.

Num. 6.

Num. 7. Pertinet septimò, quod ex communi omnium sententia habet Nauarr. *in cit. cap.* 10. *num.* 6. vt cum aliquod graue, turpéve peccatum in confessione declarari Confessarius audierit, nulla signa admirationis, abominationis, aut pauoris ostendat, siue spuendo, siue se cruce signando, aut seipsum aliqua ratione commouendo: ne inde pudore, aut alia perturbatione affectus Pœnitens, à confessione desistat, saltem plane faciendà. Quin potius, ac si nihil audiret, dissimulet vsque ad finem confessionis, & tùc, cum vult ei pœnitentiam imponere, grauitatem & fœditatem peccatorum, quibus se contaminauit, exponat: semper memor, tum præsentiæ Dei cui cooperatur, vt cum timore sancto officium suum peragat: tum etiã humilitatis Christianę, vt quàm ex se, ac seclusis Dei donis (de quibus tanquam alienis bonis malè impensis redditurus est rationem) vilis sit expendens, se aliis minimè præferat.

Num. 8. Pertinet octauo, quod idem author ibidem addit: vt si Pœnitens per seipsum peccata sua recenseat, Confessarius patiatur ipsum pro sua volũtate exponere quæ meminit, ac confiteri statuit, quantumcumque rudi crassáque Minerua, & sine ordine exponat. Quia enim eo tempore, quasi parturiens laborat, agendum est cum illo, sicut cum fœmina parturiente agi solet: cum qua nihil attentatur, quo vel turbetur vel impediri possit partus. Accedit quod sic confessio magis spontanea esse censebitur, faciliusque agnoscetur, quibus peccatis magis implicatus extiterit, & quę magis sint interrogando attingenda. Quanquam tamen si Confessarius aliqua non intellexit, præsertim de mortalibus, curare debet replicanda, vt melius intelligat: sique Pœnitens in aliquo delinqueret contra necessarias conditiones confessionis (suo loco in sequenti parte exponendas) benignè, ac mansuetè reprehendendus est, & docendus de eo, quod ipsum seruare aut cauere oportet. Vt si verborum inuolucris, aut nimia copia vtatur, suauiter moneri potest confessionem simplicem nudámque esse debere. Item si personam aliquam velit nominare, aut si dicat, non occido, non iuro, nulli malè volo, suauiter monendus est ab istis abstinendum esse in confessione, cuius ratio, naturáque postulat, vt sit propriorum tantùm peccatorum non alienorum: itémque sit accusatio sui, non autem excusatio, aut

aut cõmendatio. Monendus similiter est si superflua dicat, ea quæ ad rem non pertinent non esse commemoranda in confessione, & sic de cæteris, quorum admonitio non impediat cursum Pœnitentis, sed potius dirigat, vt bene monet Polancus *in Directorio cap.* 2. *art.* 2. *sub initium*.

Num. 9. Pertinet nonò, vt cum prudentia, & industria Confessarij eò spectet, vt quoad fieri potest, supplẽdo. Pœnitẽtium defectus, illos disponat ad finem Sacramenti Pœnitentiæ consequendum: sique videat suum Pœnitentem velle peccata sua occultare, vel probabiliter credat ipsum obliuisci illorum, aut existimare mortalia non esse, quæ sunt: cautè (inquit Nauarr. *in eod. cap.* 10. *num.* 7. *sub initium*) & prudenter eumdem ad peccata sua dicẽda pertrahat, admoneátque esse in confessione exprimenda peccata, etiam ea de quibus dubitamus an illa commiserimus, aut an peccata sint mortalia vel venialia exprimenda, quòd dubitemus, nec simus certi. Quòd si recordemur nos mortaliter deliquisse, sed in quo deliquerimus, ignoremus, confitendum esse, quòd mortaliter deliquerimus; etiamsi ignoremus in quo. Atque si Confessarius hæc præstare omittat, censebitur scienter absoluere indignum: vt ex Archid. admonet Sylu. *Confessio primò quæst.* 17. Ratio autem qua Confessarius debet aut memoriâ lapsum monere, aut ignarum instruere, satis intelligetur ex post dicendis in cap. 4.

Num. 10. Modus verò pertrahendi Pœnitentem ad dicendum sua peccata esse potest, tũ per interrogationes, de quibus in sequen. cap. 3. tum per cohortationes, quas ratio aut interior Spiritussancti vnctio suggesserit ad rem accommodatas: vt verbi gratia proponendo ei suauiter, quod agat cum Deo nihil ignorante, & ad eam quam expectat ab ipso remissionem peccatorum, exigente eorundem peccatorum integram confessionem; per quam seipsum talem omnino coram Sacerdote linguâ manifestet exteriùs, qualem se in corde agnoscit interiùs: itaut reticendo de industria aliquod mortale, quo suam conscientiã nouit grauari, se nouo scelere contaminet, ac instar Iudæ proditoris, dicendo Peccaui, laqueum collo inserat, quo spiritualiter suffocetur.

Addendo pręterea persuasionem illam reticendi, non nisi à Diabolo prouenire posse, nobis tam prõptum & efficax aduersus æternam mortem remedium inuidente. Nec enim aliunde prouenire posse videtur, quòd homo Christianus se à confitendo tãtopere auersum sentiat: quandoquidem ei sua fides ostendit: tum honestissimum opus esse illud, quo à sordibus mundatur anima: tum iustissimum, quo redditur Deo honor ablatus: tum vtilissimum, quo patet in cœlum aditus. Ad quod confirmandum facit quòd tam audax fuerit in peccando; cùm tamẽ eadem fides ostendat id esse tum turpissimum, vtpote quo fœdatur anima: tum iniustissimum, quo honor Deo debitus in Dæmonem transfertur: tum etiam pernicio sissimum, quo ipsa etiam æterna miseria incurritur. Itaque nisi ipse Dæmoni se mancipatum velit, & illius rabiem per omnem ęternitatem in se experiri; det locum clauibus, quibus cœlum sibi clausum reseretur; soluantúrque vincula, quibus tenetur captiuus à Diabolo ad ipsius voluntatem: misereatur animæ suæ, quã post Deum, nihil habere debet charius: aduertat quòd eam coniecerit in statum Dæmoniaci muti à Domino sanati *Matth.* 9. & *Lucæ* 11. vt indicio est, quod ex communi Doctorum sententia, idem Dæmoniacus, peccato mortali infectum mystícè designet, ac referat tanquam pictura & vmbra quædam: & ideo si horribile sit & miserabile à Diabolo hominem possideri corpore, multo magis esse, possideri animâ: Forti proinde animo imitetur Dauidem tantum regem Pœnitentem, quem imitatus est peccantem: vt cum lætificauerit Angelos, iuxta illud *Lucæ* 15. Gaudium est in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente:] & ipse gaudens in Domino dicat cum eodem Dauide *Psalm.* 31. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.]

Addere etiam poterit Confessarius; nihil esse quòd peccata tua vereatis dicere: quia quodcumque confessus fueris, ita reticere debeo, vt mille mortes potius oppetere debeam, quàm vel vnicum ex iis reuelare audeam. Item vt sibi persuadeat se confiteri Christo scienti omnia, qui & paratus est eum suscipere non minore benignitate iuxta illud *Psalm.* 102. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum) quam filium suum prodigum clemens ille pater *Luc.* 15. recepit: dummodo ipse, sicut idem prodigus, pœniteat ex toto corde, ac Christo omnia sua peccata, audiente Sacerdote (quẽ in hoc negotio suum Vicarium constituit) cum vera emendationis proposito confiteatur. Cauere tamen debet Confessarius, ne nimius ac concionabundus in his sit: vna enim de conditionibus confessionis est breuitas, excludens ab ea quæ superflua sunt, tam ex parte Confessarij, quàm ex parte Pœnitentis.

Num. 11. Pertinet decimò ad propositam prudentiam illud quod habet Nauarr. *in cit. cap.* 10. *num.* 3. *vers.* 5. vt Confessarius in toto confessionis decursu attentè consideret, An propter aliquam causam ex iis de quibus ex instituto dicendum est in sequenti parte suo loco, cum agetur de confessione, tencatur Pœnitens iterare aliquas suas confessiones precedentes: sique eum teneri, iuxta dicenda in sequenti cap. 3. sect. 1. inuenerit, nec Pœnitens ipse aduertat, moneat ipsum, quod debeat iterum examinare conscientiam suam; cum eóque agat, sicut cum eo agẽdum esse qui non discussit sufficienter conscientiam dicetur in sequenti num. 28.

Num 12. Pertinet vndecimò vt Confessarius velit potius duos audire benè, quàm viginti perfunctorie: quandoquidem hoc quàm illud melius est; vt bene ait Caiet. *in verbo Confessor* §. *de prudentia Confessarij*.

Pertinet postremò quod Polancus monet *in Direct. cap.* 1. *artic.* 4. *in fine*, vt quando Confessarius audire nequit omnes, libentius eos audiat, qui plus indigent, & quorum spiritualis profectus redundat ad maiorem Dei gloriam, & maius commune bonum.

CAPVT SECVNDVM.

De prudentia Confessarij in interrogando Pœnitente.

SVMMARIVM.

13 *Modus quo ad officium Confessarij, Pœnitentem interrogare spectat.*

14 *De mortali peccato quod committitur id officij omittendo.*

15 *Non ideo Confessarius liberatur ab obligatione interrogandi Pœnitentem, quòd hic videatur bene fecisse conscientiæ suæ examen.*

16 *Spectantia ad propositam prudentiam Confessarij.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.13. OFFICIVM quidem Confessarij de se vt Sotus bene notat *in 4. distinct.18.art.4.col.* 14. non est interrogare Pœnitentem, sed audire confitentem:cùm in foro pœnitentiali non procedatur sicut in criminali per vim coactiuam ad extorquendam à reo confessionem, sed per spontaneam voluntatem confitentis; itaut sufficiat simplicem illius confessionem audire,nec per se sit de ratione Sacramenti Pœnitentiæ interrogationes fieri in illius administratione, sed solùm ex accidenti; nimirum cum acciderit Pœnitentem aliquid de necessariis, in confessione omittere:tunc enim id coniunctum esse cum ipso audiendi officio, patet, tum ex præcepto quod de interrogando datur. *De Pœnit.distinct.6.cap.1.§. Diligens & De pœnit. & remiss. cap.Omnis vtriusque sexus §. Sacerdos*: tum ex eo quòd Confessarius fungatur officio Medici,qui infideliter ageret, si ægrotum aliquas morbi circunstantias pestilentes videret tacere ex ignorantia,nihil inquireret. Item officio Iudicis,qui similiter perfidè agit, sciens testem aliquid tacere, de quo ius habet interrogandi, & id omittit ac dissimulat. Item officio auditoris rationum dati & accepti, qui negligit in fraudem domini sui,multa recepta silentio pertransiri.

Nu.14. Vnde fit, vt Confessarius omittens interrogationes debitas,peccet mortaliter ex Angelo, verbo *Interrogationes in principio* (quem sequitur Nauarr. *ad cit.§.Diligens num.7.& in Enchir.cap.5.num.2.*)quoties animaduertit & credit aliquid esse de quo necessarium sit Pœnitentem interrogari,vt valida sit & fructuosa ipsius confessio, neque interrogat. Ratio est: quia tunc supradictum præceptum obligat, si vnquam aliàs, illiusque violatio est cum graui damno spirituali proximi & iniuria Sacramẽti Pœnitentię; siquidem per eam subtrahitur Pœnitenti consilium ac remedium debitum: & in Sacramento Pœnitentiæ, forma illius applicatur insufficienti materiæ, id est,absolutio Sacramentalis applicatur confessioni defectuosæ. Meritò igitur ait Angelus, quòd Confessarius probabiliter credens eum quem audit confitentem omittere ex obliuione, vel ignorantiâ, vel ex negligentiâ aliquid necessarium ad validitatem confessionis (vt potest credere de magna parte hominum qui ferè rudes sunt, aut ignari,aut valdè negligentes in examinanda conscientia, aut non norunt exprimere species,numerum, & circunstantias peccatorum,aut si norunt non faciunt) peccet mortaliter si ex negligentia, vel ex timore prætermittat interrogationes quas ei conscientia probabiliter dictat esse de necessitate faciendas; multóque magis si planè aduertat videatque esse penitus necessarias.

Nu.15. Quod iuxta Melchiorem Canum *in relect. De pœniten. par.6.* (quem Suarez aliquot de aliis citatis sequitur *tomo 4.disput.32.sect.3.num.7.*) intellige procedere, etiamsi probabile sit Confessori, Pœnitentem pro suo captu idoneam adhibuisse diligentiam in inquirendis ac commemorandis peccatis suis, & horum circunstantiis:sed ipse probabiliter nihilominus credat aliquam peccati circunstantiam necessariam se inuenturum per suam interrogationem. Quamquam,*vt idem Canus addit*, & ante eum Angelus loco citato,non debet Confessarius esse nimium scrupulosus in interrogando,quę possibile est Pœnitentem commisisse: sed solùm debet interrogare circa ea, quæ ab eo commissa esse probabiliter credit. Immo si non sciat certò esse commissa,poterit ad depellendum scrupulum considerare dictam extensionem Cani, non esse ab omnibus receptam. Nam præter Medinam,cuius *in præced.num.6.* meminit Suarez: à Victoria *De Sacram.num.193.* sic ait:Si probabile sit, quòd Pœnitens fecerit sufficientẽ examinationem, licet credat Confessarius, quòd ille alia peccata habeat præter ea quæ dixit: interroget Confessarius,si commodè potest,sed non tenetur tunc interrogare. Iam si Confessarius probabiliter iudicet quòd confitens sciat & aduertat se prætermittere illudipsum de quo videretur interrogandus (nisi fortè obseruaret dicere non audere ex verecundia; vt addit Angelus) poterit quoque sibi persuadere, quòd illud non perpetraueris,aut de illo iam aliàs confessus fuerit.

Id quod approbat Nauarr. *in Enchir. loco cit.* Addens omittere aliquam interrogationem per inaduertentiam aut obliuionem non videri esse mortifetum:immo interdum nullum peccatum esse, expressit Sylu. *Confessor 3. quæst.14.* quando nimirum inaduertẽtia fuerit inuincibilis,non item aliàs:quia vincibilis,siue ex leui siue ex leuissima negligentia proueniat;à mortali quidem, non tamen à veniali liberat omittentem.

Atque intelligitur ex his, ad prudentiam Confes- *Nu.16.*
sarij in interrogando Pœnitente, pertinere vt quoties timet, aut dubitat, aut probabiliter putat ipsum silere aliquid quod ad validitatem confessionis declarari necessarium sit, curet per interrogationes supplendum illud,quod videt deesse:sin autem bona fide credat nihil ab eo omissum esse de necessariis: aut aliquid omissum timeat,aut dubitet sine probabilitate,& ex scrupulo tantùm, vel ex aliquo inani timore:abstineat ab interrogationibus, quas imprudenter vsurpans venialiter saltem peccaret. Ex Nauarr. *ad ante memoratum §. Diligens num.7.*

Pertinet præterea quod habet Polan. *in Direct. cap.2.art.2.* vt plus aut minus; hoc aut illo modo interroget pro qualitate Pœnitentis; & quemque de illis quæ sunt ei magis propria,spectatis statu & officio, conditionéque ipsius: itemque de aliis quæ ex ipsius dictis elici possunt. Adde ex Sylu. *Confessor. 3. sub finem*:vt caueat ne imprudenter interrogando det Pœnitenti occasionem ridendi,& postea iocandi de ineptis interrogationibus sibi factis. Caueat etiam se aut Pœnitentem ad aliquod malum prouocare interrogando.

Pertinet adhuc vt consideret,& inter se distinguat ea,quæ ante vel post confessionem, & ea quæ in cõfessione interroganda sunt, vt ordinatè procedatsicut expedit dum vacat Pœnitenti: cui si mors, vel phrenesis vel linguę impedimentum timeretur,summus ordo est non seruiare ordinem alium, quàm quem discretio dictauerit, vt rectè ait Polancus *in cit.art.2.* Quæ autem sint ante,& quæ post confessionem, quæque in confessione interroganda, praxis nobis propofita exigit vt in particulari tradatur: quod fiet sub titulo interrogationum Pœnitenti à Confessario faciendarum.

CAPVT TERTIVM.

De interrogationibus Pœnitenti faciendis à Confessario.

SVMMARIVM.

17 *Explicatio difficultatis, An ante inchoationem Confessionis,faciendæ sint Pœnitenti à Confessario interrogationes aliquæ.*

18 *Interrogationes faciendæ respectu iurisdictionis:& quòd de casibus reseruatis interrogatio non sit necessario facienda.*

19 *Faciendæ respectu contritionis; & quid agendum sit cum eo,qui inimicitias gerere inuenitur.*

Quid

20 *Quid item cum obligato sub mortali ad aliquid exequendum.*

21 *De non absoluendo existente in statu peccati mortalis, quem deserere non vult.*

22 *Quid agendum sit, quando Confessarius dubitat an peccatum mortale sit illud, in quo Pœnitens perseuerare statuit.*

23 *Quid item cum in tali negotio Confessarius & Pœnitens contrarias sententias sequuntur.*

24 *Quid cum vterque dubitat.*

25 *Interrogationes faciendæ habito respectu ad confessionem de præsenti instituendam.*

26 *Aliæ,habito respectu ad anteà institutam.*

27 *Quid agendum cum eo qui non impleuit impositam Pœnitentiam,aut anteà non fecit confessionem integram.*

28 *Quid agendum cum eo qui inuenitur non feciſſe ſufficiens conſcientiæ ſuæ examen.*

29 *De erudiendo eo qui nimis rudis in fide esse deprehenditur.*

30 *Ratio accommodandi se in ea re ad captum rudium.*

31 *Confessionem inchoaturus Pœnitens, ad integram faciendam excitandus.*

32 *De eo qui confiteri vult non per se referendo sua peccata, sed respondendo interrogationibus Confessarij.*

33 *Prudentia in interrogando Pœnitente dum confitetur,& de quibus interrogandus sit.*

34 *Obseruanda in talibus interrogationibus.*

35 *Modus interrogandi de peccato carnis.*

36 *Interrogationes generales quæ subiungi possunt confessioni factæ à Pœnitente.*

37 *Speciales magis ordinariæ & omnibus communes, secundum Decalogi ordinem digestæ.*

38 *Speciales diuersorum statuum propriæ secundùm varietatem eorumdem digestæ.*

PŒNITENTEM à Confessario interrogationibus dum confitetur iuuandum esse ad plenè integréque aperiendum cõscientiam suam, ac totum animæ suæ statum patefaciendum, habetur ex cap. 5. De pœniten.dist. 6.§.Diligens:& post peractam confessionem debere interrogationibus suppleri integritatis defectus,qui in ea contigerint, manifestum est ex dictis in proximè præcedenti cap. An autem aliquæ præmittendæ sint inchoationi confessionis,difficultas est.

Nu.17. De qua à plerisque statuitur, statim post confessionem generalem, antequam Pœnitens specialem narrationem suorum peccatorum inchoet, interroganda esse ea, quæ possunt absolutionem impedire, aut difficilem reddere; ne post eam in toto, aut in maiori parte factam, Pœnitens ipse cogatur absque absolutione recedere. Pro qua opinione Nauar. *ad citatum §. Diligens num.12.* adfert. Tùm quod frustra expectetur euentus, cuius nullus est effectus, vt habet receptum axioma: ideoque ad absolutionẽ consequendam, confessio frustra fiat ei, qui nequit illam dare. Tum quòd scandalizandus sit Pœnitens, si postquam totam suam vitam Confessario aperuit, audiat ab eo, Non possum te absoluere. Pro contraria opinione verò adfert. Tum quòd *in cap. Quod quidam De Pœniten.& remiss.* habeatur confessionem illius,qui à peccato recedere nolit,non esse respuendam. Tum quòd sæpe contingat vt adhortationibus Sacerdotis quæ ab eo(tãquam spirituali scilicet Medico satagente cognitum ægri morbum curare) post confessionem fiunt, Pœnitens reddatur ad absolutionem obtinendam dispositus. Tum demum quòd experientia doceat,eum qui confessus est sua peccata,magis quàm ante confessionem, solicitum esse vt absoluatur,ne grandis ille labor in præmeditandis & confitẽdis peccatis ei pereat.Propter quæ rationum in vtramque partem momenta idem Nauar. *in cap. num.13.* meritò addit, non videri dicendum, quòd confessioni præmittenda sit necessariò interrogatio eorum quæ absolutionem impedire, aut difficilem reddere possunt:neque ex altera parte negandum esse, quin ea licitè præmitti possit. Atque vtiliter præmitti Polancus *in Directorio cap.2. art.1.sub finem* ex eo confirmat,quòd si cohortatione adhibita, leniendo scilicet,consolando,in spem erigendo, & cùm opus fuerit etiam increpando(iuxta *cap.1. De Pœniten.dist. 6.§. Quibus cognitis*) Pœnitens non inueniatur paratus à peccato recedere,cum eo teratur tempus quod cum alio vtiliùs expenderetur. Quamquam tamen vt Nauar.addit ibidem,si Confessarius sit Parochus, non debet tunc cum audire tenetur (vt in Quadragesima) respuere sibi subditum: qui non obstante comminatione ei facta de ipso non absoluendo, vult confiteri.

Interrogationes præmittendæ ante Confessionis inchoationem.

SECTIO I.

HArum quædam faciendæ sunt habito respectu *Nu.18.*
ad iurisdictionem (quam Confessarius *ex dictis de ea in præceden.libro*, debet liberam habere in Pœnitentem,vt eum absoluere possit) nempe si Pœnitens sit homo ignotus, & Confessarius iurisdictionem habeat limitatam; ille interrogandus est,cuius Parochiæ sit; & an habeat diplomata Apostolica, vel suorum Ordinariorum,quibus ei concedatur libera electio Confessarij:Quo respondente,etiam tantùm illud, se vndecumque sit, posse ab ipso absolui tanquam subditum, debet Confessarius putare satisfactum sibi esse, vt expressit Nauar. *ad eundem §. Diligens num.11.* Præterea(quæ interrogatio, sicut & sequentes,ei etiam qui subditus esse cognoscitur, fieri potest) An sciat se habere aliquam excommunicationem,aut casum reseruatum. Atque si ex responsione Confessarius cognoscat excommunicationem habere, sed à qua possit ipsum absoluere: absoluat antequam à peccatis, eo modo quo Nauar. explicat *in Enchir. cap.26. num.7.8.& 9.* Sin autem inueniat habere reseruatam, mittat ad eum cui reseruata est, aut ad alium cui ad id sufficientem delegauerit iurisdictionem: aut certè talem sibi procuret,vt per se possit suo Pœnitenti satisfacere. Idem iudicandum est, si inueniatur casum habere reseruatum sine excommunicatione. Longiorem autem hæc res explicationem requirit quidem, sed ad sequentem partem(in qua ex instituto dicendum est de absolutione à casibus reseruatis) propriè spectat,vbi Deo iuuante copiosè tradetur. Tantùm illud hîc monendum est, per se loquendo,nõ esse necessariam, istiusmodi interrogationem de casu reseruato fieri à Cõfessario.Nam vel Pœnitens talis est,qui scire censeatur an habeat casum reseruatum; tùncque si de aliquo tali casu conscius sibi sit, interrogare debebit Confessarium ipsum, an habeat potestatem absoluendi ab eo: quod non faciens præsumi potest nullum talem habere. Vel talis est,qui censeatur ignorare casus reseruatos:& tunc nihil proderit interrogatio. Quod si omissa eiusmodi interrogatione aliquis talis casus ex confessionis decursu deprehendatur:ideoque illâ facta Pœnitens absolui non possit, ipse tale incommodum debet suæ indiscretioni vel ignorantiæ imputare,non autem Confessario qui il-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lud facilè præuenire non potuit. Ita notat Suarez *tomo 4. disput. 32 sect. 3. num. 2.*

Interrogationes præmittendæ in ordine ad contritionem. §. 1.

Num. 19. QVædam verò aliæ interrogationes faciendæ sunt habito respectu ad contritionem. Cuius generis est, An ex animo doleat se offendisse Deum & propositum firmum habeat relinquendi statum peccati. Qua in re inuentus deficere, iuuandus est per post dicenda in sequenti cap. 5. & 6. sique nihil cum eo profici possit, dimittendus est sine absolutione, tanquam obicem ei ponens. Huius item generis est interrogatio, An gerat cũ aliquo inimicitias, ad quas omnino deponendas, monẽdus est se sic teneri, vt alioqui non debeat expectare suorum peccatorum remissionem, prout Dominus noster nobis inculcatum voluit cum orantes dicere præscripsit [Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris] inducendusque est ad reconciliationem præmittendam confessioni, si commodè possit: aut si non possit, ad firmum propositum eam exequendi cum primum nanciscetur commoditatem. Cum dicat Dominus *Matth. 5.* Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus aliquid habet aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare & vade reconciliari fratri tuo.]

Nu. 20. Eiusdem item generis est interrogatio, An debitũ aliquod habeat, sitque in mora solutionis; siue pecunia sit restituenda, siue fama reparanda, siue votum implendum. Atque si tale debitum existere comperiatur, debet Confessarius considerare num Pœnitens possit tunc satisfacere: sique non possit, sufficit vt habeat propositum firmum satisfaciendi statim, ac facultas illi ad id fuerit. Sin possit, neque vrgeat necessitas confessionis, debitúmque facilè & breui tempore impleri valeat, facere debet Confessarius, vt prius impleatur quàm confessioni vacetur; quia obligatio ad illud, est vt fiat quamprimum fieri potest, prout patet per tradita *à Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 54. & aliquot sequen.* de tempore restituendi id quod debetur. Quòd si vel necessitas confessionis vrgeat, vel non possit facilè & breui tempore satisfieri, Confessarius debet inducere Pœnitentem ad firmum propositum satisfaciendi, quamprimum poterit commodè; admonendo eum, si nimium differat, lapsurum in peccatum mortale, & amissurum gratiam quam per sacramentalem absolutionem cõsequetur. Quod docens Nauar. *in Enchir. cap. 26. num. 5.* excipit eum qui in confessione preterita (quod etiã interrogatione inuestigandum est, si Pœnitens non aperiat) restitutionem promisit, nec restituit cum potuit & debuit. De quo idem Nauar. *in præced. cap. 17. num. 59.* post D. Anton. & Caiet. statuit non debere absolui, nisi prius actualiter restituat, quia licèt habenda sit Pœnitenti fides in iis quę pro se aut contra se dicit; prouideri tamen debet, ne qui semel defecit, iterum deficiat. Quanquam (addit ille) Pœnitens occurrere posset talis, nempè adeò dignus cui fides adhibeatur, ac tales circunstantiæ loci & temporis, talesque causæ, vt Confessarius solo restituendi proposito contentus esse debeat, iudicando prudenter non dari opportunitatem aliquid amplius faciendi. Vult autem istud etiam quoad eos procedere, qui prohibentur absolui ante restitutionem realem: vt subtrahentes decimas aut impedientes earum solutionem ex Concil. Trident. *sess. 25. cap. 12.*

Eiusdem adhuc generis est interrogatio, quam Polan. ponit *in Directorio cap. 2. art. 1.* An sit in aliquo statu peccati mortalis, quem non sit paratus deserere: nam qui proponit ab aliquo peccato mortali non abstinere in posterum: vt nolens restituere, vel concubinam relinquere, vel odium deponere, vel renunciare officio, quod nequit sine peccato mortali exercere, vel aliud eiusmodi, absoluendus non est; etiamsi aliquatenus, inefficacive voluntate tale quid vellet. De qua re textus habetur expressus *in cap. Quod quidam De pœniten. & remiss.* Ratióque aperta est, quia talis confitetur sine contritione, includente cũ summa detestatione peccati, propositum firmum non peccandi de cætero. Defectus autem contritionis, (vt certum est) confessionem reddit inualidam & absolutionem sacrilegam. Quo fit, vt non debeat tali absolutio impendi, etiamsi illam importunè satagat extorquere; scandalum aliquod & desperationem præse ferendo. Id quod Nauar. in Enchir. *cap. 10. nu. 4.* annotans, addit tale scandalum esse pharisaicum; quia illud ipse sibi accipit, ac proinde negligendum, iuxta *cap. Inter verba 11. quæst. 3.* Neque est quòd quis opponat ad scandalum aut aliud graue malum vitandum, posse peccatori occulto ministrari Eucharistiã in publico. Nam ea ministratio non includit (sicut ministratio Sacramenti Pœnitentiæ) rationem iudicij in quo oporteat informari de statu suscepturi, vt vel ipse admittatur tanquam dignus, vel repellatur tanquam indignus. Quãquam autem dicens se peccatum aliquod mortale relinquere non posse, nullatenus absolui debeat, nisi proposito mutato in melius: tamen confiteri volens audiri potest, iuxta cit. *cap. Quod quidam*: nec dimitti debet (*iuxta cap. falsas. De pœniten. distinct. 5.* siue admonitione qua indicatur vt quotquot poterit bona opera non omittat facere, peccatáque euitet, vt Deus mentem ipsius illuminare & cor emollire ad agendum pœnitentiam dignetur. *Prout loco citato habet etiam Nauarrus.* Nu. 21.

Nu. 22. Notandum autem est primò ex Syluestro *Confessor 3. quæst. 10. & Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 21. & cap. 26. num. 3.* non debere Confessarium negare absolutionem Pœnitenti tanquam volẽti in peccato mortali perseuerare, si nequit intelligere venialéne peccatũ sit an mortale illud in quo perseuerare statuit, sed debere inducias & tempus ab eo petere, ad consulendum suos libros, aut peritiores, vt sciat quam in partem debeat sententiam proferre; aut saltem ei persuadere vt firmiter sibi proponat, quod ab eo de quo agitur, sicut ab aliis mortalibus in posterum abstinebit, si mortale esse iudicetur à viris idoneâ scientia & conscientia præditis, quorum iudicio sit meritò fidendum: cuiusmodi propositum recusans habere (nisi valde doctus esset, itaut credi posset ipsum in sua persuasione sufficienti ratione duci) iudicabitur carere contritione ad absolutionem Sacramentalem necessaria, cùm non appareat auersus omnino à quocunque peccato mortali. Ne autem negatio absolutionis innotescat aliis, debet Confessarius ei dicere, quòd propter circunstantes, cum eleuatione manus dicet super ipsum aliquam orationẽ sine absolutione, vt sic non recedat confusus. Quod est similiter obseruandum cum eo qui ob aliam causam absolui non potest: ipso quoque monito per talẽ confessionem, quam absolutio secuta non est, præcepto confitendi satisfactum non esse, *iuxta ante citatũ cap. Quod quidam*: vbi ea dicitur non esse vera pœnitentia: qualis nimirum à Deo & ab Ecclesia peccatoribus præcipitur. Istud vtrumque aliis citatis admonet Iacobus à Graphiis *in lib. 1. decis. aurearum, cap. 24. num. 24.*

Nu. 23. Notandum est secundò ex Medina *in Cod. de confessione*

fessione quæst. 19. dubio vltimo. si iudicante Confessario peccatum mortale committi in aliquo facto vel contractu, non acquiescat Pœnitens: & Confessarius tam eminens sit, Pœnitens verò tam simplex, vt meritò putare debeat, se non melius ab aliis, quàm ab eo ipso Confessario doceri posse: negandam esse absolutionem parere nolenti, tanquam indigno nec satis auerso à peccato: non item si Pœnitens alios haberet, si non plus, saltem æquè ac Confessarium, fide dignos, à quibus de contrario informatus esset, aut informari speraret: etiamsi (*addit Medina ibidẽ in corollario*) tam informantes quàm informatum decipi, Confessarius ipse putaret: immo & certus fortè esset de falsitate opinionis, quam confitens amplectitur.

Enimvero sequenda videtur in eo sententia Nauarri *in cit. cap. 26. num. 4.* tria dicentis. Primum est: Confessarium si credat euidenti se textu vel ratione niti, & Pœnitentem dubia, non debere hunc absoluere. Ratio est, quia cùm de aliquo controuertitur, certitudo vnius partis tollit probabilitatem alterius: nec enim id censeri potest probabile, cuius contrarium est certum. Absolutio autem dari non potest ei, quem probabile est dispositum non esse. Secundum est; si videat Confessarius se non adeo forti ratione niti, Pœnitentem verò niti pari, vel ferè pari, haberéque aliquem pro se clarum doctorem, posse ipsum absoluere. Ratio est, quia probabilitas vnius partis controuersiæ, secum patitur probabilitatem alterius, licétque in bona conscientia id sequi quod est probabile: adeout sequens non sit eo nomine indispositus ad percipiendam absolutionem Sacramentalem. Iam verò eam dispositò negare, graue peccatum est, non modo quia illi fit grauis iniuria, sed etiam quia æquitas ratióque iudicij postulat vt Iudex audita causa rei, eum absoluat si inuenerit absolutione dignum: præsertim in Pœnitẽtiali foro, in quo Confessarius tanquam minister Christi debet absoluere eum qui coram Christo apparet absolutione dignus. Tertium est, ista procedere siue Confessarius ex officio audiat confitentem, vt proprius Parochus: siue ex sola charitate, vt alius qui habens solum delegatam iurisdictionem non obligatur audire ex officio. Neque enim inter eos vllam in hac re differentiam esse, hinc patet: quia ex quo delegatus suscipit in se onus aliquem audiendi in confessione, tenetur ei præstare quidquid deberet Ordinarius cuius locum tenet, vicéque supplet. Videri potest Suarez *tomo 4. disput. 32. sect. quinta per totam.*

Nu. 24. Notandum est tertio ex Nauar. *in Enchir. cap. 26. nu. 5. post Angelum Confessor 4. §. 3. & Sylu. in citata quæst. 10.* si tam Confessarius quàm Pœnitens dubij sint, num aliquod peccatum sit mortale nécne, tunc eligendo partem tutiorẽ, esse ab eo abstinẽdum, ac tale tantũq; periculum vitandum: sin autem sit, An Pœnitens teneatur aliquid facere, vel dare, aut pœnam aliquam sustinere, benigniorem partem sequendo, esse pro reo dandam sententiam, per iura quæ adfert Syluester.

Interrogationes faciendæ in ordine ad Confessionem. §. 2.

Nu. 25. QVædam adhuc interrogationes faciendæ sunt habito respectu ad confessionem; siue eam quæ proxime facienda est, siue aliam antea factam. Huius generis est interrogatio illa quam proponit Polancus *in Directorio cap. 2. art. 1.* Quis sit confitentis status, quæ conditio, quod officium: nisi Confessarius iam hæc sciret. Refert enim intelligere si coniugatus sit, si publico aliquo munere fungatur, quam artem faciatet, si sit Religiosus, si Ecclesiasticus sacris ordinibus initiatus, si beneficium habens Ecclesiasticum, & huiusmodi alia: vt conuenienter ex propriis cum eo procedatur in supplendis per interrogationes defectibus, qui in ipsius confessione contigerint. Debent enim tales interrogationes conuenientes esse statui, officio, & conditioni Pœnitentis: nempe de illis peccatis, quæ in eo ipso statu, officio & conditione committi consueuerunt: inepteque interrogarentur milites de peccatis Clericorum, vtrum recitarint horas canonicas: vel contra Clerici de peccatis militum, vtrum rusticos vexauerint, & sic de cæteris peccatis diuersorum statuum: quæ Nauar. in Enchir. *cap. 25. per totum* latè persequitur. Aduerte obiter quod idem docet *ad principium cap. Consideret De pœnit. dist. 5. num. 97.* quia non tenetur Pœnitens manifestare seipsum nisi quoad ea, quæ sunt necessaria ad Pœnitentiæ Sacramentum; neque teneri declarare an sit coniugatus, si matrimonium non offendit; neque, an sit Religiosus, si vota religionis non violarit, & sic de reliquis.

Eiusdem generis interrogatio est, Quampridem confessus sit: sique plus anno inueniatur confessionem omisisse, debet Confessarius ipsum monere, vt se accuset de transgressione præcepti ad illam faciendam obligantis: & alterius, Eucharistiam sumẽdi circa Pascha. Si verò minus anno quidem, sed à multis mensibus, debet solicitior esse in examinando, quàm si à paucis tantùm hebdomadis.

Nu. 26. Est item eiusdem generis interrogatio, An sibi sit conscius de aliquo defectu commisso in aliqua sua præcedenti confessione, ex quo existimet fuisse nullam; cui siue fatenti, siue neganti credendum est, tanquam testi in iudicio instituto ad ipsius salutem.

Nu. 27. Est & illa alia, An peregerit pœnitentiam impositam sibi in præcedenti confessione; sique eam per contemptum, aut negligentiam notabilem omiserit implere, de eo accuset se; cùm id sit peccatum mortale, nisi imposita tãtùm esset consulendo eam, nõ autem præcipiendo, ex Nauarr. *ad cap. Contrarium De pœniten. dist. 5. nu. 18.* Videat quoque Confessarius an talem pœnitentiam relaxare aut mutare conueniat, iuxta ea quæ dicenda sunt in sequenti parte; cùm de satisfactione quoad illius impletionem.

Est denique eiusdem generis adhuc illa. An conscientiæ suæ satisfecerit, ea quæ memoriæ occurrerunt peccata dicendo in præteritis confessionibus, ita vt Confessarius probè omnia intellexerit. Atque si aliquod tacuisse deprehendatur vnde ex defectu integritatis, confessio ipsa sit inualida, monendus est teneri ad eandem iterandam, & alias quascumque ante factas, in quibus similiter defecerit: horteturque vt paret se & sumat tempus ad omnia confitenda; vel si mors aut phrenesis immineret, vel appareret non facturus si inde recesserit: hortetur ipsum vt tunc dicat omnia quantum recordari poterit, neque putet aliquod tacere, sibi licere ex eo, quòd iam illud in prædictis confessionibus declarauerit, cùm omnes fuerint inutiles. Ita Polancus *in Direct. cap. 2. art. 1.* Cui adde *quod habet Henriq. aliis in margine citatis in Summa sua lib. 5. cap. 14. §. 5.* si Confessarius non audiuit, vel non intellexit integram Pœnitentis confessionem, quia erat valde ignorans, vel idiomatis ignarus; aut quia distractione, dormitatione vel surditate impeditus, non percepit quę dicebantur: Pœnitentem (nisi id aduertendo peccans, obicem poneret) absolutum ab ipso habente sufficientem iurisdictionem, percipere fructum sacramenti: neque teneri repetere, nisi ea peccata quæ putat Confessarium ipsum non audiuisse. Itemque eum qui bona fide confite

Universidad de Deusto
Biblioteca

confitetur ignoranti: quem postea nouit nescisse distinguere inter mortalia, & venialia, & inter Reseruata & non reseruata: non videri cogendum iterare confessionem: posito quod talis Confessarius potuerit tunc & voluerit absoluere sibi oblatũ bene dispositum etiamsi in prudentia circa medicinam & satisfactionem imponendam defecerit. Quamquam tutius esset confessionem repetere oblata commoditate propter periculum inualiditatis, quod rarò deest in tali casu.

Interrogationes præmittendæ in ordine ad cauendos & supplendos defectus Pœnitentis. §. 3.

ADde quoque Confessarium, quantum licet per Pœnitentis valetudinem, debere defectus illius per interrogationes supplere, quando videbitur aliquid omittere ad confessionis integritatem necessarium: sicut & cùm sine sufficienti examine offert se ad confessionem.

Nu.28. De quo examine Polancus *in eodem art.1.* interrogationem hanc præcedentibus adiungendam censet, An conscientiam suam discusserit ad præsentem confessionem instituendam: quia si dicat se non discussisse, & verosimile sit, quod post redibit paratior, dimittendus est, vt se discutiat, præfixo ad id tempore sufficienti, iuxta rationem status personæ, & longioris moræ positæ in omittenda confessione, nisi mors vel phrenesis immineret, aut nequeat sine scandalo communio differri, aut alia grauis necessitas vrgeat, ex Nauar. *ad cap.1. De Pœniten. dist.6. §. Diligens num.15.* Quo tempore, vt idem monet, Adrianum secutus, sufficiet (intellige quoad Pœnitentem, non quoad Confessarium: ne putes excludi interrogationes proxime dictas) pœnitentia omissæ prædiscussionis, cum ea quæ illi possibilis fuerit peccatorum recordatione: id est, sufficiet confessio negligentiæ in examinanda conscientia, & omnium aliorum peccatorum quorum tunc poterit recordari. Quodsi verosimile non sit, quòd rediturus sit ad confessionem (oportet enim Confessores cauere ne Pœnitentem coniiciant in desperationem; vt in hac re omnes consulere notat à Victoria *De Sacram. nu. 193.*) vel si dicat se quidem aliquo modo, sed satis obiter discussisse conscientiam suam, monendus est (*inquit ibidem Polancus*) vt in posterum diligentiùs se præparet, & vt quod recordatur sincere dicat, cũ omni qua potest humilitate & displicentia peccatorũ: eodẽque modo respondeat ad interrogationes, quas ipse facturus est, ad supplendum ipsius defectum in examinanda conscientia. Immo cùm humanitùs vix fieri possit, vt qui longo iam tempore non est confessus, & solitus est frequenter peccare; siue ex praua consuetudine, siue ratione officiorum & negotiorum quæ gessit, etiamsi iuuetur Confessarij interrogationibus: vix, inquam, fieri possit, vt satis integrè sua peccata confiteatur: si nihil præmeditatus ad confessionem veniat, dimittendus est, vt ante præcogitet quæ confiteatur, tanquam nescientiã culpabili nesciens reddere integram rationem de suis peccatis; sicut debet iuxta institutionẽ Christi ad eorũ remissionem, per hoc Sacramentum consequẽdam. Neque enim qui talis inuenitur (vtpote indispositus) est absoluendus, nisi necessitas faciens impossibilem præcogitationem, aliud suadeat, vt bene monet Nauar. *in præced. num.14.* quia tunc adest sufficiens causa excusans confessionis dimidiationem in co qui nihil reticere, sed omnia quantum potest, dicere intendit: vnde ob eum defectum, non est dimittendus tãquam indispositus ad absolutionem recipiendam. Quod si quem expediat parare se ad totius vitę confessionem, propter præcedentes suspectas de inualiditate, poterit ad id dirigi, eum monendo primò vt per tempora ætatis, pueritiæ, adolescentiæ &c. se examinet. Secundò vt per varia sua officia & occupationes. Tertiò secundùm varias suas dispositiones sanitatis vel ægritudinis, prosperitatis vel aduersitatis. Quartò secundùm loca, id est, regiones, ciuitates & domos, in quibus versatus est. Quintò secundùm personas cum quibus conuersatus est; examinando quid cum illis tractauerit. Ac demum peccata tam cordis, quàm oris, & operis, quæ se commisisse deprehendit, reducat in ordinem Decalogi; subiiciens singulis speciebus probabilem numerum: dicendo verbi gratia: Quinquies circiter habui turpes cogitationes cum delectatione: & sic de cæteris.

Nu.29. Nonnunquam etiam qualitas Pœnitentis ostendentis se rerum diuinarum valde rudem, exigit interrogationes adhuc præmitti, An sciat articulos fidei, & præcepta Decalogi, atque Ecclesiæ. Item num intelligat quid sibi velit confessio ad quam faciendam accedit: & cum qua dispositione accedere debeat. Nam talia ignorans de eis instruendus est, *iuxta cap. Deus qui. De Pœniten. & remiss.* Quod etiam ratio ostendit; quia peccator, vt Dei filius, & regni cœlestis hæres reddatur (quò Sacramentum Pœnitentiæ spectat) debet in Christum credere *iuxta illud Ioan. 1.* Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.] Debet etiam obseruationem mandatorum Dei sibi omnino proponere *iuxta illud Matthæi 19.* Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.] At nesciens articulos fidei nequit in Christum credere: *dicente Apostolo ad Rom. 10.* Quomodo credent ei quem non audierunt?] Nec quisquam potest sibi proponere obseruationem mandatorum, quorũ non habet notitiam, ac multò minus executioni ea mandare. Attamen non est omnino necessarium, vt Pœnitens prædicta sciat ordinatè, sed sufficere potest vt interrogatus valeat de singulis respõdere. Etsi Apostolorum Symbolum & orationem Dominicam non tenere, saltem lingua vulgari, graue peccatum sit veniale (quod etiã notat Iacobus à Graphis *in lib.1. decis. aurearum cap.24. nu.27.*) propter *cap. Vos ante omnia, de confec. distin. 4.* cuius expressum præscriptum cã ignoratione infringitur.

Nu.30. Iam accommodare se ad captum rudiũ in eorum institutione, difficile quidem non est, quoad ea quæ continentur in præceptis Decalogi & Ecclesiæ mandatis: quoad materiam verò articulorum fidei, difficultatis habet plurimum: cuius minuendæ rationem Gaspar Loartes in fine suæ institutionis Confessariorum duplicem dat. Prior est, vt eiusmodi articuli in charta depicti repræsententur, vt sic imagines conspectæ, sint illis scripturæ aut literarum loco. Ex qua docendi ratione voluptatem capientes pertrahentur ad discendum, iuuabunturque ad ea memoriæ commendanda cũ maiori facilitate, quàm si verbis tantùm inculcarentur. Adde quòd inde instigabuntur ad pietatem, considerando cum facilitate & voluptate depicta religionis nostræ mysteria. De modo autem quem ille tradit tales imagines pingendi & illis vtendi, nihil dicemus: quia res est quæ pendet ex industria vniuscuiusque. Posterior ratio est: si Confessarius iubeat, vt qui sic rudis esse inuenitur, omnibus anni festis, à Parocho aut ab alio, à quo instrui possit, sciscitetur quæ sit eius diei festiuitas: quo fiet, vt Articulorum, de quibus toto anno institutæ sunt feriæ, non tantùm reddantur memores; sed etiam necessariam cognitionem assequantur.

Docu

Documentum notandum pro praxi, addit ille inquiens. Cum Confessarius aduertet rudes illos, & ignaros bonum habere propositum & promptam ostendere voluntatem addiscendi (siue prædicto, siue alio aliquo modo) articulos fidei; iamque eorum aliquam notitiam habere, etsi crassiorem, poterit eos absoluere; priùs accepta ab ipsis sponsione, quòd bonum illud propositum quod habent, opere complebunt. In quo si negligentes fuisse inueniantur, nec vllam propensionem ostendant exequendi cõmendata sibi ad emergendum ex tanta caligine & inscitia, non erunt absoluendi: tanquam ij qui occulto quodam virtualique contemptu, negligant id, quod sibi ad salutem necessarium est, nolendo intendere animum ad id, sine quo sunt ad absolutionem ipsam obtinendam inepti.

Cauendum autem est ne quisquam talium antè absoluatur quàm mysteria saltem Trinitatis & Incarnationis doceatur quantum sufficiat ad credendum verum Deum, Vnum in natura diuina infinitæ excellentiæ, & Trinum in personis, indicatis per nomina Patris & Filij & Spiritussancti, quæ ipse vsurpat muniendo se signo sanctæ Crucis. Item Iesum Christum Dei Patris Filium, qui propter nostram salutem factus est homo in vtero Beatissimæ Virginis, per operationem Spiritussancti: itaut simul sit verus Deus, & verus homo. Nam sine tali fide, non potest quis constitui in via salutis: dicente eodem Domino nostro *Ioan 17.* Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum.] Cæterùm ratio qua familiariter de articulis fidei instrui possunt rudes, tradetur in sequenti cap.13. sect. priore.

Interrogationes à Confessario interserendæ confessioni Pœnitentis.

Sectio II.

Nu.31. PRæmissis quæ propositę sunt interrogationibus, quantum opus esse iudicauerit, debet Confessarius dicere Pœnitenti, vt iam tandem quæ secum recogitauit, prout memoria suggerit, verbis suis exprimat: nihil reticendo de industria, cùm sit coram Deo, in cuius præsentia peccauit, & quem fugere nõ potest: sicut nec Adamus potuit post perpetratum peccatum abscondens se in medio ligni Paradisi. Neque audiente Sacerdote dicere vereatur: quia nulla ratione, nisi ipsemet in suum commodum liberè id velit, ille potest audita reuelare; cúmque ex duobus malis minus sit eligendum, peccatum suum vni Sacerdoti detegat potius, quàm ipsum palam fiat Angelis & hominibus in die iudicij *iuxta illud Nahum tertio:* Reuelabo pudenda tua in facie tua & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.] Cuius rei figuram gessit illud quod *2. Reg.12.* per Nathan dicitur Dauidi: peccatũ suum occultanti. Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis.]

Nu.32. Quod si ille vt melius confiteatur malit interrogari quam solus referre sua peccata, non est ea de causa condemnandus, sed potius iuuandus, vt admonet Nauar. *in Enchir. cap. 10. num. 6.* modò tamen habeat propositum referendi omnia mortalia quibus se grauari putat, quantumcumque non attingantur interrogando: alioqui enim si statueret tacere aliquod mortale si de eo non interrogaretur, peccaret mortaliter ex eodem authore ibidem: tanquam is scilicet qui vellet facere confessionem mutilam: nihilominus excitandus est ac instigandus vt ore proprio quę meminit confiteatur, etiamsi nequeat facere nisi inordinate & imperfectè: sic enim ex illius relatione discet Confessarius, quas partes debeat in interrogando attingere. Renuente autem illo ac dicente se nihil scire quod proferat (cùm si diligẽtiam aliquam in examinanda conscientia posuerit, vix fieri possit, quin memoria teneat peccata aliqua de quibus se accusare valeat) dimittendus est tanquam is qui nullam diligentiam posuit: monendo vt se præparet iuxta superius num. 28. dicta, de eo qui inuenitur non discussisse conscientiam. Quamdiu autem quis dicit quæ meminit, & eo ordine quo meminit, audiendus ast attentè nec interrumpendus, nisi vt dirigatur. Et postquam dixit quod per se dicere potuit, si non videatur dixisse omnia, quæ dicta esse oportuit, interrogandus est; prius tamen animatus, & diuinæ misericordiæ proposita spe inuitatus, vt verè, integrè, & liberè respondeat ad interrogata; nec quidquam per verecundiam taceat (quod in pueris præsertim & mulieribus periculosum est) sed nec dicat amplius quàm sciat: immo certa pro certis, & dubia pro dubiis, prout ipse meminerit dicat. *Ita Polan. in Direct. cap.2. art.2.*

Nu.33. Quanquam prudentiæ Confessarij relictum est, vt dum aliquid interrogandum occurrit, statim interroget, antequam Pœnitens ad alia pergat, ne id memoriã excidat, & omittatur cum periculo deficiendi in necessariis ad confessionem: vel ne à Pœnitente molestè exigere oporteat, vt quod iam dixit iterum dicat: vel si Pœnitentis interturbatio timeretur ex nimis frequenti ipsius interruptione, postquam dixit quæ ad vnum aliquod præceptum, vel genus peccati pertinent; de iis quæ circa illud omissa sunt, interrogetur antequam is ad alia progrediatur.

De quibus interrogationes fieri oporteat. §. 1.

EA verò quæ Pœnitens per ignorantiam, aut verecundiam, aut negligentiam tacens, debet Confessarius diligenter prudentérque interrogando elicere (*prout præscribitur in §. Diligens De Pœniten. dist.6. cap.1.*) sunt illa quæ de necessitate exprimenda esse in Sacramentali confessione, docebitur in sequenti parte, cùm de eadem ex instituto tractabitur.

Primum autem est quodcumque mortale peccatum, etiam merè internum. Vnde quia contingere potest, vt actus externus, qui de se tantùm est veniale peccatum, ab agẽte putetur mortale: aut vt is proueniat ex affectu, vel intentione mortali: Pœnitens (nisi si aliqua rationabili de causa iudicaretur non esse necessarium) de aliquo tali confitens (*vt de furto rei ieiuniis*) interrogandus est num (*verbi gratia*) rem magni pretij furari putarit; id enim putans mortaliter peccasset, vtpote illud agendo quod mortale esse conscientia ei dictabat. Item qui confitetur se læsisse alterum, sed leuiter: interrogandus est, num habuerit animum grauiter lædendi: aut læserit ardens illius odio, vel motus alio affectu mortali, vel intentione finis mortaliter mali: quia id esset peccatum mortale. Secundum est circumstantia quæcumque mortaliter aggrauans peccatum, mutando ipsius speciẽ. Sic dum Pœnitens confitetur se vulnerasse hominem, interrogandus est, num is esset Clericus: quia ob circumstantiam personæ, incurreret in excommunicationem Papę reseruatam. Item num in loco sacro, quia talis circumstantia constituit sacrilegium; in ea materia mortale. Præterea num vulnerando

habe

Universidad de Deusto
Biblioteca

haberet animum occidendi, quia commisisset homicidium mentale. Sic etiam confitens se abusum aliqua muliere, interrogandus est, num esset consanguinea, ipsius, num maritata, & sic de cæteris quę distinctam peccati speciem faciunt, suo loco explicandis in tertia parte. Tertium est, species peccati: Ita confitens se malum desiderium habuisse, interrogandus est, cuiusmodi fuerit illud desiderium, & sic quotiescumque ex confessione non intelligitur peccatum in sua specie, quantum intelligi debet iuxta dicenda in sequenti secunda parte cùm de ipsa confessione agetur. Quartum est, peccatorum numerus cuius confitendi rationem ibidem quoque exponemus.

De modo quo interrogationes fieri oportet. §. 2.

Nu. 34. CIrca interrogationes autem de his faciendas, notandum est primò, in multis peccatis, maximè in carnalibus, examinandum esse Pœnitentem, An illorum occasio maneat: verbi gratia, habeátne domi eam cum qua peccauit: aut aliter vtatur aliquorum societate, quæ sit ei causa ruinæ: quia tales & aliæ, si quæ sint mortaliter peccandi occasiones, tollendæ sunt.

Notandum est secundò ex Nauar. ad ante memoratum §. *Diligens num. 2. & in Enchir. cap. 5. num. 3. & 4.* non esse formandas interrogationes de iis quæ ad peccata confitenda non pertinent; nec de omnibus peccatis, sed tantùm de iis, quæ homines illius qualitatis, cuius est is qui confitetur, committere solent: itémque de consuetis, & quæ communiter nota sùt: vt censentur vsitatiores transgressiones præceptorum Decalogi & Ecclesiæ. Item septem crimina capitalia, ac omissiones circa opera misericordiæ, & circa custodiam sensuum, aliaque eiusmodi. Itaque de occultioribus, & inconsuetis peccatis quæ perditissimi homines inuenerunt (cuiusmodi sunt, multæ iniustorum contractuum species) tacendum est, nisi fortè de illis occasionem interrogandi Pœnitens dederit: quo casu adhuc ita cautè & dissimulanter procedendum est, talibúsque circumlocutionibus vtendum, vt si Pœnitens ipse illa commiserit proferat: sin minus, illa non addiscat.

Notandum est tertiò (quod Nauarr. in Enchir. *cap. 5. num. 2.* se experientia didicisse significat) interrogationes necessarias esse potissimùm ad intelligédum peccatorum numerum, & speciem; eo quod multi existiment se sufficienter confiteri de numero, si dicant, multoties in hoc vel in illo deliqui: quos falli certum est, cùm peccata numero tantùm distincta, non minus multa sint, quàm quæ distinguuntur specie: totáque peccatorum commissorum multitudo in confessione aperienda sit Confessario ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 5.* quod constat non fieri illo modo sufficienter. Qua de re plenius proprio loco tractabitur in sequenti parte cum de confessione.

Præterea multi adeo generaliter confitentur, vt nequeat distinctè intelligi, de qua peccati specie cõfiteantur, & id sit aliquid mortale, an tantùm veniale. Atque modus interrogandi numerum nõ est alius quàm vt dicente Pœnitente, Multoties in hoc peccauiquæratur ab eo, quoties, quia tenetur verum numerum dicere si illum sciat, aut verosimilem quantum recordari potest. Síque non satis recordetur, inuestigandus est secundùm ea, quæ item in 2. parte, *cum de confessione*, tradentur de modo explicandi in ea peccatorum commissorum numerum. In interroganda verò specie, saltem peccati carnis, dare debet operam Confessarius (*quod ad citatum §. Diligens num. 4. tangit*) vt verbis honestis vtatur, & à longè sumat interrogationis initium; à communioribus gradatim ad particularia descendendo: ita tamen vt Pœnitente illa in seipso non agnoscente, ad hæc non procedatur interrogando: vt si quis interrogatus de contactu inhonesto, respondeat negando; non debet de hac vel illa specie contactus interrogari: similiter vt habita peccati specie in carnalibus, non descendatur nimium ad singulas quasque circustantias minutatim interrogandas, ne Confessarius ipse seipsum, aut Pœnitentem alliciat ad aliquam delectationem: quã qui sectatur talibus interrogationibus, idem author ex Angelo, non Confessarium sed confessionis contaminatorem esse, mortalitérque peccare admonet; tanquam nimirum sacramento valde iniurioſus, & sibi vel proximo noxius. Quando igitur de pollutione voluntaria, vel de fornicatione interrogat Cõfessarius, prout admonet Nauarr. tum ad principium *cap. Consideret, de Pœniten. dist. 5. nu. 83. tum in Enchir. cap. 5. num. 4.* nihil de modis quibus tam fœda turpitudo misero contigit, ipse interrogandus est; sed sufficiat dicere quoties id cõtigerit, dummodo explicet quid quid necessarium est ad cognoscendam peccati sui speciem. Immo verò volens longius, nimisque distinctè declarare modos, quibus fœdam turpitudinem commisit, prohibendus est ac docendus non esse necessarium, neque vtile talia dicere, quæ non variant peccati speciem: quam sufficit expressisse, neque eà cognitâ opus est ad alia aperienda descendere, quæ illam non variant.

Specialis modus interrogandi de peccato carnis. §. 3.

Nu. 35. POrrò quia homines communiter inueniuntur magis inuoluti in peccato carnis, quàm in alio: periculosissimúmque est tam Confessario, quàm Pœnitenti, multum in illius interrogatione morari, consultum videtur, hîc ex Angelo in verbo *interrogatio. num. 9.* attexere modum interrogandi; quo possint de peccato carnis expeditè pertransiri ea, quæ in confessione exprimenda sunt tanquam species distinctæ; & ex ore Pœnitentis elici, quæ forte ex verecundia taceret. Qui modus est, vt dum Confessarius per præcepta Decalogi discurrens interrogando venit ad sextum Non mœchaberis: primùm petat à Pœnitente, num opere aut voluntate peccatum aliquod inhonestatis luxuriæue commiserit: síque neget, & videatur Confessario rem aliter habere posse spectata conditione & statu personæ: petat deinde num delectatus sit cogitatione aliqua rerum carnalium: quo fatente se delectatum esse voluntariè, docendus est ea in re commisisse peccatum mortale, contra decimum præceptum: quod præceptum ei declarandum est, si necessitas exigat, simulque interrogandus est, quoties tale quid ei contigerit. Quod si numerum inire non valeat, vt sæpè fit in talibus, propter frequentiam: interrogandus est; quanto tẽpore fuerit obnoxius talibus cogitationibus, quámque sæpe eas habuerit in die vel in hebdomada: an etiam maiorem fortè temporis partem in eis posuerit. Quod idem seruandum est in peccatis omnibus, quæ sæpissimè committuntur, vt idem author addit. Petat 3. num delectatus sit audire loqui de huiusmodi rebus; num aspexerit aliquid vnde turpiter delectatus sit: aut num tetigerit se vel aliam personam propter huiusmodi delectationem: quo fatente, interrogandus est, quoties id ei contigerit. Petat 4. num propter

Propterea pollutionem aliquam habuerit per se aut cum alia persona: síque per se habitam dicat, non est interrogandus de modo, sed tantùm de numero, sicut cum cogitationes confitetur: sin habitam cum aliqua persona confiteatur, interrogandus est, num ea esset coniugata, num aliqua affinitate vel consanguinitate sibi coniuncta, num religiosa, aut sacris ordinibus initiata. Ex his enim intelligetur num tale peccatum fuerit fornicatio, an adulterium, an incœstus, an sacrilegium. Circa quod adhuc petendũ est: num in eo quæsierit generationem vitare, & num aliquid in eo præter ordinem naturæ admiserit, non seruata viri & fœminæ commixtione, quam natura ad generationem instituit: quo fatente interrogandus est, quoties facinus perpetrauerit; non item quo modo, nec item quo in loco corporis. Quod monet Angelus seruandum quoque esse cum de crimine nefando confitetur; *de quo D. Paulus ad Rom.* 1. aut cum de bestialitate.

Addit idem Author, quando voluntaria delectatio de turpitudine carnali fuerit cum affectu turpis operis perpetrandi, inuestigandam quoque esse interrogationibus peccati speciem, perinde acsi perpetratum esset ipsum opus, cum quo in malitia talis affectus cõmunicat: *iuxta illud Oseæ 9.* facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.] Itaque erit quærendum num persona cum qua desiderauit peccare, fuerit soluta, an matrimonio copulata, nũ affinis, &c. Quòd si variis turpibus desideriis æstuauerit, interrogandus est, ex eodẽ etiam authore, num sæpius variauerit mentem de vna persona in aliam, secundùm quod occurrebant memoriæ: & an magis steterit in desiderio perpetrati criminis cum vna persona, quàm cum alia.

Interrogationes subiiciendæ confessioni factæ à Pœnitente.

Sectio III.

Nu. 36. POst confessionem si quid memoriâ excidisse, aut ignorantiâ aliquâ omissum esse putet Confessarius, debet de eo Pœnitentem interrogare in particulari. Ad supplendum verò defectum integritatis, qui in confessione facilè potest ex negligentia discutiendi conscientiam, vel ex ignotantia eorum quæ illam vitiare possunt, vsurpandæ sunt variæ interrogationes quas ad tria capita reducere licet: vt quædam fiant in genere: quędam verò in particulari quidem; sed de iis quæ communia sunt omnibus Christianis: & quædam demum de iis quæ sunt diuersorum statuum propria. Primi modi sunt, an aliquid de se bonum, fecerit malo fine; qui si mortalis fuerit, debet de tali facto confiteri, tanquam de mortali: vt si concionem adiit, gratiâ solicitandæ mulieris ad turpitudinem, peccauit mortaliter, etiamsi non solicitauerit, & sic de similibus. Deinde an mala aliqua committere voluerit, aut cõmittendi periculo probabili se exposuerit, etiamsi voluntatem executioni non mandauerit, quia malæ voluntates non excusantur à peccato ex eo quòd opus non sequatur exteriùs. Præterea an alios induxerit ad secum peccandum, quia talis inductio est nouum peccatum. Item; An participarit peccatis alienis: quia sic ipse pariter peccauit, etiam mortaliter *iuxta Apostolum ad Rom. cap. 1. in fine.* Vbi aduerte obiter plures modos esse talis participationis, indicatos his verbis.

Consulo, præcipio, consentio, prouoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprehendo.

Participo, protegóque, meum in caput ista redundant.

Quorum sensus est: eum peccare participatione peccati alieni. 1. Qui dederit malum consilium, vel author fuerit alteri, vt malum committeret. 2. Qui præceperit vel coegerit aliquem committere aliquod malum. 3. Qui consenserit peccatis aliorum eáque probarit. 4. Qui prouocauerit alios ad peccandum. 5. Qui adulando iis qui malè agunt, vel laudando opera ipsa mala, author fuerit aliis peccandi. 6. Qui cùm posset & deberet, non manifestauit aliorum peccata iis quorum officium erat illa corrigere. 7. Qui non impediuit peccatum, puniendo vel remouendo occasiones prout debebat. 8. Non reprehendendo vel non monendo peccantes, cùm deberet & posset facere. 9. Qui socius aut quocumque alio modo particeps fuit criminis. 10. Qui protegit malè agentes, excipiendo eos hospitio, fouendo, aut defendendo.

Adhuc potest *ex Planco in Directorio cap. 2. art. 2. sub finem* addi interrogatio; An ipse præueniat tentationes, eis aditum præbendo, an verò eis resistendo, & num excludat bonas inspirationes, an verò eis obediat. Quibus cognitis poterit Pœnitens melius à Confessario dirigi ac iuuari. Adde ad extremum. An aliquid aliud habeat quod grauet ipsius conscientiam: síque nihil habeat, moneatur totam confessionem claudere per illam clausulam generalem. *De omnibus vitiis & peccatis meis, Dico mea culpa, mea culpa*, vsque ad finem generalis confessionis. Quòd si iusta videatur adesse causa descendendi ad particulares interrogationes, non erunt omittendæ quoad peccata in quæ homines communius labi cognoscuntur. Eadem proinde subiiciemus modo ad recordationem satis accommodato. Erit enim vt seruato ordine præceptorum Decalogi, sic tradamus vt eas quæ circa vnumquodque eorum fieri possunt præmittamus faciendas de peccatis commissis cogitatione: deinde subiungamus de, commissis verbo, tertiò addamus de commissis opere, ac postremò de commissis omissione. Reliquas verò subiiciamus de peculiaribus ac propriis diuersorum statuum, ordine eo quem hi postulare videntur.

Interrogationes speciales faciendæ circa præcepta Decalogi quoad peccata magis ordinaria.

Sectio IV.

Circa primum præceptum Decalogi.

DE commissis igitur circa primum Decalogi præceptum interrogationes istæ fieri possunt. *Nu.* 37.

Quoad cogitationem. An in fide firmus fuerit, vel de rebus fidei dubitauerit. An de Deo ac rebus diuinis aliquam opinionem non bonam habuerit. An desperarit de sua salute, ac vitæ emendatione, peccatorumque remissione obtinenda à Deo: aut ex aduerso, an talia propriis viribus & sine pœnitentia se obtinere posse præsumpserit. An pœnitentiam vitæque emendationem differat vsque ad senectutem, aut mortis horam. An sic afficiatur ad res huius mũdi, vt ideo omittat seruire Deo. An ob aliquod mundanum commodum aut incommodum deliberarit Deum offendere. An Deum amauerit super omnia, amicitiam ipsius præferendo rebus omnibus. An purè pro ipsius amore, non autem ob aliquod mundanum commodum ei seruierit. An Deum réliue diuinas fastidierit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quoad verba verò, An fidem negauerit, siue ex toto, siue ex parte. An audacius de rebus fidei disputauerit. An protulerit, aut docuerit aliquâ hæresim: An diuinis officiis aliqua prophana, aut indigna, aut deuotionis impeditiua admiscuerit. An Dæmonem inuocauerit siue expresse, suis tacitè: vt fit per superstitiosas quasdam orationes. An Deum, aut Sanctos ipsius blasphemauerit. An de Deo questus sit aliquâ impatientiâ.

Quoad opera autem: An aliquas Iudæorum, Machometanorú, Hæreticorum, aut Paganorú ceremonias vsurpauerit. An aliquos libros prohibitos apud se tenuerit vel legerit. An vsus sit incantationibus, sortilegiis, auguriis, superstitionibus, diuinationib⁹, per astra, aut somnia, aut animalium strepitum, aut lineas apparentes in manu, quid siue sibi, siue alteri euenturú esset prædicendo, aut ab aliis qui tale quid profiterentur consilium petendo. An se vel aliquem suorum, aut aliquod suum animal curari fecerit verbis, aut rebus superstitiosis. An tulerit aliquos characteres, seu figuras reprobatas. An Deum tentauerit exigendo ab eo miracula absque necessitate.

Quoad omissionem. An timens id quod ab aliis dicetur, vel fiet, omiserit confiteri fidem, ieiunare, aliúdve bonum opus facere ad quod obligabatur. An nesciat ad salutem necessaria, vt mysteria sacrosanctæ Trinitatis & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi: Symbolum Apostolorum intelligendo illud, Orationem Dominicam. Præcepta, quæ dicuntur Dei & Ecclesiæ: & à Christo instituta Sacramenta. An suis Superioribus tanquam Dei locum tenentibus obedire neglexerit. An proximum peccantem fraternè corripere omiserit.

Circa secundum Præceptum.

Quoad cogitationem. An sibi proposuerit iurare aut testari falsum, aut mentiri in præiudicium proximi.

Quoad verba. An cum iuramento aliquid affermauerit, aut negauerit contra veritatem. An solicitauerit aliquem ad iurandum falsum. An minatus sit cum iuramento, non habens intentionem implendi quòd minabatur. An cum iuramento promiserit aliquid de se malum. An celauerit veritatem, quam iuramento legitimè adactus, dicere tenebatur. An habeat consuetudinem iurandi. An vouerit aliquid illicitum, aut licitum quidem, sed malo fine.

Quoad opera. An contrauenerit iuramento sui officij. An violauerit votum à se emissum.

Quoad omissionem. An omiserit implere quod bene iurauit, aut licitè vouit.

Circa tertium Præceptum.

Quoad cogitationes. An habuerit propositum, diem festum violandi faciendo vel mandando fieri opera prohibita ab Ecclesia, aut non audiendi Missam. Aut non ieiunandi, aut non confitendi vel non sumendi Sacrosanctam Eucharistiam eo tempore quo præcipitur ab Ecclesia: aut decimas non soluendi Ecclesiæ.

Quoad verba. An tempore notabilis partis Missæ fabulatus sit, aut orando mentem occupauerit in cogitationibus alienis à deuotione. An sacramentalem confessionem fecerit integrè, & cum debita præparatione.

Quoad opera. An in die festo per notabile spatium (vt duarum horarum) operatus sit, aut operantibus consenserit: siue mandando, siue approbando. An audiendo Missam diebus festis irreuerenter indecenterque se habuerit. An curarit sibi subiectos eidem interesse: aut contra, eos ne interessent, impediuerit. An aliquod Sacramentum susceperit in statu peccati mortalis, aut excmũunicatus; aut si Sacerdos sit. An in tali statu vel suspensus, aut irregularis, aut aliter prohibitus administrarit, aliúdve munus ab Ecclesia sibi prohibitum exequi præsumpserit. An in Ecclesia aut in Cœmeterio flagitium aliquod quo prophanaretur vel libertas ipsius læderetur, commiserit. An res aliquas sacras tractarit sine reuerentia. An violentia aliqua vsus sit circa personas Ecclesiasticas: siue eas verberando, siue tributis & exactionibus vexando. An sine permissione vsus sit cibis vetitis.

Quoad omissionem. An omiserit audire missam in die festo, & semel in anno confiteri & sacrosanctam Eucharistiam sumere in Pascha cum debita præparatione. An omiserit seruare ieiunium Ecclesiasticum postquam 21. annum excessit. An aliquod peccatum mortale celarit confitendo Sacramentaliter. An omiserit Ecclesiæ soluere Decimas. An neglexerit siue filios, siue alios de sua familia, instituere de iis quæ ad Christianam doctrinam spectant: & bonis moribus eos imbuere & curare vt sacramenta suo tempore susciperent.

Circa quartum præceptum.

Quoad cogitationem. An aliquod malum optarit patri vel matri, aut suis Superioribus. An statuerit eis non obedire, nec honorem & obsequium debitum deferre. Aut ex aduerso. An ita inordinatè ad eos afficiatur, vt non vereretur ipsorum gratiâ, Deum offendere. An temere de eis iudicet.

Quoad verba. An oblocutus sit de parentibus, Prælatis, Principibus, magistratibus aliisque Superioribus, de iisque sit questus iniustè.

Quoad opera. An iisdem personis cum impatientia iratus fuerit, eisque molestiam exhibuerit. An eas minoris fecerit quam debuerit, aut puduerit talis patris filium esse. An malè rexerit familiam suam, malúmque exemplum suis dederit. An subuenerit parentum & amicorum necessitati cum potuit, illósque in suis afflictionibus consolatus sit. An vxori & liberis necessaria suppeditarit. An ingratus fuerit suis benefactoribus, & molestus suis proximis extiterit.

Quoad omissionem. An omiserit vnicuique honorem deferre, secundùm suum gradum. An omiserit implere ea ad quæ per testamentum parentum defunctorum tenetur, qualia sunt procuratio celebrationis missarum, & aliorum suffragiorum Ecclesiasticorum, largitio aliqua Eleemosinarum: solutio aliquorum debitorum, vel aliquorum piorum legatorum.

Circa quintum præceptum.

Quoad cogitationes. An suam aut proximi mortem vel notabile malum, siue animi siue corporis alicui optarit. An oderit aliquem, de eóque vindictam sumere cupiuerit. An doleat de bono proximi & lætetur de malo. An recuse ei loqui.

Quoad verba. An infamarit aut iniuriis affecerit proximum: & nominatim aliquem de sua familia. An alicui maledixerit, aut malè imprecatus sit. An irriserit aut deceperit verbis aliquem. An consuluerit vel mandarit aut sollicitauerit malum aliquod inferri proximo.

Quoad opera. An occiderit, percusserit, aut aliter malè tractarit aliquem iniustè. An causa vel autor fuerit aliquarum factionum & inimicitiarum, aut pugnarum, vel tumultuum. An vehementer aut cum impatientia iratus sit alicui, aut in corrigendo sibi subditos, limites rationis excesserit. An de facto exerceat inimicitias, aut dedignetur loqui alicui, aut nolit condonare ei à quo accepit iniuriam, etiamsi offerat se ad satisfactionem. An litem iniustam alicui intenderit, aut adhuc persequatur. An aliquibus fuerit malo exemplo, aut inuerit malè facientes, vel impedierit bene agere volentes. An temerè exposuerit se mortis periculo. An procurarit sterilitatem vel aborsum fœminæ. An durus fuerit & inhumanus pauperibus, aut eos irriserit: nec de suis superfluis eos iuuerit.

Quoad omissionem. An omiserit auxilium ferre proximo quem vidit versari in aliquo euidenti periculo salutis, siue animæ siue corporis. An omiserit tueri bonum proximi, cum potuit siue incommoditate. An corripuerit malè agentes, præsertim eos quos debuit ex officio.

Circa sextum præceptum.

Quoad cogitationem. An turpes cogitationes habuerit in quibus sibi compelacuerit, aut turpibus desideriis consenserit.

Quoad verba. An verba lasciua protulerit, aut audierit & quo fine, & an sæpe talia vsurpet. An cecinerit cantiones lasciuas. An laudauerit seipsum de admissa turpitudine: aut aliquam fœminam diffamarit, & impedierit ne expeteretur in coniugem.

Quoad opera. An aspexerit impudicè, vel quid aliud egerit affectu libidinis; aut dona vel promissa, aut literas aut scedulas & assignationes miserit, aut se ornarit intentione talis turpitudinis. An libros impudicos legerit, aut recreationis etiam gratia cantarit, aut cantare fecerit cautiones lasciuas, siue humana voce siue musicis instrumentis. Et an de nocte tale quid vsurparit intentione libidinis. An duxerit & ducere docuerit choreas inhonestas. An impudicè tetigerit seipsum aut alium: indeque inciderit in pollutionem: aut vt incideret procurarit: vel occasionem dederit. An fœminam aliquam cognouerit, eámque an solutam vel coniugatam, consanguinitate vel affinitate aliqua sibi coniunctam, virginem aut religiosam. An se nefando sodomiæ crimine contaminarit, aut sacrilegium commiserit votum habens castitatis. An aliquem docuerit & induxerit ad ciusmodi turpitudinem. An vtatur consuetudine perditorum, sitque obnoxius istiusmodi turpitudini. An crapulâ & ebrietate (quæ luxuriæ fomites sunt) notabile detrimentum sibi in anima vel corpore intulerit.

Quoad omissionem. An matrimonio coniunctus debitum coniugale negarit coniugi, nullam habens excusationem non reddendi. An non fugiat occasiones labendi in peccatum carnis, nec armet se aduersus illas, oratione & carnis mortificatione. An negligat curam suæ domus, non curans quis in eam ingrediatur, aut ex ea egrediatur.

Circa septimum præceptum.

Quoad cogitationem. An habuerit, vel adhuc habeat voluntatem capiendi aut retinendi alienum, aut nocendi proximo in suis bonis, vel fraudandi ipsum.

Quoad verba. An mendaciis, iuramentis, fallaciis, vexationibus, ac litibus iniustis, quæsierit sibi alienum, siue per iustitiæ ministerium, siue alia via. An licitè promissa non impleuerit.

Quoad opera. An furatus sit, & quantum. An bona Ecclesiastica seu beneficia obtinuerit per simoniam. An ex bonis naufragorum aut aliorum qui similem passi sunt iacturam cœperit aliquid animo sibi retinendi. An vendendo vel emendo vsus sit aliqua fraude circa mercium substantiam, quantitatem, qualitatem aut pretium. An inierit aliquem contractum vsurarium. An creditâ pecuniâ pluris vendiderit quàm fecisset pecuniâ præsenti, & quantum excesserit pretium ordinarium. An mutuò dederit ad vsuram siue apertam, siue palliatam aliquo cõtractu. An aliquid receperit, cuius nõ fecerit mentionẽ in ratione dati & accepti. An per vim aut clam quod suum est ab alio detentú abstulerit propria authoritate, cùm facilè posset recuperare authoritate Iudicis. An luserit quæ alienare nõ potuit: Aut an luserit cum iis qui alienare non potuerunt: vt minores ætate, filiifamilias, vxores, Religiosi, & mancipia. An damnum aliquod intulerit bono communi, aut priuato alicuius: aut illud mandauerit vel consuluerit vel approbarit, nec cùm posset & deberet impedierit, nec reuelarit. An participarit in re furtiua: aut eam quàm furtiuam esse sciuit aut probabiliter suspicatus est emerit sibi. An furto accepta, domi suæ seruarit, ac celarit. An malè consumat bona sua. An mercedem maiorem acceperit quàm meritus esset. An celarit vitia & defectus notabiles rerum, quas vendidit.

Quoad omissionem. An soluat quæ debet, præsertim pro mercede alicni laboris. An obligatus fuerit ad procurationem executionis testamenti vel alterius negotij: & neglexerit procurare cum notabili aliorum detrimento. An aliquorum pupillorum cura ei commissa fuerit, quorum bona conseruare & augere non curarit. An inuẽta retinuerit sibi nullâ facta inquisitione cuius essent. An ex auaritia inhiet lucro. An iustas ac iustè impositas gabellas & tributa soluere contempserit cùm exigerentur.

Circa octauum præceptum.

Quoad cogitationem. An ob leues coniecturas malè iudicauerit de proximo, aut de eo malè suspicatus sit.

Quoad verba. An alteri aperuerit tale suum iudicium, aut suspicionem. An ordinariè mentiatur. An subornauerit aliquem testem. An absque necessitate peccatum proximi secretum patefecerit. An detraxerit vitæ alienæ, aut murmurarit, aut detrahentibus vel murmurantibus aurem præbuerit. An infamarit aliquem, præsertim personam publicã: vt Principem, Iudicem, Prælatum, Concionatorem, &c. An aliquos libellos diffamatorios euulgarit. An vocatus iuridicè in testem, recusarit dicere veritatem, quam sciuit, aut in præiudicium proximi plura dixerit quàm interrogaretur.

Quoad opera. An semen aliquod discordiarum inter aliquas personas, aut malos rumores sparserit. An oblocutione sua aliquem impedierit à consecutione notabilis boni. An litigans, propugnationi suæ causæ inseruerit crimen aliquod occultum aduersæ partis, nihil spectans ad illud de quo principaliter litigatur. An falsis accusationibus, & calumniis, aut alio artificio effecerit, vt pars aduersa caderet causâ, nec ius suum consequeretur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quoad omissionem. An audiens murmurationes & detractiones aduersus aliquem, non sit conatus illum excusare,& defendere cum potuit: immo forte sibi in eis complacuerit,aut etiam eas fouerit.

Circa 9. & 10. præceptum.

AN insidiatus sit alieno thoro, alienámue sponsam aut vxorem ad turpitudinem solicitarit aut scandalizarit. An aliena bona concupiuerit siue mobilia,siue immobilia:aut dignitates, officia,munera, & beneficia. An procurauerit talia ipsis auferri vt sibi darentur. An tactus sit inuidia dolendo de bonis proximi. An inordinatè amauerit bona huius sæculi,nec requieuerit à solicitudine,ea siue licitè siue illicitè acquirendi.

Interrogationes speciales faciendæ circa varios hominum status,ac primò circa statum Ecclesiasticum.

SECTIO V.

Nu.38. CVm duo sint genera Christianorum, vt ex D. Hieronymo refertur 12. *quæst.1.cap. Duo sunt*: Vnum Clericorum seu Ecclesiasticorum,& alterum laicorum:prius referemus interrogationes faciendas Ecclesiastico. Ac primò communes, quales sunt. An statũ eũ elegerit, solùm aut principaliter vt viueret ex Ecclesiæ bonis. An cum non sufficiẽti eruditione ordines susceperit: nẽpe Latinam linguam nõ intelligens,nec Sacramentorum,saltem Baptismi,Eucharistiæ & Pœnitentiæ, materiam & formam sciens. An sciat quid sit Sacerdotem esse,& ad quæ ipse teneatur. An Symoniacè promotus sit,ad ordines, dederitue aliquid pro sua promotione. An susceperit ante legitimam ætatem, aut existens in statu peccati mortalis:aut ligatus excommunicatione vel suspensione:aut irregularis, vel publica laborans infamia. An in tali statu exercuerit aliquem sacrum ordinem. An sine decenti habitu & tonsura Clericali incesserit,aut aliquo habitu vsus sit,qui dedeceret ipsius statum,& alios scandalizaret. An exercuerit munus aliquod sæculare,quale est Medici, Aduocati in foro ciuili, Procuratoris,Mercatoris, Histrionis, & similium. An aliquem actum sacri ordinis exercuerit sine ornamentis requisitis. An recitarit horas canonicas deuotè &attentè:aut inter recitandum,voluntariè distractus sit, aut verba non pronunciarit integrè. An peccati mortalis sibi conscius Missam celebrarit non præmissa sacramentali confessione, habendo copiam Confessarij. An celebrarit post sumptum aliquid cibi vel potus:aut in loco vel tempore non conuenienti. An seruarit consuetas ceremonias. An celebrarit in altari fracto: vel sine,aut cum corporali immundo,aut sine deuotione & attẽtione:aut nimis festinanter & sine reuerentia: aut lucri potius gratia quàm ex deuotione. An plures Missas in die celebrarit sine licentia. An accepta eleemosyna pro pluribus Missis dicendis,vnã tantùm dixerit. An suâ culpâ omiserit celebrare solẽnioribus anni festis. An celebrarit cũ vino acetoso:&, An sua negligẽtia aliquid de sanctissimo Sacramento deciderit in terram, aut ex calice effusum sit. An passus nocturnam pollutionem ex mortali causa prouenientem,celebrarit Missam. An Missam dixerit in aliquem malũ finem, aut in ea vsus sit superstitione aliqua. An domi foueat ludos,aut suspectam personam. An vitam agat scandalosam,ebriosus,fraudulentus,turpis, venator, seditiosus,&c. An vtatur nimia familiaritate mulierũ illas comitando, manum illis porrigendo, aut aliud id genus aulicum obsequium exhibendo.

Quoad Confessarium specialiter. §. 1.

AN confessiones audierit sine licentia, aut non idoneus ad id munus, aut solius commodi sui temporalis gratiâ. An in aliquo violarit Sacramntale sigillum,detexerítue aliquid auditum in confessione. An perfunctoriè audierit, vt plures expediret,omissis debitis interrogationibus,&aliis ad Pœnitentem iuuandum necessariis. An in dubiis omiserit doctiores consulere. An malè imposuerit satisfactionem. An absoluerit vbi non debuit ob aliquod impedimentum. An vsus sit interrogationibus indiscretis, quibus aperuerit viam ad peccatum,quam Pœnitens ignorabat. An Pœnitentem prouocarit ad aliquod malum.

Quoad Curatum. §. 2.

AN procurarit sibi curam animarum,cùm ad eam incapax sit. An etsi capax est, solicitus tamen non est obligationi suæ satisfacere. An curet vt Ecclesiæ altaria,eorúmque ornamenta conseruentur munda. An per suam negligentiam aliquis Parochianorum sine sacramentis è vita excesserit. An recusset audire suorum confessiones cùm legitimè petũt. An curet scire qualiter ipsius Parochiani viuant: iisque mederi quos inuenerit infectos peccato. An gerat curam pauperum, qui necessitate premuntur in sua Parochia. An ægros visitet,consolando eos,hortandóque ad patientiam & ad conformandam voluntatem suam cum Dei voluntate, ac monendo de suscipiendis sacramentis suo tempore, ac testamento condendo. An doctrinam Christianam tradat, mysteria nostræ religionis explicando, tradendóque rationem confitendi,communicandi corpore Christi, orandi & audiendi Missam; monendóque de iis quæ ad singulorum officium spectant. An omiserit vrgere alicuius testamenti executionem. An renouauerit suo tempore Sacramentum Eucharistiæ, & sacrum oleum,sanctúmque Chrisma.

Quoad beneficiarium. §. 3.

AN obtinuerit aut procurarit simoniacè seu data aliqua pecunia, aut aliquo quod sit pecunia æstimabile: quale est obsequium exhibitum Prælato ad beneficium ab eo in compensationem obtinendum. An habeat beneficium requirens personalem residentiam, nec ipse resideat. An in eo acquirendo fecerit alicui iniuriam, cui potiori iure debebatur. An satisfecerit obligationi quam habet recitandi horas canonicas, & gestandi habitum & tonsuram Clericalem. An malè expenderit reditus sui beneficij, & an ex iis superfluum aliquid habuerit,de quo non fecerit pauperibus eleemosynam.

Quoad Episcopum. §. 4.

INterrogationes faciendæ Episcopo, propterea silentio præteriri possunt: quod ipse cui incumbit satis

satisfacere cæterorum difficultatibus,tantæ scientiæ esse præsumendus sit, vt per interrogationes iuuari nihil opus habeat. Quia tamen Confessarius audiẽs confessionem ipsius, non ideo liberatur obligatione cauendi,ne eidem confessioni ad integritatem,aliásque conditiones necessarias aliquid desit,consultum erit attingere,quæ Bartholomæus à Medina in instructione Confessariorum *lib.1.cap.16.§.1.* commemorat peccatà ipsius grauiora, tanquam pernicioſa populo ei commisso, & scandalosa. Primum est,non annuntiare ouibus suis Euangelium aut non satagere, vt in suo Episcopatu concionatores idoneos habeat. Secundum,non residere in sua Diœcesi,motam ibi faciendo ad instar boni patris in sua domo: nauarchi in sua naui, & boni pastoris in suo ouili. Tertium, non visitare totam suam Diœcesim,vt debet,ad prouidendum necessitatibus pauperum,afflictos consolandum, & delinquentes corrigendum. Quartum,Ecclesiastica officia & beneficia viris probis, ad eáque idoneis non conferre. Quintum,oues suas non diligere:aut non magis curare quàm si nũquam de illis summo Pastori Christo rationem esset redditurus. Sextum,Episcopatum appetiuisse ac sategisse,vt fauore humano illum adipisceretur. Septimum, alium Episcopatum quærere per intercessores ac internũtios sæculares. Octauum,subditos suos infestare, nouis impositionibus, & litibus. Nonum, indignis sacros ordines conferre Decimum non merentibus dare beneficia aliis postpositis, vt fieri potest, eoquod illi sint consanguinei vel affines:domestici vel familiares, & isti sint exteri. Vndecimum deesse pauperibus in necessitate. Duodecimum ex reditibus Ecclesiasticis instituere patrimonia, & palatia sumptuosa ad sui memoriam conseruandam. Decimum tertium,Non curare vt in suo tribunali pauperum causę expediantur, quàm cito fieri potest. Decimumquartum,excedere in victu & vestitu,nec debitum seruare ordinem in iis quæ spectant ad ipsius domum & familiam, nec in cæteris. Ex quibus peccatis quinque prima pernicioſa esse populo, cætera scandalosa, manifestum est: nec ordinariò excusationẽ ea habere in re tanti momenti quanti est regimen Ecclesię Dei,intelligi potest tum ex aliis,tum ex illa seria cohortatione D. Pauli *Actorum* 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritussanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.]

Quoad Religiosum. §. 5.

HIc quoque faciendæ interrogationes silentio præteriri possunt, cùm præsumendum sit in religione non deesse institutionem,per quam quilibet Religiosorum valeat conscientiam sufficienter & discutere & Confessario aperire. Cuiusmodi præsumptione videri potest factum,vt Conc. Trid. *sess. 23.cap.15.* in Confessariis Religiosorum non exegerit Episcoporum approbationem,sicut in Confessariis sæcularium. Veruntamen quia id non obstat quominus audiens Religiosi confessionem cauere debeat,ne aliquid necessariorum in ea omittatur:erit adhuc consultum subiicere peccata, quæ prædictus Bartholomæus in sequen. §. 14. commemorat Religiosorum.Primum est, Religionẽ ingredi per simoniam seu datâ pecuniâ, aut aliquo pecunia æstimabili. Secundum, non habuisse bonam intentionem ingrediendo, vt contingit ei qui intendit non sustinere laborem, sed tantùm commodè viuere. Tertium,reticuisse impedimenta ingrediendi:siue infirmitatis corporis, siue alia. Quartum,ex arctiori ad laxiorem migrasse sine dispensatione. Quintum,induxisse aliquem ad suam religionem, labores illius tacendo,aut de illa mentiendo, ab aliáque meliori reuocando. Sextum,non seruasse vota tum castitatis, labendo in aliquod peccatum carnis,tum paupertatis,habendo aliquid proprium, tum etiam obedientiæ, non obsequendo suis Superioribus aut statuta suæ religionis transgrediendo. Septimum,male functum esse officio dato sibi à Superiore. Octauum, inordinatum affectum habere erga aliquam personam. Nonum,in visitatione Superioris non dixisse quod sciuit, quodque dicere tenebatur. Decimum, aliquam suæ religionis ceremoniam præcipuam non obseruasse: vt carnem comedisse contra suum institutum. Vndecimum, tempus otiosè inutilitérque consumpsisse. Duodecimum, immodestum fuisse, aut murmuratorem, aut impatientem, aut negligentem in oratione & in sacramentorum susceptione. Decimumtertium, inordinato amore affici erga consanguineos & affines, itemque tẽporalia ista prosequi, ac de terrenis rebus ita loqui,vt ei sapere videantur. Decimumquartum, depositum fuisse habitum, aut non recitasse diuinum officium,aut non orasse pro benefactoribus suis viuis siue defunctis. Hæc ille,quæ manifestum est non esse in Religioso dissimulanda, vtpote de se grauia: aut periculosa aut scandalosa.

Interrogationes speciales faciendæ circa statum laicalem, ac primo in ordine ad familiam.

SECTIO VI.

INterrogationes quæ supersunt faciendæ laicis,sic distingui possunt: vt cùm illi sint tum familiæ tum reipublicæ partes quædam, in ordine ad familiam fiant. Primò quoad coniugem, Secundò, Quoad filiumfamilias. Tertio Quoad seruum. Quartò quoad tutorem & testamenti executorem. In ordine ad rempublicam verò,fiant tum quoad eos, qui lucro in ea vacant, vt opifices & mercatores: tum quoad eos qui literis vacant,vt Magistri & Scholastici:tum quo ad eos, qui corpori curãdo incumbũt, vt Medici, Chirurgi,& Pharmacopolæ: tum quoad iustitiæ ministros, vt Iudices,Aduocatos, Procuratores, Apparitores,tũ quo ad eos qui ipsam rempublicam administrant siue in vrbe vt Magistratus & ipsorum Officiales:siue in tota prouincia,vel regno: vt Principes & Gubernatores ab ipsis constituti, ac etiam milites,quorum opera hi vtuntur ad bellum & præsidia.

Quoad coniugem. §. 6.

AN contraxerit matrimonium habens votum castitatis, aut in aliquo gradu prohibito. An cum duobus vel duabus simul contraxerit. An alicui fidem dederit contrahendi cum ea, vel cum eo, nec seruauerit. An clandestinè, aut animo fallendi, vel in statu peccati mortalis vel voluptatis tantùm, non autem suscipiendæ prolis gratiâ, contraxerit. An vir vxorem cognoscat indebito tempore, & cum periculo nocendi fœtui. An absque iusta causa neget coniugi debitum coniugale, &, An ei fidem coniugalem seruet. An pacificè viuant inter se nécne. An curam & solicitudinem bonam gerant negotiorum domesticorum. An blanditiis carnalibus sint nimis addicti, & maritalem agentes vitam, sint inter se concordes. Ac maritus

Universidad de Deusto
Biblioteca

suis prouideat de necessariis, aut nimium vacet ludo. An eos quos habent in sua familia, instruant de spectantibus ad Christianam doctrinam, imbuántque bonis moribus, & educent in Dei timore. An iisdem sint scandalo, iurando, maledicendo aut aliquid malè agendo. An permittant aliquod peccatum domi suæ committi sicut permisit Heli; ideo grauiter à Deo reprehensus & punitus *ex 1. lib. Reg. cap. 2. & 4.* Aut non curent qualiter sui domestici viuant, quòd quàm sit damnabile patet per illud *prioris ad Timoth. cap. 5.* Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.] An vxor marito obediat in iis, quæ iustè imperat. An aliquid ei surripiat. An opportunè ei præparet, sufficientérque administret necessaria. An externis largiatur, quod est domi necessarium. An patiens sit & humilis. An contrà, turbulenta sit, & arrogans, nec curam vllam habeat domus.

Quoad filiumfamilias. §. 7.

AN iurauerit mendaciter aut dubitans de veritate. An maledicat, iniuriis afficiat, inuocet Diabolum, aut frequenter nomen illius in ore habeat. An adeptus vsum rationis, non obtulerit se Deo ad seruiendum ei tanquam suo Creatori. An sit inobediens & molestus patri, & matri, magistris, & præceptoribus, senibus & Ecclesiasticis. An furetur, séque dedat gulæ & ludo. An vtatur tantilenis turpibus. An rixatus sit cum aliis, aut eos irriserit. An fuerit criminator, aut spurcus aut impudens. An abfuerit à suis lectionibus, aut manserit otiosus, aut perditorum vsus sit societate. An sit indeuotus, non orans Deum, nec mane & vesperi se illi commendans.

Quoad seruum.

AN diligens sit in obsequio domini sui, ei obediens ac seruiens ex amore tanquam Christo. An in aliquo peccato obtemperet domino suo. An domini sui bona augere studeat. An verò deperire sinat, aut etiam sibi vsurpet. An aliquid domi gestum, quod debet seruare secretum, referat externis. An sit rixosus, rebellis, piger, querulus, criminator, immodestus ac malis moribus. An aliqua ratione turpiter se gerat cum fœminis quæ domi sunt.

Quoad Tutorem & testamenti executorem.

AN distulerit executionem testamenti: siue per negligentiam, siue deditâ operâ, vt interea vti posset bonis defuncti. An prius satisfecerit donis gratuitis defuncti quàm illius debitis. An distulerit satisfacere iis quibus defunctus aliquid legauit, & ideo illi compulsi sint aliquas expensas facere ad obtinendam talem satisfactionem. An cùm venderentur sub auctione aliqua pupillorum bona, antequam alij emptores aduenirent, auctionem ipsam accelerare fecerit, vt res sibi minore pretio maneret, quàm alioqui venderetur. An sua negligentia aliquid de talibus bonis sit amissum aut deterius effectum. An pupillis & viduæ prouiderit de necessariis.

Interrogationes circa statum laicalem in ordine ad Rempublicam, & quoad eos qui subsunt illius regimini.

SECTIO VII.

Quoad Opificem. §. 8.

AN in executione sui operis fideliter se gesserit, nec quemquam fefellerit aut grauarit. An rem vnam pro alia tradiderit, aut aliter deceperit in substantia, quantitate, aut qualitate rei traditæ. An suum opificium vendiderit quàm carè potuit, excedendo etiam rationis limites. An detraxerit aliis eiusdem artis, éisque inuiderit, aut etiam conatus sit delere bonam opinionem de ipsis conceptam. An mentiatur, iuret ac peieret, promittátque ad certum diem aliquid quod non præstat. An plus materiæ postulet, quàm requiratur ad perficiendum opus, vt reliquum sibi retineat. An nouas formas sui operis excogitet in malum finem, vel vt irrationabilem mercedem exigat. An tyrones suos pro quibus instituendis pecuniam accipit, in aliis rebus, quàm suæ artis occupet, nec instituat quantum obligatur.

Quoad mercatorem. §. 9.

AN vendiderit, aut vẽdat aliquas res, quibus homines communiter malè vtuntur, aut quas emptorem in malum vsum emere præsumebat probabiliter: vt venenum, laruas, taxillos, &c. An paratus sit vendere supra iustum pretium, quod non licet, ne si quidem creditâ pecuniâ id fiat: aut emere infra iustum pretium, quod nec licet, etiamsi id fiat pecuniâ præsenti. Ad quod facit illud *prioris ad Thess. cap. 4.* Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus.] An Christiani nominis hostibus aut hæreticis vendiderit equos, arma, aut alia quibus iuuarentur ad bellum gerendum aduersus eosdem Christianos. An merces vitiatas aut adulterinas vendiderit emptori, vitio non declarato. An vsus sit monopolio, conueniendo cum cæteris mercatoribus, ne alio quàm certo ab ipsis constituto pretio rigoroso merces venderentur aut emerentur: vel ipse in eundẽ finem merces omnes vnius generis emerit. An caariùs merces suas vendat iis qui illarum æstimationem non norunt, quàm iis qui norunt. An supra iustum pretium à Magistratu determinatum. An fideliter tradat emptori merces venditas, vel antequam domo sua efferantur, redimat illas longè viliori pretio, quàm vendiderit. An vsus sit cambiis illicitis, aut contractibus vsurariis: vel talibus vtendi fuerit aliis author aut mediator. An in mercium qualitate, vel quantitate seu pondere aut mensura deceperit emptorem, vel vnam rem pro alia ei dederit. An falsificarit suas merces, aut immiscuerit putrefactam vel corruptam, sanæ & integræ. An in negotiando semet sociis fidelitatem.

Quoad Magistrum seu Doctorem. §. 10.

AN cùm se incapacem cognosceret, susceperit docendi onus. An fauore aut muneribus curarit se præferri digniori. An docendo obloquatur aliis doctoribus. An per arrogantiam ad se ostentandum curiosa doceat relictis vtilibus. An negligenter vacet suis lectionibus. An scientias prohibitas doceat, aut operam in eis ponat. An docens ius ciuile: aut medicinam

medicinam admittat ad suam scholam Sacerdotes aut Religiosos. An docuerit aut defenderit opinionem aliquam falsam aut periculosam. An impugnarit veritatem, aut nouitatum amator sit. An negligat profectum suorum auditorum, nec eis bonum exemplum præbeat. An ad gradum admiserit aliquem indignum. An seruarit statuta Academiæ. An laudet & commendet seipsum, & cæteros magistros contemnat illisque obloquatur ac detrahat. An modo illicito, aliorum magistrorum auditores ad se attraxerit. An alicuius promotionem ad gradum per maleuolentiam impedierit, aut factiones vel dissensiones fouerit in Academia.

Quoad Scholasticum. §. 11.

AN honorem magistro suo detulerit, éique obedierit in omnibus quibus debuit. An ei oblocutus sit, aut eũ irriserit. An studuerit in indebitũ finẽ; nempe ad acquirendas diuitias, aut consequendos honores principaliter: non autem ad maiorem Dei notitiam vt illi seruiat, & seruiendo æternam salutem consequatur. An contra veritatem contendat, ne appareat victus. An amator sit doctrinarum peregrinarum & nouarum. An malè terat tempus, omittendo lectiones, nec studendo, nec progressum in literis faciendo. An malè expendat bona parentum in ludis, & in aliis nequitiis. An vtatur consuetudine prauorum: aut ipse aliis author sit prauitatis. An in dando suffragio aliquid commiserit contra iustitiam: aut ad quid simile alium induxerit. An seruet Academiæ seu Collegij statuta & leges. An de sua scientia multum præsumat, & alios arroganter contemnat.

Quoad Medicum & Chirurgum. §. 12.

AN antequam studuerit sufficienter, tentarit aut tentet mederi morbo alicui periculoso, aut ad gradum promotus sit. An priusquam nouerit qualitatem morbi, ei applicet pharmacum periculosum. An postquam morbi qualitatem detexit: attentus non sit in medendo, aut negligens in visitando ægro, aut in studendo, aut in capiendo consilio: aut recuset cum aliis conferre quando morbus fuerit periculosus. An detrahat existimationi aliorum eiusdem professionis & contemnat bonas eorum curationes. An in morbo periculoso omittat maturè monere ægrum vt solicitus sit de salute animæ suæ, & sacramenta recipiat. An protrahat morbos ad augendum suum lucrum. An ausus sit vti experientia periculosa cum notabili vitæ discrimine ægrotantis. An ægrotanti aliquid pro salute corporis consuluerit in præiudicium salutis animæ. An alicui fœminæ pharmacum præbuerit, aut consilium aliquod dederit ad impediendum conceptionem fœtus, aut ad abortiendum. An conueniat cum pharmacopolis ad vitiandas potiones, aut has taxet supra consuetum pretium. An plures ægrotos susciptat curandos quam possit curare. An sine sufficienti causa dispenset cum suis infirmis in fractione ieiunij, aut in esu carnium. An sua culpa æger mortem obierit, aut incurrerit in periculum moriendi. An recuset adesse pauperi non habenti alium à quo in ægritudine sua curetur. An ex odio, aut fastidio, aut morositate ægri destiterit circa eum præstare quod debuit. Aduerte non esse absoluendos Chirurgos eos, qui nõ approbati peritorum iudicio, temere se ingerunt ægris curandis, aut qui vsurpant sibi munus Medicorum, nec hos consulunt, quoad illa quæ sunt ipsorum propria.

Quoad Pharmacopolam. §. 13.

AN munus suum exercuerit antequam nosset necessaria ad illud debitè exequendum. An componendo medicinas defecerit in aliquo eorum quæ sibi præscripta erant: aut omiserit aliquid de iis quæ Medicus expressisset in sua ordinatione. An suis medicinalibus compositionibus seu confectionibus aut scrupulis, vnum pro alio ponat: vt mel pro saccharo. An vitiata pro integris, admixta alienis pro puris vendiderit. An dederit vnam potionem pro alia. An dederit aliquid ad impediendum conceptum fœtus, aut ad abortiendum. An aliquid venenosum tradiderit ei qui periculum illius ignoraret: aut quem malè vsurum præsumebat. An aromata aut pharmaca dederit corrupta, aut quæ nullam haberent virtutem. An peccauerit circa qualitatem & quantitatem suorum aromatum, & aliorum quæ habuit venalia, malè ponderans aut malè mensurans. An vendat irrationabili pretio: & subornet Medicos ad taxandum medicinas pluris quàm ratio ferat.

Hactenus interrogationes faciendæ laicis qui reipublicæ partes sunt, regimini aliorum in ea subiectæ. Deinceps sequuntur faciendæ iis quibus tale regimen est commissum pro communi salute tuenda, siue armis siue iustitiæ administratione, ac etiam administris ipsorum. Tales igitur sunt.

Reliquæ interrogationes circa statum laicalem in ordine ad rempublicam quoad eos qui præsunt illius regimini & administros ipsorum.

SECTIO VIII.

Quoad Principem. §. 14.

AN in totum vel ex parte dominium suum, vel ordinem, siue statum, vel ius primogeniti iniustè possideat. An oneret subditos iniquis exactionibus vel contributionibus. An precibus, vel metu cogat subditos mutuas sibi pecunias dare, vel se obligare ipsius creditoribus pro debitis quæ contraxit. An à subditis suum, vel iumentorum suorum aliquod seruitium exigat non soluendo mercedem. An iubeat seruos suos diuersari in domibus subditorum, non habens ad id ius, nec iustum pro eo pretium persoluens. An ad vtendum suo arbitratu opera suorum subditorum, vel ad vlciscendum se de illis, euocarit eos ad militiam, vel per milites oppressérit. An pacem inter subditos conseruet, & iustitiam illis administret. An sibi reseruet pecunias ad aliquod negotium seu opus publicum contributas, puta ad restaurationem pontium, viarum, &c. An ex communibus bonis quippiam vsurpauerit, vel in suam potestatem redigere conetur. Idem iudicium est de bonis seu pecuniis apud sequestrum depositis, vel oppigneratis, de bonis defunctorum vel ad templorum fabricam pertinentibus: quæ omnia restituere debet cum fructibus qui ex eis antea percipiebantur. An non impedierit peccata publica & abusus sibi cognitos, quos impedire potuerit & debuerit. An negligat quod Deus in suis ædibus, & palatiis offendatur, ludis vetitis, turpitudine morũ, aliisque id genus. An in suis dominiis permittat vsuras vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

iniquos contractus. An contra voluntatem eius qui læsus est,lædenti condonet & pœnam remittat. An omittat soluere suis creditoribus debita , & seruis mercedem, & opificibus pro se facta opera. An malè impendat suos redditus. An venatorias syluas habeat cum notabili damno subditorum. An negligat ius suum subditis reddere. An negligat pauperes. An Ecclesiam vel homines Ecclesiasticos non reuereatur: vel quid contrarium Ecclesiæ libertati commiserit.

Quoad Iudicem. §. 15.

AN iniquè iudicauerit , propter affinitatem vel consanguinitatem,amicitiam, gratiam , damnum vel incommodum priuatum, metum, &c. An temere iudicarit non adhibitâ prius diligentiâ necessaria ad causam cognoscendam. An suæ iurisdictionis fines prætergressus sit,iudicans de causis vel hominibus, de quibus non poterat. An iniustè condonarit pœnam corporalem, mutando eam in pecuniariam. An recusarit vel distulerit iudicium, iis qui illud suo iure postulabant An agêdo cum litigatoribus,nimia asperitate vtatur,irascens aut verbis vtens iniuriosis. Innumera sunt alia peccata quæ contra ius naturale commissa pendent ex iam dictis,& veluti scaturiunt tanquam ex fonte:puta odium , prauus affectus, vehemens lucri cupiditas, timor humanus, defectus scientiæ vel studij, &c. Ad quæ accedunt alia quæ toties tótque modis committuntur , quàm multa sunt ea quæ Iudicibus ipsis prohibentur , si forte contra faciant:maximè autem se corrumpi permittant.

Quoad Gubernatorem & Præfectum. §. 16.

AN cum non esset capax nec idoneus , sui tantùm commodi gratiâ , eum Magistratum seu munus sit adeptus fauore,donis, &c. nullam habendo rationem publicæ vtilitatis. An seruet , quę iurejurando promisit , se benè fidelitérque in suo munere versaturum,conseruando leges, & consuetudines regni ac prouinciæ. An aliquod officium vendiderit quod fuerat gratis concedendum. An inquirat vtrum officiales ius suum vnicuique reddant. An curet vt publica negotia,factionibus & priuatis affectibus semotis tractentur : monendo eos,qui his malis mederi queunt, si quid secus fieri contingat . An dissimulet ea quæ iniustè ab aliis inferioribus Præfectis cõmittuntur , propria commoda sectando , alios turbando,vexandóque,non soluendo operariis debitam mercedem , vel debita creditoribus : lucrum quærendo ex deposito vel pignore , & grauando populum;ac præsertim pauperes & viduas. An sæpe visitet publica loca,vt carnarias , piscarias , vinarias & pistorias tabernas, seu fora & porticus rerum venalium, plateas,&c. vt intelligat si quid per fraudem in illis fiat cum populi damno. An annonæ moderatum pretium imponat vel imponendum curet. An prouideat ne desit annona, & ne ea vendantur , quæ vitiosa sunt vel corrupta. An visitet carceres , vt videat quomodo tractentur qui sunt in custodia. An iniustè quempiam tradat in carcerem,vel pro dimissione è custodia , aliquid exigat ; vel carcere nimis seuero ac incommodo vtatur. An curet vt vigiles & excubiæ suo munere fungantur. An obeat vigilias,& prouideat ne populus à latronibus vel grassatoribus & maleficis molestiam patiatur. An visitet Xenodochia & domos ad quas pauperes se recipiunt. An det operam, ne quæ mulier infamis in iis locis versetur; & vt homines flagitiosi, otiosi & vagi pellantur. An magno studio curet ne quod peccatum publice permittatur, vt concubinatus, circulatorum & præstigiatorum ludicra,scenicorum licentia, &c. An permittat vt in comœdiis & ludorum spectaculis, lasciuæ mulieres in scenam prodeant : quæ est corruptela morum,nomine Christiano indigna. An procuret vt quod datum est pauperibus iis distribuatur. An grauet pauperes , nec cito expediat negotia illorum. An sibi vsurparit bona Ecclesiæ vel aliquid commiserit Ecclesiæ libertati contrarium,vel aduersus hominem Ecclesiasticum. An curet ne sui serui &domestici impediant liberum aditum ad suas ędes, iis qui ad ipsum recurrunt. An remissus negligénsque sit in expediendis negotiis.

Quoad Maiorem,Scabinum,aut alium Officialem vrbis. §. 17.

AN procurarit vel emerit tale officium,& an illud publicæ vtilitatis , an proprij commodi causa exerceat. An seruarit suum iusiurandum de munere suo rectè & fideliter administrando:& an ea perspecta habeat quæ ad illud pertinent. An sibi vsurparit agros vrbis proprios , vel posita in ærario eiusdem. An reipublicæ bona male collocet & expendat. An cura sibi demandata distribuendi aut vẽdẽdi aliqua bona reipublicæ, æquitatem seruarit: vel an ea tradiderit suis seruis, propinquis , amicis , &c. & non pauperibus. An retineat pecunias sibi traditas ad comparandam annonam vel stipendia præsidiariorum militum. An dissimulet quæ laniones & tabernarij,&c.iniquè perpetrãt vt ipse vel serui sui meliora, & viliori pretio obtineant. An absit à consilio vel iudicio, cum in iis tractatur aliquod negotium ad ipsius propinquos vel amicos pertinens, ne illis aduersetur,quando hæc absentia vergit in publicum damnum. An iis quæ in publicis negotiis rationi sunt consentanea aduersetur, eoquod fuerint ab aduersariis proposita. An in eiusdem generis negotiis excitet factiones & discordias, pertrahens populum ad suas partes , nec proloquens ea quæ teste conscientia,dicenda esse intelligit. An publica officia alicuius momenti suis domesticis,propinquis vel amicis,licet minus idoneis, committat ; non conferens ea, prout ratio & æquitas postulat. Similiter an iis quos oderit , procuret seu tribuat id genus munera, quibus multa onera sunt adiuncta. An quia est talis officialis reipublicæ , vilius emat vel pluris vendat. An lucrifacta expendat in res illicitas. An imminuerit domos vel alia loca constituta ad deuotionem fouendam. An creditoribus debita non soluat vel mercedemoperariis,vel artificibus pretium pro opera & artificio. An ea habeat cognita quæ legibus officij sui præscribuntur. An det operam vt leges immunitatum &priuilegiorum seruentur. An quia Gubernator vel Officialis est , eximat seipsum vel suos propinquos ab onere excipiendi hospitio copias militares,vel sibi sumat immunitatem alicuius alterius publici oneris:cuiusmodi sunt pendere tributa, contribuere,&c. eatenus grauando magis cæteros.

Quoad Militem. §. 18.

AN curarit se referri in numerum militum vt acciperet stipendium, & postea fugerit aut tẽpore necessitatis à militia abfuerit. An in accipiendo stipendio fraude vsus sit : aut non fuerit contentus cibis in hospitio appositis , quamuis sufficientes essent. An hospites suos vexarit, aut minis aliaue ratione pecuniam ab eis extorserit. An assignatum sibi hospitium reliquerit ob acceptam ab hospite pecuniam,séque cum sociis ad aliud hospitium contulerit. An iuret,blasphemet , abneget Deum vel Sanctos,&c. An violentia & superstitionibus vtatur,aut secum habeat mulierem concubinam, &c.

Quoad Aduocatum. §. 19.

AN causam aliquam susceperit defendendam, quam nouit iniustam esse, etsi nonnullis iusta videatur. An absque vllo delectu suscipiat quamlibet causam; nihil examinans vtrum iusta sit an iniusta , vel an solùm attendat ad ordinem vel formalitatem iuris , nihil expendens causæ meritum. An prosequatur defensionem causæ quam in ipsa tractatione animaduertit & intelligit iniustam esse, licet à principio putauerit iustam. An sit idoneus ad suum officium exercendum , & an legitimè susceperit doctoris gradum. An negligat studere ad susceptam causam defendendam. An clientem suum instruat ad mentiendum, fallendum, improbè vrgendum , vel ad vtendum fraude aliqua pro obtinenda causa. An supra constitutam sibi mercedem,aliquid accipiat non sponte oblatum, vel exigat : vel etiam fingat opus esse diligentiori examine causæ,aut longiore opera , vt à cliente plus pecuniæ accipiat. An recusarit defendere causam pauperis non habentis alium patronum, ideoque non cõsecuturi suum ius. An mercede conductus ad causas alicuius suscipiendas negligés in eo officio extiterit aut parum solicitus. An plures suscipiat lites, quàm vt iis satisfacere possit. An violauerit iusiurandum quo promisit se fideliter gesturum esse in suo officio , & an ea sciat quæ ad illud rectè obeundum sunt necessaria. An illud munus susceperit cùm non esset idoneus. An nouerit communes clausulas quas ius requirit in diuersis scripturis contractuum & aliorum negotiorũ. An cum opus est exquirat hominis eruditi cõsilium & iudicium. An breuius scripta confecerit,quàm vt partes re satis declarata, in eam considerate consentirent. An in examine testium plus scripserit vel minus,quàm ipsi dixerint,aut procuret ab illis dici quę taceri deberent. An tale munus suis amanuensibus exequendum relinquat. An fideliter ad Iudicem referat quæ in examine peracta sunt;non inuoluendo, celando aut obscurando rem de qua agitur. An suâ culpâ & negligentiâ absit à iudiciis cum alicuius notabili damno. An valeat industriâ, ad lites perspicuè, distinctéque ordinandas ac disponendas. An negligens sit in seruandis scripturis , vnde causam det multiplicationi litium. An combusserit aut lacerarit scripturas , aut in eis immutarit aliquid in alicuius fauorem. An ad emungendam à partibus pecuniam, morosum se ac difficilem exhibeat,aut impedimenta causetur , aut alias excogitet dilationis occasiones. An subdolè cum apparitoribus pactus sit ad informationes faciendas vel mandata danda , non re[illegible] rentibus partibus aut Iudice non ordinan[illegible] An lucrum ex multa quærens, subornet delatorem criminis. An nouum officium docuerit modos indebitos quæstus faciendi. An quamuis inter partes cõuenerit , nihilominus vrgeat litem Iudicis sententiâ animi. An prætextu sui officij proprias vlciscatur iniurias. An aliquid lucretur modis illicitis. An vilius emat quàm par sit,ab iis qui eius fauorem expetunt. An supra constitutam sibi à Principe mercedem quid acceperit. An permittat eos qui sub se scribunt mercedem exigere ab vna ex partibus cum ab altera iam sit persolutum. An cum ab ipso scripturæ aliquæ exiguntur, eas fingat se inuenire non posse , vt plus accipiat in compensationem laboris in quęrendo suscepti. An ex re litigiosa apud ipsum deposita aliquid sibi vsurparit, aut ei ad quem spectabat non tradiderit , quàm citò oportuit , aut eam detinens compulerit expensas facere ad eam recuperandam. An recuset opem suam pauperibus non habentibus defensorem,qui ideo causa cadunt. An diu suspensam teneat causam , & negotia clientum , qui non habent vnde mercedem ei persoluant. An cum vrbe egreditur ad expediendum aliquod negotium eâdem operâ,alia suscipiat & pro singulis integram mercedem postulet,perinde ac si singulorum tantùm gratia eò esset profectus. An perscripserit aliquem illicitum contractum. An subornarit vel admiserit aliquos falsos testes. An scripserit testamentum eius qui carebat iudicio. An suo officio , vt par est , functus sit.

Quoad Procuratorem. §. 20.

PRocurator de pluribus,de quibus Aduocatus interrogari solet,potest interrogari. Interrogandus igitur est. An seruauit iusiurandum quo promisit se functurum suo munere. An diligenter examinet causam & omnia quæ ad illam pertinent , priusquam eam suscipiat. An sine discrimine quaslibet causas suscipiat,nihil inquirendo de æquitate ipsarum. An negotio aliquo in se suscepto,ad id necessariam omnem diligentiam non conferat, nec viros doctos consulat. An partes inducat , ad eligendos Aduocatos seu legisperitos sibi familiares , sed minus idoneos quàm sint alij. An absit à consultationibus & iudiciis , in quibus Clientum suorum negotia tractantur,& an ipsius incuria eiusmodi negotia differantur,vel pereant. An falsum dixerit cum iurauit se non petere malitiosè dilationem. An plures suscipiat lites quàm vt eis satisfacere possit. An stipendia plura & maiora æquo exigat.

Quoad Apparitorem. §. 21.

AN seruet iusiurandum quo promisit se fideliter in suo munere versaturum. An accepto mandato capiendi aliquem,spe compensationis cum præmonuerit vt sibi caueat. An plura negotia expediens eodem die,tantundem pro singulis exigat,quãtum pro diuersorum dierum expeditionibus acciperet. An in hospitiis expensas factas integrè persoluerit. An conniueat peccatis tabernariorum & aliorum eiusmodi,quòd munera ab illis [illegible]piat. An lustrans domos asperiùs agat [illegible] aliquid muneris extorqueat. An prætex[illegible]ui muneris,aliquibus immeritis faceſſat [illegible]orium,aut violentia vtatur,&c. An con[illegible] inierit de aliquo capiẽdo vel sistendo Iudici, vt inde quæstum facere posset. Cæterę interrogationes de minus communibus nonnunquam faciendæ intelligi poterunt ex dicendis in [illegible] 3. parte. Eas Angelus & Tabiena in verbo, *Interrogationes*, [illegible] attingunt.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT QVARTVM.

De prudentia Confessarij in adhortando & monendo Pœnitente.

SVMMARIVM.

39 *Qui sint vel non sint, vel tantùm paucis, adhortandi.*
40 *Qui obiurgandi, qui consolandi.*
41 *De admonitione Pœnitentis errantis ex ignorantia.*
42 *Obligationem esse monendi, quando ignorantia fuerit vincibilis.*
43 *Quando omissio admonitionis inducat obligationem ad restitutionem.*
44 *Dubius inquirens de rei veritate, ea illi aperienda est, etiamsi fructus non speretur, non item scrupuloso.*
45 *Monendus est Pœnitens inuincibiliter ignorans suum errorem, si fructus inde speretur.*
46 *Quid agendum sit, si non speretur.*
47 *De eo quod agendum est Confessario in quibusdam euentibus: præsertim Matrimonij inualidi.*
48 *Quando absolutioni sit præponenda admonitio, & quando postponenda.*
49 *An quod Pœnitens deprehenditur omittere, sitne ex ignorantia vel ex malitia, expendendum est, antequam absoluto ei detur.*

POstquam pro munere Iudicis Confessarius per interrogationes adiunctas confessioni Pœnitentis, huius interiorem animæ statum sufficienter explorauit: prudentiæ illius est videre an debeat nécne pro munere patris spiritualis, aliquam siue obiurgando, siue consolando adhortationem addere, & an aliquid sit de quo debeat eundem monere.

Nu.39. Pertinet autem primò ad istiusmodi prudentiam vt sicut adhortationem, cùm necessaria non fuerit, omittere debet, sic longiore aut breuiore vtatur, secundùm quod Pœnitentis necessitas, dispositióque exegerit. Qui enim paucioribus grauati peccatis frequentiùs confitentur, & sunt bonæ conscientiæ: aut pluribus quidem peccatis grauati sunt, sed discretione, intellectúque sufficienti pollent, & cum sufficienti dolore de peccatis firmum conceperunt propositum vitam deinceps emendandi, non sunt longis adhortationibus fatigandi.

Nu.40. Pertinet secundò, vt duriores & obstinati, qui grauissimis onerati peccatis, exiguum admodum compunctionis & Pœnitentiæ specimen exhibent, arguantur increpenturque. Pusillanimes verò qui tantum de suis peccatis conceperunt dolorem, vt non obiurgatione, sed consolatione egeant, confortentur: sicque (ad instar Samaritani. *Luc.* 10. vinum & oleum in plagas sauciati infundentis) pro Pœnitentium conditione increpatio aut consolatio vsurpetur. Ad quod faciunt post dicenda in cap. 6. & 7.

Nu.41. Pertinet insuper; vt Confessarius cum necessitas vel vtilitas exigit, admoneat vel admonere omittat Pœnitentem, quem discussa diligenter conscientiâ confitentem, videt aliquod peccatum tacere, per oblivionem aut ignorantiam inuincibilem: nimirum quia, nullo modo meminit, se illud commisisse, aut omnino ignorat illud esse peccatum mortale de necessitate confitendum. Ipse verò Confessarius certò nouit tale ab eo commissum esse: quia scilicet committi vidit; aut probè instructus est de grauitate illius peccati, quod tanquam leue tacetur à Pœnitente. Ad id autem ritè debitéque præstandum; tenenda est doctrina quam latiùs quidem persequitur Adrianus *in 4. de Confessione dub. 7. post. 5. quæst.* sed vt breuius, sic & melius Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4.* sub finem, & Canus in relect. *De Pœnit. parte 6. §.* Hinc verò, & Medina *in Cod. de confess. quæst. 19.* quibus nouissimè accesserunt Suarez & Sanchez alios citans, ille *tomo 4. disput. 32. sect. 4. & hic libro 2. de Matrim. disput. 38.* Summa autem illius comprehenditur his propositionibus.

De admonitione ignoranter errantis.

SECTIO I.

PRima est. Quando Confitentis obliuio vel ignorantia vincibilis fuerit (quod colligi poterit ex eiusdem Confitentis conditione, & ex dubitationibus quas patitur: ac etiam ex interrogationibus quas facit) Confessarius obligatur ipsum instruere & admonere de eo quod nouit debere in confessione exprimi, & aduertit per talem obliuionem aut ignorantiam taceri. Hanc propositionem quam sine controuersia receptam esse notat Canus, satis confirmat obligatio, quam Confessarius habet suppleudi in Confessione, quod necessarium est ad illius validitatem. Nam talis siue obliuio, siue ignorantia, quæ de se culpabilis est, non excusat a mortali peccato: ideóque in tali casu Sacerdos obligatur (*quemadmodum loco cit. propos. 2. notat Sotus*) Pœnitentem instruere quid quid sequatur, idest, siue prosit, siue obsit admonitio; eúmque informare de veritate, vt ea cognita resipiscens conteratur de tali peccato, sicque legitimè confiteatur. Quod si non faciat. & nihilominus absolutionem petat, peccat mortaliter (*vt loco cit. §. Similiter docet Medina.*) peccato sacrilegij commissi contra Sacramenti sanctitatem, in eius notabilem iniuriam: sique Confessarius eam impendat, tanquam malè fungens Iudicis & Medici officio in re grauissima, infidelitérque dispensans Dei mysteria, peccat quoque mortaliter; nec absolutio valet. *Nu.42.*

Iam quod visum est quibusdam tunc Confessarium teneri quoque ad restitutionem, si peccatum fuerit commissum in damnum proximi, reiici potest: quia Confessarius ex officio quod gerit, tenetur quidem lege iustitiæ consulere animæ Pœnitentis sibi cõfitentis, sed aliorum bono consulere non tenetur, nisi de communi lege charitatis. Vnde si interrogetur à Pœnitente, an restituere debeat, ipséque neget: tunc quidem tanquam cooperator iniuriæ, tenetur ad restitutionem, sicut teneretur quiuis alius similiter interrogatus, si consuleret non restituere. Sed si Pœnitens nihil interroget, Confessarius ex eo solùm quòd audiat vsurarium *verbi gratia*, & culpabiliter tacens, nihil eum de restitutione moneat, quamuis peccet contra charitatem, non tamen contra iustitiam: quia ex Officio quod gerit, non tenetur bono illius tertij, cui facienda est restitutio, ita consulere vt contra debitum iustitiæ agat, non admonendo faciendam esse restitutionem. *Nu. 43.*

Secunda propositio est; Quæcumque sit ignorãtia pœnitentis, si dubius de aliqua re interroget Confessarium, hunc teneri veritatem illi aperire, quorumcumque id nihil sit profuturum: pro qua plures authores adfert Sanchez *loco cit. nu.* 14. Ratio verò est: quia Pœnitentis conscientia sic læsa est illo dubio, vt ipse desinat esse in bona fide: taciturnitatémque Confessarij posset ipse interpretari in suum fauorem, approbationémve sui erroris. Verumtamen restringi posse videtur hæc ipsa propositio: vt non procedat quando Pœnitens interrogat, non vt vere dubius, sed vt scrupulo agitatus; quia per scrupulum *Nu. 44.*

pulum (cum is sit dubium carens fundamento) non aufertur bona fides, & inuincibilis ignorantia; adeo vt Confessarius ad vitanda grauia incommoda secutura, possit tacere aut dicere, vt abiiciat scrupulum. *Ita habet Sanchez ibidem.*

Nu.45. Tertia propositio est. Quando Pœnitentis obliuio vel ignorantia fuerit inuincibilis, tenetur Confessarius illum admouere de eo quod ex tali obliuione vel ignorantia dicere prætermittit, si fructum verosimiliter sperat ex facta informatione veritatis. Hanc Canus confirmat loco citato. Tum quia Confessor absoluens Pœnitentem errantem circa materiam peccati mortalis, & in omnibus paratum corrigi, opere suo errorem illius confirmat. Tum quia Confessarius quidem, vt Confessarius, Iudex tantùm est & Medicus qui munus suum circa peccatum (à quo excusat ignorantia inuincibilis) exercet: tamen vt simul est propriùs Sacerdos, & pastor ac doctor, infideliter ageret contra Magisterium sibi commissum, nisi errantem doceret: cum videamus Pœnitentes ad eum, tanquam ad Dei Vicarium accedere, non tantùm vt absoluantur, sed etiam vt instruantur.

Nu.46. Quarta propositio est: cùm nulla spes est Confessario, quòd ex informatione veritatis profecturus sit Pœnitens, tunc satius esse in sua ignorantia eum relinquere, siue sit ignorantia iuris diuini, vel humanis, siue ignorantia facti; & sit continuatum in dãnum proximi, siue non. Pro hac plures citat Sanchez *in ead. disput. nu. 6.* & cum Nauar. censet procedere non modò quoad peccatum commissum, sed etiam quoad committendum, quando ipsum inuincibiliter ignoratur, nec spes est probabilis, quòd is qui admissurus est illud, acquiescet abstinẽdo ab eo, si moneatur. Quod est (vt rem exemplo illustremus) in sua ignorantia inuincibili relinquendum esse, & eum qui matrimonium contraxit cum impedimento dirimente; & eum qui contracturus est quando probabiliter creditur, nihilominus in proposito perseueraturus. Addit etiam Sanchez ibidem *num.* 17. & 18. procedere etiamsi Confessarius illud de quo moneret, sic sciret vt ipsum probare posset: itẽ etiãsi malum quod ex admonitione timetur secuturum, prouenire deberet non ex infirmitate, sed ex malicia admoniti. Ad huius propositionis confirmationem Medina & Canus locis citatis adferunt dictum Diui Augustini, *quod refertur in cap. Si quis 2. De Pœniten. distinct. 7.* Si scirem nihil tibi prodesse, non te mouerem, non te terrerem] Itémque alterum, (quod vt rationi consentaneum vsurpatur à Theologis ex Sallustio) frustra niti, & nihil aliud laborando quàm odium quærere, extremæ dementiæ est] Quibus accedit, ratio eamdem satis confirmans: quod nulla lex obliget ad actus inutiles & otiosos, qualis esset dicta admonitio, vtpote quæ longè aberraret à fine, in quẽ ordinatur; qui est confitentis bonum: sicut & finis correptionis fraternæ, est bonum eius qui corrigitur.

Quod autem Adrianus in contrarium adfert; ostendendo potiùs permittendum esse scandalum, quàm omittendam veritatis declarationem; Canus admonet intelligendum esse de publico Doctore, cuius doctrina, licet aliis sit odor mortem, debet tamen tradi populo. Itaque doctrina quidem; quæ ad bonum publicum ordinatur, intermittenda non est, propter malum priuatum: sed doctrina quæ pro fine habet bonum priuatum: cessante tali fine, ipsa etiam cessare debet. Vnde consequens est cessare debere prefatam admonitionem, quando creditur non cessura in Confitentis bonum priuatum, quod illa pro fine habet: nisi ex illius ignorãtia timeretur malum boni communis, quod præferendum est bono priuato. Id quod annotans Sanchez *in cit. disput. 38. num.* 15. in exemplum adfert: si Parochus ex ignorantia populum suum erroribus in fide, aut in moribus imbueret: aut publica fama esset de inualiditate matrimonij duorum cohabitantium.

Resolutio ex dictis de eo quod agendum est Confessario in quibusdam euentibus, vt censeatur cum istiusmodi prudentia procedere.

SECTIO II.

EX dictis, vt Canus subiungit, resoluitur facilè quid in multis euentibus Confessario agendum sit, vt cum istiusmodi prudentia censeatur procedere, nempe si Berta nupsit Petro occultè non consummato matrimonio, deinde publicè contraxit cũ Ioanne, & consummauit, cum eoque manet bona fide inuincibiliter ignorans ius diuinum, per quod irritum est posterius matrimonium, propter prius validè contractum. Item si duo contraxerunt in 3. vel in 4. gradu affinitatis ignorantes inuincibiliter ius humanum quod prohibet & reddit inualidum tale matrimonium. Item si bona fide Berta contraxerit matrimonium cum Petro, credens probabilibus argumentis, priorem suum maritum esse mortuum: ideoque laborans inuincibili ignorantia facti; puta nesciendo inuincibiliter, quòd de facto idem prior maritus adhuc viuat. Item si quis contractum vsurarium fecit ignorans inuincibiliter talem esse, eo quod in illo sit vsura palliata valde occulta: ipséque viros doctos, & fide dignos adierit à quibus informaretur, & responsum accepit tale quid licitum sibi esse. Itaque in his omnibus & similibus prudenter, prout tenetur, aget Confessarius: si credens suum consilium profuturum, admoneat: sin minus, non admoneat: siue id sit in detrimentum proximi, siue non: & siue sit contra ius humanum, siue contra diuinum, inquit Canus, addens id intelligendum esse, cum nec statim, nec postea fructus admonitionis speratur. Quam etiam doctrinam Medina, *in citata quæst. 19. corol. post tertium dictum*, inculcat inquiens. Si verosimile sit, quod confitens, si ei veritas quam inuincibiliter ignorat, notificetur, ita scandalizabilitur quòd nunquam finis notificationis eueniet: nempe quòd propterea non recedet à peccato, nec proximo læso satisfacier: Confessarium malè agere informando illum de tali veritate, debereque sine tali informatione ipsum absoluere: vt si quis iuridicè in iudicio torquendus, putet omnino sibi licere veritatem negare ad liberandum se à morte & infamia, non est monendus, id ei illicitum esse: sed sufficiet in vniuersum interrogare, an sit paratus mori, potiùs quàm Deum offendere. Si enim Pœnitens non tenetur particulares comparationes sumere ad explorandam suam contritionem, multò minus tenetur Confessarius eas ab illo interrogare. Si autem scandalum quod timet euenturum, momentaneum sit, ita vt, tũc quidem non speretur fructus admonitionis: cum tamen breui secuturum spes sit, tenetur Pœnitentem ipsum informare de veritate quam ignorat. Pro qua doctrina Sanchez *in cit. disput. num.* 16. plures authores referens, addit cum eodem Medina præstare monitionem fieri post absolutionem quàm ante, ne ex perturbatione impediatur Sacramenti fructus. Constitutum sit ergo ex his, dum vtilitas & scandalum *Nu. 47.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum concurrunt: videndum esse, quod illorum præponderet: sique vtilitas prealeat sequenda est regula. Melius esse scandala permitti, quàm veritatem deseri; sin scandalum sit maius, seruanda est regula vitandi scandala. Addit adhuc Canus, si alicunde constaret fore vt Pœnitens moneatur ab alio Confessario qui imprudenter medebitur illi malo, consultius esse ignorantem admonere; nisi adhibendum sit remedium intolerabile: prout censebitur si exemplis suprà positis addas; susceptos esse filios ex existimato matrimonio, diutinam cohabitationem, scandalum publicum, & similia: quo euentu, inquit Canus, nullus tam imprudens erit, quin præsens horreat periculum (perplexitatis nimirum, & difficultatis) in quod coniicientur illi qui sunt in bona fide, occasionisque peccàdi iis qui sunt in bono statu. Id quod aliis citatis Sanchez *in præced. num.* 7. ita verum esse vult, vt in eo casu, Confessarius, nolentem reddere debitum coniugale, debeat ad id cogere, tanquam à peccato, ob ignorantiam inuincibilem, excusatum si reddat: & peccantem contra conscientiam, si non reddat. Neque mentietur dicendo illum esse suum coniugem, cùm sit communi existimatione, sicut nec mentita est Beata Virgo cum dixit Christo. Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te] quia quãuis S. Ioseph. non esset verè pater Christi, erat tamen reputatione communi. Infert idem Sanchez *in seq. num.* 11. argumento à maiori: quando Pœnitens sub lethali culpa tenetur ad aliquid adeò difficile, vt Confessarius credat ipsum tunc admonitionem recepturum non esse æquo animo: aliàs autem admissurum melius: hunc (Confessarium inquam) quamdiu Pœnitentem ipsum nouit excusari per ignorantiam inuincibilem, posse tacere, & in tempus opportunius admonitionem differre: adeóque prudenter agere Confessarios illos qui non omnia ad quæ Pœnitentes tenentur, simul primáque vice aperiunt, ne deterriti omnino abstineant à Confessione, sed paulatim docent ipsos de iis ad quæ tenentur. Quaquidem in re opus est magna circumspectione, in eáque, vt plena periculi, implorandum seriò diuinum auxilium.

Quando absolutioni sit præponenda admonitio, & quando postponenda.

Sectio III.

Nu. 48. AD eandem, de qua agimus prudentiam pertinet vt Confessarius aduertat, num Pœnitentis admonitionem differre debeat post absolutionem, an eidem præmittere. Si enim iuxta primam propositionem ante traditam facienda sit ignoranti vincibiliter: dubium non est præmittendam esse absolutioni, quę alioqui esset inualida. Sin iuxta secúdam propositionem facieoda sit ignorãti inuincibiliter, cum admonitio speratur profutura obseruare oportet doctrinam Medinæ *in cit. corollario*, statuentis, si Confessori verosimile sit, quòd si confitentem absoluat, priusquam de veritate eum informet, non proficiet ad finem retrahendi eum à peccato assueto: vel permouendi ad satisfaciendum proximo per ipsum læso: proficiet autem, si eum informet ante absolutionem: tunc Confessorem ipsum antequam talem Pœnitentem absoluat, teneri de præfata veritate eum informare: & admonitum absoluere; si quidem à tali peccato abstinere & proximo satisfacere promittat: aut saltem (quando Confessor talis fuerit cui tanquam minus perito non teneatur confitens adhibere re fidem) data fide quòd faciet Illud de quo admonetur, si ab aliis fide dignis edoctus fuerit, id sibi faciendum esse. Quòd si neque hoc neque illud proponat, non est absoluendus: quia eum nun vere pœnitet, obicémque ponit absolutioni; quæ si illi impendatur, erit nulla.

Addit quoque idem author, Confessorem si probabiliter iudicet, confitentem inuincibili ignorantia laborantem, non cessaturum à peccato assueto, præsertim in præiudicium proximi continuato: neque eidem proximo læso satisfacturum, nisi absolutio negetur, hácque negata recessurum à peccato & satisfacturum; posse, atque etiam debere eam negare nolenti parere postquam suus error sufficienti authoritate, aut ratione conuincente, demonstratus illi fuerit: quia se præbet indignum ipsa absolutione: cùm in eo ignorantia inuincibilis cesset, veritate sufficienter ei ostensa. Quod tamen, *vt idem etiam author admonet*, tunc tantum procedit, cùm taliter admonitus nullum subterfugium habet, quin ob demonstrationem veritatis ei factam teneatur sententiæ Confessoris adhærere. Nam si excusationem aliquam habeat, qualis est quòd ab aliis fide dignis oppositum audierit, exhibétque se paratum magis informari à viris doctis, eo nomine quòd non reputet se sufficientem ad soluẽdum motiuum à Confessore allatum, quod forte alij soluere scient: absolutio neganda non est parato facere omne illud ad quod se teneri compererit: quia cùm veritas per tale motiuum non demonstretur ei satis euidenter, adhuc in sua ignorantia inuincibili perseuerat: nisi esset persona simplex, quæ erret ex sua simplicitate, non autem ex eo quòd malè à viris alioqui doctis, & fide dignis informata sit: talis enim pro sua qualitate tenetur Confessori parere: quod nolens, culpabilis efficitur ipsius ignorantia, indignúsque est quia absoluatur. Hæc hactenus Medina rationi consentanea.

Nu. 49. Pertinet quintò ad eam de qua agimus Confessarij prudentiam, vt audita confessione aduertens aliquid omissum esse à Pœnitente, quod oportuerit exprimi: antequam absoluat, examinet an talis omissio sit ex ignorantia, an ex mera malitia: sique ex ignorantia esse deprehenderit, vtatur prout admonet Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. sub finem* acumine in perpendendo ex qualitate personæ quæ confitetur, & ex aliis coniecturis, num talis ignorantia qua peccatum aliquod in confessione prætermissum est, crassa sit & quam confitens teneatur vincere, vt iuxta antedicta, eum monent. Talis verò ignorantiæ máxima coniectura erit, vt bene mouet Sanchez *in cit. disput. 38. num. 3.* si Pœnitens de bono suo statu dubiam cõscientiam habere deprehendatur; non item si aliàs habuerit, & nunc se bonam habere demonstret: quia fieri potest vt aliquos consuluerit qui conscientiam ipsius sedarint. Nec item coniectura est sufficiens, quòd confiteatur peccatum aliquod cui illud quod reticet, est consequens; vt se cognouisse carnaliter sororem illius quam postea duxit in vxorem, vnde consequens est matrimonium esse nullum: quia huiusmodi nullitas non ita sequitur ex tali facto, quin cognito ipsum esse peccatum, possit inuincibiliter ignorari tale matrimonium esse nullum, & facere copulam illicitam. Si verò deprehenderit omissionem eam esse ex malitia; nimirum quod Pœnitens velit reticere peccatum, curet quantum potest ne perperàm det absolutionem, laborétque interrogationibus veritatem ex illius ore prudenter elicere: caueat autem indicare, se tale aliquid nosse ex aliena confessione. Quod si omni quam potest adhibitâ diligentia, & industria, viderit se nihil proficere,

cere, geret se cum eo, tanquam cum indisposito: de quo non absoluendo dicetur in sequenti parte cum de absolutione. Exemplum huius rei esse potest, si Confessarius sciat suum Pœnitentem acquisiuisse beneficium per simoniam, aut pecuniam dedisse ad vsuram, aut vti alicuius personæ turpi consuetudine, aut aliud mortale perpetrasse, quod dissimulat inter confitendum, quia non vult malè accepta restituere, aut vitæ suæ turpitudinem veretur aperire, aut non statuit eam emendare.

CAPVT QVINTVM.

De Confessarij prudentia in disponendo Pœnitente ad contritionem, seu odium & detestationem suorum peccatorum.

SVMMARIVM.

50 *Confessario debet nota esse Pœnitentis contritio, antequam illum absoluat.*
51 *Cum non ostendente contritionem, qua ratione agendum sit.*
52 *Qualis imperfecta contritio deprehensa in Pœnitente, sufficere possit ad illius absolutionem.*
53 *Signa contritionis ad absolutionem sufficientis.*
54 *De lachrymis.*
55 *De confessione amara.*
56 *De alacri pœnitentiæ impositæ acceptatione.*
57 *De quibusdam aliis effectis contritionis eam indicantibus.*
58 *De abnegatione sui & desiderio patiendi pro gloria Dei.*
59 *Munire debet se precibus Confessarius dispositurus Pœnitentem ad contritionem.*
60 *Peccati indignitas naturalis.*
61 *Indignitas peccati ex inobedientia erga Deum.*
62 *Indignitas peccati ex odio quo Deus illud prosequitur.*
63 *Indignitas peccati ex abusu diuinæ erga nos bonitatis: eoque tali, vt Christo Dæmon anteponatur.*
64 *Indignitas ex Dei perfectione, & nostra nequitia.*
65 *Ei quem indignitas peccati non mouet, ad eiusdem odium, inculcanda est diuinæ iustitiæ seueritas, & quomodo.*
66 *Peccator abutens Dei patientia, iram illius accendit.*
67 *Cum seueritate diuinæ iustitiæ, iuncta est benignitas Dei vocantis nos ad pœnitentiam.*
68 *Per peccatum mortale tacturam facimus præteritorum meritorum, & specialis fauoris, quo Deus amicos suos prosequi solet.*
69 *Idem cœlum nobis claudit, & Spiritum adoptionis filiorum Dei à nobis excludit.*
70 *Itémque spoliat diuinâ gratiâ, & charitate ac Spiritussanctidonis virtutibúsque eam sequentibus.*
71 *Miseria maxima existentis in mortali peccato.*
72 *Plagæ per mortale peccatum infliguntur animæ, primò corruptionis in substantia, 2. cæcitatis in mente. 3. obliuionis Dei in memoria. 4. peruersitatis in voluntate. 5. debilitationis in facultatibus exequentibus. 6. infirmitatis in corpore.*
73 *De ratione qua potest ex his Pœnitens disponi ad contritionem.*
74 *Debita æternæ damnationis, quæ per peccatum mortale contrahuntur.*
75 *Quàm horrendæ pœnæ inferni ad quas peccatum mortale addicit.*
76 *Dispositio Pœnitentis ad contritionem, consideratione miseriæ damnatorum.*
77 *Duricies nolentis conteri, est opus Diaboli: non Dei, vel naturæ.*

PRÆCIPVI momenti est hæc prudentia, quæ præ cæteris, vt fructuosè exerceatur, requirit in Confessario illa quę ad ipsius bonitatem spectare ex D. Bernardo retulimus in præcedenti libro cap. 14. sect. prima: quoniam contritio in primis est, per quam peccator spiritali vitæ restituitur, & cui tanquam fundamento superstruuntur cætera, quæ spectant ad legitimum Sacramenti Pœnitentiæ vsum. Cùm autem ea duo includat (expressa in ipsius definitione *vna posita à Conc. Triden. sess. 14. cap. 4*) nempe detestationem peccati, & propositum emendationis vitæ in præsentiarum hærebimus potissimum in iis perscquendis, quę possunt Pœnitentem disponere ad contritionem vt continet peccati commissi detestationem: posteà persecuturi quæ faciunt ad propositum emendationis. Diuidemus autem caput hoc aliquot sectionibus: in prima dicetur de ratione cognoscendi, an Pœnitens sit ad absolutionem obtinendam sufficienter contritus: in secunda signa contritionis proponentur: in reliquis adferentur motiua ad contritionem.

De ratione cognoscendi, An in Pœnitente sit contritio ad absolutionem sacramentalem sufficiens.

Sectio I.

Nu. 50. PERTINET primò ad propositam prudentiam, vt Confessarius nõ proferat temere absolutionem, quando ex confessione Pœnitentis non deprehendit in eo contritionem sufficientem ad illam ei impendendam: nec enim præcessisse, ideo præsumere debet (quidquid aliud dixerit Ioannes Maior, *referente Nauar. in Enchir. cap. 1. num. 41.*) quòd nemo sit adeo imprudens, qui quo tempore sua peccata sacramentaliter confitetur, illa non detestetur saltem virtualiter. Tale enim fundamentum non esse satis firmum Nauar. ipse ostendit; quia sequeretur alioqui quemlibet sacramentaliter confitentem habere iustam contritionem: quod aduersatur communi doctrinæ de inualiditate confessionis sacramentalis ex defectu contritionis: nam nullus alioqui talis defectus contingeret. Immo aduersatur Concilio Trident. *sess. 6. cap. 14.* quod ad iustificationem peccatoris præter confessionem & absolutionem Sacerdotalem ac cessationem à peccatis, requirit horum detestationem, seu cor contritum & humiliatum. Et in sess. 14. cap. 4. ait, nusquam Ecclesiam docuisse, nec sensisse Sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium conferre gratiam, qui bonus motus est contritio, de qua in eodem cap. ex instituto agitur: & sine qua Sacramentum Pœnitentiæ nullum esse constat, cum sit eius pars essentialis.

Nu. 51. Si ergo iudicauerit Confessarius suum Pœnitentem non ostendere contritionem sufficientem ad absolutionem: vt quia parui facit donum Pœnitentiæ, non curans illud à Deo petere; vel non statuit firmiter statum peccati deserere, aut occasiones propinquas peccandi à se remouere; aut paratus est animo, mallétve peccare mortaliter, quàm damnum ali quod sustinere, vel alicui non obsequi, etiam in illicitis: aut demum recusét inimico reconciliari, aut aliud agere ad quod tenetur sub mortali. Si, inquam, quid tale iudicauerit, poterit ipsi Pœnitenti propo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nere ad confessionem fructuosam requiri, vt sua illa peccata sic detestetur tanquam Dei offensas, vt generaliter malit in quodcumque malùm incurrisse, quàm in peccatum, quo Deum summum omnium bonum à se alienauit; eumque sibi de patre amantissimo ac misericordissimo fecit inimicum, & supra quàm dici potest reddidit iratum. Cauere autem debet Confessarius nimium aggrauare peccata quæ in confessione audit aut reprehensionibus terrere Pœnitentem, maximè si talis est qui propter verecundiam aut timorem aliquid eorum quæ commisit taciturus videatur: sed potius compassione benignè ostensa, eum animare *secundum antedicta num.* 10. ad sincerè dicenda omnia quæ conscientiam ipsius grauant. Etenim vbi adfuerit animus reticendi aliquid necessarium, nulla potest adesse contritio ad Sacramentum sufficiens.

Nu. 52. Admonet vero Sotus *in 4. dist.* 18. *quæst.* 3. *art.* 3. *paulo ante solutionem argumentorum*: non esse quod Confessarius multum laboret in discutiendo. An Pœnitentes plebeij adferant contritionem perfectam, dolendo de peccatis suis ex puro Dei amore: an verò tantùm imperfectam ex seruili timore. Id enim cognitu difficillimum est, nec necessarium ad absolutionem non conferendam temerè, dùmodo constiterit eam esse propter Deum, cuius amicitiam tanti faciant, vt pro nulla re, à se læsam velint: atqueadeo auersentur peccatum supra omne malum: ad instar scilicet castæ coniugis, quæ pro amore quo complectitur virum suum, mallet quæcumque mala experiri potius, quàm ei datam fidem, prostitutione sui corporis frãgere: ad quod Confessarius debet animum illis addere per post dicenda.

Quod si videat se non posse animum ipsorum ad tam excelsum contritionis gradum attollere, conetur saltem ad hoc inducere, vt ipsi verè propter Deũ; doleant se talem contritionem non habere: quia id sufficiet, saltem ad eam imperfectam contritionem, cum qua sacramentaliter absolui possint, tanquam valentes illud ex Psal. 118. vsurpare. Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.] Ita Nauar. *in Enchir. cap.* 1. *n.* 21. *habet ex Paludano.* Immo (vt ipse addit, ex omniũ Theologorum sententia) explicatque in nu. 22. idẽ inculcans in nu. 23. & in cap. 10. n. 4. Ac pro eo facit illud Psal. 9. Desiderium pauperũ exaudiuit Dominus, præparationẽ cordis eorum audiuit auris tua.] Aduerte tamen id non procedere, nisi talis doloris causa sit peccati detestatio efficax, seu qua peccatum omnino displiceat: itaut firmum propositum habeatur nullo modo illud committendi de cætero: tale quid enim necessarium esse ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ, constat per illud, quod ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. ad talem validitatem, requiritur saltem attritio, quæ voluntatem peccandi excludat: per propositum scilicet non peccandi de cætero eidem voluntati posituè repugnans *(quale initio eiusdem capitis expressum censetur in definitione contritionis)* non autem per nudam cessationem ab ipsa voluntate peccandi, repugnantem ei solummodo negatiuè, neque sufficientem ad eliminationem peccati mortalis ab anima, in qua cum tali cessatione, illud perseuerare nihil obstat. *Hoc ipsum Suarez notat tomo* 4. *disput.* 20. *sect.* 2. *num.* 6.

De signis contritionis ad obtinendam absolutionem sufficientis.

Sectio II.

POrrò animi ad prædictum contritionis gradum eleuati, hæc signa esse possunt. *Nu.* 53.

Primum veram Pœnitentiam magnificere, eam vehementer desiderare, & assiduis precibus a Deo petere ac dolere si eam non sentias.

Secundum est summo odio prosequi peccatum, & maiori, quàm vllum aliud malum, atque adeo malle mori, & aliud quoduis malum pati, quam peccare.

Tertium est effusio lachrymarum, quæ etsi non sit necessaria ad contritionem (*quod notat Nauar. in Enchir. cap. primo num.* 23.) illam tamen nonnunquam ita sequitur vt sicut vitis iudicatur viua, quando præcisa emittit lachrymas, sic Pœnitens iudicetur vitam spiritualem inchoasse per contritionem, cum lachrymas effundit ex dolore de peccatis, prout sunt offensa Dei, dummodo coniunctum habeat propositum non peccãdi de cætero: iuxta illud spõsa Cant. 5. Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos?] & illud ad Rom. 6. Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?] Cuius coniunctionis necessitas, habetur ex cap. Pœnitentiam. *De Pœniten. distinct.* 3. cum dicitur: Pœnitentiam agere, esse perpetrata mala plangere & plangenda non perpetrare.] Sicut enim sola aqua munda purgat vestium sordes, sic dolor mundans animam à peccatis, est is solus, quo quis toto corde dolet de iisdem peccatis, firmiter proponens ad ea non redire iuuante Dei auxilio. Aqua enim lutosa, est non mundans sed inquinans; cum quis flendo peccata præterita, admiscet propositum redeundi ad vomitum, vel non vitandi occasiones peccatorum. Qui solet comparari lauanti laterem crudum, quanto enim magis lauat, tanto magis lutosum facit. Vnde ex cap. Irrisor *de Pœnitent. distin.* 3. Irrisor est non Pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet: nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus: canis reuersus ad suum vomitum, est Pœnitens ad peccatum.] Item ex cap. sequenti: Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat, nihil prosunt lamenta si replicantur peccata.] Aduerte obiter lachrymas emittere, ideo non esse certum contritionis signum: nec lachrymas, non emittere, signum esse impœnitentiæ: quia istud euenire potest ex dura corporis constitutione; & illud ex tenera & facili: præsertim in pueris & fœminis. *Nu.* 54.

Quartum signum est amara confessio, qualem significant verba Iob *cap.* 10. Dimittam aduersum me eloquium meũ loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo noli me condemnare.] & *Isaiæ* 38. Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ.] & *Ierem.* 2. Scito & vide quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te.] & *cap.* 6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.] Prouenit enim talis amaritudo (tanquam spirituales lacrymæ) ex contritione quæ à Pœnitente concipitur, considerata peccati perpetrati nequitia. Nam peccator Deo vocante, ac mentem eius illuminante, aduertens vna ex parte suam nequitiam: qua mala pro bonis Deo retribuit: donis ad obsequiũ ipsius acceptis, indignissimè (*prout ostendent dicenda in sequen. sect.*) abutendo ad ipsius offensam. Ex altera parte verò expendens diuitias bonitatis, longanimitatis, & benignitatis diuinæ erga se immundum vas iræ, suffunditur pudore sui, & accenditur Dei amore, vnde sequitur dolor de ipsius offensa; qui aliquando redundans in sensus, excitat exteriores lachrymas, quas constituimus contritionis signum: & quæ confessionem peccatorum faciunt amaram. *Nu.* 55.

Quintum signum est, alacris Pœnitẽtiæ impositæ susceptio; verus enim interior dolor de peccato cõpellit peccatorem omnia libenter sufferre. *cap. Perfectæ* *Nu.* 56.

De Pœniten. distinct. 3. Vbi aduerte pro non contrito habendum omnino esse eum qui pœnitentiam medicinalem & ad salutem necessariam admittere non vult; vt si nolit vitare personam quæ illi causa est ruinæ; aut relinquere beneficium simoniacè obtentum: aut restituere acceptas vsuras, aut refarcire iniuriam illatam proximo: satis enim per hæc ostendit se non dolere propter Deum omnibus rebus præferendum; in cuius amore summo consistit vita animæ: sicut nec is ostendit se firmum emendationis propositum habere, qui non est animo paratus acquiescere sanis Confessarij consiliis, & assumere præscripta remedia aduersus morbos animi, malas inclinationes, prauos habitus, ac diutinam peccandi consuetudinem. Et certè qui non facit pro vitanda morte animæ quod faceret pro vitanda morte corporis, ostendit se plus diligere suum corpus quam animam suam: & plus vitam carnalem, quàm spiritalem, & plus creaturam quam Creatorem. Quis enim expositus apertè mortis periculo, si ei dicat Medicus infallibiliter morieris, nisi ieiunes in Quadragesima, aut nisi diebus Veneris & Sabbathi, à carnibus abstineas, recuset id facere? Similiter si Iudex dicat alicui: pro certo suspẽderis, nisi restituas alienum quod retines. Aut si dicat: nisi relinquas concubinam, vterque ignominiosè ducti per vrbem, agemini in crucem. At mors æterna à Christo denunciatur recusantibus prædictas pœnitentias, *Per illud Luc.* 13. *Nisi pœnitentiã habueritis omnes similiter peribitis.*] Cum gaudio ergo debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte, moriturus.

Nu. 57. Sextum signum, sunt quædam effecta propria ipsius contritionis, vt quod Pœnitens confiteatur quam bene potest, quódque studeat vitare peccata, & occasiones peccatorum: puta malas societates, loca suspecta, incautos aspectus, verba inordinata, & similia: quibus si facta confessione, delectetur, séque implicet sicut prius, non ostendit se satis contritum: & multo minus si aliena non restituat cum potest, si pœnitentias impositas implere negligat: si æquè ac prius tardum ad ea quæ Dei sunt, & ad suam salutem spectant se inueniat: si cum iis à quibus diffidet, loqui, aut amanter conuersari renuit; si concubinam ex toto à se non abiicit, & similia à verè contrito aliena. Pertinet etiam maximè ad hoc ipsum signũ, si *iuxta Diui Ioan. Baptistæ præscriptum Matth.* 3. Pœnitens faciat fructum dignum Pœnitentiæ: exercendo actus virtutum contrarios peccatis, in quibus prius obsorduit: itaut qui (*iuxta Apostolum ad Rom.* 6.) antea exhibuit membra sua seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, is nunc exhibeat membra sua seruire iustitiæ in sanctificationẽm.] Pertinet similiter iniuriarum ab aliis acceptarum liberalis condonatio, & sitis quædam conuertendi alios, & procurandi eorum salutem, præsertim complicum, seu sociorum sui peccati: dummodo id fiat euitando animæ propriæ pericula.

Nu. 58. Septimum signum est, sibi vilescere, & teneri magno desiderio patiendi propter Deum à se offensum Talia enim comitari contritionem inde intelligitur, quòd per hanc, ad salutis viam, per peccatum derelictam, reuertamur. Illa autem sunt, eiusdem viæ quasi vestibulum, *iuxta verba Domini Matth.* 16. *& Luc.* 9. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suã, & sequatur me.] Nam sequi Christum est viam salutis tenere: ad quod præexigitur abnegatio sui, & voluntaria tolerantia aduersorum, prout eadem verba apertè indicant.

Iam Confessarius ex eo arbitrari poterit Pœnitentem seipsum abnegare, sibiue vilescere, quòd illum experiatur facilem ac tractabilem, & paratum se submittere, non tantùm suis Superioribus; sed etiam paribus; immo & inferioribus, si opus sit ad gloriam Dei; neque erubescentem homines abnegando se propter Deum: exemplo Sanctæ peccatricis Luc. 7. quæ recumbente Domino in domo Pharisæi, venit & stans retro secus pedes ipsius, cœpit eos lachrymis rigare & capillis suis tergere, & osculari.] Item sua peccata nec velantem artificio verborum, nec grauatè sed voluntariè, præmissa diligenti examinatione conscientiæ, aperientem: nec excusatione diminuentem, sed potius candidè explicantem alacritérque patefacientem, & cum accusatione sui exaggerantem, tanquam qui possit cum Manasse (*ex fine Paralip.*) dicere. Peccaui super numerum arenæ maris & multiplicata sunt peccata mea, & non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ.]

Desiderio verò magno patiendi teneri existimare poterit, si is petat iniungi sibi bonam pœnitentiam; aut si ad impositam implendam se promptum ostendat, ac libentissimè præscripta remedia aduersus peccandi occasiones admittat: paratus strenuè se gerere in pugna ineunda aduersus propriam concupiscentiam, quæ cum conceperit parit peccatum] *Iacobi* 5. atqueadeo subtrahere sibi iucunda & vtilia, & assumere contraria; exemplo Christi præeuntis: in quo qui dicit se manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.] 1. *Ioan.* 2.

Illud monendum est obiter, quòd sæpius relabi in idem peccatum, aut non admittere grauem & difficilem pœnitentiam sibi à Confessario iniungendam vel iniunctam non impleuisse, argumenta potius sint fragilitatis & imbecillitatis, aut desuetudinis exercendi opera pœnalia & difficilia, quàm impœnitentiæ. In quam sententiam Petrus à Soto *in Instit. Sacerd. de perfectione contritionis, lect.* 17. *sub finem.* Qui vitam, inquit, ita instituit, vt à consuetudine peccandi & facilitate se cohibeat: quamquam nonnumquã labatur, etiam in mortalia, etiamsi aliquando frequentius: modò non pro nihilo ducat, non contemnat pœnitentiam, vel posthabeat, satis mutasse vitam videri potest; modò conetur in hoc proficere, quod omni Christiano quidem, sed Pœnitenti putamus maximè necessarium.]

De ratione disponendi ad contritionem dum corde; ac primò ex indignitate peccati.

Sectio III.

PErtinet secundò ad propositam Confessarij prudentiam: vt cum Pœnitentem suum deprehenderit sine contritione, durúmque esse, studeat illum emollire, seu disponere ad odium & detestationem peccatorum suorum, tanquam ad prioris contritionis partem: cui ad complementum totius, debet accedere propositum non peccandi de cætero. *Nu.* 59.

Quo in negotio Confessarius ipse recurrere debet ad Christi auxilium, tam sibi, quàm pœnitenti humiliter implorandum: quia nemo corrigere potest quem ille despexerit.] *Ecclesiastis cap.* 7. Et neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus] 1. *Corinth.* 3. Atque fretus spe bona talis auxilij, adhibere motiua ad tale negotium accommodata; quę sunt indignitas, & pernicies peccati. Naturaliter enim, vt apprehensa rei dignitate & vtilitate, amor illius & desiderium in voluntate excitatur; sic & apprehensa indignitate & pernicie, excitatur odium & detestatio illius. Iam peccati,

Universidad de Deusto
Biblioteca

præsertim mortalis, indignitas; & secundùm se, & secundùm omne circunstantiarum genus, facile apprehenditur, sequentibus perpensis; & ideo Pœnitenti duro suauiter, & cum affectu compassionis inculcandis, ad ipsius emollitionem.

Nu.60. Primum est eiusdem peccati conditio naturalis, qua est quoddam naturæ monstrũ tum teterrimum sua pernicie de qua postea: tum turpissimum sua imperfectione, quæ tanta est vt ipsum perfectionis non modo expers sit, sed etiam omnino incapax. Quia enim directe contrarium est Deo; qui seipsum negare non potest ex *posteriori ad Timoth. 2. cap.* nihil perfectionis ab eo potest accipere: nulla autem perfectio est nisi accepta à Deo; ex quo, per quem, & in quo sunt omnia] *ad Rom. 11.* Vnde patet peccatum suâ naturâ, non tantùm à Dei, sed etiam ab omnium creaturarum societate alienum esse: nihilque eo indignius turpius & vilius, cogitari posse; nisi statum peccatoris excipias, eo nomine, quòd eiusdem peccati seruus sit iuxta illud Ioannis 8. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.]

Nu.61. Secundum est, quòd per peccatum Deo negetur obedientia debita: quod quantæ indignitatis sit, patet ex eo, quòd sit quasi velle de ipsius manibus eripere sceptrum summi, quòd habet, vniuersalissimique imperij: atque adeo velle (*quæ doctrina est D. Bernar. serm. 3. in tempore resurrecti.*) ipsum quasi de medio tollere, cùm Deus esse non possit, sine summa supra omne quod est, dignitate & imperio. Ipsum inquam, qui Princeps est maiestatis infinitæ, tantopere de nobis bene meritus; & multo verius Pater noster, quam illi qui nos carnaliter genuerunt: cùm solus animam contulerit, illique ad corporis formationem tam parum contulerint: vt ea quoque Deo ipsi absolutè tribuatur *Iob 10.* cùm dicitur, Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu] *Et 2. Machab. cap. 7.* cùm Mater sancta, Sanctis filiis ait Neque spiritum & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed mundi Creator qui formauit hominis natiuitatem.] Hinc Matth. 23. ait Dominus Nolite vocare vobis patrem super terram, vnus enim est pater vester qui in cœlis est.] Adde quoque sponsum esse, qui sponsam seruituti addictam turpissimi immanissimique Tyranni Dæmonis, ac supplicio ignis inferni cruciandam, sibi sociarit, vt assereret in libertatem filiorum Dei & regni cœlorum faceret consortem. Sic igitur peccatum habet indignitatẽ; tum reatus læsæ diuinæ maiestatis; tum ingratitudinis infinitæ; tum etiam nefandi parricidij & adulterij; atque adeo indignitatem maiorem, quàm possit cogitari, propter rebellionem, quæ in eo patrando exercetur, aduersus tantæ liberalitatis dominum, tantæque bonitatis patrem, ac tantæ maiestatis spõsum; idque ab homine vilissimo; qui breui viuens tempore repletur multis miseriis] *Iob 14.* Nihilque habet vel habere potest quin acceperit ab eo quem offendit: *iuxta illud prioris ad Corinth. 4. cap.* Quid habes quod non accepisti?]

Nu.62. Tertium est, odium grauissimum quo Deus semper est prosecutus peccatum: seueriissimis legibus illud vetans, & pœnis grauissimis puniens illius reos: vt patet ex Angelis malis, primo parente & iis qui perierunt in diluuio, & in incendio Sodomæ, finitimarúmque ciuitatum, ac de iis demum qui igne æterno cruciantur apud inferos. Adde & pœnas quas voluit Christum perferre, ob in se susceptas iniquitates nostras: etiamsi vnicus ac dilectissimus esset filius, innocens, impolutus, & segregatus à peccatoribus [*ad Hebr. 7.* Certè constat indignissimum esse, non tantùm contraniti tantæ potentiæ, sed etiam nolle se accommodare voluntati. Tum Domini tantæ maiestatis: qui & nos ad obsequium suum condidit: *iuxta illud Prouerb. 16.* Vniuersa propter seipsum operatus Dominus] atque venundatos sub peccato redemit, non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Christi] *1. Pet. 1.* immo & seruos inutiles conduxit mercede æternæ beatitudinis. Tum etiã patris de nostra salute adeo soliciti, vt carne sanctissima eiusdem Christi veri Dei & hominis nos pasci voluerit. Tum denique sponsi tam benuoli, vt nos dotarit suo Sancto Spiritu: *iuxta illud ad Rom. 5.* Charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.] Pudeat nos iustam causam dedisse antiquis illis querimoniis *Isaiæ 1.* Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël autem me non cognouit & populus meus non intellexit Vę genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequã, filiis sceleratis.] *Et cap. 5.* Quid est quod vltra potui facere vineæ meæ & non feci ei? An quod expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruscas?] *& Ierem. 2.* Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.]

Quartum est, beneficium Dei vbique præsentis, *Nu.63.* nos sustinentis, suáque in nobis dona conseruantis, & noua subinde conferentis; quo perpenso cognoscitur (quod valde indignum est) ante ipsius videntis & reclamantis oculos peccando, nos inferre illi iniuriam eius generis, cuius est, si seruus amplissima mercede conductus à Domino ad suum obsequium, plurimisque muneribus auctus liberalissimè, iisdem ipso vidente abuteretur ad illum offendendum: aut infans infirmus, à patre amantissimè sustentatus, gladium quem in sua potestate habet (vt nos habemus nostram voluntatem) in eiusdem patris pectus adigere impius conaretur. Vnde rursus antiquis querimoniis datur occasio, *Ierem. 18.* Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ?] *Et ad Hebr. 6.* Rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.]

Quintum est, breuis hæc vita nostra, quam agimus super terram constituti inter cœlum, sedem Christi, Sanctorúmque omnium; & infernum, ergastulum Dæmonis, & omnium sceleratorum: atque allecti & attracti tum à Christo ad tenendam viam salutis obseruatione mandatorum: tum à Dæmone ad sequendam viam perditionis, eorumdem mandatorum transgressione: peccantes mortaliter, nos gerimus, ac si constituti Iudices, cui adhærere præstet, Christóne an Dæmoni; Dæmonem præferimus Christo, ad illum conuersi, & ab hoc auersi. Quod quàm indignum sit patet ex exprobratione, quæ ideo potest Christo fieri à Dæmone: nimirum, quòd illum pro quo saluando carnem humanam ipse susceperit; & tam multa tum egit, tum passus est in ea: quémque tot donis diuinis ad hoc locupletauit, vt suam in cœlo ruinam repararet, habeat suo obsequio non coactum sed volentem mancipatum.

Ad istud attende anima, quæ redempta lautáque Christi sanguine, charactere ipsius insignita, desponsata fide, & ab eo dotata Sancto Spiritu; quæ coram tanto sponso [specioso præ filiis hominum] abominabilis per peccatum efficeris, tanquam denigrata super carbones]. Time peccator, eum cui millia millium Angelorum ministrant, & decies millies centena millia assistunt: Quiquidem Angeli illud Ierem. 3. tibi meritò exprobrent: Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere] quique pro eo quo ardent

ardent diuini honoris zelo, te tanquam vita indignum malè mulctarent, si Christus ipse permitteret: Itaut illud *Torenorum 3.* vsurpare debeas, Misericordiæ Domini quòd non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.] Ad tam bonum igitur Dominum conuertere humiliter petes cum Dauide Psal. 12. Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me, respice & exaudi me Domine Deus meus, illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus præualui aduersus eum.]

Nu.64. Sextum est infinita Dei maiestas & perfectio, contra quam homo, terra & cinis peccando superbit: quo nihil potest cogitari indignius: præsertim cùm ille contra quem peccatur, Dominus sit, cui timor; & pater, cui honor omnis debetur. Hinc illa querimonia aduersus peccantes *Malach. 1.* Si pater ego sum, vbi est honor meus; & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?]

Postremum est nostra nequitia in eum: in quo viuimus, mouemur, & sumus.] *Act. 17.* quíque peccata nobis remisit, gratiam contulit, vitam æternam promisit, & de cuius solius munere venit quidquid boni, siue animæ, siue corporis obtinemus: & quidquid mali, cui obnoxij sumus, euadimus. Indignissimum enim est eam nequitiam tantam esse, vt summum benefactorem nostrum variis partibus, membrisve nostris offendamus, non vno tãtùm, sed multiplici peccatorum genere: non semel aut bis, sed multoties, idque leuissimas plerumque ob causas, atque adeo sponte; neque ad id multum stimulati: immo quasi per ludum ac iocum. Quem non pudeat obnoxium esse illi obiurgationi Mosis *Deut. 32.* Hæccine reddis Domino populе stulte & insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui.] Gusta anima Christiana, & vide quàm suauis sit Christus tuus: qui dilexit te charitate perpetua, & ideo attraxit te miserans tui] *Ierem. 31.* Adeóque nascendo in stabulo, dans se tibi in socium: discipulis conuescendo in cœna, tradens se in cibum: moriens in cruce, tradens se in pretium; & denique in cœlo ad dextetam Patris sedens, traditurus se in præmium. Amantem igitur nos, redamemus, nec recedamus à Deo. salutari nostro: quo nihil melius occurrere potest. [Diuites enim eguerunt, & esurierunt, inquirẽtes autem Dominum non minuentur omni bono,] *Psal. 33.* Exaltatum à terra vt nos ad se traheret, in cruce mortuum pro peccatis nostris confideremus: indéque ad eorum detestationem excitemus nos, ne tantæ bonitatis diuitias contemnentes, thesaurizemus nobis iram in die iræ iusti iudicij Dei, *iuxta Apostolum ad Roman. 2.*

De eâdem ratione ex seueritate diuinæ iustitiæ.

Sectio IV.

Nu.65. QVando notatum fuerit non sufficere alicui antedicta ad concipiendum peccati odium, ideóque ipsum non esse de illorum numero qui oderunt peccare virtutis amore: sed potius de aliorum, qui oderunt peccare formidine pœnæ. Pertinet tertiò ad Confessarij prudentiam tali inculcare diuinæ iustitiæ seueritatem; qua iniuriam per peccatum sibi illatam Deus vlciscitur; propositis nimirum iudiciis seueris quæ omnipotens exercuit in Luciferum, & cæteros Angelos peccantes; quibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciãdos,] *2. Pet. 2.* Deinde in primos nostros parentes, quos ex Paradiso voluptatis expulsos, vitam laboribus & molestiis plenam, ac morbis mortique obnoxiam agere fecit *Gen. 3.* qualem & nos illius miseriæ hæredes nos agere patet experientia. Præterea quomodo aquis suffocauerit omnes homines, exceptis quatuor viris & totidem fœminis, tempore Noë *Gen. 7.* Atque igne consumpserit Sodomam & finitimas ciuitates tempore Abrahæ *Gen. 18.* Item terrã dehiscente viuos in infernum protruserit Dathan, Core, & Abiron tempore Mosis, *Num. 16.* Atque immissa pestilentia in Israel tempore Dauidis propter ipsius peccatum, extinxerit septuaginta millia virorum, *2. Reg. 24.* multáque alia eius generis fecerit, quæ tum in sacris literis, tum in aliis historiis commemorantur, aut etiam quotidiana experientia cognoscuntur: accommodanda ad peccata similia quibus Pœnitens se inquinauerit: vrgendo ob ea meritò similem aliquem miserum vitæ exitum sibi timere debere ab eodem iusto Iudice Deo, qui non est personarum acceptor, vt sæpius repetitum habetur in sacris literis Deut. 10. 2. Paral. 19. ad Roman. 2. ad Ephes. 6. ad Coloss. 3. 1. Pet. 1. Apoc. 10. Quæ repetitio apertè indicat id, & esse pro certissimo documento tenendum, & frequenter esse ad memoriam reuocandum:

Nec quemquam fallere debet, quòd Deus infini- *Num. 66*
ta sua bonitate tale supplicium inferre misericorditer tardet: quia talem tarditatem grauitate supplicij compensat, *iuxta illud Ecclesiastici 5.* Ne dixetis peccaui, & quid mihi accidit triste, Altissimus enim est patiens redditor:] & illud *ad Rom. 2.* Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiem tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius:] Illam enim iram suprà quàm dici vel cogitari potest, accender peccatoris indurati ingratitudo; qua leuissimam ac momentaneam, quæ ex peccato percipitur, voluptatem, & antepositit, & pergit anteponere amicitiæ Dei: quod quidem puderet committere erga quemcumque hominem, qui beneficia sine comparatione minora quàm ille contulisset: nec, vt ille, posset illatam sibi iniuriam punire æterno [qui Diabolo & Angelis eius patatus est] igne, omnium timendorum maximè timendo *iuxta illud, Matth. 10.* Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.] Certè non fallit Apostolus *ab Heb. 10.* dicens, horrendum esse incidere in manus Dei viuentis] nec fallebatur Iob vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo (*vt describitur initio historiæ ipsius*) cum verebatur omnia sua opera, sciens quòd Deus non parceret delinquenti] *ex cap. 9. eiusdem historiæ*: Et cùm semper quasi tumentes super se fluctus sic timuit Deum] *ex sequen. cap. 31.* Quam igitur nequam sibi est, qui negligit audire Sapientis saluberrimum monitum *Ecclesiastici 30.* Miserere animæ tuæ placens Deo; & contine, & congrega cor tuum in sanctitate eius.] Nam *ex 1. Petri cap. 4.* Si vix iustus saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?]

Cum diuinæ iustitiæ seueritate magna benignitas coniuncta. §. Vnicus.

IAm cum tanta seueritate, quanta sit Dei benigni- *Nu. 67.*
tas, ad pœnitentiam nos adducentis ex his patet, quæ simul inculcanda sunt Pœnitenti, tum vt is ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

terrore ad amorem inducatur Dei, sicut filum inducitur in corium traiectione setæ ex cap. sicut seta. De Pœniten. distinct. 2. tum vt nos ea ratione, cum zelo diuinæ iustitiæ coniungamus compassionem proximi, quæ per discretionem illi admiscri debet tanquam vino oleum ad curationem sauciati ex Parabola Lucæ 10.

Primum igitur est, quòd morte æterna non punierit nos extemplo, sicut Dæmones; sed Pœnitentiæ tempus nullo nostro merito nobis concesserit, interea tamen priuans suis donis cœlestibus, vt in seq. sectione exponetur: sicut Rex qui proditori misericorditer donans vitam, aufert castra ei antea commissa.

Secundum est, quòd non desistat nos conseruare quantumcumque vitam & vires quas confert ad ipsius offensam impiè abutamur.

Tertium, quòd nequitia nostra non obstante, velit nos rebus omnibus (licèt inimicos) non secus vti ac sanctissimos: atque adeo nobis cœlum ac sydera, aërem, & terram, animalia & plantas, aliáque corporea velit seruire, immo & vnum ex beatis Angelis nobis adesse custodem, eo etiam tempore, quo nostro & ipsorum communi domino fidem frangimus, & ipsa quasi cogimus nobiscum communi Domino rebellare. Sic igitur benignissimus ipse Dominus, vt dicitur Matth. 5. Solem suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos. Id quod experientia quotidiana docet in condemnationem nostræ iniquitatis.

Quartum, quòd res ad faciendum verbum eius creatas prohibuerit, ne in nos perfidos, & desertores iuste impetu facto, vlciscerentur domini sui iniuriam: præsertim satellites ipsius Angeli sancti, coercueritque infernales carnifices, in quorum potestate cum essemus constituti, moliebantur vitam nobis eripere, ad adimendam resipiscendi ab ipsorum laqueis commoditatem omnem. Immo & represserit, ne vehementiùs solicitarent, impelleréntue ad scelera: cum dubium non sit quin ad grauiora lapsuri essemus, nisi nos auxilio suo diuino iuuisset aduersùs tentationes, vel eas à nobis auertisset: sicut & auertit plurima vitæ quoque nostræ corporalis pericula, quæ nos nec aduertere, nec etiam sentire solemus.

Postremùm, tunc etiam temporis, cum pertinaciter illum fugeremus, misericordissimè cum summa patientia nos insecutus sit, ad seque reuocarit: tum tacitis suis afflatibus diuinis, tum etiam apertis proximorum, aut aliquorum euentuum extraordinariorum monitis: itaut gesserit se nobiscum, gerátque sicut se bonus aliquis pater gereret, cum vnico filio charissimo, vi febris de mente deiecto; cui assidet & ministrat cum magna solicitudine, pietate & patientia, quantumcumque nec beneficia, nec patrem agnoscat, sed ipsum malè excipiat, grauiter lacesseris iniuriis, & contumeliis. Quæ tanta Dei benignitas & patientia in peccatores tandem vertetur in indignationem & iram *iuxta illud Psalm. 2.* Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos, tùc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.] Et si quandiu in hac vita sumus, reconciliationi locus est, *iuxta illud Ioann. 6.* Eum qui venit ad me, non eiiciam foras.]

De eadem ratione tertiò, ex iactura bonorum, quæ fit per peccatum mortale.

Sectio V.

PErnicies, quam peccatum mortale adfert, & ad illius odium seu detestationem magnum est motiuum, consistit tum in iactura præstantissimorum bonorum; tum in inuectione ingentium malorum. Ideoque ad prudentiam quoque Confessarij pertinet. 4. vtramque Pœnitenti inculcare cum opus fuerit ad eum emolliendum ad contritionem: atque de priore, in hac, & de posteriore, in sequenti sectione.

Iactura igitur istiusmodi: *de qua mystice primo Threnorum*: Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius,] est primò meritorum nostrorum præteritorum; quia per peccatum mortale in nobis mortificantur omnia nostra bona opera; itaut quasi [argentum versum in scoriam] *ex Isaiæ cap. 1.* vltra non imputentur nobis ad meritum æternæ salutis: *iuxta illud Ezech. 18.* Si iustus auerterit se, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ quas fecerat non recordabuntur.] *Nu. 68.*

Secundò priuamur paterna illa beneuolentia & præcipua cura, tutela ac blanditiis, quibus parens optimus vti solet erga bonos, & pios. Quò spectat illud *Ierem. 22.* Si fuerit Ieconias filius Ioachim regis, sicut annulus in manu dextera mea, inde euellam eum] Et illud *Psal. 118.* Spreuisti omnes discedentes à iudiciis tuis, quia iniusta cogitatio eorum.] Et illud *Prouerb. 1.* Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, manè consurgent, & non inuenient me, eoquòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint.] Adde & illud *Isai. 59.* Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret] Ac illud *Ierem. 5.* Peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis.]

Tertiò spoliamur iure cœlestis hæreditatis; facti mancipia Diaboli ex filiis Dei, qui paulò post eramus Reges futuri, & fruituri fœlicissima, iucundissimáque vita perpetua in illo Dei tabernaculo, in quo is tantùm habitabit, qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam] *Psalm. 14.* Vnde existimare debemus, in eo instanti, quo mortaliter peccauimus, contra nos prolatam fuisse sententiam, qua ex cœlo exules esse pronuntiati sumus, spoliati bonis omnibus spiritalibus eò ducentibus: & Sathanæ ipsiusque ministris addicti cruciandi, perinde quadam ratione ac nefarius sacerdos per degradationem ab ecclesiastica dignitate alienus declaratur, sacerdotalibus indumentis exuitur, & brachio sæculari traditur mulctandus. *Nu. 69.*

Quartò ab alienatur à nobis Spiritus adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater: quique testimonium reddit Spiritui nostro, quòd filij Dei sumus] *ad Roman. 8.* & per quem nobis datum, charitas diffunditur in cordibus nostris] *ad Rom. 5.* atque adeo per quem Spiritu viuere, & Spiritu ambulare (in via nimirum salutis) dicimur *iuxta illud ad Galat. 5.* Si Spiritu viuimus, Spiritu & ambulemus.] Et ratio est, quia vita animæ nostræ consistit in charitate: vnde dicitur 1. *Ioan. 3.* Qui non diligit, manet in morte,] & peccatum mortale illam extinguens, dicitur generare mortem *Iacob. 1.* Peccatum (inquit) cum consummatum fuerit generat mortem] itemque fides sine illa est mortua: sicut corpus sine Spiritu mortuum est] *ex sequenti cap. 2.* neque vllum nostrum opus censetur vitę æternę meritorium esse, nisi ex illa proueniat, *vt patet ex cap. 13. prioris ad Corinth.*

Quintò spoliamur gratia diuina, qua decorante animam ea ita placet Deo, vt tanquam siue filiam, siue sponsam charissimam velit æterni sui regni esse consortem: quod vox illa sponsi *Cant. 4.* significat. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni corona *Nu. 70.*

ronaberis.] Spoliamur & charitate, eámque comitãtibus Spiritussancti donis, & virtutibus infusis *tanquam Madiam omnia vastante in terra Israel Iudicum 6. aut Antiocho diripiente omnia vasa templi 1. Machab. 1.*) quibus facultates animæ nostræ roborantibus, idonei sumus; prompti alacrésque reddimur ad opera æternæ salutis meritoria. Non enim tantùm sunt ornamẽta filiæ regis, cuius omnis gloria ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate] *Psal. 44.* Sed etiã adiumenta necessaria ad vitam æternæ salutis meritoriam agendam, quæ sicut, cum adsunt, magnam præbent gaudendi materiam *iuxta illud Isaiæ 61.* Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me; quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis] sic etiam cum absunt (quod nostrâ culpâ fit per peccatum mortale) magnam præbent materiam doloris vehementis, qualem sensit Iob, cũ in cap. 19. diceret, Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo, destruxit me vndique & pereo, quasi euulsæ arbori abstulit spem meam.] Et qualem sentiret mercator, qui multis laboribus ex India aduectas merces vno iactu taxilli miserè perdidisset.

Nu. 71. Væ illi qui passus talem iacturam nullo dolore tangitur, se fortè diuitem esse, nulliusque egere dicens (*vt ille de quo Apoc. 3.*) cùm verè miser sit & miserabilis, pauper & nudus] vtpote qui ad instar descendentis ab Ierusalem in Hiericò *Luc. 10.* spoliatus bonis omnibus, & plagis impositis semiuiuus relictus; sic priùs lucrata perdiderit, vt ei commoditas in posterum lucrandi adempta sit: Immo qui in longè misseriore statu, quàm ille coniectus sit, prout lõgè grauior, perniciosiórque est bonorum spiritualiũ & æternorum, quàm corporalium, & caducorum iactura: minusque pernicioſæ sunt plagæ corporis, quàm plagæ animæ; cui tandẽ adferunt mortem, *de qua Psal. 33.* Mors peccatorũ pessima] & interea semiuiuũ relinquentes peccatorem: nempe viuẽtem quidem carne, sed mortuũ Spiritu. Adde ad eiusmodi iacturam & plagas animæ, accedere reatum, quo peccator debitor est pœnæ ignis æterni, parati Diabolo & Angelis eius, *vt patet ex sententia in eos proferenda, ex D. Matth. 25. cap.* Plerumque etiam accedere temporalia detrimẽta infamiæ, morborum, paupertatis, & indigentiæ. Accedere denique ad miseriæ cumulum, quod, anima peccato mortali inquinata, sit vt nauis vndique agitata ventis, à nautis deserta: ciuitas præsidio militum destituta, quæ ab hostibus cingitur, & in qua ciues dissident, & proditores consilio præsunt: aut virgo à procis vndique solicitata, quam pater custos castitatis eius deseruit: vel vidua solatio destituta: cui vndique lites intentantur, & molestiæ inferuntur. Quò spectare censeri potest illud *Psal. 70.* Consilium fecerunt in vnum dicentes Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.]

De eadem quartò, ex multitudine & magnitudine malorum, quæ per peccatum mortale incurruntur.

Sectio VI.

PErnicies quam peccatum mortale adfert, cum iactura bonorum coniunctam habet inuectionem multorum & ingentium malorum: quorum alia iam sunt præsentia, & alia adhuc misericorditer à Deo differuntur, dante peccatori locum pœnitentiæ, quo abutitur in superbiam ex Iob. cap. 24. illáque plagarum, & hæc debitorum nomine intelligi possunt.

Plagæ quæ per peccatum mortale infliguntur animæ. §. 1.

PRima autem plaga est in animæ substantia, tum corruptionis cuiusdã, *iuxta illud Psal. 37.* Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ,] *& illud Psalm. 52.* Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus.] Tũ deturpationis: qua Dæmoni turpissimi, nigri & pallidi; nõ cœlestis sponsi puleherrimi, candidi & rubicundi (ex *Cantic. cap. 5.*) speciem referat: itaut in eam cadat illud *Thren. 4.* Denigrata est super carbone facies eorum,] & illud *Ezechiel. 16.* Abominabilem fecisti decorem tuum:] Tum denique monstrositatis, qua adinstar Nabuchodonosor *Dan. 4.* monstrosam quandam bestiarum speciem induit, *iuxta illud Psal. 48.* Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.] *Nu. 72.*

Secunda plaga est cæcitatis in intellectu; cuius iudicium, voluntas per peccatum peruersa, peruertit, vt malum dicat bonum, & contrà bonum, malum: *iuxta illud Isa. 5.* Væ qui dicitis malum, bonum: & bonum, malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.] Item illud *Psalm. 81.* Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant,] & illud *Sopho 1.* Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt] & illud *Sapien. 2.* Excæcauit illos malitia illorum. Id quod Sodomitis ita contigit, vt simul cæcitate oculorum percuterentur, *Gen. 19.* Et illud *Prouerb. 4.* Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.] Nimirum sicut Balaam *Numerorum 22.* (qua comparatione D. Petrus *in 2. sua Epist. cap. 2.* vtitur) nescisit Angelum ante se stare districto gladio, quia via illius erat peruersa. Adde etiam illud *ad Ephes. 4.* Hoc dico, & testificor, vt non ambuletis, sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum.] Ea igitur quæ illicitè amata, idem Apost. *ad Philip. 3.* arbitratus est vt stercora, intellectum excæcant, sicut & stercus hirundinum cadens in oculos Tobiæ cæcitatem ei attulit, *Tob. 1.*

Tertia plaga est obliuionis Dei in memoria: *de qua Deut. 32.* Oblitus es Dei creatoris tui,] & *Psal. 9.* Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferentur iudicia tua à facie eius.] *Et Psal. 53.* Non proposuerunt Deum ante conspectum suum:] & *Psal. 85.* Non proposuerunt te in conspectu suo.] & *Psal. 105.* Obliti sunt Dei qui saluauit eos.]

Quarta plaga est peruersitatis in voluntate: qua seruituti appetitus (*tanquam domina ancillæ nequissimæ*) ipsa addicitur, & famulari cogitur, quæ dominari deberet: peccatum enim propensioni illi: *de qua Gen. 8.* Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia,] tanquam ferocissimæ bestiæ frænum detrahens, aut tanquam intemperatissimo mancipio libertatem tribuens; omnia perturbat & peruertit; nec sensui obtemperanti rationi, nec rationi obtemperanti Deo, ob omnem humanum; immo & diuinum timorem abiectum; sicut ei accidit, qui *Lucæ 18.* dixisse refertur, Deum non timeo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec hominem reuereor.] Quod autem filij huius sæculi, prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua.] *Luc.16.* id illis accidit sicut noctuæ contingit in tenebris meliùs, quàm aues reliquas volatum suum dirigere.

Quinta plaga est debilitatis in facultate exequendi constituentis eam infirmitatem, *de qua in Psal.6.* Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.] Ex quibus plagis intelligitur lapsum in peccatum rectè à Diuo Bernardo serm.1.in Cœna Domini, cõparari lapsui in cloacam plenam lapidibus: quo is qui labitur, non solum fœdatur; sed etiam in suis membris graniter læditur. Si quæ verò aliæ sint eiusdem modi plagæ, ea ad has reducuntur, quarum pernicies augent, per ea quæ secum ferunt detrimenta in bonis siue honorariis, siue pecuniariis, siue etiam corporeis.

Ratio qua ob acceptas per peccatum plagas, peccator ad illius odium inducendus est. §. 2.

Nu. 73. ATque per hæc adducetur peccator in odium peccati si inculcetur ei, quantam inde habeat occasionem erubescendi coram Deo & Sanctis eius de vilissimo, pauperrimóque statu, in quem se coniecit per peccatum. Namque adeo illum tales plagæ veris bonis exinaniunt, vt meritò possit vsurpare illud *Psal.72.* Ad nihilum redactus sum & nesciui;] sibique accommodare illud dictum diabolo, *Ezech.28.* Nihil factus es. Certè aperta est Apostoli doctrina *in priori ad Corinth.13.* dicentis, se sine charitate nihil esse.] Impudenter autem tale quid paruipendenti, quia commoditatibus temporalibus (quibus fortè Dei beneficio abundat) contentus est: inculcare oportet de talibus tanquam concessis ad procurandũ Dei gloriam, esse rationem reddendam vsque ad nouissimum quadrantem, *Matth.cap.quinto*, neque concessum esse illis diu vti; *iuxta illud Luc.* 12. quòd dicenti, Anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare;] respondebit Deus: Stulte hac nocte repetent à te animam tuam, quæ autem parasti cuius erunt:]& illud *Iob* 20. Gaudium hypocritæ ad instar puncti.] nec etiam talis vsus facit hominem contentum, seu quiete animi frui. Impij enim (*vt dicitur Isai.57.*) quasi mare feruens, quod quiescere non potest;] in quos proinde aptè quadrat illud *Psal.* 106. Anima eorum in malis tabescebat, turbati sunt & moti sicut ebrius: omnis sapientia eorum deuorata est;] itemque illud *Isai.*48. Non est pax impiis,] esto ducant in bonis dies suos: in puncto tamen in infernum descendunt, *Iob.* 21. Adde quòd risus dolore miscebitur & extrema gaudij luctus occupat] *Pron.*14. Item quòd abundantiam & delectationẽ ipsorũ sũma egestas molestiáq; excipiet. Sic enim is qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè, ne quidẽ aquæ guttã habere potest, qua linguam suam refrigeret, cruciatus in flamma,] *ex Diui Lucæ cap.16.* Et experitur verum esse de peccato, quod dicitur *prouerb.5.* Fauus distillans labia meretricis, nouissima autem illius amara quasi absynthium;] vrgendum vlteriùs est, cum talibus commoditatibus peccatores grauissimis vinculis onerari, de quibus *Prouer.5.* Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum cõstringitur;] *& Psalm.*37. Iniquitates meæ supergressę sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.] Cuius rei typum gessit Manasses inter cætera de se dicens in sua oratione *quæ habetur in fine Paralip.* Incuruatus sum multo vinculo ferreo, & non possum attollere caput meum. Talia vincula tunc demum sentiuntur à peccatore, cùm (ad instar auis escâ consumptâ) recedere conatur: prout Diuo Augustino accidit, *iuxta illud quod ait in libro 8. Confessionum cap.5.* Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed ferrea mea voluntate. Velle meum tenebat inimicus & inde mihi catenam fecerat, & me constrinxerat.] Sic autem constrictos pecca tores teneri ab immanissimo humani generis hoste captiuos ad ipsius voluntatem habetur ex 2. *ad Timoth. cap.*2. in fine, & in tali captiuitate, multa perpeti patet *per illud Psal.*31. Multa flagella peccatoris;] & illud, quòd qui peccauerunt, in inferno positi *ex cap.5. Sapien.* dixerit, Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.] Ex quibus intelligitur peccatoris duræ ceruicis (etiam abundantis commoditatibus huius vitæ) conditionem comparari posse cum ea, qua asinus, non quidem solutus cui insideat Christus ad ingressum triumphalem in Ierusalem, *vt Matth.* 21. sed ligatus ad obsequium crudelissimi Domini, onere graui oppressus, & fustibus crudeliter verberatus, cui ad esum suppetant aliquot cardui: cum quibus prædictę commoditates comparari possunt, sicut comparantur cum spinis in parabola de semente *Matth.13. Marci 4. Lucæ* 8.

De debitis quæ per peccatum mortale contrahuntur. §. 3.

QVòd attinet ad debita peccatoris, seu mala quibus post hãc vitam expositus est nisi resipiscat, *Nu.74.* ea talia sunt, quæ nec humana cogitatio comprehẽdere, nec lingua exprimere valeat: sicut nec præmia, seu bona iustis parata, *iuxta illud Apostoli 1. Corinth.2. ex Isaia.cap.64.* Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligũt illum.] Comprehenduntur autem nomine pœnæ æternæ damnationis, quę duplex est, vna dicitur pœna damni, qua pariter omnes damnati excluduntur à beatifica visione Dei, regnóque cœlorum, iuxta illud quod in Apoc. *cap. 21. sub finem* dicitur; quòd in eam quæ ibi describitur cœlestem Ierusalem non introibit aliquid coinquinatum.] Ad quod etiam facit illud *Psal.5.* Non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem.] Itemque illud *Psalm.* 72. Qui elongant se à te peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te] Accedit etiam, quòd ratio talis exclusionis sit carentia charitatis, tanquã vestis nuptialis, qua spoliamur per quodcumque peccatum mortale. Altera verò pœna æternæ damnationis, dicitur pœna sensus: qua torquentur damnati impariter, pro imparitate numeri & grauitatis peccatorum ab vnoquoque commissorum, iuxta illud *Apoc.*18. Quantum se glorificauit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.] Vnde fit vt homo qui plura & grauiora peccata (de quibus non egit pœnitentiam) commisit, quàm multi Dæmones; vnus plura & grauiora quàm multi illi patiatur tormenta: cùm nõ sit personarum acceptio apud Deum, vt antea pluribus sacræ Scripturæ locis citatis habitum est.

Quàm autem horrenda sit istiusmodi pœna, colligere licet ex sententia, per quam eidem sunt à Christo addicendi miseriæ: cùm ex *Matth. 25. cap.* *Nu.75.* dicet,

dicet, Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius.] Nam illud *Ite maledicti*, ostendit pœnam ignominiosissimam, quæ separat à societate Sanctorum cum Dei indignatione. Illud verò *in ignem æternum*, pœnam acerbissimam, eámque nunquam finituram. Illud denique, *qui paratus est Diabolo & Angelis eius*: pœnam immanissimam & ex nequissimorum societate molestissimam.

Ratio concipiendi odium peccati, ob debita, per illud contracta. §. 4.

Nu.76. COnsideret igitur Christianus, aut tanquam miles baptismali charactere Christi insignitus, mox coronandus, si legitimè certasset: aut tanquam filius adoptatus, mox ad regni solium ab adoptante euehendus, si paruisset, paternis iussibus: aut tanquã sponsa ad delicias regales (de quibus *Luc.* 22. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater regnum vt edatis & bibatis super mẽsam meam in regno meo.) mox admittenda, si fidem seruasset: Consideret inquam, se à tam fœlici conditione excidere per peccatum mortale: adeoq; exosum Deo reddi, vt is ipsũ tanquam nihili factum ac fœdissimè deturpatum, omninóque abominabilem, velit à domo sua alienũ esse & in infernum abiici, vt in cloacam sordiũ vniuersi receptaculum immundissimum: atque igne inextinguibili in æternum cum Dæmonibus cruciari absque vllo prorsus solatio: vt argumẽto est quòd (*ex cap.5. Sapien.*) Deus armabit creaturam ad vltionẽ inimicorum & pugnabit cum illo orbis terrarum cõtra insensatos.] Descendat in infernum viuens: ne descendat mortuus; seriò considerans *ex Iob. cap.* 10. terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarũ vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat.] Itẽ *ex Apocal.cap.*21. Stagnũ ardens igne & sulphure dæmonibus teterrimis tanquam serpentibus sæuissimis totum scatens: & tum ex aliis sacræ Scripturæ locis, *vt ex Isai.cap.*34. *a versu* 8. *& ex cap.*1. *Sophoniæ, a versu item* 8. tum ex libris piis in quibus de nouissimis hominis agitur, expendat omnis generis miserias ibi perferendas maiores ac molestiores, quàm mens humana capere possit vel lingua exprimere: eas vtcumque iudicant, qui ibidem constituti, præ angustia spiritus gementes (*ex cit. cap.5. Sapientiæ*) ac stridentes dentibus *ex cap.* 24. *&* 25. *D. Matth.* desiderant mortem fugientem ab eis, *ex Apoc.cap.*9. dicúntque montibus. Cadite super nos, & collibus operite nos.] *ex præceden. cap.* 6. *sub finem: & ex cap.*23. *D. Lucæ.* Ex qua consideratione si in peccatoris voluntate non excitetur motus, tum pudoris, de tam misero præsenti suo statu: tum timoris de impendente futuro omnium miserrimo: tum demum summi odij peccati, vt detestandi tantorum malorum fontis; vix aliud superesse videtur, quàm vt pro eo oretur: & moneatur de eodem misero suo statu per similitudinem, qua D. Paulus vtitur ad Hebr. 6. quod terra sæpe venientem super se bibens imbrẽ proferens spinas & tribulos, reproba est: cuius consummatio in combustionem.]

Nu.77. Itemque doceatur illam suam duritiem, non esse opus alterius, quàm Diaboli, tenentis ipsum captiuũ ad suam voluntatem iuxta Apostolum 2. *ad Timoth.* 2. Neque enim est Dei, nisi permittentis, vt in Pharaone: neque est naturæ opus: vt ex eo patet, quòd soleant homines tam faciles esse ad concipiendum, tum pudorem de turpitudine sui status; tum timorem impendentium sibi grauium malorum, tum demum odium eorum quæ grauiter eis nocent, vt difficillimum sit eos cohibere à talibus mõtibus & intra rationis limites coërcere. Neque refert quod tale quid eis contingat circa temporalia, quæ sensu percipiuntur. Nam spiritalia percipiuntur fide quæ certiorem notitiam dat, quàm sensus: spiritualiumque iactura infinitis partibus maior est & formidabilior: quàm iactura temporalium vt satis insinuatum est, à Domino nostro cum dixit *Luc.*12. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis, timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.] Itẽ (*quod benè notatum est à D. Chrysost. hom. 5. ad populum Antiochenum*) tristitia quam contritionem dicimus, concepta propter Deum de iactura spiritalium, est aduersus hanc remedium, *iuxta illud in posteriori ad Corinth.* 7. Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.] Suscepta verò tristitia de iactura temporalium, nihil ad eam resarciendam proficit: quantumcumque enim tristetur quis de liberis vel bonis amissis, vel de infamia aut morbis contractis, non ideo facta iactura resarcietur vt constat experientiâ. Itaque aduertat peccator induratus, quem suus tam miser status nihil mouet, quod in manu sit Diaboli carnificis sæuissimi: à quo ducitur ad æternum gehennæ supplicium: quandoquidem vita hæc nostra cursus est ad mortem, quam seuerum Dei iudicium sequitur, & cum eo supplicium peccatoribus impœnitentibus cõstitutum. Ducitur verò quasi obuerso dorso: ne ollam succensam sibi paratam videns, terreatur. Misereatur miser animæ suæ & dum ei conceditur remedium pœnitentiæ ad se liberandum, illo vtatur: cum ad id non desint ei inuitationes diuinæ misericordiæ: tum per interiores inspirationes, tum per exteriores monitiones siue prosperitatum siue afflictionum, siue etiã concionum ac bonorum exemplorum se offerentium. Quas imitationes, qui contemnit, quam malè sibi prospiciat pro eo tempore quo (ipso etiam Dæmone vrgente vt in desperationem inducat) compelletur ad tribunal tremendum & supplicium horribile faciem conuertere: Euiter dum potest comminationem factã *Prouer.*1. Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo] dumque licet dicat saluberrimum Peccaui; cuius singulæ literæ indices illi esse possint miseriæ, in qua versatur: puta 1. præmiis meritorum omnium priuatus. 2. egestate oppressus. 3. cœcitate mentis percussus. 4. charitate diuina spoliatus. 5. amaritudine repletus. 6. viam perditionis ingressus. 7. iram Dei meritus; certè si depulsa mentis caligine posset seriò dicere, Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper: seriò quoque vsurparet illud, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, &c.

CAPVT SEXTVM.

De confessarij prudentia in dirigendo Pœnitente ad contritionem executioni mandandam.

SVMMARIVM.

78 *Maxima Dei miseratio in peccatores, qua pro illis ad pœnitentiam vocandis, misit vnigenitum Filium suum.*

79 *Miseratio qua homines peccatores ad ipsum reuertentes recipit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

80 *Miseratio qua benignissimè ad se vocat, patientissimèque suffert peccatores.*
81 *Miseratio qua velut naturali propensione miseretur peccatoris.*
82 *Miseratio liberalissimè offerentis peccatori veniam suorum peccatorum.*
83 *Nulla est grauitas aut multitudo peccatorum ob quã Pœnitenti desperandum sit de Dei misericordia: & qualiter ad spem concipiendam excitari possit.*
84 *Continuatio diuinorum in nos beneficiorum tum communium tum particularium.*
85 *Dignitas contritionis.*
86 *Facilitas tum euadendi æternam damnationem, tum gratiam & cætera diuina dona recuperandi, tum etiam consequendi vitam æternam beneficio contritionis.*
87 *Vtilitates contritionis, repurgandi animam à peccatis claudendi infernum & aperiendi cœlum.*
88 *Non esse fastidiendam contritionem ob illius difficultatem.*
89 *Rationes quibus potest Pœnitenti dissuaderi contritionis dilatio: ac primò ex periculo in mora.*
90 *Deinde ex difficultate quam talis mora parit resurgendi à peccato: & facilitate quam adfert labendi in nouum peccatum.*
91 *Postremò ex miseria quæ in tali mora notatur.*
92 *Illusio Dæmonis in nectenda tali mora.*

VT nonnullis corpore ægris vsuenit, desiderate quidem liberationem à morbo, quo detinentur, propter multitudinem tum commoditatum quibus priuat: tum incommoditatum quas adfert; auersari tamen sumptionem potionis ad illam consequendam necessariæ: sic etiam quibusdam peccatoribus contingit, vt optent quidem peccatorum suorum, præsertim mortalium, remissionem tot quot ante dicta sunt detrimenta adferentium: auersentur tamen executionem contritionis necessariæ ad eamdem remissionem: quod prouenire potest, vel ex quadam desperatione consequendi talem remissionem: vel ex quodam horrore contritionis tanquam ex nausea potionis amaræ ægro oblatæ: vel ex quadam socordia per quam illius executio differtur de die in diem: vel denique ex ignoratione modi eam exequendi, quæ anxium reddens, ab ipsa executione auocat. Quæ cùm ita sint, prudentiæ erit Confessarij primò Pœnitentem suum cum necessarium esse viderit, in spem diuinæ misericordiæ erigere. Secundò ei gratam reddere contritionem. Tertiò dissuadere illius dilationem. Quartò rationem illius exercendæ ei tradere: quam persequemur separatim in sequenti cap. De cæteris verò dicemus in præsenti.

De erigendo Pœnitente in spem diuinæ misericordiæ.

SECTIO I.

PErtinet igitur primò ad istiusmodi prudentiam Confessarij, vt pœnitentem erigat in spem veniæ à Deo consequendæ, cùm illum aduertit ita perterritum consideratione diuini iudicij, & multitudinis ac grauitatis suorum peccatorum vt ad desperationem inclinare videatur. Ad id autem conferre potest commemoratio miserationum quas Deus exercet, exercuitque in peccatores: sicut commemoratio iudiciorum confert ad durum perterrendum.

Nu. 78. Principalis autem huiusmodi miseratio, est quòd Dei filius venerit peccatores ad pœnitentiam vocare *Matth.* 9. atque adeo nascens dederit se in socium, conuescens in edulium, moriens in pretium, regnans daturus se in præmium. Nimirum, vnigenitus Dei filius per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil quod factum est: de sinu Patris in terram descendens vt quæreret & saluum faceret quod perierat: non tantùm se exhibuit peregrinationis nostræ socium, sed etiam in ea mortem acerbissimam pro nobis passus est. Immo & seipsum in eadem dedit in cibum, daturus in patria, quod disposuit nobis regnum, vt edamus & bibamus super mensam suam in regno suo.] *Lucæ* 22. Vbi & Aduocatus noster est apud Patrem, & propitiatio pro peccatis nostris.] *primæ Ioan.* 1. Hæcque sunt vnguenta pretiosa, quæ diuina bonitas in nos peccatores effudit, vt post se traheret, & in eorum curreremus odorem (*quod petit sponsa Cant.* 1.) confidentes in ea charitate ineffabili qua sic dilexit mundum vt vnigenitum suum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat sed habeat vitam æternam.] *Ioan. tertio.* quáque idem Filius humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis] *ad Philip.* 2. vt exaltatus à terra omnia traheret ad seipsum] *iuxta ipsius prædictionem Ioan.* 12. Ergóne diffidemus de eo qui proprio Filio nõ pepercit, sed pro nobis tradidit illum: quomodo enim non etiam omnia nobis cum illo donabit?] *vt D. Paulus argumentatur ad Rom.* 8. Quin potius, hauriemus aquas de fontibus Saluatoris] *iuxta prædictionem Isaiæ cap.* 12. h oc est, Ex seria consideratione eorum quæ Christus pro nobis egit & passus est, spirituales lachrymas ciebimus, compungemúrve de tanta tamque enormi nostra ingratitudine, quanta est peccantium in talium beneficiorum largitorum amantissimum: ratione quorum infinitis nominibus, illi omnis laus, honor, & glória, perpetua gratiarum actio, perpetuúmque obsequium à nobis debetur.

Altera miseratio est qua peccatores reuertentes *Nu.* 79. ad se recipit benignissime, prout ostendit parabola de prodigo. *Luc.* 15. Neque eos exhorrescit, quantumuis abominabiles: sic enim non exhorruit confitentem latronem, nec lachrymantem peccatricem, nec Chananęam supplicantem, nec deprehensam in adulterio mulierem: nec sedentem in telonio Matthæum, nec orantem publicanum: nec discipulum negantem, nec persequentem Apostolum, nec demum suos crucifixores ad ipsum reuertentes reiecisset: pro quibus ipsum ridentibus, orauit pendens in Cruce. Quamprimum Dauid Pœnitens dixit [Peccaui Domino] audiuit à propheta [Dominus quoque transtulit peccatum tuum.] 2. *Regum* 12. Facinorosissimi reges (Manasses inquam, 2. *Paralip.* 33. & Nabuchodonosor, *Dan.* 4.) conuersi ad Deum, statim sunt ab eo misericordiam cõsecuti. Hinc ipse Dauid *Psal.* 76. Nunquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet vt complacitior sit adhuc: aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem: aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas?]

Tertia miseratio, est benignitatis patientiæ & suauitatis, qua vtitur in reuocandis ad se peccatoribus in viam salutis. Hanc ostendunt tum illud *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos] tum illud *Apoc.* 3. Ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit, intrabo & cœnabo cum illo, & ipse mecum] tum etiam illud *Isaiæ* 3. Expectat Dominus vt misereatur vestri & ideo exaltabitur parcens vobis] *& in sequen. cap.* 45. Conuertimini ad me & salui eritis omnes fines terræ, quia ego Deus & non est alius.] Ecce qui *Nu.* 80.

qui non minus nos, quàm Angelos peccantes, posset statim in infernum præcipitare, & alios Abrahæ filios sibi de lapidibus excitare.] *Matth.* 3. non modo tempus ad horrendum illud supplicium per Pœnitentiam euadendum, misericordissimè concedit (*misericordiæ enim Domini quod non sumus consumpti Thren.* 4.) sed etiam ad vtendum beneficio tam insigni, benignissimè inuitat.

Nu. 81. Quarta miseratio est, qua velut naturali propensione Deus miseretur peccatoris: & quasi inuitus ad illius punitionem procedit. Hinc Ezech. 18. dicitur nolle mortem peccatoris sed magis vt conuertatur & viuat:]& Ecclesia ipsum orans ait: Deus cui proprium est misereri semper & parcere.] Sicut nimirum proprium est apum semper mellificare: non est autem pungere, nisi cum irritãtur: ita Dei proprium est semper misereri: punire autem solummodo cùm prouocatur. Vnde tanquam ab hoc alienus nobis proponitur per illud *Isa.* 28. *de ipso dictum.* Irascetur, vt faciat opus suum, alienum opus eius vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.] Et per illud *in præcedenti cap.* 1. Heu consolabor super hostibus meis & vindicabor de inimicis meis.]

Nu. 82. Quinta miseratio est, liberalissimè offerentis Pœnitenti veniam suorum peccatorum: perinde acsi reum læsæ maiestatis extremo supplicio afficiendum, Rex ad se vocatum inuitaret ad petendam veniam, libentissimè concessurus eam Pœnitenti, & emendationem ex animo pollicenti. Hanc indicant tum illud *Ierem.* 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me & susципiam te.] Et paulo post. Saltem à modo voca me, pater meus, dux Virginitatis meæ tu es,] tum illud *Isai.* 49. Nunquid obliuiscì potest mulier infantem suum vt non misereatur filio vteri sui: & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui,] tum Demum illud (vt cætera omittam) *Cant.* 4. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis:] *Et cap.* 6. Reuertere reuertere Sunamitis: reuertere reuertere & in-

Nu. 83. tueamur te.]

Ne autem quis ob grauitatem aut multitudinem suorum peccatorum se à tanta benignitate excludi existimare debeat, facit illud Domini *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos.] Qui enim omnes dicit, nullũ excipit. Igitur quisquis est amaro animo, hortante Dauide *in Psal.* 33. gustet & videat quam suauis est Dominus: sibique persuadeat, quòd is solus sit vir beatus, qui sperat in eo.] Etenim vocans eum ad se caro, tantùm dicere potest, inficiam: mundus verò, deficiam: & Diabolus, decipiam ac interficiam; solus autem Christus, reficiam. Quid ergo restat nisi vt statuat apud se cum eodem Dauide *Psal.* 72. Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Deo Spem meam:] & vt in spiritu humilitatis animóque contrito cum eodem, *in Psal.* 34. precetur, Dic animæ meæ salus tua ego sum,] & cum S. Iob *cap.* 13. Manum tuam longè fac à me & formido tua non me terreat.] Ac demum seipsum excitet ad sentiendum de Deo in bonitate per illud Psal. 41. Quare tristis es anima mea & quare conturbas me? spera in Deo, &c.]& illud *Psal.* 102. Benedic anima mea Domino & noli obliuiscì omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitã tuam, qui coronat te misericordia & miserationibus, &c.] Illum autem ad hæc, isto ferè modo hortari poterimus. Ne quæso fugias bonum pastorem qui pro ouibus animam suam posuit: & post errantem vadit, & quærit, inuentámque imponit humeris, & lætus reportat ad ouile *Lucæ* 15.] Pius Samaritanus (*Lucæ* 10.) te spoliatum & plagis impositis semiuiuum relictum, iumento suo imponet & de tua curatione erit solicitus. Aspice aditantem tibi, seque dimittentem vt te iacentem subleuet, & audi exigentẽ tuũ concursum per illud *Ier.* 1. Conuertimini ad me ait Dominus exercituum, & ego conuertar ad vos,] ac etiam per pœnitentiæ præceptum à quo suas conciones inchoauit *ex Matth. cap.* 4. *cum dicitur.* Ex inde cœpit Iesus prædicare & dicere, Pœnitentiam agite, appropinquabat enim regnũ cœlorum.] Audi precor benignissimam illam cohortationem Domini Dominantium *Ezech.* 18. Proiicite à vobis omnes præuaricationes vestras in quibus præuaricati estis: & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Et quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus: reuertimini & viuite.] Animaduerte quæso, quod constrictus peccatorum tuorum funibus, tenearis à Diabolo captiuus, ad ipsius voluntatem excarnificandus: quodque tibi Christus occurrat vltrò offerens libertatem filiorum Dei, si pœnitere velis. Id quod te facere, & est rationi consentaneum: & tibi facile: ipso præsertim opem ferente iuxta illud promissum suum *Ierem.* 1. Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos.] Quod facturus esses pro temporali corporis tui vita (*si traditus carnifici exurendus flammis*, te ad se Rex benignè inuitaret, *pœnitenti pollicens liberationem à supplicio: & suppeditationem necessariorum ad vitam iucundam*) ne detractes facere pro æterna animæ tuæ morte vitanda, æternáque vita consequenda. Tanquam alter Saulus (*Actorum* 7.) persecutus es Christum peccando (*iuxta illud ad Hebr.* 6. Rursum crucifigentes Christum in semetipsis) circumfulget te lux de cœlo: gratia scilicet Dei te præueniens, audi interiùs vocantem & dicentem: quid me persequeris? & responde humiliter, Domine quid me vis facere? atque adi Ecclesiam: illéque ad te diriget, à quo audias quid te oporteat facere: nempe idoneũ Confessarium tanquam alterum Ananiam: cui obediens ipse restituet te spirituali sanitati per absolutionem sacramentalem: squammis peccatorum cadentibus de oculis cordis tui, vt visum recipias ad videndũ & gustandum quoniam suauis est Dominus & quòd Beati qui sperant in eo Psal. 33.]

Postrema miseratio cæteras complectens numero plurimas, est continuationis diuinorum in nos beneficiorum tam communiũ, quàm particularium, quibus nos Deus ad se allicit ad instar mulieris grana manu deiicientis in terram, vt pullos certa voce vocatos attrahat ad se. Communia beneficia indicantur in Symbolo Apostolorum, & reducuntur ad creationem, redemptionem, iustificationẽ & glorificationem. Particularia verò diuersa sunt diuersorũ, à quibus ea notari debent, quia plurimum valent ad erigendos ipsos in spem diuinæ misericordiæ, & ad admittendam cum perfecto voluntatis consensu præparationem, qua modo admirabili peccatorem, etiam alia cogitantem, dignatur Deus disponere ad diuinæ suæ gratiæ receptionẽ. Qui modus talis esse solet. Primò mentem occupans, eam sic illustrat, vt moueat ad cognoscendam rerum caducarum vilitatem, & ad considerandum vitæ propriæ statum, positis ei ante oculos periculis in quibus versatur. Deinde timorem diuinorum iudiciorum incutiat. Tum ad spem veniæ consequendæ eum erigat ex cõsideratione infinitæ misericordiæ diuinæ: ex eáque (*in indignos & ingratos summam Dei bonitatem ostendente*) tandem perducat ad affectum pietatis erga Deum ipsum: ex quo affectu sequitur dolor de commissa eiusdem offensa; seu contritio, quæ est proxima dispositio ad ipsam diuinam gratiam recipiendam. Qua

Nu. 84.

nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil potest nobis contingere melius, nec fructuosius: vtpote quæ conciliatrix est bonorum, & expultrix malorum, de quibus dictum est in præcedenti capite.

De contritione reddenda Pœnitenti grata.

Sectio II.

PErtinet secundò ad propositam Confessarij prudentiam, vt cum notauerit suum Pœnitentem auersari aut fastidire contritionem, conetur eam illi reddere amabilem & gratam: quod cum Dei auxilio obtinere poterit maximè, proponendo illi eiusdem contritionis tùm dignitatem eximiam, tùm etiam vtilitatem maximam.

De dignitate contritionis ex illius effectis. §. 1.

*Nu.*85. DIgnitas autem in hoc consistit, quòd à Deo tanti fiat, vt per eam facilis sit, nó modo emundatio à turpissima peccati macula: sed etiam euasio mortis æternæ, & recuperatio gratiæ perditæ, cæterorúmque donorum, quæ cum ea datus Spiritussanctus effundit in corde accipientis: (*ad Rom. cap. 5. versu 5.*) & demum adeptio vitæ æternæ. Quibus nihil optabilius potest esse peccatori seriò consideranti, ante se quidem, tremendum tribunal diuini iudicij, ad quod incessanter properat propiúsque quotidie accedit, sicut & ad mortem, cui illud proximè succedit, dicente Apostolo ad Hebr. 9. Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.] Post se verò multa peccata commissa & merita omnia amissa: iuxta illud quod de iusto auertente se à iustitia sua, & faciente iniquitatem, dictum est Ezech. 18. Iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur.] Supra se autem, Deum iratum & ad puniendum paratum: *iuxta illud Psal. 7.* Deus Iudex fortis & patiens, nunquid irascitur per singulos dies: nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis.] Infra se porro, Infernum, hoc est, *ex Iob. cap. 10.* Terram miseriæ, vtpote locum tormentorum, tum animæ tum etiam corporis: tum quoad totam substantiam, tum quoad omnes facultates: omnisque consolationis adeo expertem; vt cruciato in flamma; ne quidem aquæ guttula suppetat ad linguæ refrigerationem *Luc. 16.*] Terrá item tenebrarum: vtpote quæ conuersa in sulfur, & torrentes ipsius in picem ardentem (*ex Isaiæ cap. 34. vers. 7.*) est ad instar clibani ignis (*ex Psal. 20. versu 10.*) flammam intra se retinentis, ex fumi abundantia totam caliginosam & tenebrosissimam. Vmbra porro est mortis: quia cum ibi miseri maximos patiantur dolores & angustias, iis comparandos qui acerbissimi contingunt morientibus; non tamen ideo moriuntur, *iuxta illud Apoc. 9.* Desiderabunt mori & mors fugiet ab illis.] Vbi præterea nullus est ordo: quia omnia ibi geruntur cum deprauatissima voluntate. Sempiternus quoque horror inhabitat: ex pœnarú varietate, & ex tortorum sæuitia, *qui ex Ierem. cap. 16. versu 13.* nullam dant requiem: & ex vocibus clamantium & vlulantium præ dolore, *ex Isaiæ cap. 65. vers. 14.* ac demum ex flammæ obscuritate & timore cum formidine. Illic enim ignis crucians, non illuminat, nec metus amittitur, cum semper tolerari incipiat quod timebatur. Ad quam terram finali sententiá Christi, relegandi sunt peccatores cruciandi cum Diabolo & Angelis eius Matth. 25. Denique considerantí à dextris quidem ciues cœlestes contr istatos de ipsius statu perditionis: à sinistris verò; Dæmones tenentes ipsum captiuum executuri dictam maledictionis sententiam. Quæ cum ita sint, atque aduersus talia contritio sit speciale ac singulare remedium: dubium nó est quin maximè optabilis sit, gratissimáque debeat esse cuilibet (*iuxta Sapientis monitum Ecclesiastici, cap. 30.*) Miserenti animæ suæ placendo Deo. Quod enim per eam possit peccator tot ac tanta incommoda euadere; constat ex diuino illo promisso *Ezech. 18.* Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas.]

Quam facile ex contritione effecta illius sequantur. §. 2.

IAm vero facilitas, cuius meminimus euadendi pœnam æternam per contritionem, declaratur exemplo illius qui in scelere deprehensus à Iudice, sine tergiuersatione damnatur morte, & constrictus vinculis ad patibulum ducitur. Semper enim sumus in conspectu Dei, siue bene siue malè agentes *iuxta illud Psal. 118.* Omnes viæ meæ in conspectu tuo:] sicque comprehensus in operibus manuum suarum peccator (*Psal. 9. vers. 17.*) sine tergiuersatione mortis sententiam accipit iuxta illud *Ezech. 18.* Anima quæ peccauerit ipsa morietur] & illud *ad Romanos 8.* Stipendia peccati mors.] Atque peccatorum suorum quasi finibus constrictus peccator *Prouerb. cap. 5.* ad patibulum, quod tanquam alter Aman sibi in inferno erexit, ducitur; supplicium ignis æterni subiturus: quod sine difficultate euadere potest contritus, dicente Deo *Ezech. 18.* Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis vita viuet & non morietur.] *Nu.*86.

Facilitatem quoque gratiam & alia diuina dona ac merita perdita recuperandi per contritionem, ostendit parabola de prodigo Luc. 15. cui pater pœnitenti, & ad se reuertenti obuiauit dato amplexu; stolam primam, calceamenta in pedibus, annulum in manu dedit. Sic enim Deus peccatori verè pœnitenti restituit gratiam cum donis supernaturalibus eam comitantibus, & meritis bonorum operum antea factorum in gratia. *Qua de re in tomo opusculorum, opusc. 5.* Suarez: in qua immorari non est præsentis instituti. Facilitas demum vitam æternam post admissum peccatum consequendi beneficio contritionis, illustratur exemplo illius, cui cum pinguissimum beneficium Papa pollicitus esset, si bene se gereret in suo obsequio; aliquid commisit, propter quod ille mutauit eam suam voluntatem: qui tamen eidem proponit optionem, vt si de tali offensa doleat ex animo, emendationisque firmissimum propositum concipiat, fruiturus sit promisso. Cuiusmodi optionem peccatori pœnitenti Deum similiter dare in ordine ad regnum cœlorum, satis indicant verba illa Domini nostri *Matth. 4.* Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.] Et illa *Ecclesiastici 12.* Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus:] restituendo scilicet eos suæ gratiæ, vt tandem faciat participes suæ gloriæ: iuxta illud *Psal. 83.* Gratiam & gloriam dabit Dominus: non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.]

***

De vtilitatibus contritionis. §. 3.

*Nu.*87. QVod attinet ad vtilitates contritionis eæ sunt: tum tres iam memoratæ, ex quibus tanquam præcipuis, spectauimus ipsius dignitatem: tum aliæ multæ eisdem coniunctæ. Contenti erimus tres referre. Prima est, repurgationis animæ à peccatorum sordibus & corruptione: vnde censeri potest contritio, fons ille potens domui Dauid in ablutionem peccatorum: *de quo Ierem. 13.* & comparari illi amaræ potioni quæ datur infantibus ad repurgandum vermibus stomachum ipsorum: aut etiam mari cadauera proicienti ad littus. Cui vtilitati alia duplex maxima, coniuncta est; tum vt anima fiat habitatio Spiritussancti, quæ erat Dæmonis, *ex cap. Resuscitatus De pœnitentia distinct. 1.* tum vt cum remissione peccatorum consequatur restitutionem præcedentium meritorum. Opus enim Diaboli non est fortius & efficacius opere Christi. Si ergo peccatum destruit gratiam & charitatem cum omnibus præcedentibus meritis: deletio quoque peccati, quæ opus Christi est, peccatum ipsum sic destruit, vt simul reparet quidquid per illud fuit perditum. Hinc in libro De vera & falsa Pœnitentia *cap. 14. tomo 5. operum Diui Augustini* dicitur: Pium est credere vt receptâ Dei gratiâ, quæ in Pœnitente destruit mala priora etiam remuneret bona: vt cum destruxerit quod fanum non inuenit, amet & diligat bonum quod etiam in peccante prius plantauit. Figura eius rei habetur in eo quod Ioëlis 2. ait Deus: Reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus & ærugo.]

Vtilitas secunda est, quòd contritio extinguat inferni incendium *iuxta illud ante citatum ex Ezech. 18.* Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.] Tertia est quod aditum aperiat ad gaudia regni cœlestis iuxta illud *Matth. 5.* Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur] & illud *Ioannis 16.* Tristitia vestra vertetur in gaudium] & illud *Psal. 125.* Qui seminant in lachrymis in exultatione metent. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos:] quod est facientes fructus dignos pœnitentiæ, repositam habere æternorum gaudiorum mercedem iuxta illud *Isa. 61.* Spiritus Domini super me &c. Vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis, pro spiritu mœroris.]

*Nu.*88. Neque est quòd quis rem tam salutarem fastidiat ob molestiam tristitiæ quam habet coniunctam: quia si talis molestia quotidie suscipitur pro damnis temporalibus quibus nullum adfert remedium, quis eam suscipere recuset ad tot ac tantas vtilitates consequendas: quot & quantas adfert contritio, præsertim cùm sufficiat talem tristitiam esse in voluntate; nec necesse sit redundare in sensum, vt iam in præcedentibus docuimus. Accedit quod non desit consolatio Spiritussancti mouentis & adiuuantis nos in tam salutari opere, *ex Concil. Trident sess. 14. cap. 4.* itaut dicere liceat *ex Psal. 93.* Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ ædificauerunt animam meam.

De dissuadenda Pœnitenti contritionis dilatione.

Sectio III.

PErtinet tertio ad propositam Confessarij prudentiam, vt cum inuenerit Pœnitentem bene quidem affectum ad contritionem; sed illius executionem velle diutius differre: studeat ipsum mouere, ad statim exequendam. Tum ex eo, quòd indignum sit, stare Christum ante ostium nostrum, seu expectare nos vt misereatur nostri, *Isaiæ 30.* nolque miseros negligere tantam misericordiam. Tum ex eo quòd temerarium sit vibratum in te gladium arcúmque tensum (*ex Psal. 7.*) non statim declinare, sicut & ignem te corripientem non statim excutere. Ne tardes (*inquit Sapiens Ecclesiastici quinto,*) conuerti ad Dominum & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius.] Et Dominus *Matth. 24.* Estote parati quia nescitis qua hora filius hominis venturus sit.] *Et Luc. 12.* Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit dominus meus venire & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere & inebriari: veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.] Neque dicas (*vt monet Sapiens in cit. cap. 5. Ecclesiastici*) Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.] Neque etiam nequam sis, quia ille bonus est, misericorditer te expectans ad pœnitentiam; ac etiam vrgens per immissiones morborum aliarumque incommoditatum huius vitæ: & terrores futuri iudicij, dando nobis significationem vt fugiamus (quod per contritionem fit) à facie arcus *ex Psal. 59.* tanquam misso Angelo qui districto gladio nos à via nostra peruersa reuocet ad instar Balaam, *de quo Numerorum cap. 22. & 2. Pet. 2.* *Nu.*89.

Tum etiam ex eo quod perniciosum sit in sordibus peccati diutius hærere: quia talis longior mora difficilem reddit reuersionem ad Deum per pœnitentiam. Cum enim longè sit à peccatoribus salus] *Psal. 118.* peccatum est quasi ventus contrarius, longè expellens à portu salutis: & quò grauius est, aut iteratur sæpius, eò longius expellit, & regressum facit difficiliorem. Ad quod pertinet illud *Ierem. 13.* Si mutare potest Æthiops pellem aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.] Tum præterea, quod peccatum disponat ad facilius labendum in nouum peccatum; quasi abyssó inuocante abyssum, & sanguine sanguinem tangente. Ad quod facit illud *Psal. 68.* Appone iniquitatem super iniquitatem eorum] Facit etiam illud *quod D. Paulus in cap. 1. ad Rom.* de gentilibus habet: ac illud *Apoc. 22.* Qui in sordibus est, sordescat adhuc.] Quibus accedit, quod excluso Spiritusancto & Dæmone dominante in anima, talis mora viam muniat (eodem Dæmone satagente) ad duritiam cordis: iuxta illud *Prouerb. 18.* Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnet.] *Nu.*90.

Tum denique ex eo, quòd si miserabile in regno sit, Regem potentissimum habere infensum, grauissima supplicia inferre parantem, nihil de illo placando curare oblata commoditate: longè miserabilius sit Regem Regum sic habere iratum, vt statuat illa punire æternis suppliciis, supra quam cogitari potest grauissimis: & nihilominus negligere oblatam de præsenti occasionem (expectatá futurá omnino in- *Nu.*91.

Universidad de Deusto
Biblioteca

certâ) reconciliandi eum sibi per cõtritionem *de qua Psalm.*50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.] Certe per mortem tollitur nobis omnis talis occasio : quandoquidem solum tempus huius vitæ, est tempus obtinendi à Deo misericordiam & liberationem à reatu æternæ damnationis : cui obnoxij sunt, qui se addixerunt Diaboli seruituti. De qua Ioannis 8. Qui facit peccatum seruus est peccati, 2. *Pet.* 2. A quo quis superatus est, eius & seruus est.] Tollitur, inquam, omnis talis occasio, quia in morte *ex cap.*11. *Ecclesiastis* : si ecciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonẽ, in quocumque loco ecciderit, ibi erit. Hortante igitur Apostolo *ad Gal.* 6. Dum tempus habemus operemur bonum.] & maximè bonum contritionis, per quod à Deo in animam cætera deriuantur.

Nu. 92. Nec sinamus nobis illudi à Diabolo, qui solet ab illius saluberrimo vsu eos quos captiuos tenet auertere, obtrudendo cõuiuiorum, ludorum, chorearum aliorumque id genus oblectationes: cum quibus cõtritioni tam vacari non potest, quàm nemo potest simul flare & sorbere, vt habet prouerbium. Qua in re idem facit callidus hostis, ac facetè is qui detractam puero pretiosissimam gemmam, pomum ne fleat offerret, non dando in manu, sed ostendendo à longè. Ingerit enim recordationem præteritarum voluptatum temporalium, per quam fastidium inducit æternarum: sicut memoria carnium & cæterarum rerum quibus Israëlitæ vsi fuerant in Aegypto, illos fecit fastidire manna suauissimum, quo alebantur, & abiicere desiderium terræ promissionis *Num. cap.* 11. cum quo fastidio inducit pœnitentiæ horrorẽ, qualem iidem Israëlitæ habuerunt deserti, per quod iussu Dei eundum illis fuit ad terram promissionis.

CAPVT SEPTIMVM.

De ratione exercendi contritionem.

SVMMARIVM.

93 *Spectantia ad exercitium contritionis de peccatis mortalibus.*
94 *Ratio ritè fructuoséque talis exercitij perficiendi.*
95 *Ratio exercendæ contritionis de venialibus.*
96 *Peccatorum venialium indignitas perniciosa.*
97 *Qualiter oporteat de peccatis venialibus coram Christo confundi.*
98 *Ratio trinæ tunsionis pectoris, dicendo mea culpa, &c. in signum contritionis.*

PERTINET adhuc ad propositam Confessarij prudentiam, non tantùm vt suum Pœnitentem ad cõtritionem exercendam excitet, sed etiam cùm opus esse viderit, instruat de ratione illam exercendi : de qua ideo dicemus, & paucis. Contritio igitur vel habenda est de peccatis mortalibus vel de venialibus.

Ratio exercendi contritionem de mortalibus. §. 1.

Num. 93 SI de mortalibus ; primò relinquere oportet affectum peccati. Secundò sumpto tempore locoque idoneo, petere à Christo gratiam recordandi ac cognoscendi peccata à nobis commissa, de illisque dolendi. Tertiò reuocare in memoriam multitudinem eorundem peccatorum. Quartò indignitatem & perniciem illorum (de quibus in præced. ca. quinto) ponderare: simulque de illis dolere propter Deum, & veniam petere, cum spe eam obtinendi, & cum proposito non relabẽdi siue in eadẽ, siue in alia mortalia: ac de eis suo tempore confitendi & pro eis satisfaciendi.

Ad ista autem rite peragenda & fructuosè, iuuerit *Nu.*94. prouidere Christum ante conspectum nostrum : & contritionem (quæ donum Dei est, *vt habet Concil. Trident. sess.*14. *cap.*4.) ab eo petere cum animi demissione. Deinde concepta fiducia de ipsius misericordia, erigere mẽtis oculos ad ipsum qui *ex Sapien. cap.* 11. diligit omnia quæ sunt & nihil odit eorum quæ fecit] intuendo quantopere peccatum, oderit : adeo nimirum vt voluerit creaturas suas præstantissimas, tam Angelos quam homines ob ipsum, grauissimis addictas suppliciis æternis. Tertio considerare quòd vt ab eisdem suppliciis nos eriperet, pro iis satisfaciendo diuinæ iustitiæ, misericordissimè dolores immensos ac mortem acerbissimam perferre voluerit. Denique ex tanta erga nos misericordia, qua nobis suo sanguine gratiam promeruit, & peccatorum remissionem erecti in spem & desiderium liberationis ab æterna illa miseria : ipsum liberatorem nostrum magno amoris affectu complecti : vt redemptorem, satisfactorem & aduocatum nostrum : atque ipsam gratiam & peccatorum remissionem petere instãter. quam non negabit bonus pastor qui perditam ouem quæsiuit, humerisque suis impositam in ouile reportauit *Luc.* 15. Cui peritioni comitem adiũgere oportet considerationem qua coram ipso Christo, confundamur erubescentes de misero nostro statu : perpendentes, quid perdiderimus per peccatum mortale: nempe Deum bonorum omnium fontem, æternam fœlicitatem, atque adeo nosipsos. Quid acquisierimus; nempe æternas inferni pœnas cum animæ morte: in eo peioris cõditionis, quàm bestiæ effecti: vtpote duplicis mortis rei, cùm illæ vni tantùm sint obnoxiæ. Expendendo præterea summam peccati: tum indignitatem, de qua antea nu. 59. & aliquot sequẽtibus tum etiã ingratitudinem nostram qua peccãdo, iniquissimè insurrexerimus aduersus Deũ optimũ maximũ, ac sanctissimum, & in nos beneficentissimũ: támq; nostri amantẽ, vt pro nobis mori dignatus sit, cui proinde tanquam munificentissimo benefactori, gratiam referre ; & tanquã principi summo, obsequium & honorẽ deferre omni iure debuimus: peruersè autẽ ei obstiterimus ipso inspiciente: immo rursum in crucem egerimus, eiusque sanguinem cõculcauerimus: vt pote id agentes, quod esset sufficiẽs causa mortis ipsius, & fructuum eiusdem, sufficiens impedimentum.

Ratio exercendi contritionem de venialibus. §. 2.

CVm autem contritio habenda est tantùm de ve- *Nu.*95. nialibus; oportet primò diligenter cauere ne nobis blandiamur, nec exuamus omnem affectum aut dispositionem ad illa ; occasiones dissimulando nec repellendo. Cuius rei gratia ad Christum recurrendum est, vt nobis det vires ad eam peragendam necessarias, & lumen ad detegendum, si quæ fraus fortè lateat. Secundò intueri Christum ipsum tanquam exemplar & ideam puritatis, ac sanctitatis infinitæ; cui nihil tam contrarium sit & abominabile, quàm peccatũ etiam veniale : quod cùm maculet animam, ad illius quoque deletionẽ, sanguinẽ suum fudit: ipse, qui *ex cap.*5. *ad Ephes.* voluit exhibere sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam.] Tertiò

tiò intueri nosipsos: expendendo primò peccatorum nostrorum varietatem & multitudinem: adde & alienorum, quibus cooperati fuerimus. Secundò quanta fuerit negligẽtia nostra & socordia in illis tauendis, quamque facile & temerè ; immo per contemptum quodammodo, & sudum commissa sint ; etiamsi nobis adfuerit sufficiens diuinorum notitia, cum diuinæ gratiæ impulsu : intermisue Spiritus sancti stimulis, ac externis adiumentis siue exemplorum bonorum siue sanctarum institutionum? Tertio quanta sit *Nu.*96. indignitas peccatorum etiam venialium ; quibus Creator & Dominus omnium ac munificentissimus bonorum innumerabilium largitor offenditur per summam impudentiam & ingratitudinem, à vilissimo mancipio misero, miserabili paupere, cæco, & nudo: cui, vt pote tepido, minatur Christus, *Apoc.* 3. Incipiam te euomere ex ore meo.] Adde & quibus in conspectu Christi inuerecundè polluitur maculatúrue anima, pro qua mundanda tãtopere laborauit; tam multa docuit, instituitque tum verbo, tum exẽplo : atque *ex eit. cap.* 5. mundatam lauacro aquæ in verbo vitæ, voluit mundam permanere in perpetuũ: hæc est enim voluntas Dei *ex priori ad Thessal. cap.* 4. sanctificatio nostra.] Et quamuis peccatum veniale gratiam non adimat animæ tamen tanquam displicens Deo, ipsam maculat ad eum modum quo filius coram patre maculam imprimens vesti noue pretiosæ, quam idem vult seruari mundam. Quæquidem displicentia tanti momenti est, vt nulla omnino de causa, peccatum quodcumque veniale censeatur licitum: ne quidem ad liberandum ab interitu totũ mundum : quia scilicet est contra Deum infinitum, omnibus rebus præferendum. Quibus denique tanquam sordibus cõtaminatur templum sanctum Dei, quod sumus nos *ex priori ad Corinth. cap.* 3. vnde quasi contristato Spiritu sancto: qui, *vt ibidem dicitur*, habitat in nobis: charitas quæ per eum diffunditur in cordibus nostris *ad Rom. cap.*5. refrigescit, & reliquæ diuinitus infusæ virtutes, non modo non augentur sed etiam opprimuntur : impeditæ ne erumpant in præclaras actiones: neque illas mittant, nisi remisse, languidéque, & veluti exangues quosdam fœtus. Præterea ad illuminationes & afflatus eiusdem Spiritus, atque monita Angeli custodis excipienda sentiendáque redditur animus durus & segnis : ac etiam redigitur in angustias quasdam tenebrarum, & molestiarum ac solicitudinum, assiduè spinarum instar pungentium : efficitúrque obnoxius pœnis grauissimis purgatorij in futura vita : in præsenti verò, omnis generis tentationibus in pœnam nostræ socordiæ: ob quam Diabolus permittitur nos aggredi audaciùs, siue solicitando ad peccata mortalia, ad quæ venialia ipsa procliuẽ parant lapsum; iuxta illud *Ecclesiastici* 19. Qui spernit modica paulatim dicidet] siue iniiiciendo scrupulos anxietatésue animi, quibus pax illius turbatur, quã vitæ puritas gignit: siue reddendo grauem & molestam, immo & vilem vitam spiritalem: quam cum suauem, amabilem & honorabilem reddat feruor amoris Dei, peccatum veniale diminuens ipsum, consequenter disponit animum ad spiritalis vitæ fastidium & contemptum.

*Nu.*97. Postremò oportet quasi rursum cõuersis ad Christum oculis, coram illo confundi de tam exigno nostro profectu, ac tanta nostra paupertate: cùm in suis donis erga nos adeo liberalis fuerit, condemnãtes nostram ignauiam, per quam tam steriles sumus & frigidi, vt nos non fœcundet, nec calefaciat sanguis Christi cum tanto feruore super nos effusi: postque tot accepta beneficia, adeo infideles sumus, & sine affectione tum erga Deum, quem fraudamus debito obsequio & gloriã : quæ ex vitæ nostræ puri-

tate illi accessissent; tum erga Sanctos in cœlo regnãtes, quos priuamus gaudio quod capiunt ex sancta nostra conuersatione: tum erga animas in purgatorio detentas, quibus non detulimus expetitam & expectatam à nobis opem; tum demum erga proximos adhuc viuentes quos malis exemplis remorati sumus in via salutis, cum debuerimus memores mortis acerbissimæ à Christo pro illis obitæ, sedulò operam ponere in iuuandis ipsis per preces, exhortationes, & exempla ad progressum in eadem via faciendum: id quod peccata etiam venialia impediunt vtpote quæ faciũt preces languidas, cohortationes frigidas, & vitam dissolutã & incompositã. Cum tali autem confusione oportet Christum ipsum intueri tãquam fontem omnis bonitatis, & misericordiæ abyssum, ab eóque per ipsius ac Beatæ Virginis, aliorumque Sanctorum merita, petere aquam illam viuã (de qua *Ioan.*4.) non tãtùm sordes peccatorum mundantẽ sed etiam restinguentem sitim malarum propensionũ nostrarum, quibus resistere oportet advitæ emẽdationem; cuius propositum firmum ira requiritur ad contritionem : vt sine illo nequeat ad Sacramentum pœnitentiæ sufficere, vt constat ex Cõc. Trident. sess. 14. cap. 4.

De trina tunsione pectoris dicendo mea culpa, &c. in signum contritionis.

SECTIO III.

LOcus hic exigere videtur, vt rationem reddamus communis vsus fidelium in Ecclesia, quo *Nu.*98. in signum interioris contritionis de suis peccatis, vtuntur illa repetitione verborum *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*: ad imitationem publicani *Luc.* 18. tundendo pectus, in quo sedes est cordis : ex quo peccata prouenire habetur. *Matth.* 15. *vers.* 19. & *Mar.*7. *vers.*21. Trina igitur repetitio verborum, cum trina pectoris tunsione, ostendit detestationem omnium peccatorum, nascentium (*ex primæ Ioan. cap.*2.) vel ex concupiscentia carnis, vel ex concupiscentia oculorum, vel ex superbia vitæ (quod est; prouenire ex inordinato amore vel voluptatum, vel diuitiarum vel honorum) & perpetratorum vel cogitatione, vel verbo, vel opere, idque vel contra Deum, vel contra seipsum, vel contra proximum. Quam detestationem comitetur dolor de amissa Dei gratia in præsenti vita; & gloria cœlesti in futura: deque obligatione ad inferni supplicium. Quo dolore tam iusto perculsi, confitentes aduersum nos iniustitiam nostram Domino, vt remittat iniquitatem peccati nostri, dicimus mea culpa : quia Dei & Spiritus sancti dona perdidi. Mea culpa : quia omni merito me spoliaui & me potestati Diaboli subdidi. Mea maxima culpa: quia reatum æternæ damnationis cõtraxi & inextinguibili igni ardoribusque sempiternis me addixi, auditurus tremendam illam Christi sententiam. Ite maledicti in ignem æternum: priuandus dulcissima Sacrosanctæ Trinitatis visione, & suauissima societate Beatissimæ Virginis & Sanctorum omnium. Non despero tamen, sed quamuis pauper & debilis, ac supra modum grauatus & infirmus, in lacu miseriæ & luto fecis mersus, iratumque habens peccatis meis Deum & Sanctos: recogitabo cũ Ezechia (*ex Isaiæ cap.* 38.) annos meos in amaritudine animæ meæ] dicens mea culpa Deus. Item cum Dauide *ex Psal.* 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis stratum meum rigabodi, cens mea culpa Deus: dimittam cum S. *Iob*, cap. 10. Aduersum

Universidad de Deusto
Biblioteca

me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, Mea maxima culpa. Peccaui enim cum Rege Manasse super numerum arenæ maris, & nõ sum dignus intueri altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum, quia excitaui iracundiam tuam & malum coram te feci.] *& catera quæ in ipsius oratione habentur addita ad libros Paralipomenon.*

CAPVT OCTAVVM.

De prudentia Confessarij in expendendo Pœnitentis proposito non peccandi de cætero, iuuandique ipsum aduersus recidiuum.

SVMMARIVM.

99 *Expendendum esse à Confessario propositum Pœnitentis.*
100 *Propositum Pœnitentis vt capax sit absolutionis, non tantum debet esse vitandi peccatum mortale, sed etiã occasionem ex qua illud secuturum probabiliter creditur.*
101 *Recidisse in peccatum non est signum impœnitentiæ sufficiens ad denegandam absolutionem.*
102 *Quod procedit etiam in eo qui pluries recidit, dummodo aliqua sit emendatio, aut emendationis inchoatio.*
103 *Praxis à Nauar. tradita quoad vexantem cum persona quæ illi est occasio peccandi.*
104 *Remedia aduersus recidiuum.*

Nu. 99. AD hanc Confessarij prudentiam pertinet, vt quia contritio cum detestatione & odio peccati requirit propositum firmum emẽdandi vitam, & abstinendi pro virili ab omnibus peccatis saltem mortalibus, proque commissis satisfaciendi: tum Deo, tum proximo per ea læso: Confessarius petat (si non appareret satis) An habeat tale propositum: sique deprehẽderit non habere satis firmum: neque ipsum satis paratum esse ad peccatum aliquod mortale relinquendum, vel illius occasiones proximas, vel ad resarciendum notabile damnum proximo à se iniustè illatum: conetur quacumque poterit accommodata ratione (maximè vrgendo peccati indignitatem & perniciem, vt suprà cap. 5.) animam ipsius Christo lucrifacere: sique nihil possit efficere, non absoluat sed dimittat ad imitationem dicentium *Ierem.* 51. Curauimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam] Attamen prius monitum de malo statu in quo permanet, & adiuncta exhortatione qua excitetur ad vacandum bonis operibus, & ad cauenda peccata vt præparetur ad receptionem diuinæ gratiæ, per quam ex illo statu perditionis emergat, antequam omnem emergendi facultatem mors adimat.

Proponentem verò seriò peccata relinquere, consolari oportet, proposita spe remissionis illorum per susceptionem Sacramenti, in quo Dei misericordia per meritum passionis Christi supplebit, quod ex parte ipsius defuerit: dummodo studeat facere quod in se est: & præsertim sincerè integréque confiteri de omnibus de quibus sentit conscientiam suam grauatam: dolensque de illis ex animo propter Deum, cõcipiat firmum propositum deferendi peccati statum.

Nu. 100. Quo quidem proposito carere censendus est, non modo is qui in aliquo mortali peccato sibi complacet, sed etiam is qui aliquam occasionem peccati mortalis non vult deserere: si infirmitatis propriæ sibi conscius, dubitet aut credat vel debeat probabiliter credere, se in peccatum mortale prolapsurum cà vtendo: nempe quia didicit experientiã se non subsistere datâ eiusmodi occasione, sed statim aut quasi statim cadere. Hoc annotans Caiet. *in Summula verbo periculum*, addit nullam necessitatem vtendi tali occasione, vincere obligationem abstinendi ab ea cùm *ex Ecclesiastici cap.* 3. Qui amat periculum in illo peribit] & dicat Dominus *Matth.* 5. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proijce abs te &c.] Vnde quod Nauar. habet *in Enchir. cap.* 3. *num.* 5. *litera f*, posse absolui adolescentes qui versantur inter mulieres, emendo, vendendo, & conuersando absque cohabitatione illarum in eadem domo: etiamsi nolint à tali conuersatione abstinere, quæ illis sæpe fuit occasio mortaliter peccandi verbis, aut tactibus impudicis, aut etiam copula: hoc, inquam, & quodcumque simile, in quo ibidem memoratus auctor facit libertatem absoluendi, sic temperandum videtur, vt minimè procedat quando Pœnitens expertus est, se tali occasione data, statim aut quasi statim cadere: nisi accedant nouæ rationes & circunstantiæ ob quas rationabiliter sperare possit se non peccaturum etiã tali occasione data. Confirmatur per illud, quod Nauar. ipse habet *ibidem lit. D*, occasionem propinquã, à qua Pœnitens necessariò debet abstinere, vt absolui possit: esse non tantùm eam quæ peccatũ est mortale; sedetiam eam ex qua, benè perpensis occurrentibus circunstantiis, credit aut credere debet Confessarius, Pœnitentem suum nunquam illã vsurum esse sine peccato: inter quas circunstantias si quæ valeat ad id persuadendum, maximè valet hæc: quòd Pœnitens expertus sit se tali data occasione statim aut quasi statim cadere. In illo enim (sito posito) nequeunt concurrere quatuor illa, quæ idem quoque Nauar. ibidem adhuc, lit E, requirit, vt absolui possit ille qui nõ vult relinquere occasionem peccati mortalis; quarum prima est, vera pœnitudo peccatorum. Secunda verum propositum nunquam redeundi ad illa. Tertia propositum semper, cum Dei auxilio, cauendi ne peccetur tali occasione occurrente. Quarta notabilis causa (verbi gratiã, pro subleuanda inopia, vel pro vitando scandalo, aut alio eiusmodi) non abstinendi se à tali occasione: nequeunt, inquam; quia saltem quoad secundam, eum qui non vult relinquere occasionem, quã datã sæpe expertus est se statim, aut quasi statim peccare, manifestum est non habere verum propositum nunquam redeundi ad peccatum. Et quoad tertiam probatur: quia non cauetur sed admittitur peccatum, subeundo tale periculum; de quo, si de quoquam alio, meritò intelligitur illud ante citatum Qui amat periculum in illo peribit.]

Pars altera capitis, De prudentia iuuandi relapsum in peccatum.

NOtandum est ex Nauar. in cit. cap. tertio num. 5. lit. I, si quis in idem peccatum reciderit, non esse illi eo solo nomine absolutionem negandam, tanquam impœnitenti: quia recidisse in idem peccatum, non est argumentum necessarium defectus veræ Pœnitentiæ, sed signum infirmitatis. Vnde communiter absoluuntur semel in anno confitentes, si nullum aliud adferant impedimentum, quantumuis in peccata de quibus confessi erant recidisse deprehendãtur. Procedit autẽ istud ex eodem Nauar. etiãsi cõfitens nolit abstinere ab eo quod fuit ei occasio recidendi: vt conuersatio cum aliqua persona, aut aliud simile dummodo non sit aliquid de se mortale: aut non sit occasio propinqua peccati mortalis, seu quã datã statim aut quasi statim cadatur in mortale, interueniantque quatuor circunstãtiæ antea memoratæ ex Nauarro ipso. *Nu.* 101.

Nu. 102. Procedit etiam in eo qui bis, ter, aut sæpius recidit: argumento eius, quòd non tantùm semel aut septies sed septuagies septies in nos peccanti parcẽdum sit. *cap. Septies. De Pœnitẽt. distinct.* 3. *ex Matth. cap.* 18. *& Luc.* 17. Attamen ex eodem Nauar. ibid. non videretur absoluendus Pœnitens reciduus, tanquam non dans signum sufficiens propositi firmi non peccandi de cætero, si nulla emendatio neque emendationis inchoatio præteritis vicibus in eo extitisse obseruaretur: aut si infirmitas imbecillitásque illius, aut ingens propensio ad peccatum aut externę occasiones recidendi persuaderent nullam secuturam emendationem.

Nu. 103. Vbi nota praxim quam idem addit pro casu difficili & satis frequenti, vt cum Pœnitens occasionẽ habet recidendi ex cohabitatione seu conuersatione cum aliqua persona, iubendum esse illi antequam absoluatur, vt forti, Christianóque animo dicat eidem personę, cum qua male versatur, & peccat: sibi denegari absolutionem nisi separentur: proinde vehementer obsecrare per Deum, vt ineant rationẽ, qua honestè separentur. Quo peracto (inquit ille) absoluerem concurrentibus quatuor antedictis circunstantiis, & postea quamuis non sequeretur separatio, si tamen sequeretur notabilis emẽdatio, absoluerem spe maioris correctionis futuræ, commẽdata re Iesu Christo Domino nostro, & vtendo prudentia ac circumspectione varia, quæ debet ob varietatem circunstantiarum adhiberi: proposito ante oculos, primùm remedio spirituali animarum, deinde etiam honoris & bonorũ temporaliũ quantum fieri posset. Hæc ille. Quibus exemplo tanti viri Confessarios in magnis & quotidianis difficultatibus vti non est inconueniens: dummodo procedatur cum illa cuius meminit circumspectione, & concepto timore quẽ tale negotium exigit; in quo Medicus ægrum suum occidendo, seipsum simul occidit: secus quàm accidat in curatione corporali.

Remedia aduersus reciduum.

Nu. 104. POrrò aduersus reciduum adhibẽda remedia, hęc ex Gersone commemorat Polancus *in direct. cap.* 3. *art.* 2. & cum eo Iacobus à Graphiis *lib.* 1. *decis. aurearum cap.* 29. Primum est sequenti die cum recidere contigerit, ieiunare in pane & aqua. Secundum recitare certũ Psalmorum numerum. Tertium aliquid charum, vel certè aliquam pecuniam dare in eleemosynam. Quartum confiteri intra triduum post peccatum commissum. Quintum cùm succumbendo tentationi contigerit consensus in peccatum, flexis genibus ad misericordiam Dei consequendam aliquas orationes dicere: aut certè, vt Iacobus à Graphiis attigit, cùm cæterorum præsentia id impedit, saltẽ manu ad pectus admotâ (quod fieri potest aliis non aduertentibus) dolere. Sextum recidiuo iuxta conditionem ipsius, & peccatorum grauitatem, vltra pœnitentiam quàm par fuerit impositam, iniungere aliquid recitandum, vt Pater & Aue: aut aliquid huiusmodi, in memoriam gratiæ resurgendi à Deo per Sacramentum obtentæ. Septimum addi potest ex Nauarr. *in Enchir. cap.* 26. *nu.* 25. vt contra tentationem peccati in quod relabi contingit, imploret diuinũ auxilium per preces alicuius Sancti qui virtute contrariã plurimum enituit: & vt firmiter proponat ac etiam interdum voueat, saltem ad tempus, se illam vel illam pœnitentiam facturum, si adhuc relabatur: tanquam sibi legem imponens, quã seipsum coërceat ac sibimet terrori sit: quasi Dei authoritate gladio accinctus ad pugnam, pro tuendo ipsius diuino honore aduersus proprios affectus: scilicet eos per Pœnitentiam mortificando. In qua pugna, difficultas illa occurrit, quòd is impugnandus sit, qui diligitur, *iuxta illud ad Ephes.* 5. Nemo vnquã carnem suam odio habuit, sed fouet & nutrit eam.] Verum amore coronæ gloriæ & timore gehennæ talis difficultas facile superatur, dum simul in mentem venit, quod regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud] *Matth.* 11. Quódque non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit] 2. *ad Timoth.* 2. Itemque veniunt præterea Sanctorum exempla, qui cum tanta austeritate vixerunt: ac etiam exempla illorum qui mundanam militiam sequuntur, in qua tam multa incommoda, & plerumque inani spe fulti perferunt. Non voueat autem, se nunquam tale peccatum admissurum, aut se ingressurum religionẽ si admittat: argumento cap. Clericos, de cohabitatione Cleric. & mulierum: in quo prohibetur ne Clerici concubinarij per iuramentum compellantur concubinas dimittere. Ad necessarium autem auxilium diuinum obtinendum, iuuerit petendo illud, humilitatem exercere (si tempus & locus patiãtur) flexis in terram genibus corã imagine Crucifixi, detestando nostram erga ipsum nequitiam & ingratitudinem: atque si placet osculando terrã ipsam à qua sustineri, nos reddidimus indignos. Etenim cor sic contritum & humiliatum non despiciet Deus. Addi potest ad extremum consideratio, quòd cùm turpitudo & pernicies peccati omnẽ aliam superet, (vt satis patet ex antedictis num. sexagesimo & aliquot sequentibus) quiddam tamen adhuc vilius & peius inesse censeatur in relapsu, quàm in peccatis primò commissis, iuxta illud Ierem. 2. Quàm vilis facta es, nimis iterans vias tuas:] & illud Prouer. 26. Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam] & illud Domini Matth. 12. & Luc. 11. Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.]

CAPVT NONVM.

De prudentia Confessarij in tranquillando Pœnitentis animo agitato scrupulis.

SVMMARIVM.

105 *Libertinis vtiles sunt scrupuli, timoratis pernicios.*
106 *Damna quæ scrupuli adferunt.*
107 *Præparatio ad diuinam gratiam per confessionem sacramentalem, humilitatem, & timorem Dei.*
108 *Aduersus scrupulos medicina: lectio librorum piorũ.*
109 *Oratio cum ieiunio & aliis bonis operibus, maximèque sacrosanctæ Eucharistiæ sumptio, aduersus scrupulos generalis medicina.*
110 *Pharmaca aduersus humores iudicium debilitantes, si inde scrupuli prouenire obseruentur.*
111 *Sequi prudentiorum & bonorum iudicium, remedium est aduersus scrupulos accommodatum.*
112 *Est item secundum idem iudicium, & nonnunquam secundum proprium, scrupulos impugnare ac repellere.*
113 *Contemnendos esse insurgentes scrupulos.*
114 *Agendum esse contra scrupulos, nec cedendum esse il-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis per pusillanimitatem.
115 Ratio roborandi animum contra pusillanimitatem.
116 Ratio qua agendum est contra scrupulum.
117 Quales medicinæ qualibus scrupulis curandis censeantur accommodatæ.
118 Duo scrupulorū prima genera, & duæ primæ causæ.

PRæter munera Iudicis & Patris, Confessarius erga Pœnitentem debet munus Medici exercere, ad quod pertinet imprimis mederi illius morbis: hoc est (cùm hi sint peccata & scrupuli) illum & à peccatis per applicationem remedij ad id instituti à Deo, reddere liberum: & per salutares commonitiones scrupulis agitatum, reddere tranquillum. De quorum priore illud tantùm occurrit monendum in præsentia, tale remedium, esse Pœnitentiæ Sacramentum: ad cuius salutarem vsum requisita, partim tradita sunt hactenus, partim deinceps tradentur suis locis. De posteriore verò specialiter nunc acturi, persequemur rationem, qua possit animo scrupulis vexato tranquillitas adferri. Quæ ratio duplex est; vna generalis seu quæ vsui esse potest in omni genere scrupulorum, & altera specialis diuersis scrupulorum generibus accommodata: illam trademus in hoc cap. & hanc in sequenti.

Nu. 105. Præmittendum est autem, iis quidem qui laxioris sunt conscientiæ, nec pernicioſam peccandi libertatem (aut potius seruitutem) adhuc à se depulerunt, vtiles esse scrupulos, qui eorum conscientiam constringant, vt tandem ad mediocritatem trahantur. Iis verò qui non ita laxam habent conscientiam, sed puritati imprimis dant operam, idque omni ope & studio adnituntur vt Domino Deo placeant, vehementer obsunt scrupuli; faciunt enim vt sæpius peccent, quàm alioqui peccarent. Nam in iis quæ indifferētia sunt, qui liberiore vtitur cōscientiā minus peccat: quia multa ex illis, immo & ex malis aliqua, sæpe sibi licere existimat: vnde quia non agit contra conscientiam sæpe excusatur. Qui verò arctam nimis & infirmam habet conscientiam, de omnibus fere dubitans, sæpe agit contra conscientiam, quod est peccatum; ideoque ille frequentius peccat, quàm faceret si liberiore vteretur conscientia.

Nu. 106. Perturbant præterea scrupuli mirum in modum quietos animos, eisque suauem Spiritus dulcedinē, & pacem eripiunt; itaut plurimum alacritatis & promptitudinis seruiēdi Deo, mœrore depereat; atque cum orandum est, meditandum, legendum, studendum sese offerentes scrupuli, in rem propositam, attentè incumbere non patiuntur. Scrupulis quoque ita sæpe turbatur rationis iudicium, vt mens prorsus hebescat, ac etiam de statu suo dimoueatur: corpus item adeo vehementer commoueatur, ac cerebrum ita agitetur, vt homo interiores suas ineptias exterius prodat, séque aliis ridendum exhibeat, ac inconstās idemtidem effectus, modò susceptam actionem, ob nouum aliquem scrupulum, intermittat; modò ob contrariam dubitationem resumat. Itémque pusillanimis effectus, si concionandum vel docendum, vel ad Dei gloriam aliud agendum sit, difficultatibus occurrentibus se impugnari permittens, sic expugnatur, vt nusquam in conspectum hominum venire audeat, reddatúrque ad omnia ineptus, qui sine scrupulis, multa præclara eniti posset, donis naturalibus & præsidiis plurimis instructus. Quod notatum est à Gersone *in tract. de diuersis Diaboli tentationibus.* Aduersus hæc igitur & alia grauia incommoda, aliquot animi scrupulosi, quasi medicinæ salutares traduntur à Diuo Anton. *1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10.* & à Caiet. & Sylu. *in verbo Scrupulus quæst. 3.* & à Nauarr. *in Enchir. cap. 27. num. 282. & nonnullis sequentibus* & à Cordubensi in quæstionario *lib. 3. quæst. 13. & 14.*

Nu. 107. Prima est, debita præparatio ad diuinam gratiam obtinendam, quâ interius foueatur, ac roboretur animus. Præparatio autem est vt idem animus à peccatorum sordibus perpurgetur, confessionis sacramentalis quasi scopis. In maleuolam enim animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.] *Sapientiæ 1.* itemque exornetur quasi aulæis, tum humilitatis, quia Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam.] *Iacob. 4.* tum timoris Domini, quia initium sapientiæ timor Domini] *Psal. 110.* Atque ea quæ ad fructuosè instituendam confessionem requiruntur tradentur in sequenti hb. quarto ex instituto.

De humilitate verò illud paucis monendum est: ex parte quidem intellectus requirere vt habeas firmiter persuasum, te imbecillem esse ad omne bonum inchoandum & perficiendum, nisi gratia Dei te anteuertat & manu ducat iuxta illud Domini. *Ioa. 15.* Sine me nihil potestis facere] & illud Sapientis *Prouerb. 16.* Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.] Ex parte verò voluntatis requirere vt soli Deo optes, gloriā & honorem, téque corā illo prosternas toto animo & affectu, ad instar Seniorum qui *ex cap. 4. Apoc.* adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas ante thronum dicētes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem & virtutem.] Atque inter cætera, ad eam acquirendam mirificè iuuare, si nobis ob oculos ponamus vitam Christi & mores Sanctorum iam cum ipso regnantium: facta enim illorum cum nobis comparatione, facilè perspiciemus quàm longè à Christiana perfectione abſimus & quantùm ad eam consequendam egeamus speciali Dei auxilio.

De timore autem Dei monendum est, ipsum conseruare eam munditiam, quæ per Sacramentalem confessionem acquiritur. Nam iuxta illud *Psal. 111.* Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis] continet animam in obseruatione diuinorum mandatorum; instar calcaris scilicet, quo vrgetur ad executionem bonorum quæ Deus præcipit: & instar fræni quo retrahitur à perpetratione malorum quæ Deus prohibet. Illum verò foueri in animis nostris, imprimis consideratione nouissimorum id est mortis, & supremi iudicij, æternorúmque suppliciorum, adeo vt illa cuius meminimus, conseruatio mundiciei animi, tribuatur tali considerationi cum dicitur Ecclesiastici 7. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.] Quibus adde cum Caiet. *in verbo Scrupulis*, illum non disponere se vt par esset, ad obtinendum aduersus scrupulos supernaturale auxilium, qui peccata etiam tantùm venialia paruipendit: quoniam non est mirum illi deesse angelicam custodiam ad perseuerandum, qui sibi deesse paruipendit.

Nu. 108. Secunda medicina est sacra lectio: ad quam D. Paulus hortatur discipulum suum. Timotheum, *in priori Epistola cap. 4.* inquiens, Dum venio attende lectioni.] Quamuis autem per lectionem sacram, præcipuè intelligatur lectio librorum sacræ Scripturæ diuinitus inspiratæ: eo tamen nomine hîc etiam intelligitur lectio aliorum librorum piorum ab Ecclesiasticis doctoribus conscriptorum ad rectam morum informationem: propositā in exemplum Christi & Sanctorum vitā, traditisque documentis vtilibus ad illuminandos mentis oculos, vt in agendis cernant vitij turpitudinem, & virtutis honestatem, ac Dæmonis in fallendo versutiam, artésque varias, additis considerationibus accommodatis inflammāda voluntati, ad tenendam constanter angustam salutis viam. Quæ medicina, dispositio est præcedentis ad effectum suum consequendum. Non est autem temere vsurpanda, sed cum ea moderatione, vt delectus librorum habeatur iuxta cuiusque captum & ægritudinem animi; nec delecti legi debent cum curiositate discendi; sed cum desiderio bene agendi: quoniam illo modo lectos non iuuare obseruatum esse experientiā, monet Diuus August. in libro De opere Monach. cap. 17.

Nu. 109. Tertia medicina est deuota oratio: quā D. Anton. annotat valere præcipuè ad tollendos scrupulos, prout proueniunt ex tentatione Diaboli. Nam quòd Diabolus in lunatico sanato à Christo *Matthæi 17.* corporaliter gessit, quādoque in ignem & quandoque in aquam illum proiiciens, idem spiritaliter gerit in scrupuloso, eum transferens ex vno scrupulo in alterum contrarium. Quare quod ibidem Dominus dixit, Hoc genus Dæmoniorum nō eiicitur nisi oratione, & ieiunio] locum habere quoque potest in eiectione Dæmonis agitantis animum scrupulis: itaut meritò deuota oratio ponatur inter scrupulorum medicinas. Requirit autem deuota oratio vt efficax sit. Primò vt nihil Deo indignum in ea petatur; quale est quid turpe, aut vtile non relatum in debitum finem. Secundò, vt fiat per Christum, id est, vt non petamus quasi fulti nostris meritis, sed meritis Christi: per quem vt ait Apostolus ad *Ephes. 2.* habemus accessum ad Patrem. Tertiò, vt fiat cum animi auersione à peccato, iuxta illud *Psal. 65.* Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.] Et illud *Isaiæ 1.* Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam dicit Dominus, quia manus vestræ sanguine plenæ sunt.] Quartò, vt cum fiducia petamus nihil hæsitantes *ex cap. 1. Epist. D. Iacobi.* Humiliter enim confidendum est Deum daturum quod petimus, si nobis expediat. Quintò, vt feruenter & perseueranter petamus: quod indicatum est à Domino per parabolam de eo qui media nocte ab amico petiit commodato tres panes, quos prius recusatos obtinuit perseuerans pulsando & petendo. *Luc. 11.*

Ad orationem autem rectè adiungi ieiunium satis indicant citata Domini verba. Hoc genus Dæmoniorum non eiicitur nisi in oratione & ieiunio.] Similiter *(quod habet Caiet. in verbo Scrupulus)* rectè adiungi alia bona opera, tam propria quàm aliena, dubitari non potest: inter quæ meritò commendatur inprimis frequentatio Sacrosanctæ Communionis: quæ præter cætera quibus hominem cumulat commoda, robore spiritali complet animam ipsius, prout mystice significatum est 3. *Regum* 19. per panem subcinericium, in cuius fortitudine Elias ambulauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus:] viréſque Diaboli tentantis eneruat, vt indicatur per illud *Psal. 22.* Parasti in conspectu meo, mensam aduersus eos qui tribulant me.]

Nu. 110. Quarta medicina, sunt pharmaca quæ ab arte medicinæ præscribuntur aduersus melancholiam; & alios humores iudicium debilitantes: si quidem scrupuli inde prouenire deprehendantur. In quam sententiam D. Antoninus dictum accipit illud *Ecclesiastici 38.* Altissimus creauit de terra medicinam, & vir Sapiens non abhorrebit illam: admonens tamen non expedire ad conscientiæ sanitatem, medicinaliter in omnibus viuere; cùm *(vt ex D. Ambrosio habetur, in cap. Contraria de Consecrat. distinct. 5.)* Contraria diuinæ conditioni sint præcepta medicinæ, quæ à iciunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt: itaut qui se medicinis dederit, seipsum sibi abneget.]

Nu. 111. Quinta medicina, *quam Gerson sæpe inculcat in tertia parte suorum operum*, est iudicio Sapientiorū, etsi Prælati Superioresve non sint, suum iudicium humiliter subiicere. Ea autem hunc sensum habet *(vt Cordubensis exponit in citata quæst. 14. vers. Quintus modus)*, vt scrupulosus debeat, exercendo humilitatem Deo acceptissimam valdéque meritoriam, subiicere suum iudicium, non solum obedientiæ iudicióque suorum Superiorum, sed etiam sapientiorum & bonorum virorum; & secundum illud quantumcumque sibi aliud videatur; captiuando intellectum formare conscientiam, quòd liceat sibi id agere quod illi iudicant licere. Nam quamuis, ne quidem ad imperium Superioris, liceat alicui vllo modo illud agere quod aperte cognoscit illicitum esse: illud tamen de quo dubitat, nec sibi satisfacere potest, agere ei licet deposita dubitatione & tutā conscientiā sibi formata ex superiorum aut etiam ex aliorum sapientiorum ac bonorum consilio. Ratio est: quia cum nobis non sufficimus, rationabiliter confugimus ad sapientiores, & eos sequimur, quemadmodum indicat Scriptura, cùm vna ex parte admonet *Prouerb. 3.* Ne innitaris prudentiæ tuæ.] & ex altera *Tobiæ 4.* Consilium semper à sapiente perquire. Et certè qui hanc medicinam respueret, cæteris fructuosè vti non posset: quia in moralibus omnia particularia debent ex generalibus regulis dirigi secundùm iudicium prudentis seu viri docti ac bene ad ipsa particularia affecti. In quo vsu tuti sunt imprimis Religiosi, qui obligantur suis Superioribus, in dubio obtemperare, *vt recte vrget Gerson aduersus professum inobedientem eō verbis Domini Luc. 10.* Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.] Et vt idem habet *in lib. 4. De consolatione Theologiæ prosa 3. lit. H.* Religionum institutendarum principalis causa fuit authoritas regiminis, cui magis obedientia præstaretur, quàm propriæ rationi, quæ in plurimis valde dubia est debilis & incerta.

Nu. 112. Sexta medicina (quam multis etiam locis in tertia parte Gerson habet: *vt in tract. De meditatione. Alphab. 68. lit. P. & in tract. de remediis contra pusillanimitatē. Alphab. 69. lit. vlt. & in tract. De diuersis Diaboli tētationibus. Alphab. 70. lit. Q. & in tracta. De remediis contra Spiritum blasphemiæ. Alphab. 71. lit. N. O. P.*) est animosa impugnatio & repulsio scrupulorum, ac pusillanimitatis facientis hominem his obnoxium. De qua repulsione (ei accommodantes illud *Isa. 35.* Dicite pusillanimis confortamini & nolite timere) duo post eundem Gersonē D. Antoninus Sylues. & Cordub. tradunt *locis antea num. 106. in fine, citatis.* Vnum est illam debere fieri ex aliorum consilio, quorum iudicio præcedens regula præscribit suum submittere. Quanquam tamen (vt Sylu. addit & Cordub. approbat) quisque eam tutā conscientiā facere potest ex proprio consilio, quando probabilem sufficientemque rationem habuerit, quòd ita facere possit, quodque ipse (maximè si doctus sit) ita alteri consuleret in simili negotio: nam tunc quoque ageret cum morali certitudine: quod sufficit ad excusationem à peccato. Alterum est talis repulsionis modum esse: præuio iam dicto prudenti consilio, tum contemnere scrupulos, tum etiam contra eos agere.

Nu. 113. Contemnere quidem quia *vt ex eodem Gersone D. Antoninus habet*, mille surgunt apud aliquos scrupuli more canum oblatrantes, & lacerare minantes eos qui volunt ire per viam Dei, quos conuincere ac compescere melius quàm per contemptum nequeas. Et ratio est quia sic surgunt operante Diabolo qui *vt ex D. Greg. addit D. Anto.* similis est myrmicoleoni, qui cum insidietur formicis, ipsasque occidat (vnde

Universidad de Deusto
Biblioteca

nomen accepit) cæterorum animalium grandiorum pedibus conculeatur & atteritur. Diabolus enim eos qui pusillanimes sunt, & ad ipsius insultus facilè pauent, quasi formicæ hærentes animo, scrupulis obiectis solet obruere. Dum enim cogitationem non auertunt à re de qua scrupulus iniicitur (vt Caiet. *in verbo Scrupulus* obseruat) ex illo vno scrupulo multi sequũtur non secus ac in lateribus ordinatè herentibus, moto vno, alij cadendo secuntur: itaut animum ipsum in quem cadunt facile obruant. Ab iis verò qui iuxta diuum Petrum *in 1. suæ epist. cap. 5.* illi resistunt fortes in fide, contemptus & quasi pedibus ipsorum protritus, aufugit: iuxta illud *D. Iacobi cap. 4.* Resistite Diabolo & fugiet à vobis.]

Nu. 114. Contra scrupulos autem oportet agere, quia vt qui nauigare non audet, cum sæpius superato illo timore, nauim conscenderit, & maria tranauerit, nauigationis pericula amplius non pertimescit: vt etiam qui sub trabe aliqua vel saxo pendenti transire timet, etiamsi alios transire videat, vbi semel iterúm, quæ ac tertiò transiit, metum omnem deponit: ita qui sæpius audacter contra scrupulos agit, percipit se tandem nullo modo moueri iis quibus antea terrebatur. Roborandus est igitur animus aduersus pusillanimitatem, quæ hominem reddit obnoxium scrupulis, in iisque ingerendis seruit Diabolo, qui proinde eam fouet, eíque vires addere solet in homine pauido, obiectu naturalium quos patitur defectuum (quemadmodum notat Gerson *in tract. De remediis contra pusillanimitatem Alphab. 69. lit. vlt.*) vsque adeo, vt interdum faciat ipsum extra se esse, nisíque fortiter resistat, semel aut iterum superatus, vix deinde possit curari, adducíve ad inanem timorem deponendum. Et ita nonnunquam notantur aliqui eò pusillanimitatis deuenisse, postquam Dæmoni difficultates obtrudenti cesserunt, oppugnatique se expugnari permiserunt: vt malint quiduis potius perpeti, quàm in publicum prodire ad docendum, vel aliquid simile agendum.

Nu. 115. Roborandi autem animi aduersus pusillanimitatem, prædicti authores rationem hanc tradunt; vt quemadmodum is qui vult lignum curuum reddere rectum, debet ipsum retorquere in partem oppositam curuando: ita qui vult rectam facere conscientiam scrupulis distortam debet agendo contra eosdem scrupulos, eam inflectere in partem oppositam. Istud est quod tum ex iisdem authoribus, tum ex aliis quibusdam habet Nauar. *ad cap. Si quis autem De Pœniten. distinct. 7 num. 65.* vtile sanctúmque esse scrupulosos frequenter & fortiter contra suos scrupulos agere; tutiorem etiam partem omittendo, vt animæ tranquillitate sibi quæsita, sedato & integro pectore, Christo seruiant, Christum ament & colant.

Nu. 116. Quod tamen, *vt idem admonet in seq. num. 78.* intelligendum est, non vt id quod minus tutum est faciant animo suo dubitante, An id tutum sit nécne; sed vt primùm credant illud ipsum minus tutum, satis tutum esse, etiamsi de eo scrupulum habeant, aliudque tutius sit, atque adeo ipsis occurrant argumenta in contrarium, & apparentiæ quibus satisfacere non possint: dumodo pro se habeant sufficientia argumenta, rationabilitérque credant, ac in eis maneat moralis certitudo. Quam non tolli necessariò, per apparentiam oppositi argumenti, quod non possis soluere; patet ex eo quòd etiamsi aliquando patiamur apparentias contra fidei articulos, quas soluere non possumus, non desinamus propterea habere certitudinem fidei de illis, neque propriè dubitemus: cum alioqui essemus infideles iuxta illud *in cap. 1. De hæreticis.* Dubius in fide infidelis est.]

Septimam medicinam memorati authores constituunt interpretationem legum benignam: *De qua suo loco in tertia parte, tomo primo*: neque necesse est in ea nunc hærere quia respectu habito ad scrupulos, Medico potius, quàm ægro præscribitur vt de se patet.

Nu. 117. Cæterùm vt in corporali, sic in spiritali medicina pro principio habendum est, *vt sub initium tractatus De remediis contra pusillanimitatem attigit Gerson*, contraria aptè adhiberi ad contrariorum curationem: variaque antidota variis morborum generibus accommodanda esse, spectando cuiusque morbi causam. Vnde si causa scrupuli sit aliquod argumentum, ad illius curationem adhiberi poterit quinta medicina ante tradita de sequẽdo iudicio prudẽtiorum. Si verò causa scrupuli sit corporis male affecti, ac cerebri propterea perturbati vitium, is sanandus est remedio quartæ medicinæ ante traditæ: hoc est remedio pharmacorum, & aliorum quibus curatur corpus. Sin autem sit tentatio Diaboli, applicanda est tertia medicina deuotæ orationis, vt iam ex Diuo Anton. attigimus. Sin ex consuetudine virorum aut lectione librorum scrupulosorum, ab ea abstinendum est. Sin ex ignorantia; legendum, conferendum, consulendum, ac prudentioribus obtemperandum. Sin ex inconstantia in rebus agendis, assuescendum est, id quod semel rectè deliberatum fuerit, constanter exequi, nihilque dubitatione contraria moueri: quod est, in remedium sumere sextam medicinam ante traditam: cui ne moderatio ex Nauarr. addita desit, cauẽdum est: taliúmque scrupulosorum Confessario danda est opera, vt non timidè, sed fidenter absolutéque præcipiant illis id, quod est agẽdum. Nam si Medicus medendo vacillauerit, non poterit esse in ægroto securitas: siquidem iuxta cuiusdam Poëtæ dictum dubiam salutem qui dat afflictis, negat. Sin autem ex vehementi imaginatione oriatur scrupulus, auertenda est ab huiusmodi cogitatio, & paulatim desuescenda phantasia, vt non ita laxis habenis feratur, nósque nolentes rapiat. Si denique ex nimia solicitudine cauendi omne id quod malum est, aut ex indiscreto puritatis studio, vel inordinato Dei timore: considerandum est nos non posse sine speciali Dei auxilio bene agere: ac magna ex parte tales scrupulos ex eo oriri, quòd nimium nostris viribus fidamus, nec diuinam opem satis imploremus, nec ad ipsius misericordiam satis attendamus, illúdque minimè expendamus, nec Deum tyrannum esse, nec nos esse Angelos.

Nu. 118. Iam cùm scrupuli sint varij; & eorum quidam pertineant ad ea quæ facta sunt; quidam verò ad ea quæ facienda sunt: illis prioribus solet homo vexari præsertim ex eo, quòd sæpe inter sensum & consensum nequeat satis distinguere: vnde fit vt in multis sic angatur, vt se putet tunc mortaliter peccasse, cùm nullum peccatum admisit: suspicans nimirum, se non solum sensisse sed etiam consensisse; vt cum passus turpem cogitationem, turbatur quòd se in eam consensisse existimet; quam turbationem Dæmon videns, conatur quantum potest eam augere. Posterioribus vero scrupulis vexatur homo vno ferè modo: dum nimirum habet omnia suspecta: ideóque non agit liberè, sed trepidat, ignorans An id quod agendum est peccatum sit nécne. Quodquidem non tantùm ignaris sedetiam doctis solet interdum accidere: qui sciunt quidem in genere iudicare quid sit vel non sit peccatum: quid peccatum mortale, & quid tantùm veniale: immo & in particulari tale iudicium quoad alios ferre sciũt; sed quoad se ac suas actiones singulas, eadem libertate vti non possunt: vnde & ipsi turbationes, non secus ac ignari, patiuntur; siue in loquendo, siue in agendo dum subinde suspicantur

tur in verbis suis inesse vel mendacium, vel detractionem: & in factis defectum debitarum circunstantiarum.

CAPVT DECIMVM.

De speciali ratione tranquillandi animum certis quibusdam scrupulis agitatum.

SVMMARIVM.

119 *Scrupuli de cogitationibus fœdæ libidinis vel blasphemiæ vel infidelitatis & de motibus iræ, vel inuidiæ, vel odij cum remediis quibus curandi sunt.*
120 *Eorum primum est considerare quòd peccatum mortale requirat deliberatum consensum.*
121 *Alterum remedium, tales scrupulos contemnere.*
122 *Tertium, occasiones illorum auferre, séque Deo & Sanctis commendare.*
123 *Quando & qualiter de talibus scrupulis confessio fieri valeat.*
124 *Scrupulis agitatus labens in aliquod peccatum mortale, debet per veram Pœnitentiam confidenter recurrere ad Dei misericordiam.*
125 *Scrupulus vexatorum inani suspicione, quòd in agendo peccarint mortaliter: & illius remedium.*
126 *Quædam quæ possunt talibus inculcari ad ipsorum consolationem.*
127 *Scrupulus vexatorum inani dubitatione, An de peccatis sufficientem dolorem habeant, aut sufficiens emendationis propositum, atque illius remedium.*
128 *Scrupulus vexatorum inani persuasione, quòd suas confessiones debitè non fecerint: illiusque remedium.*
129 *Rationes quibus sic vexati induci possint ad deponendam anxietatem iterandi confessiones iam factas.*
130 *Scrupulus vexatorum anxietate nimia confitendi peccata venialia, & remedium.*
131 *Scrupulus vexatorum quod non recordentur, An aliqua sua peccata in suis confessionibus expresserint.*
132 *Scrupulus se in oratione vocali vexantium iteratione eorum qui dixerunt, quasi non dixerint attentè, aut non protulerint plenè.*
133 *Item se vexantium quòd nesciant, An aliquid de suis precibus omiserint.*
134 *Scrupulus eorum qui vexant se, eo quod in suis orationibus & piis exercitiis non sentiant consolationes.*
135 *Scrupulus quo aliqui vexantur sumpturi Sacrosanctam Eucharistiam tanquam indigni, quantumcumque non sint sibi conscij peccati mortalis: & ad se disponendum, quam potuerunt diligentiam adhibuerint.*

Nu. 119. QVoniam nobis propositus exigit vt non contenti communibus, descendamus ad specialia, in quibus ille maximè consistit. Consequenter ergo antequam ad alia veniamus, tradendus est modus tranquillandi animum agitatum certis scrupulis, quos augendo Dæmon solet vexare hominem: & qui præter generale remedium, requirunt aliquod speciale. Illorum autem variæ sunt species.

Prima frequentior est, cogitationum fœdæ voluptatis, quæ non modo placentes, sed etiam displicentes sæpe in animum se ingerunt, eúmque ita occupant, vt is tanquam de consensu sibi conscius excrucietur.

Secunda rarior quidem sed molestior, est cogitationum blasphemiæ aut infidelitatis, quas Dæmon subitò obtrudit, itaut quis videatur audire aliquem ad aurem, vel seipsum intus loquentem ac dicentem, Ego Deum nego, Dæmoni me dedo: vnde turbatur quasi Deum verè negauerit, aut Dæmoni se dederit: cum tamen abhorreat maximè à talibus.

Tertia est subitorum motuum impatientiæ, vel iræ, vel inuidiæ, vel odij: ex quibus dum rentatio iurandi aut verberandi aut cõuitiandi suboritur, consensus præberi videtur, ménsque turbatur non satis distinguens voluntatem subreptitiam à deliberata. Ad quorum omnium curationem eadem remedia accommodari possunt quæ ex variis Gersonis tractatibus Cordubensis habet *in quæstionario lib. 1. qu. 14.*

Nu. 120. Primum est, vt qui talibus scrupulis à Dæmone vexantur considerare debeant nunquam esse peccatum, saltem mortale, in huiusmodi cogitationibus horrendis nisi cum voluntas plenè consentit, illáfve amplectitur cum delectatione, deliberatè, gaudendo eas adesse; quod patet ex communi doctrina in tertia parte suo loco tradenda de ratione iudicandi de peccatis ex parte causæ efficientis. Imo cùm displicent, nec eis consentitur, sed potius animum pulsantibus resistitur, imputantur ad meritum propter difficultatem & molestiam quæ sustinetur eis resistendo. Ex tali enim consideratione intelligent se non debere inquietari, nec animo frangi, sed alacriter & fortiter pergere in via Domini, eo quod tanquam hosti suo deficiant arma fortiora quibus grauiter saucientur, sordibus horrendis quidem, nihil tamen aut parum lædentibus ab eo impetantur.

Nu. 121. Alterum remedium est, tales scrupulos spernere, nec illis suggestionibus turbari, quasi consensus illis adhibitus sit. Nam si quis aduersus eas disputare velit, & nouas rationes quærere, quibus in illis, aut id genus aliis, conscientiam suam quietam reddere vélit; quòd senserit quidem, non tamen consenserit: nouas semper difficultates offeret tẽrator callidissimus; tuncque maximè gaudebit, & se de eo triumphum agere existimabit, dum occupabit ipsum illis concertationibus inutilibus, ad quas importunus veterator tunc prouocat maximè cum diligenter & attentè vel orare vel meditari vel Missam audire vel celebrare vel studere cupimus. Atque ille quidem, qui in vita spiritali minimè exercitatus est, vult cum eo cõgredi fixo pede: exercitatus verò & peritus harum versutiarum, quasi talem oppugnationem non pateretur, rem opúsque sibi proposítum persequitur, securúsque pergit; ac tentationé tanquam inanem canis latratum spernit; violenter mentem ab illa reuocando, & applicando ad aliud, aut certè illam negligendo perinde ac faceret, si quis ei narrans aut monstrans aliquid, quod audire vel videre dedignaretur, ad alia interim applicaret se auersa facie. Dolet enim superbus hostis dum se sperni videt, & ideo spernentem deserit, se contemni diu non ferens. Vnde videri potest vtile, vt qui oppugnatur dum solus est, interdum ad contemptum, verba hæc adiciat quibus ipsum Dæmonem eiusque conatus se diuinà misericordià fretum negligere confiteatur. Te tuásque artes pessime coluber nihil formido: ego, quod Deus permittit, tuam tentationem sentio, sed per ipsius misericordiam non consentiam: illam me affligentem patienter fero; quia iustũ est, vt ob mea peccata affligar sicque purger, vt deinceps Deo meo placeam. Intelligo me Christi militem, cùm me rerum tam nefandarum tentationibus aggrederis, sicut illum in deserto, volens vt te adoraret anguis turpissimè

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunè persuadere.

Nu. 122. Tertium remedium est (quod Gerson expressit in tract. de discretis exercitiis deuotorum) vt qui talibus scrupulis agitatur, tollat occasiones vel otij, vel negligentiæ, vel curiositatis, vel alias si quas tales dat istiusmodi procellarum, atque signo crucis se muniat suspirando ad Christum, inuocando Beatam Virginem, sanctum Angelum suum custodem, cæterosque Sanctos, quos habet in speciali veneratione; genu flectendo, aliudue signum pietatis exercendo, prout loci commoditas patitur, in reuerentiam mysterij contra quod forte tentatur; sique hęc non prosint, dolorem aliquem; cum discretione tamen, sibi infligat atque adhuc nihilominus perseuerantibus importunis eiusmodi tentationibus, patienter ferat: confidens per diuinam misericordiam, non solùm ei non nociturus, sed ad magnam coronam profuturas. Hæc Gerson. De peccatis autē venialibus quæ in tali pugna admittuntur, siue ex negligentia, siue aliunde oriantur, admonet Cordub. pœnas illis debitas deleri per feruorem charitatis, cum quo in illa pugna Deo adhærētur.

Nu. 123. Nihil verò est, (vt Cordubensis monet) cur quis cum anxietate aliqua aut solicitudine curet tales tentationes confiteri aut reconfiteri: nisi quòd ex humilitate & timore conscientiæ, id interdum possit, dummodo faciat Sacerdoti discreto, & istarum difficultatum diiudicandarum perito. Nam scrupulosus prout solet, confitēs seuerè accusando se de blasphemiarum aut aliorum nefandorum peccatorum cogitationibus, incidere poterit in Confessarium indiscretum, qui non modo non leuabit ipsum, sed magis affliget, & in desperationem maiorem coniiciet: vbi discretus faciet quod Gerson *in illo tractatu de discretis exercitiis deuotorum*, narrat feciſse Religiosum quemdam patrem in his rebus versatum, multáque experientia prædituin, cui cum Monachus agitatus molesta blasphemiarum tentatione, quam ob rerum fœditatem detegere non audebat, diuino fauēte auxilio aperuisset, is subrisit dixitque: Manum capiti meo impone; qua imposita subiecit se in se totum, illud peccatum eiusque pondus accipere: tantùm daret operam ne ea res amplius eum anxium mœstumque haberet; quod cum ille vehementer miraretur, interrogauit Pater: An vnquam huiusmodi cogitationes ei placuissent: quo respondente se magnopere ab illis abhorruisse. Tu ergo, inquit, non eas agis, sed pateris, & ita te fatigatum Dæmon vult in extremam desperationem inducere: Sicque factum est, vt Monachus ille diuturnā qua vexabatur molestiā liberatus sit. Non debet verò de talibus scrupulis confitens descendere nimis ad particularia, quorum cōsideratione & commemoratione magis inquietaretur animus; sed summatim referre & tangere quantum sufficiet vt Confessarius intelligat eiusdem cōfitentis mentem, animæque statum: exempli gratia dicendo in genere. Tales aut super tali materia habui malas cogitationes, quæ per Dei gratiam mihi non placuerunt, nec eis deliberatè consensi, licet forte in eis moratus sim, eas non repellendo tam cito quam debuerim. Addere etiam debebit causam culpabilem ex qua prouenire potuerunt; verbi gratia ex curiositate, negligentia; otio, aspectu incauto, labore vel abstinētia indiscreta, aut huiusmodi aliis: ad pleniorem culpæ scilicet manifestationem & certiorem debiti remedij accommodationem.

Quibus adde bonum, vtiléque esse cum consilio Confessarij; vbi quis iam percipit tales cogitationes à Dæmone suggeri, nullo modo de iis confiteri; nisi certum esset de consensu illis præstito: aut quod maius est, de opere; id est, quod illorum interior motus exteriùs processerit in operationem: quæ rarò aut potius nunquam, bonæ conscientiæ solet euenire: quod tamen quia euenire potest, habenda est memoria iustitiæ diuinæ ante casum, ad vitandum ipsum: sicut & diuinæ misericordiæ post casum, ad resurgendum.

Quæ misericordia tanta est, vt si quis commissis *Nu.* 124.
etiam totius mundi peccatis vniuersis doleret, se tam bonum dominum offendisse, firmiterque proponeret ab illius offensa abstinere; veniam & gratiæ abundantiam consequeretur: vt argumento nobis sunt illi, qui per talem Pœnitentiam ad Deum conuersi, euaserunt magni Sancti: vt constat de Magdalenā. Vnde personas deuotas quas vrgentibus istiusmodi scrupulis contingit ex infirmitate labi in aliquod peccatum mortale, id agere oportet, quod solent pueri non satis fortes ad ambulandum, qui libentiùs ambulātes, sæpe cadunt, nec per se resurgere valent: & cum nolint pertinaciter manere prostrati in terra, humiliter & confidenter ad piam matrem tendunt manus, vt iacentes leuet; quæ pro sua pietate materna illorum miserta, statim accurrit: quod idem peccator Pœnitens à Dei bonitate debet maiore ratione (sine præsumptione tamen) sperare, ipso dicēte *Isai.* 49. Nunquid potest obliuiſci mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui: & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.]

Quarta species scrupulorum indigentium speciali remedio, statui potest eorum quibus aliqui vexantur circa res à se gestas, dum obleues aliquas rationes suspicantur actiones suas peccata mortalia fuisse: ita ut propterea communicare, aut celebrare non audeant, quin Confessarium adierint: vnde sæpe non redduntur tranquilliores, eo quod recedentibus à Confessario nouus statim suboriatur scrupulus, qui eos æquè ac prius inquietos facit. Iis autem hoc morbo leuandis Gerson *in tract. de diuersis Diaboli tētationibus Alphab. 70. lit. penult.* remedium præscribit, vt imprimis debitè inquirant, sedulóque obseruent, ad quæ secundùm suum statum obligentur, vel non obligentur sub peccato mortali: ac circa illa sibi à peccato solicitè caueant; ab eóque, si ipsis contingat, conscientiam emundare studeant; plus interea confidendo in diuina misericordia, quàm in vlla sua diligentia: atque considerando nulli ita præsumendum esse de sua munditia, vt existimet se aliquando præstare posse opera, quæ ex parte sua sint digna maiestate diuina: cùm *ex Isaiæ cap. 64.* quasi pannus méstruatæ sint omnes iustitiæ nostræ:] aut immunem esse ab omni peccato, cum potius ex animo dicendū ei sit illud *Psal.* 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.]

Nu. 125.

Vt autem in tali inquisitione & obseruatione, sint tutâ conscientiā, non est illis opus absoluta & infallibili certitudine: *vt rectè monet Gerson*: sed sufficit moralis & humana, per prudentium & deuotorum hominum consilium, aut per iudicium propriæ rationis & sui Confessarij; iuxta antedicta nu. 111. Vnde cùm moralis certitudo secum patiatur aliquam anxietatē, hæsitationem, & suspicionem de contrario ex communi doctrina; nō est cur quisquam se à cœpto ideo auocet, quòd super eo sentiat aliquam formidinem: etiamsi (quod interdum solet agente Dæmone) id ita contingeret, vt in animo perturbationem & in corpore motionem, cordisque palpitationem efficeret. Etenim si tali formidini cedat, nulla spes trāquillitatis & deuotionis obtinendæ ei relinquetur. Id autem quòd in ea re plerisque scrupulosis nocet est, quòd optent omnia cum summa tranquillitate facere, ac frui statu qui non est præsentis vitæ, vnde si

si minima in contrariam partem imaginatio se offerat, turbantur è vestigio, cùm se spe sua, votoque frustratos esse aduertunt.

Nu. 126. Quod autem attinet ad negligentias veniales & alia peccata venialia, quæ in tali luctа cum Dæmone committuntur, dum inconstantes, impatientes queruli, segnes, & tardi efficimur: Cordubensis *in quæstionario, lib. 1. quæst. 14.* admonet solicitè quidem ea cauenda esse; sed sine anxietate & inquietudine animi, faciendo quod potest commodè fieri, & reliquum misericordiæ Dei patris amantissimi humiliter committendo, cuius auxilio multo magis, quàm vllis nostris viribus aut industriā nitendum nobis est; prout istiusmodi scrupulosis inculcat Nauar. *in Enchir. cap. 27. num. 290.* Ad quorum consolationem istud quoque addi potest, sæpe fieri vt tunc opera ipsorum magis Deo placeant, dum fiunt cum maiore metu & reuerentia ac circunspectione, & humilitate. Immo afflictio quam patiuntur purget animū, augeatque meritum, ipsósque humiliores reddat, & diligentiores. Cùm aliàs sæpe contingat, vt qui nimis secundo vento feruntur, insolescant: & negligentes, incautique fiant, & imperfectiones suas emēdare, & occasiones peccati vitare; Deique & Sanctorum auxilium implorare contemnant; vt tam sit his periculosa tranquillitas nimiam confidentiam generans; quàm fructuosa illis est vexatio, sanctum timorem, & diuinæ Maiestatis reuerentiam in animo fouens.

Nu. 127. Quinta species scrupulorum eiusdem modi, est eorum quibus homines animo vexantur nimis dubitando; An de peccatis commissis, tantùm sibi displiceant, tantúmque doleant, quantum tenentur, déque futuris cauendis sufficiens propositum habeant. Quibus tum idem quod præcedentibus adhiberi potest remedium: tum istud particulare ex Gersone. *in tract. de diuersis diaboli tētationibus, Alphab. 70. lit. Y*, vt tētatione aliquos vrgente, quòd non tam doleant de perpetratis peccatis, quàm de iacturis aliquarum rerum temporalium, opponatur neque hominem posse, vt manifestum est, tantum ac talem de suis peccatis dolorem habere, quantum & qualem postularet diuinæ maiestatis offensa: neque esse necesse (vt verbis Gersonis vtar) corporalem de peccato dolorem tantum esse, quantus fortasse esset de morbo, vel de alio temporali incommodo: quia sufficit peccatum commissum ita displicere homini, qui illud commisit, vt nullatenus Deum in simili casu offendere velit. De qua re plenius in sequenti parte cum de contritione. Maior autem ille dolor de temporalibus incommodis quàm de peccatis, contingit ex parte sensus in quem illa cadunt, hæc non item, sed tantùm in intellectum, qui peccata ipsa repręsentans voluntati tanquam mala omnium maxima, facit vt supra quoduis aliud malum displiceant, quod sufficere potest.

Si verò tentatio in hac scrupulorū specie, aliquos ideo vrgeat, quòd nō habeāt tale ac tātum propositū cauendi sibi à peccatis, vt malint mori, flammam, aliáque id genus grauissima tormenta perpeti, & honoris ac bonorum omnium iacturam facere, quàm peccare: Gerson *in tract. 8. super Magnificat Alphab. 88. lit. O.* præscribit non esse faciendas tales propositiones comparatiuas; neque si in animum se ingerāt, illis respondendum determinādo se ad alteram partem comparationis eligendam; quoniam ei, cui illæ ingeruntur, non adest casus in quo teneatur de præsenti facere alterutrius electionem; vt ex eo patet, quòd eam faciendo (*prout idem Gerson rectè notat in tract. de diuersis Diaboli tentationibus lit. X*) exponitur periculo peccandi, siue in proponendo offendere Deum ad temporale aliquod incommodum vitandum; siue in præsumendo arroganter de se in contrarium, quorum neutrum licet. Itaque tacēdum est, & ad alia diuertendus animus, aut ad summum verè & humiliter coram Deo dicendum: si talis offerret se casus, scio quid tunc eligere deberem, quid autem eligerem nescio: nunc autem Deum meum per suā gratiam offendere nolo: & quoad futurum quantus meæ infirmitatis mihi conscius, non audeam, nec sine arrogantia possim dicere quod diuus Petrus. Etsi me oportuetit mori tecum, non te negabo] tamē cōfido in Domino, quod non me patietur tentari supra id quod possum, sed faciet cum tentatione prouentum] ipse cuius oculi viderūt imperfectū meum, & cuius salutaribus præceptis moniti audemus dicere, Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo] adiutor erit in opportunitatibus in tribulatione.]

Sexta species est eorum scrupulorum, quos non- *Nu.* 128.
nulli patiūtur circa confessiones suas grauissimos & molestissimos, dum nunquam putant se satis perfectè & integrè confessos, eo quod aliquam circumstantiam vel peccatum, aut omiserint, aut non satis dilucidè expresserint: itaut confessiones crebrò repetant, & de eodem peccato sæpe confiteantur, se suosque Confessarios fatigantes dum trepidant timore, vbi non est timor.]

Pro remedio autem (ex Gersone *in tract. de remediis contra pusillanimit. Alphab. 70. lit. B, C, & in tract. de diuersis Diaboli tentat. lit. Z.*) talibus præscribēdum est, vt cessent à reiteratione confessionis eorum peccatorum, de quibus An sint mortalia, vel An sint sufficienter à se confessa dubitant scrupulosè, id est, sine probabilitate, notitiáue sufficiente ad persuadēdum sibi prudenter quod talia sint mortalia, vel quod indebitam de illis confessionem fecerint. Cessent, inquam, abiiciendo se ad pedes diuinæ misericordiæ, cui principaliter, non autem diligentiæ nostræ, confidere debemus, quando agitur, vt de obtinenda gloria in futuro sæculo; ita & de obtinenda gratia & peccatorum remissione, in præsenti. Cum igitur certò aut probabiliter sciuerint aliquid mortale esse, de quo nunquam confessi sunt (vt si progressu temporis dum legunt, audiunt, discunt doctiores effecti, vident multa mortalia esse, quæ prius iudicabant non esse) consentaneum est de talibus confiteri: aliàs verò vitanda ipsis est peccatorum repetitio in confessione.

Ad quod vt inducantur iuuabit illis proponere *Nu.* 129.
quòd talis anxietas & inquietudo non iuuet, sed quadam ratione impediat Dei in nobis habitationem per suam gratiam: quandoquidem *vt rectè argumentatur Gerson in dicta lit. B*, factus est in pace locus eius] *Psal.* 75. immoderataque illa puritatis cura, ac peccati nimius timor ei non placet; quia quamdiu Deum ita timemus, non videmur eum satis diligere, habentes ipsum de nimia seueritate suspectum. Vnde fit, vt inani metu concepto, minuatur fiducia accedendi ad ipsum, nobis tantoperè necessaria. Multo ergo fructuosior, Deoque gratior erit humilitas, qua se patri benigno totum committentes dicant illud Danielis 9. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam sed in miserationibus tuis multis.] Secundò quod structum sit aliquem fatigare se in eo quod est sibi impossibile. Nemo autem per suam illam diligentiam absque speciali Dei reuelatione possit eò pertingere, vt certò & infallibiliter cognoscat se sic verè ac sufficienter contritum, atque confessum esse de suis peccatis: vt in Dei sit gratia, cùm dicat Sapiens *Ecclesiastis* 9. Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit.]

Tertiò

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertiò quòd tali confessionis repetitione,non modo non fiant quietiore & sedatiore animo,sed vt ipsi experiuntur magis ac magis perturbentur;sicut aqua cum est agitata si situlam qua continetur, sæpius loco moueas,non inde tranquillatur,sed magis agitatur. Quartò, quòd ex Nau.*in Enchir.cap.21.nu.42.* mortaliter peccet, qui semel bene factam peccatorũ confessionem sæpius ob scrupulos ita repetit, vt vel se obiiciat periculo amentiæ,per nimiam de re tristi cogitationem,vel notabile scandalum præbeat Cõfessario, vel sibi infamiam inurat erga aliquem tertium. Et quamuis hæc pericula non adsint, peccet saltem venialiter; quia tenetur procurare conscientiæ tranquillitatem, quam talis repetitio impedit. Qui ergo huiusmodi est,semel bene confessus iudicio docti Confessarij,quiescere debet: nec per frequentes eorumdem peccatorum confessiones, vulnus suum refricare ac renouare: neque quod bene sanatum est vlcus,amplius attingere: sed posteriorum oblitus ad anteriora se conuertere, & de misericordia Dei benignè sperare, neque eã securitatem quærere quæ in hac vita non habetur nisi accedat aliqua peculiaris reuelatio. Postremò si eruditus sit & bonæ conscientiæ,monendus est, quòd nollet in simili casu alteri dare consilium illud, quod pro se capit; quódque non debeat damnare prudentes ac pios viros,quos videt talibus rebus communiter nõ moueri. Certè si nollet alteri dare consilium quod pro se accipit, nec damnare alios qui illud non sequuntur,satis aduertere potest, se non sequi illud ex recta ratione, sed ex aliqua inordinata passione,quę si abesset,perinde rectè certóque iudicaret,in suo negotio,ac in alieno: vt bene annotat Caiet. in verbo Scrupulus. Neque verò consultum est cum eo multitudine rationum agere, nisi ad persuadendum vt sine discursu,quasi captiuato intellectu, omnem de scrupulis discursum abiiciat: ferè enim ea infirmitas animi,est quasi dolor quidam capitis, qui vt sanetur somnum & quietem requirit.

Septima species scrupulorum est eorum quibus adhuc circa attinentia ad confessionem contingit scrupulosos inquietari dupliciter.

*Nu.*130. Vno modo solicitudine nimia confitendi quæque peccata venialia. Quibus salutare erit proponere quod ex Concil. Triden. *sess. 14. cap. 5.* persuasum habere debeant, talia in confessione taceri sine culpa, delerique posse multis aliis modis, quos ex iure canonico collectos refert Hostiensis in sua summa *tit.de Pœniten.& remiss.§. De quibus peccatis*: nempe digna Eucharistiæ sumptione, aquæ benedictæ aspersione, ieiuniis,eleemosynarum largitione, orationis dominicę recitatione,deuota pectoris tunsione.Proponi etiam poterit eis remedium à Gersone loco citato præscriptum vt iuxta dictum Sapientis in cap.7. Ecclesiastis,nolint esse iusti multum,& abstineant à tali solicitudine generante inquietudinem Deo minimè acceptam:iuxta illud *Matth.6.* Ne soliciti sitis animæ vestræ &c.]neque prudenter susceptam;quãdoquidem peccatis grauioribus sigillatim & in particulari propositis,sufficere illis potest leuiora in genere referre succinctè: multo magis in Dei misericordia confidendo, quàm in vlla sua diligentia. Et certè vanam esse talem solicitudinem ex eo patet: quòd secundùm communem Theologorum sententiam,in statu naturæ lapsæ, homini sine speciali Dei priuilegio,omnia peccata venialia, vitare sit moraliter impossibile.

*Nu.*131. Altero modo cõtingit scrupulosos inquietari ex eo quòd non recordentur. An hæc vel illa peccata in suis præcedentibus confessionibus expresserint: quibus curandis Caiet. *verbo Confessio,in expositione conditionis quintæ* & Nauarr. *ad cap. Si quis autem De pœnit. distinct.7.num.77.* hoc remedium præscribunt: vt interrogentur de diligentia,quam confessuri adhibuerunt in recogitandis peccatis & in recogitatis integrè confitendis;sique inueniantur vsi mediocri diligentia,suadendum est illis vt deponant dubitationẽ (qua manente,inquit Nauarr. iterum confitendum esset) & se de illis confessos esse credant, hoc argumento:quòd sapientioris & boni viri iudicio, diligentiam ad quam tenebantur posuerint in confitendo.Nec in ea re (inquit Caiet.) exponant se periculò grauis damni spiritualis nulla necessitate compulsi: quia cum laborent tali infirmitate, quæ in ipsis firmitatem iudicij circa rem propositam impediat,vehemẽsque timoris perturbatio constantiam ipsis adimat, & tot dubitationibus opprimat,vt rectè iudicare non possint :certè spiritualis Medici consiliũ illis sufficere potest ad moralem certitudinem & tutam conscientiam formandam.

Octaua species est eorum scrupulorum, quibus *Nu.*132. vexantur illi,qui nimium scrupulosi sunt in reiterãdis orationibus vocalibus:siue totis, siue quoad aliqua verba,quasi non dixerint attentè, aut verba non protulerint plenè. Quibus Gerson *in tract. de remediis contra pusillanim. Alphab.70.lit.B.* ait præscribendum esse vt abstineant ab huiusmodi iteratione. Primò quia id non facit animum tranquillum,sed potius magis inquietum,vt experientia docet in iis qui tales iterationes multiplicant. Secundò, quia non conciliat attentionem, sed potius impedit. Nam tales,dum sic mentem anxiè applicant ad obtinendam attentionem, ipsi pro obiecto sibi attentionẽ ipsam constituunt:vnde fit vt magis euagentur, attendẽdo non ad verba quæ proferunt,sed ad attentionẽ quam imaginantur. Tertiò,quia talis iteratio necessaria nõ est:nam vt oratio vocalis meritoria sit, & impetret apud Deum ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 83. art. 13.* non requiritur vt per totam ei attentio actualis adsit, sed sufficit vis primæ intentionis seu propositi cum quo aliquis accedit ad orandum: dummodo tamen se ab attentione non distraxerit sponte sua, aut per notabilem negligentiam:vt vsuvenit (*inquit Gerson,*) hominibus qui ex deprauata consuetudine ad omnia spiritualia pigri & ad cuncta quæ carnis sunt prompti, tempore persolutionis horariarum precum,quæ illis non sapiunt, cogitationibus secularibus & carnalibus quibus oblectantur,animum pascunt; sæpéque inter patinas animo versantur. Tales enim euagationes quę proueniũt ex affectu vitiato per dæmonis artem adferente somnolentiam & fastidium in orando,non admittunt excusationem: sicut illæ admittunt quæ proueniunt ex infirmitate: siue accidẽtali,vt in iis quorum modica & venialis tantùm est negligentia:siue naturali,vt in iis qui phantasias ita habent volubiles,vt velint nolint,ad leuem aliquem quasi venti flatum facilè à suo proposito ad alia distrahantur: quibus *vt notat Cordubensis*, melius est dolere humiliter de suo defectu, confidendo in misericordia Dei, quàm iteratione animum inquietare.

Porrò circa hanc orationum iterationem inter- *Nu.*133. dum contingit scrupulis augi aliquem,nõ iam quod sine attentione,aut non plenè proferendo orationes ipsas dixerit, sed quod an omnino dixerit non recordetur; vt accidit ei,qui cùm peruenit ad laudes, non meminit an dixerit matutinum integrum: & in vesperis incœpturus hymnum, non meminit an dixerit omnes præcedentes quinque psalmos;& in Missa dicturus Euangelium non meminit an dixerit graduale: vel iam dicturus orationẽ Dominicam,aut sumpturus Sanctam Communionem,non meminit vtrũ

verba

verba consecrationis protulerit super panem & vinum. Quo tempore ex Nauarr. *in cit. num. 77. & in præced.num.76.* abstinere debet à reiteratione;& animose ad sequentia pergere, si rationabiliter credat quod dixerit: vt potest ex eo rationabiliter credere, quòd consueuerit integrè dicere,nec aduertat quidquam vnde sè à tali consuetudine defecisse iudicare debeat:non credenti autem quod dixerit, tale consilium ei dari non potest vt admonet idem Nauarrus. Et ratio est quia nõ vt propriè scrupuloso sed vt dubio dari deberet consilium, iuxta ea quæ dici solent de conscientia dubia tradenda suo loco in tertia sequenti parte tomo primo.

*Nu.*134. Nona species est eorum scrupulorum quibus nonnulli affliguntur, eoquod in suis orationibus & aliis piis exercitiis, cor vt ipsis videtur habeant aridum, &deuotione erga Deum careant: vtpote consolatione & suauitate, quam talia adferre solent destituti: inde enim suspicantur se peccatis aliquibus occultis inquinari, ac reprobos esse. Quibus Gerson in tract. de remediis cõtra pusillan.*& in libro 4. De consolatione Theologica,prosa 3.* hoc remedium præscribit, vt attendant suauitatem consolationis in suis exercitiis, non censeri signum de se sufficiẽs & infallibile inexistentis diuinæ gratiæ gratum facientis: quandoquidem illam (vt exemplo Begardorum & quorundam aliorum Gerson confirmat) aut potius illius quandam speciem ex suis deliramentis hæreticos percipere contingit,in quibus non inuenitur gratia gratum faciens:cùm impossibile sit sine fide placere Deo] *ad Hebr.11.* Quare id fit Dęmone illudente ipsis ac transfigurante se in Angelum lucis: potest enim malignus hostis corporeas facultates quadam tranquillitate fouere,apparentéque voluptate delectare: indéque incautos eousque allicere,vt tandem secundùm spirituales quoque vires,multum inde gaudeãt, magnáque consolatione fruantur: itaut vix credere possint,quin à Deo sit tanta suauitas. Cuius contrarium ex eo cognoscitur, quòd per eã illi erigãtur in superbiam, atque vsu indiscreto seu potius abusu talis deceptoriæ consolationis,deiiciantur in mala contratia virtutibus comitibus charitatis inseparabilibus(sicut &charitas ipsa inseparabilis est à gratia gratum faciente) quas virtutes enumerat Apostolus *in priori ad Corinth.13.illis verbis*: Charitas patiẽs est,benigna est,charitas non æmulatur,non agit perperam,non inflatur, non est ambitiosa,non quærit quæ sua sunt,non irritatur,non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.]

Alterum remedium est: vt attendant quòd cum vera deuotio consistat in bona voluntate,qua homo paratus est, se suáque impendere ad Dei obsequium, illiúsque beneplacitum in omnibus sequi; dum quis opus pium exercens agnoscit in se talem voluntatẽ, quam non comitatur consolationis suauitas; existimare debeat, id diuina dispositione contingere, ob maius suum bonum; nempe sibi subtrahi consolationem,ne esset ei occasio præsumptionis aut negligẽtiæ,aut vanæ glorię,aut alterius periculi peccãdi,vel vt mereretur magis,dum quasi suis impensis militat seruítque Deo.Itaque totum diuinę misericordię cõmittere,& humiliter de illius auxilio cõfidere debet, faciẽdo quod in se est,simulque petendo cõseruationem &augmentũ concessę bonę voluntatis;ac demũ sentiendo de illo tanquam de patre amantissimo & nostræ vtilitatis studiosissimo, iuxta illud *Isaiæ* 49. Nunquid obliuiscì potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui; &si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui.

Tertium remedium est vt attendant tempus istud esse serendi; non metendi:aderit tempus retributionis bonorum operum: in quo inebriabuntur ab vbertate domus Domini, *ex Psal. 35.* Item in maiori periculo versari fruentem dulcedine deuotionis, quàm illum cui denegatur,cùm de illa cõfidens imperfectum suum consideare negligat, & ob suam præsumptionem fiat à Deo remotior potius quàm propinquior. Contra verò aridus contendens ad deuotionem cum sui abnegatione, & diuinæ misericordiæ magnificatione,ob suam humiliationem poterit Deo acceptior esse,dummodo contendens non negligat facere quod in se est.

*Nu.*135. Decima species scrupuli est, qua ij vexantur, qui etiam post factam quantà potuerunt diligentiã confessionem de peccatis suis,refugiunt tanquam indigni, sumere sacrosanctam Eucharistiam, eoquod Apostolus *in priori ad Corinth. cap. 11.* de sumente illam indignè dicat;quòd iudicium sibi manducet & bibat non diiudicans corpus Domini.

Pro remedio autem ex Gers.*in tract. de præparatione ad Missam*, proponendum est ad Sacramentum illud omni veneratione & reuerentia dignissimum fructuosè sumendum,non requiri certitudinem,speciali Dei reuelatione tibi euidentem, quòd sis in Dei gratia:immo ne si quidem talem haberes, deberes te iudicare dignum tali sumptione,sed adhuc cum Cõturione dicere:Domine nõ sum dignus vt intres sub tectum meum. Sufficere igitur potest certitudo moralis, seu quod accedens ad tantum Sacramentum sumendum, tantam diligentiam posueris in reperganda conscientia, quantum adhibuisses in opere faciendo,ex quo maximum lucrum expectares;sic vt nullius peccati mortalis non expiati te cõscium sentias: & quodcumque à te prius commissum te detesteris,vt firmissimè proponas nullatenus de cætero succumbere iuuante diuina gratia: quæ ipsa Eucharistiæ sumptione tibi accresceet, roburque ad resistendum fortiter tentationibus addet tibi bona fide agenti; neque in te suscepturo, neque in Sacerdote ministraturo, impedimentum vllum siue peccati siue censuræ Ecclesiasticæ cognoscenti: atqueadeo nihil obstare quominus à diuina misericordia expectes eiusdem sumptionis vberem fructum. Nec te moueat quod carne pugnante aduersus spiritum, te sentias aridum, dummodo voluntate sincera deuotionem desideres & ad eam seriò contendas.Deus enim qui audit desiderium pauperum ex Psal.9. nos nostráque iudicat secundùm liberæ nostræ voluntatis arbitrium:non autem secundùm ea quę nobis inuitis & contradicentibus caro sensualitasue ingerit: qualia sunt imaginationes volubiles,fantasiæ variæ, carnis illecebræ, ac stimuli, appetitiones vindictæ, inconstantiæ circa agenda, vacillationes circa credenda, aliáque id genus, quibus quandiu non consentimus, tantum abest vt diuinam gratiam in nobis destruant,vt potius virtutem perficiant: iuxta illud *posteriorisad Corinth.cap. 12.* Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ qui me collaphisat:propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me, & respondit mihi. Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.]

Accedit ad hæc,quòd quamuis nullius peccati sibi conscio,liberum esse possit, vel abstinere ab Eucharistia excusando se cum Centurione(cuius verba antè retulimus) vel ipsam alacriter suscipere imitatione Zachæi, qui Dominum in domo sua susceptit gaudens:istud tamen esse longè melius quàm illud, patet ex immensis fructibus, quos talis susceptio profert virtute passionis Christi,cuius est memoria-

Universidad de Deusto
Biblioteca

de: præsertim pinguedinem deuotionis ac roborationem in Charitate, vnde anima sugatur maximè ad perrumpendas difficultates, quas caro illi adfert in via salutis.

CAPVT VNDECIMVM.

De Confessarij prudentia in agendo cum Pœnitente, quem vt scrupulis, sic & Dei timore carere inuenerit.

SVMMARIVM.

136 *Opponuntur scrupulosis libertini, quibus prodesse possunt aliquæ ex medicinis, quæ præscribuntur scrupulosis; aliæ non item, sed potius nocere.*
137 *Eorum loco assumendus Dei timor dictus seruilis, nascens ex consideratione pœnarum inferni.*
138 *Pœnarum inferni, tum grauitas, tum multitudo, vrgenda est maximè ad libertinum concutiendam timore Dei.*
139 *Earumdem pœnarum consideratio debet Confessario commendata esse.*
140 *Ratio qua libertinus videtur posse ex pœnis inferni disponi ad timorem Dei.*
141 *De diabolica persuasione dicentium nihil, esse quod se vexent: quia Deus iam nouit quid de ipsis sit futurum.*
142 *Quando & quomodo suaderi possit minus malum ad vitandum maius.*

Nu.136. SCRVPVLOSIS oppositi sunt ij (libertinos vocant) qui post concupiscentias suas euntes, & earum ardore cauteriatam habentes conscientiam, nullis non modo scrupulis, sed nec Dei timore auertuntur à sua voluntate, contra illud Sapientis præscriptum *Ecclesiastici cap.* 18. Post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere.] Sic igitur liberas vitiis relinquentes habenas, non proponunt Deum ante conspectum suum; atque à facie eorum iudicia ipsius auferuntur, & ideo inquinatę sunt viæ illorum in omni tempore] *ex Psal. 9.* Prudentiæ autem Confessarij est aduertere, inter prius propositas medicinas solastres primas posse talibus prodesse: ad quarum proinde vsum debitum illos inducere debet quantùm potest. Quoad cæteras autem, ne eis abutantur (prout facilè possunt, vt conscientiam obmurmurantem non sentiant, sed peccent sine remorsus molestia) monendi sunt eas non institui ad curationem infirmitatis qua laborant, sed potius morbi contrarij: laxatiuam enim habere vim pro scrupulis: non autem restrictiuam, pro nimia sua libertate.

Nu.137. Itaque loco earum assumendum esse timorem Dei, ex consideratione pœnarum inferni tanquam remedium: tum efficax aduersus peccandi licentiam. (Oderūt enim peccare mali formidine pœnæ, prout experientia docet) tum opportunum ad peccatorem reducendum ad Deum, iuxta illud Psal. 77. Cùm occideret eos quærebant eū, & reuertebantur diluculo veniebant ad eum. Quāuis igitur talis timor nō sufficiat ad iustificationem peccatoris, vtiliter tamen ille eo concutitur, vt in Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. confirmatur ex eo, quòd Niniuitæ ad prædicationem Ionæ plenam terroribus egerint pœnitentiam, & à Domino impetrarint misericordiam. Quod vt contingat libertino, Confessarius bene curat, cùm ex timore pœnarum inferni, ipsum adducere seu disponere satagit ad eam saltem contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, & est impulsus Spiritus sancti nondum quidem inhabitantis, sed exterius ita mouentis vt idoneum reddat ad Dei gratiam consequendam per susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ ex eodem Conc. Trid. loco cit.

Porro quod in consideratione pœnarum inferni, timorem propositum generat, est maximè grauitas & multitudo earum inenarrabilis: vt vere illud vsurpare liceat, Nō mihi si linguæ centum sint, oráque centum, Omnia pœnarum percurrere nomina possem. Quanquam tamen ex sacris literis & sanctis Patribus, notatæ inueniuntur in libris piis, quę sufficiant ad quemcumque fidelem non omnino obstinatum permouendum. *Nu.138.*

De illis legendi sunt à Cōfessariis D. Anton. *3. part. tit.* 14. *cap.* 5. & illi qui scribunt de quatuor nouissimis: vt Dionysius Carthusianus & alij passim obuij: idque diligenter; tam vt compassionis affectu, moueantur erga proximum illis expositum: quàm vt procedant solliciti de sua salute; exposita eidem periculo, si ipsorum culpâ & socordiâ ille mortem æternam incurrat, qui curâ & diligentiâ ipsorum, eam euasisset. Neque enim, si Medicus corporis, suâ incuriâ ægrum adducens in vitæ discrimen, sanus nihilominus manet: ita medicus animæ, exponendo Pœnitentem suum periculo æternæ damnationis, eam euadit: sed illi pariter obnoxius manet: itaut cæcus cæco ducatum præstans, ambo in foueam cadant. *Nu.139.*

Præparari autem potest ad istiusmodi timorem libertinus, intimando ei, quòd eâdem fide quâ credit vnum esse Deum Creatorem cœli & terræ, & ipsius Filium vnigenitū pro nobis hominem factum, & in cruce mortuum: debere etiam credere eiusdē Christi veri Dei & hominis aduentum ad iudicium: in quo resumptis corporibus sine fine victuri, omnes homines excepturi sint sententiam, qua iustis æterna gloria, & iniquis æterna supplicia decernentur, *vt patet ex cap.* 25. *D. Matthæi.* Præterea quòd nihil sit quod post Deum tanti facere debeat, quam animam suam: cum nihil habeat tam intimum: ideoque in seipsum crudelem iniquumque esse, exponendo illam æternis suppliciis: à quibus vt illam liberaret Christus acerbissimum ignominiosissimúmque crucis supplicium subire dignatus est: cuius tantam misericordiam contemnens, sensurus sit iustitiæ rigorem, in terra illa miseriæ & tenebrarum: in qua (*vt habet inter alia D. Gregor. lib.* 9. *Moral. in Iob. cap.* 39.) sit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit.] *Nu.140.*

Euersio cuiusdam præsidij Diabolici quo libertini se muniunt.

NOn desunt autem qui eò demētiæ deuenerunt, vt quamuis vera esse credant quæ de pœnarum inferni multitudine & acerbitate dicuntur, se credere affirment; nihil tamen eorum timore moueantur: hoc diabolico, adeóque falso præsidio fulti, quòd nihil sit cur se priuare debeant huius vitæ iucunditatibus, nec animo suo obsequi: cū nesciant vtrū post multos toleratos labores, & spreta huius vitæ commoda, sint fœlicem exitum habituri: id enim pendere ex vnius Dei beneplacito immutabili. Quibus occurrendum est æquum esse: vt illi sibi persuadeāt, Deum pro infinita sua bonitate, nihil de ipsis ordinaturum, nisi quod iustissimum est, & rectissimum: ideoque exequantur quod suarum partium est: satagendo *Nu.141.*

gendo *iuxta D. Petrum in Epistola* 2. *cap.* 1. vt per bona opera certam suam vocationem & electionem faciant.] Deus enim non deerit, quem impossibile est mentiri, *ad Hebr.* 6. aut negare seipsum 2. *ad Timoth.* 2. Ipse autem *Ezech.* 33. protestatur. Viuo ego nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à sua via & viuat.] Et ex Apostolo *in priori ad Timoth.* 2. vult omnes saluos fieri.] Cùm igitur ad æternæ vitæ consecutionem oporteat nos à malis abstinere & bona agere (*iuxta illud Ioan.* 5. *Procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*) sicut & agricolam oportet agrum suum colere ad percipiendos ex eo fructus: sanè perinde stultum est, viam salutis positam in declinando à malo & in faciendo bonum: ideo tenere nolle, quòd nesciatur an salus ipsa susceptos labores sit secutura: non secus quàm si agricola arare & serere nollet, eo quod certus non sit, an ex laboribus percepturus sit fructus quos expectat. Adde, quòd etsi nulla expectaretur æterna salus, recta ratio tamen dictet, seruiendum esse Deo: ac eidem præcipienti obtemperandum: tum propter summam ipsius excellentiam ac maiestatem; tum propter tot beneficia creationis, conseruationis, redemptionis & alia particularia in nos collata. Immo etsi per impossibile, neque beneficia à Deo accepta, nos ad id non obligarent, obligat sufficienter humanæ naturæ conditio, quæ requirit vt homo viuat secundùm rectam rationem dictantem bona sequenda esse & mala vitanda. Vrgeri demùm poterit, quòd qui se stulta illa ratione persuaderi sinit; vel expectat à diuina misericordia æternum salutem, vel à diuina iustitia mortem æternam, desperātue. Atque si æternam salutem expectet, iniquissimus est, & supra quam dici potest peruersus, vitam agens qua incessanter Deum offendat à quo expectat tam immensum bonum, quod alij maximis laboribus quærunt. Sin autem de æterna salute desperet, quod Diaboli est non hominis, cui quamdiu agit hanc vitam, patet ad Christum salutis authorem aditus: iuxta illud *Ioan.* 6. Eum qui venit ad me non eiiciam foras] vrgeri poterit quòd in Inferno nullum relinquetur peccatum impunitum, iuxta illud *Matth.* 5. Non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem] quódque peccatis ipsis proportione respondebit pœna: iuxta illud *Apoc.* 18. Quantum se glorificauit, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

Quæ cùm ita sint, à consuetudine peccandi qua multiplicat & aggranat pœnas in Inferno luendas, meritò debet omni conatu auocare se; & obsequi suauissimę & consolationis plenissimæ adhortationi Isaiæ *cap.* 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas & reuertatur ad Dominum & miserebitur eius, quoniam multus est ad ignoscendum.]

Nu.142. Hîc obiter aduerte illum qui cum homine talis farinæ tractat, non posse quidem facere aliquod minus malum, ad impediendum ipsum à perpetratione alterius mali maioris, ex cap. Quod ait dist. 14. quando tamen ille omnino statuit peccare, posse ipsi persuadere, vt peccatum minus faciat potius quàm maius: vt cùm nullo modo vult abstinere à peccato carnis, potius fornicationem quàm adulterium committat. Ratio est quia id non est suadere peccatum, à quo vellet ipsum omnino auocare; sed dissuadere maius peccatum quemadmodum annotant Caiet. & Armilla *in verbo Tyrannus*; & pluribus confirmat Sotus *lib.* 6. *de iustitia & iure quæst.* 1. *art.* 5.

***

CAPVT DVODECIMVM.

De prudentia in iuuando Pœnitente propositis tum remediis aduersus prauas sua propensiones: tum dispositionibus ad progressum faciendum in Dei gratia & virtutibus.

SVMMARIVM.

143 *Vndecim remedia proposita à Polanco aduersus malas nostras propensiones.*
144 *Tria quæ omnibus proponi possunt ex eodem.*
145 *Dispositio prima ad diuinæ gratiæ & virtutum in nobis augmentum, est earumdem acceptarum bonus vsus: & quæ ad hunc conferant.*
146 *Altera dispositio non abuti illis, sed seruare diligenter & ex illis proficere.*
147 *Tertia est quorumdam internorum adiumentorum: nempe rectæ intentionis, capacitatis eiusmodi augmenti: ac desiderij bonique propositi eo vtendi.*
148 *Quarta est adiumentorum externorum: nempe diligentia in captanda occasione proficiendi: in commendandos se precibus seruorum Dei, in inuocando Sanctos cum Christo regnantes; & pie frequentando sacramenta.*
149 *Modus agendi cum eo qui apparet idoneus ad statum consiliorum Euangelicorum.*
150 *Eradicandi in nobis prauos affectus difficultas quidem magna est, sed quæ superari potest iuuante Christo.*
151 *Ratio ineundi certamen aduersus prauos nostros habitus, ad eos ab anima nostra eliminandos.*
152 *Ratio faciendi nobis propria Christi merita.*

VT ad Medici corporalis officium non tantùm spectat ægrum restituere corporali sanitati, sed etiam eidem in futurum consulere, pro conseruanda augendáque sanitate: sic præter iam dicta, quæ pertinent ad recuperationem spiritalis sanitatis, in Dei gratia & virtutibus eam comitantibus consistentis: Confessario incumbit ex officio, munire Pœnitentem remediis aduersus ea quibus talis sanitas labefactari potest, & adiumentis quibus incrementum capiat; ideoque de illis consequenter dicēdum est: quod fiet primò traditis remediis aduersus prauas nostras inclinationes. Secundò propositis dispositionibus requisitis ad prædictum incrementum. Tertiò tradita ratione eradicandi vitia seu prauos animæ nostræ habitus. Quartò proposita ratione, Christi merita faciendi nobis propria. Namque ad peccatum, quo labefactatur animæ sanitas, propensos nos faciunt, tum prauæ inclinationes naturales, tum etiam mali habitus acquisiti. Ad incrementum verò eiusdem sanitatis, tum bona ad illud dispositio, tum Christi merita nobis applicata.

De remediis aduersus malas propensiones naturales.

SECTIO I.

Nu.143. REmedia & quasi præsidia, quibus muniri possumus aduersus prauas nostras inclinationes, sunt ea quæ à Polanco numerantur *in suo* directorio *cap.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 *art.* 2. Primum firma & sæpe renouata voluntas non offendendi Deum; sed ei verè seruiendi. Secundum promptitudo occurrendi prauis cogitationibus, à quibus reliqua mala oriuntur. Tertium reprehensio sui & recordatio diuinæ præsentiæ. Quartum recursus ad Angelum custodem, ad Sanctos, & præcipuè ad Christum Crucifixũ & ipsius Matrem sanctissimam cum aliqua opportuna oratiuncula. Quintum recordatio diuinorum beneficiorum ac consideratio mortis & iudicij omni hora imminentis, atque adeo breuitatis, incertitudinis, fragilitatisque huius vitæ. Sextum dolor de peccato statim atque ipsum committi accidit, cum inflictione alicuius pœnæ propter illud, ac cum proposito confitendi suo tempore. Septimum largitio eleemosynę. Octauum conuersatio cum bonis, & cuitatio prauæ societatis. Nonum lectio librorum piorum, & auditio concionum. Decimum exercitium operum misericordiæ: & Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ vsus deuotus & frequens. Vndecimum studium humilitatis, timoris Dei, & orationis, super omnia autem charitatem habere, quod est vinculum perfectionis.] *ex Apostolo ad Colossi. tertio*: & sine quo nihil sumus, nec cætera nobis prosunt, *ex eodem in priori ad Corinth.* 13.

Nu. 144. Cæterum tria sunt, prout idem Polancus monet, quæ ferè omnibus salubriter proponi possunt.

Primum est, mane se totum offerre Deo cum memoria Christi Iesu pro nobis oblati in cruce, gratiámque petere vitandi eo die lapsum in peccata, præsertim ea ad quæ sumus procliuiores, ac perseuerandi in ipsius amicitia; dicendo Pater, Aue, Credo, &c.

Secundum est, se aliquantum temporis quietè colligendo (quod noctu ante somnium opportunè fieri solet) discutere suam conscientiam & considerare beneficia à Deo accepta, & mala ei reddita, transgressione diuinorum suorum mandatorum, addita humili petitione veniæ cum expresso emendationis proposito, dicendo, Pater, Aue, Credo, &c.

Tertium est, crebro confiteri sacramentaliter; quod præsidium multa complectitur, & est instar multorum. Pauca autem, vt idem auctor bene monet, & faciliora ad intelligendum, retinendum & exercendum simplicioribus proponenda sunt: vt verbi gratia; mane dicere ter Pater, & ter Aue, ac semel Credo contra malas cogitationes, & mala verba, maláque opera: totidem vel plura; agendo gratias Deo de beneficiis ab ipso acceptis, & petendo veniam de offensis contra ipsum commissis, implorandóque auxilium ad eas cauendas, adiuncto proposito emendationis. Præterea admonere, vt offerentes se prauas cogitationes statim repellant caueántque voluntate illis consentire, omníque studio tueantur animæ puritatem, ac bonis operibus insistant pro ratione talenti accepti, & crebrò confiteantur.

De dispositionibus ad gratiæ & virtutem incrementum.

Sectio II.

Nu. 145. Dispositiones autem ad gratiæ & virtutum augmentum hæ possunt esse. Prima, acceptorum à Deo donorum bonus vsus, sine quo illa augent obligationem, non vtilitatem & meritum. Vnde misericordiæ Dei est, cum talem non vsum in aliquo præuidet, illa non augere, ne augeatur serui inutilis pœna: *de qua Matth.* 25. Seruum inutilem eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.] Confert autem specialiter ad iltiusmodi vsum: primò crebra aspiratio ad illum; Deo placendi studio, desiderioque profectus nostri in virtute, per quem nostra spiritualis paupertas sublcuetur, & nostræ imperfectioni remedium adferatur. Secundò memoria Dei præsentis, recognoscendo nostrum debitum occupandi nos in ipsius seruitio. Tertiò intueri Christum nobis exemplo præeuntem in ipso vsu virtutis, & nominatim in eo cui de præsenti incumbendum esse ratio dictat: ab eoque auxilium, quasi iaculata oratione, petere cum sponsa *Cant.* 1. Trahe me post te: curremus in odorem vnguẽtorum tuorum.] Petere, inquam, cum magna fiducia ab eo, qui liberalissimus & misericordissimus mediator redemptórque noster est. Nam qui tanta operatus & passus est pro nostro profectu: amantior nostri quàm nosmet ipsi, bonus pastor quærens ouem errantem & inuentam humeris suis imponens, ac pro grege suo dignatus mori, non denegabit illud quod promisit *Matth.* 7. Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis; omnis enim qui petit accipit & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.]

Secunda dispositio ad augmentum gratiæ & vir- *Nu.* 146
tutum esse potest, non tantùm perseuerare in accepta gratia, sed etiam bene ad eam habere se: vt contingat primò, non abutendo eâ, vt illi solent qui superbiendo, Deum oppugnant suis donis. Secundò seruando eam diligenter, magníque æstimando dona Dei, & pro illis gratias agendo ex animo, ac petendo vt in nobis perseuerent. Quæ petitio quotidie fieri debet ob quotidiana pericula perdendi rem necessariam ad salutem. Tertio demum, solicitè negotiando cum tali talento accepto: nimirum in exercenda pietate erga Deum, benignitate erga proximum & mortificatione erga nosipsos. Nam scriptum est *Ierem.* 48. Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter.]

Tertia dispositio est quorumdam internorum ad- *Nu.* 147.
iumentorum: quorum primum consistit in rectitudine intentionis: quæ contingit cùm augmentum gratiæ non aliter intendimus, quàm vt Deo maximè placeamus & proximum iuuare possimus, prout Christiana charitas exigit. Secundum verò consistit in reddendo animam, vas capax talis augmenti tanquam liquoris abundantioris: quod fit per profundam humilitatem, qua homo sentit suam inanitatem, & quod sibi deest intuens, de se omnino diffidit, ac seipsum abnegat. Tertium consistit in dilatatione desiderij, tanquam oris animæ, vt Deus impleat illud. Nihil autem aliud est talis dilatatio, quàm actus voluntatis magnopere, frequenter, & insatiabiliter expetentis gratiæ augmentum. Quartum consistit in animæ studio, quo diligentia adhibetur circa pia opera: orationes, inquam, iciunia, & eleemosynas, ac cætera quæ ad hæc reducuntur vt fiant instanter, fortiter & perseueranter ad promerendum apud Deum, propositum augmentum.

Quarta dispositio est, quorumdam aliorum adiu- *Nu.* 148.
mentorum externorum: quorum primum consistit in non omittendo oportunitatem temporis; siue diei festi, in quo tanquam oportuniore ad consequenda Dei dona, exercitium operum pietatis maximè commendatum esse solet: siue etiam vocationis Dei per interiores inspirationes, aut etiam exteriores afflictiones vel prosperitates. Nam *Apoc.* 3. talium donorum largitor ait. Ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit intrabo & cœnabo cum eo.] Secundum verò, consistit in postulando à seruis Dei adhuc viuentibus vt orent pro nobis, ac dignentur nos suorum meritorum facere participes. Tertium autem in

in inuocando deuote Sanctorum cum Christo regnantium suffragia & præcipuè Beatæ Virginis. Quartum demum in susceptione debita Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ: ad quam tàquam continentem gratiarum omnium fontem, cum quanto possumus feruore accedendum est.

Nu. 149. Quæ quatuor attingentes Polancus *in sequenti art.* 3. & Iacobus à Graphiis *in lib.* 1 *decis. auxiliarium cap.* 30. addunt, quod non videtur silentio prætereundum; non expedire (etiamsi perfectionis sit) ad statum consiliorum Euangelicorum statim stimulare Pœnitentes progressum facientes in virtute, ne quidem idoneos ad eum statum: quia multi sunt, qui eò magis illum refugiunt, quò sibi persuaderi sentiunt. Securum autem esse tales ad meliora & saluti vicimiora adducere: interea cum dexteritate interrogando de inspirationibus Dei, num aliquas sentiant circa perfectiorem vitæ statum assumendum: síque aliquas in se sentiant: admonere ne surdi sint ad vocationem Dei. Si verò non sentiant hortari vt Deo offerant se, paratos ad omnia, quæ fuerint ei gratissima: ac quisque prout fuerit dispositus, ad optima est excitandus. Quod si aliquem inueniat Confessarius dispositum ad tenendam consiliorum viam: non debet occasionem negligere eum iuuandi: quia non exequeretur alioqui fideliter suum munus. Quanquam autem eum dirigere debeat, non tamen ad vnam potius, quàm ad aliam Religionem inuitare; sed ei liberam relinquere suam vocationem, nisi in aliquo ipsum decipi constaret: quia tunc esset consilio iuuandus.

Ratio extirpandi ab anima vitiosos habitus ad euitationem peccatorum.

Sectio III.

Nu. 150. Vitiosi habitus instar spinarum sunt, quæ in agro cordis nostri latibulum præbent antiquo serpenti cuius inhabitatione ita deprauatur, vt pro fructibus bonorum operum producat peccata. *De quibus Matth.* 15. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt quæ coinquinant hominem.] In illis ergo extirpandis insudandum est ad peccatorum euitationem: quodquidem magnam habet difficultatem, quæ quasi obstreticantem Dei manum requirat, vt educatur coluber tortuosus iuxta dictum Sancti Iob. *in cap.* 26. Vnde potest quidem in nobis augeri diffidentia de nobis, non tamen minui confidentia in Christo, dicente Apostolo ad *Philip.* 4. Omnia possum in eo qui me confortat:] Ille enim potest, etiam ex lapidibus suscitare filios Abrahæ *Matth. cap.* 3. & ad hoc venit in mundum vt redimeret nos ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum *ad Tuum* 2. Itaut nemo sit qui desperare debeat, se posse cum tempore superare quodcúque vitium, quantumcumque in ipso altissimas egerit radices, si quæ suarum partium sunt præstiterit, firma in Christum innixus spe: quam excitare foueréque debet, ipsum humiliter considerando: tum vt Creatorem, apud quem non est impossibile omne verbum *Luc.* 1. & ideo potest reformare in nobis suam imaginem, per vitium deformatam: Tum vt patrem, qui filio petenti spiritum bonum, non potest illi eum negare, iuxta illud *Luc.* 11. Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.] Ad quod facit parabola de filio prodigo *Luc.* 15. cui reuerso ad patrem tam benigne de omnibus idem pater prouidit. Tum demum vt Medicum missum ad impertiendam salutem omnibus qui indiguerint: ipso dicente *Matth.* 18. Filius hominis venit saluare quod perierat.] Eiusque rei gratia, sanguinem suum fudit, & corpus summ in sacrificium & cibum reliquit in Eucharistia: factus Medicus noster, & medicina; redemptor, & pretium redemptionis nostræ. Sic igitur sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato 1. *Ioan.* 1. habemúsque redemptionem per sanguinem eius *ad Ephes.* 1. Adhæc si cum peccatores adhuc essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum *ex cap.* 5. *Epistolæ ad Rom.* Vnde nullus potest esse locus pusillanimitati, aut diffidentiæ: quia licet magna sit indignitas nostra: in infinitum tamen Dei misericordia eam vincit. Neque iustitia ipsius obsistit; sed potius fauet, cum exigat, vt ipse det nobis illud quod à nobis petit; cum dare nequeamus, nisi de manu ipsius illud acceperimus. Creator est, quem dubitare non possumus, malle videre purum opus ad imaginem suam factum, quàm vitiis contaminatum. Si bonus Dominus seruum: & pater filium, volentem ex vitiorum cœno emergere, libentissimè adiuuat: quis non expectet idem auxilium à Deo, qui est ipsa bonitas, nec vnquam deest sperantibus in se. Magno igitur fortique animo, quæ in hac re sunt nostrarum partium, auxilio freti Christi, conemur exequi: qualia censentur sex sequentia.

Sex à nobis præstanda ad vitiorum eradicationem.

Nu. 151. Primum est Christi auxilium pro mentis illuminatione implorare: vt fieri potest per illud *Psal.* 12. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus prævalui aduersus eum.]

Secundum est, vt conemur nosipsos intimè cognoscere, perscrutando accuratè omnes inclinationes nostras, & earum radices, per quas ortum & incrementum capiunt ab amore nostri inordinato: (quales radices communiter septrem distinguuntur, & Capitalia peccata vocantur) cumque eas inuenerimus, studeamus euellere: non quidem omnes simul, sed vnam post aliam: incipiendo ab ea, quæ magis nos infestat & magis est in nobis peccatorum incentiuum: nam habens plures hostes potentes, si vult omnes deiicere simul: aut hodie hunc, & illo nondum debilitato, eras cum alio congredi, nullum vincet.

Tertium est habere notata, memoriæque commendata (vt præsto sint, cum opus erit) illa quæ inducunt in displicentiam, odiumque vitiorum: præsertim illius cuius eradicationi specialiter studemus: & quæ contra in complacentiam, amoremque pulchritudinis virtutum, maximè illius cui propositum vitium aduersatur. De quibus in eum finem legendi sunt libri pij, & de iisdem apud se meditandum sæpe, & cum aliis colloquendum. In eam rem vsui esse possunt *in præcedenti capite quinto sectione tertia & sequentibus*, dicta de turpitudine & pernicie peccati.

Quartum est, vt cùm vitiorum radices habeant varias quasi fibras, tum occasionum peccandi, tum malarum propensionũ, tam à natura corrupta quàm à prauâ consuetudine prouenientium: in iis euellendis incipiamus à minus difficilibus & ex illis paula-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rim assurgamus ad difficiliores diffidendo de propria infirmitate, & confidendo in Christi auxilio, quod oportet implorare, talis virij turpitudine mẽti cum pudore & dolore obiectâ, excitatóque desiderio liberationis ab ea, vt valeamus progredi in cœpta salutis via resistendo superuenientibus tentationibus, simul etiam adhibere Aduocatos, Beatissimã Virginem ac reliquos Sanctos, & nominatim eos qui excelluerunt in virtute contraria vitio quod extirpare satagimus: interea manentes spe fixi in ipso Christo, & conantes omni studio euadere periculum labendi per tale vitium in peccata, quibus iuxta Apostolum *ad Hebr.6.* rursum crucifigamus nobisipsis filium Dei & ostentui habeamus.

Quintum vt in certamine quod contra certum vitium inimus idipsum vitium persequamur instanter, donec ita debili tetur, vt iam facile sit ipsum cõprimere secundùm rationis arbitrium: efficere verò, vt non sentiatur, nec necessarium est, nec etiam fieri potest. Et licet præcipuâ diligentiâ cum tali vitio particulariter pugnandum sit; cætera tamen non sũt interim negligenda, sed eorum vniuersalis horror semper habendus est, sique aliquod eorum incipiat nos infestiùs, & cum aliquo peccandi periculo vrgere, statim quasi protrito capite reprimi debet.

Postremum est, vt strenui, animóque virili simus in aggredienda hac spiritali pugna, ne terreamur labore, nec absistamus rei difficultate (in quo magnum est victoriæ signum) tum etiam in ea prosequenda, constanter, non diffidendo de victoria, etiãsi infirmi & fragiles sæpius qualibet die labamur; immo potius inde faciendo prouentum humilitatis; cui talis lapsus materiam præbet. Neque enim in istiusmodi certamine qui cadit vincitur, modò surgere studeat: sed qui fugiendo arenam pugnare desinit, aut se aduersario dedit.

Ratio faciendi Christi merita nobis propria, ad incrementum gratiæ & virtutum.

Sectio IV.

Nu.152. CRristus caput totius Ecclesiæ, sicut habuit plenitudinem gratiæ, ita habuit & meriti non tantùm pro se, sed etiam pro omnibus qui ei tãquam viua membra vniuntur. Illis enim promeruit ea ratione, qua solet quis singulis sui corporis membris viuis; quando aliquid agit remuneratione dignum: sicque incrementi meritorum habemus adiumenta, non tantùm intra nos: gratiam, inquam, & virtutes tum Theologicas, tum morales infusas ac Spiritussancti dona: sed etiam extra nos, Christum videlicet Dominum nostrum meritorum abyssum infinitum, propter gratiam sine mensura per quam meruit, personæque merentis dignitatem infinitam. Etenim talium meritorum participes fieri possumus: quod sciens D. Bernardus, *vt in ipsius vita refertur lib. 1. cap.* 12. Diabolo ipsum in extremis constitutum accusanti respondit; Fateor, nõ sum ego dignus, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum: cæterùm duplici iure illud obtinens Dominus Deus; hæreditate scilicet patris & merito passionis; altero ipse contentus, alterum mihi donat; ex cuius dono, iure illud mihi vendicans non confundor. Cùm autem maxima omnium momenti sit talis participatio, debemus magnâ curâ ad illam nos disponere; sicut possumus per illa quæ nos ipsi Christo vniunt, & quasi incorporant; qualia sunt, tum fidei, spei, & charitatis erga ipsum vlus, *de quo in sequenti cap. 14. sect. 6.* tum etiam imitatio ipsius in cæterarum virtutum exercitio, per quod in via salutis, declinando à malo, & faciendo bonum sic ambulemus, vt intuearmur ac sequamur ipsius quasi vestigia: quod (præter notitiã comparandam conciones audiendo, pios libros legendo aut meditando vel colloquẽdo de vita ipsius, ac etiam vsum imaginum) requirit vt ipsum habeamus assiduè ante cõspectum nostrum, *prout exponetur in eodem cap. 14. Sect. 4.* Tum præterea sacrosanctæ Eucharistiæ sumptio debita: de qua dicetur in tertia par. cùm de ipsa Eucharistia ex instituto Tum demũ speciale studium ad hoc adhibẽdum vt nos ipsum Christi meritum induamus, nobisque redemptionis nostræ fructum reddamus proprium: qui fructus est tum satisfaciendi pro peccatis, tanquam debitis nostris: tum promerendi nobis in hac vita gratiam, & in futura gloriam: tum demum agendi vitam Deo placentem. Istiusmodi studij autem vtiliter exercendi modus, iste esse potest

Primò conuerti ad Christum, à quo est omne bonum, iuxta illud *Ioan.1.* De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.] & coram eo recognoscere: tum nostram ac nostrarum actionum imperfectionem: tum etiam debitum quo abstringimur ipsum honorandi, ipsique placendi ac iuuandi membra ipsius: nempe tum nosipsos, tum etiam proximos nostros, pari nobiscum paupertate egestatéque pressos.

Secundò, considerare thesaurum meritorum inæstimabilem in iis quæ Christus (Persona infinitæ dignitatis) egit passúsque est ex iustitia, obedientia, charitate, & gratia sine mensura, quódque ipse talia merita sua, possit omnibus suis membris communicare, ac efficere vt nobis imputentur tanquam nostra.

Tertiò, in nobismetipsis excitare desiderium participationis ipsorum Christi meritorum; optando vehementer indui veste confecta ex tam pretiosis velleribus agni illius immaculati: ea potissimùm intentione, vt Deum honoremus, & ei maximè placeamus, proximos item nósque ipsos eadem veste calefacti, iuuemus ad roborationem gratiæ & virtutum nobis diuinitus infusarum, animæque nostræ maius decus & ornamentum: vt tum ipsa tum actiones ipsius, gratiores sint in conspectu Dei.

Quartò, erigi in spem tanti beneficij consequendi; tum quia id maximè conuenit summæ Christi erga nos misericordiæ, cuius typum quemdam gessit misericordia sancti Iob. dicentis *in cap.31.* Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem; si non benedixerint mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est, &c.] Tum quia conuenit bonitati, magnificentiæ, liberalitatique diuinæ, vt in via nobis conferat quod summum est inter bona præsentis vitæ; suum scilicet meritum: sicut in patria nobis confert quod item summum est; puta visionem, & fruitionem suæ essentiæ. Tum demum quia maximè honorificum est humanitati Christi, vt sic locupletare possit & velit suos.

Postremò addere orationem, qua deuotè instanterque petamus à diuina bonitate per ipsa summa Christi merita, & Beatæ Virginis, Sanctorúmque omnium intercessionem, vt de inexhausto eorumdem meritorum thesauro pauperratem & indigentiam nostram subleuare dignetur, vt calefacti de velleribus illius agni sui, qui tollit peccata mundi, seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia, omnibus diebus nostris. Ad hoc enim idem agnus innocens & impollutus occisus est, in quo fundaretur; & à quo inchoaretur & per quem promoueretur perficeturque omne bonum nostrum. Cui laus sit ab omni creatura,

ra, *de qua Apoc.5.* Et omnem creaturam quæ in cœlo est, & super terram & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes sedenti in throno & agno, Benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum. Amen.]

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De prudentia Confessarij in erudiendo rudi in fide, nec satis sciente viam salutis.

SVMMARIVM.

153 *Declaratio mysterij sacrosanctæ Trinitatis accommodatè ad captum rudiorum.*
154 *Similis declaratio mysterij Incarnationis.*
155 *Propositio aliorum mysteriorum in Symbolo Apostolico expressorum.*
156 *Ratio quæ ab Ecclesia inculcantur.*
157 *Via salutis posita in adimpletione diuinæ voluntatis, & vnuerse quid Deus velit à nobis.*
158 *Vtenda ad tenendam viam salutis.*
159 *Detrimenta per peccatum accepta recedendo à via salutis, cum ratione ea reparandi.*

VM editus iussu Concil. Trident. Cathechismus ad Parochos sufficienter ea suppeditet quę huc spectare possũt: siue quoad res, de quibus rudem erudire oportet; siue quo ad modum erudiendi: contenti erimus attingere familiarem modum agendi cum nonnullis adeo rudibus, vt de principiis fidei in ipsa etiam cõfessione doceri debeant, vt absolutionis Sacramentalis bene capaces censeantur: quod aduertere, in eóque Pœnitentem suum iuuare accõmodatè ad ipsius captum, prudentiæ est Confessarij: sicut & nescientem, informare de via salutis; quod vtrumque qua ratione paucis fieri possit sequitur tradendum.

Modus familiaris erudiendi rudem in fide.

Sectio Prior.

Nu.153. HIc modus potest esse ille, quẽ attigit Iacobus à Graphiis *in lib.1. decisionũ aurearũ cap.24. nu.3.* vt declaretur, quid sibi velit quòd formemus signũ crucis, ducta manu à capite ad imũ pectus; deinde à sinistro humero ad dextrum dicentes In nomine Patris, & Filij & Spiritussancti. Hęc enim verba indicant sacrosanctæ Trinitatis mysterium; ad quod recolendum institutus est in Ecclesia dies Dominicus: in eoque consistit, quòd Deus totius mundi (ex articulo primo symboli Apostolici) conditor, & rector, suprematúsque Dominus, ex quo toti pendemus, vnicus sit quidem in sua natura diuina; trinus tamen in personis suis diuinis: sicut figura triãgularis vna est in sua natura, & trina in tribus angulis in quibus consistit: atque primam earum à nullo alio habentem originem, nomine Patris significari: secundam verò, habentem originem à Patre, significari nomine Filij: & demum tertiam à Patre Filioque simul habentem originem, significari nomine Spiritussancti; neque eam differentiam originis obstare quominus Deus sit vnicus, cùm omnium trium vna eadémque sit diuinitas duratione, omníque perfectione infinita; ita vt Pater sit quidem persona alia à Filio & Spiritussancto; non sit tamen alius Deus, sed vnus & idem, adeovt vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate veneranda sit: quod simpliciter credere, nec vexare se inquisitione modi, quo id fieri possit, monendus est Pœnitens: ne volens sapere plusquam oportet, factus scrutator maiestatis opprimetur à gloria] *iuxta Sapientem Prouerb.cap.25.*

Productio verò maius à capite ad imum pectus significat descensum Filij Dei in sanctissimæ Virginis Mariæ vterum: seu ipsum non quidem hominis sed Spiritussancti operatione conceptum esse, & hominẽ factum in ipso beatissimæ Virginis Mariæ vtero; prout declaratur per secundum symboli Apostolici articulum: sic vt simul sit verus Deus, sicut æternus Pater ipsius; & verus homo ex anima & corpore constans; sicut temporalis mater ipsius. In quo consistit alterum nostræ religionis præcipuum mysterium, quod dicimus Incarnationis: quia est Filij Dei incarnati per humanæ naturæ assumptionem: quæ vtcumque adumbrari potest similitudine: si rex in throno sedens aliquem ad se in eum assumeret secum sessurum. De quo mysterio, vt de præcedenti simpliciter credendo, monendus est Pœnitens. *Nu.154.*

Natus autem de eadem Virgine in stabulo, postea passus est sub iudice Pontio Pilato, crucifixus, & in cruce mortuus, ac mortui corpus mandatum est sepulturæ, & anima descendit ad loca subterranea, in quibus animæ iustorum commorabantur, donec per eandem Christi mortem aperiretur eis cœlum, quod per peccatum Adami primi omnium parentis, erat clausum. Tertia autem die animâ redditâ corpori, is rediit ad vitam, & quadragesimo post die cœlum ascendit; vbi gloriosus sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; vnde & venturus est iudicare omnes homines; constitutis ad dexteram iis quæ bona egerunt, & decesserunt in Dei gratia: & ad sinistram, iis qui mala egerunt & decesserunt in peccato mortali: vt in illos sententiam æternæ salutis, & in hos sententiam proferat æternę perditionis. Iam quod formantes signum crucis manum à sinistro humero ad dextrum reducimus, significat causam assumptæ naturæ humanę à Filio Dei, esse vt à sinistra sua ad dextram, id est, à statu damnationis, ad statum salutis homines transferret, iuxta illud *ad Rom.4.* Traditus est propter delicta nostra: & resurrexit propter iustificationem nostram] siue vt passione sua, pro peccatis nostris Deo satisfaceret: & sua resurrectione excitaret nos spe futuræ beatitudinis, ad studium sanctitatis morum: per quam Deo placentes consequeremur æternam salutem. In quem etiam finem Spiritumsanctum dedit Ecclesiæ suæ Catholicæ (extra quam salus obtineri non potest) vt eam regeret, & vnumquemque fidelem in ea suis cœlestibus donis confirmaret, diuinísque impulsibus ad ipsum salutis portum proueheret. Vbi monendus est ille qui eruditur, nomine Ecclesię significari congregationem Christi fidelium, qui credunt, tenéntq; quidquid sancta Romana Ecclesia credit & tenet. Posuit etiam sanctorum hominum, sacramentorúmque communionem (de quorum, præsertim Pœnitentiæ & Eucharistiæ, vsu, quẽ idem tunc vsurpare statuit: instituẽdus est pro ipsius captu) tanquam adiumenta ad peccatorum remissionem & consecutionẽ diuinæ gratiæ: quæ est æternæ salutis quoddam quasi semen, ex quo prouenit æterna gloria, non solum animę sed etiam corporis restituendi vitæ, iterúmque animæ ita sociandi vt ab ea siue beata fuerit siue misera nunquam separandum sit. *Nu.155.*

Quibus propositis, prudentiæ erit monere, ea omnia contineri in Symbolo Apostolorum, quod cum oratione Dominica & salutatione Angelica addisci recitarique solet à fidelibus, tanquam continens ea quæ communiter debent nobis ob oculos

Universidad de Deusto
Biblioteca

versari ad fouendum in nobis pietatis bonorúmque operum studium, & pietatem: vitæque improbitatẽ auersandam iuxta illud ad Titum. 2. Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus: eruditens nos vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobriè iustè & piè viuamus in hoc sæculo expectantes beatam spem & aduentum magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.]

Nu.156. Addi etiam potest ad recolẽdam memoriam mysterij sanctissimæ Trinitatis bonorum omnium vberrimi fontis, Ecclesiá celebrare diem Dominicum & particulariter illum qui proximè sequitur Pentecosten, Beneficium autem maximum Christi Incarnationis ac Natiuitatis, memoriá recolendum eamdem Ecclesiam inculcare obseruatione solemnitatum Annunciationis Beatæ Marię, & Natalis Domini cum præcedente Aduentu. Beneficium verò Passionis (cuius representatio est celebratio missæ) inculcare obseruatione diei veneris, & temporis quadragesimalis; & erectionis crucis; non modo in templis, sed etiam extra ea in vrbibus, domibus & agris. Mysterij autem resurrectionis Christi (ac nostræ etiá aliquo modo) memoriam inculcare celebratione tũ diei Dominicę, tum etiam solemnitatum Páschaliũ: quibus succedit festum Ascensionis Domini in memoriam mysterij eiusdem Ascensionis. Porro futurus Christi aduentus ad iudicium inculcatur simul cum aduentu primo, in quo incarnatus de Spiritu sancto, homo factus est. Beneficium verò dati Ecclesiæ Spiritus sancti inculcatur obseruatione annua solemnitatis Pentecostes. Eiusdem Ecclesiæ vnitas indicatur templo materiali omnibus communi, in quo omnes preces fiunt pro omnibus qui de ea sunt. Sanctorum communio & remissio peccatorum inculcantur: illa quidem, celebratione præcipuè solemnitatis omnium Sanctorum, & festo corporis Domini, ac vsu panis benedicti: hæc verò vsu tum aquæ benedictæ, tum indulgentiarum, tum etiam iciuniorũ. Nostra denique resurrectio & vita æterna inculcantur: illa quidem solemnitate Paschali (vt iam attigimus) conseruatione reliquiarum sanctarũ: & vsu cœmeteriorum institutorum ad religiosam sepulturam defunctorum: hæc verò celebratione adhuc festorum Ascensionis Domini: & omnium Sanctorum: ac supplicationum & cantuum lætitiæ in Ecclesia.

Ratio informandi paucis, eum qui nescit spectantia ad viam salutis.

Sectio Posterior.

CVm proposita ignorantia coniuncta est alia, eorum quæ spectant ad salut is viam: cui remedium aliquod adhiberi consentan eum est, antequam Pœnitens ea laborans dimittatur: quod videtur sic paucis fieri posse, cùm non datur tempus agendi pluribus.

Nu.157. Primò inculcandum est æternam salutem ad quam aspirat non contingere nisi facienti voluntatem Dei dicente Domino *Matth.7.* Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.] Quænam autem sit Dei voluntas quam facere oporteat, declarari mandatis, *de quibus Matth.19. dicitur*, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Paucis autem comprehensam haberi verbis illis *Michææ cap.* 6. Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.] Quibus verbis significatur voluntatẽ Dei esse, vt vitam agamus, respectu quidem nostri, in ieiunio, seu mortificatione concupiscentiæ nostrę, quę cum conceperit, parit peccatum: *Iacobi* 1. Id enim est facere iudicium; tollendo scilicet, ei licentiam quam contra ius fásque, sibi ea sumit, dum in prosecutione iucundi, aut fuga molesti excedit rectos rationis limites. Respectu verò proximi, in eleemosyna; qua is iuuetur in sua necessitate; hoc enim est diligere misericordiam. Respectu denique Dei, in oratione, ac omni deuotione erga eum: quod est, solicitum ambulare cum Deo: scilicet seruiendo illi in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris.] *Luc.* 1.

Det ergo operam caueátque, ne in ipso vigeat aut *Nu.158.* concupiscentia; siue voluptatis siue curiositatis siue vanitatis (quarum prima concupiscentia carnis: secunda, concupiscentia oculorum: & tertia, superbia vitæ] *dicitur primæ Ioannis* 2.) aut peruersa voluntas erga proximum; aut negligentia in seruitio Dei. Viget autem concupiscentia voluptatis, in gulosis, & in luxuriosis; ad quos illi reuocantur, qui mollibus vestiuntur. Concupiscentia verò curiositatis, in curiosis & auaris; quorum illi nimis appetunt scire, & videre pulchra: hi verò, habere chara. Concupiscentia demum vanitatis in superbis, in quibus viget nimius appetitus fauoris, laudis, & honoris. Quibus omnibus inculcanda sunt verba *Ecclesiastici* 18. Post concupiscentias tuas non eas, & à volũtate tua auertere: si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, facient te gaudium inimicis tuis.] Quæ verba ostendunt non modo consentiendum non esse concupiscentiis: sed etiam in primo earum motu, eas repellẽdas esse, iuxta illud *in sequenti capite* 21. Quasi a facie colubri fuge peccata.

Peruersitas verò voluntatis erga proximum viget; tum in iracundis; maleuolentiam quàm intus gerunt in animo, prodentibus exteriùs verbis iniuriosis, seu maledictis, actibus vindicatiuis, signis in facie, gestibus & clamoribus: tum in inuidis, dolentibus de prosperitate, & gaudentibus de infortunio proximi.

Negligentia denique prædicta viget in accediosis torpentibus in Dei seruitio; rarò, aut sine debita reuerentia, & attentione orantibus vel Missam audientibus; leuitérque tantùm se ad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ parantibus.

Commendanda demum est saluberrima memoria præsentiæ Dei, tanquam actionum nostrarum testis præsentis, qui idem nos misericorditer nunc sustinens, erit postea seuerus iudex, faciens reddere rationem vsque ad vltimum quadrantem: ad cuius tribunal progressio quædam est, & accessus vita nostra: vnde ita institui ea debet, vt illum habere possimus placatum, ne nobis conueniat quod ab ipso Christo *Matth.26.* dictum est de Iuda, Bonum esset ei, si natus non fuisset homo ille.

Adhuc qui eruditur moneri potest de detrimentis *Nu.159.* quæ accipiuntur relictá viâ salutis, & de ratione qua reparari possunt, eandem viam tenendo. Per peccatum igitur recedendo à via salutis, detrimenta accipiuntur, non modo ordinariè à peccatore, sed etiam à proximo multoties: à Deo autem nunquam, iuxta illud *Iob.35.* Si peccaueris, quid ei nocebis, & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies cõtra eum? Accepta autem à proximo reparantur per restitutionem, quam iure naturæ tenetur facere, qui illa iniustè intulit; aut si eam facere non potest, recurrere ad Christum. In quo recursu oportet primò cognoscere

agnoscere ipsa detrimenta illata, & cum dolore offerre nos Christo paratos ad quasuis pœnas patiendas eo nomine libenter, quòd per nostram culpam illi quos sanguine suo redemit, detrimentum patiantur cum aliqua diminutione honoris ipsius.

Secundò tantùm de ipsius potentia, scientia, & bonitate credere & sperare, vt persuasum habeamus, quòd possit sciat, & velit pro nobis satisfacere; si vt par est id ab eo per deuotam orationem petamus. Quæ facienda est adhibitis intercessoribus Sãctis, & reuocatâ in memoriam passione Domini, quâ nobis omne bonum meruit verè misericors.

Accepta verò à nobis detrimenta, sunt peccati macula, & innumera alia mala quæ eã sequuntur *iuxta illud Psal.*31. Multa flagella peccatoris.] de quorum reparatione, in sequenti lib. 5. cum de contritione, ad eandem reparationem instituta, vtpote quæ est Pœnitentia, de qua Dominus noster *Luc.*13. *ait*, Nisi pœnitentiam habueritis omnes peribitis.] Accedit ad ea ipsa mala, exiguus valor eorum etiam bonorum operum, quæ etsi proueniant ex radice diuinæ gratię & charitatis, ideóque sint æternæ salutis meritoria; ob negligentiam tamen & tepiditatem nostram, neque nobis tam fructuosa, neque proximo tam proficua, neque Deo tam honorifica sunt quàm deberent esse.

Pro eorumdem autem reparatione recurrendum est ad Christum qui infinita sua munificentia & magnificentia ac illimitata potestate, dare potest nostris actionibus quantum volet valorem, suáque acceptatione eas extendere, ad quamplurimorum vtilitatem. Coram illo igitur humiliter constituti gratias ei agamus de eo, quod bonum fuerit in iisdem actionibus: quodque imperfectum in eis est recognoscamus confusi, & intimè de tali imperfectione dolẽtes cum desiderio magno tã honoris diuini promouendi, quàm vtilitatis proximi procurãdæ. Atque ipsas denique nostras exigui valoris actiones cum actionibus illius infiniti pretij offeramus illi, petendo suppliciter per passionis suæ merita ac Sanctorũ intercessionem, vt pro infinita sua benignitate & misericordiâ dignetur quod illis deest supplere ad ipsius gloriam, & nostram, ac proximorum æternam salutem.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De dispositionibus necessariis in anima ad tenendam salutis viam Pœnitenti inculcandis.

SVMMARIVM.

Contenta in hoc & in sequẽti ca. Pie Lector magni facito, eo nomine, quòd maxima ex parte sint profecta ab vno ex iis Patribus per quos diuina bonitas dignata est nostram societatem inchoare.

160 *Tales dispositiones præcipuæ; bona voluntas, coniunctio animæ cum Christo, & conatus noster: & in quo duæ priores consistant.*
161 *Noster conatus in quo consistat, quidque requiras.*
162 *Coniunctio animæ cum Christo perfidem, quódque hæc debeat esse recta, magna, & fortis.*
163 *Coniunctio per spem, quódque de nobis diffidendum sit, & in Christo confuendum.*
164 *Tam diffidentia de nobis quàm confidentia in Christo debet esse recta, magna & fortis: & quomodo.*
165 *Coniunctio animæ cum Christo per charitatem.*
166 *Ad quam coniunctionem abnegatio suipsius concurrit cum dilectione Christi.*
167 *Támque illa, quàm hæc debet esse recta, magna & fortis, & quomodo.*
168 *Necessitas proponendi Christum ante conspectum suum ad tenendam viam salutis: & modus quo id fieri debet.*
169 *Adiumenta remota ad id faciendum.*
170 *Adiumenta propinqua.*
171 *Præcipuum eorum, quod est feruere amore Christi, quo modo foueatur exercitio fidei.*
172 *Quomodo exercitio spei.*
173 *Quomodo exercitio charitatis.*
174 *Humiliationis nostræ necessitas, & quæ ad eam iuuent.*
175 *Debet esse recta, magna, & fortis.*
176 *Ratio illam exercendi intra nos.*
177 *Ratio illam exercendi extra nos.*
178 *Ratio illam exercendi cum proximo.*
179 *Necessitas aduersa patiendi propter Christum: & quæ sint ad id communia adiumenta.*
180 *Considerationes speciales iuuantes specialiter ad patienda aduersa quæ nobis inferuntur ab aliis.*
181 *Voluntaria susceptio aduersorum qualis esse debeat.*

PRÆCIPVÆ istiusmodi dispositiones seduló Pœnitentibus inculcandæ, sunt præter *Nu.160.* bonam voluntatem, tum animæ coniunctio cum Christo, tum eiusdem animę conatus. Bona autem voluntas in hoc consistit, vt in omni vita velis Dei seruare mandata, declinando à malo & faciendo bonum: atque (secundùm illud Apostoli *in priori ad Corinth.* 10. Siue manducatis siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite) intendas Dei gloriam: seu tanquam finem, tibi proponas diuinum honorẽ. Sub quo aduerte cõtineri cognitionem diuinæ perfectionis; reuerẽtiam & timorem maiestatis: amorem bonitatis cum exhibitione obedientiæ ei debitæ: ac demum perfectionem tam propriam, quàm proximi propter Deum: nempe vt huius voluntas fiat, eique placeatur in omnibus. De cuius bonę voluntatis necessitate in anima, ad agendam vitam æternæ salutis meritoriam, nullum dubium est: quandoquidem hæc tanta merces solis mãdata ex amore Dei seruantibus redditur: iuxta illud *Matthæi* 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata] & illud, quod *in priori ad Corinth.* 13. docet Apostolus, facta sine charitate nihil prodesse; ad ipsam scilicet æternam salutem.

Dispositiones præter bonam voluntatem necessariæ: tum animæ coniunctio cum Christo; tum conatus eiusdem animæ.

Sectio I.

COniunctio autem cum Christo versatur in eo, vt anima illi inhæreat tanquam fundamento vnico salutis; quâ dignum nihil operari possumus nisi ipso adiuuante & cooperante. Nam *ex priori ad Corinth.*3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est Iesus Christus.] & ex Actis *ca.*4. Nõ est in alioaliquo salus: nec enim aliud est nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri.] Vnde idem Dominus ait *Ioan.* 15. Sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet: & colligent eum, & in ignem mittent & ardet.] Fit verò eiusmodi coniunctio per mentem & voluntatem, quibus anima beneficio fidei, spei, & charitatis assurgit ad Christum eique iungitur: illis (*quarum ministerio vita agitur meritoria*) resignatis in ipsius potestate: vt cum Apostolo ad Galat. cap. 2. dicere liceat Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus.] Pro quo facit Concil. Trid. *sess.6. de iustificatione cap.7.*

Cona

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.161. Conatus demum noster consistit in sedulitate cooperandi gratiæ Dei; cuius concursus cum nostro conatu perinde requiritur ad opera salutis æternæ: ac concursus Magistri tenentis ac impellentis debilem pueruli manum, ad exarationem elegantium literarum. Id quod patet per illud Apostoli *in priori ad Corinth. cap.* 15. Abundantius illis omnibus laboraui; non ego, sed gratia Dei mecum.] De qua gratia, nihil esse quod quis diffidat, satis patet per illud promissum Domini *Apoc.*3. Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit ianuam, intrabo & cœnabo cum illo & ipse mecum.] Nostri verò conatus necessitatem cooperandi cum illa, sufficienter indicant verba Domini *Matth.*11. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud] & *Luc.*13. Contendite intrare per angustam portam.]

Cæterùm in eodem conatu, non tam virium naturalium robore, & quasi lacertis: quàm industriâ versandum est; perinde ac in extruendis magnis ædificiis ad magna ligna & grandiores lapides eleuandos, aptéque inter se cooptandos, plus valet industria quàm vires corporis quantumcumque magnæ. Consistit autem talis industria; tum in eo vt semper Christum prouideamus in conspectu nostro tanquam verum Deum, à quo est omne auxilium nostrum, ne ipsimet nosipsos perdamus: iuxta illud *Osee* 13. Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum:]tum etiam in eo vt nos coram illo humiliemus, acceptum ei ferentes quidquid boni agimus: iuxta illud *Isaiæ* 26. Omnia opera nostra operatus es nobis Domine]reputantesque nos seruos inutiles: iuxta illud *Luc.* 17. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis: dicite serui inutiles sumus.] Tum demum in eo, vt quæ aduersa contingunt in ea de qua agimus via, patienter feramus pro ipsius nomine: De quibus singulis accommodatè ad quotidianam praxim dicendum est aliquid, postquam dixerimus de triplici ante memorata animæ coniunctione cum Christo.

De coniunctione animæ cum Christo per fidem.

Sectio II.

Nu.162. HAnc coniunctionem significauit Apostolus cùm *ad Ephes.*3. dixit Christum per fidem habitare in cordibus nostris.]Eius autem necessitatem ad tenendam viam salutis indicauit, cùm *ad Hebr.*11. dixit, Impossibile est sine fide placere Deo.] sicut & ipse Christus Dominus cum *Ioan.* 17. dixit. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.]Vnde sumi potest argumentum inculcandi Pœnitenti, vt magno studio diuinum fidei donum in se conseruet: tum refrenando mentem à vana curiositate, eamque captiuando in obsequium Christi:] *iuxta præscriptum eiusdē Apostoli in posteriori ad Corinth. cap.* 10. Tum voluntatem repurgando à sordibus peccatorum, quas ad infidelitatem disponere idem Apostolus satis indicauit, cum *in posteriore ad Timoth.cap.*3. dixit; Corruptos mente & reprobos circa fidem, captiuas ducere mulierculas oneratas peccatis.] Tum demùm implorando Christi auxilium, vt adiuuet incredulitatem nostrā; quod petrit pater, volens obtinere filij sui liberationem à Dæmone *Marci* 9. fidemque ipsam nobis adaugeat, quod sibi petierunt Apostoli *Luc.*a 17.

Inculcandum etiam est eidem Pœnitenti, quòd fides ipsa requirat; Tum rectitudinem, quâ sit absque obliquitate vllius erroris: Tum magnitudinem, quâ extendat se ad omnia, quæ tanquam diuinitus reuelata proponuntur ab Ecclesia Catholica: quorum præcipua & cæterorum velut fundamenta sunt ea, de quibus rudem erudiendum esse diximus in priore sectione præcedentis capitis: Tum demum fortitudinem, quâ fiat vt nulla tentatione vel apparentia rationum adulterinarum, ipsa mutetur.

De eadem coniunctione per spem.

Sectio III.

ANimæ nostræ cum Christo coniunctionem beneficio spei indicant verba illa *Psal.*72. Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo meo spem meam.]*Et Isaiæ.*50. Quis ambulauit in tenebris & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.] Illius verò necessitatem ad salutem iudicauit Apostolus cum dixit *ad Rom.*8. Spe salui facti sumus. *Nu.163.*

Inculcandum est autem Pœnitenti vsum spei coniungentis nos Christo, consistere in eo, vt de nobis diffidentes, in Christo ipso confidamus omnino. Quod nobis necessarium esse ad pergendum in via salutis, satis patet per illud *posterioris ad Corinth.* 3. Non sumus sufficiētes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est:] Neque dubitare sinūt infirmitates nostræ ex peccato originali in nobis relictæ, prauáque consuetudine auctæ: ignorantia inquam, quâ nescimus; imbecillitas, quâ non possumus quantumuis sciremus; & malitia, quâ nolumus, licet sciremus & possemus viam salutis tenere, seu vitam hanc agere secundùm Dei voluntatem, ad promerendam æternam salutem. Itaut, in nobis, tāquam ex nobis, æternæ mortis potius, quàm salutis semina habeamus: neque infestiorem nobis ipsis, patiamur aduersarium in eadem salutis via. In quam sententiam D. Paul. ait *ad Rom.*7. Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.] Constitutum igitur habeamus, nobis esse pœnitus innitendum in Christo, qui summa sua scientia, potentia, & bonitate, scit & potest, vultque nostræ infirmitati abundanter succurrere: vtpote qui incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine natus, innumera operatus & passus in vita, ac tandem in cruce mortuus, vt vitam æternam habeamus & abūdantius habeamus, iuxta illud *Ioan.* 10. Veni vt vitam habeant & abundantius habeant.] Etenim Sapientia est æterni Patris, vt omnia cognoscat: & ipsa Dei virtus & potentia, vt quidquid velit hoc agat & perficiat: ac etiam bonitas infinita, vt in nos velit omne bonum effundere, & effundat.

Addi potest curandum esse, vt tam nostra diffidentia de nobis: quàm confidentia in Christo: sit tum recta, tum magna, tum fortis. Recta autem erit diffidentia de nobis, si proficiscatur ex desiderio consequendi auxilij diuini, ad vitam ex Christiana pietate agendam. Magna verò erit, si congruenter dicto Apostoli ante relato *ex posteriori ad Corinth. cap.*3. extendat se ad cogitationes etiam minimas: fortis demùm censebitur, si sit sine deiectione animi, omnemque desperationem excludat. Similiter confidentia in Christo erit recta, si eorum sit, quæ à Christo petere indignum non est, nec à salute alienum, iuxta ea quæ communiter traduntur seruanda esse in oratione. Et erit magna, si excludat omnem diffidentiam de paterna Christi cura nostri: quæ quanta sit declarauit *apud Isai.cap.*49. illis verbis. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non miseretur *Nu.164.*

reatur filio vteri sui, etsi illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar.]Id quod posito in angustiis fiduciam addit orandi *cum S. Iob. in cap.* 17. Libera me & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.] Erit denique fortis, si quibuscumque exortis tentationum procellis firma persistat, vt accidit in eodem S. Iob. cùm *in cap.* 13. dixit: Etiamsi me occiderit in ipso sperabo.] Et in Dauide cùm *in Psal.* 26. dixit: Si consistant aduersum me castra non timebit cor meum, si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo.]

De eadem coniunctione per charitatem.

Sectio IV.

Nu.165. HAnc ostendunt verba 1.*Ioan.cap.*4. Deus Charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.] Ipsa est per quam nos tanquam oleastri in Christū tanquā in bonam oliuam inserti *(iuxta Apost. ad Rom.*11.)participes efficimur vnctionis qua vnxit illū Deus Spiritusancto.] *Act.cap.*10. Indéque nascitur ille voluntatis affectus; quo Sancti sic ipsum amplectūtur, sicque in eo cōquiescunt: vt pro nulla re mūdi; siue cōmoda, siue incommoda, velint ab eo separari. Nec quidquā sit quod ipsi magis exhorreant quàm peccatum mortale, per quod fit talis separatio. Hæc enim causa est cur tā dira & dura Sancti Martyres supplicia volūtariè passi sunt: ne videlicet à Christo ipso, momento tēporis separati inueni. rentur. Inde etiam prouenit solemnis volentium piè in Christo viuere, quotidianarum mortificationum vsus: quo ob illius amorem exuitur amor proprius, ac reprimuntur naturæ corruptæ, prauæque consuetudinis propensiones ad peccatum. Id quod Apostolus *ad Gal.* 5. vocat crucifigere carnem suam cum vitiis & concupiscentiis. *Et in cap.* 8. *ad Rom.* Spiritu facta carnis mortificare. Quo loci apertè etiam significat tale quid necessarium esse ad agendam vitam æternæ salutis meritoriam, inquiēs: Si secundùm carnem vixeritis moriemini, si Spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis.]

Nu.166. Vita igitur Christiana in voluntate (quæ est illius proximum principium) præter diffidentiam & confidentiam, de quibus in præcedenti sectione dictum est, requirit tum abnegationem sui, qua reprimatur amor proprius, seu concupiscentia, quæ cùm conceperit parit peccatum]*Iacobi* 1. Tum Dei amorem: ex quo vita agenda est, vt sit æternæ salutis meritoria: iuxta ea quæ de necessitate Charitatis latius docet D. Paulus *in priori ad Corinth.* 13. Ad quod etiam facit quod præclarè D. Bernardus serm. 3. in tempore resurrectionis, habet de necessitate mutandi voluntatem propriam in communem.

Nu.167. Atque de abnegatione sui docendus est Pœnitēs, quod ea debeat recta esse, magna, & fortis. Recta autem censebitur primò, si prouenīat ex zelo iustitiæ Christianæ, qua abnegantes impietatem, & saluturia desideria, sobriè iustè & piè viuimus in hoc sæculo: ad quod vt nos erudiret, Dei verbum in carne apparuisse habetur ex cap. 2. Epist. ad Titum. Secundò, si tendat ad Dei gloriam quæ scopus est præfixus vitæ Christianæ: dicente Apostolo *in priori ad Corint.* 10. Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud agitis, omnia ad Dei gloriam facite. Tertiò, si procedat secundùm Deum: nempe sequendo, imitandóve Christum; qui passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius.] 1. *Pet.*2. Magna verò censebitur, si anima nihil velit, nisi propter Deum: non cognoscere quidquam, non agere, non quiescere, non delectari, non honorari, ac ne viuere quidem. Fortis demum censebitur, quando anima fulta Dei auxilio steterit firma aduersus impetus amoris proprij, & illa quæ secundùm eumdem amorem sunt, auersabitur: contrariáque vt paupertatem, dolorem, contumelias & similia amplectetur exemplo Christi, qui talia amplexus est pro nostra salute, monstrans nobis viam quæ ad illam ducit.

Similiter de amore Dei, docendus est; quòd debeat quoque rectus esse, magnus, & fortis. Rectus est autem, cùm Deum diligimus, quoniam prior dilexit nos, seu propter suam bonitatem infinitam, qua innumeris nos auxit beneficiis: itaut honorem ipsius constituamus finem omnis desiderij nostri. Magnus verò sic debet esse, adeoque super omnia, tantúsve vt nihil sit, quod plus, immo quod tantùm amemus, quàm Deum. Propter ipsum autem amemus proximum tanquam nosipsos: non modo amicum, sed etiam inimicum: quando quidem D. Ioannes *in sua Epist.*1.*cap.*4. mendacem asserit eum, qui dicit Diligo Deum & fratrem suum odit.] Denique fortis esse debet, vt nullis aduersis tepescat, aut tentationibus extinguatur; iuxta illud *Cant.* 8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem]& illud *ad Rom.*8. Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli neque Principatus, neque Potestates, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura vlla poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.]

Atque hæc sunt quibus ad vitam æternæ salutis meritoriam agendam, idonei efficimur interuentu trium Theologicarum virtutum: quæ etiam in nobis sacrosanctæ Trinitatis imaginem illustriorem reddunt: spe omnipotētiam Patris; fide, sapientiam Filij; & charitate bonitatem Spiritussancti, referendi vim corroborante in ea. Nos etiam instar Clauorum, ita Christo configunt cruci, vt non nostro, sed illius nutu vitam agamus: quod de se Apostolus *ad Gal.* 2. sic ait: Christo confixus sum cruci, viuo ego non iam ego, viuit verò in me Christus.] Quod vtrumque censeri potest simul inculcatum introductione illius pij vsus, quo initio cuiusque operis, signum crucis in nobis formamus, dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti.

De conatu animæ, adhibitâ industriâ, prouidendi assiduè Christum in conspectu suo.

Sectio V.

HVius necessitatem ad salutis viam tenendam ostendunt illa verba *Psal.* 9. Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore:]& illa *Psal.*15. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi ne commouear.] *Nu.168.*

Prima igitur & commendatissima industria ad vitam sanctè agendam, est sibi ante oculos proponere Christum, implorando ipsius misericordiam, & timendo iustitiam. Quoniam autem id difficilius fit secundùm naturam ipsius diuinam, debemus cogitare ipsum secundum naturam humanam coniunctam diuinitati. Hic enim est vnus ex fructibus Incarnationis Diuini Verbi, vt nostro modo sensibilem & imaginabilem possimus concipere, & quasi oculis cernere Emanuelem *(quod est interpretatum Nobiscum Deus, ex Matth.cap.*1. sub finem) siue, quod idem est, homi

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominem in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter] *ad Colos.*3. Quodquidem fieri debet in ea figura, quæ ad id quod ipso iuuante conamur, sit magis accommodata: siue infantis iacentis in præsepio, vel inter matris brachia constituti; siue pueri inter doctores positi interrogantis ac respondentis cum omnium admiratione; siue viri præ filiis hominum speciosi, qui in aliorum salute procuranda totus incumbat, tum mirabilia faciens, tum multa dura & ignominiosa patiens; siue in Cruce morientis, siue à mortuis resurgentis, siue in cœlum ascendentis aut sedentis in dextera Dei Patris. Neque refert quod solummodo secundùm diuinitatem vbique adsit; nam secundùm humanitatem existenti in cœlo, nihilo sumus occultiores, quàm si hic nobis præsens adesset. Hortandus igitur est Pœnitens, sedulam operam dare, vt in eo Christi memoria vigeat; & cum ambulat, vt comitantē: cum sedet, vt assidentem: cum loquitur, vt testem: cùm comedit recreat aut quiduis agit vel patitur, vt assistentem, ac spectantem cogitet: & maximè cùm in iis versatur, in quibus errare solet; & in iis in quibus maximè indiget ipsius auxilio, ob deuotionem in illis requisitam: vt in Sacramentorum vsu, & in aliis spectantibus ad diuinum cultum, præsertim in celebratione sacrificij Missæ.

De adiumentis prouidendi assiduè Christum in conspectu nostro.

Sectio VI.

*Nu.*169. Adiumenta verò ad id Pœnitenti indicanda, quædam sunt remota, quædam propinqua. Primum illorum est, idipsum vehementer optare. Secundum orationibus nostris idem studiosè petere: Tertium in silentio & quiete, quàm sæpe possumus seriò meditari mysteria vitæ ipsius Christi: memoria enim facile reddit, quod ei seriò impressum fuerit. Quartum ponderare quanti momenti sit in humana vita: siue intellectus vsum spectes, siue voluntatis, siue aliarum facultatum, ad Christum conuerti, & spem omnem appellendi ad portum salutis bene viuendo, reponere potius in auxilio ipsius, & actuali impulsu, quàm in habitibus nostris siue naturalibus siue acquisitis siue etiam diuinitus infusis; sicut appulsus nauis ad portum plus pendet ex prospero afflatu ventorum, quàm ex ipsius armamentis: & recta exaratio literarum plus pendet ab impulsu quo magister mouet manum pueruli, quàm ab aliqua huius habilitate. Ad quod confirmandum induci possunt verba Dei *Ierem.*17. Maledictus qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius, &c.] Atque ad obtinendum abundantiùs à Christo hunc impulsum, quando in executione mandatorum ipsius versamur; perinde conducit in conspectu nostro ipsum prouidere, ac seruum iuuat, ad magis experiendam domini sui ditissimi liberalitatem, ita versari in eius obsequio, vt semper sit in conspectu ipsius.

*Nu.*170. Adiumenta autem propinqua prouidendi Christum assiduè in conspectu nostro sunt. Primum in eo opere assuefacere se, procedendo sensim, donec per consuetudinem acquisierimus facilitatem: v.g. designatis ad illud horis, in quibus eo vti nobis magis necessariū esse iudicamus: siquè in illis defuerimus, pœnam aliquam nobis imponemus. Secundum est statuere firmiter nihil nos facere velle in quibuscumque negotiis & occupationibus, nisi propter Christum, & secundùm Christum: etiam in recreationibus corporis; cui quoque ex charitate consulendum est: quia Dei est, & vt Deo seruiat. Tertium est, cum ratio dictauerit nobis aliquid faciendum vel omittendum, illud exequi quasi ex Christi præsentis consensu, vel iussu, & propter ipsius amorem: aliud facturi: si aliud ei placere intelligeremus. Quartum est, in imagine aliqua deuota & ad nos iuuādos specialiter accommodata, quasi iuxta nos constituere Christum qui spectator sit & testis eius quod loquimur, vel agimus, aut patimur. Quintum est inter agendum habere commendatum vsum aspirationum voluntatis, eleuationúmque mentis ad Christum: petendo vt nobis adsit nec nos deserat: vt fieri potest per illud *Psal.*24. Oculi mei semper ad Dominum quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Respice in me & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego:] & illud Psal. 26. Ne auertas faciem tuam à me: & ne declines in ira à seruo tuo. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.] Sextum est, studium imitandi illum in agendo, nostrásque actiones, illius actionibus quasi altari impositas, offerendo ipsi. Quodquidem est vitam ordinatam omnino ad ipsius gloriam agere, insistendo vestigiis ipsius, adeóque ponendo nobis ante oculos: primò obedientiam ipsius erga patrem, secundò zelum gloriæ diuinæ, tertiò dilectionem hominum, quartò humilitatem, quintò patientiam & cæteras præstantissimas virtutes: quæ cum fulgeant eminenter in ipsius passione; eiusdem proinde memoria recolenda est assiduè. Præsertim cum *ex Apostolo in priori ad Corinth.cap.*1. ipsa quæ Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia, nobis sit sapientia, & virtus:] vtpote mentem nostram illuminans, & voluntatem roborans, ad abnegandam impietatem, & sæcularia desideria; atque ad sobriè iustè, & piè viuendum in hoc sæculo *iuxta eundem Apost. ad Tum.*2.

De præcipuo adiumento, quod est feruere Christi amore, & quomodo talis feruor foueatur.

Sectio VII.

POstremum adiumentum efficacissimum; est feruere in nobis ipsius Christi amorem. Ea enim vis est feruentis amoris, vt rem amatam faciat quasi ob oculos assiduè versari; prout quotidiana experientia docet in iis, qui perditè amāt. Fouetur autem in nobis talis feruor exercitio triumTheologicarum virtutum & deuota Eucharistiæ sumptione, de qua ritè ac fructuosè obeunda commodiore loco dicendum erit ex instituto. *Nu.*171.

Exercitij autem fidei vnus modus est, altissimè, piissiméque de Christo sentiendo, meminisse eorum quæ ipse egit & passus est pro nobis. Nempe exinaniuit semetipsum formam serui accipiens: factúsque est humanis infirmitatibus (exceptā ignorantiā & peccato) obnoxius; paupertati nimirum & indigentiæ; laboribus, & doloribus; contemptui & calumniæ, tandémque acerbissimæ morti. Meminisse, inquam, cum affectu compassionis erga illum, & detestationis peccatorum nostrorum: ponderando talium in eo infirmitatum, multitudinem & diuturnitatem, quas innocentissimus: nobilissimus, nostrique amantissimus pro iisdem peccatis nostris abolendis pertulit. De qua re plenior institutio peti potest ex Francisco Aria in lib. De meditatione, pio & erudito.

Non

Non omittemus tamen (quod vsui esse potest ad fouendam eam de qua agimus Christi pro nobis passi memoriam salutarem) quæ in ipsa passione gesta sunt ordine suo distingui posse ad hunc modum, pro varietate locorum in quibus contigerunt.

In cœnaculo.

1 *Suorum pedes abluit.*
2 *Corpus in cibum præbuit.*
3 *Sacerdotes instituit.*
4 *De proditore monuit.*
5 *Pium sermonem habuit.*
6 *Hymnum Deo exhibuit.*

In horto.

1 *Coram suis contristatur.*
2 *Ter suum Patrem precatur.*
3 *Ab Angelo consolatur.*
4 *Illum Iudas osculatur.*
5 *Illúmque Petrus tutatur.*
6 *Ac derelictus ligatur.*

In domo Annæ.

1 *Annæ interrogatio.*
2 *Christi dulcis responsio.*
3 *Eius colaphizatio.*
4 *Seruique increpatio.*
5 *Ostiariæ quæstio.*
6 *Turpis Petri responsio.*

In domo Caiphæ.

1 *A testibus accusatur.*
2 *A Caipha adiuratur.*
3 *Ab eodem condemnatur.*
4 *Rursus à Petro negatur.*
5 *Christus à seruis velatur.*
6 *Manè rursum condemnatur.*

In domo Pilati.

1 *Pilato est præsentatus.*
2 *A Iudæis accusatus.*
3 *Ab illo examinatus.*
4 *Innocens est declaratus.*
5 *Falsis rursum oneratus.*
6 *Tacentem Præses miratus.*

In domo Herodis.

1 *Herodi præsentatio.*
2 *Eius interrogatio.*
3 *Iudæorum accusatio.*
4 *Nulla Christi responsio.*
5 *Alba vestis irrisio.*
6 *Pacisque reformatio.*

In prætorio.

1 *Latroni comparatur.*
2 *Grauiter flagellatur.*
3 *Purpurā decoratur.*
4 *Et spinis coronatur.*
5 *Populo præsentatur.*
6 *Iniustè condemnatur.*

In monte Caluariæ.

1 *Dirè crucifigitur.*
2 *Pie in cruce loquitur.*
3 *Sanctissimè moritur.*
4 *Latus eius aperitur.*
5 *De cruce deponitur.*
6 *Deuotèque sepelitur.*

De his legenda est historia Euangelica apud D. Matthæū cap. 26. & 27. D. Marcum cap. 14. & 15. D. Lucam cap. 22. & 23. & D. Ioannem à cap. 13. ad 20. Ac cum eorum memoria, coniungenda est compassio de tanta Christi afflictione, cum beatissima Virgine. Secundò, compunctio de propriis peccatis, cum B. Petro & B. Magdalena. Tertiò, studium imitationis, exemplo Sanctorum in Ecclesia militantium. Quartò, gratiarū actionis cū electis in cœlo regnantibus. Quintò, admirationis; quis, quid, à quibus, pro quibus, quo affectu talia gererentur. Sextò, exultationis pro redēptione nostra, & tanta Dei clementia. Septimò, feruentis amor erga tantū nostrum amatorem.

Alter modus exercendæ fidei erigens nos ad spem, est considerare Christi merita parta tot suis actionibus & passionibus cum tanta patientia, humilitate, obedientia, & charitate obitis, esse inæstimabilia, atque adeo infinita, tanquam profecta ex gratia siue mensura, & ex verbi diuini persona infinita, humanam supplente in ipso Christo. Siquidem meritum ita sequitur dignitatem personæ operantis, vt quò ipsa maior fuerit, eo sit operatio sublimior, maioríque meriti. Considerare pariter quòd Christus nobis tanquam caput membris meruerit: quandoquidem ad hunc finem tanta egit & passus est, vt à peccato seruitutéque Diaboli liberaremur, iustificaremur, & glorificaremur. Quod suaue IESV nomen indicat, de quo Angelus ad S. Ioseph Matthæi 1. Vocabis nomen eius IESVM. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.]

Tertius modus ad ardorem Charitatis nos promouens, est ponderare, quàm vehemens sit in nos Christi amor, qui ipsum vniuersorum Dominum summum, fecit vincula pati & verbera: & gloriam Angelorum, fieri opprobrium hominum, beatitudinem Sanctorum, diris tormentis cruciari: ac demum immortalem, mori: vt nimirum ipsius humiliatione eleuaremur, ignominia, glorificaremur, &c. Quibus accedit ad amoris cumulum institutio Sacrosanctæ Eucharistiæ, per quam seipsum totum communicat nobis in pignus æternæ gloriæ, & memoriale oblationis in cruce factæ: per quam nobis ad eamdem gloriam patet aditus.

Exercitij verò spei modus est primò, in Christo fiduciam, eámque firmissimam habere: primò iustificationis nostræ. Ipse enim est qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo] *Apoc.* 1. & est nostra redemptio, seu liberatio à captiuitate & seruitute Diaboli, iuxta illud *Apocal.* 5. Redemisti nos in sanguine tuo;] & illud 1. *Petri* 1. Scientes quod non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati.] Nostra item emundatio à sordibus, & curatio à vulneribus peccatorum: dicente D. Ioanne *in prima sua Epist. cap.* 1. Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato:] & D. Petro *in sua item prima cap.* 2. Qui peccata nostra ipse pertulit super lignum: vt peccatis mortui iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati estis.] Ac demum nostra reconciliatio, seu restitutio in Patris gratiam, & filiorum adoptionem.] *de qua D. Paulus ad Rom.* 2. Per quem (de Christo loquitur) habemus accessum per fidē in gratiam istam & gloriamur in spe gloriæ filiorū Dei. *Nu.*172.

Secundò verò, eandem firmissimam fiduciam habere promotionis nostræ in omni bono: & nominatim in gratia & virtutibus, quibus sobriè, quoad nos: iustè, quoad proximum, & piè, quoad Deum viuere possimus in hoc sæculo expectantes beatam spem.] De plenitudine enim ipsius omnes accepimus *Ioan.*1. ipséque est illuminatio, sanctificatio, & virtus nostra: nos subinde donis suis augēs, & nostros defectus supplens in via salutis, iuxta illud quod ipsemet ait *Ioan.*14. Nemo venit ad Patrem nisi per me.]

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertiò autem, eamdem adhuc fiduciam habere perfectionis nostræ, ad gloriæ consecutionem. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri] *Actorum 4.* Ipse via est veritas & vita] *Ioan.14.* Tanquam via nos instruës, & promouens ad omne bonum: & tanquam veritas, nos liberàs à seruitute peccati iuxta illud *Ioan.8.* Veritas liberabit vos.] Quod de liberatione à seruitute peccati dictum esse, satis patet consideranti quæ ibidem antecedunt & quæ sequuntur. Denique tanquam vita nos ad gloriam euehens; iuxta illud *ad Colloss.* 3. Cum Christus apparuerit vita vestra tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.] Cæterùm ex immẽso illo amore, quo nos complectitur Christus, ista nobis ipse auidissimè cupit; plúsque per infinitam suam erga nos misericordiam paratus est talia conferendo nostri misereri; quàm nos à miseria nostra liberari. Quantum enim sitiat nostram salutem satis ostendunt; tum alia quæ ipse pro ea gessit; tum maximè, quòd se exinaniuerit, verus Deus accipiens formam serui; quódque tam acerba, & ignominiosa morte vitam finire voluerit: & quòd seipsum nobis in cibum vitæ æternæ reliquerit: ac demum quòd sedens ad Patris dexteram pro nobis apud eum Aduocatus sit 1. *Ioann.* 2. Ex quibus per exercitium fidei bene consideratis ac ponderatis, facilè spei exercitium de quo agimus sequetur: conuincente intellectum ratione ea, quam D. Paulus attigit *ad Rom.* 8. verbis illis. Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiam cum illo omnia nobis donauit?]

Nu.173. Modus denique exercitij charitatis est, cum redamare qui tantopere nos ab omni æternitate amauit, vt ipse tantus cum sit, se adeo mirabili modo nobis dederit in carne, in cruce, in Eucharistia, & adhuc mirabiliore daturus sit in cœlo. Ex quo tanto motiuo, amor prouenies in voluntate terrenis affectibus minimè deprauata, non nisi feruens erit; quem sequatur assidua Christi memoria; & comitetur, tum actio gratiarum, tum veneratio non modò sapientiæ, potentiæ, & bonitatis ipsius diuinæ, atque singularium donorum cœlestium, quibus quatenus homo exornatus est supra mensuram (*iuxta illud Ioan.* 3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum) sed etiã infirmitatum pro nobis susceptarum: puta dolorum, contumeliarum, aliarúmque molestiarum, quas amabiles & venerabiles effecit; nobis per eas tot ac tantorum bonorum author existens. Comitetur item: tum desiderium assimilationis Christi, non modo in virtutibus; sed etiam in infirmitatibus: vt paupertatem diuitiis: ignominiam & iniurias, gloriæ & laudi humanæ præferentes; vestibus iis induamur, quibus ipse indutus est. Tum etiam imitatio, qua insistentes ipsius vestigiis, cum charitate in Deum & proximum, ac zelo diuinæ gloriæ, patientiáque & humilitate, cum quibus egit & passus est Christus, agamus & nos ac patiamur in hac vita.

De conatu animæ, adhibitâ industriâ humiliandi se in conspectu Christi.

Sectio VIII.

Nu.174. QVantumcúmque multa & magna pro Christi gloria egerimus, aut patiamur, consentaneum est, vt in omni vita nos in cõspectu ipsius humiliemus, nobisque ex vera nostri cognitione vilescamus: cum vinum nostrum mixtum sit aqua: id est, bono quod facimus, multas imperfectiones admisceamus: vtpote qui desumus in plurimis, quæ à nobis præstari possent, interea existentes Deo debitores supra quam cogitari potest. Cuius humiliationis necessitatem ad tenendam salutis viam, satis indicant verba Domini. *Matth.*18. Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, vt efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.] *& in præcedenti cap.* 16. *& Luc.* 9. Qui vult venire post me abneget semetipsum,] addè quòd *Iacobi* 4. Deus superbis resistat & humilibus det gratiam.] sine qua gratia irritus est omnis noster conatus progrediendi in ipsa salutis via dicente Domino *Ioan.*15. Sine me nihil potestis facere.] Ad illius verò exercitium, sequentia nos iuuant. Primò, ante oculos habere Christum humiliatum ad nostrã instructionem & prouocationem. Secundò, intuendo nostrarum actionum imperfectionem, & debiti magnitudinem, ac Dei cui debentur infinitam dignitatem; erubescere ac dolere quod in tam multis deficiamus. Tertiò, excitari spe in Christum mediatorem nostrum, ac teneri desiderio obtinendi ab eo tantam perfectionem. Quartò, eamdem deuotè petere ab ipso, qui cùm nostri amantissimus sit, atque ex se liberalissimus, non negabit illam, quam vt ab ipso disceremus, iussit *Matth.* 11. dicens. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.]

Iam vt perfecta sit humiliatio huiusmodi, debet *Nu.175.* recta esse, magna & fortis. Recta est, cùm excludit fictionem, includit discretionem (quæ maximè necessaria est in ordine ad externa signa, quibus illa seforas prodit) procéditque ex amore veritatis & iustitiæ, proposita Christi imitatione; ac demum tendit ad Dei honorem: quemquidem verè humilis nulla vmquam ratione detinere, siue vsurpare velit. Magna verò est cum ei adsunt paulò post attingenda de variis rationibus illius exercendæ: fortis denique est cum nec iniuriis debilitatur, nec honoribus diminuitur, sed potius augescit; cùm vere humilis se honoribus indignum iudicet ex animo: dicente Domino *Luc.*17. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus.] Cæterùm & intra nos, & extra nos, & cum proximo exercetur nostra humiliatio in conspectu Christi. Id autem qua ratione fieri debeat, in particulari explicandum est.

De ratione humiliationem exercendi intra nos.

Sectio IX.

INtra nos igitur exercetur humiliatio nostra in *Nu.176.* conspectu Christi: tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis. Atque ex parte intellectus, existimando nos esse illius seruos inutiles, ob imperfectionem nostri obsequij, quod per nostram corruptionem, nequitiam, tepiditatem & incuriam, mixtum est vanitate, negligentiâ, ingratitudine, aliáque multiplici indignitate; itaut longissimè absit ab ea excellentia, cum qua Deo exhiberi exigunt maiestas ipsius infinita, & multitudo magnitudóque beneficiorum ipsius in nos collatorum: tam communium, quàm particularium: ex quibus nascuntur innumeræ obligationes obsequendi in omnibus tanto benefactori, nec aliter quàm secundùm ipsius beneplacitum, vtendi eisdem beneficiis. Quibus obligationibus quàm non respondeamus, satis significatur cùm *Isaiæ* 64. iustitiæ nostræ dicuntur tanquam pannus menstruatæ.] Sed esto respõdeas officio, si iustè egeris (vt dicitur Iob. 35.) quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Sicut si peccaueris (quod ibidem additur) quid nocebis ei, & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ quid facies contra eum?] eiusdem existimationis comes est accusatio, qua coram Christo nos constituimus reos, nec modo indignos pane quo vescimur; sed etiam pœna dignos ob tot mala commissa, tot bona omissa, tot dona perdita, vel seruata infructuosè, neque ad vsum in quem accepta erant reuocata: tot demum peccata perpetrata in ipsum, nos interea tam misericorditer sustinẽtem, immo nouis quotidie beneficiis cumulantem. Quòd si in mentem veniant bona quæ egimus, non est in eis considerandis hærendum, nisi exigeret Dei gloria: atque & tunc; totum eidem sincerè tribuendum est à quo procedit, iuxta illud *in priori ad Corinth.*4. Quid habes quod nõ accepisti?] sibi verò nequaquã: quis id & iniquum esset, iuxta illud, quod ibidem sequitur] Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis:] & pernicioſum, quia bonum opus inde tanquam vredine tactum marcessit, infructuosúmque est, iuxta doctrinam Domini *Matth. sexto videndam.*

Ex parte autem voluntatis, humiliatio intra nos exercetur volendo bona, si quæ in nobis sunt, latere potius quàm patere, iuxta eandem Domini nostri doctrinam, nosque potius ignorari & contemni, quàm celebrari & magnifieri. Ad quod facit illud *Ecclesiastici* 11. Ante mortem ne laudes hominem quemquam.] Item nostram voluntatem infringi potius, quàm ex illius arbitrio agi; in quo maximè consistit abnegatio sui, de qua Dominus *Matth.* 16. *& Luc.*9. verbis illis, Qui vult venire post me abneget semetipsum.] Denique subesse potius, quàm præesse iuxta exemplum Domini. Qui non venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret.] *Marci.*10.

De ratione exercendi humiliationem extra nos.

Sectio X.

Nu.177. EXtra nos autem in conspectu Christi humiliatio nostra exercetur in sermone, gestu, incessu, vestitu, aliisque exterioribus signis. In sermone curandum est vt pauca sint, & considerata verba nostra, sine clamore, pertinacia, & defensione defectuum nostrorum, & hyperbolica amplificatione rerum ad nos pertinentium; de quibus nec loquendum est libenter, nisi notabilis vtilitas exigat, cum non sit verè humilis, velle res suas notas celebresque esse: sed reputationem ex dictis profectam, omnémque ostẽtationem deuitare. In gestu verò & reliquis, curandum est vt medium teneatur inter excessum, & defectum: sicque mediocritas, quæ virtutis est propria, retineatur. Ad quod pro regula statui debet communis vsus virorum prudentium simul & humilium: neque cùm id agimus quod decet, quid cæteri, etiam ij quibuscum viuimus contra faciant, aut dicant vel de nobis sentiant, curandum est. Excessus verò ille contingit cùm nimis clara & splendida affectantur: defectus autem cum nimis obscura & sordida: qui eo periculosior est, quo maiorem habet speciem humilitatis. Ad excessum quoque spectat in executione nostrorum operum; ea quæ suprà vires nostras sunt, aggredi. Quanquam si talia iniungantur à Superioribus audiendum est in illis, non quidem fidendo in nobismetipsis; sed in auxilio diuino, quod humiliter obedientibus adesse solet; etiam in iis quę supra vires nostras esse apparent: itaut obedientia in talibus sit optima moderatrix & regula: præsertim dicente Domino *Luc.* 10. Qui vos audit me audit.]

De ratione exercendi humiliationem cum proximo.

Sectio XI.

CVm proximo denique nostra humiliatio exer- *Nu.178.* cetur. Tum obediendo Superioribus, nosque illis submittendo totos, hoc est, non tantùm quoad executionem eorum quæ præceperint, sed etiam quoad voluntatem & iudicium nostrum: volentes quod ipsos velle nobis constiterit, & acquiescentes ipsorum iudicio in omnibus in quibus non est peccatum: iuxta illud D. Bernardi *in tract. de præcepto & dispens.* Siue Deus siue homo Vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequẽdum est curâ, pari reuerentia deferendum, vbi tamẽ Deo contraria nõ præcipit homo.] Tum etiam posthabendo nos cæteris omnibus: quia cùm nostrorum defectuum nobis conscij simus, alienorum verò ignari (iuxta illud *prioris ad Corinth.cap.* 2. Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?) neminem sanè habemus, quem in conspectu Christi, nobis deteriorem existimemus. Et ita D. Paulus. peccatorum primum se esse dixit *in priori ad Timoth.cap.*1. Hócque nituntur tanquam fundamẽto ea quæ traduntur de ratione exercẽdi istiusmodi humiliationem. Sunt autem primum quidem, vt reputemus alios superiores nobis, iuxta illud *ad Philipp.* 2. in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.] Secundum, vt alios honore præueniamus, iuxta illud *ad Rom.*12. Honore inuicem præuenientes:] illis scilicet potiores partes deferendo. Ad quod vtrumque inducemur intuendo mente in eis, agnoscendóque ac venerando Deum tanquam in ipsius imagine & filio, Christique membro. Tertium est, vt à nullo exigamus præstari nobis omnia, quæ ratio posceret, cùm nec nos Deo præstemus plurima quæ ei iustissimè debemus. Item aliorum defectus libenter patiamur, scientes quòd tam Deus, quàm homines patiantur nostros: non tantùm æquales illis, sed etiam maiores. Quartum est, vt reprehensiones factas nobis ab aliis, feramus æquo animo: nostrũ errorem confitendo cum opus est, & alienum tegendo vel excusando si res patiatur. Quintum est, vt pauperum & abiectorum conuersationem præferamus conuersationi diuitum & nobilium, nisi maior Dei gloria contrarium postulet: quia in illis expressiùs elucet imago humilitatis Christi nobis in exemplum propositi, qui non habuit vbi caput suum reclinaret] *Matthæi* 10. & factus est opprobrium hominum & abiectio plebis.] ex prædictione Danidis *in Psal.* 21. & despectus ac nouissimus virorum. ex prædictione *Isaiæ* 53. *cap.* Neque his obstant perfectiones, quas nobis inesse ita notamus, vt eas negare non possimus: quia omnes sunt Dei dona (*iuxta illud antecitatũ*, Quid habes quod nõ accepisti?) de quibus exacta ratio reddenda est, vnde præbetur nobis magna occasio sequendi monitum Sapientis *Ecclesiastici* 3. Quantò magnus es humilia te in omnibus.]

De conatu, adhibitâ industriâ ferendi patienter aduersa pro Christo.

Sectio XII.

ADuersa tanquam à quatuor regionibus flantes *Nu.179.* venti, in nos irruunt, immissa vel à Deo, nos

Universidad de Deusto
Biblioteca

paternè castigante,vel à Dæmone nos hostiliter persequente,vel à proximo nos affligente,vel denique à nobisipsis : qui tum ad extirpanda vitia tum ad virtutes inserendas tum etiam ad æternam vitam promerendam suscipimus voluntariè varia afflictionum genera. Necessitas autem illa patienter ferendi pro Christo ad tenendam salutis viam,ex eo patet,quòd Christus Dominus volenti post se venire præscribat, vt abnegare seipsum,ita & portare crucem suam,seu patienter ferre quæ in ea via contigerint aaduersa, & incommoda:ita vt patientia nobis sit necessaria vt voluntatem Dei facientes reportemus promissiones.] *prout D. Paulus inculcat ad Hebr. cap.* 10. Ratio verò illa patienter ferendi, quædam communis est aduersis omnibus : quædam particularis ac propria iis quæ ab aliis infliguntur, & quædam iis quæ ipsimet nobis infligimus.

Atque ad communem, ista pertinent. Primum ac præcipuum, conuerti ad Christũ implorando ipsius auxilium, ipsúmque intuendo tanquam exemplar instruens nos,per ea quæ ipse pertulit : tum in tota vita, tum maximè in illius fine, adeo dira ac dura, coniunctáque cum tanta dolorum acerbitate, tantáque ignominia, ac omnis generis indignitate, vt nihil patiamur tam graue,quin longè grauius & indignius passus ipse sit pro nobis :vt facilè aduertet qui bene eiusdem passionis circunstantias expenderit. Vnde sublata nobis est omnis occasio conquerendi; cùm sufficiat discipulo, si sit sicut magister eius : & seruo,si sit sicut Dominus eius.] *Matth.* 10. Secundum est, ad nos mentem reflectere, considerando quod Christus passus est pro nobis,nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius.] 1.*Petr.cap.*2. quódque si socij sumus passionum illius, erimus & consolationis]*ex posteriori ad Corinth. cap.* 1. siue quòd si compatimur,conglorificabimur.Neque condignas esse passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis]*ad Rom. cap.* 8. Tertium est, voluntate sic affici circa aduersa vt desideremus illa patienter ferre ; & quando adfuerint, desideremus nobis pariter adesse patientiæ donum : déque nobis diffidentes,confidamus in Christo,qui amore nostri passus,vel dabit ipsam patientiæ virtutem : vel si expediat liberabit nos præsenti molestiâ; quæ perseuerans placere debet, tanquam ea per quam *iuxta Apostolum ad Hebr.* 12. Christus se nobis offert tanquam filiis, de æterna salute nostra sollicitus, vt pro illa obtinenda patiamur amore illius, qui amore nostri dignatus est etiam in cruce mori. Quidquid igitur aduersi nobis acciderit id diuina ordinatione immissum esse existimandum est, ac tanquam de manu patris amantissimi, scientissimique Medici, accipiendum; qui illud auertere potuisset, & sine dubio auertisset,si expedire vidisset:neque patietur nos tétari supra id quod possumus,sed faciet cum tentatione prouentum vt possimus sustinere] *ex priori ad Corinth.cap.*10. Illius enim promissio est *Psal.* 90. Clamauit ad me & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam & glorificabo eum.] Cum igitur ea sit Dei bonitas, vt maioribus necessitatibus maiori auxilio adsit;& ex maiori tentatione, maiorem eliciat prouentum,quo maiore afflictiones nos pulsant,eo gratiores esse nobisque magis placere debent : quod facile est, si *iuxta Apostolum ad Galat.* 5. carnem nostram crucifixerimus cum vitiis & concupiscentiis:sique Spiritu viuentes Spiritu & ambulemus.Non item si inimici crucis Christi terrena sapiamus,*vt ij de quibus idem Apostolus ad Philipp. cap.* 3. *loquitur.*

De adiumentis patienter ferendi aduersa nobis inflicta ab aliis.

Sectio XIII.

Nu. 180. SPecialiter autem ad patienter ferenda pro Christo aduersa,quę inferuntur nobis ab aliis,sequentes considerationes iuuabunt. Prima est, faciendam esse (vt dici solet) de necessitate virtutem : etenim multa mala sunt,quibus cum obnoxiâ sit hæc vita, ea pati necessitas vrget nos. Id quod est tolerandum patienter pro Christo, vt prosit nobis ad salutem. Secunda est, impatientiam in aduersis ferendis, siue intus latentem, siue externis dictis aut factis expressam,non alleuare,sed aggrauare illorum pondus & molestiam:quia impatientes tãtò magis cruciantur, quantò magis contra suam voluntatem patiuntur. Nobis ergo patientia debet esse commendata, qua æquo animo,qui de manu Domini bona suscepimus, mala quoque sustineamus. Tertia,diuinam iustitiam nullum peccatum relinquere impunitum.Melius autem esse in hoc sæculo puniri quàm in futuro : vbi longè grauiora & acerbiora sunt supplicia.Præsentis ergo vitæ mala libenter acceptanda sunt tanquam leuiora iis, quæ peccatis nostris debentur, ac tanquam ea quibus apud Deum mereri possumus,adhuc in via constituti. Nam *ex Apostolo in posteriori ad Corinth.cap.*4.Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ,supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.] Quod idem est ac si dicatur, breuissimo tempori tribulationis huius vitæ, respondere infinita gaudiorum sæcula.

Vnde sequitur, huius vitæ tribulationem,sicut & prosperitatem,habendam esse pro Dei beneficio,paritérque pro ea gratias illi agendas esse,per sacrificium laudis offerendum ad imitationem Dauidis, cum *in Psal.* 33. diceret, Benedicam Dominum in omni tempore,semper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea,&c.]Accedit ad beneficij rationẽ,quod aduersa sint quasi subsidia ad ingressum in regnum cœlorum. In quod per multas tribulationes oportere nos intrare,habetur Actorum cap. 14. itaut illi à quibus inferuntur, in benefactorum potius,quàm in malefactorum habendi sint numero. Quarta est,ad consecutionẽ ęternę salutis nobis esse viuendũ non ex propria sed ex Dei voluntate, iuxta illud *Matt.*7. Nõ omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum ; sed qui facit voluntatem Patris mei,qui in cœlis est,ipse intrabit in regnum cœlorum] adeóque vt in agendo, sic & in patiendo voluntatem nostram subiiciendam omnino esse voluntati diuinæ : ac quam nostris humeris crucem Deus imposuerit, æquo fortúque animo ferendam esse. Ad quod opus est exui amore proprio, per quem aduersa nobis dura & ingrata redduntur; indui verò Christi crucifixi amore,per quem eorundem aduersorum perpessio suauis redditur, dulcescens ex deuota recordatione, affectuosóque amplexu crucis : quod præfiguratum est *Exod.* 15. per lignum,quod à Moyse Dei iussu missum in aquas amaras,effecit eas dulces. Talis suauitatis participes fuerunt Apostoli, cùm ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati]*ex cap.*5.*Actuum.*Itémque sancti illi Martyres, qui cum acerbis suppliciis cruciarentur sæuissimè, dicebant se nunquam tam iucundè epulatos esse. Illi etiam quos D. Paulus *ad Hebr.* 10. ait, rapinam bonorum suorum cum gaudio suscepisse.] Et demum ordinariè illi qui multum feruent charitate, & tanquam pleni Deo (*qui per eam in Sanctis manet* 1.*Ioan.cap.*4.) voluntatis appetitum habent satiatum:quod nequeunt præstare res aliæ : quibus qui pascuntur seruientes amori proprio, nunquam satiantur vt docet experientia. Etsi enim res omnes quæ in mundo sunt in vnum congeras vt earũ amore animam impleas, satiésve illius appetitum voluptatis,adhuc tamen illa manebit inanis, vtpote quæ Dei infiniti capax est. Vsquequo igitur filij hominum diligitis vanitatem & quæritis mendacium] *Psal.* 4. Relinquitis fontem aquę viuæ & foditis vobis cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas] *Ieremiæ tertio.*

De voluntaria susceptione aduersorum.

Sectio XIV.

Nu. 181. DE perpessione voluntaria,seu quam patiens offerendo se Christo in sacrificium, sibi ipse infligit monendum restat particulariter ; rectitudinem illius pendere ex debita intentione & ex discretione cum qua suscipi debet. Censebitur autem intentio debita,quãdo perpessio ipsa suscipietur siue ex amore Christi crucifixi; vt ipsum in infirmitatibus quas nostri causa suscepit honoremus:siue ex odio peccati,vt in nobis vitia mortificemus, carnisque illecebras quibus fouentur, reprimamus:siue ex zelo iustitiæ,vt Deo satisfaciamus pro nostris reatibus.Discretio verò aderit,quoad eos, qui sub regula viuunt quando seque ntur in omnibus Superioris sui præscriptum;se totos in simplicitate cordis ei aperientes & submittentes. Quoad alios autem,quando seruauerint quod ratio dictat;quale est. Primò si frequentes sint in mortificationibus, sint etiam varij, modò in vno genere,modò in alio se exercentes, sic enim fiet, vt non opprimatur afflicta natura, & vt nausea euitetur. Secundò cùm in mortificatione ratio præcipuè habeatur animæ,eatenus eligatur talis perpessio,quatenus ad bonum spirituale conducit.Corporis enim ratio habenda est in illa, ita scilicet vt punitiua sit,non lęsiua : seu quę carnẽ affligat quidem, sed non corrumpat vitam, reddátve hominem inutilem. Tertiò, vt sicut afflictio propter Christum suscipitur, ita etiam propter Christum relinquatur, si quid occurrat Deo gratius, quod ita fieri postulet.

De eiusdem perpessionis magnitudine notandum occurrit,eam spectari : tum ex grauitate malorum quæ tolerantur ; tum ex eorundem multitudine & continuatione: tum ex amoris vehementia,cum qua propter Deum,vel proximum tolerantur: tum ex cõditione personæ tolerantis : tum ex commodis relictis.

De fortitudine denique eiusdem monendum est, eam consistere in perseuerantia, quæ crescat potius quàm abrumpatur ob longam continuationem aduersorum, neque difficultates deterreant : sed generosè seminetur in lachrymis, quod cum exultatione metetur,iuxta illud *Psal.*125.Qui seminant in lachrymis in exultatione metent. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.]

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De ratione tenendi viam salutis prout potest Pœnitens à Confessario de illa moneri ac instrui.

SVMMARIVM.

182 *Ea in quibus via salutis consistit.*
183 *Circumspectione vitandum est præsens peccandi periculum, & quæ ad eam pertineant.*
184 *Remedia generalia ad vitandum futurum peccandi periculum,quorum primum est oratio.*
185 *Non esse disputandum cum Diabolo, sed ei fide in Christum crucifixum resistendum, formato signo crucis si non manu,saltem mente.*
186 *Recursus ad patrem spiritualem & præparatio animi ad quiduis potius patiendum, quam peccandum.*
187 *Custodia cordis & linguæ.*
188 *Operatio boni continetur in via salutis;ac quòd ea requirat bonam memoriam & bonum intellectum.*
189 *Bonam quoque voluntatem requirit : quam rectam, magnam, ac fortem esse curandum est.*
190 *Requirit denique bonam executionem:quam curandum est esse cum acceleratione, alacritate & perfectione.*
191 *Quæ ad id conferant.*
192 *Operatio boni in ordine ad Deum triplex.*
193 *Ad eam iuuantia nos.*
194 *Adiumenta operandi bonum in ordine ad proximum.*
195 *Adiumenta operandi bonum in ordine ad nosipsos.*
196 *Documenta quædam particularia pro diuersi generis hominibus.*

Nu. 182. CVm salutis via consistat in eo, vt in conspectu Christi constituti, cum humilitate & patientiâ secundùm antedicta, declinemus à malo & faciamus bonum ex vero illius amore (vt patet per illud quod *ex Psal.* 33. inculcat D. Petrus *in priori sua epistola,cap.*3. Homini diligenti vitam,& volenti dies videre bonos, declinãdum esse à malo,& faciendum bonum) dicendum nobis est: tum de ratione diuertendi à malo seu vitandi periculum peccandi; quod potest esse aut præsens,aut futurum : tum de ratione faciendi bonum, siue in ordine ad Deum,siue in ordine ad proximum, siue in ordine ad nosipsos.

De ratione vitandi præsens peccandi periculum.

Sectio I.

Nu. 183. RAtio vitandi præsens peccandi periculum consistit in circumspectione;ad quam sequẽtia pertinent. Primum est, vt statim ac mala cogitatio inducens ad aliquod peccatum insurgere aduertitur, Christo proposito ante conspectum nostrum,considerandoque in eo tanquam in exemplari, illa quæ particulariter egit vel passus est,vt ad talis peccati vitationem nos instrueret.Exemplum sit,quod vt nos ad euitationem arrogantiæ instrueret,abiecerit se ad discipulorum pedes lauando eos *ex cap.* 13. *D. Ioann.* Vbi id ad nostram instructionem se fecisse declarat inquiens:Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci,ita & vos faciatis.]

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundum est, tunc præsertim necessarium cùm tentatio vehementius vrget, vt Christus præsens consideretur quasi perens à nobis ne ipsius vulnera, iniurias, dolores, & ignominias renouemus: sanguinemque suum omni auro & gemmis pretiosiorem perdamus effusum pro nostra salute; cuius tanti thesauri iacturam facimus succumbendo tentationi peccati mortalis. Quæ consideratio magnam vim habet ad nos siue amore, siue metu Christi permouendos ad obsistendum animosè offerenti se periculo peccandi.

Tertium est, vt Christus consideretur quoque, tanquam fortissimus adiutor, qui præsto est nobis, si confidentes in eo, & de nobis diffidentes, humiliter auxilium ipsius imploremus per intercessionem Sanctorum suorum; maximè Beatissimæ Matris: siue item consideretur tanquam spectator & Iudex vitæ nostræ: vnde incumbit nobis necessitas circunspectionis, qua *(vt est apud Michæam in cap. 6.)* solicitè ambulemus cum Deo nostro: vt cum eo scilicet, qui *ex Iob. cap.* 31. vias nostras considerat, & cunctos gressus nostros dinumerat.]

Cæterùm intueri Christum præsentem considerando illum tanquam Iudicem, expedit maximè iis qui facilè labuntur in peccatum; quique ita duri sunt corde, vt non facilè compungantur; talibus enim timor vtilis est. Considerando verò adiutorem, iis qui in vitæ probitate ita profecerunt, vt non ægrè moueantur ad bonum, nec facilè peccent. Quos nondũ perfectos iuuat adhuc spe in Christum erigi & sustentari. Considerando demum vt spectatorem seu testem, iis, qui sic iam perfecti sunt, vt omnia agant ex Dei puro amore; qui tam pij affectus sibi conscij, recreantur, & accenduntur aduertentes se agere Christo spectante & teste.

Quartum est, vt inter agendum nunquam permittamus nos ita animo perturbari vt ratio desit suo officio: quod Dæmon satagit maximè; ei quasi arci machinas suas sæpissimè admouens, immissis tentationibus quibus conatur efficere, vt omnia in ipsa rationis arce, susque deque ferantur; ne cum eo cum quo par est timore, enormitas & pernicies peccati lapsusque facilitas attendatur.

Quintum, præcognitas habere proprias inclinationes malas, & ex meditatione, vel piorum librorum lectione, vel concionũ auditione vel alia ratione pro cuiusque captu, parata habere remedia quibus quasi armati, illarum impetum sustinere ac propulsare valeamus vincendo presentem tentationem.

Sextum est, vt nihil agamus vel dicamus precipitanter, sed semper rationem sequamur, non autem præcurramus; neque à nostra potestate quasi egrediamur; sique egredi cõtingat, ad nos redeamus, nec excusatione culpam augeamus. Vbi aduerte statim atque peccauimus, inspiciendum esse modum & occasionem qua sic lapsi sumus, statimque de adhibendo remedio, consilium capiendum esse: quia tunc solent optima remedia occurrere: & Dæmon, quasi in ipso facto deprehensus, confunditur; nobisque displicet magis peccatum, illuminante nos Deo, qui non vult mortem morientis sed magis vt conuertatur & viuat.] *Ezechielis 33.*

De ratione vitandi futurum peccandi periculum.

Sectio II.

Nu. 184. HÆc ratio consistit in vsu eorum quæ censentur remedia esse aduersus peccata: quorum nonnulla sunt specialia pro vnaquaque peccatorum specie; alia verò communia pro quibusuis propulsandis accommodata. De illis commodius dicetur in sequenti parte cum agetur de prudentia Confessarij in imponenda satisfactione: quam curandum est talem esse, vt contineat remedium aduersus peccata, quibus Pœnitens obnoxius esse cognoscitur. De communibus dicemus in præsentiarum.

Primum igitur est oratio, qua quis ad Christum conuersus de se diffidens, & in eo confidens, quotidie manè se munit contra omnia mala quæ possunt per totum diem sibi accidere, addita pia aliqua meditatione, vel lectione; præsertim de ipsius Christi passione, cuius considerationem aliquid spiritualis roboris addere ad viam perditionis declinandam, indicat illud Domini *Ioan.* 3. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat; sed habeat vitam æternã.] Quod esse quoque iudicandum de consideratione nouissimorum nostrorum, patet per illud *Ecclesiastici* 7. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua & in æternum non peccabis:] itaut pium illud monitum oporteat ad vitanda peccata commendatum esse.

Mors tua, mors Christi, fraus mundi, gaudia cœli
Et dolor inferni sunt meditanda tibi.

Secundum est, cum Dæmon hominem tentaturus seu solicitaturus ad peccatum, soleat difficillima quæque contingentia in resistendo proponere ei, vt territum desistere faciat ab incœpto: aut si id non succedat, disputationem ita callidè instruere, vt rationum multitudine & improbitate fatigarum succumbere faciat. Cum, inquam, hoc ita sit: consultissimum esse, fugam potius ordinare; recurrendo ad Christi auxilium, quàm cùm tortuoso illo serpente quasi manus conserere. Nam in illa colluctatione *(quæ teste Apostolo ad Ephes. 6.* nobis est aduersus Principes tenebrarum harum) pernicioſum esse quasi propriis viribus subnixos, in arenam descendere: nõ rarò docet experientia in nonnullis; qui Dæmonis potius, quàm Dei instinctum secuti; vel res difficiliores audacius aggrediuntur, vel cum Dæmone libenter disputant; quorum illi facilè desponderit animum: hi verò citò turpiterque victi, citò ac turpiter cadẽtes, desperant omnino de victoria vnquam obtinenda. Immo, quod peius est, interdum non verentur talis miseriæ suæ culpam referre in Deum: quasi nimis difficilem salutis viam, & naturam nostram nimis imbecillem fecerit. Quæ impietas arguitur per illud *Ozeæ* 13. Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.]

Nu. 185.

Tertium est, recursus ad Christi crucem in omni tentatione formandam: tum manu cùm potest, *quod magnum habet momentum ad hostem nostrum in fugam vertendum*: tum maximè mente, per fidem quæ est in Christum pro nobis mortuum, vt Diabolum ipsum destrueret, qui habebat mortis imperium] *ad Hebr.* 2. Tanto enim splendore micat talis fides igne charitatis accensa, vt Princeps tenebrarum illum non ferat; sed citò fugiat aut grauissimè crucietur. Vnde hortatur D. Petrus *in priori suæ epistola cap.* 5. Aduersarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.] Tanquam muniti scilicet, præsidio firmissimo Crucifixi, qui teterrimum illum Leonem vicit, Leo de tribu Iudæ, *Apoc.* 5. ac ita vicit; vt fortior superueniẽs *ex Lucæ cap.* 11. vniuersa arma eius abstulerit in quibus confidebat.]

Nu. 186.

Quartum est, recursus ad consilium Patris spiritualis; se integrè illi aperiẽdo, córque nudũ exhibendo, submittendóque se illi cũ voluntate obediendi in

in omnibus tanquam tenenti locum Christi: qui defectus ipsius si qui contingant, supplebit: quandoquidem eius magisterio tantam addidit authoritatem, vt tanquam seipsum audiendum esse voluerit, dicens *Luc.* 10. Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.]

Quintum est, præparatio animi adferenda quæcumque aduersa potius, quàm ad Christum offendendum peccando: atque ferenda non tantùm modica illa, quæ quotidiana sunt; sed etiam grauissima, & qualia pro nobis ipse pertulit: spinis capite coronato, clauis manibus ac pedibus perforatis, reliquoque corpore verberibus consciſſo: Passus enim est pro nobis, nobis relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius.] 1. *Petri* 2. Nec est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum: sufficitque discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius.] *Matth.* 10. Neque coronabitur, nisi qui legitimè certauerit] nec legitimè certabit qui ducem exemplo præeuntem non est paratus sequi, & laborum ac molestiarum socius fieri: dicente Apostolo ad Rom. 8. Si filij: & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur vt conglorificemur.]

Nu. 187. Sextum est, custodia cordis: *(de qua Prouerb. 4. Omni custodia custodi cor tuum)* seu non permittere cor nostrum vllo modo affici erga res vllas huius mundi, nisi quatenus & quousque Deo placere arbitramur; siue affectus sit amoris, siue odij, siue gaudij, siue tristitiæ, siue cuiusuis alterius passionis. Itaque cum sentimus nos non secundùm Deum moueri amore, vel odio, vel alia passione erga rem aliquam, statim excludendus est talis affectus, tanquam hostis perturbaturus animam nostram: ac in suo quasi semine perimendus, vt pacem internam conseruemus; quã cùm nihil sit in mundo amabilius, debemus omni studio & curã, inuigilare vt sertam tectam seruemus eam tueamurque: cui Dæmon maximè insidiatur, dans operam vt quos lapsu in peccatum mortale sibi subiicere nequit, saltem reddat in seipsis perturbatos.

Cum cordis custodia valdè coniuncta est custodia linguæ: cui qui bene studuerit plurimorum peccatorum occasionem vitabit: vt constat ex iis quę D. Iacob. *in sua Epistola cap.* 3. habet de ipsa lingua: & inter cætera: [quòd maculet totum corpus, & inflammet rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna: & sit inquietum malum, plena veneno mortifero.] In duobus autem potissimùm spectatur custodia linguæ. Prius est, ne de aliis malè loquaris. Posterius ne de teipso ea efferas, quæ ad laudem tantùm propriam pertineant. Addi potest extirpatio vitiosorum habituum: qui vt nati sunt ex vsu peccandi, sic ad eumdem faciunt propensos; pro communi scilicet habituum natura. *De qua extirpatione vide antedicta numero* 150. *&* 151.

De ratione operandi bonum.

Sectio III.

Nu. 188. AD operationem boni, quam cum peccati cuiuscumque tentatione via salutis, seu vita æternæ beatitudinis meritoria complectitur; hortatur nos Sapiens per illud *Ecclesiastis* 9. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.] Circa eam autem curandum est, *vt tãquam fini omnium optimo destinata*, optimè fiat. Ad quod quatuor requiruntur, bona memoria, bonus intellectus, bona voluntas, & bona executio.

Bona quidem memoria, qua conseruemus bonas inspirationes, & bona propolita; recordemurque eorum quæ agenda sunt, ac prout expedierit ruminemus illa quæ iuuare, excitaréque nos possunt ad profectum, & ad benè operandum: vt mysteria nostræ religionis, præsertim Incarnationis & Passionis Christi: Dei item in nos beneficia; eius præcepta, & quatuor nouissima: ac Demum obsequij Deo debiti dignitatem & excellentiam. *Nu.* 189.

Bonus verò intellectus ideo requiritur, vt sciamus bonum à malo distinguere, & ex bonis, melius; & ex melioribus, optimum eligere. Item præponere certa incertis, communia particularibus, permanentia caducis; atque adeo per nos, aut per alios à nobis consultos dignoscere quid iuuare possit ad declinanda quæ Deo displicent, & ad exequenda quæ illi placent; vt secundùm illud disponamus, & ordinemus totum vitæ nostræ statum; orationes, lectiones, omniáque alia exercitia nostra. Denique in particularibus nostris actionibus finem debitum nobis præstituere: & præmeditari, quo modo quàm acceptissimas Deo illas faciamus: pariter conando solicitè, vt discretè præmeditatis vtamur.

Bona porro voluntas requiritur, vt suauissimum nobis proferat pacis fructum, *de quo Lucæ* 2. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.] Procurandum est autem primò, vt habeat rectitudinem intentionis; qua homo purè quærat Dei honorem: vitæ suæ statum vniuersum actusque omnes dirigẽdo eò, vt Dei beneplacitum adimpleatur: quod est quidem patui laboris, præsertim exercitatis; sed nihilominus est fructus eximij: siquidem talis intentio opera bona (ex se alioqui vilia) quasi deaurans auro charitatis; facit adeo pretiosa, vt meritoria sint æternæ salutis. Ad quam etiam rectitudinem pertinet, vt velimus operari bonum, non tantùm propter Deum, sedetiam secundùm Deum: hoc est non aliter volendo, quàm ipse vult nos velle: rectitudinis enim voluntatis nostræ optima regula est Dei voluntas. *Nu.* 190.

Secundò procurandum est, vt habeat magnitudinem deuotionis, seu promptitudinis ad omnia quæ spectant ad Dei seruitium: itaut quis paratus sit agere, & pati magna ac difficilia propter Dei honorem & proximorum salutem: & quando illa peregerit se nihil dignum Deo egisse reputans, suppleat operis defectum magnitudine amoris, quo velit si posset, infinitè illum honorare.

Tertiò curandum est, vt habeat fortitudinem, quâ quis nunquam fatigatus, continuet ac multiplicet quantum potest bona opera: semper volens siue cet quantum potest bona opera: semper volens siue agere siue pati, id quod tunc gratius Deo fore putat: item non sinat in se memoratam promptitudinem tepescere, siue in sanitate, siue in ægritudine siue in aliis prosperis vel aduersis: itaut in omnibus semper quærat Dei honorem & proximi salutem: ac demum, quâ sic perseueret vsque ad vitæ finem, quod fortitudinis maximè propriũ est. Cæterùm quò quis plus habebit de his, eò meliorem habebit voluntatem.

Bona denique executio ad tenendam salutis viam requiritur; quia bona cogitatio, & bonus voluntatis vsus sine bona executione mandatorum Dei non dare aditum ad regnum cœlorum, patet per illud *à Christo Domino nostro dictum Matth.* 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata.] Procurandum est autem, vt ipsa habeat primò accelerationem, quâ non procrastinet quis, nec quidquam eorum quæ magis Deo placere existimat, operari differat sine necessitate. Secundò alacritatem, qua quidquid propter Deum agit, alacriter feruidéque agat. Tertiò perfectionem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quâ res incœptas ad finem perducat, nec torpescendo vllum Dei donum relinquat otiosum. Quinimo non contentus se in rebus debitis exoluisse obligationem, aliquid ex liberalitate supereroget: cum præceptorum obseruatione, consiliorum obseruationem data commoditate coniungendo.

*Nu.*191. Ad quam procurationem conferunt primò, assiduè ad Christum suspirare pro motu gratiæ obtinendo, ac cum sui diffidentia confidentiaque in illo, precari dicendo. Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina:] vel aliud eiusmodi. Secundò rerum à nobis agendarum plenum habere iudicium, efficacémque voluntatem cum innouatione propositi bene operandi. Tertiò exstimulare nos, stimulo amoris Christi, & spei in ipsum, addita impositione alicuius pœnæ, quam subeamus, ac seuere à nobis exigamus si contingat nos deficere. Quarto collectum habere animum in id quod agitur quantùm fieri potest: non autem ipsum in res plures dispergere. Quinto magnificare, magnique momenti id esse ducere, quod agimus, nec ad alia agenda nimis festinare. Sextò moris habere memoriam, quæ quandocumque acciderit, præscindet omnem occasionem operandi meritoriè, sibique bene prouidendi pro vita futura. Forte autem ea accidet cras, vel etiam hodie; breues enim dies hominis sunt, *Iob.* 14. vt merito dicas cum eodem *in præcedenti cap.* 10. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui?] Vigilate *dixit Dominus*: quia nescitis diem neque horam] *Matth.*25.

De adiumentis operandi bonum in ordine ad Deum.

Sectio IV.

VT ad vitandum malum dantur remedia, sic ad operandum bonum dantur adiumenta: de quibus dicendum est, primò quoad operationem boni in ordine ad Deum: deinde in ordine ad proximum: ac tandem in ordine ad nosipsos.

*Nu.*192. Operatio autem boni in ordine ad Deum complectitur triplicem Dei cultum; quorum primus est internus, consistens in actibus fidei, spei, & charitatis rectæ: magnæ, & fortis eà ratione qua expositum est num. 162. & aliquot sequentibus. Secundus est externus, vt adoratio, & oblatio sacrificij, quibus recognoscimus Deum esse creatorem & summum Dominum omnium. Tertius est internus simul & externus; consistens in orationibus, laudibus, gratiarum actionibus; lectionibus & sermonibus de Christo honorificè habitis, & plenis reuerentiâ ac piis in ipsum affectibus.

*Nu.*193. Istiusmodi autem operationem, cultum Dei continentem adiuuat Christus consideratus tanquam vnicus Magister noster iuxta illud *Matth.* 23. Magister vester vnus est Christus.] Etenim, quia Deum nemo vidit vnquam *(quæ ratio tangitur Ioan.1. vers.*18.) solus vnigenitus filius qui est in sinu Patris, qua ratione à nobis ipse coli velit, potest nobis enarrare; & maximè, quòd sicut quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis qui in ipso est, ita & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi Spiritus Dei: *vt habet Apostolus in priori ad Corinth. cap.* 2. Ob oculos igitur habendus est Christus, considerando ea quæ egit & passus est, constituit, & docuit, vt quoad mentem nos instrueret de ratione, qua Deus à nobis colendus est in hac vita & glorificandus: quasi manu ducendo in notitiam potentiæ, sapientiæ, bonitatis, cæterarúmque diuinarum perfectionum ipsius: & preuenientum ex illis beneficiorum puta creationis, conseruationis, redemptionis, iustificationis & glorificationis futuræ, quæ nobis per Symbolum Apostolorum inculcantur. Quoad voluntatem verò, nos prouocaret ad tam diguum benefactorem amandum super omnia; laudibus, gratiarum actionibus, omníque obsequio prosequendum. Quippe menti lucem; & voluntati deuotionem impertit, quibus tantę maiestati (cui decies millies centena millia ministrât:] *Dan.*7. cultum debitum reddimus. Tum fidei oculo ipsum intuendo vt creatorem in quo viuimus, mouemur, & sumus, *Actorum* 17. seu quo largiente, habemus esse, tam naturæ quàm gratiæ, & possumus operari & operamur opera, tam naturæ quam gratiæ. Tum deinde cum vera humilitate nos totos ei submittendo, totamque spem nostram collocando in eius omnipotentia, sapientia, & bonitate. Etenim qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, manum auxiliatricem porriget, sciens nihilum nostrum, seu tenebras & imbecillitates ac peruersitates, quibus sumus ex nobis inepti ad cultum debitè ei exhibendum. Ac denique accendendo nos ad eiusdem summæ maiestatis amorem, quo prouocemur ad laudes illius celebrandas; orationes tam pro aliis quàm pro nobis, gratiarúmque actiones illi offerendas: & ad cultum ipsius promouendum inter homines; ac gloriam eius quærendam in omnibus.

De adiumentis operandi bonum in ordine ad proximum.

Sectio V.

ISTiusmodi esse ista censentur. Primum fratres nostros Christianos intueri nō secundùm faciem exteriorem, sed secundùm interiorem Dei imaginē, sanguine Christi ita perfusam, vt illi sint capaces regni cœlestis, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si compatiantur vt conglorificentur, *ad Roman. oct.uo.* *Nu.*194

Secundum, meminisse tremendi iudicij in quo dicturus est Christus *ex D. Matth.cap.*25. Amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis:] consequentérque putare, si fratres nostri egeant corporali auxilio, nos illud exhibendo, seruire Christo in suo membro: si verò egeant spirituali, recolligere sanguinem ipsius in talibus animabus perditum: vtpote in eis factum sine suo fructu emundationis earum à sordibus peccatorum, & redemptionis à seruitute Diaboli.

Tertium est, ad melius nos excitandos, Christum ipsum intueri præsentem, qui nos hortetur vel amicè vel comminatorie, ne se despiciamus in suo membro, pro quo sanguinem suum fudit, quémque tanti fecit, vt multa præstantissima agere, multa vtilissima instituere multáque durissima & ignominiosissima pati misericordissimè voluit.

Quartum est, suppliciter ab eodem petere, vt dignetur nos iuuare ad præstandum illud quod in hac re ipse à nobis exigit: siue spiritale, siue corporale ministerium, proximo sit exhibendum.

Postremum est, minimè tentari si ex obedientia, aut iuxta rationis dictamen præscriptúmve, occupandi simus circa paucos, vel in rebus minoribus: quasi nos possimus pluribus prodesse & in rebus maioribus occupari. Nam Deus à quo bonorum operam merces expectatur, non tam intuetur quantitatem

ritatem operis, quàm laboris in operando suscepti amore ipsius. Vnde est, quòd vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem *ex priori ad Corinth.cap.*3. Et certè, cùm nec qui plantat nec qui rigat aliquid sit (*ex Apost. ibidem*) sed qui incrementum dat Deus] dubium non est, quin Deus possit sua acceptatione, exiguo operi magnum valorem dare, & illud ita extendere, vt prosit quamplurimis.

De adiumentis operandi bonum in ordine ad nosipsos.

Sectio VI.

*Nu.*195. ISTiusmodi hæc esse censentur. Primum habere Christum ob oculos, tanquam exemplar & rectissimam bene viuendi regulam: præcipuè autem circa id quod acturi sumus, intueri actiones ipsius similes, nobis pro modulo nostro imitandas, simulque obligationem quam habemus bene agendi considerare; ponderatis ipsius beneficiis & laboribus pro nobis susceptis.

Secundum est, ipsos mentis oculos flectere ad nosipsos qui tam male tantæ obligationi satisfaciamus; & considerare Christum quasi ostendentem nobis suum sanguinem, quo perfudit animas nostras, vt eas bonorum operum fertiles faceret: ac etiam ad melius conandum excitantem nos: tum prouocatione ad amorem suum, eoquod amore nostri, peccata ipse nostra pertulerit super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus, 1. *Petri* 2. tum etiam exprobratione cum minis pœnarum, quas ingratitudo nostra iuste meretur.

Tertium est, considerare nos tanquam seruos coram domino suo constitutos: ac spectatorem actionum nostrarum habere Christum (assistentibus ei Sáctis innumerabilibus) vt Iudicem, qui reddet vnicuique secundùm opera sua] *ad Rom.*2. Itaut nos in vita gerere debeamus, tanquam spectaculum facti Deo, Angelis & hominibus,] *ex priori ad Corint.cap.*4.

Postremum est, excitare fiduciam in Christum, non tantùm spectatorem, sed etiam adiutorem nostrum: qui cùm sit fons perennis & inexhaustus, ex quo manat omne datum optimum, & omne donum perfectum, quod desursùm est à Patre luminum] *Iacobi* 1. facile augebit nostræ cognitionis & moderarum virium riuulum, quantum ipse volet amantissimus Pater & potentissimus liberalissimúsque Dominus.

Per pias igitur preces ad ipsum recurrendum est, implorato Sanctorum ac imprimis Beatissimæ Virginis patrocinio; petendo gratiam qua operemur bona, cum diligentia, discretione & bona voluntate. Formula precandi ordinarie vsurpanda, est oratio Dominica cum salutatione Angelica, prout ostendit receptus vsus recitandi Rosarium, iis omnibus commendatissimus qui student sobriè iustè, & piè viuere in hoc sæculo expectantes beatam spem &c.] *ad Tuum* 2.

Documenta salutis, quæ diuersis hominum generibus in vsu Sacramenti Pœnitentiæ dari possunt à Confessario.

Sectio VII.

QVæ hactenus tradita sunt de via salutis eò pertinent, vt Confessarius in promptu habeat documenta quibus Pœnitentem de illa instruat; prout in Domino necessarium esse iudicauerit: quem non moneo, non esse tam multa tradita, vt omnia eidem simul inculcentur; quia satis constat non esse consultum: tum quia ipse obrueretur tot documentorum varietate, & multitudine: tum quia non conuenit cum eo diutiùs in confessionali hærere, quàm opus sit, ad audienda ipsius peccata pro munere Iudicis: & ad remedia salutaria ei adhibenda pro munere Medici: iuxta illud quod ab initio diximus hoc Pœnitentiæ tribunal esse misericorditer à Christo institutum ad peccatoris emendationem, seu spiritalem animæ curationem. Itaque modus de illis instruendi Pœnitentem erit, vt nominatim ea illi inculcentur, quibus opus habere cognoscitur ex discursu cōfessionis ipsius; ad quod deprehendendum, potest mediocre etiam iudicium sufficere, ei qui & tradita probè tenuerit, & ad confessionem sibi factam bene attenderit.

Adhuc verò vltra eadem, quæ quibusuis Pœnitentibus communia sunt, dantur particularia quædam, pro diuersis generibus hominum diuersa: quorum nonnulla ex sacris literis desumpta, iisdem communibus adiungemus.

Ac primò, pro Ecclesiasticis *ex D. Matth. cap.*5. quòd sint: tum sal terræ, quòd si euanuerit, ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus.] Tum lux mundi: quæ sic lucere debet coram hominibus, vt videant ipsorum bona opera & glorificent Patrem suum qui in cœlis est.] Et pro Prælatis specialiter, *ex Actis Apostolorum cap.* 20. quòd debeant attendere sibi & suo gregi in quo eos Spiritussanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo:] maximè cum sint pro animabus suorum subditorum rationem reddituri dicente Apostolo *ad Hebr.*13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri; vt cum gaudio hoc faciant & non gementes: hoc enim non expedit vobis.] Id quod inculcandum est iisdem subditis: addendo & illud dictum à Domino *Lucæ* 10. Qui vos spernit me spernit] monendoque si vita minus laudabilis sit, non ideo contemnendam esse dignitatem: vt satis indicauit Dominus *Matth.*23. de Scribis & Pharisæis sedentibus super cathedram Moysi dicens: [Omnia quæcumque dixerint vobis seruate & facite; secundùm opera verò eorum nolite facere.] Monendo pariter, Prælatis etiam malè viuentibus obloquentes, impium Cham patris irrisorem, imitari: qui non effugit maledictionem, quantumuis idem pater ebrius turpiter nudaretur: quia illum non irridere debuit, sed potius auersa facie tegere, vt fecerunt reliqui fratres.] *Genes.* 8. *Nu.*196.

Pro Principibus & aliis quibus commissum est regimen populi: Quod non sit potestas nisi à Deo: *ad Rom.* 13. cui cum timore seruire debeant *iuxta illud in Psal.*2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram; seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusto.] Debeant item commēdatissimā habere iustitiā, *iuxta illud Sap.*1. Diligite iustitiam, qui iudicatis terrā] solicitéque cauere, ne eā peruertant, Iudicem habentes Deū, *iuxta illud Ps.*81. Deus stetit in Synagoga Deorū, in medio autē Deos diiudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorū sumitis. Iudicate egeno & pupillo humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate] Circa quod suauiter moneri possunt, vt coram Deo (à quo remissionem peccatorum expectāt

& vi

Universidad de Deusto Biblioteca

& vitam æternam) conſtituti ponderent, quòd ſint ſubditorum ſuorum conſerui.communem habentes Dominum,qui non eſt perſonarum acceptor: ſed ſicut communi erga nos vſus eſt miſericordiâ, inſtituendo pro omnibus eadem Sacramenta, aliáque ſalutis remedia;ſic communi vtetur iuſtitia; reddendo vnicuique ſecũdùm opera ſua. Expendant verba illa *Sapientiæ* 6. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo;qui interrogabit opera veſtra;&cogitationes ſcrutabitur;quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ,neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis.Horrendè & citò apparebit vobis;quoniam iudicium duriſſimum his quæ præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur:non enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus,nec verebitur magnitudinẽ cuiuſquam ; quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus.]

Pro populo autem ſubiecto;quòd debeat ſub pœna damnationis ſe principibus ſuis ſubmittere, dicente Apoſtolo *ad Rom.*13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo:quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt.Itaque qui reſiſtit poteſtati Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.]Item quòd iiſdem honorem deferre,& tributa ac vectigalia debita ſoluere debeat: dicente eodem Apoſtolo ibidem Reddite omnibus debita, cui tributum tributum:cui vectigal, vectigal:cui timorem timorem:cui honorem honorẽ.]Cum quiſautem de illorum vexatione conqueritur, hortandus eſt orare pro illis,ſicut hortatur ipſe Apoſt. *in priori ad Timoth. cap.*2. addens id eſſe bonum & acceptum coram Saluatore noſtro Deo.]

Pro coniugibus. Quod viri debeant diligere vxores, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam *ad Epheſ. quinto.* Neque amari eſſe ad illas.] *ad Coloſſen. tertio*, ſed quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertientes honorem,tanquam cohæredibus gratiæ vitæ 1.*Petri* 3.Vxores verò,quòd debeant viris ſuis ſubditæ eſſe ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris,ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. Vnde ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis,in omnibus *ex cit.cap.*5. *ad Epheſios.* Moneri item debent de eo,in quo facilè labuntur:eis quidem permiſſum eſſe ornare ſe, ſicut aliquando (*vt habet D. Petrus in prima ſua epiſtola cap.* 3.) ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe ſubiectę propriis viris: ſed tamen cum verecundia & ſobrietate, non in intortis crinibus,aut auro,aut margaritis,aut veſte pretioſa]*vt habet D. Paulus in priori ad Timoth.cap.*2.Alioqui expectent illam ſeueram comminationem *Iſaiæ* 3. In die illa auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas;& torques,& monilia, & armillas, & mitras,& diſcriminalia & periſcelidas, & murenulas,& olfactoriola,& inaures,& annulos, & gemmas in fronte pendentes,& mutatoria,& palliola,& linteamina, & acus,& ſpecula, & ſindones, & vittas,& theriſtra. Et erit pro ſuaui odore,fœtor: & pro zona,funiculus;&pro criſpanti crine,cęluitium; & pro faſcia pectorali,cilicium.]

Pro parentibus. Quòd debeant filiorum ſpecialem curam gerere,dicente Apoſtolo *in priori ad Timoth.cap.*5.quòd qui ſuorum,maximèdomeſticorum, curam non habet,fidem negauit, & eſt infideli deterior. Nec debeant illos ad indignationẽ prouocare: vt non fiant puſillo animo] *ad Colloſſ.*3. Sed educare illos in diſciplina & correctioneDomini.]*ad Epheſ.*6.

Pro filiis, quòd debeant parentibus per omnia in Domino obedire.] *ex eodem Apoſtolo in iiſdem locis.* In quorum poſteriore duplex motiuum tangit: vnum honeſtatis,quia id iuſtum eſt:alterum vtilitatis, quia promiſſionem habet in ſuo præcepto. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram.

Pro dominis. Quòd manſueti eſſe debeant erga ſeruos,ac minas remittere, ſcientes quòd vtrorumque Dominus in cœlis ſit, apud quem non eſt perſonarum acceptio: quod idem Apoſtolus, *in eodem cap.*6.illis inculcat. Item hortãdi ſunt,vt iuſtas mercedes illis fideliter ſoluant: *iuxta præceptum eiuſdem Apoſtoli ad Colloſſ.*4.*cum ait,* Domini quod iuſtum eſt & æquum ſeruis præſtate,ſcientes quod & vos Dominum habetis in cœlo.]

Pro ſeruis & mercenariis. Quod debeant *ex eodem cap.*6.*& ad Colloſſ. cap.*3.*ſub finem* obedire Dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis ſui,non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes,ſed vt ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino, & non hominibus:ſcientes,quoniam vnuſquiſque quodcumque fecerit bonum,hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus ſiue liber.] Eodem ſpectat quod *ad Titum* 2. præſcribit ſeruos dominis ſuis ſubditos eſſe,in omnibus placentes,non contradicentes, non fraudantes:ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes:vt doctrinam Saluatoris noſtri Dei ornent in omnibus.]

Cæterùm qui diuitiis abundant,monendi ſunt de eo quod habetur in Pſal. 61. Diuitiæ ſi affluant,nolite cor apponere.] & de eo, quod habet D. Paulus *in priori ad Timoth.cap.*6. Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere,neque ſperare in incerto diuitiarum:ſed in Deo viuo (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum)bene agere,diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere,communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.] Faciant ergo ſibi amicos de mammona iniquitatis,qui eos cùm defecerint recipiant in æterna tabernacula] iuxta Domini monitum *Lucæ* 16. & meminerint *ex poſteriori ad Corinth. cap.*9. quòd qui parcè ſeminat,parcè & metet.

Iis verò qui neceſſaria habent quidem, non tamẽ abundant,inculcandum eſt illud *prioris ad Timoth.cap.* 6. *ad frænandam nimiam acquirendi ſolicitudinem.* Nihil intulimus in hunc mundum,haud dubium quia nec auferre quid poſſumus:habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus. Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueũ diaboli & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem &c.]

Iis denique qui neceſſariis indigent, ſuadendum eſt vt laborent patienter,ad illa comparanda,memores ſententiæ à Deo pronunciatæ *Gen.* 3. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo:& documenti à D.Paulo traditi 2. *ad Theſſ.* 3. Si quis non vult operari non manducet.]

Senes autem monendi ſunt de præparatione ad mortem, cujus neſcimus diem neque horam *Matth.* 25. déque mortificandis propriis affectibus & conformanda hac vita diuinis præceptis: quæ ſunt aduerſarius ille cum quo conſentientes eſſe debemus dum ſumus in via:ne fortè tradat nos Iudici & Iudex miniſtro, qui mittat in carcerem vnde non exeamus donec reddiderimus nouiſſimum quadrantem]*ex D. Matth.cap.*5. Oportet tandem exuere veterem hominem, & induere nouum:ſeu, iuxta Apoſtolum *ad Titum* 2. abnegare impietatem & ſecularia deſideria, & ſobriè & iuſtè & piè in hoc ſæculo viuere expectantes

ctantes beatam ſpem & aduẽtum glorię magni Dei, Saluatoris noſtri IeſuChriſti.]Hęc ætas clamat,Ecce venit ſponſus.]fides noſtra ſit viua,quæ operetur per charitatem. Lucerna ſit in manibus, non tantùm lucens,ſed etiam ardens: ne dicentes Domine aperi nobis,audiamus Neſcio vos: & inuenti ſine eadem charitate,tanquam non habentes veſtem nuptialem, iubeamur ligatis manibus & pedibus mitti in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium.] *Matth.*22. Iuuenes autem docendi ſunt, quòd ſi velint bene ſibi eſſe, in reliqua vita; debeant incumbere obſeruationi diuinorum mandatorum iuxta illud *Threnorum* 3. Bonum eſt viro,cùm portauerit iugum ab adoleſcẽtia ſua.]Et illud, quod ab eorũdem mandatorum via nunc recedentes,poſtea remordente ac inquietante conſcientiâ compellentur illud *ex Pſal.* 24. vſurpare. Delicta iuuentutis meæ,& ignorantias meas ne memineris Domine.] Seminẽt igitur in benedictionibus,vt de benedictionibus & metant]exiſtiméntque non tantùm futuræ,ſed etiam præſentis vitæ pœnas & moleſtias ſibi imminere ex licentia indulgendi ſuis affectibus. Denique iiſdem affectibus ſuis indulgentes fœminæ, non modò in ornatu immoderato (de quo antea) ſed etiam in inceſſu ſuperbo,aut laſciuo terrendæ ſunt illâ graui comminatione *Iſaiæ cap.*3. Pro eo, quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion & ambulauerunt extento collo,&nutibus oculorum ibant &plaudebant,ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crimen earum nudabit,&c.]

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De ratione vtendi antedictis,& iuuandi morti vicinum.

SVMMARIVM.

197 *Diſcretio cum qua vtendum eſt antedictis.*
198 *Conſultum eſt Confeſſarium, proprio ſtudio ſibi comparare exempla,& Sanctorum dicta, quibus iuuet Pœnitentem.*
199 *Pro extraordinaria induſtria, recurrere debet ad Deum.*
200 *Neceſſitas ſpecialis prudentiæ in iuuando moriente, ſeu conſtituto in mortis articulo.*
201 *Adhortandus eſt moriens cùm adhuc valet iudicio, tum ad huius mundi contemptum, tum ad gratiarum actiones & amorem Dei, tum ad ſpem in eum,tum ad patientiam, tum ad examen conſcientiæ.*
202 *Interrogandus eſt,tum de fide,& ſpe in Deum, tum de propoſito emendationis, & conſcientiæ quiete, tum etiam de amore Dei & proximi: & an teneatur ad aliquam reſtitutionem.*
203 *Monendus eſt orare Deum,Beatam Virginem;Sanctos Angelos,& alios Sanctos,erga quos peculiarem habet deuotionem.*
204 *Agenda circa morientem.*
205 *Addita ad Raulinũ notatu digna pro iuuandis ægris.*

*Nu.*197. CIRCA dicta hactenus, aut dicenda in ſequentibus de ſpectantibus ad Confeſſarij prudentiam, ſupereſt monendum diſcretionis eſſe; vt quia non omnes omnium ſemper capaces ſunt, Confeſſarius iis vtatur,proponendo illa Pœnitentibus,vel omittendo, ſecundùm quod exegerint temporis & perſonarum circumſtãtiæ, accommodandóque ſe ad cuiuſque captum & diſpoſitionem. Nã aliquibus,vt iis qui ſæpius rectéque confitentur & noti ſunt, ſatis eſt, *inquit Polancus in Directorio cap.* 2. *art.* 5. audita eorum confeſſione iniungere pœnitentiam: niſi remedium aliquod ad aliquos defectus:aut conſolatio vel exhortatio, vel inſtructio aliqua adhibenda videatur. Alij verò qui ſæpius quidem confitentur,ſed minus rectè, iuuandi ſunt in ea parte,in qua non benè procedunt;vt ſi videntur non bene diſcuſſiſſe conſcientiam, vel peccata non ſatis exprimere, iuuandi ſunt interrogationibus antea traditis *in præced.cap.*3. Si dolor deeſſe, vel propoſitum firmum abſtinendi ab aliquo peccato mortali,vel ſatisfaciendi, vel aliud neceſſarium ad Sacramentum; iuuandi ſunt per ea ex antedictis *in cap.*4.*& ſequentibus,*quæ ad talia inducere diſcretio Confeſſarij,ſpectatis perſonæ & temporis circumſtantiis,cenſuerit. Illi autem qui rariùs confitentur, ſed rectè & diligenter ſe diſcuſſiſſe videntur, non ſunt interrogationibus onerãdi,niſi aliquid omiſiſſe aut obſcuriùs dixiſſe notentur, aut aliquid ad emendationem vitæ vel profectum ſpiritalem intelligi oporteat:quod (nec quid amplius) per interrogationes inueſtigaſſe ſatis eſt.Similiter illos qui dolorem ſufficientem & propoſitum abſtinendi à peccatis prę ſe ferunt, & præterita confitendo ſatis aggrauarunt, non eſt quòd Confeſſarius excitet ad dolorem & deteſtationem, aut euitationem peccatorum: ſed ſufficit eis breuiter tactis: tanquam approbando quòd habeat talem ſenſum de eiſdem: confirmare ipſos ſpe veniæ;ſique opus ſit,adhibita conſolatione,cum admonitione de adiumentis quibus debeant in futurum vti ad tenendam ſalutis viam, deſignatis *ex cap.* 12.14.*&* 15. iis quibus prudentia dictauerit, ipſos peculiariter egere. Quod ſi aliquo modo quidem; ſed non ſufficiẽter ſua peccata deteſtari viderentur, nec tam firmum propoſitum abſtinendi, quàm par eſt oſtenderent; iuuandi ſunt habita ratione perſonarum,per ea quę ante notata ſunt in cap.5.& tribus ſequentibus. *Nu.*198.

Cæterùm, quòd antedicta non illuſtrauerimus exemplis ac dictis Sanctorum:quæ certum eſt plurimum valere ad producendum fructum expectatum:excuſandum eſt: non modò ex eo quòd nimia prolixitas vitanda fuerit:ſed etiam quòd id relinqui Confeſſarij diligentiæ conſultum fuerit hoc nomine, quòd ad talia efficacius inculcanda, mirum in modum iuuet ea proponere,tanquam prægustatos à nobis cibos, ac inuentos ſalutares & accommodatos ad animæ ſanitatem reſtaurandam fouẽdámque.

Accedit à Ioanne Buſæo editum Panarium,talia *Nu.*199. abundè ſuppeditare. Illa etiam de cauſa, ipſis relinquimus curam inueſtigandi extraordinarias aliquas induſtrias flectendi rebellem Pœnitentis animum; quas etſi naturalis ſolertia nonnunquam ſuppeditat, res tamen eſt quæ pendet potiſſimum ex Spiritusſancti impulſu:quem proinde humiliter & cum diffidentia de noſtris viribus, poſtulare oportet ſuppliciter, perſuaſum habendo,irritum ſine illius concurſu futurum noſtrum conatum: vt ſatis intelligitur ex verbis illis Apoſtoli *in priori ad Corinth.cap.* 15. Abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego, ſed gratia Dei mecum. Quapropter Confeſſarius ſi fructum aliquẽ ex ſuis laboribus obſeruet in Pœnitente,non debet illud ſibi tribuere,ſed ſoli Deo,ne ſecus faciens (ponendo obicem concurſui Dei dicentis *apud Iſai. cap.*42.*&* 48.Gloriam meam alteri non dabo) impediat bonum illius progreſſum ſicut nonnunquam contingere compertum eſt experientiâ.

De ſpeciali prudentia neceſſaria Confeſſario ad *Nu.*200. eos iuuandos qui moriuntur, dicendum ſeorſim fuiſſet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuisset, nisi quæ ad eam spectant ita accuratè & ad praxim accommodatè persecutus esset, Polancus *in libello inscripto Methodus ad eos iuuandos qui moriuntur*, vt nihil amplius desiderari videatur. Eum ergo sibi comparare Confessarius debet & familiarem reddere: memor quòd error qui tunc temporis committitur, corrigi non possit, nec omissa commoditas emũdandi animam à peccatis, susceptione Sacramenti Pœnitentiæ recuperari: morte scilicet adimente omnem ad id facultatem; quandoquidem [vbi ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem in quocunque loco ceciderit ibi erit] *Ecclesiastici cap.* 11. Quod est bene finientem vitam, esse fœlicitati æternæ: malè finientem verò, miseriæ perpetuæ addicendum.

Memor item quòd si vnquam aliàs, debet benè paratus accedere ad iuuandum proximum; quem morbi vis, aut timor, vel alius affectus distrahit à seria consideratione eorum quæ ad animam spectant; minúsque aptum reddunt ad curandum negotium suæ salutis: cùm tamen illum interea vehementiùs infestet Diabolus, qui sciens quod modicum tempus habet (*prout Apoc.* 12. *dicitur*) vires omnes exerit ad perdendum morientem. Quod si quis optet instructionem magis compẽdiosam poterit eam petere ex doctrinali Ioannis Raulini tract. 1. cap. 26. Quia verò id opus non est facilè obuium, non vereor idipsum caput hùc describere tanquam vtilia continens facientia ad nostrum propositum.

Doctrina Ioannis Raulini de ratione speciali iuuandi Pœnitentem constitutum in articulo mortis.

NOta (inquit ille) quòd instante articulo mortis maximè debent prouidere amici morientis, vt ipse consoletur & admoneatur de salute sua iuxta illud *Ecclesiastici* 38. Consolare moriẽtem in exitu spiritus sui.] Si enim, *vt dicit Magister Ioann. Gerson*, fideles amici curam maximam gerunt corporis morientis, multò magis curam gerere debent spiritus ipsius: & maximè in hac extrema necessitate, in qua probatur fidelis amicus.

Nu. 201. Primò itaque secundùm eundem, adhortandus est & hoc quadrupliciter. Primò, ad contemptum sæculi huius: idque multipliciter, primò dicendo sibi Dilecte vel dilecta, cõsidera nos omnes subditos esse potenti manui Dei; & ipsius voluntati: omnes nos, cuiuscumque cõditionis aut status, Reges & Principes, diuites & pauperes, mortis tributum soluere necesse est *iuxta illud Statutum est hominibus semel mori.*) & ideo conformare vos debetis diuinæ voluntati, quæ vos vocat & deobligare vult hac die, & vocare in suum regnum. Si enim voluistis tempore præterito, vt vestri serui obedirent vobis, & vellent quæ vultis, iustum est & æquum, vos qui seruum Dei hodie profitemini, hæc eadem velle quæ Deus vult, & sentire quòd Deus amator hominis, qui propter nos saluandos venit in mundum; non mittit infirmitatem & mortem hoc tempore, nisi propter salutem & vtilitatem vestram. Sique aliquando (vt certum est) moriendum sit, cur non modo, si Deus ita vult præsertim cum de iusto dictum sit *Sapien.* 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius.] Quid desiderabilius, quàm esse liberum ab omni peccádi periculo? Adhæc venimus in hunc mundum peregrinorum more; vt ex eo transeamus ad Patrem nostrum benignum, qui expectat filios suos ad se reuertentes: non vt mansionem in eo stabiliamus; quin potius vt bene, & meritoriè viuentes, & ipsi Deo seruientes, horribiles inferni pœnas euitemus & gloriam habeamus. Qui enim reuiit, aut coactè reuertitur ad patrem suum, qui vocat illum benignè & mansuetè, indignus est consortio & hæreditate ipsius. Præterea in hoc mundo plurima mala perpessus es, & pro vno gaudio habito, tria mala vel tribulationes susceptisti: Debet ergo tibi gratus esse exitus ab his malis, ad regionem viuorum, in terram viuentium, vbi omnia bona abundant: vbi inebriantur Beati ab vbertate domus Dei. Igitur illic habitare festines, & toto cordis desiderio anheles, vbi bona tibi præparata sunt quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Inde est quòd ista vana, transitoria, & caduca quæ nec tecum feres, curare non debes: quoniam Deus in infinitum in meliora commutabit.

Secundò diligenter ad gratiarum actiones & amorem Dei, adhortandus est, dicendo illi: Recognosce amice vel amica diligenter cum gratiarum actione, à Deo tibi concessa beneficia. Primò, quòd in hac extrema hora tibi sui cognitionem dederit: nec te morte subita præoccupauit, sicut multis accidit: & de hoc ei gratias agas. Vide quam diligendus est bonus Dominus qui sic te per totam vitam nutriuit, eruditit in fide sua, & ab infinitis periculis & malis vsque in hanc diem liberauit, & adhuc te de periculis huius sæculi multò ampliori beneficio, hodie ex toto te vult liberare & in æterna requie collocare. Quàm diligendus est talis Dominus qui nec te deserit in hac necessitate, etiam vbi omnes amici deficiunt; & dux tuus erit in aliam regionem tibi ignotam, qui propter te descendit in mundũ factus pauper, & laborauit triginta tribus annis pro salute tua, passus horribilem mortem, vt tibi mortem tuam quã doles, dulcem redderet: & resurrexit vt te glorificaret: & in cœlos ascendit vt locum tibi præpararet. Considera ergo te tantis beneficiis auctum: vide quantam dilectionem & amorem debeas erga eum habere; quantas gratiarum actiones ei debeas referre & nunc refer ei ex toto corde, conatu, & affectione. Et inde infirmus conetur quoad poterit, affectum suum excitare ad Deum & de omnibus his gratias offerre, & considerare quòd bonus est Dominus his qui recto sunt corde. Multa alia circa hoc possent per amplius dici, quæ discretioni assistentium derelinquuntur amplianda.

Tertio hortandus est de spe in Deum tota ponenda dicendo. Amice vel amica necesse est in hoc trãsitu confidere in Domino Deo, qui vos cõducet mediantibus Angelis suis lucis. Non sit vestra spes aut confidentia in homine, qui vos possit liberare, (cùm nemo sit qui de manu Domini possit eruere) sed in solo Deo: quia Beatus vir qui sperat in eo.] Neque in amicis vestris, sed in Deo confidatis: siquidem & opera vestra plena sunt imperfectione: ac si quæ valeant apud Deum, id ex dignantissima est bonitate eius, quæ appretiat ea quantùm sibi placuerit: immo & ab eo processerunt. Quocirca necesse est vos sperare & confidere in ipsius misericordia: nec vobis in aliquo ex vobis sufficere arbitrati: sed humiliari sub ipso, veniam de commissis criminibus ab eo humiliter poscendo: confidendóque quòd pro infinita sua misericordia eam tibi non denegabit, si ex toto corde petieris: ita enim canit articulus fidei quem credere debes: scilicet peccatorum remissionem, qua possis æternam mortem euadere: qui temporalem nullo modo potes.

Quartò exhortandus est de patientia: dicendo, Amice solicitè cogita te in vita tua plurima delicta perpetrasse, de quibus pœnam ferre meruisti: propter

quod

quod huius infirmitatis & mortis dolorem patienter tolerare debes, rogans Deum vt præsentis doloris acerbitas remissionem operetur tuorum peccatorum & purgatorij horribiles cruciatus in hanc afflictionem tuam, per suam misericordiam commutentur. Tolerabilius namque est hic præsentialiter, quàm in futuro puniri. Quod si contrito corde petieris, pœnam necessariam tanquam voluntariam feres, & omnem culpam & fortè omnem pœnam remittet Deus, certúsque paradisum introibis: alioquin per impatientiam incurres æternam damnationem. Præterea maiora tormenta demeruerunt peccata tua; ideo considerare debes gratiam, quam tibi Dominus facit, quando illa magna mala in hęc parua & breuia transfert. Statim enim finẽ apponet doloribus tuis. Scis enim Deum iustum esse & apud eum nihil præterire inultum. Ideo si vlciscatur tui in hoc mundo, & nõ in alio, magnam tibi misericordiam facit. Hoc enim petierunt Sancti viri vt August. Gregor. Chrysostomus & multi alij: & ita quod magnis precibus illi obtinuerunt, Deus tibi gratis concedit: quare debes patienter tolerare.

Quartò hortandus est vt ad suam conscientiam se conuertat: meditando an in ea aliquid sit, quod Deum offendat: dicendo, Super omnia in hac extrema hora constitutus, meditare circa tuam spiritualem salutem: Nunquam enim fortassis in futurum huius meditationis continget opportunitas; omnem aliam relinque solicitudinem, & curam rerum terrenarum quas à te relinqui necesse est: & quæ te infirmum nequeunt corruentem à præcipitio eripere. Ei ergo qui omnipotens est, bonus, & sapiens, te & tua committe regenda, omnem præterea cogitatum in eum dirige, astantes solummodo superstites rogans, vt pro salute tua Deum precibus exorent. Dedit enim tibi tempus vitæ præteritum, vt tuam salutem operareris, & de ea cogitares. Quod si negligẽter circa hoc egisti, adhuc tardat Dominus, paululum temporis quod restat vitæ tuæ indulgendo, vt ad illam operandam & cogitandam te applices. Etenim vsque ad extremum spiritum paratus est idem Dominus si pœniteas, te misericorditer suscipere. Ad hoc enim manus suas habet extensas, vt quotiens ei per veram pœnitentiam occurreris, velut filius Prodigus ad pium patrem, post innumera flagitia te misericorditer susciṗiat, & amplectatur. Ideo ne differas ad eum conuerti.

Nu. 202. Secundo interrogandus est moriens de multis & multipliciter. Primò de fide, dicendo ei, dilecte aut dilecta vis mori & viuere in soliditate fidei Christianæ; tanquam Dei & Domini nostri Iesu Christi verus fidelis, & obediens sanctæ matris Ecclesiæ filius? Et respõdere debet, Volo: sicque si opus sit recitetur vulgari sermone symbolum fidei, & ad omnes articulos respondeat si possit, quod ita credit. Quodsi fortè (quod absit) infirmitatis causa, vel inimici illusione, quid aliter fantasiæ occurrerit, quam fides indicet, illud reuocat & pro nullo haberi vult: sed in illa fide vult reddere spiritum. Et potest ei ostendi quomodo in illo lumine fidei, ac per illud solum transitur ad lumen æternæ gloriæ iuxta illud Psal. In lumine tuo videbimus lumen.]

Secundò de spe veniæ; dicendo. Petis à Deo veniã peccatorum tuorum; ac quod contra eius amorem, maiestatem, atque bonitatem egeris, nec eum prout debebas, honorasti: & respondeat, Pero.

Tertiò de proposito suo; dicendo Habes tu sincerum propositum & explicitam voluntatem, vitam tuam in melius commutare & corrigere; & de cætero à peccatis abstinere si vita comes superfuerit, & respondeat, Habeo. Et ostendatur tunc, quomodo Pœnitentia non est Deo grata nisi cum tali proposito: & quòd pax cum Deo facienda est & non treuga. Deinde super hoc ipsum interrogetur. Rogas etiam Deum, vt tibi gratiam det, tale propositum continuandi, & non recidiuandi veramque contritionem habendi.

Quartò de conscientia sua interrogandus est dicendo, Es tu conscius tibi ipsi alicuius mortalis criminis de quo non sis confessus? Optaſne etiam cor tuum illuminari ad oblitorum criminum, si quę sint, habendam notitiam: & An tu libenter ea confiterẽris, si venirent ad tuam notitiam: Atque si aliquem scrupulum, vel aliquod dubium habeat in conscientia, illud reuelet.

Quintò interrogandus est de amore Christi: An ex corde, omnibus qui tibi nocumentum intulerunt indulges ob reuerentiam & amorem Domini nostri Iesu Christi, à quo & veniam speras: & similiter petis indulgeri tibi & remitti ab his quos verbis aut factis, læsisti: & tunc si qui sunt præsentes quos offendit potest ab eis vel tacitè vel publicè vt placuerit veniam postulare: & generaliter ab omnibus in generali.

Sextò interrogandus est de his quæ spectant ad restitutionem: dicendo Ablata per te, restitui vis integraliter, quantùm ad id teneris iuxta tuarum facultatum valorem etiam vsque ad omnium bonorum tuorum cessionem & renunciationem, vbi aliàs satisfactio fieri non valeret: & coram Deo & hominibus veniam iniuriæ petis. Ad quas interrogationes affirmatiuè debet ægrotus respondere, Volo. *Nu.* 203.

Tertio admonendus est infirmus de orando Deum & Sanctos: & primo dicat orans ex corde Deum, Deus meus piissime pater. In manus tuas commendo Spiritum meum. Pater misericordiarum, misericordiam fac huic pauperculæ creaturæ. Adiuua me nunc etiam in hac vltima necessitate: succurre Domine iam animæ egenti & desolatæ, vt non à canibus infernalibus deuoretur: opera manuum tuarum ne despicias: quinimo operi manuum tuarum porrige dexteram. Dulcissime Iesu ob honorem & virtutem tuæ benedictæ passionis, iube me recipi intra numerum electorum tuorum. Saluator meus & redemptor reddo me totum tibi, non me reuuas. Ad te venio, non me repellas. Domine paradisum tuum postulo, non ob valorem meorum meritorum sed in virtute & efficacia tuæ benedictæ passionis, per quam miserum redimere voluisti, & mihi paradisum pretio tui sanguinis emere dignatus es: ipsum mihi confer festina, propter quem nec tuæ diuitiæ aut tua potentia minuetur: nec ipse paradisus angustior aut minor inuenietur.

Secundò salutet beatissimam Virginem Mariam dicendo: Regina cœlorum, mater misericordię, refugium peccatorum, reconcilia me vnigenito filio tuo: eius clementiam pro me indigno interpella, vt ob amorem tui mea remittat crimina. Dicat insuper illud vel æquipalens. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ tu nos ab hoste protege, &c.

Tertiò Angelos suis precibus inuiter, dicens. Spiritus cœlorum, Angeli beatissimi, ministri Dei, assistite quæso mihi migranti ex hoc sæculo & potenter eripite me ab omnium aduersariorum insidiis, & animam meam in vestrum consortium assumite. Tu præcipuè Angele bone custos meus.

Quartò inquiratur ab infirmo cui Sanctorum vel Sanctarum magis deuotus extiterit, vt illi preces offerat dicendo. O glorioſissime Sancte vel Sancta singularem in te dum viuerem spem & confidentiam reposui. Succurre nunc mihi in hoc extremo necessitatis articulo laboranti; nunc auxilij supra

Universidad de Deusto
Biblioteca

modum tempus instat & hora: iam in adiutorium meum intende & sic de aliis quæ possunt obseruari.

Nu.204. Quintò, sunt aliqua obseruanda circa ægrotum. Primò, si nondum Eucharistiam aut extremam Vnctionem susceperit, interrogetur: an eadem Sacramenta deuotè paratus sit recipere. Secundò, si moriturus, prolixum temporis spatium ad suam recollectionem sic habeat, vt non morte subita præueniatur, legendæ forent coram eo ab astantibus historiæ & orationes deuotæ in quibus sanus & viuens amplius delectabatur; vel recensenda essent diuina præcepta, vt profundius meditetur, si quid aduersus ea negligenter oblitus deliquerit, vel similis coram eo instructio recitetur. Tertiò, si vsum loquendi perdiderit: habeat tamen sanam & integram notitiam ad interrogationes sibi factas, vel orationes coram eo recitatas: signo aliquo exteriori vel solo cordis consensu respondeat: hoc enim sufficit ad salutē. Quartò, presentetur ei imago Crucifixi, vel alterius Sancti quem sanus & incolumis venerabatur speciali-ter. Sit etiam ibi aqua benedicta, aspergenda propter præsentiam malignorum spirituum; & eum ad tractus mortis peruenit, iuuetur quoad possibile erit orationibus assistentium. Quintò, nullatenus autem, si fieri possit, morienti amici carnales, vxor & liberi: vel diuitiæ ad memoriam reducantur, nisi inquantum id exigit patientis sanitas spiritualis, & dum alias id omitti conuenienter nequit.

Sextò, non detur infirmo nimia spes corporalis salutis consequendæ: ingeratur potius eidem prima monitio superiùs explicata: sæpe namque per vnam talem consolationem inanem, falsam & incertam sanitatis corporeæ confidentiam, certam incurrit homo damnationem. Quinimo hortandus est patiens vt per contritionem & confessionem animæ sanitatem procuret; quod & ad salutem corporis si sibi fuerit expediens, valere poterit: & inde securior atque conuenientior erit, & melius suæ poterit prouidere sanitati. Vnde & Papa per expressam decretalem cuilibet medico corporis distinctè præcipit, ne cuiquam ægroto corpoream cōferat medicinam priusquam de spiritualis Medici (Confessoris scilicet) requisitione, eumdem monuerit.

Nu.205. Hæc Raulinus: quibus hæc pauca addi possunt vtilia pro communi praxi. Primum est insinuandum esse ægroto qui decumbere incipit, nec aperte periclitatur de vita, morbos contingere in pœnam peccati, non modo originalis ratione cuius omnes homines sunt morti obnoxij. Statutum enim est omnibus hominibus semel mori] *vt habetur ad Hebr. cap. 9.* sed etiam nostrorum propriorum: non est enim homo iustus in terra qui faciat bonum & non peccet] *Eccles. iustis cap. 7.* Sic Rex Ezechias alioqui bonus, ob elationem animi per quam thesauros suos ostendit legatis Regis Babylonis, audiuit ab Isaia, *ex cap. 38. propheticæ eiusdem.* Dispone domui tuæ morieris enim, & non viues.] Et Dominus noster *Ioan. 5.* Paralytico à se sanato præscripsit inquiens. Vade, noli amplius peccare ne deterius tibi contingat.] Vnde manifestū est recurrendum esse in morbis, ad remedia aduersus peccata. Quæ sunt primum conuersio ad Deum per pœnitentiam, & debitus vsus Sacramentorum: sicut & aduersus naturales morborum causas, ad medicamenta recurritur.

Secundum est, insinuandum quoque esse, non debere quidem spernere medicamenta, iuxta illud *Ecclesiastici 38.* Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam:] sed tamen in Deo, non in illis præcipuam spem recuperandæ sanitatis debere collocare; nec imitari illum de quo dicitur *in 2. Paralip. 16.* Ægrotauit Asa dolore pedum vehementissimo, nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum; sed magis in medicorum arte confisus est] sed libenter sequi Sapientis consilium loco proximo citato dicētis; Fili, in infirmitate tua, ne despicias teipsum, sed ora Dominum & ipse curabit te. Auerte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.]

Tertium est, motiua spiritalia patientiæ inculcanda esse, & præ cæteris duo. Vnum est quod bonum Dominum habeamus, nostræ salutis amantissimum, qui iis quos affligit, se offert tanquam pater filiis *ex Apost. ad Hebr. 12.* salutique animæ ea ratione consulit: quandoquidem infirmitas grauis (*vt dicitur Ecclesiastici cap. 38.*) sobriam reddit animam. Adde, quòd in præsenti momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate; æternum gloriæ pondus operetur in nobis] *2. ad Corinth. cap. 4.* Alterum inculcandum, est Christi Domini nostri passio: dicendo quòd non sit discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum: sufficiatque discipulo si sit sicut magister eius: & seruo sicut dominus eius] *Matth. 10.* Christum autem non in lecto molli, sed clauis affixum cruci, cùm arderet siti, potatum esse aceto, mixto felle: grauissimósque perferentem dolores, irrisiones & blasphemias, perpessum esse. Si socij passionum sumus erimus & consolationis] *ex 2. ad Corin. cap. 1.* Patientia nobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportemus promissionem] *ad Hebr. 10.*

Quartum est, cùm æger indicatur esse in periculo mortis, curandum esse vt exonerata conscientia (si quæ sint quæ illam grauent) cogitationem omnino auocet à cura temporalium, & eam transferat ad curam æternæ suæ salutis, rogétque amicos ne se ab ea auocent sermonibus alienis, præsertim iis quibus reuocent à cogitatione de periculo mortis, quod euadere non est in sua potestate, sicut est euadere periculum mortis æternæ per veram conuersionem ad Deum, quocumque etiam breuissimo ea fiat tempore huius vitæ: quod tantum diuinæ erga nos clementiæ beneficium, in negotio tanti momenti negligere, extremæ dementiæ est. Relinquat huius vitæ innumeris malis obnoxiæ, & incertæ curam: & aspiret ad fœlicissimam & æternam: non exhorrescat portum, expositus maris tempestatibus: nec auersetur vestibulum aulæ regiæ, in qua refocillandus est peregrinus laboribus fatigatus. Dicat cum Dauide *Psal. 121.* Lætatus sum in iis quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.] Quid melius quàm esse cum Deo & Sanctis eius?

Quintum est, agonizantem monendum esse, quòd illud sit tempus præcipuum pugnæ cum Dæmone, cui dictum est à Deo *Gen. 3.* Et tu insidiaberis calcaneo eius:] proinde imploret auxilium illius, de qua ibidem additum est; Et ipsa conteret caput tuum.] Cui monitioni poterit suauiter adiungi huiusmodi exhortatio. Ad Christum ducem tuum potentissimum conuerte mentis oculos, qui paratior est ad te iuuandum, quàm Dæmon ad te infestandum. Mentem arma fide in qua fortis repellas tela nequissimi ignea: non quidem disceptando cum eo, sed captiuando intellectum in obsequium ipsius Christi *iuxta Apostolum 2. ad Corinth. 10. vers. 5.* ac dicendo; Credo quia ex Christi doctrina, ita tenet sancta Ecclesia à Spiritusancto edocta. Voluntatem verò arma spe in ipsum quoque Christum, pro te crucifixum: cuius misericordiæ non est numerus. Addito tamen diuinæ iustitiæ ipsius timore, si Dæmon non iam conscientia propriorum scelerum voluntatem pulset ad desperationem: sed ad præsumendum de aliqua nostra sanctitate, eam inclinet perniciosè: quandoquidem

dem vix iustus saluabitur ex *1. Petr. 4.* Ad armandum quoque se charitate exhortandus est; & maximè is qui decumbit vulneratus ab alio, aut qui afficiendus est extremo supplicio: inculcando nullam superesse spem æternæ salutis ei qui pro Christo nolit acceptas iniurias condonare. Charitatis igne in holocaustum, esse cor nostrum, offerendum Christo, qui pro nobis seipsum obtulit Patri. Imitandus est, ipse passus pro nobis, relinquens nobis exemplum vt sequamur vestigia eius.] *1. Pet. 2.* Maximè autem in eo quòd pendens in cruce pro suis crucifixoribus orauit. Ei non multopost offerendus es iudicandus: vt tibi coram eo bene sit. Petis vt dimittat tibi debita tua, sicut dimittis debitoribus tuis. Dimitte ergo vt dimittatur tibi antequam tradaris tortoribus, & ligatis manibus & pedibus mittaris in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.] Esto indignè tractatus sis, aut falsò accusatus, materiam meriti habes maiorem, imitando propius Christum in condonatione iniuriæ; sicut & in obeunda morte; quam ille innocentissimus passus est indignissimam. Laus Deo.

LIBER TERTIVS

DE SACRAMENTALI SIGILLO, QVOD CONFESSARIVS SERVARE TENETVR PERACTA SACRAMENTI POENITENTIÆ ADMINISTRATIONE.

PRÆFATIO.

HACTENVS exposita sunt, quæ spectant ad Confessarij conditiones antecedentes aut comitantes Sacramenti Pœnitentiæ vsum: supereſt vna, quæ eundem vsum sequi debet, nempe fidelitas; sigillum secretúmve Sacramentale ex eo dicta, quòd audita in Sacramentali confessione, compellat altissimo silentio contegi. Illius autem explicationem passim Theologi persequuntur *in 4. dist. 21. aliqui distinct. 18.* vt Sotus *quæst. 4. art. 5. & 6.* Canonistæ, in cap. Omnis vtriusque sexus. De Pœnit. & remiss. Summularij in verbo Confessio, vel Confessor: aliíque agentes de Pœnitentiæ Sacramento, vt à Victoria *in summa de Sacramentis, num. 186.* & aliquot sequentibus, Medina *in Cod. de Confess. quæst. 45. & deinceps vsque ad finem.* Nauar. *in Enchir. cap. 8. & ad cap. Sacerdos. De Poenitentia. distinct. 6.* Quibus accesserunt recentiores, vt Suarez *tomo 4. disput. 33. & 34.* & Henriquez alios in margine citans *lib. 6. summæ Theologiæ moralis, cap. 19. & sex sequentibus.* Quæ autem faciunt & sufficiunt ad nostrum institutum complectemur sex capitibus: quorum primum erit de natura istiusmodi sigilli. Secundum de illius vi obligandi, quanta ea sit. Tertium de illis qui tenentur ipsum seruare. Quartum de iis quæ sub ipsum cadunt, seu quorum reuelatione ipsum frangitur. Quintum de casibus in quibus licere potest reuelare aliquid auditum in confessione. Sextum de prudentia vtendi licentia à Pœnitente data reuelandi quæ dixerit in confessione.

***

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT PRIMVM.

De natura sigilli Sacramentalis.

SVMMARIVM.

1 *Quid & quotuplex sit Sacramentale sigillum.*
2 *Sigillum Sacramentale institutum est à Christo.*
3 *Sigillum Sacramentale maius est quocumque alio, grauissimáque pœna iure canonico punitur illius violatio.*
4 *Ea est sacrilegium, suo genere mortale; etsi de se non reddat confessionem inualidam.*
5 *Humanum tantum est sigillum, non autem Sacramentale, cùm sine sacramentali confessione dicitur Sacerdoti; Hoc tibi dico in confessione.*
6 *Ex confessione facta non Sacerdoti, aut non habenti sufficientem iurisdictionem, potest oriri sigilli Sacramentalis obligatio, ob bonam fidem Pœnitentis.*
7 *Non occurrit Sacramentale sigillum, quando Confessarius certus est moraliter non fieri Sacramentalem confessionem: secus si dubitet.*
8 *Ex confessione facta tantum ad petendum consilium non oritur istiusmodi sigillum; quod tamen non requirit illam sic factam esse, vt absolutio secuta sit.*

Nu.1. QVoniam vt sigillum rem obsignatam, tenet occultam: sic obligatio seruandi aliquod secretum, impedit ne ipsum manifestetur: per metaphoram (inquit Nauar. *in Enchirid. cap. 8. num. 1.*) obligatio seu debitum aliquid occultandi dicitur sigillum: diuiditúrque *(quod idem addit in seq. nu. 2.)* in sigillũ secreti, & in sigillum confessionis. Illud est obligatio quædam à iure naturali inducta ad occultandum secretum sibi ab altero commissum: dictat enim ratio naturalis non esse faciendum alteri, quod tibi factum nolis; nemo autem velit publicari secretum quod alteri commisit. Ergo nec debet sibi commissum publicare: dicente Domino *Matth. 7.* Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.] Accedit quod nisi id obseruetur, pereat amicitia, societas, & commercium inter homines.

Nu.2. Istud verò est, obligatio quædam à Christo Domino introducta ad occultandum id quod in Sacramentali confessione detectum fuerit. Etenim Dominus ipse instituendo confessionem peccatorum omnium, etiam occultorum: tacitè saltem, & per quandam consequentiam censetur ea instituisse, sine quibus confessio non nisi incommodè fieri posset: intetet quæ certum est ponendum esse secretum; quandoquidem confessio à nemine amaretur; immo esset omnibus exosa, nisi seruaretur summè secreta. Non videtur ergo dubitandum, quin lex de celanda confessione censeri possit ab ipsomet Christo Domino lata. Quæ ratio est Nauarri *ad cap. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6. num. 33.* Quærenti verò vbi habeatur lex illa Christi, iúsve diuinum de sigillo confessionis? Respondendum est *ex Soto in 4. distinct. 18 quæst. 4. art. 5. col. 4.* ibi haberi, vbi occultorum confessio iubetur, cuius difficultatem minui obligatione ad secretum seruandum, exposcit suauitas iugi, & leuitas oneris Domini.

Nu.3. Sigillum autem cõfessionis meritò censeri, maius quolibet alio sigillo hinc intelligitur; quia ad celandum quodlibet aliud sigillum, homo tenetur tantùm lege naturæ: ad illud verò seruandum tenetur, tum lege naturæ: nam cùm homini tanquam Deo commissum sit, ratio dictat nullatenus reuelandum esse: tùm etiam lege diuina positiua vt patet ex iam dictis: tum demum lege humana, qua arctè & sub graui pœna talis sigilli violatio prohibetur, cùm dicitur *in cap. Sacerdos. De pœniten. distinct. 6.* Sacerdos ante omnia caueat, ne de his qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quòd ea confessus est; non propinquis, non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hæc fecerit, deponatur: & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.] *Et in cap. Omnis vtriusque sexus. De Pœniten. & remiss. §.* Caueat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo, aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare; non solùm à Sacerdotali officio deponẽdum decernimus, verumetiam ad agendam perpetuam pœnitẽtiam in arctum monasterium detrudendum.] Vbi nota non teneri quidem sigilli confessionis infractorem subire hanc pœnam, quousque fuerit iuridicè condemnatus (vt patet ex communi doctrina de lege pœnali) ipsum tamen incurrere illam ipso iure.

Quam pœnam aduerte etiam indicare talis sigilli infractorem, grauissimi criminis reum constitui: puta sacrilegij quo malitia violationis secreti naturæ (quæ suo genere mortalis est contra iustitiam) transfertur in aliam, secreti videlicet sacri, contrariam religioni: vnde eã debet de necessitate in confessione exprimi. Id quod Nauar. notans *in seq. num. 39.* addit; quòd ea importet specialis præcepti transgressionẽ; nimirum præcepti diuini, tacitè saltem à Christo dati de celandis auditis in confessione. Verumtamen inaduertentia potest in eo excusare, sicut & in multis aliis peccatis suo genere mortalibus; quod etiam notat Suarez *tomo 4. disput. 33. sect. 1. num. 12.* Quidquid autem sit, debet Confessarius cautissimus esse, ne quid dicat vel faciat, vnde aliquid de auditis in confessione aperiat: siue directè, siue etiam indirectè. Quanquam, quia de necessitate & substantia Sacramenti non est, vt confessio celetur; violatio sigilli Sacramentalis non ponitur in numero eorum, quę confessionem reddunt inualidam: *quod etiam notat Sotus loco citato.*

Nu.4.

Casus in quibus apparenter quidem, non tamen verè, sigillum Sacramentale occurrit.

EX quo authore *in seq. col. 10.* & ex pluribus aliis *Nu.5.* (quos refert Sanchez *lib. 3. de matrimonio disput. 13. num. 6.*) aduerte: quia nunquam occurrit sigillum Sacramentale, nisi vbi confessio fuerit sacramẽtalis: prout esse censetur facta cum intentione accusandi se, subiiciendo peccata sua claubus Ecclesiæ.

Aduerte, inquam, cum quis ad commendandum secretum dicit alicui: Hoc tibi dico sub sigillo confessionis, non esse propterea sigillum Sacramentale, sed tantùm humanum, seu secreti humani, etiamsi alter affirmet se illud recipere sub sigillo Sacramentali. Immo etiamsi quis illud idem dicat Sacerdoti flexis genibus & præmissa confessione generali, si id faciat duntaxat causà conseruationis secreti, non autem intentione confessionis faciendę, sine qua intentione non exurgit vinculum secreti Sacramentalis. Itaque non obstantibus eiusmodi cæremoniis (de quo monendus est qui illis vtitur) si talis Sacerdos in iudicio legitimè interrogetur super tali secreto, potest & debet illud manifestare, tanquam solummodo humanum; quod esset nefas (vt post patebit) si sub Sacramentali sigillo id deberet teneri secretum. Ex eodem fundamento colliguntur quæ Suarez tractat *in cit. disput. 33. sect. 2.*

Primum est, confessionem factam laico, aut alteri non Sacerdoti, nõ inducere obligationem ad hoc sigillum, etiamsi confitens contrarium putet, quia non est confessio Sacramentalis.

Nu.6. Secundum est, confessionem factam alicui non Sacerdoti, aut non habenti iurisdictionem sufficiẽtem, inducere prædictam obligationem, si bona fide sit facta, nempe existimando illum Sacerdotem esse, iurisdictionemque sufficientem habere. Ratio est, quia licet talis confessio non sit de facto Sacramentalis, procedit tamen ex intentione suscipiendi Sacramentum illud, quod iuxta Christi institutionem tegit peccata in vsu eiusdem confessionis detecta. Et quia præceptum de Sacramentali sigillo impositum est Confessario in fauorem Pœnitentis, consentaneum est ipsum interpretatione extendi ad confessionem ab eodem Pœnitente bona fide factam, sub ratione & intentione Sacramenti suscipiẽdi. Et certè bona fide procedenti, iniuria alioqui fieri iudicaretur, ipsáque Sacramentalis confessio odiosa redderetur, propter metum reuelationis secreti faciendæ, etiamsi quis bona fide confiteatur.

Nu.7. Tertium est, quando Pœnitens exteriùs dicit se velle confiteri, & ex modo dicendi, atque ex aliis circunstantiis & signis, Confessarius moraliter certus est de contrario, non oritur sigillum confessionis: nam talis confessio non potest rationabiliter censeri Sacramentalis. Secus verò est, si ille tantùm dubius fuerit, quia consentaneum est in dubio iudicare in fauorem confessionis & Pœnitentis.

Nu.8. Quartum est, vt oriatur sigillum confessionis, non sufficere confessionem fieri sola intentione petendi consilium, & communicãdi res suas cum Sacerdote: nec contrà necessarium esse, fieri cum intentione ita confitendi vt obtineri possit absolutio; sed sufficere intentionem accusandi se coram Sacerdote tanquam Iudice constituto à Christo, vt ab eo vel absoluatur, vel iuuetur eo modo quo expedire cognouerit; quod sufficit vt confessio sit aliquo modo Sacramentalis: cùm ordinetur ad absolutionem, saltem sub conditione, si Confessor iudicauerit dandam: vel certè si Deus per ministerium ipsius, Pœnitentem ipsum disposuerit. Quo nomine *in cap. 9 quod quidam. De Pœnitent. & remiss.* præscribitur, vt audiatur volens confiteri, etiamsi non habeat propositum emẽdationis vitæ. & per consequens, tanquam confitens sine contritione, non sit absoluendus; nisi persuasus bonis moniris Confessarij, & diuino adiutus auxilio, firmum emendationis propositum concipiat.

CAPVT SECVNDVM.

De vi sigilli Sacramentalis quanta sit.

SVMMARIVM.

9 *Sacramentalis sigilli vis est tanta, vt nullum obstet in commodum, quin obseruari debeat, etiam post Pœnitentis mortem.*
10 *Ratio eius rei.*
11 *Nullius Superioris, ne quidem Papæ iussu, licet violare sacramentale sigillum.*
12 *Ne quidem ad saluandum rempublicam: & cur.*
13 *Quod procedit, non obstante quòd confessio facta non mereatur absolutionem.*
14 *Attamen Superior generaliter moneri potest de periculo, nullatenus autem cum personæ manifestatione.*
15 *Limitatio cum qua id accipiendum est.*
16 *Explicatio dubij, An Abbas possit ab officio amouere Monachum, quem ex confessione scit male in illo versari.*
17 *Quando possit Dominus dimittere seruum, quem ex confessione nouit furem esse.*
18 *Neque ad vitandum quodcumque graue damnum priuatæ personæ, licet frangere sigillum Sacramentale.*
19 *Sacerdos mortem potius subire debet, quàm detegere audita in confessione: illam tamen facto aliquo, ad quod habet ius, vitare non prohibetur.*
20 *Ne quidem ad declarandum Confessario suo integrè animæ propriæ statum licet detegere, quæ nota tamen sunt ex Sacramentali confessione.*
21 *Imprudenter agit Confessarius sic implendam pœnitentiam iniungens, vt inde possit detegi peccatum mortale auditum in confessione.*
22 *Ratio qua potest Confessarius de auditis in confessione interrogatus respondere, ne Sacramentale sigillum frangat.*
23 *Ad vitandam sigilli Sacramentalis violationẽ, coniungi possunt matrimonio habentes illius impedimentum: vt & Eucharistia indigno ministrari potest: idque quando.*
24 *Pœnitens extrà confessionem interrogatus à Confessario de iis quæ in confessione detexit, negare potest se ea dixisse.*

Nu.9. SAcramentale sigillum vim adstringendi ad obseruationem secreti habet perpetuam: hoc est, quæ duret etiam post mortem Pœnitentis, qui tunc quoque capax est honoris: ea enim vis nascitur ex præcepto negatiuo obligante ad semper & pro semper: quod etiam aliis citatis notat Nauarr. *in Enchir. cap. 8. numero 7.* Tanta verò est eadem vis, vt exceptis aliquibus casibus, *de quibus postea in cap. quinto*: neque sponte narrando, neque ad alterius interrogationem respondendo, neque directè, neque indirectè; neque verbis, neque factis, neque nutu, alióve signo externo, nullo denique modo liceat auditam confessionem aliis manifestare, iuxta textũ satis expressum *in cap. Omnis vtriusque sexus. De Pœnitent. & remiss. §. Caueat.* Et quamuis alia secreta, quæ ordinariè celanda esse lex naturæ præscribit, sæpe possint & debeant reuelari (videlicet, ex Nauar. *in præced. num. 2.* quando Superior iubet, vel quando talis secreti occultatio nocet animæ, vel corpori, vel honori, vel rei familiari proximi) sigillũ tamen Sacramentale nulla de causa reuelandum est, nisi volente, & facultatem dante Pœnitente, aut certè interueniat aliquod eorum de quibus dicetur in sequenti cap. 5. Id quod satis significatur *in cap. Sacerdos. De Pœnitent. distinct. 6.* cùm dicitur, neque pro aliquo scandalo vitando, reuelandum esse quod auditum est in confessione.]

Nu.01. Vbi Nauarr. *num. 118.* eius rei rationem adfert, *latiùs tractatã à Medina in Cod. de confess. quæst. 45.* quòd nullum adeo graue malum occurrere possit, quin grauius sit & maius, Ecclesiæque Christianæ perniciosius, exosam & abominabilem fieri Christianis confessionẽ Sacramentalem: quæ (vt in sequenti parte docebimus, cùm de obligatione confitendi agemus) est ex Christi præcepto: seu institutione necessaria ad reconciliationẽ peccatoris cum Deo, quem post susceptum baptismum offenderit mortaliter

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccando. Simul autem ac concesserimus confessionem contra confitentis voluntatem reuelari posse, illa fides exosa communiter : & in ordine ad omnes Confessarios; eadem ratione, qua particulariter solet fieri, ac esse in ordine ad eos Confessarios, de quorum facilitate difficiliter. Nulla igitur de causa illud concedendum est; præsertim cùm in eo casu, in quo confessio reuelari posse diceretur, nemo confiteri vellet, nec teneretur: quandoquidem, vt Suarez *tomo 4. disput. 33. sect. 1. num. 11.* argumentatur, non potuit Pœnitens per se, & quantùm est ex parte sacramenti conuenienter in omni casu, & sine vlla exceptione obligari ad totam suam conscientiam Confessori prodendam: nisi Confessor ipse simili modo obligaretur ad illam tacendam. In contrarium autem nonnulla obiici possunt, quorum solutionem cum Medina, & quibusdam aliis Nauarr. *in sequen. num. 119. & deinceps* persequitur, & post ipsum Suarez *in ead. sect. 1. num. 15.* Sed pro praxi sufficit scire, illa non impedire, quin de propositaveritate omnes doctores inter se consentiant. Itaque contenti erimus, quædam ad ipsam praxim attinentia inde inferre, cum memoratis authoribus.

Primum est : longè strictius esse sigillum secreti Confessionis, quàm sigillum secreti naturæ, quod in multis casibus reuelari posse dictum est.

Nu. 11. Secundum (de quo latius Medina *in Cod. de Confess. quæst. 48.*) est, ne Papam quidem posse dispẽsare cum Confessario, vt confessionem reuelet; quoniam Papa non potest dissoluere, quod est iure naturæ vel diuino constitutum; licet aliquando declaret tale ius, non habere in aliquo casu locum.

Tertium (quod vt plurimum ab omnibus Theologis & Canonistis receptum ait Nauarr. *ad idem cap. Sacerdos num. 166.*) est; ne quidem iubente Superiore sub pœna excommunicationis Confessarium teneri reuelare quod per confessionem didicit; quia Dei potius, quam hominum præcepto obediendum est: diuino autem præcepto prohibetur talis reuelatio.

De eo quod non possit frangi Sacramentale sigillum ad impediendum quoduis damnum graue publicum.

Sectio I.

Nu. 12. Quartum (pro quo *in præced. num. 2.* plures doctores refert Suarez) addens fundari in perpetua traditione Ecclesiæ est: neque si celatio confessionis cedat in præiudicium graue communitatis, frangi posse sigillum Sacramentale: vt si quis confessus est se proposítum habere seminandi dogma, quod reuera est hæreticum: aut propositum habere tradendi ciuitatem hostibus, aut aliud eiusmodi damnum inferendi, cui nequeat aliter obuiari, quàm detegendo confessionem, non licet detegere; quia nullum bonum procurare, aut damnum impedire licet per media illicita: vt per mendacium, vel fornicationem: cùm non sint facienda mala vt eueniant bona *ad Rom. cap. 3.* Reuelatio autem confessionis est intrinsecè illicita, sicut mendacium, & fornicatio; prout Nauar. satis indicat, illam eis æquiparans *in præced. num. 140.* Et confirmatur quia talis violatio præcepto naturali negatiuo (quod dicitur esse de re natura sua mala, perinde repugnat, ac mendacium, vel fornicatio. Stante enim Christi institutione, quâ cõfessio omnibus hominibus post susceptum baptismũ in peccatum mortale lapsis necessaria est (saltem in voto, si reipsa fieri nequeat) tanquam medium siue quo salus æterna obtineri non potest; ratio naturalis aperte dictat, malum suapte natura, illicitúmque esse id facere, per quod à tali medio capessendo homines auertantur: quale sanè est reuelare confessionem auditam; cùm inde talis auersio nata sit sequi. Adde quòd grauia illa mala (quibus alia via Deus prouidere potest) cùm tantùm vrgeant ad tempus, minora sint, quàm data occasio perpetui impedimenti vsus sacramenti Pœnitentiæ. Si quis opponat peccatum nondum commissum, cùm non sit materia confessionis, non cadere sub Sacramentale sigillum. Respondendum est sufficere, quòd reuelari non possit, quin consequenter reueletur malum propositum, de quo facta est confessio: quod sufficit vt tale factum censeatur sub sacramentale sigillum cadere, iuxta posteà dicenda in sequent. cap. 4. Videri potest Suarez *in eadem disput. 33. sect. 3. num. 3. & 4.* præter alios antiquiores, quorum meminis Henriq. *in 1. parte summæ Theolog. moralis lib. 6. cap. 19. §. 8. lit. Q.*

Porro quartum istud corollarium ex communi *Nu. 13.* Teologorum sententi a teste Nauar. *ad idem cap. Sacerdos num. 120.* procedit etiam quãdo *iuxta cap. Quod quidam. De Pœnitent. & remiss.* facta confessio censenda est inualida, nec danda est confitenti absolutio, tãquam non pœnitenti sufficienter. Rationem idem Nauar. *in seq. num. 122.* reddit quia non oportet confessionem, vt censeatur oblignata Sacramẽtali sigillo, talem esse vt absolutionem mereatur: quia, vt habetur *in cap. Verbum, De Pœniten. Distinct. 1.* Dominus par ius esse voluit, & ligandi & soluendi; qui vtrumque pari conditione permisit; cùm scilicet. *Ioan. 20.* dixit: Quorũ remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueris retenta sunt. Iam verò, confessio vt cum contritione medium est absoluendi: sic facta sine contritione, medium est ligandi: adeoque negãdi absolutionem. Vnde sanè fit, vt sicut Sacerdos tãquam Iudex & Vicarius Dei in foro conscientiæ, excipit priorem earundem confessionum, excipiat & posteriorem: atque adeò vtriusque eadem sit vis inducendæ obligationis seruandi secretum.

Sicque (prout *ad idem cap. Sacerdos, num. 124.* ad- *Nu. 14.* monet Nauarrus) occurrente casu in quo Pœnitens confitetur deliberationem disseminandæ hæreseos, vel perpetrandi alterius criminis quamlibet magni, à quo desistere nolit: imò & quod proponat executioni mandare, Confessarium posse quidem, *argumẽto cap. Sacerdos. De officio Ordin.* Episcopum aliúmve, cui res ea curæ fuerit, monere generaliter vt inuigilet super gregem suum, eoquòd lupus rapax tentet eum inuadere. Posse item cætera facere quibus obuietur delicto committendo, sine aliqua tamen eius qui confessus est manifestatione: etiamsi hæc sola remediũ esset hæreseos, vel alterius grauissimi criminis impediendi, neque ad id suppeteret aliud conueniens aut sufficiens. Quam omnium Theologorum sententiam esse addit idem Nauarrus ibidem. Rationibus verò satis efficacibus eam niti, cõstat ex antea propositis, sufficientibus ad moralem certitudinem.

Quamquam tamen aduertendum est, illud quod *Nu. 15.* idem vult, licitam esse monitionem Superiori factã generaliter & absque expressione vllorum particularium, ex quibus in personarum notitiam deueniri tandem possit: probabile esse quidem in speculatione: nihilominus tamen in praxi contrariam sequendum esse ordinariè, ob reuerentiam Sacramento pœnitentiæ debitam. Quandoquidem in tali admonitione opus est tantâ, tamque multiplici circunspectione: vt difficillimum sit illam vsurpãtem non incidere in sigilli Sacramentalis violationem: ac læsionem securitatis & libertatis confitentium. Videri potest

potest Thomas Sanchez *in lib. 3. de matrim. disput. 16. quæst. 1.* vbi pluribus ea de re agit. Addidi (ordinariè) propter illud, quod Martinus Deltio attigit *in lib. 6. disquisit. magicarum cap. 1. sect. 3. versu* Quoad 2. limitationem. Nimirum si per omnia prospiciatur sigillo Sacramentalis integritati (vt impossibile non est) nec alia subsit via per quam graue aliquod damnum reipub. aut proximis imminens propellatur, quàm per prædictam admonitionem, eam vsurpari posse: quia talis vsurpatio sic modificatur, vestita circunstantiis propositis, vt diuinæ legi minimè aduersetur & sit consentanea legi naturali, rectæve rationi.

Quanquam tamen negandum non est quin tunc, sicut & aliàs in similibus casibus (prout notat Sotus, *in 4. distinct. 18. quæst. 4. art. 5. col. 5.*) munus sit prudentis Sacerdotis admonere Pœnitentem, quàm potuerit vrgentissimè, vt ipsemet scelus perpetrandum reuelet: sique id obtinere nequiuerit, non absoluat, & generalibus verbis (si interueniant duæ circunstantiæ ante memoratæ) admoneat eos, quibus periculum imminet; nempe vt sibi prospiciant, cauendo peccata quæ accidere solent.

Ad quod facit exemplum Domini (*allatum in antecit. cap. Sacerdos*) monentis Discipulos generalibus verbis de proditione Iudæ: Vnus vestrum me traditurus est.]

Nu. 16. Cui doctrinæ congruenter, suppositóque earumdem circunstantiarum concursu; intelligenda est responsio, quam ad dubium quoddam Medina adhibet in citata *quæst. 45. §. superest.* cui consentientes tam antiquiores, quàm recentiores plurimos refert Sanchez *in libro. 3. de matrimonio disputatione. 16. num. 2.* Quod dubium, est an Abbas, qui ex confessione Monachi, nouit vergere in periculem religionis, quòd is maneat in aliquo officio: possit illum admouere? respõsio verò ad illud, est posse: dummodo id fiat sine reuelatione confessionis, seu absque eo quòd prodatur Monachi peccatum: puta si Abbas ipse solet proprio nutu & voluntate Monachos à similibus officiis remouere: eoquod illi nullum ad eadem officia ius habeant: aut si id solet, non ob Monachorum culpam commissam; sed ob periculum committendi aliquam, si diu in officio maneant; aut quia talis Monachus falsus est se ad illud officium inhabilem esse, aut dixit se optare aliis rebus vacare: sic enim ex tali Abbatis facto non reuelatur peccatum Monachi. Quod si videntes illum amotum, inde concipiant commississe graue aliquod peccatum, ipsis imputanda est eiusmodi conceptionis malitia, tanquam iis qui temerè, & in peiorem partem, tẽ interpretentur. Non enim necesse est (quod onus esset pene intolerabile) vt Sacerdos euiter omnem occasionem suspicionis, quam quilibet suâ malitia sumere possit, dummodo à parte rei ipse nullam det, aut dare intendat. Quod si casus talis sit, vt nonnisi ob culpam soleant Monachi à tali officio amoueri: quia tunc Abbas videretur cõfessionem factam reuelare, teneretur talem Monachum in officio sustinere, *iuxta doctrinam à Soto traditam in citato art. 5. col. penultim.* quoulque occurreret alia causa eum amouendi.

Nu. 17. Cæterùm id quod de tali responsione dicitur, locum habet pari de causa in aliis similibus; cuiusmodi est; illum qui ex confessione sciret famulum suum furem esse, posse ipsum dimittere, si ad nutum dimitti possit, aut certè pecunias ei non committere; dummodo id faciat cum ea dexteritate, vt nullam iustam occasionem det suspicandi tale quid fieri ob patefactum per Sacramentalem confessionem peccatum: vt si propositi sui executionem tanto tempore differat, quanto fuerit opus ad existimandum eam prouenire aliunde, quàm ex audita confessione, cuius vix supersit memoria: & sic de aliis circunstantiis, quas prudentis est sic expendere, vt nihil agatur ad vitãdum proprium damnum: quin omnino consulatur integritati sacramentalis sigilli. Pluribus de his *Suarez. tomo 4. disput. 33. sect. 7. fere per totam.*

De eo, quod non possit Sacramentale sigillum violari ad euitandum quodcumque graue detrimentum priuatum.

Sectio II.

QVintum est; neque reuelandam esse à Confessario confessionem auditam, quantumcumque illius celatio cedat in graue detrimentum personæ siue tertiæ, siue Pœnitentis, siue ipsiusmet Confessarij. Nam si pro saluanda tota repub. ex antedictis, licitum non sit reuelare confessionem; multò minus erit licitum pro salute alicuius particularis. *Nu. 18.*

Itaque si quis confessus est se falsò imposuisse aliquid Petro, propter quod is ad mortem ducatur; aut se mendaciter retulisse Paulo illud, propter quod graues inimicitias cum alio gerit, nec reconciliari vult; non ideo reuelanda est confessio; etiamsi inde pẽdeat salus corporis, vel animæ proximi. Nec obiici potest, licitum esse facere pro alio, quod is facere debuisset; quoniam id falsum est, quando tale quid facere, etsi de se turpe non sit respectu eius qui tenetur: est tamen respectu alterius, vt manifesto exẽplo declarat loco cit. Medina; quia debitum coniugale reddere vxori, non est de se turpe viro proprio: est autem viro alieno: sic etiam Confessori turpe est audita in confessione reuelare, quod confitenti esset honestũ, aut etiam ex iustitia alteri debitũ.

Similiter si Titius ducatur ad mortem de homici- *Nu 19.* dio accusatus falsò, & condemnatus, eoquod infamiam metuens opponere noluerit se tunc in lupanari fuisse, quando alter in platea occisus est; non potest Confessarius, cui id in confessione aperuit, veritatem Iudici manifestare ad illum liberãdum à morte. Item si quis monita respuens, nolit à peccato cõfesso resipiscere, etiamsi omnino credatur emendãdus si ab alio redarguatur de eodem peccato; hoc tamen non est illi reuelandum, etiamsi talis celatio cedat in interitum animæ confitentis. Non enim potest suppositâ Christi antedicta institutione, id licere per quod confessio odiosa redditur in Ecclesia. Vnde in talibus casibus, vt rectè monet Medina, si Cõfessor occurrere vult damno corporali vel spiritali Pœnitentis per reuelationem confessionis, debet priùs impetrare ab eodem confitente licentiam, quam si dare nolit, opus est vt taceat.

Similiter si Tyrannus, vel quiuis alius perditus, gladium ad fauces Sacerdotis admoueat, eum iugulaturus, nisi reuelet quod in confessione audiuit, mori potius debet quam reuelare, ne in Ecclesia reddatur odiosus tam necessarij Sacramenti vsus: pro quo in illa seruando Sacerdotale officium obligat Sacerdotem millies mortem oppetere, inquit Sotus *in eodem art. 5. col. 6.*) & cum eo plures alij quos commemorat Henriq. *in sua summa lib. 6. cap. 19. §. 6. lit. D.*) addens id adeo verum esse, vt Richardus & alij nonnulli ponant exemplum de Sacerdote, qui cum latronibus iter faciens audit vnius confessionem, per quem intelligit se in nemore ab illis trucidandum: dicentes talem debere potius mortem oppetere persequendo iter, quàm retrocedendo cõfessionem reuelare. Quibus Nauar. assentitur quidem *ad cap. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6. num. 137. & aliquot sequentib.* nec negari potest

quin

Universidad de Deusto
Biblioteca

quin id sit generosi animi. Non desunt tamen tam recentiores,quàm antiquiores qui contra sentiant, quorum meminit Henriq. *in seq.cap.24.§.5 lit.H*, negans eam esse confessionis reuelationẽ quidquid tales latrones iudicẽt:quia facta, in quibus vtitur quis iure sno ad se tuendũ,nõ sunt,sicut verba per se instituta vt occultæ cõceptionis & affectionis sint signa. Ideo enim Sacerdos qui nouit ex confessione, venturos aliquos sequenti nocte in domum suam, qui illam diripiant, potest alios inuitare ad cœnam, & colloquiis ac recreationibus honestis apud se nocte ea retinere,si aliter malum impedire nequeat: sicut & se continere domi,si ex confessione nouit sibi parari insidias vt necetur. Item dum Confessor pro officio Iudicis conscientiæ, graues imponit Pœnitentias, (vt ieiunium in pane & aqua) & cautiones (vt cuitationem domus aut personæ quæ ei causa est ruinæ spiritalis)non est ex eo censendus infractor sigilli; quod alij inde malum aliquod de Pœnitente suspicentur. Vt bene Henriquez ait *in fine eiusdem cap.* Alioqui enim perplexum ipsum esse contingeret, quando oporteret de necessitate, tales pœnitentias tanquam medicinales imponere. Accedit (quod idem etiam *in præced. cap.* 23. §.7. habet aliis citatis) quòd Prælatus Religionis ob notitiam acquisitam in confessione possit alicui negare licentiam exeundi domo; possit item claudere ostium vel fenestras per quas mors intrat, & negare alicui officium periculosum, vt emptoris, vel sacristæ.

Ad quorum confirmationem inducit probatam illam consuetudinem,qua Prælatus ideo audit suorum confessiones,saltem annales (vt ex statuto, pius mos à summis Pontificibus confirmatus, viget in quibusdam religionibus)eo fine vt melius gubernet subditos in bonum spiritale, & consolationem ac directionem ipsorum,cognoscendo vultum sui pecoris,prout bono pastori incumbit, iuxta illud *Ioan.* 10. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas.] In quem finem(boni videlicet spiritalis: non autem politicæ gubernationis) confessio per se, tanquam medium ordinatur ex Christi institutione. Hæc ille. Attamen si ex talibus,& aliis similibus factis aduerteretur nasci scandalum, & confessionem reddi odiosam, per timorem pudoris & detrimenti ex ea secuturi, ab illis abstinendum esset; quoniam ea de causa non tantùm reuelatio,sed etiam suspicio reuelationis euitanda est. Et ea ratione procedit prior sententia:quam Sanchez propugnat *in lib. 3. De matrim.disput.16.quæst.1.* Confitens tamen posteriorem probabilissimam esse: quodquidem nobis satis est pro praxi, dato quòd vitentur antè dicta incõmoda.

De ratione qua in diuersis casibus Confessarius vitare debet sigilli Sacramentalis violationem.

Nu.20.

SExtum est,ne quidem ad declarandum Confessario integrè animæ suę statum,licitum esse Sacerdoti confitẽti frangere sigillum Sacramentale:itaut non valens aliquod suum peccatum confiteri nisi peccatum alterius in confessione cognitum sic manifestando, vt is cui confitetur veniat in cognitionem certæ illius personæ; debeat silere tale peccatum, donec possit confiteri alicui non valenti illam cognoscere. In quam sententiam,ac etiam pro contraria, plures authores citat Henriquez *in sua summa lib. 6.cap. 19.§.5. lit. X. & Y.* Bene monens,quod etsi detur præceptum Christi de integritate confessionis,sicut de sigillo Sacramentali; illud tamen cedere huic,tanquam magis necessario Reip.Christianæ.

Eodem etiam pertinere potest, quod habet Nauar. *in Enchir.cap.8.num.17.* non esse prudentis iniungere Pœnitenti graues pœnitentias, quas teneatur statim, aut non multò post confessionem facere, si tales sint quæ nequeant commodè fieri, quin id aliqui videant, qui protinus suspicabuntur esse à Confessario iunctas ob aliqua grauia crimina.Qua autem ratione eiusmodi incommodum caueri possit, exponetur in sequenti parte,cùm dicetur de prudentia Confessarij in imponenda satisfactione. *Nu.21.*

Septimum est, Confessarium in testem præsentatum & iuramento adactum ad dicendam veritatem, dicere posse nihil se scire,vel audiuisse,si de iis interrogetur quæ per solam Sacramentalem confessionem nouit,iuxta illud D.Bernardi Nihil minus scio, quàm quod per confessionem scio.]Ita Nauar.*ad cap. Sacerdos. De Pœnit. distinct. 6. num.* 141. & plures alij, quos refert Suarez,*tomo 4.disput 33. sect. 6. num.6.* Addens *in seq. num. septimo*, authoribus item citatis, id procedere,etiamsi interrogatio expresè fiat,An tale quid audiuerit in confessione. Si apponas verum esse, quòd Confessarius audiuerit: ergo falsum esse quòd non audiuerit;cum duas contradictorias simul veras esse omnino repugnet: neque difficultas tollatur dicendo quòd sciat vt Deus, sed nesciat vt homo; cùm vere auribus carnis audiuerit. Respondetur,non posse quidem contradictoria simul esse vera, si vtrumque absolutè accipiatur: posse autem, si vnum absolutè, & alterum cum additione, sicut in præsenti casu;in quo affirmamus Confessarium simpliciter scire, & audiuisse quæ ei detecta sunt per confessionem: quia scit saltem & audiuit vt Deus: negamus autem scire vel audiuisse tali scientia, vel auditione quæ sufficiat ad reuelandum: quæquidem inter se minimè repugnant;vt nec illa duo (quorum prius est communi omniũ Catholicorum sententiâ receptum)quòd Christus omnia non modo præterita & præsentia; sedetiam futura possibilia cognoscat:tanquam plenus gratiæ & veritatis; vt esse dicitur *Ioan. cap.1.* Posterius verò, quod *Matth.13.* ipse Saluator de se ait, nouissimum ac tremendum iudicij diem minimè nosse: quia quantumuis illum nouerit simpliciter,sicut alia futura; non tamen ad reuelandum aliis.Ita annotat post Archidiaconum Nausr. *in sequent. num.* 143. vt & Sotus *in eodem artic.5. col.15.Consequenter col.17.* admonens, quòd si poscente tyranno, vel improbo Christiano. Num Petrus confessus sit se certũ quid fecisse: quia sine mẽdacio respondere non potest non fuisse confessum, debere repellere talem interrogationẽ,tanquam apertè alienam à religione, dicendo non esse sibi fas quidquam de tali re loqui. Ad vitandam autem suspicionem, vel furorem interrogantis, & ad sibi, vel Pœnitenti consulendum; respondere potest sine mendacio (vt aliis in eam sententiam citatis habet Suarez *in cit. num.7.*) se nihil tale audiuisse in confessione, subintelligendo tacitè,nihil quod posit alteri dicere. *Nu.22.*

Octauum est(de quo consequenter Nauar. & latè Sanchez *in lib. 3. de matrimonio disput.* 16. atque alij quorum meminit Henriquez *in præced.§.5.lit.V.*)posse Confessarium eos matrimonio coniungere, inter quos legitimum impedimentum esse nouit ex confessione; vt si quis confessus sit se cognouisse carnaliter sororem illius cum qua vult matrimonium contrahere: quod Parochus ex confessione tantummodo sciens,publicè petenti coniungi, nequit id ei negare ob impedimentum sic cognitum:argumento *cap.Si Sacerdos. De offic. Ord.* Pari ratione Parochus ei quem scit ex confessione excommunicatum esse, vel in peccato aliquo mortali permanere,non potest *Nu.23.*

Eucha

Eucharistiam negare petenti eam publicè, & coram aliis,ne reueletur confessio. Quod locum etiam habet,si Sacerdos tale quid extra confessionem secretò nosset,iuxta *idem cap.Si Sacerdos.& cap.Cum non ab homine. De sententia excommunicationis.* & rationes quas habet Nauar. *ad cap. Sacerdos. De pœnitẽt.distinct.6.numero* 84.*&* 85.

Nu.24. His quoad confitentem, addendum est,eadem ratione qua Confessarius (quia non scit vt homo quæ in confessione audiuit) potest interrogatus negare se ea scire;sic ipsum confitentem (quia nihil ei dixit vt homini) posse negare, etiam cum iuramento, se nemini id dixisse, si non nisi in confessione dixit; quia intelligit nulli dixisse tanquam homini. Quare Sacerdoti interroganti de eo quod audiuerit in confessione:Nõne hoc mihi dixisti? Pœnitens respondere potest audacter, & negare; Nihil tale tibi dixi, ex Soto *in cit.col. 17. & in sequent.art.6.col.penult.* Qua de causa idem non immeritò reprehendit Superiores qui aliquando bono quidem zelo ducti, sed imprudenter quærunt scire extra confessionem, quæ subditi in confessione declararunt. Nec enim licet Pœnitentem extra confessionem inducere ad ineundum sermonem de iis quæ dixit in confessione, aut etiam minus benignam faciem, quàm prius, eidem ostendere: quia (inquit Sotus) illud est genus quoddam reuelationis sigilli, & exprobationis peccatorum: quam repellere potest Pœnitens negando quidquam tale illum aliquando à se audiuisse.

CAPVT TERTIVM.

De illis qui tenentur seruare Sacramentale sigillum.

SVMMARIVM.

25 *Sacramentale sigillum seruare tenetur,non modò Confessarius,sed etiam quicumque alius audiuerit dicta in confessione.*

26 *Idque siue audiuerit ad modum Confessarij (vt is qui bona fide putatur Confessarius idoneus, nec est reuera;itemque interpres) siue alia ratione,vt quia casu, aut etiam malitiosè audiuit,vel ei reuelatum est.*

27 *Solutio obiectionis,quod à iure soli Sacerdoti prohibeatur reuelatio confessionis.*

28 *Obligatio seruandi Sacramentale sigillum non tollitur ex eo quòd Confessarius reuelarit de licentia Pœnitentis:aut malitiosè fecerit potestatem diuulgandi.*

29 *Non licet Superioribus ex notitia per confessionem habita procedere ad inquirendum in foro externo de criminibus auditis: & quomodo liceat in foro interno.*

30 *Idem iudicium est,si non per confessionem quidem,per viam tamen confessionis cognouerit,vt ex scedula in qua Pœnitens scripsit confessionem suam.*

31 *Nulla ratione licet laico Iudici contra reum procedere ex notitia orta ex Sacramentali confessione; etsi generaliter monitus de periculo imminente reipublicæ,non prohibeatur vigilare,& insidias criminosis tendere.*

32 *Non prohibetur Superior attentior fieri & vigilantior circa crimina audita, dummodo nullam de illis auditis det aliis occasionem suspicandi.*

33 *Quando possit, vel non possit Confessarius in electione negare suffragium illi, quem ex sola confessione cognouit indignum; iudicaturus dignum,si confessionem ipsius non audiuisset.*

34 *Graue peccatum committitur non modo reuelando, sed etiam audiendo confessionem,nesciente aut inuita confitente.*

35 *Quando peccet Pœnitens reuelando pœnitentiam, aut consilium datum à Confessario.*

36 *Qua ratione peccetur reuelando Pœnitentiam aut consilium datum à Confessario, eâdem etiam peccatur reuelando alia quæ voluit seruari secreta.*

37 *Reuelare licet secretum naturæ, bono publico, aut priuato id exigente: & cur.*

THEOLOGI omnes ad vnum(quod notatum est à Nauar. tum *ad cap. Sacerdos de pœnitẽt. dist. 6. num.*42. tum *in Enchir. cap.8.num.4.*) consentiunt, non solùm Sacerdotem, cui facta est confessio,teneri ad eam celandam: sed quẽcumque etiam alium qui eandem licitè, vel illicitè, mediatè, vel immediatè audiuerit, siue Clericus sit, siue laicus; siue vir, siue fœmina. Ratio tanti consensus aperta est ex supradictis. Illi enim omnes tenentur celare confessionem, per quorum detectionem redderetur odiosa, & homines ab ea retraherentur. At si Pœnitentes scirent aliquos tales, posse licitè confessionem reuelare, cùm simul sciant multos posse de facto audire,ne fortè contingeret se audiri,auersarentur confessionem. Accedit quòd res ad quemcumque transeat, cum onere suo transeat: cap. Ex literis.de Pignoribus.& cap. Pastoralis. De decimis. At Confessio habet illud onus annexum, vt omnino taceri debeat,simul ac ita facta est, vt Sacramentalis censeatur (sicut censetur cùm facta fuerit animo accusandi se Deo de propriis peccatis coram Sacerdote, tanquam Iudice constituto à Christo)quantumcumque absolutio non sequatur, iuxta antedicta num.13. Quare ad quemcumque peruenerit Sacramentalis confessio, cum tali suo onere peruenit. *Nu.25.*

Qui præter Confessarium teneantur seruare sigillum Sacramentale.

SECTIO I.

HInc,prout expresserunt Nau. *in Ench. cap.8.n.7.* & Syluester *verbo Confessio.3.num.1.* præter Cõfessarium, & eum cui bona fide confessio fit accusando se de peccatis, tanquam Confessario idoneo, qui tamen non est (& per consequens nec confessio facta Sacramentalis est:de quo præced.num.6.)teneri sigillum Sacramentale seruare: primò interpres,per quem linguæ ignarus confitetur Sacerdoti, Richar.habet Sylu. Secundò is qui seu casu,seu insidiosè,aut dolosè alicuius confessionem audiuit. Tertiò is cui causa petendi consilij, vel libidine detrahendi reuelata est confessio audita. Ad hos enim,& huiusmodi alios,vt & ad Prælatos,à quibus petita est facultas absoluendi à casu reseruato, & cæteros quibus Confessarius quoquo modo secretum reuelauerit; confessio peruenit cùm suo onere de ea omnino tacendi. De quibus singulis & authores & rationes habet Suarez *in antecit.disput.33.sect.4.* Sufficit autem nobis antea positum fundamentum: quòd reuerentia Sacramenti Pœnitentiæ exigat, ab omnibus seruari secretum, sine quo vsus illius fit odiosus & difficilior. *Nu.26.*

Neque est quod quis opponat, soli Sacetdoti impositũ esse à iure obligationem celãdi auditam confessionem. Nam,vt rectè notat Nauar. *ad cit.cap.Sacerdos.num.* 46. lex illa diuina de seruando confessio- *Nu.27.*

nis

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis secreto, quæ colligitur tacitè ex confessionis institutione, non consistit in eo specialiter, ne Sacerdos confessionem reueleț:sed in eo generaliter, ne vlli reueletur cuiusquam confessio Sacramentalis; itaut obligatio seruandi secretum confessionis,cadat primariò non in personam,sed in ipsam confessionem:sicut obligatio legis de conseruãdo pignore, non cadit primariò in personã cui traditur, sed in rẽ quæ traditur pignoris:itaut ad quemcũque ea perueniat,cum suo pignoris iure & onere transeat.Nec itẽ refert quòd Ecclesia soli Sacerdoti cõfessionem auditam reuelanti, pœnam imponat.*in cap.Sacerdos.De Pœnit.dist.6.& in cap.Omnis utriusque sexus. De Pœnit.& remiss.*quia,vt rectè quoque addit ibidem Nauar. etsi in hac re Confessarius & alij non sint quoad omnia similes, sunt tamen quoad primariam qualitatem: quandoquidem, vt dictum est, ad omnes similiter confessio audita transit onusta onere suo illam celandi. Et quamuis soli Sacerdoti frangenti sigillum confessionis, Ecclesia pœnas expresse imponat,quia illis frequentius, quam aliis facultas adest reuelandi;non facit tamen alios à pœna immunes:etsi relinquat eam indeterminatam. De qua re idem Nauarrus consequenter *num.* 47. 48. 49. 50. itemque alij quos Henriquez refert *in sua summa lib. 6. cap.* 20. §. 1. *litera A.*

De ampliationibus & restrictionibus obligationis seruandi Sacramentale sigillum.

Sectio II.

*Nu.*28. POrro amplianda est prius proposita doctrina, vt procedat quoad eos etiam, quibus Confessarius de expressa Pœnitentis licẽtia,aliquid de eius cõfessione reuelarit. Ratio est, quia per talem licentiam non datur noua notitia,sed habita per confessionem manens sub eodem sigillo, extenditur ad tertium: itaut talis,ad quem peruenit,teneatur seruare ipsum sigillum,quod est quasi depositum quoddam Pœnitentis, quod non licet sine ipsius volutate contingere. Ipso autem concedente, licet quidem, non tamen amplius,nec alio modo quam ipse velit:de quibus plenius Suarez *in eadem disput. 33. sect.5.num.9.& deinceps.* Amplianda est secundò, vt procedat quantumuis Confessarius, aut alius ex supradictis, qui confessionem audiunt;dicat alteri: hoc & illud didici ab hoc & ab illo per illorum confessiones, quæ tibi reuelo non vt celes,sed magis vt publices. Nam nec tunc alter ille potest reuelare; quia licet non teneatur seruare secretum, ratione modi quo ei reuelatur vt publicetur;tenetur tamen ex ipsa rei natura, quæ omni iure exposcit secretum seruari,velit nolit is qui reuelat; vel is cui reuelatur. Hanc ampliationem attigit Nauar. *in præced.num.*43.

*Nu.*29. Amplianda est tertiò,vt Superior per notitiã quã habuit in confessione Sacramentali, non possit moueri & procedere in foro externo, ad inquirendum particulariter de criminibus auditis, pro illis corrigendis.Quod Sotus *in 4.dist.*18.*quæst.*4.*art.*5. *sub finem* probat:quia ius inquirendi nascitur ex delicti vel infamia, vel semiprobatione. Quod autem in confessione cognoscitur, neutrius earum rationem habet, vt de se manifestum est. Quoad forum internum autem potest moueri & procedere ad inquirendum, iuxta illud quod ex Angelo adfert Nauar. in Enchir. *cap.*8.*num.* 15.§.22. Confessarium non facere contra sigillum, qui ex Petri confessione intelligens Ioannem fuisse alicuius criminis complicẽ,si de eo Ioannem ipsum dum confitetur interroget,etiam in particulari;dummodo ille nequeat suspicari Petrumid ipsum crimen in confessione expressisse (vt quando tale peccatum est,de quo solent Confessarij interrogare)nec vllam omnino mentionem facit Petri.

Amplanda est quartò ex Soto *ibid.consequenter*, vt *Nu.*30. procedat non modò cùm Prælatus rem nouit per confessionem, sedetiam cùm per viam confessionis: vt si subditus perdidit schedulam in qua scriptam habuit suam confessionem,idémque Prælatus inuenit: nam nec tunc potest procedere ad inquisitionem faciendam; quia confessio tam sacra est, vt illud etiam quod ad eam ordinatur,sit perpetuo silentio sepeliendum.

Amplianda est quintò, itaut quod in hac re dici- *Nu.*31. tur de Prælatis Ecclesiasticis, intelligendum similiter sit de Prætoribus & Iudicibus sæcularibus. Quãuis enim(inquit Sotus consequenter)nequissimi Sacerdotes duo vel tres, crimen quod in confessione audierunt Iudici deferant:ipse tamen sciens non alia via id eis innotuisse, quàm per Sacramentalem confessionem,nullatenus potest ad vllam inquisitionis viam procedere; quia tale quid habendum non est pro infamia, aut pro semiprobatione. Vnde multò minus potest illud in scriptis suscipere, aut virtute illius reũ capere, vel interrogare. Immo si bona fide in cuiusmodi causa Iudex cœperit procedere,cùm primùm cognouerit certò, notitiãm rei ortum habere ex sola Sacramentali confessione, debet cessare, & facta omnia pro infectis habere: alioqui sacrilegus erit processus; vtpote quo res valde sacra transfertur ad vsum actionis prophanæ, & Sacramentum redditur odiosum.

Obiicienti autem inde sequi, quòd si Iudex per *Nu.*32. viam confessionis didicisset grande aliquod scelus sequenti nocte perpetrandum in ciuitate,non posset insidias tendere ad cõprehendendos reos, vt contra eos ex lege agat. Respondet Sotus *in fine cit.art.*5. Si Sacerdos Iudici reos manifestauerit,illum non posse contra eos procedere,nec eorum crimen patefacere. Sin tantùm monuerit in genere, vt vigilaret super vrbem, eoquod illa posit detrimentum aliquod capere,non impediri à functione sui officij. Quod posterius aduerte habere quidem probabilitatem in speculatione: tamen in praxi ob periculum offendendi sacramentale sigillum,videri abstinendum ab eo:præsertim cùm Christus Sacramentum pœnitentiæ instituerit tantùm, ad medendum peccatoribus in foro conscientiæ. Ex qua institutione intelligitur nullam esse obligationem siue Confessarij, siue alterius ob notitiam habitam exSacramentali confessione (egrediendo scilicet extra illius fori limites) teneri ad peccatorum emendationem. Vide. dicta in præced. num. 15.

Restringenda autem est eadẽ doctrina,vt non impediat (prout Sotus addit) Superiorem, dum visitat tempore solito, ex notitia per confessionem habita, attentionem fieri ad tale crimen; maximè si vergat in damnum publicum: & attentiùs vigilare super gregem suum: non tamen extraordinario modo, ex quo oriri possit suspicio: sed modo à suis potissimùm prædecessoribus vsitato. Pro quo facit quòd nihil vetet,quominus per confessionum auditionem homo prudentior fiat; & notitia, quã inde acquirit, lumen ei præbeat in aliis rebus agendis.Sicut quamuis Iudex debeat iudicare secundùm allegata & probata,& non secundùm propriam scientiam,*cap. Pastoralis.*§. *Quia verò. de offic.Deleg.& cap.Iudicet.*3.*quæst.* 7.*& lege Illicitas.*§.*veritas.De officio Præsidis*: ipsa tamen priuata scientia Iudicis multum iuuat illum ad perscrutandum diligentiùs negotium:quod ab omnibus admitti

admitti notat,*ad citatum cap.Sacerdos.num.*149.Nauar.

*Nu.*33. Restringenda est secundò(iuxta Nauar. *in præced. nu.*146.)vt non impediat, quin Confessarius in electione Prælati, possit suum suffragium negare illi, quem per omnes alias vias haberet tanquam optimum: si per ipsius confessionem solam cognoscat quòd malus indignúsque sit. In quam sententiam plures alios refert Sanchez *in lib.*3.*De matrimonio disp.* 16.*num.*6.Ea autem, *vt Suarez monet in eadem disputat.* 33.*sect.*7.*num.*12. non procedit quando electio fuerit publica, & persona talis quæ communiter existimatur digna, cui elector suum suffragium deferre debuerit: quia tunc potest generari suspicio alicuius criminis cogniti per confessionem; quod (propter reuerentiam Sacramenti, & ne tanquam ex probrosa & nociua peccati detecti obiectione, inde exosus illius vsus reddatur)plane vitandum est;hócque sine timore pœnæ suspensionis decretæ *De elect.cap.Cum in cunctis* §.*finali*, aduersus eum qui eligit indignum. Nam,vt ex Palud.post Sotum idem Suarez addit;ne quidem in electionibus occultis locum habet talis pœna quoad propositum casum:quia leges quæ pœnas eius generis imponunt, semper intelliguntur secundùm scientiam communem & cognitionem humanam.Habita autem per confessionẽ Sacramentalem notitia,est & priuata,& diuina. Accedit,ad talis medij vsurpationem, opus esse tanta prudentia & cautione, tótque circunstantias requiri,vt difficillima sit in praxi:adeovt ad illam (etiamsi alias licitam) non teneatur quis, *prout in seq. nu.* 7. *Sanchez explicat.*

*Nu.*34. Cæterùm de peccato, quod in hac ipsa re committitur, aduertendum est primò, graue peccatum esse aduertenter & ex proposito, audire alterius confessionem ipso nesciente; & adhuc grauius audita aliis reuelare,*prout ostendit Nauar .ad cap.Sacerdos. De Pœnit.distinct.*6.*num.*113.*&* 114.

Aduertendum est secundò(*quod communiter Doctores sentire notat Suarez in præced.sect.*3.*num.* 1.) materiæ paruitatem in peccato veniali, non obstare quin reuelatio illius in confessione detecti, sit mortalis: quod Sotus probat *in citato artic.*5. *colum.* 7. quia licet infamare hominem de veniali cognito extra confessionem,non sit peccatum,aut certe tantùm sit veniale: mortale tamen est reuelare illud quod per solam confessionem Sacramentalem cognitum est: quia etiamsi in eo non inferatur proximo grauis iniuria, infertur tamẽ Sacramento, reddendo confessionem venialium odiosam: sicut periurium in re leui mortale est, ob iniuriam quæ grauis infertur, non quidem proximo,sed testimonio diuino:adhibendo scilicet Deum in testem falsitatis.

De Pœnitentis obligatione celandi dicta sibi à Confessario.

Sectio III.

*Nu.*35. COnfitentem quoque teneri celare quæ Confessarius ei dixerit, monet idem Nauar. *in seq. num.* 115. quoniam Sacramentale sigillum est quidem solius confessionis,quæ fit à solo Pœnitente:tamen dicta à Confessario ad forum Dei spectant: ac proinde(*inquit ille post Palud.*)peccat qui detegit consilium,vel pœnitentiam,vel alia iniuncta sibi à Confessario: ex quibus ipse qui iniunxit, vel consuluit efficiatur ridiculus:aut etiam (*ex Angelo in verbo Confessio vltimo num.*18.) odium aliquorum incurrat: aut denique ipsemet reuelans iacturam suæ famæ sine vtilitate vlla faciat. Secus verò esset, si neque in proprium confitentis,neque in Confessarij præiudicium cederet talis reuelatio; quia tunc nihil esset quod ipsum prohiberet reuelare, ex eodem Angelo ibidem.

Addit Nauar. ex Adriano: idem quod dictum est *Nu.*36. de Pœnitentis consilio, dicendum esse de omnibus aliis quæ Confessarius ea mente dixit confitenti, vt inter ipsos essent secreta. Ratio est, quia tale secretum spectans (vt dictum est) ad forum Dei:eam saltem vim habet, quam illud ad quod tenetur is cui aliquid sine confessione dictum est sub sigillo confessionis:qui frangens fidem(etiamsi non faciat iniuriam Sacramento, quia non est ei dictum à confitente Sacramentaliter)grauiter peccat: non tantùm ob violatum ius naturæ de seruando secreto:sed etiã ob violatum pactum,quod ex addita conditione inducit nouum vinculum, augétque obligationem seruandi secretum ipsum,*vt annotat à Victoria De Sacram.num.*190. Accedit, quod aliis citatis habet Angel. *in seq.num.*22.peccare mortaliter non modò eum qui confessionis;sed etiam qui naturæ sigillum frangit:itaut cùm quis alicui aliqua dicit; siue exprimat se ei dicere sub sigillo secreti,siue nó exprimat,is cui dicitur intelligens sibi dici sub secreto, teneatur celare;iure scilicet naturę obligante ad proximum non lædendum in fama, & ad fidelitatem promissúmque ei seruandum:siquc reuelet,incurrat in crimen proditionis.

Nisi id faceret præcipiente Superiore;cùm res est, *Nu.*37. quæ vel in commune, vel alicuius priuatum damnum vergit: vt si cognitum est, ipsum fœminas in confessione solicitare ad malum: quia tunc denunciari potest, quemadmodum notat Henriq. *in lib.*6. *suæ summæ cap.* 22. *in fine.* Ad quod illustrandum facit quod in Codice de confessione habet Medina *quæst.* 50.*sub finem*:obligationẽ fidelitatis esse quidem de iure naturæ, sed cessare in eo casu, in quo non potest aliter communibus,vel priuatis damnis obuiari, nisi reuelando secretum:itaut perfidus non dicatur quis, per hoc simpliciter, quòd arcanum reuelat: sed per hoc,quòd temerè, & sine cogente causa reuelat. Adde quòd nemo possit se ad aliquid per promissionem obligare, contra Reip. aut alicuius particularis corporalem, aut spiritualem salutem: quam habere commendatam, charitas obligat.

CAPVT QVARTVM.

De iis quæ sub Sacramentale sigillum cadunt, seu quorum reuelatione ipsum frangitur.

SVMMARIVM.

38 *Sub Sacramentale sigillum cadunt non modo peccata declarata in confessione,sed etiam alia,quæ in eorum notitiam possunt alium adducere.*

39 *Etiamsi non fuerit necessarium ea exprimi in ipsa confessione.*

40 *Item quæcumque verecundiam, vel detrimentum possum adferre Pœnitenti.*

41 *Item persona à Pœnitente detecta,si reuelatio sit in illius detrimentum.*

42 *Non est illicitum prodere peccata declarata in confessione, dummodo persona nullo planè modo prodatur.*

43 *Peccatum mortale nullo modo licet prodere: veniale verò solummodo in genere: in specie enim,quantumcumque leue reuelare, sacrilegium est mortale.*

44 *De publico peccatore melius est tacere, quàm dicere*

quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd confessus sit de suo peccato & absolutus.

45 *Quatenus dicere liceat tale peccatum auditu in confessione.*

46 *Parcissimè loquendum est de auditis in confessione, etiam de iis quæ non cadunt sub Sacramentale sigillum.*

47 *Cauere debet Confessarius ne petendo consilium, Pœnitentem detegat sine ipsius licentia.*

48 *Locutiones aliquot quibus sigillum frangitur, quia subindicant peccatum mortale detectum in confessione.*

49 *Confessarius cui confitetur aliquis sine emendatione, quid faciet, si ei obiciatur, quomodo talem audiat.*

50 *De uno id dicens, quo indirectè reuelatur alterius peccatum; aut suu gens ex confessionali ad consulendum alium præsentem, frangit sigillum.*

51 *Quid agere debeat vocatus ad ministrandum Eucharistiæ sacramentum peccatori publico.*

52 *Obseruatio de administranda, vel neganda Eucharistia peccatori.*

53 *Aliquot locutiones, quibus sigillum Sacramentale non frangitur, eoquòd nihil indicent quoad peccatum mortale, nec quoad veniale in particulari.*

54 *De aliquo, qui nesciri vult, dicere non potest Confessarius, Talis est mihi confessus.*

SVppositio fundamento, de cuius firmitate satis constat ex supradictis: quòd ea omnia sub sigillum Sacramentale cadant, quorũ detectione confessio redderetur fidelibus odiosa: aliquot propositiones constituemus, quibus ostendatur quæ sint istius generis.

Nu.38. Prima est, *quam ad cap. Sacerdos. De pœniten. distinct. 6. num. 51. Nauarrus habet, alique communiter admittunt, vt Suarez not at disput. 33. sect. 3. num. 5.* sub hoc sigillum cadere non solùm peccata mortalia & venialia, sed etiam eorum circunstantias, siue necessariò confitendas, siue non necessariò confitendas, & alia omnia quæ etsi peccata non sunt (*imo virtutes forte sint ex Med. in Cod. de confess. quæst. 27. sub initium*) eis tamen detectis, ille cui deteguntur posset directe vel indirectè adduci in cognitionem, qua confessum perpetrasse aliquod certum peccatum intelligeret. Ad cuius propositionis confirmationem, præterquã quòd inde quoque redderetur confessio odiosa, quia Pœnitentes impedirentur confidenter loqui: faciunt verba *cap. Sacerdos. De Pœnitentia. distinct. 6* Ante omnia caueat, ne de iis qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quod ea confessus est.] Et illa *cap. Omnis utriusque sexus. De Pœnitent. & remiss.* Caueat ne aut verbo, aut signo aut alio quouis modo prodat peccatorem.]

Nu. 39. Procedit autem hæc propositio, *vt etiam in cit. num. 5. notat Suarez*, non modo cùm ad peccatum declarandum necessarium fuerit tale quid in confessione exprimi, sed etiam cùm fuerit vtile; imò quoties in eum finem Pœnitens (etiamsi in eo forte agat minus prudenter) aliquid dixerit, quod est in confessione tolerandum habita ratione communis modi confitendi hominum, multa sæpe dicentium animo declarandi sua peccata, quæ nihil sunt ad id necessaria, imò interdum neque vtilia. Cùm ergo simplices & imprudentes auertendi non sint à confessione, sicut nec alij, tacenda sunt quæcumque ab eis dicuntur ad explicationem suorum peccatorum, vt possint secure, & sine timore reuelationis confiteri.

Nu.40. Secunda propositio est, *quã ex Richardo habet Sylu. cõfessio 3. quæst. 2.* Quidquid per se, vel per accidens, directè, vel indirecte posset verecundiam, vel confusionem, vel malam suspicionem, vel aliud nocumentum generare Pœnitenti ex peccato commisso, cadere sub idem sigillum. Vnde si Confessarius ex alicuius confessione intelligeret ipsum esse parentibus sordidis prognatum, vel aliud quod infamiam generaret, id perinde tacere teneretur, ac peccatum; *quemadmodum expressit Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. col. 7.* & ratio aperta est: quia ex tali reuelatione cõfessio redderetur odiosa.

Tertia propositio est, *quam ibid. consequenter habet idem Sotus*, non solum personam Pœnitentis cadere sub sigillum confessionis, sed etiam quamcumque aliam, in ipsa confessione detectam, siue ad declarandam aliquam circunstantiam necessariam, siue etiam imprudẽter eam nominando sine necessitate: si quidem fama & honor illius detrimentum pateretur ex reuelatione. Hoc ex eo patet, quod inde etiam fideles possent auocari à confessione, & ab illa abhorrere. *Nu. 41.*

Declaratio rationis, qua peccata detecta in confessione cadunt sub Sacramentale sigillum.

Sectio Prior.

QVarta propositio esse potest; peccata cum aliqua limitatione, non autem omni ratione cadere sub sigillum Sacramentale. Quæ explicatur & confirmatur per ea quæ habet Medina *in Cod. de confessione quæst. 47. in principio.*

Primum est, licitum esse peccata in confessione cognita prodere, non prodendo personam directè vel indirecte, neque vllo subsequente scandalo: vt si Confessor calum, quem in confessione cognouit, cõmunicet alicui ad finem sciendi, an sit reseruatus, vel non; an sit peccatum mortale, vel non: aut sciendi quę pro illo imponenda sit pœnitentia. *Nu. 42.*

Secundum est, licitum esse dicere in genere peccata per confessionem cognita, etiam personam quæ confessa est exprimendo: vt si Confessor dicat, Petrus confessus est sua peccata: sic enim dicendo, nec Petrum infamat, nec confessionem odiosam reddit, cùm omnes sciant neminem nisi sua peccata confiteri debere: nec à peccatis quemquam esse prorsus immunem, cùm *ex 3. Regum cap. 8.* Non sit homo qui non peccet.] Siquè dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est] *ex 1. canonica D. Ioannis cap. 1.* Eadem ratione licitum est dicere, Petrus confessus est sua peccata venialia, dummodo caueatur (quod per accidens sequi potest) ne per id intelligatur ipsum omisisse mortalium confessionem: vt enim confessio de se est tantùm peccatorum; sic minimùm, est peccatorum venialium: ideoque vt illud, sic & istud dicere non est magis contra sigillum Sacramentale, quàm simpliciter dicere, Petrus est mihi confessus: quod nullus reprehendit. Dicere autem, Petrus est mihi confessus sua peccata mortalia, est reuelatio confessionis, *vt recte ait Sotus in cit. art. 5. col. 8.* quia homo potest sine mortalibus confiteri. Vnde peccata omnia, de quibus facta est confessio, cadere sub sigillum Sacramẽtale, verum est de mortalibus tam in generali, quàm in particulari; de venialibus verò, solùm in particulari. *Nu. 43.*

Tertium dictum Medinæ est; licitum esse Confessori dicere simul peccatum in particulari & personam confitentem, si peccatum sit publicum & omnibus notum: vt si de publica meretrice dicat, Ista confessa est de sua turpitudine, & à me absoluta: per quæ significat duo, nempe illam esse confessam, & esse meretricem: quorũ prius occultum est quidem, sed *Nu. 44.*

sed eius reuelatio cadit in laudem confitentis, & ideo non reddit confessionem odiosam. Posterius verò iam ante notum fuit omnibus, vnde nec confessio ex eo redditur odiosa. Verùm istud non est perinde certum, ac præcedentia. Nam Caiet. *in verbo Confessor.* tale quid licere negat; quia etsi peccatum illud est absolute notum omnibus; occultum est tamen, prout suppositum Ecclesię Clauibus, quia nescitur esse facta de eo confessio. Quam Caiet. opinionem Sotus *in sequen. col. 9.* probabiliorem iudicat, & Nauar. *ad cap. Sacerdo. De Pœnitent. distinct. 6. num. 62.* absolutè approbat. Nec dubium est quin tutior sit, & in praxi seruanda, vt Medina ipse non obscurè indicat subiungens; quia ex suis illis dictis, & similibus meritò in praxi timetur scandalum, satius esse tacere, nisi forte aliqua necessitas cogat.

Similiter quamuis probabilitate non careat, quod addit Sotus, *ibidem*: & sequitur Henriq. pluribus aliis citatis *lib. sexto cap. 21. §. 2. lit. I*, licitum esse dicere de suprà dicta meretrice: ista confessa est, & beneficium absolutionis obtinuit; quia tale dictum generale est: in praxi tamen non est facilè vsurpandum: quia licet ad negandum per illud frangi confessionis sigillum, dici possit admittere interpretationem, ex qua Meretricium dictæ mulieris, minimè indicari intelligatur: vt v. g. supponendo quòd ea forte iam fecisset alteri confessionem de tali peccato; aut quod ex aliqua infirmitate nequiuerit facere integram: quia tamen communiter homines non interpretantur cum tali simplicitate aliorum dicta, existimo in praxi seruandum esse quod ex Caiet. habent Nauarr. *ibid.* & à Victoria *de sacramentis num. 186.* vt Confessarius, qui audit confessionem publicorum peccatorum, licentiam ab ipsis petat, de iisdem peccatis confessis loquendi ea quæ pertineant ad ipsorum honorem, & cedant ad proximorum vtilitatem; qualia sunt, quòd confessi sint talia peccata, eáque reliquerint, & veniam de scandalo, per illa dato petierint, ac mandata restituendi expleuerint. Quod autem Conc. Trid. *sess. 24. cap. 8. de reform.* præcipit, vt imponantur pœnitentiæ publicæ iis qui publicè peccarũt cum aliorum scandalo, non est referendum ad forum internum, vt rectè ostendit Nauarr. *in Enchir. cap. 8. num. 10. §. 11.*

Nu.45. Adhuc ad traditæ propositionis explicationem & confirmationem facit illud quod ex cõmuni Theologorum sententia *in 4. distinct. 21.* Nauarr. adfert *ad memoratum cap. Sacerdos. num. 75.* non esse confessionis reuelatorem qui diceret, Tale vel tale peccatum audiui in confessione, dummodo tantã cautelã id faciat, vt nullatenus in notitiam eius qui peccauit deueniri possit; vt si Confessarius in Hispania educatus docens in Gallia dicat, De tali peccato mihi aliquãdo in Hispania facta est confessio. Probatur hæc sententia, quia in eo casu cessat ratio præcepti de tacendo peccato audito in confessione; quę est ne prodatur qui peccauit, vnde is conciperet confessionis odium, omni ratione vitandum: etiam tunc cùm ad habendum consilium, necessitas cogit tale peccatum manifestare, *iuxta expressum textum in cap. Omnis utriusque sexus. De Pœniten. & remiss.* Cessante vetò legis ratione, cessat quoque eius obligatio: sicut & separata anima à corpore vis ipsius concidit. Attamen tale aliquid dicere sine fructu (*inquit Nauarr. in sequen. num. 79.*) peccatum est saltem veniale; non quidem tanquam violatio secreti, sed tanquam verbum otiosum, aut etiam mortale, tanquam verbum scandalosum, quando simplices putant reuelari confessionem aut communitas aliqua grauiter infamaretur.

Cum fructu verò censeri potest dicere; *vt idem addit nu. 80.* consequẽter; quando quis, ad aliquorum accusationem, iactar certa peccata, aut peccatorum circunstantias non solere in confessione detegi ab aliquo certo hominum genere: Confessarius autem ipse contrarium asserit ex vsu quem habet audiendi confessiones. Idem iudicandum est contingere, quãdo Confessarius vbi & quando oportet, siue docendo in schola, siue concionando, siue consultando incideret in mentionem peccati enormis, quod aliter, quàm per confessionem scire dedecus ei esset: ad tollendam enim opinionem malam, quam quis de ipso conciperet, posset sanctè & honestè dicere (*vbi peccator non cognosceretur*) se talem notitiam ex auditione confessionis habere, etsi quàm rarissimè potest (*vt etiam consequenter addit Nauarr. num. 81.*) id fieri debeat; potissimùm à viro leui de quo præsumi facilè possit, quod minùs fidus secreti confessionis custos sit.

Cæterùm licet communis illa sententia, tanquam vera in speculatione, nonnunquam in praxi locum habere possit: tamen, *vt monet idem Nauar. in seq. num. 82.* ex Panormit. *ad cit. ca. Omnis utriusque sexus, notabili vltimo*, contrarium ordinariè seruandum est, & quã parcissimè loquendum de auditis in confessione; nó tantùm iis quæ antea positum est cadere sub sigillum sed etiam de aliis quæ aliquando dicuntur in confessione, nullo modo inseruientia accusationi peccatorum: vtpote quæ nec peccata sunt, nec circunstantiæ peccatorum, nec in cognitionem peccatorũ ducunt: quod ex D. Thoma notat Sylu. *confessio 3. quæst. 2.* & ita omnes docere habet Suarez *in cit. sect. 3. num. 10.* Addendo id esse ob scandalum, & pronitatem quæ posset ex consuetudine accidere. Quamquam tamen secluso scandalo Confessarius non prohibetur de eis loqui, nisi id vergeret in damnum Pœnitentis: aut Confessarius ipse intelligeret talia dicta esse à Pœnitente sub secreto, aut certè peccatum eiusdem posset inde colligi; sicut potest si duorum, quos ille audiuit, vnius laudet castitatem: quia videbitur insinuare in altero inesse aliquid vitij contrarij: *prout habet Nauar. in præced. num. 56.* Hic obiter aduerte, ne quidem cum aliis, quos Confessarius scit totum nosse, licitum ei esse loqui liberè de iis, quæ non aliter nouit, quàm ex confessione: quia notitia illa aliorũ, ita est extranea sigillo confessionis, vt ipsum in nullo relaxet: adeo vt sic loquendo, fiat Sacramento iniuria, etiamsi Pœnitenti nulla fortè fieret: vt quia in bonum ipsius fieret, verbi gratia, cõmendando ipsius emẽdationem. Quid autem iuris sit, si aliunde, quàm ex confessione cognouerit, dicetur in proxime sequenti capite. *Nu. 46.*

Documenta ex antedictis deducta.

Sectio Posterior.

CÆterùm multa in particulari solent Doctores ex traditis propositionibus inferre, *præsertim Nauarr. ad idem cap. Sacerdos. à num. 53. & in Enchir. cap. octauo à num. 8.* quæ referre non erit abs re, tanquam documenta practica ex iisdem propositionibus deducta.

Primum est, Confessarios cautissimos esse debere in petendis consiliis super peccata audita in confessione, & in confitendis peccatis, quæ ipsimet commiserint audiendo vel absoluendo Pœnitentes; ne incauti peccatorem de aliquo peccato sibi confessum, detegant. Ac proinde si rei grauitas qualitásque exigat (quod Nauarr. monet *loco cit. nu. 83.*) vt consilium alterius exquirendo detegi debeat peccator, ab *Nu.47.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc petenda est facultas cum illo altero communicandi, ipso qui peccauit nominato ; eoquod non possit talis casus declarari consultori, quin persona quæ peccauit manifestetur : à qua manifestatione abstinendum esset, si ex ea nasceretur scandalum aut notabile damnum immineret confitenti.

Nu.48. Secundum est, infractorem esse sigilli, qui dicit, Ille mihi confessus est grauia peccata, aut habuit casum reseruatum; aut à me dimissus est sine absolutione, quia per hæc peccatum mortale in illo indicatur cùm veniale nec graue dicatur, nec reseruari soleat, nec absolutionem sacramentalem impediat. Neque refert quòd omissio absolutionis de se non manifestet peccatum mortale, cùm ex pluribus aliis causis ea prouenire possit: siue ex parte confessionis, quæ in plures dies interdum producitur antequam absolutio detur; siue ex parte Confessarij, qui ex aliqua leuitate mentis, vel ex distractione non absoluit : siue ex parte Pœnitentis, qui Confessarium sibi non satisfacientem relinquit non acceptâ ab eo absolutione. Hoc, inquam, non refert; quia nostra ætate rarò contingit propter tales causas non absolui confessum, frequentissimè autem, propter aliquod peccatum mortale ; quo obex ponitur absolutioni; itaut dicens se non absoluisse aliquem sibi confessum, statim auditorem adducat in suspicionem quòd alter habuerit peccatum mortale; propter quòd non sit absolutus. Quod notans Nauarrus *ad idem cap. Sacerdos. num.* 64. addit de se satis notum confessionis reuelatorem esse, dicentem non absolui talem, subiunctâ causâ: quia est obstinatus, aut quia non vult restituere, aut quia non vult concubinam relinquere.

Nu.49. Ex quibus difficultas oritur de Confessario, cui vsurarius, peccator alioqui publicus, ordinariè confitetur, sed non absoluitur, quia non habet firmum propositum emendandi se: quid facere debeat, si ei exprobretur quomodo talem audiat, possitne ad vitandam sacrilegij suspicionem respondere, se quidè audire, sed non absoluere. Cui difficultati satisfaciès Sotus *in 4 dist.* 18. *quæst. quarta, art.* 5. *col.* 9. ait in tali casu, & alio simili, non licere aliud dicere (etiam illo mendaciter iactante se absolutum vt habet à Victoria *de sacram. nu.* 186.) *quam, Ipse confessus est mihi, & ego functus sum meo officio erga eum.* Nisi fortè Pœnitès seipse proderet. Vt si hæreticus impœnitens mihi confessus in carcere (inquit Sotus) postea rapiatur ad incendium profitens se in sua hæresi permanere, non est illicitum me fateri quod non absoluerim, maximè addita ratione quod publicus peccator non sit absoluendus, quousque satisfaciat publico scandalo. Quanquam propter periculum scandali, quia putare posset quis, id esse reuelare confessionem, consultius est, idem quod prius respondere; *Functus sum meo officio.* Nam non tantùm violatio sigilli, sed etiam illius suspicio propter scandalum, vitanda est à Confessario. Sicque meritò Nauarr. *in præceden. num.* 54. (*quod etiam habet Henriquez. aliis in margine citatis lib.* 6. *suæ summæ cap.* 21. §. 6.) approbat quod à quodam dictum est, malefacere eum qui dicit, in ciuitate vel oppido vbi audiuit confessiones, grauia peccata committi, esse Sodomitas, vsurarios, incestuosos, &c. quia licèt non reueletur confessio, scandalizantur tamen simplices, putantes per id reuelari. Vnde quamuis talis non peccet contra legem de seruando secreto confessionis, peccat tamen contra legem de non scandalizandis simplicibus, datam Matth. 18. Adde quòd iniustè infamet communitatem.

Nu.50. Tertium est, infractorem esse sigilli, qui audiuit duos vel tres, & de vno ait, Hic non habuit peccata mortalia, quia indirectè significat alios habuisse mortalia, *inquit Nauarr. in Enchir. cap.* 8. *num.* 9. Addens *in sequen. num.* 10. idem esse sentiendum: tum de eo qui confessione audita, statim consulit virum doctum præsentem, à quo quid agendum sit in aliquo casu quærit, & illicò redit, vt Pœnitentem absoluat. Et ratio est, quia per id sufficienter ostendit se graue aliquod peccatum audiuisse : tum de iis qui ita de peccatis in confessione auditis loquuntur, vt audientes possint per coniecturas peccatorem deprehendere: tum etiam de eo qui diceret, Ille bene confessus est, sed alterius confessio mihi non satisfecit : hoc enim de se indicat peccatum aliquod mortale cognitum ex confessione.

Quartum est (de quo Nauarrus consequenter *nu.* 11. *& ad cit. cap. Sacerdos, num.* 65. *atque alij, quorum meminit Henriq. lib.* 6. *cap.* 20. §. 4. *lit. D.*) vocatum ad Eucharistiam porrigendam concubinario, vel vsurario, vel alteri peccatori publico, non debere à Confessario petere An illum absoluerit; cùm is veritatè apertè dicere non possit sine reuelatione confessionis, nisi de licentia Pœnitentis; aut si ipsemet illum audiuit, nec absolnerit; debere se perinde gerere, acsi nihil ex confessione sciret ; ideoque dicere : quia peccatum publicum debet propter scandalum, publicâ pœnitentiâ apud homines purgari ; (*ex Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 8. *de reformatione, & ex cap.* 1. *de Pœnit. & remiss.*) quousque publicè constet te reliquisse peccatum, non debet tibi Eucharistia ministrari. Quoquidem modo non reuelat confessionem, quia proponit impedimentum habens locum etiam in eo qui verè Pœnitens, absolutus esset. Nam ei Eucharistia neganda est illam publicè petenti; nó quidem eo nomine (*vt in præced. num.* 86. *monet Nauarr.*) quòd impœnitens sit; sed quòd non constet de mutato statu peccati, in quo ipsum fuisse palam est. Quam mutationem sibi tantùm ex confessione notâ Confessarius manifestare non potest : manifestaret autem dando ei Eucharistiam, cuius sumptio præexigit confessionem de peccato mortali perpetrato, si copia Confessarij habeatur, quemadmodum declaratum est in Concil. Triden. *sess.* 13. *can.* 11. *Nu.51.*

Obiter nota, quod *in sequenti numero* 101. *&* 102. ex Paludano habet Nauarrus, publicum peccatorem secretò quidem admitti posse ad sacram communionem post secretam Pœnitentiam, etiam ante publicam vitæ mutationem ; non tamen publicè : quia quamuis necessarium non sit publicam pœnitentiam procedere publicam publici peccatoris admissionem ad communionem, oportet tamen publicè constare, quòd ipse vitam mutauerit: vt censebitur, tum alia ratione, tum si Sacerdos, cui confessionem fecit, de ipsius licentia (sine qua non potest) publicaret ipsum verè pœnitere. Nota etiam ab occulto quidem peccatore petente Eucharistiam satis esse intelligere, vtrùm legitimè confessus sit (cui id affirmanti credendum est etiamsi nullum testimonium afferat: *ex §. super confessione in Extrauag. communi. Inter cunctas. De Priuilegiis.*) à peccatore tamen publico intelligendum esse vtrum deseruerit viuendi statum publicè malum. Quod etiam habet Nauarr. *in præced. num.* 85. addens nihilominus *num.* 86. idipsum dictum de peccatore occulto, non impedire quin, vt vtile est, sic etiam rationi cósonum sit, quòd Parochi à suis Parochianis schedulam, aliámve probationem aut indicium petunt ; quo fides fiat ipsos esse confessos, dummodo tamen si dictam schedulam se perdidisse, aut aliquid aliud causentur, quod à vero non abhorreat penitus, eis tandem credant, iuxta memoratam extrauag. *Inter cunctas.* *Nu.52.*

Quintum est (de quo adhuc Nauarr. *ad idem cap. Sacerdos. num.* 68. *& sex sequentibus.* eum non esse confessionis reuelatorem, qui diceret, Audiui Petri confessio *Nu.53.*

fessionem, vel Petri peccata, vel Petrum absolui à peccatis, vel Petrum qui me minutissimis suis peccatis onerauit, vel in quo non reperi peccati mortalis consensum; adde & quod habet Henriquez *lib.* 6. *suæ summæ cap.* 21. §. 1. Dedi ei leuem pœnitentiam. Illum dantem signum contritionis absolui. Ratio est, quia aliquid horum dicens, nullum peccatum mortale siue in genere, siue in specie, nullúmque veniale in specie detectum sibi esse significat; sed tantùm se audiuisse confessionem, & dedisse absolutionem, quod fit etiam coram aliis.

Nu.54. Aduerte tamen quod consequenter admonet Nauar. ibidem *num.* 71. non posse Confessarium prædicta vsurpare, quando quis ita secretò ei confessus est, vt nolit id sciri ab aliquo : vt v.g. à suo Confessario ordinario, qui eo cognito suspicaretur graue peccatum subesse : tunc enim talia dicendo violaretur sigillum, si non confessionis, saltem naturæ ; ad quod confessionem audiens se adstrinxit, aut expressè, si rogatus est à Pœnitente ne mentionem de ea re faceret: aut tacitè, si is ita latenter accessisse notatus sit; vt satis facto ipso ostenderet se nolle sciri, quòd fuerit ei confessus.

CAPVT QVINTVM.

De casibus in quibus licet reuelare aliquid auditum in confessione.

SVMMARIVM.

55 *Communior sententia doctorum est, quòd de licentia Pœnitentis possit Confessarius peccatum in confessione auditum reuelare : & qualem esse oporteat talem licentiam.*

56 *Eiusdem sententiæ fundamentalis ratio.*

57 *Quomodo possit Confessarius aliquid auditum in confessione reuelare de licentia Pœnitentis, cùm non possit de licentia Papæ.*

58 *Illis coram quibus in confessione auditum reuelatur, debet constare de data licentia ; similque adesse notabilis reuelandi causa.*

59 *Non sufficit licentia præsumpta, sed requiritur actu data, saltem tacitè.*

60 *Nec item sufficit licentia debita, si non sit actu data.*

61 *Reuelare potest Confessarius auditum in confessione, si extra eam confitens illud adhuc eidem detexerit.*

62 *Confessarius consilium potest petere sine licentia confitentis, dummodo is inde nullo modo valeat detegi.*

63 *Non impeditur Confessarius detegere id quod audiuit in confessione, si illud adhuc aliâ viâ didicerit, siue ante, siue post eamdem confessionem.*

64 *Peccatum est nihilominus mortale, dicere se tale quid nosse ex confessione ; aut illud certius dicere propter confessionem, quam cognitum sit extra eam.*

65 *Propositum peccandi, in Sacramentali confessione declaratum, cadit sub hoc sigillum, etiamsi confitens illud emendare nolit.*

66 *Confessio facta animo peruertendi Confessarium non inducit sigillum Sacramentale: inducit autem facta animo accusandi se, quantumuis perseueretur in aliquo malo proposito.*

67 *Non nascitur Sacramentale sigillum ex eo, quòd coram Confessario flexis genibus, & facto signo crucis aliquid ei aperiatur, dicendo, Aperio tibi in confessione.*

68 *Quid agendum Sacerdoti, cui obiicitur, quòd confessionem auditam reuelauerit.*

NVnc est istiusmodi casus ; cùm scilicet Pœnitens dedit licentiam reuelandi audita: de quo in vtramque partem rationes adfert Medina *in Cod. De Confessione. quæst.* 49. & tam authores, quàm rationes proponit Nauar. *ad cap. Sacerdos. De Pœniten. Distinct.* 6. *num.* 153. *& aliquot seq.* ac etiam Suarez *tom.* 4. *disput.* 33. *sect.* 5. *nu.* 5. & 6. nempe, cùm Pœnitens Confessario dedit licentiam audita reuelandi.

Partem autem affirmantem, tum iidem, tum cæteri recentiores communiter amplectuntur ; quos cum antiquioribus satis magno numero commemorat Henriquez *in summa Theologiæ moralis, lib.* 6. *cap.* 23. §. 1. *lit. D.* Inquiunt enim esse licitum de licentia Pœnitentis reuelare audita in confessione, dummodo eadem licentia sponte omnino, atqueadeo sine vi, metu, aut deceptione sit data à Pœnitente; idque in suam, vel alterius vtilitatem spiritalem, aut temporalem non contemnendam ; vt admonet & declarat Nauar. *loco cit. num.* 157. & 158. itaut Iudice cogêre reum dare Sacerdoti licentiam dicendi peccatum ei detectum in confessione, nefas sit reuelare eâ datâ perinde ac non datâ. Similiter si Pœnitens suâ quidem sponte licentiam det, sed in suam, vel alterius perniciem, vel ad iocum tantùm & recreationem, *vt Nauar. addit in seq. num.* 159. Quò etiam pertinere censeri potest abusus, cuius meminit Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 6. *col.* 4. quòd laborans zelotypia dat conditionem vxori, vel ab ea accipit, vt ipsa confiteatur alicui Sacerdoti, cui faciat potestatem reuelandi, num adultera sit, an pudica; id enim cedere potest in damnum spirituale fœminæ, quæ vt extra cõfessionem, sic in confessione impudenter se pudicã esse mentiri potest. Ob quam rationem, ne quidem si fœmina sponte omnino licentiam concederet, deberet Confessor reuelare illud, quod scit tantùm ex confessione. Sicut nec cùm rogaretur à confitente detento in carcere, vt innocentiam, quam ex sua confessione cognoscit, testificetur Iudici. Nam & inde sumi potest occasio mentiendi in confessione; nec talis testificationis vsus esse potest in iudicio, in quo non creditur reo suum crimen neganti. Testificatio autem illa non erit aliud, quam declaratio, quòd reus neget crimen de quo accusatur. *Nu.55.*

Explicatio casus in quo de licentia confitentis potest Confessarius aliquid in confessione auditum reuelare.

SECTIO PRIOR.

IAm cur proposita sententia, meritò videatur contrariæ præferenda, ratio est, quòd in tali casu cessaret fundamentalis ratio obligationis seruandi secretum confessionis; erat enim, ne confessio ex eius retum confessionis; erat enim, ne confessio ex eius reuelatione fieret fidelibus odiosa : vbi autem constat, reuelatione fieret fidelibus odiosa : vbi autem constat, Confessarium reuelare Confessionem de licentia Pœnitentis sponte ab ipso, & in ipsius, vel alterius Pœnitentis sponte ab ipso, & in ipsius, vel alterius vtilitatem data, nulli inde potest confessio reddi vtilitatem data, nulli inde potest confessio reddi odiosa; cùm cuique constet in tali casu suam sibi relinqui libertatem concedendi, vel negandi talem licentiam; & eam limitandi pro arbitrio. Deinde si quid impediret quominus iusta de causa Pœnitens posset aliis peccatum suum reuelare per Confessarium, sicut potest per seipsum ; maximè esset, quòd obligatio celandi confessionem inducta sit, non in solius confitentis fauorem, sed totius populi Christiani, ne is à tam necessario salutis remedio retraheretur, ideoque non sit liberum cuique tali iuri cede- *Nu.56.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

re, cùm *ex cap. Si diligenti. De foro competenti.* nemo possit iuri in fauorem publicum inducto renuntiare. At hoc non impedit, quia axioma illud iuris intelligitur, cùm fauor publicus directè respicit ordinem, vel statum, vel officium, vel dignitatem personarum (vt ille de quo mentio est in illo capitulo, non respondendi coram Iudice sæculari, respicit statum Clericalem) non autem cùm directè respicit personam; vt fauor ille de non reuelanda confessione, qui respicit directè personam cuiusliber confitentis, tanquam peccatoris; qui quatenus talis, *vt constat*, non est in aliquo ordine, vel statu, vel officio, vel dignitate cõstitutus. Id quod Medina *in cit. quæst. 49. argum. 2.* pro hac sententia vrget. Accedit ex Nauar. *loco cit. nu. 156.* nihil detrahi dicto fauori per eum de quo agimus modum permittendi confessionis reuelationem, imò potius addi; tum ex parte Pœnitentis; quia cùm aliquando necessarium sit Confessarium alios consulere super ipsius statu, si id ille facere non posset de ipsius licentia, ipsemet Pœnitens cogeretur extra confessionem per se consulere, quod grauius esset quàm dare eam de qua agimus licentiam. Tum ex parte Sacramenti, quia propensiores efficiuntur homines ad confitendum, cùm certò sciant suam confessionem nunquam alicui detegendam sine ipsorum consensu; imò neque cum eo, si aliquatenus fuerit ipsis damnosum, sed tantùm cùm expedierit ipsis, ad eum solum finem quem ipsi voluerint, & fuerit ipsis vtile, nec aliter.

Nu. 57 Cæterùm ex eodem Medina sub finem eiusdem quæst. ideo licentia confitentis sufficit in hac re, non obstante præcepto naturali, & diuino de seruando confessionis secreto; quoniam ea data, illud super quo datur, eatenus desinit esse materia eiusdem secreti, quatenus ipsa super illo datur: sicut cùm creditor terminum solutionis prolongat, in quo se solutorum debitor ei iurauit, solutio, quatenus facienda in eo ipso termino, desinit esse materia iuramenti. Itaque lex naturalis, & diuina de non reuelanda confessione, intelligenda est cum exceptione casus in quo datur à confitente licentia reuelandi: quandoquidem in tali casu cessat causa obligationis celandi, prout expositum est. Id quod non vsuenit, si Papa etiam de tota sua potestate, det licentiam reuelandi; iuxta illud quod ante habitum est num. 11. ex ipsius dispensatione nunquam posse Confessarium auditam confessionem reuelare. Itaut in hac re idem contingat, ac cùm Petrus iurauit se Paulo certum debitum liquidum soluturum intra præfixum aliquem terminum. Nam licentia Papæ de vlterius differenda solutione, non releuat eundem Petrum à periurio; licentia autem per Paulum data releuat. Quod etiam annotans Medina *ibidem in responsione ad primam rationem*, quædam adhuc notatu digna pro praxi addit, *sub finem cius. quæst.*

Nu. 58. Primum est Confessarium non posse confessionem reuelare, nisi illis, coram quibus reuelatur, constet de data licentia à confitente; cùm alioqui sit periculum scandali, & odij confessionis.

Secundum est, dari debere præfatam licentiam propter aliquod notabile bonum procurandum, vel malum euitandum, quod præponderet famæ Pœnitentis: cùm alioqui neque data vti liceat, propter eadem incommoda quæ prius proposita sunt.

Nu. 59. Tertium est, non sufficere talem licentiam præsumptam esse, sed requiri vt actu data sit: quia reuelans confessionem ex sola licentia præsumpta, de se facit eam odiosum. Quanquam non videtur necessarium vt sit actu expresse data, sed sufficere potest vt sit actu data tacite: quod Iacobus quoque à Graphiis notat *in lib. 1. decis. aurearum, cap. 23. num. 13.* Ratio verò est, quia istiusmodi quoque licentia omnem rationem scandali & odij confessionis tollit, vt ex se patet. Exemplum est, quod prædictus author adfert, si confitens mandauerit Confessario post suum obitum hæredibus dicere, vt restituant quædam, quæ aliis debet.

Nam quamuis nihil expresserit de reuelatione fraudis, propter quam obnoxius fuit restitutioni, & hæredes facile sint de ea suspicaturi, tali mandato audito: ipsum tamen executioni mandare licet; quia illud dans simul, tacitè saltẽ, iusta de causa dedit facultatem reuelandi eandem fraudem, inquantum ex eiusdem mandati executione potest in illius notitiã deueniri: argumento *cap. Præterea. De Offic. deleg.* vbi sub finem habetur, ex eo quod causa alicui committitur super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam ipsum recipere potestatem.

Quartum est neque licentiam debitam, si non sit actu data, sufficere ad licitè reuelandam confessionem: quia non sufficit ad tollendum scandalum & odium confessionis: atque licet in distrahendis rebus temporalibus sufficiat domini consensus debitus, vel præsumptus quando actualis sufficeret: non sufficit tamen in administrandis sacramentis, vt patet ex his, aliisque similibus exemplis. Nam in receptione baptismi (quamuis cætera necessaria adsint) si baptizati consensus actualis delit, qui simul adesse debet, grauiter peccatur, nihilque validè efficitur. Item in matrimonio, quod Petrus dolosè contrahit cum Bertha sine actuali consensu, quem deberet habere, grauiter peccatur, nec validè contrahitur. Itaque vt in reuelatione confessionis sacramentalis non peccetur, non est satis quòd casus adsit, in quo Pœnitens debeat in eam consentire, nisi actu consentiat. *Nu. 60.*

Aliqui casus, in quibus sine licentia confitentis, licet reuelare aliquid auditum in confessione.

Sectio Posterior.

Nu. 61. ADiunguntur præcedenti alij casus, in quibus licear, etiam non petitâ à confitente licentiâ, reuelare aliquid auditum in confessione: vt secundus sit, *quem attigit idem Medina in eadem quæst. 49. corol. 1.* si ipsemet confitens extra confessionem illud detexerit; quia tunc non est materia secreti, quod sub sigillo confessionis necessariò seruandum sit. Nam si Pœnitens illud quod in confessione dixit, idem extra eam, siue antè, siue pòst voluerit reuelare Confessario, tanquam amico, & independenter à confessione; confert notitiam irreuocabilem, nec facere potest, vt ipse illud sciat tantùm ex confessione; adeóque teneatur illud seruare secretum sub sigillo confessionis. Quocirca poterit tale quid sine licentia ipsius confitentis reuelare, eodem modo quo potest cætera quæ sunt secreti naturalis.

Nu. 62. Tertius casus esse potest, quem habent Syluester *Confessor 3. quæst. 5.* & Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 6. col. 4.* cùm Sacerdos indigens consilio circa peccatum auditum, consulit virum doctum. Nam sine licentia Pœnitentis potest illud petere, dummodo persona quæ peccauit nequeat inde venire in notitiam. Probatur *ex cap. Officij. De Pœnit. & remiss.* vbi non reprehenditur legatus petens consilium de peccato, quod tacitâ in particulari peccantis persona, asserit se in confessione cognouisse. Addit Sotus, quòd si confitens nollet Confessarium tale consilium capere, is non

non posset vltra procedere, sed illum sine absolutione dimittere.

Nu. 63. Quartus casus (*de quo in seq. quæst. 50. Medina disputat in vtramque partem*) est: quando Confessarius ea quæ per confessionem nouit, adhuc aliâ viâ didicit: quo casu post D. Tho. *in 4. distinct. 21.* omnes ad vnũ (*teste Nauar. ad cap. Sacerdos. De Pœnitentia distinct. 6. num. 161.*) consentiunt Confessarium dicere posse, imò superiore iubente teneri dicere, quæ per confessionem nouit quidem, sed adhuc aliâ didicit viâ; dummodo illa perinde dicat, ac si per confessionem nullatenus nouisset: nimirum cauendo, ne quid proferat vnde certitudo maior, vel circumstantia aliqua habeatur, tantùm ratione notitiæ prouenientis ex confessione. De qua re authores aliquot refert Henriquez *lib. 6. sue summæ cap. 20. §. 4. lit. C.* Eáque procedit, siue Confessarius talia nouerit antequam confessio fieret, siue postea. Confirmatur autem ex incommodis quæ ex illius contrario sequerétur: nempe confessionem esse à Christo institutam in præiudicium publicæ iustitiæ; siquidem qui de veritate sufficienter cognita testificari debuit, per auditam confessionem impediretur id facere. Item dolum & fraudem alicui ratione confessionis patrocinari: vt si latro calicem furetur coram Sacerdote; & ei statim confiteatur de eodem peccato, ne ipsum denuntiare, aut de ipso testificari possit. Præterea criminosus confiteretur suo Prælato; ne sufficienti cognitione de ipsius crimine habita per testes omni exceptione maiores, sententiam in eum proferat. Denique contingere posset innocentem ratione confessionis plecti, nocente dimisso. Si enim duobus, quorum alter Sacerdos sit, videntibus delinquat tertius, qui statim confiteatur eidem Sacerdoti: & alter non Sacerdos delinquentem accuset coram Iudice, dicens talem Sacerdotem posse idem testificari: qui Sacerdos si veritatem neget interrogatus iuridicè, faciet puniri accusatorem tanquam reum falsi testimonij; nocentem verò liberari: quæ omnia manifestum est incommoda esse.

Si quis opponat, *in cap. Sacerdos. De Pœnitent. dist. 6. & in cap. Omnis vtriusque sexus. De Pœniten. & remiss.* dari præceptum de celanda confessione, nullâ factâ mentione talis vel alterius casus. Occurrunt Medina & Nauar. ille *in cit. quæst. 50.* & hic *in sequenti num. 163.* rationem cogere nos ista exceptione vti, propter absurda quæ essent alioqui admittenda, vt patet ex dictis: sicut & cùm Ecclesia præcipit in eodem cap. Omnis vtriusque sexus, vt peccator semel in anno confiteatur omnia sua peccata, non excipit quidem venialia; ratio tamen cogit nos excipere ea: quia tale præceptum esset alioqui valde durum, ob grauissimam pœnam, quæ illius transgressori imponitur: immo impossibile esset ob innumeram multitudinem & varietatem eiusmodi quotidianorum peccatorum. Pro vitando autem scandalo, vt Medina addit, Confessarius debet in tali casu dicere modum quo scit illud quod reuelat: nempe quod viderit perpetrari, aut quod perpetratum esse reuelatione hominis fide digni extra confessionem acceperit.

Nu. 64. Indicare autem nullo modo debet, se per confessionem quoque Sacramentalem id scire: quia peccaret mortaliter, vt ex Scoto habent Angel. & Sylu. ille *verbo Confessio vltimo num. 7.* & hic *eod. verbo 3. quæst. 5.* quia scilicet in eo sigillum certo modo violatur. Addúntque idem esse dicendum (mortaliter inquam peccare) si extra confessionem sciat semiplenè, & reuelet plenè, sicut nouit ex confessione: vt si extra confessionem nouit tantum dubiè, & reuelet certò & indubitanter, sicut ex confessione nouit. Id quod Nauar. approbat *in Enchir. cap. 8. num. 15.* inquiens eam esse sententiam omnium Doctorum.

Quintum casum Angelus & Syluabidem ponunt, *Nu. 65.* cùm quis confiteatur peccatum aliquod à se perpetrandum, nolens mutare tale malum propositum. In quo casu non modò ipsi, sed etiam ante ipsos, nobiles Theologi & Canonistæ, *quos Sotus commemorat in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 5. col. 12.* sentiunt Confessarium non teneri talem confessionem celare, quia non est Sacramentalis; vtpote quæ non est facta de peccatis commissis, quæ sunt Sacramenti Pœnitentiæ materia; sed de committendis. Verumtamen videtur cum Soto ipso dicendum, eam sententiam niti infirmo fundamento. Nam illud ponentes concedunt non posse reuelari confessionem eius qui de peccato commisso confitetur, cum proposito perseuerandi in illo: vnde sequitur neque posse reuelari factam de committendo; quia vtrobique adest peruersa voluntas peccandi in futurum. Neque quod in vno eorum casuum, nondum sit perpetratum peccatum sicut in altero, impedit quominus sub sigillum similiter cadat illud quod sacramentaliter confitendo fuerit dictum: quia in vtroque illo casu peccatum, siue præteritum, siue futurum præsens est similiter in depraũata voluntate proponentis perpetrationem eius, ac similiter confessio in vtroque eodem casu inualida est, ob defectum propositi emendationis.

Tenendum est igitur cum eodem authore, & pluribus aliis, quos refert Henriquez *in summa Theol. moral. lib. 6. cap. 21. §. 3. lit. N*, propositum casum posse tantummodo locũ habere, cùm quis ex modo procedendi aduertitur non confiteri animo acculandi se, sed Confessarium peruertendi, mouendique ad malum: quia talis non est censendus intentionem habere confitendi. Quod idem Sotus confirmat ex eo, quod aliquando Romæ contigit: vt quidam Cardinalis conspirationem moliens in Summum Pontificem, confiteretur alteri Cardinali ea intentione vt illum in suam coniurationem traheret. Re enim postea per aliam viam comperta, Cardinalis ille, qui confessionem audierat, accusatus est ac mulctatus, eoquod rem non detexisset. Quo facto Summus ipse Pontifex significauit rem detegi potuisse in tali, alióque simili casu. Quotiescumque autem constiterit aliquem confiteri Sacramentaliter, id est, per modum accusationis coram Deo, etiamsi habeat sinistrum propositum, reddens confessionem inualidam, sigillum est seruandum: vt si quis ad confessionem accedat duellum initurus cum altero; aut aliquem manifestè pernicioſum occisurus priuata authoritate, putans talia licere: nec à Confessario admonitus, quòd talia sint peccata mortalia, volens à proposito desistere; quamuis absoluendus non sit, tamen illius confessio est celanda tanquam Sacramentalis; quandoquidem per solam propositi mutationem absque alia confessione (tanquam contritus scilicet & confessus) absoluendus esset. *Ita Sotus in sequenti col. 13.*

Nu. 66.

Sextus casus (*de quo plures authores Henriquez refert loco citato, litera P, & nos etiam attigimus in cap. 1.*) est; quando Pœnitens sine proposito confitendi, & absolutionem obtinendi dicit Sacerdoti; Hoc tibi apesorio in confessione: etiamsi dicat flexis genibus & fronte signo crucis signata. Id enim ex communi sententia, *teste Nauar. in Enchir. cap. 18. num. 55.* ad Sacramentalem confessionem non sufficit: ideoque illa detectio, cùm Sacramentalis non sit, obligat tantùm eo secreti vinculo, quo alia facta extra confessionem. *Nu. 67.*

Hîc addere possumus cum Iacobo à Graphiis, *in lib. 1. decis. aurearum, cap. 23. num. 22.* extra casus prædictos, in dubio Confessarium debere semper inclina- *Nu. 68.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

re ad seruandum secretum vt euitet scandalum, & onus probandi. Nam, vt idem addit *in sequen. num. 23. ex Sylu. Confessio. 3. quæst. 9.* si quis dicat Sacerdotem reuelasse confessionem, & ipse concedat se tale quid, quale obiicitur, dixisse; debet ipse ostendere vnde illud nouerit extra confessionem. Cæterùm si neget se quidquam tale dixisse, negatio ipsius admittenda est, aduersus alterius affirmationem; cùm non minus ei credendum sit, quàm alteri. Sin dicat se licentiam reuelandi à Pœnitente habuisse, idem Iacobus *in præced. num. 15. & 16.* secutus Hostiensis, Decij, & Lapi doctrinam, distinguit inquiens, quòd si ille qui obiicit confessionis reuelationem sit tertius à Confessario & Pœnitente diuersus, eidem incumbere onus pronbadi factam esse reuelationẽ sine Pœnitentis licentia. Cui oneri satisfacere censebitur, si ostendat, quòd idem Sacerdos simpliciter reuelauerit, aut se reuelasse dixerit pluribus, nihil addendo de habita reuelandi licentia. Si verò ille qui confessionis reuelationem Sacerdoti obiicit, sit peccator qui ei cõfessus est, secus fortè esset: *vt idem author addit ex Hostiensi ad cap. Omnis vtriusque sexus. De Pœnit. & remiss.* Sed mihi probatur quod aliquot aliis citatis habet Alphon. à Vualdo *in Candel. aureo. cap. de sigillo confess. nu. 39.* tunc standum esse ipsius Sacerdotis iuramento, maximè si vir probus sit, & bonæ famæ; cùm de nullo (maximè de Sacerdote) præsumendum sit malum sine probatione. Atque reuerentia Sacramenti (ne scilicet temerè credatur sigillum ipsius fractum) exigat, vt in dubio declinetur in Confessarij fauorem: nisi id quod obiicitur sit dictum, aut factum ab eodem Confessario, in Pœnitentis aut alterius detrimentum; *De qua re Henriquez, & Suarez,* ille *in sua summa lib. 6. cap. 19. in fine*: & hic *tom. 4. disputat. 33. item in fine.*

CAPVT SEXTVM.

De obseruatione sigilli Sacramentalis in ordine ad complices Pœnitentis.

SVMMARIVM.

69 *Quomodo illicitum sit Confessario Pœnitentem interrogare de complicibus.*
70 *Quod nec authoritas Prælati, nec zelus diuinæ gloriæ, talem interrogationem reddat licitam.*
71 *Quomodo & quando possit eiusmodi interrogatio licita esse.*
72 *Confessarius peccatum complicis in confessione detectum reuelare non potest sine consitentis licentia, cum ea autem, potest.*
73 *De eadem licentia potest complicem ipsum corrigere.*
74 *Potest quis alicui certo Sacerdoti confiteri ad obtinendum ab eo auxilium aduersus complicem.*
75 *Non potest Confessarius aliquem inducere ad sibi confitendum, vt inde acquirat notitiam aliorum quos corrigat.*
76 *Non potest in eum ipsum finem de persona complicis interrogare confitentem: sed est arbitrio suo relinquendus.*
77 *Requisita vt confitens possit vti opera Confessarij ad corrigendum complicem.*
78 *Quando teneatur confitens vti opera Confessarij ad correctionem complicis.*
79 *Quando possit, aut etiam teneatur Confessarius complicem de licentia confitentis corrigere.*
80 *Eadem ratione qua potest Confessarius complicem corrigere, potest & denuntiare denuntiatione paterna, non autem iudiciali.*

81 *Eodem modo quo licet vti industria Confessarij ad corrigendum complicem, licet quoque vti ad vitandum aliquod malum, vel bonum aliquod procurandum iusta de causa.*

QVæ spectant ad obseruationem sigilli Sacramentalis respectu Pœnitentis, satis patent ex antedictis. Cùm verò ipsum extendatur ad huius complices, antequã finem faciamus, aliquot documentis ostendendum est, quatenus respectu eorumdem complicum sit seruandum: præmisso quod habet Henriquez *in lib. 6. summæ Theologiæ moralis cap. 25. à §. 2.*

Prælatum haud posse à Pœnitente exigere, aut *Nu. 69.* ipsum interrogatione, vel iniecto scrupulo inducere, aut per præceptum, vel comminationem, vel suspensionem absolutionis impellere, vt sibi manifester alienam personam, quando id nullo modo necessariũ vel opportunum esset ad præsens iudicium, pro exoneranda sufficienter conscientia confitentis. Quin potius, tanquam doctor, ex proprio munere debeat monere sponte manifestantem, ne alienam personam nominet, nec historias narret; sed simpliciter puréque tantùm dicat ea quæ faciunt ad manifestanda peccata, quibus sentit conscientiam grauatam; nisi fortè indigeret consilio & auxilio ad se in futurum à peccato protegendum aduersus eamdem tertiam personam. Cuius doctrinæ fundamentum idem author ponit, quòd sit contra charitatem (quã debemus proximum sicut nosipsos amare) vt in tali re faciamus alteri, quod nollemus nobis fieri. Imò & contra rectam rationem, quæ apertè dictat illud *quod Tobiæ 4. sanctus pater præscribit filio.* Quod oderis ab alio tibi fieri, caue ne tu aliquando facias alteri:] quódque suis omnibus Dominus noster iniungit Matth. 7. Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.]

Neque tale factum excusari potest per authoritatem Prælati: quoniam ad iudicium quod per illam exercetur in foro interno, non alia persona, nec alia peccata pertinent quàm Pœnitentis: vt ex eo constat quòd tantummodo illi, & de ipsius peccatis propriis detur absolutio. In foro autem externo, non licet interrogare de peccatis, quorum non præcessit accusatio, vel infamia quæ accusationis locum teneat, *per citata a Nauar. in Enchir. cap. 18. num. 38.* itaut interrogatus non teneatur alioqui respondere ad mentem interrogantis, tanquam non procedentis iuridicè. Nec etiam potest tale factum excusari per zelum, quo Prælatus moueatur, diuinæ gloriæ; quia tale medium (vtpote periculosum, ideoque illicitum; cùm sit inductio, ad occultè detrahendum de alio sine iusta causa) tam est ineptum ei fini, quàm mendacium. Itaque confessiones audiens existimet se satis functum suo munere, si confitentem reconciliet Deo, & disponat ad perseuerantiam in bono. Alia autem occulta relinquat vniuersali sententiæ Christi; inscrutabili interea iudicio permittentis multa mala fieri, ac sinentis per ministros peccatores officia vtilia, etiam Ecclesiastica, exerceri; sicut & olim per Iudam proditorem. Cauere igitur debet Confessarius ne interrogando fallat rudes & inexpertos, mouendo sic eis scrupulum; vt existiment se non plenè confiteri nisi complicum peccata, etiam occulta, detegant. Atque si aliqua talia per suam aut confitentis imprudentiam cognoscat, debet se perinde habere, ac si ex confessione nihil didicisset, committens Deo remedium malorum, quod adferre, non est ipsi commissum. *Nu. 70.*

Quamquam, vt idem auctor *ibidem. §. 9. pluribus aliis citatis* addit, non prohibetur Pœnitens, si velit, quan

quantumcumque non compellatur præcepto, aliqua accusare seu denuntiare Prælato ad promouendum commune bonum, vel vtilitatem propriam. Ratio est, quia licitum est, commune priuato, & proprium alieno præponere. Quamquam prudenter cauendum est, ne iniustè, aut contra charitatem proximus lædatur.

Nu. 71. Neque etiam prohibetur Confessarius ad vtilitatem Pœnitentis, vt ad dandum ei auxilium, vel consilium, auditis aliquibus peccatis generaliter interrogare de complicibus *(ad instar sciuceri Iudicis qui viso homine occiso, generali interrogatione inquirit à præsentibus quis eum occidit)* non quidem animo curioso, nec compellendo per præceptum aut comminationem; sed amicè rogando vt dicat si velit, quod se posse licitè ac tutò dicere iudicat. Nam in eo nihil amplius facit, quàm cùm audiens generalem totius vitæ confessionem, pœnitente de aliquo peccato confitente, de alio quod tacere posset (tanquam de eo iam aliàs sufficienter confessus) interrogat ad finem melius dirigendi ipsum in via salutis.

Iam verò, si quid sit quod confitens teneatur dicere ad manifestationem peccati sui, aut circunstantię mutantis eiusdem peccati speciem *(de qua re idem auctor pluribus, & dicendum erit in sequenti parte, cum agetur de confessionis integritate)* tunc licet Confessario prudenter interrogare, etiamsi per accidens inde secutura sit notitia tertiæ personæ; nisi charitas exigeret eam esse vitandam ob notabile illius damnum. Cuius doctrinæ ratio esse potest, quòd alioqui perplexus esset Confessarius; cùm ex officio teneatur Pœnitentis in confitendo supplere defectus. Quod si dubia sit talis obligatio Pœnitentis; quia dubium consequenter erit, an Confessarius possit vti eiusmodi interrogatione, ille ab ea abstinere deberet; cùm illicitum sit id agere, de quo dubitatur, an sit licitum.

Documenta de re proposita.

Nu. 72. PRimum autem documentum de re proposita *(sumptum ex iis quæ Suarez disputat tom. 4. disput. 34. sect. 3.)* est: Confessarium eodem sigillo teneri secretum seruare circa peccatum complicis, quod Pœnitens suum confitendo detexerit; quo tenetur circa idipsum Pœnitentis peccatum. Istud satis constat ex dictis in præcedenti cap. 4. indéque consequens est, non esse licitum Confessario, absque Pœnitentis licentia, tali notitia vti ad aliquem vsum, quo persona eiusdem complicis prodi possit; quia id esset sigillum frangere. De licentia autem Pœnitentis, posse Confessorem illâ vti in bonum eiusdem Pœnitentis (& præsertim id postulante spiritali ipsius necessitate; vt ad eum ipsum defendendum aduersus importunam infectationem complicis, conantis inducere ad peccandum) patet ex eo quòd licentiã interueniente non frangatur sigillum, iuxta antedicta in principio proximæ præcedentis capitis.

Nu. 73. *De qua re pluribus Suarez, loco citato.* Qui & *in sequenti sectione 4. disputat*, An liceat Confessori Pœnitentis prædicta licentiã vti ad corrigendum complicem, vel ipsius delictum impediendum ad aliorum bonum. Partem autem affirmantem sequitur pluribus aliis pro ea citatis: confirmátque ex eo, quòd tale quid non sit contra sigillum confessionis, vt patet ex iam dictis, neque iure aliquo positiuo sit prohibitum: nullum enim tale assignatur. Nec etiam rationi aduersetur, cùm id non minus, imò & magis rationi consentaneum sit (propter maximam scilicet sigilli huius vim. *de quã in præced. cap. 2.*) quàm extra confessionem absque intentione detrahendi, peccatum alterius mortale detegere alicui viro timorato, cui dicere perinde est ac non dicere; coquod non oberit, & fortè proderit. Id quod licitum esse habet Nauar. *in Enchir. cap. 18. num. 35.* Immo ea est communis omnium sententia, *vt notat Petr. à Nauar. in lib. de restit. cap. 4. num. 275.*

Obiicienti autem quòd confessio sit ordinis superioris; vtpote facienda ex Christi institutione, præceptóque supernaturali: correptio verò fraterna sit ordinis inferioris, tanquam facienda ex naturali rationis dictamine; ideóque illam non esse medium ad hunc finem proportionatum.

Respondendum est, quod *in lib. 5 summæ Theologiæ moralis, cap. 10. §. 1. attigit Henriquez*, correptionem fraternam esse quoque faciendam ex institutione & præcepto Christi *Matth. 18.* Et inter fideles eam non solùm esse ex charitate naturali, sed etiam ex charitate infusa, quæ obligat ad diligendos proximos altiori modo, quàm pura natura obligaret. Vnde fit vt si necessitas proximi vrgeat (inquit Suarez *in eadem sect. 4. num. 19.*) charitas possit obligare ad vtendum confessione, alióue medio supernaturalis ordinis ad eam subleuandam. Adhæc non est incommodum, vt superius ordinetur ad inferius, tanquam ad finem proximum, ordinatum vlterius ad aliquid vtroque eo dignius v. g. ad gloriam Dei; ad quam solet correptio fraterna vltimò referri. Id patet ex eo quòd incarnatio verbi Dei ordinata sit ad nostram salutem, quæ etsi longè inferior sit, illius tamen finis est debitus: quia salus ipsa nostra ad Dei gloriam ordinatur: in cuius rei confirmationem alia exempla habet Henriquez *in sequenti lib. 6. cap. 24. §. 1.*

Secundum documentum *(quod ac sequentia tangunt tam Henriquez in prius citato cap. 10.* quàm Suarez *in eadem sect. 4. num. 14.* & deinceps) licitum esse Pœnitenti velle alicui Sacerdoti confiteri, vt sibi & cõplici, per illius industriam remedium quærat; nam vtrumque est charitatis officium, nihilque sanctitati sacramenti repugnat. *Nu. 74.*

Tertium est; non esse licitum Superiori, & multominus alteri Sacerdoti, procurare alicuius confessionem sibi fieri, vt per illam acquirat notitiam aliorum quos possit corrigere. Nam siue id fiat necessitatem imponendo per præceptum, aut per reuocationem totius iurisdictionis ad se, siue suadendo aut petẽdo, reddit confessionem, vt onerosam, sic & exosam, cum periculo tum scandali, si Pœnitentes intelligant per suas confessiones quæri notitiam peccatorum alienorum: tum sacrilegij quo peccata aliqua taceantur in confessione. Quamquam tamen, si Cõfessor simpliciter ac ordinario modo, bonáque fide fungẽs suo munere intelligat aliquid ex confessione, nihil obstat quin opus sit charitatis complicem de eo corrigere dummodo id fiat de licentia Pœnitentis, prudenter seruatis debitis circunstantiis. *Nu. 75.*

Quartum est, non esse propter finem hunc correctionis, à Pœnitente interrogandam personam complicis in particulari, sed expectandum esse vt ipse sua sponte illam declaret; neque Confessarium seipsum statim offerre debere ad eandem correctionem faciẽdam, quantumcumque eam conuenientem, aut etiam necessariam esse intelligat. Huius ratio est, ne Pœnitenti aliquod scandalum præbeatur, per quod ei fiat odiosa confessio, aut exponatur periculo infamandi proximum absque necessitate: & quia fortasse potest per seipsum talem correptionem facere, aut vult vti opera alterius, quam putat aptiorem. Interrogari nihilominus potest generaliter, ac etiam debet, num existimet complicem sui peccati, *Nu. 76.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

egere aliqua sua correctione: Nempe vt intelligatur, num ea ex parte aliquam ipse obligationem habeat, cui satisfacere compellendus sit. Vbi tamen cauendum est, ne aliquid ab eo exigatur tanquam debitum ex obligatione præcepti, ad quod non constet ipsum reuera tenci; alioqui enim grauiter peccaretur, siue contra iustitiam adstringendo illū ad id ad quod nō tenetur: siue contra charitatem, inducendo ad cōplicem ipsum infamandum apud tertiū, nulla forte necessitate tale quid exigente ad ipsius emendationem.

Nu.77. Quintum est, vt Pœnitens licitè possit vti industria Confessoris ad complicem emendandum per correctionem, requiri per se, & sufficere; ex parte quidem complicis, vt talis correctionis aliqua sit moralis necessitas: Nam si vel ilie iam est emēdatus, vel nulla est probabilis ratio timendi nouum illius lapsum, non est facile infamandus. Ex parte Pœnitentis verò: tum vt probabiliter putet se per se non sufficere ad faciendam talem correctionem; si enim per se sufficeret, sine causa infamaret ipsum complicem: tum vt speret eam cōrectionem esse vtiliter faciendam per talem Confessarium; alioqui enim frustra ad id assumeretur. Quod si adhuc his concurrentibus aliqua occurrant quæ impediant; ea per prudentiam cauenda sunt. Nam de illis, cùm accidentalia sint, nihil potest determinatè statui.

Nu.78. Sextum est, præter iam dicta, vt Pœnitens teneatur vti industria Confessarij ad emēdationem complicis per ipsius correctionem, requiri quòd tanta sit necessitas eiusdem complicis, vt charitas Pœnitentem ipsum obliget ad ei subueniendum, siue per se, siue per alium, eo quo potuerit modo: prout accidit in casu grauis necessitatis, sic vrgentis, vt alioqui sit de nouo lapsurus in graue peccatum; vel notabile damnum illaturus proximo. Vbi aduerte, neque in tali necessitate teneri vti Confessarij industriā, sed posse vti opera alterius; nisi tales circunstantiæ occurrerent, quæ ost ēdant moraliter ad id necessariam esse Confessoris industriam: vt quando in tali occasione, vel loco, nullus alius ob penuriam hominum prudentium offertur idoneus, aut qui possit sicut Confessarius, non tantùm consilio, sed etiam auxilio impedire nouum delictum, aut proximi detrimentum secuturum. Aduerte item, neque in necessitate, quâ tenebitur Pœnitens Confessoris vti operâ, compelli id facere interuentu confessionis, sed posse rem extra confessionem ei proponere; nisi talis esset, qui videretur non seruaturus secretum naturæ, quod minus est secreto confessionis. Non enim debet cum tanto infamationis periculo subuenire proximo, cùm potest illud vitare: vt ex hypothesi censetur posse, committendo rem sub confessionis sigillo. Regulariter autem magis expedit, vt Pœnitens rem aperiat extra confessionem quàm in confessione, vt Confessarius possit liberiùs munere suo fungi in corripiendo; non est tamen ad id cogendus, nisi in casu in quo secreta correptio non esset sufficiens.

Nu.79. Septimum est, iisdem conditionibus quibus dictum est Pœnitentem posse vti industriā Confessarij ad correctionem complicis, dicendum pariter esse quòd possit Confessarius talem commissionem acceptare & exequi. Nec enim licitè ab eo peteretur, si licitè acceptare & exequi nequiret. Obligationem autem ad id Confessarius habere potest: vel ex charitate, vt quando grauis necessitas proximi vrgeret; vel ex iustitia, vt quando Confessarius est proprius pastor complicis (cuius spiritalem salutem tenetur ex officio procurare) & prudenter iudicat suam correctionem medium esse ad eam necessarium.

Nu.80. Octauum est, de licentia Pœnitentis Confessarium posse procedere, vt ad correctionem complicis, sic etiam ad illius denuntiationem paternam; si ad hanc etiam expressè detur talis licentia, non autem ad denuntiationem iudicialem.

Ratio est, quia per denuntiationem paternam ad Superiorem acceditur solùm vt ad patrem; qui non potest inde procedere ad inquisitionem in subditum, aut inferre illi aliquod detrimentum; sed solum consilio, precibus, & operā iuuare, séque prudenter cum eodem gerere remouendo ab illo occasiones peccati quàm occultissimè, vitandóque omnem occasionem malè suspicandi de Pœnitente ipso denuntiato, cauendóque in seipso nimiam facilitatem credendi; aut motum subitum, quo suum subditum denuntiatum pudore afficiat, aut aliàs malè tractet. Denuntiationem verò iudicialem tenetur Pœnitens per seipsum facere, quia ad eam requiritur, vt denuntians notus sit Iudici, & quantum potest publicam ei notitiam conferat: quæ tamen obligatio respectu Pœnitentis qui particeps est criminis, vix contingere potest, quia nemo seipsum in iudicio denuntiare tenetur: quod moraliter loquendo faceret denuntiando complicem. Potest autem sæpe contingere respectu eorum quorum non fuerit socius criminis: & tunc suæ obligationi debet satisfacere per seipsum: quod si non possit, vel excusabitur; vel certè, si bonum commune non relinquat locum excusationi, per alium faciet, cui rem communicet extra confessionem.

Nu.81. Postremum est, eodem modo quo ad corrigendum complicem vti licet industriā Confessarij, licere quoque ad vitandum aliquod magnum nocumentum, aut ad procurandum aliquod magnum bonum honesta de causa. Sic (*aut Suarez sub finem eiusdem 4. sectionis*) adultera potest per Confessarium monere socium criminis, vt is se in tuto collocet, eo quod maritus ei mortem machinetur. Item si duo fuerint socij in furto, & vnus eorum morti vicinus restituit, potest per Confessorem monere complicem, vt intelligat vel se esse liberum, si toto restituto, partem eidem complici remisit: vel illam ipsam partem esse suis hæredibus restituendam. Quibus casibus similes alij excogitari possunt. Atque hæc hactenus de Confessario. Laus Deo.

LIBER

LIBER QVARTVS.

DE POENITENTE.

PRÆFATIO.

EADEM methodo, qua antea de Confessario, dicturi de Pœnitente, trademus primò quæ in eo antecedere oportet Sacramenti Pœnitentiæ vsum: nempe conditiones sine quibus non censetur eiusdem Sacramenti capax; & præparationes quibus ad præfatum vsum debet se disponere; cuiusmodi sunt ex parte quidem intellectus, conscientiæ examen; ex parte verò voluntatis, excitatio ad eumdem vsum. Trademus secundò rationem qua debet ad eum ipsum vsum concurrere, exequendo rei, & accusatoris, testísque munera. Tertiò demum, quæ incumbunt ei agenda post talem vsum: cuiusmodi (præter gratiarum actionem vsurpandam imitatione Leprosi, qui *ex D. Lucæ cap.* 17. vt vidit quia mundatus est, regressus est cum voce magna magnificans Deum, & cecidit ante pedes Domini Iesu gratias agens) sunt: tum impletio Pœnitentiæ à Confessario impositæ, de qua commodiùs dicetur in sequenti parte, cùm de satisfactione: tum executio concepti propositi emendandi vitam: tum demum opera quorum vsum emēdatio vitæ exigit: nimirum oratio, ieiunium, & eleemosyna. Complectetur ergo hic liber in prima quidem parte capita sequentia. Primum de conditionibus requisitis in Pœnitente, vt censeatur capax Sacramenti Pœnitentiæ. Secundum de examine eidem vsui præmittendo ab eodem Pœnitente. Tertium de excitatione voluntatis ad talem vsum. Quartum de ratione qua Pœnitens ad eumdem vsum concurrere debet. Quintum de executione propositi emendandi vitam, concepti in illo ipso vsu. Reliqua verò in tribus reliquis partibus; quarum secunda erit de oratione, tertia de ieiunio, & quarta de eleemosyna.

CAPVT PRIMVM.

De conditionibus requisitis in Pœnitente, vt censeatur capax Sacramenti Poenitentiæ.

SVMMARIVM.

1. *Conditio vsus rationis, & quomodo ea deprehendatur adesse.*
2. *Conditio susceptionis Baptismi.*
3. *Conditio notitiæ necessariorum ad salutem, siue agendorum, siue credendorum.*
4. *Conditio intentionis suscipiendi tale Sacramentum.*

Nu.1. PRÆMONENDVM est hominem in hac tantùm vita capacem esse Sacramentorum: quia instituta sunt vt medicamenta humanæ naturæ: postquam autem homo per mortem ad æternæ gloriæ terminum peruenit, non est amplius talium medicamentorum capax: cùm, tanquam nullo modo obnoxius morbis, non habeat opus Medico: damnatus verò, tanquam æger omnino desperatus; medicamentis foueri non debet. Ad quam vitæ conditionem, in Pœnitente, vt capax sit Sacramenti Pœnitentiæ, quatuor alias accedere oportet; quarum prima est (quæ à natura suppeditatur) vsus rationis tanquam necessarius ad exercendam in praxi Pœnitentialis fori, Pœnitenti incumbentem contritionem & confessionem.

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sed aduerte difficultatem esse quando talis vsus contingat pueris. Quod enim cum glosa *ad cap. 1. De delictis puerorum.* communiter assignatur septimus annus, procedere quidem potest quoad forum externum; in quo locus est præsumptioni: non tamen quoad internum, in quo veritas exigitur: & in rei veritate, alij citiùs ad rationis vsum, seu discretionem inter bonum & malum, alij tardiùs perueniunt, vt experientia docet: septennium autem non nunquam præueniri, patet ex puero illo quinquenni, quem D. Gregorius *in lib. 4. Dialog. cap. 18.* refert blasphemantem in sinu patris suffocatum esse à Dæmone. Itaque res diiudicanda relinquitur viro prudenti ex indiciis quæ puer ipse ostendit discretionis inter bonum & malum: vt si verecundetur ob malefactum: aut si interrogetur, liceátne innocenté interficere, aliena inuadere, Superiori maledicere, & alia eiusmodi & respondeat negatiuè: aut interrogatus an bonum sit pauperi esurienti panem porrigere, Ecclesiam adire ad seruiendum Deo, & alia similia, respondeat affirmatiuè: quemadmodum *in Enchir.* Nauarrus *cap. 21. num. 33. annotat.* Quæquidem indicia si adsint ante primum septennium, existimandum est adesse etiam capacitatem peccandi mortaliter, atque confitendi, etiam sub obligatione præcepti Ecclesiæ dati in *cap. Omnis vtriusque sexus De Pœniten. & remiss. prout notatum est à Syluestro Confessio 2. quæst. 5.* Si verò necdum adsint talia signa expleto ipso septennio, iudicandum est necdum adesse capacitatem, & obligationem ad hoc Sacramentum, ex Hostiensi in summa *tit. de delictis puerorum. §. Patet.*

Nu. 2. Secunda conditio est, suscepisse Christi baptismum, cuius necessitas satis intelligitur ex eo quod Concilium Triden. *sess. 14. cap. 2.* statuit Ecclesiam in neminem iudicium exercere, qui non priùs in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Domesticos autem fidei, quos Christus Dominus lauacro baptismi, sui corporis membra semel effecit, si se postea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito baptismo ablui, sed ante hoc tribunal (Pœnitentiale intellige) tanquam reos sisti voluit. Vnde constat (quod etiam habetur *ex sequenti cap. 5.*) Sacramenti Pœnitentiæ materiam esse sola peccata post baptismum commissa: quibus cùm careat nondum baptizatus, censeri non potest capax talis Sacramenti. Adde quòd nec sit aliorum sacramentorum, *ex cap. Veniens. De presbyt. non baptizato.*

Nu. 3. Tertia conditio requisita ex parte mentis, est hãc imbutam habere notitiã necessariorum ad salutem; nempe tum communium mandatorum Dei, & Ecclesiæ: quæ qui ignoret inter Catholicos viuens, rarus est, cùm modus procedendi bonorum satis talia inculcet: tum etiam præcipuorum mysteriorum Christianæ religionis (qualia sunt quæ in symbolo Apostolorum traduntur credenda ab omnibus) eorum saltem quæ ab Ecclesia solemnizantur institutione festorum; *vt ex D. Thoma Nauarrus habet in Enchir. prælud. 4. num. 19. & cap. 11. num. 18.* Rationem de illis erudiendi rudes, habes *in præcedenti lib. 2. cap. 13. sect. priore.* Causa autem necessitatis istiusmodi conditionis, hæc reddi potest; quòd Pœnitentiæ Sacramentum de se (vnde dicitur sicut & baptismus, sacramentum mortuorum) instituatur ad peccatoris Deo mortui reuocationem ad vitam: atque adeò ad perducendum ipsum ex statu perditionis ad statum salutis: cui rei obstat ignorantia, siue memoratorum mãdatorum, de quibus dictum est à Domino *Matth. 19.* Si vis ad vitam ingredi, serua mandata] siue præcipuorum mysteriorum credẽdorum fide catholica, cùm item dictum sit à Domino. *Marci vltimo.* Qui non crediderit, condemnabitur.] Nam quæ ignorantur, seruari non possunt; & multo minus supernaturali fide credi: quomodo enim, *vt habet Apostolus ad Rom. 10.* credent ei quem non audierunt?] Itaque talem ignorantiam depellere negligens, absoluendus non est, tanquam destitutus sufficienti proposito emendationis, cùm in eo peccet mortaliter, *ex Nauarr. in cit. num. 18.* & probatur ex detrimento quod per id animæ suæ, infert contra charitatem quam sibimet propter Deum debet.

Quarta conditio requisita ex parte voluntatis, est *Nu. 4.* intentio positiua suscipiendi sacramentum, quod ex Christi institutione Sacerdos administrat audita cõfessione. Huius necessitas ostenditur à simili, quia *ex cap. Cum pro paruulis. De consecr. distinct. 4. & ex cap. Maiores. de Baptismo. (de qua re Suarez. tom. 3. disput. 14. sect. 2. dicto 1.)* in adultis inualidus est baptismus ex defectu intentionis illum suscipiendi. Quare erit & Pœnitentiæ sacramentum ex simili defectu; præsertim cùm de se non requirat tantùm passionem suscipientis vt baptismus, sed etiam exigat actiones, per quas peccata sua retractet, & Ecclesiæ clauibus subiiciat propria voluntate: quam voluntatem dicimus intentionem suscipiendi Pœnitentiæ sacramentum: cuius impulsu illæ ipsæ actiones (contritio inquam, & confessio) exerceantur. Non est autem necesse intentionem esse actualem: sed sufficere potest virtualis, quam præcesserit actualis non retractata, ratione cuius ipsa Sacramenti susceptio censeatur moraliter volũtaria: hinc iuxta *cap. Ægrotantes. De consecrat. dist. 4.* vt baptismi, sic Sacramenti Pœnitentiæ capaces sunt, qui oppressi morbo, destituuntur vsu rationis, quando ipsi testimonio amicorum habuerunt præcedentem voluntatem ea Sacramenta suscipiendi.

Quod idem dicendum est de lapsis in phrenesim vel amentiam, *ex Sylu. in verbo Baptismus. 4. quæst. 14.* qui bene monet, quòd si necessitas non vrgeret, sed sperare tur reuocatio ad sanam mentem, differenda esset administratio Sacramenti; vt ipsum reciperetur cum actuali intentione.

CAPVT SECVNDVM.

De examine conscientiæ vsui Sacramenti Pœnitentiæ præmittendo à Pœnitente.

SVMMARIVM.

5 *Quid sit examen conscientiæ, & quæ illi præmittenda.*
6 *Ratio instituendi examen conscientiæ.*
7 *Examen conscientiæ debet cum diligentia fieri.*
8 *Non esse necessarium vt tanta fuerit ea diligentia, quin maior adhiberi potuerit.*
9 *Quid requiratur, vt sufficiens adhibita esse censeatur, duæ sententiæ extremæ.*
10 *Media cum Nauaro tenenda.*
11 *Ratio habenda est personæ, & aliarum circunstantiarum; in determinanda sufficientia talis diligentiæ.*
12 *Eiusdem diligentiæ defectus suppleri potest per interrogationes Confessarij.*
13 *Quando id procedat, etiamsi confessurus existimet se non adhibuisse sufficientem.*
14 *Quid sit agendum cum eo, qui confitetur se non adhibuisse diligentiam sufficientem in examinanda conscientia.*

EXAMEN

Nu. 5. EXAMEN conscientiæ dicitur discussio actionum vitæ nostræ in particulari, factâ earum comparatione cum diuinis præceptis; vt corrigamus ea quæ in illis mala esse deprehenderimus. Ante quod (tanquam magni momenti opus) oportet seipsum colligere, & in illius initio, Deum considerare præsentem, ipsúmque adorare cum magna reuerentia, gratias ei agendo de multiplicibus beneficiis ab eo acceptis; tum naturæ, qualia sunt creatio, conseruatio, gubernatio, & peculiaris prouidentia: tum gratiæ; cuiusmodi sunt Christi incarnatio, merita, actiones, labores, tormẽta, & mors nostri causa: item vocatio ad Christianissimum, Sacramentorum institutio in remedium languoris animæ nostræ; & præparatio æternæ gloriæ. Oportet item Dei implorare auxilium ad examen ipsum pro rei dignitate instituendum, ad ipsius gloriam, & animæ nostræ salutem.

Nu. 6. Instituendi autem ratio esse potest: vt seruato ordine temporum, locis in quibus versati sumus, & personis cum quibus conuersati sumus, ac negotiis quæ gessimus in memoriam reuocatis; expendamus quæ ab vltimo simili examine nostro, cogitata sunt à nobis, dicta, vel facta, aut omissa contra virtutes exercendas, siue erga Deum, vt contra fidem spem, charitatem, religionem quibus Deo debitus cultus redditur. Siue erga nosipsos, vt contra charitatem qua nosmet moderatè, & propter Deum amamus; item contra temperantiam, qua frænamus illicitas cupiditates: & fortitudinem, qua timori & audaciæ imponimus modum; patientiam qua in aduersis, & humilitatem qua in prosperis rebus moderationem retinemus: mansuetudinem, qua reprimimus impetum iræ; & pœnitentiam quâ debemus dolere de peccatis ad eorum expiationem. Siue denique erga proximum, vt contra charitatem fraternam, per quã illum sicut nosipsos amamus, zelum item animarum quo harum salutem ad Dei gloriam procuramus, benignitatem, qua æquo animo ferimus & condonamus acceptas iniurias; iustitiam; qua reddimus vnicuique quod suum est; libertalitatem & misericordiam, qua subuenimus indigenti nostra ope, taciturnitatem, veritatem, affabilitatem, simplicitatem, prudentiam, & modestiam, quibus conuiuimus aliis cum ea qua par est ædificatione, circumspectione, moderatione, animique candore: pietatem denique, & obseruantiam, ac obedientiam, quibus reddimus parentibus, & Superioribus debitum honorem, reuerentiam, & obsequium.

Ex quibus diuersis virtutibus distinguuntur diuersorum peccatorum species, explicandæ in confessione, vicibus quibus contigerint additis, ea ratione qua suo loco in sequenti parte exponetur, cùm de ipsa confessione ex instituto dicetur. Sed quia non omnes ita valent ingenio aut pollent doctrinâ, vt possint in particulari statuere quæ habere debeant pro commissis, vel omissis contra aliquam virtutem seu datum de ea præceptum, catalogus eorum quæ censentur eius generis esse, texi solet pro minus idoneis ad tale exercitium, vt habeant vnde discutiendo conscientiam cognoscant quę ex cogitatis, dictis, vel factis illam de se ita grauent, vt tanquam peccata exprimi debeant in confessione. Eorum catalogus continetur longa serie interrogationum in præced. libro secundo cap. 3. à sect. 4. propositarum, quas sicut Confessarius Pœnitenti, ita & hic sibimet intra se facere potest.

Nu. 7. Quod igitur hîc addendum restat de eodem examine, sunt ex traditis à Nauar. *ad cap. Fratres. De Pœniten. dist. 5. à num. 66.* sumpta documenta quædam de diligentia adhibenda in illo faciendo iuxta statutum Conc. Trident. *in sess. 14. cap. 5. & can. 7.* ac etiam iuxta rectæ rationis dictamen. Etenim ratio naturalis dictat, iustam curam, & neque maiorem neque minorem, quàm oporteat, vnicuique adhibendam negotio. Quapropter, cùm Sacramentalis confessio perpetratorum peccatorũ, negotiũ sit notabile, fit vt ea exigat, notabilẽ diligẽtiam in rememorandis iisdem peccatis: nec censeri debet facta prout par est, cùm non fuerit ei præmissum sufficiens conscientiæ examen: maxime cùm huius defectum sequi soleat in confessione defectus integritatis necessariæ ad illius validitatem: quandoquidem, loquendo moraliter, impossibile est (*vt bene notat Canus in relect. De Pœniten. part. 6.*) confessionem integram fieri, nulla posita diligentia in examinanda conscientia.

Documenta de diligentia ponenda in faciendo examine conscientiæ.

Nu. 8. PRimum est, vt Pœnitens censeatur feeisse sufficiens conscientiæ examen, non requiri vt summa quam in ea re potuit, adhibuerit diligentiam, nec vllo modo adhibere potuerit maiorem: quia id nunquam inuenitur præceptum à Deo, neque consentaneum est, & dicto Domini nostri *Matth. 11.* Iugum meum suaue est, onus meum leue.] Etenim cùm nemo tantam diligentiam ad idipsum adhibeat, quin absolutè maiorem adhuc adhibere possit, nunquam obtineretur conscientiæ quies: quod durissimum est.

Nu. 9. Quid autem requiratur, Nauar. ipse bene explicat, tenens mediam quandam sententiam inter duas extremas: quarum prior, vt plurimùm recepta (*inquit idem auctor in cit. num. 66.* pro ea citans Sotum & aliquot alios) est, illam in præsenti negotio diligentiam sufficientem esse, quæ talis est, qualem pro re ardua in memoriam reducenda, Pœnitens adhiberet: aut, *prout à Maiore expressius traditum idem Nauar. addit*; si homo confessurus, talem præmisit diligentiam reuocandi sua peccata in memoriam, qualem adhiberet, si orationem aliquam esset coram viris eruditis habiturus, aut de multa pecunia impensa domino vigili & auaro rationem esset redditurus. Quam sententiam idem author *ibidem num. 74.* reiicit: quia etiamsi velimus, vix tamen possumus tantâ curâ peccata nostra recogitare: quantâ orationem coram eruditis habendam parare: vel rationem dati & accepti Domino vigili & auaro reddere. Nam ad habendam in his diligentiam, iuuat naturalis propensio hominis ad honores, & diuitias, qua in eis parandis appetitus irascens exacuitur ad superandas omnes difficultates & molestias mediorum quibus parantur. Ad habendam verò in examine conscientiæ diligentiam, reuocat propensio ad delectationes, quâ appetitus concupiscens excitatur ad recogitationem peccatorum, tanquam malum quoddam auersandum; vtpote dantem tristitiæ & doloris occasionem. Accedit quod Conc. Triden. vbi suprà, dicens diligentem sui discussionem, non autem diligentissimam, meritò censeatur indicare mediocrem diligentiam in proposito examine sufficere, neque summam quam exempla illa insinuant, requiri; præsertim cùm si talis requireretur ad validam confessionem, pauci essent è vulgo, qui non tenerentur hactenus factas confessiones tanquam inualidas iterare. Si quis obiiciat præparantem se ad confessionem discussione conscientiæ, comparari mulieri, quę perditâ drachmâ, euerrit domum, donec inueniat eam. *Luc. 15.* Respondendum est *cum Cano in relect. de Pœniten. parte sexta*: id quidem esse, quod optimi faciunt:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciunt:sed hîc tradi,quid ad fructum Sacramenti Pœnitentiæ consequendum facere debeant , vel imbecilles.

Posterior sententia (pro qua Gersonem & Caiet. Nauarr. cirat) est:modicam diligentiam adhibitam in discutienda conscietia ad hoc sufficere,vt non sit necesse confessionem iterari, nisi talem discussionẽ adeò crassam & supinam esse contingat , vt videri possit in ea tacitè affectata esse truncatio ipsius confessionis,de cuius integritate parum curatum fuerit. Quæ sententia reiicitur , ex eo quod puritati conscientiæ non debeat rationis deesse iudicium, *ex cap. non solium. De regularibus in 6.* atque rationis iudicium postulet,vt cùm peccatorum omnium integra confessio sit res magni momenti,nec modicæ difficultatis;ad eam sicut par est perficiendam, requirarur discussio conscientiæ ita diligens , vt leuem ac modicá superet:quandoquidem in re graui leuiter & in difficili,sine cura & solicitudine se gerere , alienum est à ratione.

Nu 10. Tenenda igitur est cum Nauar. sententia media:de qua sit,secundum documentũ.Ad confessionis validitatem requiri diligentiam in examinanda conscientia mediocrem; ex qua scilicet Pœnitẽs iudicetur verè diligens fuisse;non verò quasi perfunctoriè talem discussionem peregisse. Quodquidem iudicium relinquitur viro prudenti:itaut oporteat istiusmodi diligentiam tantam esse,quanta(*inquit Nauar. ad citatum cap. Fratres.num.75.*) prudenti viro & humano more estimanti,videtur esse vt plurimum sufficiens hominibus Deum timentibus,ac mediocrem animæ suæ curam gerentibus, qui sint eiusdẽ conditionis,cuius est Pœnitens , qui in examinanda conscientia illam adhibet ; dummodo is bona fide putet illam pro sua fragilitate mediocrem esse : vt potest putare,iuxta Francis. à Vict. *in summa De sacram. num.161.*cùm taliter examinauit, vt etiamsi amplius examinaret per aliquod tempus non recordaretur aliquorum aliorum peccatorum mortalium;non verò cùm per paruam diligentiam vlteriorem veniret in cognitionem huiusmodi peccatorum , quorum nõdum meminit.Idem docet Canus *in relect. De Pœniten.parte 6.*illud clariùs dicens. Quod si putem nullum aliud peccatum venturum mihi in mentem,nisi forte ingenti quadam discussione , & magni temporis inquisitione , me oportere non esse solicitum, eo quod satis sit diligentia illa mediocris & humana.]

*Nu.*11. Tertium documentum est, in ferendo iudicio de sufficienti examine confitentis,habendam esse rationem conditionis personæ & cæterarum circunstantiarum, sicut habetur in omni alio iudicio, quo prudens de medioctitate in actu humano seruanda determinat,iuxta Aristotelis *lib.2.Ethic.cap.6.* receptissimá sententiá.Hoc itaq; modo(*ex Nauar.ibid.nu.71.*) iudicandum est , eum qui crebrò confiterur non teneri tantam vice qualibet curam adhibere in discussione conscientiæ,quantam qui rarò : neque eum qui paucis aut paruis implicatur negotiis , quantam qui multis & magnis : neque idiotam qui nescit perscrutari,quantum qui doctus est,& nouit loca , & latebras vbi peccata inueniat. Cæterùm ex Cano *in eadem parte consequenter* : si quis sufficientem diligentiam se feciſse credat, sed fallatur, à peccato mortali negligentia illius excusatur , si sit homo pius , habẽs mediocrem animæ suæ curam:non autem si impius, quem nulla animæ suæ cura tangit, & cui minima in hac re diligentia videri solet maxima,neque affectus est animo ea ratione,qua ille qui nulla de causa velit saluti suæ deesse.

*Nu.*12. Quartum documentum est;illud quod diligentiæ positæ in discutienda conscientia deest ne illa censeatur mediocris,posse per interrogationes Confessarij , suppleri sufficienter ad hoc vt satisfiat memorato præcepto Concilij Triden. *sess. 14. cap.5. de diligenti conscientiæ discussione præmittenda Confessioni*; atque vt confessio ipsa censeri possit integra &valida.Hos Nauar. *in sequen.num.76.*deducit ex eo quod Confessarius,qui suspicatur Pœnitentem sine iusta peccatorum præmeditatione ad confessionem accedere, debeat diligenter interrogare, prout præscribitur *in cap.1. De Pœnitentia distinct.6. §. Diligens.& in cap.Omnis vtriusque sexus. De Pœniten. & remiss. per illa verba,* Diligenter inquirens,& peccatoris , & peccati circumstantias.]Quod si non faciat, credens Pœnitentem,nisi interrogetur, taciturum aliquid necessariò confitendum,peccabit mortaliter , vt idem Nauarr. *ad eundem §. Diligens.* confirmat per cap.Iudicantem, cuncta rimari oportet, & ordinem rerum plena disquisitione inquirere]30.*quæst.5.*Cui addi potest quòd Iudex ex officio suo debeat supplere defectum , ne alioqui iudicium reddat nullum:argumẽto *cap.Causam 1. De iudiciis.* neque nos debeamus sanctum dare canibus,nec margaritas nostras proiicere ante porcos]*Matth.7.*

Quintum est, *quod Nauar.ad idem cap.Fratres.num.* 80.*& 81.vult ex præcedenti deduci.* Aliquam Pœnitentis confessuri diligentiam de se non sufficientem, posse sufficientem fieri adiuncto proposito & voluntate respondendi,obediendique Confessario,quẽ scit de more interrogaturum, & putat virum esse in ea re industrium.Vnde fit vt vulgares homines , qui nesciunt peccata sua per propria eorum loca quærere seu conscientiam suam,discutere circa cogitationes, verba,& opera,& affectus varios, quibus in Deũ vel proximum,vel seipsum peccatur transgressione præceptorum Dei,vel Ecclesiæ , existimandos esse diligentiam sufficientem habuisse in examinando se , si aliquantulam posuerint, adiuncto prædicto proposito respondendi Confessario, simul cum bona fide, qua putent se satisfacere obligationi , quam habent confitendi præuia diligenti conscientiæ discussione: itaut alia sit ratio eius qui bonam partem propositi integrè confitendi ponit in interrogationibus confessarij:& alia eius qui proponit adeo industriè Confiteri,vt Confessarium leuet onere interrogandi,aut qui putat se parum aut nihil à Confessario interrogandum. *Nu.*13.

Sextum est , (*de quo idem Nauarr. in seq. num.*83.) quando confitens ait se non reduxisse in memoriam sua peccata prout debebat , videndum esse num id dicat, quod credat se non adhibuisse in discutienda conscientia diligentiam,quam integritas confessionis exigit,an verò quòd ad instar S. Iob. *cap.9.* vereatur omnia opera sua ex timorata quadam conscientia, vt communiter vsuenit bonis mentibus, quarum est ibi culpas suas agnoscere , vbi non sunt. *cap. Ad eius. distinct.5.*Atque si hac posteriore de causa dicat, aut quia non omnia venialia siue maiora siue minora (de quibus non tenetur confiteri) in mẽtem reduxit,ipsum posse sine scrupulo audiri confitentem,& auditum (*nisi aliud obstet*) Sacramentaliter absolui. Sin autem priore de causa dicat,distinguendum esse:nam vel vrget necessitas , non permittens tales interrogationes fieri : nempe vrget conflictus belli,aut morbus grauis, aut naufragium , aut aliud simile periculum imminens mortis,siue naturalis,siue violentæ,aut etiam notabile scandalum, tũcque Pœnitens similiter & audiendus & absoluendus est, dummodo aliud non obstet. Vel nulla vrget necessitas,& tunc debet Confessarius videre , num suis interrogationibus eam, quam Pœnitẽs ipse qualemcumque *Nu.*14.

cumque adhibuit diligentiam,reddere possit mediocrem;siue videat se posse , postquam id præstiterit, absoluet:sicut in præcedentibus casibus.Quod si videat Pœnitentem confessurum , nolle interrogari; vel etsi velit quidem,adeo tamen nihil præmeditatum venire : vt etiam cum interrogationibus vnius & responsionibus alterius , non sit futura integra confessio;tunc neque audiet , neque absoluet : sed suauiter allicier , humanitérque persuadebit , vt antequam confiteatur, conscientiam pro sua capacitate discutiat,quantum saltem sufficiat , vt per opportunas interrogationes iuuari possit ad faciendam confessionem integram,& ad vitandum illum sufficientis diligentiæ in examinanda conscientia defectum,quo redditur inualida.

CAPVT TERTIVM.

De excitatione voluntatis ad vsum Sacramenti Pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

15 *Damna quorum consideratione voluntas excitari potest ad vsum Sacramenti Pœnitentiæ.*
16 *Commoda contraria, quorum consideratio ad idem valet.*
17 *Ratio qua talis excitatio fit.*
18 *Nouem vtilitates,quarum consideratione potest eadem voluntas promoueri.*
19 *Quæ possint ab vsu Sacramenti Pœnitentiæ voluntatem auertere,cum remediis aduersus eadem.*

POst peractum conscientiæ diligens examen,notatis peccatis de quibus facienda est confessio, oportet illa abominando,& proposítum de illis in posterum cauendis firmum concipiendo,recurrere ad diuinam misericordiam,& petere veniam, próque ea consequenda excitare voluntatem ad vsum Sacramenti Pœnitentiæ,à Christo in eum finem instituti. Ratio autem excitandi esse potest,seria consideratio ex vna parte grauissimorum damnorum,quæ peccatum mortale infert animæ;ex altera parte verò summorum commodorum quæ ex eiusdem peccati eliminatione ab anima Sacramentum Pœnitentiæ adfert eidem , virtute sanguinis Christi.

*Nu.*15. Peccatum enim mortale (*vt cætera taceam de quibus in lib.2.cap.3.sect.5.& 6.*) inprimis animam mortaliter vulnerat,iuxta illud *Iacobi* 1.Peccatum cùm consummatum fuerit generat mortem]*æternam nimirum*, non quidem naturalem , quæ nec quærentibus eam & desiderantibus concedetur , iuxta illud Apoc. 9. In diebus illis quærent homines mortem,& non inuenient eam,& desiderabunt mori , & mors fugiet ab eis] sed mortem moralem,consistentem in carentia omnis solatij, & in abundantia omnis desolationis,Deo armante creaturam ad vltionem inimicorũ, ex *Sapien.cap.5.* Deinde peccatum tanquam ex putrescente vlcere scaturiens sanies fœdissima, deturpat animam, itaut abominabilis sit coram Deo , & Sanctis ipsius,iuxta illud *Psal.* 52. Corrupti sunt , & abominabiles facti sunt in iniquitatibus.]

*Nu.*16. Præterea vinctam, constrictámque tenet animam in manibus Diaboli,iuxta illud *Prouerb.5.*Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.] Denique quod præ omnibus exhortandum est, reddit eamdem animá Deo exosam,iuxta illud *Psal.5.* Odisti omnes qui operantur iniquitatem] *& illud Sapien.* 14. Similiter odio sunt Deo,impius,& impietas eius.]

Ex aduerso verò,Sacramentũ Pœnitentiæ à Chri- *Nu.*16.
sto institutum ad consequendam peccatorum remissionem quam nobis sacrosancti sanguinis sui effusione promeruit , primò (*quasi infuso in animæ vulnera pretiosissimo eiusdem sanguinis balsamo*) sanitatem ei adfert;iuxta illud 1. *Petr.*2. Qui peccata nostra ipse pertulit super lignum,vt peccatis mortui,iustitiæ viuamus,cuius liuore sanati estis.] Secundò illius sordes omnes,quibus Deo,& Sanctis quasi nauseam parit,abstergit;iuxta illud 1.*Ioan.*1.Sanguis Iesu Christi Filij eius, emundat nos ab omni peccato.] Et illud *Apoc.*1. Dilexit nos,& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.] Tertiò illam à captiuitate diaboli liberat, iuxta illud 1.*Petr.*1. Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis:sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi,&c.]& illud *Apoc.*5. Redemisti nos in sanguino tuo.] Denique reconciliat illam Deo,iuxta illud *ad Rom.*5. Cõmendat autem charitatem suam Deus in nobis,quoniam cùm adhuc peccatores essemus , Christus pro nobis mortuus est.Multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius,salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius,multò magis reconciliati,salui erimus in vita ipsius.]

Ex qua bipertita consideratione excitanda est vo- *Nu.*17.
luntas:primò ad amorem tam benigni erga nos Domini,qui cùm Angelis peccantibus non pepercerit, 2.*Pet.*2. tantá vsus est erga nos peccatores misericordiá. Deinde ad studium suscipiendi cum omni reuerentia,pietate,& diligentia tam dignum,támque salutare Sacramentum ; agnoscendo quòd etiáſi Deus ad animarum nostrarum curationem vtatur ministerio Sacerdotis;in huius tamen scientia,vel prudẽtia, aut experientia non esse nitendum , sed potissimùm in Dei auxilio:ideóque ipsum humiliter ab eo postulandum,& nihilominus curandum vt iis conditionibus instructus Sacerdos eligatur,quibus sit idoneus non tantum ad absoluendum, sed etiam ad dirigendum nos in via salutis:ad quod vtrumque Deus vtitur ministerio ipsius. Promoueri autem potest tale studium extensione considerationis ad speciales vtilitates tribus ante memoratis comprehensas , quales sunt propositæ à Toleto *lib.6.instruct.Sacerd.cap.*11.

Prima est augmẽtum gratiæ, cuius minimum gra- *Nu.*18.
dum habere,eligibilius est,quàm totum mundũ possidere, propter gloriam æternam in futura vita ei respondentem.

Secunda remissio pœnarum Purgatorij , quarum minimæ , nulla quantumuis sæuissima huius vitæ pœna,æquari potest,saltem ob æternæ gloriæ dilationem quam habet coniunctam , Id quod Suarez *tomo 4.disput.46.sect.3.* latè explicat.

Tertia est debilitatio inimici per gratiæ augmentum,quo contra carnem,spiritus robustior efficitur: vt & per salutaria Confessarij monita , quibus obuiatur Diaboli fraudibus.

Quarta emundatio animæ , qua peccatum non sinitur in ea radices altiores agere , nec in habitum vitij transire.

Quinta merendi facultas, quæ non datur nisi repurgatá ab omni mortali peccato animá.

Sexta conscientiæ tranquillitas ex spe consecutæ veniæ per sacramentum à Christo institutum ad remissionem peccatorum.

Septima minus periculum moriendi in malo statu;cùm accedente ad confessionem sacerdotali absolutione , anima in bono statu constituatur , nisi

Universidad de Deusto
Biblioteca

obicem posuerit.

Octaua maior notitia suarum infirmitatum: eam enim parit discussio conscientiæ in examine, quod præmittendum esse, antè diximus.

Nona leuamen grauis fastidij quod sentitur, quãdo vrgente necessitate faciendæ confessionis, vsus illius fuerit alicui insolitus: nam tunc eam non minus auersatur ac reformidat, quam æger potionem amaram, quam rarò sumit.

Nu.19. Cæterũ quæ ab vsu Sacramenti Pœnitentiæ auertere posse videntur sunt. Primò, pudor peccatorum admissorum. Secundo, horror Pœnitentiæ. Tertiò, metus alicuius infamiæ incurrendæ. Quartò, difficultas restituendi id quod iniustè retinetur. Quintò, desperatio alicuius peccati vitandi, vt lubricitatis, vel adipiscendæ virtutis contrariæ, vt castitatis. Postremò, difficultas & labor in facienda, vt par est, confessione.

Aduersus quorum primum opponere oportet confessionem fieri Deo cognoscenti omnia: Confessariò verò, non nisi vt locum illius tenenti. Item multo magis verendam esse confusionem, quæ in die iudicij in conspectu omnium hominum continget nobis, nisi peccata nostra per confessionem deleantur. Aduersus secundum, ponere oportet ob oculos cruciatus Christi, & Sanctorum Martyrum, itémque gehennæ tormenta, & supplicia æterna. Aduersus tertium, æternã damnatorũ ignominiam. Aduersus quartum, iacturam bonorum æternorum, & summam damnatorum miseriam. Aduersus quintum excitanda est confidentia in Christi gratia quæ in ipso Sacramento confertur, & in præsidio Beatissimæ Virginis, Angeli custodis, & Sanctorum quos voluerimus adhibere patronos. Aduersus postremum inculcare oportet labores, curas, & molestias, quę suscipiuntur: tum pro comparandis & conseruandis rebus ad hanc vitam fluxam & caducam necessariis, cui vita æterna est multis nominibus anteponenda; tum etiam pro morbis propulsandis: cùm mors animæ, quam peccatum mortale adfert, multo plus timenda vitandáque sit, quàm mors corporis proueniens ex morbis. Vnde monet Christus Dominus *Luc.* 12. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.]

CAPVT QVARTVM.

De ratione qua Pœnitens debet ad vsum Sacramenti Pœnitentiæ concurrere.

SVMMARIVM.

20 *Contritio à Pœnitente pro suo rei munere exercenda cum dolore, pudore, & timore.*
21 *Vnde oriantur dolor & pudor.*
22 *Vnde timor.*
23 *De proposito non peccandi, quod iidem affectus conciunctum habere debent.*
24 *Varietas diuinorum beneficiorum, quorum consideratione cum Dei auxilio, ad tale propositum promanemur.*
25 *Decentia in confitendo seruanda à Pœnitente.*
26 *Ordo tenendus.*
27 *Ratio breuitatis sectandæ in confitendo.*
28 *Ratio sectanda perspicuitatis.*

Pœnitentem in foro Pœnitentiali sustinere personam rei, accusatoris, & testis, ab initio monuimus. In eiusdem autem fori praxi, vsúve Sacramenti Pœnitentiæ, tanquam reus concurrere debet per contritionem de suis peccatis; tanquam accusator verò, & testis, per confessionem de eisdem.

De contritione exercenda cum dolore, pudore, & timore, pro rei munere.

SECTIO PRIOR.

Nu.20. CIrca contritionem autem curare debet, vt ea contineat tum dolorem, tum pudorem, tum etiam timorem: quorum primi exemplum habetur singulare in peccatrice lachrymis rigante pedes Domini, *Luc.* 7. Et in D. Petro flentè amarè, *Matth.* 26. Secundi verò in publicano stante à longè, & nolente oculos ad cœlum leuare, sed percutiendo pectus suum dicente, Domine propitius esto mihi peccatori.] *Luc.* 18. Tertij denique in Niniuitis, qui audito propheta clamante & dicente; Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, terrore mali impendentis concussi pœnitentiam egerunt, *Ionæ* 3. Quod exemplum considerandum nobis esse indicatur per illud Christi *Matth.* 12. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic.]

Nu.21. Porro dolor orietur cogitando præterita: nempe quòd Deum omnium creatorem & patrem optimũ, conseruatorem ac Dominum potentissimum, moderatorem ac Iudicem sapientissimum offenderim, omittendo quæ præcipit bona; committendo quæ prohibet mala; amittendo quę contulit diuina dona. Videri possunt dicta *lib.* 2. *cap.* 5. Pudor verò orietur attendendo præsentia; putà per peccatum nos longè esse à Deo, & à salute: immo secundùm præsentem iustitiam, destinatos esse inferno, qui Deo ipsi eramus coniuncti; & cœlo destinati. Item animam, alias pretiosissimo Christi sanguinis balsamo delibutam, pulchram ac decoram, cœlestique sponso gratissimam, sic deturpari vitiorum sordibus, tanquam vlceribus fœdissimis, vt non tam Dei, quàm Diaboli: nec tam Angeli, quàm bestiæ similitudinem referat, sponsóque inuisa sit & abominabilis: atque adeo deiecta in eum miseriæ statum per peccatum mortale, vt ex regni cœlestis hærede, facta sit Diaboli sæuissimi vile mancipium.

Nu.22. Timor denique orietur præcogitando futura: nempe quod tendamus ad mortem inexitabilem, incerti de illius hora. Deinde quòd huius vitæ exitum excipiat tremendum iudicium, in quo sicut nullum bonum opus irremuneratum, sic nullum malum impunitum relinquetur: dicente Apost. *in posteriore ad Corinth. cap.* 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.] In quo item nullus Iudicis meritissimè irati fallere sapientiam, flectere iustitiam, aut effugere vindictam potest. Omnia enim sunt nuda & aperta oculis eius,] *ad Hebr.* 4. Immutabilis est in suis decretis, nec apud ipsum excusatio locum habebit, nec tergiuersatio admittetur iuxta illud quod habetur in *Psalm.* 49. Existimasti iniquè, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.] Neque appellatione aut alia quauis ratione vltionem iudicij euadere licebit: Vnde ibidem subiicitur. Intelligite hæc qui obli

obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.] Adde & in quo Dæmonibus, quorum suggestionibus vltro succubuisti, imò & Angelo custode, cuius internas monitiones contempsisti, adeóque propriâ conscientiâ accusantibus: non erit qui tibi patrocinetur.

Sanctorum enim patrocinium quod in hac vita neglexisti non esse tibi in futura expectandum: parabola quæ habetur *Matth.* 22. satis indicat per illud, quòd is qui ingressus nuptias sine veste nuptiali iubetur mitti in tenebras exteriores, nemine adstantium pro illo deprecante: sicut pro ficulnea infructuosa nondum excisa (*Luc.* 13.) cultor vineæ deprecatus est. Denique cogitando quòd eidem iudicio proximè succedat supplicium peccato mortali debitum, omni pœnarum & molestiarum genere cumulatum (*sicut & merces æterna cumulata est omni bonorum & solationum genere*) Deo scilicet armante non solùm Dæmones infestissimos hominis hostes, sed alias etiam creaturas ad vltionem inimicorum *ex cap.* 5. *Sapien.*

Nu.23. Cæterùm tales ac tantos esse oportet istiusmodi affectus voluntatis, vt in ea generent tale ac tantum odium & detestationem peccati, quatenus est offensa Dei super omnia amandi: vt firmum propositum simul concipiat, nusquam eidem peccato consentiendi: ne quidem si mors ipsa obeunda esset. Ad quod nobis necessarium quidem est supernaturale diuinæ gratiæ auxilium, promouemur tamen ad illud consideratione beneficiorum tam expectatorum pro futura vita, magnitudine & multitudine inæstimabilium (iuxta illud quod *ex Isaiæ cap.* 64. habet Apostolus *in priori ad Corinth. cap.* 2. Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum) quàm iam exhibitorum.

Nu.24. Quorum quædam, vt notat D. Bonauentura *in libro, qui inscribitur Incendium amoris*, spectant ad complementum naturæ: siue ex parte corporis, vt membrorum integritas, complexionis sanitas, sensuum & linguæ expeditus vsus: siue ex parte animæ, vt ingenij perspicacitas, iudicij rectitudo, & voluntatis propensio ad bonum. Quædam in adiumentum gratiæ, vt baptismus, & hoc ipsum Sacramentum Pœnitentiæ: quibus deletur peccati macula, restituitur perdita innocentia, & confertur diuina gratia: itémque Sacerdotale ministerium, quo dispensatur nobis salutaris Christi doctrina, per quam sedentes in tenebris, & in vmbra mortis illuminamur ad dirigendos pedes in viam pacis *Luc.* 1. conferuntur etiam indulgentiæ quibus relaxantur pœnæ peccatis nostris debitæ: ac demum administratur sacrosancta Eucharistia, quâ in vita spirituali sustentamur ac roboramur. Quædam denique in donum superabundantiæ: ad quod spectat, quod nobis à Deo datus sit, primò totus mundus; inferiora quidem ad obsequiũ: paria verò ad meritum: & superiora ad patrocinium, iuxta illud *prioris ad Corinth. cap.* 3. *sub finem.* Omnia vestra sunt, &c.] Secundò proprius filius: in incarnatione quidem in fratrem & socium: in passione verò, in redemptionis nostræ pretium: & demum in altaris sacrificio, in cibum nostrum. Tertiò Spiritussanctus, qui animam nostram perfundens charitate, illam sic Deo charam facit, vt in filiam adoptet, suóque filio desponsatam, regni cœlestis cohæredem efficiat: si tamen compatiatur, vt conglorificetur. De qua re Apostolus *ad Rom.* 8. Quicumque inquit, spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei, &c. Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt conglorificemur.] *Possunt in præcedenti lib.* 2. *cap.* 5. *& 6. videri latius tradita, quæ censentur ad contritionis exercitium spectare.*

De confessione pro accusatoris & testis munere exercenda à Pœnitente cum decentia, ordine, & breuitate coniuncta perspicuitati.

SECTIO POSTERIOR.

Nu.25. DIcturi ex instituto plenius in sequenti parte de confessionis exercitio, contenti erimus in præsentiarum notare tria, quæ pro munere accusatoris, & testis conuenit Pœnitentem in ea seruare.

Primum est decentia; tum interna, tum externa. Illa orietur facilè si consideremus, quid facturi sumus: coram quo, & quorsum: nempe apparituri sumus coram Deo non ad eum laudandum, aut ad agendas ei gratias de beneficiis acceptis, aut aliquod bonum postulandum, vt communiter fit, in oratione: sed ad nos de peccatis, quibus indigne summam ipsius bonitatem offendimus, accusandos: tum coram ipsomet omnipotente Deo, tum etiam coram Beata Virgine Maria cæterísque sanctis omnibus, ac coram Confessario tanquam Dei vicario: hos simul orando vt intercessione sua nos adiuuent ad obtinendam misericordiam. Quod totum generalis formula confessionis satis indicat, quam Sacramentali confessioni præmittentes, ostendimus nos id animi gerere, quod miles lęsæ maiestatis reus, concepta spe de venia, coram rege, & regina, ac circumstantibus principibus crimen suum confiteretur, totus pudore suffusus, lachrymarũ imbre genas rigans præ dolore, & se indignũ tanti monarchæ conspectu confitens, ac rogans reginam, ac cæteros circumstantes regis amicos, vt suis precibus obtineant ei misericordiam. Ista est decentia quam nos docuerunt Publicanus. *Luc.* 18. qui à longe stans nolebat nec oculos ad cœlum leuare; & Peccatrix *Luc.* 7. quæ stans retro secus pedes Domini lachrymis cœpit rigare, & D. Petrus *Luc.* 22. qui egressus foras fleuit amarè. Et denique Prodigus *Luc.* 15. Qui patri dixit, peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.] Externa decentia verò ex interna prouenire debet, in eóque consistit, vt aperto capite, flexis genibus, iunctis manibus, oculis demissis, inclinato paululum capite maneamus. In voce denique & corporis habitu ac cæteris quæ facimus, eluceat simplicitas, reuerentia, atque deuotio.

Nu.26. Secundum est obseruatio ordinis; nempe vt signum crucis præcedat, petatúrque benedictio illis verbis. Benedic Pater; deinde recitetur Confiteor vsque ad verba Mea culpa; & declaratis defectibus commissis in postrema confessione, si quæ examinando conscientiam notauerimus, veniamus ad expositionem peccatorum quibus conscientiam habemus grauatam. Ac postremo partem eiusdem Confiteor, antea omissam, subiiciamus cum intentione petendi absolutionem, & pœnitentiam.

Nu.27. Tertium est, breuitas cum perspicuitate in expositione peccatorum. Pro breuitate autem, reuocanda sunt peccata ad certa capita, vt possunt hoc modo. Quæ in Deum commissa sunt cogitatione, verbo, vel opere, aut omissione contra tria prima præcepta, primò omnium dicantur. Quæ autem contræ fidem, aut spem contigerunt, vel contra charitatem; aut per superbiam commissa sunt in Deum, reducantur ad primum præceptum. Commissa verò contra Ecclesiæ præcepta ad tertium præceptum; vbi dicantur etiam commissa per acediam seu pigritiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Dei cultu,& per omissionem reuerentiæ erga res sacras. Quæ verò contra proximum committuntur, cùm ad sex reliqua Decalogi præcepta pertineant, sic exponi possunt:vt cum iis quæ ad quartum pertinent,coniungi possit superbia in proximum,&omissio operum misericordiæ: Et cum iis quæ spectãt ad quintum , coniungi ira & inuidia. Cum iis autem quæ ad sextum:tum ea quæ contra nonum commissa sunt,tum etiam luxuria, & gula,aliáque intemperantiæ genera. Cum iis verò quæ ad septimum:tum auaritia & iniustitia,tum etiam peccata contra decimum perpetrata. Denique cum octauo tam mendacia, quàm alia peccata verbo aut scripto commissa;nisi quod magna ex parte iam dicta esse potuerint, tanquam commissa circa præcedentia præcepta. Quam breuitatem iuuare quoque poterit , si plura peccata eiusdem generis vno verbo explicentur;verbi gratia dicendo: Ego decies furatus sum , & tanta est summa;nisi circumstantiæ aliquę locorum , temporum,personarum, aut negotiorum interuenerint, quæ aliquod eorum notabiliter aggrauent : tales enim explicari debent ad patefaciendam eam aggrauationem, quâ ignorata,non informaretur sufficienter Confessarius de statu animæ sui Pœnitentis.

Nu.28. Perspicuitatem verò adferet : si quod seruari debet non omittatur;quale est , vt in vnoquoque peccato commissionis consideretur ac declaretur , an simplici cogitatione , soláque voluntatis complacentiâ commissum sit peccatum , an proposito quoque voluntario prorumpendi in verba , vel opera prohibita:aut etiam perpetratione dicti , vel operis prohibiti. In peccato autem omissionis declaretur, an ex obliuione,aut ex aliqua iusta causa processerit talis omissio:an verò fuerit plenè voluntaria. Denique in omnibus peccatis,vt ipsa explicentur non per ambages , sed ea perspicuitate verborum vt possit Confessarius intelligere quæ & qualia , quámque grauia ipsa sint expositis specie, & numero eorum, atque circunstantiis ea notabiliter aggrauantibus, quales non rarò occurrunt prauorum affectuum, ex quibus aliquid dictum est,vel factum , vel omissum.

CAPVT QVINTVM.

De executione concepti à Pœnitente propositi vitam emendandi, per quam faciat fructus dignos pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

29 *Facere fructus dignos pœnitentiæ quid sit.*
30 *Quorum potissimum operum vsum tales fructus requirant.*
31 *Necessitas eiusdem vsus.*
32 *Quæ sit Dei voluntas quam nos facere oportet ad consequendam æternam salutem.*
33 *Res spectantes ad præsentem locum.*
34 *Documenta de iis quæ possum Pœnitentem iuuare ad executionem concepti propositi emendandi vitam.*
35 *Aduertenda circa lectionem librorum piorum.*
36 *Obseruanda in examine conscientiæ.*
37 *Reliqua documenta.*
38 *De castigatione suscipienda.*

Nu.29. POST animam à peccati sordibus repurgatam beneficio Sacerdotalis absolutionis debet Pœnitenti curæ esse,vt *iuxta D. Ioan.Baptista monitum Matth.3.* fructus faciat dignos pœnitentiæ ad fugiendum à ventura ira: ambulando scilicet dignè vocatione qua vocatus est:seu dignè illius vitæ conditione , cuius ...tus est particeps,cùm per baptismi susceptionem admissus in Ecclesiam(*quæ est quasi castrorum acies ordinata,Cant. sexto*) Christi militiæ adscriptus est , illiúsque characterе indelebili ad hoc insignitus , vt sub vexillo ipsius staret in acie contra Dæmonem:seruans mandata tum ipsiusmet Christi tanquam summi eiusdem militiæ Imperatoris (*iuxta illud Matth. vlt. Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis*) tum etiam Prælatorum Ecclesiasticorum quos ipse Christus sub se eidem militiæ præfecit duces, cum authoritate quam ostendunt verba ipsius Luc.10.Qui vos audit,me audit,& qui vos spernit,me spernit.]

Talia autem quasi militaria mandata,sunt de Sa- *Nu.30.*
cramentorum & bonorum operum vsu : qui magis ordinarius frequentiórque est Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ,atque eorum bonorum operum; quæ (*vtpote pœnalia , & per consequens pro peccatis satisfactoria*) solent à Confessario in satisfactionem Sacramentalem imponi orationis inquam,ieiunij & eleemosynæ : quæ tanquam cæterorum bonorum operum capita præcipua:commendantur specialter; vt ab Angelo Tob.12. sic passim à sanctis Patribus: quorum aliquot sententias collectas potest qui volet, videre apud Canisium in Catechismo tit.de bonis operibus. Eiusmodi verò ordinarij frequentiſque vsus ratio est, quòd is imprimis necessarius nobis sit ad bellum , quod in Ecclesia aduersus dæmonem gerimus. Cùm enim noster ille hostis fortis,& ferox,in insidiis assiduus sit(iuxta illud 1.*Petri* 5.Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret) plerumque fit, vt nos laqueis suis irretiat , & grauiter sauciet : vnde nobis necessarius est vsus Sacramenti pœnitentiæ, institutus à Christo ad dissoluenda vincula quibus ab hoste teterrimo superati,detinemur captiui; & ad sananda vulnera nobis inflicta. Item cùm anima mole corporis grauata,facilè debilitetur pugnando, ei ad hostis impetum ferendum,necessaria est virium restauratio , quam consequitur sacrosanctæ Eucharistiæ vsu. Denique cùm Diabolus ipse in spiritali aduersum nos pugna , adiutorem habeat inordinatum amorem nostri tanquam internum proditorem, ei nos tradere satagentem per concupiscentiam carnis , concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ (de quibus 1. Ioan. 2.) idest, per desiderium nimium aut voluptatum carnis , aut diuitiarum terrenarum, aut honoris mundani : necessarius nobis est vsus ieiunij ad reprimendam carnis petulantiam : & vsus eleemosynæ , ad refrenandam nimiam habendi cupiditatem : ac demum vsus orationis,ad reprimendam elationem animi.

De qua necessitate,quoad vsum Sacramenti pœ- *Nu.31.*
nitentiæ patet per illud *Lucæ* 13. Si pœnitentiam nõ egentis omnes peribitis] iuncta eiusdem Sacramenti institutione *Ioan.* 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis , & quorum retinueritis retenta sunt.] Quoad Sacramentum verò Eucharistiæ, per illud *Ioan.* 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis , & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.] Quoad tria demum reliqua , non obscurè insinuatur: partim per illud *Ecclesiastici* 18. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius facient te in gaudium inimicis tuis] partim per illud quod Dominus *Matth.* 6. fideles suos instrues de iis quibus acquiritur regni cœlestis merces , illorum specialiter meminit:admonens sincerè, & citra hypocrisim facienda esse. Adhæc constat eiusmodi mercedem nulli dandam esse,nisi facienti Dei voluntatem:

luntatem : eodem Domino dicente *Matth.* 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine , intrabit in regnum cœlorũ:sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est intrabit in regnum cœlorum.]

Nu.32. Quæ autem sit Patris nostri cœlestis voluntas, declaratur his verbis Michææ prophetæ in cap. sexto: Indicabo tibi ô homo quid sit bonum , & quid Dominus requirat à te : vtique facere iudicium , & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.] Quæ ad nostrum propositum possumus hac ratione accommodare. Homo Christianus ad æternæ salutis consecutionem debet iudicium facere;idque tum in causa Dei , restituendo ei honorem ablatum per peccatum : ad quod ex Christi institutione requiritur vsus Sacramenti pœnitentiæ : tum in causa proximi , resarciendo damnum ei illatum: quod fit per restitutionem prout iustitia requirit: tum demum in causa propria , edomando carnem spiritui rebellantem , vt illa huic reddatur subiecta; quod fit per ieiunium. Misericordia præterea exercenda est,non quidem in Deum, qui omnino expers est miseriæ: sed tum in nos qui expositi sumus miseriæ non modò animæ (*quæ obnoxia est variis culpis & pœnis*) cui ex Christi munere subuenimus potissimùm vsu sacrosanctæ Eucharistiæ , & indulgentiarum. Sed etiam corporis,ad quam subleuandam ita sumus propensi naturâ nostra , vt non de eo,sed de ieiunio ad talem propensionem frænandam præceptum dandum fuerit ; tum etiam in proximum de qua Iacobi 2. Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam.] Quod quàm verum sit patet ex sententia in extremo iudicio proferenda quæ habetur Matth. *cap.*25. Exercetur verò talis misericordia largitione eleemosynæ. Denique ad solicitudinem ambulandi cum Deo , maximè pertinet oratio, tantopere nobis commendata, tum sanctorum literarum authoritate,tum Sanctorum exemplis.

Nu.33. Ac cùm hæc ita sint,& spectantia ad vsum, Sacramenti pœnitentiæ sufficienter cognoscantur ex antedictis,& ex post dicendis in sequenti parte in qua etiam de indulgentiarum vsu , & de restitutione tractatus, instituentur, vt de annexis satisfactioni Sacramentali : atque de vsu Eucharistiæ sacrosanctæ commodiùs agetur lib. 29. qui est de eadem Eucharistia. Cùm inquam hæc ita sint,fit vt hoc loco occurrat consequenter dicendum tantùm de oratione, ieiunio & eleemosyna, vt de iis in quibus Pœnitentem Deo reconciliatum oportet vacare ad satisfactionem pro peccatis , & meritum æternæ salutis.

Prius autem trademus aliquot familiaria documenta quibus Pœnitens paucis instruatur de iis quibus iuuetur ad executionem concepti in confessione propositi emendationis vitæ.

Documenta de iis, quibus iuuari potest Pœnitens ad executionem concepti propositi emendandi vitam.

Nu.34. PRimum igitur est,vt ad firmam voluntatem resistendi omnibus peccatis cum Dei auxilio (*quod non solet negari petenti illud humiliter feruentérque in nomine Christi*)adiungamus voluntatem , qua optemus proficere in omni virtute : non quidem coquòd id nobis gloriosum sit ; sed quòd sit gratissimum Deo, cuius voluntas est facienda ad consecutionem regni cœlorum:& ideo caro subiicienda est spiritui, id est, amor proprius amori Dei : quod fit mortificatione quâ sensus non sinitur temerè vagari,inordinatæque cupiditates appetitus sensitiui reprimuntur : & prorum iudiciũ intellectus captiuatur in obsequium Christi ; ac demum propria voluntas mutatur in communem,quærentem non quæ sua sunt , sed quæ Iesu Christi. Cuius mortificationis necessitatem satis indicant illa D. Pauli verba *ad Rom.*8. Si secundùm carnem vixeritis moriemini;si spiritu facta carnis mortificaueritis,viuetis. De ea eruditè copiosè & ad præxim accommodatè tractat P. Franciscus Arias speciali tractatu : ideo contenti erimus dictis in lib.2. cap.12.addere:quàm illius exercitium commendatum nobis esse debeat (*præter necessitatem cuius meminimus*)ostendi per illud,quòd Filius Dei ad hoc, inter cætera , factus sit homo vt nos de eodem exercitio eruditet , iuxta illud *ad Tit.* 3. Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem , & sæcularia desideria sobriè,iustè,& pie viuamus in hoc sæculo,&c.]

Secundum documentum est:vt eiusdem voluntatis renouatio , & auxilij petitio quotidie fiat in matutino & vespertino examine ; maxime verò diebus festis cùm auditur Missa,aut sumenda est Eucharistia sacrosancta.

Tertium,vt quotidie mane,maximè diebus festis, dimidia hora,aut saltem horæ quadrans impendatur deuotæ considerationi,siue mortis,iudicij,& inferni ad concipiendum Dei timorem qui auocet à malo; siue paradisi & aliorum diuinorum beneficiorum,ad fouendum charitatis ignem , quo accendamur ad operationem boni;siue Demum alicuius puncti (*ad illuminationem intellectus dirigentis voluntatem ex charitate operantem*) ex vita seu doctrina Christi Domini nostri , siue meditando , siue legendo pium aliquem librum accommodatum ad captum nostrum:Quæ in re exquirendum est & sequendum rudioribus consilium & directio peritorum in vita spiritali. Ac de ratione meditandi , quæ hîc præscribenda videretur commodiùs tradetur cùm dicetur ex instituto de oratione,cuius vna species est meditatio.

De ratione verò legendi librum pium hæc occur- *Nu.35.*
runt notanda : primò talem lectionem debere proportionatam esse legenti : scilicet vt rudi in vita spiritali , quasi adhuc animali homini non percipienti sublimia Dei , minimè tradantur tractatus subtiles, aut de sublimium mysteriorum arcanis : sed potius de exterioribus gestis Christi,quæ sint in exemplum humilitatis,prouocéntque charitatis,& pietatis affectum. Secundò fieri debere recta intentione,nempe animo exertandi se ad deuotionem & proficiendi in spiritu,seu Dei amore:non autem studio satisfaciendi curiositati , seu desiderio sciendi & oblectandi se varietate, aut nouitate rerum , vel elegantiâ sermonis. Instituitur enim ad excipiendum semen piarum cogitationum,& sanctorum morum quibus decet imbutum esse hominem Christianum pro dignitate & debito sui status. Itémque ad inspiciendum quasi in speculo,maculas animæ propriæ,quibus per pœnitentiam eluendis incumbendum ei est. Ad hoc autem iuuabit conari , vt legentes sentiamus pium in nobis affectum, quem sensisse par est eiusmodi libri scriptorem. Tertiò , non esse cursim multa legenda,sed pauca potius ea pensiculando:intermixtis (tunc præsertim cùm sensérimus nos pia aliqua affectione moueri) breuibus orationibus , mentisve ad Deum eleuationibus , quibus non tam interrumpatur lectio, quàm vt animus purior effectus,reddatur aptior ad illius intelligentiam,quæ sub cortice literæ multos mysteriosos sensus, sanctósque affectus continet , quibus caret intelligentia lectionis librorum profanorum ; etiamsi ea quoque requirat pensiculationẽ. Et certè multa cursim legenti , id euenit quod hospiti , cuius domum si multi ac varij ingrediãtur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

statim recedentes,ipso tantùm obiter salutato; nempe vt post aliquod spatium temporis nullorum, aut certè valde paucorum recordetur. Quartò quamuis bonum sit de variis libris spiritualibus periculum facere,quis nobis futurus sit commodior,vno tamen electo de Patris spiritualis consilio (quod à rudibus adhuc in vita spiritali inquiri debet, ne contingat ipsos decipi) cauere oportet inconstantiam,qua modo vnus accipiatur,modo alius:sed potius lectio electi continuetur à principio ad finem: nisi fortè nimium fastidium illius exigat assumi alium ad cuius lectionem maior adsit dispositio. Oportet quoque legere eo ordine quo conscriptus est; nec medium principio, nec finem medio præponere:cùm supponendum sit authorem habuisse rationem ordinis, ad rem propositam docendam accommodatioris.

Nu.36. Quartum documentum est, vt examen conscientiæ bis quotidie fiat, nempe ante vel post prandium & iterum antequam cubitum eamus: saltem istud posterius prætextu cuiuscumque occupationis nusquam omittatur ob summam illius necessitatem, ad intelligendum quantum in proposito emendationis concepto in vsurpatione Sacramenti pœnitentiæ, profecerimus, aut contrà defecerimus. Ratio autem illius instituendi est, vt primò agantur gratiæ Deo pro beneficiis acceptis *quæ multa & magna in præcedenti num.24.recensuimus.* Secundò, vt petatur ab eo lumen ad cognoscenda peccata, & robur spiritale ad ea vitanda. Tertiò, vt secundum formam antea num.27.propositam,exquiratur ab anima ratio omnium cogitationum,locutionum & operationum ab vltimo examine, siue commissarum siue omissarum contra hominis Christiani, aut proprij status debitum, vt de illis suo tempore fiat confessio. Quartò, vt petatur venia peccatorum admissorum, & pudeat nostrę ingratitudinis erga Deum,cui tot nominibus obstricti sumus. Quintò,meliora in posterum proponantur & proposita seruentur.

Nu.37. Quintum documentum est: vt electo nobis tali Confessario,cuius prudentiâ (detectis ei defectibus nostris & perfectionibus omnibus) in vita spiritali dirigi possumus, confiteamur semel in hebdomada, aut minimùm semel in mense: ac sacrosanctam Eucharistiam sumamus,si Confessarius ipse probet.

Sextum est, vt frequenter vtamur breuibus orationibus,quas vocant iaculatorias, siue mente tantùm,siue voce fiant:vt sic assuescamus Deum prouidere semper in conspectu nostro, *exemplo Dauidis Psalm 5.* & ad eum semper confugere, siue lætа siue tristia contingant, ac totos ex ipsius voluntate pendere,vt decet patris optimi ac prouidentissimi filios, & domini potentissimi ac munificentissimi seruulos.

Septimum est, vt cum quid faciendum proponitur,illud nec aggrediamur ac suscipiamus,nec è contra renuamus aut omittamus, nisi Deo consulto, id est,prius Dei auxilio implorato &inquisitione facta; num diuinæ ipsius legi consentaneum sit an dissentaneum.

Octauum est,vt seduli simus in repellendis tentationibus,& repudiandis occasionibus peccandi, ac in dignoscendis prauis nostris habitibus & naturalibus inclinationibus;in capescendis item occasionibus virtutum exercendarum, & remouendis impedimentis earumdem acquirendarum:itémque in expendendis animi viribus ad opera consilij & perfectionis,ne quid supra eas suscipiamus:ac demum in causis & radicibus nostrarum imperfectionum inuestigandis,vt modos adinueniamus eas resecandi, & ad virtutes in animo inserendas & vitia eliminanda ab ea.

Nu.38. Nonum est,vt aliquoties externam aliquam pœnitentiam seu castigationem sponte suscipiamus: præsertim cùm relabimur in aliquos defectus ad quos sumus procliuiores. Talis verò castigatio potest esse,aut in victu,minuendo de consuetis alimentis; aut in somno stratique modo,duriùs scilicet cubando:aut demum infligendo carni aliquem dolorem:cilicio,verbere, vel alia asperitate. Qua tamen in re, cùm timeretur zelus indiscretus, vtendum est consilio Patris spiritualis.

Aduersus carnem autem ista refugientem oportet armare animam. Tum odio peccati: pro quo longè grauiores pœnæ iusto Dei iudicio debentur ac constituuntur. Tum amore Christi pro nobis passi, cui si compatimur,&conglorificabimur] *ad Rom.8.* Tum demum vtilitate; cùm tales afflictiones susceptæ ex charitate non tantùm liberent à pœnis purgatorij longè grauioribus,sed etiam cumulent præmiis,quibus nullo modo eæ æquiparari possunt; dicente ibidem Apostolo: Existimo quòd non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam,quæ reuelabitur in nobis.] Cuiusmodi consideratio valde vtilis est aduersus difficultatem relinquendi assueta suauia,& suscipiendi insueta, quæ homo adhuc animalis tanquam molesta exhorresceit. Ea enim facit illud, quod mysticè significatur, cùm Exod. 4. Moyses refugiens virgam versam in colubrum,iubetur apprehendere per caudam:nempe vt vita spiritalis quæ prima facie terret sua difficultate,considerato illius beato fine,amabilissima appareat, sicut verè est. Illum enim terrorem inanem esse,si adhibuerimus industrias humilitatis & patientiæ,satis intelligitur ex verbis Christi Matth. 11. Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.] In quibus verbis fundanda nobis est firma in ipsum spes:qua humiliter de nobis diffidentes,cõfidamus per ipsius misericordiam implendum in nobis quod habetur Isai. 40. Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ,current,& non laborabunt:ambulabũt, & non deficient.] Id quod passim contingere ostendit experientia, quâ iis qui seriò vitæ emendationi incumbunt, initio quidem obseruiatio diuinorum præceptorum difficilis videtur & molesta: sed ipso vsu facilis & iucunda redditur,ad instar thoracis noui,quem tanquam paulò strictiorem qui initio sentit incommodum,postea ipso vsu experitur commodissimum. Atque hæc hactenus: iam accedamus ad dicendum de oratione,consequenter dicturi de ieiunio & eleemosyna.

ALTERA LIBRI PARS:

In qua de oratione agitur,tanquam eâ, cuius assiduus vsus debet Pœnitenti esse imprimis commendatus.

PRIMÒ aliquid dicemus de nomine, natura,varietate,& effectibus orationis: deinde considerabimus tum præceptum diuinum de ea datum; tum conditiones quas requirit, vt idipsum præceptum per eam impleatur: tum demum vsum illius debitum.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

De nomine & natura orationis.

SVMMARIVM.

39 *Nomen orationis accipitur tum generaliter, tum propriè.*
40 *Definitio orationis.*
41 *Orare proprium est solius rei intelligentiâ præditæ.*
42 *Orare non conuenit Deo.*
43 *Conuenit Christo quatenus homo est.*
44 *Non conuenit damnatis.*
45 *Conuenit cæteris omnibus intelligentiâ præditis.*

Nu.39. NOMEN orationis interdum accipitur specialiter, & interdum generaliter. Sicut enim ieiunare is specialiter dicitur,qui ab escis abstinet; generaliter verò dicitur, is etiam qui à carnis illecebris, vitiorúmque passionibus se continet:ita is orare specialiter dicitur,qui diuinam clementiam inuocat, sed generaliter dicitur is etiam,qui bonis operibus in obsequium sui conditoris se tradit, eoquod bona opera Deum ad misericordiam prouocant:sicut mala, iram, & furorem ipsius accendunt. Specialiter autem dicta oratio ex variis circunstantiis ipsius,variè descripta est à sanctis Patribus prout *in Cod.de oratione quæst.* 1. refert, benéque declarat Medina.

Nu.40. Instituto verò nostro ad naturam illius aperiendam sufficere poterit definito tradita à Nauar. *in suo tract.au de oratione præludio sexto:* quòd sit petitio facta Deo apertè vel tacitè. Petitionem autem esse, commune est orationi cum precibus, quæ fiunt homini ad aliquid ab eo impetrandum: quarum quadruplicem ab ipsa oratione differentiam refert Nauarr. *in eod.tract.cap.19.num.57.* Factam verò esse Deo, est ei proprium. Atque vt pleniùs dilucidiúsque natura eiusdẽ intelligeretur additum est in definitione *expresè vel tacitè,* per quod indicatur naturam orationis constare;non modò si expresè, sed quoque si tacitè fiat. Vnde oratio propriè fuit,petitio illa tacita sanationis Lazari, quam *Ioan.11.* sorores ipsius à Christo petierunt dicentes. Ecce quem amas infirmatur.] Id quod ex D.Augustᵒ.ad eũ locum Nauarrus referẽs, *in cit.præludio 6.num.12.* addit aliud exemplum de oratione quæ fit Sanctis. Eo ipso enim censetur tacitè facta Deo,quòd fiat Sanctis ipsis tãquam nostris intercessoribus apud Deum,à quo speratur & impetratur quod petitur:itaut Deus sit præcipuus quasi scopus,in quem oratio nostra dirigitur:Sancti verò sint velut mediũ,per quod ea dirigitur,vt bene succedat.

Nu.41. Pro pleniore adhuc eiusdem naturæ notitia, aduertere oportet orationem esse operationem tãtùm rei præditæ intelligentiâ,*vt patet ex D.Thomæ doctrina 2.2 quæst.83.art.1.* atque requirere concursum mẽtis simul & voluntatis, quia non est nuda petitio,sed cum desiderio, *quod est voluntatis actus,* obtinendi petitum. Itaque bestiæ,sicut non sunt capaces rationis, ita nec sunt orationis; & ideo quòd in *Psal.103.* Catuli leonum dicuntur quærere à Deo escam sibi.] & *in Psal.146.* Pulli cornorum dicuntur ipsum inuocare,ac id genus alia: intelligi debent dicta per similitudinem: propterea quòd animalia dum quadam vocis significatione suam testantur indigentiam, videntur insito naturæ instinctu inuocare Deum, qui eorum prouidentiam & curam gerit: aperiénsque manum suam implet omne animal benedictione] sicut & per similitudinem omnia dicuntur illi obedire,propterea quod insito naturę impetu mouentur ad fines quos illis ipse præscripsit, perinde acsi præcepto accepto illud implere studerent.

Nu.42. Aduertere oportet præterea,quòd etsi Deus mentis & intelligentiæ capax sit, non esse tamen orationis;cùm nec superiorẽ habeat,cui deferat:nec cuiusquam ope egeat,quâ imploret. Quod verò ad Rom. 8.Spiritussanctus dicitur postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus.] sensus est, quod faciat vt postulemus;nimirum tribuendo postulandi vim, auxilium, & gratiam:sicut & eius quòd Matth.10. dicitur. Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis:] sensus non est, quòd Spiritussanctus per se verba proferat. Quam interpretationem ex D. Augustᵒ. & quibusdam D. Pauli antiquis interpretibus habet Azor.*in 1.pur.Moral.institut. lib.9.cap.29.quæst.6.*

Nu.43. De Christo autem Domino nostro,cùm non tantùm sit verus Deus, sed etiam verus homo;certum est quòd ei quatenus homo est conueniat orare,sicut & Patre minorem esse. Id enim apertè constat ex eo, quòd ad Rom.8. dicitur interpellare pro nobis.] Et ad Hebr. 9. introiuisse in cœlum vt appareat vultui Dei pro nobis.]Adde illud *1.Ioan.2.* Si quis peccauerit aduocatum habemus apudPatrem Iesum Christũ iustum.]

Nu.44. Si quæras an omni rationali creaturæ conueniat orare posse. Respondetur non cõuenire propriè damnatis,quia orare est actus de se bonus proficiscens ex virtute religionis, & ideo ex bono pióque erga Deum affectu, quem damnati habere non possunt; qui Deum ipsum odio summo incessanter prosequuntur. Vnde quod dæmones rogarunt Christum vt mitteret eos in gregem,porcorum, *Matth.* 8. & Epulo sepultus in inferno precatur, Pater Abraham miserere mei,& mitte Lazarum,&c.] *Luc.16.* petitiones quidem fuerunt, non tamen orationes: vt nec ea quæ ex *Iob.cap.1.& 2.* Sathan postulauit facultatem vexandi sanctum ipsum hominem Iob.

Nu.45. Cæteris autem omnibus præditis intelligentiâ conuenit orare, siue Angelis,siue hominibus: & his siue iam vitâ functis non modò beatis,sed etiam detentis in Purgatorio *(de qua re videri possunt Azor. in eod.cap.29.in fine & in preced. cap.10. quæst. 12. & Gregor.à Valen.2.2.disput. 6.quæst. 2.puncto 6.sub finem)* siue adhuc viuentibus, non modò iustis;sed etiam peccatoribus, vt patet ex Publicano *Luc.* 18. & aliis:vt ex Dauide *2. Regum. cap.* 12. & in nouo Testamento ex D. Petro, Magdalena, Zachæo,& Latrone crucifixo.

CAPVT SEPTIMVM.

De varietate orationis.

SVMMARIVM.

46 *Diuisio orationis in mentalem & vocalem.*
47 *Diuisio mentalis in meditationem & contemplationem.*
48 *Diuisio vocalis in communem & priuatam:quam melius est fieri verbis ab Ecclesia institutis, quàm à nobis pro arbitrio compositis.*
49 *Oratio quædam bona & quædam mala,aut ex obiecto aut ex circunstantia.*
50 *Diuisio orationis bonæ in viuam & mortuam.*
51 *Diuisio orationis, in obsecrationem, orationem peculiariter sic dictam, postulationem, & gratiarum actionem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu. 46. VPLEX est præcipua varietas orationis: prior quòd quædam sit vocalis, & quædam mentalis; posterior quòd quædam sit bona, & quædam mala. Mentalis est quæ fit interno tantùm actu animi qualis fuit Annæ oratio ad Deum pro suscipienda prole 1. *Reg.* 1. vocalis verò quæ ita fit interiore animi actu, vt simul verbis externis exprimatur: non item quæ fit tantùm verbis siue interiori mentis & voluntatis pia eleuatione ad Deum; reprobata per illud *ex Isaia cap.29. usurpatum à* Christo Domino *Matt.*15. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.]

Nu 47. Vtraque autem rursus distinguitur; mentalis quidem, in meditationem & contemplationem: quarum illa consistit in consideratione mediorum vitæ spiritalis, id est, eorum ex quorum notitia dirigimur in salutis æternæ via, quæ tenetur declinando à malo, & faciendo bonum. Eius generis sunt considerationes de peccatis, de virtutibus & vitiis, de quatuor nouissimis; morte, iudicio extremo, inferno, & paradiso; de vita, morte, & passione Christi, & de aliis Dei beneficiis. Contemplatio verò consistit in consideratione finis vitæ spiritalis, putà Dei, & diuinorum attributorum ipsius vt in se sunt, ideóque ratò in ea admittitur discursus, seu inquisitio, sed simplex & humilis per fidem intuitus, cùm in meditatione plerumque discursus admittitur, de cuius vsu præclara institutio habetur edita à P. Francisco Aria, quam inscripsit De mentali oratione.

Nu. 48. Vocalis verò quædam est communis, & quædam priuata Communis dicitur, quæ fit ab Ecclesiæ ministro (*qua appellatione venire, tum Religiosum, tum secularem Clericum notat Nauarr. in tractatu de oratione cap.*20.*num.* 40.) nomine totius populi: eo scilicet modo quo exprimitur cùm dicitur in libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap.30. Cú sanctarum plebium præsules demandata sibi legatione funguntur apud diuinam clementiam; humani generis agunt causam & totâ secum Ecclesiâ congemiscente, postulant & precantur. Priuata oratio verò dicitur, quæ fit ab vnoquoque priuatim pro se, vel pro alio. De hac intelligitur illud *prioris ad Timoth.* 2. *capite* Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione.] sicrique potest dupliciter: vno modo, verbis certis ab Ecclesia institutis & determinatis: altero modo, verbis quæ quisque sibi arbitrio suo composuerit pro suo pio affectu. Prior autem longè melior est, ac anteferenda multis nominibus: maximè autem, quòd cùm vis orationis consistat potissimùm in hoc, vt nobis diuinum fauorem conciliemus formulæ orandi ad id accommodatiores sunt illæ quas Spiritus ipse diuinus dictauerit: quandoquidem (*vt inquit Apostolus ad Rom.*8.) Quid oremus sicut oportet nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitib. inenarrabilibus.] In iisdem enim orationibus & imprimis in oratione Dominica, Deus suas agnoscit voces, & quasi proprium suum, aut familiare idioma; rebus, personis, loco, tempori, qua ratione decet ita accommodatum, vt illud ei perplaceat, & ad insinuãdos nos in ipsius gratiam maximè valeat. Vnde meritò Apostoli Christum Dominum rogarũt *Luc.*11. Domine doce nos orare, sicut Ioannes docuit discipulos suos.]

Nu. 49. Item bona oratio est, quę fit seruatis omnibus conditionibus debitis, de quibus in sequentibus: mala verò cui aliqua ex debitis conditionibus deest: iuxta illud ex D. Dionysio communiter receptum ab omnibus (*reste Nauarro, in preced. cap. 6. num.* 2.) Bonum est ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus. Duplex autem est mala oratio: vna quæ dicitur mala ex obiecto malo: nempe qua petitur aliquod malum: vt vindicta priuata de inimico, aut aliud id genus moraliter malum. Altera dicitur mala ex circunstantiis: qualis est qua etsi petatur bonum, non petitur tamen id quod, propter quod, à quo, vbi, quando, quomodo, aut pro quo debet: *de qua in eodem cap.6. multa Nauarrus.*

Bona quoque oratio distinguitur rursus, quòd quædam sit mortua: cuiusmodi est oratio existentis in peccato mortali; nam in eo quoque statu potest homo multa bona, & Deo grata, *quamuis meritoria non sint*, facere opera: nisi oret, aut opus aliud faciat peccando actu, vel proponendo peccare, seu Deum offendere: qua ratione damnatur in sacra Scriptura oratio peccatoris, *prout bene tractatum videri potest apud Med. in Cod. de oratione, quæst.*12. Neque ipsa prodest: siue de iustitia, siue etiam de liberalitate, sed nocet potius, vtpote quæ pœnam meretur, *prout bene docet Nauar. in prius cit. cap.*20. *num.* 35. & 36. eáque de causa dicitur mortifera. Quædam verò sit viua; cuiusmodi est oratio iusti seu existentis in Dei gratia: *de qua Psal.*33. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.] Vbi aduerte non esse idem, quòd oratio sit viua, & quòd sit efficax (*etiamsi illa maximè oratio efficax sit, quæ viua est*) quia oratio mortua potest esse efficax, seu qua impetretur quod petitur, prout patebit per dicenda in seq. num. 59. & 68. Aduerte quoque ex Nauarr. *in cod. num.*36. quòd etsi aliquis peccet (*sine mortaliter siue venialiter*) dicendo aliquam partem Missę, aut vnius horæ canonicæ, non ideo tamen recitationem totius, peccatũ, esse ac nullius meriti, sed solùm talis partis malam recitationem: ideoque euitandum esse, vt cumprimum ad tale peccatum aduerterimus, recitando aliquam partem, corrigamus nos statim ac emendemus.

Num. 50.

Num. 51. De diuisione orationis sumptæ ex priori ad Timoth. cap.2. in obsecrationem, orationem peculiariter sic dictam, postulationem, & gratiarum actionem, videri potest Bellarm. *in Controuer. de bonis operibus lib.*1. *cap.* 2. illius explicationem latè persequens. Nobis potest sufficere quod habetur ex D. Thom. *in cit. quæst.*83. *art.*17. eam diuisionem sic posse accipi: vt obsecratio sit, quâ petitur à Deo quidpiam, proposita ratione aliqua, ducta ex quapiam re sacra, ob quam sit impetrandum idipsum quod petitur, vt ex diuina bonitate, aut ex passione Christi. Oratio verò sit actus ipse orandi, vt adiunctum habet quemdam mentis ascensum ad Deum. Postulatio autem sit idem actus, prout est petitio huius, vel illius beneficij pro futura aut pro præsenti vita. Gratiarum denique actio sit quatenus eidem petitioni præmittimus aut subiungimus Dei laudem in signum grati erga eum animi. Hæc D. Thomas explicat per orationem de sancta Trinitate. Nam vt in ea dicitur, Omnipotens sempiterne Deus, oratio est; vt verò additur; Qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, gratiarum actio est; vt autem adiungitur: Tribue quæsumus vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis, postulatio est: vt demum ponitur. Per Dominum nostrum, &c. obsecratio est.

CAPVT OCTAVVM.

De effectibus seu fructibus orationis.

SVMMARIVM.

52 *Orationis quadruplex effectus præcipuus; meritum, satisfactio, impetratio, & spiritalis refectio animæ.*

53 *Oratio*

53 *Oratio vt meritoria sit, & satisfactoria debet profecta esse à charitate.*
54 *Idipsum necessarium non est, nec etiam semper sufficiens, vt sit impetratoria.*
55 *Conditiones requisitæ in oratione, vt suum impetrandi effectum certò sortiatur.*
56 *Fides requisita.*
57 *Spes item.*
58 *Itémque charitas.*
59 *Modi quibus contingit peccatores impetrare quod petunt in oratione.*
60 *Quæ peccata impetrationi orationis obstare specialiter, ex sacris literis habeatur.*
61 *Humilitas item, deuotióque requisita.*
62 *De perseuerantia requisita.*
63 *De conditione, vt pro nobis petamus.*
64 *De conditione, vt petamus necessaria vel vtilia.*
65 *De fructibus orationis iusti, factæ pro vitâ functis.*
66 *De fructibus factæ pro viuis.*
67 *Infructuosa est facta pro damnatis.*
68 *De fructibus orationis factæ à peccatore pro aliis.*

ERVCTVS seu fructuosos effectus orationis innumerabiles esse, satis indicant illa verba Domini *Ioan.*14. Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.] Et *Ioan.*16. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.]

Nu. 52. Quatuor autem numerantur primarij; meritum, satisfactio, impetratio, & spiritalis refectio animæ; quos orans consequitur; quia otatio quatenus actus bonus, meritoria esse potest; quatenus verò pœnalis, satisfactoria pœnæ pro peccatis debitæ; & quatenus petitio quædam, impetratoria esse: facta autem cum debita attentione, potest animam spiritali gaudio, & consolatione ex consortio Dei reficere.

Nu. 53. Atque ad meritum & satisfactionem, in bona oratione (*sicut & in cæteris actibus bonis meritoriis, & satisfactoriis*) requiritur vt profecta sit ex charitate, *vt vocant*, viæ seu hominis adhuc in hac vita constituti. Quæ conditio (*de qua in priori ad Corinth. cap.*13.) necessaria est ad quodcumque bonum opus vt nobis prosit in ordine ad æternam salutem à Christo promissam bene agentibus, prout omnium sententiam esse notat Nauar. de oratione cap. 20. num. 33. conclu. 2. Quod idem dicens initio præcedentis cap. 8. addit num. 3. & 4. idipsum esse quoque sentiendum de oratione, quæ quantumuis facta sit ab existente in gratia: aliquo respectu tamen peccatum est saltem veniale: non obstante quòd aliis omnibus respectibus sit optima. Nullum enim peccatum est Deo gratum & acceptum iuxta illud *Psalm.*5. Non Deus volens iniquitatem tu es] & illud *Psalm.* 65. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.

Nu. 54. Ad impetrationem verò, nec absolutè necessaria est charitas; cùm Lucæ 18. Publicanus qui erat peccator, *& ideo extra charitatem*, indulgentiam impetrauerit orans, Deus propitius esto mihi peccatori. Nec item semper est sufficiens: vt patet ex eo quòd D. Paulus, *ex poster. ad Corinth. cap.* 12. rogauerit sibi auferri carnis stimulum, nec tamen impetrauerit, quãtumuis maximè feruens esset charitate, *iuxta illud ad Rom.*8. Quis nos separabit à charitate Christi &c.] Quod declaratũ Augustini verbis habes apud Azorũ 1. *part. Moral. inst. lib. 9. cap. 6. quæst.* 34. Sed dices scripturam sacram videri absolutè iustis orantibus promittere impetrationem eorum quæ postulauerint: vt cùm Ioannis 15. dicitur: Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.] Respondetur, promittere bene petentibus, vt satis indicauit D. Iacobus cùm *in cap. 4. suæ epistolæ* dixit: Petitis & non accipitis eo quod male petatis.] Bene petere autem censentur qui conditiones seruant, quas Dei voluntate talis promissio includit, vt suum impetrandi effectũ certò & infallibiliter sortiri debeat: quamquidem voluntatem sacræ literæ declarant, cùm tales conditiones requirunt ad impetrandum quod petitur in oratione.

Nu. 55. Sunt autem ex D. Tho. 2. 2. quæst. 83. art. 15. ad 2. vt qui orat postulet 1. piè 2. perseueranter 3. pro se. 4. necessaria ad salutem. Qui idem indicat *in corpore eiusdem art.* ad piè petendum requiri fidem, spem, charitatem, humilitatem, & deuotionem. De quibus omnibus plenius Bellarm. *in controuersia de bonis operibus, lib. 1. cap.* 9. Quæ ad nostrum institutum sufficiant attingemus paucis.

Requisita ad orationem, vt effectum suum impetrandi certò sortiatur.

SECTIO PRIOR.

Nu. 56. PRIMÒ igitur requiri fidem patet per illud *ad Rom.*10. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt:] & illud *Iacobi* 1. Postulet in fide nihil hæsitans.] Itémque illud Domini *Matth.*21. & *Marci* 11. Si habueritis fidẽ, & non hæsitaueritis, non solùm de siculnea facietis, sed & si huic mõti dixeritis. Tolle, & iacta te in mare, fiet: & omnia quæcũque petieritis in oratione credentes, accipietis.] Quæ fides, vt bene idem Bellar. declarat, nõ est vt credamus Deum absolutè facturum quod petimus, sed solùm vt certò credamus Deum esse potentissimum, sapientissimũ, benignissimum ac fidelissimum: ideóque & posse & scire ac etiam velle facere quod petimus, si non sit ex nostra parte defectus in orando. De quo quia certi esse nõ possumus: nec consequenter scire certò possumus, an quod à Deo petimus consecuturi simus, Vnde sumitur ratio illius quod habet Nauar. *in tract. de oratione cap. 19. num.* 160. temerarium atque adeo superstitiosum esse, sibi certò persuadere, quòd quis dicẽdo orationem Dominicam & Salutationem Angelicam tali die, aut tali loco, aut tali modo, fortunatus erit in contrahendo matrimonio, aut prosperum habebit successum in suscepto negotio, aut non morietur subitò, aut eiusmodi aliud quod optat, necessariò consequetur, Si autem id dicitur de omnium præstantissimis orationibus, quid quæso dicendum erit de cæteris quæ longè minus, & interdum nihil habent authoritatis?

Nu. 57. Secundò requiri spem seu fiduciam, qua diuinæ benignitati firmiter innixi, certò confidamus Deum facturũ esse quod petimus iuxta illud *Psal.* 90. Quoniam in me sperauit liberabo eum: clamauit ad me, & ego exaudiam eum.] & illud *in priori ad Timoth. cap.* 5. Quæ autem verè vidua est & desolata speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte & die.] Itémque illud *ad Hebr.* 4. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam cõsequamur, & gratiam inueniamus in auxiliõ oportuno.] Accedit quòd scriptura sacra ad impetrandũ, in oratione requirat talem fidem, ex qua istiusmodi fiducia nascatur: vt patet ex verbis Domini *Matth. cap.*21. & *Marci* 11. antecitatis. Hinc (vt Bellarminus annotat ex Cassiano) certum impetrationis signum est, quòd quis in oratione senserit magnam impetrandi fiduciam: Deo scilicet in corde orantis; quandam lætitiæ suauitatem infundente.

Tertiò

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.58. Tertiò requiri charitatem quâ bene affecti ad Deum, obsequamur mandatis ipsius, & vitemus offensas eiusdem, constat per illud *Ioan.* 15. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis:] & per illud *eiusdem Ioan. in* 1. *stia Canonica cap.* 3. Charissimi si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quę sunt placita coram eo facimus.] Adde & per illud *in Psal.* 65. Iniquitatē si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.] Iniqui enim tanq uam habentes manus plenas Christi sanguine (*vtpote sibimetipsis illum rursus crucifigentes ex cap.* 6. *ad Hebr. versu* 6. non exaudiuntur ab æterno patre: ipso dicente *apud Isaiam cap.* 1. Cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, manus enim vestræ plenæ sanguine sunt. Quem locum D. Basilius præclara similitudine illustrat. Inquiens, velut si quispiam filium vnicè dilectum neci tradiderit: isque manus sanguine cruentatas supplex preces porrigat ad patrem: an non respondebimus, filij sanguinem in manibus filicidæ, acrius exacerbare patrem rali iniuria affectum.]

Nu.59. Quod si peccatores quædam à Deo impetrent, id non est tribuendum virtuti Orationis ipsorum, sed vel virtuti fidei in Christum: sicut & perpetrato miraculorū, de qua Domino, dicturi sunt reprobi *ex D. Matth. cap.* 7. Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus:] aut certè iræ Dei: vt quod Israëlitæ in deserto impetrarunt carnes, *ex cap.* 11. *Numeror.* de quo in Psal. 77. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.] Aut demum extraordinariæ cuidam benignitati, quâ Deus vult peccatorem beneficiis afficere, vt ipsum alliciat ad authorem suum. Adde quòd etsi peccatores, cùm resipiscunt, vitámque emendare firmiter statuunt, plerumque ex Dei misericordia: *qua dignatur etiam indignis subuenire in necessariis*: exaudiantur pro seipsis orantes (alioqui enim frustra hortaretur Sapiens *Ecclesiastici cap.* 21. Fili, peccasti non adiicias iterum: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur) non exaudiri tamen infallibiliter: vt: Bellarmin. colligit ex particulis *fortè* & *Quis scit*: quibus Scriptura vtitur Ionæ .1 versu 6. & Ioëlis 2. ver. 14.

Nu.60. Peccata autem specialiter obstantia, quominus in oratione postulata impetremus, hæc in sacris literis expressa habentur. Primò homicidium, iuxta ante citata Isaiæ verba. Secundò iurgium & rixa, iuxta illud *prioris ad Timoth.* 2. Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus, sine ira, & disceptatione.] Tertiò implacabilitas, iuxta illud quod *Matth.* 6. Dominus orare docuit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.] Quartò durities & inhumanitas erga egētes, iuxta illud *Prou.* 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur. Quintò superbia iuxta illud *Psal.* 101. Respexit in Orationem humilium & non spreuit preces eorum] iuncto eo *ex* 1. *Petr.* 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.] Postremo contemptus diuinorum: iuxta illud *Prouerb.* 28. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit, execrabilis.]

Nu.61. Quartò, requiri humilitatem, quâ is qui orat non in sua iustitia, sed in Dei benignitate nitatur, ostendit Dominus *Luc.* 18. per parabolam Publicani, & Pharisæi: eam dirigens ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti & aspernabantur cæteros. Patet quoque per illud *Danielis nono.* Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.]

Accedit quòd qui ad misericordiā flectere vult, debeat se, *vt solent mendici*, pro misero gerere, quod est humilitatis; de qua habetur antecitatum ex Psal. 101. & illud *Ecclesiastici* 35. Oratio humiliantis se nubes penetrabit: & donec propinquet non consolabitur: & non discedet donec altissimus aspiciat.] Humilitatis autem sociam oportet esse admissorum scelerum recognitionem, & detestationem cum aliquo doloris sensu, iuxta illud *Psal.* 50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies,] & illud *Danielis* 3. In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur, &c.] Id quod satis patet ex peccatricis exemplo, stantis retro secus pedes Domini & lachrymis illos rigantis.

Quintò requiri deuotionem, id est, studium attentè diligenter, & cum feruore orandi, constat per illud *Isai.* 29. *citatum à Domino nostro Matth.* 15. Populus hic labiis me honorat. Cor autem eorum longè est à me] & per illud *Ierem.* 48. Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter.] Atque hæc hactenus de prima conditione, *quæ est pie petendi*, necessaria ad infallibiliter impetrandum.

De secunda, quæ est perseueranter petendi, habetur doctrina Domini. *Luc.* 11. per parabolam quā proponit de eo, qui ob importunitatem petendi perseueranter, obtinuit ab amico panes quos habuit necessarios: & cum *in sequen. cap.* 18. ait, Oportet semper orare, & nunquam deficere.] Nam continuò adiiciens parabolam de vidua quæ per perseuerantiam in petendo, extorsit à Iudice iniquo sententiam & iudicium, significat illis verbis, se à nobis eam perseuerantiam in orando requirere, quā reddamur idonei ad accipiendum quod petimus: consistentem, non quidem in eo vt ab oratione nunquam cessemus (quod est nobis impossibile in hac vita) sed vt nullas orandi occasiones siue noctu siue interdiu oblatas negligamus. Quem sensum Bellarminus præfert aliis, qui (vt ipse meminit) dātur tum eorumdem verborum, tum similium in sequenti cap. 21. Vigilate omni tempore orantes] & Ecclesiastici cap. 18. Nec impediaris orare semper] & 1. ad Thess. cap. vlt. Sine intermissione orate.] Nu.62.

De tertia conditione *scilicet vt petamus pro nobis, non pro aliis*, D. August. tract. 102. in Ioannem ad eam astruendam inducit illud *Ioan.* 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Exaudiuntur, inquit, omnes Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis; quia non vtcumque dictum est dabit, sed dabit vobis.] Induci quoque potest ratio: quòd scilicet, orationi prout ipsa ex Dei promissione est infallibiliter efficax, repugnet indispositio, quam orans nequit assiduitate orandi tollere in alio, sicut in seipso. Aduerte verò, quòd si talis conditio de oratione absolutè intelligatur, ea minimè deducatur ex verbis illis à D. August. allatis: quandoquidem ei repugnaret alioqui illud Iacobi 5. Orate pro inuicem vt saluemini.] Itaque illud, *dabit vobis*, interpretatione extendi potest ad id quod datur aliis intuitu nostri: sicut euasi naufragium precibus D. Pauli, *Act.* 27. dicuntur eidem dati à Deo. Nu.63.

De postrema conditione, *vt scilicet petamus necessaria, vel vtilia ad æternam salutem*, habetur illud 1. *Ioan.* 5. Hæc est fiducia quam habemus ad eum; quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos.] Quid autem secundùm voluntatem eius petendum sit, satis indicatur per illud *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis:] & plenius per formulam orādi, quam in eodem cap. tradidit Dominus, quámque oratione Dominicam vocamus: *de qua dicemus in sequentib. quantum sufficit ad præsens institutum.* Accedit ratio, quòd vt à patre cœlesti aliquid impetremus, illud petendum sit in nomine Filij sui Saluatoris nostri, qui nobis illud meruit. Quia igitur ea quæ Saluator noster nobis meruit sunt quæ ad æternam salutem nostram conducunt, talia sunt in oratione petenda, non autem contraria. Nam, vt bene ait D. August. in tract. 102. in Ioannē: *per illud Ioannis* 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Non petitur in nomine Saluatoris, quidquid petitur contra rationem salutis. De attentione ex qua pendet quartus orationis effectus, *qui est animæ refectio*, dicetur postea commodiùs.

De effectibus seu fructibus orationis factæ pro aliis.

Sectio Posterior.

QVæ hactenus dicta sunt locum habent maximè in oratione, quam quis pro se facit: iam dicendum est de effectibus illius, quam siue iustus, siue peccator facit pro aliis: perstringemus autem paucis, quę copiosius tradita videri possunt apud Nauar. *in tract. de orat. cap.* 20. *à num.* 33. *ad finem vsque.*

Nu.65. Igitur vel iustus orat pro iis qui sunt in cœlo, vel pro iis qui sunt in purgatorio, vel pro iis qui sunt in hoc mundo, vel pro iis qui sunt in inferno. Si orat pro iis qui sunt in cœlo ignorans eos esse in cœlo, oratio illius est ei meritoria, & satisfactoria perinde ac eleemosyna, quam misericordiā motus faceret propter Deum alicui, quem bona fide putaret laborare necessitate. Si verò iustus oret pro iis quos iudicat esse in cœlo; oratio illius est reprehensibilis, tanquam prouciens ab errore, quo illos sua oratione egere putat in ipsorum iniuriam, iuxta illud *in cap. Cùm Marthæ. §. finali De celebratione Missarū.* Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre.] Si verò iustus oret pro iis qui sunt in purgatorio, distinguendum est. Nam vel ipse iam beatus est, & oratio eius tantùm est impetratoria executionis diuini decreti, quò Deus statuit ab æterno ipsis in purgatorio existentibus donare beatam vitam interuenientibus aliorum precibus: vel adhuc est in hac vita: & oratio eius non tantùm est impetratoria, sed etiam satisfactoria pro iis pro quibus orat: vt patet ex testimoniis quæ adduci solent ad confirmanda suffragia viuorum pro defunctis. Sufficiet ad nostrum institutum attingere illud *ex lib.* 2. *Machabæorum cap.* 12. *in fine.* Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.] Et illud D. Gregorij *relatum in cap. Animæ* 13. *quæst.* 2. Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur; aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut iciuniis cognatorum.] Cur verò tale quid contingat potius orationi existentis adhuc in hac vita quàm regnantis in cœlo, causa est; quòd status huius vitæ sit merendi ac satisfaciendi, non item status vitæ futuræ. Id quod his verbis *in 4. dist.* 45. *quæst.* 3. *art.* 3. *ad sextum* D. Thom. attigit.

Suffragia Ecclesiæ sunt pro defunctis, quasi quædam satisfactiones viuentium vice mortuorū: & secundùm hoc mortuos à pœna absoluunt, quam non soluerunt; sed Sancti qui sunt in patria non sunt in statu satisfaciendi, & ideo non est simile de eorum orationibus, & de suffragiis Ecclesiæ.] Cæterùm quòd vt pro viuis, sic & pro defunctis beati orēt, ex eo patet, quòd Ecclesia pariter pro vtrisque intercessionem illorū imploret: vt fidem facit collecta frequenter in Missa, & ordinariè in publicis Litaniis recitari solita. Sic enim habet: Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum, omniúmque misereris quos tuos fide, & opere futuros esse prænoscis; te supplices exoramus, vt pro quibus effundere preces decreuimus, quósque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementiā, omnium delictorum suorum veniam consequantur.

Nu.66. Iam si iustus oret pro existentibus adhuc in hoc mundo, oratio ipsius, pro iis pro quibus erat, impetratoria est, etiam bonotum temporalium: vt constat ex eo, quòd orante Moyse, Iosue vicerit Amalech, *Exodi* 17. & quòd sua oratione idem Moyses imminentes cruciibus Iudæorum, auerterit pœnas & flagella *Exod.* 32. Item quòd orante Elia data sit pluuia 3. *Regum cap.* 18. Est quoque eadem oratio peccatori, pro quo funditur impetratoria remissionis peccatorum: non quidem proximè, sed remotè; id est, non quod Deus ad preces iusti det gratiam peccatori nihil operanti (non enim datur nisi pœnitentiam habenti, dicente Domino Lucæ 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis] sed quòd det illi speciale auxilium, cui si cooperetur, conuertetur ad pœnitentiam, per quam diuino beneficio consequetur remissionem peccatorum. Ad quod facit tum quod *Matthæi* 9. paralytico profuit fides adducentium ipsum ad Christum; tum quod Christus ipse *Luc.* 16. moneat, Facite vobis amicos de māmona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.] Quibus verbis indicatur peccatores precibus pauperum, quibus fecerint eleemosynam, iuuari ad resurgendum à peccato. Adde illud *Iacobi* 5. Orate pro inuicem vt saluemini.]

Est denique eadē oratio ipsi oranti (*sicut alia ipsius bona opera propter Deum facta*) & meritoria, & satisfactoria. Quod si pro iusto fundatur oratio iusti, ea potest esse huic satisfactoria: quia etsi vnus nō possit mereri alteri gloriam, *quæ vnicuique redditur secundum opera sua*: potest tamen pro eo satisfacere ob communionem Sanctorum existentium in gratia: Deo scilicet acceptante pœnam ab vno susceptam, vice pœnę ab altero susipiendæ in satisfactionem pro suis peccatis. Alioqui enim non esset vsus indulgentiarum, per quas non modò Christi, sed etiam Sanctorum satisfactiones nobis applicantur.

Nu.67. Denique si iustus oret pro iis qui sunt in inferno, oratio est infructuosa: & nisi ignorantia excuset, est reprehensibilis, tanquā inepta petitio conferentium ad æternam, salutē, pro iis qui ab illa Dei immutabili decreto, sunt exclusi: vt patet ex illa irreuocabili sententia *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum.] Et certè si de quibusquam intelligi potest illud 1. *Ioan.* 5. Est peccatum ad mortem, non dico vt pro illo roget quis:] maximè potest de iis qui in peccato mortali decessisse, *atqueadeo in inferno cum epulone sepeliri*, probabiliter creduntur. Pro quibus non esse orandum statuitur 13. *quæst.* 2. *cap. In præsenti. & cap. Pro obeuntibus. & 23. quæst.* 5. *cap. Placuit*: & in sequenti quæst. 8. cap. Quicumque Clericus. Plenius de hac re differentem Azorium *in lib.* 9. *moral. instit. cap.* 31. qui volet videre potest: vt & de eo, quòd pro omnibus orandum sit *ex priori ad Timoth. cap.* 2. & de eo, quòd omnis homo, etiam hostis, aut alienus, aut infidelis aut impius & sceleratus sit noster proximus, quem Dei iussu amare debeamus, & idcirco pro eo orare quod est amoris, & charitatis officium, Quodquidem ad omnes illos extendi patet; quia quamdiu illi viuunt salutem ipsorum possumus sperare à Deo: qui vult omnes homines saluos fieri, &

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad agnitionem veritatis venire *ex eod.cap.* 2. itaut nihil obstet quin pro eis orandum sit, vt sanctæ fidei lumen recipiant:& ab impietatis errore, improbitateque conuersi, ad sanam mentem bonámque frugem reuocentur. Quo nihilominus modo, non sit pro aliquo ex talibus orandum in particulari;differendum est ad eum locum in quo agetur de effectis excommunicationis. Hæcque de oratione iusti pro aliis,hactenus.

Nu.68. Quod attinet ad orationem peccatoris, item pro aliis; notandum est,peccatorem posse trifariam orare pro aliis: vel tanquam publicum Ecclesiæ ministrum,vel tanquam priuatum: idque vel rogatu alterius,vel propria sponte. Atque si oret tanquam publicus Ecclesiæ minister,illius oratio(dummodo non sit mala)iis pro quibus fit, in Dei gratia existentibus, necdum adeptis beatitudinem,prodest ratione valoris quem habet ex parte Ecclesiæ, ob huius in Christum affectum pium, quo illam instituit, præcipitque fieri; non prodest autem ex parte orantis, sicut prodesset si iustus esset:quia oratio peccatoris, vt talis, tanquam habentis manus plenas sanguine Christi,non exauditur à Deo *iuxta antedicta num.*58.etiamsi eo ipso quòd est peccatoris,non sit censenda mala vt contra Adrianum docent Nauar. & Medina *ille in tractatu de oratione cap.6.num.* 40. *& aliquot sequentibus: hic verò in Cod.de oratione quæst.* 12. Si verò peccator oret tanquam priuatus,rogatu alterius, qui sit in Dei gratia;oratio quidem illius prodesse aliquo modo potest roganti, ob pium suum affectum, *perinde ac pio & iusto domino prodest elemosyna quam dat pauperi per manum peruersi famuli*: non autem ex parte orantis. Si denique pro alio oret sua sponte, tanquam priuata persona,oratio illius ob defectum charitatis, ei pro quo funditur non prodest,ne quidem ad satisfactionem pro peccatis, nec ad postulatum impetrandum ex merito aliquo orantis, prout pleniùs tractat Nauar. *in tract. De oratione,cap.* 20.*num.* 33.34. *&* 35. Sicque intelligi potest illud *Ioan.* 9. Scimus quòd Deus peccatores non audit; non autem quod nullo modo audiat peccatores. Nam pro diuina sua misericordia & liberalitate, audit pro se orantes vt ante diximus, num. 59. nisi ob malam circumstantiam oratio ipsorum sit mala, & ideo displicens ipsi Deo,*vt & quodcunque aliud peccatum displiceat.* Quæ etiam est Nauarr.doctrina ibidem.

CAPVT NONVM.

De præcepto & obligatione orandi.

SVMMARIVM.

69 *Datur præceptum diuinum de oratione, illúdque obligans sub mortali.*
70 *Talem obligationem communem esse omnibus Christianis.*
71 *Non esse impositum pro certo loco.*
72 *Nihilominus interdum necessarium, & ordinariè melius esse orare in loco sacro,quàm in profano:& in loco honesto,quàm in sordido.*
73 *Nec etiam impositam esse pro omni tempore.*
74 *Impositam esse tantùm pro tempore necessitatis.*
75 *Quando necessitas, in qua peccetur mortaliter transgressione diuini præcepti de orando dati, censenda sit contingere.*

Nu.69. OMMVNE Theologorum axioma est quod notat Gregor.à Valen. *secunda secundæ disput. 6. quæst.2. puncto 3. col.* 1684. omnem actum ad æternam salutem necessarium, pariter esse præcepto diuino necessariũ. Orationem verò talem actum esse,ex eo patet:quòd omnes teneamur æternæ salutis nostræ curam gerere: quod satis indicauit Dominus noster *Matth.6.* cùm docens nos non esse de rebus ad huius vitæ sustentationem necessariis solicitos;præcipit vt primùm quæramus regnũ Dei, & iustitiam eius, adeóque vt necessaria ad æternam nostram salutem: pro quibus sine dubitatione recurrendum est ad Deum: quandoquidem aliunde haberi non possunt iuxta illud *Ioan.*15. Sine me nihil potestis facere] & illud *posterioris ad Corinth. cap.*3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis,tanquam ex nobis:sed sufficientia nostra ex Deo est.] Vt autem à Deo talia obtineantur, necessaria est oratio,de qua præceptum diuinum habetur ex multis sacræ Scripturæ locis:vt cum *Matth.*6.dicitur.Sic vos orabitis,Pater noster qui es in cœlis,&c.]*& cap.* 7. Petite & accipietis,quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis:] *& cap.* 26. Vigilate & orate ne intretis in tentationem] *& Luc.* 18. Oportet semper orare, & non deficere] *& ad Rom.*12. Orationi instantes]*& ad Ephes.*6.Galeam salutis assumite & gladium spiritus(quod est verbum Dei) per orationem & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu] *ad Coloss. ii*4. Orationi instate vigilantes in eo:]*& prioris ad Thessal.*5. Sine intermissione orate]*& Iacobi* 5. Orate pro inuicem vt saluemini.] Ad cuius præcepti obligationem intelligendam sequentia occurrunt notanda.

Primum est: illam esse sub peccato mortali: quia tale præceptum,cùm sit de re ex se graui, vtpote necessaria ad æternam salutem, vt prædictum est,obligat sub tali graui pœna.

Nu.70. Secundum est:talem obligationem esse communem omnibus Christianis: nam ad certas personas, ante proposita Scripturæ testimonia restringendi, nulla ratio datur: cùm omnes naturali iure teneamur gerere curam nostræ salutis, amplectendo media ad eam necessaria:inter quæ,*vt ostendimus*,est oratio, qua petimus à Deo peccatorum nostrorum remissionem,& diuinam ipsius gratiam, atque aduersus tentationes auxilium. Cuius petitionis necessitas facit, vt tanta solicitudine probi parentes, suos infantulos doceant orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, quotidiéque recitandam inculcent:Quod etiam in illorum defectum, præstandum patrinis & matrinis iniungitur,De consecr. distin.4.cap.Vos ante omnia.

Nu.71. Tertium est: Eam non esse impositam pro certo loco, cùm D. Paulus dicat *in priori ad Timoth. cap.* 2. Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira,& disceptatione: Similiter & mulieres in habitu ornato &c.] Itémque Ecclesia in præfatione Missæ dicat. Verè dignum & iustum est,æquũ & salutare, nos tibi Domine semper & vbique gratias agere.] De qua re latè Nauarr. *in tract. de oratione cap.*5. Ad vitandam autem nimiam prolixitatem cõtenti erimus nonnulla annotare ad quotidianum vsum commoda. Ac primò omnem orationem siue mentalem siue vocalem;& hanc siue priuatam, siue publicam priuatim recitandam: *secus de publicè recitanda,quæ debet in Ecclesia fieri iuxta ius commune vt ibidem num.* 11. *notat Nauar.* posse fieri in quouis loco iuxta antedicta. Secundò istud ipsum pati exceptionem in duobus casibus. Prior est,cùm oratio fuerit præcepta,certo loco fieri. Neque enim, qui vel ex voto, vel ex Confessarij impositione, vel ex aliqua lege, vel rationabili consuetudine aut fundatoris statuto tenetur Missam aut preces aliquas dicere in certo loco,satisfacit dicendo in alio.Pro qua re Nauar

uar. num. 3.iura, & Doctores citat. Posterior casus est, si non concurrant debitæ circumstantiæ. Nec enim licet orare in loco in quo daretur aliis scandalum, mouendo illis risum, aut dando occasionem, ipsum orãtem, de hypocrisi,aut superstitione damnandi. Tertiò cæteris paribus melius esse orare in locis sacris quàm alibi. Pro quo Nauar.num. 4. adfert cap. Parsimoniam *iuncta Glosa distinct.*41. *& cap. Decet. De immunit. Ecclesiarum.* atque ex D. Thoma hanc rationem: quòd in illis ad melius orandum iuuemur specialiter à Deo. Tum ratione Episcopalis consecrationis ipsorum in domos Dei;& per consequens,in domos orationis:dicente Domino *Matth.* 21. Scriptum est domus mea domus orationis vocabitur.] Tum ratione sacrosanctæ Eucharistiæ,& reliquiarum,aliarúmque rerum sactarum in eis asseruatarum. Tum demum ob Sanctorum præsidium, & affluentium deuotionem per quam iuuamur, vt facilius audiamur.

Nu.72. Quartò,cæteris quoque paribus melius esse orare in loco honesto,quàm in obscœno:licet oratio mentalis quocumque in loco fiat,si cæteræ circunstantiæ debitæ concurrant,placeat Deo; *vt ex D. Thoma habet Nauar. num.* 6. Pro eóque facit quod in præced. num. 2. idem etiam habet ex D.Bernardo,Vbicumque fueris, intra temetipsum ora.] Sique per necessitatem detineatur quis in loco obscœno,vt captus ab hoste & inclusus, nihil prohibet quin possit ibi preces obligatorias recitare. Nec etiam reprehendendus videtur qui aliquas orationes ad quas non obligaretur, recitaret in eiusmodi locis, dummodo aliæ debitæ circumstantiæ concurrant. Quod vtrumque *numero* 8.9.& 10. Nauar. confirmat:Tum ex eo quod cessante scandalo,vel specie hypocrisis,aut contemptu Sacrorum verborum, & irreuerentia eius quem alloquimur,oratio non censeatur loci sordibus contaminari;sicut nec anima; cui contaminationis periculum magis imminere potest ex circunstantia loci publici suppeditantis materiam terrenarum cogitationum,per quas ipsa inquinetur. Vnde fit *(quod in plerisque probis & piis viris se notasse ait Naua.)* vt aliqui peregrè profecti, non auersentur,horas Canonicas recitare in stabulo secus iumenta sua; quia ibi quietiùs recitant quàm in cubiculo diuersorij,vbi per strepitum impedirentur; præsertim cùm ex loci humilitate & sordibus excitari possit orans, ad reputandum secum altiùs, quantum per nostram vilitatem & sordes,distemus à diuina maiestate: quæ nos ad colloquium dignatur admittere.

Nu.73. Quartum notandum est: propositam obligationem non esse impositam pro omni tempore; quandoquidem nequiret alioqui impleri in hac vita:cùm necessitas comedendi, dormiendi, faciendique alia necessaria ad conseruationem nostram atque exequendi officia Parentibus,Superioribus,& aliis proximis debita, non permittant orationi siue mentali siue vocali incessanter insistere. Nec obstat illud *Luc.*18.Oportet semper orare:& similia.Nam(prout ratio proposita ostendit) non possunt eum sensum habere quo imponant obligationem numquam cessandi ab actu orandi. Accommodatus verò sensus videtur esse, vt particula *Semper* intelligatur non de omni tempore generaliter, sed specialiter de omni tempore quo incumbit necessitas orandi ad spiritalis vitæ conseruationem:sicut & cùm Dauid dixit ad Miphiboseth 2. Regum 9. Tu comedes panem in mensa mea semper:] non ita est intelligendum quasi Miphiboseth perpetuò mansurus esset in mensa comedens panem: sed quod omni tempore constituto refectioni corporis, ad vitæ corporeæ conseruationem. Legat qui volet Bellarm. *in lib. 1. de bonis operibus.cap.9.conditione* 6. & Azor.in 1.part. Moral.institut. lib.9.cap.34.quæst.1.

Nu.74. Iam & videri posset eadem obligatio imposita pro certo,determinatóque tempore per illud *Psal.*54. Vespere,mane, & meridie, narrabo & annunciabo: & exaudiet vocem meam;] & per illud *Psal.*118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi] Sed nõ est ita: quia inde tantum sequitur Dauidem seruasse illam temporis circunstantiam in orando, non autem quòd ea sit in præcepto.Vnde tã D. Thomas, quam plerique alij *vt in præced. cap. 3. num.* 5. *Nauar. notat*, statuunt;neque iure naturali, neque positiuo diuino præfixum esse certum aliquod tempus ad orandum: itaut de diuino præcepto orandi, perinde sit dicendum, ac de plerisque aliis affirmatiuis; nimirum obligare tantùm pro tempore necessitatis:*prout notat Gregorius à Valen. 2. 2. disput.6. quæst.2. puncto* 3. *sub finem.* Quod tamen limitandum est, *ex Nauar. in eod. cap.3.num.*15. vt nihilominus iure diuino oratio fieri debeat eo tempore,quod per iuramentum,aut votum,aut pœnitentiam acceptatam præfixum fuerit.

Nu.75. Cæterùm ad indicandum in particulari quando peccetur mortaliter transgressione præcepti diuini dati de orando, videtur de tali necessitate cum Nauarr. ipso *in præced.num.*14. tenendum; quòd ea contingat quoties casus adest,in quo quis existimat senõ habere aliam rationem consequendi suam aut proximi salutem, seu vitandi aliquod peccatum mortale,aut ex eo consequentem æternam damnationem, quàm per orationem: verbi gratia quando quis aduertit se tam grauiter tentari impatientiâ, luxuriâ, ambitione, aut alio peccati mortalis genere, vt nihil ad liberandum se à lapsu existimet sibi sufficere. præter opem diuinam oratione obtinendam: aut quando videt aliquos ad duellum procedere, in quo se mutuo occidãt; nec aliter eos iuuare potest quam oratione. Confirmatur verò hæc doctrina, ratione, quam ex Palud. idem Nauar. habet *in eod.cap. 3. num.* 10. Quod vt attento solo iure diuino, tunc duntaxat tenemur mendicare, & propter Deum panem materialem petere, cùm non subest alia ratio conseruandi vitam nostram corpoream, aut alterius qui nostræ fidei curæque creditus est; ita tunc demum teneamur orare & petere bona ad nostram vel proximi salutem necessaria,quando nulla alia subest cõseruandæ ratio. Vnde post eundem Palud. Nauarr. ipse *in seq.num.*11.12.*&* 13.infert.Non peccare mortaliter eum qui videns se peccato mortali irretitum, non orat seu non petit à Deo gratiam ex eo emergendi, si quidem verosimiliter credat sibi tempus postea petendi & pœnitendi non defuturum. Nam nec in eo casu peccat mortaliter non pœnitendo, iuxta communem doctrinam de obligatione ad cõtritionem:dummodo tamen ei peccatum ipsum non placeat.Neque item mortaliter peccare eum qui pro proximo quem nouit peccato mortali inquinatum, omittit orare Deum,vt ab eo liberetur:quantumuis sciat oratione sua iuuandum *vt idem Nauarr. tangit consequenter num.*15. si pariter sciat (quod ordinariè contingit)aliud adesse remedium: tum pœnitentiæ, cuius nullum sufficiens impedimentum, ipsum habere apparet: tum admonitionis, & curæ quæ de eo ab aliis geritur. Quæ doctrina facit ad solatium cõscientiarum timoratarum: non quidem vt relaxetur in nobis studium orandi tam pro nobis, quàm pro aliis: sed vt liberemur ab anxietatibus quas pati oporteret,si de omnibus omissionibus quæ accideret non orando pro existentibus in peccato mortali,pœnitendum esset, & confitendum tanquam de peccatis mortalibus. Ad quod solatium facit etiam quod habet Gregor.à Valen. loco citato,non pecca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri per omissionem orationis, nisi quis eo tempore quo orare oportet aduertat vel aduertere possit ex præcedenti aliqua præcognitione (*qualis fuit, quam ex cap. 26. Dum Matthei, a Christo acceperunt Apostoli, dicente illis. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*) quòd necesse sit tunc orare: quia si id nullo modo veniat in mentem, inuincibiliterque obliuiscatur quis orationis faciendæ; sicut omissio illius non erit voluntaria, ita nec erit peccatum: quia nullum est peccatum nisi voluntarium.

Aduertendum tamen est, eum qui longo tempore non orauit, meritò debere sibi conscius esse peccati mortalis commissi omittendo orationem: cum, vt idem author bene addit, vix moraliter loquendo, longum tempus labatur, quin incidant grauissimæ tentationes, ad quas repellendas orare oporteat ex diuino præcepto. Quamquam ij qui sunt timoratæ conscientiæ, rarò peccant in hoc genere: quoniam frequenter orant, etiamsi fortè non recordentur, nec aduertant se ad id teneri.

CAPVT DECIMVM.

De requisitis ad orationem vt tanquam bona, censeri possit accommodata ad implendum præceptum diuinum datum de orando.

SVMMARIVM.

76 *Orandus est solus Deus propter se: propter ipsum verò Sancti quoque sunt orandi, non tamen alij, quam iam in cœlo regnantes.*
77 *Spectantia ad remotam præparationem ad orationem.*
78 *Spectantia ad præparationem propinquam.*
79 *Reuerentia ad orationem requisita.*
80 *Dispositio requisita siue ex parte animæ, siue ex parte corporis ad orandum cum reuerentia.*
81 *Deuotio requisita ad bonam orationem.*
82 *Non modo mentalis sed etiam vocalis oratio requirit attentionem vt bona sit.*
83 *Qualem esse oporteat eam attentionem.*
84 *Triplex attentio orantis vocaliter; vna ad verba, altera ad sensum verborum, & tertia ad finem orationis, quæ potissimum necessaria est.*
85 *Quando per defectum attentionis in oratione committatur peccatum mortale, quando veniale, quando nullum.*
86 *Documentum de eo qui oratione vocali orat suo marte.*
87 *De interruptione attentionis impediente orationis fructuosos effectus.*
88 *Interruptio attentionis tacita, quomodo contingat.*
89 *Ratio indicandi de actione, cum qua stare non potest attentio requisita ad bonam orationem.*
90 *Quando censeatur quis mutasse attendendi propositum.*
91 *Quando contingat mortale peccatum ex tacita interruptione attentionis.*
92 *Adumenta ad cohibendas euagationes mentis contingentes in oratione.*
93 *Quodnam sit orationis bonæ obiectum.*
94 *Quæ bona liceat absolutè petere in oratione, & quæ tantum sub conditione.*
95 *Quomodo licitum sit bona temporalia petere in oratione.*
96 *Peccati depulsionem licet à Deo petere absolutè: aliorum verò malorum, sub conditione.*
97 *Qua ratione interdum vsurpentur orationes, quæ nihil exprimunt eorum, quæ obtinere intendimus.*
98 *Quis sit bonæ orationis debitus finis.*
99 *Non modo peccatum, sed nec bonum honorarium, cùm fuerit vanum, orationis debitus finis esse potest.*
100 *Tres casus, in quibus bonum honorarium censetur vanum.*
101 *Triplex finis ad quem idem bonum aut aliud temporale relatum actualiter, aut virtualiter non est vanum, benèque expetitur.*
102 *Quomodo cognoscatur ea virtualis relatio.*
103 *Tria corollaria collecta ex præcedentibus.*

CVM oratio mala, sit peccatum, nec Deo accepta: iuxta illud *Psal.* 108. Oratio eius fiat in peccatum] & illud *Prouerb.* 28. Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis] oportet bonam esse eam, per quam implendum est diuinum præceptum de orando datum: ideo quæ ad eam requirantur, hic tradendum est, & explicandum.

De eo qui orandus est.

SECTIO I.

PRimum igitur est, vt eum oremus qui orandus est: is autem (*vt bene docet D. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 4.*) est quidem solus Deus tanquam is, à quo accipiendum est illud quod in oratione petitur. Ipse enim solus supernaturalium gratiæ & gloriæ donorum, *quæ præcipuè petuntur in oratione*, author est, causaque principalis: iuxta illud *Psalm.* 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus:] attamen orandi quoque sunt Sancti, tum Angeli, tum homines in cœlo regnantes; tanquam ij qui interceßuri sint apud Deum pro impetrando eo, quod ab ipso petimus ex Concil. Triden. sess. 25. sub initium, in secundo decreto: quod propugnat aduersus nostri temporis hæreticos, qui scribunt de Sanctorum inuocatione. Legi potest Greg. à Valen. 2. 2. disput. 6. quæst. 2. puncto 7. nam in ea re immorari non est nostri instituti. Ad quod satis fuerit monere: eam differentiam indicari per receptissimum Ecclesiæ vsum, quo Deum orat, per Miserere nobis: Sanctos verò, per Ora pro nobis: quod notat Nauarr. *in tractatu de oratione cap. 1. num. 21.* Quia ergo solum Deū colere licet propter seipsum, seu venerari diuino cultu: *iuxta illud à Domino nostro citatum Matth. 4.* Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies] Sāctos verò solummodo propter Deum seu tanquam Patronos, & Aduocatos nostros apud ipsum: quos vult à nobis tanquam amicos, & familiares suos coli & honorari, iuxta illud *Psal.* 138. Mihi autē nimis honorificati sunt amici tui Deus.] Quia, inquam, hæc ita sunt; oratio cùm sit cultus quidem diuinus, vt pote religionis actus, facienda est soli Deo absolutè, & propter seipsum: Sanctis autem solùm respectiuè, seu propter Deum; & hoc adhuc differenter: nam præter beatos Angelos, illos tantùm Sanctos nominatim (*vt fit in litaniis*) orare publicè debemus, quos Ecclesia vitā functos in cœlo regnare per canonizationem declarauerit, id quod glossa ad cap. vnicum, de reliquiis & veneratione Sanctorum, in 6. verbo, Sedis Apostolicæ, notat ex Innocentio & Hostiensi. Addens nihilominus cuilibet licere in secreto alicui defuncto quē Sanctum credit, preces porrigere, vt pro ipso ad Deum intercedat. Quod intellige, si credat iam in cœlo regnare. Nam non constat, an tales preces possimus porrigere detentis adhuc in purgatorio. De qua re in vtramque partem Authores, & rationes adfert Aragonius ad cit. D. Thom.

Nu. 76.

D. Tho. art. 4. colum. penult. sicut nec constat an illi pro nobis orent: quod cum D. Thoma *in eodem art. ad 3.* Theologos negare notat Azor. *in 1. par. Moral. instit. lib. 9. cap. 10. quæst. 12. & cap. 30. quæst. 4.* Nobis autem satis est ad inclinandum ad partem negantem cum ipso D. Thoma, Alexandro, Abulensi, D. Antonino Syluestro, & Nauar. quos Aragon pro ea citat: quòd Ecclesia pro iis qui sunt in purgatorio orare quidem soleat, non tamen eos orare. Quod attinet ad iustos adhuc viuentes; illorum quidem intercessionem ad Deum pro nobis petimus, sed talis petitio non est oratio de qua agimus: sed tantùm colloquium (*ex D. Thom. ibid.*) quo eam spiritalem eleemosynam nobis fieri rogamus, sicut mendici rogant aliquid panis sibi largiri.

De præparatione ad orationem.

SECTIO II.

SEcundum quòd bona oratio, *saltem vt bene fiat*, requirit; est præparatio de qua *Ecclesiastici* 18. Ante orationem præpara animam tuam: & noli esse quasi homo qui tentat Deum.] Cùm autem multa sint, quibus animus ad tam sanctam, tamque sublimen actionem præparatur (*de quibus inter cæteros præclarè Ludouicus Granatensis in 2. parte sui tractatus de oratione*) pauca tamen necessaria attigisse contenti erimus breuitatis studio: eorum autem alia pertinet ad præparationem remotam, & alia ad propinquam.

Nu. 77. Atque illa sunt, quæ faciunt vt animus suscipiat ardentiùs, exerceatque vtiliùs orationis studium: quorum quædam procuranda sunt, & quędam remouenda. Procurandum est primò vt excitetur in nobis Christianæ perfectionis, *quæ est ad æternam salutem via*, ardens desiderium: deinde vt firmiter in animo constitutum habeamus, nihil nos iuuante diuina gratia, omittere velle eorum, quæ ad eamdem perfectionem spectēt: memores quòd à Domino *Matth. 6.* iubeamur primum quærere regnum Dei & iustitiam eius; postremò vt excelso, liberalique animo, nos totos Dei manibus committamus tractandos ac formandos; quandoquidem *ex cap. 3. posterioris ad Corinth.* Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.]

Remouenda sunt verò, quæ mentem distrahunt variis cogitationibus, & voluntatem dissipant variis affectibus: vt occupationes nimiæ, quæ si necessariæ sint, aut iustis de causis suscipiendæ; danda est opera, vt mens, *quo expeditior sit ad vacandum Deo in oratione*, custodiatur in quiete: quod maximè fiet seruando sensus sub diligenti custodia, procurandóque exteriorem recollectionem; ac renouando frequēter memoriam diuinæ præsentiæ, imitatione Dauidis dicentis *in Psal. 15.* Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris mihi est ne commouear.]

Nu. 78. Ad propinquam autem præparationem pertinentia, sunt illa quæ faciunt, vt cum debita reuerentia & attentione oremus. Quale est, primò, ante orationem facere delectum siue punctorum considerandorum in oratione mentali, eáque memoriæ commendare: siue precum recitandarum in oratione vocali. Deinde paulo ante eamdem, breuiter quidem, sed attētè cogitare quo accedendum nobis sit, quidque faciendum; nimirum accedendum est ad colloquium cum Deo, & Domino nostro, cum eóque de rebus maximis: nempe de nostra & proximorum perfectione, ac salute transigendum. Denique magnificam quandam, & excelsam opinionem de diuina maiestate animo concipere: de nobis verò abiectissimam: quod facilè fiet ponderatis septem perfectionibus Deo attributis (*quarum notitia habetur ex symbolo Apostolorum, quod est compendiosa Dei cognoscendi via*) & comparatis cum septem nostris defectibus oppositis. Primò igitur, Deus est rerum omnium creator; quòd infinitam in eo potestatem, sapiētiam, & bonitatem ostendit; homo autem ex nihilo creatus, ex se nihil est. Secundò, Deus conseruator est omnium quæ condidit, eadem sapientia, potestate, & bonitate sua sustinens illa, ne in nihilum relabantur. Homo verò, *ex cap. 14. Iob.* quasi flos egreditur & conteritur & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.] Tertiò, Deus gubernator est omnium rerum, omnibus pro eadem infinita sua potestate, scientia, & bonitate prospiciens, suauiterque perpetuā quadam paternā curā ad fines suos, illa perducens: de quo *Sapien. 8.* Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.] Homo autem ex insita imbecillitate non potest, ex ignorantia nescit, & ex malitia non vult sibi bene prospicere immo ne quidem boni aliquid cogitare de se potest *ex cap. 3. posterioris ad Corinth.* Quartò, Deus redemptor noster est, nostri causa homo factus, grauissima passus, & ignominiosè mortuus, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter *ad Colloss. 2.* Homo verò de se peccati & diaboli mancipium, innumerabilibus præsentis & futuræ vitæ miseriis est obnoxius: de quo *Iob. cap. 14. cit.* Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miseriis.] Quintò, Deus parens est sanctitatis, qui gratia suā cœlestibus donis sanctos efficit: homo verò in peccato conceptus & natus, fœdum quoddam vlcus est, & omnium turpitudinum sentina detestanda. Sextò, Deus gloriæ largitor est: homo verò donorum cœlestium, quæ ad illam ducunt contemptor & dissipator miserabilis, pro nihilo habens terram desiderabilem viuentium, in qua videat bona Domini (*iuxta illud Psalm. 26. Credo videre bona Domini in terra viuentium*) & citato cursu pergens ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat] *ex cap. 17. Iob.* Postremò Deus, Iudex est, & vindex summus omnium: homo verò, æternorum cruciatuum coram ipsius maiestate reus est: propter commissa mala, & omissa bona per transgressionem præceptorum.

De reuerentia ad orationis bonitatem requisita.

SECTIO III.

TErtium ad bonam orationem requisitum, est reuerentia, adoratióque diuinæ maiestatis; ad impetrandum enim à Deo gratiam (vt bene docet D. Bonauent. in 2. par. opusculi, quod inscripsit incendium amoris) debet cor nostrum incuruari ad illius reuerentiam & adorationem: ex considerationē scilicet, & admiratione tam immensitatis, quàm misericordiæ ipsius, nostræque vilitatis & miseriæ: itaut plenè vtramque sentientes ac profitentes, vnam deplorando, & alteram implorando, venerabundi ad sacros quasi pedes tantæ maiestatis prouoluti, eidem nos totos ex animo penitúsque subiiciamus.

Nu. 79. Tum tanquam Patri, à quo sumus in lucem editi, educati, & æternæ hæreditatis capaces effecti. Tum tanquam Domino, qui pretio verè magno, nempe

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnigeniti filij sui sanguine, nos de captiuitate diaboli redemit, simulque ad famulādum sibi in omnibus, nos conduxit mercede excedente omnem mentis humanæ captum: iuxta illud *quod ex Isaia cap. 64. habet Apostolus in priori ad Corinth.* 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.] Tum demū tanquam Iudici, coram quo accusati sumus clamore nostræ conscientiæ; & conuicti sumus euidentiā vitæ nostræ, aspectúque diuinæ sapientiæ. Atque primo modo, *ex D. Bonauent. loco cit.* subiicimus nos per modum inclinationis: secundo verò, deiicimus nos per modum genuflexionis: tertio demum abiicimus nos per modum prostrationis.

Nu. 80. Cæterùm quæ interior animæ compositio requiratur ad orandum cum debita reuerētia, intelligi potest per ante dicta num. 55. & aliquot sequentibus de requisitis ad piè orandum, quia talis pietas debitam reuerentiam importat. Quæ autem requiratur exterior corporis, non definitur in particulari, sed solùm in genere statuitur, cuique liberum esse eo modo corpus in oratione componere, quo sperat se faciliùs cum debita animi deuotione, & maiore fructu in ea versaturum: siue genibus flexis, quod maximè laudatur, communissimúmque est: siue, *dummodo locus ferat*, prostratus humi: siue sedens aut stans. Quod intellige de priuata oratione, vel de publica priuatim facta. Nam in publica publicè facta, quilibet seruare debet ritus & mores siue vniuersalis Ecclesiæ, siue suæ propriæ; quod latè explicat Nauar. *in tract. de oratione, cap.* 4. Cauendum est verò, ne tali reuerentiæ admisceatur vana aliqua obseruatio; quia etiamsi aliæ debitæ conditiones adsint, inde tamen oratio erit mala, tanquam superstitiosè, nec debito modo facta, vt ex recepta communiter D. Thomæ doctrina habet idem Nauar. *in sequen. cap. 6. num.* 45. Addens ex eodem; vanam obseruationem censeri, vsum cuiusuis rei, ad aliquem effectum, quem ea nec virtute naturali, nec institutione diuina, vel humana Ecclesiastica operari potest, neque cęremonia est concernens reuerentiam & honorem Dei, vel suorum Sanctorum. Cuius vanitatis aliquot exēpla idem author sequentibus numeris subiungit; & nimis multa quotidie occurrunt: de quibus agere est alterius loci.

De deuotione ad orationem bonam necessaria.

Sectio IV.

Nu. 81. QVartum requisitum ad bonam orationem, est deuotio; quā orans se prompta voluntate conformet submittátque diuinæ voluntati. De ea documentum Christus dedit, cùm modum orandi præscribens, inter cætera posuit, Fiat volūtas tua. Exemplum etiam dedit, cùm orando dixit, Pater transfer à me calicem hunc, veruntamen non mea sed tua voluntas fiat.]Et certe depraui orationé per hoc, quòd homo absolutè petat à Deo quod lubet, non subiiciendo suam voluntatem diuinæ: patet ex eo, quòd non humilis sed superba sit talis oratio, vt bene ait Medina *in Cod. De oratione, quæst.* 12. & probatur quia aliquid à Deo ita petere, perinde est, ac petere, Domine fiat quod egò volo, & non quod tu vis: id quod est superbè reniti diuinæ voluntati, & ideo apertè illicitum. An autem sit necessarium vt deuotio feruida sit & intensa, itaut oratio ad Deum fusa deprauetur defectu talis feruoris, & intensionis, peccétque is qui sine feruida & intensa deuotione orat: disputat vt Medina *in sequen. quæst.* 13. partémque negantem sequitur: & ad ea quibus orationis tepiditas damnatur: respondet distinguendo de tepiditate: quòd quædam sit feruori intensóque conatui opposita, illum excludens: quædam verò oppositā diligētiæ, quæ executioni operis debetur, & consistit in eiusdem diligentiæ omissione, admissa in executione: hæcque est tepiditas quæ tanquā culpanda reprehenditur in oratione etsi eam nō deprauet omnino.

De attentione ad bonam orationem necessaria.

Sectio V.

QVintum requisitum ad bonam orationem, est attētio: de qua D. Thomas & interpretes ipsius agunt 2.2. *quæst.* 83. *art.* 13. & latè accommodatéque ad praxim Nauar. *in tract. de oratione cap.* 13. *& aliquot sequentib.* nonnullíque alij *vt Medina in sequēti quæst.* 14. Nos aliquot documenta pro praxi quotidiana notabimus.

Primum est: mentalem orationem esse non posse *Nu.* 82. absque attentione: repugnat enim mente orare, & non attendere; siquidē attentio nihil est aliud, quàm aduertentia mentis ad id quod voluntas intendit. Vnde cùm primùm mens euagari incipit, orare desinit: quia illius aduertentia cessat, & per consequens consideratio in qua mentalis oratio consistit. Ab oratione autem vocali attentionem abesse posse cōstat: quia non ex se, sed ex orantis solùm voluntate, attentio illi conuenit.

Secundum est: ad orationem vocalem requiri attentionem non tantùm ad percipiendos ex ea fructus supra positos, *quod omnes concedunt teste Nauarr. in cod. cap.* 13. *num.* 13. sed etiam ad vitandum peccatum irreuerentiæ diuinæ, indicatum verbis Prophetæ relatis à Domino nostro *Matth.* 15. Populus hic labiis me honorat cor autem eorum longè est à me:] & sententiis Patrum relatis à Medina *in eadem quæst.* 14. vbi id contingere non modò in oratione posita in præcepto, aut publica, sed etiam in libera, & priuata, probat à pari: quia si quis non ex præcepto sed ex libera sua voluntate vult confiteri, hoc facere debet cum contritione: alioquì per irreuerentiam Dei peccabit, etiamsi confessionem omittere posset. Similiter si quis celebrare Missam aut communicare velit, etiamsi liberum ei sit id omittere, peccabit per eamdem irreuerentiam Dei, nisi priùs se probet ac disponat. Quare & peccabit qui vult orare Deum, seu petere aliquid ab eo, nec curare attentionem: itaut loquatur cum eo tanquam facie mentis auersa ab ipso, quod est irreuerenter, temerariè & cum quodā contēptu gerere se, cum infinita illa maiestate. Quam doctrinam ex D. Thoma referens, & non absimili ratione confirmans Nauarr. *in cit. cap.* 13. *a nu.* 39. *ad* 47. ex ea infert: aliquos interdum peccare taliter orando qui non peccarent non orando. Similiter peccare dicendo aut audiendo Missam, horas canonicas, seu diuina officia, qui non peccarent non dicendo aut non audiendo illa.

Aduerte autem quod loco citato versu Si vrgeas *Nu.* 83. habet Medina: quia non est in potestate nostra quin distrahamur aliquādo iuxta illud Psal. 39. Cor meum dereliquit me.]nullum ius obligare orantem ad continuam attētionem actualem habendā quandiu durat oratio: sed satis est si orans habeat, vel illam, vel virtualem. Quæ est cùm quis orat, post habitum attendendi, Deóque vacandi propositum siue expressum siue etiam tacitum *ex Nauar. in præcedenti nu.* 16. perdurat in oratione absque proposito distrahendi se ad

se ad alia, etiamsi cōtingat ipsum actu distrahi. Quod quidem est attentionem non interrumpi distractione inuolūtaria; sicut interrumpitur distractione voluntaria: quarum illa contingit, quando orans ad alia distrahitur, non quidem scienter, nec ex proposito, sed vel contra, vel præter suam voluntatem: id quod excusationem habet ob naturalem intellectus nostri volubilitatem. Hæc verò contingit, quando orans aduertit se orare, & nihilominus vult alia diuersa considerare: id quod coniunctam habet diuinæ irreuerentiæ culpam. Ex qua doctrina Nauarrus *in eod. cap.* 13. *a num.* 13. multa deducit spectantia maximè ad horarum canonicarum recitationem; de qua in sequenti libro 18. dicendum erit ex instituto.

Nu. 84. Tertium documentum est, *sumptum ex D. Thoma loco citato*, triplicem esse posse attentionem orantis vocaliter; vnam ad verba, nempe vt ea debitè pronunciet: quam cum deuotione coniūgendam esse in recitatione diuini officij, districtè & sub obedientia in cap. Dolētes. de celebr. Missarum §. finali, præcipitur per verbum *Studiosè*. prout glosa ibidem declarat.

Alteram verò attentionem esse posse ad sententiam verborum, non quidem secundum grammaticam ipsorum interpretationem, sed secundum eum sensum, quem docti habere possunt. Quæ attentio non est necessaria: quandoquidem idiotæ illam non habent, nec tamen ideo damnatur ipsorum oratio; vt patet ex eo, quòd Moniales obligatę ad recitationem diuini officij, nec Latinam linguam teneant, nec ea de causa discere teneantur: quanquam ad animæ refectionem talis attentio valde vtilis est. Tertiam demum attentionem esse posse ad finem orationis, nempe ad Deum, & ad rem pro qua obtinenda oratur. Eam D. Thomas maximè necessāriam esse, & ab idiotis haberi posse ait. Et certè cùm oratio sit affectus; ipsa de se sic includit talem attentionem, vt sine ea censenda non sit vera oratio, sed ficta; vnde *vt post Caiet. notat Nauar. in sequen. num.* 33. si quis adeo contentus esset aliquo duorum primorum modorum attendēdi, vt non procuraret hunc tertium, ipse neque mereretur, neque obligationi satisfaceret; vnde cauenda est in recitando solicitudo ea proferendi omnia, aut occupandi se in aliquius rei consideratione, per quam non promoueatur, sed potius retardetur mentis ascensus ad Deum, considerando eum cum pio, humilíque erga ipsum affectu amoris.

Nu. 85. Quartum documentum est, per defectum attentionis in oratione, nonnunquam committi peccatum mortale, nonnunquam tantùm veniale, nonnunquam nullum: nam peccat mortaliter qui orat ex præcepto, nec habet attentionem aut actualem, aut saltem virtualem, *prout tenent D. Thomas, Caiet. Palud. & D. Antoninus, quos citat & sequitur Nauar. in eod. cap.* 13. *num.* 46. Immo ea est communis omnium Doctorum sententia, *vt in interpretatione eiusdem D. Thomæ affirmat Aragonius.* 2.2. *quæst.* 83. *artic.* 13. *ad* 3. Rationem addens, quòd horas canonicas recitans sine virtuali saltem attentione ad verba transgrediatur præceptum cap. Dolentes. De celebrat. Missarum §. finali: ideoque peccet mortaliter: cùm eiusdem præcepti obligatio sit sub mortali, prout satis ostendunt verba quibus in illo §. finali, Pontifex præcipiés vtitur: nempe, *Districtè præcipimus in virtute obedientiæ.* Accedit, quod cùm præceptum diuinum de orādo, obliget sub reatu mortali, *vt suprà num.* 69. *diximus*, peccatum mortale committi transgressione illius, quando necessitate ad implendum ipsum vrgente, oratio fit sine attentione tertij modi; quoniam talis defectus facit vt ea non sit verè oratio: vtpote facta sine mētis ad Deum elcuatione, quæ ad naturam orationis requiritur.

Venialiter verò tantùm peccat is, qui non ex præcepto sed sua voluntate orat sine attentione, quod loco citato Aragon. *post Sotum lib.* 10. *de iustitia & iure, quæst.* 5. *art.* 5. probat ex eo, quòd defectus circūstantiæ attentionis in opere alias non debito, inducat tantummodo indecentiam quamdam, quæ non militat plenè contra charitatem.

Non peccat demum quis, eo ipso quòd sine particulari attentione ad verba, recitet orationem quæ in scriptura continetur, vel ab Ecclesia ordinatur; si non recitet ex præcepto, sed sua solummodo voluntate. Huius rei rationem hanc indicat Med. *in Cod. De oratione, quæst.* 14. *sub finem*, quòd in recitatione eiusmodi orationis, bene aptéque ex Spiritusancti directione ordinata, nōn sit periculum *(sicut in oratione, quam quis proprio marte ordinaret)* ineptè imprudentérque loquendi cum Deo: cùm à tali authore oratio nihil possit habere nisi conuenienter ordinatum: neque periculum non recitandi integrè ob defectum prædictæ attentionis, videtur magis de se culpam habere *(nisi inde oratio ita immutaretur vt inepta redderetur)* quàm non recitare omnino: quod quia ponimus ex solo voluntatis arbitrio pendere, nihil est vnde censeatur culpā habere: sicut nec cœnula ab eo qui pro sua tantùm voluntate ieiunat facta largiter, peccatum est: cùm illam faciēs, vt nullum transgreditur præceptum, ita nec peccat. Adde, neque illum qui recitat horas canonicas, *quantumuis doctus sit*, peccare eo ipso quòd non attendat ad sensum verborum: quia cùm certum sit; *vt Medina ibid. bene ait*, in talibus orationibus, nihil illicitum, aut ineptum contineri, orans satis facit si in genere intendat petere à Deo quod in illis continetur; quātumuis ad contenta non attendat particulariter.

Addit idem Medina oranti, qui suo marte oratio- *Nu.* 86.
nem vocalem componit, & Deo offert, ad imprudentiam & indiscretionem vitandam necessarium esse tum ad verba, tum ad sensum verborum attendere, ne exponat se periculo offendendi Deum quem orat, nec impetrandi quod ab eo petit: vnde oratio, & vana, & vituperabilis esset non minus, immo multo magis, quàm sit supplicatio tali modo facta terreno principi: itaut possit intelligi per illud animal de quo Malachiæ 1. Si offeratis claudum & languidum, nónne malum est? offer illud Duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus.]

Quintum documentum, *receptum communiter teste* *Nu.* 87.
Nauar. in sæpe memorato cap. 13. *num.* 16. ad merendum, impetrandum, & satisfaciendum per orationem: non solùm necessarium esse à principio illius habere propositum attendendi, & vacandi Deo: sed etiam non concipere aliud siue actuale, siue virtuale propositum non attendendi, per quod destruatur priùs conceptum. Vbi aduerte ex eodem authore, quòd ille censeatur actuale seu expressum non attendendi propositum concipere, qui proponit non attendere ad id quod recitat: vt vsuuenit Hymnum aut Psalmum cantilanti tantùm animi recreationis- que gratiā. Contingere item potest ei qui canit in chorō, in quo non seruatur debita attentio & deuotio: ac etiam ei qui recitat cum domino, aut socio quem non intelligit siue balbutientem, siue anticipantem versum, aut verba syncopantem, siue defectum alium admittentem: propter quem obligationi recitandi non satisfacit. Idem iudicium est de eo, qui cùm prius recitauerit, aut cùm iterum recitare statuat, attendere negligit, siue ab initio recitationis, siue postea in illius continuatione.

Ille autem solus & omnis censetur virtuale seu *Nu.* 88.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tacitum non attendendi propositum concipere, qui cogitationem habens occupatam in rebus à recitatione precum alienis: séque de eis cogitare, atque inde à debita attentione auerti deprehendens, non procurat mentem suam ab eadem cogitatione ad ipsam debitam attentionem reuocare. Censetur item ille qui deliberato animo occupat se in actionibus exterioribus, quæ eidem debitæ attentioni ita sunt contrariæ, spectata eius qui recitat habilitate, vt ipsâ recitatione saluâ, nequeant exerceri. Cuius generis actiones sunt legere, aut scribere aliquid diuersum ab eo quod recitatur; surgere è lecto, séque induere, aliúdve externum opus facere valde festinanter: magna cum solicitudine instruere focum, aut libros parare ad studendum, aut vacare alteri occupationi quæ mentem omnino ad se trahat.

Nu.89. De qua iudicandi certa regula *vt in eodem cap. 13. num.50. notat Nauar.* dari non potest; itaut debeat boni viri arbitrio relinqui. Cuius munus erit non tantùm naturam operis exterioris, sed etiam illius modum & agentis habilitatem spectare: seu perpendere, non modo quod tale opus multum ad se mentem trahat, & ab aliis abstrahat, *vt de lectione & scriptione iam significauimus est:* aut contra, quòd mentem parum occupatam teneat: vt quæ in exemplum Nauar. ibidem adfert: nempe ambulatio, ac itineris confectio siue peditis, siue equitis: moderata *(ex recepta ab omnibus Innocentij sententia probi idem testatur, nu.48.)* collectio huius, vel illius herbæ, profectio in prata vel hortos: sed etiam ponderare modum exercitij operis. Quæ enim ante diximus festinanter facta, aduersari attentioni recitationis: *vtpote quæ eam valde difficilem reddunt*, si ipsa fiant cum moderatione; certum est, non ita aduersari attentioni, quin hæc recitando preces, sufficiens retineri simul possit. Item ponderare recitantis habilitatem retinendi, *non obstante tali occupatione*, attentionem ad ea quæ recitat; in illam pro viribus incumbendo. Vbi aduerte occupationem illam isti attentioni de se non obstare, haberi per illud, quòd apud Monachos Ægyptios, *vt ex Cassiano adfert ipse Nauarrus*, in vsu fuerit vt externis operibus occupati, preces funderent: quódque Pontifices, & alij Sacerdotes, dum sacris vestibus se induunt, certas preces dicere præcipiantur: atque in nonnullis religionibus *(inquit idemin præced.num.47.)* statutum sit, vt Religiosi inter surgendum horas Virginis pronuncient. Ex his autem multa pro praxi quotidiana colligi possunt: sed huic loco sufficiet attigisse duo quæ habet adhuc Nauar. *in eod.cap. numero 21. & 22.*

Nu.90. Prius est, non censeri quem mutare propositum attendendi eo solo nomine quòd nó attendat; nisi aduertat se non attendere; aut aduertat quidem, sed procuret, saltem mediocriter, retrahere animum ab euagatione. Recepta enim est ab omnibus D. Thomæ sententia, *inquit Nauar.* quando animus in oratione vagatur, & distrahitur, si ad eum retrahendum magna aut saltem mediocris diligentia adhibeatur, etiamsi non sequatur retractio, euitari culpam mortalem & venialem, orationémque meritoriam esse & satisfactoriam. Quod si non adhibeatur saltem mediocris diligentia, peccari saltem venialiter, & per consequens orationem non esse meritoriam, etiamsi possit satisfactoria censeri hoc nomine, quòd ipsa sufficiat ad vitandum peccatum quod illius omissione committeretur, transgrediendo præceptum humanum si quod esset de ea datum, vt cùm est à Confessario in satisfactionem imposita, aut iniuncta à Superiore.

Nu.91. Posterius est, communiter peccare, etiam mortaliter, eum qui actum exteriorem exercet, repugnantem omnibus tribus generibus attentionis ad orationem requisitæ, si illum deliberate tamdiu exerceat, quandiu recitat partem notabilem orationis obligatoriæ. Ratio est quia hoc perinde est, ac deliberate nolle attendere, contra præceptum datum in cap. Dolentes. De celebr. Missarum. Monet autem Nauar. ideo dictum esse, *communiter*, quòd talis interdum excusetur: nempe cùm quid eiusmodi faciendi superuenerit necessitas, etiam recitanti cum aliis; dummodo tamen is proponat supplere postea, quod socij interea recitarint dum ipse aliud facit. Dictum quoque esse, *Deliberatè & quandiu recitat partem notabilem*: quoniam qui tale quid ageret nó cogitans quid agat, aut ageret solùm dum socij recitant vnum aut alterum versum, defectus non esset mortalis; quia inconsideratio & rei paruitas à peccato, saltem mortali, excusant. Sextum documentum est; ad diuagationes siue ex imbecillitate nostra, siue ex arte Dæmonis, siue ex solicitudine rerum agendarum, siue ex gestarum memoria prouenientes, cum Dei auxilio cohibendas sequentia iuuare posse.

Nu.92. Primum est; si vt par est, nobile & amplum menti altè insideat, certúmque habeatur iudicium de dignitate ipsius orationis: vtpote quę est. Tum cœleste Sanctorum munus & officium ex Apoc. *cap.5. ver.8. & cap.8. ver.3. & 4.* Tum colloquium cum Deo: nobis, qui puluis & cinis sumus, tanta diuinæ misericordiæ largitate & benignitate concessum, vt præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati audeamus dicere, Pater noster qui es in cœlis. Tum etiam in iis quibus premimur multis ac variis necessitatibus, & infirmitatibus, tam animæ quàm corporis, tutissimum præsidium subsidiúmque præsentissimum; vt Dominus noster satis indicauit, ostendens pro illis ad paternam Dei prouidentiam recurrendum nobis esse: cùm docuit in oratione petendum, vt regnum cœlorum, sic & panem nostrum quotidianum: ad quem nobis comparandum *(sicut nec ad regnum ipsum cœlorum)* non sumus ex nobis sufficientes iuxta illud *Aggæi 1.* Ponite corda vestra super vias vestras, seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti; & qui merces congregauit misit eas in sacculum pertusum.] Neutrum autem rectè petenti Pater omnipotens denegat, qui pro infinita sua bonitate plus etiam vult dare, quàm nos accipere: & plus paratus est nostri misereri quàm nos à miseria liberari: vt patet ex parabola de Samaritano, & eo qui incidit in latrones, *cap.10. D. Luca.*

Secundum quod ad euagationes cohibendas iuuare poterit, est executio absoluta eorum quæ de præparationibus diximus antea, numero 77. & 78.

Tertium est, sedula diligentia quâ exciti timore Dei, aduigilemus, ne eas se ingerentes admittamus; sed contemnamus implorato Angeli custodis auxilio, cum fiducia in ipsius paterna nostri cura, ac repressa sensuum nimiâ licentiâ, reiectáque in Dei prouidentiam pro eo tempore, curâ omni & solicitudine paulò vehementiori, quorumcumque negotiorum nostrorum.

Quartum est ad Dei præsentiam mentis intuitum conuertere; ipsúmque considerare nos respicientem ac studiosè ad orandum sicut oportet, adiuuantem iuxta illud *ad Rom. 8.* Spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam vt oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.]

Quintum est, nostra cooperatio in continenda cogitatione per custodiam sensuum, ne hi alienis occu

occupentur, & cæterarum animi virium recollectionem *seu reuocationem, si effugerint.* Quodquidem est ex præcepto Domini *Matth.6.* intrare in cubiculum, & clauso ostio orare.]

Sextum est, humilitas concepta de nostra infirmitate & miseria ex vna parte: & ex altera, de Dei infinita maiestate, & immensa erga nos misericordia; qua nos tam viles, conspectúque suo indignos admittit ad se orandum. Sic enim illam, quam humilibus dat Deus, gratiam merebimur, qua suffulti oremus cum animi quiete, repressis euagationibus. Quę si nihilominus perseuerent & pergant molestæ esse, existimandum est id fieri ad nostram vtilitatem; nempe vt imbecillitatem nostram ob oculos positam plenè sentiamus, & apertiùs diuinam bonitatem cognoscamus, cum tanta patientia permittentem nos indignos in ipsius conspectu versari. Humiliemus nos igitur coram eo qui respicit in orationem humilium: bene sperando quòd pro infinita sua bonitate nobis aderit, suppeditando vires quibus etiam ex diuagationibus ipsis quæstum faciamus, ex quibus timemus iacturam.

De obiecto debito orationis.

SECTIO VI.

Nu.93. SExtum ad orationis bonitatem requisitum, est obiectum debitum; quodnam autem ipsum sit, satis significatur, cùm oratio definitur petitio decentium à Deo; nempe esse id omne quod honestè & rationabiliter à Deo peti potest. Cuius, *vt bene notat Azor. in 1.par. Moral. institut. lib.9. cap.35. quæst.2.* duo prima genera distingui possunt: vnum adeptionis boni, & alterum depulsionis mali. Bonum autem quod à Deo peti honestè potest; vel est simpliciter & absolutè bonum, vel quadam tantùm ex parte: quorum istud, admittit & bonum, & malum vsum; illud verò, tantummodo bonum vsum.

Iam simpliciter & absolutè bona esse censentur; peccatorum venia, vita æterna, fides, spes, charitas, diuina gratia, virtutes morum, & Spiritus sancti dona, quæ charitatem comitantur. Bona verò non absolutè, sed quadam ex parte censentur esse: tum quædam supernaturalia dona iustis & peccatoribus cómunia, vt gratiæ gratis datæ: puta donum linguarum, interpretatio sermonum, gratia sanitatum: tum plurima naturalia, siue interna animi vel corporis, cuiusmodi sunt: ingenij perspicacitas, artes, & disciplinæ, agilitas, robur, sanitas, pulchritudo; siue etiá externa vt sunt amicitiæ, opes, liberi, magistratus, dignitates, honores, potentia, principatus, gratia principum, & id genus alia.

Nu.94. Atque bona prioris generis absolutè peti possunt in oratione: sicut in oratione Dominica petuntur. Tum diuini nominis sanctificatio & gloria per illud. Sanctificetur nomen tuum: tum gratia necessaria ad faciendam à nobis voluntatem ipsius in terris, sicut à beatis fit in cœlis: per illud, Fiat voluntas tua: tum demum executio paternæ curæ, quam gerit nostri: per illud, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Bona verò posterioris generis petere quidem licet, sed non absolutè, verùm conditione expressè vel tacitè adhibitâ, quatenus sunt vtilia, aut necessaria ad consequenda ea quæ sunt absolutè bona. Huius rationis petendi sub conditione, Christus *Matth. 26.* exemplum dedit, cùm petens vt à se calix passionis transiret, rem totam reiecit in Patris voluntatem dicens: Non mea sed tua voluntas fiat.

Itaque tenenda est regula quam ex D. Augustin. Nauar. *in tract. de oratione, cap.19. num.162.* communiter recepta ait: nempe nos sanctè petere posse à Deo bona tempotalia, tum in genere, tum in specie; non quidem propter se & tanquam finem: sed propter aliud, & tanquam instrumenta, atque auxilium transigendi vitam temporalem, & merendi vitam æternam: adiecta tacitè vel expressa conditione, si placuerit suæ maiestati. *Nu.95.*

At verò alicui videri potest non esse licitam temporalium petitionem à Deo; cùm Christus *Matth.6.* prohibeat ne soliciti simus dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Rationem addens, hæc enim omnia gentes inquirunt; scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.] Ad quod dicendum est non prohiberi illic bonorum temporalium petitionem à Deo, sed nimiam & anxiam de illis solicitudinem quæ perturbat animum, & viam munit ad fraudes, dolos, aliáque peccata, ad quæ proclivis est, qui nimis solicitè opibus congerendis studet. Etsi autem Deus, nec petentibus nobis, sciat quibus egeamus, & pro immensa bonitate sua det ea nonnumquam *(quomodo enim alioqui subsisterent qui nullum penè habent orationis vsum)* vult tamen nos orare, *dicente Domino Luca 11. Petite & dabitur vobis:* & vt mereamur accipere quod ante secula disposuit dare nobis: & vt discamus ad ipsum recurrere, cúmque bonorum nostrorum authorem recognoscere. Sic Angelus Raphael Tobiæ sexto, quamuis sciret Deum constituisse iuniorem Tobiam & Saram futuram vxorem ipsius, liberare à Dæmonio, quod septem ciusdem Saræ viros necauerat; monet tamen illos, vt per tres dies continendo se à coniugio, nihil aliud nisi orationibus vacent.

Porro vt bonum, sic malum, quoddam est absolutè, & quoddam aliqua tantùm ex parte. Absolutè omninóque malum, est peccatum: quadam ex parte verò malum est, pœna vndecumque tandem illa sit, & proueniat, siue ex peccato sequatur, siue à Deo irrogetur, siue à dæmonibus, vel ab hominibus infligatur. Illius depulsionem in oratione possumus simpliciter à Deo petere: sicut facimus in oratione Dominica petentes nobis debita nostra dimitti, nec induci in tentationem, sed à malo liberari. Huius verò depulsionem petere tantùm cõditionaliter, Christi exemplo cuius ante meminimus. *Nu.96.*

Duo his addit Azor. *in seq.qu.3. & 4.* Prius est: quod licitum est optare, licitum quoque esse ipsum à Deo petere sub ea conditione qua est licitũ. Sic *(inquit ille)* qui bene sibi conscius, timet ne de eo securæ mentis statu decidat, non peccat si cũ D. Paulo ad Philip. 1. cupiat, & à Deo petat dissolui, & esse cum Christo; nec item peccat, qui Christianæ religionis hostem multa damna inferentem, à Deo petat vel emendari, vel si non sit emendationis spes, de medio tolli, ne amplius noceat.

Posterius est multa orando interdum recitari, in quibus nullum est verbum, quod ad peritionem nostram facere videatur: vt cùm petentes remissionem peccatorum nostrorum, recitamus Psal.2. Quare fremuerunt gentes; aut alium similem: idque excusari, quia non ideo recitantur quòd contineant illud quod cupimus & petimus: sed quòd nos bene afficiant erga Deum: continent enim laudes Dei, aliáque similia, quibus excitamur ad affectum diuini timoris, & amoris; vel ad sensum propriæ infirmitatis, quibus promouemur ad humilitatem, aut ad alterius virtutis Deo gratæ studium: vnde fit vt petamus ardentiùs, citiúsque impetremus quod cupimus. *Nu.97.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

De fine debito orationis.

SECTIO VLTIMA.

Nu.98. SEptimum requisitum ad bonam orationem est debitus finis; qualis est æterna nostra salus ante omnia à nobis quærenda (*vt nobis Dominus præscripsit Matth.6.*) tanquam finis nimirum, in quem conditi sumus: sunt item cætera quatenus ad illam conducunt, ac sunt media illius consequendæ. Eorum ante constituimus duo genera: vnum absolutè bonorũ, & alterum bonorum quadam ex parte, quæ nõ de se, *vt illa alia*: sed ordinatione tantùm orantis ad æternam salutẽ referuntur, tanquam media ad finẽ; ex qua ordinatione, non autẽ de se, bona sunt vel mala moraliter. Vnde intelligitur quòd peccatũ nequeat esse debitus orationis finis, ne quidem secundarius, cùm ei repugnet medium esse cõsequendæ salutis: proindeque ex Nauar. *in tract. de oratione, cap.6.num.2. 3.& 4.* oratio mala est, quam affectus iniuriã facit, vt impetret à Deo opem ad vindictam faciendam propriã authoritate; aut ad vincendum in duello; aut quam facit ne cadat causa litigans iniustè, aut vt possit puellã potiri extra matrimonium, aut vt impetret victoriam pro Principe bellum iniustum gerente, vel impletionem quorumque prauorum desideriorum siue propriorum siue alienorum.

Nu.99. Intelligitur etiam quòd nec bonum honorarium hoc est, humana laus honor, fauor vel gloria, debitus finis orationis esse possit, cùm fuerit vanus. Et confirmatur quia vitiat infructuosamque reddit orationem: *vt constat ex Pharisæo orante Luc.18.& ex verbis illis Domini Matth.6.* Cùm oratis non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum orare, vt ab hominibus videantur. Amen dico vobis receperunt mercedem suam.] Vnde patet orationem eam malam esse ex indebito fine, quã aliquid alioqui non malum, à Deo petitur ob honorem, & gloriam vanam; seu quod idem est, vt quis vanè honoretur, laudetur & æstimetur. Id quod Nauarrus consequenter num. 10. notat. Inde inferens non mereri, sed peccare eos qui preces aliquas recitant & Deum obnixè rogant, vt largiatur ipsis ingenium, memoriam, vocem claram eloquentiæ coniunctam, & artium liberalium aliarúmque doctrinarum scientiam, vt sibi quærant honorem vanum, & vanam laudem in scholis, pulpitis, & auditoriis. Peccare similiter eos qui à Deo in oratione petunt, artis militaris scientiam cum robore, & strenuitate ad consequendum honorem vanum per aliquod militare facinus egregium. Quod idem est iudicium de multis aliis, in quibus cùm tale desiderium fuerit mortaliter malum (*quod iudicandum est ex circumstantiis, præsertim ex fine in quem ipsum fertur*) erit & oratio mortaliter mala; aliàs verò mala solùm venialiter: quod etiam consequenter num. 11. monet Nauar. Addens pari ratione, cùm bonum honorarium non fuerit vanum, orationem qua petitur non esse peccatum: sicut nec desiderium quo expetitur.

Nu.100. Cæterum in tribus casibus bonum honorarium censetur vanum, *vt ex D. Thoma, D. Anton. & Abul. habet in seq.num.35. idem Nauarrus.* Primus est quando tale quid, *nempe laus, honor, vel gloria*, cupitur de rebus quæ non habentur: vel capitur maius, quàm ipsæ res mereantur. Secundus quando capitur pro maiori vel certioti testimonio virtutis, quàm debitum sit. Tertius quando nec actualiter, nec virtualiter refertur in finem debitum.

Nu.101. Qui finis, *vt ille addit num.36.* est, primò Dei gloria. Secundò, spirituale bonum siue proprium, siue proximi; vt cum laus, honor, fama, vel gloria quæritur ad maiorem commoditatem seruiendi Deo, & viuendi ex virtute, ac procurandi salutem proximi. Tertiò, bonum temporale sibi aut proximo vtile: vt cùm quis laudari desiderat pro meritis (*nec plus*) de arte ac dexteritate docendi, prælegendi, cantendi, patrocinandi, vt iustam aliquam conditionem ac salarium idoneum consequatur: vel cupit de donis sibi à Deo concessis laudari, vel suspici, vt ea de causa aliquibus suis parentibus vel amicis de bono aliquo temporali, quo digni sunt, prouideatur.

Vbi tamen aduerte bona temporalia, *cum moraliter non sint ex se bona, sed tantùm ex fine*, posse tantummodo habere rationem finis secundarij, seu ordinati ad vlteriorem finem de se bonum: ideoque bonum temporale proprium, vel proximi, tunc demum posse esse aptum finem recti desiderij laudis & gloriæ, quando ipsum, vel actualiter & expressè; vel virtualiter & tacitè ordinatur in obsequium Dei: vel in vitam secundùm rectam rationem, & ex virtute agendam. Quæ vita de se quoque bona est, tãquam conformis diuinæ voluntati, cuius nobis recta ratio interpres est & quasi præco: consequentérque apta est de se, ad æternam salutem referri, concurrente habitu gratiæ gratum facientis, *quemadmodum ex D.Thoma, Caiet. & Maiore notat Nauarrus in præced. numero* 14.

Nu.102. Porro quando ordinetur actualiter, de se patere potest; quando verò virtualiter, idem ibidem adhuc notat, *ex D. Bonauent. & Gabriele*, cognosci ex eo, quòd si tale quid appetens, & petens, interrogaretur cur appetat, & petat, respondebit appetere, & petere ob Dei obsequium, vel ad vitam ex virtute & secundùm Deum agendam. Quod vsuuenire potest maximè ei, qui generaliter omnia sua opera retulit in obsequium Dei, quando religiosum, vel aliud pium vitæ institutum suscepit, nec postea aliam contrariam intentionem habuit.

Nu.103. Ex hac autem doctrina colliguntur multa pro praxi quotidiana quæ in eodem cap.6. à num.12. Nauar. persequitur. Tria attingere sufficiet ex quibus facile fuerit de aliis iudicare. Primum est, orationem cuius finis primarius constituitur lucratio quotidianarum distributionũ, aut aliquorum fructuum, vel reddituum, malum esse ex indebito fine, ideóque taliter orantem peccare. Secundum est, pari ratione peccare eum qui recitat vel canit horas in choro, responsoria in cæmeterio, Missas in altari, non ob Deũ sed solùm ob stipendium quod ideo datur: aut certè ob Deum quidem, sed magis aut æquè ob stipendium: quia finis eius principalis totus, aut ex parte est bonum temporale, & ideo indebitus per antedicta. Tertium est, prædicta facientem plus ob Deum, quàm ob lucrum: etiamsi non faceret, nisi lucrum ipsum speraret, non peccare: quia bonum opus facere minus principaliter propter lucrum, non est illicitum, quando principaliter fit propter Deum, qui est debitus finis primarius omnium bonorum operum. Ad cognoscendum autem num quis plus, aut æquè ob lucrum quàm ob Deum bonum opus faciat, debet *ex eodem Nauarro ibidem, num.16.* apud se expendere, an pluris vel tanti æstimet lucrum, quàm Deum in ordine ad illud opus. Si enim plus aut tantùm ad illud exequendum moueatur æstimatione, & amore lucri, quàm Dei; lucrum censeri debet finis illius principalis totalis, aut partialis, atqueadeo opus ipsius vitiari ex indebito fine.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM.

De vsu debito orationis.

SVMMARIVM.

104 *Exercitatio memoriæ, intellectus, & voluntatis in vsu orationis mentalis.*
105 *Error eorum qui in mentali oratione impensiùs elaborant vt sublimes, nec vulgares considerationes habeant, quàm vt voluntatem ad aliquem salutarem affectum promoueant.*
106 *Ratio considerandi seruanda in mentali oratione; ac primò vniuersè.*
107 *Deinde in particulari.*
108 *Coniungendæ exercitatio voluntatis cum exercitatione intellectus; & quomodo.*
109 *Exemplum talis coniunctionis in via purgatiua.*
110 *Aliud in via illuminatiua.*
111 *Item aliud in via perfectiua.*
112 *Requisita ad debitum vsum orationis vocalis.*
113 *Externa dispositio corporis requisita.*
114 *Interna dispositio animæ item requisita.*
115 *Vsus eiaculatoriarum orationum.*
116 *Explicatio orationis Dominicæ quoad præfationem Pater noster qui es in cœlis.*
117 *Quoad primam & secundam petitionem.*
118 *Quoad tertiam & quartam.*
119 *Quoad quintam.*
120 *Quoad reliquas.*
121 *Appendix de recitatione Rosarij.*

DEBITVM orationis vsum ex interna Spiritussancti vnctione, nõ ex humana eruditione pendere, significatur per illud *ad Rom.* 8. Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.] Non ideo tamen damnandi sunt, qui salutaria de eo tradunt documenta conformia rectæ rationi, comprobatáque vsu, & experientia virorum piorum. Quoniam autem passim obuii sunt libri talia continentes, paucis tantùm notabimus de vsu mentalis orationis: ipsum constare exercitatione potentiarum rationalium: nempe memoriæ intellectus & voluntatis: non quidem vnius tantùm vel alterius earum seorsim, sed omnium trium simul.

Trium rationalium facultatum exercitatio in mentali oratione.

SECTIO I.

Nu.104. MEntalis oratio requirit memoriæ exercitationem, quà res pertractanda quasi in medium producatur, & clarè apprehendatur: exercitationem verò intellectus, requirit ad rem ipsam propositam ruminandam accommodatè ad excitandum fouendúmque in voluntate nostra salutarem aliquem effectum. Exercitationem denique voluntatis, ad insistendum tali affectui, illum eliciendo promouendóque. Quia verò finis exercitationis intellectus est ciere voluntatis affectum: eatenus in vsu memoriæ immorandum est, quatenus exigit vsus intellectus: & in hoc, quatenus exigit vsus voluntatis.

Vnde tria sequuntur. Primum est, in oratione parum laboris esse in vsu memorię, cùm hic sit tantum proferendi in medium, claréque apprehendendi rem tractandam, quæ priùs delecta fuerit, & distincta in certa puncta, sufficienter memoriæ ipsi commendata in præparatione quam supra numero 78. diximus ad mentalem orationem requiri.

Secundum est, in vsu intellectus, non tam esse persequenda ea, quæ ipsum sua nouitate, singularitate, & præstantiã pascant, quàm quæ voluntatem ad sanctum ac salutarem aliquem affectum moueant ac roborent. Is enim est considerationis finis in mentali oratione, non autem scientiæ abundantia.

Tertium est, insistendum esse potissimùm in vsu voluntatis: cúmque is bene successerit in vnius puncti consideratione longiore, non esse ab ea desistendum, vt aliorum considerationi sit locus: quia habito fine per vnum medium, non est opus ad alia diuertere: tum ne fortè id non bene succedat: tum ne bonus Spiritussancti motus interrumpatur, quod iniuriosum ei esse censeretur.

Nu.105. Ex qua doctrina intelligi potest illos errare, qui mentali orationi operam dantes diutius & impensiùs elaborant in curiosa rei propositæ consideratione per sublimes quasdam, & minimè vulgares notiones, quàm in voluntatis permotione ad aliquem sanctum affectum. Inde enim fit, vt interdum quidem sentiãt aliquam suauitatem (*quæ est quidam scientiæ gustus, qualem interdum contingit experiri speculantes sciendi tantum gratiã*) sed meditatione absoluta, nihilo magis inueniuntur humiles, patientes, obedientes, aut prompti ad labores proferendos pro Christi gloria: aut pro sua, vel proximorum salute. Immo verò, ex nascente inde sui æstimatione, effecti potius proprij iudicij tenaces sibique placentes, auersantur labores externos, & zelum animarum tanquam Spiritus impedimenta, diminuentia prædictæ suauitatis sensum. Ad quorum errorem redarguendum facit, quòd homines rudes, quamuis non sint ad tales speculationes idonei, non desinãt esse capaces mentalis orationis, quã cum magno pietatis sensu, ac spiritali fructu, considerant nostræ religionis mysteria, vitiorum turpitudinem & dignitatem virtutum. Facit etiam quod ex D. Thoma. 2.2. *quæst.* 83. *art.*1. Oratio sit actus rationis practicæ, ideóque finem habeat opus: nempe emendationem & perfectionem propriam: quarum illa requirit repressionem perturbationum animi, fugam vitiorum, & persecutionem virtutum: hæc verò coniunctionem cum Deo per veram charitatem, quæ est vinculum perfectionis *ad Coloss.3.vers.* 14. Et requirit Deum & proximum diligi, non verbo, neque linguã, sed opere, & veritate] 1. *Io.vn.* 3. *vers.* 18. procurando scilicet exequendóque data opportunitate, illa quæ sunt ad Dei gloriam & proximorum salutem. Ad tanti operis autem executionem requiritur consensus voluntatis, auersantis vitia, & virtutes desiderantis: Deúmque super omnia amantis, & proximum sicut se, propter Deum. Vnde ad affectus eiusmodi in voluntate excitandos vniuersa consideratio intellectus dirigenda est, toráque intentione tendendum est eò in oratione mentali: prout satis indicant de ea tractantes: cùm illius instituendæ rationem tradunt secundùm triplicem viam; purgatiuam, illuminatiuam, & perfectiuam: *quod mirabili compendio & artificio facit D.Bonauen. in tractatu quem inscripsit Incendium amoris*: secundùm viam enim purgatiuam instituitur, cùm consideratio dirigitur ad affectus voluntatis, accommodatos eliminandis ab anima vitiis & peccatis: secundùm illuminatiuam verò, cùm dirigitur ad affectus accommodatos inserendis in anima virtutibus: secundùm perfectiuam denique, cùm dirigitur ad Dei, & proximi verum amorem in anima susci

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuscitandum ac fouendum: quò prompti & alacres reddamur ad bonorum operum executionem.

Ratio exercendi intellectum in mentali oratione.

Sectio II.

*Nu.*106. MEritò quærat aliquis. Quænam igitur ratio, considerandi seruari debeat in oratione mentali: Cui respondendum videtur, posse in genere dici congruenter ante traditis, eam seruandam esse ex qua saluaris motus voluntatis sequatur: neque vim esse inferendam naturæ: qui enim sunt fœliciore ingenio, itaut difficultatem non patiantur in habendis sublimibus, miniméque vulgaribus notionibus de re ad meditandum proposita, aut in diu protrahenda circa idem punctum commentatione, obsequi possunt suæ naturæ: dummodo sequatur quælibus affectus voluntatis. Similiter qui tardiore sunt ingenio & hebetiores, non est quòd vim inferant naturæ illúdque attentent, quod experirentur nimis graue; nempe sublimes efformare notiones, aut diutius continuare eiusdem rei considerationem: sed possunt secundùm suam capacitatem meditationis tempus traducere etiam variando notiones intellectus, & affectus voluntatis, in præparata punctorum meditandorum varietate.

*Nu.*107. In particulari autem de ratione considerandi seruanda in meditatione dici potest: si materia meditationis sit aliquod nostræ religionis mysterium, seu historia aliqua sacra; esse considerandas tum actiones (*in quibus fere consistit mysterij summa*) tum etiam verba, ac personas: atque in actionibus attendere licebit, tam ea quæ ipsis insunt, vt naturam & partes: quàm quæ adiuncta sunt, vt locum, & tempus in quibus; modos & auxilia, quibus: & causæ propter quas factæ sunt: ponderando magnitudinem amoris pietatis, & misericordiæ Dei erga nos, tam abunde per Christum conferentis nobis omnia ad salutem necessaria. In verbis autem licebit attendere latentem in eis sensum: ad mores & vsum, *non autem ad scientiam*, referendo; finem etiam in quem dicta sunt, & quæ vitæ præcepta contineant, aliáque id genus. In personis denique licebit attendere tum corporis debitam compositionem, tum animi dotes, & affectiones: secundùm ea præsertim, quæ fuerint accommodata negotio quod meditamur.

Si verò materia meditationis sit diuinum beneficium in homines: aut animaduersio seu punitio; cõsiderandæ sunt illæ communes circunstantiæ:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Si verò sit virtus, & ei oppositum vitium, consideranda est illius honestas, vtilitas ac necessitas, ac data à Christo, & Sanctis exempla illius, itémque proprij actus eiusdem, atque acquirendæ modus & ratio. Huius verò tum turpitudo, prauitas, & grauitas, ex eo quòd sit Dei offensa: tum etiam detrimenta quæ nobis adfert: tum demum remedia ad illud euitandum vsurpanda.

De coniungenda exercitatione voluntatis cum exercitatione intellectus.

Sectio III.

*Nu.*108. CVm omnis consideratio intellectus in mentali oratione ad motionem voluntatis ordinetur iuxta ante dicta; oportet per totã meditationẽ, actus voluntatis sparsos esse cum actibus intellectus: sic vt quæcumque intellectus inuenerit, proponenda sint voluntati vt moueatur ad aliquem tali propositioni consentaneum affectum salutarem, quo prompti & fortes reddamur ad vitium aliquod extirpandum, vel virtutem aliquam inserendam, vel aliqué pro Christo laborem ferendum, siue in agendo aliquod bonum, siue in patiendo aliquod malum. Eidem autem propositioni ad magis afficiendam voluntatem erga rem propositam, & vehementius impellendam, septem actus adiungi possunt. Primus est petitio. Secundus obsecratio. Tertius desiderium. Quartus, reprehensio, seu obiurgatio suiipsius. Quintus, admiratio. Sextus, interrogatio. Septimus, resolutio.

Itaque in via purgatiua, diligenter cogitatã, & *Nu.*109. voluntati proposita turpitudine peccati, cum detrimentis quæ adfert; ad dolendum de eo, potest voluntas ipsa vehementiùs vrgeri. Primò, humili petitione facta Deo, vt pro infinita sua misericordia det gratiã qua rebellis volũtas nostra ad ipsum conuersa: de eius offensa, vt par est, summè doleat. Secundò, obsecratione, qua ipsius infinitã bonitatẽ obtestemur per Iesu Christi Domini nostri sanguinem, vt nostram petitionem exaudire dignetur. Tertiò, desiderio rei nobis tam necessariæ, quàm est dolor de peccatis nostris, sine quo ab eis liberari non possumus. Quartò, reprehensione nostri. Quid agis anima mea, quid de te fiet? verè misera es parui faciens diuinæ maiestatis offensam & iram. Quintò, admiratione, quanta Dei bonitas, quanta mea nequitia? Ille Deus tantæ maiestatis, ad obsequium omni iure sibi debitum, beneficiis præteritis præsentibus, & futuris innumeris me prouocat, & ad se vocat. Ego verò abiectissimum indignissimúmque (hei mihi) mancipium, illi impudenter audeo obsistere, & me ab eo auertere. Quid igitur supereſt renuenti dolere de tanta nequitia, quàm æterna miseria, dilatã ex sola tanti Domini misericordia iuxta illud *Threnorum tertio* Misericordię Domini quia non sumus cõsumpti? Sextò, interrogatione. Quid mihi est in cœlo, & à Deo meo quid volui super terram? vbi mihi melius quàm apud meum cœlestem Patrem amantissimum. At peccatum me ab illo separat & excludit. Septimò, resolutione. Sit igitur constitutum ab anima mea, de peccato meo dolore, sicut requiritur ad illius remissionem: illudque ita auersari deinceps, vt potius mihi moriendum sit quam ei denuo consentire.

Similiter in via illuminatiua, virtutis (*vt humilitatis*, *Nu.*110. dignitate, necessitate, exemplis) aliisque perpensis, & propositis voluntati, hæc ad illam appetendam vehementiùs vrgeri potest. Primò, ex intimo corde petendo illam à Deo. Secundò, obsecrando per mortem crucis, ad quam se Christus Dominus pro nobis humiliauit, vt dignetur amator humilium, petitionem nostram exaudire. Tertiò, desiderando vt virtus ea, qua Christus vult suos milites esse insignitos, iaciat radices in anima nostra, & stirpitus ab ea euellatur contraria superbia, Dæmonis insigne. Quartò, reprehendendo nosipsos qui cùm simus peccatores miseri, æternæ damnationis feces, in cineres redigẽdi, audeamus superbire coram omnipotẽte omnium Domino: quem superbis resistere sacræ Scripturæ tam apertè inculcant. Quintò, admirando qui fieri possit vt ego tam vilis, tótque miseriis obnoxius, superbia inflatus asperner humilitatem, adeo gratam diuinæ maiestati, & maximorum bonorum fontem vberrimum. Sextò, interrogando meipsum. Quid habes quod nõ accepisti, vt inde glorieris? nonne tua omnia Dei dona sunt, de quibus gloriando offendis ipsum, & iram ipsius in te prouocas, redditurus de tali

tali abusu formidabilem rationem. Denique resoluendo tam Deo gratæ, & fructuosæ virturis acquisitioni insistendum tibi esse. Ad quod perpẽsis iis, quæ possunt nobis ad id conducere aut impedimentum adferre, implorandum est diuinum auxilium: quandoquidem non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est] *sicut admonet Apostolus in priori ad Corinth. cap.* 3.

*Nu.*111. Denique, in via perfectiua, voluntati proposita diuini amoris dignitate, & summa necessitate ad salutem: primò illum petemus à Deo, cuius præcipuum donum est. Secundò, obsecrabimus, vt per meritum passionis Christi quam is pertulit, vt in cordibus nostris talem amorem accenderet extincto amore proprio, dignetur suo sancto Spiritu ad illum nos inflãmare. Tertiò excitabimus, excitatúmque proponemus Deo, vehemens desiderium amandi ipsum super omnia: dicendo cum Dauide *Psalm.* 41. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.] Quartò, ad nosipsos quasi conuersi, socordiam nostram, incuriam, & torporem in procurando tali amore acriter reprehendemus. Quintò, in altam, vt sic dicam, nostri admirationem intrabimus, quòd tam serò, támque oscitanter studium, & operam posuerimus in prosecutione tanti boni. Sextò, nosipsos interrogabimus. Quid potest anima mea tibi melius esse Dei amore? Quid potest sine eo tibi prodesse, quid cum eo non est summè vtile? certè datus ex eo calix aquæ frigidæ, mercedem habet regni cœlestis *ex D. Matth. cap.* 10. *in fine.* Postremò, variis incitamentis voluntatem iam propendentem confirmabimus, proponendo occasiones, & nomina amandi Deum; quòd nihil eo sit vtilius, iucundius ac homine dignius. In mysteriis passionis Domini contemplandis (quæ sunt præcipua mentalis orationis materia) septem solent assignari affectus excitandi in voluntate; commiseratio, compunctio, imitatio, gratiarum actio, admiratio, spes & amor. De quibus accommodatè ad vsum, præclarè tum P. Franciscus Arias in tract. de orat. par. 2. tum P. Ludouicus de Ponte in introductione ad meditationem: qui legendi sunt.

De vsu debito orationis vocalis.

Sectio IV.

*Nu.*112. AD debitum vsum orationis vocalis, primò, antequam ad eam accedatur, colligendæ sunt vires animæ seclusis aliis curis, quæ distractionem efficere possunt: *qua de re antea num.* 77. Deinde intentio dirigenda, seu statuendus ac proponendus debitus finis, puta Dei gloria: siue vt Deum creatorem, gubernatorem, principium & finem vniuersorum recognoscamus, adoremus, magnificemus, atque glorificemus sicut equissimum est. Item honor beatę Virginis, Angelorum, ac reliquorum Sanctorum omnium, & nominatim eorum quorum memoria celebratur. Itémque vtilitas propria & proximorum, adeóque totius Ecclesiæ: speciatim autem Principum, & benemeritorum, ac defunctorum omnium in purgatorio detentorum: ac denique viuorũ, quos vel peccatum obstringit, vt ab eo relaxentur; vel calamitas vrget, vt ab ea releuentur, consequantúrque conducentia ad æternam salutem. Quæ intentio quò maiorem vim habeat, coniungenda est cum ea, quam purissimam Christus habuit agens in terris, & habent omnes Sancti orantes, & laudantes Deum. Tertiò, consideranda est Dei præsentia, vt tantam maiestatem intima etiam quæque spectantem, reuereamur tremebundi: rei item quæ tractatur dignitas considerandа est, implorandáque diuina gratia versandi attentè, piè, & deuotè, *prout Dei gloria & nostra ac proximorum vtilitas exigit*, in negotio tanti momenti. Quartò, concipienda ex Dei promissis spes accipiendi quod petimus dignè petentes; ad quod implorabimus quoque diuinum auxilium.

Quintò, inter recitandum, procuranda est tum *Nu.*113. externa corporis, tum interna animi compositio. Ad illam pertinet custodia sensuum omnium, & decens dispositio membrorum, non tantùm ne alij qui intersunt offendantur; sed etiam ne menti detur occasio euagandi. Pertinet quoque locus ad attentionem & recollectionem accommodatus: tempus item opportunum, ne contingat tam nobile ministerium interrumpi negotiis importunis, aut locutione vel gestu aliquo intempestiuo. Pertinet denique vt pronunciatio sit clara & distincta (*verbis scilicet neque mutilatis, neque confusis.*) temperata & sine nimia festinatione, intelligentiéque accommoda; módesta item, & sine affectatione ac fuco, nihil prophanum redolẽs, sed præ se ferens in omnibus sanctitatem.

Ad internam autem compositionem pertinet pri- *Nu.*114. mò, vitæ innocentia, morúmque integritas, quâ præditum esse conuenit eum qui apparet coram Deo, ad ipsum precandum verbis ab ipso præscriptis; vel ipso approbante, ab Ecclesia. Deinde attentio, & deuotio, cum quibus preces cõsuetæ simpliciter humilitérque recitentur consilio animóque petẽdi à Deo id quod ipsius vel Ecclesiæ institutione, per illas significatur. Illarum enim vis posita est in diuina benignitate, & in eiusmodi institutione, non in aliquo sensu à nobis mente concepto. Vnde & idiotæ illarum fructum capere possunt, cogitando Deum præsentem sibi adesse, séque recitantem audire, atque se Christo Domino, ac reliquo beatorum cœtui in canendis diuinis laudibus adiunctos esse, licèt verborum sensum non capiant; sed tantùm iuxta Ecclesiæ institutionem recitare intendant, ad eum finem qui antè dictus est; etiam meditando, si placet, pium aliquid (*præsertim de vita aut morte Christi: cum non ex nostris, sed ex ipsius meritis nos impetraturos à Deo quod petimus, sperare debeamus*) ne ad alienas à Deo cogitationes mens euagetur, & voluntas præparetur ad aliquos salutares m[illegible], & afflatus diuinos suscipiendos.

Meminerit [illegible]tandem præter statutam certis tẽ- *Nu.*115. poribus o[illegible]nem expedire, breuibus sed frequentibus, vti mentis eleuationibus, *iaculatorias orationes vocant*, in reliquo temporis decursu, quæcumque nos negotia exerceamus: quæ orationes siue solo animo siue etiam voce fiant, negotia ipsa non modò non impedient, nec retardabunt; sed multum promouebunt, Domino vbique nobis cooperante.

Explicatio Orationis Dominicæ.

Sectio Vltima.

CVm oratio Dominica ore Christi nobis tradita, *Nu.*116. aliarum omnium præstantissimum exemplar censeatur, illius explicationem oporteret cõsequenter persequi: nisi passim occurrerent catechismi in quibus continetur, ampliſſima etiam nonnunquam; vt in eo qui ad parochos editus est iussu Cõcilij Tridentini: cum qua qui volet conferet eam quam habent ex Patribus collectam Bellarminus. *in controuer-*

sia

Universidad de Deusto
Biblioteca

seu De bonis operibus lib.1. cap. 6. Azor. *in 1. part. Moral. institut. lib.9. cap.vlt.* & Gregor. à Valen. 2. 2. *disput. 6. quæst.2.* Adde & eam, *vt de cæteris taceam*, quam habet Abulen. ad cap. 6. D. Matth. à quæst. 102.

Veruntamen pro illius salutari vsu, quædam memoriæ retinenda, paucis attingere operæpretium videtur. Primum est, præfationem illam [Pater noster qui es in cœlis] admonere nos, tum nostræ adoptionis cœlestis, tum nostræ peregrinationis terrenę, vt simul intelligamus nos auxilio egere, quia peregrini sumus; & debere fiduciam accipiendi concipere, quia filij Dei sumus. Itémque per eamdem excitare nos ad Dei timorem, & amorem (*qui vterque affectus, est optima animæ dispositio ad orationem.*) Adamorem quidem, cùm ostendat tantam esse Dei bonitatem, vt dignetur pater appellari à vilissimis seruulis. Ad timorem verò, cùm ostendat tantam eiusdem excellentiam & potentiam esse, vt in cœlo tanquam altissimo selio residens, terrena simul ac cœlestia moderetur: adeout amandus sit tanquam optimus, & timendus tanquam maximus. Secundum est, ex septẽ petitionibus quæ eidẽ præfationi subiunguntur, duas primas pertinere ad finem vltimũ, in quem conditi sumus, & vitã dirigere debemus: reliquas verò quinque ad media conducentia ad eundẽ finẽ: & ideo à nobis in hac vita magno studio amplectenda.

Nu.117. Tertium est, primam petitionem, *Sanctificetur nomen tuum*, pertinere ad finem nostrum vltimum: quia is est Deus, cuius nomen sanctificari petimus seu maiestatem sanctam esse: non quidem in se quia non est opus id petere, cùm non possit aliter habere: sed in nobis per veram notitiam, sincerúmque amorem, quibus ipsum agnoscamus & colamus: seruientes ei in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris. Itaut luceat lux nostra coram hominibus, híque videntes opera nostra bona glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est, *Matth.5.* Quartum est, secundam petitionem *adueniat regnum tuum*: esse vt communicetur nobis regnum Dei, per æternam scilicet beatitudinem, qua fruemur Deo, tanquam vltimo nostro fine; à cuius regni annunciatione, Christum Dominum prædicationem suam inchoasse habetur ex Matth. cap. 4. cùm dicitur. Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere. Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cœlorum] & ex sequ. cap. 5. cùm doceret turbas, primò dicit. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.] Item *in cap. 6. sub finem* præcipit, nos primum quærere regnum Dei & iustitiam eius.] *& cap.* 10. Discipulis præcipit. Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum.] Demum post resurrectionem suam per dies quadraginta iisdem Discipulis apparens, sermonem habuit de regno Dei *ex Actis Apostolorum cap. primo.* Aduerte autem ad petitionem regni cœlestis adiungendam esse iustitiam eius, seu diuinorum mandatorum obseruationem: de qua ipse Dominus *Matth.* 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata.]

Quintum est, tertiam petitionem *Fiat voluntas*
Nu.118. *tua sicut in cœlo & in terra*; referri præcipuè ad voluntatem signi: quo nomine Theologi appellant præcepta & prohibitiones quibus Deus significat, quid à nobis agi, vel non agi velit. Aliquatenus autem referri ad voluntatem beneplaciti (*qua Deus, cui nemo resistere potest, absolutè vult aliquid fieri*) eatenus nimirum, quòd Dei beneplacitum nunquam reprehendere debeamus, neque de eo murmurare; etiamsi nos affligi premique velit: sed patienter, ac libenter ei acquiescere. Ita Bellarminus; ex communi sententia Patrum. Addens: per cœlum intelligi Ecclesiam triumphantem in cœlis: & per terram, Ecclesiam militantem ac peregrinantem in terris: itaut id quod in istiusmodi petitione optamus, sit vt promptè, perfectéque Deo per ipsius gratiam obediamus in omnibus, sicut Sancti faciunt in cœlo.

Sextum est, ex communi Patrum doctrina, vt notat Bellarminus, quartam petitionem, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: sic accipiendam esse, vt panis nomine intelligantur alimenta in genere, seu subsidia omnia necessaria, ad vitam tum animæ tum corporis conseruandam. Et quoniam subsidia vitæ spiritalis: vt Sacramenta, conciones, & alia id genus, multò magis sunt & necessaria & nobilia, quàm subsidia vitæ corporalis: ideo intentionem orantis ferri debere ad panem spiritualem, tanquam ad id quod primariè petitur; ad panem autem corporalem, vt ad quoddam externum subsidium quo prouideatur corporis incolumitati vt seruiat animæ in procuratione salutis æternæ. Illius petendi formam tradidit Salomon *Prouerb.*30. cùm dixit, Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria.]

Septimum est: in quinta petitione *Dimitte nobis* *Nu.119.*
debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, debitorum nomine significari peccata: tum quia D. Lucas cap.11. eam proponit his verbis, Dimitte nobis peccata nostra; & Dominus noster Matth. 6. ad illius expositionem dicat: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.] Admonet autem nos, ipsum debiti nomen: quòd cùm peccatũ sit iniuria illata Deo, legísque transgressio; perpetratoré suum constituat debitoré satisfactionis faciendæ & pœnæ luendæ. Addimus, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: non quasi velimus Deum in miserendo imitari nos: sed tantùm testari misericordiam nobis placere: quam petentes à Domino, repulsam pateremur, si eam negaremus conseruo nostro: iuxta illud quod *in cit. cap. 6.* subiungit Christus. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.] Cæterùm dimittere debitoribus nostris, est cum iis qui nos læserunt, inimicitias non gerere: sed eos etiamsi inimicos, diligere eísque benefacere: iuxta Christi Domini præscriptum, sub finem præcedentis cap. 5.

Condonandam autem esse iniuriam proximo etiã non postulanti, satis indicant verba Domini *Marci* 11. Et cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester qui in cœlis est dimittat vobis peccata vestra. Patet etiam ex eo, quòd inimicitias gerens cum aliquo; sicut & voluntariè perseuerans in alio peccato mortali, dominicam orationem dicendo, in singulis ferè partibus illius, mentiatur. Nec enim verè dicit, Pater noster qui es in cœlis, qui non vult esse Dei filius; nec Sanctificetur nomen tuum: qui facto negat Deum; nec adueniat regnum tuum, qui nihil tam timet, quàm aduentum in iudicium, in quo vnicuique reddendum est secundùm opera sua: nec Fiat voluntas tua, qui non ex Dei, sed ex sua voluntate vult viuere: nec demum cætera quæ in ipsa Dominica oratione subiunguntur: qui iisdem à quibus se liberari petit, voluntariè se subiicit.

Octauum est: sextæ petitionis finem esse euitatio- *Nu.120.*
nem peccati futuri; itaut petamus non induci in tẽtationem, ne fortè à tentatione superati, legem Dei violemus. Inducit autem nos Deus in tentationem: non quidem impellendo nos ad malum, cùm non sit author peccati (vnde à D. Iacobo *in sua canonica, cap. 1.* ipse dicitur intentator malorum, & neminem tentare) sed tentationem, sicut posset, non prohibendo euenire. Id quod contigit dupliciter, nonnunquam enim ita aliquem tentari permittit, vt suâ gratiâ sustentatum non deserat, legitimè certantem coronaturus: iuxta illud *in cit. cap. primo.* Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Nonnunquam verò iusto iudicio aliquem, *id exigentibus peccatis ipsius*, ita permittit tentari: vt succumbat ad suam perniciem abutens beneficiis, quæ ad salutem accepit. Hac igitur petitione conscij nobis, tum nostræ infirmitatis, tum potentię nostrorum hostium, imploramus auxilium Dei ne deserens nos in tentationibus, his assentiamur decepti; vel cedamus afflicti; ponátque brachia nostra vt arcum æreum *ex Psalm.*17. cuius beneficio arcus fortium superetur & infirmi accincti sint robore *ex 1. Reg. cap. 2.* nec enim humanæ imbecillitatis est hostiles dæmonum impetus sustinere, nisi adsit Dei gratia, quæ facilè deficientes in tentatione vires nostras recreet, reficiat ac communiat; itaut victoriam si contingat, acceptam illi ferre debeamus & gratias habere: sicut habuit Apostolus *in priori ad Corinth. cap. 15. sub finem* dicens Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

Nonum est: vltima petitione, *Sed libera nos à malo*, postulari liberationem à pœna, sicut præcedẽte, postulata est liberatio à culpa. Cùm enim homo natus de muliere breui viuens tempore repleatur multis miseriis *Iob.14.* petimus aduersus impetum illarum, diuina ope muniri; ne occasione earumdem, per impatientiam aut aliter ad peccandum pertrahamur, sed potius ad virtutem prouehamur iuxta illud *posterioris ad Corinth.*12. Virtus in infirmitate perficitur] aut certè si nullam vtilitatem adferant animæ, tuti simus ab illis: vt ab inundatione aquarum, ab incendio, à fulgure, & tempestate, fame, peste, bello, carceribus & vniculis, exilio, insidiis hostium, & proditionibus morte inopinata, aliísque id genus, quibus in huius vitæ peregrinatione, & terremur, & affligimur, à quorum plurimis, pius pater nos liberat, alia nos pati permittit: solatia admiscens quæ cuiusdam liberationis rationem habent. Additur propositis petitionibus particula (Amen) significans fideliter, aut verè, *vt ex D. Hieronymo*: aut fiat, *vt ex D. Ambrosio* habet loco cit. Gregor. à Valen. inquiens nos per eam in fine orationis excitare ac protestari fiduciam impetrandi, sicut & in initio per verba Pater noster qui es in cœlis.

Vltimum est; ex proposito petitionum ordine intelligi, nos Christi institutione debere ante omnia optare Dei gloriam: deinde nostram cum Deo perfectam coniunctionem: tum vitam actam ex ipsius voluntate, quæ medium est ad eamdem coniunctionem consequendam. Præterea subsidia siue spiritalia, siue corporalia ad talem vitam necessaria: ac demum liberationem tum à peccatis, tum ab occasionibus peccandi: siue sint tentationes, siue insultus hostium, siue miseriæ, & calamitates humanæ tanquam impedimenta memoratæ vitæ. Vbi aduerte, quòd cùm petitionem liberationis ab huius vitæ malis seu calamitatibus, Christus Dominus vltimam posuerit: contra hominis Christiani officium esse, quòd quidam cùm calamitates aliquas patiuntur, aut aliquod earum periculum, petunt tantùm ab illis eripi, negligendo petitiones præmittendas de Dei gloria, & reliquas. Quo fit, vt non sit mirum, si tanquam male petentes non exaudiantur.

APPENDIX.

De recitatione Rosarij.

Nu.121. Receptus apud Catholicos vsus Rosarij, in quo orationi Dominicæ subiũgitur aliquoties repetita Salutatio Angelica, exigit vt de illo ad extremũ addamus notatu digna, quæ habentur in quodam manuali sodalitatis Beatæ Mariæ Virginis his verbis. Rosarium apud Catholicos aliud nihil est, quàm sertum quoddam spirituale, mysticis vocibus ex Euangelio depromptis, tanquam rosis contextum, quod Virgini Virginum, Dei Matri offerimus. Constat autem oratione Dominica quinquies & Salutatione Angelica quinquagies repetita. Vnde cùm Rosarium tertiò dictum, efficiat numerũ 150. salutationum: qui est numerus Psalmorum Dauidicorum, idipsum trinum Rosarium vocatur Psalterium beatæ Virginis.

Porro quinquies in Rosario orationem Dominicã repetimus, vt quinque vulnerum Christi memoriam refricemus. Salutationem verò Angelicam cuique orationi decies subiicimus vt in mentem nobis veniat decem mandatorum Dei obseruatio. Eandem quinquagies toto Rosario iteramus, vt plenam peccatorum remissionem (quæ quinquagenario numero Iubilæi, in Scripturis sanctis significatur) intercessione B. Virginis per merita Dominicæ passionis consequamur.

Iam vt mens orantis, cui difficile videtur, & tædiosum ad eadem verba toties repetita attendere, fructu suo non careat, piè ordinatum est, vt quodlibet Rosarium quinque mysteriis addiceretur, quibus meditandis dum os verba proferret, mens occuparetur.

Primò Rosario assignata sunt quinque gaudia sanctissimæ Matris, (*quinque decadibus accommodata*) quibus illa ex iis, quæ circa Christi naturam humanam contigerunt, affecta fuit. Quorum 1. est Annunciatio Dominicæ Incarnationis. 2. Visitatio Elizabethæ. 3. Natiuitas Christi. 4. Oblatio Christi in templo. 5. Inuentio pueri Iesu inter Doctores.

In secundo Rosario memoranda assignantur quinque mysteria Passionis Christi quæ sunt. Primum, oratio & captiuitas Domini in horto. Secundum, flagellatio. Tertium, coronatio. Quartum, Baiulatio crucis. Quintum, Crucifixio.

In tertio, Rosario considerandа proponuntur quinque mysteria gloriosa; quæ contigerunt post Christi Domini mortem: quæ sunt Primum, Resurrectio Domini. Secundum, Ascensio eius in cœlos Tertium, Aduentus Spiritus sancti in Matrem & Discipulos. Quartum, Assumptio B. Virginis. Quintum, Coronatio eiusdem.

Ex quibus patet multiplex Rosarij vsus & fructus: quo scilicet renouatur memoria præcipuorum mysteriorum vitæ Christi, & B. Virginis, capitúmque fidei. Quod sanè compendium eò est apud omnes vtilius, quò vsus eius latiùs patet, quàm librorum: legi enim potest etiam à literarum imperitis, à cæcis, in equis, & in curribus, & in tenebris densissimis. Nunquam verò omittenda sunt ipsa mysteria, circa quæ intelligentia & memoria occupentur; & licèt initio aliquid difficultatis habere videatur, ita semper eorum meminisse; paucorum dierum tamen vsus, rem totam facillimam redder.

R.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Modus facilè recitandi Rosarium.

VT autem faciliùs fideles in recitando Rosario, mysteria proposita percurrant, modum sat opportunum & facilem subiiciemus.

Is est, vt antequam decadem aliquam inchoes, mysterium quod in ea meditandum est, breuiter in memoriam reuoces, retinendum postea, dum eandem absolues. Deinde sub initium orationis Dominicæ Deum velut præsentem animo subiicias, vt Patrem. Sub imitium salutationis Angelicæ B. Virginem vt matrem; nimirum vt imaginatio circa id occupata, euagari huc illuc non possit. Vel certè imagineris te ferri per ea loca in quibus ea mysteria facta sunt, illisque te præsentem esse cogites, ac si ea oculis tuis haberes proposita. Quod citra difficultatem, magnâ animi voluptate, sensuque fieri potest; sicut otiosi aliquando imaginamur nos totam Hispaniam percurrere, videre, intuerique mira, &c.

Et die quidem Dominico & feria 5. tertij generis mysteria quæ gloriosa dicuntur. Feria 2. 3. & Sabbatho primi generis quæ gaudiosa appellantur. Feria 4. & 6. ea quæ luctuosa nuncupantur expendi, & considerari possunt,

Ad faciliorem quoque mysteriorum considerationem Nauarrus *in Miscellanco 24. de eodem Rosario*, hunc modum suggerit, vt ad singulas decades, mysterium ipsum, cui volumus intendere in salutationibus Angelicis, breuiter interseratur, hoc pacto.

IN ROSARIO GAVDIOSO.

Ad decades singulas cum peruentum fuerit ad nomen IESVS *adiiciatur.*

Ad 1	Quem	Virgo concepisti.	S. Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, &c.
2		Visitãdo Elizabeth portasti.	
3		Virgo genuisti.	
4		In templo præsentasti.	
5		In Templo inuenisti.	

IN ROSARIO DOLOROSO.

Ad decades singulas cùm item peruentum fuerit ad nomen IESVS *adiiciatur.*

Ad 1	qui pro nobis	Sanguinem sudauit.	S. Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, &c.
2		Flagellatus est.	
3		Spinis coronatus est.	
4		Crucem baiulauit.	
5		Crucifixus est.	

IN ROSARIO GLORIOSO.

Ad decades singulas, cùm similiter peruentum fuerit ad nomen IESVS *adiiciatur.*

Ad 1	Qui	Resurrexit à mortuis.	S. Maria Mater Dei ora pro nobis, &c.
2		In cœlum ascendit.	
3		Spiritum Sanctum misit.	
4		Te assumpsit.	
5		Te in cœlis coronauit.	

Addc, *quod in eod. Miscell. num. 3. commendat Nauarrus*, videri consultum ac etiam fructuosum, absoluta quauis decade, quasi recreandi animi causâ, hisce verbis ad gratulationem excitare se. Absoluta prima: Decies millies te benedicant virgo Mater, gloriosa Maria, omnes Angeli, & Archangeli, vniuersique curiæ cœlestis Spiritus, cum quibus speramus te aliquando videre coleréque in cœlo. Amen.

Post secundam decadem: Vicies millies te benedicant, virgo Mater, gloriosa, Maria omnes Sancti Patriarchæ, Prophetæ cæterique veteris Testamenti: Sancti Innocentes, Sancti Ioseph & Ioannes Baptista, cum quibus speramus te aliquando videre, coleréque in cœlo. Amen.

Post tertiam: Tricies millies te benedicant virgo Mater, gloriosa Maria, omnes Sancti Apostoli Domini Discipuli & Euangelistæ, omnésque Glorioſi Martyres cum quibus, &c.

Post quartam: Quadragies millies, &c. omnes Sancti Confessores, Episcopi, Doctores, Monachi, Eremitæ, Virgines, Vidui, Cõiugati; cum quibus, &c.

Post quintam: Quinquagies millies te, &c. Sancta Anna Mater tua, & Mariæ cognatæ tuæ, amicissimæque tibi Magdalena & Martha, omnes Sanctæ Virgines, Viduæ, Coniugatæ, cum quibus, &c.

Tribus supra explicatis Rosariis, adiungi possunt tria alia. Primum est, vitæ Christi. In prima decade meditando Christum baptizatum, & ieiunantem. In secunda decade, legislatorem præcepta virtutum omnium tradentem: tum verbo (vt in sermone quem habuit in monte: Beati pauperes, &c.) tum exemplo. In tertia decade varia edentem miracula. In quarta decade Sacerdotem varia instituentem Sacramenta. In quinta decade transfiguratum.

Secundum Rosarium complectitur meditationem quatuor nouissimorum. In prima decade meditando mortem: in secunda iudicium particulare: in tertia iudicium vniuersale: in quarta, infernum. in quinta, gloriam cœlestem.

Tertium Rosarium continet meditationes beneficiorum quę à Deo accepimus. In prima decade meditando beneficium creationis: in secunda, conseruationis & gubernationis: in tertia, Redemptionis: in quarta, Vocationis ad fidem Catholicam, Iustificationis à peccatis sæpius repetitæ, beneficiorúmque particularium: in quinta, glorificationis in cœlo quam tibi ab æterno præparauit. Denique quot meditationes quinas potes coniungere, tot Rosaria diuersa potes tribus primis ante explicatis adiungere.

Quid Corona, & quis eius recitandi modus.

IAm valde in vsu est id genus Rosarij quod beatæ Virginis Corona dicitur, quæ sex decadibus cõtinetur, quibus adiicitur semel oratio Dominica, & ter salutatio Angelica, ac postremò concluditur Symbolo Apostolorum. Corona hæc inuenta & vsurpata videtur in honorem 63. annorum, qui à multis Diuæ Virg. tribuuntur, vt singulis annis respondeãt singulæ Salutationes Angelicæ, quæ sunt 63. Corona autem hæc cùm recitatur, in quinque primis decadibus, ante dicta mysteria, pia cogitatione euolui debent. In sexta autem decade eadem repeti possunt, primum scilicet, in primo Aue; secundum, in secundo; & sic deinceps: itaut in singulis decem illius decadis Salutationibus, bis singula mysteria repetãtur: aut in duabus primis salutationibus vnũ: in duabus secundis, secundum, & sic deinceps: aut certè vnum aliquod mysterium in quo magis nos commoueri sensimus, in tota vltima decade iterum mentis oculis subiiciatur. Ad tria autem vltima Aue Maria, virtutes

virtutes subiectas, vel alias pro cuiusque deuotione per interceſſionem glorioſæ Virginis possumus à Deo postulare, hoc modo.

In 1. Rosario post IESVS, *adiiciatur.*

Qui nobis augeat	Fidem rectam. Spem firmam. Charitatem perfectam.	Sancta Maria Mater, &c.

In 2. Rosario post IESVS, *adiiciatur.*

Qui nobis	Intellectum illuminet. Voluntatem perficiat. Memoriam roboret.	Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis, &c.

In 3. Rosario post IESVS, *adiiciatur.*

Qui	Dirigat cogitationes. Regat verba. Gubernet opera.	Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis, &c.

Post sextam autem Coronæ decadem adiici potest, Centies millies te benedicant, Virgo Mater gloriosa Maria omnes Sancti, Sanctæque Dei, cum quibus speramus, &c.

TERTIA LIBRI PARS

De ieiunio Pœnitenti posito in præcepto.

CAPVT DVODECIMVM.

De illius nomine, definitione, & diuisione.

SVMMARIVM.

122 *Ieiunium metaphoricè sumitur pro abstinentia à peccatis.*
123 *Proprie sumptum, quid & quotuplex sit.*
124 *Quid vocetur ieiunium naturæ: quid ieiunium virtutis, & quid ieiunium Ecclesiasticum, & cur de hoc tantum præsens tractatus instituatur.*
125 *Definitio ieunij Ecclesiastici, ex cuius priore parte sumuntur tria documenta.*
126 *Explicatione posterioris partis eiusdem definitionis ostenditur differentia, quâ ieiunium Ecclesiasticum à cæteris ieiuniis separatur.*
127 *Variæ diuisiones ieiunij Ecclesiastici.*
128 *De Ecclesiastico ieiunio Quadragesimali.*
129 *Illius præceptum præ cæteris commendatur ex eo, quod ab initio nascentis Ecclesiæ sit ab Apostolis institutum.*
130 *Quo modo accipiendum sit, quòd à nonnullis sanctis Patribus dicitur à Christo institutum esse.*
131 *De ieiunio Quatuor temporum, & Vigiliarum.*
132 *Quam vim consuetudo habeat inducendi aut tollẽdi ieiunij obligationem.*
133 *Consuetudo vt inducere, sic abrogare potest ieiunium Ecclesiasticum.*
134 *Duo dubia, quorum solutione declaratur ratio, qua consuetudo potest legem Ecclesiasticam de ieiunio abrogare.*
135 *Quando teneamur aut non teneantur Religiosi seruare ieiunia sæcularibus consueta.*
136 *In ieiuniis tenentur aduenæ consuetudinibus incolarum, sibi cohabitent, non item si viatores tantùm sint.*
137 *Dies, in quibus ieiunandum non est.*
138 *Ieiunium non est in illis prohibitum.*

IEIVNII nomen latè sumptum extenditur ad abstinentiam à peccatis, de qua Isaiæ 58. Nonne hoc est ieiunium quod elegi: dissoluere colligationes impietatis?] Et de consecrat. distinct. 5. cap. Ieiunium autem magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus sæculi &c.] Quam acceptionem D. Thomas 2. 2. quæst. 147. art. 2. ad 1. metaphoricam esse ait; sicut nitnirum voluptas illicita non nisi metaphoricè potest cibus vocari. Ad illius vsum spectantia habentur in præcedenti lib. 2. cap. 15. *Nu.* 112.

Sumptum verò propriè, *ex cod. D. Thoma ibidem*, dicitur de abstinentia à cibo & potu: & distinguitur *(vt notant tum alij tum Richar. in 4. & Ioan. Medina in Cod. de ieunio, ille distin. 15 art. 3. quæst. 2. hic quæst. 1.* in ieiunium naturæ, ieiunium virtutis, & ieiunium Ecclesiæ. *Nu.* 123.

Ieiunium autem naturæ, dicitur abstinentia ab omni cibo & potu, quale ad Eucharistiæ sumptionem requiritur, per cap. Ex parte de celebr. Missarum: de quo cùm de ipsa Eucharistia in sequenti libro. 29. Ieiunium verò virtutis, dicitur abstinentia à cibo & potu, cum moderatione, quam recta ratio dictauerit: ita scilicet, vt homo comedendo & bibendo, in eo quod naturæ necessarium est nec deficiat, nec notabiliter excedat: sed id sumat quod ad vitam & debitam corporis valetudinem conuenerit: prout *explicat Medina.* Qui postea *in sequenti quæst.* 12. declarat quomodo ratio virtutis ei conueniat: quod est Scholastici instituti speculationisve. Ieiunium denique Ecclesiæ dicitur illud de quo datur Ecclesiæ præceptum; per quod cùm determinetur præceptum diuinum, non modo quoad tempus, sed etiam quoad modum ieiunandi *(in quo distinguitur à præceptis Ecclesiasticis de confessione, & de sumptione Eucharistiæ, determinantibus diuina præcepta solummodo quoad tempus)* fit vt obligatio, quam Christianus habet ieiunandi, tota æstimetur ex eodem præcepto Ecclesiastico: fitque porro vt totus hic tractatus instituendus sit de ieiunio Ecclesiastico. De quo agitur in iure Canonico, apud Gratianum quidem distin. 4. & 76. & de consecr. distin. 3. & 5. in decretalibus verò tit. de obseruat. ieiuniorum. Agitur & à Theologis scholasticis, à D. Thoma quidem in cit. qu. 147. & ab Alexandro Alensi in 4. part. qu. 28. A reliquis verò in 4. distinct. 15. & nonnumquam distin. 16. vt à Gabriele quæst. 3. Itémque à Summulariis in verbo Ieiunium; & à D. Anton. 2. par. tit. 6. cap. 2. ab Abulensi in cap. 6. D. Matth. quæst. 124. & pluribus sequentibus, à Ioanne Medina in cit. Cod. per tredecim quæstiones, à Couar. in lib. 4. variarum resolutionum cap. 20. à Nauar. in Enchir. cap. 21. à num. 11. & à recentioribus, vt à Bellarm. in tom. 3. cõtrouersia tertia generali lib. 2. à Gregorio à Valtẽia secunda secundæ disput. 9. quæst. 2. & ab Azorio in prima parte Moralium institutionum lib. 7. Quæ verò necessaria videntur ad Confessarij & Pœnitentis institutionem complectemur, dicendo primò de eiusdem ieiunii definitione & diuisione: quod fiet in hoc eodem cap. Secundò, de necessariis ad illud.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertiò, de modis quibus ipsum violatur. Quartò, de peccato quod committitur ipsius violatione. Quintò, de peccato quod committitur participando in eadem violatione. Sextò, de causis excusantibus ab illius obseruatione. Septimò, de iis quæ vrgent nos ad eandem obseruationem: fiétque sequentibus capitibus. Quæ autem addenda viderentur de vsu cæterorum operum pœnalium; quæ siue à nobis sponte suscepta; siue Deo infligente, patienter à nobis tolerata, possunt *iuxta Concil. Triden. sess. 14. cap. 9.* rationem satisfactionis habere: partim sumenda sunt ex dictis lib. 2. cap. 14. sect. 11. 12. & 13. partim relinquenda sunt tum Confessarij, tum etiam Pœnitentis prudentiæ.

De definitione ieiunij Ecclesiastici.

Sectio I.

Nu. 125. Definiri autem potest ieiunium Ecclesiasticum: Voluntaria ciborum abstinentia, quæ communi lege & consuetudine Ecclesiæ obseruatur. Cuius definitionis prior pars, *Voluntaria ciborum abstinentia*, tenens locum generis, declarat id in quo ieiunium Ecclesiasticum communicat tam cum ieiunio virtutis, quàm cum ieiunio priuato; *de quo in sequenti num. 126. versus finem erit mentio.* Ex ea autem desumi possunt tria documenta.

Primum est, non frangi Ecclesiasticum ieiunium, nisi frangatur abstinentia. Vnde sequitur, eum qui gustat cibum, nec deglutit, non frangere ieiunium; eum verò frangere qui deglutit cibum, quantumuis non gustet, vt deglutiens oua sorbilia. Secundum est, non seruari ieiunium Ecclesiasticum ab eo, qui inuitus abstinet à cibo; seu, quia non potest cibum habere: non enim ieiunat voluntate, sed necessitate. Tertium est, in hac materia, cibum à potu & à medicina, *cum quibus commune habet, quòd ore sumatur*, non esse distinguendum ex modo, quo sumitur; quasi nomine cibi id tantùm intelligatur, quod comeditur: cùm lac, etiamsi potetur, sicut vinum, sit tamen cibus: sed esse ex fine & principali effectu distinguendum: vt id quod principaliter institutũ est ad nutritionem, dicatur cibus, quocumque modo ore sumatur: id verò quod principaliter facit ad bonam nutrimenti dispositionem, & ciborum digestionem, vocetur potus: & id quod principaliter est contra morbos, siue comedatur, siue bibatur, vocetur medicina.

Nu. 126. Posterior autem pars eiusdem definitionis, *tenens locum differentiæ*, ostendit id quod est ieiunio Ecclesiastico proprium, separans ipsum à reliquis ieiuniis. Nam constitutum esse communi lege & consuetudine totius Ecclesiæ, non conuenit reliquis ieiuniis. Etenim ieiunium virtutis constitutum est iure naturali: si quidem vnà cum rationis instinctu, insitum est nobis temperantiæ, *sicut aliarum virtutum*, præceptum, & quasi semen. Ieiunium verò illud quo aduersus peccata abstinetur à licitis, iisve quibus saluâ temperantiæ virtute vti possumus, est iure diuino constitutum per illud *Ioel. 2.* Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, &c.] Et per illud quod *Matth. 6.* Dominus noster vt orandi ac eleemosynam dandi, sic & ieiunãdi modum tradit. Immo verò quia vrgente corporis vel animæ necessitate, aut vtilitate, ratio illud ipsum dictat: iure quoque naturali constitutum censeri potest, perinde ac præcedens. A quo tamen differt, vt, *præter ea quæ habet Couar. lib. 4. variarum resolut. cap. 20. num. 1.* satis ostendit: quòd semper quidem temperanter sobriéque sit viuendum: non autem semper à licitis abstinendum: vt patet ex responsione à Christo facta discipulis D. Ioannis Baptistæ, *apud D. Matth. cap. 9.* Nunquid possunt filij sponsi lugere quamdiu sponsus est cum illis, &c.] Itemque ex admonitione D. Pauli *in priori ad Corinth. cap. 7.* Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi.] Reliqua denique ieiunia sunt constituta lege priuata; qua vel persona aliqua, vel populus aliquis, se ad ieiunandum adstrinxit. Quæ tamen differentia non obstat quin ieiunium Ecclesiasticum magnam cum aliis habeat affinitatem. Nam induit rationem ieiunij virtutis, vt patet per tradita à Medina *in citata quæst. 12.* nihilque in se includit, vnde medium virtutis corrumpatur, *vt bene notat Richardus loco citato.* Deinde ad ieiunium iuris diuini sic affectum est, vt cùm illud absolutè præceptum sit; Ecclesia per suum præceptum determinet certum tempus & modum, quo obseruari debeat ex D. Augustin. epist. 86. ad Casulanum: nimirum ne in eo committatur excessus, quem humana infirmitas non patiatur; vel defectus, ex quo parum, aut etiam nihil, fructuosum sit. Denique in ieiuniis priuatis forma illius retinetur. Nempe qui ex deuotione, aut ex voto, vel ex præcepto Confessarij ieiunat, abstinet à carnibus, & est vna refectione contentus, sumpta circa meridiem. Porro ieiunium Ecclesiasticum sanctum ac salutare esse, aduersus hæreticos nostri temporis, propugnatum, qui volet videre poterit: tum apud Bellar. tomo 3. in tertia controuersia generali lib. 2. cap. 11. tum apud Gregor. à Valen. secunda secundæ disput. nona quæst. 2. puncto 2.

Variæ diuisiones ieiunij Ecclesiastici.

Sectio II.

Nu. 127. Ieiunium Ecclesiasticum latè sumptum diuiditur primò in commune, quod in tota Ecclesia seruatur; & in priuatum, quod ex voto vel ex Confessarij, aut Superioris particulari præcepto, vel ex gentis aut ciuitatis speciali statuto suscipitur: de quo non est in præsentiarum sermo. Commune rursus diuiditur in perfectum & in imperfectum. Illúdque est, in quo à certis cibis, maximè à carnibus abstinetur & semel tantùm intra diem naturalem corpus cibo reficitur: hoc verò est, in quo licet corpus, plusquam semel in die reficiatur, tamen à certis cibis abstinetur, quale seruatur diebus dominicis in Quadragesima, & feria sexta ac Sabbatho per annum, quando nullum aliud indictum est ieiunium, & in diebus Rogationum. Atque perfectum *ex D. Thoma 2. 2. in eadem quæst. 147. art. 5. ad 3.* distinguitur in ieiunium exultationis & lætitiæ, *de quo non debet dari præceptum, quia procedit ex instinctu Spiritussancti*: & in ieiunium afflictionis, quale est quod ab Ecclesia instituitur, & de quo nobis est hìc sermo: quódque ex tempore, illius obseruationi determinato ab Ecclesia, distinguitur in Quadragesimale, Quatuor temporum & Vigiliarum.

Nu. 128. De quorum primo, hoc est, de Quadragesimali, obseruandum est, *ex cap. Quadragesima, De consecr. distinct. 5.* ipsum esse ieiunium quadraginta dierum ante Pascha, in quibus dum ieiunando affligimur, Deo quasi anni decimas damus. Quoniam autem à prima Dominica Quadragesimæ vsque ad Pascha, sex hebdomadæ computantur continentes quadraginta duos dies; ex quibus sex Dominicæ subtrahuntur

huntur ieiunio, itaut remaneant solùm triginta sex, factum est, vt ad implendum sacrum quadraginta dierum numerum, quem Saluator noster suo ieiunio consecrauit, adderentur quatuor dies præcedentis hebdomadæ, sicque initium Quadragesimæ à quarta eiusdem hebdomadæ feria sumeretur: quæ propterea dicitur caput ieiunij.

Quis alius ante D. Gregor. (*ex cuius homil. 16. in Euangelia sumptus est memoratus Canon*) Quadragesimæ fuerit in Ecclesia vsus inchoandi ieiunij Quadragesimalis: quis item eiusdem finiendi, videri potest apud Azorium in cit. lib. 7. cap. 12. quæst. 2. & 3. sicut & quanta fuerit in obseruanda Quadragesima varietas potest apud Bellarm. in cit. lib. 2. cap. 15. Nam res est longa, & quæ ad iudicium de peccatis nobis propositum non videtur esse necessaria.

Nu. 129. Cæterùm Quadragesimalis ieiunij præceptum duo habet, in quibus plurimis aliis Ecclesiæ præceptis antecellit, digna notatu hoc nomine, quòd ieiunij obseruationem, *vltra ingentes eius vtilitates*, nobis reddant commendatam. Vnum est, quòd non fuerit datum subsequentibus temporibus; sed ab ipsis Apostolis initio nascentis Ecclesiæ: pro quo multi Authores citantur à Couar. *in memorato cap. 20. nu. 4.* sed nobis sufficit extare Canonem 68. eorumdẽ Apostolorum, in quo sacrum Quadragesimæ ieiunium, vt iam tunc institutũ, obseruare admonemur.

Item de eodem mentionem esse apud D. Clementem in lib. 5. constitut. Apost. cap. 12. & apud D. Ignatium in Epistola ad Philipp. qui Apostolorum tempore vixerunt. Alterum est, Quadragesimæ ieiunium institutum esse ab Apostolis ad exemplum Christi, qui inchoaturus sacrosancti Euangelij prædicationem, ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus *Matt. 4.* Pro qua re plures Patrum authoritates habet Bellarm. *in cit. lib. 2. cap. 16. in 7. causa institutionis ieiunij Ecclesiastici.* Quòd verò aliqui ex illis (quorum Azor. in præced. quæst. 1. meminit) docere videntur Quadragesimale ieiunium à Christo esse institutum, itaut de iure diuino seruandum sit, bene Ioannes Medina explicat *in memorato Cod. de ieiunio, quæst. 2.* Vbi etiam soluit alia quæ ad idem confirmandum facere videntur: in quibus immorari non est instituti nostri, sicut nec in recensendis causis institutionis eiusdem ieiunij, quas ex Patribus Bellarm. persequitur *in cit. cap. 16.* Etsi enim ea sint digna scitu, non veniunt tamen in considerationem, cùm iudicandum est, an contra hoc præceptum peccetur in aliquo casu.

Nu. 130. Satis igitur fuerit paucis monuisse, à nonnullis Patribus, vt à D. Ambrosio, Beda, & Maximo (*quorum Medina ipse meminit*) ieiunium Quadragesimale non humana cogitatione inuentum, sed diuina maiestate præceptum dici: eoquod authoritatem habeat ab exemplo Christi: qui ieiunando quadraginta diebus & quadraginta noctibus, sacrum fecit quadragenarium ieiunium, & apud Deum commendabile, atque acceptum; itaut in magna reuerentia habendum, perindeque obseruandum sit, ac si verè esset à Christo acceptum: non autem quòd Christus illud iusserit: sicut nec cùm virginitatem, & eximiam paupertatem seruauit, nos ad eas præcepto adstrinxit: sed tantùm imitationem propoluit. Et certè quod suo ieiunio non indixerit ciborum discretionem, quam in Quadragesima seruare præcipimur, patet ex eo, quod dixit discipulis *Lucæ 10.* In quamcumque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis. Patet etiam ex dispensatione, quam Papa solet nonnullis dare comedendi oua, caseum, ac etiam carnes in Quadragesima; qua dispensatione deciperentur fideles, si talis discretio seruari deberet de iure diuino, in quo Papa non dispensat propriè, cui & ipse tanquam inferior subiicitur sicut cæteri.

Nu. 131. De ieiunio Quatuor temporum & Vigiliarum pauca tantum, & paucis attingenda sunt tanquam sufficientia ad nostrum institutum. Primum est, sanctum esse ieiunium Quatuor temporum, eoquod tertio quoque mense quater in anno obseruetur feria quarta, sexta & Sabbatho. Secundum est, de eo multos haberi Canones in prima parte decreti dist. 76. Tertium est, illius institutionem ab Apostolis profectam esse, quo ad tria tempora. Pentecostes inquam, mensis Septembris, & mensis Decembris: prout habetur ex Patribus, præsertim ex D. Leone: videri possunt Bellarm. & Azor. in libris citatis: ille cap. 19. & hic cap. 14. Quoad quartum verò quod Calixtus Papa, *qui ante mille quadringentos fere annos vixit*, ipsum tribus illis addiderit, habetur ex eiusdem Epistola ad Benedictum Episcopum, *quæ refertur dist. 76. cap. 1.* Quartum est, olim vario modo celebratum fuisse Quatuor temporum ieiunium: de quo videri possunt etiam in iisdem locis Bellar. & Azor: vt & de causis ob quas ipsum est institutum. Quintum est, ieiunium Vigiliarum ex eo dictum esse, quòd maiores nostri pridie magnarum solemnitatum, non modò ieiunare solerent, sed etiam de nocte in Ecclesia vigilare. Qui nocturni conuentus, quamuis in desuetudinem abierint, retentus est tamen ieiunij ritus, & cum eo nomen ieiunij Vigiliarum. Sextum est; in quarum solemnitatum vigiliis ieiunandum sit, cognosci non modò ex Ecclesiæ præcepto, sed etiam ex recepta regionis consuetudine, iuxta cap. Consilium De obseruat. ieiuniorum §. De festiuitate & §. Item de illis. Quæ verò sint eæ Vigiliæ, communis vsus satis ostendit. Recensentur in verbo Ieiunium ab Angelo & Sylu *ab illo num. 7. & ab hoc nu. 5. videri quoque potest Azor in præcedenti cap.* 13. Septimum est, si Vigilia in diem Dominicum inciderit, ieiuniũ transferendum esse in præcedentem diem Sabbathi ex cap. 1. De obseruatione ieiuniorum. De ieiuniis autem quartæ & sextæ feriæ ac Sabbathi aduentus, itémque septuagesimæ, Sexagesimæ ac Quinquagesimę, & Rogationum, quæ olim fuerunt in vsu perfecti ieiunij; nunc autem non sunt, videri possunt Bellar. & Azorius; qui de illis peculiaria capita habent in citatis libris.

De vi consuetudinis ad inducendam vel tollendam in Ecclesia ieiunandi obligationem.

Sectio III.

Nu. 132. Præmissæ expositioni propriæ rationis ac varietatis ieiunij Ecclesiastici, adiungenda est pro praxi expositio duorum dubiorum: quorum prius est: Quam vim habeat consuetudo in Ecclesiastico ieiunio inducendo vel abrogando. Posterius est. An sicut datur tempus in quo ieiunium ab Ecclesia præcipitur, sic detur in quo ipsum prohibeatur. Ac de priori hæc documenta tenenda videntur.

Primum est, posse ieiunij obligationem induci consuetudine. Hæc enim, si approbata sit à Superiore, vim legis habet *ex cap. Dilecti. De arbitris, & ex lege, De quibus, cum aliquot sequentibus, ff. De legibus.*

Nu. 133. Secundum est, posse ieiunium abrogari consuetudine. Nam hæc habet quoque vim abrogandi legem humanam, *ex cap. Cum tanto, de consuetud.* Et confirmatur, quia cõsuetudo abrogauit ieiunium Rogationum; quod præcipitur in cap. Rogationes de con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

secr. distinct. 3. Item ieiunium quartæ & sextæ feriæ iam inde ab Apostolorum temporibus in præcepto positum (*vt patet per citata à Bellarm. & Azorio in iisdem libris: ab illo in cap. 17. & ab hoc in cap. 15.*) constat consuetudine abrogatum esse, & arbitrio nostro relictum ex cap De vlu carnium, de consecrat distin. 3. iuncta glosa. Denique ieiunium aduentus, aliàs solitum seruari in Ecclesia Romana, ex cap. Consilium de obseruat. ieiuniorum; contraria consuetudo iam sustulit. De nonnullis vigiliis Apostolorum, idem dici potest. Nam cùm in omnibus ieiunare præceptum sit, exceptis vigiliis Apostolorum Philippi & Iacobi, & Ioannis Euangelistæ ex eod. cap. Consilium aliquarum ieiunium alicubi consuetudine sublatum est.

Nu. 134. Sed duo obiici possunt. Vnum est, talem consuetudinem esse malam; vtpote introductam ab hominibus gulosis contra Ecclesiasticam regulam; ideóque cùm rationabilis & iusta censeri nequeat, seruandam non esse: sicut nec seruanda est lex irrationabilis & iniusta. Alterum est, quòd si homo non excusetur quando primùm peccat contra legem: ipsum neque excusari quando perseuerat in peccando: quandoquidem perseuerantia in præcepti præuaricatione, auget non autem minuit peccatum: vnde ieiunium violantes, si initio peccent, multo magis peccabunt perseuerantes in tali violatione: neque per eam excusabuntur à debito ieiunij.

Priori autem respondendum est cum Medina *in Cod. de ieiunio quæst.* 8. quamuis consuetudo ad inducendum obligationem rationabilis & iusta esse debeat, sicut & lex, cui æquiparatur; tamen ad tollendam prioris legis obligationem, non esse opus vt sit rationabilis; sed satis est si per tantum tempus inducta obseruatáque sit, vt peruenerit ad notitiam Superiorum: qui eam scientes, non contradicunt; etiamsi commodè si vellent, contradicere possent & præuaricatores punire: quod quia non faciunt, meritò præsumitur, quòd velint rigorem legis amouere. Quocirca illud quod per se facit ad prioris legis amotionem, non tam est consuetudo contraria, quàm animus legislatoris tali consuetudini consentiens: ex quo consensu, non ex subditorum arbitrio, pendet obligatio legis: quandoquidem hæc alioqui nihil à consilio differret.

Si vrgeas in fine citati cap. Cùm tanto haberi; consuetudinem iuri positiuo non debere præiudicium generare, nisi sit rationabilis & legitimè præscripta Respondet Medina, id esse intelligendum de consuetudine inducta & seruata nesciente Superiore eo, cuius est legem condere & renouare. Ea enim, vt vincat legem contrariam, debet esse iusta & rationabilis ac præscripta per longum tempus; quale est, decem saltem annorum. Secus verò est, de consuetudine introducta & seruata, Superiore sciente & consentiente: quantumcumque enim legis ratio maneat, & ideo contraria consuetudo irrationabilis sit: tamé si in hanc Superior consentiat, lex ipsa vim suam amittit, non vi consuetudinis, vt iam dictum est, sed consensu Superioris. Qui cósensus si abesset, eadémque intentio obligandi maneret, perseuerante simul iusta ratione legis: obediendum esset, nec consuetudo vim haberet contra Ecclesiasticam legem, vt nec contra diuinam, de cuius firmitate aliquid participat: iuxta illud quod in cap. Sic omnes distinct. 19. dicitur, omnes sanctiones Apostolicæ sedis accipiẽdas esse tanquam ipsius diuina Petri voce firmatas.

His consentanee, Medina posteriori obiectioni respondet: eam rationem procedere, quando durante vitiosa consuetudine, permaneret simul eadem ratio legis, & legislatoris intentio obligandi; tunc enim quò diuturnior esset, eò ipsa peior esset, & pet consequens non excusaret culpam, sed agrauaret. In casu autem, quo non manet eadem Superioris intentio obligatoria, nihil obstat quominus homines, qui initio consuetudinis non excusantur ab inobedientię culpâ, excusentur postquam fuerit consuetudo diu continuata; nimirum cessante tandem intentione obligatoria, quæ prius erat in Superiore.

Tertium documentum est, *de quo Azor. in sequen. cap. 19. quæst. 2.* Si aliqua plena vel sempiplena ieiunia sint consuetudine generali in aliqua prouincia, oppido, vel loco recepta, ea quoque in monasteriis & aliorum Religiosorum Collegiis illic constitutis, seruari debere. Sin autem in ieiuniis consuetudo solum sit particularis, vel laicorum vel Clericorum sæcularium: ad eam non teneri Monachos vel alios Religiosos. Prior pars probatur, quia talia ieiunia sunt omnium; ideóque tanquam moribus omnium comprobata, debent in eo loco seruari: sicut & in ipsis monasteriis seruantur dies festi qui consuetudine vsúque communi omnium coluntur. *Nu.* 135.

Posterior pars verò (*pro qua Paludanum D. Anton. Rosellam & Syluestrum Azor adfert*) probatur ex eo, quòd non idem, sed varius sit modus ieiunij in statu sæculariũ & Religiosorum. Vnde sicut non sequitur: Religiosorum consuetudo est tali tempore ieiunare, aut in ieiunio seruare abstinentiam à talibus cibis: ergo sæculares idem facere tenentur: ita nec sequitur Clerici sæculares aut laici tali die ieiunare consueuerunt, ergo debent quoque Religiosi ieiunare. Excipiendus tamen est casus in quo hi darent aliis scandalum: cùm dictum sit à D. Paulo *in priori ad Corinth. 8.* Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.]

Quartum documentum est, aduenas & peregrinos in ieiuniis teneri consuetudinibus indigenarum & incolarum apud quos commorantur & habitant, aut ad quos cohabitandi causâ venerunt. In hoc omnes consentire notat Azor *in eod. cap. 19. quæst.* 4. Probatur autem apertè per cap. Illa autem distinct. 12. vbi habetur illud celebratum responsum D. Augustino datum à D. Ambrosio. Cùm Romam venio, Sabbathum ieiuno; cùm Mediolani sum, non ieiuno. Sic tu ad quamcumque Ecclesiam fortè veneris: eius morem serua. Vnde extat versus quem ibidem glosa citat. *Nu.* 136.

Si fueris Romæ, Romano viuito more:
Et si sis alibi, viuito sicut ibi.

An idem sit dicendum de viatoribus, teneri inquam consuetudine ieiunandi illorum, per quorum loca transeunt, aliter quàm commorandi seu habitandi causâ; versatur in dubio; cuius cum Azorio ibidem (*vbi pro vtraque parte authores refert*) videtur sequenda pars negans tanquam mitior: præsertim cùm ei nulla sufficiens ratio refragetur; debet tamen abesse occasio scandali, ad quam vitandam viator quoque debet incolarum more abstinere. Addit nihilominus Azor, viatorem qui ex lege vel consuetudine suæ patriæ deberet domi à carnibus abstinere, posse illis vti, dum transit per locum vbi nulla est talis lex aut consuetudo: quia pœnæ & onera alicui communitati imposita, non tam facilè (vt pote odiosa) extenduntur, quàm commoditates & fauores.

De diebus quibus non est ieiunandum.

Sectio IV.

DE posteriori dubio nobis ad explicandum proposito, tenendum est traditione Patrum, *Nu.* 137.

quos Bellarm. commemorat in citato lib. 2. cap. 23. diebus Dominicis & die Natalis Domini, atque toto spatio temporis, quod est inter Pascha & Pentecosten, ieiunandum non esse. De Dominicis habetur prohibitio Melchiadis Papæ in cap. Ieiunium *de consecr. dist. tertia.* De die Natalis Domini habetur in cap. finali *De obseru. ieiuniorum*: Secundum consuetudinem autem Ecclesiæ, propter festi excellentiam, si in sextam feriam aut sabbathum inciderit, illo eodem die non abstinetur à carnibus. Denique de spatio temporis inter Pascha & Pentecosten; patet per illud quod habetur ex cap. Scire debet, distinct. 76. in eo nec ieiunia coli, nec ad orandum Deum genua flecti, sed iugem & continuatam esse festiuitatem propter Dominicam resurrectionem. Vide textum ipsum lectione dignum, & plura de tota hac re apud Gregor. à Valen. *in cit. quæst. 2. puncto* 4. & aduerte communem nihilominus Ecclesiæ Latinæ consuetudinem habere vt ieiunetur in vigilia Pentecostes: *de qua Azor in memorato lib. 7. cap. 13. quæst. 2.*

Nu. 138. Aduerte quoque prædicta non obstare, quominus Religiosi teneantur seruare suæ religionis statuta de ieiuniis, & aliis abstinentiis, si in memoratos dies incidant *prout patet ex cap. Post Pascha distinct. 76.* Nec etiam, quominus ex deuotione laudabili possit quis talibus diebus ieiunare *ex cap. finali de obseruatione ieiuniorum.* Vnde aduerte adhuc, *quod bene loco cit. monet Bellarm.* ieiunium in prædictis diebus non esse semper prohibitum; sed solùm, si quis in illis, vel ex superstitione ieiunet, vt Montanistæ faciebant: vel ex errore, vt Manichæi & Priscillianistę: vel ex contemptu Ecclesiæ vt Eustatiani & Aëriani; vel denique cum scandaló aliorum, vt si quis vnam hebdomadam ieiunaturus eligat sine vlla rationabili causa hebdomadam Paschalem; aut vnum diem ieiunaturus eligat diem Natalis domini, aut Dominicam. Quod si quis vel ad carnis tentationem superandam, vel causa corporalis morbi curandi, vel quia vouit ieiunia totius anni, aut mensis integri, non peccabit si tempore Paschali, vel in die Dominica, vel etiam in die Natalis Domini ieiunauerit, *vt idem author addit ex D. Hieronymo, Epiphanio, & August.* Videri etiam potest Medina *in Cod. de ieiunio quæst.* 10.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De necessariis ad ieiunium Ecclesiasticum.

SVMMARIVM.

139 *Tria necessaria ad implendum præceptum Ecclesiasticum de ieiunio.*
140 *Præter quæ ad meritum requiritur vt in statu gratiæ impleatur.*
141 *Extra quem statum, ad quæ alia prosit.*
142 *In omni ieiunio ab Ecclesia instituto abstinendum est à carnibus.*
143 *Quæ carnes in ieiunio prohibitæ sint, quomodo cognoscendum.*
144 *In quadragesima ouorum & lacticiniorum vsus prohibitus, non item in aliis ieiuniis.*
145 *Solutio obiectorum in contrarium.*
146 *Quando teneatur à carnibus abstinere, qui vouit abstinentiam ab ouis.*
147 *De ciborum delectu in die ieiunij iudicandum est ex consuetudine regionis.*
148 *Itémque de ratione seruandi ieiunium susceptum ex voto, aut ex Superioris vel Confessarij præcepto.*
149 *Nisi consuetudo sit, quæ ex mera libertate vsurpetur.*
150 *Qui excusantur à ieiunio, non excusantur pariter ab abstinentia à carnibus, exceptis pueris ante vsum rationis, cùm de consuetudine carnes eis dentur.*
151 *Vinum fuit, sed iam non est, de numero eorum à quibus abstinendum est in die ieiunij.*
152 *Per ea quæ tantum sumuntur in potum, non frangitur ieiunium: per ea verò quæ tam in potum, quàm in cibum sumuntur, frangitur. De quorum numero non sunt ceruisia & electuaria.*
153 *Sumens vinum aut ceruisiam aut electuaria in fraudem ieiunij, censendus est frangere illud.*
154 *De vnica refectione ad ieiunium Ecclesiasticum requisita.*
155 *De tertia hora eam sumendi, pariter requisita.*
156 *Ea pendet ex consuetudine, quæ obtinuit vt meridies aliquantùm præueniri possit.*
157 *Aliæ causæ ob quas præueniri potest meridies.*
158 *Licitum est horam consuetam differre notabiliter, dummodo in eo excessus non fiat in detrimentum spirituale.*
159 *Sine fractione ieiunij in Quadragesima ante recitatas Vesperas, & aliàs ante recitatam Nonam, refectio memorata sumi potest.*

IAM ex communi consensu Doctorum necessaria sunt ad ieiunium, vt per illud impleatur Ecclesiæ præceptum de eo datum. Primum est qualitas ciborum. Secundum est vnica eorumdem, ad refectionem sufficiens sumptio in die: non quòd non sit liberum ei qui velit & possit, diem ieiunij sine cibo transigere, sed quòd non liceat plurics in eo refectionem sumere. Tertium est competens hora talis sumptionis; quam scilicet non liceat anteuertere in sumptione cibi: prætergredi autem, quantùm velis & possis, concessum sit. *Nu.* 139.

Vt verò ipsum sit vitæ æternæ meritorium; requiritur, vt ieiunans sit in Dei gratia, quia si anima illius peccato mortali inquinetur, ieiunium inutile est ad salutem iuxta illud *Isai.* 58. Quare ieiunauimus & non aspexisti; humiliauimus animas nostras, & nescisti: Ecce in die ieiuni j vestri inuenitur voluntas vestra.] Quem locum D. Hieron. expendens *lib. 2. contra Iouinianum*, inquit: Non reprobauit ieiunium, sed quale vellet ostendit. Neque enim ventris esuries accepta est Deo, quam lites & rapina & luxuria destruunt.] Ad quod confirmandũ adfert illud *Ioel. 2.* Sanctificate ieiunium] inquiens id esse dictum, vt monstraretur ieiunium sanctificari cæteris operibus. Quod etiam sentiunt D. Gregor. *Homil. 16. in Euangelia* inquiens: Ieiunia sanctificare est, adiunctis bonis aliis, dignam Deo abstinentiam ostendere. Cesset ira, sopiantur iurgia; incassùm enim caro atteritur, si à prauis suis voluptatibus animus non refrenetur.] Et D. Maximus Taurinensis *Homil. 1. de ieiunio Quadragesimæ* ait: Quid est aliud sanctificare ieiunium, nisi ieiunij causâ sancta velle, iusta facere, iniqua vitare?] *Nu.* 140

Cæterùm quamuis ieiunium existentis extra gratiam, non sit meritorium æternæ salutis; valet tamen ad multa. 1. ad hoc, vt is qui ieiunat non committat nouum peccatum mortale transgressione præcepti Ecclesiastici. 2. ad macerationem carnis aduersus vitia maximè gulæ & luxuriæ, vt experientiâ constat. 3. ad acquirendam facilitatem ieiunandi, optandam homini Christiano. 4. ad euadenda cum Dei auxilio innumerabilia mala temporalia; sic enim Sanctos in afflictione constituto populo, ieiunium indixisse legimus. 2. *Paralip. cap. 20. vers. 3. & 1. Esdræ cap. 8. vers. 21. & cap. 4. libri Esther versu* 16. Postremò si ex pœnitentia procedat, præparat hominem ad iustificationem, seu ad peccatorum suorum *Nu.* 141.

Universidad de Deusto
Biblioteca

remissionem à Deo consequendam,iuxta illud *Ioelis* 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio,&c.] Exemplum habes Ionæ 3. quod lege:& adde ad eam præparationem spectare, quòd mens per ieiunium disponatur eleuetúrque ad orationem ac diuinorum consideratione:hoc enim est quod homil. 1. in Genesim D. Chrysost. ait ieiunium apponere animæ nostræ pennas, vt in sublime feratur: qui legendus est, quando fideles ad ieiunium excitandi sunt:vt & Gregor. à Valen. 2.2. *disput. 9. quæst.2. punct.2. sub finem*: si agendum sit cum hæreticis negantibus ieiunium esse opus, per quod mercedem mereamur à Deo; aut per quod satisfaciamus Deo pro peccatis nostris,quoad pœnam eis debitam: aut quod vsurpare debeamus ea mente vt per illud colamus Deum: in quibus immorari non est huius instituti. De singulis ergo trium illorum,quæ initio proposuimus,dicere aggrediamur.

De qualitate ciborum ad ieiunium Ecclesiasticum necessaria.

Sectio Prior.

HÆreticorum, præsertim modernorum errores circa ciborum qualitatem, quibus improbant ieiunij ritum ab Ecclesia institutum cum ciborum delectu,bene refutantur:tum ab iis ad quos remittit Couarr. *lib.4. variarum resol. cap. 20. num. 15.* tum à Bellarm. *in ante citato lib.2.cap.3.4. & 5.* & Gregor. à Valentia *in memorato punctо 2. §. Secundo controuersum.* Quę verò de eodem ritu pertinent ad institutum nostrum, exponemus aliquot propositionibus.

Nu. 142. Prima est, In omnibus diebus in quibus ex institutione Ecclesiæ ieiunare tenemur, abstinendum omnino esse ab vsu carnium. In hac non modò Theologi,sed etiam vtriusque iuris interpretes conueniunt, *teste Couar. loco citato*: pro qua authoritates antiquorum Patrum & Conciliorum, Azor adfert *in 1. parte Moralium instit. lib.7. cap.10. quæst.6.* Confirmatur verò:tum inductione; talis enim abstinentia requiritur,tam ad ieiunium Quadragesimale, quàm ad alia indicta ab Ecclesia, vt communis fidelium vsus satis ostendit:tum etiam ratione, quam habet D. Thomas 2.2. *quæst. 147. art. 8.* quòd ab Ecclesia institutum sit ieiunium ad reprimendas concupiscentias carnis;idcóque in illo ea interdicantur quæ in comedendo maximam habent delectationé, simúlque hominem maximè prouocant ad Venerem;sicut censentur carnes animalium nascentium in terra: quæ quoniam magis conformantur humano corpori,plus delectant,plúsque ad eiusdem corporis nutrimentum conferunt. Vnde fit vt ex illarum vsu plus superflui existat,quodvertatur in materiam seminis, cuius multiplicatio maximum est incitamentum luxuriæ. Ea ergo de causa, præcipuè à carnibus Ecclesia statuit esse ieiunantibus abstinendum.

Nu. 143. Cęterùm cùm dubitatur de carnibus alicuius animalis, an sint ex prohibitarum numero, videndum est quid ferat communis Christianorum vsus: quæ enim communiter comeduntur in die ieiunij,vt carnes limacum, ranarum,testudinum, non sunt censendæ prohibitæ. Quod si nihil certò sciri possit ex tali vsu,consulendi sunt medici,qui iudicent an talia animalia accedant potius ad naturam piscium,quàm cæterorum animalium. Inter cætera autem huius rei indicia,illud esse potest non leue, si extra aquam naturaliter diu viuere non possint: id quod à Ioanne Maiore traditum Azor. *in fine eiusdem quæst. sextæ.* proponit vt accommodatum ad cognoscendum quorum animalium carnes nó sint in ieiunio prohibitæ.

Secunda propositio est,in Quadragesimali ieiunio prohibitum esse non tantùm carnium vsum, sed etiam eorum quæ ex carne originem habent: vt lactis, butyri,caśei, ouorum; in aliis autem ieiuniis, prohibitum tantùm esse carnium vsum. Hanc satis confirmat communis Ecclesiæ consuetudo. Et pro priore eius parte facit,quòd in sexta Synodo generali can.56. præcipitur,vt in omni Ecclesia,toto orbe terrarũ diffusa, ieiunium Quadragesimale seruetur,abstinendo ab ouis & caseo, sicut & à carnibus animalium;quorum sunt fructus. Pro posteriore parte verò non datur in iure textus,ideoque solùm innixam consuetudine, *cum D. Thoma 2.2. quæst. 147. art. 8. ad 3.* Doctores communiter *(teste Syluestro in verbo Ieiunium,num.15.)* eam amplectuntur. *Nu.* 144.

Verùm potest in contrarium opponi cap. Rogationes,de consecr. distinct. 3. in quo abstinentia cum quadragesimalibus cibis præcipitur in triduo ante Ascensionẽ Domini. Occurrendũ est verò, canonem eum iam esse consuetudine abrogatum,quoad abstinentiam ab ouis & lacticiniis. Opponi etiam potest quòd in ca. Denique distinct.4. sic dicatur: Par est,vt nos,qui his diebus à carnibus animalium abstinemus,ab omnibus quoque quæ sementiuam trahunt originem carnis,ieiunemus,à lacte videlicet, caseo & ouis. Vnde videtur sequi,eo ipso, quòd prohibetur vsus carnium, prohiberi quoque vsum eorum quæ à carne suam originem accipiunt, vt butyri, ouorum &ieiusmodi aliorum. Respondẽdum est,inde tantùm colligi,conuenies esse vt in ieiunio abstinentiam à carnibus comitetur abstinentia ab illis, quæ ex carnibus oriuntur: non autem esse necessarium; quasi aliter facere sit contra rationem, & malum. Non enim ita rem habere patet ex vsitato modo ieiunandi extra Quadragesimam. Et certè *prout argumentatur Azor in cod. cap.10. quæst. 2.*) non continuò sequitur,vt si lex prohibeat quod maius est, simul etiam vetet id quod est minus,nisi legislator id etiam exprimat;sicut sexta Synodus generalis in antè citato can.56. expresè prohibet non modò carnibus, sed & ouis & caseo vti in Quadragesima. *Nu.* 145.

Aduerte obiter *ex Syluestr. in seq. num. 27.* cùm alicui interdictus est vsus ouorum, non censeri consequenter interdictum esse vsum carnium: & ita,vouentem abstinentiam ab ouis non teneri ad abstinẽtiam à carnibus;nisi ita affectus esset cùm vouit, vt si abstinentia à carnibus menti occurrisset, eam simul vouisset:nam votum non extenditur vltra vouentis propositum:neque priuans se re minùs dilecta, censendus est consequenter priuare se magis dilecta. Si quæras, de ignorante qualiter fuerit affectus dum voueret:respondet idem Sylu. talem non teneri sub mortali abstinere à carnibus; quia tam probabile est (cùm neutrum constare possit) quòd non habuerit, quàm quòd habuerit eiusmodi affectum. Sequens autem id quod probabile iudicatur, excusatur saltem a peccato mortali; cùm non agat contra rectam rationem. *Nu.* 146.

Tertia propositio est: in praxi quotidiana, de modo ieiunandi quoad delectum ciborum,iudicandum esse ex consuetudine regionis in qua versamur, vt scilicet id seruari debeat, quod fuerit ibi consuetudine legitima præscriptum. Hæc est D. Thomæ *in cit. art. 8. ad 3. communiter recepta, vt aliquot aliis pro ea citatis in præced. quæst. 1. monet Azor.* Probatur verò; quia quidquid de tali modo præcipitur,cùm illud sit iuris tantùm humani, potest consuetudine legitima: siue relaxari, vt cùm alicubi consuetudo obtinuit, vt in Quadragesima ieiunantes butyro & lacte vescantur. *Nu.* 147.

tur:siue restringi,vt cùm alicubi in diebus ieiunij extra Quadragesimam,non alij quàm quadragesimales cibi permittuntur. *Nu.*148.

Hic obiter aduerte *cum eodem Azorio in quæst. 2. sub finem*: ieiunium quod certo die suscipitur, siue ex voto, siue ex impositione Confessarij, siue ex mandato Superioris, siue ad lucrandum aliquod Iubilæum, seruari debere eo ritu & modo quo iuxta populi aut gentis consuetudinem ieiunia Ecclesiastica extra Quadragesimam seruari solent:quia probabiliter creditur taliter à nobis seruanda iniungi,indici,aut vouerì,qualiter sunt in more posita in loco vbi degimus, nisi aliud determinetur. *Nu.*149.

Quarta propositio, *continens præcedentis aliquam moderationem*, est,vsum vel abstinentiam ciborum in die ieiunij,cùm ex mera libertate vsurpantur, non trãsire in consuetudinem,quæ habeat vim relaxandi, aut restringendi Ecclesiæ præceptum de ciborum delectu in die ieiunij: hæc patet ex eo quod notat Sylvester *in verbo consuetudo,num.* 19. in iis quæ sunt meræ libertatis,seu quæ fiunt absque vlla intentione sed eadem obligandi in posterum; non inducere consuetudinem quæ,tanquam legis robur habens, obliget: prout patet inductione. Nec enim is qui ex mera libertate,absque intentione vlla obligandi se, peregrinos excipit in sua domo:nec ille qui vrbanitatis solùm causa, aliquod munus quotannis domino suo dat, inducit consuetudinem, ipsum ad tale quid obligantem in perpetuum: & sic de similibus. Vnde,vt à Soto notatú est *in 1. de iustitia & iure quæst. 7. art.2. ante solutionem argumentorum*, consuetudines inductæ tantùm ex populi deuotione, pióque affectu, non sunt obligatoriæ. In quarum numero ille ponit consuetudines seruandi nonnulla festa & ieiunia: quæ ob defectum intentionis inducendi obligationem, non obligant; nisi succrescente deuotione,postea transierint in præceptum consensu populi, vel Superioris mandato. *Nu.*150.

Quinta propositio est; eos qui non tenentur ieiunare ob ætatem, vel laborem, vel aliam iustam causam,teneri abstinere à carnibus, & aliis cibis in die ieiunij prohibitis. Hanc ex Archid. habet Sylu. *in verbo Ieiunium num.* 17, eámque probat Caiet. *ad 2. 2. D. Thomæ quæst. 147. art.* 8. ex communi Christianorum consuetudine, quæ præcepti Ecclesiastici de ieiunio interpres censeri debet. Excipiendi tamen sunt paruuli, qui nondum aut vix attigerunt vsum rationis, quando regionis consuetudo fert vt eis siue lacticinia, siue etiam oua, immò & carnes in cibum dentur: talis enim consuetudo ostendit,neque ea ex parte ad illos extendendum esse præceptum ieiunij. *Nu.*151.

Sexta propositio est,licèt vinum olim fuerit de numero rerum quæ in die ieiunij sumi prohibentur nunc tamen non esse. Hanc consuetudo confirmat quæ olim quidem fuit, vt à vino sicut à carne abstineretur in die ieiunij *prout aliquot Patrum authoritate ostendit Azor. in cit. cap. 10. quæst. 7.* nunc tamen ea est in contrarium: siquidem in more positum est, vt perinde ac piscibus,leguminibus & fructibus vtamur vino in die ieiunij. Immo etiam liberius, cùm in die ieiunij non possit quis vti illis plusquam semel in die,nec ante certam horam, *iuxta post dicenda*: possit autem vti vino,sicut & cæteris quæ sumuntur tantùm in potum. Quæ doctrina est D. Thomæ *in præceden. art.6. ad 2.* cõmuniter recepta teste Nauarr. *in Enchirid. cap.21. num.* 13. Pro qua facit, quòd abstinentia à potu non sit de natura ieiunij Ecclesiastici, sed sola abstinentia à cibo, vt patet tum ex illius definitione tradita in præcedenti num. 125. tum ex communi Ecclesiæ vsu. *Nu.*152.

Aduerte autem dictum esse, *tantùm in potum*, quoniam quæ in potum pariter & in cibum sumuntur, in numero ciborum ponuntur ex Palud. *in 4. distin. 15. quæst.4. art. 4. conclus. 3.* cuiusmodi censet esse, tum fructus, vt cerasa, poma, pira, & nuces, quia loco refectionis sumuntur in prandio & cœna: tum etiam herbæ, quibus aliqui sancti Patres, & illi qui ante diluuium vixerunt, vitam sustentarunt: tum demum potus,quando conficitur ex illis quæ consueuerunt sumi in cibum, vt iusculum confectum ex amygdalis, aut aliis rebus contritis, vel concoctione resolutis; *quod ille vocat brodium.* Non item potus ille, qui vel non conficitur ex comestibilibus vt aqua & vinum: vel si conficiatur, non consueuit tamen sumi in cibum vt ceruisia:nec item electuaria; quo nomine Palud. ipse quid intelligat exprimit his verbis: Dico autem omnia huiusmodi quæ consueuerunt sicut species, sumi post prandium ad iuuandam digestionem, etiamsi ex talibus confecta sint, quæ per se in cibum sumi consueuerunt: dummodo sic alterata sint per decoctionem vel confectionem, quòd iam non in cibum, sed in cibi adiutorium ab vtentibus communiter sumantur; vt in dactylis & nucibus confectis contingit.] Hæc ille. *Nu.* 153.

Cæterum non puto acquiescendum Nauar. loco cit. dicenti licitum esse bibere vinum sæpius in die ieiunij: quamuis quis ad sustentandum se,& famem sedandam bibat. Namque ea ratione frangi posse ieiunium Doctores non contemnendi sentiunt, nec sine ratione, quidquid ipse dicat. Illi sunt Richard. *in 4. distin. 15. art.3. quæst.7. ad 2.* D. Anto. *2. par. tit.6. cap. 2. §. nono*, Rosella *in verbo ieiunium, num.5.* Qui duo posteriores, primi illius verba ista refetunt: Quamuis aliqui dicant, quòd bibere vinum in mane vel ceruisiam, & comedere electuaria in sero delectationis causa, frangat ieiunium; credo tamen contrarium: quia quamuis talia aliquo modo nutriant, in hoc tamen non est vsus principalis illorum:aliàs, frangeret bibens vinum vel ceruisiam in collatione, quia aliquid habent de nutrimento. Si tamen homo in mane ceruisiam biberet,non ad extinguendam sitim, sed famem:& etiam in sero magnam acciperet electuariorum quantitatem ad subueniendum fami, credo quòd talis faceret fraudem statuto: & consequenter frangeret:quia legem frangit, qui in fraudem legis aliquid facit.] Horum sententiam approbat Azor. *in cit. q.7. sub finem.* & ante eum Abulensis *ad cap.6.* D. Matth. & Med. *q.164. Cod. de ieiunio, q.11. vers.* In his. Verba sunt. Siue quis ante cibum, siue post cibum bibat semel vel pluries,non frangit ieiunium; dum tamen non fiat in fraudem: scilicet vt per hoc aliquo modo sustentetur homo, & cesset afflictio, quam inducit ieiunium. Nam tunc non solùm perit meritum ieiunij: sed etiam mortaliter peccat sic fa-
ciens.] Medinæ verò ista sunt:In fraudem ieiunij dicitur quis electuaria, aut medicinas, aut etiam vicitum, aut fructus aliquos extra refectionem sumere, qui illa per modum refectionis, aut comestionis sumit, vt inde corpus nutritionem sumat, & ventris fames expellatur: tunc enim nomine refectionis venit huiusmodi sumptio intelligenda. Qui enim in fraudem legis aliquid facit, non minus quàm si contra legem faceret, peccat: nam facere contra legem, est facere quod lex prohibet: facere autem in fraudem legis, est cùm quis saluis verbis legis, eius sententiam circumuenit. *ff. de legib. lege Contra legem, & sequenti.*] In exemplum adfert Monachum, qui habitum suæ religionis non dimittit quidem;sed superiùs habitu Clericali tegit,& ita incedit. Quem *(inquit medina)* Doctores dicũt nõ minùs apostatam esse, quàm si habitum ex toto dimitteret. Item exemplum tutoris,cui prohibitum est rem pupilli

Universidad de Deusto
Biblioteca

pilli emere, & aliam personam submittit, vt emat. Vnde concludit, eum qui vltra vnicam refectionem aliquid sumit per viam comestionis seu refectionis, id sumere in fraudem legis de ieiunando. Cui rationi non satis video quid responderet Nauarrus, negans idoneam esse rationem pro memoratis authoribus.

De vnica refectione corporis, & hora illius ad ieiunium Ecclesiasticum requisita.

SECTIO POSTERIOR.

*Nu.*154. PRæter abstinentiam de qua dictum est, sub præceptum ieiunij cadit modus, quo ea determinata est ad vnicam refectionem corporis in spatio temporis ab vna media nocte ad alteram proximè sequentem; quæ non debeat ante certam diei horam sumi. Atque de vnica refectione nullus datur in iure textus expressus. Quod enim Capitulum Quadragesima de Consecr. distinct. 5. pro eo citari solet, distinctio memorata in eo, inter diem Dominicam & alios Quadragesimæ dies, *cùm ea nòsit in delectu ciborum*, debeat esse in numero refectionum, quæ plures liceant in Dominicis, non item in aliis diebus Quadragesimæ. Id meritò Couar. improbat *in lib. 4. Variarum resolut. cap. 20. num. 11.* quia cùm non sit diebus Dominicis Quadragesimæ prohibitū sæpius quàm bis corpus reficere; adhuc manere potest distinctio ab aliis diebus, etiamsi dicatur in his licita esse, duplex refectio. Et verò *(quod Medina notat in Cod. de ieiunio quæst. 1. versu Ieiunium Ecclesiæ)* vniuersalis consuetudo & communis literatorum doctrina, ieiunij conditionem sic interpretatur, vt non nisi semel in die sit comedendum. Atque Sylvester *in verbo Ieiunium, num. 9.* ait, eam esse communem Theologorum sententiam, propter vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem, quæ habenda pro lege, obtinuit vt in die ieiunij semel tantùm comedatur: itaut fideles communiter conscientiam faciant, pluries comedere. Adde eum esse omnium consensum *teste Couar. loco citato*: idémque à D. Thoma *secunda secundæ quæst. 147. art. 6.* proponi, tanquam constitutum ab Ecclesia, & à populo receptum.

*Nu.*155. De certa hora sumptionis cibi, quam ieiunium Ecclesiasticum tanquam necessariam conditionem ita requirit, vt illam præuenire sit ieiunium ipsum frangere, citatur cap. Solent de Consecrat. distin. 5. in quo dicitur quod nullatenus ieiunare credendi sunt, qui ante manducauerint, quàm officium vespertinum celebretur.] Vnde D. Thomam *in 2. q. art. 7.* & cæteros Theologos communi consensu adductos esse, vt existimarent horam nonam, id est, tertiam post meridiem, ieiunantibus præscribendam esse sumendæ suæ vnicæ refectioni, notat Couar. *in 4. num. 14.* De qua re ipse pluribus *vt & Azor in cit. lib. 7. cap. 11. quem qui volet videat.* Satis enim est nobis duo attigisse: vnum ab eodem Couar. relatum ex Panormit. ad rubricam De obseruatione ieiuniorum: nullibi in iure statutum esse ieiunantibus horam sumendi refectionem pro alio tempore, quàm pro Quadragesima: sed communem consuetudinem, in aliis quoque ieiuniis eamdem horam præscripsisse; eoquod cóueniens esset horam Quadragesimali ieiunio constitutam, in illis seruari. Alterum est, quod idem Couar. ex proposita D. Thomæ opinione deducit, probabile esse, adhuc ipsius D. Thomæ tempore, nempe ante trecentos annos, viguisse antiquam consuetudinem non sumendi cibum in die ieiunij ante horam tertiam post meridianam, quod etiam notat Caiet. in verbo Ieiunium non longè ab initio

Cæterùm quia tota hæc res iuris est humani, vt *Nu.*156. idem Couar. *post Caietanum ad cit. D. Thomæ art. 7. & alios* bene notat, consuetudine mutari potuit; itaut quod prius erat ius, *inquit Caiet.* non sit amplius de iuris necessitate; & quod prius nefas erat, licitum postmodum sit. Quia igitur consuetudo, *quæ ius humanum abrogare potest*, iam obtinuit, vt hora tertia pomeridiana præueniatur, & circa meridiem prandeatur *(sicut & quod ante ipsam meridiem preces vespertinæ in Quadragesima recitentur)* id sine periculo transgressionis præcepti Ecclesiastici seruari potest. Pro qua re plures authores Azor. adfert *in cit. cap. 11. quæst. 1. sub finem: quibus accedunt Caiet. in verbo Ieiunium & Medina in Cod. De ieiunio ille cap. 1. & hic quæst. 1. in fine, & quæst. 6. in principio.* Immo vbi consuetudo patriæ fuerit, vt meridies præueniatur, ea seruari potest, argumento cap. Consilium. De obseruat. ieiuniorum. Sicut ibidem Azor. ait iam seruari, vt sæculares quidem hyeme meridiem præueniant vnâ horâ, & æstate duabus ferè horis. Religiosi verò in hyeme, aut meridiem retineant, aut semihorâ, vel etiam vnâ horâ præueniant: & æstate vel vnâ horâ integrâ, vel vnâ horâ cum dimidia. Neque, *vt idem addit ex communi Doctorum consensu*, computãda est meridies secundùm exactum Astronomicum calculum, sed secundùm horologia vsitata inter homines; &, vt loquitur Sylvester *in verbo Ieiunium, num. 12.* grosso modo.

Certè si generalis consuetudo regionis facere potest cibos licitos in ieiunio, qui alias sunt illiciti; potest etiam facere vt hora comedendi in ieiunio præscripta anticipetur; quia hoc tam non est de se malũ, quàm nec illud. Quinetiam præter consuetudinem, plura possunt excusare talem anticipationem; *quæ Abulensis commemorat ad cap. 6. D. Matth. quæst. 172.*

Primum est, conditio regionis, puta quòd dies in *Nu.*157. ea sint valde longi, vt octodecim aut 20. horarum: vnde fiat vt si ad meridiem vsque ieiunium sine cibo protrahatur, natura valde debilitetur, quod non est intentionis Ecclesiæ. Secundum, est conditio temporis, nempe quòd in tali regione magni æstus vigeant; aut alia contingere soleant, propter quæ malè habeat homo ieiunus. Nam illic expectare meridiem necesse non est, sed cibus potest sumi eâ horâ, quæ exigitur vt natura sine nocumento conseruetur. Licet enim Ecclesia per ieiunia nos aliqualiter affligere intendat, vt pro peccatis satisfaciamus: non intendit tamen debilitare naturam, neque nocere; quod esset contra charitatem, cui ieiunia non sunt præponenda, *vt ex D. Hieron. habetur in cap. Non mediocriter, De consecr. distin. 5.*

Tertium est, conditio personarum: quibusdã enim valde nociuum est diu manere ieiunos, vt cholericis, & valde resolubilibus, id est, quos facile est exhaustos languidósque reddi diuturniore inedia.

Postremum est, negotiorum & operationum opportunitatúmque conditiones, iuxta quarum varietatem quando occurrerint, possunt ieiunantes tempus refectionis variare. Nam per ieiunium impediri non debent pia opera, quæ tenetur homo facere: quandoquidem ex cit. cap. Non mediocriter: homo rationabiliter dignitatem amittit, qui vel ieiunium charitati, vel vigilias præfert sensus integritati.] Exigentibus igitur causis piis vel honestis, licitum est ieiunantibus anticipare horam prandij ab Ecclesia præscriptam sine violatione ieiunij Ecclesiastici; saltem qua peccetur mortaliter.

Si quæras an neque licitum sit eam horam nota- *Nu.*158. biliter differre. Respondetur id esse licitum ex communi Doctorum sententia, *teste Sylvest. in sequ. nu. 14.* Quinimo vt aliquot aliis citatis habet. Azor *in eod. cap.*

cap. 11. quæst. 5. quo quis tardius distulerit, eo melius ieiunare iudicandus est; dummodo talis dilatio non fiat ex superstitione, *vt admonent Sylvester & Nauar. ille loco cit. & hic in Enchir. cap. 21. num. 27. vers. 7.* Ratióque est, quia quò tardius refectio prorogatur, eò longior est per inediam corporis afflictio & per consequens maior conformitas cum intentione Ecclesiæ præcipientis ieiunium: ea enim est, vt affligamus carnem, ad eam subiiciendam spiritui & ad satisfaciendum Deo pro peccatis nostris. Qua tamen in re excedendum non est in detrimentum aliquod spirituale, *vt bene tractat Abulensis ad cap. 6. D. Matth. quæst. 136.* An autem possit cum aliqua vitæ abbreuiatione, Medina latè *in Cod. de ieiunio quæst. 13.* explicat: concedens de abbreuiatione insensibili, & negans de sensibili; id est, quæ sensus integritatem & mentis puritatem impediat.

*Nu.*159. Si adhuc quæras, an frangant ieiunium qui in Quadragesima ante Vesperas recitatas, vel aliis diebus ante Nonam recitatam comedunt. Respondet post D. Anton. & Caiet. Nauarrus loco cit. non frangere; etiamsi illi qui addicti sunt diuinis officiis, non debeant id facere sine iusta causa.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De modis quibus violatur ieiunium Ecclesiasticum.

SVMMARIVM.

160 *Variis modis violatur ieiunium Ecclesiasticum, ac primò voluntate.*
161 *Deinde opere, quoad meritum, idque multipliciter.*
162 *Opere adhuc tum quoad intentionem, tum quoad substantiam præcepti.*
163 *Ex eo quod quis variis & delicatis cibis abundè vtatur, non frangitur ieiunium, etiamsi peccetur, si non sint cibi vetiti & vnica refectio sumatur horâ debitâ.*
164 *Argumenta in contrarium cum solutione.*
165 *Ad ieiunij Ecclesiastici adimpletionem non est necessarium refectionem ita differre, aut sic parcè cibum sumere, vt fame affligamur.*
166 *Ieiunium Ecclesiasticum non violat, qui per ignorantiam inuincibilem comedit cibum vetitum, aut qui illum prægustat paratum pro magno Domino, aut pro ægroto.*
167 *Quid sentiendum sit de eo, qui talem sumit in medicinam.*
168 *Is cui facta est facultas comedendi carnes in die ieiunij, non potest, nisi iustam habeat causam, pluries eodem die refectionem sumere.*
169 *Obiectio in contrarium cum solutione.*
170 *Qui vno genere ciborum vetitorum vti potest in die ieiunij, quando possit & aliis.*
171 *Quomodo peccet aut excusetur à peccato is qui habens licentiam comedendi ouа, & lacticinia, simul vescitur piscibus.*
172 *Non frangitur ieiunium odoratione nidoris exhalantis ex carnibus.*
173 *Non frangitur ieiunium potu etiam vini, nec esu electuariorum nisi id fiat in fraudem.*
174 *Nec item sumptione aliquantulæ quantitatis cibi prout fit in prægustationibus coquorũ aut eorum qui magnis dominis aut ægris ministrant.*
175 *Nec item cùm is sumitur per modum medicinæ, vt ne potus noceat, vel vt vitetur capitis vertigo, vel membrorum tremor, vel nimia debilitas in iis, qui vt aliis in mensa seruiant, diuinis refectionem suam differre coguntur.*
176 *Documentum de talibus notandum pro praxi.*
177 *Quando frangat ieiunium qui interpretam refectionem repetit.*
178 *Post secundam refectionem in die ieiunij tertiam, aut plures addens, non peccat violatione ieiunij Ecclesiastici.*
179 *Obiectio in contrarium, cum solutione.*
180 *Dispensatus in vnica refectione, non modo sumens secundam, sed etiam tertiam & quartam, excusatur à peccato violationis præcepti de ieiunio, etiãsi peccet contra temperantiam.*
181 *Siue vnum siue diuersa numero peccata sint, quæ committuntur pluries comedendo in diuersis diebus ieiunij; exprimendus est in confessione, eorumdem dierum numerus.*
182 *Dispensato ad bis comedendum in die, non licet eo ipso anteuertere horam determinatam ieiunanti.*
183 *Qui anteuerit horam refectionis in die ieiunij, tenetur seruare cætera quæ sunt de obligatione.*
184 *Consuetudo rationabilis & præscripta facit licitam collationem in die ieiunij, etiamsi eam non excuset necessitas, aut quantitatis paruitas.*
185 *Documenta, quibus declaratur quæ eiborum quantitas, & qualitas, ieiunantibus permittatur in serotina collatione.*
186 *Quomodo tempus serotinum collationis possit mutari in matutinum.*
187 *Ieiunium Ecclesiasticum non potest vnus implere per alium, nec ab eo excusari faciendo eleemosynam.*
188 *Qui ieiunium Ecclesiasticum omisit eo die in quem incidit, non tenetur alio die illud suscipere.*

VIOLARI potest ieiunium Ecclesiasti- *Nu.*160. cum, tum voluntate, tum opere: & rursus opere, vel quoad meritum vel quoad intentionem præcipientis, vel quoad substantiam præcepti: & hoc adhuc tripliciter *(iuxta tria scilicet pertinentia ad eamdem substantiam tractata in præcedenti capite)* vel vtendo cibis vetitis, vel comedendo pluries in die, vel denique horam comedendi notabiliter præueniendo. Voluntate autem dicitur quis ieiunium Ecclesiasticum violare, cùm seruat quidem tria illa quæ sunt de ipsius necessitate; sed carnibus aut aliis cibis vetitis vteretur, vel pluries in die comederet, si commoditatem haberet; vel horam ieiunantibus determinatam præueniret, si posset.

Opere verò, quoad meritum violare dicetur, qui *Nu.*161. seruat quidem omnia quæ in ieiunio seruari iussa sunt, sed cum meriti diminutione; quæ infinitis propè modis contingere potest, ex accidentibus nostrarum actionum: aut etiam sine merito, vt cùm quis ieiunat ob vanam gloriam; aut ob alium indebitum finem: aut cum prauo aliquo affectu, cui cùm mens seruit, ieiunio nihil prodest, *vt dicitur in cap. Nihil, De consecrat. distinct. 5.* Et ratio est quia non placet Deo *ex cap. 58. Isaiæ.* Aut demum cùm ieiunat indebito modo, siue excedendo in abstinentia, vt cùm tam immoderatè sibi subtrahit cibum, vt corporis vires atterantur, nec debita proximo charitatis obsequia exhibere possit. *Quale ieiunium D. Hieronymus relatus in cap. Non mediocriter, De consecr. distin. 5. reprehendit*: siue deficiendo in abstinentia, per quod committitur peccatum gulæ, contingens quinque modis relatis in cap. Quinque. De consecr. distinct. 5. Quorum primus est, cùm quis præuenit tempus comedendi: qui modus, cùm iuxta antedicta pertineat ad substantiam ieiunij; plenius in sequentibus considerabitur. Secundus est, cùm plus quàm debet comedit quis, etiam de cibo non vetito; excedens quantitatem, quam pro sua conditione prudens in materia

tempe

Universidad de Deusto
Biblioteca

emperantiæ præscriberet illi. Id enim quod vni est parum, alteri potest esse nimium, vel contrà ex Aristot. in 2. Ethicorum. Tertius, quando quis plures cibos quærit, quàm ei expediat, & illos vult habere delicatos, vltra necessitatem suam. Namque secundum conditionem personæ & status, quibusdam conuenit plures aut delicatiores cibos sumere, quàm aliis: Neque enim diuites adstringuntur non vti pluribus neque delicatioribus cibis, quàm pauperes *ex cap. Non cogantur distinct.* 41. Immo dantes inopibus necessaria, possunt ipsi vti pretiosis, & dare illis vilia, vt ibidem dicitur. Quartus est, quando quis comedit aliquid cum magno ardore & voracitate; quod vituperabile esse, quantumcumque cibus vilissimus sit, habetur ex cap. Quisquis. & cap. Deliciæ. & ex cap. Quod dicit, distinct. 41. Quintus modus est, quando quis cum magna cura & solicitudine cibos sibi parat vltra conditionem & statum personæ suæ; quod in ieiunantibus reprehendit D. Gregor. relatus in cap. Denique, distinct. 4. illis verbis: Qui à carne abstinent, nequaquam sumptuosiora marinarum belluarum conuiuia præparent.] Quæ reprehensio non procedit quoad eos, de quorum salute cura magna est gerenda, eoquod publica vtilitas ex eorum vita pendeat.

Nu. 162. Porrò violare ieiunium opere, quoad intentionem præcipientis, est seruare quidem omnia quæ sunt de substantia præcepti ieiunij, non tamen accommodatè ad consequendum finem, quem Ecclesia intendit præcipiendo; quo modo violant qui ieiunant cum nimio ciborum, etiam licitorum apparatu, quærentes in illis corporis delicias: cùm ieiunium ab Ecclesia introductum sit ad corporis afflictionem. Item qui vtuntur eorumdem ciborum superfluitate, quæ parit luxuriam: cùm ieiunium introductum sit ad comprimenda carnis vitia. Similiter & qui inebriantur: cùm ex cap. Denique. distinct. 4. vinum bibere ita permittatur in ieiunio, vt ebrietas omnis fugiatur. Item qui immoderatè ieiunat: nempe cum notabili damno vitæ corporalis vel spiritalis. Nam ad tale ieiunium neminem Ecclesia intendit obligare: vt argumento est quòd infirmos à ieiunio excuset. *Videri potest Med. in Cod. De ieiunio quæst. decima tertia.* Item qui vitiis vacant, ad quæ comprimenda & virtutes stabiliendas institutum est ieiunium *iuxta illud*, Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largitis & præmia.] Denique violare ieiunium opere, quoad substantiã præcepti, est aliquod illorum trium quæ diximus necessaria ad ieiunium Ecclesiasticum, non seruare: nempe vel prohibitis cibis vesci, vel sæpius in die reficere corpus, vel horam refectionis præuenire. Tot igitur modi sunt quibus violari potest ieiunium Ecclesiasticum, de quibus aliquot dubia mouentur spectantia ad praxim.

DVBIA DE RE PROPOSITA, *quorum primum est, An ieiunium Ecclesiasticum violet, qui etsi à cibis vetitis abstineat, semelque tantum in die comedat, nec horam peæscriptam anticipet, tot tamen cibariis & condimentis vtitur, sicventrem replet, vt non modò carnis afflictionem sentiat, sed gulam impensissimè irritet, ac libidinem excitet.*

HOc proponit Couar. *in lib. 4. variarum resolut. cap. 20. num. 11.* & in vtramque partem Authores & rationes affert, nec habet quid certò statuat.

Tenere autem possumus negantem, in quam ille vt benigniorem, magis propendet: & quam *præter Innocentium Med. & Caiet. quos ille citat*, tenet Abulensis *ad cap. 6. D. Matth. quæst.* 166. eam sic probans: Cùm ieiunium sit ab Ecclesia statutum, non aliter ipsum frangimus, quàm agendo contra idipsum statutum. Ecclesia autem nihil aliud de ieiunio statuit, quàm vt semel in die, certa hora comedatur; & à quibusdam cibis abstineatur. Quandocumque ergo quis semel tantùm in die, hora præscripta comederit, & à cibis vetitis abstinuerit, quidquid aliud comedat, vel bibat; siue moderatè, siue immoderatè, & siue delectabiliter, siue aliter, non frangit ieiunium Ecclesiasticum. Attamen, *vt ille bene addit*, potest inde perire meritum ieiunij in totum vel in partem, secundùm conditionem excessus minuentis laborem ieiunij, ex quo pendet meritum: iuxta illud *prioris ad Corinth. cap. 3.* Vnusquisque accipiet propriam mercedem secundùm suum laborem.] Poterit etiam talis interdum peccare mortaliter: vt si excessus magnus sit, qui etiam in non ieiunantibus increpabilis esset. Quamquam per id non iudicabitur ab Ecclesia transgressor ieiunij: neque ex eo capite punietur à Deo, sed ex alio; nempe quòd peccauerit peccato gulæ excedendo in quantitate aut qualitate cibi, vel alio modo num. 161. ante proposito ex cap. Quinque. De consecr. dist. 5. *Nu.* 163.

Pro parte verò affirmatiua, duo potissimùm faciunt quæ Couar. vrget, nec soluit. Alterum est, quòd præcepta sint potius seruanda secundùm intentionem præcipientis, quàm secundùm verborum formam; per regulam 88. iuris in Sexto, quæ habet: Certum est, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.] Sed Ecclesiæ præcipientis ieiunium, intentio est, vt fideles corpora sua doment ad comprimenda vitia, affligántque se ad satisfaciendum Deo: quod constat non fieri, cum illo excessu proposito. Quare nec cum eodem ieiunium seruatur. Alterum est quod ieiunium Ecclesiasticum sit actus temperantiæ: ideóque nihil admittat per quod virtutis modus tollatur. At ieiunium per propositum excessum degenerat in gulam, temperantiæ contrariam. Ad prius autem respondendum est distinctione, qua vtitur Medina *in Cod. De ieiunio, quæst. 6. in fine.* Præcipientis enim intentio, quædam est obiectiua, quæ respicit id, ad quod ille obligare intendit: & quædam finalis, quæ respicit finem seu effectum, quem vellet ex obedientia, & talis præcepti obseruatione, prouenire. Ratio igitur allata ex regula iuris procedit de intentione obiectiua, secundùm quam præcepta sunt obseruanda: non autem de finali: quia præcepta non dantur de fine, sed de iis quæ ducunt ad finem. Vnde, *vt bene loco cit. notat Abulensis*, quamuis finalis intentio condentis leges ciuiles sit, *ex Aristotele in 2. Ethicorum*, facere ciues bonos, non censentur tamen eas violare qui sic obseruant vt boni non efficiantur; quod fere contingit obseruantibus timore tantum pœnæ, non virtutis amore. *Nu.* 164

Ad posterius dicendum est, ieiunium Ecclesiasticum dici actum temperantiæ; non quòd Ecclesia illud præcipiat moderatum omnibus conditionibus virtutis temperantiæ; sed quòd aliquibus, nempe iis, de quibus ideo potuit dari generalis regula, quòd vt plurimum, homines possent in eis inter se conuenire: vt sunt tres illæ; abstinere à carnibus, ouis, & lacticiniis: semel tantùm in die, & non ante certam horam comedere. Cur verò non præcipiatur ieiunium aliis quoque temperantiæ conditionibus moderatum, præsertim debita quantitate & qualitate ciborum, bonam rationem reddit Abulen. *in sequen. quæst.*

quæst. 172. sub finem: quia tales nequeunt præcepto determinari, propter discrepantiam, quæ in hominibus quoad eas cernitur. Nam passim contingit vt quod vni multum est, alteri paucum sit, & quod vnus cibis vilibus vti possit, alteri delicatiores sint necessarij.

Dubium secundum, An in die ieiunij refectio differenda sit, quousque homo per esuriem affligatur; parcéque refectionem sumere oporteat, vt per esuriem homo afflictionem sentiat.

Nu. 165. DE hoc rationes in vtramque partem proponit Med. *in Cod. de ieiunio quæst. sexta*, negantémque tenet; tum quia talis afflictio non est expressa in præcepto Ecclesiæ de ieiunio. Quare hoc sine illa seruari potest, *vt patet ex dictis, num.* 163. tum quia alioqui vnus teneretur ieiunare vsque ad meridiem alius vsque ad vesperam, aliis toto die, nihil comedere: cùm constet alios citiùs, alios tardiùs esurire. Id autem nemo affirmauerit, videns communem consuetudinem esse in contrarium, neque ab Ecclesia reprehendi. Rationes autem pro parte affirmante bene soluuntur ab eod. Medina: neque difficultatem habent, si satis capiantur dicta in explicatione præcedentis dubij; atque notetur afflictionis nomen sumi non tantum pro dolore, quo quis formaliter & de facto affligitur: sed etiam pro eo quod talem dolorem aut infert, aut inferre aptum est. Notetur præterea quòd Leuitici 16. & alibi sacra Scriptura requirit, vt in diebus ieiunij affligamus animas nostras, non intelligi de afflictione sumpta priore modo, quo est passio quædam nata sequi ex aliquo actu afflictiuo, non verò à libera nostra voluntate elici, aut imperari: adeovt sub præceptum cadere nequeat: sed intelligi de afflictione posteriore modo, quæ sita est in nostra potestate. Quod idem est ac si dicamus non requirere à nobis esuriem natam sequi ex abstinentia à cibo, cùm ea non sit in nostra potestate: sed requirere ipsam abstinentiam, quam assumere nobis est liberum.

Dubium tertium, An quocumque vsu ciborum prohibitorum violetur ieiunium Ecclesiasticum.

Nu. 166. AD hoc respondetur aliquot propositionibus. Prima est: non violari, cùm quis carnem vel alium cibum vetitum in die ieiunij comederit per ignorantiam seu inaduertentiam inuincibilem. Ratio est, quia talis ignorantia excusat à peccato inobedientiæ: quæ non contingit vbi deest aduertentia rationis ad id quod sub præceptum cadit.

Secunda propositio: Neque violari ab iis qui magnis dominis, aut ægris, tales cibos præparatos prægustant: vel vt iidem domini sibi caueant à toxico; vel vt ægri habeant accommodatos. Ista est Palud. *in 4. distinct. 15. quæst. 4. art. 4. sub finem*: qui addit procedere quantumuis sic prægustantes deglutiant. Est etiam Abulens. *ad cap. 6. D. Matth. quæst.* 171. quibus consentit Nauarr. *in Enchir. cap. 21. num.* 13. Addens id procedere, etiamsi prægustatio fiat mane, & in Quadragesima; & res prægustata sint oua, vel carnes. Probatur autem quia talis sumptio cibi non instituitur ad reficiendum corpus, sed ad satisfaciendum obsequio quod dominis & ægris debetur: quod Ecclesia non intendit impedire.

Nu. 167. Tertia propositio est; neque violari ab iis qui aliquid talium ciborũ sumunt in medicinã. Hęc *etiamsi Nauar. loco citato eam, sicut præcedentem absolute admittat*) videtur *cum Abulensi in præced. quæst.* 168. limitanda. Nam medicina latè dicitur de omni eo quod confert ægris ad sanitatem, quocumque modo conferat. Strictè verò, tantum de eo quod directè contra morbum sumitur: prioréque modo *quo cibus omnis quem ægri sumunt secundum præcepta Medicorum potest medicina vocari*, ieiunium frangitur sumptione medicinæ: alioqui asserendum esset seruari nec frangi ieiunium ab eo qui consilio medici ad conseruandam sanitatem labefactioni obnoxiam, perinde vescretur carnibus in die ieiunij, ac in aliis diebus. Id quod absurdum est: quia talis non minus reficit corpus cibis, in die ieiunij vetitis, quàm aliis diebus: quod fieri, præceptum Ecclesiæ vetat. Quare ipsum violatur non obstante necessitate conseruandi sanitatem: quæ tantùm facit vt violans excusetur à peccato inobedientiæ, in quod alioqui incurreret: perinde ac ille ab eodem peccato excusatur, qui talem cibum ideo comedit in die ieiunij, quòd non posset alium habere quo vtatur ad vitæ & virium corporis conseruationem.

Posteriore autem modo, *quo medicina vocatur id quod sumitur tantùm vt contrariũ morbo, nec in cibum communiter sumi consueuit; aut si consueuit, non tamen in tam modica quantitate*, non frangitur ieiunium sumptione medicinæ: cùm talis non sit instituta ad alimentum corporis, sed ad expulsionem morbi. Hinc in praxi pro documento haberi potest quod idem Abulensis habet. Ægrum sumentem medicinam vt sanetur ab ægritudine qua laborat, vel qua se in propinquo laboraturum meritò timet; non frangere ieiunium: siue ante, siue post prandium sumat. Sumentem verò solummodo ad conseruandam sanitatem, nullam actu patiens ægritudinem, nec aliquam vt propinquam timens, frangere ieiunium si talis sit medicina quæ modum habeat cibi.

Quarta propositio est; probabile esse, quòd is cui ob corporis infirmitatem, consulto medico concessa est facultas edendi carnes in die ieiunij, eo ipso non sit in totum solutus obligatione ieiunandi illo die. Hæc est contra Azorium *& alios quos ipse citat in contrarium 1. part. Moral. Instit. lib. 7. cap. 10. quæst. tertia.* Ad eius autem confirmationem facit regula communiter approbata, *vt habet Medina in Cod. De ieiunio quæst. 5. vers. In eiusdem sententia.* Quòd quando alicui fideli ob causam aliquam permittitur in die ieiunij ab Ecclesiastica regulain aliquo recedere: in tantum id illi permittatur, quantum se extendit talis causæ indigentia. *Nu.* 168.

Vnde si quis habeat iustam causam pluries comedendi, absque hoc quòd carnes comedat, abstinere debet à carnibus. Et vice versa, si iustam causam habeat ad comedendum carnes, non autem ad pluries comedendum, abstinere debet à pluralitate refectionum, licet carnes comedat.

Eandem regulam ex Caietano referens & approbans Nauar. *in Enchir. cap. 21. num. 22.* infert ex ea, quòd dispensatus, vt pluries in die ieiunij comedat, non dispensetur vt vescatur carnibus: sic & nos pariter inferre possumus dispensatum vt carnibus vescatur, non dispensari vt pluries in die comedat. Nam confessione Azorij in fine eiusdem quæst. vnica refectio perinde est de natura ieiunij Ecclesiastici, ac abstinentia à carnibus. Quod & ratio docet, quia non minus illam quàm hanc, lex Ecclesiastica præcipit: atque aliquid esse de natura ieiunij Ecclesiastici inde censetur, quòd lex Ecclesiastica de ieiunio, ipsum præscribat. Accedit quod idem inquirens *in sequen. cap. 11. quæst. 6.* An qui Pontificis priui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

legio potest horam ieiunij debitam præuenire, sit eo ipso ieiunij lege solutus: respondet ex communi omnium sententia, nequaquam esse: quia is qui ieiunij lege soluitur ex parte, non est ex toto solutus. Cùm enim talis lex plura contineat, idem sic ab illa soluto contingit, ac ei qui ab vna lege exemptus est beneficio Principis. Non enim eximitur eo ipso à cæteris.

Nu.169. Sed obiicit ille, & ante eum Caiet. 2. 2. quæst. 147. art. 8. consuetudinem habere, vt is cui facultas conceditur comedendi carnes, non solùm prandeat sed etiam cœnet sine scrupulo. Quibus occurrédum est, eam consuetudinem locum habere tantùm cùm quis iustam habet causam, non solùm comedendi carnes, sed etiam pluries in die comedendi: alioqui melioris conditionis esset is qui non seruat plenè ieiunium, quàm eius qui seruat: quandoquidem in eo pares sunt, quòd neuter iustam causam habeat pluries in die comedendi, & impares in eo, quòd ille excusetur à peccato, si pluries comedat, hic non item. Neque sufficiens ratio disparitatis potest esse dispensatio, quæ nulla est in Ecclesiastico ieiunio, si detur sine iusta causa ab eo qui inferior est Papâ. Neque in dubio præsumi debet dari à Papa; ne ipse in destructionem; non in ædificationem potestate sua vti videatur in re tanti momenti, quanti est ieiunium Ecclesiasticum iam inde ab Apostolorum temporibus in Ecclesia institutum, & magna religione seruatum. Accedit, quòd ratio quæ authores eos mouet negare, ei cui facta est facultas anticipandi horam consuetam, factam pariter esse pluries comedendi, mouere pariter debeat ad approbandam nostram propositionem. Etsi enim abstinentia à carnibus censeri possit præcipua conditio requisita ad ieiunium Ecclesiasticum: non complectitur tamen duas reliquas, quæ tanquam diuersi ordinis, nec ei subordinatæ (sicut est abstinentia ab ouis & lacticiniis) expressæ sunt in præcepto ieiunij, itaut pertineant ad huius substantiam, independenter ab illa.

Nu.170. Quinta propositio est, Eum cui sit potestas comedendi oua in Quadragesima, tutò posse vti caseo, butyro, & lacte. Hanc Azor approbat *in prius cit. cap. 10. quæst. 4.* tum quia ex lacticiniis illis solent oua apparari; tum quia illa omnia eiusdem sunt ordinis in hoc genere, vtpote quæ eâdem de causa prohibentur in Quadragesiam: nempe, quia trahunt originem ex carne. Vnde vno concesso censeri possunt cætera concessa, tanquam non aliter, quàm illud prohibita, Cæterùm bene notat Abulen. *ad cap. 6. D. Matth. quæst. 171. col. 2.* quòd in hac re attendenda sit consuetudo: quæ si habeat vt vtamur solo lacte, vel solo caseo, non licebit vti reliquis; quia consuetudo habet vim legis: síque lex tantummodo permitteret lac, aut tantummodo caseum cæteris negatis, non liceret eisdem vti.

Nu.171. Sexta propositio est, non esse malum ex se, si is cui ex priuilegio oua & lacticinia comedere licet in Quadragesima, vtatur quoque piscibus. Hæc (*de qua consequenter Azor. quæst. 5. disseru.*) probatur; quia talis cibus neque est de se prohibitus, neque ex circumstantia illius priuilegij; quasi scilicet tale ex iusta causa dari nequeat ei, qui sustentari possit cibis in Quadragesima permissis. Quod nó ita est; quia potest fieri vt pisces alicui noceant, si solos sumat; non item si cum ouis & lacticiniis. Item vt si oua tantùm & lacticinia sumat ad integram refectionem corporis, stomachus illa fastidiat; aliquorum verò piscium esus admixtus exacuat ei appetitum comedendi. Quòd si pisces nocerent ipsius sanitati; aut contrà nullatenus nocerent, non excusaretur à peccato: quia in priore casu peccaret comedendo pisces in detrimentum sanitatis: & in posteriori, comedendo oua sine iusta causa contra Ecclesiasticum præceptum de ieiunio.

Septima propositio est; non frangi ieiunium odo- Nu.172.
ratione nidoris exhalantis ex carnibus, & aliis rebus odorem spirantibus. Hæc est Abulensis *in præceden. quæst. 167.* quam probat: quia talis odor est substantia quædam leuis, quæ non conuertitur in substantiam odorantis ad illius nutritionem. Nam in nutritione sit conuersio cibi in substantiam corporis nutriti: vt quod in ea deperditum est actione caloris naturalis restauretur: id quod tales odores naribus excepti facere non possunt, sed solùm naturam debilitatam aliqualiter confortare & vires eius roborare. Accedit, quòd etiamsi eiusmodi odor nutriret, non frangeretur tamen ieiunium susceptione illius, quæ non est præcepto ieiunij prohibita, cùm non sit comestio vt patet: & quidquid illo præcepto prohibetur, sit comestio, vel certorum ciborum, vel facta pluries quàm semel, vel facta ante horam determinatam.

Quartum dubium est, An semper frangatur ieiunium sumendo aliquid extra refectionem vnicam in die ieiunij concessam.

Nu.173. AD hoc respondendum est negatiuè. Primum enim potu, *etiam vini*, siue ante siue post eam refectionem, non soluitur ieiunium ex communiter recepta Doctorum sententia, *vt num. 151. iam antè meminimus.* Et patet, quia de cibi tantùm, non de potus abstinentia datum est præceptum Ecclesiasticum. Nec etiam frangitur sumptione electuariorum (*quo nomine quid intelligatur iam etiam num. 151. tradidimus*) nisi sumantur in fraudem ieiunij: nam, vt bene argumentatur Abulens. *ad cap. 6. D. Matth. quæst. 169.* quamuis electuarium cibus quidam sit, & aliquo modo nutriat; communiter tamen non sumitur ad nutritionem, sed solùm ad bonam dispositionem stomachi, quem confortat, & disponit ad digestionem: vnde talis sumptio non est fractio ieiunij, cùm non sit sumptio cibi (*sicut nec sumptio vini aut ceruisiæ*) quæ censeatur refectio corporis prohibita præcepto ieiunij. Verumtamen, vt idem Abulensis addit, si quis sumeret electuarium in magna quantitate, vel eo vteretur sicut aliis esculentis ad extinguendam famem, frangeret ieiunium: quia non vt electuarium, sed vt cibum sumeret, faciens legi fraudem, de qua diximus antea num. 153. Si quis autem non in magna quantitate, neque ad extinguendam famem, sed solùm ad delectationem sumeret, non frangeret ieiunium (quod etiam ex Richar. habet Syluester *in verbo Ieiunium, num. 9. circa medium*, perderet tamen meritum, vel in totum vel in partem: támque inordinatum esse posset desiderium eiusmodi delectationis, vt ipsa eluctuarij sumptione peccaretur mortaliter, *prout addit quoque Abulen.* etiamsi ex eo ieiunium non frangeretur: quemadmodum ex D. Thoma & Paludano annotat Gabriel in *4. dist. 16. quæst. 3. art. 3. non longè ab initio.*

Nu.174. Præterea, *vt idem Abulensis notat in præcedenti quæst. 165.* (*& est communis sententia*) potest quis tam parum de cibo sumere, v.g. vnicam micam panis vel vnum granum vuæ, vt quamuis id sæpius faciat, non dicatur tamen pluries comedere, quia parum pro nihilo reputatur. Quinetiam, *vt idem addit*, vsu euenire potest, vt quis non adeo paruam sed aliquantulam cibi particulam sumens extra refectionem concessam, non frangat ieiunium: sic enim coqui & cæteri qui

qui parant cibos, cùm hos præguſtant ad experiendum sintne bene conditi, non censentur soluere ieiunium: nec item illi qui de singulis cibis magnorum dominorum præguſtant, vt hi sibi caueant à toxico: nec Medici præguſtantes illa, quæ dant in medicinam, vt videant num bene habeant, vel vt languentes inuitent ad sumendum.

Nu.175. Nec qui per modum medicinæ, modicum cibi sumere compellitur vel ne potus quo indiget ei noceat *ex Sylu. in citato num. 9. Medina in Cod. de ieiunio quæstione 11. vers. Sequitur etiam, & Armilla verbo Ieiunium, quæst. 1.* vel vt somnum necessarium cápere possit, vel reprimere choleram ex Armilla ibidem, vel vitare capitis vertiginem, membrorum tremorem, aut aliud simile *ex Maiore in 4. distinct. 15. quæst. 3. & ex Gabriele loco citato*: vel denique ne deficiat viribus præ inanitate, *ex Palud. eadem distinct. quæst. 4. art. 4. in fine*, quem sequuntur Gabriel & Syluester locis citatis: sicque procedere potest quod habet Abulen. *in eadem quæst. 165.* & ante eum attigerunt Paludanus, & D. Anto. *ille in præced. art. 2. concl. 7. & hic 2. part. tit. 6. cap. 2. §. 6.* seruientes dominis suis ad mensam in diebus ieiunij, vt non deficiant, posse modicum de cibo sumere ante refectionem eorumdem dominorum, & post eam sumere plenam refectionem, sine fractione ieiunij. Quod eadem ratione dicendum est, *vt subiungit D. Anton. & in verbo Ieiunium, expresserunt Rosella num. 13. & Caiet. verbo Ieiunium, cap. 1.* de iis qui in mensa Religiosorum seruiunt tépore prandij, dum alij cibum capiunt, vel aliquid de more, intentà & clarà voce tunc legunt. Quæ cum Abulensi *in præced. q. 144. & 145.* intellige procedere quando debilitas aut nimia fatigatio inde sequeretur, nam sine causa non licent.

Nu.176. Quæ cùm ita sint ad plenam explicationem dubij propositi hanc conclusionem statuimus cum Angelo *in verbo. Ieiunium, num. 3.* quòd is qui extra vnicam refectionem in die ieiunij concessam, comedit aliquid eorum quæ communiter solent in cibum sumi, puta panem, fructus, & herbas, frangat ieiunium, nisi comestio per intentionem comedentis ordinetur potius ad medicinam, quàm ad cibum, id est, ad subueniendum infirmitati corporis potius, quàm ad illud alendum, quantumcumque consequenter alatur aliqualiter. Non enim vult Ecclesia prohibere id quod quocumque modo nutrire potest: sed vt Angelus *ibidem in fine ex D. Thoma* addit, id quod principaliter ad nutriendum ordinatum est. Eiusmodi autem intentio comedentis, ex Gabriele loco cit. deprehenditur ex quantitate cibi sumpti, & ex modo sumendi: nempe quia non multum sumit, nec aliter quàm pro præsenti infirmitate repellenda, vel pro vitanda iam instante (*quibus de causis licita est talis sumptio*) ne quidem pro sanitate conseruanda, si nullum infirmitatis adest signum: vt ex Innocen. habet quoque Angelus ibidem, in initio.

Dubium qnintum, An frangat ieiunium qui prandium cœptum interrumpit, & deinde resumit.

Nu.177. AD quod distinctione respondetur à Nauarr. *in Enchir. cap. 21. num. 15.* Nam qui in die ieiunij facto prandio surrexit è mensa, cum voluntate non comedendi amplius, si postea ad eam redeat & comedat, videtur frangere ieiunium; quia per voluntatem illam, præcedens comestio non modo physicè, sed etiam moraliter interrupta est, itaut sequens in vnam numero non modò physicè, sed nec moraliter cum ea coalescere possit; vtpote ab vna continuata voluntate minimè procedens. Qui verò prandium ob iustum aliquod negotium interueniens interrumpit cum voluntate illud statim resumendi, non frangit ieiunium, resumendo ipsum, *ex Caiet. in cit. cap. 1.* dummodo magnum & notabile temporis spatium nó intercipiatur. Quod quantum esse oporteat ad effectum impediendi ne comestio moraliter interrupta censeatur, Azor *in ante memorato lib. septimo cap. 9. q. 1. in fine*, ex Maiore monet id relinquendum esse viri boni iudicio, in quo is rationem habebit, tum negotij ob quod interrumpitur prandium; tum etiam conditionum temporis & loci, tum demum animi, quo quis prandium interrumpit, num videlicet sit ad illud repetendum, an desistendum omnino ab illo. Nec enim generali regulâ, ob varietatem & incertitudinem circumstantiarum id vniuerse definiri potest: sicut nec per quantum tempus protrahi possit prandium in die ieiunij; aut quantum cibi in eo capi possit, rationabiliter determinari potest, propterea quòd diuersa hominum complexio & conditio facit, vt alij voraciùs comedentes, breuiori opus habeant tempore ad sumendum iustam refectionem, quàm alij qui lentiùs mandunt: item quod vni ad naturæ sustentationem sufficit, alteri superfluum sit aut diminutum.

Sextum dubium, An ieiunium Ecclesiasticum violet, non tantùm is qui secunda vice comedit in die ieiunij, sed etiam qui tertia, quarta, & deinceps.

Nu.178. DE hoc authores in vtramque partem satis acriter disputant, quos citat Azor *in sequenti quæst. 2.* Sed sufficiet cum eodem paucis respondere partem negantem videri probabiliorem; non tantùm quia plures authores eam sequuntur; sed etiam, quia benignior & mitior est; & ideo in materia ieiunij quæ pœnalis est, affirmanti parti præferenda; præsertim cùm fulciatur & ratione & consuetudine. Ratione quidem, quia Ecclesiæ prohibentis pluries in die ieiunij comedere, intentio obiectiua non videtur alia esse, quàm vt vnicam refectionem, constituat conditionem pertinentem ad ieiunij Ecclesiastici substantiam: itaut debeat sub pœna peccati seruari, quod intellige, si possit fieri, cùm nemo ad impossibile obligetur. Quia igitur post secundam comestionem, (*per quam impossibilis redditur vnica in die ieiunij*) seruari non potest præceptum de ipsa vnica comestione datum: relinquitur peccatum violationis eiusdem præcepti non incurri per tertiam, quartam vel plures comestiones, sicut si Semei sæpius transisset torrentem Cedron contra prohibitionem sibi à Salomone factam, *lib. 3. Regum cap. 2.* ne vnquam transiret, iudicatus esset non sæpius quam semel interficiêdus, vt talis prohibitionis transgressor. Consuetudine verò fulcitur; quia dum quis confitetur se ieiunium fregisse pluries comedendo, Confessarij non solent inquirere num bis tantùm, an verò ter, vel quater, aut pluries comederit; quod omninò interrogandum esset, si singulis vicibus mortaliter peccaretur.

Nu.179. Pro parte autem contraria adfertur potissimùm, quòd prohibere ne sæpius quàm semel comedatur, præceptum sit negatiuum, quod obligat ad semper, ideoque peccetur quoties ei contrauenitur. Sic enim peccat quis quoties furatur, quia agit contra præceptum negatiuum: Non furtũ facies: peccat item Sacerdos quoties plus quàm semel celebrat, quia datur

Universidad de Deusto
Biblioteca

præceptum negatiuum quo id prohibetur. Et vt de cæteris taceam, quoties quis contra Ecclesiæ prohibitionem carnes in die ieiunij comedit, peccat non tantùm prima vice, sed etiam omnibus vicibus quibus comederit. Quare similiter peccabit contra eam de qua agimus prohibitionem, non tantùm is qui secundò comedit in die ieiunij, sed etiam qui tertiò, quartò & sic deinceps. Quod argumentum bene soluit Caiet. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 8. Sed paulo clariùs dici potest differentiam esse inter ea quæ prohibentur; nam quædam sunt prohibita, quia mala, vt furtum & similia rectæ rationi de se contraria, quæ cõmittere, semper est peccatum. Quædam verò mala sunt tantùm quia prohibita, & ideo non est peccatum ea committere, nisi eo tempore pro quo prohibita sunt, sicut carnes: oua, & lacticinia prohibentur pro tempore Quadragesimæ, & carnes adhuc pro quibusdam aliis temporibus: vt communis fidelium vsus satis ostendit. Et rursus horum quædam sunt prohibita absolutè, idque vel sine determinatione certi temporis, vt celebratio plurium missarum ab eodem Sacerdote eodem die: vel cum determinatione certi temporis, vt vsus carnium, ouorum, & lacticiniorum in quadragesima. Quædam autem sunt prohibita per respectum ad aliud, quomodo pluries comedere in die ieiunij prohibetur per respectum ad conditionem ieiunij, quæ est vt ieiunans sit contentus vna refectione. Cùm ergo hæc ita sint, peccatur quidem toties quoties furtum committitur, quia ipsum de se malum est: item quoties Missę celebratio extra casus concessos iteratur eodem die ab eodem Sacerdote: ac etiam quoties in Quadragesima, vel alio die ieiunij carnes comeduntur: quia tam hoc quàm illud absolutè prohibetur. Non peccatur verò quoties plus quàm semel in die ieiunij comeditur, quia id tantùm prohibitum est habito respectu ad conditionem ieiunij, quæ est vt ieiunans tantùm semel in die reficiatur cibo: quæ ruit, immo impossibilis redditur, per secundam refectionem: & ideo per eam peccatur contra præceptum de vnica refectione: non item per tertiam, quartam, & reliquas; quæ nihil tale faciunt: propterea quòd eam ruinam, *vt sic dicam*, & impossibilitatem inuenit iam factam. Quod similiter contingeret in esu carnium, nisi is esset prohibitus absolutè; nec tantùm respectu habito ad conditionẽ ieiunij. Ac quòd absolutè prohibit⁹ cẽseri debeat potius quàm pluralitas refectionum aut anticipatio horæ in die ieiunij, constat ex consuetudine Ecclesiæ. Nam videmus pueros qui ob ætatem, & operarios qui ob laborem excusantur à ieiunio, *& per consequens à ieiunij conditionibus seruandis*, non excusari ab abstinentia à carnibus; Item nec; in diebus Dominicis Quadragesimæ, quamuis non ieiunemus, abstineamus tamen à carnibus: quia nimirum vsus earum absolutè prohibitus est in tota Quadragesima: non autem per respectum solummodo ad ieiunium, siue ad constituendam conditionem ad ieiunium necessariam.

Nu. 180. Ex his corollariè deducitur quod Azor *in cit. cap. 9. quæst. 3.* tractat: si cum aliquo sit dispensatum, vt sæpius quàm semel in die ieiunij comedat: non obstare præceptum ieiunij, quin non tantùm bis sed etiam ter vel quater, vel pluries comedere possit (*est à peccato gulæ non excusabitur, sicut nec extra tempus ieiunij*) perinde ac operarij, qui ob laborem diurnum à ieiunio excusantur; obstare tamen quin vesci possit carnibus aut aliis cibis vetitis, sicut obstat ne idipsum possint dicti operarij, neque nos possimus in diebus Dominicis Quadragesimæ.

Nu. 181. Sintne autem diuersa numero peccata, quæ diuersis diebus Quadragesimæ sic committuntur; an verò vnum tantùm numero ex pluribus illis tanquam ex partibus coalescens, difficultatem aliquam habet, sed in qua nos hærere non est necesse: cùm ad nostrum institutum sufficiat scire, quòd illorum multitudo exprimenda sit in confessione: vt Confessarius ea ex parte habeat sufficienter cognitum sui Pœnitentis statum.

Septimum dubium, An is, cui ex dispensatione licet bis in die ieiunij comedere, liceat pariter horam comedendi anteuertere, etiamsi nullam habeat iustam anteuertendi causam.

Nu. 182. AD hoc respondendum videtur, vt tutiorem sic veriorem esse partem negantem, *per ante tradita num.* 168. *&* 169. quam tenet Nauarrus in Enchir. *cap.* 2. *num.* 22. Sed Gregorius à Valentia 2. 2. *disput.* 9. *quæst.* 2. *puncto quimo*, Caietanum secutus partem affirmantem tenens, eam probat: quia conditio ieiunij consistens in hora refectionis habet se velut accidentaliter ad conditionem consistentem in vnica refectione. Etenim certa hora præscribitur tanquã modus refectionis; nempe vt ad talem vsque horam ea differri debeat. Sublato autem essentiali, tollitur & accidentale. Cui rationi occurrendum est ieiunij conditiones non esse hic considerandas per respectum ad se inuicem, sed per respectum ad ieiunium ipsum, ad quod eæ pertinent æqualiter. Conditio enim certæ horæ, non minus quàm duæ reliquę, spectat ad ieiunij Ecclesiastici substantiam. Nam Ecclesia illam vt de se afflictiuam carnis, intendit præcepto suo comprehendere: vt argumento est quòd illius perinde ac alterutrius duarum reliquarum relaxatione aut violatione, relaxatum aut violatum ieiunium Ecclesiasticum communiter existimetur. Quocirca quoad eam, sicut & quoad reliquas duas, procedit illud quod ex Caiet. refert Nauarr. loco citato: præceptum Ecclesiæ cùm in totum seruari non potest, seruandum esse quoad partem eam, quoad quam seruari potest. Vnde dispensatus vt pluries in die ieiunij comedat, non est eo ipso dispensatus, vt horam comedendi anteuertat, sicut neque vt cibis vetitis vtatur prout idem Nauarr. per eamdem rationem habet.

Octauum dubium, An qui absque iusta causa horam comedendi in die ieiunij anteuerterit, eodem die ieiunium seruare teneatur, secundum alia quæ ad illud spectant.

Nu. 183. AD hoc respondendum est teneri ex communi (*vt ait Azor* 1 *part. Moral. instit. lib.* 7. *cap.* 11. *quæst.* 7.) sententiâ: quæ ex eo probatur, quòd constet ex communi Ecclesiæ consuetudine talem non posse ea de causa vesci carnibus: neque secundam refectionem posse sumere potius, quàm carnibus vesci: nulla ratio conuincat. Nam quod aliqui dicunt ei qui horæ anticipatione frangit ieiunium, idem vsuenire ac ei qui vas fregit, quia nequit ille amplius ieiunium integrum, sicut nec iste vas integrum seruare: reiicitur, quia cùm alicui datur præceptum de seruando vase, solùm obligatur ad non frangendum illud: præceptum verò datum de ieiunio seruando, obligat ad non frangendum ieiunium, non tantùm anticipatione horæ, sed nec secunda refectione, nec sumptio

sumptione cibi vetiti; itaut is qui ante horam determinatam cibum sumpsit, adhuc teneatur abstinere à secunda refectione & à cibis vetitis.

Nonum dubium, Quomodo serotina quæ vocatur collatio permittatur in die ieiunij.

CIrca hoc aduerte constare quidem, quòd simpliciter talis cœnula per receptam consuetudinem permittatur & excusetur: sed dubitari, an cum ea consuetudine concurrere debeant, necessitas personæ, aut paruitas materiæ; quæ videntur eidem dedisse initium. Aliqui enim, *relati ab Azorio in præced. cap.* 8. *q.* 4. putant eiusmodi refectiunculam non esse licitam nisi sumatur causa indigentiæ in modum medicinæ, non verò in modum cibi, id est; ad obsistendum alicui infirmitati corporis, non autem ad corpus alendum: qualis indigentia est, ne stomacho officiat potus sine cibo sumptus ad somnium de nocte capiendum necessarius, vel etiam ad bonam ciborum digestionem. *De quare Abulensis ad* 6. *cap. D. Matthæi. quæst.* 164.

Nu. 184. Alij verò, *quos consequenter refert idem Azor*, arbitrantur talem refectiunculam simpliciter & absolutè licitam esse, quantumcumque indigentiæ necessitatem adiunctam non habeat: quia ad illam excusandam à peccato, sufficit sola consuetudo rationabilis præscripta, quæ vim habet duriora, vel suauiora efficiendi ieiunia, quæ omnia sunt iure humano inducta (*de quo Nauarr. in Enchir. cap.* 21. *num.* 14. dummodo tamen eis fraus non fiat: vt censetur fieri *ex Sylu. verbo ieiunium num.* 10. cùm est excessus in quantitate, aut consuetudo inducit studiosè aliquid quod ad nutriendum & contra famem faciat (*vt est cœna palliata nomine collationis cuius Nauarr. meminit. in sequen. num.* 15. id quod directè pugnat cum fine, cuius gratiâ ieiunium est institutum. Vnde fit vt tanquam irrationabilis, debeat censeri corruptela introducta non à viris honestis Deum timentibus, sed à carnalibus & delicatis pro Deo suum ventrem colentibus: qui contra Ecclesiæ disciplinam & ea quæ pro salute animarum constituta sunt: non consuetudinem, sed tantùm corruptelam inducere possunt; prout bene ait Gabriel *in* 4. *dist.* 16. *quæst.* 3. *art.* 3. *col.* 5. Simili modo reiicienda est eorum sententia qui dicunt non aliter consuetudine excusari prædictam refectiunculam; quàm quòd in ea modicum sumatur, quod pro nihilo reputari possit. Nam ad talem excusationem sufficit non exire consuetudinis terminos, *vt ex Panormit. habet ibidem Syluester.* Indèque colligit, non solui ieiuniũ, etiamsi talis refectiuncula sumatur pro aliquali naturę sustentatione, aut ex sensu alitate Adde ex Nauar. *in cit. num.* 14. etiamsi nulla quoque sit bibendi necessitas & voluntas: satis enim est vt vitetur excessus, nihil sumendo vltra id quod secundùm regionis consuetudinem rationabilem sumi solet. Rationabilem dico, vt indicem vitandos esse abusus, per quos refectiuncula in plenam refectionem degenerat: quod fieri non potest sine fractione ieiunij Ecclesiastici *vt bene notat Abulensis in sequenti quæst.* 165. quia vnicam tantùm refectionem ab vna media nocte ad alteram sumere, spectat ad substantiam ieiunij Ecclesiastici.

Decimum dubium, Qua ciborum quantitate & qualitate constare debeat serotina collatio, vt censeatur permissa.

PRo huius explicatione faciunt sequentia documenta notatu digna. Primum est Caietani *in verbo ieiunium cap.* 11. *in fine.* Quemque recte sibi cõsulere qui illud in collatione sumit, quod suæ complexioni plus prodest: hoc est, ex cibis licitis id in illa sumit, quod nouit magis sibi conducere aduersus infirmitates quibus se sentit obnoxium. Sic enim ipsa collatio non refectionis sed medicinæ potius rationem habebit Secundum est, *ex Azorio in cit. lib.* 7. *cap.* 8. *qu.* 8. In collatione serotina, ne transeat in cœna, solùm edi posse quæ ante vel post prandium aut cœnam aliàs sumi solent, qualia sunt electuaria fructus arborum: putà ficus, vuæ, nuces, pira, poma, herbæ: itémque panis in ea quantitate quæ modica meritò censeatur: si enim secus fiat, id est, vel sumantur alij cibi qui valent potissimùm ad nutriendum: vt pisces & legumina: vel priùs memorati in maiori quantitate sumantur, iam non erit refectiuncula ad somnum commodiùs capiendum, & naturam aliqua ex parte sustentandam; sed potius secunda refectio ad nutriendum instituta; qua ieiunium soluatur. Quamquam tamen ista cibi modica quantitas latitudinem recipit ex varietate locorum & personarum. Sunt enim regiones aliæ aliis calidiores aut frigidiores: & personæ aliæ aliis ætate prouectiores: item aliæ aliis infirmiores: ac tandem aliæ aliis maiore labore diuturno fatigatæ. Vnde fit, vt ne vbique nec omnium eadem sit indigentia, cui subueniri possit per eamdem ciborum quantitatem & qualitatem. Quisque igitur videbit iuxta primum documentum, quid suæ complexioni prosit, & caueat excessum, quem, *nisi aliqua causa iusta excuset*, dixerim ordinariè contingere, quando id quod sumitur notabiliter maius est quarta parte eorum, quæ ieiunanti sufficerent ad ordinariam suam cœnam: nam talis ferè semicœnat, vtpote mediam ferè partem sumens eorum quæ illi ad plenam cœnam sufficerent. Id autem viri timoratæ conscientiæ nolint in die ieiunij facere, nisi iusta aliqua compellẽte necessitate. Id quod satis indicat collationem non esse extendendam ad eam quantitatem, per quam ea censeri possit semicœnatio. *Nu.* 185.

Tertium documentum est, In collatione concedi imprimis vsum electuariorum, tanquam conferentium potius ad bonam digestionem, quàm ad nutritionem bonam. Deinde verò vsum fructuum & herbarum: minus autem cæteris vsum panis qui cibus est (*inquit Angelus in verbo ieiunium num.* 3. *in fine*) in vsu cæteris principalior. Quanquam teste Sylu. *in eodem verbo num.* 10. secundùm diuum Thomam, Palud. & alios Doctores præcipuos, ista distinctio panis ab aliis iam dictis, non habetur nisi de congruo, id est, ex eo tantùm quòd sit consentaneum ad retinendam abstinentiam à cibis in qua ieiunij ratio consistit, potius abstinere ab eo qui principalior cibus est, quàm ab aliis qui ad excitandam cibi appetitionem, vel sitim extinguendam, sumi solent frequentiùs, quàm ad nutriendum: ideo enim tum ante tum etiam post prandium vel cœnam sumi consueuerunt.

Porro non solùm quando panis vsum consuetudo in collatione induxit; sed etiam aliàs, is licitus est in modica quantitate, cùm alicui vel potus vel fructus, quibus vti conceditur, nocent sine pane, vel ille

Universidad de Deusto
Biblioteca

nihil prꝛeter panem habere potest:vel etsi fructus habere possit,tamen stomachus ipsius non est illis opportunus. *Ita docent Sylu. & Caiet.tlle loco citato & hic secunda secundæ quæst.147.art.6.dub.2.* Et ratio esse potest,quòd non videatur probabile Ecclesiam matrem piam cum filiis infirmis tanta seueritate agere, vt velit in tali necessitate adstringere ad peccatum: dummodo vitetur excessus: vt vitabitur *ex Azorio in cit. quæst.* 8. si quantitas panis sit trium vel quatuor vnciarum.

Quartum documentum, *quod idem Azor consequenter tradit*, est. Pluribus vesci fructuum generibus in collatione, non soluere ieiunium: dummodo in tam parua quantitate vnumquodque eorum sumatur vt simul non excedãt quantitatem tolerabilem, qua vnum genus constaret, si solum sine cæteris sumeretur. Huius ratio reddi potest, quòd nihil in eo notetur, quod sit contra substantiam ieiunij Ecclesiastici. Quæ eadem esse potest illius,quod idem author addit; licitum esse in collatione iusculum aliquod sumere sorbendo, dummodo non sit ex coctis cibis quæ tunc sumi vetantur; atque adeò sit tantùm vel cum pane vel cum fructibus aut herbis:neque excedat eam quantitatem quæ est in more posita. Si quæras An excusari possint nobiles in eo, quòd maiore collatione vtantur quàm cæteri. Idem simul respondet posse excusari,dummodo illi non excedãt modum:quia nituntur consuetudine, quæ ex eo rationabilis censeri potest,quòd ipsi soleant,debilioris esse valetudinis, & assueti esse pluribus & delicatioribus cibis. In confirmationem adfert, quòd ea de causa paulo maior collatio sumi soleat in Romana Pontificiáque curia, idque sine fractione ieiunij ex Caiet. *in verbo Ieiunium sub finem.* Item quòd homines sæculares paulo maiorem collationem sumere soleant quàm viri Religiosi.

Vndecimum dubium, An tempus refectionis meridianæ, & refectiunculæ serotinæ mutari possit: ita vt hæc circa meridiem, illa verò circa noctem sumatur.

*Nu.*186. AD hoc Caietanus & Fumus *in verbo Ieiunium, ille cap.1.& hic num.1.in fine,ac Nauarr.in Enchir. cap.21. num.* 14. simpliciter respondent non esse licitum vespertinam refectiunculam transferre in refectionem matutinam:quia id non est communi consuetudine receptum,nec iure permissum.Sed melius in præced. quæst. 6. Azor respondet cum distinctione: nempe, quòd si matutina refectiuncula intelligatur ea esse, quæ multo ante prandij horam debitam sumitur; sine dubio verum esse simpliciter, quòd non liceat in die ieiunij collationem ex vespertino tempore in matutinum transferre, nisi iusta & legitima aliqua causa excuset: vt cùm quis ob negotiorum multitudinem coactus prandium differre, sumit aliquid cibi,ne toto die ieiunus permaneat cum damno valetudinis. Immo cùm quis nequit aliter ieiunare, agens tale quid damnandus non est, sed commendandus tanquã is qui ieiunium seruans pro viribus: satisfacit Ecclesiæ præcepto, quod alioquin transgrederetur.Ita docet Caiet. 2.2. *quæst.*147.*art.6.in explicatione* 4.*dubij.* Addens quòd si talis in aliquo dubitaret, posset id facere cum Superioris licentia: non autem ea de causa omnino omittere ieiunium,quod tenetur seruare qua ratione potest: sicut qui non potest totam Quadragesimã ieiunare;potest autem tribus diebus in hebdomada; aliis diebus à ieiunio cessans, tenetur tribus illis ieiunare. Sin autem matutina refectiuncula intelligatur ea quæ sumeretur hora designata prandio in die ieiunij, dilato prandio ipso in horam in qua sumeretur vespertina collatio, talem mutationem censeri posse licitam hoc nomine: quòd ea nec ex toto nec ex parte soluat substantiam ieiunij: quia ieiunium Ecclesiasticum, vt de more nunc seruatur, continet vnum prandium cum vna refectiuncula; id quod,non obstante proposita mutatione, seruatur: neque præuenitur præscripta comedendi hora: abstinetúrque à cibis vetitis,vt supponimus.Quare nihil mutatur spectans ad substantiam ieiunij: sed solummodo tempus,sine præuentione horæ ab Ecclesia præscriptæ ad comedendum.Quanquam vt idem author bene monet: in hac quoque re, *sicut & in cæteris quæ ad ieiunium pertinent*; melius tutiúsque est sequi consuetudinem,quam constat esse in cõtrarium.

Duodecimum dubium, An possit quis per alium satisfacere præcepto Ecclesiastico de ieiunio.

AD hoc idem Azor *in eodem lib.7. cap.21.quæst.7.* *Nu.*187. bene respondet distinctione. Ieiunium enim aut præcipitur alicui vt corpus castiget, ac domet; aut iniungitur à Iudice tanquam pœna peccatis debita. Ac ieiunium priore modo præceptum, nemo potest per alium peragere: quia est velut negotium quod imponitur personaliter exequendum. Posteriore verò modo,nisi aliud impediat,potest quis per alium exsoluere iniũctum ieiunium, vt argumento est, quòd viuorum ieiunia possint defunctis prodesse per modum suffragij. At ieiunium Ecclesiasticum prioris modi esse dubium non est. Quare non potest impleri per alium.

Decimumtertium dubium, An possit quis excusari à ieiunio, faciendo illius loco Eleemosynam.

AD hoc negatiuè respondendum est *ex Nauar. in Enchir.cap.21.num.22.* quia debitor vnius rei non liberatur soluendo aliam: *ex lege Eum, & lege Manifesti Cod. De solutionibus.*

Vltimum dubium est, An si quis ieiunium aliquo certo die indictum non obseruet, siue quia non potest, siue quia non vult, debeat alio die illud suscipere.

AD hoc cum Panormit. & pluribus aliis quos *Nu.*188. refert & sequitur Azor, *in præced. cap.20. quæst. quinta*, immo cum omnibus ex Nauar.in seq.numero 27. respondendum est negatiuè: quia tale onus est attributum tali diei:ideóque extra hunc, illud non manet,nisi aliter expresè constitutum sit: vt in cap. Ex parte. De obseruat. iciuniorum constitutum est, quòd si Vigiliæ ieiunium incidat in diem Dominicam illud transferatur in præcedentem diem Sabbathi. Sicut ergo is, qui non audiuit Missam aliquo die festo,non tenetur propterea sequenti die audire: nec Sacerdos qui hodie omisit diuinum officium, tenetur cras illud bis recitare; ita nec qui ieiunium Ecclesiasticum omisit, tenetur ea de causa alio die ieiunare: quia illud fuit onus dici:sicut is cui concessus

sus est vsusfructus agri pro hoc anno, si non sit vsus eo beneficio, non potest virtute eiusdem concessionis illo gaudere alio anno:quia tale beneficium cessauit cum tempore cui erat attributum. Secus verò esset si tempus attributum esset oneri: *vt cùm alicui iniungitur semel ieiunare in hebdomada*:nam talis omittens vno die,tenetur illud implere alio die. Sicut si alicui esset concessus vsusfructus agri pro vno anno,si eo beneficio non esset vsus primo anno, posset eo vti sequenti anno.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De peccato quod committitur violatione ieiunij Ecclesiastici.

SVMMARIVM.

189 *Violatio ieiunij Ecclesiastici excusatur à mortali per defectum deliberationis & materiæ paruitatem.*

190 *Violatio ieiunij Ecclesiastici peccatum est mortale, non modo ex contemptu, vel cum scandalo contingens,sed etiam ex suo genere.*

191 *Violatio ieiunij Ecclesiastici per esum ciborum prohibitorum aut per secundam refectionem, aut etiam ex probabiliore sententia, per anticipationem notabilem horæ determinatæ, peccatum est mortale.*

192 *Ratio qua sufficienter in confessione declaretur violatio ieiunij Ecclesiastici.*

SVPPONIMVS committi peccatum violatione ieiunij Ecclesiastici, quoniam ea est doctrina Catholica,quam aduersus hæreticos nostri temporis bene propugnatam, qui volet videre poterit apud Bellarm.in tomo tertio. Controuersiarum lib.2.de bonis operibus cap.7.8.& 9. & apud Gregor.à Valen. secunda secundæ disput. 9.quæst.2.puncto 2. in primo & secundo controuerso.Legi etiam potest Azor in prima parte Moral.institit.lib. 7. cap.20. quæst. 1.2. & 3. Quale verò peccatum sit, mortaléne an veniale tractamus tanquam instituti nostri proprium.

*Nu.*189. Sit igitur prima propositio. Ex accidenti, id est, ob defectum iudicij plenè deliberati,vel ob materiæ paruitatem violatio ieiunij Ecclesiastici excusatur à mortali.Probatur, quia nulla potest reddi ratio, cur duo illa, ob imperfectionem actus non excusent à mortali transgressorem præcepti de ieiunio, perinde ac aliorum præceptorum transgressores.

*Nu.*190. Secunda propositio. Non seruare ieiunium Ecclesiasticum ex contemptu præcepti Ecclesiæ, semper est peccatum mortale. Ratio est quia talis contemptus (iuxta illud *Luc.* 10. Qui vos spernit me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit) includit Dei contemptum ac notabilem irreuerentiam. Vnde charitatem qua ei grati sumus destrui satis indicatur per illud *primi Regum* 2. Qui contemnunt me erunt ignobiles.] Iam destructiuum esse charitatis animam viuificantis,proprium est peccati mortalis, quod inde accepit ipsum mortalis nomen.

Tertia propositio est. Transgressio præcepti Ecclesiastici de ieiunio, semper est peccatum mortale, quando cõiunctum habet aliorum scandalum. Ratio est,quòd & tunc ea sit contra charitatem,cum notabili iniuria proximi,iuxta illud *ad Rom.*14.Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundùm charitatem ambulas:noli cibo tuo illum perdere,pro quo Christus mortuus est.] Id quod potest frequenter hoc tempore contingere, quia is qui transgreditur ieiunium, sæpe videri potest vel hæreticus esse, vel patui facere authoritatem Ecclesiæ, vel ad idem alios suo exemplo inducere.

Quarta propositio est. Quantumcumque sine scandalo & contemptu expresso contingat prædicta transgressio,solúmque omittat quis ieiunium, quòd nolit illud seruare cum possit, peccatum est ex suo genere mortale. Hanc communi Theologorum, Canonistarum, ac Summulariorum calculo approbari notat Azor *in cit.lib.7.cap.* 8. *quæst.*2. Eámque ex instituto confirmant Medina *in Cod.de ieiunio quæst.7.* & Couar. *lib.4. variar. resolut. cap.* 20.*num.*10. & plenius Bellarm.& Gregorius à Valen.locis antè citatis.

Satis nobis est communis sensus virorum Catholicorum abhorrentium à ieiunij violatione tanquam lethaliter sauciante animam. Et certè nemo verus Catholicus negabit Ecclesiam potuisse ieiunium sub mortali præcipere nomine Christi,qui dixit *Luc.* 10. Qui vos audit me audit.] Quòd autem Ecclesia voluerit illud taliter, *sub mortali inquam*, præcipere: patet ex graui pœna,cui ieiunij Quadragesimalis & quorumdam aliorum violatores,subiici vult in Can. 68. Apostolorum:nempe,vt si sint Clerici deponantur:si laici, excommunicentur. Et in Concilio Gangrensi Can. 19. *refertúrque in cap. Si quis eorum dist.* 30. cùm anathema dicitur ei qui absque necessitate corporea,tradita in commune ieiunia,& ab Ecclesia custodita,superbiendo dissoluit. Neminem autem dignum esse excommunicatione,nisi ob mortale peccatum,constat ex cap. Nemo Episcoporum 11. qu.3.

Quinta propositio. Quamuis quis cætera seruet, *Nu.* 191. si ieiunium esu carnium violet, peccat mortaliter. Hæc patet quoque ex communi virorum Catholicorum sensu: quisquis enim talis est experitur in se quod D. Chrysost.dicit,*Homil.*16.*ad populum Anthiochenum*;quòd etsi millies exhortetur, & infinita crucient, & cogant aliquid lege ieiunij non concessum gustare,omnia tamen pati malit, quàm prohibitum tangere nutrimentum. Accedit quòd in Concil. 8. Toletano cap.9. nõ tantùm excommunicentur, sed etiam præcipiatur vt à carnibus integro anno abstineant,qui illarum esum præsumpserint attentare in Quadragesima,sine ineuitabili necessitate & euidenti languore,aut ætatis impossibilitate.

Sexta propositio. Idem pariter dicendum est de eo qui ieiunium violat vsu ouorum & lacticiniorum in Quadragesima:nisi consuetudo contraria aut dispensatio excuset. Habent hanc Caiet. & Syluester, *ille* 2.2.*quæst.*147.*art.8. & hic in verbo Ieiunium num.*17. confirmatúrque similiter ex communi verorum Catholicorum sensu.

Septima propositio. Non est quidem dubium, quin violatio ieiunij per secundam refectionem,peccatum sit mortale: dubitatur tamen,an sit quoque per anticipationem horæ ad comedendum præscriptæ.Prior pars etiam constat ex communi Catholicorum sensu. De posteriore autem satis constare potest ex dissensione Authorum, Nam multi, quorum meminit Azor *in seq. cap.* 11.*quæstione* 4. putant anteuertere horam consuetam ieiunij etiam sine iusta causa, non esse peccatum plusquam veniale, nisi per contemptum id fiat. Alij verò in maiore numero, quorum idem simul meminit, existimant mortaliter peccare eum qui sine causa legitima debitam horam ieiunij notabiliter præuenit. Quæ sententiarum varietas ex eo orta videtur,quòd vna ex parte obseruatio horæ debitæ sit conditio ieiunij spectans ad ipsius substantiam: ideóque violatione illius, sicut & duarum reliquarum, censeatur simpliciter violatum ieiunium, atqueadeo cum peccato mortali.Ex altera verò parte talis conditio,cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

non sit perinde principalis ac cæteræ, sed solùm consequens & adiuncta ad conditionem vnicæ refectionis tanquam modus quidam illius, quo non ante certam horam in die ieiunij sumenda est; videri potest quòd peccatum illius violatione commissum, minus sit quam quod committitur violatione duarum aliarum conditionum. Cæterùm etsi hoc verum est, eâ tamen, *vt sic dicam*, minoritas, non appareret tanta vt censeri possit minuere peccatum in infinitum: ideoque posterior sententia videtur non tantùm vt tutior, sed etiam vt probabilior tenenda: & quia plures ac nobiliores habet authores, vt videre est apud Azorium: & quia melius fundamentum habet: Tum rationis, vt patet ex iam dictis: Tum consuetudinis, quia boni Catholici ad eam quoque conditionem se ita adstringi sentiunt, vt si illam violauerint nolint tale peccatum reticere in confessione, quasi leue. Tum demum iuris, quia iuxta cap. Solent De consecr. distinct. 1. qui horam præueniunt, nullatenus ieiunare credendi sunt. Nec est quod quis dicat eum Canonem abrogatum esse, cùm iam anticipetur hora tertia post meridiana de qua loquitur. Nam etsi in ea anticipatione discessum sit à more & instituto veteris Ecclesiæ, non tamen in eo, quòd certa hora seruetur, quam non liceat in die ieiunij comedendo præuenire. Non negauerim tamen faciliùs excusationem à peccato locum habere in ea conditione, quàm in reliquis; quæ per se & independenter pertinent ad ieiunij substantiam. Sic enim Nauar. in Enchir. *cap.* 21. *num.* 27. *versu* 7. alios citans, excusat à tali peccato eum qui præuenit, eoquod nó vacabit ei comedere horâ consuetâ, vel qua debet iter arripere, vel ob hospites quos suscepit.

Octaua propositio. Qui bona fide credit se iustam causam habere ad non ieiunandum, etiamsi reuera non habeat, non peccat *saltem mortaliter*, non ieiunando. Ratio est, quia vbi adest bona fides, abest peruersa voluntas, sine qua peccatum non est mortale. Hanc ex Palud. D. Anton. Sylu. & Caietano tradens Nauar. *in præced. num.* 20. addit, Confessarium ei qui dubitat, an sine notabili suæ sanitatis damno ieiunare possit, consulere debere, vt experiatur; sique cognouerit ieiunium sibi notabiliter nociuum esse, iustè poterit à ieiunio cessare: sin adhuc dubitauerit debebit ad Superiorem pro dispensatione confugere, sine qua in dubio, nec illi quos ætas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, præsumere debent prohibita violare. *prout habetur ex* 8. *Concilio Tolet, cap.* 9. *in fine.*

Nona propositio. Frangens ieiunium anticipando horam debitam, prima tantùm anticipatione peccat contra præceptum de ieiunio Ecclesiastico: comedendo autem cibos vetitos, toties peccat quoties comedit. Hæc patet per dicta præcedenti capite in explicatione sexti dubij.

Nu. 192. Decima propositio. Ad declarandum sufficienter in confessione peccatum quod ieiunij Ecclesiastici violatione committitur, dicendum est quomodo violatum sit; nempe, vel quòd sola anticipatione horæ, vel quòd sola pluralitate refectionum, vel quòd vtraque simul, vel quòd adhuc cibi vetiti vsu; de hoc addendo quoties contigerit. Ratio est, quia Confessarius debet intelligere non tantùm peccatorum speciem, sed etiam numerum & grauitatem infinite, mortalitérve auctam: quod non fit in confessione facta de violatione ieiunij, nisi fiat eo, quo proponimus modo: cùm ratio multiplicationis & aggrauationis peccati in tali violatione, pendeat ex varietate dictarum conditionum spectantium ad substantiam ieiunij. Adde pari ratione declarandum esse, num ieiunium eo die quo violatum est, iniungeretur duplici præcepto: vt sit cùm de præcepto ieiunandum est in vigilia S. Matthiæ, & ea incidit in aliquem diem Quadragesimæ. Nam tunc vel duplex peccatum committitur, *prout Nauarro visum esse proponit Azor. in eodem libro septimo capite* 20. *quæst.* 7. vel si vnum tantùm committitur, *vt Azor ipse probabilius existimat*, ipsum est duplo grauius, quàm si non esset talis præceptorum concursus. Nam pluribus causis obligatus ieiunare, non ieiunans plus peccat: vt per se notum esse nec egere probatione ait Maior *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 3. Eádem etiam de causa declarandum est, quot diebus sine iusta causa quis vel violauerit, vel violare voluerit ieiunium in Quadragesima: quia etiamsi nolimus assentiri eidem Azorio *in sequenti quæst.* 8. dicenti tot numero committi peccata, quot fuerint illi dies, fatendum tamen est singulis diebus tale peccatum mortaliter aggrauatum esse: præsertim cùm, præceptum de Quadragesimali ieiunio, *vt Gabriel in* 4. *distinct.* 16. *quæst.* 3. *art.* 3. *dub.* 5. *in fine*, bene notat, feratur & super totam Quadragesimam, & super singulos dies illius: ideoque ieiunium cuiuslibet diei Quadragesimæ sit in præcepto: siquidem alioqui is qui in die Cinerum violasset ieiunium, quia non posset integram Quadragesimam ieiunare, nihil deinceps peccaret non ieiunando in ea: vtpote impossibilitate ipsum excusante.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De modo quo peccatur participando in ieiunij violatione.

SVMMARIVM.

193 *Quis talis modus sit, & quotuplex esse possit.*
194 *Non peccat famulus vel ancilla parans, aut ministrans cibos domino quem scit frangere ieiunium.*
195 *Quando & quomodo peccet qui alium in die ieiunij ad cœnam inuitat.*
196 *Peccant mortaliter, tum patresfamilias suis familiaribus, tum hospites ad se diuertentibus* apertâ vt vocant mensâ, *cœnam præbentes in die ieiunij.*
197 *Rationes in contrarium cum solutione.*
198 *Procedit ea doctrina etiamsi priuatim ac secretò tale quid fiat.*
199 *Quid prædictis licere possit, quando familiares aut hospites valde molesti sunt cœnam negantibus.*
200 *Idem inceriti, an cœnam petentes iustam causam habeant cœnandi, non peccant mortaliter eam dando.*
201 *Peccat mortaliter qui sine iusta causa compellit famulos aut operarios ad violationem ieiunij.*
202 *Quando & quomodo peccent aut non peccent, qui in diebus ieiuniorum venales exponunt cibos vetitos.*

COMMVNE est omni peccato mortali, vt illud incurrat, non tantùm is à quo perpetratur, sed etiam is qui perpetrâti consentit: cùm dicat Apostolus *ad Rom.* 1. Digni sunt morte non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.]

Modus igitur quo peccatur participando in vio- *Nu.* 193.
latione ieiunij, consistit in eo quod præbeatur eidem violationi consensus: qui quadruplex esse potest *ex Glosa ad cap.* 1. *De offic. Delegat. verbo Pari pœna*: vnus negligentiæ, alter consilij, tertius cooperationis, & quartus authoritatis seu defensionis. Atque iuxta eamdem glosam in casu negligentiæ, *nisi forte negligentia fuerit mimis crassa*, consentiens minus peccat quàm perpetrans: & in casu Concilij minus punitur consentiens, *scilicet tanquam minus etiam peccans*, quàm perpetrans peccatum. In casu autem cooperationis, æqualiter peccant consentiens & perpetrans peccatum. In casu denique authoritatis seu defensionis magis peccat, magisque puniendus est consentiens quàm perpetrans peccatum: *quæ omnia ex iure canonico eadem glosa habet confirmata.*

Ad quos quatuor modos reuocantur nouem illi qui communiter traduntur peccandi peccato alieno: de quibus Nauarrus in Enchir. cap. 11. num. 13. & nos alias commodiùs. Cæterùm cùm constet peccatum mortale committi à nobis, si nostro consensu, causa fuimus cur alter qui ieiunare statuerat mutet voluntatem, nec ieiunet cùm teneatur: illud quod potest de re proposita difficultatem habere est, An mortaliter peccemus cùm quis iam apud se statuit transgredi præceptum ieiunij: & quamuis talis trãsgressio nobis displiceat, ei tamen cooperamur propter aliquod nostrum incommodum. Ad quam difficultatem exhauriendam aliquot particularia dubia occurrunt, quibus satisfaciendum est.

Primum dubium, An peccet famulus vel ancilla mensam vel cibos parans, aut cibos ipsos ministrans domino, quem ieiunium soluere nouit.

Nu. 194. PRo cuius parte affirmante facit; quòd in hoc famulus vel ancilla videatur domino ieiunium violanti cooperari: quod est peccatum. Pro negante verò, quòd domino petenti solitum obsequium, si res sit de se non mala, famulus illud ei præstans tanquam iure debitum, congruenter rationi agat. Dictat enim ratio Domino non esse quidem obtemperandum, si rem de se malam petat, quæ non potest bene fieri: esse tamen, si petat rem de se indifferentem, & ei debitam: quia licèt petat affectu deprauato; à famulo tamen executioni mandari potest, nullatenus consentiendo tali deprauationi, & per cõsequés sine peccato. Hæc pars probabilior videtur & tenenda sicut cum Caiet. tenet Azor, *in prima par. Moral. instit. lib.* 7. *cap.* 20. *quæst.* 11. Nam ad contrariam rationem facile est respondere: famulum vel ancillam in eo casu non cooperari peccato domini: cùm non suppeditet ei materiam peccandi, vtpote apponens tantùm quæ illius sunt, *non autem sua de quibus possit disponere.* Neque obsequatur illius voluntati, prout peruersa est, sed prout exigit ministeriũ, quod ex officio debent ei præstare. Quod si ministerio, alioqui licito, idem dominus abutatur ad peccatum, nullatenus imputari debet famulo vel ancillæ: sicut nec si puella pro necessitatibus domesticis, aut alia iusta de ceusa, domo egrediatur sciens aliquem occursurum, qui in concupiscentiam ipsius exardescet; censenda est cooperari illius peccato, quia non facit id, vt seruiat illius deprauatæ voluntati: sed vt exequatur quod est sui muneris: quam à peccato excusari notat Nauarrus *in Enchir. cap.* 14. *num.* 30. Secus iudicans de ea quæ sine rationabili causa, se indifferenter offerret aspiciendam, solummodo vt satisfaceret suæ voluntati diuagandi per vicos & plateas, aut manendi in ostio, vel fenestris domus, vt sua pulchritudo laudetur, vel ob aliam vanitatem, quantumcumque nullam habeat voluntatem inducendi quempiam in sui concupiscentiam.

Secundum dubium, An mortaliter peccet, qui in die ieiunij ad cœnam inuitat eum quem nouit cœnaturum.

AD hoc, *quod tractant Maior, Caietanus & Nauar. citati ab Azorio in sequen. quæst.* 12. respondetur aliquot propositionibus. Prima est, mortaliter peccare eum qui sic inuitat, si quidem inuitatus cœnet, ieiunium alioqui seruaturus. Ratio est, quia verè causa est alteri mortaliter peccandi, quod est peccatum mortale: dato quòd ipse inuitans, certò nouerit aut probabiliter crediderit aut dubitauerit, inuitatum obligari ad ieiunium seruandum. Secus esset verò, si vel sciret, vel probabiliter crederet à ieiunando excusatum esse: quia bona fide inuitaret. *Nu.* 195.

Secunda propositio est, Mortaliter peccare eum qui alterum iam ad cœnam paratum, inuitat ad cœnandum. Ratio est quam reddit Caiet. *secunda secundæ quæst.* 147. *art.* 4. *sub finem*: quia non licet ne paratos quidem ad malum, allicere seu inducere ad illius executionem: cùm non tantùm velle, sed etiam exequi malum, sit peccatum.

Tertia propositio est. Non esse peccatum mortale aliquem qui alibi cœnaturus erat, inuitare vt potiùs tecum cœnet. Ratio est *quam habet Caiet. loco citato*: quia id non est inuitare ad cœnandum, sed offerre domum & locum cœnæ, téque in cœna socium, qui *ex suppositione* iustam cœnandi causam habeas. Id enim non videtur magis rationem peccati de se habere, quàm cùm hospites inuitant aliquos vt ad se potius, quàm ad alium diuertant. Quanquam non video qua ratione, sic inuitatis possint ad cœnandum cibi ministrari, cùm id sit eis suppeditare peccandi materiam. In quam sententiam plura sequenti dubio.

Quarta propositio est, *quam contra Nauar. in Enchir. cap.* 21. *num.* 24. *tenet Azor loco citato*: eum non excusari à peccato qui alterum vrbanitatis, hospitalitatis, aut amicitiæ gratiâ ad cœnam simpliciter inuitat in die ieiunij. Hæc probatur quia talis excusatio non nititur fundamento sufficienti. Illud enim quod Nauar. ponit licere iusta de causa alium inuitare ad actum aliquem suo genere bonum vel indifferentem, si nullatenus consentiatur in eum quatenus male fit, aut ex aliqua circumstantia malus est: vt ex eo patet quòd liceat mutuum ab eo petere, qui scitur nonnisi ad vsurã daturus: & sacramentum petere à proprio Parocho, qui scitur etiam, illud in peccato mortali administraturus: & sic de multis aliis. Illud inquam fundamentum facilè euertitur: vt enim Azor bene ait, non peccamus quidem quando vtentes iure nostro petimus ab altero aliquid de se bonum, vel indifferens; quod etsi non est præstiturus sine peccato, ipsum nihilominus tale est quod possit si velit præstare sine peccato: *sicut potest vsurarius, si velit, pecuniam mutuam dare sine vsura: & sic de reliquis, quæ Nauar. in exemplum adfert in sequenti numero* 25. Sed si tale sit, quod alius à quo petitur præstare non possit sine peccato (quale est, sine iusta causa in die ieiunij cœnare) peccamus inuitantes ad illud, vtpote quod ita malum est, vt etiamsi quis velit eo bene vti non possit.

***

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertium dubium est, An mortaliter peccet paterfamilias, qui illis quos habet in sua familia: aut hospes, qui iis qui ad se diuertunt cœnam ministrat, nullam iustam habentibus causam excusationis à ieiunio.

HOc valde torsit Gabrielem vt ipse indicat *in 4. distinct. 16. quæst. 3. art. 3. dub. 6.* vbi illud latiùs tractat. Ei autem his propositionibus satisfieri posse videtur.

Nu. 196. Prima est, mortale peccatum esse si paterfamilias indifferenter apertâ, vt vocant, mensâ omnibus de familia sua, tam iis qui sciuntur ad ieiunium seruandum teneri, quàm iis qui creduntur à ieiunando excusari, ministrat cœnam in die ieiunij. Item si hospes similiter faciat iis qui ad ipsum diuertunt: non secus ac faceret aliis diebus, nulla admonitione de ieiunio facta, nullâque ratione habita an habeant nécne iustam causam non ieiunandi. Hæc *suppositio eo, quod ex præced. cap. pater: scilicet mortaliter peccare illum qui in die ieiunij cœnat absque iusta causa*, probatur, quia in tali casu cœnam ministrare aduersatur dilectioni Dei & proximi, scandalosúmque est. Ergo peccatum est mortale.

Probatur consequentia per illud 1. *Ioan.* 3. Qui non diligit manet in morte.] *& illud Matth.* 18. Væ homini per quem scandalum venit.] Antecedens verò probatur argumentis Gabrielis *cuius doctrinam Nauarr. approbat in eod. cap. 21. num. 26.* Primum enim contra dilectionem Dei est, non cauere in nobis & in aliis quantum possumus, offensam ipsius: cùm charitas hoc ipsò, quòd ad dilectionem Dei mouet, inclinátve, remoueat auertátque ab illius offensa. Illi autem qui eo quo diximus modo cœnam ministrát, non cauent offensam Dei mortalem quantum possunt. Ergo peccant mortaliter. Deinde contra proximi dilectionem est, *atque adeo peccatum mortale ex cap. Facientis distinct.* 86. non eruere illum à peccati mortalis periculo cùm possis, vel non corrigere mortaliter peccátem, aut in peccatum mortale prolapsum. Ergo multo magis erit illi cooperari ad corruendum in peccatum: vt is facit qui suppeditat cœnam in die ieiunij non seruanti ipsum absque iusta causa. Consequentia est manifesta, præsertim quoad patresfamilias, de quibus *in priori ad Timoth. cap.* 5. Si quis suorum & maximè domesticorum curam nó habet, infidelis est, & infideli deterior.] Quoad cæteros quoque, patet per illud *Ecclesiastici* 17. Mandauit Deus vnicuique de proximo suo.] Cuiusmodi curam certum est eo maiorem debere esse circa animæ, quàm circa corporis damna cauenda: quia hæc sunt illis perniciosiora. Probatur autem antecedens ex D. August. *relato in cap. Non putes 23. quæst.* 5. Non putes inquit, te tunc amare seruum tuum, quando eum non cædis; aut tunc amare filium tuum, cum ei non das disciplinam; aut tunc amare vicinum tuum, quando eum non corrigis: non est ista charitas, sed languor: ferueat charitas ad emendandum & corrigendum; si sunt boni mores, delectent: sin autem mali, emendentur] & cap. Qui vitiis, ead. quæst. Qui vitiis nutriendis parcit & fauet ne contristet peccantium voluntatem: tam non est misericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem: & non timet ne vulneratum doleat aut extinctum. Denique quod id quoque scandalosum sit, seu causam præbeat ruinæ, probatur: quia plerique talium qui ieiunare valent, non soluerent ieiunum, nisi paratam mensam haberent: iuxta illud tritum, Obiecta mouent potentiam. Deinde multi alij moribus infirmi, cognoscentes adeò publicè & indifferenter præberi secundam refectionem, idipsum imitantur vel errore decepti putantes præceptum ieiunij non ligare; cùm tam aperte ab iis, de quibus meliora præsumunt, non seruari videant; aut propria cupiditate illecti, cui succumbant inuitati exemplo multitudinis: eorum, *præsertim se maiorum*, qui adeò publicè, & sine sensu offensæ diuinæ violant ieiunium, quodquidem exemplum si non præberetur, tam vniuersè & apertè, multi sine dubio se à violatione ieiunij cohiberent, qui non faciunt.

Sed videtur in contrarium esse consuetudo, quâ *Nu. 197.* tam in principium curiis, quàm in domesticis communitatibus, & hospitiis, cœna volentibus datur indifferenter. Ea enim censeri potest non modò præscripta, cùm illius initij non sit memoria, sed etiam rationabilis: quia si principes aut patres-familias, vel hospites non vterentur prædicta, vt vocant, apertá mensâ, darent occasionem iniuriis, maledictionibus, blasphemiis & prauis iudiciis, quibus iudicabuntur non facere id ex deuotione, sed ex tenacitate, vel ex alia indebita causa: quæ peccata grauiora sunt fractione ieiunij: vt argumento est, quòd vxor, quæ ieiunando talium occasionem præberet marito, soleat excusari à ieiunio ipso seruando. Respondendum autem est cum Gabriele, consuetudiné eam non esse communem apud homines solicitos de æterna sua salute: & corruptelam esse potius, quàm consuetudinem censendam: vtpote quæ ad peccatum inducit; nempe ad violationem præcepti de ieiunio non abrogati: laxátque fræna carnali concupiscentię: & ideo irrationabilis esse censenda est, nec præfato præcepto præiudicare *iuxta cap. Ex parte & cap. Cum tanto de consuetud.* Idque maximè, quia sicut in via doctrinæ non multorum insipientium, sed potius paucorum sapientum sententiam sequimur: ita in via morum, paucorum potius de sua salute solicitorum, quàm multorum illam parum curantium, rationi agendi adhærere debeamus; cùm ex Diui Matthæi cap. 7. angusta sit porta & arcta via quæ ducit ad vitam, paucique sint qui inueniunt eam.] Contra verò, lata sit porta & spaciosa via quæ ducit ad perditionem multique sint qui intrant per eam.] Cui rationi robur addit illud diuinum monitum *Exod.* 23. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies.] Cùm autem dicitur recusando cœnam dari occasionem blasphemiis; & aliis quibus maius peccatum committitur quàm omissione ieiunij, negandum est dari: quia nolle alteri suppeditare materiam ieiunium frangendi cum peccato mortali, non est illum inuitare ad blasphemandum: sicut nec recusare vinum, volenti se eo ingurgitare: aut depositum gladium, volenti se, vel alium occidere. Ex propria igitur malitia inde occasionem peccandi accipit, sicut Pharisæi ex verbis Christi Domini *Matth.* 15. de quibus cùm Discipuli dicerent: Scis quia Pharisęi audito verbo hoc scandalizati sunt; ait eis Sinite illos, cęci sunt, & duces cæcorum.]

Sed vrgebit aliquis cœnam esse rem de se licitam, quam vt debitam possit à domino seruus *sicut, & promissam mercedem*, à patre, filius: ab hospite, pro pretio iusto extraneus petere. Quare dari poterit, eo tantùm animo, vt debito satisfiat; nullo modo autem vt communicetur illius deprauatæ voluntati. Respondetur, *ex Nauar. in eodem num.* 26. quòd etiamsi in eo non communicetur ipsius deprauatæ voluntati, communicari tamen actui, quo eadem deprauata voluntas executioni mandatur: nimirum suppeditando materiam vel instrumentum ad talem executionem

cutionem perficiendam, aut continuandam: quod illicitum est perinde ac cùm seruus petit à domino mercedem sibi iustè debitam, scitúrque petere ad executionem prauæ voluntatis quam habet fornicandi: tunc enim dans quod ab eo petitur, grauiter peccat tanquam cooperator sceleris Procedit autem tradita propositio non modo cùm quis propria spóte nec requisitus cœnam suis ministrat; sed etiam cùm à suis requisitus: quia talis requisitio non reddit licitam eam cooperationem ad requirentis necem spiritalem: sicut nec requisitio regis Saul impediuit, ne à Dauide dignus morte iudicaretur iuuenis Amalecites, qui eumdem regem ab ipso requisitus occidit, *ex lib. 2. Reg. cap.* 1. Aduerte patremfamilias aut hospitem non excusari in hac re tanquam præstantes id ad quod tenentur. Non enim ad aliud tenentur, quam ad suppeditationem necessariorum ad victum honestum, rationíve consentaneum.

Nu. 198. Secunda propositio. Peccatum mortale committitur non modò cùm publicè & palam: sed etiam cùm priuatim & secretò, cœna in die ieiunij præbetur ei qui scitur aut probabiliter creditur non habere excusationem iustam; nempe quia dicit se nolle ieiunare etiamsi possit, aut apparet legitimæ ætatis, bonæ nec debilis constitutionis: nec fatigatus inedia nec grauatus labore. Probatur, quia modus quamuis vt diuersus est à præcedenti, liberet à scandalo; non tamen à peccato trãsgressionis præcepti Ecclesiastici; cui cooperari in tali casu perinde est contra dilectionem Dei & proximi, atque in casu propositionis præcedentis.

Nu. 199. Sed aduerte quòd si filij aut famuli essent valde molesti patrifamilias, nec huius piis monitionibus flecti vellent, animo obstinato suæ cupiditati seruire statuentes, non esset peccatum mortale, illos suo arbitrio relinquere: quia nullo præcepto obligatur paterfamilias cogere suos filios aut famulos seruare ieiunium, sed solùm ex charitate corrigere & monere: quod ex Ledesmo notat Azor *in cit. lib. septimo cap. 20. quæst.* 12. Ad quod facere videtur illud ad Ephes. 6. Vos patres nolite prouocare ad iracundiam filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini.] Quanquam nolim asserere, quòd possit talibus cœnaturis suppeditare pisces & alios cibos non permissos in collatione, *de qua antea n.* 184. quia id esset cooperari peccato illorum perinde ac pransuris suppeditare carnes vel oua. Illos verò cibos quos in prædicta collatione sumi receptum est consuetudine rationabili, suppeditare etiam in quantitate ad refectionem sufficiente, nolim dicere peccatum mortale: quia id res est de se non illicita, & qua alter vti possit absque peccato, si velit? putà sibi temperando ab excessu, nec plus de talibus sumendo quàm recepta consuetudo ieiunantibus concedat. Cauendum tamen est à scandalo pusillorum, qui videntes tantam copiam ciborum, existimabunt non tantùm cœnu lam, sed etiam plenam cœnam esse licitam in die ieiunij. Quæ perniciosa opinio non fratione, sed gula suadente sic inualuit, vt ab ea bona pars hominum, nec exhortationibus Prædicatorum nec obiurgationibus Cõfessariorum, nec conscientiæ aculeis, æterníque supplicij terroribus diuinitùs incussis, ab ea iam deduci possit.

Nu. 200. Tertia propositio. Excusantur à peccato mortali patresfamilias & hospites dando cibos in die ieiunij cœnaturis, requisiti ab eis, nó modò cùm illi iudicát tam probabile esse, quòd iustá excusationé à ieiunio habeant, quàm quòd non habeant: *vt cùm apparent iuniores, aut valde senes, aut corpore debiles, aut inedia vel labore confecti*: sed etiam cùm incerti sunt, nec habent quod probabiliter credant: vt fieri potest, cùm illi postulando cœnam, asserunt se latens impedimentum ieiunandi, aut dispensationem habere: & nihilominus indicia quædam contraria apparent, non tamen sufficientia ad probabiliter credendum. Hanc propositionem Medina *in Cod. de ieiunio, quæst.* 11. *sub finem* probat: quia de proximis non est præsumendum quod deterius est, nec quod illi sint æternæ suæ salutis immemores, quando talis præsumptionis causa iusta non habetur. Cauendum est tamen à scandalo pusillorũ. Nam quamuis sufficiat ad liberationem à peccato violationis ieiunij, quòd quis sciat se iustá illius excusationem habere, *etiamsi latentem*: non sufficit tamen ad liberandum à peccato scandali, quo frater infirmus eiusmodi excusationis causam ignorans, inducitur eo exemplo ad violandum ieiunium cum detrimento suæ salutis. *De qua re plenius Gabriel loco citato ante solutionem argumentorum.*

Nu. 201. Quarta propositio. Is mortaliter peccat qui in die ieiunij familiam suam, quæ aliòquin ieiunare tenetur & potest, compellit ad opera, quæ cum ieiunij obseruatione stare non possunt, si in aliam diem cómodè differri queant. Hanc ex Gabriele habet Azor *in cit. quæst.* 12. fine probatione: quæ esse potest, quòd mortale peccatum sit absque causa & ex sola animi libidine impedire aliquem ab impletione præcepti ipsum obligantis sub mortali: siic enim qui Sacerdoti surripit Breuiarium, sciens fore vt non possit dicere Horas canonicas; aut Sacerdos ipse idem præuidens illud in flumen abiicit, peccat mortaliter; sicut & ille qui alterum apud se detinet, vnde nouit secuturũ vt Missam. Die festo non audiat; & sic de similibus, de quorum numero sunt, *vt ex Maiore Azor habet*, patres familias, qui cùm possint commodè, non præbent familiæ suæ sufficienter cibos, cum quibus seruare queant ieiuuium ad quod obligantur. Nam & tunc impedimentum adfertur obseruationi præcepti de ieiunio. Ponuntur similiter ex Caiet. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. *& ex aliis quos in præced. cap.* 17. *quæst.* 8. *refert Azor*, qui operarios ieiunaturos conducere nolunt: id enim est eos ad ieiunium omittendum excitare. Quanquam tamen *ex eodem Caiet.* duo sunt, per quæ possunt à peccato excusari. Alterum, si ideo nolint, quod ieiunaturi qui minus operis facturi sunt, nihil volunt diminuere de mercede, quæ debet operi respondere, Alterum si vrgeat necessitas expediẽdi opus, tunc enim recusare possunt ieiunantes per quos expediri non potest. Idem quoque docet Abulensis *ad 6. cap. Diui Matthæi, quæstione* 143. *in fine.*

Dubium quartum, An mortaliter peccent qui in diebus ieiuniorum cibos prohibitos venales exponunt.

Nu. 202. DE hoc Azor *in eodem lib. 7. cap. 20. in fine*, duas refert opiniones; benéque iudicat ipsum sic explicari distinctione. Vel publicè ac palàm venales exponunt: & sic dubitandum non videtur, quin peccent mortaliter, tanquam dantes multis occasionem mortaliter peccandi violatione ieiunij: vnde fit, vt talem expositionem tanquam animabus perniciosam, non permittat Magistratus, suæ & suorum salutis curam aliquam gerens: vel certè venales exponunt priuatim & occultè pro infirmis: túncque si probabiliter credant ad soluendum sine iusta causa ieiunium, emi ab emptoribus, peccare vendendo. Si verò id ipsis incertum sit, nec sufficienter appareat; posse ipsos excusari à peccato; sicut & eos (*iuxta ante dicta num.* 200.) qui cibos præbent cœnaturis quos

Universidad de Deusto
Biblioteca

quos incertum est, an habeant iustam causam non ieiunandi. Quæ etiam est expressa doctrina Medinæ *in fine cit. quæstionis* 11. Illam confirmantis hac ratione, quòd non sit temere de proximo iudicandum, nec ei danda occasio scandali: vt videtur fieri, cùm venditores publici, cibos quos venales habent, petentibus denegant, sine fundamento præsumentes de illorum peccandi voluntate: vnde temere iudicantes, occasionē dant rixarum & iurgiorum. Addit Medina tales venditores non teneri exactè discutere an emptores habeant nécne, sufficientem causam qua excusentur à ieiunio: quoniam talem discussionem facere conuenit specialiter patrifamilias respectu suorum domesticorum, quorum specialem debet curam gerere. Quòd si venditor habeat causam aliquam dubitandi de aliquo tali impedimento, debet ad dubium rationabiliter deponendum super eo prudenter interrogare ementem; túncque maximè cum probabiliter iudicat, se posse illum iuuare, & à praua voluntate deducere, si absque iusta causa ieiunium soluere velle insueniatur.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De causis à peccato excusantibus non obseruantem ieiunium Ecclesiasticum.

SVMMARIVM.

203 *Hæresis Begardorum & beguinarum, quòd soli peccatores obligentur ad ieiunium.*
204 *Iusta causa excusat à peccato non obseruantem, quæ varia est.*
205 *Per causam impotentiæ adolescentes vsque ad 21. annum excusantur à ieiunio Ecclesiastico.*
206 *An id sit intelligendum cum aliqua restrictione.*
207 *Quando possint adolescentes ad ieiunium adstringi præcepto.*
208 *Adolescentibus, in quibus prædicta excusatio locum habet, non licet in die ieiunij cibis vetitis vti, & quando liceat infantibus.*
209 *Qui senes excusentur à ieiunio Ecclesiastico, ac qui infirmi.*
210 *Excusantur mulieres prægnantes & lactantes.*
211 *Qui pauperes excusentur.*
212 *Necessitas excusans à ieiunio.*
213 *Excusatio agricolarum, & laboriosas artes exercentium.*
214 *An ea extendatur ad diem ieiunij, in quo laborem intermittunt.*
215 *Nec labor maximus necessarius est nec minimus sufficit ad excusandum à peccato violationis ieiunij.*
216 *Mediocris requiritur: vnde statuitur in particulari de artificibus, qui censeantur à ieiunio excusari, qui verò non.*
217 *Excusatio eorum, quibus aliquod debitum incumbit, quod exequi nequeunt ieiunando.*
218 *Labor quem quis nequit cum ieiunio sustinere, excusat, cùm fuerit necessario suscipiendus, aliàs minimè.*
219 *Ex pietate excusatur à ieiunio qui incumbit operi, quod maius est eodem ieiunio, nec ipsum secum patitur.*
220 *Voluntaria peregrinatio ad loca sancta, quando excuset ab obseruatione ieiunij.*
221 *Quando ob amicitiam, aut metum grauem liceat frangere ieiunium.*
222 *Excusatio existimantis bona fide se iustam habere causam non ieiunandi.*
223 *De supplendo defectu per authoritatem Superioris, cuius dubia est causa excusationis.*
224 *Quòd non est necessarium, si Papa aut Episcopus dispenset in ieiunio instituto per suum, aut sui prædecessoris decretum.*
225 *Ieiunium pro tota Ecclesia indictum quatenus relaxari possit ab Episcopo, ac etiam a Parocho, & a religiosarum familiarum Prælatis.*
226 *Documenta de relaxatione ieiunij notanda pro praxi.*
227 *Superior in dispensando non debet scrupulosus esse, nec rem in subditi conscientiam reiicere.*
228 *Qua ratione valeat Parochus relaxare ieiunium in causa dubia.*
229 *Non potest Confessarius in causa dubia ieiunium relaxare.*

PRÆCEPTVM Ecclesiasticum de ieiunio obligare quemlibet Christianum, nisi rationabili de causa excusetur Caiet. *in verbo ieiunium, cap.* 3. ostendit ex eo, quòd ipsum generale sit, & toti populo Christiano commune, prout recepta Ecclesiæ vniuersæ consuetudo declarat: quæ est sententia expressa D. Thomæ *in cit. art.* 4. *& aliorum, quos in* 4. *distinct.* 16. *quæst.* 3. *art.* 2. *Gabriel commemorat.*

Atque illud quod Begardi & Beguinæ absurdè *Nu.203* senserunt obligare solos peccatores, non autem iustos & perfectos, bene refellitur ab Abulensi *ad cap.* 6. *D. Matth. quæst.* 138. & ab Alphonso à Castro aduersus hæreses, *verbo Ieiunium, hæresi tertia*: & à Bellarm. in controuersia de bonis operibus *lib.* 2. *cap.* 10. De quo errore ad nostrum institutum sufficiet notasse eum damnatum esse ab Ecclesia in Cócilio Viennēsi *vt patet ex Clement.* Ad nostrum De hæreticis: & quòd nemo tam sanctus sit in quo *ex cap.* 5. *epist. ad Galat.* caro non concupiscat aduersus spiritum. Vnde cùm ieiunium non solùm sit satisfactorium pro peccatis præteritis: sed etiam iuuet pro vitandis futuris; próque se præseruando ab illis: nullus tam sanctus est, quin ei vtile sit carnem edomare per ieiunium exemplo D. Pauli; qui quamuis raptus fuisset in paradisum, & audiuisset arcan verba quæ non licet homini loqui: atque responsum accepisset, Sufficit tibi gratia mea: corpus tamen suum castigabat, & in seruitutem redigebat ne prædicans aliis, ipse reprobus efficeretur] *ex prioria ad Corinth. cap.* 9.

Quamuis autem id ita sit, non omnes tamen Chri- *Nu.204* stiani qui prædictum præceptum non seruant, peccant, sed solùm qui nullam iustam causam habent non seruandi: qui enim iustam habent, excusantur. Quæ causa, *vt loco cit. docet Caiet.* potest esse vel vera, vel existimata, vel authorizata: ac rursus vera multiplex, sed quæ ad tria capita reuocari possit, nempe ad impotentiam, pietatem, & necessitatem. Cùm enim excusatio ab obligatione præcepti humani ex eo nascatur, quòd Superioris à quo datur voluntas sit consulere subditorum bono, *vtpote qui præcipiendi potestatem acceperit non in destructionem, sed in ædificationem, ex posteriori ad Corinth. cap.* 13. taléque bonum, sit vel corporis, vel spiritus, vel externæ substātiæ: quando per obseruationem præcepti læderetur corpus, impotentia excusat ab illa: quando verò læderetur spiritus, excusat pietas: quando denique læderetur substantia externa, excusat necessitas. De quibus singulis sigillatim dicamus oportet.

De causa impotentiæ.

SECTIO I.

EX impotentia à ieiunio Ecclesiastico excusat Caietanus, primo loco adolescentes vsque ad annum vigesimumprimum completum; sed vtrum bene dubitari potest. Nam pro contra sentientibus: *de quibus Azor in* 1. *part. Moral. instit. lib.* 7. *cap.* 17. *quæst.* 2. ratio hæc facit, quod adolescentes ante illam ætatem multa peccata committere soleant, quibus perinde ac maiores natu per ieiunium occurrere debent: & vt occurrant compellendi videntur.

Excusatio adolescentum.

Nu.205. SEd authoritas D. Thomæ *in eodem art.* 4. *ad* 2. quam non modò Caiet. sed etiam Abulen. *in sequen. qu.* 139. pluréque alij (*quorum Azor quoque meminit*) sequuntur sufficit ad tenendum tutā conscientiā id quod dictum est, vt communiis teneri monent D. Anton. 2. *par. tit.* 6. *& Gabr. in* 4. *dist.* 16. *ille cap.* 2. §. 4. *& hic quæst.* 3. *artic.* 1. notab. 4. nam satis bona ratione D. Thomas vtitur: nempe, quòd adolescentes vsque ad eam ætatem soleant indigere frequenti cibo, & in magna copia propter abundantem in eis vim caloris, cibum ipsum facilè absumentis: & operantis non solùm vt nutriat, sed etiam vt naturæ debitum incrementum in eis præstet. Cùm igitur Ecclesia non intendat quemquam præcepto ieiunij obligare, cum detrimento notabili bonorum corporis, existimandum est adolescentes non ante obligari ad ieiunium Ecclesiasticum quam absoluerint vigesimumprimum annum seu tertium septennium, in quo secundùm physicos absoluitur hominis accretio. Quam rationem & alia ad rem hanc spectantia, bene tractat loco citato Abulensis. Sed pro praxi nobis proposita sufficiet addere responsionem ad rationem in contrarium allatam: quòd etsi tales adolescentes multa peccata committant, non ideo tamen necessarium esse vt precisè per ieiunium ab Ecclesia præceptum, debeant pro illis Deo satisfacere: nam non desunt alij satisfaciendi modi.

Si quæras num ante eam ætatem adolescentes, si non ad omnia, saltem ad aliqua ieiunia teneantur.

Nu.206. Respondendum est secundùm Abulens. ibidem, teneri: quia causa supradicta per quam excusantur à ieiunio, *quod scilicet frequentiore, & abundantiore cibo egeant ratione augmentationis*, non datur æqualiter toto illo tempore, sed quanto quis magis accedit ad finem augmentationis, tanto minor est augmentatio & per consequens tanto minor causa sæpius comedendi. Deinde *vt Medina argumentatur in Cod. de ieiunio quæst. nona*, quamuis tales non possint omnia ieiunia, possunt tamen aliqua sine corporis aut sanitatis detrimento seruare: vt ieiunia Quatuor temporum, vigiliarum, & duorum vel trium dierum hebdomadę in Quadragesima. Eos ergo ab his eximendi nulla est iusta causa. Verumtamen quia D. Thomas loco citato, *& cum eo tum Caiet. tum etiam Nauarr. ille ad eum locum D. Thomæ, & hic in Enchir. cap.* 21. *num.* 16. absolutè & sine tali restrictione dicunt, non ante vigesimumprimum annum adolescentes ad ieiunium Ecclesiasticum teneri, non putarim incommodum, si ad quæsitum respondeatur negatiuè; maximè cùm videamus consuetudine seruari vt adolescentes secundùm quod ætate crescunt, ad ieiunium vel inuitentur vel compellantur ab iis qui ipsorum curam gerunt: quod conueniens esse D. Thomas consequenter admonet: non quasi iam sint adstricti præcepto ieiunij, sed tanquam assuefaciendi ad illud seruandum cùm ad legitimam ætatem peruenerint. Accedit quod ex contraria sententia, timoratis magna conscientiæ perturbatio, & animi anxietas oriri possit, dum non constat nec facilè iudicari potest, ad quæ ieiunia quis dum ætas paulatim crescit, teneatur. *Nu.207.*

Nota verò primò, cum Nauar. *ibidem ex D. Thoma* vrgente graui necessitate posse adolescentes præcepto adstringi ad ieiunium: siue necessitas sit publica: qualis fuit propter quam Ionæ 3. datum est præceptum, vt homines & iumenta non gustent quidquā: siue sit priuata, vt ea quam patitur persona vitiis implicata, in cuius remedium Confessarius imponit ieiunium. Nec obstat quod detrimentum ex tali ieiunio sequatur: quia ipsum est priuatum & corporale, quod publico & spiritali postponi debet.

Nota secundò, prædictam excusationem locum habere etiam in Religiosis, qui nondum vigesimumprimum annum excesserunt; siue sint nouitij, siue professi, *vt ex Gabriele & Rosella notat Azor in cit. quæst.* 2. quia in illis perinde ac in aliis causa excusationis locum habet. Attamen, *vt idem alios secutus in sequenti quæst.* 3. *sentit*, non excusantur à ieiuniis quę iniunguntur, per regulam suæ religionis, eoquod illius obligationi voluntate sua se submiserunt, quā sicut extra religionem potuissent se ad ieiunium seruandum adstringere; verbi gratia, illud vouendo: sic etiam potuerunt in religione, obligando se ad obseruationem præceptorum illius.

Nota tertiò, adolescentes excusatos à ieiunio, non *Nu.208.* excusari pariter ab abstinentia à carnibus, & aliis cibis prohibitis, vt communis Ecclesiæ vsus satis ostēdit. Infantibus autem nondum præditis vsu rationis infra septennium tales cibos præbere, non esse licitum: nisi consuetudo sit in contrarium: *prout ex Caiet. & Cordub. notat ibidem Azor* Cuius rei ratio esse potest quam *in cit. ā quæst.* 139. tangit Abulensis: quia ad infantes non extenditur obligatio, cùm per se nihil agant, sed ipsi agantur, id est, moueantur ad alterius imperium. Consuetudine autem in contrarium existente id scandalosum esset, maxime hoc tempore in quo tale quid posset porrigentes de hæresi suspectos reddere.

Excusatio senum.

SEcundo loco ex impotentia Caiet. ait *in cit. cap.* 3. *Nu.209.* senes à ieiunio excusari: de quo nihil esse iure cōstitutum communis omnium sententia est: *vt à multis notatum Azor habet in memorato cap.* 17. *quæst.* 4. ideoque dum senes firmo & valido sunt corpore, ieiunium seruare debere: itaut ætas senilis nō præbeat iustam excusationis occasionem, nisi simul adsit aliqua senilis ætatis infirmitas: quæ cùm non contingat similiter in omnibus (quādoquidem natura non determinauit in senibus tempus defectus, sicut in pueris determinauit tempus profectus seu augmenti) atque alij aliis tardiùs senescant, fit vt definitum non sit tempus certum, in quo debeat quis ex senili ætate à ieiunio excusari, *prout bene notat Abulens. in seq. quæst.* 147. sed relinquatur prudentis arbitrio definiendum, quis ex hoc capite legitimam causam habeat, prout Nauarr. *in Enchir. cap.* 21. *num.* 16. annotat. Ait tamen Sylu. *in verbo Ieiunium, quæst.* 6. *vers.* 2. quod regulariter ratione senilis ætatis, meritò excusentur à ieiunio qui septuagesimū annum expleuerunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In quam sententiam Azor, *in eadem quæst.* 4. alios citat: & Gabr. *in 4. distinct.* 16. *quæst.* 3. *art.* 1. *notab.* 4. communiter eâ à doctoribus teneri aiunt. Cæterùm possumus in fauorem senum cum Caiet. in citato cap. tertio tenere, sicut tenet Azor; quòd excusetur à ieiunio Ecclesiastico sexagenarius, nisi ex robustiore complexione constet ipsum posse absque notabili læsione sui, illud seruare. Rationem reddit Caietan. *tum ibidem tum* 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. quia communiter vitæ humanę terminus est annus septuagesimus iuxta illud Psalmi 89. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.] Vnde ætas senilis qua homo ad interitum vergit, potest communiter in anno 60. constitui: iuxta illud *ad Hebr.* 8. Quod antiquatur & senescit, prope interitum est.] Quare sexagenarij, *nisi euidenter constet quòd possint seruato ieiunio, cibum ipsis opportunum digerere, ac vitam tolerare*: possunt debilitati quam sentiunt subuenire, frequenti & modico alimento: quoniam senectus est morbus incurabilis, cum quo non est expectandus casus maioris roboris habendi.

De excusatione infirmorum.

TErtio loco ex impotentia, Caiet. à ieiunio Ecclesiastico excusat infirmos, quando ieiunium manifestè eis nocere potest, aut ex Medicorum timorem Dei habentium sententiâ, tale quid meritò cauendum est. Idem sentiunt tum Gabr. & Sylu. *ille loco cit. & hic in sequenti quæst.* 9. tum etiam Abulensis *in seq. quæst.* 148. distinguens infirmos in ægros, qui patiuntur morbum aliquem ex alteratione vel corruptione humorum: & in debiles, qui siue ex præcedenti ægritudine, siue ex naturali quadam impotentia non possunt totum cibum eis ad sustentationem necessarium simul & semel sumptum digerere: sed grauantur & relinquuntur in eis humiditates quædam indigestæ morbum generantes: quorum priores in edendo vel abstinendo à cibis, sequi debent non ieiuniorum, sed medicorum regulam, inquit Abulensis: posteriorum verò eadem est ratio, quę senum. Eamdem doctrinam ex Palud. habet Nauar. *in cit. nu.* 16. Additque ex ipso Caiet. *ad antea memorat. art.* 4. excusari etiam ratione infirmitatis, illos qui tam debilis complexionis sunt, vt vacuo stomacho dolorem capitis, aut vertiginem patiantur, aut tota nocte calere & dormire nequeāt. Si quæras an hoc procedat quantumcumque infirmitas contracta sit propriâ culpâ. Respondetur affirmatiuè ex Paludano *in 4. distinct. 15. quæst. 4. art. 2. conclus.* 5. & Rosella *in verbo Ieiunium num.* 21. quia non obstante propria culpa, talis infirmitas (vt supponimus) verè secum vehit impotentiam ad ieiunandum sine læsione notabili.

Excusatio mulierum quæ sunt prægnantes aut quæ lactant.

Nu 210. QVarto loco ex impotentia Caiet. à ieiunio excusat mulieres prægnantes & lactētes: cui consentiunt tum Palud. Gabr. & Nauar. locis cit. tum etiam Abulensis & Syluester: *ille ad cap. 6. D. Matth. quæst.* 146. *& hic in cit. quæst.* 9. *versu.* 5. qui indicat ad talem excusationem requiri, vel debilitatem de qua antè dictum est: vel quòd timendum sit de earum periculo si ieiunent, vel de aborsu aut defectu alimenti pueri: cuius nocumenti vitandi causâ non tantùm possunt, sed etiam debent ieiunium dimittere, vt docent etiam tum Caiet. ipse *ad eundem art.* 4. *versu ad* 2. & cum eo Nauar. *in eodem num.* 16. tum etiam Abulen. *in citata quæst.* 146. Addens id procedere siue mulieres suos, siue alienos infantes nutriant. Aduerte autem ex eod. Caiet. quia mulieres communiter non sunt tam robustę naturæ vt vnica refectione possint tantum alimenti sumere, & digerere quod pro se & prole sufficiat, prægnantes & lactentes vt tales, à ieiunio excusari: cùm lex sit de iis quæ vt plurimum contingunt.

Excusatio pauperum.

POstremo tandem loco ex eadem impotentia excusat Caiet. pauperes qui hora prandij non possunt habere sufficientem refectionem: vt solet contingere iis qui ostiatim mendicantes non inueniunt quod eis sufficiat ad famē suam explendā, *prout habet Abulen. in præced. quæst.* 142. *eademque est sententia D. Thomæ in cit. art.* 4. *ad* 4. *& Palud. in præced. concl.* 3. Secus verò esse de iis pauperibus qui habere possunt sufficienter ad vnam plenam refectionem, vt iidem authores addunt; quod ex se manifestum est: quia in illis ratio impotentiæ cessat. Excipiendus est tamen, *prout aliis citatis Azor habet in sæpe memorato lib.* 7. *cap.* 17. *quæst.* 7. ille qui cibos ad refectionem sufficientes habere potest quidem, sed quibus non licet in die ieiunij vesci: vt si mendico hæreticus præbeat refectionem, in qua apponat carnes sine aliis cibis, qui ad illam sufficere valeant.

De causa necessitatis.

SECTIO II.

NEcessitas aliquem à ieiunio excusat, *prout Caietanus tradit in verbo Ieiunium, cap. tertio*, quandocumque ei faciendum est aliquid, quod non patitur ieiunij obseruationem: ipsumque est necessarium ad salutem animæ vel corporis: vt si ad saluandam vitam ei longè, & citò fugiendum sit, nec commodè id facere possit ieiunans: vel necessarium est ad conditionem status sui temporalis: vt si bellum gerens, ita ieiunio debilitetur vt arma gestare, & cæteros belli labores ferre non possit: vel ad vitandum damnum temporale; vt si ex agro colligendum sit ei frumentum, aut ex prato fœnum: vel ad aliquid acquirendum de rarò contingentibus: vel ad aliud quod etsi requirat laborem impossibilem cum ieiunio, eum tamen ideo suscipere debeat, quòd aliter nequeat se, suámque familiam alere, vestire, dotare filias, sustentare filium in studiis, &c. *Nu.* 212

Excusatio agricolarum & artes laboriosas exercentium.

EX prædictis Caietanus infert non modò in agricultura, sed etiam in quacumque alia arte laborantes, si non possint ieiunare cum tali labore: sine quo vix, aut ne vix quidem possunt acquirere omnia sibi, fuæque familiæ necessaria, non teneri de eodem labore minuere, vt possint ieiunare. Quod idem sentiētes Azor *in seq. qu.* 8. plures refert. Iā si laborantes, sint aliàs diuites: non possunt quidem ex hac præcisè necessitatis causa excusari ne laborem suum minuere debeant, vt præcepto de ieiunio satisfacere valeant: ex priuilegio tamen censeri possunt excusari *Nu.* 213.

posito eo quod referunt, tum alij quorum idē Azor *ibidem* meminit: tum etiam Medina *in Cod. de ieiunio quæst. nona*: Eugenium quartum concessisse, aut potius declarasse: opifices qui laboriosas artes exercent vt fabros ferrarios, latomos & similes: atque agrorum cultores siue diuites sint, siue pauperes non teneri ad ieiunia sub peccato mortali: & à Confessariis absolui posse consulendo illis; vt eleemosynis aliisque piis operibus vacent.

Dixi autem (aut potius declarasse) quia ex Nauar. *in eod. num.* 16. illud non tam fuit priuilegium, quàm declaratio iuris communis: in hoc fundati, quòd artifices qui volunt in talibus laboribus vitam agere, vix carere soleant aliqua necessitate per quam excusari possint. Siquidem ea non debet extrema esse, & quæ hominem nisi is prouideat, sit extinctura: sed sufficiat talem esse per quam homo reddatur indigens eorum quæ ad vitæ sustentationem requiruntur; qualia sunt non tantùm cibus & potus quotidiani, sed etiam domus & vestes, aliáque adminicula ad vitam, quæ languoribus est cōmuniter obnoxia; itaut bene valentes sibi quoque debeant de iis prouidere, quibus languentes effecti, sustentare se possint: prout bene notat Abulen. *ad cap. 6. D. Matthæi, quæst.* 143. Addendo, quòd si quis lucrum ad quotidianum cibum sufficiens faciat ex suo labore, non dicatur habere sustentationem, nisi adhuc aliquid ei superabundet, vnde vestes & alia sibi ac suis necessaria habere possit. Ideoque ex necessitate habendi talia, assumens laborem cum quo ieiunare nequit, excusatur à peccato violationis ieiunij. Qua tamen in re vt idem rectè monet cauenda est superabundans prouidentia: qua scilicet quis plura, quàm sint sibi necessaria esse iudicet, ob inexplebilem habendi cupiditatem, quę refrænanda est Dei timore, & amore cœlestium rerum. Quia nihil prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur] *Matth.* 16.

Nu. 214. Sed quæret aliquis. An prædicta excusatio ex necessitate laborandi, habeat locum pro eo etiam die ieiunij in quo operarij laborem intermittunt; siue quod sit dies festus, siue quòd occurrat occupatio, quæ ieiunio non adfert impedimentum. Respondendum est cum Azor. *in cit. quæst.* 8. eam locum habere posse in duobus casibus. Alter est, cùm nisi ieiunium soluant reddentur ad labores & operas inepti in posterum. Alter verò, cùm ex labore prætērito sunt nimium defatigati. Cui responsioni fauet quod Abulen. habet *in præced. quæst.* 141. *in fine*, viatores qui subsistentes alicubi in die ieiunij ita debilitarentur ieiunando, vt non possent conuenienter persequi suam peregrinationem, excusari à ieiunio. Porro in dubio; num aliquis talis casus occurrat necne, determinandum relinquitur arbitrio viri boni: sicut & cùm de aliquibus artificibus dubitatur, an talem laborem coniunctum habeant cum exercitatione suæ artis, vt meritò excusentur à ieiunio. *Quod etiam ibidem Azor notat.*

Ratio iudicandi. De labore sufficienti ad excusandum à ieiunio.

Nu. 215. AD quod arbitrium rectè formandum iuuabit aduertere illud, quod Abulensis *in seq. quæst.* 143. habet; quòd non debeat quis putare se excusatum à ieiunio propter quamcumque afflictionem quam sentiat ieiunando simul, & laborando: quia illi etiam qui non laborant, aliqualiter affliguntur si ieiunent, nec tamen ideo excusantur à ieiunio. Neque etiam contra putare debeat se tam strictè obligatum ad ieiunium, vt oporteat ipsum sustinere omnem afflictionem quam potest; atque adeo non obstante labore ieiunare. Etenim inde ægritudo & debilitas nata est sequi: facta scilicet corporis resolutione nimia per nimium illius motum: Id verò est contra intentionem Ecclesiæ præcipientis ieiunium. Nam ea est inducendi homines ad virtutis statum: non quidem pro vno, vel paucis diebus, sed pro toto vitæ tempore. Cui fini repugnat, Ecclesiam per suum præceptū exigere ab illis vt totum omnino quod possunt, faciant: quia inde primis diebus sic debilitarentur, vt postea exequi quæ præstare deberent, nequirent. Quæ eadem ratio est, cur etsi operarij mercede conducti teneantur laborare fideliter, nisique faciant, debeant tanquam rei furti, mercedem acceptam restituere: peccatum tamen sit mortale pro ordinaria mercede, illos ad laborem sic supra modum vrgere: quòd pro sequentibus diebus debilitentur, ideoque lucrum eis cesset: quod iidem vrgentes refundere tenentur vt Abulensis addit.

Itaque in iudicio ferendo de artifice aliquo, an ratione laboris quē subit in exercitio sui operis, excusetur à ieiunio, habenda est ratio mediocritatis vt nec nimius, *qui scilicet corpus atterat*, requiratur ad eam excusationem: nec ita leuis, vt parumper vexans corpus sufficere putetur. Iuxta quod libenter assentior Azorio loco citato, arbitranti excusari à ieiunio sutores, figulos, Argentarios in pecuniis cudendis, vel vasis fabricandis laborantes, item textores, fullones, sementarios, pistores, coriarios, & alios in labore similes: non autem sartores, pictores, tonsores, aduocatos, scholasticos, notarios, & alios qui minus quàm supra dicti laborant dum suas artes exercent. Quæ sententia est Abulensis *in eadem qu.* 143. Quam probat, quia in talibus exercitationibus est paruus corporum motus, & per consequens parua eorum resolutio, quæ ad restaurationem substantiæ exhaustæ non requirat frequentem cibi sumptionem. Neque in contrarium vrgeri potest ante memoratum priuilegium Eugenij 4. quia ipsum nihil habet per quod tales eo comprehendi censeri possint: vt patet considerāti illius tenorem cuius suprà num. 213. meminimus. *Nu.* 216.

Cæterùm operarij qui ita robusti sunt, vt labor eos nihil impediat à ieiunio, ab hoc non excusari existimat ibidem Abulensis, inquiens eos, qui fortes labores habent, si possint laborando ieiunare; ad id teneri. Ad quod facit traditum à Medina *in Cod. de ieiunio quæst.* 9. *versu De infirmis*, pro generali regula. Vt causam habentes ad non ieiunandum, non recedant à præcepto de abstinentia in die ieiunij, vltra quam recedere eis permittitur, quia in illo excessu, quo vltra exigentiam causæ recedunt, perinde est ac si recedendi causam non habeant. Hincque est, quòd persona in qua apparet causa aliqua excusationis, non sit statim à ieiunio excusanda omnino, sed causę exigentia sit attendenda. Vnde frequenter, *vt addit Medina*, peccant Medici, qui cùm id solùm concedere debeant infirmis in die ieiunij quod infirmitas postulauerit, indistinctè eis indúlgent non ieiunare.

Excusatio non valentium cum ieiunio exequi opera ad quæ tenentur.

SEcundo loco ait Caiet. in eodem cap. 3. à ieiunio excusari ex necessitate eum, cui debitum aliquod opus incumbit, quod exequi non potest seruans ieiunium. Sicut enim lex ieiunij non impedit opera *Nu.* 217.

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessaria, iuxta antedicta; ita nec opera debita: sicque, *vt ille ait*, excusatur is qui tenetur ad iter, quod non potest facere cum obseruatione ieiunij. Item vir qui si ieiunet non potest vxori debitum suo tempore reddere: similiter vxor quæ ob ieiunium non potest se viro gratam seruare, eoquod macilenta & pallida per illud effecta, ab eodem viro despiciatur. In quibus Caietano consentiunt Nauarrus & Medina, *ille in fine antea citati num.* 16. *& hic quæst.* 49. *item citat. versu. Ad hanc*, qui rationem adfert, quòd Ecclesia instituens ieiunium, non intendat obligare cum tali notabili damno, quale creditori inferretur, si ei notabilis momenti debitum non redderetur.

Nu. 218. Tertio loco dici potest eos qui in repub. officio cursorum funguntur, similiter excusari: quando executio officij ipsorum necessaria est, nec cum ieiunio est ipsis possibilis. De qua re Abulens. ad cap. 6. D. Matth. & Palud. in 4. distin. 15. *ille quæst.* 141. *& hic quæst.* 4. *art.* 2. *concl.* 6. volens excusari tales non solùm cùm non possunt, sedetiam cùm non æquè bene possunt, sine tali officio viuere. Volens similiter excusari eos qui se locarunt ad annum integrum: non item eos qui ad certum diem, nulla necessitate cogente; quia tunc cessat ratio debiti in qua istiusmodi excusatio fundetur. Idem ex Medina *in cit. quæst.* 9. dicendum est de mercatoribus sæpe iter agentibus ad nundinas & locaʒ varia, si laborem cum ieiunio impossibilem suscipiant ex necessitate: siue eoquod nó possint aliter se & familiam suam sustentare. Idem etiam ex Nauar. *in eodem num.* 16. de iis qui ex officio vel ex obedientia obligantur docere verbo aut scripto, vel audire confessiones: nec possunt ieiunando tali obligationi satisfacere. Idem etiam in vniuersum de iis quibus laborem, quem cum ieiunio sustinere nequeunt, necessarium est suscipere ad sui vel suorum sustentationem: aut ad famæ, honoris, status, rerúmque habitarum cõseruationem: aut ad bonum aliquod notabile acquirendum iustum, & honestum; ad quod aliàs non speratur opportunitas. Hoc à Medina notatum *ibidem versu Hoc tamen*, probatur: quia Ecclesia instituens ieiunia, non intendit homines ad ea obligare tanto rigore, vt illorum causa debeant vel damna notabilia sentire: vel lucra alioqui iusta & licita amittere: prout patet à simili, quia piscatio halecum, opus alioqui seruile, in diebus festis, etiam Dominicis, permittitur per cap. Licet, de feriis: quoniam ea non est semper opportuna. Item non obstante prohibitione facta Iudicibus tunc iudicandi, conceditur diebus festis iudicialis strepitus si necessitas vrgeat, aut pietas; ex cap. finali eod. tit. Solet etiam ex hoc eod. cap. indulgeri messis & vindemia in iisdem diebus quando timetur ne fructus pereãt.

Porro cùm necessitas nõ vrget, vt quis suscipiat laborem non patientem secum ieiunium, quia nihil indiget eo ad aliquid comparandum quod sibi aut suis necessarium sit; aut licet egeat, potest tamẽ eum differre donec ieiunij dies transierit. Cùm inquam, tale quid contigerit, ieiunium soluens non excusatur à peccato ob susceptum laborem, quia non soluit vrgente necessitate; sed pro voluntatis libito. Præcepta autem præferenda sint iis quæ sunt voluntatis. Ideo enim consilia intelliguntur sequenda saluis præceptis: nec temporalia lucra præferenda sint spiritalibus. Hæcque est omnium communis sententia vt aliquot in eam citatis notat Azor *in memorato libr. septimo cap.* 17. *quæst.* 9. Vbi etiam mouet quæstionem de eo quem contingit suâ culpâ ita labore fatigatum esse, vt ieiunium seruare non possit, An peccet illud soluendo. Ad quam eodem modo quo ad propositam de eo qui indiscretè peregrinationem suscepit. Palud *in cit. articulo* 2. *concl.* 5. respondet; nempe non peccare: quia necessitas illum excusat, licet in eam suâ culpâ deuenerit; sicut & illum qui suâ culpâ in grauem morbum incidit. Quod si, *addit Azor*, in fraudem legis se labore fatigauerit: peccatum quidem commisit, in eo quod lassitudine voluerit causam dare violationi ieiunij: eâ tamen datâ non peccauit soluendo postea ieiunium.

De causa pietatis.

Sectio III.

Nu. 219. EX pietate Caietanus *in eodem capite tertio*, à ieiunio excusari ait quoscumque, qui alicui maiori bono incumbunt, quod præstare nequeunt ieiunando. Idémque docens ad secundã secundæ D. Thomæ *quæst.* 147. *art.* 3. *sub finem*: rationem addit, quia si ieiunium obseruaretur, cùm est impedimentum maioris boni, ageretur contra intentionem Ecclesiæ: quæ quoniam præcipit ieiunium vt promotiuum ad bonum, nullo modo intendit obligare ad illud, prout impedimentum est maioris boni: quandoquidem intentioni promouendi ad bonum, repugnat vt maius bonum impediatur. Vnde ipse infert excusari à ieiunio eos qui pietatis seu misericordiæ operibus, siue spiritalibus siue corporalibus vacant, si cum ea vacatione ieiunare nequeunt: quia talia opera meliora sunt ieiunio; sicut & misericordia virtus est melior, quàm abstinentia ex D. Thom. *secunda secundæ quæst.* 30. *art.* 4. Quam doctrinam Nauar. approbans in Enchir. *cap.* 21. *num.* 17. monet ex eod. Caiet. & Syluestro, restringendam esse; vt non procedat in iis, qui aliquod talium operum principaliter faciunt ob mercedem, vt solent mercenarij. Sic enim *inquit Caiet. loco posterius citato*, non excusantur à ieiunio qui concionantur aut confessiones propria sponte audiũt, vt pecunias lucrentur. Dictum est, *principaliter*: quia vt addit Nauar, si facerent principaliter ob necessitatem sustentandi se *de qua ante dictum est nu.* 218. vel ob pietatem seu causã misericordiæ, aut diuini cultus; ob mercedem autem minùs principaliter tantùm, locus esset excusationi.

Nu. 220. Addit Caiet. *in cit. cap. tertio*, quod etiam Nauar. approbat & consentaneum est iis quæ docet Abulensis *in præced. quæst.* 140. peregrinationem ad loca sancta non necessariam, sed tantùm voluntariam, non excusare à ieiunio, exceptis duobus casibus. Alter est cùm persona quæ peregrinatur talis authoritatis est, vt ex illius peregrinatione multum augeatur communis deuotio. Alter verò cùm feruor deuotionis sic accendit ad peregrinandum, vt animæ peregrinantis vtilius sit peregrinari, sine ieiunio, quam ieiunare sine tali peregrinatione. Ratio vtriusque est: quòd ieiunium non debeat esse impedimentũ maioris boni, sicut esset in posteriore casu, vt de se manifestum est: & in priore ex eo probatur, quòd bonum commune melius sit bono priuato. Dixit autem, *non necessariam*, quia secus esset, quando ex voto aut Superioris iussu, vel à Confessario imposita, deberet peregrinatio susceipi, nec posset commodè differri: *vt ex Gabriele habet etiam Nauar. in sequenti num.* 18. Huc referri possunt duo dubia quæ tractat Azor in 1. parte Moral. instit. *lib.* 7. *cap.* 18. *quæst.* 1. & 7.

Nu. 221. Vnum est an amici, vel socij gratiâ liceat frangere ieiunium. Alterum, an idem liceat ob metum grauem, qualis est imminentis mortis, captiuitatis, carceris, tormentorum, iacturæ bonorum ex toto vel ex magna parte. Ad quorum prius respondendũ est licere, cùm proximi necessitas id exegerit, vt in casu

casu quo Spiridion Episcopus carnem in Quadragesima comedit, *de quo idem Azor.* Ratio est, quia id censetur esse misericordiæ opus. Non licere autem cùm necessitas proximi nihil tale exegerit: quia in eo nec infirmitatis nec pietatis aut necessitatis causa excusans aderit.

Posterius autem distinctione explicatur. Nam solui non potest ieiunium, si talis metus incutiatur in odium Catholicæ Religionis: sicut fieri potest ab hæreticis nostri temporis & ab aliis infidelibus. Tũc enim malum quoduis potius ferendum esse, quàm frangendum ieiunium: patet ex Martyrum exemplo, qui durissima pati maluerunt, quàm acquiescere compellentibus in odium Christianæ Religionis, comedere idolothyta.

Sin autem incutiatur alia de causa, solui potest ieiunium. Sic vxor cuius ieiunium viro Catholico ingratum est, ideoque illam vexat clamoribus, iurgiis, dissidiis, ac etiam verberibus: ad vitandam taliũ malorum grauem molestiam, potest soluere ieiuniũ: *vt præter eos quorum Azor meminit, sentiunt Abulensis & Caiet. ille in seq. quæst.* 149. *& hic loco citato ex secunda secundæ.* Ratio verò hæc reddi potest: quòd pax summopere grata sit Deo, iuxta illud *Psal.* 75. Et factus est in pace locus eius: contrariáque discordia inter coniuges, adeo ingens malum sit, vt negari non debeat ipsum de iis esse, ob quæ ieiunij omissio permissa censeri potest ex intentione Ecclesiæ, volentis iugum imponere tãtùm leue, ad Christi imitationẽ.

Quod autem ille putat in eo casu opus esse dispensatione: hic verò opus esse commutatione in aliud opus, authoritate Episcopi, Nauar. ait *in cit. cap.* 21. *num.* 19. id magis esse consilij, quàm præcepti. Et ratio est, quod ab omnibus receptum sit *teste Syluestro in verbo Ieiunium num.* 20. quando ex causæ soluendi ieiunium euidentia, quam vel ipsi habemus, vel vir bonus ac eruditus, *siue medicus sit, siue Confessarius siue alius*, se dicit habere; certum est nobis, quòd ieiunare nequeamus: tunc nos posse propria authoritate ieiunium dimittere: vitato tamen scandalo.

De causa existimata.

Sectio IV.

Nu. 222. HActenus de triplici causa vera excusante à ieiunio: restat vt dicamus de causa existimata & de authorizata. Illa igitur ex Caiet. *in memorato cap.* 3. est rationabilis causa quæ ad soluendum ieiunium sufficiens existimatur ab eo qui ieiunare debet, vel à suadentibus, *eruditis scilicet & bonis viris, quales debet in dubio consulere*, vt non ieiunet: etiamsi in rei veritate, ea non sit causa sufficiens. De illa documentum hoc, idem Caiet. tradit. Quod si absque fraude aliqua credat quis, se à ieiunio excusari ob laborem vel aliud occurrens: ideoque frangat illud, non censeatur peccare violatione præcepti de ieiunio; sicut censeretur fraudulenter agens. Huius ratio est, quòd talis, nec per se agat contra præceptum de ieiunio: vtpote qui nullam illius violandi habet voluntatem: itaut ipsum nequaquam frangeret, nisi crederet se in occurrente casu excusari à peccato violationis eiusdem. Nec item contra agat per accidens; quia supponimus interuenisse diligentiam, tum in examinãda causa, an ea esset rationabilis; tum in cuentibus considerandis ac præuidendis, ad scandalum aut proximi damnum vitandum. Quæ doctrina accommodata est tranquillandis conscientiis personarum timoratarum, quæ alioqui vexarentur scrupulis, sub-

inde verentes ne se contaminarint peccato transgressionis ieiunij; vel collationem largiorem faciendo, vel aliter ieiunium soluendo: siquidem tutam conscientiam formare non possunt ex eo, quòd causam habuerint, quam illi iustum ac rationabilem esse putarunt; vt corporis debilitatem, vel nocturnũ somni defectum vel aliud huiusmodi. Quod cùm ita sit, monẽdi quidem sunt vt solicitè causam eiusmodi expendant: nec patiantur sibi à carne & dæmone imponi: sed non sunt facilè de peccato violationis ieiunij damnandi: ne seruantes ieiuniũ prout possunt, atqueadeo sufficienter ad vitandum peccatum saltem mortale: contingat eis illud omnino omittere tam in damnãtis quàm ipsorum perditionem animæ iuxta illud. Si cæcus cæco ducatum præstet ambo in foueam cadent.] Prout scilicet contingeret si ter ieiunanti in hebdomada tempore Quadragesimæ, eoquod puret se pluries ieiunare non posse; aliquo dicente ei, quòd non excusetur à peccato, nisi ieiunet quotidie, ipséque ieiunium omittat omnino. Cauendum est tamen incurrere in aliud extremum, vt sine rationabili causa excusetur aliquis: quia in eo peccaretur, prout peccatur à Medico declaranti sine rationabile causa, quòd possit quis ieiunium frangere siue cœnãdo, siue veritos cibos edendo; *quod Syluester notat in verbo Ieiunium quæstione* 7. *in fine.*

De causa authorizata.

Sectio V.

Nu. 223. QVod attinet ad causam authorizatam, ea est, quæ quamuis rationabilis videatur, dubitatur tamen an sit sufficiens ad excusandum à ieiunio: ideoque ad Superiorem recurritur, vt ipsius authoritate suppleatur quod deest. De ea documentum hoc Caiet. tradit *in eod. cap.* 3. vt qui aliquam à ieiunio excusantem causam habet rationabilẽ quidem, sed suo iudicio, aut alterius cuius consilio regitur, non sufficientem, sed dubiam; exponat negotium suum fideliter Superiori, sequatúrque arbitrium ipsius, authoritate sua id quod deest supplentis: siue dispensando, cùm ei videtur sufficiens adesse causa: siue commutando ieiunium in eleemosynam, vel orationem, aliúdve opus pium, cùm de causæ sufficientia dubitat, vt sic suppleat quod iudicat deesse ad eamdem sufficientiam. In talibus autem casibus nomine Superioris *vt Caiet. addit* intelligitur Episcopus: aut si is adiri commodè non potest proprius Curatus: & apud Religiosos, ipsorum Prælatus siue mediatus vt Generalis aut Prouincialis; siue immediatus vt Prior, Guardianus, Rector, & eiusmodi alij: quandoquidem nulla ratio persuadet oportere passim pro eiusmodi minimis, Papam adire, vel etiam Episcopum, quando difficile quoque fuerit ipsum adire.

Nu. 224. Addit idem Caietanus *sub finem eiusdem cap.* posse authoritate Episcopi ieiunium transferri ex vno die in alium: vt ieiunium vigiliæ Sancti Ioannis occurrens in festo corporis Christi, transferri in diem præcedentem: sicut occurrens in die Dominico extra Quadragesimam ordinariè transfertur in præcedentem diem Sabbathi ex cap. 1. De obseruatione ieiuniorum. Eadem docet Syluester *in verbo Ieiunium. qu.* 7. Vbi & bene addit, *quod etiam Abulensis quæst.* 147. *habet* quando nulla subest causa, nullius quàm Romani Pontificis authoritate, ieiunium in vniuersa Ecclesia indictũ, relaxari posse. Ratio est, quia ad le-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gis relaxationem requiritur potestas supra eam : & fideles omnes excepto Papâ subiiciuntur legi ieiunij tanquam inferiores : qui legem Superioris relaxare nó possunt, vt habetur in Clement. Ne Romani, de electione; secus autem esset de ieiunio quod in diœcesi iniungeretur Episcopali authoritate, quia ad illud relaxandum Episcopus sufficientem habet authoritatem,

Nu.225. Cùm autem subest causa, generale etiam ieiunium vt iam diximus, potest ab eo in sua diœcesi relaxari: & eo absente à Parocho in sua parochia, tanquam à Iudice ordinario pro pœnitentiali foro: itémque à Prælato in Religiosa familia cui præst. Ac potest non quidem dispensando absolutè, liberandóve simpliciter à ieiunij lege; siue ex toto, siue in his vel illis diebus *(quod refutatur per ante propositam rationem:)* sed ex Nauar. *in Enchir. cap. 21. num. 21.* singulariter alicui iusta de causa indulgendo, ne hoc vel illo die ieiunet aut etiam, *quando necessitas occurrens exegerit*, hac aut illa hebdomada Quadragesimæ Immo pro magnitudine necessitatis, totâ vna Quadragesima non ieiunet. Nam non esset alioqui satis prospectum fidelibus, si ad Romanum Pontificem oporteret omnino recurrere in necessitatibus quotidie occurrentibus, cùm ob loci distantiam, aut alia impedimenta, frequenter contingat vt ille consuli non possit.

Si opponas Episcopum nullâ potestatem habere in ieiunij lege, & multominus cæteros. Respondetur ex eodem Nauarr. quòd consuetudo recepta, sufficientem illis ad id potestatem dederit, vt dare potuisse deducitur ex cap. Cùm contingat. de foro compet, & ex cap. Duo simul. De officio ordin. Vt autem in tali dispensatione error vitetur, consentaneum est causæ defectum suppleri commutatione ieiunij in eleemosynam vel orationes vel aliud pium opus, prout dispensans iudicauerit magis in Domino expedire.

Documenta de re proposita.

Nu.226. SVpersunt de hac re notanda aliquot documenta pro communi praxi. Primum est, quando Papa sine iusta causa in ieiunio dispensat, validam esse dispensationem: ipsum tamen in eo peccare. Cùm verò cæteri dispensant sine causa, non tàtùm ipsos peccare, sed etiam dispensationem nihil valere, *prout communem Canonistarum sententiam esse notat Azor in prima part. Moral. instit. lib. 7. cap. 18. quæst. 6.* Quoad peccatum autem probatur: quia contra rationem est, ac etiam scandalosum, & per consequens peccatum, præcepto tã sancto velle vulnus infligere sine causa. Quoad inualiditatem verò, quia gesta quidem ab habente sufficientem potestatem valida esse possunt, non tamen gesta à non habente potestatem, vt de se patet. Sed aduerte *(quod etiam notat Azor)* excusationem dari à peccato & validam esse dispensationem, si Prælatus bona fide putet iustam adesse causam relaxandi ieiunium in casu ei proposito; illud alioqui nullo modo relaxaturus.

Secundum est, in ieiunio quod susceptum est voto, eum posse dispensare qui in cæteris votis idem potest: eum item posse, tum illud ipsum, tum etiam in pœnitentiam à Confessario impositum, commutare; qui potest cætera opera pia siue suscepta voto, siue in pœnitentiam imposita commutare; nam ipsum eiusdem est cum illis ordinis.

Tertium est, ex eadem causa iusta, qua prædicti possunt subditis suis relaxare ieiunium posse & sibiipsis. Istud ex Syluestro Soto & Caiet. Azor habet *loc. cit.* & probat quia licet nemo propriè iurisdictione vtatur in seipsum, permittitur tamen eodem iure vti, quo cæteri: cùm non debeat deterioris conditionis esse, quàm illi.

Quartum est, *quod consequenter Azor ex Nauarr. & Caiet. habet* : Prælatum non debere in hac parte scrupulosum esse, nec rem in subditi conscientiam reiicere: sed ieiunium relaxare petenti, quantumuis causa cur relaxari possit, dubia sit. Ratio est, quia nulli periculo peccati, vel erroris, aut fraudis se exponit: quia in dubio melior est conditio ipsius, quoad rem arbitrio suo commissam: sicque in dubio censendus est liberum suæ potestatis vsum potius habere, quam cogi ab ea abstinere. Subditi verò alia est conditio: cùm in dubio, res non sit arbitrio suo relicta, sed ipse ad Superiorem recurrere compellatur, tanquã is qui in propria causa nequit iudex esse; sibique relictus exponatur periculo peccati & erroris: quo periculo liberatur, conformando se iudicio sui Superioris, in re de cuius malitia non habet euidentiam: immo & medici aut Confessarij, alteriúsve boni & periti viri iudicio, asserentis quòd legitimam à ieiunio habeat excusationem: quia quantumuis res fortè aliter haberet, excusaretur ramen à peccato per ignorantiam probabilem, cùm ad illud vitandum, in tali casu id fecerit, quod faciendum esse habet communis Doctorum sententia. *Nu.227.*

Quintum est: dubium esse, An quando causa fuerit incerta & dubia, Parochi authoritas sufficiat ad relaxandum ieiunium. Pro cuius vtraque parte authores idem Azor *in cod. cap. 18. quæst. 3.* proponens: sententias ipsorum putat conciliari posse distinctione: dicendo nimirum quòd ea quæ negat sufficere, locum habeat, cùm est facilis: quę verò affirmat, cùm est difficilis ad Episcopum aditus. Itaut absente Episcopo cùm vrget necessitas, Parochus tanquam supplens illius vicem, possit quando causa fuerit dubia, ieiunium relaxare, eo modo quo ante dictum est, non item præsente Episcopo, qui facilè adiri potest. Neque consuetudinem plus authoritatis in hac re tribuisse Parocho, *etiamsi aliud Azorio videatur*, argumento esse potest, quòd sit vsu receptum vt viri bonæ conscientiæ, nisi necessitas vrgens impediat, recurrant ad Episcopum pro habenda facultate soluendi ieiunium, siue in comedendo pluries, siue in vtendo cibis vetitis. Nec certè apparet qua ratione consuetudo, quæ plus illi tribueret, possit rationabilis censeri. Vnde retinenda videtur sententia, Caietani *in cit. cap. 3.* facultatem relaxandi ieiunium Parocho de consuetudine concessam, restringentis ad casum in quo Episcopus nequit cõmodè adiri. *Quæ etiam restrictione Nauarr. vtitur in Enchir. cap. 21. nu. 21.* Itaque si aliquis dubitans num sufficientem habeat causam recurrat pro relaxatione ieiunij ad Parochũ, hic talem causam examinare debet: quam si certò comperiat, nec dubitet sufficientem esse, declarabit illum posse tali de causa ieiunium soluere. Is enim, cui suo, vel alterius boni & periti viri iudicio euidens est, se iustam causam habere soluendi ieiunij, nulla opus habet relaxatione. Si verò examinatam inueniat incertam ac dubiam, vtetur medici Deum timentis, aut alterius boni peritíque viri consilio, qui certò iudicet causam sufficientem: contentus erit solâ, sicut prius, declaratione sufficientiæ. Sin autem neque hac ratione possit aliquid certi de causæ sufficientia cognoscere, pœnitentem pro relaxatione remittet ad Episcopum si commodè adiri possit; aut etiam ad Papam, si talis relaxatio peteretur quæ videretur absolutio à lege ieiunij Ecclesiastici; vel si non adesset commoditas Superioris facilè adeundi, relaxare eo modo quo ante dictum est, cum commutatione in eleemosynam, vel in orationes vel alia pia opera *Nu.228.*

Nu.229. opera, prout res postulare videbitur.

Postremum est, Confessarium vt spiritualem medicum posse quidem Pœnitenti ipsum interroganti fidem facere, quòd iustam causam habeat soluendi ieiunium, si rem ita habere certò agnoscat, non autem ieiunium in dubia causa relaxare: sicut nec potest Medicus, aut alius vir peritus & bonus ab aliquo consultus: *quod ex Angelo Rosel. & Sylu. notat Azorius lib. 7. cap. 18. quæst. 4.*

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

De iis quæ vrgent nos ad Ecclesiastici ieiunij obseruationem.

SVMMARIVM.

230 *Vrgent nos ad ieiunij obseruationem, tum illius præceptum, tum Christi & Sanctorum exemplum: de quo varij sacræ Scripturæ loci notantur.*
231 *Ieiunij honestas & iucunditas.*
232 *Eiusdem vtilitas triplex, quarum prima est, vitia comprimere.*
233 *Secunda, mentem eleuare.*
234 *Tertia, virtutem largiri & præmia.*
235 *Coniungenda cum ieiunio, vt ipsum sit meritorium.*
236 *Quæ debeat ieiunans seruare, tanquam sibi, aut tanquam proximo, aut tanquam Deo debita.*

Nu.230. NE in examinandis causis à ieiunio Ecclesiastico excusantibus caro abhorrens ab illo, perturbet iudicium rationis, habere oportet ob oculos ea, quæ ad eiusdem ieiunij Ecclesiastici obseruationem nos vrgent, qualia sunt. Primò, præceptum grauissimum, de quo dictum est hactenus. Secundò, exemplum in primis Christi Domini, qui ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, sæpéque esuriit. Deinde Sanctorum, quibus sine dubitatione idem quod Apostolo *ex priori ad Corinth. cap. 9.* curæ fuit, vt castigarent corpus suum & in seruitutem redigerent ne reprobi efficerentur: prout contigit ei, qui epulabatur quotidie splendidè *Luc. 16.*

In veteri Testamento Sanctorum ieiunantium exempla proponuntur. Cap. 24. Exod. vers. 18. & cap. 34. vers. 28. cap. 9. Deut. vers. 9. & 18. de Moyse: cap. 20. Iudicum, vers. 26. de filiis Israël pugnantibus contra filios Beniamin: cap. 7. lib. 1. Regum vers. 6. de iisdem congregatis in Masphat sub Samuele Propheta; & cap. 31. in fine de filiis Iabes Galaad, qui sepelierunt Saulem: cap. 3. lib. 2. Regum vers. 35. de Dauide ob occisum Abner iurante se nihil gustaturum ante Solis occasum: & cap. 12. vers. 16. de eod. qui monitus à Nathan, ieiunauit pro paruulo ex Bethsabee suscepto: cap. 20. lib. 2. Paralip. vers. 3. de Iosaphat prædicante ieiunium vniuerso Iuda: cap. 8. lib. 1. Esdræ vers. 21. de Esdra prædicãte quoque ieiuniũ & cap. 1. lib. 2. vers. 4. de Nehemia qui ieiunasse dicitur: cap. 3. Tobiæ vers. 10. De Sara quæ dicitur tribus diebus, & tribus noctibus non manducasse: cap. 4. libri Esther vers. 3. De Iudæis ieiunantibus: & cap. 4. Iudith. vers. 7. de iisdem qui dicuntur humiliasse in ieiunio animas suas: quod antè factum erat à Dauide dicente *in Psal. 34.* Humiliabam in ieiunio animam meam: & in sequen. cap. 8. vers. 6. De ipsa Iudith dicitur, quòd ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ præter sabbatha: & cap. 36. Ieremiæ vers. 9. prædicatur ieiunium in cõspectu Domini omni populo in Ierusalem: Danielis cap. 10. vers. 3. Daniel ipse commemorat suum ieiunium, & Ionæ 3. ad prædicationem Ionæ Niniuitæ ieiunant. In nouo Testamento autem ieiunantium exempla habẽtur Matth. 9. vers. 14. de discipulis Ioannis Baptistę: cap. 2. D. Lucæ vers. 37. de Anna prophetissa: cap. 13. Actorum vers. 2. & 3. de Prophetis & Doctoribus qui erant Antiochiæ: & cap. 14. vers. 22. de D. Paulo & Barnaba. Habentur & propè innumera ex historiis Ecclesiasticis & Patrum vitis. Nam exemplum Christi imitati ac Diui Ioannis & SS. Apostolorum qui exhibuerunt seipsos *(iuxta D. Paulum in posteriori ad Corinth. cap. 6.)* sicut Dei ministros in multa patientia, in ieiuniis, in vigiliis, &c.] plurimum in hac pietatis Christianæ palæstra se exercuerunt & excelluerunt.

De ieiunij honestate & iucunditate.

SECTIO I.

TErtiò ad ieiunandum nos vrgere possunt, illius tum honestas, tum iucunditas, tum maximè ingens illius vtilitas. Honestas illius tanta est, quanta gulæ ei oppositæ turpitudo, non modò in Christiana, sed etiam in prophana philosophia prudentum consensu damnata tanquam homine indigna. Illius verò iucunditatem Sapiens ostendit *Ecclesiastici 31.* cùm ait: Somnus sanitatis in homine parco, dormiet vsque mane, & anima ipsius cum ipso delectabitur.] Ostendit quoque experientia: quâ constat magnam ex sanitate aut sanitatis diuturnitate capi oblectationem, sicut ex ægritudine, & illius diuturnitate, magnam molestiam. At ex ieiunio sanitatem, & ex crapula ægritudinem prouenire dubium non est: quia ieiunium facit vt stomachus supra cibum prævalere possit: ad bonam illius digestionem, & proportionalem in singula membra distributionem; vnde sanitas causatur, & vita prolongatur: contrarium verò facit crapula. In quam sententiam Diuus Chrysost. *in homil. De Iona Propheta.* Si diligenter inquit scrutari volueris, inuenies ieiunio corpora roborari validiùs: & si meum respuis sermonem, medicorum te doceat disciplina, qui parcitatem, salutis nominant matrem. Nam pedum dolores, capitis vertiginem, subitaneas mortes, & cætera quibus febres, atque languores comparantur, ex luxuriis atque voluptatibus aiunt generari: & tanquam de fonte, noxios riuos ad corporum læsionem & ad animarum perturbationem commeare testantur. At verò diabolus, carnis nostræ causam, quasi iustum patrocinium arripiens, interna tẽtatione suggerere solet, *vt inquit D. August. in tractatu de vtilitate ieiunij.* Quid facis quia ieiunas: defraudas animam tuam, non ei das quod delectat, tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor & cruciator existis. Deo ergo placet quod te crucias; ergo crudelis est qui delectatur pœnis tuis. Respondeo, *inquit D. August.* huic tentationi. Excrucio me planè, vt ille parcat; do de me pœnas, vt ille subueniat, vt placeam oculis eius: Nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur: minus premet mẽtem meam caro mea. Et tali dissuasori, malo seruo ventris: respondeo per hanc similitudinem, & dico. Si iumento fortè insideres, si equo vteris, qui gestiẽdo posset te præcipitare, nonne vt securus iter ageres cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses. Caro mea iumentum meum est: iter ago in Ierusalem, plerumque me rapit, & de via conatur excludere. Vita mea Christus est; ità exultantem carnem non cohibebo! Si quis hoc sapit, etiã ipse experimẽto probat quàm vtiliter ieiunetur. *Nu.231.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

De ieiunij vtilitate.

Sectio II.

Nu.232. DEnique vtilitatem ieiunij maximam esse non modo respectu corporis iuxta antedicta; sed multo magis respectu animæ, patet ex fructibus, quos ipsum pro spiritali vita fouenda proferre tradunt ex doctrina antiquorum Abulens. ad cap. 6. D. Matthæi quæst. 174. Bellarm. tom.3.controuer. lib.2. de bonis operibus cap.11. Gregor.à Valen.2.2. disput.9.quæst.2.puncto 2. & Azor in 1. par.Moral. instit.lib.7.cap.22.quæst.3. Ne autem prolixiores simus tres tantùm attingemus indicatos per illud quod canit Ecclesia. Aeterne Deus,qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia.] quiquidem ad vitam spiritalem conducunt secundùm triplicem quæ in ea distingui solet viam: scilicet purgatiuam, illuminatiuam, & perfectiuam. Primus igitur *qui ad animæ expurgationem pertinet*, est vitia comprimere: quod fit tripliciter 1. per peccatorum expiationem; ieiunia enim suscepta ex charitate Christiana, promerentur peccatorum veniam; hoc est pœnas culpis ante dimissis debitas,remittunt ac delent. Deinde quantumuis fiant extra charitatem,disponunt ad obtinendam à Deo cordis contritionem, aut perfectam aut saltem sufficientem ad sacramenti susceptionem, per quam deleantur peccata. Ad cuius rei probationem facit, quod habetur de mitigatione iræ diuinæ per ieiunium Niniuitarum *Ionæ tertio* : & per ieiunium regis Achab *lib. 3. Regum cap. 21. sub finem.* Facit etiam, *& clarius*, exhortatio Ioëlis *in cap. 2. suæ Prophetiæ*: & D. Ioan. Bapt. apud D. Matth. cap. 3 Cùm enim dixisset Pharisæis & Saduceis ad se venientibus,Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? addidit, Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, significans tales fructus, *inter quos constat esse ieiunium*, valere ad iram Dei effugiendam:quod non contingit eis sine contritione, dicente Domino Luc. 13. Nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis.Quibus sacræ Scripturæ authoritatibus accedunt aliæ Patrum quas qui volet poterit videre apud Greg. à Valentia loco cit. in 4. controuersio inter nos & sectarios.

Secundò, vitia ieiunio comprimuntur per carnis macerationem:de qua D. Paulus *in priore ad Corinth. cap.9.* Castigo corpus meum & in seruitutem redigo Intelligit enim,*vt interpretantur D.Chrysost. & Theoph. in eouent.* castigationem per ieiunia:de qua etiam ex D. Ambrosio canit Ecclesia; Carnis terat superbiam potus cibique parcitas.] Authoritates Patrum de eadem refert Azor loco cit. inter quas præclara est illa D.Cypriani *in serm. De ieiunio.* In ieiuniis, inquit, vitiorum sentina siccatur,petulantia marcet, concupiscentiæ languent,fugitiuæ abeunt voluptates, extinguitur Aethnæ ardentis incendiũ,& flammiuomi fornax Vulcani extincta intus, montes conterminos non adurit. Est & alia D. Bas. *homil. 1. de laudibus ieiunij.* Sicut vermes qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus & amaris exeuiuntur: ita peccatum, in intimis recessibus habitans, extinguit enecátque,simul atque in animam superuenerit,ieiunium.

Tertiò,vitia comprimuntur ieiunio,per superationem tentationum diaboli:Hoc indicatur per illud 1. Petr. 5. Fratres sobrij estote & vigilate,quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiés circuit quærens quem deuoret.] Et certe si ieiunium valet ad liberandum energumenum à diaboli possessione, iuxta illud *Matth.* 17. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi per orationem & ieiunium : quidni valebit etiam ad repellendas eiusdem tentationes: impetrato diuino auxilio in spiritalis mortis periculo,sicut impetratur in periculo mortis corporalis,vt patet ex his quæ contigerunt Israëlitis tempore regis Iosaphat 2. *Paralip.cap.* 20. ac temporibus Iudith, & Esther, *ex vtriusque historia:illius quidem in cap. 4. & 6. huius vero in cap.4.*

Hinc vt ait Maximus Taurinensis homil.3. murus quidam est Christianis ieiunium, inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico:quis enim vnquam Christianorum ieiunauit,& captus est?

Secundus ieiunij fructus *spectans ad illuminationem animæ in vita spirituali*, est mentem eleuare:sicut crapulæ & ebrietatis (iuxta illud quod Christus Lucæ 21. admonet,ne corda nostra grauentur crapulæ & ebrietate) est;ita mentem nostram ventri obedientem reddere,vt ad terrena deprimatur nec ad cœlestium cogitationem,nisi ægre admodum, se efferre possit. Ad hanc eleuationem pertinet primò, quòd ieiunium valeat ad voluntatem, directione mentis inclinãdam ad interiorem pœnitentiam:vnde illud, huic in sacris literis coniungitur: vt cum Ioëlis secundo dicitur; Couuertimini ad me in toto corde vestro in Ieiunio.] Item cùm 1. Reg.cap. 7. De filiis Israël dicitur;Ieiunauerunt in illa die, & dixerunt, Peccauimus Domino.] Pertinet secundò, quòd valeat ad exacuendam, attentiorémque reddendam mentem ad orationem. Vnde in sacris quoque literis coniungi inueniuntur oratio & ieiunium,*vt Tob.* 12. cùm dicitur,Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.]&in priori ad Corinth.ca.7. Vt vacetis ieiunio & orationi]&in cap.13.Actorũ.Ieiunantes &orãtes] & in seq.cap. 14.Cùm orassent cum ieiunationibus.] Pertinet tertiò, quòd per ieiunium mens expeditior & paratior sit ad sapientiam réque diuinas percipiendas. Iciunium enim vt ait D. Chrysost. *homil. 1. in Genesim*, leues pennas animæ producit; vt in sublime feratur,& summa contemplari queat.Sic Moyses quadraginta dierum ieiunio animam præparauit, antequam ad Dei colloquiũ auderet accedere, *Exod.* 24.Sic Elias 40.dies ieiunat vt Deum in monte Oreb sub specie auræ tenuis videre posset. Sic Daniel ieiunio trium hebdomadarum præparatur ad reuelationes Domini recipiendas,*ex cap.* 10. *Prophetiæ ipsius.* Accedit illud *Ecclesiastis cap.*2.Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animam transferrem ad sapientiam. Adde ex D. Bernardo *serm. in vigilia sancti Andreæ*, Ecclesiam instituisse ieiunia vigiliarum, vt animi paratiores essent ad vacandum rebus diuinis. Nu.234

Tertius ieiunij fructus, *qui ad perfectionẽ vitæ Christianæ pertinere censetur*, ponitur virtutẽ largiri & præmia. Quo modo virtutem largiatur explicat D. Basil. *in constitutionibus monasticis cap.* 5. Ventris, inquit, moderatio, animi perturbationum compressio est: perturbationum autem compressio,animi pax est,atque tranquillitas:animi verò tranquillitas nihil aliud est,quàm virtutum fœcundissimus fons.

Præmium autem largiri,seu æternæ salutis meritorium esse ieiunium aduersus sectarios,tum authoritate Scripturæ, tum Patrum testimoniis probat loco citato Gregorius à Valent. *in 5. controuerso.* Nobis sufficiet illud Domini *Matth.* 6. Tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua,ne videaris hominibus ieiunans:sed Patri tuo qui est in abscondito. Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.] Quodquidem intelligendum esse de reddi

redditione æternę mercedis,patet ex verbis proximè ibi positis : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra vbi ærugo & tinea demolitur,& vbi fures effodiunt & furantur.Thesaurizate autẽ vobis thesauros in cœlo.] Vbi obseruãdum est cum Bellarm.in supra cit.cap. 11. col.2. Catholicos non dicere quod fingunt sectarij, ieiunium vniuersè sumptum sine relatione ad vllum bonum finem, esse ex opere operato meritorium. Nam fatemur,sicut edere & bibere, ita & abstinere à cibo & potu rem esse de se indifferentem, nec laudabilem aut vituperabilem esse, nisi ob relationem illius ad bonum vel malum finem : vt patet ex eo qui abstinet, quia non habet quod comedat & bibat;aut qui vitio stomachi,vel palati abhorret à cibo & potu. Deinde opus operatum vocãt Catholici,illud cuius fructus & meritum pendet ex sola Dei institutione; non autem ex virtute & deuotione operantis : quomodo dicimus baptismum, susciepientem iustificare ex sola Christi institutione: ideóque effectum suum sortiri, quantumcumque is à quo ministratur inimicus sit Dei &sine deuotione. Asserunt verò Catholici ieiunium meritorium esse non vi alicuius talis institutionis, sed iuxta antememoratum monitum à Christo datum *Matth.* 6. ex bona dispositione & deuotione ieiunantis, cui à Deo repromissa est merces.

Adiungenda ieiunio ad percipiendas ipsius vtilitates.

Sectio III.

Nu.235. CÆterùm vt tot,támque vberes fructus ex nostro ieiunio percipere possimus, oportet primò ei coniungi pœnitentiam de peccatis : alioquí enim non esset fructus dignus pœnitentiæ; seu qui ex vera pœnitentia ortus, testetur nos ex animo resipuisse,qualem D.Ioannes Bapt. *Matth.*3.requirit in peccatore,ad æternum incendium placato Deo vitãdum. Secundò,præter veram fidem & firmam spem requiritur charitas;extra quam opera nostra meritum nnn habent *ex priori* ad Corinth.cap.13.Tertiò, debita intentio, quá ieiunij finis primarius sit non nostra,sed Dei gloria,iuxta memoratum Domini nostri monitum. Secundarius verò sit aliquid rationi consentaneum,per quod ieiunium ipsum pertineat ad aliquam virtutem : prout susceptum ad Dei cultum(*vt illud Annæ Prophetissæ Lucæ* 2.*vers.*37.)pertinet ad religionem : & prout susceptum ad profitendum aduersus sectarios se Catholicum esse,pertinet ad fidem:& prout susceptum studio obediendi Ecclesiæ, pertinet ad obedientiam;& prout susceptum in pœnam peccati, pertinet ad pœnitentiam : & demum prout susceptum animo imitandi Christum, pertinet ad charitatem.

Nu.236. Quartò adiungendæ sunt ieiunio debitæ circunstantiæ::itaut ieiunans seruet ea quę tum sibimet,tum proximo,tum etiam Deo debentur.Sibi autem debet ieiunans ex parte quidem corporis,vt seruet in ieiunando modum eum quo corpus suum in tali statu conseruet, vt possit ea facere quæ ipsi ex officio incumbunt,ad vitia vitanda & ad proficiendũ de virtute in virtutem:cùm alioqui *ex cap. Non mediocriter de consecr. dist.* 5. De rapina holocaustum offerat qui ciborum nimia egestate,vel somni penuria immoderatè corpus suum affligit. De moderatione autem in corporis castigatione & mortificatione seruãda, bona documenta particularia videri possunt apud Rossignolũ *in lib.2.de disciplina Christianæ perfectionis cap.*12.

Ex parte verò animæ,ieiunans sibi debet cauere, ne per gulæ tentationem,meritum ieiunij aut perdatur aut minuatur.Quæ tentatio potest contingere quinque modis,quorum habita est mentio in præced.nu. 161.De remediis autem aduersus eandem dicetur in sequenti lib.7. cap.6. sect. 2.Proximo autem debet ieiunans subsidium in illius necessitate : sic vt exercendo erga se iudicium, exerceat erga alios misericordiam,iuxta illud Isaiæ 58. Nonne hoc est magis ieiunium quod relegi &c.frange esurienti panẽ tuum & egenos,vagósque induc in domum tuam; cùm videris nudum operi eum,& carnem tuam ne despexeris:tunc erumpet quasi mane lumen tuum &c.]Hinc ieiunium ita moderandum est,vt non modò non impediat à præstãdis iis ad quæ tenemur ex iustitia; sed nec ab iis ad quæ tenemur ex charitate:quandoquidem irrationabiliter homo dignitatem amittit, qui ieiunium præfert charitati : *ex cap. Non mediocriter de consecr.dist.*5.

Denique Deo debet ieiunans,vt non tantùm à cibis,sed simul à vitiis ieiunet. Nam vt dicitur in cap. Nihil 1.*eadem dist.*5.Nihil prodest homini ieiunare & orare,& alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate,& obtrectationibus lingua cohibeatur. *Isaiæ* 58. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & perticutis pugno impiè, nolite ieiunare vsque ad hunc diem, vt audiatur in excelso clamor vester:nunquid tale est ieiunium quod elegi,&c.]

De coniungenda abstinentia ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus huius sæculi cum ieiunio corporali,vt ipsum sit æternæ salutis meritorium vide præclaram doctrinam D. August. quæ habetur in cap.Ieiunium eadem,distinct.5. Eam votis omnibus nos amplecti faciat Christus Iesus:cuius gratia apparuit omnibus hominibus erudiens nos : vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobriè,iustè,& piè viuamus in hoc sæculo expectantes beatam spem & aduentus ipsius : qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate,& mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.

QVARTA LIBRI PARS.

De eleemosyna cuius vsus incumbit Pœnitenti.

DIcemvs primò, de eleemosynæ nomine & definitione, déque illius distinctione in spiritualem & corporalem.Secundò de corporali inquiremus, an detur præceptum ex quo nascatur necessitas obligationis illam faciendi, & quando talis necessitas contingat, seu pro quo tempore obliget eiusmodi præceptum.Tertiò,quos idem obliget:siue qui debeant talem eleemosynam facere ex obligatione. Quartò, ex quibus bonis ea fieri debeat. Quintò, quibus eadem fieri debeat, & quis sit debitus modus eam faciendi, Sextò, quænam sint ea, per quæ promoueatur, aut retardetur vsus illius. Quibus septimò accedet explicatio obligationis ad eleemosynam spiritalem.

CAP.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT DECIMVMNONVM.

De nomine & definitione eleemosynæ, déque illius diuisione in spiritualem & corporalem.

SVMMARIVM.

237 *Varia acceptio nominis eleemosyna, & in qua hic sumatur.*
238 *Quid sit eleemosyna secundum Theologos.*
239 *Sine charitate ea potest esse actus moraliter bonus, sed non meritorius.*
240 *Quod datur Clericis pro celebratione Missæ, & diuinorum officiorum non est eleemosyna.*
241 *Eleemosyna quædam spiritualis, & quædam corporalis; ac quid & quotuplex vtraque sit.*
242 *Ratio qua vnaquæque earum septuplex esse ostenditur.*
243 *Opera misericordiæ corporalia, septem ponuntur, non quòd non sint plura, sed quòd ad ea renocentur catera.*

Nu.237. ELEEMOSYNÆ nomen à Græcis mutuatum deriuatur à verbo ἐλεέω, sonante Latinè misereor, seu misericordiam exerceo, etsi hîc non accipiatur pro quolibet actu misericordiæ (cùm erga nos quoque misericordiam exerceamus) *iuxta illud Ecclesiastici* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo] sed tantùm pro eo quo à nobis subuenitur necessitati proximi. Cúmque ex vsu non modò communi, sed etiam sacræ Scripturæ, eleemosyna secundùm istam acceptionem dicatur, tum de re per quam subuenimus necessitati proximi, vt cùm dicitur *Luc.* 12. Vendite quę possidetis, & date eleemosynam] *& Act.* 3. Rogabat autem vt eleemosynam acciperet:] tum etiam de actione, per quam eidem necessitati subuenimus; vt cùm dicitur *Tob.* 12. Eleemosyna à morte liberat] *& Ecclesiastici* 17. Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso. Cúmque hæc ita sint, isto tãtùm posteriori modo accipitur eleemosyna in præsentiarũ.

Definitio eleemosynæ.

Nu.238. CVius hæc definitio, *sumpta ex D. Thoma* 2.2. *quæst.* 32. *art.* 1. communiter approbatur: qua dicitur esse opus quo datur aliquid indigenti ex compassione, propter Deum. Sed aduerte eam esse eleemosynæ, non quidem acceptæ secundùm se absolutè; sed vt imperata à charitate meritum habet æternæ salutis; pro qua Christianus sub Christo militat. Id enim quod ad illam secundùm se absolutè spectat, tantùm est, actum esse virtutis misericordiæ: quæ virtus miseriam respicit, vt eam tollat; inclinátque ad compatiendum indigenti, tanquam miseriam patienti: itaut ea quæ fit à peccatoribus dicatur simpliciter eleemosyna *vt patet ex cap.* 4. *Danielis ver.* 24. *& ex D. Matthæi cap.* 6. *in principio, & ex D. Lucæ cap.* 11. *ver.* 41.

Nu.239. Neque negandum est quin sic quoque ea sit actus virtutis, *putà misericordiæ*, si de virtute moraliter loquamur: quantumuis non sit Theologicè, seu prout de virtute loqui solent Theologi: arbitrantes in homine Christiano (vtpote cui debet propositum esse rectè agere, non tantùm secundùm propriam rationem cuiusque virtutis, sed etiam conuenienter ad consecutionem æternæ salutis) actum virtutis perfectæ, tantùm esse cum, qui valet ad consequendam æternam beatitudinem. De quorum actuum numero eleemosyna non est, sine charitate, cuius imperio exerceatur propter Deum. Manifesta sunt enim Apostoli verba *in priori ad Corinth. cap.* 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.]

Cæterùm eleemosynam imperio charitatis exerceri, est ex actu charitatis, *quo propter Deum amatur is, qui miseriæ subiicitur*, nasci displicentiam de alterius indigentia, cum inclinatione voluntatis ad eam subleuandam. Quæquidem displicentia, actus est virtutis misericordiæ; & ipsum subleuationis opus ex ea prouenies, dicitur eleemosyna, seu opus misericordiæ; quia quamuis imperari à charitate, & esse illius effectum, commune sit eleemosynæ cum operibus aliarum virtutum: iuxta illud eiusdem Apostoli *in eodem loco*, Charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, &c.] tamen peculiare illi est, consecutione quasi naturali prouenire ex charitate, vt præter experientiam confirmat illud 1. *Ioan.* 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?]

Nu.240. Porro ex proposita definitione Medina *in Cod. De eleemosyna quæst. prima* infert, non esse propriè eleemosynam, id quod Clericis pro Missæ celebratione, aut pro sepultura, aliísque officiis Ecclesiasticis peragẽdis datur: quia seclusâ omni ipsorum indigentiâ, stipendium suum ob huiusmodi ministeria debetur eis: dicente Christo *Lucæ* 10. Dignus est operarius cibo suo.] Id quod D. Paulus *in priori ad Corinth. cap.* 9. confirmat: tum ratione dicens; Quis militat vnquam stipendiis suis; tum ex lege veteri dicens: Scriptum est in lege Moysi, Non alligabis os boui trituranti: nunquid de bobus cura est Deo, an propter nos vtique hoc dicit?] tum denique ex Christi ordinatione dicens, Dominus ordinauit iis qui euangelium annunciant, de euangelio viuere.] Nec refert quòd loquatur de prædicatione Euangelij; quia prædictorum Ecclesiæ ministeriorum eadem est, quæ illius ratio.

De distinctione eleemosynæ in spiritualem & corporalem.

Nu.241. IAm D. Thomas *in cit. quæst.* 32. *art.* 2. & cæteri communiter, duo genera eleemosynarum seu operum misericordiæ distinguunt; vnum corporalium, quæ ad corporalem proximi miseriam seu indigentiam subleuandam spectant, significantúrque verbis huius versus:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Nempe visitare infirmos, & in carcere constitutos, dare potum sitienti, dare cibum esurienti, redimere captiuos, vestire nudos, colligere hospites; & sepelire mortuos. Alterum genus est spiritalium, quibus spiritali necessitati proximi, seu indigentiæ quoad animam subuenitur; quæ significantur v erbis alterius versus:

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Quorum primum indicat duo opera misericordiæ, quorum vnum est docere proximum, alterum eidem rectè consulere. Reliquis verò singulis singula indicantur: verbo quidem *castiga*, correptio fraterna; verbo verò *solare*, consolatio proximi in necessitate spiritali, hoc est, in tentatione, & afflictione animę constituti: verbo autem *remitte*, condonatio iniuriarum nobis illatarum à proximo: verbo porro *fer*, patientia in ferendis defectibus aliorum: verbo denique *ora*, oratio pro proximis in necessitate positis.

Nu.242. Ratio autem huius distinctionis à D. Thom. loco cit. redditur: sed facilior est quã Bellarminus *in controuersia de bonis operibus lib.* 3. *cap.* 2. habet hoc modo: Omnis miseria humana aut ad corpus, aut ad animam pertinet; illáque aut in hac vita, aut post mortem toleratur. Quæ verò in hac vita contingit, aut est carentia rerum, quibus omnes egent; aut est aliqua particularis ærumna. Rursus carentia illa aut est interior: vt carentia cibi, & carentia potus, aut exterior, vt carentia vestium, & carentia domicilij. Cui quadruplici carentiæ ac miseriæ corporali, respondent quatuor genera eleemosynæ: videlicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, & excipere hospitio peregrinum. Particularis ærumna verò, est vel interior, vt morbus; vel exterior vt captiuitas. Cui alia duo genera eleemosynæ respondent, visitare ægrotum, & redimere captiuum. Miseria denique post mortem est carentia sepulturæ, cui respondet vltimum genus eleemosynæ corporalis, quod est sepelire mortuos.

Miseria autem quæ pertinet ad animam, aut culpa est, aut pœna: si culpa, non potest simpliciter tolli à nobis; potest tamen qui in eam incidit iuuari tribus modis. Primò oratione ad Deum: secundò remissione iniuriæ: tertiò correptione fraterna. Si pœna est: aut intellectum lædit, vt ignorantia, quæ esse potest tum theoretica, tum practica; aut lædit affectum, vt tristitia ac dolor; aut consuetudinem cum aliis, vt morositas seu morum incommoditas ac difficultas. Et quidem ignorantiæ theoreticæ remedium adhiberi potest per doctrinam: practicæ verò per consilium; tristitiæ, per consolationem; & morositati per patientiam: sicque septem sunt genera eleemosynæ spiritualis: orare pro peccatoribus, condonare iniurias, corripere delinquentes, docere imperitos, consilium dare imprudentibus, consolari afflictos, & tolerare alienam infirmitatem.

Sex prima eleemosynæ corporalis genera, Dominus noster, Matth. 25. commemorat cum ea commẽdatione, vt declaret se iuxta illorum executionem, vel omissionem, sententiam vel damnationis vel salutis pronunciaturum in extremo iudicio: septimi generis, *quod est sepelire mortuos*, non meminit; sed illud satis indicauit cùm *Matth.* 26. dixit: Bonum opus operata est in me. Mittens enim hæc, vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.] Quibus verbis accedit commendatio illa Angeli *Tobiæ* 12. Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.]

Nu.243. Aduerte autem ex D. Thoma *loco cit. ad* 2. ea genera non esse ita accipienda quasi non sint alia misericordiæ opera corporalia, quibus nomen eleemosynæ conueniat: sed quòd ad illa possint cætera facilè reuocari: alioqui enim dirigere cæcum, sustentare claudum, protegere viduam & pupillum, dotem prouidere virgini pauperi, & huiusmodi alia, sunt veræ eleemosynæ corporales. De quibus *Iob. cap.* 29. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi: eoquod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adiutor:

benedictio perituri super me veniebat,
& cor viduæ consolatus sum.]
Et infrà: oculus fui cæco,
& pes claudo.]

***

CAPVT VIGESIMVM.

De præcepto ex quo nascitur necessitas seu obligatio faciendi corporalem eleemosynam.

SVMMARIVM.

244 *Datur præceptum faciendi eleemosynam, tum naturale, tum diuinum, tum etiam Ecclesiasticum.*
245 *Ab obligatione illius is excusatur qui non habet vnde eam faciat.*
246 *Item qui etsi habeat, ignorat tamen proximi necessitatem: de qua inquirere quando teneatur.*
247 *Item cum scit alios ei necessitati subuenturos; aut ipse subuenire non potest, nisi comiciendo se, aut suos in parem necessitatem.*
248 *Eadem obligatio exigit in dante superfluitatem bonorum, & in recipiente egestatem.*
249 *Superfluum quoddam naturæ, & quoddam personæ; quidque vtrumque sit.*
250 *Necessitas quædam extrema, quædam grauis, & quædam communis; & quid quæque earum sit.*
251 *Receptum est, obligationem ad eleemosynam faciendam contingere; cum quis habet superfluum, & alius scitur premi extrema necessitate.*
252 *Quod procedit quando habet superfluum naturæ, etiamsi non habeat superfluum status.*
253 *Procedit etiam quantumcumque necessitas non sit extrema, dummodo sit grauis.*
254 *Tuncque omittendo eleemosynam peccari mortaliter habetur ex verbis Christi, & ex ratione.*
255 *Sed rarò contingit talis peccati casus.*
256 *Qui habet quidem superfluum naturæ, non tamen status, non tenetur sub mortali grauem necessitatem patienti, nisi sit extrema, subuenire cum graui suo detrimento.*
257 *Is qui habet superfluum tam naturæ quàm status non tenetur sub mortali subuenire communem tãtùm necessitatem patienti.*
258 *Non est peccatum de se mortale, superfluum habere; quantumuis in subuentionem pauperum non retineatur.*
259 *Quod licèt de se indifferens sit, pluribus tamen modis peccatum esse potest; & quibus.*
260 *Eleemosyna liberaliter danda est constituto in extrema aut graui necessitate. quando non est spes quòd acceptum refundere possit.*
261 *Sufficit dare commodato ei, qui hic indigens habet alibi bona.*
262 *Item ei qui indiget re, quæ non est vsu consumptibilis.*
263 *Itémque ei qui etsi non habeat actu; habet tamen in spe, quod possit retribuere: nisi ei datũ sit de superfluis status non reseruatis ad vtilitates publicas.*
264 *Diues qui non subuenit indigenti, cessante indigentia ad nullam restitutionem tenetur ei faciendam.*
265 *Dicta Patrum quæ ei doctrinæ obstare videntur, quomodo sint accipienda.*
266 *Eadem doctrina extendenda est ad damna secuta ex omissione eiusmodi subuentionis, exceptis aliquot casibus.*
267 *Diues potest authoritate Iudicis adigi ad talem subuentionem: quòd cùm non proficit, pressus extremâ necessitate potest id quo indiget capere, siue per se siue per alium: non item pressus tantùm graui.*
268 *Qui habet vnde sufficienter tribuat necessitatem patienti, non potest de aliorum bonis accipere quibus iuuetur ad eam subleuandam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.244. MEDINA *in Cod.* de eleemosyna *quæst.* 3. probat dari tum naturale, tum diuinum, tum etiam Ecclesiasticum præceptum faciendi eleemosynam corporalem. Naturale quidem: quia ad legem naturæ pertinet vt fratres diligamus, idque verè. Vera autem dilectio non est, si in solo affectu sistat, nec ad effectum deducatur iuxta illud 1. *Ioan.* 3. Filioli non diligamus verbo nec linguâ, sed opere & veritate.] Diuinum verò, per illud *Deut.* 15. Ego præcipio tibi vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi qui tecum versatur in terra] & per illud *Ecclesiastici quarto* Eleemosynam pauperis ne defraudes.] Quæ verba continent præceptum inducens debitum faciendi eleemosynam: de quo ibidem. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, &c.] Adde etiam, per parabolam de Samaritano *Luc.* 10. *cui Dominus subiunxit*, Vade, & tu fac similiter.] Itémque per sententiam quam Dominus *Matth.* 25. ait à se proferendam esse in extremo iudicio. Denique Ecclesiasticum per illud, quòd D. Paulus in suis Epistolis, eleemosynas non modò iniunxerit fidelibus, ipséque exegerit: sed etiam discipulo *in priori ad Timoth. cap. vlt.* mandarit vt præciperet diuitibus facilè tribuere, & communicare. Ad idem facit cap. Fratrem nostrum *distin.* 86.

Porro vna eadémque est triplicis illius iuris in hac re obligatio, nobis triplici illo modo à Deo intimata. Quamquidem esse sub mortali ex sacra Scriptura tripliciter deducitur. Primò ex eo quòd illius omissioni attribuat supplicium ignis æterni. *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.] Secundò ex eo quòd eidem tribuat Dei abalienationem ab homine. *Prouerb.* 21. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.] Tertiò ex eo quòd eidem attribuat defectum charitatis: cùm 1. *Ioan.* 3. dicitur, Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas manet in eo.] Nam non habere in se manentem Dei charitatem, est manere in peccato mortali iuxta illud *quod in eodem cap.* 3. *dicitur*, Qui non diligit manet in morte.] Adde quòd eleemosyna sit necessaria ad plenè satisfaciendum præcepto de dilectione proximi, quod nos obligat non tantùm ad bene volendum proximo: sed etiam ad ei benefaciendum, vt iam attigimus. Et confirmatur: quia si lex humanæ amicitiæ requirit, vt inter amicos sit mutua beneficiorum communicatio, multò magis id requiret lex diuinæ charitatis. Ioan. *in cit. cap.* 3. nominatim reprehenditur is qui habuerit substantiam mundi huius. Vbi aduerte quòd si quis tantùm habeat vnde vni subuenire possit, & duo pauperes occurrant necessitatem extremam patientes, ita alicui illorum indifferèter ipsum teneri subuenire, vt neutri subueniens, peccet duplici nomine, nempe & quia vni, & quia alteri non subuenit: sicque de pluribus, si plures occurrissent, *ex Medina in sequenti quæst.* 4. §. *Si quæras.*

Secundus casus est, cùm etsi facultas prædicta suppetat, tamen ignorat quis proximi necessitatem. Ratio est, quia non potest prouidere necessitati quam non nouit. Vnde in eodem cap. 3. reprehenditur nominatim is, qui non tantùm habuerit substantiam huius mundi; sed etiam viderit proximum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo. Nu.246.

Si quæras, an præceptum eleemosynæ obliget ad faciendam aliquam inquisitionem egentium, quâ omissâ non sit excusabilis ignorantia. Nauar. negatiuè respondet in Enchir. *cap.* 24. *num.* 9. (*cui fauet Med. in Cod. de eleemosyna quæst.* 3. *in fine.*) nec malè: quia cognitio necessitatis proximi non est iuris cuiusdam vniuersalis, vt eam quilibet inquirere teneatur; sed est facti cuiusdam particularis, pertinentis ad personam ipsius proximi: vnde inquisitio illius tantùm incumbit ei ex officio, qui curam eiusdem proximi gerit: vt censetur gerere Prælatus, vel paterfamilias, vel alius cui commissa sit pauperum cura. Nam cùm non sit alioqui ratio, cur quispiam priuatus debeat de vnius potius, quàm de alterius proximi necessitatibus inquirere: deberet inquirere de necessitatibus omnium: saltem eorum qui essent in eodem loco & qui in vicino: quod penè intolerabile esset: quandoquidem ea inquisitio sic hominem occupatum teneret, vt vix aliis negotiis occupari posset. Adde quòd ad eum qui necessitatem patitur pertineat, suam necessitatem exponere. Verumtamen si quis deditâ operâ curaret manere in ignoratione grauis indigentiæ proximi, & propriæ sufficientiæ: declinando scilicet commoditatem id sciendi, non excusaretur: præsertim Sapiente præcipiente Ecclesiastici 4. Declina pauperi sine tristitia aurem tuâ, & redde debitum tuũ, & responde illi pacificè in mansuetudine.]

Quod si quæras. An is qui habet superfluum, oblato sibi notabiliter indigente, teneatur eidem præcisè eleemosynam elargiri. Respondetur negatiuè: quia licèt teneatur indigenti occurrenti impertiri eleemosynam, non tamen præcisè huic vel illi, sed cui voluerit: *vt ex D. Thoma quodlibet.* 8. *art.* 12. habet *Nauar. in præced. numero quinto*: maximè quando putat veros imiliter quòd occurret alius cui eleemosynam dare melius erit: *ex Sylu. in verbo Eleemosyna quæst.* 1. *in fine.*

Tertius casus est: cùm etsi facultas suppetat, & proximi necessitatem cognoscat quis; simul tamen certò, aut saltem probabiliter scit fore, vt per alium tali necessitati subueniatur. Ratio est, quoniam ille cui alter subuenturus est, non indiget tertij ope. Hinc D. Thomas ait 2. 2. *quæst.* 32. *art. quinto ad tertium*: tunc esse sub mortali necessarium facere eleemosynam, cùm euidens & vrgens apparet necessitas: nec in promptu est, quis ei subueniat. Vbi aduerte ad excusationem à tali peccato, non sufficere quòd intelligas posse per alium, vel alios tali necessitati subueniri: nisi probabiliter quoque iudices subueniendum esse de facto. Nam tu cum illis aliis subuenire teneris: non quidem coniunctim, & dependenter ab illis: sed diuisim, & independenter: itaut tenearis per te subuenire quando nondum tibi probabiliter constat alium aliquem determinatè tali necessitati subuenturum: neque enim obligatio aliorum, tuam in hac Nu.247.

Casus aliquot in quibus non est obligatio faciendi corporalem eleemosynam.

Sectio I.

CÆterùm cùm istiusmodi præceptum sit affirmatiuum, constat non pro omni, sed pro certo tempore obligare; ad quod tempus cognoscendum, notandi sunt aliquot casus in quibus talis obligatio non contingit.

Nu.245. Primus est, cùm alicui non suppetit facultas faciendi eleemosynam; siue ob rerum penuriam, siue ob aliquas circumstantias, obstantes quominus ipse tali, taliter indigenti, tali tempore, tali modo, &c. possit succurrere. Ratio est quia lex non est eorum quæ censentur, aut absolutè, aut moraliter impossibilia; iuxta illud Domini *Matth.* 11. Iugum meum suaue est, & onus meum leue,] & ita à D.

hac re potest aliter diminuere, quàm præueniendo te in tali subuentione.

Nu.249. Quartus casus est: quando etsi potest quis absolutè subuenire necessitati proximi, quam bene nouit, neque scit ei subueniendum esse per alium; sed præstare nequit, quin ipse aut sui incurrant incommodum maius, aut saltem par ei, à quo liberaret proximum subuentione sua. Ratio est, quia ordo charitatis postulat, vt cæteris paribus, magis se & suos diligat, quàm alios: & per consequens maiorem sui & suorum, quàm aliorum curam gerat. Quod non faciens argui potest dicto Apostoli *in priori ad Timoth. cap.* 5. Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.]

Quibus ita constitutis: de tempore pro quo præceptum eleemosynæ obligat statui potest: illud esse in quo proximus laborat necessitate quam ego noui, & cui subuenire possim sine maiori aut pari meo incommodo; nec quemquam scio, qui ei de facto subuenturus sit. Qualis autem esse debeat necessitas proximi, & qualis facultas mea subueniendi ei, vt censeatur talis obligatio contingere, difficultatem aliquam habet, quæ tolletur per dicenda in sequentibus capitibus: ad quæ priusquam aggrediamur, satisfaciendum est vni alteri, huc maximè spectanti.

Explicatio difficultatis de tempore in particulari, pro quo præceptum faciendi corporalem eleemosynam obligat.

Sectio II.

HÆc refertur eò, vt in particulari intelligatur quando certum illud tempus, de quo ante habita est mentio, eleemosynam faciendi ex præcepto, censeri debeat adesse.

Nu.248. Supponere autem oportet primò, duo requiri vt quis ad eleemosynam faciendam obligari censeatur: vnum ex parte dantis, nempe superfluitatem bonorum: alterum ex parte accipientis, nimirum necessitatem. Nam neque is qui nullo modo superfluum habet, tenetur dare necessitatem patienti: neque is qui superfluum habet tenetur dare non patienti necessitatem.

Nu.249. Supponere oportet secundò *ex D. Thoma* 2. 2. *quæ.* 32. *art.* 5. *& 6. Caiet. in tomo* 2. *opusc. tract.* 5. *cap.* 6. *Medina in Cod. De eleemosyna, quæst.* 3. *Nauar. in Enchir. cap.* 24. *num.* 6. *& ex Summulariis in verbo Eleemosyna sub initiũ*: tum superfluum ex parte dantis, tum necessarium ex parte accipientis, posse esse vel naturæ, vel personæ. Dicitur autem superfluum naturæ, id sine quo viuere potest, tum is qui illud habet, tum etiam familia quam ipse alere, sustentaréque debet. Superfluum verò personæ id dicitur, sine quo habens illud non solùm viuere & familiam suam alere potest: sed etiã statum, conditionem, ac dignitatem propriam conseruare: quale est (*ex Caietani doctrina, quam Nauar. loco cit. approbat*) illud omne quo is non indiget vt filios dotet sufficienter, aut vt filij decentes suæ conditioni ducant vxores: aut vt familiæ quam ipsum habere deceat, suppeditet decentia quoad victum, & vestitum, atque alios sumptus conuenientes: aut vt ipsemet habeat necessaria ad amicos excipiendos, ad conuiuia, & donationes honestas, aliáque huiusmodi, quæ intra limites virtutis quisque potest pro qualitate sui status exercere, iudicio pij ac periti viri. Vnde Nauarrus ipse infert hominem laicum non esse facilè iudicandum plus habere quàm quæ sint suo statui necessaria. De Ecclesiastico verò addit aliam rationem esse: quia nõ licet ei in tot fines coacernare pecuniam.

Necessarium autem naturæ id dicitur, quod alicui absolutè necessarium est ad conseruationem vitæ suæ & suorum. Necessarium denique personæ dicitur, quod ad vitam statumque decentem suum ac suorum necessarium est; quòd vt annotat *ex Syluestro in verbo Eleemosyna numero secundo Nauarrus loco cit.* non consistit in indiuisibili, sed latitudinem habet eo maiorem, quo maior fuerit status: plura enim decent Principem, quàm simplicem nobilem, & plura hunc quàm plebeium. Vbi aduerte quod congruenter doctrinæ D. Basilij *in oratione ad diuites* habet Bellarm. *in controuer. de bonis operibus lib.* 3. *cap.* 7. *sub initium*: non ideo opes debere necessarias iudicari, quòd non seruentur otiosæ; sed insumantur in vestibus, aut hortis, aut ædificiis: nisi & hæc sint necessaria naturæ, aut personæ. Nam sicut talia dicuntur alioqui superflua, sic etiam dicentur opes in eis insumandæ.

Supponere oportet tertiò, indigentis necessitatem esse posse triplicem: extremam, grauẽ, & communem. Extrema autem necessitas censenda est, non solùm cùm quis efflaturus est spiritum, sed etiam cùm apparet quòd ipse ob defectum necessariorum morietur, nisi de illis ei subueniatur nunc temporis, cùm subuentiones possunt ei prodesse. Ita Caietan. *in Summula verbo Eleemosyna.* Immo ex Soto *in lib.* 5. *de iustitia & iure quæst.* 3. *art.* 4. ad talem necessitatem sufficit adesse verosimile periculum infirmitatis incurabilis, aut alterius miseriæ, quæ homines conficere solet, si quidem præueniri cauerique potest. Id quod attigit etiam Paludanus *in* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. *concl.* 1. Quæ verò sit grauis necessitas, certâ regula definiri nequit, sed id committendum est prudentis arbitrio, pensata tum qualitate mali, quod timetur; tum probabilitate incurrendi in illud, nisi obuietur subueniendo: tum demum qualitate personæ cui impendet, aliisque circunstantiis: vt v.g. si viro nobili immineat periculum perdendi proprium & decentem statum: nempe quòd redactus sit in eas angustias, vt ex statu nobili ad mechanicum se demittere cogatur, aut vt liberi ipsius magnam egestatem pati, aut notabilem bonorum iacturam facere cogantur ob calamitatem ipsius: aut etiam ipse de honore & fama grauiter periclitetur, aut ægrotet grauiter, etsi non adeo, vt videatur animam statim efflaturus *ex Soto in eod. lib. quinto quæst.* 8. *art.* 1. *sub finem.* Communis autem necessitas est, quæ viri prudentis arbitrio, censetur esse infra grauem, modo antedicto acceptam. Istiusmodi est regulariter hominum ostiatim mendicantium: & eorum qui vtcumque quidem tuentur suum statum, sed non sine magno labore, nec sine difficultate. Quibus ita suppositis, priùs quæ de proposita difficultate communiter recepta sunt, posteriùs quæ sunt controuersa trademus. Nu.250.

Quæ sint communiter recepta de difficultate proposita.

Sectio III.

REceptum est primò, duabus circunstantiis simul concurrentibus, contingere obligationem faciendi eleemosynam ei, qui scitur illâ egere, & nescitur ei subuentum iri per alium: prior circun- Nu.251.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stantia est, si necessitas fuerit extrema: posterior, si quis præter ea quæ necessaria sunt ad suam & suorum vitam sustentandam, habuerit aliqua per quæ possit tali necessitati subuenire: quantumcumque ei non sint superflua, considerata decentiâ status sui, & suorum. Ista est D. Thomæ doctrina *in memorato art.* 5. & vt habet Medina *in Cod. de eleemosyna, quæst.* 3. §. *verum*, certa Doctorum sententia. Quæ probatur. Tum quia dato quòd tempus extremæ necessitatis non sit illud, pro quo præceptum eleemosynæ obliget; nullum omnino potest assignari pro quo obliget: tum quia ex ordine charitatis tenetur quisque plus diligere proximum, quoad vitam ipsius corporalem, quàm seipsum & suos quoad alia bona téporalia; nisi ea quoque sint necessaria ipsi ad suam, suorúmque vitam seruandam. Cuius exceptionis addendæ ratio est, quòd iuxta eumdem ordinem charitatis nullus teneatur in pari necessitate alios sibi, aut extraneos familiaribus suis præponere: nisi ille qui patitur extremam necessitatem, vir esset insignis, ex cuius vita salus reipublicæ aut Ecclesiæ, notabiliter penderet. Quod à D. Thoma traditum 2.2. *quæst.* 32. *art.* 6. communiter teneri notat Gregor. à Valentia *ad* 2.2. *disput.* 3. *quæst.* 9. *puncto* 4. *col.* 809.

*Nu.*252. Receptum est secundò, prædictam obligationem esse sub peccato mortali (*quod probatum est in præced. num.* 254.) à quo excusatur quidem is qui tantùm habet necessarium naturæ: non tamen is qui habet tantummodo necessarium status, si superfluum naturæ habeat. Id quod manifestè sequitur ex pauloante dictis, & ita tenet Couarr. *lib.* 3. *variarum resolu. cap.* 14. *num.* 5. plures citans in eamdem sententiam: quibus accedùt præter Nauarr. in Enchir. *c.* 24. *num.* 5. recentiores cómuniter, inter quos est Bañes *ad cit. art.* 6. *D. Thom. dub.* 2. Contrariam sententiam attribuens D. Antonino; obiicientsque pro ea, quòd ex sententia præmissa sequatur hominem aliquando teneri totũ patrimonium suum consumere in vsum pauperum: & ex aliquo suo ampliſſimo statu excidere: vt quando publica famis necessitas vrget. Cui obiectioni indicat occurri posse: quòd valeat expensis paucis subueniri, etiamsi egeant multi: quia non vnus, sed multi sunt qui in publica necessitate eleemosynam conferunt: ad quam possunt magistratus authoritate cõpelli. Ac licet is qui necessitates videt, teneatur subuenire pro viribus: non tamen cum reipub. aut suo maiore damno. Potest enim contingere, vt magis interfit reip. aliquos homines grauem necessitatem pati, quàm familiam aliquam ex suo statu excidere. Maximè autem, quòd (*vt Medina notat in prius citata, quæst.* 3. §. *Ad id autem*) experientia doceat multos lápsos è statu in quo fuerant, vel in desperationem venire, vel furta & rapinas committere, vel alia flagitia perpetrare, quę saluo suo statu minimè perpetrarent. Cæterum id totum oportet arbitrio pij & prudentis viri relinquere definiendum, habita ratione fragilitatis humanæ, prout ipse quoque Bañes consequenter monet.

*Nu.*253. Tertiò receptum est communiter (quod notat Petrus à Nauar. *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *nu.* 358. *plures ita sentiẽtes referẽs*) extra necessitatẽ quoque extremã, cùm quis superfluum habet tum naturę tum etiã personę, contingere obligationem dandi eleemosynam 1. nempe in magna & graui necessitate: puta ad leuandum aliquem longâ & graui infirmitate, vel aliqua notabili infamiâ, aut ne excidat à suo nobili statu, vel vt liberetur à captiuitate iniusta, vel ne in magnum aliquod malum incurrat. Istud Bañes ait, *in præced. dubio*, certissimum esse: pro quo faciunt multæ authoritates Patrum relatæ à Bellarm. & Gregor. à Valen. *ab illo in cit. lib.* 2. *de bonis operibus, cap.* 7. *& ab hoc in eod. punct.* 4. *col.* 817. Immo & à Gratiano, D. Hieronymi distinct. 42. cap. 1. §. Quomodo etiam: D. Ambrosij distinct. 47. cap. Sicut hi: & distinct. 86. cap. Non latis: ac D. Augustini 14. quæst. 4. cap. Quid dicam. Faciunt etiam authoritates Scripturæ sacræ: de quibus videri potest Gregor. à Valentia *in præced. col.* 815. & 816. Sufficit enim vt breuitati consulamus duas notasse: vnam ad docendum quòd dare indigenti superfluum tam naturæ, quàm personę sit in præcepto. Alteram ad docendum quod tale præceptum obliget extra necessitatem extremam. Prior igitur est Lucæ 3. vbi D. Ioann. Bapt. à turbis quibus dixerat. Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur] interrogatus: Quid ergo faciemus? respondit, Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui escas habet, faciat similiter.] declarans præceptum esse sub pœna ignis æterni, vt indigentibus elargiamur nostra superflua; quę ipse significauit per duas tunicas, & duplices escas. Nam, vt rectè explicat D. Hieronymus *in epist. ad Hedibiam, quæst.* 1. vna tunica dicitur vestimentum vnicuique necessarium: siquc alicui tres, aut quatuor vestes per hyemem necessariæ sint, illæ omnes vna tunica sunt.

*Nu.*254. Posterior locus est Matthæi 25. vbi inter cæteros, dicuntur æterno igni addicendi, qui non cooperuerint nudos, non visitauerint infirmos, & incarceratos, non susceperint hospitio peregrinos; quæ non sunt necessitates de se extremæ. Neque enim indumentum est quid tale, sine quo nequeat homo viuere; nec etiam visitatio infirmorum aut incarceratorum est illis ad vitam omnino necessaria: nec si peregrini non excipiantur hospitio, ideo exponuntur morti, vt bene argumẽtatur Medina in Cod. de eleemosyna quæst. 3. §. Tertia eadem sententia. Quare ad obligationem præcepti de eleemosyna necessarium non est interuenire extremam necessitatem; sed potest gratiis sufficere. Vnde D. Ioannes Bapt. non dixit, Det extremè egenti, sed. Det non habenti Faciunt denique rationes quæ apud memoratos authores videri possunt: vnam attigisse satis erit. Nempe, quòd si quis superfluum habens nollet alicuius amici necessitati graui subuenire, sufficientem amicitiæ dissoluendæ causam præberet. Igitur cùm id, quod pauperi datur vel negatur in tali necessitate, Christo detur aut negetur: vt constat ex ipsius verbis *Matth.* 25. amicitia inter ipsum & illum, qui sic non subuenit, dissoluitur: & per cõsequens peccatur mortaliter; quod non fieret nisi præceptum cuius transgressione peccatur, obligaret sub mortali. Accedit quòd quamuis diuites suarum opum iustè acquisitárum sint reuera domini, habito respectu ad alios homines, non tamen respectu habito ad Deum: cuius comparatione non debent tam domini quàm dispensatores dici, vt argumento est, quod sint de illis ratione ipsi Deo reddituri: qui pater omnium communis, mundum creauit in communem omnium vtilitatem: & per suam prouidentiam ordinauit, vt in illo essent aliqui diuites superflua habentes, & aliqui pauperes necessariis carentes: volendo sicut hos patientiam, ita illos misericordiam exercere ad consecutionem regni cœlestis. Quod exercitium negligentes diuites, sicut contra Dei voluntatem agunt ita & pauperibus iniuriam perinde faciunt, ac faceret dispensator Principis, eisdem negans concessum ab illo vitæ subsidium. Quæ doctrina est D. Thomæ 2.2. *quæst.* 32. *art.* 5. *ad* 2. vbi adfert præclara D. Basilij verba in oratione ad diuites auaros.

Obiicientibus autem diuitibus, quod nunc superfluum habent se reseruare ad necessitates suas, & suorum, ipsis fortè superuenturas. Respondendum est cum eod. D. Thoma *ibid. ad* 3. non esse reseruandas opes propter casus omnes qui aliquando accidere possent, sed solùm propter eos qui adeo probabiliter imminent, vt nisi iis nunc prospiciamus, postea prouideri non posse videatur: alioqui enim peccatur cõtra præceptum Domini *Matth.* 6. quo prohibemur soliciti esse de crastino. Nam is censetur solicitus esse de crastino, qui hodie solicitus est pro eare, de qua satis tempestiuè cras cogitare poterit.

*Nu.*255. Aduerte autem, quòd etsi multi sint qui grauiter egeant, & multi qui habeant vltra necessaria ad vitam: non esse tamen multos casus in quibus contingat hæc obligatio. Quæ *iuxta ante tradita num.* 246. *& duobus sequentibus*, requirit 1. indigentias esse nobis notas, quæ nos plerumque latent; cùm ij etiam qui patiuntur illas plerumque occultent præ pudore neque nos sub mortali tenemur, de illis inquirere, *quemadmodum Nauarr. expressit in Enchir. cap.* 24. *num.* nono: aut si appareant, latet esse verè graues: plerumque enim incertum est, quæ & quanta sit in paupere necessitas: & sitne vera an simulata, quæ in ipso apparet. Requirit secundò, non subueniri per alium. Et verò nonnunquam satis certum est, alios diuites non esse adeo auaros, vt nolint tali indigenti subuenire, Requirit postremò, adesse nobis superflua, quibus possimus indigentiæ occurrenti subuenire: id quod interdum non satis constat. Sùntque multa alia incerta, *vt bene monet Medina in Cod. de eleemosyna, quæst.* 3. *in fine*: ob quorum ignorantiam diuites non sunt facilè condemnandi de peccato mortali, si eleemosynas non faciant sed tunc demum, vt idem Medina subdit, cùm superfluitatis simul & indigentiæ certitudo haberetur.

Qua sint controuersa de difficultate proposita.

Sectio IV.

*Nu.*256. PRimum est, an obligetur quis sub mortali subuenire proximo, in graui necessitate, *non tamen extremâ*, constituto; si habeat quidem superflua naturæ, sed solùm necessaria personæ: de qua re agens Greg. à Valen. 2.2. *disput.* 3. *quæst.* 9. *in posteriore par. punĉti quinti*: pro parte negante adfert Caiet. in Summula verbo, eleemosyna: quam Sylu. etiam in eodem verbo, & Petrus à Nauarr. in lib. 3. de restitutione secuntur: *ille quæst.* 1. *concl.* 4. *& hic cap.* 1. *num.* 358. Pro affirmante verò parte adfert Paludanum in 4. distinct. 15. qu. 3. & Adrianum quodlib. 12. art. 2. concl. 2. & Dominicum Bañes 2.2. *quæst.* 31. *art.* 6. *dub.* 4. quam & probabiliorem iudicat. Quidquid autem sit in speculatione, negans teneri potest in praxi: hoc maximè nomine, quòd cùm magna sit multitudo eorũ qui graues patiuntur necessitates, siue in fama, siue in corpore, siue in rebus externis, si sub mortali obligatio esset illis subueniendi, etiam cum aliquo proprij status detrimento, innumeri penè damnandi essent peccati mortalis, qui de talibus necessitatibus non sunt soliciti, tanquam nihil vltra habentes, quàm quod est ipsis opus ad se suósque decenter sustentandos. Sacrę verò Scripturæ, & sanctorum Patrum authoritates, quas idem author adfert, non est necesse intelligi de proposito casu (alioqui pars ipsa affirmans, non probabilior, sed certa: contrariáque negans erronea esset dicenda) sed de casu de quo dictum est antea nu. 251. Quanquam si is qui tantùm habet necessaria ad statum, grauem proximi necessitatem auertere posset sine magno suo detrimento, non videretur excusandus à peccato mortali: tanquam claudens viscera sua à fratre, quem videt necesse habere: & ideo non habens charitatem Patris in se manentem, iuxta D. Ioannem *in 1. sua epist. cap.* 3.

Secundum controuersum est, An qui superfluum habet tam naturæ, quàm status, teneatur subuenire patienti communem tantùm necessitatem.

DE hoc magna contẽtione certatur inter Theologos scholasticos; ac in vtramque partem diuersos citant Couar. in lib 3. variar. resol. cap. 14. nu. 5. Med. in Cod. de eleemosyna, quæst. 3. Bañes 2.2. qu. 32. art. 6 dub. 1. parte posteriore & Gregor. à Valentia 2. 2. disput. 3. quæst. 9. puncto 4. in principio posterioris partis. Quorum Medina negantem amplectitur, in eámque Couarr. propendet: Bañes verò & à Valentia partem affirmantem. Quod autem videtur pro praxi tenendum, existimo saluo meliori iudicio, bene declarari sequentibus propositionibus.

*Nu.*257. Prima est; Tutius quidem esse proposito dubij partem affirmantem sequi in praxi, quia nihil periculi habet: negantem nihilominus non esse reiiciendam, tanquam probabilitate carentem. Ratio est quòd boni authores illam teneant, qui argumentis contrariis satis bene respondent, *vt videre est apud Medinam.* Atque hanc Bañes admittit loco cit. concluſ. 3.

Secunda est: ratione necessitatis in proposito casu non esse obligationem sub mortali dandi eleemosynam. Probatur, quia salua charitate Christiana qua quisque tenetur diligere proximum sicut seipsum, is qui superfluum habet potest non subuenire tali necesitati. Nam lege charitatis non tenemur proximis procurare vt commodè viuant, quandoquidem nec nobis ipsis tale quid procurare tenemur iuxta illud *prioris ad Timoth. cap.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, iis contenti simus] Cùm igitur ille qui cõmunem tantùm patitur necesitatem habeat vnde posit seipsum sustentare, non erit contra charitatem & mortale, ei negare quod est quidem ei necesarium: non tamen vt viuat, sed solùm vt meliùs commodiúsque viuat.

*Nu.*258. Tertia propositio est: neque prædictam obligationem contingere ratione superfluí, quasi ipsum, quatenus nec ad vitam nec ad statum est diuiti necessarium, eo ipso sit indigentium; etiamsi ij communi tantùm necesitate premantur. Probatur, quia si ea de causa mortale de se esset, superfluum habere in alium finem quàm in subuentionem pauperum; pariter esset illud acquirere; quia non minus censendum est peccatum esse, quod is qui nullo indiget, ea quæ sunt pauperum sibi acquirat, quàm quòd acquisita retineat in alium finem, quàm in ipsorum pauperum subuentionem. Istud autem non est peccatum mortale; cùm alioqui dicendum esset, hominem quamprimùm ad talem fortunam peruenit, vt habeat vnde posit naturam & personam competenter sustentare, mortaliter peccare negotiando ad lucrandum aliquid amplius. Similiter habentem quæ ei ad decentem suum statum sufficiunt, peccare quoque accipiendo alia bona, etiamsi ei legitimè donentur aut iure hæreditario debeantur: quandoquidem superflua erunt: cùm ex hypothesi iam habeat sufficientia. Quæ quoniam duriora sunt, neque de talibus solet pœnitẽtibus esse scrupulus, vel à Confessariis eis iniici: neq; detur ratio efficax, quæ illa admittere compellat, relinquitur sanè, nec esse admittendum, quòd peccatum mortale sit superfluum tam naturæ quàm status retinere in alium finem, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

in pauperum subuentionem: excepto casu extremæ aut quasi extremæ seu grauis necessitatis: In quo casu procedit (*inquit Medina in eadem quæst.* 3. §. *ad* 2.) quòd Patres dicuntur diuites superflua retinentes, aliena rapere: & non sua, sed quæ aliena sunt retinere. Nam pauperes, *addit ille*, qui solùm communem patiuntur necessitatem; non dicuntur propriè diuitum bonis indigere, cùm sine illis vitam transigere possint.

*Nu.*259. Quarta propositio, Quamuis retinere superfluum non sit de se malum, sed, *vt habet Med.* ibidem §. *Similiter*, sit indifferens: frequenter tamen peccatum posse esse; primò quidem, si quis ad malum finem retineat: media enim induunt malitiam finis ad quē ordinantur. Secundò, si ad finem iudicio pij & prudentis viri, indebitum; vt ad acquirendum sibi honorem, aut statum quem homines ei similes non solent honestè prætendere. Nam talis inordinatio aduersatur rectæ rationi, & ideo peccatum est: de cuius grauitate iudicari debet ex circunstantiis. Tertiò, si in nullum bonum finem retineat; licèt enim non retineat in malum, peccat tamen saltem venialiter, trāquam agens temere, nullo sibi proposito fine debito, seque inordinatè gerens ac male sibi consulens, dum contrà quam perfectio Christiana requirit, superfluis abundans, non subuenit mendicis: quantumcūque talis subuentio maximis Christi promissis, & frequentissimis Sanctorū cohortationibus, & exemplis, commendatissima habeatur in vita Christiana. Certè indignum est, te denegare fratri subuentionem, quam sine tuo incommodo præstare potes, qui iuberis *Exod.* 23. asinum te odientis iacentem sub onere subleuarè eum, eo nec aliter pertransire. Quartò, si retineat ex immisericordia in pauperes, non videtur excusandus à mortali: cùm enim, *quæ aperire deberet*, claudit ab illis viscera sua; charitas Dei non manet in eo, *ex* 1. *epist. Diui Ioann. cap.* 3. Quod & confirmatur per parabolam de diuite epulone *Luc.* 16. & per illud *Iacobi* 2. Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam.] Quintò, si retineat ex auaritia, putà non alium finem prætendens, quàm abundare, & diuitias augere, eas recondere & custodire; nihil de pauperibus curans: neque in diuina largitate tam confidens, quàm in diuitiis: in hisque totum suum principalem affectum collocans. Quem excusandi à mortali ratio non apparet; quandoquidem talis est qualis *Lucæ* 12. damnatur à Domino, proposita parabola de eo, cuius cùm ager vberes fructus attulisset dixit, Destruam horrea mea, &c. Iqualis item ab Apostolo ad Ephesios 5. dicitur idolorum seruus: qualémque vt seruum diuitiarum, Christus negat posse seruire Deo *Matth.* 6. dicens Non potestis Deo seruire & mammonæ.] ac etiam quem *in sequenti cap.* 19. ait tam difficile esse intrare in regnum cœlorum, quàm camelum transire per foramē acus: & in quem maximè proferenda est condemnationis sententia *de qua Matth. cap.* 25. contra quem demum à Sanctis passim tam multa dicuntur. De particulari obligatione Ecclesiasticorum faciendi eleemosynam ex suis redditibus, dicetur proprio loco in lib. 30. tract. 3.

Tertium controuersum, An indigenti sit eleemosyna facienda donando, an verò sufficiat mutuando eam facere.

SEntentia est Adriani quodlibeto 1. art. 2. quam sequuntur Couarr. ad regulam, peccatum part. 2. §. 1. num. 4. & Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 61. & cap. 24. num. 5. diuitem satisfacere præcepto eleemosynæ quo tenetur subuenire pauperi exttemam aut grauem necessitatem patienti, si subueniat mutuando seu intendendo obligare eum, vt cùm venerit ad pinguem fortunam, tantumdem restituat. Contrariam autem sententiam (*ceteris eam tenentibus citatis*) secuntur Petrus à Nauarro in lib. 3. de restitutione, & Gregor. à Valen. 2. 2. ille cap. 1. num. 365. & hic disput. 3. quæst. 9. puncto 4. in fine prioris partis.

*Nu.*260. Cæterùm neutra videtur absolutè vel reiicienda vel sequenda, sed cum duplici limitatione, *vt bene notat Medina in Cod. de eleemosyna, quæst.* 6. Prior limitatio est ex parte recipientis; qui nonnunquam ita inops est vt non habeat actu propria bona, quæ retribuere possit, nec etiam artem, nec vires, nec industriam, nec denique modum aliquem vnde vitæ necessaria aliter quàm mendicando valeat acquirere; vt sunt claudi, cæci, & alij morbo incurabili laborantes, item qui senectute, *quæ grauis & incurabilis infirmitas est*, sunt confecti. Nonnunquam verò, etiamsi bona temporalia illi desint, polleat tamen viribus quibus laborare potest, & operam suam locare, aut artem aliquam habet vel industriam per quam potest aliis prodesse, vnde mereatur mercedem, seu stipendium: quo si velit, possit propriæ necessitati subuenire. Ei igitur qui priori modo inops est; facienda est eleemosyna gratis & liberaliter propter Deum, sine vlla spe retributionis ab ipso prouenturæ; quia is verè pauper est, destitutus omni humano subsidio. Et ita procedit posterior sentētia. Ei verò qui inops est posteriore modo, subueniri debet quidem (sed necessarium non est id fieri largiendo eleemosynam per modum donationis) itaut quantum illi de tuis rebus dederis tantumdem possis sperare & acquirere de rebus illius: siue quas actu iam possideat & vendere possit: siue quas propriam operam locando vel obsequium impendendo aliis, acquirere possit. Atque ita procedit prior sententia.

*Nu.*261. Quæ extendi etiam potest ad casum in quo is qui extremè indiget in vno loco, bonis abundat in alio: prout contingere potest diuiti peregrinanti in terra aliena: etsi enim is qui potest, teneatur ipsum ab ea necessitate liberare, non tenetur tamen sub mortali id gratis facere: sed mutuando, vel locando rem suam. Quodquidem à Soto notatum *in lib.* 4. *de iustit. & iure quæst.* 7. *art.* 1. *sub finem* admittunt Bañes, & à Valentia, *hic loco. cit. & ille* 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 6. *dub.* 3. Ideóque meritò, quia nec talis verè pauper est, nec sic humana facultate destitutus quin possit retribuere. Quod idē eadem ratione dici posse videtur de eo qui etsi de præsenti nullibi bona habeat, tamen spes est moraliter certa, quòd postea habebit: quia quamuis nunc grauiter ægrotet, facilè tamen restituetur sanitati, viréque habebit quibus poterit artem suam aut industriam qua pollet, exercere, & acquirere ad rependendum quod in necessitate sibi concessum fuerit: quo nomine pauper omnino esse, & humana facultate destitutus negari potest. Accedit quòd Tobias quamuis operibus misericordiæ maximè deditus esset, Gabelo tamen egenti subuenerit dando mutuo pecuniam sub chirographo quē apud se habebat, *Tobiæ cap.* 1. Item quòd Ioseph vir iustus, *Gen.* 47. Aegyptiis graui necessitate pressis non liberaliter, sed pro tributo quintæ partis fructuum colligendorum ex agris ipsorum, dederit triticum: quia non erant verè pauperes: cùm adhuc haberent possessiones quas in pretiū dare possent; essétque verosimilis spes, quod debitè laborantes habituri essent commoditatem reddendi, quòd exigebatur ab ipsis pro tritico eis dato ad subueniendum suę necessitati.

*Nu.*262. Est adhuc alius casus, ad quem eadem extensio fieri potest; putà cùm res, qua subueniendum est

proximi necessitati, non est vsu consumptibilis, eidémque necessitati solo eius vsu subueniri potest; sæpenumero enim ad subleuandam pauperis necessitatem sufficit rei vsus. Quo proinde liberaliter cōcesso, nō est necesse simul illius rei dominium transferri: quod est sufficere, vt talis res mutuò detur, ita vt debeat restitui trāsacta necessitate. Pro quo facit, quòd præceptum de eleemosyna non obliget ad plus dandum, quàm requiratur ad subuentionem occurrentis indigentiæ proximi, *iuxta D. Thomam in cit. quæst.* 32. *art.* 10. Sic igitur si ad euadendas manus hostium qui me iniustè ad necem quærunt, opus habeam equo tuo, non teneris illum mihi donare, sed solùm commodare; quem necessitate transacta tibi restituam: & ita de similibus.

*Nu.*263. Posterior limitatio propositarum sententiarum, *quæ est ex parte dantis eleemosynam*, traditur à Medina loco cit. his ferè verbis. Qui de iis quæ sunt necessaria ad statum, aliquid notabile largitur existenti in extrema necessitate, qui etiamsi non habeat actu vnde retribuere possit, habet tamen in spe: *quia scilicet de eo sperātur quòd veniet ad pinguiorem fortunam*, non videtur ille teneri huic gratis necessaria ministrare, sed posse eum obligare conditionaliter; vt si ad pinguem fortunam venerit, æquualens reddat. Quod simíliter dicendum videtur si quis in eodē casu det de superfluis status, quæ alioqui in rebus reip. necessariis, seu valde vtilibus expendenda erant: præsertim quando sic datum, in notabili fuerit quantitate. Ratio autem est: quia licet obligationem alicui ad id imponere, ad quod alioqui ratio naturalis ipsū adstringit. Id quod in casu proposito fieri, patet ex eo, quòd ille qui de necessariis ad publicas vtilitates acceperit, si veniat ad pinguem fortunam, quā possit supplere quæ desunt iis à quibus accepit, nec velit: iudicetur contra rationem naturalem impiè & inhumanè agere. Secus verò esset si de superfluis status acceperit, quæ non ad publicas necessitates, aut vtilitates reseruabantur: sed ad diuitias augendas, aut in fines malos, & inutiles. Atque per hæc solui poterunt dubia occurrentia de Aduocatis & Procuratoribus, respectu clientum; & de Medicis & Pharmacopolis, respectu ægrorum; aliísque respectu eorum quos iuuare debent in extrema, aut graui necessitate.

Quartum controuersum est, An omittens eleemosynam, cùm eam facere tenetur, obligetur ad aliquam restitutionem cessante necessitate.

PRo parte affirmante adferri potest quòd talis retineat alienum: vt patet ex verbis D. Basilij relatis à D. Thoma 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 5. *ad* 2. D. Ambrosij relatis in cap. Sicut hi, distinct. 47. D. Hieronymi relatis in cap. Hospitalem dist. 42. & D. Augustini relatis in cap. Quid dicam 14. quæst. 4.

*Nu.*264. Sed pars negans tenenda est cum Medina *in Cod. de rebus restituendis quæst.* 3. *causa* 1. §. *Est alia quæstio*, vbi bene hoc disputat: & cum eo Nauarr. *in Enchir. cap.* 24. *num.* 7. & Sotus *in* 5. *de iust. & iure quæst.* 3. *art.* 4. *ante solutionem argumentorum.* Ratio est: quia cùm restitutio sit actus iustitiæ, nisi detur peccatum contra debitum ex iustitia, non consurgit illius obligatio: non enim sufficere si peccatum detur tantùm contra debitum charitatis, cómunis est sententia Theologorum, *vt ex Medina in sequen. quæst.* 9. *habet Couarr. ad regulam peccatum* 2. *parte* §. 3. *num.* 5. in eam citans D. Thomam & aliquot alios. At eleemosyna etiam extremè indigenti, debetur tantùm ex charitate: seu tanquam opus misericordiæ à charitate imperatum. Si enim deberetur ex iustitia oporteret indigentem dominiū habere rei possessæ à diuite in eleemosynam ei elargiendæ: alioqui enim non auferretur illi quod suum est; in quo consistit peccatum contra iustitiam, inducens obligationem ad restitutionem. At non habet: nam dici non potest aliūde habere, quàm ex eo quòd iure naturæ in extrema necessitate omnia sint communia: vnde sequitur potius oppositum: nempe in ea necessitate res à diuite iuste alioqui possessas, non esse proprias pauperis potius, quàm ipsius diuitis. Deinde esto quod ius naturæ ob extremam necessitatem res diuitis faciat proprias pauperis extremè indigentis; non facit tamen seclusa ea necessitate: quia ratio faciendi, tunc cessat. Quo fit vt pauper postquam liberatus est à necessitate, non habeat plus iuris in bonis diuitis, quàm habuerit ante necessitatem. Denique cùm alicubi multi sint diuites, pauper ibi extremè indigens, vel ius & dominium habet in res omnium illorū (neque enim causa est cur potius habeat in res vnius quàm alterius) vel certè nullius: quod posterius si dicatur habetur intentum: nempe nihil tali pauperi à necessitate liberato deberi ex iustitia reddendum, tanquam suum. Si verò dicatur prius, dicendum erit consequenter omnia superflua omnium illorum diuitum esse illi pauperi egestatem euadenti, reddenda tanquam sua: quod absurdum est.

*Nu.*265. Dicta autem Patrum quibus significant superflua diuitum aliena esse; sic accipienda sunt ex Medina *in fine ante memoratæ causæ* 1. vt sensus sit talia pauperum esse; tanquam eis debita & cōmunicanda, quando necessitas ipsorum postulauerit: atque eum qui id omiserit perinde peccare ac si aliena raperet: quia diuites auari qui nolunt indigentibus subuenire, raptoribus æquiparantur in culpa, non item in obligatione restituendi. Qua etiam ratione, vt idem Medina attigit *quæst.* 9. *item memorata*, accipiendum est illud D. Ambrosij quod habetur distinct. 86. Pasce fame morientem: quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non pauisti, fame occidisti. Accipiendum est item quidquid in eam sententiam inuenitur à Patribus dictum: nimirum, vt significentur pari ficari quoad culpam, is qui extremè indigentem perire permittit cùm possit illi subuenire, & is qui perimit, quoniam vterque similiter peccat contra charitatem. Non autem quoad obligationem ad restitutionem: quia non peccat perinde contra iustitiam qui perire permittit, ac is qui perimit: quia peccatum illius totum consistit in omissione eleemosynæ, quæ non iustitiæ, sed misericordiæ actus est elicitus; & charitatis, imperatus.

*Nu.*266. Cæterùm extendenda est hæc responsio *iuxta Nauarr.* ad damna secuta: itavt diues nec rem quæ in in eleemosynam largienda erat pauperi extremè indigenti, teneatur eidem dare, transacta necessitate: nec etiam resarcire damna ex negatione eleemosynæ secuta: vt si fortè ex negatione, membrum aliquod amisit, aut in notabilem morbum incidit. Ratio est: quia nec id imputatur ad culpam admissam contra iustitiam; sed tantùm contra charitatem: itaut inducat quidem obligationem satisfaciendi Deo per pœnitentiam: non autem homini per restitutionem. Oppositum tamen, quod Petrus à Nauar. tenet *in lib.* 3. *de restitutione cap.* 1. *num.* 153. admiserim, non modò in casu quo quis ratione officij aut ob acceptum stipendium speciali obligatione tenetur prospicere indemnitati necessitatem patientium, *prout Medina & Nauarr. concedunt*; sed etiam quo quis in extrema necessitate constitutus, iure suo petens aut aliter habere contendens ex bonis diuitis, quantum

Universidad de Deusto
Biblioteca

requiritur ad subueniendum suæ præsenti indigentiæ, diues ipse reluctatur. Nam cùm is qui in tali necessitate cõstitutus est, ius habeat, vt ex bonis diuitis tantum capiat, quantum suæ indigentiæ sat est, meritò id prædicto modo impediens, dici potest iniuriam facere, ac iustitiam violare, perinde ac dicitur is, qui quempiam alium habentem ius ad rem aliquam, impedit indebitè, ne eamdem ipse obtineat. Cui doctrinæ consequens est, eidem diuiti incumbere obligationem resarciendi damna, quæ ex tali facto suo secuta fuerint, quorum sufficientem causam culpabiliter dat contra iustitiam.

*Nu.*267. Porro quod dies possit à iudice cogi ad subueniendum extremè indigenti significauit D. Thomas *2.2. quæst.* 118. *art.* 4. *ad* 2. cùm debitum legale vocauit illud, quo diuites ad talem subuentionem tenentur: & ita notauit ibidem Caietanus, & sentiunt plures alij quos refert Couar. *in lib.* 3. *var. resolut. cap.* 14. *numero* 5.

Habet etiam Caiet. extremè indigentem, qui nec petendo, nec implorando Iudicis officium obtinere potest id quo indiget ad subleuandam suam indigentiam, posse illud propria authoritate capere, siue clam, siue apertè, *quanquam semper vitandum est scandalum*, sine vllo furti, aut rapinæ vitio. Quæ est doctrina D. Thomæ *in præced. quæst.* 32. *art.* 7. *ad tertium & quæst.* 66. *art. item* 7. & post ipsum Soti *in lib.* 5. *de iust. & iure quæst.* 3. *art.* 4. Fundamentum verò est, quòd ius gentium quo diuisa sunt rerum dominia, non potuerit præiudicare facultati, quæ cuiuis competit, vt suæ extremæ indigentiæ possit prouidere ex iis, quæ à naturâ ad illam subleuandam ordinata sunt. Quod tamen aduerte non procedere, si eum à quo caperet, in parem necessitatem coniiceret: quia in eo casu alter non tenetur ei subuenire. Nam quando cætera sunt paria, melior censetur esse conditio possidentis.

Addit verò Sotus, non licere propria authoritate idem facere in necessitate graui: quia etiamsi diues adeò abundet, vt possit & debeat subuenire talem necessitatem patienti; tamen multi alij sunt egeni, diuersis locis ac temporibus occurrentes, in pari necessitate constituti: quibus subuenire conuenientius esse iudicabit. Quodquidem arbitrio ipsius relictum esse censetur eo ipso, quòd præceptum eleemosynæ detur sine determinatione ad certam circunstantiã. Accedit quòd si ea libertas daretur egenis, pateret via furtis, & rapinis: siquidem facilè quisque putaret se grauem pati necessitatem, & alium superflua habere, quæ possit ad subleuandam indigentiam suam capere.

Cæterùm eâdem ratione qua dictum est licere necessitatem extremam patienti capere alienum ad eam subleuandam, dici quoque potest, idem licere alteri qui videns talem necessitatem ipsius, nequit ei de suo subuenire. Quæ doctrina D. Thom. *2.2. quæst.* 32. & 66. *vtrobique art.* 7. *ad* 3. & post ipsum Soti *lib.* 5. *de iust. & iure quæst.* 3. *art.* 4. *ad* 3. Medinæ in Cod. de eleemosyna *quæst.* 4. §. *Redeundo*, & Gabr. in 4. *distinct.* 16. *quæst.* 4. *art.* 2. *concl.* 3. Et ratio est: quia si potest per se licitè capere, poterit quoque pro ipso alius, qui tenetur quo modo licitè potest, ei subuenire. Cauendum est tamen in ea re scandalum, & ne is à quo capitur constituatur in simili necessitate: nam ei fieret alioqui iniuria. Vnde Nauar. *in Enchir. cap.* 17. *numero* 153. quod vxor potest de bonis mariti eleemosynam facere extremè indigenti: limitat addens, quòd cauere debet, ne ob id maritus ipse egeat extremè. Extra necessitatem autem extremam *vt addit ibidem Medina*; nemini licitum est de alienis bonis indigenti subuenire, sine consensu veri domini expresso, aut rationabiliter præsumpto: quia secundùm Apostolum, Non sunt facienda mala, vt eueniant bona,] *ad Rom.* 3. túncque furtum committeretur accipiendo alienum inuito domino.

*Nu.*268. In ead. quæst. docet Medina, quod est notandum est pro praxi, illicitum esse habenti propria & sufficientia bona, accipere de bonis alterius diuitis, vt patienti extremam necessitatem taliter subueniat, vt ipse illi de bonis suis propriis ratam det, & ab aliis diuitibus absentibus, aut subuenire nolentibus, tantumdem accipiat, vt de alienis simul & suis subleuet ejusmodi necessitatem. Ratio est, quia sicut non est licitum alicui aliena sine domini licentia subripere ad subueniendum propriæ necessitati, si aliàs habeat vnde subueniat: ita nec ad subueniendum alienæ necessitati.

Ad quod facit illud D. Augustini relatum in cap. Fortè 14. quæst. 5. Fortè aliquis cogitat, multi sunt Christiani diuites auari & cupidi, non habebo peccatum, si suum illis abstulero, & pauperibus dedero. Vnde enim illi nihil boni agunt, mercedem habere potero. Sed huiusmodi suggestio à Diaboli caliditate suggeritur. Nam si totum tribuat pauperibus, quod abstulerat; addit potius peccatum (alienando scilicet non suum) quàm minuat. Neque refert quod in illo casu obligatio subueniendi tali pauperi concernat omnes illos diuites, nec fiat illis iniuria, cùm de bonis ipsorum id agitur, quod ipsi agere deberẽt. Nam si hoc excusaret illum qui de propriis bonis ratam dat ad subueniendum extremè indigenti, excusaret pari ratione, nihil de illis dantem: sed tantummodò ex alienis subuenientem: quia tunc etiam id ageret quod alij de quorum bonis accipit, deberent agere. Nec responderi potest obligationem tantùm esse subueniendi pro rata. Nam ea imponitur sine eiusmodi restrictione. etiãsi conditionata sit. Quod vt melius intelligas, aduerte duplicem esse obligationem, qua quis teneatur ad aliquid: vnam absolutam directè concernentem singulos; itant ex eo, quòd vnus illam obseruet, alius non excusetur: talis est obligatio diuinorum & Ecclesiasticorum mandatorum, quæ fidelibus dantur obseruanda à singulis: alteram verò conditionatam, qua tenetur quis ad aliquid, si alius id non faciat; non item alio id faciente: talis est quæ communitatem aliquam directè concernit, non item singulos qui de ea sunt. In cuius exemplum adfert Medina eam, quæ imponitur homini ducendi vxorem ad finem multiplicandi genus humanum: quæ obligatio quandiu ab aliquibus sufficienter completur, cæteri non censentur illius violatione peccare: cùm verò nullus est qui complere velit, omnes quos eadem obligatio tangit, peccant: nam certum est tali violatione committi peccatum. Quodquidem communitati sic tribuere, vt nullus de eadem in particulari peccet, absurdum est dicere: ac cut vnus potius, quàm alter peccare dicatur, nulla est ratio: cùm omnes & pariter obligentur, & pariter transgrediantur obligationem. Itaque si essent decem diuites videntes pauperem fame pereuntem, nullúsque ipsorum ei succurreret, omnes & singuli peccarent mortaliter; sicut si in aliqua Ecclesia, *inquit Medina*, plures Sacerdotes obligati sint, non plus vnus quàm alius, ad dicendum vnam Missam in die Paschæ, & nullus eam dicat, vnusquisque eorum peccat: quia etiamsi nullus absolutè teneretur tunc dicere, tenebatur tamen conditionaliter; nempe aliis non dicentibus.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

De iis à quibus debet eleemosyna corporalis fieri de præcepto.

SVMMARIVM.

269 *Extra necessitatem extremam fieri debet eleemosyna ab iis qui diuitiarum habent proprietatem, & liberum vsum.*
270 *Possunt aliquando tutores, & curatores eleemosynam facere de bonis minorum, quorum curam gerunt.*
271 *Differentia inter vxorem, filium, Religiosum, & seruum: tum quoad subiectionem, tum quoad bona temporalia in ordine ad faciendam eleemosynam.*
272 *Quatenus iidem possint facere eleemosynam.*
273 *Possunt modicas de præsumpto Superioris consensu.*
274 *Possunt etiam de concessis ad se sustentandum: illud quod sibi subtraxerint erogare.*
275 *De bonis suis castrensibus, aut quasi castrensibus possunt filij facere eleemosynam: & quæ sint talia bona: de aliis bonis non item.*
276 *Vxor potest facere propria authoritate eleemosynam de bonis paraphernalibus: & quando possit, de iis quæ lucratur.*
277 *Quando eleemosyna facta ab inferiori sine authoritate Superioris inducat obligationem ad restitutionem.*
278 *Vxor de bonis sibi communibus cum marito potest eleemosynam facere in huius vtilitatem, siue corporalem siue spiritalem.*
279 *Quando possit cum maritus absens est.*
280 *Quando cum maritus amens, aut fatuus est.*
281 *Quando sanguine sibi proximè iunctis possit ex iisdem bonis subuenire.*
282 *Quando vxor ob mariti iniquum vsum bonorum communium, possit ex illis sibi accipere.*
283 *Quas eleemosynas facere possit, qui familiæ religiosæ caput est.*

EX dictis in præced. cap. satis constat in extrema necessitate faciendam esse eleemosynam ab illis omnibus qui possunt, siue de suo, siue de alieno.

*Nu.*269. Extra eam necessitatem verò, ab illis qui substantiam huius mundi habent, *vt loquitur D. Ioan. in* 1. *epist. cap.* 3. hoc est, qui diuites sunt habentes dominium & proprietarem diuitiarum, & liberam earum dispositionem. Nam de propriis tantùm debet extra necessitatem extremam eleemosyna fieri, vt in sequenti cap. docebitur: nec potest quis rem eam quæ alteri subiicitur, sine eiusdem consensu alienare; & per consequens nec eleemosynam de ea facere. Quod D. Thomas docens *2.2. quæst.* 32. *art.* 8. distinguit quatuor genera personarum, quæ ob subiectionem impediuntur facere eleemosynam: nempe vxores, quæ sunt in potestate maritorum; filij, qui in potestate parentum: serui, qui in potestate dominorum: & Religiosi, qui in potestate suorum Prælatorum. Omnes enim hi eleemosynam facere non debent de re secundùm quam subiiciuntur, nisi in extrema pauperum necessitate in qua communia sunt omnia, vel de Superiorum suorum consensu.

*Nu.*270. Addit Medina *in Cod. de eleemosyna quæst. quarta in initio*, vt mente captos, ita & pupillos, ac minores, qui tutoribus & curatoribus subiiciuntur. Quoad quos solùm monendum est *ex eodem authore in fine eiusdem quæstionis*, de ipsorum debito aut præsumpto consensu, eosdem tutores, & curatores posse pauperibus subuenire, officiúmque pietatis, & fraternæ charitatis taliter exercere, qualiter illi si adultæ ætatis essent, exercere deberent. Neque enim censenda est cura seu tutela committi contra bonos mores, & contra pietatem erga pauperes habendam. Addit etiam idem Medina, illos quorum bona sunt ipso facto confiscata, vt reorum læsæ maiestatis, siue diuinæ, vt hæreticorum; siue humanæ vt rebellium. Sed id difficultatem habet minuendam per illud quod in libro decimotertio capite 27. docendum est de lege pœnali; eam non obstare quominus rei, bonorum suorum dominium retineant, donec interuenerit Iudicis sententia criminis declaratoria. De quatuor autem prius memoratis generibus, aliquot documenta tradenda tractandáque occurrũt pro praxi.

Documenta de eleemosyna quæ fieri potest ab vxore, aut filio, aut seruo, aut Religioso.

SECTIO PRIOR.

PRimum est; Non esse parem illorum omnium subiectionem, sed aliorum maiorem esse, aliorum minorem: vxorum enim minima omnium est: Nam eæ in multis rebus dominantur, & cum viris quasi diuisim habent imperium. Etenim ipsæ de communi consuetudine, domestic:s ac minoribus negotiis præsunt: sicut viri forensibus & maioribus. Quæ consuetudo consentanea est naturæ, cùm creata sit fœmina vt esset vitæ socia viri, non autem ancilla, sicut nec domina. Vnde nec de capite viri, nec de pedibus, sed de latere formata est: vt is iuxta se ponendam cognosceret, quam de suo latere sumptã didicisset, *vt notatum à D. Augustino, referuer à Magistro senten. lib.* 2. *distinct.* 18. Filiorum autem subiectio minor est, quàm Religiosorum; quia illi non parum habent libertatis: hi verò, per obedientiæ votum se totos arbitrio suorum Prælatorum addixerunt. Et denique minor est subiectio Religiosorum quàm seruorum seu mancipiorum; quia in illis genus quoddam libertatis inuenitur, in hoc consistens, quòd imperium Prælatorum sit politicum, quod refertur ac ordinatur ad commodum & vtilitatem subditorum, iuxta illud Apost. *ad Hebr.* 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri.] Domini verò in seruos imperium habent, & potestatem tanquam in suam possessionem; ideoque ordinant & referunt eorum operas, in propriam suam vtilitatem, non autem in illorum commodum: sic vtilitatem, non autem in illorum commodum: sícque maxima omnium est subiectio seruorum: de qua legi potest Sotus *in* 4. *de iust. & iure quæst.* 2. *art.* 2.

Secundum documentum est differentiam quoque cerni inter quatuor prædicta personarum genera, quoad bona temporalia, de quibus fieri potest eleemosyna, nam vxor habet dominium suæ dotis & suæ portionis bonorum quæ durante matrimonio acquiruntur. Filij verò non sunt domini paternorum bonorum, etiamsi ius ad illa habeant. Religiosi autem professi, nullum ius nec dominium habent in particulari, etiamsi habeant in communi. Serui denique ius, aut dominium bonorum siue in communi siue in particulari nullum habent.

*Nu.*272. Item vxores, & filij etiam dum subiiciuntur viris & patribus, possunt habere bona aliqua sua, secundùm quæ non subiiciantur illis: consequentérque possunt de talibus facere eleemosynam, sine eorum quibus subduntur licentiâ, siue expressa siue etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tacita ex D. Thom. *in cit. art.8.* quem sequuntur non modo ipsius interpretes sed etiam Paludanus & Richardus *in 4. distinct. 15. ille quæst. 3. art. 6. & hic art. 2. quæst. 6.* itémque Abulens. ad cap. 6. D. Matth. *quæst. 57. & 58.* & Sylu. in verbo eleemosyna *quæst. 5.* aliique communiter. Religiosi verò professi & serui (*secus de famulis qui liberi sunt, & sibi acquirere possunt vt bene in sequenti quæst. 59. monet Abulensis*) quidquid acquirunt, vel monasteriis vel dominis suis acquirunt; vnde extra casum extremæ necessitatis, eleemosynam facere non possunt, sine consensu expresso vel rationabiliter præsumpto Prælatorum, vel dominorum suorum: sicut nec possunt vxores & filij de bonis quę maritis vel patribus subiiciuntur. Cuius doctrinæ D. Thomas ibidem, rationem hanc adfert: quòd hic sit ordo naturalis, vt inferiora secundùm regulam superiorũ regantur in iis in quibus subiiciuntur. Vt igitur talis ordo seruetur in largitione eleemosynæ, non debet ab eo qui alteri subiicitur, de iis fieri in quibus subiicitur, nisi quantum illi fuerit à Superiore commissum.

Nu.273. Tertium documentum est: eiusmodi commissionem præsumi rationabiliter in duobus casibus. Prior est quando res quæ dantur sunt parui momenti, & quæ communiter consueuerunt dari illis pauperibus qui eleemosynas ostiatim petunt: nã in talibus rebus non est necessarium requirere Superioris sui voluntatem. Quæ rationabiliter etiam tunc esse præsumitur cum quid tale prohibet expresè *ex Abulen. in citata quæst. 57. & Nauar. in Enchir. cap. 17. nu. 153.* atque ex aliis quos refert Petrus à Nauarr. *in lib. 3. de restitut. cap. 1. num. 83.* quia verosimile est ipsum id facere, ne subditi eleemosynas tribuant extra modum consuetum. Quamquam si crederent ipsum verè nolle; vt faciant, etiam consuetam & moderatam, deberent à facienda abstinere; vt iidem addunt iuxta cap. Quod Deo 33. quæst. 5. Nec refert quòd ibi sermo sit tantùm de vxore: quia de cæteris idem pari ratione: immo & maiore dici potest: sicut dicit Abulensis de filiis *quæst. 58.* & de seruis & famulis *quæst. 59. ad cap. 6. D. Matthei.*

Nu.274. Posterior casus est, quando Superiores dant aliquid certum subditis suis, vt ex illo se alant, aut aliter in proprios vsus insumant: censetur enim ipsis liberum reliquere, vt si quid velint sibi subtrahere in pauperum eleemosynam, id faciant. Sic ergo quando seruo quotidie cibi potúsque taxata portio conceditur à domino; id quod ille per abstinentiam subtraxerit sibi ex eadem portione, censetur tacito interpretatiuóque domini consensu ei relictum: itaut possit illud dare in eleemosynam. Et pari ratione ex Abulen. *in cit. quæst. 59.* si vnoquoque die dominus à seruo certum pensum exigat, aut certum laboris diuturni pretium, censetur etiam tacitè consentire, vt quod idem seruus amplius acquisierit, sit eiusdem: itaut illud tanquam proprium, non requisito domini consensu, possit in eleemosynam dare. Nisi fortè tantum abstinentiæ, aut laboris assumeret, vt inde immineret ei mortis aut grauis ægritudinis periculum, aliúdue in seruitio domini notabile detrimentum. Simili exceptione limitanda etiam est parcitas vxoris in simili casu (*quo scilicet ei à viro certa portio pro quotidiano victu taxata esset ex Nauar. in seq. num. 154.*) nempe dummodo ea non sit in præiudicium familiæ. Nonnunquam enim fit, vt non tantùm sibi, sed etiam filiis & famulis subtrahat ac minuat de necessariis, vt sibi lucretur: quod ei non licet in damnum aliorum, prout bene notat Petrus à Nauar. *lib. 3. de restitu. cap. 1. num. 88.* Sic item filij ex Nauar. *in Enchir. cap. 17. num. 157.* itémque Religiosi ex Medina, *in citata quæst. 4. §. Idem dicatur*: ac tu vtrique illi, tumetiam serui ex Sylu. *in verbo Eleemosyna, quæst. 5. in initio,* cùm peregrinantur, aut in scholis versantur, possunt de bonis à Superioribus ad se sustentandum concessis, dare eleemosynam: quia putandum non est eosdem Superiores tam seueros esse, vt quando prædicta ratione suis illis inferioribus bona tradunt, ipsos in nullo velint pauperibus subuenire. Id quod procedit ex Abulensi *in seq. quæst. 60.* non tantùm cùm Superior inferiori assignauerit certã pecuniam, quam putauit ei sufficere ad moderatam sustentationem: sed etiam cùm relictum est ipsius libertati id expendere quod honestè ipsi suffecerit; quia eo ipso, quòd talibus conceditur licentia manendi in scholis, aut peregrinandi, censetur quoque concessa faciendi quæ honestè & piè solent scholares, & peregrinantes facere: argumento cap. Præterea. De officio deleg. dummodo tamen seruetur moderatio, excessúsque vitetur quem probabiliter Superior videatur non probaturus: de quo certa regula dari non potest sed relinquitur prudentis arbitrio. Addiderim ex eodem fundamento, casum in quo aliquis talium, eleemosynam etiam largam ex bonis sui Superioris alicui dederit, illã multum indigenti; conceptã prudenter ex circunstantiis magna spe, quòd Superior ipse id ratum habebit; vt quia alter est ei consanguinitate, aut amicitia maximè coniunctus.

Nu.275. Quartum documentum est: bona de quibus filij possunt eleemosynam facere propria authoritate, & sine consensu patris esse castrensia, & quasi castrensia. Dicuntur verò castrensia quæ filius acquisierit in bello, vt sti pendium, & præda iusti belli ex Abul. *in cit. quæst. 58.* atque id quod degenti in militia donatur occasione militię, à parentibus cognatis aut aliis; ac quidquid aliud acquisierit in militia, illud non acquisiturus nisi militasset *ex Sylu. in verbo Peculium nu. primo.* Quasi castrensia autem bona filiorum dicuntur, quę illi acquirunt ex officio publico: putà Medici, Aduocati, Magistri, & similium: siue sit salarium publicum, siue non. Nam vt contra eundem Sylueſtrum notat Petrus à Nauar. *in cit. cap. 1 num. 68.* satis est quòd causa ob quam datur, sit publica, vt ars vel scientia; licet salarium non sit publicum: sicut satis est ad castrensia quòd accipiãtur occasione militiæ, etiamsi non dentur vt publicum salarium. Dicuntur etiam quasi castrensia quæ à filiofamilias Clerico, acquiruntur ex officio suo Clericali, vel ex beneficio Ecclesiastico. Nam ea non pertinere ad patrem, omnes fateri notat idem author *in seq. num. 71.* De cæteris bonis quæ acquisierint filij, nequeunt ipsi, sicut nec de aliis bonis parentum eleemosynam facere: quia quoad ea parentibus subiiciuntur: prout in sequenti libro 20. cap. 2. sect. 2. in fine dicitur.

Nu.276. Quintum documentum est: bona de quibus vxores possunt eleemosynam facere propria authoritate sine mariti consensu esse: tum paraphernalia: quo nomine à Græcis sumpto, significantur vt Nauar. habet *in Enchir. cap. 17. num. 153.* quæ vxor dum nubit in suos vsus sibi reseruat præter dotem, quam marito dat pro oneribus matrimonij. Tum etiam propria lucra, id est, *ex eodem Nauarro in sequen. num. 155.* illa quæ vxor à qua maritus dotem accepit sufficientem ad onera matrimonij, lucratur per artem quam nouit texendi, aut sarciendi, aut acu pingendi, vendendi, & emendi aut aliam similem; non deserendo debitam domus administrationem. Quod documentum habetur ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 32. art. 8. ad 2.* communitérque à Theologis scholasticis, & summulariis receptum esse habet Sylu. *in verbo Eleemosyna num. 8.* Intelligendum autem est *vt monet Nauar. in eodem numero 155.* dummodo propria familia verè talibus bonis non egeat: quia ex præcepto charitatis subue

subueniendum est. Primò domesticis, iuxta cap. Non satis distin. 86. tenetúrque marito cooperari in ferendis oneribus matrimonij. Dummodo item consuetudo, aut lex specialis prouinciæ vel ciuitatis non sit in contrarium; vt esse censetur ea, quæ in quibusdam locis, *teste Sylu. in verbo Paraphernum*, fert vt omnia bona mulieris mobilia sint vtrique coniugi communia, vnde sequetur vt vxor nulla habeat paraphernalia de quibus pro arbitrio disponere possit. Quinimo vt obseruatum est ab Abulen. *ad cap. 6. D. Matth. quæst. 57.* consuetudo quòd vxor habeat bona paraphernalia apud paucas gentes est; sed communiter consuetum est, vt quidquid vxor habet quando assumitur in matrimonium siue sit proprie dos, siue non, computetur nomine dotis, & totum pertineat ad viri administrationem. Accipiendum est autem propositum documentum non deducendo expensas necessarias ad eiusdem vxoris honestam sustentationem: quoniam eas maritus debet ratione dotis & obsequiorum, *vt loco cit. monet Sylu.* Addens aliam esse rationem vxoris, quæ non dedit sufficientem dotem pro oneribus matrimonij: quia debet cooperari viro vsque ad supplementum onerum, & quod supererit de lucro, erit ipsius non mariti.

Nu.277. Sextum documentum est. Accipientes eleemosynam ab eis, qui potestati alterius subduntur, factam de iis in quibus subduntur non interueniente requisito talis Superioris consensu, teneri ad restitutionem. Ratio est, quia non acquisierunt rei acceptæ dominium: quandoquidem acceperunt illam ab eo, à quo alienari non potuit. Quod si accipientes nolint vel nequeant restituere, id tenentur facere qui dederunt, nisi impotentia excuset ipsos: vt communiter excusat Religiosos & Seruos, cùm illi monasterio, & hi domino acquirant quidquid acquirunt: aut certè nisi eius quod dederunt, habuerint proprietatem, sicut habent pupilli, & minores bonorum suorum: vxores, bonorum dotalium: & filij, bonorum aduentitiorum, seu donatorum illis ab alio quàm a patre aut quàm de bonis patris. In his enim casibus non distraxerunt alienum; quamuis peccarint distrahendo sine consensu eorum, ad quos administratio spectabat.

Aduerte tamen quia pater bonorum aduentitiorum filij, & maritus bonorum dotalium vxoris atque communium seu acquisitorum durante matrimonio, non habet administrationem nudam: sicut habet tutor, aut curator bonorum pupilli vel minoris: *vtpote acceptam in eorum tantum, non in suam vtilitatem*: sed eam habet cum vsufructu: restitui debere eorumdem bonorum fructus distractos, sine ipsius patris, aut mariti consensu: qui inde contra suam voluntatem, *vt supponimus*, illis fraudatur. De qua re Petrus à Nauar. *in lib. 3. de restit. cap. 1. num. 69. & quinque sequentibus*, excipiens vnum casum in illo num. 69. quoad bona aduentitia: nempe cùm donata fuerint filiis cum conditione, quòd patri non acquireturus vsusfructus eorum; de talibus enim perinde ac de castrensibus, liberum est filio disponere.

Casus in quibus vxor potest eleemosynam facere de bonis sibi communibus cum marito.

Sectio Posterior.

Septimum documentum est, præter casus, qui ex antedictis intelliguntur; dari aliquos in quibus sine peccato, & obligatione ad restitutionem, vxores possunt eleemosynam facere de bonis sibi cum marito communibus: de quibus casibus Petrus à Nauar. in eodem cap. 1. late, à num. 93. ad 163.

Primus est, cùm in eo vtiliter ageret rem viri; vt *Nu.278.* ad liberandum eum ab aliquo damno temporali: sicut *ex lib. 1. Regum cap. 25.* fecit prudens Abigail, datis panibus, & certis aliis rebus Dauidi, vt auerteret eum à deletione domus mariti sui Nabal.

Secundus est, quem ratione à pari, aut etiam à fortiori Nauar. *in Enchir. cap. 17. num. 154.* confirmat ex præcedentibus, & Petrus à Nauar. *in eodem cap. 1. num. 83.* approbat citans Sylueſtrum & Gabrielem; cùm maritus est malignus, seu crudelis, & sceleratus; illáque occultè largitur moderatas eleemosynas, vt ab eo iram Dei auertat, & vt eum suã diuinã gratiã illuminet, conuertátque ad pœnitentiam (*dummodo caueat eiusdem mariti scandalum, seu ne inde ei det occasionem magis peccandi*) etiamsi credat, *vt addit Sylu. in verbo Eleemosyna, num. 8.* quòd si ipse tale quid sciret, id illi displiceret.

Tertius casus est, *quem pro Paludano contra Nauar.* *Nu.279.* *propugnat Petrus à Nauar. in eodem cap. 1. nu. 86. & 87.* quando maritus absens est, nec suo loco relinquit dispensatorem: quia nisi aliud per Superiorem fuerit statutum, deficiente viro, mulier est velut caput filiorum, proprięque domus gubernatrix. Quare marito absente, cùm aliud per ipsum, aut per Superiorem non statuitur, illa suscipit gubernationem domus & tanquam gubernatrix, *licet non ordinaria*, potest eleemosynas, sicut & alias non magni momenti dispensationes, facere; cùm nec ius; nec ratio detur quæ aliud exigat.

Quartus casus est, *quem iidem authores notant*: Cùm *Nu.280.* maritus fuerit amens: tunc enim dum marito tutor non assignatur à Iudice, vxor administrationem habet, eãdem ratione qua in casu præcedente. Quod autem Paludan. & Sylu. volunt hunc casum extendendum esse ad fatuum, Petrus à Nauar. *in cit. num. 87.* censet limitandum, vt non procedat nisi tanta sit fatuitas, vt arbitrio viri prudentis, maritus ipse egeat curatore. Nam ex eo tantùm quòd is stulte imprudentérque se gerat, non potest vxor eo ipso, quòd prudentior sit, se in administrationem ingerere.

Quintus casus, quem habet etiam Petrus à Nauar. *Nu.281.* in seq. num. 159. cùm pater, aut mater vxoris aut filij prioris matrimonij egent, etiamsi non extremè. Tunc enim si via iuridica ad eorum subuentionem maritus adduci non potest sine scandalo, aut rixis aliisque inconuenientibus, vxor ipsa potest illos sustentare ex suis bonis, vel dotalibus vel communibus: quia parentes & filij ius habent petendi alimenta à filia, & à matre: ideóque maritus administrationem habens talium bonorum tenetur ministrare illis necessaria: (*computando tamen ea vxori tanquam alienata ex bonis eius*) quod dum non præstat, quasi bellum iniustè ex sua parte gerit; vnde fit vt illud quod habet in sua potestate: quandoquidem sine inconuenienti non potest iuridicè cogi cessare à tali iniustitia.

Addit idem author *aliis citatis ibidem, numero 160.* vxorem posse pariter subuenire fratribus suis pauperibus, miserè atque afflictè, iuxta suum statum viuentibus. Id quod est satis rationi consentaneum: pro eóque facit lex Mutus ff. de iure dotium his verbis: Manente matrimonio non perdituræ vxori, ob has causas dos reddi potest, vt sese suósque alat, vt fundum idoneum emat, vt in exilium vel in insulam relegato parenti præstet alimonia, aut vt egentem virum, fratrem, sororémue sustineat. Quæ lex cùm sit iusta, & rationabilis, iniustè & irrationabiliter maritus impedit vxorem, illius beneficio vti. Vnde si hæc

ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab illo licentiam petens, *prout debet*, non potest eam obtinere,ne quidem per viam iustitiæ, non videtur à ratione alienum, quòd ipsa occultè possit de suo,sine alterius detrimento, necessaria ministrare fratri, aut sorori grauiter indigenti, aut secundùm rationem sui status, misere egenti; nimirum quia vel laborare non potest,vel non decet vt laboret.

Nu.282. Sextus casus fundatur in eo quod idem Petrus à Nauarr. *in præced.num.*115. & 116. tenet cum Couar. contra Nauarrum:vxorem seruatis cõditionibus iustæ compensationis (de quibus tam alij passim,quàm ipse Nauarr. *in Enchir. cap.* 17. *num.* 112. 113.& 114.) posse tantumdem de bonis mariti occultè accipere, quantum ab illo læsa est ac damnificata in eo, quòd bona ipsius,siue propria siue etiam communia, illicitè dissipauerit, aut alienauerit in magna quantitate,sine ipsius consensu. Nam vxor habet dominium & possessionem talium bonorum: vir autem solummodo administrationem:quo fit,vt ea alienare possit tantùm ex causa rationabili & in ea quantitate quæ non præsumatur esse in fraudem vxoris:alioqui enim non esset administratio,sed dissipatio eorumdem bonorum.

Aduerte verò istud non esse extendendum ad casum in quo talis bonorum perditio esset ex contractu onerosо:vt ex emptione,& venditione, vel conductione, aut similibus: quia talium respectu sicut lucra:ita & damna sunt vxori cum viro communia; Quod idem author *in fine citati num.*116.ex Corduba, & Sylu.annotans, infert non videri, quòd de perditis à marito per ludum, liceat vxori facere prædictã compensationem: quoniam maritus per ludum vt perdere,sic & lucrari potest ex fortuna & industria.

Censerem saluo meliori iudicio addi posse casum septimum: scilicet,in quo vxori dedecus esset inter compares, si ipsa non faceret eleemosynas moderatas,sola tenacitate,vel alio inordinato mariti affectu eam prohibente. Tunc enim posse eas facere nescio marito,inde doceri videtur;quòd ipsa non sit ancilla sed socia; nec sit expers administrationis familiæ, quamuis subiecta viro tanquã familiæ capiti; quòdque non perinde ac filio, vir debeat ei sustentationem qualem ipse voluerit, sed decentem pro qualitate status & facultatum:in cuius sustentationis quasi pretium,dotem illi tradidit, & obsequium operásque suas obligatas illi habet. Ad decentem autem sustentationem pertinent ea quę mulieres illius conditionis,& status habere,& facere solent commuuiter. Quare irrationabiliter videtur vir eiusmodi sumptus vxori prohibere. Et ideo ipsa non videtur teneri, tali prohibitioni acquiescere: nisi intercedat peculiaris aliqua ratio, cur potius ei, quàm aliis suæ conditionis & status mediocribus mulieribus, similes sumptus interdici debeant; vt esset, si deuenirent ad maiorem paupertatem, quàm sit aliorum sui status; aut plures haberent liberos:nam tunc æquitas exigit,vt & vtriusque sumptus temperentur, & vt mulier pareat viro non egredienti fines æquitatis. Immo in dubio parere quoque tenetur, neque ab illo plus exigere debet, quàm quæ communia sunt mediocribus sui status.

Nu.283. Octauum documentum est. Religiosum, qui toti alicui religiosæ familiæ præest, habet supremam illius administrationem,putà Abbatem,vel authoritate simili præditum in domo & familia religiosa:non modò posse facere eleemosynam; sed etiam teneri quidquid superest vltra necessitates monasterij,erogare in pias causas:iuxta illud Christi *Luc.* 11.Quod supereſt date eleemosynam.]In quam sententiam citatur cap. Quia tua. 12.quæst. 1. cui Abulens.ad cap. 6. D.Matth. quæst.60. rationem addit: quia ad Abbatem & eiusmodi alios pertinet considerare totale bonum monasterij,atque adeo iudicare quid in eo sit necessarium,& quid ita superabundans, vt possit & debeat in eleemosynam dari,iuxta fidelium voluntatem à quibus largita sunt monasterio: quæ non fuit vt Monachi diuites efficerentur, cùm profiteantur paupertatem:sed solùm vt sustentarentur: ac quod eorum sustentationi superesset, in alios pauperes erogaretur: de quoquidem superabundante,non est iudicandum tantùm secundùm necessitates præsentes:sedetiam secundùm eas quæ probabiliter possunt euenire,vt bene idem Abulensis ibid.ostendit.

CAPVT XXII

De bonis de quibus fieri debet eleemosyna.

SVMMARIVM.

284 *Bonorum varia distinctio.*
285 *De bonis quæ possidentur in communi,quomodo possit fieri eleemosyna.*
286 *Ex bonis alienis extra necessitatem extremam, non potest eleemosyna licitè fieri, sine domini consensu.*
287 *De bonis illicitè acquisitis quæ certis personis restituenda sunt,nec debet fieri eleemosyna.*
288 *Quæ sint talia bona.*
289 *De eorum numero esse acquisita per vsuram.*
290 *Quando sint item ea,quæ Aduocati, Medici, & operantes manibus accipiunt supra iustum stipendium*
291 *Quando acquisita per ludum non possint dari in eleemosynam.*
292 *Illicitè acquisita quæ nec retineri possunt,nec certis personis restituenda sunt,dari debẽt in eleemosynam.*
293 *De illicitè acquisitis quæ retineri possunt, eleemosyna potest fieri,dummodo vitetur scandalum & quando de acquisitis per meretricium.*
294 *De acquisitis per artes & actiones prohibitas.*

AD huius rei explicationem,distinguendum est de bonis: quædam enim sunt licitè acquisita,&quædam illicitè: illorúmque alia possidentur vt propria, quorum scilicet dominium soli possidenti competit: & alia vt communia, quorum videlicet dominium pluribus competit in cõmuni.Horum autem, *illicitè inquã acquisitorum*,quædam certis personis restituenda sunt,nempe iis quæ læsa sunt illicitè accipiẽdo:cuius generis bona cẽsentur esse,quę per furtum,rapinam,concussionem,iniustè incussum metum,fraudem, aliáue id genus media,sunt acquisita. Quædam verò licèt certis personis restituenda non sint, licitè tamen retineri non possunt:cuiusmodi cenſentur quę per simoniam aliúdue peccatum quo pretium accipitur pro eo quod dandum fuit gratis, sunt acquisita. Quædam demum quæ quamuis turpiter acquisita sint, licitè tamen,vt propria retineri possunt: qualia sunt quæ acquiruntur per meretricium, aut per contractum cum excõmunicato,aut per negotiationem in tempore aut in loco sacro factam,& eiusmodi alia; quæ modo quidem illicito acquirantur, non tamen impediente liberam dominij translationem: itaut ea efficiantur possidentis, ísque possit illa retinere tanquam propria. Quæ cùm ita sint, proposita quæstio his propositionibus explicatur.

Prima est: Ex propriis bonis licitè acquisitis,non tantùm posse, sed etiam debere fieri eleemosynam: dummodo is qui talium bonorum possessionem habet, habeat simul eorum administrationẽ.Hæc satis patet ex dictis in præcedenti capite.

Nu.284.

Secunda est: Ex bonis quæ ita possidentur in communi, vt illorum certa portio sit, vnicuique debita, nec quidquam illius ad communem massam pertineat, quin distribuatur inter singulos, non posse licitè fieri eleemosynam, nisi de consensu expresso, aut rationabiliter præsumpto singulorum, quorum interest. Hæc probatur: tum per cap.Cùm omnes de constitutionibus iuncta glosa: tum ratione: quia iniuria fieret alioqui iis,sine quorum consensu alienarentur, certum ius habentibus ad aliquam portionem talium bonorum. Hinc, vt Medina notat *in Cod. de eleemosyna,quæst.*4.*versus finem*,sociis aliqua in communi possidentibus, non potest vnus sine aliorum consensu saltem rationabiliter præsumpto, eleemosynam ex illis facere. Neque maior pars Capituli ex bonis quæ prædicto modo possidentur, aliquid alienare potest,etiam erogando in eleemosynam, nisi omnium quorum interest accedat consensus. Quod enim ad omnes attinet ab omnibus approbari debet, *vt habet regula* 29. *iuris in sexto*. Sic ergo, inquit Medina,Capitulum extra casum necessitatis, de bonis communibus iure distribuendis inter Canonicos &Portionarios,eleemosynam facere nequit sine eorum consensu expresso,aut rationabiliter præsumpto: nisi consuetudo contraria legitimè præscripta,ius eidem Capitulo tradiderit ad talia bona sine consensu. Portionariorum dispensanda.

Nu.286. Tertia propositio est: Extra necessitatem extremam, aut sine domini consensu expresso aut rationabiliter præsumpto, non debere fieri eleemosynam ex bonis alienis. De hac inter omnes constat. Tum quia eleemosyna præcipitur fieri ex propriis *Esa.* 58. Frange esurienti panem tuum:] idque natura eius postulat, cùm sit donatio,qua in aliũ gratuitò transfertur rei dominium: quod non habetur in re aliena: de qua proinde eleemosyna fieri non potest. Confirmatur: quia eleemosyna facta ex alieno non placet Deo: vt satis indicat Sapiens cùm *Prouerb.* 3. præcipit, Honora Dominum de tua substantia.] Immo ei displicere patet: quia est vsurpatio rei alienæ inuito Domino; & per consequens peccatum contra septimum præceptum decalogi: ideóque illam Deus auersatur:sicut & sacrificium illud, de quo dicitur *Ecclesiastici* 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperis,quasi qui victimat filium in conspectu patris.]Itaque,*vt dicitur in cap.Eleemosyna*,14.*quæst.* 5.Eleemosyna oculis Redemptoris nostri illa placet, quæ non ex illicitis, & iniquitate congeritur;sed de rebus concessis bene acquisitis, impenditur.] Accedit quod violatio charitatis per eleemosynæ omissionem, tribuatur non quidem cuilibet,sed habenti substantiam huius mundi,1.*Ioan.*3. per quod indicatur eleemosynam faciendam esse de bonis quæ quisque habet, non de alienis.Procedit autem hæc propositio quantumcumque is de cuius bonis accipitur, eleemosynam facere teneretur; & negligeret facere, *vt bene docet Abulen.ad cap.*6.*D Matth.quæst.*49. Nó enim est cuiusque adigere alterum ad id, ad quod tenetur. Vnde *ex cap.Non est* 1.*quæst.* 1. Qui hac intentione mala accipit, vt bene dispenset, grauatur potius quàm iuuetur.]& *ex cap. fortè* 14. *quæst.*5. etiamsi totum quod abstulit tribuat pauperibus,addit potius peccatum,quàm minuat.

Nu.287. Quarta propositio est, de bonis illicitè acquisitis, quæ certis personis,*iuxta cap. Si res aliena* 14. *quæst.* 6. restituenda sunt, non esse faciendam eleemosynam. Hæc,quam D.Thomas habet 2.2.*quæst.* 32. *art.*7. manifesta est ex præcedenti; receptaque communiter nemine contradicente, *vt notat Abulensis in præced. quæst.* 46. Et confirmatur: quia illud quod quis restituere tenetur non est suum, sed eius cui restituendum est. Nec obstat illud *Luc.*16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Non enim sensus est, de iniquè acquisitis faciendam esse eleemosynam:sed de diuitiis,quæ licet iusto titulo possideantur;tamen iniquitatis arma esse possunt,distributæque sunt inæqualiter: itaut vno egente alius superabundet. Cuius loci alias interpretationes D.Thomas, & post eum Abulen. adfert: *ille in eod. art.* 7. *ad* 1. *& hic in in præced.quæst.*36. Quænam autem sint illa, quæ illicitè acquisita certis personis restituenda sunt, docebitur in sequenti lib. 15.cùm agetur de eo cui faciendа est restitutio,cuius obligatio orta est ex iniusta acceptione.

Nu.288. Hic solùm monendum est ex eodem D. Thoma, quòd illa sint per furtum, aut per rapinam, aut per vsuram acquisita: atque ex iis quæ sunt duorum priorum generum posse, *prout notat Abulens.in sequent. quæst.*48. fieri eleemosynam,si sint pecuniæ; dummodo aliæ æquales restituantur: non autem si sint res aliæ; vt animalia, vestes, libri aut similia: Cuius differentiæ ratio est ex ipso D.Thoma;quòd in pecunia nihil spectetur aliud quàm valor; qui vt supponimus idem est in re quæ subrepta fuit, & in ea quæ restituitur. In aliis vero rebus spectetur quantum placerent Domino,quæ oblatæ sunt,& quantam caperet ex eis voluptatem: quod nequit pretio compensari, nisi ex eiusdem domini æstimatione, atque consensu.

Nu.289. De tertio genere autem: hoc est de acquisitis per vsuram;latè quidem Aragonius disserit in expositione D. Thomæ:sed satis est notare, non posse magis de illis fieri eleemosynam, quàm de acquisitis per furtum,vel rapinam,ex cap. Nolite 14. *quæst.* 5. & ex eo quòd secundùm sententiam probabiliorem,*quam Caiet. benè confirmat in tomo* 2. *opusc. tract.* 8. *quæst.* 1. in vsuratium non transferatur dominiũ eorum quę soluuntur, quamuis transferatur possessio: sicut nec abiicitur dominium mercium, cùm ob tempestatem eæ abiiciuntur in mare; sed solùm possessio: vnde si maneant saluæ,non sunt primò occupantis, sed primi domini.

Nu.290. Idem dicendum est de datis Iudici,quasi redimendæ vexationis causâ,vt proferret iustam sententiam, vel ne proferret iniustam: aut testi,ne taceret veritatem, vel ne diceret falsum, *ex Abulen. ad cap.* 6. *D. Matth.quæst.*44. Idem quoque de iis quæ Aduocati aut Medici aut manibus operantes acceperint supra stipendium determinatum ipsis lege, vel consuetudine, vel conuentione cum parte: *iuxta eundem in sequen. quæst.* 47. quia rationem habent furti: vtpote per concussionem vel fraudem extorta, ideoque restituenda danti.

Nu.291. De acquisitis per ludum D. Thomas *in cit.art.*7.*ad* 2. statuit non posse in eleemosynam dari ab eo qui lucratus est ludendo cum eo,qui rem suam non potuit alienare: vt cum minore,furioso,vel alio huiusmodi; aut cum eo quem ex cupiditate lucrandi traxit ad ludum. Ratio est quia tenetur talia restituere tanquam acquisita per acceptionem iniustam, ab eo qui dominium transferre non potuit, aut à ratione alienus fuit. Quam doctrinam habet quoque Abulensis *in sequen. quæst.* 56. in quatuor præcedentibus latiùs differens de ludo,vt & Bañes in interpretatione D.Thomæ. Sed de eo commodius in sequenti libro decimo num.384. & aliquot sequentibus.

Nu.292. Quinta propositio est de bonis illicitè acquisitis, quæ nec certis personis restituenda sunt nec retineri possunt, eleemosynam esse faciendam. Hæc quoque est D. Thomæ *in eod. art.*7. & communiter recepta vt notat Gregor. à Valen. 2.2. *disput.*3. *quæst.* 9. *punct.*5. *sub finem*. Probatur verò, quia eius generis illa sunt quæ tam dantur, quàm accipiantur contra iustitiam diuinæ legis: quæ cùm nec recipiens, *tanquam*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quam iniquè parta, retinere debeat, nec restituenda sint danti, qui eorum dominium à se in alium transtulit: neque *ex suppositione*, debeantur alicui certæ tertiæ personæ læsæ: sane pro Deo, cuius honor læsus est, eroganda sunt in pauperes, siue in pias causas. In exemplum istius generis bonorum D. Thomas adfert acquisita per simoniam, & similia; qualia censentur data & accepta ad ferendam iniustam sententiam, aut ad dicendum falsum testimonium. De quibus in interpretatione D. Thomæ satis fusè Aragonius, & ante eum Abulensis *quæst. 39. & 44.* sicut & de eo quod quæritur, Num præceptum sit an solummodo consilium talia in eleemosynam erogare, ante condemnationem Iudicis: de quo etiam in sua interpretatione Bañes. In iis verò hîc non hærebimus, quia satis nota fient ex dicendis in sequenti lib. 10. num. 175. & aliquot sequentibus.

Nu. 293. Sexta propositio est de bonis illicitè acquisitis quæ retineri possunt, eleemosynam fieri posse. Hæc adhuc est D. Thomæ ibidem: & probatur quia talium habetur dominium. Ergo de illis tanquam de propriis bonis potest eleemosyna fieri: nisi, *vt D. Thomas addit*, scandalum inde nasceretur; propter quod, & propter diuinorum reuerentiam, prohibita est meretricis oblatio publica per illud Deut. 23. Non offeres mercedẽ prostibuli in domo domini.] Itaq; iuxta propositionem hanc, de eo quod meretrix in moderatam mercedem suæ prostitutionis acceperit, eleemosynam facere potest: nisi, *quod latius explicat Abulens. ad idem cap. 6. quæst. 37.* sub alterius potestate constituta, suorum bonorum administrationem non habeat; vel acceperit ab eo qui alienare non potuit. In illo enim casu donare, & in hoc retinere non potest acceptum, per dicta in præced. capite. Quibus adde & illud quod ipsa per blanditias & fraudem extorserit: quia cùm tale censeri non possit liberaliter donatum, ea non fecit illud suum.

Nu. 294. Similiter *ex eodem Abulensi in sequen. quæst. 38.* potest histrio vel mimus de acquisitis per suam artem facere eleemosynam. Itémque leno de acquisitis per lenocinium *ex eod. in quæst. 40.* ac etiam *ex sequen. qu. 41.* ac sortilegus, de acquisitis per sortilegium, necromantiam, & alias artes prohibitas. Ratio enim eadem est omnium: nempe quod quamuis actus per quos lucrum fecerunt, prohibiti sint iure; non tamen idipsum lucrum est prohibitum: itaut possint illud retinere tanquam iustum, seu nullo iure de se prohibitum, atque adeo eleemosynam ex eo facere. Eadem ratione *in sequen. quæst. 43.* idipsum de iis addit, quibus siue ratione sui status, siue ratione temporis, non licebat venari: nempe, quòd de acquisitis per talem venationem possint facere eleemosynam, si ea nullius certi domini fuerint, sed primò capientis. Id quod de cæteris pari ratione dici potest quoties modus quidem acquirendi malus est ex aliqua circunstantia: acquisitio tamen ipsa non est iniusta, seu cum proximi læsione, quæ impediat dominij acquisitionem.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

De iis quibus facienda est eleemosyna: & debito modo eam faciendi.

SVMMARIVM.

295 *Facienda est eleemosyna omnibus qui ea indigent, etiam peccatoribus, & inimicis, tum nostris, tum fidei.*

296 *Quatuor casus in quibus potest quis non teneri eleemosynam facere indigenti.*

297 *Alienigenis quoque facienda est eleemosyna.*

298 *Conditiones cum quibus fieri debet.*

299 *Intentio cum qua fieri debet.*

300 *Ordo in ea seruandus.*

301 *Nouem, ratione quorum vnus potest alteri præferri in eroganda eleemosyna, ad duo reuocata.*

302 *Quis cui in eleemosyna eroganda præferendus sit in particulari statuere est difficile.*

303 *Inter necessitates, publica priuatæ, & inter priuatas, extrema graui, & hæc communi præponderare debet, cùm ea de re agitur.*

304 *Distributor eleemosynarum alienarum potest seipsum aliis præferre, si similiter egeat.*

305 *Iustus minus indigens, peccatori magis indigenti præferendus est.*

306 *Aliquando bonus præferri potest consanguineo.*

307 *Pater, mater, vxor & filius in extrema necessitate præferri debent, ei qui à morte liberauit.*

308 *Quando & frater.*

309 *Quando liceat in extrema necessitate alium nobis præferre.*

310 *Parentes in extrema necessitate præferri debent filiis, non item extra eam.*

311 *Pater debet præferri matri.*

312 *Parentes sunt vxori præferendi in extrema necessitate, non item extra eam.*

313 *Vxor præferenda est filio.*

314 *Pater corporalis præferendus est patri spirituali in eroganda eleemosyna.*

315 *Duplex genus debiti, de quo vtroque potest fieri eleemosyna extremè indigenti.*

316 *Quando parentes, vxor, & filij extremè indigentes, forte etiam fratres, præferri possunt creditori presso pari necessitate.*

317 *Quando præferendi coniunctiores sanguine, coniunctioribus spiritu, vel contrà.*

318 *Ratio qua debet eleemosyna esse larga ex parte dantis.*

319 *Ratio qua ex parte recipientis.*

CVM dicat Dominus noster Luc. 6. Omni petenti te tribue, dubium non est, ex obligatione proposita in præced. cap. 20. faciendam esse eleemosynam omnibus proximis qui illâ indigent, & quatenus indigent. *Nu.* 295.

Peccatoribus etiam, & inimicis, itemque extraneis faciendam esse eleemosynam.

SECTIO I.

NEque peccatorum faciendam esse exceptionem tanquam inimicorum Dei, patet ex eo, quod Matth. 5. iubemur imitatores esse Patris nostri cœlestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Nec item inimicorum nostrorum, tanquam indignorum nostrâ ope: quia præcipit Apost. ad Rom. 12. Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitierit potum da illi.] Si obiicias illud Ecclesiastici 12. Da misericordi, & non suscipias peccatorem.] Respondet D. Thomas 2. 2. *quæst. 32. art. 9. ad 1.* id intelligendum esse de peccatore quatenus peccator est; *qua ratione ne quidem amandus est*; sed quatenus proximus iuxta illud *in cap. Odio, distinct. 86.* Odio habeantur peccata, non homines.] Aut certè intelligendum est de casu, in quo probabiliter constat futurum esse, vt qui eleemosyna egent, si ea

si ea fiat non resipiscant à suis peccatis. Sicut enim sub mortali tenemur tales corripere, quando spes est correctionis; sic eâdem de causâ tenemur illis eleemosynam subtrahere: iuxta illud *ex D. Augustin. relatum in cap. Non omnis 5. quæst. 5.* Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quàm esurienti panis frangatur, vt iniustitiæ seductus acquiescat.] De qua re Medina *in Cod. de eleemosyna quæst. 7.* & Abulens. *ad cap. 6. D. Matth. quæst. 62. & 64. Vbi ad tertium*, monet de reipublicæ hostibus, & inimicis fidei, idem esse dicendum ac de aliis peccatoribus: nempe quòd illis in necessitate subueniri debeat, quantum ad hoc, vt non pereant; non autem, quantum ad hoc, vt in aliquo confortentur ad impugnandum vel rempub. vel sanctam fidem.

Nu. 296. Nota autem cum Cardinali Toleto in tract. de peccatis capital. cap. 31. posse aliquem in quatuor casibus non teneri eleemosynam erogare indigenti.

Primus est, cùm is laborare potest, & comparare sibi victum, vultque vacare, & torpere otio, nisi esset talis persona, cui multum indecens, adeóque ignominiosum esset seruire aliis, aut manibus laborare. Secundus est, cùm ex acceptione eleemosynæ occasionem caperet peccandi, seu perseuerandi, in peccato. Tertius est, cùm per iustam sententiam Iudicis condemnatus esset fame perire. Quartus, cùm oppugnaretur iusto bello, & cogeretur fame pressus se tradere: in quo casu graue peccatum esset cibum ei præbere, sicut & in secundo, non item in duobus aliis.

Nu. 297. Si quæras an alienigenis facienda sit eleemosyna sicut indigenis: respondetur affirmatiuè, quia & tales verè sunt proximi ex charitate diligendi, & vnicuique mandauit Deus de proximo suo.] *ex cap. 17. Ecclesiastici.* Confirmatúrque per illud quod Tobias filio inculcat in cap. 4. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuã ab vllo paupere.] Vnde Medina *in cit. quæst. 7. §. Hæc deberent*, damnat reip. rectores, statuentes vt omnes pauperes extranei seu aliunde venientes, à suis populis expellãtur; nec nisi per vnum aut alterum diẽ, in populo commorari permittantur: hoc enim non est præceptum de eleemosyna datum implere sufficienter: quandoquidem necessitate proximi durante, durat & obligatio subueniendi illi. Videant ergo quàm grauiter peccent qui non modo eam subuentionem negant: sed etiam miseros baculis à se abire compellunt. Quanquam tamen, vt idem ibidem monet, quando populus pauperes suos, & extraneos simul alere non posset, tunc cæteris paribus potius naturalibus, quàm extraneis esset subueniendum. Quæ est etiam doctrina Alphonsi à Castro *in lib. 1. de lege pœnali cap. 5. documento 1. in explicatione tertij defectus propter quem lex potest fieri iniusta.* Cui nõ obstat, quòd extranei non sint satis noti: qui non requiritur vt examinemus quales sint qui eleemosynam petunt, cum indifferenter omnibus quantum possumus, subuenire debeamus, vt Medina *loco cit. §. Sunt etiam*, probat aliquot Patrum authoritatibus; & latiùs *in sequenti qu. 67.* tractat Abulen. Textus autem est expressus in cap. Quiescamus distin. 42. vbi hæc ratio tangitur quòd faciendo tale examen, aliquando volentes excludere malos pauperes, excludemus bonos; sicut si Abraham & Loth illud fecissent, fortasse nõ recepissent Angelos hospitio. Neque periculum est amissionis fructus, cuicumque eleemosynam demus ad ipsius sustentationem: quia Deus non retribuet mercedem, secundùm differentiam eorum quibus ea datur; sed secundùm differentiam voluntatis eorum à quibus propter Christum datur alicui tanquam pauperi eiusdem Christi. Videri potest Abulensis. Quod si non possumus subuenire omnibus, qui præferendi sunt intelligemus ex paulo post dicendis.

Restat hic ostendendum, faciendam esse eleemosynã, non modo iis pauperibus qui inopiã inuoluntariã patiuntur; sed etiam iis qui voluntariã paupertatem sunt complexi iuxta Christi consilium *Matth. 19.* Si vis perfectus esse vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.] Sed nobis satis est excommuni Ecclesiæ vsu, abundè patere rei veritatem, cuius contrarium docens Ioan. Vvicleff damnatus est in concil. Constantiensi sess. 8. Videri possunt D. Thomas opusc. 19. cap. 7. Méd. qu. vltima de eleemosyna, Bellarm. tom. 1. in controuersia de membris militantis Ecclesiæ lib. 2. cap. 42. & sequentibus Greg. à Valen. 2. 2. disput. 10. quæst. 5. nam in ea re immorari non est huius nostri instituti. Porro vt debito modo fiat eleemosyna, quædam sunt attendenda, seruandáque ex parte ipsius eleemosynę, quædam ex parte illius cui fit, & quædam ex parte bonorum ex quibus fit.

Attendenda & seruanda ex parte eleemosynæ, vt ea debitè fiat.

SECTIO II.

ATque attendenda & seruanda ex parte ipsius eleemosynæ sunt primò, vt fiat ex charitate seu propter Deum; alioqui enim meritoria non esset: dicente Apostolo *in priore ad Corinth. 13.* Si distribuero in cibos pauperum omnes facultate meas, & si tradidero corpus meum, itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *Nu.* 298.

Secundò vt fiat promptè, non autem extorqueatur importunis precibus, nec differatur de die in diem: iuxta illud *Prouerb. 3.* Ne dicas amico tuo vade & reuertere, cras enim dabo tibi, cùm statim possis dare.] Cuius promptitudinis præclarum exemplum habetur in Abraham *Genesis 18.* rogante hospites vt ad se diuerterent, nec expectante vt ab illis rogaretur. Itemque in Loth idem faciente *Gen. 19.* & etiam, in Tobia, per singulos dies pergente ad pauperes quibus eleemosynas faceret *ex c. 1. historiæ ipsius.*

Tertio vt fiat hilariter, iuxta illud *posterioris ad Corinth. 9.* Non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorẽ diligit Deus.] Quartò, vt fiat humiliter, existimando se non dare, sed accipere beneficium: cùm dicat Dominus *Lucæ 16.* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.] nam vt ait D. Gregor. *in lib. 21. Moral. cap. 14.* Si eorum amicitijs æterna tabernacula acquirimus; dantes procul dubio pensare debemus, quia patronis munera potius offerimus, quàm egenis dona largiamur. Quintò vt fiat mus, quàm egenis dona largiamur. Quintò vt fiat abundanter, pro modo propriarum facultatum; iuxta illud Tob. 4. Quomodo potueris ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Et certè, *vt notatum est à D. Chrysost. hom. 37. ad populum Antiochenum*, Qui dicit Deo, Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, debet pauperum misereri secundùm magnam eleemosynam suam. Quæ magnitudo spectari potest *(vt notat Bellarm. in controuersia de bonis operibus lib. 3. cap. 5.)* tum ex magnitudine rei quæ datur, tum ex promptitudine voluntatis ad dandum, tum demum ex dignitate personæ quæ eleemosynam facit. Nam cæteris paribus, semper maior eleemosyna censetur esse, & Deo gratior, quo plura, vel pretiosiora dantur: quia do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

num ipsum,absolutè maius est.Itémque cæteris paribus, quo maiore voluntatis promptitudine, & feruore datur; quandoquidem ea promptitudo includit voluntatem plura dandi si supperetrent. Ac demum cæteris quoque paribus, eleemosyna Deo gratior est,quo ille à quo proficiscitur, sanctior est, & Deo ipsi gratior,iuxta illud quod ex Genesi cap. 4. habetur. Deum ad Abel respexisse primùm, deinde ad munera eius. Quod si tria hæc inter se conferantur,primum locum (*vt notat quoque Bellarm.*) obtinebit promptitudo voluntatis: secúdum sanctitas personæ:& postremum,rerum quo donantur magnitudo vel pretium. Pro quo facit quòd Dominus *Luc.* 21. eleemosynam duorum minutorum viduę pauperis, antepoſuerit ingentibus donariis diuitum: eoquod scilicet, illa dans totum victum suum, parata erat si potuisset, plura & maiora donare,quàm diuites donarint, superans cæteros in eo voluntatis actuali feruore,quibus inferior fuit, in doni magnitudine.

Attendenda & seruanda ex parte facientis eleemosynam.

Sectio III.

NOtat Abulens. *ad cap.6. D. Matth. quæst.* 68. ex parte facientis eleemosynam tria attendenda, seruandáque esse;nempe iustam intentionem, & ordinem. Iustum autem seruatur cùm quis eleemosynam de eo dat, cuius liberam iure habet administrationem, iuxta antedicta in cap.21. De intentione verò seruanda in eleemosyna eroganda, trademus aliquot documenta sub finem huius capitis.

*Nu.*299. Nunc notandum est solùm principalem intentionem facientis eleemosynā, debere esse Dei gloriam. Non enim mercedem referet si suam gloriam principaliter intendat,vt patet ex cap.6. D. Matthæi;aut si remunerationē refundendā à recipiente, principaliter propositā habeat.Hinc Dominus *Luc.*16.monet ad conuiuium inuitandos esse,nō illos qui reinuitare possunt,itaut fiat retributio:sed illos qui non habent retribuere,& retribuetur in retributione iustorū:]aut denique si voluptatis suæ tantùm gratiā illam faciat; quia non laude & præmio, sed vituperio & pœna esset digna, tanquam relata ad malum aut saltem indebitum finem : qualis, *ex eodem Abulens. in præced. quæst.67.sub fin. ad idque facit cap. Donare distinct.*86. censenda est,quę histrioni,aut cytharœdo,aut alicui cæterorum, quorum artes ad solam oblectationem comparatæ sunt,datur vt suis artibus vtantur:non ad Dei gloriam,aut ad aliquam necessitatem: sed ad solam voluptatem. Ratio horum est, quòd ad meritum requiratur vt opus fiat ex charitate; quā nihil plus, nec tantùm amatur quàm Deus. Quòd si minus principaliter ex eleemosyna quæratur aliquod temporale commodum licitum, non perdetur quidem omnino meritum illius,minuetur tamen : quia intentio erit minus sincera. Porro censetur eleemosyna ob temporale commodum principaliter fieri, quando nec propter Deum ea fieret, si illud non expectaretur : fieri verò minus principaliter ob illud; quando etiamsi ipsum non sperаretur, nihilominus eleemosyna ipsa daretur propter Deum.

*Nu.*300. De ordine autem attendendo & seruando à faciente eleemosynam,notandum est: illum esse quem exigit charitas, cuius inseparabilis comes est eleemosyna iuxta illud 1. *Ioan.* 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessse habere,& clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo? Ilam verò, vt ex Aristot. 9. *Ethic.cap.*2. D.Thomas habet 2.2. *quæst.*31.*art.*3.*ad* 3. benéque declarat Abulensis *in seq. quæst.* 69. quis sit ordo ille quem in eroganda eleemosyna seruari charitas exigit, explicari non potest vniuersali regula; sed oportet ex inspectione circumstantiarum de eo decernenda committere prudentis arbitrio : cui ad id sequentia documenta poterunt vsui esse.

Primum est, cæteris paribus in eleemosyna largienda præferendos esse meliores. Ratio est quia cùm sint magis digni vitā, subueniendum potius est illorum vitæ, nec ipsi de bonitate debent reportare incommodum, vt nec mali de sua malitia commodum. Secundum est:cæteris paribus, constitutos in maiori necessitate præferendos esse. Ratio est quia instituitur eleemosyna ad subueniendum necessitati indigentis; ideoque de se exigit vt potius fiat magis, quàm minus indigenti. Tertium est,cæteris paribus præferendos esse eos à quibus salus communis, siue corporalis siue spiritalis maximè pendet. Ratio est, quia bonum commune anteponendum est bono particulari:tanquam salus totius, saluti partis: prout bene explicat D.Thom. 2.2.*quæst.*26.*art.*3. Quartum est,cæteris paribus præferendos esse coniunctiores; cóque magis quo plures coniunctiones fuerint: sanguinis,vel affinitatis;societatis vel instituti vitæ:aut quo maius aut arctius in eodem genere fuerit coniunctionis vinculum. Ratiō est quam habet D.Thomas,& latius persequitur Abulen. *ille in præced. quæst.* 31.*art.*3. *& hic quæst.*65.quòd gratia atque virtus imitentur naturam, quæ suam actionem prius effundit in propinquum, quàm in remotum;vt patet ex igne calefaciente, & ex aliis passim. Quintum est, illum cæteris paribus præferendum esse, qui ius habet ad rem,quæ in eleemosynam erogatur. Ratio est, quia obligatio quæ nascitur ex iustitia, maior est eâ, quæ ex liberalitate: vnde licet aliquando maior affectus debeat esse ad eum cui deuincti sumus ob accepta beneficia,quàm ad eum cui aliquid ex iustitia debemus;eoquod plus ex illo boni, quàm ex hoc in nos redundauerit, tenemur tamen, magis huic debitum ex iustitia,quàm illi debitum ex gratitudine, persoluere. Sextum est,benefactorem cæteris paribus,esse aliis præferendum; quoniam ei debitores sumus, & in beneficiendo magis est attendendum,vt reddatur quod debitum est,quàm vt gratis impendatur, quod debitum non est.

His adde, *ex glosa ad cap. Non satis distin.*86. *verbo Liberalitas* : nouem numerari,ratione quorum vnus potest præferri alteri in erogatione eleemosynæ. Primum est fides,Secundum causa, nempe captiuitas. Tertium locus.Quartum tempus.Quintum modus. Sextum necessitudo. Septimum ætas. Octauum debilitas. Nonum nobilitas. Quæ Abulen. tractat ad cap.6. D.Matth. quæst.68. & in sequen.quæst. 69. reuocat ad duo:nempe ad bonum,& ad necessarium. Ad bonum quidem,fidem,& nobilitatem, quia melius est dare eleemosynam fideli quàm infideli, & fideli iusto quàm iniusto:iuxta illud *ad Galat.* 6. Dum tempus habemus operemur bonum,maximè ad domesticos fidei:& illud *in cit.cap. Non satis.* Et si omnibus debetur misericordia, iusto amplius. Item melius est dare pauperi nobili propter ipsius verecundiam (quæ,vt dicitur in cap. Consideranda. distinct. 86.ingenuos prodit natales)quàm ignobili.Ad quod facit illud *in eodem cap. Non satis.*Qui præsertim egere erubescit.]Ad necessarium autem, reuocat septem reliqua:quia, inquit, magis necessarium est dare debili,aut seni,aut consanguineo, aut existenti in periculoso loco,aut in tempore afflictionis, aut detento in captiuitate,quàm cæteris qui talia non patiuntur. Adde & pluribus potius modicum, quàm paucis multum:is enim est modus præscriptus in cap. Dominus,eádem distinct.86.

*Nu.*301.

Attendenda & seruanda ex parte eius,cui fit eleemosyna.

Sectio IV.

*Nu.*302. DIfficultas in modo faciendi eleemosynam ex parte illius cui fieri debet, tunc maximè contingit,cùm plures simul concurrunt indigentes quibus omnibus simul satisfieri nequit, nec satis apparet quis cui præferendus sit. Quid ergo attendendum seruandúmque sit,declarare oportet quoad potest: nec enim potest plenè,cùm parum sit vniuersè dicere talе quid,esse tum necessitatem, tum bonitatem, tum etiam coniunctionem; quandoquidem in talibus etiam,tanta cōtingit varietas tam graduum, quàm magnitudinis & paruitatis; vt omnia in eis metiri,& exactè iudicare,ex quibus vnus alteri sit in eleemosyna præferendus, nō modo difficile sit, sed etiam penè impossibile. Quis enim explicet & expendat sufficienter, quot & quibus gradibus possit vnus alio egentior esse,aut melior, aut coniunctior; aut egentior quidem non tamen melior,aut coniunctior:adeout ex Medina *in Cod. de eleemosyna quæst.* 7. *sub finem* : in particularibus casibus cùm res non est parens, pendere oporteat ex interiori vnctione, seu diuina inspiratione:quæ,*si adsint bona fides ac sana conscientia*, non deerit quærentibus, vt par est, maiorem Dei gloriam : præsertim si exequantur quæ suarum sunt partium,siue in inquirendo prudentiorum consilio,cùm se sibi non sufficere senserint: siue in ponderandis, & quasi commensurandis inter se trium prædictorum(hoc est,necessitatis,bonitatis,& coniunctionis) variis gradibus magnitudinis, aut paruitatis concurrentibus; vt in quo ex indigentibus,maioris sint ponderis prudenter iudicent,adiuti partim documentis antea traditis, partim sequentibus:quorum quædam certa sunt, & quædam dubia.

*Nu.*303. Primum certum est, quòd cùm necessitas possit esse vel publica vel priuata,publicam præponderare priuatæ cuique; etiam extremæ tam propriæ : quàm alienæ;& tam bonorum quàm malorum,& tam coniunctorum quàm alienorum. Vt enim pars toti, sic priuatum publico subseruire debet. Et hac ratione procedit quod D.Thomas 2. 2.*quæst.*31.*art.*3.*ad* 2. ait iuuandum esse potius communitonem extraneum, quàm cognatum aduersarium.

Secundum est, *de quo Abulensis ad cap.6. D.Matth. quæst.*69. Inter priuatas necessitates, extremam præponderare, quantumcumque aliæ inueniantur esse cum maiore bonitate,& maiore coniunctione; quoniam talis necessitas maximè omnium reddit hominem commiseratione dignum. Itaque si extraneus peccator grauissimus extremè egeat præferēdus est, etiām patri viro sancto non egenti extremè. Aduerte verò ex eodem Abulen. ibid. duobus existentibus in extrema necessitate; si vnius necessitas maior sit eoquod ipse propinquior sit morti,cui subueniēdum sit statim: & alter possit adhuc expectare, aut possit ei subueniri alio modo, præferendum esse positum in præsentiori periculo : aliàs autem præferendum esse meliorem,aut coniunctiorem.

Tertium est, grauem quoque necessitatem præponderare cōmuni necessitati,hoc maximè nomine, quòd inter omnes constet, esse de præcepto illi subueniendum:non constet autem de necessitate communi:vt patet ex iis quę in cap.20.dicta sunt de duobus primis controuersis. Aduerte autem ex Abulen. *in ead.quæst.*69. quando vna grauis necessitas grauior est altera,non esse quem præferendum eo ipso,quòd grauiorem patiatur;quia excessus bonitatis,aut coniunctionis in altero, potest prudentis arbitrio præponderare tali excessui.Neque enim si extraneus aliquanto plus egeat quàm pater, neutérque sit in extrema necessitate,debeo illi subuenire potius, quàm patri si non possim vtrique.

Quartum est,eum qui necessitatem solùm communem patitur, præferendum esse nullam patienti, etiam bono & coniuncto,vt intelligitur ex eo,quòd Dominus *Luc.*14. Facientem prandium : aut cœnam monet non vocare amicos, aut fratres, aut cognatos,aut vicinos diuites,sed pauperes.

*Nu.*304. Quintum est,distributorem eleemosynarū alienarū,posse seipsum,aut suos præferre,si perinde egeant ac alij,quibus alioqui erogarentur. Hoc habetur ex D. Thoma 2.2.*quæst.*32.*art.*9.*ad* 3. Et probatur quia officium dispensatoris non facit ipsum deterioris conditionis,quàm esset sine eo. Vnde non sunt damnandi Ecclesiastici,qui in eleemosynis quas pauperibus debent ex suis redditibus facere, præferunt aliis suos pari necessitate pressos,nec minus dignos. Pro quo facit cap.Est præbenda distinct.86.

*Nu.*305. Primum dubium est, An peccatori magis indigenti sit potius danda eleemosyna,quàm iusto minus indigenti. Ac pro parte affirmatiua facit,quòd eleemosyna sit actus misericordiæ, cuius motiuum est non bonitas, sed indigentia proximi. Negans autem videtur probabilior;quia licet in magis indigente sit maior misericordiæ materia, tamen in magis iusto, maior est materia charitatis, quæ in amore consistens, habet bonum pro obiecto. Iam verò Christianus in agendo rationem potissimùm habet charitatis : ex qua bonitas, & valor actus magis crescit, quàm ex quacumque alia virtute. Immo ex ea, reliquæ virtutes habent,vt aliquid apud Deum valeant.

*Nu.*306. Secundum dubium est,An in eleemosyna eroganda aliquando bonitas præponderet coniunctioni. Ac pro parte negatiua facit quod D. Thomas 2. 2. *quæst.* 26.*art.* 8. docet, consanguineos cæteris præferendos esse in iis quæ pertinent ad naturam, seu ad naturæ sustentationem & conseruationem.Sed affirmans tenenda est,prout ad eum D. Thomæ locum tenent Bañes & Aragon. itémque Gregor. à Valen. *disput.*3.*quæst.*4.*puncto* 5.*corol.*5. quia siue bonitas dicatur quā quis in se bonus,& ex consequenti,amabilis est: siue qua nobis bonus, seu benefactor noster est; inueniri potest ratio ob quam prudentis arbitrio extraneus præferendus erit consanguineo : vt cùm hic fuerit tantùm in tertio aut quarto gradu : & ille ob summam probitatem fuerit amicissimus,aut nos beneficiis suis deuinxerit. Dictum verò D.Thomæ intelligendum est cæteris paribus. Qua ratione nihil obstat quin filio si sit moribus perditis, extraneus optimè moratus, aut de nobis optimè meritus, præferatur.

*Nu.*307. Tertium dubium est, An is qui nos à morte liberauit præferendus sit in extrema necessitate quibuscumque nostris consanguineis. Pro cuius parte affirmatiua facit, quòd maximi ponderis sit charitas & fortitudo, qua liberator vitam suam liberrimè in nostram defensionem exposuit. Sed congruenter doctrinæ D.Thomæ 2.2.*quæst.*31.*art.*3.*ad* 3. negans tenenda videtur,saltem quoad parentes,filios &vxorem. Ex ea enim liberatione tantùm consurgit obligatio retributionis ex gratitudine, propter beneficium liberaliter collatum : ex coniunctione verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum patre aut filio, vel vxore consurgit obligatio quasi ex iustitia. Nec enim solùm ex charitate, & gratitudine, sed etiam ex pietate quæ iustitiæ rationem quamdam habet,tenetur filius patri succurrere, & pater filium educare ac erudire, eique in necessitate subuenire. Similiter ratione coniunctionis,vir vxori non solùm ex liberalitate, & gratitudine, aut vxor viro:sed etiam quasi ex iustitia debet defensionem, & subsidium in necessitate. Cùm ergo obligatio ex iustitia præponderet obligationi ex gratitudine:in necessitate extrema præferendi erunt, tum pater & mater, tum etiam filius & vxor, ei qui nos à morte liberauit: quia ad illos iuuandos arctior est obligatio, quàm ad hunc: sicut & arctior est ad eum qui solùm commodauit, *quia est obligatio ex iustitia:* quàm ad eum qui omnino donauit: quia tantùm est obligatio gratitudinis & liberalitatis.

*Nu.*308. Quod attinet ad cæteros consanguineos; liberator,propter beneficij magnitudinem,meritò eis præferendus videtur: nisi quod fratres ob arctissimam sanguinis coniunctionem censeri possunt præferendi;quando liberator ipse absque periculo, & graui detrimento suo opem nobis tulerit: præsertim cùm obligatio gratitudinis non sit de se tanta, vt non satisfacere ei,censeatur mortale ex suo genere. Ad rationem autem oppositam, respondendum est:charitatem eam, maximi quidem ponderis esse; sed non inducere benefaciendi obligationem,cui cedat obligatio consurgens ex prædicta coniunctione.

*Nu.*309. Quartum dubium est, An in extrema necessitate possim alterum mihi præferre. Pro cuius parte negatiua facit quod ordo charitatis ex D.Thoma *in præced.quæst. 26. ad 4.* postulet vt homo magis se diligat quàm proximum; atque adeo propriam vitam corporalem præferat vitæ corporali proximi. Cùm enim iubetur hunc diligere sicut seipsum *Leuit.19.& Matth.22.* satis iudicatur, amorem sui priorem esse amore proximi cuius constituitur regula.Sed quamuis inde sequatur,quod omnium consensu receptum est,neminem in æquali necessitate priuata,teneri alterum sibi præferre:id tamen non impedit quominus possit quis laudabiliter propter Deum, sibi in extrema necessitate præferre alterum, quem nouit esse vtiliorem reipublicæ, aut Ecclesiæ; vel virum valde bonum, aut amicum, aut patrem, vel filium, aliúmve multum sibi coniunctum: de quo verificetur antiquum illud prouerbium, Amicus alter ego. Quod enim licitum sit pro alterius vita tuenda suam periculo exponere,satis indicat D. Thomas *in citato art.4. ad 2. & in seq.art.5. ad 3.* Cuius doctrinam propugnant sectatores ipsius, Caiet. inquam, Bañes, & Aragonius in suis commentariis ibidem,& Gregor.à Valen. disput.3. quæst.4. puncto 3.Franciscus item à Victoria in relectione de homicidio, & Sotus lib. 5. de iust. & iure *ille à num.* 24. *& hic quæst.*1. *art.*6. Pro qua facit:tum illud Christi,*Ioannis* 15.Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis] & illud 1. *Ioan.*3. Nos debemus pro fratribus animas ponere.] Quæ authoritates, cùm sint absque limitatione ad spiritalem proximi salutem, intelligi possunt etiam de salute ipsius corporali : quam *iuxta cap. Pasce distinct.* 86. anteponere debemus conseruationi nostrarum rerum: etiamsi pro eadem conseruatione liceat vitam corporalem exponere periculo;prout exponetur in lib.21, num. 64. & aliquot sequentibus.

Ad argumentum ergo propositum respondendū est,illud quod D. Thomas insinuat in loco prius citato;hominem seruare ordinem charitatis quando pro vita proximi propriam exponit periculo, recta ratione idipsum dictante:quia tunc sibi deligit bonū virtutis,quod in ea re cernitur præstātius,*vtpote altioris ordinis,iuxta proposita verba Domini*, quàm cerneretur in vitę corporalis conseruatione.Si opponas ideo me non posse alienum præferre patri,quòd hic in ordine charitatis, sit mihi proximus. Ergo nec posse præferre mihi.Respondetur non valere consequētiā, quia non possum præferre alienum patri sine patris iniuria;cùm ipse ius habeat, vt post me proximè, in extrema necessitate ex rebus meis alatur. Mihi autem præferendo alium non lædo meipsum:sed iuxta iam dicta,maius bonum inde consequor.

Quintum dubium est, vtrùm in necessitate, parentes debeant præferri filiis.De quo D.Thomas 2.2. *quæst.26. art.9. ad 3.* sentit (vt explicant Aragonius ibidem & Gregor.à Valen. *in citata quæst.4.puncto 5.)* in extrema necessitate præferendos esse, non autem extra eam. Quorum prius tenet Magister senten.lib. 3.distinct. 29. pro eóque refert authoritates D. Hieronymi & D. Ambrosij. Confirmatur verò quia licet filius sit maximè coniunctus: parentes tamen, præterquam quod ipsi quoque valde coniuncti sunt, beneficiis suis ita nos sibi obstrinxerunt,vt illis sicut Deo, æqualia reddere non possimus, prout notatum est ab Arist. *in 8.Ethic.cap.vlt.* Qui ea de causa *in seq. lib. 9. cap.* 2. ait filium honestiùs subuenire parenti, quàm sibi ipsi. Quare & quàm filio: sicut,& turpiùs occideret parentem,quàm filium ob apertam iniquitatem, & impietatem maiorem in eum qui illi est cum Deo vitæ author. *Nu.*310.

Pro posteriori autem aliquot,*post D.Thomam*, rationes adfert Gregor.à Valen. Hæc autem vna sufficere potest, quòd ab ipsa natura sit parentibus commissa cura filiorum; quâ sicut per generationem dederunt eis esse, ita etiam illos ad debitum vitæ statum perducunt,tanquam causæ influentes in suos effectus: qui ab illis pendent vt in acquirendo esse, ita & in eodem conseruando,ad suámque perfectionem perducendo. Hinc enim,vt Apostolus habet *in posteriori ad Corinth.cap.*12. Non debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filiis. Hinc etiam natura in parte sensitiua, indidit hominibus maiorem inclinationem ad amandum & benefaciendum filiis, quàm parentibus;vt scilicet intensior esset amor per quem toletabiliores fierent labores ordinariè suscipiendi pro filiis, qui egent ordinariè : parentes non item.Hos enim rarò cōtingit plus egere quàm filios. Dixi in parte sensitiua quia nuda voluntatis inclinatione,appretiatiuè, *vt loquuntur*,plus parentes diliguntur,quàm filij.

Quod autem addit Aragonius, in extrema necessitate subuenire filio patre relicto,non esse mortale; vt nec est relicto consanguineo in tertio gradu, non facilè admiserim : quia pondus paternæ conditionis in re tanti momenti, quanti est extrema necessitas, aliud suadere videtur : nisi contigerit patrem fuisse erga filium insigniter crudelem,aut impium: quo casu vt notat Bañes *ad præceden. art.*8. *D.Thomæ*, liceret præferre ei insignem amicum; vt eum qui nostri curam in fouendo, & educando nos susceperit, quos ille abiecerat.

Sextum dubium, An cæteris paribus pater in eleemosyna sit præferēdus matri.Ad quod D.Thom. *in cit. quæst. 26. art.* 10. respondet affirmatiuè : Tum authoritate D. Hieronymi ad cap. 44. Ezechielis: cuius verba sunt, Post rerum parentem Deum, charius quoque pater diligatur, & mater : filius, & filia, &c.] Tum ratione : quia vterque parens diligitur vt principium naturæ;sed pater est excellentius, & nobilius principium filij, quàm mater : quia ille est actiuum,ideoque similis Deo:& hæc passiuum principium. Nec refert quod mater ferat partus dolores ingen- *Nu.*311.

ratio ne beneficij quod taliter confert, maneat ad illius educationem & institutionem obligatus, ad ipsiusque bona idem filius ius habeat. Pater verò spiritalis moraliter solùm influat,*puta mouendo per instructionem*; atqueadeo dependenter à consensu filij spiritalis : neque obligatio ipsius sit tam fixa, quàm patris carnalis : quandoquidem ei liberum est relinquere ipsum educandi munus;non item patri carnali,suum. Atque hæc hactenus de ordine seruando in eleemosyna eroganda, consentanea iis quæ à D. Thoma in cit.quæst. 26. & à cæteris Theologis cum Magistro senten.lib.3.distinct.29. traduntur de ordine charitatis seruando,vt opera nostra Christo sint accepta. Ea paucis comprehensa habent Syluester in verbo Charitas quæst.2. & Nauarrus ad cap. Charitas est,de pœnit.distinct.2.5.Diligere.

Attendenda & seruanda ex parte rei, quæ datur in eleemosynam.

PRæter illa quæ iam patent ex præced.cap.22.tria videntur attendenda in re,quæ danda est in eleemosynam. Primum,An sit alteri debita, quantumcumque iustè possessa. Secundum ad quid sit de se ordinata.Tertium num melius sit totam simul quàm per partes, & paucioribus in magna, quàm pluribus in parua quantitate,eam erogare.

Circa primum autem notandum est ex D.Thoma *Nu.*315. 2.2.*quæst.*31.*art.*3.*ad* 3. vnum debitum esse quòd non est numerandum in bonis eius qui debet, sed potius in bonis eius cui debetur : vt si quis habeat aliquid commodatum,aut depositum,aut precario acceptū, aut ex furto, vel rapina, aut ex aliqua causa obligatum certæ personæ, cui restitui debeat tanquam ei proprium. Alterum verò debitum esse, quod in bonis debitoris,non autem eius cui debetur numerandum est;cuiusmodi censetur quod debetur ex mutuo,aut ex alio contractu,quo dominium rei traditæ acquiritur. Notandæ sunt præterea sequentes propositiones. Prima est, debitori non egenti extremè re sibi debita, præferendum esse alium, ea extremè indigentem.Hæc satis patet ex dictis antea.

Secunda, Si nondum aduenerit tempus solutio- *Nu.*316. nis aut restitutionis debiti:me posse meipsum, aut patrem vel matrem, vxorem, vel filium (*ac forte fratrem ob primum consanguinitatis gradum*) extrema necessitate laborantem,præferre ei cui debetur. Ratio est,quia non teneor ex iustitia, neque iure cogi possum rem debitam restituere ante præscriptum terminum elapsum : sed solùm teneor ex charitate, ex qua possum mihi,& teneor parentibus vxori,& filiis (*& forte fratribus*) prius subuenire, quàm extraneo; etiamsi propter ius quod ad rem debitam is habet, ex quadam æquitate censeatur præferendus nobis coniunctis,in inferiore consanguinitatis gradu. Itaque si quis mihi commodauit aut locauit equum ad duos menses, & intra primum mensem, tam pater meus quàm locator egeant illo extremè ad eiadendas manus hostium, ipsos ad mortem quærentium,patri potius,quàm locatori debeo dare.

Tertia propositio est, Idem quoque vsuuenire, *elapso etiam termino*, cùm debitum fuerit posterioris generis. Ratio est quia res illa, vt pecunia vel frumentum, vel vinum vel aliud tradendum in solutionem, antequam hæc fiat, manet in rebus debitoris: qui de suo debet parentes, filios, vxorem (*ac fortasse etiam fratres*) prius quàm cæteros iuuare in necessitate, non obstante debito:cuius solutionem differendi, talis necessitas iustam præbet causam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta propositio est, Controuersiam esse quidē inter Doctores, *vt videre est apud Toletum in tractatu De septem peccatis mortalibus, cap.*39. An elapso item termino, cum debitum fuerit prioris generis, nosipsos, aut parentes vxorem vel filios aut etiam fratres in extrema necessitate præferre possimus creditori cui debetur: nihilominus videri tenendum tanquam probabilius *(sicut cum Soto Toletus ipse tenet)* posse præferre. Quodquidem patet de nobis ipsis;quia in extrema necessitate omnia sunt communia, meliorque est conditio possidentis: *vt bene explicauum videri potest apud Caiet. 2.2.qu.62.art. 5.ad 4.* De parentibus verò, filiis & vxore probatur; quia hos in tali casu præferre non impedimur ex eo, quòd res sit aliena: quia impediremur quoque nosipsos præferre.

Adde quod per extremam necessitatem res ita fiant communes, vt locus sit prudentiæ,quâ pensatis personarum diuersis conditionibus,& inter se comparatis,decernatur quæ præferenda sit vt D. Thom. attigit loco citato. De fratribus res est ita incerta, vt Franciscus à Victor.*referente Aragonio ad eumdē locum D.Thomæ concluſ.vlt.* senserit sine periculo peccati mortalis liberum esse cui malueris subuenire: Toletus autem loco citato probabilius putat præferendos esse fratres. Aduerte autem cum eodem Aragonio in præced.concl.tertia,propositionem hanc procedere quantumcumque creditor in extremam necessitatem prior inciderit:quia licet graue peccatum commissum sit, differendo subuentionem ei debitam: ex eo tamen non est amissum ius subueniendi sibi aut suis antedictis, qui in parem necessitatem interea inciderunt.

*Nu.*317. Circa secundum notandum est: rem quæ in eleemosynā eroganda est,de se ordinari, vel ad vitę corporalis, vel ad vitæ spiritualis subsidium. Arque in etogatione rei,quæ prioris modi est,præferendos esse eos qui nobis coniunctiores sunt carne, vt consanguinei;in erogatione verò illius quæ posterioris modi est,præferendos esse spiritu coniunctiores; vt sunt sanctiores, & in spiritali vitæ instituto nobis magis coniuncti. Vnde soluitur dubium quod latius persequitur Abulensis *ad cap.6.D.Matth.quæs. 66.*num potius subueniendum sit parti infideli,quàm proximo fideli: illi enim magis subueniendum est subsidio corporali,vt victu,vestitu,& similibus:huic verò magis subsidio spiritali, vt consolatione,correptione fraterna,& aliis id genus.

Circa tertium notandum est ex Abulens.*in sequen. quæst.*71. quòd cùm eleemosynam erogare sit opus liberalitatis,consentaneum esse, vt abundans sit & larga.

*Nu.*318. Eam autem abundantiam & largitatem esse, vel ex parte dantis, vel ex parte recipientis. Ex parte dantis est larga, quando quis tantum dat quantum sibi decens est dare: sique talis vult statum mutare relinquendo seculum,potest simpliciter largas facere eleemosynas:atque adeo, *ne quid proprium seruet*, simul potius, quàm per partes suas omnia distribuere; quantumcumque contingeret ea viliori pretio vendi, & ideo minus habere, quod in eleemosynam erogetur. Id quod latè tractat idem Abulens. *in præced.quæst.*70.Ratio verò præcipua est,quòd propr ium habere repugnet essentiali voto religionis, itaut ne Papę quidem indulgentiā possint simul subsistere,ex cap. Cùm ad monasteriū §.finali,de statu monachorum,cùm dicitur. Nec existimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare:quia abdicatio proprietatis,sicut custodia castitatis,adeo est annexa regulæ monachali:vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.] *hæc ibi.* Et certè volentibus sequi se, Christus Dominus indixit *Matth.* 10. ne aurum possiderent nec argentum; & *in sequen.cap.*19.vt venderent omnia quæ possiderent, & darent pauperibus Quod verò melius sit citò facere eleemosynam, dando pauca pauperibus, citòque ingredi religionem, quàm diutius in seculo expectare vt dentur magnæ eleemosynæ,cōstat exex epistola D. Hieron. ad Paulinum, ex qua idipsum latè confirmat Abulensis. Quod si quis statum mutare nolit abundantem & largam sicut oportet, eleemosynam censebitur facere, quando seruata proportione ad suas facultates,& statum suum, sufficientem eam esse recta ratio dictauerit. Vt enim vituperabilis esset ea,in qua sic deficeret,vt minus quàm par esset necessitati pauperis subueniret:sic etiam esset illa, in qua adeo excederet,vt à mendicitate alium liberans,ipse mendicare cogeretur aut suis subtraheret necessaria. Quod cauendum est, *quia in eo charitatis ordo turbaretur*, estque seruandum illud quod Tobias filio præscribit: *Tob. 4. his verbis.* Quomodo potueris, esto misericors,si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.] Veruntamen citra lapsum à proprio statu & prædictam subtractionem, laudabile esset, etiam de nobis necessariis, secundùm conditionem proprij status,aliquid dare in eleemosynam:vt fecisse censetur vidua,quæ laudatur à Christo *Marci* 12. *in fine.*

Iam ex parte recipientis eleemosynam hæc cen- *Nu.*319.
seri potest abundans, & larga dupliciter; vno modo quia sufficienter supplet illius indigentiam: qualiter largam necesse est fieri pauperi existenti in extrema necessitate.Nam si iustus trahatur ad mortem solummodo vt certa pecunia ab eo extorqueatur, tota numeranda esset si aliter non liberaretur;alioqui graue peccatum committeret is apud quem in tali casu plus valeret sua pecunia, quàm vita moriętis ex cap. Non satis distinct.86.Extra necessitatem verò extremam, *inquit Abulens.* licet laudabile sit totam pauperis indigentiam leuare, melius tamen est eleemosynam diuidere in plures,*vt patet ex cap. Dominus dist. 86. cum dicitur* Dominus non vult simul effundi opes,sed dispensari.] id est, non vult omnia simul dari vni, sed diuidi inter multos. *Et ex cap. Pulchra ead.distinct.cum dicitur*, Pulchra liberalitas est, in ipso quoque dato mensuram tenere, vt abundes pluribus id est,sic dare cuilibet, vt possimus dare pluribus; prout interpretatur Abulens. *in citata quæstione* 71.

Altero modo eleemosyna censeri potest abundans & larga,quia superat indigentiam pauperis, non solùm liberans eum à paupertate: sed etiam diuitem faciens:quod laudabile non est. Immo & ei tantum dare,vt à paupertate liberetur, *etiamsi diues non fiat*, non tam est laudabile quàm dare multis, quorum præsentibus necessitatibus subueniatur:ad eum modum quem D. Paulus *in priori ad Corinth.* 13. indicat cùm ait: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.] Nā distributio importat diuisionem rei in partes diuersas tribuendas: vnde glosa ibidem habet; per illud eleemosynæ cautelam doceri;vt non vni sed pluribus detur, vt pluribus prosit.

CAPVT XXIV.

De iis quæ retardare & promouere possunt eleemosynæ vsum.

SVMMARIVM.

320 *Auaritia indignitas.*
321 *Dignitas eleemosynæ, quòdque ea in se contineat orationem*

tionem & ieiunium, sitque his magis satisfactoria.
322 *Temporalis vilitas eleemosynæ.*
323 *Eiusdem vtilitas spiritualis.*
324 *Eleemosyna quæ non est facta propter Deum, facienti nec meritoria est æternæ salutis, nec satisfactoria.*
325 *Quando possit præcipienti illam fieri, esse meritoria: & quod per eam vnus non possit mereri pro alio.*
326 *Facta in charitate propter Deum, vnde habeat quòd maioris meriti sit, aut maioris satisfactionis.*
327 *Sententia Theologorum de peccante ex infirmitate, cui vsus eleemosynæ est familiaris.*

PRÆTER Sanctorum exempla & documenta varia(quę satis magno numero collecta habentur in quodam libello edito de eleemosyna,& operibus charitatis,qui circumfertur sine nomine authoris) ad eleemosynæ vsum inuitant illius tum dignitas,tum vtilitas:retardat verò vnica auaritia,tam indigna homine, támque ei pernicioſa,quàm digna est & vtilis eleemosyna.

*Nu.*320. De qua indignitate multa quidem dici possunt:sed ad fouendum aduersus talem nequitiam studium eleemosynæ,sufficiet proposuisse homini cordato,fide Christiana imbuto,nihil esse auaro sceleſtius, nihilque esse iniquius quam amare diuitias *vt habetur Ecclesiastici* 10. Et ratio est quia per auaritiam, homo rei,quam Deus pedibus ipsius conculcandam dedit,se subiicit; in eáque spem suam ac totum studium suum collocat,tanquam de ea faciens Deum, suum:vnde *ex cap.5.epist.ad Ephes.* habendus est idolorum seruus, adeóque alienus ab hæreditate regni Christi & Dei: prout satis Christus ipse indicauit, cum Matth. 19. dixit Facilius esse camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.] Itémque Apostolus *in priori ad Timoth.6.cap.*dicens,Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa nociua; quæ mergunt in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorū est cupiditas.]

*Nu.*321. Dignitas autem eleemosynæ patet ex eo, quòd consistat in communicādo bonum nostrum, ad subleuandam alienam indigentiam: id quod superioris est atque eminentioris, *ex D.Thoma 2.2.quæst.*30.*art.* 4. Item ex eo,quòd inter bona opera externa,oratio ieiunium,& eleemosyna censeantur omnium dignissima tanquam aliorum quasi capita:intérque eadem tria,eleemosyna cæteris potior iudicetur tanquam duo reliqua continens; perinde ac in homine intellectiuum continet sensitiuum & vegetatiuum;prout docet Abulens. *ad cap.6.D.Matth.qu.*32. & communiter tenent Theologi cum D. Thoma; cuius hæc sunt verba *in 4. senten. distinct. 15. quæst. 2. art.2.ad 2. quæstiunculam.* Eleemosyna includit in se virtutem orationis, & ieiunij. Orationis quidem; tum quia eleemosyna eum cui data est, constituit debitorem ad orandum & ieiunandum pro eo qui dedit: tum quia eleemosyna data propter Deum est quasi quædam oblatio facta Deo,iuxta illud Christi *Matth.*25. Quod vni ex meis minimis feciſtis, mihi feciſtis.] Oblatio autem facta Deo,vim habet orationis, tanquam impetratoria:iuxtà illud *Matth.* 5. Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam cōsequentur.] Perinde scilicet ac munus inter homines, vim habet precis ad aliquid ab alio impetrandum, *vt bene ait Med.in Cod.de eleemosyna quæst.2.§. An autem.*Ieiunij verò rationem habet eleemosyna, quatenus exteriora bona ad corporis conseruationem ordinantur. Inde enim fit,vt eorumdem subtractio per eleemosynam, virtute contineat quodammodo ieiunium, quo maceratur corpus:sicut & oratio illud ipsum continet quia erectio intellectus ad Deum, parit debilitatem corporis.Quocirca eleemosyna cōplexiùs *(vt D.Thomas loquitur*,quasi dicas plus complectēdo)vim habet satisfactionis quàm oratio:& oratio quàm ieiunium. Id quod insinuatur per illud *prioris ad Timoth. cap.* 4. Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est.]Vnde, vt D. Thomas addit, eleemosyna magis inducitur, tanquam vniuersalis medicina peccati, quàm oratio *vt Luc.*11. Date eleemosynam & omnia munda sunt vobis] *& Danielis* 4. Peccata tua, eleemosynis redime.] *& Tob.*4. Eleemosyna ab omni peccato liberat, & non patietur animā ire in tenebras.] *& in priori ad Timoth.* 4. Pietas ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ quæ nunc est,& futuræ,]Quibus verbis Apostolus alludit ad quartum præceptum decalogi de honore, seu subuentione parentum: cui soli apponitur promissio vitæ quæ nunc est,per illa verba. [vt sis longeuus super terrā]ex qua tanti Doctoris tā solida doctrina satis patet, quàm commendatus esse debeat eleemosynæ vsus iis,quibus curæ est facere fructus dignos pœnitentiæ: vt debet esse omnibus expectantibus æternā salutem.Neque est quod quis propter hæc putet sibi remittendum orationis & ieiunij studium;quia etsi ad satisfactionem pro peccatis præteritis,& ad meritum vitæ æternæ plus valeat illi eleemosyna; plerumque tamen ad cauenda peccata futura,& superandas,quæ ad illa trahunt tentationes,minus conducit *(vt bene tractat Abulens.in citata quæst.*32.*ad* 1. tanquam minus scilicet efficax ad carnem edomandam.

Vtilitas autem eleemosynæ quæ cum dignitate *Nu.*322.
promouere potest illius vsum, est tum temporalis, tum spiritalis benedictionis; vt satis ostendunt proximè citata D.Pauli verba:&illud *Tob.*4.Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. Et confirmatur de temporali per illud quod habetur *Prouerb.*28. Qui dat pauperi non indigebit:] & quod *ibidem in præced. cap.* 3. præscribitur: Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum, & implebuntur horrea tua saturitate,& vino torcularia tua redundabunt.] Quod spectare ad eleemosynam constat; tum ex eo,quod in margine ponitur addendum, *da pauperibus*;tum ex eo,quod *in sequenti cap.* 14. *vers.* 31. is dicatur honorare Deum qui misereturpauperis. Accedit illud *Ecclesiastici* 29.Perde pecuniam propter fratrem,pone thesaurum in præceptis altissimi; & proderit tibi magis,quàm aurum:] & illud *Psalm.*40. Beatus vir qui intelligit super egenum,& pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.] Accedit etiam abundantia rerum quam consecuti sunt Tobias & Iob, vt videre est in ipsorum historiis cap.vltimo.

De spirituali verò vtilitate, quæ est remissionis *Nu.*323.
peccatorum & conseruationis in diuina gratia ad æternam mortem euadendā,habentur Sacræ scripturæ loca: *Tob.* 12. Eleemosyna à morte liberat,& ipsa est quæ purgat peccata] *Ecclesiasticicap.*3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis:] *& cap.* 29. Concludе eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo:] *& Isai.*1. Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam,venite & arguite me dicit Dominus:si fuerint peccata vestra,vt coccinum, quasi nix dealbabūtur:] *Lucæ* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis,vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.] Accedit etiam quòd habetur Matth. 25. de sententia proferenda in die iudicij: quæ si quem non moueat ad eleemosynæ vsum, amore beatitudinis:mouere saltem debet timore æternæ damnationis:sicut & illud *Ecclesiasticí* 4. Eleemosynam paupe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris ne defraudes, & oculos tuos ne transuertas à paupere.] Cui postea subiungitur: Maledicentis tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius, exaudiet autem illum qui fecit eum.] Quomodo autem ex eleemosyna, cùm sit corporea, tales effectus spiritales proueniant, efficienterne an solùm dispositiuè difficultatem habet relinquendam Theologis scholasticis, qui in interpretatione D. Thomæ 2. 2. quæst. 32. art. 4. eam tractant, *vt Barnes & Aragon. & Latius Gregor. à Valen. disput. 3. quæst. 9. puncto 3.* Quia verò ob tales effectus eleemosyna, tum gloriæ meritoria tũ pro peccatis satisfactoria esse dicitur: oportet exponere, *quoniam ad praxim facit*, quando contingat eum talem esse, præpositis aliquot documentis ex Abulensi *in sequen. quæst. 33.*

Quando contingat eleemosynam esse meritoriam & satisfactoriam.

Nu. 324. PRimum est, eleemosynam non esse vitæ æternæ meritoriam, nisi fiat propter Deum: ideo enim facta ob inanem gloriam; mercede apud Deum caret *ex cap. 6. D. Matth.*

Secundum est, neque esse satisfactoriam pro pœna peccatis nostris debita diuinæ iustitiæ. Satisfactio enim tunc contingit, cùm aliquid in compensationem datur ei cui debetur: pœnam autem pro peccatis debemus Deo: cui nihil datur per eleemosynam, quæ non fit propter ipsum. Vnde sequitur eam non esse satisfactoriam.

Tertium est, etiamsi per eleemosynam factam primaria intentione propter inanem gloriam, non satisfiat Deo: satisfieri tamen homini, etiam Dei authoritate eam præcipienti: vt v. g. Confessario eam imponenti in pœnitentiam. Nam sicut is qui tenetur alteri soluere centum, æquè ei satisfacit illa soluendo ob inanem gloriam, ac soluendo ob Dei gloriam: *quandoquidem tam vno quàm altero modo soluens, se à debito liberat*: ita etiam is qui ob inanem gloriam dat eleemosynam sibi à Confessario impositam, quãuis nullam pœnam peccatis suis debitam redimat, quia nihil dat Deo; id tamen consequitur, vt præceptum Confessarij non transgrediatur, nec illius violati reus iudicetur.

Nu. 325. Quartum est, eleemosynam factam solùm ob inanem gloriam, posse satisfactoriam esse apud Deum, pro alio qui propter Deum ipsum eam fieri mandauit: vt si defunctus illam iniunxisset hæredi, & hic iniunctam exequatur principaliter ob inanem gloriam: nullo scilicet modo executurus, nisi inde gloriam expectaret. Ratio est: quia in tali casu, defunctus qui eleemosynam fieri iussit, censetur illam facere iuxta illud. Qui per alium facit, per seipsum facere videtur.] Vnde illius intentio, non autem executoris, spectanda est: ideóque si propter Deum iusserit fieri, propter Deum facta esse reputabitur, quãtumcumque executor in ea facienda vanam gloriam propositam habuerit. Quod si defunctus non iusserit fieri sed alter proprio motu eam pro illo faceret: prodesset illi facta propter Deum, non autem facta propter inanem gloriam; nisi forte ex accidenti; nempe quòd contingeret accipientes talem eleemosynam moueri ad orandum pro tali defuncto, cuius causã illam fieri putabunt, etiamsi in rei veritate fiat solùm ob vanam gloriam.

Quintum est, vnius eleemosynam non posse alteri meritoriam esse, etsi possit esse satisfactoria. Ratio est, quia gradus vitæ æternæ non datur alicui propter alterius bonum opus, sed tantùm propter suum, iuxta illud *posterioris ad Corinth. 5.* Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum.] *& illud Apoc. 22.* Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secũdùm opera sua.] Potest tamen quis alium iuuare factâ eleemosynâ ad obtinendam illi à Deo gratiam, per quam operetur digna salute æternâ.

Nu. 326. Sextum est, eleemosynam quæ facta propter Deum ab existente in charitate, meritoria illi est, & satisfactoria; rationem maioris meriti accipere potissimùm ex magnitudine feruoris charitatis, quo ipsa fit: rationem verò satisfactionis maioris ex magnitudine rei de qua fit: hoc est, cæteris paribus magis meritoriam esse quæ fit ex maiori charitatis feruore. magis verò satisfactoriam esse quæ fit in maiori quantitate, aut in maiori valore. Ratio est, quia sicut meremur vitam æternam per actum charitatis, ita etiam meremur excellentiorem gradum vitæ æternæ, per actum perfectiorem charitatis. Item cùm satisfactio fiat per actum bonum laboriosum, seu pœnalem: quanto eleemosyna plus pœnæ habet, tanto ea est magis satisfactoria. Tanto autem plus habet pœnæ, quanto plus per eam res propriæ diminuuntur; vt fit cùm plura aut pretiosiora in eleemosynam dantur. Quare, ea erit tunc magis satisfactoria. Quod intellige cæteris paribus: quia potest fieri, vt quis minorem eleemosynam det cum tanto feruore charitatis, vt non modo plus mereatur, sed etiam plus satisfaciat, quàm alter dans maiorem cum longè minori feruore.

Nu. 327. Septimum his addi potest *quod ex communi Theologorum sententia Barnes & Aragonius loco citato propositione vltima habent*, viros misericordes etiam in peccato existentes, si non ex malitia, sed ex humana fragilitate peccare soleant, ante mortem vtplurimum accipere à Deo veram pœnitentiam: sicque euadere dãnationem æternam, *iuxta illud Matth. 5.* Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur.] & illud *Tob. 4.* Eleemosyna à morte, & ab omni peccato liberat, nec animam patietur ire in tenebras.] Id quod illustrari potest exemplo quod habetur in Actis *cap. 10.* de Cornelio Centurione. Hæcque hactenus de corporali eleemosyna. Superest vt de eleemosyna spiritali dicamus.

CAPVT XXV.

De eleemosyna spirituali.

SVMMARIVM.

328 *Sacræ Scripturæ authoritates de septem eleemosynæ spiritualis generibus.*
329 *Quæ & quorum sit obligatio faciendi eleemosynam spiritualem.*
330 *Quomodo ea sit inferiorum, respectu superiorum.*
331 *Materia præcipua obligationis faciendi eleemosynam spiritalem, peccatum mortale pendens in futurum.*
332 *Peccatum commissum non pendens in futurum, correctioni iudiciali Superioris subiicitur, etiam deletum pœnitentiâ: non autem correctioni fraternæ.*
333 *Obligationis faciendi eleemosynam spiritalem materia, potest esse peccatum veniale, cum inducit probabile periculum peccati mortalis, alias non.*
334 *Peccans ex ignorantia inuincibili quando sit corripiendus.*
335 *Ad eamdem obligationem, certa notitia peccati, de quo proximus est corrigendus, ita requiritur, vt dubia*

dubia aliquando sufficere possit, idque quando.
336 *In dubio Prælatus tenetur de peccato subditi inquirere, non item alius.*
337 *Omittenda correctio fraterna, non item iudicialis, cùm ex ea peccator fieret peior.*
338 *Quod procedit etiamsi spes sit, quod ex tali correctione postea emendabitur.*
339 *Non est omittenda correctio ex qua scitur proximus non futurus deterior, etiamsi nesciatur an futurus sit melior.*
340 *In dubio ne proximus deterior fiat, correctio adhibenda est, quando nulla alioqui spes est eum liberandi ab animæ interitu sempiterno.*
341 *Adhibenda est correctio fraterna, quando scitur, quòd ea non nocebit, etiamsi dubitetur an profutura sit.*
342 *Omittenda est, cùm æquale dubium fuerit an profutura sit, an verò nocitura, nisi esset extrema illius necessitas. Neque est obligatio illam faciendi, quãdo ne apud alios quidem speratur ex ea vtilitas.*
343 *Opportunitas ex parte personæ requisita ad obligationem faciendi eleemosynam spiritalem.*
344 *Opportunitas requisita ex parte loci & temporis.*
345 *Quando licitum sit correctionem fratris differre.*
346 *Quando dilatio fraternæ correctionis sit meritoria: quando peccatum mortale, & quando veniale.*
347 *De mansuetudine coniungenda cum prudentia, in corrigendo delinquente.*
348 *Homo priuatus spiritalem proximi necessitatem cognoscens, tenetur ei subuenire si possit sine suo incommodo.*
349 *Debemus anteferre bonum nostrum spiritale, bono spiritali proximi.*
350 *Non licet peccare ob quodcumque spiritale, siue bonum consequendum, siue malum fugiendum.*
351 *Quomodo accipiendum sit, quòd ex duobus malis eligendum sit minus.*
352 *Cui periculo peccandi liceat se exponere pro salute animæ proximi.*
353 *In extrema necessitate spiritali proximi, debemus ad subueniendum ei, velle pati aliquam iacturam in bonis nostris spiritalibus.*
354 *Quid extra eam necessitatem.*
355 *In omissione exercitiorum spiritualium cauendum nobis est ab affectu carnali.*
356 *Ob eamdem à charitate & obedientia profectam, nihil meriti deperditur.*
357 *Triplex necessitas spiritalis; communis, grauis, & extrema, & quæ in vnaquaque earum sit obligatio subueniendi proximo.*
358 *Præcepto diuino obligamur vitam corporalem exponere pro spiritali vita proximi.*
359 *Quod procedit cùm necessitas spiritalis proximi fuerit extrema.*
360 *Item cùm necessitas grauis fuerit, procedit comparatione eorum quibus ex officio cura salutis animæ incumbit.*
361 *Non item comparatione aliorum: quibus tamen laudabile est tale discrimen subire.*

SPIRITALIS eleemosyna, qua quis à proximo miseriam peccati depellere misericorditer conatur: tanto præstantior est corporali, quantò malum peccati, peius est malo corporali.

Nu. 328. Illius septem esse genera ostensum est in 19. cap. præcedenti. De quorum primo, *quod est docere*, habetur in Psalm. 50. Docebo iniquos vias tuas.] & Daniel. 12. Qui docti fuerint fulgebunt quasi stellæ firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, in perpetuas æternitates.] De secundo verò, *quod est corrigere*, habetur ad Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.] De tertio, *quod est corripere*, in Psalm. 140. Corripiet me iustus in misericordia] & in Ecclesiastici cap. 19. Corripe amicum, corripe proximum;] & Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, &c.] De quarto, *quod est consolari*, in priori ad Thessal. cap. 5. Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.] De quinto, *quod est condonare offensam*, Luc. 6. Dimittite, & dimittemini.] De sexto, *quod est sustinere defectus aliorum*, ad Rom. 15. Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere.] De septimo denique, *quod est orare pro pro aliis*, Iacobi 5. Orate pro inuicem vt saluemini.]

Nu. 329. Ostendunt autem eiusmodi verba eam, quam nostri instituti est considerare, obligationem faciendi talem eleemosynã. Quę obligatio intelligitur etiam ex cap. Prouidendum & cap. Consentire distinct. 83. & cap. Facientis distinct. 86. & ex cap. Tum Sacerdotes 24. quæst. 3. confirmántque antedicta de obligatione ad eleemosynam corporalem faciendam; cùm non minor, immo maior, sit miseria spiritalis quàm corporalis: ideóque magis exigens charitatis & misericordiæ subsidium. Qua de causa perinde censenda est sub mortali esse, ac corporalis: tam respectu eorum qui ipsâ, *spiritali inquam eleemosynâ*, indigent: quàm eorum qui eam facere possunt: etsi in his aliqua diuersitas notatur: nimirum quòd quidam arctiùs aliis ad eam obligentur. Etenim Prælati subditis suis in spiritali necessitate subuenire obligantur non tantùm lege charitatis; sed etiam ex proprio munere, & quadam lege iustitię. Quod idem iudicium est de iis qui stipendium capiunt, aut mercede conducuntur ad subleuandam spiritalem indigentiam. Sic igitur maior est pastorum, quàm aliorum obligatio docendi suæ curæ commissos ignorantes necessaria ad salutem: prout satis patet per statutum Concil. Tridentin. sess. 24. de reform. cap. 4. & 7. Maior similiter est iuuandi consilio, obligatio consiliariorum, qui in eum finem constitutum habent stipendium, aut mercede conducuntur, quàm aliorum. Maior item est corrigendi peccãtes obligatio Superiorum siue Ecclesiasticorum, siue Laicorum, quàm aliorum. Ac corrigẽdi nõ tantùm correctione fraterna, sed etiam iudiciali, per punitionem in bonum commune. Cuius rei maximè gratiâ, Principibus tributa, & vectigalia pendũtur; & Iudici ac Magistratibus stipendia publica assignantur. Quod idem iudicium est de aliis qui mercede ad tale quid conducuntur. Dici quoque potest, maiorem esse patrisfamilias in ordine ad suos subditos quàm priuatæ personæ; cùm ex suo munere teneatur peculiari ratione, ipsis suis prospicere & particulare bonum ipsorum curare.

Obligatio subditorum faciendi spiritalem eleemosynam suis Superioribus.

SECTIO I.

Nu. 330. IMmo & maiorem esse subditorum in ordine ad suos superiores, ob peculiare debitum his beneficiendi, quando necessitas exegerit. In quo tamen officio, præsertim correctionis fraternæ, ij debent cum ea reuerentia, & humilitate procedere, vt obsecratio videatur potius esse quàm increpatio, dicente Apostolo *in priori ad Timoth. cap. 4.* Seniorem ne increpa

Universidad de Deusto
Biblioteca

crepaueris: sed obsecra vt patrem.] Quæ doctrina est D. Thomæ 2.2. *quæst.* 33. *art.* 4. eámque bene illustrat Aragonius ibidem, statuens has conclusiones pro praxi notandas.

Prima est, Subditis non licere de peccatis occultis, suos Superiores publicè reprehendere. Hęc patet: quia nec eo modo licet alium reprehendere, cùm dicat Dominus Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.]

Secunda est, Prælatum de publico peccato erroris circa fidem, publicè corripiendum esse. Hæc probatur ex facto D. Pauli, *de quo ad Galat. cap.* 2. qui publicè redarguit D. Petrum, eoquod aliis occasionem daret suspicandi quòd legalia deberent necessariò seruari in lege Euangelica. D. enim Paulus in authoritate regiminis inferior fuit D. Petro, quem Ioan. vltimo Christus constituit ouium suarum pastorem vniuersalem: quamuis in executione eiusmodi authoritatis par ei fuerit, vt notat *D. Thomas ad cit. cap.* 2. *lect.* 3. de qua re memoratus Aragonius loco citato sub finem.

Tertia est, Superiorem de quocumque alio peccato publico publicè corripiendum esse, si ipsum vergat in aliorum scandalum, seu causa sit aliis perpetrandi similia. Pro hac facit textus satis apertus in cap. Paulus dicit 2. *quæst.* 7. Faciunt etiam reprehensiones vehementissimæ Sacerdotum & Principum, præsertim apud Isaiam *cap.* 1. *ver.* 10. *& cap.* 56. *sub finem*: & apud Ezechielem *cap.* 13. *&* 22. Adde illud Dauidis Regis *in Psal.* 140. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me.] Procedit autem conclusio hæc, quantumcumque non sit spes emendationis eorumdem Superiorum: si lapsus aliorum, nisi talis publica reprehensio fiat, probabiliter timeatur: quia finis publicæ reprehensionis peccatorum, non est tantùm salus peccantium; sed etiam commune bonum aliorum. Quod sufficere, etiamsi illa non speretur, patet ex eo quod D. Ioan. Baptista *Matth.* 3. & Dominus noster *in sequen. cap.* 15. grauissimis verbis reprehenderint Pharisæos, quibus sciebant suam correctionem non profuturam.

Vltima conclusio est: Quando ex publica reprehensione Superiorum, *immo & quoruncumque aliorũ*, nulla speratur vtilitas, ab illa abstinendum esse. Pro hac aliquot Patrum authoritates adfert Aragonius: sed ea satis de se nota est. Nam quæ ad aliquem finem ordinantur, eatenus vsurpanda sunt, quatenus ad illum conducunt. Vbi autem nulla spes est vtilitatis, cessat planè finis publicæ reprehensionis: hæc igitur debet pariter cessare. Cæterùm præceptum de eleemosyna spiritali cùm sit affirmatiuum, non obligare pro omni, sed pro aliquo certo tempore dubium non est. Tale autem censetur esse illud in quo concurrunt hæ conditiones: sufficiens nimirũ materia; eiusdem notitia; sperata vtilitas, & opportunitas; de quibus sigillatim dicendum est. A Doctoribus autem communiter traduntur, cùm agunt de correctione fraterna, quæ primas partes tenet inter proposita eleemosynæ spiritalis genera.

De prima conditione requisita ad obligationem faciendi eleemosynam spiritalem: quæ est sufficiens materia.

Sectio II.

Nu. 331. DE hac dicendum est primò, omne peccatum mortale proximi, dummodo aliqua ratione pendeat in futurum, esse materiam sufficientem ad obligationem de qua agimus. Ratio est quia per tale peccatum perditur proximus, ad quem lucrandum datum est præceptum de spiritali eleemosyna iuxta illud *Matth.* 18. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.] Dictum est autem, *dummodo ratione aliqua pendeat in futurum*: quia si non sit recidendi periculum, eoquod peccator iam omnino emendatus sit, cessat obligatio correctionis: cessante scilicet perditione proximi.

Quamquam negandum non est, quin peccatum *Nu.* 332. præteritum per pœnitentiam deletum pertineat ad Prælati correctionem: non quidem fraternam, quæ fit vt qui delinquit emendetur: sed iudicialem, quæ fit vt ipse puniatur ad bonum publicum, *cui consulere Superioribus incumbit*; aut in satisfactionem tertij, qui licet teneatur noxas aduersum se commissas remittere ex animo, damni tamen sibi illati satisfactionem exigere potest in iudicio.

Difficultas est autem, An materia sufficiens censendum sit in hac re, peccatum non pendens in futurum, si nondum sit deletum pœnitentiâ. Pro cuius parte affirmante Bañes 2.2. *quæst.* 33. *art.* 2. *dub.* 1. *ad* 4. rationem hanc adfert: quòd ego custos fratris mei sim ex præcepto charitatis: & ideo teneor quamprimum commodè possum à miseria eum eripere. Pro negante verò, *quam Abulensis sequitur ad cit. cap.* 18. *D. Matth. quæst.* 83. facit quod proximo non debeam plus ex charitate, quàm ille sibi. At non tenetur sub pœna noui peccati mortalis: *vt ostenditur in sequenti libro* 5. *cap.* 2. *sect.* 3. de eo quod commisit agere statim pœnitentiam: sed potest eam differre, nisi imminente corporalis mortis periculo simul immineret periculum mortis animæ, ob eam obitam in malo statu. Ergo neque ego tenebor. Quam sententiam, relicta contraria tanquam duriore, qui sequi volet in praxi non videtur peccati saltem mortalis damnandus: præsertim cùm pœnitentia illa, ex qua pendet emendatio, sit actus internus; de quo, *vtpote nos latente*, iudicare non possumus.

Dicendum est secundo, Peccatum quoque venia- *Nu.* 333. le esse materiam sufficientem, quando coniicit hominem in probabile periculum peccati mortalis. Nam si obligamur sub mortali, subuenire cùm possumus homini quem videmus versari in periculo mortis corporalis: multò magis obligabimur à mortis spiritalis periculo, cùm possumus, seruare eum quem cernimus expositum probabili periculo peccandi mortaliter: aut exponere eidem periculo alios: vt fit cùm ex veniali peccato vnius, imminet aliis scandalum mortale. Sic enim *ex cap.* 2. *epist. ad Galat.* D. Paulus admonuit ac reprehendit D. Petrum de modo conuersandi cum Iudæis, ob scandalum quod poterat ex eo sequi in gentibus ad fidem conuersis. Nec enim existimandum est D. Petrum Spiritusancto plenum peccasse in eo plusquam venialiter: bona nimirum fide, & inaduertentiâ excusante ipsum à mortali. Quod si periculum prædictum absit, peccatum veniale non esse sufficientem materiam eius de qua agimus obligationis; patet ex eo, quòd imposita sit ad vitandum spiritalem mortem fratris, quam solum peccatum mortale adfert.

Ob quam causam eum qui per ignorantiam in- *Nu.* 334. uincibilem transgreditur præceptum obligans sub mortali; *vt eum qui non ieiunat, aut non recitat diuinum officium*, non tenemur arguere: eoquod talis ignorantia excuset ipsum à mortali. Excipe *(quod monet Bañes in seq. dub.* 3. *concl. vltima)* nisi factum vel omissio redundaret in scandalum proximi, vel irreuerentiam Dei & Religionis; vt v.g. si quis ignorans vel oblitus quod hodie indictum sit ieiunium, paret sibi carnes; aut si in die festo faciat opus seruile, aut rem diuinã

facturus eat ad altare sine casula, & sic de similibus: de quibus nõ monere ignorantem graue peccatum esse potest ob proximi læsionem aut Dei irreuerentiam notabilem. Adde fieri posse in tali casu, vt cessante obligatione correptionis fraternæ; alia subsit ratione officij, quæ ad talem ignorantiam tollendam adstringat: qualis est in Prælato respectu suorum subditorum, ne ij sint aliis scandalo, aut ne occasionem dent alicui dissolutioni Religiosæ disciplinæ, aut bono communi detrimentum adferant: *de qua re idem Bañes in eod. dubio concl.* 1. Cæterùm vbi nulla spes esset quòd tali ignorantiâ laborans, cognitâ veritate se non emendaret, nulla obligatio esset ipsum monendi; immo esset non monendi: quia admonitio esset illi occasio contaminandi se peccato mortali, à quo eâ omissâ excusatur per perseuerantem in eo ignorantiam inuincibilem.

De secunda conditione, quæ est antedictæ materiæ notitia.

Sectio III.

Nu. 335. AD obligationem de qua agimus requiri, vt certum sit fratrem esse in peccato, de quo corripiendus est: Nauar. attigit *in Enchir. cap.* 24. *numero* 12. Ad quod facit illud *Ecclesiastici* 11. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam.] Habet autem potissimùm locum quando iuxta præscriptum Christi *Matth.* 18. adhibendi sunt testes, aut admonendus est Prælatus ne manifestando eis dubium quod habemus de peccato proximi, huic noccamus in fama: quod esset contra charitatem eidem proximo debitam. Quòd si admonitio facienda esset soli proximo de cuius peccato dubitatur, sententia Adriani in 4. De correctione fraterna, non caret probabilitate; tali non esse obiiciendum peccatum tanquam certum; sed tanquam dubium proponendum placidè, cum coniecturis ob quas dubitatur, num ipse in peccato, aut in periculo peccandi sit. Quam sententiam in praxi sequendam esse, maximè cùm proximus creditur, non ægrè laturus admonitionem, probatur à simili: quia si dubitarim latere aspidem vbi ille imprudenter vult sedere, deberem illum monere de impendenti mortis corporalis periculo: multo magis debeo monere de impendenti per peccatum periculo mortis animæ. Neque verò tantùm vt probabilis, sed etiam vt certa tenenda est talis sententia, quando ex omissione admonitionis timeretur aliquod reipublicæ aut tertiæ personæ malum. In quo casu non tantùm peccatorem ipsum, à quo malum timetur, monere oporteret: sed si id non sufficeret ad tale malum auertendum, monere quoque Superiorem. Idem iudicandum est, si is de quo dubitatur an sit in peccato mortali, ita periclitetur de corporali vita, vt nisi admoneatur dubitandum sit consequenter de illius æterna salute.

Nu. 336. Adde etiam, quòd Prælatus in dubio teneatur vt corrigere peccata suorum subditorum *(quorum sanguis de manu ipsius requiretur Ezechielis cap.* 3. *versu* 18. *& 20. & cap.* 33. *vers.* 6. *&* 8.) ita & illa inquirere ad corrigendum. Nam incumbit illi ex officio super gregem suum vigilare, & infirmitatibus eius remedia adhibere, non tantùm cùm illas certò nouit: sed etiam cùm illarum habet indicia, quæ dent ei occasionem timendi. Cauendum autem ei est, ne subditis obiiciat tanquam certum, quod est dubium; nec alios qui rẽ ignorant, faciat de suo subdito suspicari peccatum aliquod in particulari, de quo infametur. In eo enim potest grauiter peccare, cum obligatione ad famæ restitutionem. Priuatus autem non modo non tenetur; sed nec debet peccata proximorum inquirere, vt ea corrigat: *ex D. Thomæ doctrina in* 2.2. *qu.* 33. *art.* 2. *ad* 4. cuius ille priorem partem probat: quia cùm beneficia nõ debentur certæ personæ; sed communiter omnibus proximis: siue ea sint corporalia, siue spiritalia, non est necesse inquirere, quibus illa impendamus, sed sufficit vt impendamus iis qui occurrunt. Posteriorem partem verò ex eo confirmat, quòd alioqui efficiamur exploratores vitæ aliorum: contra illud quod dicitur *Prouerb.* 24. Ne quæras impietatem in domo iusti & non vastes requiem eius.] De his plenius Bañes *in interpretatione D. Thomæ ad sequentem art.* 3. *dub.* 2. Tantùm addiderim pro praxi, non esse de mortali facilè damnandum priuatum omittentem correctionem fraternam: quia præceptum datum de ea, non est adeo euidens lumine naturali, quin facilè possit ab indoctis ignorari ignorantiâ inculpabili.

De tertia conditione quæ est vtilitas sperata.

Sectio IV.

FInis in quem eleemosyna spiritalis instituitur, est *Nu.* 337. emendatio peccatoris. De qua si non sit spes, obligatio eiusdem eleemosynæ faciendæ cessat, tanquam inutilis. Qua de re pro praxi notanda sunt sequentia documenta. Primum est, si timeatur quod peccator per correctionem, non modo non emendabitur, sed etiam peior fiet, abstinendum esse ab ea. Ita docet D. Thomas *in sequen. art.* 6. Rationem reddens, quòd finis correctionis fraternæ sit particularis emendatio fratris: ideoque hac cessante, cessandum etiam sit ab illa. De correctione verò iudiciali respiciente bonum commune; ac pertinente ad solos Dei, & iustitiæ ipsius ministros, non est idem: quia bonum ipsum commune talem corrigi *(etiamsi correptus verosimiliter peior fiat)* exigit: vt cæteri inde timorem habeant, neque exemplo ipsius peccent; quia pestilente flagellato, stultus sapientior erit] *Proverb.* 19. Et qui non vult amore iustitiæ, cogetur timore pœnæ se intra modestiæ limites continere. Quanquam ad vitandum graue detrimentum publicum, quod ex huiusmodi correptione sequeretur, ea omitti posset: *vt intelligitur ex cap. Quia circa de consang. & affinit.*

Secundum documentum est, omittendam quoque *Nu.* 338 esse correctionem fraternam, si frater ex eo peius sit facturus; quidquid speretur quòd illius occasione, emendatio sequetur postea. Ratio est quia non licet facere mala vt veniant bona] *ex cap.* 3. *ad Rom. ver.* 8. Istud Bañes *ad cit. art.* 6. *D. Thomæ.* vltro admittit in duobus casibus. Prior est cùm peccatum committendum occasione nostræ correctionis, directè fuerit contra Dei honorem: vt si conculcaturus est sacramentum, aut blasphematurus, vel cùm fuerit nocium tertiæ personæ: vt si perpetraturus est homicidium: vel demum fuerit scandalosum, vt si cõmissurus esset publicè aliquod flagitium. Posterior casus est, cùm spes emendationis expectatæ ex nostra correctione, fuerit incerta seu non innixa sufficientibus coniecturis. In casu autem in quo certa esset talis spes, vult non procedere interdum. Verùm quidquid sit in speculatione, tunc quoque videtur seruandum in praxi propositum documentum; quia in procuranda salute animæ proximi, muneris nostri tantùm est imminentibus peccatis obuiare: nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidquam facere licet, per quod in eadem incurratur; quidquid emendationis postea ex aliis causis secuturum sit: sicut nec mihi licet erga meipsum sic me habere, vt peccare velim eoquod sperem occasione mei peccati, me postea euasurum meliorem.

Nu. 339. Tertium documentum est, Si certò sciatur proximum non fore ex nostra correctione deteriorem, etiamsi nesciamus fore meliorem; eam nó esse omittendam. Ratio est, quia licet de salute proximi tunc dubitemus, non tamen desperamus. Vnde sicut medici corporis non dimittunt ægrotos de quorum incolumitate dubitant, si de ea non desperant; ita nec debeamus in tali casu dimittere peccatorem: agendo tamen cum eo adhibitâ omni quæ potest diligentiâ & cautelâ, ne occasionem accipiat peius faciendi increpatus seueriùs, aut exprobratione suorum peccatorum ad iram prouocatus. Quod si seruatâ lenitate & modestiâ in corripiendo, ille deterior fiat, imputabitur malitiæ ipsius: quâ id quod debuerat esse odor vitæ in vitam, ipsi est odor mortis in mortem] *iuxta Apost. 2. in posteriori ad Corinth. cap. 2.*

Nu. 340. Quartum documentum est, Si dubitetur quidem, ne proximus deterior fiat ex nostra correptione, certò tamen sciatur nullam spem esse emendandi ipsum, & liberandi ab animæ interitu, nisi ea adhibeatur, debere adhiberi. Hoc confirmatur similitudine Medicorum corporis, qui dubitantes num aliqua potio futura sit ægroto salubris, an perniciosa: licitè illi eam præbent, si certò eis constet, sine ea ipsum meriturum esse.

Nu. 341. Quintum documentum est, Adhibendam esse correptionem, cùm certum est, quòd non nocebit etiamsi dubitetur an sit profutura. Hoc habet Bañes *ad præced. art. 2. dub. vlt. concl. 2.* Et patet per illud D. Augustini relatum de pœnitentia *distin. 7. cap. Si quis autem*, Do tibi pœnitentiam quia nescio; nam si scirem nihil tibi prodesse, non tibi darem, non te ad monerem non te terrerem.] Patet etiam exemplo medici corporis, qui tenetur infirmo applicare medicinam, quam certus est non posse ei nocere, & posse prodesse.

Nu. 342. Sextum documentum, Si æquale dubium sit, num mea correptio profutura sit an nocitura, me debere ab ea abstinere. Quo dubio laboramus cùm corripiendus nobis est ignotus, nescientes ipsius ingenium: vt post Caiet. Bañes *in sequenti concl. 3.* attigit. Addens bonam huius documenti rationem; quòd in eo casu exponam me periculo scandalizandi proximum: præbendo illi occasionem afficiendi me iniuriâ, aut aliter peccandi. Quare tunc melius erit ac tutius ipsam correctionem suspendere: nisi fortè adesset casus extremæ necessitatis, in quo scilicet morte imminente aliquis cognosceretur impœnitens: nec alio medio iuuari posset ad sufficienter resipiscendum pro euadenda morte æterna, quàm talis correctionis: quæ tunc eius est, tantum bonum vt ei facilè cedat periculum mali quod ex ea timetur. Id quod illustratur exemplo medici qui breui morituro interdum medicinam adhibet vehementem, quam probabiliter existimat ei profuturam, & æquè probabiliter, quòd mortem sit ei allatura.

Septimum documentum, Vbi nec apud ipsum peccatorem, nec apud alios circumstantes speraretur vtilitas ex correptione, non esse obligationem faciẽdi illam. Sic enim *ex Nauar. in Enchir. cap. 24. num. 13.* si agens in terris hæreticorũ videret aliquem docentem hæreses, aut indignè tractantem sacramentum, vel sacram imaginem, nec ex eo, quòd se illi opponeret, vllum fructum speraret, non teneretur se opponere; aut ipsum corripere: imò si timeret maius malum, teneretur ab ea oppositione, & correptione cessare, vt satis intelligitur ex antedictis.

De quarta conditione, quæ est oportunitas.

Sectio V.

Nu. 343. AD obligationem faciendi spiritualem eleemosynam requiritur oportunitas: tum ex parte personæ, tum ex parte temporis & loci. Ex parte quidem personæ; quòd alius non adsit ad quem id magis spectet. Nam si Prælatus adsit, aut alius maioris authoritatis, aliáve ratione aptior ad tale quid faciendum, non est tuum, sed illius corripere peccatorem qui occurrit. Quanquam si illi ad quos spectat corripere cognoscantur suo muneri deesse, obligatio est supplendi defectum illorum, perinde ac cùm diuites non subueniunt pauperi extremè indigenti, tenuiores qui possunt, obligantur vicem ipsorum in subueniendo subire: præsertim cùm teneamur multò diligentiùs proximum seruare, vel eripere à morte animæ, quàm amorte corporis, tãquam longà maioris momenti. Quapropter cùm indifferenter quilibet proximum à corporali morte, per corporalem eleemosynam, *vt patet ex sententia in extremo iudicio proferenda ex D. Matthæi cap. 25.* liberare teneatur si potest, multò magis tenebitur liberare à morte animæ per eleemosynam spiritalem, item si potest. *Quod argumentum est Adriani in 4. de fraterna correptione, non procul ab initio.*

Nu. 344. Ex parte verò loci & temporis oportunitas requiritur: quia quo loco & tempore non potest correptio fieri sine graui scandalo, aut nocumento proximi, infamiáve, non est faciendа: nec etiam tunc, aut vbi meritò timeretur, correptione augendum potius quàm minuendum peccatum: vt si commotus feruensque irâ corriperetur, aut id fieret coram aliis à quibus derideretur: vnde ex correptione incitaretur ad malum potius, quàm ad emendationem; perinde ac lignorum appositione non extinguiturignis, sed magis inflammatur.

Nu. 345. Cæterùm ad discernendum quando licitum sit correptionem fratris differre, aut etiam omittere; quando verò illicitum, & peccatum mortale aut veniale, notanda sunt sequentia. Primum est, quando ex dilatione correptionis timeretur in intermedio tempore lapsus fratris in peccatũ mortale, aut ipsius mors corporalis in peccato mortali, aut eiusdem vel reipub. vel etiam tertiæ personæ detrimentum notabile, quod vitari posset ipsa correctione fraterna: peccatum de se mortale esse eam differre: cùm id sit contra charitatem in materia graui. Secundum est, quando nihil prædictorum timeretur, si correctio in aliud tempus differretur sine causa, talem dilationem de se non esse peccatum plusquam veniale: quia non fit cum graui Dei vel proximi iniuria. Tertium est, Si & nihil iam dictorum timeretur, & aliqua iusta de causa iudicetur aliud tempus oportunius expectandum esse: dilationem non modo licitam, sed etiam debitam esse posse: vt quando multum refert expectare aliud tempus. Id quod relinquitur prudentis arbitrio.

Nu. 346. Hæc indicata sunt à D. Thoma 2.2. *quæst. 33. art. 2. ad 3.* cùm dixit tribus modis correptionem fraternam omitti posse: vno modo meritoriè, cùm ex charitate omittitur: pro quo adfert verba D. Augustini *in lib. 1. de ciuit. Dei cap. 9.* Altero modo cum peccato mortali: vt cùm quis probabiliter præsumens de aliquo delinquente, quòd posset ipsum à peccato retrahere, id omittit ob timorem, vel cupiditatem. Tertio modo, cum peccato veniali: vt cùm timor & cupiditas tardiorem quidem faciunt hominem ad corrigenda delicta fratris, non adeo tamen, vt correctionem omitteret, si per eam se fratrem à peccato retracturum sciret: ita scilicet vt in animo suo charitatem præponat timori, & cupiditati. Cui doctrinæ congruenter à mortali facile excusari possunt homines priuati, propterea omittentes fraternam correptionem, quòd aliquibus coniecturis, *ersi satis leuibus*, sibi persuadeant nihil per eam se profecturos, aut certè tunc temporis ad eam non teneri: sic autem affecti sunt animo, vt cognoscentes se teneri, aut profecturos esse, nollent omittere, sed charitatem præponere siue timori, siue cupiditati, prout præceptum de spiritali eleemosyna obligat. De qua obligatione duæ sunt difficultates; vna, An ea tanta sit, vt spiritali necessitati proximi debeamus subuenire cum nostro spiritali detrimento. Altera, An teneamur eidem subuenire cũm vitæ propriæ periculo.

Nu. 347. Quas antequam explicemus illud antedictis addendum est; à nonnullis inter conditiones requisitas ad obligationem corripiendi delinquentem, poni mansuetudinem & prudentiam: sed hæ non requiruntur, vt quis obligetur ad tale quid faciendum: sed tantùm vt illud debitè faciat. Quanquam autem mansuetudo in corripiendo debeat ordinariè retineri: nonnumquam tamen expedit aliquam seueritatem seruari in obiurgando, præsertim à Prælatis. Cæteris verò Spiritus mansuetudinis, benignitatis, & humilitatis semper ferè commendatus esse debet: præsertim cùm tales plerumque simus, quibus possit obiici, Medice cura teipsum] deceatque nos nostræ conditionis esse memores, qui pari miseriæ obnoxij sumus, plerumque delictis iis infecti, de quibus alios corrigere necessitas nobis ex hac obligatione incumbit.

Explicatio difficultatis, An teneamur spiritali necessitati proximi subuenire cum nostro spiritali detrimento.

Sectio VI.

PRo prioris autem difficultatis explicatione pleniore, accommodatè ad vsum quotidianum, constituemus aliquot propositiones.

Nu. 348. Prima est, hominem priuatum non teneri quidem inquirere aliorum spiritales necessitates, *sicut tenetur suas tanquam gerens curam animæ propriæ*: iis tamen cognitis tenetur eas patienti subuenire, quæcumque sint, si absque aliqua sua iactura potest id facere; vt quando potest sola monitione. Prior pars probatur: quoniam inquisitio necessitatum alienarum ad eos tantùm pertinet, qui aliorum curam gerunt, vt Prælati & Curati qui pro officio suo, tenentur spiritali saluti subditorum suorum inuigilare. Posterior verò, probatur ex eo, quòd lex charitatis, & misericordiæ non minus id exigat in spiritali necessitate, quàm in corporali de qua Exodi 23 dicitur: Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis; sed subleuabis cum eo.

Nu. 349. Secunda propositio est, Nos debere anteferre bonum nostrum spiritale, bono spiritali proximi. Ratio est: quia lege charitatis plus debet homo suam, quàm proximi animam diligere ex D. Thom. 2.2. *quæst. 26. art. 4.* Et confirmatur: quia communicatio in summo bono, in qua fundatur charitas, magis immediatiúsque obuenit homini per suam animam, per quam tale bonum participat, quàm per animam proximi, per quam illud solummodo comparticipat.

Nu. 350. Tertia propositio est, Non esse licitum, peccando detrimentum spiritale pati propter spiritale bonum etiam totius communitatis: quod est, non esse licitum committere peccatum, etiamsi id appareat necessarium esse ad salutem, non vnius tantùm hominis, sed etiam totius communitatis. Hæc est D. Thomæ *in cit. art. 4.* communiter à Theologis recepta *vt notat Greg. de Valen. 1.2. disput. 3. quæst. 4. puncto 3.* proceditque quantumcumque peccatum fuerit solummodo veniale ex eod. D. Thoma *in seq. quæst. 43. art. 7. ad 5.* Probatur autem per illud *Matth. 16.* Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.] Indicat enim peruersum esse, proprię saluti anteponere salutem etiam totius mundi. Item per illud D. Pauli *ad Rom. 3.* Et non sicut blasphemamur, sicut nos quidam aiunt dicere, Faciamus mala vt eueniãt bona.] Accedit quòd implicet contradictionem, aliquid simul licere & peccatum esse; cùm illud sit placere, & hoc displicere Deo.

Nu. 351. Sed obiici potest ex cap. Duo mala, distin. 13. quòd ex duobus malis, minus eligendum sit. Respondet autem Bañes ad citatum art. 4. D. Thomę, dubio prorsus non habere locum in iis quæ mala sunt intrinsecè naturáve suâ, adeout nunquam possint, licitè fieri: vt mendacium, quod dicere nunquã licet *prout D. Augustinus docet ad Psal. quinum.* Vnde illud Michææ 2. Vtinam non essem vir habens spiritum & mendacium potius loquerer: intelligendum est, *vt ex D. Hieron. Bañes habet*, nó quod Propheta optet mendacium, sed id quod tali mendacio esset coniunctum; nempe liberationem populi à malis quæ ipse prædicebat: ad eum modum nimirum, quo alicui imminentia ipsi mala denunciantes dicimus, Placeat Deo vt sim mẽdax. In iis autem quę extrinsecè, seu ob prohibitionẽ tantummodo Superioris, mala sunt: proposità regulam moralem posse locum habere. Itaque allata propositio non est ita accipienda, quasi negemus licere, cùm ad proximi salutem necesse fuerit, quædam facere, quæ etsi mala sint, non tamen intrinsecè: vt in die festo operari; carnes alicui in die ieiunij apponere, & similia; quæ non aliter mala sunt, quàm quia prohibentur ab Ecclesia. Nam si ad salutem proximi necessarium sit aliquà talium fieri, ipsa per eam necessitatis circunstantiam sic iustificantur, vt fiant licitè, tanquam prohibitione eorum non vrgente in tali casu. Obiici etiam potest, quòd si nullo modo liceat peccatum committere pro salute etiam spiritali proximi, neque licere pro eadem exponere se periculo peccandi, quod falsum est: quia prudens charitatis feruor, nonnunquam excitat hominem cum muliere vt à turpi vita eã reuocet, familiariter tractare, quod non caret peccandi periculo. Excitat etiam Religiosum cum sæcularibus versari ad procurandam ipsorum spiritalem salutem: qui erit in maiori peccandi periculo, quàm si contineret se in sua cellula.

Nu. 352. Respondendum est, id tantùm procedere cùm peccandi periculum non fuerit probabile, vt si quis expertus sit se non solere succumbere: aut quamuis nondum expectus sit, existimat tamen se cum Dei auxilio non consensurum in peccatum. Si enim sic affectus, res huiusmodi de se periculosas rationabili de causa propter Deum aggrediatur; non modò non peccabit, sed opus insigne charitatis magnique meriti faciet; nec auxilium diuinum deerit ei ad lapsum vitandum; si solicitus sit nihil omittere eorum per quæ ab illo sibi caueat. Cùm autem peccandi periculum probabile fuerit; quia ei se exponere, est in probabilem peccati causam consentire, & ex conse-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quenti peccare: iuxta illud Ecclesiastis 3. Qui amat periculum peribit in illo.] nullo sane modo id ex
Nu.353. prudenti charitatis feruore potest fieri.

Quarta propositio est, Pro spiritali salute alicuius communitatis, *immo & pro particulari priuata persona si extrema necessitas vrgeat*, teneri quemque velle pati aliquam iacturam, *citra culpam tamen*, in bonis suis spiritalibus, si aliter subueniri non possit, neque cóstet quòd alius subuenturus sit. Exemplo sit vir doctus, & ad procurandam aliorum salutem idoneus: qui in eo munere experiatur se minus feruidum in oratione, quàm fuerit cùm vitæ contemplatiuæ omnino vacaret: is enim tenetur talem iacturam pati potius, quàm alios in ea necessitate deserere. Probatur: quia si proximus sit in extrema, aut quasi extrema necessitate corporali, tenebitur quis sub mortali suam etiam feruentissimam contemplationem relinquere ad subueniendum ei per eleemosynæ corporalis subsidium: multò magis igitur, si ille sit in extrema spiritali necessitate, tenebitur eidem subuenire per eleemosynam spiritalem: quæ & superioris generis est, & finem longè de se præstantiorem respicit. Adde illud Apostoli *ad Philipp.* 1. Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos.] His enim verbis satis ostendit se spiritale suum commodum acceleraṅdæ consecutionis gloriæ, postposuisse spiritali commodo eorum quos instruebat. Sicut & exemplo ipsius feciſse existimandus est B. Martinus, cùm morti vicinus dixit: Domine si adhuc po-
Nu.354. pulo tuo sum necessarius, non recuso laborem.

Quinta propositio est, In aliis proximorum necessitatibus spiritalibus, obligationem subueniendi cum aliqua spirituli iactura, non esse eamdem in priuatis, ac in aliis quibus alienæ salutis cura incumbit ex officio: Probatur quia non posset alioquin declarari qua ratione horum maior sit quàm illorũ obligatio; aut cur hi potius, quàm illi communiter accipiant stipendium à proximis, dicantúrque ex officio
Nu.355. teneri ad subueniendum: ac nisi subueniant, potius censeantur infideliter agere, quàm alij.

Pro praxi autem quotidiana aduerte primò, cauendum esse à tentatione diaboli, qua quis velit non tam ex charitate, quàm ex carnalitate exercitia sua spiritalia omittere ad procurandam aliorum spiritalem salutem; de ea sollicitus, non quidem affectione sincera: sed quærente quæ sua sint, non quæ Iesu Christi, *iuxta illud ad Philippenses cap.* 2. Omnes quæ-
Nu.356. runt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.]

Aduerte 2. omissione exercitij spiritalis ad subueniendum spiritali proximi necessitati, *immo & temporali*, propter Deum, seu Dei intuitu: nempe quia ad id præceptum Dei vel Superior Dei authoritate præcipiens obligat; vel certè ponderatis circunstantiis iudicatur id ad maiorẽ Dei gloriã esse. Eiusmodi inquam omissione, nihil meriti amitti: siquidẽ tũc meritum habetur; tũ boni operis, quod erga proximum exercetur; tum etiã mortificationis, qua quis se propter Deum priuat proprio spiritali cómodo: tum demum operũ omissorum, quãdo sic ea omittit quis, vt absolutè cupiat ea Dei amore facere. Atque ita Religiosus qui spiritalibus exercitiis se totum pro Dei amore tradidit; si Superioris iussu debeat occupationem admittere, ab iisdem exercitiis distrahentem: vt literarum studium, vel procurationem negotiorum, nihil amittit meriti, quandiu sui non obliuiscitur. Nam amplum ac securum cõsequitur fructum obedientiæ suæ, quâ propriam voluntatem propter Deum mactat; neque amittit meritum debitum illis exercitiis, quibus optat vacare pro Dei amore: & va-
caret, nisi maior Dei gloria suaderet alia præferenda.

Aduerte postremò, vt corporalem sic spiritalem necessitatem esse posse; tum communem, cui proxi- Nu.357.
mus illam patiens possit prouidere sine magna difficultate: vt potest is qui peccatum suum agnoscens valet ipsum depellere per conuersionem ad Deum: tum etiam grauem, cui illam patiens nequit sine magna difficultate prouidere; vt quando ipse laborat aliqua vincibili ignorantia, aut praua assuetudine; tum demum extremam, cui non nisi cum summa, & penè impossibili difficultate, ille qui eam patitur prouidere potest; vel ob defectum ingenij ad ignorantiam vincendam: vel ob voluntatis infirmitatem ad superandas peccati illecebras. Cuiusmodi necessitatis exempla sunt: cùm populus rudior, qui nequit satis veritatem iudicare, seducitur ab hæretico concionatore. Item cùm quis exercet negotiationem iniustam, quàm talem esse nescit, sed culpabiliter: quia contentus est, quòd iniustitiam non detegat; neque ipse sit idoneus ad eam detegendam: neque alius appareat, qui ipsum moniturus sit. Item cùm puella à patre prostituenda meritò creditur, spiritaliter peritura. Similiter cùm quis in periculo mortis constitutus coniicit probabiliter, se sufficientem contritionem habere non posse, sine sacramentali confessione, petit Confessarium. In quibus casibus & aliis similibus obligatio est subueniendi proximo, non modò cum aliquo nostro spiritali detrimento, *citra culpam tamen*, sed etiam cum vitæ propriæ periculo, vt in sequentibus dicetur.

Ad vitandos autẽ scrupulos qui circa talem obligationẽ conscientias timoratorum vexare possent: notandũ est cum Greg.rio à Valen. *disput. 3. qu. 4. puncto 3. sub finem* non esse cẽsendum proximũ laborare extrema necessitate, si quomodocumque ad tempus futurus sit extra Dei gratiam; sed si certò aut probabiliter putetur extra eam moriturus, & ideo incursurus æternam damnationem; quia nimirum, apparet breui efflaturus animam; aut ex circunstantiis iudicatur longo tempore in malo statu perseueraturus, probabiliterque in eo migraturus ex hac vita. Notandum est etiam nos de tali necessitate proximorum non teneri inquirere, qui curam illorum non gerimus. Etenim ea inquisitio actus est prouidentiæ habendæ de aliorum commodis vel incommodis: quæ incumbit tantum iis qui curam illorum ex officio gerunt: nec cæteris aliud incumbit, quàm subuenire occurrenti eis proximiorum necessitati. Accedit quòd nec si eam cognoscamus, debere nos pro ea angi solicitudine, si probabiliter credamus alios esse qui laboranti sint opem laturi, aut si neminem sciamus quidem, sed nec spem probabilem habeamus, quòd possimus per nostram operam necessitati eiusmodi efficaciter subuenire, ideóque simus id frustra conaturi: quod non esset prudentiæ.

Explicatio alterius difficultatis, An teneamur spiritali proximi necessitati subuenire, cum vitæ propriæ periculo.

Sectio VII.

EXponere periculo vitam propriam pro spiritali Nu.358.
proximorum salute exemplum Christi inuitat: de quo 1. *Ioan.* 3. In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.] Id autem esse in præcepto, indicant verba ipsius Christi *Ioan.* 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut

sicut dilexi vos.] & patet ex eo, quòd charitatis ordo ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 8. sit in præcepto tanquam internus modus illius dilectionis, de qua datum est præceptum charitatis. Atque talis ordo postulet, vt salus animæ proximi, saluti nostri corporis præferatur; ex ejusdem D. Thomæ doctrina *in præcedenti quæst.* 26. *art.* 5. communiter à Theologis recepta; vt monet Gregor. à Valen. *in eodem puncto* 3. *assertione* 5. Vbi præter rationem D. Thomæ, hanc affert: quòd simus inuicem membra eiusdem mystici corporis Christi, *ex cap.* 4. *epist. ad Ephes.* ratióque dictet, vt in corpore membrum vnum, illud quod habet in se incomparabiliter minus, expendat pro bono maiori alterius membri.

Nu.359. Pro quo tempore autem obliget tale præceptum explicatur propositionibus sequentibus. Prima est, occurrente proximi extrema necessitate salutis, vnũquemque teneri sub mortali vitam prò eo exponere si id fuerit ad ipsi subueniendum, necessarium & efficax remedium. Hanc tangit Nauar. *in Enchir. cap.* 24. *num.* 11. & ad citatum D. Thomæ art. 5. exprimũt Bañes, Aragon. & Gregor. à Valen. communitérque recipitur tanquam ex eo satis perspicua: quòd præceptum affirmatiuum, quale est propositum, si quando aliàs, maximè in casu extremæ necessitatis vim obligandi habeat. Itaque si quem cognoscam, cum ignorantia vincibili esse in peccato mortali, cui non obuiabit nisi ipsum de modo quo illud vincere debeat instruxero; atque adeo in illo perseueraturus sit cum periculo probabili moriendi in statu damnationis, teneor ipsum instruere etiam cum propriæ vitæ periculo. Similiter si sciam idiotam peruertendum ab hæretico, & in hæresi, aut cum ignorantia fidei ad salutem necessariæ discessurum ex hac vita, teneor quoque cum eodẽ periculo ipsum instruere: quia necessitas spiritalis tũc est extrema; & sic de similibus.

Secunda propositio est. Pari quoque modo in
Nu.360. graui proximorum necessitate, obligari eos quibus ex officio incumbit cura salutis animæ ipsorum. Hęc etiam traditur ab iisdem authoribus, communitérque recipitur per illud *Ioan.* 10. Bonus pastor animam dat pro ouibus suis.] Quod non esse tantùm intelligendum de ouibus existentibus in extrema necessitate, patet: qnia non posset alioqui inde colligi maiorem esse Pastotum quàm aliorum obligationem subueniendi in spiritali necessitate suis ouibus; quãdoquidem omnes tenentur subuenire patienti extremam, vt præcedens propositio ostendit. Hinc Gregor. à Valen. *in eodem puncto* 3. *sub finem*, infert pastores animarum tempore pestis non obstante periculo vitæ, tenere audiri confessiones suorum subditorum, eisque alia sacramenta & spiritalia subsidia impendere; neque posse tunc relinquere munus pastoris; nisi esset alius idoneus, qui in eodem munere vellet sufficienter occupari. Sicut nec miles ad bellum conductus potest suo muneri renunciare cùm hostes, ingruunt & inuadunt. Nam vt is pro eo maximè tempore censetur conductus: sic & pastor ab ouibus necessaria ad temporalem vitam accipit potissimùm, vt in necessitate spiritali eis subuenire teneatur. Videri possunt quæ habet Bañes *ad præcedentis quæst.* 33. *art.* 3. *dub.* 4. *concl.* 4. *& plenius Suarez in tertiam partem tomo* 4. *disput.* 44. *sect.* 3.

Tertia propositio est, perfectionis quidem esse, non tamen obligationis sub peccato, in graui *(non* Nu.361.
tamen extrema) necessitate spiritalis salutis proximorum, priuatam personam subuenire eis cum periculo propriæ vitæ, aut alterius grauis iacturæ. Hæc est D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. *ad* 3. & interpretum ipsius. Probatur verò, quia non est rationi consentaneum cum tanta seueritate obligare ex charitate in tali casu, in quo necessitatem patiens, *cùm non sit extrema*, potest ipse sibi subuenire faciendo quod in se est; præsertim cùm non sit defuturum sufficiens Dei auxilium, illud vt par est requirenti. Laudabile verò est ac perfectionis, generoso animo vitæ periculum aliáque detrimenta temporalia subire pro bonis spiritualibus proximi: iuxta illud *Ioann.* 15. Maiorem charitatem nemo habet vt animam suam ponat quis pro amicis suis.] Quod cùm dicatur absq; limitatione, intelligi potest non tantùm de extrema, sed etiam de alia graui necessitate proximorum. Et ita, *vt ad citatum D. Thomæ locum Caiet. notat*, laudantur religiosi, qui tempore pestis, vitam suam periculo exponunt, administratione sacramentorum, aliisque subsidiis iuuando infirmos in spiritalibus, quamuis ad id non teneantur, sed licitè possint corruptum aerem fugere.

Laus Deo & Beatæ Virgini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRAXIS FORI

POENITENTIALIS PARS SECVNDA:

DE ACTIONIBVS, IN QVIBVS CONSISTIT SALVTARIS vsus Sacramenti Pœnitentiæ.

Authore P. VALERIO REGINALDO *Burgundo Sequano, è Societate* IESV.

PRÆFATIO.

VT Pœnitentiæ Sacramento commune est cum cæteris nouæ legis Sacramentis (excepto Eucharistiæ Sacramento) quòd in vsu consistat; sic eidem peculiare est ac proprium, vt consistat in vsu habente formam iudicij, quod ipsius minister tanquam Iudex exerceat in Pœnitentem tanquam reum, quando hic illi se offert corde contritus, proprióque ore de peccatis, quorum reus est, accusans semetipsum, paratus opere implere satisfactionem sibi imponendam. Offert, inquam, se vt iuxta Christi institutionem absoluatur, in remissionem eorumdem peccatorum. Sícque actiones nobis ad explicandum propositæ, tanquam eæ in quibus Sacramenti Pœnitentiæ vsus consistit, istæ sunt: Pœnitentis quidem, tum contritio cordis, tum confessio oris, tum etiam satisfactio operis. Confessarij verò, absolutio à peccatis eidem Pœnitenti impertienda. Cuius absolutionis vsui, sicut coniunctum esse oportet vsum absolutionis ab excommunicatione, ita illius explicationi huius explicationem conuenit esse coniunctam: præsertim cùm facilè Confessarius exponatur periculo committendi sacrilegium, perperam absoluendo Sacramentaliter, si absoluendo ab excommunicatione procedat temerè ac sine debita scientia. Ratione cuius periculi subiungenda est porro explicatio restitutionis: eoquod oporteat ipsam passim comitari satisfactionem Sacramentalem, atque adeo notam esse Confessario, ad vitandum periculum Sacramentaliter absoluendi indispositum. Sic igitur pars hæc complecti debet sex libros, 1. de contritione 2. de confessione. 3. de satisfactione cum sua appendice de indulgentiis. 4. de Sacramentali absolutione. 5. de absolutione ab excommunicatione, nonnullísque aliis, quæ de excommunicatione Confessarius habere debet cognita, ad cauendum periculum perperam absoluendi sacramentaliter, & 6. de restitutione tanquam satisfactionis Sacramentalis comite: ac necessaria cognitu ad illud idem periculum vitandum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER PRIMVS,
AC OPERIS TOTIVS QVINTVS.
DE CONTRITIONE AD SALVTAREM SACRAMENTI POENITENTIÆ VSVM SPECTANTE.

DE contritione, prout ſpectat ad ſalutarem Sacramenti Pœnitentiæ vſum, explicanda occurrunt. 1. illius natura. 2. neceſſitas ipſius exercendæ. 3. Quæ concurrere oportet ad illius exercitium, quoad deteſtationem quam in ſua natura includit 4. Modus eiuſdem deteſtationis exercendæ. 5. Modus exercendi propoſitum emendationis, quod illa adhuc in ſe includit. & 6. Defectus contritionis, per quos ea reddit pœnitentiæ Sacramentum inualidum. Vnde liber hic ſex capita continebit: quibus ſingulis quodque prædictorum explicabitur. Alia verò quæ huc quoque ſpectare videntur, iam tradita ſunt in prima parte lib. 2. cap. 5.

CAPVT I.
De natura contritionis.

SVMMARIVM.

1 *Contritio eſt voluntatis actus, & quis.*
2 *Dolor ſiue voluntatis, ſiue appetitus ſentientis non eſt de eſſentia contritionis, ſed eſt tantùm illius effectus.*
3 *Deteſtatio, quæ contritionem ſacramentalem conſtituit, debet eſſe actualis.*
4 *Quando contritio virtualis ſufficere poſsit ad remiſsionem peccati mortalis.*
5 *Ad peccatorum inculpabiliter oblitorum remiſsionem ſufficit contritio virtualis.*
6 *Ratio nominum contritionis, compunctionis, ſciſsionis cordis & pœnitentiæ.*
7 *Ad naturam contritionis cum deteſtatione præteritorum peccatorum, pertinet propoſitum non peccandi de cætero.*
8 *Quod, an actuale eſſe debeat, verſatur in controuerſia.*
9 *Debere eſſe, colligitur ex ſacris literis, & Conciliis.*
10 *Idem docetur ratione à ſimili.*

Nu. 1. CONVENIT inter Catholicos, contritionem conſiſtere in aliquo voluntatis actu, quem pœnitens exerceat circa proprium ſuum peccatum eidem voluntati repræſentatũ ab intellectu, illud cõſiderante, quatenus ab ipſomet pœnitente perpetratum eſt. Quiſnam autem ſit actus ille, ita declaratur. Sicut in perpetratione peccati, Pœnitens ita affectus fuit, vt primùm tentaretur, hoc eſt, moueretur ad peccatum à Dæmone, vel à mundo, vel à carne, motu quodam indeliberato, *quem primò primum vocant*: Deinde, vt ad illud mentem aduertens, haberet quoddam illius deſiderium, ſeu amorem quo placuit voluntati: præterea gaudium in eadem voluntate: ac demum voluptatem in appetitu ſenſitiuo. Sic contrario modo affectus idem Pœnitens in repudiatione peccati; primùm à Deo mouetur motu præueniente vſum liberi arbitrij; ad modum illius qui primò primus dicitur; quem indicant verba Pſalm. 84. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter.] & Ierem. 31. Conuerte me, & conuertar.] & in fine Threnorum, Conuerte nos ad te, & conuertemur.] Deinde verò, ad peccatum à ſe perpetratum aduertens, ſibi diſplicet peccaſſe, odítue peccatum: quæ diſplicentia ſeu odium, dicitur deteſtatio, horror, abominatio, & execratio peccati: nihilque eſt aliud, quàm motus in voluntate hominis, ex peccati commiſſi conſideratione prorumpẽtis in hunc actũ *Velim non peccaſſe.* iuxta illud quod ſequitur apud Ierem. *cap.* 31. Poſtquam conuertiſti me egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum, confuſus ſum, & erubui; quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ.] Tertiò, concipit de eodem peccato dolorem in voluntate, qui dicitur dolor cordis. Conſiderans enim peccatum, quod ei diſplicet, quódque odit, non poſſe non eſſe factum: & conſequenter apprehendens illud tanquam malum quod vitari non poteſt, triſtatur: quia ex apprehenſione mali quod vitari non poteſt, oritur triſtitia. Poſtremò ex triſtitia voluntatis, mouetur quoque in homine appetitus ſentiens, ingeneratúrque in eo triſtitia, adeout homo ipſe aliquando prorumpat in gemitus.

Quæ cùm ita ſint, actus Pœnitẽtis in quo eſſentia contritionis conſiſtit, eſt dicta deteſtatio ſeu odium peccatorum à Pœnitente ipſo commiſſorum. Virtus enim pœnitentiæ, cuius primus actus eſt contritio, ad talem deteſtationem odiúmve inclinat de ſe.

Neque dolor ſiue voluntatis, ſiue appetitus ſenſitiui, ad illam ſpectat; ſed eſt illius effectus: dolor quidem voluntatis effectus neceſſariò coniunctus: vtpote qui ex contritione ipſa neceſſariò conſurgit in homine viatore; ſicut lumen in corpore perſpicuo, ex præſentia corporis lucidi. Dolor verò appetitus ſenſitiui, effectus eſt non neceſſariò coniunctus; ex eadem tamen frequenter proueniens: & deſiderandus in Pœnitente: non ex debito obligationis, ſed decentiæ tantùm, & vtilitatis: atque is moderatus; *prout notatum eſt à Nauar. in Enchir. cap.* 1. *num.* 23. & 24. Quod ſi in definitione contritionis pro genere dolor ponitur in Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. cùm dicitur eſſe animi dolor & deteſtatio de peccato cõmiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero:] nomen doloris, *quod notat Nauar. in præced. num.* 16. accipitur cauſaliter, ad indicandam cauſam per effectum ſuum nobis notiorem, apertéque monſtrantem differentiam qua diſtinguitur pœnitentia viatorum, ab illa beatorum: quâ ſine dolore meminerunt peccatorum à ſe aliquando commiſſorum, nolléntque ea commiſiſſe. Itémque ab illa viatorum, quâ nollent Nu.2.

qui

quidem peccaſſe, ſed non conſiderantes actu, quòd ipſi peccarint, non dolent; quia ſine actuali conſideratione, dolor non eſt natus ſequi pœnitentiam. *Ita ex Soto & Adriano habet Nauar. in eod. cap.* 1. *num.* 6.

De deteſtatione conſtituente naturam contritionis.

SECTIO PRIOR.

Nu.3. PORRO, cùm deteſtatio peccati poſſit eſſe aut actualis, aut virtualis *(qualis eſt contenta in dilectione Dei, tantarum virium vt ex ea nata ſit ſequi diſplicentia de peccato quocumque, quod memoriæ occurreret)* debere actualem eſſe ad conſtituendam contritionem ſufficientem delendis peccatis mortalibus D. Thomas expreſſit 3. *parte quæſt.* 87. *artic.* 1. & deducitur ex Concilio Tride. loco cit. Vbi contritionem non ſolùm ceſſationem eſſe à peccato, & vitæ nouæ inchoationem; ſed veteris etiam continere odium: confirmat contra hæreticos noſtri temporis, per verba illa præceptiua *Ezechielis* 18. Proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis; & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum.] Hoc enim præceptum, ſi de peccati odio ſeu deteſtatione tantùm virtuali intelligeretur, poſſent ſimiliter de aliis actibus virtutum ad ſalutem neceſſariis, data præcepta intelligi de virtualibus. Vnde quod habetur ad Hebræos 11. Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo,] ſic poſſet intelligi, vt ſola quædam virtualis fides ad ſalutem ſufficiat. Quod dicere temeritas eſt manifeſta, *inquit Sotus in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſtione* 1. *artic.* 2. *columna* 6.

Nu.4. Quanquam tamen (vt confirmat, communémque ſententiam eſſe ait Nauar. *in Enchir. cap.* 1. *num.* 10.) ad remiſſionem peccatorum, etiam mortalium, *iuxta illud Prouerbiorum* 10. *Vniuerſa delicta operit charitas: & illud* 1. *Petri* 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum,* ſufficere poteſt virtualis peccatorum deteſtatio incluſa in actu amoris, quo Deus plus quàm omnia alia diligitur; quando defectus temporis, aut inculpata inconſideratio peccatorum fuit in cauſa, quominus horum actualis deteſtatio adiungeretur eidem actui amoris. Exemplum eſt, ſi Tyrannus accedat ad occidendum aliquem niſi fidem neget, aut aliud peccatum perpetret; & is ſine memoria ſuorum præteritorum peccatorum, eleuata mente ad Deum, eligat magis mori propter ipſius amorem, quàm peccare. Item ſi quis accedat ad mulierem occiſurus eam, niſi turpiter ei conſentire velit; & illa, quemadmodum præcedens; ſine memoria ſuorum præteritorum peccatorum, potius eligat mori, quàm conſentire peccato. Quod ſi licuerit talibus ſumere tempus ad examinandam conſcientiam, peccatáque ſua actu deteſtanda, & ſumere noluerint, nec adhibere diligentiam ſufficientem ad reuocanda in memoriam ea, de quibus nondum egiſſent pœnitentiam: aut in aliquibus talibus memoriæ occurrentibus ſibi aliquo modo complaceant, nec actu ea deteſtentur: non præſumentur habuiſſe veram contritionem incluſam in actu amoris Dei; quãdoquidem per talem amorem, non ita ferrentur in Deum, nec ita afficerẽtur animo, vt quidquid occurreret eis, quod à tali motu retardaret, illud deteſtarentur; ac ſummè dolerent, illud à ſe perpetratum eſſe: de eóque confiterentur habentes copiam Confeſſarij. Ad quod faciendum tenetur is etiam qui ſubiturus eſt Martyrium; ſicut & tenetur baptizari, dum poteſt, ſi nondum eſt baptizatus; vtrumque enim ſimiliter eſt in præcepto.

Præterea cùm ſingularis contritio, quæ poſt dili- Nu.5.
gentem peccatorum inquiſitionem formatur de iis quæ memoriæ occurrunt, ſit contritio virtualis eorum quorum homo ſic oblitus eſt, vt adhibitâ morali diligentiâ, non poſſit in memoriam ea reuocare: talem quoque virtualem, quoad ipſa peccata oblita, ſufficere, patet: quia ſi non niſi actuali deteſtatione talia peccata remitti poſſent, nuſquam poſſent: cùm actualis deteſtatio non ſit ſine actuali cognitione. Id autem abſurdum eſt; quia ab occultis nos liberari poſſe, ſatis indicat illud *quod ex Pſal.* 18. *precando vſurpamus:* Ab occultis meis munda Domine.] Deinde, ſicut de contritione habetur *Luc.* 13. Niſi Pœnitentiã habueritis, omnes ſimiliter peribitis;] Sic etiam habetur de baptiſmo Ioannis 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.] Ergo ſicut omnium iudicio ſufficit Baptiſmus in voto, cùm in re haberi non poteſt: ita ſufficiet virtualis deteſtatio, cùm actualis nequit vllatenus haberi.

Cæterum eadem de qua agimus deteſtatio, ſicut Nu 6.
per metaphoram contritio dicitur, eoquod cor hominis, inhæreſcendo peccatis effectum rigidum & durum *(de quo Eccleſiaſtici* 3. *Cor durum malè habebit in nouiſſimo)* per eam molleſcat, eodemque affectu extincto, cedat ad inſtar lapidis in puluerem reſoluti. Ita etiam, *vt notatum eſt à Soto in* 4. *diſtinct.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 1. *col.* 5. dicitur compunctio, & ſciſſio cordis, eoquod per eam cor, ſeu voluntas intumeſcens ſuperbiâ, ita afficiatur, vt peccatum à ſe emittat perinde ac pus ex apoſtemate puncto & ſciſſo erumpit. Quæ ſciſſio cordis, cum conuerſione ad Deum, tanquam eodem ſpectans, iniungitur Ioëlis 2. cùm dicitur: Conuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & fletu, & plãctu: & ſcindite corda veſtra.] Appellatur etiam actualis pœnitentia, deriuato nomine à pœna rerum malè geſtarum, quam actu ipſi intra nos de nobis ſumimus. Ad quod facit illud quod *in cap. Pœnitentia* 2. *De pœn. diſtin.* 3. habetur ex Diuo Auguſt. Pœnitere eſt pœnam tenere, vt ſemper puniat in ſe vlciſcendo, quod commiſit peccando.

De propoſito emendationis complente naturam contritionis.

SECTIO POSTERIOR.

IAm verò ad integritatem contritionis, cum dete- Nu.7.
ſtatione peccatorum pertinere propoſitum emendationis, ſeu propoſitum non peccandi de cætero, ſatis oſtenditur per illud, quod Concil. Florent. *in inſtruct. Armenorum* ſtatuit ad contritionem pertinere, vt doleat quis de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Et quod Concilium Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. contritionem definiat dolorem & deteſtationem de peccato, cum propoſito non peccandi de cætero. Sed dubitatio eſt, An contritionis exercitium ad Sacramentum Pœnitentiæ neceſſarium, requirat tale propoſitum actuale, id eſt, quo Pœnitens actu proponat ambulare in nouitate vitę; ſeu, quod idem eſt, vitam de cætero inſtituere ex præſcripto diuinorum mandatorum: An verò ſufficiat eſſe virtuale, ſeu incluſum in aliquo alio actu, tanquam in ſua cauſa, vt cenſetur eſſe in ante memorata deteſtatione peccatorum: ex ea enim, cùm efficax perfectáque fuerit, natum eſt ſequi propoſitum non perpetrandi denuo ſimilia.

Atque in vtramque partem diuerſos authores re- Nu.8.
ferunt Bellarminus, & Suarez: *ille in tomo* 2. *lib.* 2. *de*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pœniten. cap. 6. & hic *tomo 4. disput. 4. sect. tertia.* Quamuis autem pars negans non sit omnino reiicienda, cùm & authores & rationes satis probabiles habeat, faueátque humanæ infirmitati: affirmans tamen videtur sequenda in praxi, & Pœnitenti consulenda; nempe exercitium prædictum requirere propositum actuale non peccandi de cætero. Ratio est; tum quia id, & securius est, & magis receptum: quod maximè attendendum est in re maximi momenti, qualis est contritio necessaria necessitate medij, *vt in sequen. cap. docebitur*, ad exeundum à miserrimo statu peccati: tum quia magis est sacræ Scripturæ, & sacris Conciliis consentanea.

Nu. 9. Nam in contritione seu conuersione ad Dominum, pariter coniungunt detestationem perpetratorum peccatorum, & propositum nouæ vitæ, seu obseruationis diuinorum mandatorum: vt cùm *Ezech.* 18. dicitur: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est *(quod detestationem)* & custodierit omnia: præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam; *(quod nouæ vitæ propositum indicat)* vita viuet & non morietur.] Iterum *in eodem cap.* Proiicite à vobis omnes præuaricationes vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouũ. *Et ad Eph.* 4. Deponite vos veterẽ hominẽ, qui corrũpitur secundùm desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouũ hominem.] Præterea ex Conc. Flor. *in instruct. Armenorum*, & ex Conc. Trident. *sess. 14. cap. 4.* prout iam attigimus, Contritio definitur animi dolor ac detestatio de peccato, cum proposito non peccandi de cætero.] Quæ posteriora verba, si de proposito virtuali intelligerentur, frustra superfluéque adderentur; quandoquidem hoc ipso quòd contritio dicitur detestatio de peccato commisso, satis intelligitur esse cum proposito virtuali non peccandi de cætero: si cognoscatur quid significetur nomine istiusmodi propositi.

Deinde sicut actualis detestatio peccati, virtualiter includit propositum non peccandi: sic etiam viceuersa actuale propositum non peccandi, virtualiter includit detestationem peccati; & nihilominus ad contritionem, præter dictum propositum, requiritur actualis detestatio, *vt in cit. cap. 4.* declarauit Concil. Trident. his verbis: Declarat igitur sancta Synodus, contritionem non solùm cessationem à peccatis, & nouæ vitæ propositum; sed etiam veteris odium continere.] Cur igitur non dicemus pari ratione præter actualem detestationem requiri actuale propositum?

Nu. 10. Et certè videmus in humanis vsuuenire, vt domini à seruis, parentes à filiis, quibus post offensionem reconciliantur, exigant non tantùm detestationem & dolorem de peccato perpetrato; sed etiam, imo & præcipuè, propositũ expressum melioris vitæ: idémque in reconciliatione peccatoris cum Deo vsuenire debere, natura ipsa suggerit. Addi potest in confirmationem, quòd Concil. Triden. *sess. 6. cap. 6.* in dispositione peccatoris ad iustificationem, ponat istiusmodi propositum, tanquam distinctum ab amore Dei, & ab odio seu detestatione peccati. Itẽ quòd nihil magis vsitatum sit in debita administratione huius Sacramenti, quàm exigere à fidelibus propositum cauendi de cætero peccata; & qui illud non habere cognoscuntur, non absoluantur tanquam non contriti. Quæ in contrarium obiici possent rectè soluuntur à Bellarmino *in seq. cap. 7.* quem qui volet consulat; in illis enim hærere scholastici potius, quàm præsentis instituti est.

CAPVT II.

De necessitate contritionis exercendæ.

SVMMARIVM.

11 *Contritio non est absolutè necessaria homini ad æternam salutem consequendam.*
12 *Necessaria autem est, supposito quod ille actu peccauerit mortaliter.*
13 *Idque necessitate tum medij.*
14 *Tum præcepti.*
15 *Quod obligat sub peccato mortali.*
16 *Nunquam debet peccatum nostrum nobis placere; displicere autem actu illud, de quo iam nos fuisse contritos meritò existimamus, necessariũ non est.*
17 *Nec de obitis, nec de obiter aut speculatiuè tantùm occurrentibus memoriæ, tenemur contritionem expressam habere.*
18 *Salutare quidem consilium est, non tamen præceptum, de peccato commisso conteri, statim ac venit in mentem, etiamsi plenè & practicè veniat.*
19 *Id confirmatur duabus præcipuè ratiõnibus.*
20 *Notanda ad solutionem rationum quæ in contrarium proponuntur.*
21 *Non est de se peccatum saltem mortale, differre contritionem, cum necessitas non vrget.*
22 *Non est specialis obligatio de peccatis conterendi in die festo.*
23 *Speciale præceptum conterendi, per se obligat tantùm pro mortis articulo.*
24 *Per aliud verò, quando ne contingat in peccato mortali suscipere vel administrare aliquod Sacramentum, aut grauis necessitas publica, aut votum, vel iuramentum vrget aliquem conteri.*
25 *Quomodo contritio cadat sub præceptum; cùm sit supernaturale Dei donum.*

HO pertinet hæc explicatio vt intelligatur *Nu. 11.* sitne, & quomodo sit contritio ad æternã salutem consequendam necessaria. Atque non esse necessariam absolute; ita nempe vt nemo hominum absque ea salutem consequi possit, D. Thomas *in 3. parte quæst. 84. art. 5.* rectè confirmat ex illis verbis 2. *Paralip. cap. vlt.* Tu Dominus Deus iustorum non posuisti pœnitentiã iustis Abraham, Isaac, & Iacob, iis qui tibi non peccauerunt.] Adde & illud *Luc. 5.* Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.]

Esse verò necessariam facta suppositione, quòd *Nu. 12.* quis contaminatus sit mortali peccato *(quod excludere ab æterna salute, sicut & à diuina gratia, certum est de fide)* constat ex eo, quòd Deus, qui Angelis peccantibus non pepercit, 2. *Petri* 2. promittat quidem misericorditer hominibus peccatoribus veniam & salutem: sed non nisi pœnitentibus, vt patet per illud *Psal.* 50. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.] & illud *Isaiæ* 56. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, contritum corde, & trementem sermones meos.] Et illud *Ezech.* 18. Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, vita viuet, & nõ morietur:] *& infrà.* Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.] itémque illud citatum *ex cap. 5.* D. Lucæ Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.] Accedit quòd D. Petrus *Act. 3.* ait Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.] Neque licet aliter sentire propter Concilij Triden. definitionem *sess. 14. cap. 1.* cuius verba sunt. Fuit quidem pœnitentia vniuersis hominibus, qui se, mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria.] *& cap. 4.* Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.] Obiter verò monendum occurrit; quamuis inter hæc, Reconciliari Deo; Gratiam Dei recuperare; Iustificari: Remissionem peccatorum consequi, aliqua distinctio Metaphysica cernatur; ea tamen deinceps à nobis indifferenter vsurpanda esse, quia nunquam de facto separantur; sed semper simul dantur.

Necessitatem contritionis esse tam medij quàm præcepti.

SECTIO I.

Nu. 13. PORro necessaria est peccatoribus ad salutem contritio, necessitate tam medij, quàm præcepti: Necessitate quidem medij, seu tanquam medium sine quo contaminati peccato mortali salutem vitámve æternam obtinere nequeunt; patet per illud à Domino dictum *Luc. 13.* Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.] & illud D. Pauli *ad Rom. 2.* Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.] & illud *Apocal. 2.* Veniam tibi citò, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.] Ac demum facit illud, quòd Patres pœnitentiam appellarint secundam post naufragium tabulam; approbatum à Concilio Trident. *sess. 6. cap. 14. & sess. 14. can. 2.*

Nu. 14. Necessitate præcepti verò, peccatoribus necessariam esse contritionem ad salutem, idest, contritionem iniunctam illis esse, sub præcepto, quod sit de numero eorum de quibus à Domino dicitur *Matth.* 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:] communiter Theologi docent: quibus rationibus, videre potest qui volet apud Sotum *in 4. distin. 17. quæst. 2. art. 6.* Satis enim est ad nostrum institutum notasse illud *Ezech.* 18. Proiicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum.] Et illud *Ioelis* 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, & scindite corda vestra.] & illud *Matth.* 4. Pœnitentiam agite.] & illud *Apocal. 2.* Pœnitentiam age:] apertè indicare præceptum pœnitentiæ.

Nu. 15. Quod cùm sit de re ad salutem omnino necessariâ ex antedictis, ipsum quoque necessariò est de numero eorum quæ seruanda sunt volenti ingredi ad vitam æternam: peccatúmque impœnitentiæ, quod in illius transgressione consistit, est mortale, vt satis indicant supra citata verba D. Pauli *ex cap. 2. Epist. ad Rom.* Et ratio confirmat: quia si nolle resarcire iniuriam notabilem homini illatam, peccatum est mortale, vt indicant verba Domini *Matth. 5.* Si offers munus tuum ad altare, &c. vade priùs reconciliari fratri tuo:] multo magis erit, nolle resarcire iniuriam per peccatum mortale Deo illatam. Similiter, si is non euadit peccatum mortale tanquam homicida, qui non vult cibum capere eo tempore quo offertur illi, tanquam illud sine quo omnino viuere non potest; quanto minus euadet is, qui vocatus ad pœnitentiam, respuit eam tunc exercere, cùm nequit aliter euadere eam mortem, de qua *in Psal. 33.* dicitur, Mors peccatorum pessima?]

De obligatione præcepti contritionis quæ habeantur certa.

SECTIO II.

DE obligatione autem eiusdem præcepti Theologi Scholastici differunt pluribus *(maximè Suarez, vt posterior ab aliis dicta examinãs tom. 4. disp. 15.)* & cum eis Nauar. *ad tertiam & reliquas partes Glosæ summæ, De Pœniten. distin. 5.* Sed contenti erimus ea attingere, quæ pro praxi sufficiant: ac primò sequentia ab omnibus recepta notat Nauarrus.

Primum est, nos teneri omni tempore cauere ne *Nu. 16.* peccatum quod admisimus, nobis vnquam placeat: quia id esset consentire in peccatum ipsum, atque adeo peccare *iuxta cap. Sed pensandum est distinct. 6. & cap. Sicut trib. De pœniten. distin. 2.* Secundum est, nos non teneri *(etiamsi saluberrimum consilium sit, prout habet Nauar. in Ench. cap. 1. num. 32.)* ad habendum contritionem de peccatis iam semel contritis; argumento illius quod secundùm versionem 70. Interpretum Nahũ primo dicitur, Non vindicat Deus bis in idipsum in tribulatione:] quod refertur *in cap. Quid ergo 23. quæst. 5.* Cui adde illud ex *cap. 11. Epist. ad Roman.* Sine pœnitentia, sunt Dei dona.] Item illud *Ezech.* 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor.] Itémque illud *Michææ vlt.* Proiiciet peccata nostra in profundum maris.] quo significatur peccata nobis à Deo remissa, perpetua obliuione sepeliri, sicut ea quæ in mare proiiciuntur ne vnquam illorum memoria extet. Quinimo nec nos teneri ad habendam contritionem de iis de quibus probabiliter existimamus nos iam contritos fuisse, etiamsi fortè non fuerimus sufficienter ad obtinendam peccatorum nostrorum remissionem. Quod hinc patet; quia alioqui cùm nemo sciat an amore vel odio dignus sit *(ex Ecclesiastici cap. 9.)* ac quisque cum Iob *cap. 9.* dicere debeat; etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea:] nusquam is qui cõmiserit peccatum mortale quietus esse poterit, sed semper iudicare debebit, se adhuc teneri ad illius contritionem, quantumcumque iam adhibuerit diligentiam in conterendo & confitendo de illo: quo fieret, vt tale præceptum in grauamen potius, quàm in solamen animarum esset institutum: quod absurdum est.

Tertium est, neque nos teneri ad habendam con- *Nu. 17.* tritionem expressam de iis quæ non occurrunt memoriæ: quia cùm voluntas in incognita ferri nequeat, teneremur ad impossibile: quod absurdum est. Immo nec teneri ad habendam confestim de iis quæ occurrunt quidem memoriæ, sed tantùm obiter, & aliud agentibus: vt contingit, dum doctori in Schola docenti, vel disputanti, aut in templo concionanti, memoria alicuius sui peccati occurrit. De quo si teneretur, eo ipso statim conteri, diuersæ actiones in eo simul confundendę essent, contra ordinem qui in agendis seruandus est, naturę quodam præscripto. Quin nec sufficit, vt plenè nihilque aliud agenti occurrat huiusmodi memoria: nisi practica seu ad praxim directa occurrat; nempe vt peccati meminerim, quòd illud vel abominer, vel de eo mihi placeam. Nam si memoria sit tantùm speculatiua, vt in eo qui peccati meminit tantùm, vt disputet quodnam & quale ipsum sit: quamuis plenè, & nihil aliud agenti occurrat talis memoria, non tenetur eo ipso statim conteri;

Universidad de Deusto
Biblioteca

conteri, sicut nec eo ipso quod Deus alicui speculatiuè occurrit, is tenetur sub peccato elicere actum dilectionis Dei super omnia.

Explicatio difficultatis de eadem obligatione, An ea occurrat, quoties peccatum mortale commissum venit in mentem plenè & practicè.

Sectio III.

Nu.18. VErsatur autem in controuersia, num quando peccatum mortale perpetratum occurrit memoriæ plenè & practicè, id est, tanquam detestandum vel approbandum, sibíve de eo displicendum aut placendum, committatur nouum peccatum, transgressione antememorati præcepti, si contritio tunc non habeatur. De qua re propositis in vtramque partem rationibus Nauarr. *loco citato, cui recentiores communiter assentiuntur*, iudicat opinionem eam veriorem esse, quæ habet, non esse tunc temporis sub pœna peccati noui habendam contritionem de peccato quod sic occurrit memoriæ, sed satis esse, vt ipsum non placeat etiamsi non displicat; aut displiceat quidem, non tamen adeo, vt displicentia perueniat ad eum gradũ ac statum, quem exigit contritio. Quod intellige, nisi fortè periculum tantum offerretur consentiendi, vt ipsum non posset aliter euitari, quàm per expressam contritionem. Nam in tali casu homo, etiam de peccato iam remisso recurrente in memoriam, reneretur conteri actu; cùm omnis occasio proxima peccati sit vitanda, iuxta illud *Ecclesiastici* 21. Quasi à facie colubri fuge peccata.] Et illud Ecclesiastis 3. Qui amat periculũ, peribit in illo.] Intellige etiam, itaut non negetur saluberrimum cõsilium esse, *prout Nauarr. rectè tradit in Enchir. cap. 1. num. 31. & 33.* statim atque cognoscit quis se peccatum mortale admisisse, de eo pœnitere, ac contritionem habere, *iuxta illud Ecclesiastici 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.*] propter vitæ scilicet præsentis fragilitatem, & futuræ summam, cui expositus est peccator, æternam miseriam.

Nu.19. Porrò duplex præcipuè ratio est, cur meritò hæc opinio iudicetur verior, quàm contraria. Prior est, quòd præceptum de habenda contritione sit affirmatiuum, sicut de suscipiendo baptismo; nec minus huius, quàm illius obseruatio sit ad salutem necessaria: quandoquidem sicut *Lucæ 13* dictum est: Nisi pœnitentiam habueritis, omnes peribitis.] ita *Ioan. 3.* dictum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.] Cùm ergo affirmatiua præcepta non obligent, *vt loquuntur*, pro semper; sed sua habeant stata tempora, in quibus omissio illorum est peccatum: sicut non censetur adesse tempus suscipiendi baptismi sub pœna peccati mortalis quoties catechumeno sua peccata venerint in mentem practicè, seu vt expianda per baptismum (alioquin enim malè ab Ecclesia *cap. Duo tempora, de consecr. distinct. 4.* tempora Paschæ & Pentecostes præfixa fuissent ad baptizandum: addita prohibitione, ne dies alij miscerentur tali obseruantiæ) ita nec censendum est adesse tempus habendi contritionem sub eãdem pœnã, quoties peccatori Christiano, memoriæ occurrunt practicè sua peccata. Neque est quòd quis obiiciat illud *Threnorum 2.* Deduc quasi torrentem lachrymas per dies & noctes, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.] Id enim non est præceptũ, cùm huius vitæ status non ferat tale: quid sed est salutaris admonitio ad seriam pœnitentiam agendam. Posterior ratio est, quòd contraria sententia sit nimis dura, & parum consentanea ei quod Dominus ait, suum iugum suaue, & onus leue esse, *Matth. 11.* vtpote adstringens Christianum ad peccatum mortale, nisi cùm peccati sui tanquam abominandi memor est, detestetur illud super omne detestabile propter Deum summè dilectum, cum proposito vitandi de cætero omne peccatum mortale, & rescindendi omnes occasiones illius propinquas. Quæ, & alia requisita ad perfectam contritionem, *in sequenti capite tradenda*, constat hominibus, magna ex parte infirmis, laboriosa esse, & difficilia: adeout plerumque ad illa susципienda ægrè moueri possint, etiam propositis tam multis, tamque magnis incommodis, quæ peccatum secum affert. Sique vera esset dicta contraria sententia, non videretur consultum, vt concionatores generaliter inuitarent populum ad confessionem faciendam, quia ex tali inuitatione ordinariè quidem plerisque in mentem veniunt sua peccata vt detestabilia, sed pauci ita detestantur illa, ac dolent de illis; vt ad perfectionem contritionis attingant. Deinde qui se parat ad confessionem faciendam statim ac incipit meminisse aliquorum suorum peccatorum mortalium, mortaliter peccaret, nisi statim haberet illorum contritionem. At id nimis durum est, vt ex eo paret, quòd rarò, nec facilè id fiat. Quare sententia ex qua sequitur, censenda est nimis dura.

Rationes verò, quæ pro eadem afferri possunt, bene à Nauarr. soluuntur *ad citatam 3. partem, & reliquas glosa summæ De pœnitentia. distinct. 5. & à Med. in Cod. De pœnitentia, tract. 1. quæst. 6.* Sed satis erit (ad vitandum, prolixitatis fastidium) paucis solutionum perstrinxisse summam.

Nu.20. Quæ est, nos concedere saluberrimum consilium esse de peccato conteri, quoties in memoriam recurrit; immo id necessarium esse cùm quis versatur in periculo probabili committendi nouum peccatum mortale, vel delectandi se in præterito nisi conteratur: aut cùm quis per conscientiam erroneam, quam non deponit, se putat tunc teneri ad contritionem ipsam. Deinde damnum, quod per peccatum alteri infertur, statim quidem resarciendum esse, illique quod suum est restituendum, cùm nunquam liceat iniustè detinere, sicut nec inuadere alienum *ex cap. Sape, de restitut. spoliatorum*: iniuriæ tamen sine damno illatæ, non esse de necessitate statim satisfaciendum, subeundo pœnam pro ea illata exoluendam: sed tantùm quando pœna ipsa exigitur: iuxta illud, quod communiter receptum est, neminem in conscientia, donec condemnetur, ad pœnam exoluendam teneri. Quia igitur contritio est solutio quædam pœnæ, quam Deus à peccatore exigit propter iniuriam ei per peccatum illatam sine damno vllo ipsius; iuxta illud *in cap. 35. libri Iob*, Si peccaueris, quid nocebis ei?] Neque certum præfixit tẽpus; sed pro immensa illa clementia, quà non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, *Ezech. 18.* totum huius vitæ spatium ad conterendum, pœnitendúmve nobis miseris tribuit, *ex cap. Nemo, & cap. Nullus, De pœnitentia distinct. 7.* Vnde relinquitur præceptum de contritione habenda non ita obligare peccatorem, vt semper peccet quoties non conteritur, dum ei peccata perperrata veniunt in memoriam practicè, siue vt abominanda.

Nu.21. Adde cum Nauarro *loco cit. num. 24. & 25.* quamuis ille, qui Dei amicus est, teneatur omni tempore non fieri inimicus, vel non fieri inimicitior, si iam inimicus sit (ad hoc enim illum obligant omnia præcepta quorum transgressione homo inimicus Dei constituitur) non teneri tamen nullo vnquam tempore

pore perseuerare in inimicitia Dei iam contracta; quia nullum datur præceptum negatiuum vetans talem perseuerantiam; adeout malum quidem sit manere in tali inimicitia, quia malus status est, sicut & habere vitiosum habitum; non est tamen est peccatum; quod non de statuum, vel habituum, sed de actuum est numero. Adde etiam non esse semper peccatum impœnitentiæ, immo nec actum de se illicitum (si credamus Medinæ *in citata quæst. 6. ad 6.*) aut potius, secundum Sotum *in 4. distinct. 17. quæst. 2. art. 6. col. 7.* venialiter tantùm illicitum, velle pœnitentiam differre, nolléque nisi ad aliquod tempus pœnitere; quia præceptum, in cuius transgressione peccatum impœnitentiæ consistit, non obligat pro omni tempore, ac proinde aliquod tempus datur in quo non pœnitere, aut nolle adhuc pœnitere, non est tale præceptum transgredi; cùm obliget more aliorum affirmatiuorum, pro aliquo tantùm certo tempore; de quoquidem sequitur, vt quodnam ipsum sit, exponamus.

De tempore pro quo præceptum contritionis obligat.

Sectio IV.

Nu.22. SOtus igitur nonnullique alij, quos Medina commemorat *eadem quæst. dubio penult.* sic senserunt vt dicerent hominem diebus festis singulari præcepto teneri de peccatis suis conteri sed meritò idem author, *sicut & Sotus loco cit. concil. 3.* eorum sententiam reiicit: quia cùm multos dies festos in anno Ecclesia instituerit; ea tamen diuinum præceptum de pœnitentia explicans, duxit satis esse peccatorem compellere ad semel in anno pœnitendum. Et quãuis finis institutionis festorum sit interior animæ sanctificatio: hæc tamen non est id, quod per præceptum de obseruatione festorum iniungitur, sed media quædam conducentia ad illam: nempe audire Missam, & abstinere ab omni opere seruili: itaut non restituens se sanctitati per pœnitentiam in die festo, non peccet transgressione dicti præcepti.

Nu.23. Vera autem atque adeo, *vt expresit Nauar. in Enchir. cap. 1. num. 31.* omnium communis sententia est, tempus in quo peccator conteri tenetur (intellige per se, seu vi specialis præcepti de contritione à Deo dati) esse imminentem articulum mortis naturalis, vel violentæ. Talis enim articulus indicat adesse verosimilem huius vitæ terminum, in quo saltem, *si vnquam aliàs in hac vita*, dictum præceptum obligare debet. Ad quod tamen tempus pœnitentiam differre, esse salutem animæ in magnum discrimen adducere, patet per illud quod ex D. Augustino refertur *in cap. Si quis, & cap. finali De pœniten. distinct. 7.* dubiam esse salutem illorum quos non ante, sed post ægritudinem pœnitet: de quo Nauarr. *in præceden. num. 19.*

Nu.24. Dixi intelligendum per se, quoniam extra illud tempus dantur casus, in quibus peccator conteri tenetur per aliud, siue ex vi alicuius præcepti, quod peccator ipse transgreditur, aliquid agens non contritus. Primò enim omnium consensu *ex Nauar. in cit. num. 31.* qui peccati mortalis sibi conscius administrat vel suscipit aliquod Sacramentum, non prius de illo sufficienter contritus, eo ipso peccat, iuxta illud quod dicitur *in cap. Per Isaiam 1. quæst. 1. versu hoc penè.* Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus: prosunt tamen per eos dignè sumentibus. Cuius dicti sicut prior pars apertè ostendit peccatum indignè administrantis Sacramentum, sic posterior pars à contrario, innuit peccatum indignè susципientis: clarius indicatum *in cap. Illud distinct. 95.* vbi de sacramento extremæ vnctionis dicitur, non pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus Sacramenti est. Ratióque ostendit, quia diuinæ gratiæ ad quam producendam Sacramenta sunt à Christo instituta (& consequenter horum sanctitati) peccatum mortale repugnat. Secundò, *ex eod. Nauar. ibid. post Adrianum*, ad contritionem concipiendam peccator tenetur instante grandi necessitate populi, cui absque feruore orationis non potest prouideri. Quod maximè locum habere potest, quando accedit authoritas Summi Pontificis suo diplomate tale quid præcipientis, aut monentis: vt fit in Iubileis pro calamitatibus Christianorũ. Tertiò tenetur quis eo tempore quo se de peccato contritionem habiturum vouit, aut iurauit; *vt si iurauit se quoties in tale peccatum inciderit, statim de eo conterendum*; ipse quoties inciderit, tenetur statim conteri.

Nu 25. Si quis quærat, quomodo contritio peccatori imponatur sub præcepto, cùm sit supernaturalis; seu quæ sine diuina & supernaturali gratia exerceri nequeat (*de quo late Suarez tomo 4. dispu. 3. sect. 6.*) atque adeo donum Dei sit & Spiritussancti impulsus, non modo perfecta, sed etiam imperfecta ex Conc. Trid. *sess. 14. cap. 4.* Inde enim sequi videtur eam non esse in nostra potestate. Respondendum est; sicut illud quod per amicos, ita & illud quod per Dei auxilium possumus, nos dici simpliciter posse. Et certè cùm piissimus Dominus peccatori semper adsit ad ostium cordis pulsans, *Apocal. 3.* seu, quod idem est, Dei gratia hominibus in hac vita semper sit parata sufficiens ad agendam Pœnitentiam (*quod bene explicat Suarez in seq. dispu. 8. sect. 2.*) semper est in potestate peccatoris, concurrente Spiritussancti impulsu, contritionem elicere, quam sibi persuadeat, si non ita perfectam esse, vt peccatum mortale ab anima eliminet, *quod sine reuelatione diuina scire nequit*: sufficientem tamen ad excusandum à transgressione præcepti de quo agimus. Sicquè, *vt habet Sotus in cit. art. 6. col. 5.* cùm quis humano more ad arbitrium prudentum, putat se esse contritum, licèt verè non nisi attritus imperfectéve contritus sit, excusatur à transgressione eiusdem præcepti, etiamsi non recipiat gratiam.

CAPVT III.

De iis quæ ad exercitium contritionis concurrere oportet, quoad detestationem quam includit in sua natura.

SVMMARIVM.

26 *Ad exercitium detestationis concurrere debent antecedenter, tum fides in Christum, tum odium peccati: consequenter verò dolor de peccato commisso.*
27 *Detestatio debet esse voluntaria.*
28 *Item concepta esse de peccato, vt ipsum est offensa Dei.*
29 *Itemque summa esse.*
30 *Non quidem absolutè, sed solùm comparatè, argumento doloris eam naturaliter sequentis.*
31 *Dolor is summus est comparatè ex obiecto, & ex sine.*
32 *Non est summus comparatè, ex affectu voluntatis secundùm intensionem.*
33 *Neque secundùm teneritudinem cordis, & facilitatem dolendi.*
34 *Neque secundùm firmitatem qua nequeat vlla tentatione labefactari.*

35 Sed

Universidad de Deusto Biblioteca

35 *Sed secundùm appretiationem : vt quis vniuersè malit quoduis malum pati, quàm peccare.*
36 *Etsi non teneatur, descendendo ad particularia, facere comparationem, vel cum aliquibus eorum, vel cum omnibus simul.*
37 *Quid ergo hac ex parte contritio requirat.*
38 *Detestatio peccati debet esse cum spe veniæ.*
39 *Debet procedere ex amore Dei, vt perfecta sit.*
40 *Sufficiens ad Sacramentum (etiamsi imperfecta) procedere potest ex timore Dei, & quali iuxta Concil. Triden.*

AD exercitium contritionis, *quæ est declinatio quædam à malo, ad faciendum bonum,* concurrit: tum detestatio peccati, tanquam auulsio noxiarum plantarum ab agro cordis nostri: tum etiam propositum emendationis, seu non peccandi de cætero, tanquam bonum semen missum in eundem agrum cordis nostri, per quod proferat fructus dignos pœnitentię, ad fugiendum à ventura ira, *iuxta monitum D. Ioan. Baptistæ Matthæi* 3.

*Nu.*26. Ad illam autem debitè exercendam quædam concurrere oportet antecedenter, quædam consequenter & quædam comitanter. Quia enim reconciliatio peccatoris cum Deo, ad quam talis detestatio ordinatur, non contingit sine fide iuxta illud *ad Hebræos.* 11. Impossibile est sine fide placere Deo :] exercitium illius prærequirit id, quod Conc. Trid. *sess.* 6. *cap.* 6. habet, vt peccator excitatus & adiutus diuinâ gratiâ, liberè moueatur in Deum, credens vera esse quæ diuinitùs reuelata & promissa sunt: atque illud imprimis; à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.] Prærequirit etiam vt peccator oderit suum peccatum tanquam malum omnium maximum: vtpote quo Dei amicitia dissoluitur, & ira prouocatur itaut nihil eo peius ac perniciosius homini contingat. Per tale enim odium, voluntas ad detestationem peccati excitatur: quia secum adfert desiderium destruendi illud, eliminandíue ab anima. Ad quod detestatio medium est; tum necessarium, vt patet ex dictis sub initium præcedentis capitis: tum etiam accommodatissimum, tanquam displicentia de peccato commisso; complacentiam, quæ in eo committendo contigit, destruens, vt iniuria illata Deo resarciatur.

Coniunctum verò consequenter habet dolorem; quia displicentia de eo quod factum est, cùm infectum esse nequeat, non est sine dolore, sed illum habet naturaliter consequentem: de quibus actibus Suarez *tom.* 4. *disput.* 4. *sect.* 1. nonnulla disputat, in quibus non immorabimur: quia non sunt ad praxim necessaria; sicut sunt conditiones quas ipsa peccati detestatio debet habere comites, vt contritionem perfectam constituat: quæ ideo à nobis ex instituto sunt explicandæ.

Conditiones quas detestatio comites habere debet, vt contritio sit perfecta.

SECTIO I.

*Nu.*27. PRima igitur est: voluntariam spontéque susceptam esse. Hanc Concil. Trident. *sess.* 14. *in fine quarti cap.* expressit, cùm dixit hæreticos falsò docere contritionem esse extortam & coactam, non liberam & voluntariam; & cùm *in eadem sess. can.* 5. Anathema dixit, idipsum asserenti. Confirmatur autem primò ex eo, quòd contritio actus sit virtutis pœnitentiæ; ad quem actum tanquam liberum seu positum in hominis potestate, hortati sunt: tum D. Ioan. Baptista *Matth.* 3. tum Dominus noster *in sequenti cap.* 4. *dicendo* Pœnitentiam agite.] Vnde licet intelligere, quod cùm non dixerint pœnitentiam patimini sed agite: pœnitentiam habere nomen à pœna, eo quod sit quædam præteritæ culpæ priuata vindicta, quam reus, non quidem (*sicut publicam*) ab alio illatam patitur volens nolens: sed sua sponte eligat vt animaduertat in proprias culpas.

Secundò confirmatur, quia Ierem 8. reprehendũtur à Deo peccatores, eoquod actum illum non habeant. Nullus est, inquit, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens quid feci?] Denique confirmatur, quia de eodem actu datur præceptum per verba illa *Luc.* 13. Nisi pœnitentiam habueritis omnes peribitis:] sicut per illa similis formæ *Ioan.* 3. De susceptione Baptismi. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritusancto, non potest introire in regnum Dei:] & per illa *Ioan.* 6. de sumptione sacrosanctæ Eucharistiæ: Nisi manducaueritis carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis.] At nemo iustè reprehenditur, aut præceptum accipit de eo quod non est in ipsius libera potestate. Quare pœnitentia seu contritio debet in peccatore esse voluntaria. Vnde inferre licet cum Nauar. *in Enchir. cap.* 1. *num.* 4. rationem contritionis non inueniri in detestatione illa peccatorum, quæ repente, & sine deliberatione quibusdam contingit, non considerantibus perpetrata esse talia contra Deum, summum suum bonum: nec item in violenter extorta: qualis est illa qua damnati *Sap.* 5. dicuntur pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.

Conditio secunda detestationis ad perfectam contritionem requisita, est vt concepta sit de peccato, non sub quacumque ratione. v.g. quia graui pœnæ aut infamiæ obnoxium fecit, vt in Antiocho contigit *ex lib.* 2. *Machab. cap.* 9. aut aliud incommodum inuexit; sed sub ea, qua ipsum est offensa Dei: qualem fuisse in Dauide constat per illud *Psal.* 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.] Nec dubium est fuisse in iis de quibus dicit *Apost.* 2. *ad Corinth. cap.* 7. Contristati estis secundùm Deum.] In quem locum D. Ambros. ait, Tristatur secundùm Deum, qui dolet se fecisse, quod odit Deus.] Confirmatur verò huius conditionis necessitas ex eo, quòd Pœnitens id faciat per contritionem, ad quod Isaias hortatur *in cap.* 55. Dicens, Derelinquat impius viam suam, & reuertatur ad Dominum.] Non facit autem, nisi oderit detesteturue peccatum suum sub ea ratione qua est offensa Dei. Nam illa reuersio, reconciliatio est impij cum Deo quem offendit peccando: atque vt hominis reconciliatio cum homine quem offendit non fit, si ille ostẽdat se pœnitere ob suum tantum commodum vel incõmodum, non ob ipsius offensionẽ; sic certè ac etiam multo maiore ratione putandum nõ est reconciliationem hominis cum Deo fieri; si ille non propter Deum offensum detestetur suum peccatum sed tantùm propter timorẽ incommodorum quę subire debet occasione eiusdem peccati sui. Quãquam *vt bene notat Nauar. in sequen. num.* 11. ob talia pœnitere minus principaliter (dummodo principaliùs id fiat ob Dei offensam) non obsistit contritioni: sicut nec dilectioni Dei, qua propter semetipsum principaliter diligitur, obsistit quòd minus principaliter diligatur propter ipsius in nos collata aut conferenda beneficia. Dauide dicente *in Psalm.* 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.] Adde ex Concil. Triden. *sess.* 14. *cap.* 4. non *Nu.*28.

4. Non esse malum pœnitere solùm metu pœnæ, vel alterius mali dũmodo voluntas peccandi excludatur,] id est, interprete Nauarr. *ibid.* dummodo non pœniteat quis ea mente, vt si talia incommoda abessent, non pœniteret, sed peccare pergeret.

Quòd detestatio debeat summa esse, non tamen absolutè.

SECTIO II.

*Nu.*29. COnditio tertia est, *Summam esse*, seu quia Pœnitens detestetur peccatum suum super omne detestabile. Hæc ex eo confirmatur, quòd sicut homo *ex Deuter. cap.* 6. *Matth.* 22. *& Luc.* 10. debet diligere Deum ex toto corde: ita *ex Ioelis cap.* 2. debeat ad illum conuerti ex toto corde.] *& ex Deuteron. cap.* 4. illum quærere toto corde, & tribulatione animæ.] Quod non facit, nisi vt toto affectu dilectionis obligatur ferri in Deum; toto similiter affectu odij detestetur peccatum. Sicut igitur illa obligatio ad dilectionem, talis est, vt homo teneatur magis diligere Deum, quàm quiduis aliud: sic ista obligatio ad cõuersionem ad Deum per detestationem peccati, talis est vt homo teneatur, peccatum quatenus offensa Dei est, ab ipsóque auertit, magis detestari, quàm vllum aliud malum: itaut nihil magis ac nihil æquè, ne quidem mors, aut ęternum supplicium illi displiceat, ac peccatum: quodquidem est summè seu super omne detestabile, ipsum detestari; seu odisse supra omne malum. Et certè sicut Deus quia summum bonum est, meritò statuitur amandus super omne amabile; ita peccatum, quia malum est summum, (*vtpote quo idem summum bonum amittitur*) meritò cẽsetur detestandum super omne detestabile. Ita enim comparatum est, vt quantùm quid amatur aut amabile est; tantùm illud quo amittitur odio habeatur, aut odibile iudicetur. Sic mater quantum amat vitam filij, tantùm illius mortem odit, de eáque dolet iuxta illud D. Augustini 21. *de ciuit. Dei cap.* 26. In amissione rerum necesse est, vt tantùm vrat dolor, quantùm hæserat amor.] Vnde manifestum relinquitur dolorem de peccato tanquam de amissione Dei, summi nostri boni, mensuratum esse illi amori, quo Deus ipse diligitur super omnia: adeóque similiter vtrumque summum esse: iam si dolor summus sit, erit & detestatio peccati, ex qua ille promanat naturaliter: sicque vt amor quo Deus amandus est, summus esse debet; ita & detestatio qua detestandum est peccatum tanquam offensa Dei, debet esse summa. Quod qua ratione in particulari accipiendum sit; seu, quod idem est, quo sensu dicatur cõtritionem esse peccati detestationem summam, non modica difficultas est. Relictis autem scholasticis subtilitatibus, *pro quibus videri potest Suarez tom.* 4. *disp.* 3. *sect.* 9. *&* 10. illud quod pro praxi Confessario sufficit, exponemus quàm paucis fieri poterit.

De modo quo detestatio peccatorum debet summa esse.

SECTIO III.

*Nu.*30. CVm igitur duobus modis contingere possit, voluntatis dolorem de peccatis (*& ex consequenti detestationem ex qua promanat tanquam proprietas*) summum esse: vno modo absolutè, nempe quia is tantus est, quàm maximus esse in se possit: altero modo comparatè, nempe quia omnem alium dolorem superat; non requiritur vt priore modo sit summus ex omnium sententia, *teste Nauarr. in eodem cap.* 1. *num.* 7. Tum quia nullum præceptum ad id obligat. Scriptura enim à nobis exigit eodem modo actus charitatis & pœnitentiæ, quo fidei & spei, aliarúmque virtutum. At hos non exigit cum conditione summæ perfectionis, sed solùm hortatur vt crescamus in virtute Vnde D. Chrysostomus, *quod refertur De Pœnitentia Distinct.* 3. *cap. Talis*: Quantulamcumque, inquit, & quamlibet breui tempore gestam non respuit, *supple Dei pietas*, Pœnitentiam. Suscipit etiam ipsam, nec patitur, quamuis exiguæ conuersionis, perdere mercedem.] Tum quia semper essemus anxij, dubitantes an maioris perfectionis dolor noster esse possit; ac putantes quocumque motu feramur in Deum, aut auertamur à peccato, nos præceptis charitatis & pœnitentiæ minimè satisfacere, adeoque manere in statu peccati: vnde adduceremur in desperationẽ de nostra salute, aperiretúrque via blasphemandi impiè diuinam benignitatem, quæ medicinam animæ nostræ instituerit, in qua pacem & tranquillitatem interiorem nullam inueniamus. Tùm demum, quia peccatum mortale in minimo suæ intensionis gradu sufficiens est ad statum æternæ damnationis. Ergo consentaneum est ad statum æternæ salutis, actum charitatis, aut pœnitentię charitate formatæ, sufficere in minimo etiam intensionis suæ gradu, præsertim cùm sacræ literæ nullum talem certum definiant, nec aliunde possit nobis tale quid innotescere. Vnde quod dicitur de grauiori peccato grauiorem requiri pœnitudinem & dolorem, intelligendum est, quòd requiratur de consilio & honestate: vel quòd sit eo vtilior, quo maior est: non autem, quòd requiratur de necessitate, vt sit maior prout habet communis sententia, *Nauarro teste in sequenti num.* 35. Caue autem idem sentire de satisfactione, quæ iuxta grauitatem criminis & personæ facultatem, grauis imponenda est, vt suo loco docebitur *ex Concil. Triden. sess.* 14. *cap.* 8.

De modo quo detestatio peccatorum debet comparatè summa esse.

SECTIO III.

DOlor verò comparatè summus esse potest multipliciter. *Nu.*31. Primò, ex obiecto, id est, ex eo quod sit de summo omnium malo. Qua ratione, omnium summum esse dolorem illum de quo agimus, manifestum est; cùm sit de peccato mortali quod maximum omnium malorum esse conuincitur; tum ex iactura quæ per ipsum fit summi & infiniti boni: tum ex infinito passionis Christi merito, quo ea iactura resarcienda fuit: tum demum ex immensis pœnis, in æternum, sine vllo solatio duraturus, quibus ipsum punitur, non deletum virtute meritorum Christi.

Secundò, ex ordine ad finem: nempe quòd vt de se maior est amor finis, quàm mediorum illius gratiâ amabilium: atque adeò maximus est, summi & vltimi finis; cuius gratiâ cætera omnia sunt amabilia: sic dolor de malo in quo est amissio finis, maior sit dolore de malo, in quo est amissio mediorum ad eum conducentium; atque adeò maximus de malo, in quo est amissio summi vltimíque finis: vt est in peccato mortali, amissio æternæ salutis, eo ipso, quòd hominem æternæ summæque miseriæ addicit. Qui duo modi, cùm in quocumque dolore de peccato

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortali notentur, non possunt sufficere ad contritionem, quæ dolor est de peccato ipso, non quiuis; sed specialis, ac præcipuus.

Nu.32. Tertiò ex affectu dolentis: quem contingere potest maiorem esse alio, aut etiam maximum omnium; vel secundùm ipsius vehementiam, & intensionem, vel secundùm teneritudinem quamdam cordis & facilitatem ad talem motum: vel demum secundùm firmitatem in eo admittendo.

Atque summum esse secundùm intensionem non requiritur ad contritionem. Quod vt de eo absolutè sumpto, antea probatum est; ita etiam iisdémque argumentis probatur de ipso comparato cum aliis doloribus; siue in eadem, siue in diuersa persona repertis. Si enim dolor, *vt ostensum est*, in infimo gradu suæ intensionis sufficit ad contritionem: negari non potest maiorem ac vehementiorem dari posse, non modo in diuersa, sed etiam in eadem persona. *De qua re Nauar. videri potest in eod. cap. 1 num. 9. & 23.* Ex qua infertur, non esse sufficiens signum defectus contritionis in Pœnitente; quòd is experiatur se vehementiùs dolere de morte patris, aut de alio incommodo, quàm de proprio peccato: nisi forte dolor talis esset quo Deus mortaliter offenderetur: qualis fuit Iudæ proditoris. Nam is contritionem excluderet: vtpote quo dolens auertit se a Deo: sicut & alias mortaliter peccans: quod contrarium est conuersioni ad Deum, quam contritio importat.

Nu.33. Nec item requiritur summum esse secundùm teneritudinem cordis & facilitatem dolendi, quasi nullus alius dolor dari debeat, quo cor tantopere compungatur, aut voluntas tam facile afficiatur. Nam etsi tale quid desiderandum esset: in nostra tamen potestate situm non est, propter resistentiam appetitus sentientis & corporis complexionem, in pleriſque ad contrarium inclinantem. Adde quòd eadem ratione obligemur ad summè amandum Deum, & summè credendum doctrinæ ab ipso reuelatæ, qua ad dolendum summe de nostris peccatis: necessariam autem non esse ad satisfaciendum eiusmodi obligationi, suauitatem aut facilitatem amoris vel credulitatis omni alia maiorem, quia talis non est in nostra potestate. Sicut ergo non iudicatur quis carere amore Dei debito, eoquod experiatur se facilius moueri, ac suauius affici in filium quàm in Deum: aut non credere quemadmodum oportet, si maiore facilitate acquiescat doctrinis Mathematicis, quàm doctrinæ diuinitus reuelatæ: ita nec putandus est contritione carere, eoquod facilius moueatur ad dolendum de aliquibus temporalibus incommodis, quàm de propriis peccatis.

Nu.34. Nec demum requiritur vt summa sit secundùm firmitatem: eo sensu vt Pœnitens de bona mente quàm concepit, deiici nusquam possit. Neque enim homo tale quid sibi polliceri potest; cùm in hac vita nullus, neque Dei amor, neque de peccato dolor sit sine speciali Dei priuilegio tam excellens, quin possit vehementiori aliqua tentatione superari. Hinc ex recepta Innocentij sententia Nauar. *ibidem num.* 13. ait, non esse necessarium vt Pœnitens credat se amplius non peccaturum mortiferè: quod superbiam quandam saperet, sicut oppositum sapit humilitatem: sed satis est, vt nolit amplius peccare & proponat id seruare, cum ope diuine.

Nu.35. Superest ergo requiri eo sensu, vt Pœnitens debeat de peccato dolere ex tali huius odio, seu detestatione, quòd eligat potius quidlibet, quàm peccatum. Probatur quia repudiatis omnibus modis præcedentibus, ille vnus supereſt, quo dolor ad contritionem necessarius censeatur summus: & de quo accipiatur id quod communiter dicitur, detestationem ex qua idem dolor proximè oritur, summum esse: non quidem intensiue, sed appretiatiue. Id quod declaratur exemplo matris, quæ quamuis intensius doleret de morte filij sui natu minimi tenere dilecti, quàm de morte filij grandioris, non dilecti tanto amoris sensu: appretiatiue tamē māgis dolebit de morte huius, in quo maioris æstimationis ratio amandi datur: quàm de morte illius: itaut data optione de alterutrius morte, minimum potius, quàm maiorem extinctum velit.

Conuersio igitur illa ad Deum ex toto corde, quam à nobis sacræ Scripturæ exigunt, in eo consistit, vt non partim peccata detestemur, partim ad illa afficiamur: neque vt vnum peccatum odio habeamus, & alteri adhuc adhæreamus: sed omnia detestemur & ab omnibus simpliciter auertamur: idque tam perfectè vt nullum sit malum quod vitatum malimus, quàm peccatum. Quò referri potest illud *Luc.* 14. Si quis venit ad me & non odit patrē suum & matrem suam & vxorem, & fratres, & sorores: adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.] Probatur autem hac ratione, quam D. Thomas attigit *quod lib. 1. art. 9.* Qui contritus est, charitatem habet; sine qua peccati remissio nō contingit. Charitatem verò habens, Deum plusquam semetipsum diligit. Vnde mauult se sibi, ac multo magis cætera perdere, quàm Deum. Cùm ergo peccans mortaliter, sibi perdat Deum: relinquitur vt contritus mallē debeat, saltem generatim, quæuis mala pati quàm peccare mortaliter.

Nu.36. Vbi aduerte, *quod D. quoque Thomas tangit*, non esse ita accipiendam istiusmodi appretiationem, quasi contritio requirat vt Pœnitens actu sibi proponat ob oculos omnia mala pœnæ: ac illorum comparatione cum peccato facta, paratus sit quoduis illorum aut omnia simul, perpeti potius, quàm peccare. Nec enim ea de re habetur speciale præceptum, nec tale quid est de natura contritionis: cùm hæc possit in momento temporis haberi, *vt postea docebitur*, non item illa comparatio sufficienter fieri, non modò, à peccatore, sed neque ab homine iusto: qui & in eo non attentā satis sua imbecillitate ad resistendum tentationibus; decipi potest præcipitanter dicens, quod D. Petrus: Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.] Et quamuis viri perfecti, ad se corroborandum & dolorem acuendum, vtile esse possit aliquas tales comparationes facere exemplo D. Pauli *ad Rom. 8.* cùm dixit: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, &c.] sæpe tamen optimum consilium est, eas non facere; ne animus in bono proposito perturbetur, & vacillare incipiat. Neque proponendas esse Pœnitenti à Confessario ad capiendum experimentum de illius contritione, meritò indicat Nau. *in seq. num.* 22. quia laqueus inde iniiceretur imperfectis, præsertim iis quos ex imbecillitate, facile est claudicare in electione.

Nu.37. Quod igitur contritio hac ex parte videtur requirere, est vt si huiusmodi comparationes Pœnitenti in mentem venerint, non possit positiuè tentationi cedere, mallendo peccare quàm incommodum aliquod subire; sed eam vincere ita repudiando peccatum quatenus est Dei offensa, vt nullo modo se eo inquinatum velit: nec admittere quidquam præcepto charitatis contrarium, quo diuina bonitas ita offendatur, vt qui illud admittit, charitate ipsa excidat, effectus eâ indignus iuxta illud *Matth.* 10. Qui amat patrem aut matrem plusquam me non est me dignus.] Hócque modo accipi debere puto quod Nauar. *ibidem* quoque attigit: oportere contritum eo esse animo, vt actu vel virtute malit generatim quamli

quamlibet pœnam pati, quàm peccare, aut peccasse mortiferè. Nam ex ratione D. Thomæ ante proposita satis intelligi potest, id nihil esse aliud, quā oportere contritum eo esse animo, vt generaliter nihil omnino admittere velit, quo Deum ex charitate dilectum offendat, sibique ipsum perdat. Pōrro si de hac victoria aliquo modo diffidat, cohibere debet se à facienda electione, actúmque suæ voluntatis suspendendo, commendare se humiliter Deo, ac ipsius voluntati se totum resignare, dicendo: Fiat voluntas tua, & cætera, quæ habentur in oratione Dominica: maximè illud, Ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo.

His consentaneum est quod *in sequenti numero* 22. ex D. Bonauentura & Turrecr. habet Nauar. peccatorem quidem qui secū statuit, potius peccare mortaliter, quàm mori, non esse absoluendum: si tamen circa hoc nihil deliberauerit, etsi dubitet quid faceret, dum se in tali articulo constitutum conspiceret, non esse denegandam absolutionem, dummodo habeat de præsenti propositum non peccandi; & nollet offendere Deum occurrente etiam tali occasione.

Reliquæ conditiones detestationis ad contritionem requisitæ.

Sectio IV.

Nu.38. QVarta conditio detestationis de qua agimus, est, esse cum spe veniæ consequendæ: sine qua spe, saltem virtuali, ipsa venia non contingit *ex cap. Sceleratior. De pœniten. distinct. 3. & apertius ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 4.* Vnde necesse non est, diutiùs nos in ea confirmanda immorari: sed sufficit monere, quòd per eam salutaris detestatio peccatorum, separetur à pernicioſa desperantium: qualis fuit Antiochi, & Iudæ proditoris.

Quinta conditio est, procedere vel ex amore Dei parentis optimi, super omnia amandi, tanquam summi nostri boni; vel ex timore eiusdem præ omnibus timendi, tanquam summi Iudicis, qui animam & corpus potest perdere in gehennam *Matth.* 10.

Nu.39. Illud enim perfecta contritio requirit: & istud imperfecta, quæ attritio dicitur: sufficeréque potest ad Pœnitentiæ Sacramentum. Quæ doctrina est Concilij Triden. *loco citato*: vbi dum contritio dicitur perfecta esse charitate, satis significatur ad eius perfectionem requiri, vt procedat ex motiuo dilectionis Dei super omnia, quę est charitatis actus formalis. Et confirmatur quia contritio perfecta reconciliat hominem Deo, etiam sine Sacramento actu susceptо, *vt idem Concil. ibidem docet.* Id quod ipsa nequit efficere, nisi coniuncta dilectioni Dei super omnia, iuxta illud *primæ Ioan. tertio.* Qui non diligit, manet in morte: Atque illud, quod in priori *ad Corinth.* 13. ait D. Paulus, se nihil esse sine charitate. Itemque illud quòd remissio peccatorum quam sancta Magdalena lachrymis obtinuit, tribuatur dilectioni: dicente Domino *Lucæ* 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.] De qua re plura subtiliter disputantur à Scholasticis, in quibus immorari non est nostri instituti. Videri potest Suarez *tomo 4. disput. 4. sect. 2.*

Nu.40. Cùm verò in eodem citato capite 4. de imperfecta contritione ad pœnitentiæ Sacramentum sufficiente dicitur, quòd vel ex cōsideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ concipiatur, satis indicatur, eam requirere antedictum timorem ex quo procedat. Id quod manifestum est de concepta ex metu gehennæ. Confirmatur verò de concepta ex metu aliarum pœnarum: quia *vt Suarez tangit in sequen. disp. 5. sect. 2. in fine.* talis metus non est merè humanus & naturalis, sed diuinus & supernaturalis: iuxta illud quod Concil. ipsum Trid. ibidem ait, contritionem ex illo conceptam, donum esse Dei, & Spiritussancti impulsum. Quamuis igitur pœnæ sint temporales, tamen consideratæ vt à Deo infliguntur, & vt nobis indicant ipsius iram, ac quodammodo inchoant diuinum supplicium æternum nisi emendemur, constituunt timorem supernaturalem, qui reuocatur ad timorem gehennæ: sicut expectatio bonorum temporalium à Deo sub aliqua habitudine ad vitam æternam ac supernaturalem prouidentiam Dei, reuocatur ad spem salutis æternæ. Eam autem quæ concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, prouenire etiam ex timore supremi iudicij Dei, probatur: quia talis consideratio non est secundùm meram rationem naturalem, *vt etiam attigit Suarez in eadem sect. nu.* 12. Et patet, quia non sufficeret alioqui ad contritionem de qua agimus vtpote supernaturalem; quippe quæ Dei donum est, & Spiritussancti impulsus *ex eodem Concil. Triden.* Debet igitur esse secundùm rationem eleuatam ad supernaturalem ordinem, seu debet esse conformata Regulæ diuinitus reuelatæ in ordine ad æternæ salutis consecutionem: ita nimirū, vt peccati turpitudo consideretur prout repugnat virtutibus nobis diuinitus infusis: ad prosecutionē æternæ salutis; quæ est finis noster supernaturalis: secundùm quam repugnantiam impedit eiusdem salutis consecutionem, iuxta illud quod dicitur *Apocal.* 21. In cœlestem Ierusalem non intraturum aliquid coinquinatum.

Cæterum cùm contritio (vt dictum est) non modò perfecta, sed etiam imperfecta donum sit Spiritussancti, postulanda est à Deo deuota oratione, & disponenda ad illam anima, per considerationes aliquas, ex multis & variis illis quæ traditæ sunt *in prima parte lib. 2. cap. 5. & 7.*

CAPVT IV.

De modo quo detestatio, quam contritio in sua natura includit, exercenda est in vsu Sacramenti pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

41 *Detestatio in vsu Sacramenti Pœnitentiæ habenda est necessariò de omni peccato mortali, cuius reus est pœnitens.*
42 *Non item de omni veniali.*
43 *Diuersi modi quibus peccata venialia aliter remitti possunt, quam per Sacramenti pœnitentiæ vsum.*
44 *Non remittitur peccatum veniale, quamdiu non displicet saltem virtualiter.*
45 *Quando contingat talis displicentia virtualis, & quo modo operetur.*
46 *Vnum peccatum veniale remitti potest sine alio.*
47 *Displicentia de venialibus quando materia Sacramenti constituitur, debet esse actualis: & qua ratione cum proposito emendationis.*
48 *Contritio habenda est necessariò de iis de quibus dubitatur, an sint mortalia.*
49 *Non sufficit ad contritionem detestari peccata sua in genere.*
50 *Non est necesse haberi singulas detestationes de singulis mortalibus, sed per vnam de omnibus potest conferi quis, sufficienter ad eorum remissionem.*
51 *Rationes quibus id probatur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

52 *Illa vna detestatio extendi debet ad omnia mortalia, quorum reus est Pœnitens.*
53 *Talis potest sufficere ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ.*
54 *Non refert an antecedat vel comitetur vel sequatur recogitationem peccatorum in particulari.*
55 *De peccato oblato sicut confessio facienda est, ita & habenda contritio, si recurrat in memoriam.*

Nu.41. PRo modi propositi declaratione constituemus aliquot propositiones. Prima est: detestationem cùm exercetur in vsu Sacramenti pœnitentiæ, habendam esse necessariò de omnibus peccatis nostris mortalibus post baptismum commissis, nondum per talem aliquem vsum deletis. Probatur quia Sacramentalis confessio facienda est de omni eiusmodi peccato: *ex Concil. Triden. sess. 14. cap. 5.* Ergo & habenda contritio, ex qua illa pendet tanquam effectus ex propria causa: & ad quam intus latenter, in proposito vsu exteriùs manifestandam, instituitur tanquam sensibile signum. Adde quòd vt per quodcumque peccatum mortale auertimur à Deo, sic cuiuscumque talis, oporteat esse detestationem, per quam conuertamur ad Deum *ex Ezech. cap. 18. & 33.*

Nu.42. Secunda est, In eodem vsu non esse necessariò habendam de omnibus venialibus. Hæc patet per illud quod in Concil. Triden. *loco cit.* habetur: de venialibus quidem posse fieri Sacramentalem confessionem, non tamen necessariò faciendam esse: quia multa sunt alia remedia, quibus expiari possunt.] Quænam verò sint ea remedia. Concilium non exprimit. Ex iure autem canonico septem commemorat *Hostiensis in sua summa tit. De Pœniten. & remiss.* à nobis hîc paucis perstringenda.

Remedia aduersus peccata venialia præter vsum Sacramenti Pœnitentiæ.

Sectio I.

Nu.43. PRimum igitur est digna Eucharistiæ sumptio. Secundum aquæ benedictæ asperso. Tertium ieiunium, & eleemosynæ largitio. Quartum oratio Dominica. Quintum deuota tunsio pectoris. Sextum generalis confessio in Ecclesia facta. Septimum benedictio Episcopalis. Eadem post ipsum proponens Paludanus *in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 2. concl. 4.* de illis refert hunc versum:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

In quo per orantem ait indicari, tum orationem Dominicam, tum pectoris tunsionem imitatione Publicani dicentis Deo, Propitius esto mihi peccatori.] *Luc.* 18. tum orationem factam in Ecclesia consecrata iuxta illud *3. Reg. cap. 4.* Qui orauerit in domo hac, propitiaberis.] Per tinctum verò, aquam benedictam. Per edentem, Sacrosanctæ Eucharistiæ, imo omnis Sacramenti dignam susceptionem. Per confessum, tum generalem, tum etiam specialem confessionem peccatorum siue Sacramentalem siue non Sacramentalem. Per dantem porro, facientem eleemosynas siue spirituales siue corporales. Per benedictionem demum, tum panem benedictum, per Sacerdotem in die Dominica, tum etiã benedictionem Episcopalem, & benedictionem Virginum.

Ex eo autem, ait idem Palud. hæc potius quàm alia bona opera, constitui remedia aduersus peccata venialia, quòd plus incitent ad motum liberi arbitrij detestantis peccata: item quod ad pœnæ remissionẽ plus valeant, ex merito & precibus totius Ecclesiæ.

De modo verò quo talia remedia censeri debeant vim habere venialia remittendi, magna difficultas est. De qua Suarez videri potest *tom. 4. disput. 12. sect. 2.* in ea enim immorari scholastici est, non præsentis instituti.

Cui sufficit monuisse, nunquam remitti peccatum *Nu.44.* veniale, quamdiu ipsum vel actu, vel virtute placet: quia manente causa, manet effectus: immo quamdiu non displicet, saltem virtualiter etiamsi dicta remedia vsurpentur: vt indicatum est à D. Thom. *in 3. part. quæst. 87. art. 3. ad 1.* dum ait ea ipsa remedia causare peccatorum venialium remissionem, in quantum inclinant animum ad actum pœnitentiæ; siue ad peccati detestationem explicitam, vel implicitam virtualémve; eoquod alioqui fatendum esset, vnà simplici sumptione aquæ benedictæ obtineri omnium venialium remissionem, etiam eorum quorum complacentia haberetur, si fortè memoriæ occurreret. Virtualem verò detestationem seu displicentiam posse sufficere D. ipse Thom. *in præced. art. 1.* probat ex eo, quòd peccatum veniale non sit auersio à Deo; ideóque non requirat de se, sicut mortale formalem ad Deum conuersionem vt deleatur.

Cæterùm contingit talis displicentia virtualis ex *Nu.45.* eod. Diuo Thom. *in eodem art. 1.* cùm aliquis sic affectu fertur in Deum, & res diuinas: vt quidquid sibi in memoriam occurreret, quod ab eo motu ipsum retardaret, displiceret ei, ac doleret se illud aliquo modo commisisse. Hinc si quis ita feruenter Deum diligat, vt reuera displicerent ei omnia peccata sua venialia, si memoriæ occurrerent, omnia quoque illa quoad culpam deleri concedendum est. Sin autem non ita feruenter diligat, dicendum est illa solùm deleri quorum habet displicentiam: seu quibus contrarius est actus charitatis quem exercet. Vt is qui ex amore Dei proponit obedire in omnibus suo Superiori, censetur habere virtualiter displicentiam de omnibus suis inobedientiis venialibus: non autem de distractionibus in oratione, aut de aliis similiter disparatis, quæ non retardant ab affectu obediendi propter Deum: ac proinde ipsas quidem inobedientias, non tamen cæteras veniales culpas deleri per talem charitatis actum, cum quo manere possunt; sicut & cum habitu charitatis, tanquam ei non repugnantes. Debet verò cum eâdem displicentia adesse propositum saltem virtuale, cauendi futura venialia: non quidem omnia collectiuè, *vt debet de mortalibus*: quia id impossibile est, sine speciali Dei priuilegio: sed vitandi singula in particulari (*quod possibile est, alioqui non essent peccata*) si velit omnium remissionem obtinere. Quod si aliquorum tantùm velit obtinere, debet propositum habere illa ipsa emendandi seu vitandi ea in posterum.

Vbi aduerte vnum peccatum veniale posse remit- *Nu.46.* ti sine alio, non autem vnum mortale sine alio (*prout Diuus Thom. docet ex instituto 3. part. quæst. 86. art. 3.*) ideoque non esse necessariò habendam omnium venialium displicentiam, & propositum ea vitandi de cætero; sicut habenda est omnium mortalium, ad remissionem, vel vnius eorum. Cuius discriminis ratio est; quia diuina gratia, quæ in peccati remissione confertur, vt peccator ex displicente, efficiatur placens Deo: nullum omnino peccatum mortale, quod illius priuatio est, secum patiatur. Eam verò cum peccato veniali esse, nihil obstet: vt satis indicauit discipulus Christi dilectus: inquiens *in 1. sua epistola cap. 1.* Si dixerimus quoniam peccatum non habemus nosipsos seducimus & veritas in nobis non est.]

Aduerte etiam quod antè dictum est, virtualem *Nu.47.* contritionem sufficere ad remissionem venialium: non esse ita accipiendum, vt si post factam diligentem

tem conscientiæ discussionem, alia non occurrant, aliquis assumat ea pro materia in Sacramentali confessione: vt, inquam, contentus esse debeat tali contritione. Nam ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur formalis seu actualis contritio (*qualem peccatori imponi dum pœnitere iubetur, bene probat Suarez. tomo 4. disput. 9. sect. 1.*) sicut & formalis confessio, quæ constet recogitatione & accusatione actuali peccatorum suorum: itaut contritione actuali non habita, censeatur Pœnitentiæ Sacramento materia deesse. Quod pro praxi annotatum ab Alph. à Vinaldo *in Cand. aureo cap. De contritione nu. 9.* & à Iacobo à Graphiis *lib. 1. decis. aureæ. cap. 16. nu. 4.* Suarez *in seq. disp. 20. sect. 6.* bene confirmat ex eo quod Conc. Trident. *in citata sess. 14.* de pœnitentiæ Sacramento & partibus ipsius, simpliciter & absolutè loquatur: & contritionis motum ad illud requiri satis indicet *in cap. 4.* per illa verba [fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius.]

Aduerte denique peccatum quidem esse non cõteri nec emendationem proponere de omnibus venialibus, quæ per Sacramentalem confessionem clauibus Ecclesiæ subiiciuntur; non esse tamen mortale; quia integritas contritionis de venialibus, non est (*sicut nec integritas confessionis de iisdem*) de necessitate huius Sacramenti: quod etiam notat Suarez *loco cit. num. 7.* Et probatur: quia ipsum potest sortiri effectũ suum diuinæ gratiæ, sine illa integritate; quandoquidem peccatum veniale etiamsi placeat, non est obex diuinæ gratiæ in animam inducendæ, nec remissionis aliorum peccatorum. Vnde sicut non obesset Sacramento, nullo modo suppositum clauibus, ita nec de se oberit, non suppositum sufficienter.

Nu.48. Tertia propositio est: De peccato de quo dubitatur, num sit mortale an veniale pœnitendum esse tanquam de mortali: aut saltem cum conditione si est aut quatenus est mortale. Hanc habet Nauarrus *in Enchir. cap. 1. num. 26.* Et probat per illud D. Augustini relatum *in cap. Si quis autem. De pœniten. distinct. 2.* Tene certum, dimitte incertum. Quodquidem in re coniuncta cum salute æterna, qualis est pœnitentia de peccatis, nemo negabit locum maximè habere, si in quaquam alia habere debeat.

De detestatione peccatorum mortalium requisita ad eorum remissionem.

Sectio II.

Nu.49. QVarta propositio est, Ad peccatorum mortalium remissionem non sufficere contritionem, qua quis in genere duntaxat sua peccata detestetur, confitens se esse peccatorem: aut etiam qua de peccatorum duntaxat generibus aut speciebus detestationes eliciat: confitens v.g. ac dolens se furem esse, se blasphemum esse, se periurũ esse: & ita de reliquis peccatis secundùm suum genus aut speciem. Confirmatur hæc propositio ex eo, quòd contritio seu conuersio ad Deum esse debeat ex toto corde *Ioëlis 2.* qualis non est dolentis solum in genere se peccatorem esse, aut vniuersaliter se furem esse, aut blasphemum, aut periurum, & ita de reliquis: cùm adhuc dolere possit, & restet dolendum de ipsis peccatis in particulari: vt de tot furtis, aut de tot blasphemiis, aut de tot periuriis. Deinde peccator per vnumquodque suum peccatum, conuersus ad creaturam, auertitur à Deo. Ergo contritio per quam conuertitur ad Deum ex toto corde, debet esse de omni peccato, quo auersus est à Deo; ideoque ad eam non sufficit detestatio peccatorum in genere sed requiritur detestatio singulorum in particulari.

Est autem controuersia, An pœnitenti vna contri- *Nu.50.* tio sufficere possit de omnibus, ac singulis peccatis commissis, tam quæ memoriæ occurrunt, quam quæ non occurrunt: similis ei quã quis conuersus ad cumulum sordium, abhorret ab omnibus illis; tam iis quæ incurrunt, quàm iis quæ non incurrunt in ipsius aspectum: an verò necessarium sit singulas de singulis peccatis mortalibus haberi detestationes. Nam vt videre est apud Nauar. *in Enchir. cap. 1 nu. 25.* multi senserunt istud esse necessarium: alij verò prius illud sufficere, quibus ipse assentitur *tum ibidem tum in sequen. num. 40. & in cap. 22. num. 3.* Assentiuntur etiam Franc. à Victoria *num. 116. de Sacram.* Caietanus *in summula verbo Contritio, & tomo primo opusc. tract. 4. quæst. 2. & Sotus in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 3. col. penult.* & recentiores communiter.

Idque meritò, quia contritio necessaria ad pecca- *Nu.51.* torum remissionem haberi potest momento temporis ex probabiliore Theologorum sententia: quam propugnat Suarez *tomo 4. disput. 4. sect. 5.* & sufficienter probatur per illud *Ezech. 33.* Impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.] Nam ibi dies sumitur pro momento temporis: sicut & cùm antè immediate dicitur: Iustitia iusti non liberabit eum, in quacumque die peccauerit. Si enim momento temporis per peccatum homo excidit à Dei gratia; multo magis momento temporis per conuersionem ad Deum restituetur eidem gratiæ; cùm diuinæ clementiæ ea sit natura, vt magis ad ignoscendum, quàm ad condemnandum sit prona. *cap. Quia diuinitatis. De pœniten. distin. 1.* At singulæ detestationes de singulis peccatis commissis haberi non possunt in momento temporis: quia requirunt singulorum peccatorum cognitionem: ac talis cognitio, diligens conscientiæ examen; ad quod non sufficit momentum temporis. Deinde, vt Nauar. rectè argumentatur *in cit. num 25.* si ad peccatorum remissionem necessariò concipiendæ essent de singulis peccatis mortalibus singulæ pœnitudines, contingeret casus in quo quis adhuc viuens priuaretur potestate consequendi vitam æternam, contra textum expressum *in cap. 1. de Pœniten. distinct. 7. & in cap. Ponderet. distinct. 50.* Denique vt argumentatur Sotus *loco cit. col. antepenult.* impossibile penè est, vt cùm ingens fuerit peccatorum numerus, & maximè cum pleraque eorum contigerint in rebus lętis, singulos de singulis concipere dolores intercisos. Adeout meritò dicendum sit cum Franc. à Vict. *in citato num. 116.* quod sicut in confessione, dicendo millies Peccaui fornicatione, vnicus talis confitendi actus terminatur ad singulas illius numeri fornicationes: ita vnus actus interior quo Pœnitenti displicent eædem mille fornicationes, terminatur ad vnamquamque earum: & Pœnitens ipse censetur de omnibus & singulis eorumdem conteri.

Quinta propositio, *quæ ex præcedenti sumitur*, est: Ad *Nu.52.* remissionem peccatorum mortalium sufficere vnam contritionem, quę ad omnia quorum Pœnitens reus est, extendat se in particulari, id est, qua Pœnitens omnem mortalem suam culpam detestetur, seruatis conditionibus perfectæ contritionis in præced. cap. expositis. Ad huius confirmationem præter antedicta, afferri possunt exempla D. Pauli euntis Damascũ, & latronis in cruce pendentis, qui tam breui tempore conuersi sunt ad Deum, vt illud non fuerit sufficiens ad reuocanda distinctè in memoriam omnia sua peccata. Quod similiter sentiendum est de iis qui iuxta antedicta, conuertuntur aut conuerti pos-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt in momento. Accedit etiam, quòd talis contritio, etiamsi perficiatur simplici actu voluntatis, sit vera detestatio omnium peccatorum: adeoque pœnitentia quæ peccatori præcipitur: præsertim cùm in singulari pœnitentia, *non autem in plurali, pœnitentiæ*, præcipiatur de omnibus peccatis. Atque ita omnes Theologos tenere ait Suarez *in citata disput. 4. sect. 6. num. 2.*

Si quis opponat contritioni respondere confessionem tanquam signum externum quo manifestatur: ideóque sicut vnus actus confessionis sufficere non potest ad omnium peccatorum mortalium remissionem: ita nec posse vnum actum contritionis quantumcumque is ad omnia se extẽdat. Respondendum est cum Caiet. *in cit. quæst. 2.* confessionem fieri homini tanquam Iudici, qui non nisi de cognitis iudicare potest; atque peccata quæ non fuerint ei distinctè exposita, manere ei in cognita. Contritione autẽ cor offerri Deo, qui non pensat quantum & quot, sed ex quanto offeratur: iuxta illud quod de Magdalena *Luc. 7.* dicitur. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum:] *non autem quia displicuerunt ei multa.* Sufficere ergo potest vnus contritionis actus sicut vnus satisfactionis, aut vnus absolutionis.

De detestatione peccatorum requisita ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ.

Sectio III.

Nu. 53. SExta propositio est: vnum etiam actum antedictum detestationis de omnibus peccatis commissis, posse ad confessionem validam sufficere. Probatur, quia vnus talis actus sufficere potest ne confessio censeatur mera narratio, aut esse sine interiori dolore. Quem item posse sufficientem esse ad percipiendam Sacramentalem absolutionem, patet ex eo, quòd sufficiens esse possit ad peccatorum remissionem iuxta proximè præcedentem propositionem. Quare ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ non sunt necessariò exercendi tot actus detestationis, quot sunt peccata, de quibus tanquam reus illorum, Pœnitens confitetur: etiamsi negandum non est, eos valde vtiles esse. Si quis dicat necessarios esse ad cõpensandam iniuriam Deo illatam: vt nimirum homo sui ipsius iudex constitutus, ac peccatorum suorum vindex, illam singulis contritionibus vindicet, quam singulis peccatis intulit. Respondendum est, eam cõpensationem posse perinde fieri vna contritione ac multis: vt argumento est, quòd vnus dolor intensus de omnibus peccatis, sit maior compensatio quàm multi remissi habiti de singulis: vt patet ex D. Paulo & D. Magdalena, nonnullisque aliis, qui quamuis nõ potuerint in momento in quo conuersi sunt, omnia sua peccata sigillatim considerare ad concipiendas de singulis singulas detestationes: vnam tamen de omnibus conceperunt tam intensam, vt eis valuerit non modo ad culparum remissionem, & pœnarum æternarum eis debitarum mutationem in temporales: sed etiam ad harum omnium relaxationem: id quod aliquot glosis citatis expressit Nauar. *in Enchir. cap. 1. num. 43.* Et ad confirmationem facit illud *Luc. 7.* Remittuntui ei peccata multa, quia dilexit multum] vbi nomen peccati extendi ad dictas temporales pœnas, non est alienu m à sacrę Scripturæ vsu. Nam iis significandis vsurpatur 2. *Machab. sub finem cap. 12.* cùm dicitur Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur.] Per peccata enim eo loco, communiter intelliguntur pœnæ quibus defuncti cruciantur in purgatorio, quæ temporales sunt.

Nu. 54. Cæterùm perinde est, siue ante reuocata sigillatim in memoriam peccata, siue post, siue etiam inter reuocandum concipiatur illa vna detestatio, extendens se ad omnia mortalia à Pœnitente perpetrata: prout idem Nauarr. *in præced. num. 25.* expressit inquiens, Non est necesse, vt Pœnitens recogitans, cõfiteńsue sua peccata, de vnoquoque mortifero specialem & singularem pœnitudinem concipiat: sed satis est, vt concipiat generalem eiusmodi pœnitudinem, quæ virtute se extendat ad omnia mortifera; siue id faciat ab initio cùm incipit reuocare in memoriam confitenda; siue inter reuocandum, siue alio quouis tempore, vel temporis momento.] Cuius doctrinæ ratio est, quòd iuxta antedicta, ille qui omnia sua peccata detestatur propter Deum, habeat formalem & ad Sacramentum sufficientem contritionem, etiamsi de illis non cogitet distinctè, seu ad nullum particulare descendat, nec in hoc vel illo singulariter sistat: intentionem suam ad omnia indefinitè extendens: quod perinde facere potest nondum recogitatis, ac iam recogitatis in particulari ipsis peccatis. Ad quod faciunt quæ disputat Suarez *tom. 4. disput. 4. sect. 6. à num. 9.* quem vide si lubet.

Eidem autem doctrinæ congruenter dici potest, illum qui ex contritione, quam ante de suis peccatis concepit, conseruato firmo proposito non peccandi de cætero, excitatur ad faciendum conscientiæ suæ debitum examen; eóque vt par est facto, confitetur idoneum esse absque noua aliqua speciali contritione ad obtinendam Sacramentalem absolutionem: cùm in tali confessione, vt in suo effectu, perseueret illa præcedens generalis contritio de se sufficiens, vt ponimus. Id Sotus *in cit. col. penult.* indicauit, inquiens Pœnitentium vsum non esse, nisi in principio habere contritionem generalem, quæ sufficit ad gratiam: & deinde peccata inuestigare ad confitendum: aut omnia sua peccata in mentem reuocare ante vllum detestationis actum, omnibúsque rememoratis vnam detestationem applicare. Quanquam tamen negandum non est quin *vt idem monet in fine præced. columnæ* consultum sit speciales adhuc de singulis peccatis detestationes concipere.

Nu. 55. Septima propositio est. Si peccatum mortale penitus oblitum & per antedictam contritionẽ, etiam in vsu Sacramenti Pœnitentiæ remissum in memoriam redeat; de eo esse denuo conterendum, sicut & est confitendum. Hanc Medina *in tract. 1. De pœnit. quæst. 3. versu Ex dictis*, probat: quia necessarium est de peccatis pœnitere, sicut & confiteri; non solùm ad finem consequendi eorum remissionem; sed etiam adimpletionem præcepti, de quo antea dictum est *in cap. 2.* Ad quam impletionem non sufficit sola virtualis detesta tio peccati: vt patet ex dictis *in præced. cap. 1. num. 3.* & à D. Thoma traditum Suarez *tom. 4. disput. 9. sect. 2.* pleniùs confirmat. Eiusmodi est autem detestatio illa quæ de oblito peccato commisso habetur, dum quis cætera quæ memoriæ occurrunt ita detestatur actu, vt similiter detestaretur illud si occurreret. Vnde tenendum est quod ex eodem D. Th. habet Iacobus à Graphiis *in lib. 1. decis. aur. cap. 5. num. 23.* cùm peccata oblita recurrunt in memoriam, debere hominem de illis conteri, sicut de aliis, perinde ac pauper, qui quod non sit soluendo excusatur à solutione, cum venerit ad pinguiorem fortunam tenetur soluere quod debet.

***

CAPVT

CAPVT V.

De modo exercendi propositum emendationis, quod contritio in sua natura includit cum antedicta detestatione.

SVMMARIVM.

56 *Ad tale propositum non requiritur, vt quis persuadeat sibi se non amplius peccaturum mortaliter.*
57 *Defectus temporis & inculpabilis consideratio, excusant non habentem propositum actuale.*
58 *Itémque articulus mortis.*
59 *Quæ peccata eiusmodi propositum respiciat.*
60 *Quomodo respiciat venialia.*
61 *Quas occasiones peccandi non respiciat.*
62 *Quas respiciat.*
63 *Documenta diiudicandi vtrum occasio aliqua peccandi sit proxima.*
64 *Peccatum est mortale, manere in occasione proxima peccandi mortaliter.*
65 *Propositum emendationis in vsu Sacramenti Pœnitentiæ, debet habere coniunctum propositum confitendi & satisfaciendi.*
66 *Rationes quibus id probatur.*
67 *Non est necessarium tale propositum coniunctum, actuale esse.*

Nu. 56. VÆ ad talem modum pertinent complectemur aliquot documentis.

Primum est *ex Nauarr. in Enchir. cap. 1. num. 13.* Non esse necessarium ad contritionem, tale propositum ita exerceri, vt Pœnitens credat, se amplius non peccaturum mortiferè. Ratio est quia id saperet quamdam superbiam. Satis ergo est vt nolit amplius peccare, statuátque id cum Dei auxilio seruare.

Casus in quibus sufficere potest tale propositum esse virtuale.

Sectio I.

Nu. 57. SEcundum est: idipsum propositum actuale esse debere quidem, iuxta probabiliorem sententiam antea confirmatam *in cap. 1. num. 9.* nihilominus sententiã de proposito virtuali, quòd ipsum sufficiat ad contritionem, admittendam esse *(quod notat Nauar. in sequen. num. 15.)* in casu in quo temporis defectus, vel aliqua inculpabilis incõsideratio Pœnitẽtis, causa fuit ne is haberet actuale propositum. Exemplum est cùm quis præ nimio dolore de peccatis suis præteritis, non aduertit animum ad vitam futuram: vt Dauidi contigisse videtur: quandoquidem ex 2. *Regum cap. 12.* ipso dicente. Peccaui Domino:] statim subdidit Nathan Propheta: Dominus quoque transtulit peccatum tuum.] Ratio autem patet: quia talis casus est impossibiritatis, cùm omne actuale propositum prerequirat actualem considerationem iuxta illud tritum. Nihil volitum nisi cognitum.

Nu. 58. Adde quod attigit Suarez *tom. 4. disput. 4. sect. 3. num. 4.* eamdem quoque sententiam admittendam esse, cùm homo pœnitentiam agit constitutus in articulo mortis: quia quando vita in futurum est moraliter desperata, nihil est cur talis actus necessarius esse censeatur. Ad quod facit consuetudo, nam si hominem damnatum ad mortem exhortemur ad pœnitentiam, non sumus adeo solliciti de illius vita in futurum, sed de detestatione præteritorum peccatorum: quia licet aliquantulum vitæ ei superfit, moraliter tamen id quasi nihil reputatur: atque pauculo eo tempore perseuerando in dolore & detestatione præteritæ vitæ, satis pro eodem tam breui, diuinorum mandatorum obseruantia proponi censetur. Adde adhuc tanquã corollarium, id quod idem author postea habet *in sequen. disput. 20. sect. 4. num. 34.* Si quis bona fide verè detestetur peccatum de quo confitetur; nec tamen ad formale propositum cauẽdi in futurum aduertat, sed illud omittat: idque sine culpa, eo quod talis inaduertentia sit excusabilis: tunc ad validitatem Sacramẽti Pœnitentię posse sufficere propositũ virtuale, in detestatione inclusum: quia quantumcumque propositum actuale sic desit: non deest tamen dolor excludens voluntatem peccandi; qui adiunctam habens spem veniæ, sufficit ad Sacramentum, iuxta Concil. Trident. *sess. 14. cap. 4.*

De eodem proposito, respectu peccatorum.

Sectio II.

Nu. 59. TErtium est, prædictum propositum respicere omnia & singula peccata mortalia; tum præterita, ne in eis delectetur Pœnitens: tum præsentia, ne ea committat: tum etiam futura, vt ea cuitet. Non respicere autem venialia nisi de consilio; cùm non impediant reconciliationem hominis cum Deo; vtpote quæ simul cum chatitate in homine ipso esse possunt.

Nu. 60. Si tamen de iis quoque velit quis confiteri, debet pariter conteri vt bene docet Suarez *in sequen. sect. 6.* & manifestum est: quia confessio non est Sacramentalis, nisi vt signum externum contritionis, quæ cum peccatorum detestatione habet adiunctum propositum similia cauendi in futurum; neque censeri quis potest verè & efficaciter peccata sua detestari, quin habeat virtualiter tale propositum; ac procuret actuale habere, si aduertat se non habere.

Attamen quia venialia, quæ nobis contingunt ex surreptione, vix longo tempore à nobis vitari possunt sine speciali Dei priuilegio, non possumus habere propositum omnino absolutum illa cauendi; vnde sufficit vt Pœnitens proponat se diligentiam omnem adhibiturum ad illa vitanda vel minuenda quantùm humano modo potuerit; Quod etiam habet Suarez *disput. 4. sect. 3. num. 5.* Ex quo *in prius citata sect. 6.* adhuc adde: quando confessio est de solis venialibus peccatis, non esse de eiusdem substantia, vt contritio, siue quoad detestationem, siue quoad propositum emendationis, efficax sit & absoluta de illis omnibus; quia cùm peccata venialia non sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentię; vnúmque possit sine alio remitti: sicut ad validitatem confessionis non est necessarium eam integram esse de omnibus venialibus; ita nec necessarium est dolorosam esse vniuersali contritione de iisdem omnibus; etiãsi ille qui sic confitetur, *tanquam agens perperam*, venialiter peccet. Immo & mortaliter: si quidem haberet in eo sacrilegam intentionem supponendi absolutioni Sacramentali indebitam materiam: non secus ac ille qui pro hostia triticea, hordeaceam de industria proponeret Sacerdoti consecrandam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De eodem item proposito, respectu occasionum peccandi.

Sectio III.

Nu.61. QVartum est, idipsum propositũ respicere quoque occasiones, & quasi semina peccatorum: tum ne Pœnitens illis vtatur, tum ne eas præbeat aliis. Quod tamen non est intelligendum de occasionibus peccandi venialiter; quia si propositum nũquam peccandi venialiter necessarium non est, multo minus est vitandi occasiones peccandi venialiter: nec item de occasionibus remotis peccandi mortaliter si hæ sint res in se licitæ, vt mercatura, militia, & cæteræ artes vel officia, quæ potest quis sine peccato exercere. Quoniam cùm nihil ferè sit in hoc mundo, quin possit esse occasio peccati, oporteret nos de eo exiisse: *prout ait Apostolus in priori ad Corinth. cap. 5.*

Nu.62. Intelligendum est ergo de occasionibus proximis peccandi mortaliter: adeout homo teneatur propositum habere vitandi omnem eam occasionem quâ sine peccato mortali nunquam, aut rarò se vsurum credit, vt credere meritò debet, si iam expertus est aliquoties eam esse fragilitatem suam vt statim succumbat data istiusmodi occasione: siue ipsa sit in se peccatum, vt officium fœnerandi, munus lenonis, & similia: siue sit in se indifferens, vt conuersari cum aliqua persona vendendo vel emendo vel laborando: aut sit etiam alioqui bona, vt audire alicuius certæ personæ confessionem.

Ratio verò necessitatis extendendi propositum emendationis, ad occasiones eius generis; sumitur ex eo, quòd talem aliquam oblatam non vitare, peccatum sit mortale iuxta illud Ecclesiastis 3. Qui amat periculum peribit in illo.] De ea autem & à semetipso vitanda, & non danda aliis præclarè & ad praxim vtilissimè Nauar. *in Enchir. cap. 3. num. 5. lu. B, & deinceps ad finem ferè vsque capitis & in cap. 14. num. 31. lu. A, & deinceps, item ad finẽ vsque cap. qui legendus est*, aduertendo interea *quod Suarez monet in seq. disp. 32. sect. 2. num. 4.* vix posse certam regulam ea de re tradi: sed totam pendere maximè ex prudentia Confessarij, qui ad diffiniendum de ea his documentis iuuari poterit.

Nu.63. Primum est, expendendum esse animum Pœnitentis: qui quamdiu credit, aut probabiliter dubitat se non vsurum aliqua occasione, quin mortaliter peccet, tenetur habere firmum propositum illam vitandi: alioqui enim tanquam amans periculum, peribit in illo.

Secundum est, si necessarium sit habere propositum vitandi quodcumque peccatum mortale, multo magis esse vitandi occasionem peccati mortalis, quæ adhuc & ipsa mortale peccatum fuerit.

Tertium, vt aliquid, quod non est de se peccatum censeatur proxima occasio peccati, respectu alicuius Pœnitentis, requiri vt ipsum tale sit quod frequenter inducat homines illius conditionis ad peccatum: vel certè vt constet experimento, habere talem effectũ in tali homine. Ratio est: quia nequit assignari aliud, in quo consistat eiusmodi, vt sic dicam, proximitas. De qua aduerte, posse perinde iudicari, ac de proximo periculo lapsus funambuli iudicatur ex eo, quòd ipse sit de genere hominum debilium pedibus, aut aliter ineptorum ad illud exercitium: vel ex eo, quòd tale quid attentans, labi cum graui læsione corporis ordinariè soleat.

Quartum est, adhuc requiri, vt talis occasio sit voluntaria, seu libere assumpta: non autem oblata inuito, & quantum potest repugnanti. Nam si voluntaria non sit, sed potius quædam moralis impotentia resistendi, nec etiam voluntarium erit illud quod ex ea sequetur: & per consequens nec peccatum: cùm nullum peccatum sit nisi voluntarium 15. *quæst. 1. in initio.* Qualiter autem procedere debeat Confessarius cum eo qui deficit in tali proposito, iam traditum est *in præcedente lib. 2. cap. 8.*

Nu.64. Quod verò Caietanus *in summula verbo periculum* significat captare talem occasionem; esse ex suo genere veniale peccatum cuiusdam incautelæ; admitti potest cùm occasio fuerit remota, quia tunc procedit illius ratio: nimirum quòd occasione præsente, adhuc in libertatis arbitrio restet, mortaliter peccare. Quãdo verò occasio peccati mortalis fuerit antedicto modo proxima; tenendum est cum Nauarr. & aliis quorum meminit Henriquez *in summa Theolog. pract. lib. 4. cap. 24. §. 4. lit. B,* Pœnitentes quamuis cum aliquo dolore confiteantur omnia sua peccata, non esse absoluendos, si in aliqua proxima occasione mortaliter peccandi perseuerent, tanquam ij qui maneant in statu peccati mortalis, per huius virtualem affectionem; tanquam amorem periculi, in quo peribunt.

De adiungendo proposito confitendi & satisfaciendi, proposito emendationis in vsu Sacramenti Pœnitentiæ.

Sectio IV.

Nu.65. SVpererest monendum: quòd etsi contritio secundùm se spectata, contẽta sit proposito de quo dictum est hactenus: nihilominus in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ requirere specialiter, vt sit cũ proposito debitè confitendi & satisfaciẽdi; hoc enim patet per illud quod in Concil. Trident. *sess. 6. cap. 14.* statuitur: Christiani hominis pœnitentiam post lapsum, requirere non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem: verumetiam eorumdem Sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, ac Sacerdotalem absolutionem, itémque satisfactionem per ieiunia eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia.] Adde illud, quod in sequẽti *sess. 14. cap. 4.* statuitur; etsi aliquando contritionem charitate perfectam esse contingat, hominémque Deo reconciliari priusquam Sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.]

Nu.66. Vnde sequitur, quia contritio votum Sacramenti includit hoc nomine, quòd in lege Euangelica requiratur, vt Pœnitens detestetur peccata sua cum proposito suscipiendi Pœnitentiæ Sacramentum, quod pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccatum labuntur, Deo reconciliandis institutum est à Christo, *ex eadem sess. 14. cap. 1. & Can. 1.* Sequitur, inquam, contritionem debere esse cum proposito confitendi Sacerdoti sufficientem iurisdictionem habẽti (*quod vocant propositum subiiciendi peccata sua Ecclesiæ clauibus*) & pro illis satisfaciendi; quandoquidem actus ipsi confessionis & satisfactionis, contritionem in animo latentem, tanquam effectus suam causam (sunt enim actus per eam imperati à voluntate informatâ habitu virtutis Pœnitentiæ) reddunt sensibilem,

bilem, atque adeo Sacramentalem, seu qualem oportet esse Sacramenti materiam: quæ non nisi sensibilis esse potest ex communi doctrina de Sacramentis. Quocirca cum ipsa contritione, iidem actus, ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, debent concurrere ex Dei institutione, *vt in cit. sess. 14. cap. 3.* definitur. Vnde patet perfectam contritionem in lege Euangelica requirere, vt ipsa sit cum proposito confitendi & satisfaciendi debito tempore.

Quodquidem confirmatur adhuc ex dicrimine, quod cernitur inter pœnitentiam ad baptismum necessariam, & eam quæ ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur. *De quo Nauar. in Enchir. cap. 1. num. 38.* Nam vt deducitur ex Concil. Trident. *in præced. ca. 2.* Deus se nobis offert vt Pater in Baptismo; & ideo ad hunc sufficit displicentia vitæ præteritæ cum proposito nouæ: in Sacramento verò Pœnitentiæ ob ingratitudinem nostram, amissámque innocentiam & gratiam in Baptismo concessam, offert se tanquam Iudex, exigens non tantùm detestationem vitæ præteritæ & propositum nouæ: sed etiam propositum se subiiciendi clauibus Ecclesiæ, seu confitendi ac castigandi, puniendique peccata commissa: quod Concilium ibidem admonet à Patrib. indicatum esse, cùm pœnitentiam dixerunt esse laboriosum quemdam baptismum.

Nu.67. Quod autem Maior & Caietanus referente Nauarr. *in præced. num. 15.* & cum eis vterque Sotus Dominiens in *4. disput. 17. qu. 2. art. 1. in fine*; Petrus verò *in lectione 17. De Pœniten. sub finem.* dicunt sufficere ad perfectam contritionem vt eiusmodi propositum sit virtualè, quæ censetur includi in proposito abstinendi in fututum ab omni peccato mortali. Nauarr. ipse non admittit simpliciter sed vult tantùm habere locum, quando defectus temporis vel aliqua inculpabilis inconsideratio Pœnitentis, fuit causa quominus haberet actuale propositum. Cuius sententia vt tutior probanda est, & Pœnitentibus consulenda; non tamen vt simpliciter necessaria: quia vt ipsemet *ad cap. Ecce nunc De pœniten. Distinct. prima num. 1.* notat quamuis Concil. Trident. *sess. 14. cap. 4.* ad iustificationem requirat cum contritione votum Sacramenti, tamen quia non requirit expresè votũ actuale, sed generaliter votum, intelligi potest in genere, actuale aut virtuale sufficere.

Caput VI.

De defectibus contritionis qui reddunt Pœnitentiæ Sacramentum inualidum.

Svmmarivm.

68 *Datur aliqua contritio sufficiens ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi defectum aliquem perfectæ contritionis patiatur.*

69 *Conditiones perfectæ contritionis quarum defectu cognoscitur, quando illa inualidum reddat pœnitentiæ Sacramentum.*

70 *Defectus voluntarij in contritione, reddit Sacramentum Pœnitentiæ inualidum.*

71 *Quæ contritio imperfecta sufficere possit ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ ex Concil. Trident.*

72 *Non sufficere ad eam, quòd Pœnitens de peccato doleat propter infamiam & alia mala, quæ per illud sibi intulit; non autem quia Deum offendit.*

73 *Talem tamen dolorem vtilem esse.*

74 *Attritio cum Sacramento sufficiens ad gratiam iustificantem, debet fundari in fide Christi.*

75 *Non debet de necessitate esse cum detestatione peccati, tanquam detestandi super omne detestabile.*

76 *Debet esse cum spe veniæ, saltem virtuali.*

77 *Item cum proposito firmo emendationis.*

78 *Rationes quibus id probatur.*

79 *Debet esse cum proposito, saltem virtuali, confitendi & satisfaciendi.*

Nu.68. NOn modo perfectam contritionem, qualem ex omnibus conditionibus ad eam necessariis describit Nauarr. *in Enchir. initio primi cap.* sed etiam aliquam imperfectam, seu quæ defectum aliquem talium conditionum patiatur, sufficere posse ad Sacramentum Pœnitentiæ habetur ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 4.* Vbi præter contritionem charitate perfectam, qua homo potest reconciliari Deo sine Pœnitentiæ Sacramento reipsa suscepto: *non tamen sine illius voto*: aliam ponit imperfectam, quæ quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit: *quæ sient ipsius Concilij verba.* Iam vt intelligatur quænam sit talis imperfecta contritio: scire oportet ex quarum conditionum perfectæ contritionis defectu, censeatur Sacramenti pœnitentiæ materia deficere, sufficienter ad reddendum ipsum inualidum. Cuius rei gratia notandum est, primò omni contritioni, siue perfectæ siue imperfectæ ad idem Sacramentum sufficienti, conuenire, vt sit dolor & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Hæc enim est definitio, quam initio *citati cap. 4.* Concilium Trident. tradit illius contritionis, quã facit primam Sacramenti Pœnitentiæ materialem partem, atque adeo necessariam ad illius validitatem sicut alia substantialia.

Notandum est secundò, omni contritioni imperfectæ; tam sufficienti ad eiusdem Sacramenti validitatem, quàm non sufficienti, conuenire, quòd nec perfecta sit charitate, nec per se possit peccatorem perducere ad iustificationem: in hoc enim generaliter distinguitur à contritione perfecta; vt patet ex ante memoratis verbis Concilij Trident.

Quinam sint illi defectus contritionis, per quos Pœnitentiæ Sacramentum redditur inualidum.

Sectio I.

Nu.69. NOtandum est tertiò, de varietate contritionum imperfectarum iudicari ex varietate conditionum perfectæ contritionis; per quarum defectum sunt imperfectæ. Cuiusmodi conditiones, *vt videre est apud Nauarr. & ex antedictis satis patet*: sunt primò, vt sit detestatio voluntaria peccati, secundò, vt sit de peccato ipso quatenus est offensa Dei, tertiò, vt sit summa, id est, qua peccator detestetur peccatum suum super omne detestabile, quartò, vt sit cum spe, saltem virtuali, veniæ à Deo obtinendæ, quintò, vt peccandi voluntatem excludat, sitque cum proposito saltẽ virtuali, vitandi de cætero peccata: imprimis autem mortalia, seruãdiq; præcepta omnia, & peculiariter de confessione Sacramentali suo tẽpore facienda, & de satisfactione. Ex harum igitur singulis, distingui possunt constitutę per earum defectum, contritiones imperfectæ. Quæ metaphoricè ex eo attritiones dicuntur, quòd per illas cor hominis induratum peccato, non perinde mollescat depulso ipso peccato, ac per veram contritionem: sicut nec lapis

pœ

Universidad de Deusto
Biblioteca

per attritionem, perinde ac per contritionem, sic in minimas partes redigitur, vt tangenti cedat, sed tantùm in partes maiores diuiditur. De vnaquaque autem videndum est illud quod proposuimus considerandum: num scilicet ex suo defectu ita sit imperfecta, vt inualidum reddat pœnitentiæ Sacramentum, tanquam non sufficiens ad peccatorum remissionem; non obstante quòd reipsa fiat confessio, & absolutio detur.

Nu 70. Atque de contritione imperfecta ex defectu primæ conditionis: cùm ad instar illius quæ reperitur in damnatis ea coacta sit, & extorta: certum est, ne quidem cum Sacramento sufficere ad peccatorum remissionem: & per consequens neque ad ipsius Sacramenti validitatem. Ad confirmationem sufficit authoritas Concilij Triden. *sess.* 14. *cap.* 4. vbi dicitur, quòd Ecclesia nunquam docuerit vel senserit Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu percipientium, gratiam conferre: & hæreticos qui tale quid scriptores Catholicos tradidisse calumniantur; falsò etiam docere contritionem *(intellige quamcunque præparatem ad gratiam iustificantem iuxta Can.* 5. *eiusdem sessionis)* extortam esse & coactam, non liberam & voluntariam.]

De ea contritione imperfecta, cum qua ex Concilio Trident. Sacramentum Pœnitentiæ potest esse validum.

Sectio II.

*Nu.*71. De ea quæ imperfecta est ex defectu secundæ conditionis: nimirum quod non concipiatur expressè de peccato sub ea ratione, quâ est Dei offensa, habetur ex Concil. Triden. *in citato cap.* 4. eam si concipiatur ex consideratione turpitudinis peccatorum, aut gehennæ, aut pœnarum metu (quod explicuimus in præced. num. 40.) præparare ad gratiam iustificantem obtinendam, dummodo voluntatem peccandi excludat, & sit cum spe veniæ, id est, vt Nauar. interpretatur *in Enchir. cap.* 1. *num.* 11. dummodo non ea mente respectu malorum quæ proueniunt ex peccato sic pœniteat quis, vt si illa non interuenirent ipse non pœniteret, imò peccare pergeret; quodquidem esset, ne implicitè quidem aut virtute, propter Deum offensum, de peccato suo pœnitere; & per consequens, non eo modo pœnitere, quo requiritur ad obtinendam peccatorum remissionem, conuertendo se ad Dominum iuxta illud *Esa.* 45. Conuertimini ad me, & salui eritis.] *& cap.* 51. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas & reuertatur ad Dominum.]

*Nu.*72. Vnde intelligitur reiiciendam esse sententiam cuius *in eod. nu.* 11. meminit Nauarrus, dicentium ad condonationem peccati per Sacramentum Pœnitentiæ, sufficere attritionem qua Pœnitens dolet de peccato, non propter Deum: seu, non quia Deum offendit: sed propter infamiam aut alia mala quæ sibi intulit peccando. Nempe quia dilapidauit suam substantiam: ex nobili aliquo statu excidit: effectus est infamis: vires & pulchritudinem corporis perdidit; mulctatus est grandi pecunia: aut damnatus est ad triremes: aut afficiendus est extremo supplicio. Accedit etiam quòd talis attritio, ac dolor de peccatis magis fundetur in amore sui, quàm Dei, & ex motiuo pure humano oriatur; cùm attritio sufficiens cum Sacramento ad iustificationem, aliquid amplius requirat, tanquam Dei donum & impulsus Spiritus sancti ex Concil. Triden. *sess.* 14. *cap.* 4. sitque ordinis supernaturalis eo modo quo expositum est antea *in cap.* 3. *sub finem.*

*Nu.*73. Quanquam negandum non est quod attigit Nauar. *ibidem & in seq. num.* 41. talem attritionem tanquam pœnitentiam terrore plenam, si voluntatem peccandi excludat, & sit cum spe veniæ (sine quibus conditionibus infructuosam esse patet ex Fœlice præside qui disputante D. Paulo *Act.* 24. de iudicio futuro, valde perterritus est, sed inde non euasit melior) bonam esse & vtiliter peccatorem eà concuti: quia iuuat ad retundendam cordis humani superbiam, & refrænandum peccandi affectum, excitandámque mentem ad Dei & iustitiæ diuinæ memoriam: vnde anima disponitur ad excipiendum ac sequendum Spiritus sancti impulsum, de quo mentio est in Concil. Trid. loco citato: atque adeo ad agendam talem pœnitentiam, quæ saltem cum Sacramento sufficiat recuperationi diuinæ gratiæ; etiamsi de se ad eam non sufficiat: itaut comparetur setæ in cap. Sicut seta, de pœnit. distin. secunda: quia, *vt rectè* Sotus ait *in 4. distinct. 14. quæst. 2. art. quinto col. 4.* sicut seta quamuis non sit accommodata ad connectenda frusta corij; est tamen ad inducendum filum quo connectuntur; sic timor seruilis quamuis per se non sufficiat ad conglutinandam inter nos & Deum amicitiam, seruit tamen multùm charitati in animam introducendæ, quâ talis conglutinatio perficitur. Ad quod facit illud Ecclesiastici *cap.* 1. Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est non poterit iustificari.

*Nu.*74. Dubitaret fortè aliquis, An prædictam attritionem quam diximus cum Sacramento sufficere ad gratiam iustificantem obtinendam, necessarium sit fundari in fide Christi. Nam pro parte negante facit, quòd dolor, quem quis de peccatis concipit, quia sunt contra rectam rationem, videatur posse sufficere ad reconciliationem ipsius cum Deo: sicut consensus in aliquo, quod est contra rationem rectam, sufficit ad perdendum diuinam gratiam. Sed tenendum est contrarium: quia nulla attritio quæ non fundatur in Christi fide explicita vel implicita potest sufficienter disponere ad gratiam iustificantem vt patet ex Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. Et confirmatur per illud *ad Hebr.* 11. Accedentem ad Deum credere oportet quia est, & inquirentibus se remunerator sit.] Itemque illud ibidem, Impossibile est sine fide placere Deo.] Ratio autem opposita nihil efficit: quia multo plus requiritur ad resurgendum ex peccato, quàm ad ruendum in peccatum. Nam ad hoc sola vis liberi arbitrij sufficere potest, non autem ad illud: quia talis ruina prouenit ex defectu in agendo, cuius homo est ex se satis capax: surrectio verò ei opposita, pendet ex conatu; ad quem homo non est ex se sufficiens: sed requirit excitantem & adiuuantem Dei gratiam, cui liberâ suâ voluntate assentiatur & cooperetur: vt in *citata sect. 6. cap.* 5. expressè traditur. Qua in re immorari non est huius instituti. Tantùm monendum est, fidem Christi, in qua istiusmodi attritionem fundari debere diximus, tunc censeri explicitam, cùm iuxta idem Concil. Trid. *in cit. cap.* 6. credimus à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Quem scilicet proposuit, *vt habetur ad Rom. tertio*, propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum, &c.] Implicitam verò tunc censeri, cùm est alicuius obiecti cognitio, ex qua per consequentiam deduci potest antedicta fides explicita: cuiusmodi cognitio est, si quis credat non posse peccatum sibi aliter remitti quàm per beneplacitum Dei, & eà ratione quam ipse constituerit: ex tali enim cognitione

ne rectè deduci potest, à Deo iustificari impium, per gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Hæc enim aperte ex illa colligitur; factâ confirmatáque hac sub sumptione. Sed Dei voluntas est vt hominibus remittantur peccata per Christi merita: prout scilicet *in sequen. cap.* 7. declaratur à Concilio Tridentino.

De aliis contritionibus imperfectis, quid sit sentiendum.

Sectio III.

*Nu.*75. De attritione seu contritione imperfecta ex defectu tertiæ conditionis: qualis est eorum quos pœnitet peccasse, ob id principaliter quod peccatum est offensa Dei: & qui statuunt amplius non peccare sed non concipiunt peccatum, super omnia detestabilia detestandum, neque reputant ipsum vitandum esse super omne vitabile: Nauar. *in Enchir. cap.* 1. *num.* 37. aduersus Caietanum *(quem etiam)* reprehendit *Sotus in 4. dist.* 18. *qu.* 3. *art.* 3. *col.* 9.) probat eam ad peccatorum remissionem sufficere (quod intellige de iuris saltem rigore) cum absolutione Sacramentali, susceptа ab eo qui Sacerdoti confitens credit sine crassa ignorantia, se dolorem sufficientem habere, neque effectui Sacramentali, id est gratiæ, obicem ponere. Fundamentum illius est, quòd sacræ literæ *(vt pluribus locis allatis ostendit)* à peccatoribus expressè exigant tantùm vt agant pœnitentiam, non autem vt peccatum suum concipiant tanquam quid maximè omnium vitabile & detestabile: neque interpretatione ad tale quid, siue Concilia siue Patres, siue communis fidelium vsus, eadem loca extendere nolentur. Quare nec nos debemus extendere; maximè cùm id coniunctum habeat periculum perturbationis conscientiarum ob difficultatem quam contingeret experiri in vincendo naturalem inclinationem, qua solemus maiori dolori sensu tangi de plerisque incommodis temporalibus, quàm de nostris peccatis. Quamquam non ideo negandum est, quin opus sit, vt peccator animi proposito, malit quodcunque aliud malum, etiam mortem, quam peccatum.

*Nu.*76. De attritione quæ constituitur ex defectu quartæ conditionis, id est, ex eo, quòd non sit cum spe, saltem virtuali, veniæ obtinendæ à Deo, dubium non est quin cum Sacramento ad iustificationem peccatorumve remissionem non sufficiat: quia est pœnitentia contaminata peccato diffidentiæ, similis ei quam Iudas habuit, disponens non ad saluationem, sed ad perditionem, *cap. Sceleratior. De pœnit. distinct.* 3. Deinde quia ex Concil. Triden. *sess.* 6. *cap.* 6. præparatio necessaria ad iustificationem peccatoris, constituitur: sicut fides, ita & spes qua peccator erigatur fidens Deum sibi propter Christum propitium fore.

*Nu.*77. De attritione verò quæ ex defectu quintæ conditionis constituitur, & est (prout post Caiet. eam describit Nauar. *in præced. num.* 36.) eorum quos pœnitet mortaliter peccasse, vellentque non peccare, sed non omnino statuunt à peccatis abstinere: dicendum est, neque simul cum Sacramentali absolutione ad gratiam obtinendam sufficere *iuxta cap. Quod quidam De pœnit. & remiss.* atque regulam illam *iuris in* 6. non datur venia, nisi correcto. Vnde vt notatum est à Caiet. *in verba Confessionis iteratio*, peccatum sacrilegij committit, tum pœnitens qui cum ea petit vel accipit absolutionem: tum Confessarius qui illam impertit. Quam sententiam sequens Sotus *loco cit.* rationem addit nominis; quo prædictum propositum non peccandi, velleitas appellatur: nempe quòd ipsum tanquam solummodo conditionatum & infirmum, ac quasi claudicans, propriè exprimatur per verbum vellem. Notandum verò est diligenter in hac re pro praxi, quod idem Sotus monet *in præced. dist.* 17. *qu.* 2. *art.* 5. *sub initium*, contritionem & attritionem ad hoc Sacramentum sufficientem conuenire debere, non solum in hoc, quòd vtraque sit detestatio peccati super omne detestabile; sed etiam quòd sit cum absoluto proposito numquam peccandi in futurum pro re vlla mundi: quoniam alias actus ille detestationis, ne quidem cum Sacramento sufficeret ad gratiam diuinam & peccatorum remissionem obtinendam.

*Nu.*78. Pro quo facit memoratum cap. Quod quidam. De pœnitentiis & remiss. vbi statuitur non esse veram pœnitentiam eorum, qui quamuis confiteri velint de crimmibus à se perpetratis, asserunt tamen se ab eis abstinere non posse. Facit item quod conuersio peccatoris ad Deum, vt ab illo veniam peccatorum misericorditer consequamur, debeat esse ex toto corde *Ioelis* 2. qualis non est, si quis non sit firmus, sed aliquo modo claudicet, in proposito non peccandi de cætero. Accedit quòd neque apud homines iudicetur vera pœnitentia illius, qui de iniuria illata veniam petit absque firmo proposito emendationis. Nec enim vir vxorem adulteram pro verè pœnitente habet, quamdiu videt eam adhuc affici ad adulterum suum, necdum firmiter proponere ab illius consuetudine abstinere. Quare nec apud Deum vera esse iudicabitur pœnitētia peccatoris, qui nondum apud se firmiter proposuit illud deserere: per quod, *vt Scriptura loquitur*, fornicatur à Deo suo;] neque ea talis esse, per quam ille censeri possit Deum ex toto corde quærere ad ipsum inueniendum: seu ad ipsum offensum sibi reconciliandum: quandoquidem ipsemet Deus ait *apud Ierem. cap.* 29. Quæretis me & inuenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro.]

*Nu.*79. De attritione denique quam defectus vltimæ conditionis constituere potest, patet idem sentiendum esse, ac de proximè præcedenti, cùm constet in lege Euangelica de confessione & satisfactione proposita esse præcepta obligantia peccatores sub mortali: itaut non habere propositum confitendi & satisfaciendi suo tempore, sit non habere propositum vitandi omne mortale peccatum, adeoque carere conditione ad habendam Sacramentalem absolutionem necessaria iuxta antedicta.

LIBER

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER SECVNDVS, AC OPERIS TOTIVS SEXTVS, DE SACRAMENTALI CONFESSIONE.

PRÆFATIO.

NOn agitur hîc de confessione fidei, quæ fit coram tyranno: de qua *Matth.* 10. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo:] & *ad Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.] Neque de confessione laudis seu recogitationis diuinarum perfectionum, & gratiarum actione; frequenter significata in Psalmis Dauidis, per verba Confitemini, Confitebor, & Confiteantur; atque *Matth.* 11. cùm Christus ait, Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ,] sed agitur de confessione fraudis, hoc est, de recognitione propriorum peccatorum, non tamen omni: quia non de ea quæ fit Iudici in foro externo: vt illa quam Iosue exegit ab Achan dicens: Confitere, atque indica mihi quid feceris; ne abscondas] *Iosue* 7. Nec item de interiori quæ fit soli Deo; dum nos aut generaliter agnoscimus peccatores; aut nostras conscientias discutientes, diuersorum peccatorum coram eo reos nos esse animaduertimus. Nec denique de exteriori, quæ vt Deo, sic & homini locum Dei tenenti fit quidem, sed generaliter, vt fieri solet in introitu Missæ, vel immediatè ante sacrosanctæ Eucharistiæ sumptionem, per vsitatam illam formulam verborum, Confiteor Deo omnipotenti, &c. Agitur ergo de confessione, quæ fit Sacerdoti locum Dei tenenti, Ecclesiæque claues, seu iurisdictionem sufficientem habenti, accusando se distincte de omnibus peccatis propriis. Hæc enim est quæ Sacramentalis dicitur. Atque cognoscenda pro praxi nobis proposita, complectemur quinque capitibus: quorum primum erit de ipsius natura. Secundum de necessitate seu obligatione ipsam faciendi. Tertium de conditionibus quas ad suam perfectionem requirit. Quartum de iis de quibus facienda est. Quintum de iis per quæ redditur inualida, seu inefficax ad Sacramentum Pœnitentiæ constituendum.

CAPVT

CAPVT I.

De natura Sacramentalis confessionis.

SVMMARIVM.

1 *Definitio confessionis Sacramentalis.*
2 *Confessio in foro externo facta, etiam proprio Sacerdoti, non est Sacramentalis.*
3 *Nec item facta in foro interno, si sit hypothetica, aut excusatio, aut iactantia.*
4 *Aut nuda narratio, aut negatio peccatorum, vel falsa eorum exaggeratio, aut narratio suorum bonorum operum.*
5 *Confessio facta absenti non est sufficiens ad obtinendam Sacramentalem absolutionem.*
6 *Non est confessio Sacramentalis, quæ fit non Sacerdoti aut non habenti iurisdictionem.*
7 *Nec quæ fit ad alium finem, quàm ad obtinendam absolutionem; nec demum generalis consueta fieri per sola verba Confiteor Deo, &c.*

Nu. 1. AD explicationem naturæ confessionis Sacramentalis quatuor definitiones adferuntur à Palud. in 4. distinct. 17. quæst. 2. art. primo. Nobis autem vna hæc sufficit, qua dicitur actus Pœnitentis externus, quo in conscientiæ foro accusat se de suis peccatis coram proprio Sacerdote, vt Sacramentaliter ab eis absoluatur. Cuius definitionis prima pars, *actus Pœnitentis externus*, indicat illum non confiteri, qui immobilis manens, nullum actum externum verbo, vel nutu, vel alio simili signo exercet: neque absoluendum esse: ob defectum scilicet materiæ sensibilis ad Sacramentum necessariæ, iuxta illud quod Sacramentum dicitur, inuisibilis gratiæ visibilis forma. *Cap. Sacrificium, De consecr. dist.* 2.

Nu. 2. Secunda pars, *quo in conscientiæ foro accusat se de suis peccatis*, excludit eas confessiones quæ fiunt in foro externo coram Iudicibus: etiamsi fuerint Ecclesiastici ac proprij Sacerdotes. Præterea corrigit abusum quorumdam, qui vt aliquod proprium peccatum deregant, multa simul aliorum peccata impertinenter narrant: vt viri, vxorum; vxores, virorum; seruii, dominorum; alij, aliorum; quæ omnino tacenda sunt, quando propria (quorum tantum & non alienorum manifestatiua debet esse confessio Sacramentalis) possunt sine illis sufficienter aperiri. Adhuc denotat non quemlibet actum externum Pœnitentis esse confessionem Sacramentalem, sicut nec quilibet est talis, qualem proposita definitionis verba declarant; adeòque nullam sequentium confessionum, habere confessionis Sacramentalis naturam; itaut illis Sacramentalem absolutionem superaddere, sit sacrilegium.

Nu. 3. Prima est hypothetica illa, qua Sacerdote præeunte & interrogante, si hoc vel illud feceris, nonne petis veniam à Deo? Pœnitens respondet. Ita Domine. Etenim talis non est accusatio sui de propriis, neque manifestatio alicuius absolutæ detestationis illorum, per quam sufficienter constare possit adesse materiam absolutionis, ne eam tenere impendendo, sacrilegium committatur. Secunda est, excusatio qua nonnulli culpam suorum peccatorum transferunt

aut in naturam suam, aut (quod est genus blasphemiæ) in Deum quasi causantem peccandi necessitatem, iniungendo nimis ardua; aut in Dæmonem: aut in fortunam, vel fatũ aliamve causam similem. Qui manifestè ex eo arguuntur, quòd certissimũ sit, nullum esse hominis peccatum, excepto originali, quin libera ipsius voluntate perpetretur. Tertia est, iactantia & ostentatio peccatorum suorum, qualis contingere potest quibusdam perditis, qui lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis] *prout habetur Prouerb. cap.* 2. Cùm deberent culpam suam humiliter agnoscere, ac cum Dauide à Nathan prophetа reprehenso 2. *Reg.* 12. dicere, Peccaui Domino.]

Quarta est, nuda narratio peccatorum absque vlla interiori contritione, aut cum prolixa rerum impertinentium commemoratione, & inutili verborum multiplicatione; eò spectante vt peccata quæ aperienda sunt, certa ratione tegantur. Nam talis confessio, non est vera accusatio, sed rhetorica quædam excusatio. Quod si ad perfectam peccati cognitionem, opus sit historiam narrare; bonum quidem est id facere, & fieri debet: sed solùm quæ sunt ad talem finem necessaria, referre oportet. Quinta est, negatio peccatorum: qualis contingit quibusdam ignaris dicentibus: Nihil malè feci, non sum furatus, non fornicatus, &c. Sexta est, enumeratio bonorum operum: qualis fit à dicentibus: Audiui sacrum omnibus diebus festis; ieiunaui Quadragesimam; dedi eleemosynas, & similia, imitatione Pharisæi orantis *Luc.* 18. Septima est nimia exaggeratio & falsa impositio peccatorum, quæ Pœnitens ipse non fecerit: qualis contingit legenti ex aliquo libro formulam confessionis, non habita ratione quorum sit sibi conscius, aut non sit. De quibus omnibus debet Confessarius solicitè Pœnitentem suum instruere, cùm aduerterit ipsum in eis delinquere. *Nu.* 4.

Tertia definitionis pars, contenta illis verbis, *coram Sacerdote proprio*, excludit primò, *per verbum coràm*, confessiones factas absenti per literas aut internuntium: Quas non esse sufficientes ad obtinendam absolutionem Sacramentalem communis sententia est, quam Nauar. *ad cap. Fratres, De pœnit. distin.* 5. *n.* 94. confirmat tum *ex cap. Quem pœnitet. De pœnit. distinct.* 1. *per illa verba*: Præcepit Dominus mũdandis, vt ostenderent ora Sacerdotibus; docens corporali præsentia, confitenda peccata, non per nuntium, non per scripturam manifestanda.] Tum ex eo, quòd absolutionis forma, *quæ habet Absolue te*, præsupponat absoluendum præsentem esse. Tum demum ex eo, quòd Sacramenta omnia personæ propriæ concursum exigant cùm suscipiuntur, excepto matrimonio, quod per procuratorem contrahi potest *ex cap. Finali De procuratoribus in sexto.* Accedit quòd nouissimè à summo Pontifice Clemente VIII. tanquam erronea damnata sit propositio, qua asseritur licere per literas, seu internuntium peccata propria Confessario absenti Sacramentaliter confiteri, & ab eo item absente absolutionem obtinere. *Nu.* 5.

Excludit secundò, *per verbum Sacerdote*: confessiones factas laico, aut alteri non Sacerdoti: quas non esse sacramentales patet ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. *& Can.* 10. vbi definitur solos Sacerdotes esse absolutionis Sacramentalis Ministros. Nam sine absolutione; Sacramentum pœnitentiæ esse nequit: cùm illa sit eius forma essentialis. *Nu.* 6.

Excludit tertiò, *per verbum Proprio*, factas Sacerdoti non habenti iurisdictionem: quas etiam non esse Sacramentales, intelligitur ex eodem Concil. *in seq. cap.* 7. Vbi definitur nullius momenti eam absolutionem esse, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam nõ habet iurisdictionem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.7. Postrema denique pars definitionis, vt *ab illis Sacramentaliter absoluatur*, excludit confessiones quæ fiunt in alium finem (vt ad habendam consolationem vel consilium à Confessario) quàm ad obtinendam absolutionem. Nam tales non sunt Sacramentales: quandoquidem secluſa absolutione nullum datur pœnitentiæ Sacramentum. Excludit item generalem confessionem, *cuius formula Confiteor communiter nominatur, à voce, à qua incipit*, etiamsi fiat proprio Sacerdoti, vt solet à populo ante Eucharistiæ sumptionem. Nam nec talem esse sacramentalem, ex eo cõstat quod iuxta Concil. Trident. *sess.14.cap.5.* Confessio Sacramentalis, ad obtinendam super ea absolutionem de peccatis in foro pœnitentiali, requirat vt Pœnitens, non in genere duntaxat, sed in specie ac sigillatim sua ipse peccata declaret. Per illam autem confessionem peccata declarantur solùm in genere; idcóque absolutio ei addenda non est; sed solùm deprecatio, per illa verba Miſereatur tui, &c. ac illa, Indulgentiam &absolutionem peccatorum tuorum, &c.

CAPVT SECVNDVM.

De necessitate, obligationéve faciendi Sacramentalem Confessionem.

Hic pro vſu nobis proposito, consideranda occurrunt; primò, præceptum, quo talis necessitas seu obligatio imponitur. Secundò, modus quo imponitur. Tertiò, tempus pro quo imponitur. Quartò, personæ quibus imponitur. & Quintò, requisita ad satisfaciendum eidem obligationi.

PRIMA PARS CAPITIS.

De præcepto, quo imposita est obligatio faciendi confessionem Sacramentalem.

SVMMARIVM.

8 *Sacramentalem confessionem à Christo institutam & ad salutem necessariam esse, tenendum est de fide.*
9 *Ratio eius rei.*
10 *Præceptum Ecclesiasticum de confessione annua, non est diuersum à diuino de facienda confessione, sed tantum illius determinatio quoad tempus.*
11 *Cur ab Ecclesia facta sit talis determinatio.*
12 *Non facit Ecclesia contra officium piæ matris, diem grauibus pœnis impositis, compellit ad confessionem annualem.*
13 *Talis compulsio grata esse debet fideli habenti peccatum mortale.*
14 *Quæ sub anathemate à Concil. Trident. de Sacramentali confessione prohibeantur negari.*

Hæretici nostri temporis (contra quos disserunt copiosè Bellarm. *toto libro 3. De Pœnitent. in tom. 2.* controuersiarum, & Gregorius à Valen. *in D. Thomam tom. 4. in disput. 7. quæst. 9. puncto secundo*) negant vllum esse præceptum diuinum confitendi Sacramentaliter: ideoque vſitatam in Ecclesia confessionem Sacramentalem, nihil necessariam esse ad salutem; humanumque tantummodò inuentum esse.

Nu.8. Fides verò Catholica est, ex definitione Concil. Trident. *sess.14. cap.5. & can 6.7. & 8.* Sacramentalem confessionem institutam esse à Christo, & de iure diuino ad salutem consequendam necessariam ei, qui post Baptismum in peccatum mortale lapsus est.] Quam fidem Concilium *in citato cap. 5.* stabilit per illud *Ioan. 20.* Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.] Per quod Dominus noster Iesus Christus (vt Concilij verbis vtar) è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes suiipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quę Christi fideles post baptismũ ceciderint, quò, per potestatem clauium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat autem Sacerdotes huiusmodi iudicium prudenter exercere non posse incognitâ causâ; nec æquitatem in Pœnitentiis iniungendis seruare, si Pœnitentes in genere duntaxat & non potius in specie ac sigillatim sua peccata ipsis declarent. Consequenter igitur constabit fideles, ex Christi institutione teneri confessionem Sacramentalem facere de omnibus peccatis mortalibus, quæ post factam diligentem sui discussionem inuenerint grauare suam cõscientiam, vt eorum remissionem obtinere, & æternam salutem consequi valeant. Istúdque est, quod aduersus hæreticos pluribus adstruunt, tum memorati Authores, tum alij, quos citat Couarr. *ad cap. Alma mater*; *De sentent. excommunic. in sexto par. priore* §. 1. *num.* 6. Nu.9.

Ad nostrum autem institutum sufficit constitutum habere, quòd Christus Dominus ante propositis verbis *ex 20. cap. D. Ioan.* non solùm dederit discipulis, & ipsorum successoribus, potestatem absoluendi fideles à peccatis: sed etiam fidelibus ipsis necessitatem imposuerit eadem peccata illis confitendi, perinde ac si Princeps aliquem pro se gubernatorem mittens in remotam regionem, ei dicat. Quidquid illic statueris de causis ad me referendis, ratum habebo; censeretur eo ipso, hominibus illius prouinciæ necessitatem imponere: vt quidquid litis habuerint ab ipso definiendæ, debeant referre ad talem gubernatorem, cui suas vices & authoritatem delegauit. Ad confirmationem facit argumentum à simili: quod mandatum Apostolis datum de docendis & baptizandis omnibus gentibus *Matth. vlt.* adstringat omnes gentes ad audiendum Dei verbum, & baptismum suscipiendum.

De præcepto Ecclesiastico determinante diuinum, de facienda Sacramentali confessione.

Et si autem præcepto diuino accessit (*datum in cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnient. & remiss. referur, ex Concilio Lateranensi*) Ecclesiasticum præceptum non tanquam ab illo diuersum, sed tanquam eius determinatio quoad tempus. Nu.10.

Namque datur de Sacramentali à Christo instituta confessione omnium peccatorum facienda semel in anno, ab omni vtriusque sexus fideli, qui ad annos discretionis peruenerit.] Quo fit vt illud transgrediens omittendo semel in anno confiteri, vnum tantum peccatum committere censeatur; tãquam vnius solummodo præcepti transgressor. Eadem enim est substantia præcepti modificati, & modificantis; cum modificans præsupponat substantiam rei per modificatum præceptæ, tantúmque addat circunstantiam, modumue aliquem seruandum in illius adimpletione. Quia ergo Christus dans confitendi præceptum non assignauit tempus, sed illud reliquit Ecclesiæ determinandum: hæc (vt habet Concil. Trident. *sub finem cit. cap. 5.*) non statuit, vt Christi fideles confiterentur quod iure diuino necessarium & institutum esse intellexerat: sed vt præceptum confessionis saltem

tem semel in anno, ab omnibus & singulis fidelibus, cùm ad annos discretionis peruenissent, impleretur.

Nu.11. Ratio autem quæ mouit Ecclesiam vt hanc determinationem faceret sub grauissima pœna (vt scilicet transgrediens, viuus ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & mortuus Ecclesiastica careat sepultura) fuit non quidem periculum obliuionis peccatorum, vt aliqui senserunt; sed, vt alij existimarunt (vtrosque commemorat Azor. *in 1. par. Instit. moral. lib. 7. cap. 29. quæst. 8.*) vt tam necessarius & salutaris vsus confessionis conseruaretur & frequentiùs vsurparetur à fidelibus.

Nu.12. Occurrendum est verò hæreticis talem determinationem, vt nimis rigidam sugillantibus, eoquod seruitia coacta Deo non placeant, iuxta illud D. Pauli *in 2. ad Corimth. c. 9.* hilarem doctorem diligit Deus.] Occurrendum est inquam: legem tanquam pedagogum terrere malè volentem, per eamque id præstari, quod significatur per illud *Psalm. 31.* In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui nõ adproximant ad te:] & illud *Luc. 14.* Exi in vias & sepes, & compelle intrare vt impleatur domus mea discũbentium. Et certè rigidus non est, sed imitatione Patris cœlestis misericors, qui prodigo fame pereunti & porcos pascenti author est, vt ad patrem redeat: aut qui vulneribus cõfectum & semiuiuum relictum imponit in iumentum vt perducat ad stabulum vbi curetur: aut qui ouem in deserto errantem imponit in humeros vt in tuto loco constituat. Pari ergo ratione nec Ecclesia censenda est rigida, si fideles suæ curæ commissos cernens per peccatum diuina gratia spoliatos, ab æterna salute abalienatos, & prædæ diaboli expositos compellat, tantorum malorum capescere remedium à Christo misericorditer concessum.

Nu.13. In quo tantum inest momenti ad vitam ex pietate Christiana agendam, vt dubium non sit, quin talis compulsio, militiam Christi profitenti, maximè grata esse debeat: vtpote qui nequit sine Dei gratia certare: sine meritis coronam accipere; sine spiritali robore ad finem vsque certaminis, hostibus obsistere: nec captiuus triumphum victor agere. Quam etiam ob causam misericordię potius quàm rigori tribuendum est, quod Concil. Triden. anathematizat primò, *in supra memorato can. 6.*

Nu.14. Eum qui negauerit confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure diuino; vel qui dixerit modum secretè confitendi in Ecclesia semper obseruatum, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, inuentúmque esse humanum.] Item *in Can. 7.* Eum qui dixerit necessarium non esse diuino iure ad peccatorum remissionem omnia & singula mortalia confiteri, quorum memoria: cum debitâ & diligenti præmeditatione habeatur, etiamsi occulta sint: vt quæ solo voluntatis consensu, absque verbis & operibus committuntur.

Postremò in Can. 8. Eum qui dixerit confessionem omnium peccatorem, qualem Ecclesia seruat esse impossibilem, & traditionem humanam à piis abolendam: aut ad eam non teneri omnes & singulos vtriusque sexus fideles, iuxta magni Concil. Lateranen. uonstitutionem semel in anno: & ob id succendum Christi fidelibus, vt non confiteantur tempore Quadragesimæ. In his enim pia mater distingit gladium Ecclesiasticæ disciplinæ; non vt afflictis afflictionem det, sed vt ab afflictione spirituali, suos liberet: iuxta illud quod excommunicatio *in cap. 1. De senten. excommunicat. in 6.* medicinalis dicitur, disciplinans non eradicans.

PARS SECVNDA CAPITIS.

De modo quo imponitur obligatio faciendi confessionem Sacramentalem.

SVMMARIVM.

15 *Obligatio faciendi confessionem sacramentalem imposita est sub reatu peccati mortalis.*
16 *Modi quibus illius transgressio contingit commissione.*
17 *Satisfit ei obligationi per votum faciendi confessionem, cum non potest reipsa fieri.*
18 *Obligatio faciendi confessionem sacramentalem: nec consuetudine abrogari potest, nec in aliud melius mutari: nec in ea propriè dispensari.*
19 *Determinatio iuris diuini facta in hac re ab Ecclesia, præceptum est obligans sub mortali.*
20 *Quod tamen Papa de plenitudine potestatis abrogare potest, vt & in eo dispensare.*

Obligationem de qua agimus faciendi confessionem Sacramentalem, sub peccati mortalis reatu esse, dubitandum non est: cùm de re graui sit, vtpote ad salutem necessaria ex Christi institutione, iuxta antedicta. Contrahitur autem is reatus, non modò omissione qua per inobedientiam, confessio omittitur eo tempore, pro quo præcipitur, iuxta dicenda in proxima capitis parte; sed etiam commissione, qua per sacrilegium confessio fit repugnanter Christi institutioni. Nu.15.

Putà, vel sine sufficienti examine vel non integrè & clarè, vel sine sufficienti dolore de peccatis perpetratis, prout sunt Dei offensa vel sine firmo emendationis proposito, vel denique non electo Confessario idoneo. Quibus modis scienter facta confessio, non modo animæ salutaris non est, sed etiam perniciosa est, & nouum peccatum; quod an in præcedenti confessione contigerit, primùm omnium inquirẽdum est in examine, tam eo quo pœnitens discutit suam conscientiam, quàm eo quo Confessarius vtitur ad habendam plenam notitiam status sui Pœnitentis, Et causa est, quia præter maculam qua fœdat animam, habet coniunctam inualiditatem confessionis, in qua contigerit: itaut ipsa repeti debeat. De quibus in sequen. cap. vltimo plenius. Nu.16.

Item quia impossibilium non est obligatio, constat quando confessio non potest reipsa fieri, vt quia non datur copia Confessarij, sufficere illius votum, id est, firmum propositum illam faciendi, si daretur facultas. Itaut idem vsueniat in Sacramentali confessione, quod in baptismo, qui ita est necessarias ad remissionem peccatorum ante illum admissorum, vt in re haberi debeat, si fieri possit; sin minus sufficiat haberi in voto, seu proposito quo peccator firmiter velit illum suscipere, si iam daretur, aut si postea detur illius suscipiendi commoditas. Nu.17.

Præterea quoniam proposita obligatio, à Christo est immediatè imposita fidelibus, constat eam non posse vlla humana authoritate (nè quidem Papali) mutari: neque enim potest contraria consuetudine abrogari: vtpote quę stabilita est immutabili Dei voluntate: nec etiam potest commutari in aliud opus Deo gratius, aut ad salutem hominis magis necessarium: quia quod Deus requirit imprimis à peccatore, est ad regnum cœlorum ducens pœnitentia: vt non obscurè ex eo deducitur, quod tum Præcursor Christi *Matth. 3.* tum etiam Christus ipse *Matthei 4.* suam Nu.18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædicationem inchoauerit illis verbis, Pœnitētiam agite appropinquauit enim in vos regnum cœlorū.] Sine Sacramentali autem confeſſione in re vel in voto, non poteſt eſſe pœnitentia quæ exigitur à Chriſtianis in peccatum mortale poſt baptiſmum lapſis vt manifeſtum eſt ex antedictis *n.8.& 9.* Deducitúrque ex eo quod Cōcilium Trident. habet *in citata ſeſſ.14.cap.4.* reconciliationem non eſſe tribuendam contritioni ſine Sacramenti voto, quod in ea includitur. Nec denique minui poteſt diſpenſatione, qua aliquis fidelium eximatur à tali obligatione: quia ad id requiritur authoritas in legem quā imponitur; certum eſt autem nullam talem homini conceſſam eſſe, in Chriſti præceptum de Sacramentali confeſſione. Quanquam tamē Papa poteſt ipſum interpretari, quando dubitatur, an in aliquo caſu ob occurrentem cauſam talis obligatio cenſeri poſsit aliquatenus ceſſare: ſicut fieri poteſt concurrente in contrarium lege naturali; vt ſi ex mea confeſſione mihi mors immineret, cui obuiare debeo, iure naturali præualente iuri poſitiuo, etiam diuino: quale eſt Chriſti, de facienda Sacramentali confeſsione.

Nu.19. Iam de addita determinatione Eccleſiæ ad Chriſti præceptum, dubitandum non eſt, quin & ipſa contineat præceptum, atque adeo obliget ſub reatu peccati. Id enim manifeſtum eſt tum ex Concil. Trid. *ſeſſ.14.Can.8.* vbi anathemati ſubiicitur is qui negauerit omnes & ſingulos Chriſti fideles teneri ad confeſsionem omnium peccatorum faciendam ſemel in anno, iuxta magni Concil. Lateran. conſtitutionem Tum etiam ex graui pœna quæ tranſgreſſori imponitur; nempe vt viuens arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ & moriens careat Eccleſiaſticâ ſepulturâ: nam talis pœnæ grauitas ſufficienter indicat præcepti obligationem ſub mortali.

Nu.20. Poteſt tamen eadem determinatio authoritate Papæ tolli, cùm ſit iuris tantùm Eccleſiaſtici, ſupra quod ille plenam poteſtatem habet. Vnde ſi Papa eam abrogaret, quamuis peccaret id faciens ſine cauſa iuſta; valida tamen eſſet abrogatio, ſicut & diſpenſatio, quam alicui daret vt poſsit vltra annum confeſsionem differre. Princeps enim poteſt quem vult à ſua lege eximere, quantumuis peccet eximens ſine iuſta cauſa; qualis, moraliter loquendo, vix eſſe poteſt reſpectu annuæ confeſsionis. Vnde fit vt vix vnquam talis diſpenſatio vel petatur vel concedatur vtpote quæ abſurda, & à ratione aliena iudicatur: cùm tam communis noſtra neceſsitas, quàm ad eo ſalutaris vſus confeſsionis, ſuadeat non modo ſemel in anno, ſed etiam ſæpius, vt in menſe, ac interdum in hebdomada ſemel confiteri. Eadem, de hac ſiue abrogatione ſiue diſpenſatione docet Suarez *tomo 4. diſput.36.ſect.1.num.6.7.& 8.*

PARS TERTIA CAPITIS.

De tempore pro quo imponitur obligatio faciendi confeſsionem Sacramentalem.

SVMMARIVM.

21 *Non imponitur talis obligatio pro omni tempore, ſed tantùm pro aliquo: de quo inter Doctores quædam ſunt certa, & quædam dubia.*
22 *Imponitur pro articulo mortis.*
23 *Obligatio impoſita medicis monendi ægros de facienda Sacramentali confeſsione.*
24 *Aduertenda circa eandem obligationem pro communi vſu.*
25 *Tenetur confiteri, qui conſcius ſibi peccati mortalis, copiam habet Confeſſarij: non habiturus poſtea, vrgente mortis probabili periculo.*
26 *Aliquot caſus in quibus per accidens contingit obligatio faciendi confeſsionem Sacramentalem.*
27 *In illis obligatio confitendi incumbit etiam illis, qui ſibi videntur contriti.*
28 *Præceptum diuinum de confeſsione, obligat extra mortis articulum; & quando.*
29 *De obligatione faciendi confeſsionem Sacramentalem, ad vincendam aliquam tentationem, quid tenendum ſit.*
30 *Statim poſt lapſum in peccatum mortale confiteri, ſalutare quidem conſilium eſt, non tamen præceptum.*
31 *Nec item præceptum eſt, ſcribere peccata commiſſa, cùm periculum eſt, ne obliuioni tradantur, antequam fiat de illis confeſsio.*
32 *Obligatio faciendi confeſsionem annuam, quomodo ſit iuris diuini, & ad interna delicta extendat ſe, & Papa non poſsit in ea diſpenſare.*
33 *An ea ſit pro aliqua determinata anni parte.*
34 *Obligatio ad annuam confeſsionem imponitur abſolutè; non verò ſolummodo vt præparatio ad ſacroſanctam Euchariſtiam.*
35 *Ex conſuetudine confitendi in Paſchate, non naſcitur obligatio.*
36 *Annus intra quem confeſsio fieri præcipitur, computandus eſt ab vno Paſchate in alterum.*
37 *Qui anno elapſo non eſt confeſſus, manet obligatus ad quamprimum confitendum.*
38 *Salutare quidem conſilium eſt, vt qui intra annum confeſſus eſt denuo intra eundem confiteatur, ſi denuo labatur in peccatum mortale; non eſt tamen in præcepto.*
39 *Solutio obiectionum in contrarium.*
40 *Facta iam confeſsione intra annum, non eſt in præcepto de peccatis in illa oblitis eodem anno confiteri.*
41 *Qui hoc anno confitetur habens ſolùm peccata præcedenti anno commiſſa, non obligatur per Eccleſiaſticum præceptum eodem anno adhuc confiteri.*

CONSTAT præceptum dè facienda Sacramentali confeſsione obligare, non pro omni, ſed pro aliquo tantùm tempore, cùm ſit affirmatiuum, imponens actionē in qua non poſſumus omni tempore, ſeu abſque intermiſsione verſari. Difficultas autem eſt, quodnam ſit illud tempus. Atque non eſſe iure diuino determinatum, communis ſententia eſt, quam Nauarr. *De pœniten. diſtinct.5. ad tertiam partem gloſæ ſummæ num. 28.* confirmat: quia nullum tale ius proferri poteſt erubeſcendúmque eſt, ſine lege dicere aliquid lege definitum eſſe. *cap. Legatur 24. quæſt. 2.* Accedit quod præceptum confeſsionis, non magis adſtringat, quàm præceptum baptiſmi: cuius adimpletioni nullum tempus eſt determinatum ex D.Thom. *3. par. quæſt. 68. art. 3.* Vbi Caiet. in confirmationem adfert quòd ſanctus Martinus, S. Ambroſius, & Conſtantinus magnus longo tempore catechumeni fuerint antequam baptizarentur. Quoniam autem neceſſe eſt aliquod talis obligationis tempus eſſe, ne dicendum ſit ipſum eſſe fruſtra datum à Deo: inquirunt Doctores quodnam illud ſit. Atque inter eos quædam certa ſunt de quibus Nauarr. & Couarruuias: ille *in cod. nu. 28. & duobus ſequentibus,* & hic *ad cap. Alma mater, parte priore §. 1. num. 7.* quædam verò ſunt dubia: de illis prius, de his poſterius dicemus. *Nu.21.*

De

De iis quæ certa ſunt inter Doctores.

SECTIO PRIOR.

Nu.22. PRIMÒ CERTVM EST, præceptum de facienda confeſsione Sacramentali obligare pro eo tēpore in quo adeſt veroſimilis articulus mortis, id eſt, ex Couarr. *loco citato,* in quo frequenter ſolet mors contingere, & probabili ſuſpicione viri prudentis iudicio timetur: aut prout ex Panormit. habet Nauarr. *in Enchir. cap. 2. num. 8.* quo contingente homines cōmuniter moriuntur: vt cùm naufragium probabile, aut prælium ſeu cōflictus imminet; aut laborat quis graui & acuta febri; aut adeſt partus ei fœminæ, quæ nunquam peperit, aut quæ illum experta eſt difficilem: & ſic de aliis ſiue naturalis ſiue violentę mortis; manifeſtis aut probabilibus periculis. Ratio autem huius certitudinis eſt: Tum quòd iſtud præceptum, tunc maximè, ſi vnquam, obligare debeat quando contingit maxima illius neceſſitas ad ſalutem: vt cōtingit in articulo mortis. Tum quòd impleri debeat ante mortē, neque in articulo mortis poſſit in aliud tempus differri.

Nu.23. Hinc facta eſt ab Eccleſia conſtitutio, quæ habetur *in cap. Cum infirmitas De pœnitent. & remiſſ.* renouatáque eſt à Pio Quinto, anno Domini 1566. *in bulla quæ incipit, Super gregem:* vt cùm Medici vocantur ad curandos ægrotos, priuſquàm curationem corporis incipiant, eos moneant de peccatorum confeſſione facienda: neque poſt tertium diem (vt addit idem Pius Quintus) illos viſitent, niſi de illorum confeſſionibus ſibi conſtet, per fidem Confeſſarij datam in ſcriptis.

Nu.24. Sed aduerte primò iuxta Sylu. *in verbo Medicus, qu. 3.* eā conſtitutionē in omni ægritudine ſeruandū eſſe. Iuxta Caiet. verò, *in eod. verbo,* eſſe ſeruandam in ægritudine, ob quam neceſſe ſit decumbere in lecto. Iuxta Angelum autem & Roſellam (quod refert & ſequitur Nauarr. *in Enchir. cap. 25. num. 61. & cum eo Suarez tom. 4. diſput. 35. ſect. 3. num. 4.*) ſeruandam ſolùm eſſe in ægritudine periculoſa; ſiue iam adſit periculum, ſiue nondum adſit quidem, ſed adfuturum medicus ipſe iudicat: quia morbus eſt ſuo genere grauis. Itaque tunc dicta conſtitutio obligat, cùm vel morbus iam grauis eſt; vel medicus à principio prudenter iudicat periculum adeſſe mortale ne grauis fiat. Iſtud enim eſt quod poſtulat talis conſtitutionis finis, qui eſt obſeruatio diuini præcepti de facienda confeſsione.

Aduerte ſecundò, quod ex Caiet. *in verbo, Medicus,* habent Nauarr. & Fumus ille *loco cit.* & hic *in verbo Medicus num. 1.* ſatis eſſe ſi Medicus ægrotum admoneat per Parochum aut eos qui illius curam gerunt, ſiue domeſticos ſiue alios amicos: qui id cōmediùs facient. Nam ea eſt bonorum & honoratorum Medicorum conſuetudo, ſecundùm quam talis conſtitutio eſt recepta & obſeruata, inquit cum Caiet. Nauarrus.

Aduerte tertiò, additum Pij Quinti: *ne poſt tertiū diem medicus adeat ægrotos, qui non fuerint confeſſi:* ne nimis rigidum & contra charitatem eſſe videatur, intelligi debere ſecundùm eoſdem authores; vt procedat quando opera ipſius Medici non fuerit illis neceſſaria; ſiue quia morbus nondum eſt adeò grauis: ſiue quia poterunt ſibi aliunde prouidere. Alioqui enim vrgente neceſſitate, ſeu imminente alioqui probabili mortis periculo; etiam Turcæ & Iudæo ſubueniendum eſſet ex charitate: quia tenemur non tantùm bonis ſed etiam malis benefacere quando neceſsitas exigit. Quod verò idem Pontifex addidit de fide Confeſſarij habenda in ſcriptis Suarez *in ſequen. num. 5.* ait non eſſe receptum (*vt fortè nimium oneroſum, & parum neceſſarium*) communi conſuetudine, ſecundùm quam obligatio dictæ conſtitutionis, & iuramentum de ea obſeruanda factum, interpretandum eſſe, idem quoque monet.

SECVNDO CERTVM EST, eo tempore quo quis habet copiam Confeſſarij, illam poſtea vrgente mortis probabili periculo non habiturus, teneri iure diuino ad confeſsionem mortalium quibus conſcientiam ſuam grauari nouit. Hoc Couarr. *loco cit. concluſ. 5.* (monens omnes in eo conuenire) probat poſt Canum *in relect. De pœniten. part. 5.* quia impedimentum præuiſum, non cogit quidem præuenire impletionem præceptorum, quæ dantur certo tempore implenda: vt præceptum de ieiunio implēdum in Quadrageſima: cogit tamen præuenire impletionem eorum, quæ ſine determinatione temporis dantur implenda, ſaltem ſemel in vita; qualia ſunt quæ dantur de mediis ad ſalutem neceſſariis: vt de baptiſmo, de conuerſione ad Deum per pœnitentiam, & ſimilibus: de quorum numero cenſetur eſſe præceptum, quo iniuncta eſt à Chriſto Sacramentalis confeſſio. *Nu.25.*

TERTIO CERTVM EST, multa eſſe tempora in quibus præceptum de confeſſione obligat per accidens: quia nimirum aliquod aliud præceptum vrget illius impletionem, vt contingit in his caſibus.

Primus eſt, cùm quis in conſcientia iudicat ſe teneri certo tempore confiteri reipſa; hoc enim nequit tunc omittere ſine peccato: dicente Apoſtolo *ad Rom. 14.* Omne quod non eſt ex fide (id eſt, quod contra propriam conſcientiam fit) peccatum eſt:] ibi enim fides pro propria perſuaſione accipitur, vt patet conſideranti antecedentia in textu: & aduertenti quòd multa ſint opera infidelium quæ non ſunt peccata, vt largitio eleemoſynæ & ſimilia. *Nu.26.*

Secundus caſus eſt, cùm quis ex voto aut iuramento, quo ſe adſtrinxit: vel ex pœnitentia à Confeſſario legitimè impoſita, tenetur aliquo tempore reipſa confiteri. Ad id enim tunc ſeruandum, compellitur ratione præceptorum de implendo voto aut iuramento, aut de peragenda iuſta pœnitentia acceptata. Quod ſimiliter dicendum eſt, cùm quis ex ſtatu, cui ſe addixerit, confiteri tenetur aliquo præcepto obligante ſub peccato.

Tertius caſus eſt, cùm quis eſt ſumpturus Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum: pro quo plures authores refert Couar. *in præced. concluſ. 4.* ſed loco omnium eſſe poteſt authoritas Concilij Triden. *ſeſſ. 13. cap. 7. & Can. 11.*

Circa quem caſum aduertendum eſt: ſpeciale eſſe Euchariſtiæ Sacramento vt ad illius ſumptionem, præter contritionem requiratur præuia confeſſio Sacramentalis peccatorum mortalium, quorum ſibi conſcius fuerit is qui illud ſumpturus eſt. Namque (vt Nauar. *ad ſupramemoratam tertiam partem Gloſæ nu. 41.* & alijquos refert & ſequitur Suarez *in citata, diſp. 35. ſect. 3. num. 13.* notant) nullum datur præceptum, quo ſub peccato mortali fideles teneantur confeſſionem Sacramentalem (etiamſi teneantur cōtritionem quæ tollat obicem gratiæ per ſacramentum conferendæ) præmittere ſuſceptioni aliorum Sacramentorum: niſi ipſa Euchariſtia ſimul ſumenda ſit, ſicut in receptione cuiuſque ordinis ſacri ſolet, iuxta receptum, vt habet Nauar. *in Enchir. cap. 2. num. 7.* Eccleſiæ conſuetudinem.

POSTREMÒ CERTVM EST, ex Eccleſiæ determinatione, vnumquemque fidelem cùm ad annos

Universidad de Deusto
Biblioteca

discretionis venerit, teneri proprio Sacerdoti semel in anno confiteri: *quod iam attigimus.* *Nu.27.*

Cæterùm incidens in omnia hæc tempora obligatio confitendi, procedit quantumcumque sibi quis contritus videatur; nam & tunc ipsa est ex Christi institutione, quâ voluit peccata mortalia post baptismũ commissa Sacerdotum sententiæ subiici. Quocirca in eo qui sibi conscius est peccati mortalis, quidquid sibi videatur contritus, obligatio confitendi, non magis cessat aliis temporibus in quibus eam contingere dictum est, quàm tempore sumendæ Eucharistiæ: de quo expressum est idipsum, in Concil. Triden. *sess.13. cap.7. & Can.11.* Vbi & excommunicantur aliter docere, prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam disputando defendere præsumentes. Adde neque eamdem obligationem aliis temporibus, ex eo cessare, quòd iam fuerit confessio facta semel in anno. Nam determinatio Ecclesiæ relinquit præceptum diuinum in suo vigore; neque statuit, ne plus quàm semel in anno fiat confessio, sed ne minus quàm semel.

Dubia de tempore pro quo imposita est obligatio faciendi confessionem Sacramentalem.

SECTIO POSTERIOR.

Nu.28. PRIMVM DVBIVM est, An præceptum diuinum confessionis, per se vique sua obliget extra mortis articulum. De quo diuersas sententias refert Suarez *in ead. sect.3. num.*6.7.& 8. approbans eam quę statuit præceptum illud tale esse, vt obligare debeat extra mortis articulum; quia pœnitentiæ Sacramentum (cuius institutione illud datum esse ante num.9. habitum est) non est institutum peculiariter in eum finem, vt homo iamiam transiturus ex hac vita, vltimò disponatur: is enim potius est extremæ vnctionis finis: sed vt curentur eius spirituales morbi, & præcidantur occasiones incurrendi in similes. Quare credibile non est tale præceptum vi sua non obligare extra mortis articulum.

Si quæras quodnam sit tempus illud pro quo obligat extra mortis articulum: Respondetur esse illud quod Ecclesia pro potestate sibi à Christo relicta, determinauerit. Nam sicut ei Christus potestatem dedit iudicandi de Christianorum peccatis, ita & definiendi tempus in quo tale iudicium fieri debeat: nec vllus alius modus excogitari potest, designandi tempus, in quo extra mortis articulum obligatio contingat subeundi idipsum iudicium. Ea autem designatio habetur *in cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnitẽ. & remiss.* cùm præcipitur vt omnes vtriusque sexus fideles, cùm ad annos discretionis peruenerint, proprio Sacerdoti omnia peccata sua confiteantur, saltem semel in anno.

Nu.29. SECVNDVM DVBIVM EST, An obligatio confitendi tunc contingat cùm confessio censetur esse medium moraliter necessarium ad superandam aliquam tentationem seu occasionem peccandi. Istud etiam tractat Suarez in sequenti numero 10. & 11.

De eo autem tria videntur tenenda. Primum est negari non posse, quin frequenter confiteri, sit optimum & vtilissimum remedium aduersus tentationes; quoniam per confessionem rite obitam, anima pondere peccatorum exonerata, & diuinæ gratiæ habitu tecta & roborata, valentior redditur ad spirituales pugnam.

Secundum est, Propositam necessitatem moraliter loquendo, non nisi rarò posse contingere: quia cogitari non potest casus, in quo nequeat tentatio superari, aut nouum peccatum mortale vitari, aliter quàm per confessionem Sacramentalem. Nam ad vincendam quancumque tentationem, & periculum peccandi mortaliter superandum, potest sufficere diuinum auxilium excitãs nos & adiuuans. Quod non dari efficax nisi præcedente Sacramentali confessione, nulla ratio persuadet; præsertim cùm ipsa confessio, vt debite fiat, requirat potius superationem tentationis, quàm contra; quandoquidem coniunctum habere debet firmum propositum non peccandi mortaliter de cætero; data quacumque occasione, quod est tentationem superasse.

Tertium est: dato casu, in quo reuera hic, & nunc, in hac persona, & cum his circunstantiis confessio existimatur esse medium necessarium ad vincendam tentationem, & periculum peccandi mortaliter; tunc obligationem esse confitendi, non quidem ortam ex præcepto confessionis; sed ex præcepto quo homo tenetur vitare peccatum illud, de quo tentatur cum lapsus periculo. Tale enim præceptum obligat, vt ad vitationem peccati, sic & ad media quæ sunt ad illam necessaria: sicque confessionem omittendo in eo casu, mortaliter peccatur; non quidem transgressione præcepti diuini de confessione; sed alterius per quod prohibetur peccatum illud, cuius probabili periculo quis exponit se, per eam omissionem.

TERTIVM DVBIVM EST, An is qui succumbens tentationi, lapsus est in peccatum mortale, obligetur confiteri quamprimùm. *Nu.30.* Circa quod aduerte, de se manifestum esse, quòd saluberrimũ consilium sit, vt statim ac quis lapsus est in peccatum mortale, de eo confiteatur ob innumera damna quæ ipsum secum adfert. Item sententiam esse receptam communi consensu *teste Nauar. in Enchir. cap.2. nu.6.* quòd non teneatur peccator, simulac peccauit, de peccato commisso illico confiteri, etiamsi habeat copiam Confessarij. Clementissimus enim Dominus nobis in peccatum post baptismum lapsis, præceptũ quidem imposuit confitendi, quod sub pœna noui peccati esset aliquando implendum: illud tamen, *Aliquando*, non restrixit ad primum occurrens, sed extendit ad omne *quando*, *vt sic dicam*, huius vitæ: prout Ecclesiæ vsus ostendit; tum in eo quod præfixum sit spatium vnius anni ad implendam obligationem confitendi à Christo impositam: tum in eo, quòd Confessarij etiam docti & pij, auditis variis peccatis toto anno commissis, non soleant pœnitentes admonere de aliis nouis, quæ commiserunt per confessionis dilationem vsque ad illud tempus; neque de talibus pœnitentes ipsi se accusare, aut scrupulo angi soleant.

Itaque tota difficultas versatur in casu, quo quis probabiliter timet, si diutius confessionem differat, se peccata commissa obliuioni traditurum. *Nu.31.* Nam medina & alij quorum meminit Suarez *tomo 4. disp.36. sect.5. num.5.* existimant tunc obligationem esse statim confitendi, vel scribendi peccata ad succurrendum memoriæ: quia homo diuino iure tenetur integrè confiteri: & ex consequenti idipsum tunc facere cùm potest, nec postea poterit propter obliuionem. Nauar. verò *in Enchir. cap.21. nu.35.* & alij quorum Suarez consequenter meminit, *num.sexto sequenti*, sentiunt, quòd licet id sit salutare consilium, non sit tamen obligatorium: quia ius Ecclesiasticum non adstringit ad sæpius quàm ad semel in anno confitendum: quamuis regulariter atque moraliter loquendo, vix sit aliquis, qui confitendo tantùm semel in anno possit recordari omnium peccatorum, quę tam cogitatione, quàm verbo, aut opere commiserit. Neque iure diuino adstringimur ad memoriter retinenda

nenda omnia peccata quæ commisimus: sed ad talem morã sem diligentiam, quando tempus obligationis occurrit, faciendam; vt omnia quantùm fieri potest reuocemus in memoriam & integrè confiteamur. Istud enim est, quod ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ colligi dicitur in Concil. Triden. *sess.14. cap.5.* oportere scilicet, à Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem, conscientiam habent; in confessione recenseri. Adde, quòd vt Syluest. argumentatur, *Confessio primo quæst.2. in fine*, obliuiisci peccati mortalis non sit peccatum mortale; ideoque eum de quo agimus, non exponere se periculo peccati mortalis: sic vt teneatur laborare ne obliuiscatur, ea scribendo: alioqui enim (inquit idem Syluester) teneretur semper deferre secum instrumenta scribendi, quod stultum iudicaretur.

Nu.32. QVARTVM DVBIVM EST, An obligatio confitendi semel in anno, sit aliqua ratione iuris diuini. Ad hoc pluribus aliis citatis respondent Azor & Suarez: ille *in prima part. Institut. lib.7. cap.29. quæst.8.* & hic *tom.4. disput.36. sect.1. num.5.* obligationem ad confessionem annuam; vt annua est, siue vt facienda est quotannis, esse iuris canonici: vt verò est faciendi quotannis confessionem qualem Christus instituit, esse iuris diuini. Id quod patet per illud quod sub initium huius capitis habitum est, in hac re Ecclesiam præcepto Christi tantùm addidisse determinationem, quoad circunstantiam temporis; non autem diuersum præceptum dedisse. Ex qua responsione colligere licet, quòd etiamsi Ecclesia iurisdictionem non habeat per se statuendi aliquid de actibus & delictis quæ suâ naturâ notitiam humanam fugiunt: nihilominus tamen eum qui peccata interna solummodo habeat, obligari ad annuam confessionem: quia id quod Ecclesia hanc iniungens intendit, est frequentem facere vsum externum confessionis, quam ad reparationem lapsi post baptismum Christus Dominus fieri iussit. Vnde ea non egreditur suæ iurisdictionis terminos, vt quæ statuat de internis actibus. Et ita nec illi qui tantùm habent peccata interna, ab ipsa annua confessione excusantur: quandoquidem quoad substantiam est illamet, quam Christus Dominus præcepit faciendam de omnibus peccatis, quantumuis interna illa sint vt Concil. Trident. expressit *in sess.14. cap.5. & Can.7.* Licet quoque ex eadem responsione colligere, dispensationem Summi Pontificis in præcepto annuæ confessionis non excusare ab obligatione confitendi in periculo mortis, vel non habendi postea copiam Confessarij occurrente eodem periculo; vel dum sumenda est Eucharistia, quia talis obligatio iuris diuini est, non admittentis mutationem cùm sit à Deo immutabili conditum.

Nu.33. QVINTVM DVBIVM EST, An ex vi præcepti de annua confessione, obligentur fideles, aliquâ certâ determinatâque anni parte confiteri. Istud in vtramque partem citatis authoribus tractant fusiùs Azor, & Suarez: ille *in præced. cap.28. quæst.7.* & hic *in seq. sect.3.* partémque negantem sequuntur. Nec immeritò: quia verba præcepti *in cap. Omnis vtriusque sexus. De pœniten. & remiss. Semel in anno*, non determinant obligationem ad certam anni partem; sed quauis anni parte impleri posse, indicant: sicut cùm præcipitur alicui ieiunare semel in hebdomada; liberum ei relinquitur, qua voluerit hebdomadæ die ieiunare. Deinde cùm in eodem cap. tradatur præceptum quoque de annua Eucharistiæ sumptione, simul determinata certa anni parte, per illa verba: *Suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*: talis differentia satis ostendit obligationem præcepti de confessione, non esse ab Ecclesia determinatam ad certam anni partem: sicut est obligatio de Eucharistiæ sumptione.

Nec verò dici potest, non duo præcepta, sed tantummodo vnum esse, quo iniungitur sacrosanctæ Eucharistiæ sumptio in Paschate, & ob illam Sacramentalis confessio, tanquam necessaria præparatio. *Nu.34.* Nam sententia communis est in contrarium: pro qua plures authores & rationes iidem adferũt, Azor *in sequen. quæst.9.* & Suarez *in prius cit. sect.1. numero 4.*

Satis autem nobis est vsus Ecclesiæ, quo ab iis qui ex rationabili causa excusantur ab Eucharistiæ sumptione, exigitur nihilominus vt semel in anno confiteantur. Sic enim pueri qui nondum admittuntur ad Eucharistiam, tanquam illius nondum capaces, censentur obligati ad confessionem annuam: eo quod ad annos discretionis iam peruenerint.

Si opponas consuetudinem quoque esse Ecclesiæ, in Cone. Trident. *sess.14. cap.5.* valde commendatam vt præceptum cõfessionis impleatur in Quadragesima: vnde sequitur pari modo ipsum tunc esse implendum. Ei oppositioni Medinam secutus Azor respondet probabile esse anni partem, quam ius indeterminatum reliquit faciendæ confessionis annuæ, determinatum esse consuetudine interpretante ius ipsum, ac declarante annuam confessionem peccatorum, quam idem ius iubet faciendam esse in Quadragesima, seu Paschatis tempore.

Suarez verò concedens consuetudinem, negat eã *Nu.35.* esse obligatoriam; quia recepta non est inter fideles tanquam determinans obligationem annuæ confessionis ad tempus Paschale: sed tanquam designãs tempus cæteris anni partibus ad satisfaciendũ obligationi confitendi commodiùs; propter aliud Ecclesiasticum præceptum de sumenda quotannis in Paschate sacrosancta Eucharistia: cuius impletio exigit præparationem per Sacramentalem confessionem ex Conc. Trident. *sess.13. cap.7.* Itaque ex ea consuetudine non nascitur obligatio: sicut nec ex ea, qua illi qui nullius peccati mortalis sibi sunt conscij, nolunt ad Eucharistiæ sacramentum accedere in Paschate iuxtà Ecclesiæ præceptum: nisi præmissa confessione de venialibus, quę memoriæ occurrunt: nam ea non obstante dubium est, an tales ad cõfessionem obligentur: cui dubio non esset locus, si ea consuetudo obligationem induceret. Si quis vrgeat, non omnes qui consueuerunt in Paschate confiteri, ad Eucharistiæ sumptionem obligari, *vt patet de pueris*: vnde sequitur eorum saltem respectu cõsuetudinem confitendi in Paschate, non esse ob conditionem iam dictam. Respondendum est, de vi consuetudinis non esse iudicãdum ex iis quæ faciunt pueri; quibus proprium est non admodum discernere quid ex qua obligatione fiat; sed sequi ea quæ vident cæteros facere. Si quis præterea vrgeat dari Episcopalia statuta quibus obligatio confitendi semel in anno, determinatur ad tempus Paschale. Respondendum est, Episcoporum intentionem non esse determinationi Ecclesiæ aliam adiungere; sed solùm procurare, vt ea obseruetur: vrgendo illud tempus determinatè, in quo debet quoque ex vi præcepti Ecclesiæ vniuersalis, vrgere Eucharistiæ sumptionem: cui ipsam confessionem præmittere oportet. Cur autem Ecclesia cùm certam anni partem determinauerit ad sumptionem sacrosanctæ Eucharistiæ, indeterminatum reliquerit ad confessionem Sacramentalem. Suarez *in cit. sect.3. numero* 3. causam adfert: quòd proiis qui post baptismum lapsi sunt in peccatum mortale, hæc sit instituta, tanquam remedium, quod non expedit de die in diem differre.

SEXTVM DVBIVM EST, Quomodo computan- *Nu.36.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dus sit annus, in quo est obligatio semel confitendi. Respondendum videtur; quòd cùm varij assignentur modi (quos Suarez refert & expendit *in sequen. num. 5. 6. 7. & 8.*) faciendæ talis computationis, illum cum eodem & cum Aùorio *in citato cap. 28. quæst. 6.* pro praxi probandum esse: quo talis annus computatur ab vno Paschate ad alterum Pascha, proximè sequens; comprehendendo omnes illos dies in quibus potest præceptum sumendi Eucharistiam impleri: nempe à Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis inclusiuè. Ratio est quia huic modo computandi fauet communis sensus fidelium existimantium obligationem, quâ habent confitendi semel in anno, cæptam ab vltimo Paschate, in proximo finiri: & Ecclesiæ Prælati in ipso Paschate, non antè, compellunt præceptum confitendi implere. Neque refert quòd talis modus non constet ex verbis præcepti Ecclesiastici; quia consuetudo Ecclesiæ est optima legis Ecclesiasticæ interpres. Nec à ratione alienum est vt in hac re, ad animæ tantùm negotium spectante, annus non vulgaritet, sed more Ecclesiastico intelligatur, computetúrque. Nec item refert quòd cùm tempus Paschatis mobile sit, fiat vt inter vnam & aliam confessionem, interdum intercedant tredecim menses, interdum vndecim; solummodo: quia quamuis id sit contra consuetudinem anni vulgaris, non est tamen contra rationem anni Ecclesiastici: seu quem Ecclesiastica consuetudo induxit, & seruat legitimè.

Nu. 37. Septimvm dvbivm est, Ad quid obligetur is, qui anno elapso non est confessus. Respondetur teneri quamprimùm confiteri; itaut eo magis ac magis peccet, quo magis ac magis confessionem voluntariè differt. Ita contra D. Antoñ. & Sylu. cum Maiore, Soto, Medina, Nauar. & à Victoria tam hos quàm illos citans tenet Suarez *in eadem disput. 36. sect. 4.* Et probatur: quia cum Ecclesiæ præcipientis annuam confessionem intentio sit, efficere vt confessio ipsa non differatur nimium: eadem quoque ex se est, sic obligare ad non differendum, vt intra annum ea fieri debeat: fique non fiat, semper continuéque maneat obligatio eam non vltra differendi: perinde ac contingit in obligatione soluendi censum annuum: vt scilicet ea non tollatur ex eo, quòd solutũ non sit elapso anno, sed potius creseere videatur. Quod verò in contrarium obiicitur præceptũ affirmatiuum determinatè obligans pro aliquo tempore; non obligare illius transgressorem transacto eodem tempore: vt patet ex præcepto audiendi Missam die festo, vel ieiunandi in Quadragesima. Neque enim qui die Dominica Missam non audierit, tenetur illam audire feriâ secunda: neque is qui omisit ieiunare Quadragesimam, tenetur quadraginta diebus sequentibus ieiunare, vt obligationi impositæ ab Ecclesia satisfaciat. Hoc inquâ reiicitur, quia procedit tantùm quando temporis designatio, per præceptum affirmatiuum facta, est ad obligationem omnino determinandam pro illo ipso tempore, vt in duobus casibus propositis, & quibusdam aliis: non autem cùm sit ad suspendendam, seu differendam obligationem vsque ad illud tempus designatum; vt in casu annuæ confessionis, & in quibusdam aliis: quos discernendi à præcedentibus non videtur, alia ratio assignari posse, quàm vt considerentur materia & forma præcepti, ac intentio præcipientis, vtrum ostendant potius vnum quàm alterum præcepti modum.

Nu. 38. Octavvm dvbivm est, An qui iam semel in anno confessus est, si denuo intra illum labatur in peccatum mortale, teneatur ante eumdem elapsum denuo confiteri; An verò sufficiat propositum habere illud confitendi primo tempore in quo incumbet obligatio confitendi. Quod aduerte non proponi de eo quod in praxi seruandum est, tanquam animæ salutare: nemo enim est qui neget saluberrimum esse non differre diutiùs confessionem post peccatum mortale perpetratum. Neque proponi de eo quod facere incumbit ex vi iuris diuini, si articulus mortis occurrat, vel sit sumenda sacrosancta Eucharistia, vel conscientia dictet obligationem esse sub mortali. Certum est enim, peccatum mortale esse tunc non confiteri. Sed proponi de eo, quod incumbit ex vi iuris Ecclesiastici. Respondeti autem potest, *sicut respondet à Victoria De Sacram. numero 137.* non teneri. Ratio est, quia quod *in cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnit. & remission.* statuitur, omnes fideles debere semel in anno confiteri omnia sua peccata, non est necesse intelligi de confessione omnium peccatorum quæ vsque ad anni finem committuntur: sed peccatorum quorum memoriam potest homo habere dum confitetur, siue eo anno, siue alias commissorum, necdum confessorum. Nam id præceptum *vt antè notauimus*, solùm est determinatio præcepti diuini iniungentis confessionem integram de peccatis, quæ memoriæ occurrunt factâ diligenti conscientiæ examinatione.

Nu. 39. Sed obiicit Suarez *in prius citata sect. 3. num. 9.* fideles conscios sibi peccati mortalis, quamuis iam semel in anno confessi sint, si in Paschate nec confiteantur nec communicent, existimare se duo peccata mortalia committere. Item eum, qui iam semel in anno confessus est, sed tantummodo de venialibus, cùm nullius peccati mortalis sibi conscius esset; si eodem anno labatur in peccatum mortale, teneri ex vi præcepti Ecclesiastici intra illum denuo confiteri. Ergo maiori ratione tenebitur si de mortalibus confessionem iam fecerit. Ad quorum prius respondeti potest, existimationem eam esse ex ignorantia & conscientia erronea: vt & illam qua plerique putant se ex eiusdem præcepti vi, teneri in Paschate confiteri, quantumcumque nullius peccati mortalis sint sibi conscij. Ad posterius verò confessionem de venialibus nõ esse eam quæ præcipitur *in cap. Omnis vtriusque sexus*, sed de mortalibus iuxta dicenda in sequenti parte huius capitis. Vnde qui illam fecit, nondum dicitur semel in anno confessus secundùm eiusdem Cap. præscriptum. Non est tamen negandum quin si is qui post iam factam semel in anno ab Ecclesia præscriptam confessionem lapsus est in peccatum mortale, videat se casum reseruatum habere à quo absolui non poterit in proxima confessione facienda ex obligatione; quia nõ habebit copiam Confessarij habentis sufficientem iurisdictionem. Quin inquam, teneatur vti commoditate quæ tunc ipsi offertur confitendi apud aliquem præditum iurisdictione sufficienti ad ipsum absoluendum.

Nu. 40. Nonvm dvbivm est, An si quis in confessione facta hoc anno, aliqua peccata mortalia omiserit per obliuionem excusabilẽ, vel ob aliquam causam rationabilem, teneatur vi præcepti Ecclesiastici statim confiteri eadem peccata; An verò possit differre illorum confessionem vsque ad tempus obligationis sequentis anni. Ad quod à Victoria & Nauar. ille *loco cit.* & hic *in Enchir. cap. 2. nu 9.* respondent non teneri. Ratio est, quia cùm præceptum ipsum Ecclesiasticum, peccatorem obliget tantùm ad peccata omnia quibus conscientia ipsius grauatur, semel in anno confitenda, quantum memoriæ occurrunt facta diligenti conscientiæ discussione: seu quantum fieri potest, & necesse est, ad integritatem Sacramenti iure diuino præscriptam: atque sufficienter, vt manifestum est, tale quid præstiterit ille; qui eo quo propositum

situm est modo, confessionem fecerit; nihil sanè est cur negetur sufficienter quoque satisfecisse Ecclesiastico præcepto: tanquam debeat iterum, eodem anno sub pœna peccati mortalis confiteri; nec confessionem differre possit in tempus, in quo primum occurret illius faciendæ obligatio.

Nu. 41. Vltimvm dvbivm est, An is qui in casibus duorum præcedentium dubiorum confitetur hoc anno de peccatis commissis tantùm anno præcedenti, ita satisfaciat obligationi confitendi, vt non teneatur ex vi Ecclesiastici præcepti, hoc ipso anno adhuc confiteri. Ad quod congruenter antedictis respondendum est affirmatiuè. Diximus enim per confessionem factam præcedenti anno, sufficienter satisfactum esse obligationi confitendi illo anno; neque negari potest per eam de qua dubium istud proponitur, sufficienter satisfieri obligationi huius anni; dato quod ipsa facta sit integrè & seruatis omnibus aliis ad Sacramentalem confessionem requisitis iure diuino: cui vt sæpe diximus ius Ecclesiasticum nihil addit nisi determinationem ad tempus.

PARS QVARTA CAPITIS.

De personis quibus imponitur obligatio faciendi confessionem Sacramentalem.

SVMMARIVM.

42 *Infideles ad confessionem Sacramẽtalem neque diuino, neque humano iure obligantur.*
43 *Fidelis qui post factum diligens conscientiæ examen, nullius culpæ mortalis sibi conscius est, non obligatur præcepto confessionis.*
44 *Nec item obligantur habentes solummodo venialia.*
45 *Exceptis duobus casibus.*
46 *Causæ ob quas confiteri debeant habentes solummodo venialia, etiamsi non teneantur sub præcepto.*
47 *Quomodo ab Ecclesia imponi possit confessio peccatorum venialium.*
48 *Obligatio confitendi imponitur lapsis in peccatum mortale.*
49 *Quomodo Papa ei obligationi subiiciatur.*
50 *Quomodo pueri.*
51 *Quæ inopia item Confessarij excuset ab obligatione confitendi.*

Quod hîc explicandum occurrit est, quinam illi sint, quos præceptum confitendi obligat. Id quod declaratur ali quot propositionibus.

Nu. 42. Prima est, Infidelem neque diuino neque Ecclesiastico præcepto obligari ad Sacramentalem confessionem. Ad huius probationem, Dominicus Sotus & Ioannes Medina: ille *in 4. distinct. 18. quæst. 1. art. 3. concl. 1.* & hic *in Cod. de confess. quæst. 5. sub finem*, bona argumenta adferunt: sed sufficit nobis authoritas Conc. Trident. *sess. 14. cap. 2.* dicentis Ecclesiam in neminem iudicium exercere, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus] *& in cap. 5.* Christum è terris ascensurum ad cœlos Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquisse, tanquam Præsides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferrentur in quę Christi fideles ceciderint.] Et verò obligatio confitendi imposita iure diuino, non est alia, quàm quæ sequitur ex potestate relicta à Christo in Ecclesia ad exercendum pœnitentiale iudicium; seu ad ministrandum Pœnitentiæ Sacramentum: prout antea *initio huius capitis*, iã docuimus ex illo *cap. quinto*, Quæ potestas cùm tradita sit tantùm in domesticos fidei, quos ipse Dominus lauacro baptismi, corporis sui membra semel effecit, vt *in eu. cap. 2.* habet idem Concilium: relinquitur diuino iure ad confessionem Sacramentalem non obligari infideles. Multo verò minùs iure Ecclesiastico, cùm, vt *in cap. Gaudemus de diuortiis* habetur, constitutionibus canonicis illi non arctentur.

Secunda propositio, Eum qui culpæ post baptismum commissæ conscius sibi non est: nullius recordari valens facto diligenti conscientiæ examine, non obligari præcepto confitendi. Ratio est, quia tale præceptum, siue diuinum siue Ecclesiasticum, datur pro lapsis in peccatum: vt de diuino constat per illud *Ioan. 20.* Quorum remiseritis peccata remittuntur eis:] per quod datum esse idipsum præceptum, declarat Conc. Triden. *sess. 14. cap. 5.* De Ecclesiastico verò constat ex illis verbis *cap. Omnis vtriusque sexus. De Pœniten. & remiss.* Omnia peccata sua saltem semel in anno confiteatur.] Si opponas illud *1. Ioan. 1.* Si dixerimus quia peccatum non habemus nosipsos seducimus] Respondet Sotus *in sequenti conclusione 2.* per illud, nos tantùm moneri, ne affirmemus nos esse sine peccato: quia multa nos latere possunt: non autem, vt si nullius culpæ nostræ memores esse possumus, nos in conscientiæ iudicio constituamus reos alicuius peccati certi, de quo tanquam à nobis commisso, confiteri obligemur. *Nu. 43.*

Tertia propositio est, Habentem solùm peccata venialia non obligari præcepto confitendi. De hac quoad præceptum diuinum dubitari non potest propter aperta verba Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5.* dicentis Christum Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquisse, tanquam Præsides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferrentur, in quæ Christi fideles ceciderint. Inde enim patet confessionem quam Christus præcepit solummodo esse peccatorum mortalium; itaut venialia citra culpam possint in ea taceri, prout expressum etiam est *in eod. cap. 5.* Quoad præceptum verò Ecclesiasticum controuersia quidem est: de qua in vtramque partem authores referunt Azor & Suarez: ille *in 1. par. Moral. Instit. li. 7. cap. 28. quæst. 3.* & hic *tom. 4. disput. 36 sect. 2. num. 6.* Pars autem negans, pro qua est communis sententia, à nobis tenenda tanquam nostræ propositioni conformior, probatur: quia cùm in memorato *cap. Omnis vtriusque sexus* præcipiatur, vt omnes fideles omnia sua peccata semel in anno confiteantur: si illis verbis comprehenderentur venialia, fideles tenerentur illa omnia confiteri, quod absurdum est: vtpote impossibile. Quare is qui non habet peccatum mortale, non comprehenditur sub illo præcepto. Accedit quòd illud sit tantùm determinatio præcepti diuini, nec quidquam præcipiat, quin diuino præcepto mandatum sit, præter temporis determinationem ex Conc. Trident. *sub finem citati cap. 5.* At, vt dictum est, ex diuino præcepto solus ille tenetur confiteri, qui sibi conscius est peccati mortalis. Ergo & ex præcepto Ecclesiastico. *Nu. 44.*

Patitur tamen hæc propositio exceptionem in duobus casibus ex Nauarr. in Enchir. cap. 21. num. 34. quos referemus in sequenti num. 93. *Nu. 45.*

Quarta propositio, Etiamsi habens solùm venialia non teneatur ex vi præcepti confiteri, debere tamen: tum ad vitandum scandalum, ne putetur transgressor præcepti Ecclesiastici, aut imparatus ad sacram mẽsam accedere: tum ad exercendum humilitatem erga suum proprium Sacerdotem, aperiendo illi animæ propriæ statum; tum ad obtinendum à Deo nouam gratiam, & remissionem alicuius partis pœnæ peccatis debitæ: tum etiam ad securitatem; cùm fieri *Nu. 46.*

possit

Universidad de Deusto
Biblioteca

posſit, vt putet quis venialia esse, quæ sunt mortalia: vel vt habeat aliquod mortale occultum, ad cuius deletionem vis Sacramenti requiratur; tum demum ad augendum propositum nunquam peccandi mortaliter & ad diminuendum habitum peccandi venialiter. Hæc etiam Nauarr. ex Sylu. in eandem sententiam consequenter adfert.

Nu.47. Difficultas autem, *de qua in vtramque partem plures authores citat Azor. in sequenti quæst.4.* An ab Ecclesia præcipi posſit confessio peccatorum venialium: itaut hæc, quæ sunt illius materia libera fiant materia necessaria: videtur explicanda distinctione; dicendo non posse quidem per se ac directè, posse tamen per accidens, & indirectè; nimirum præcipiendo generaliter & absolutè externum vsum Sacramentalis cófessionis pro certis diebus; eo modo quo in Clement. 1. §. *Sanè De statu Monach.* iniungitur monachis S. Benedicti, vt singulis mensibus ad confessionem saltem semel, accedant. Nam ad talem vsum obligatus, consequenter obligabitur ad confitendum de venialibus, quando in tempore determinato, nullius peccati mortalis sibi conscius fuerit. Inde enim obligatio præcepti non cessat, tanquam impossibilis ob defectum materiæ confessionis: licet enim peccata venialia non sint confessionis materia necessaria, sunt tamen sufficiens ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.5.*

Quòd autem fideles ad talem vsum obligari valeat ex eo patet; quòd ipsi possint ad eundem actum tanquam laudabilem ac salutarem seipsos voto obligare. De memorata iniunctione Clementinæ aduerte obiter, difficultatem esse, num contineat præceptum: quam Azor & Suarez tractant ille *in seq. cap.29.q.1.& 2.* hic verò *in ead.disput. 36.sect.5.num.7. & 8.* resoluúntque de ea re iudicandum esse ex instituto & consuetudine religionis. Quos consulat qui volet.

Nu.48. Quinta propositio est, præcepto confessionis obligari omnes fideles post baptismum lapsos in peccatum mortale, etiamsi internum tantùm fuerit. Hæc est de fide ex Conc. Trid. *sess. 14.cap.5.atque Can.7. & 8.* in quo excommunicatur expressè is, qui dixerit ad confessionem non teneri omnes & singulos Christi vtriusque sexus fideles, iuxta magni Concil. Lateran. constitutionem, semel in anno.

Nu.49. De Papa autem & pueris quomodo teneantur difficultas est. Ac de Papa solummodo est quoad præceptum humanum; nimirum an obligetur sicut cæteri fideles, confiteri semel in anno: certum est enim, præcepto diuino ipsum obligari, perinde ac cæteros. Explicatur verò distinctione eadem difficultas. Nam cùm in præcepto duplex vis insit. vna coactiua, & altera directiua, præceptum Ecclesiasticum de annua confessione, non obligat Papam vi coactiua: quasi puniri possit si illud non seruet, sicut puniuntur cæteri: qui viui arcentur ab Ecclesia & mortui priuantur sepulturâ Ecclesiasticâ: nam cogere est superioris, quem Papa non habet in Ecclesia. Obligari autem vi directiuâ; quia Papa sicut cæteri (vt seruetur capitis cum membris cóformitas, vbi non est diuersitatis ratio) debet se conformare præcepto fidelibus omnibus communi, quando eadem est in eo quæ in cæteris ratio seruandi illud: prout esse patet, quoad præceptum de annua confessione. Nascitur verò talis obligatio ex iure naturali: quod præscribit, vt quod quisque iuris in alterum statuit, ipse eo vti debeat, iuxta dictum Sapientis Patere legem quam ipse tuleris.] *cap.Ciam omnes. De constitut.* Hanc resolutionem propositæ difficultatis habet Couarr. *ad cap. Alma mater. De sentent. excommunicat. in 6. parte priore §. 1.num.5.* plures eandem tradentes referens.

Nu.50. De pueris autem constat quidem si post baptismum in peccatum mortale lapsi sint, ad confessionem obligari: non modo præcepto diuino, quod omnibus taliter lapsis imponitur, vt in præcedentibus docuimus: sed etiam præcepto Ecclesiastico, quod extenditur ad omnes Christi fideles qui ad annos discretionis peruenerint. Difficultas autem est quando incipiant obligari, tanquam habentes rationis vsum sufficientem ad peccandum mortaliter: de qua re vide antedicta *in 1. parte lib.4.cap.1.num.1.* Si quis verò obiiciat ex cap. 1. & 2. de delictis puerorum, non adstringi humana lege pueros ante decimumquartum annum. Respondet Azor. *in sequenti quæst.6.* inde tantùm haberi, ante decimumquartum annum pueros quamuis rationis iam compotes, non esse pœnâ legis vsitatâ puniendos, sed arbitrio Iudicis: sicque pueros si omittant confiteri semel in anno non subiici pœnæ in cap. Omnis vtriusque sexus de pœnitent. & remiss. impositæ, iuxta communem Doctorum sententiam illos ab ea excusantium *vt Suarez notat in seq.sect.8.numero.5.* hoc est viuos non arceri ab Ecclesia, nec mortuos carere Ecclesiasticâ sepulturâ. Neque obstat, quòd pueri etiam ante annos pubertatis, percussione Clerici, in excommunicationem *Si quis suadente diabolo 17.quæst.4.* incurrant, *ex cap. 1. & vltimo de sentent.excommunic.* vbi ratione ætatis conceditur illis vt ab Episcopo suo absolui possint: qui alioqui ad Romanam curiam recurrere tenerentur. Non obstat, inquam: quia excommunicatio prædicti capituli. Si quis suadente diabolo est latæ, vt vocant, sententiæ, ipsóque facto incurritur, nullâ expectatâ Iudicis executione: pœna verò *cap.* Omnis vtriusque sexus, est sententiæ ferendæ; seu quæ non est imposita, sed imponenda est à Iudice, vt verba futuri temporis, *arceatur & careat*, satis indicant: vnde in ea exequenda locus est arbitrio Iudicis, non autem in ipsa excommunicatione capituli Si quis suadente diabolo.

Nu.51. Sexta propositio est, fideles ab executione præcepti de confessione excusari per inopiam Confessarij. Hæc de se nota est; si inopia fuerit talis, vt Confessarius omnino haberi nequeat; quia nemo ad impossibile obligatur: túncque talis executio est apertè impossibilis. Si verò fuerit talis inopia vt haberi quidem possit Confessarius, sed non sine difficultate extraordinaria: quia, verbi gratia, longum iter conficiendum est vt habeatur: aut graue aliquod nocumẽtum perferendum: eandem propositionem habere etiam locum, ex eo probatur, quòd Domini iugum suaue sit: à qua suauitate existimandum non est sanctam Ecclesiam ipsius sponsam velle recedere: præsertim aduertentem ad id quod est iuris naturæ: vt in hac re est, hominem nimias molestias, infamiam, & alia grauia nocumenta vitare: nisi in contrarium vrgeat periculum maioris mali: quale est æternæ dãnationis. Quod quando aliquis peccati mortalis sibi conscius probabiliter timet, dubitans de sua contritione; non debet per infamiam aut vllum aliud temporale detrimentum reuocari à confessione. Id quod Suarez annotat *in eadem disput. 36. sect. 6. nu.5.*

PARS QVINTA.

De requisitis ad satisfaciendum obligationi confitendi.

SVMMARIVM.

53 *Per confessionem imperfectam ex defectu integritatis, aut contritionis, vel examinis sufficientis: non satisfit*

tisfit præcepto confitendi; si talis facta sit deditâ opera, aut ex ignorantia affectata.

54 *Idem dicendum est quoad præceptum diuinum, si ignorantia fuerit crassa.*

55 *An idem quoque dici possit, quoad præceptum Ecclesiasticum.*

56 *Si defectus integritatis contingat per obliuionem aut inaduertentiam naturalem, non obstat satisfactioni propositæ obligationis.*

57 *Idem dicendum de defectu plenæ contritionis ex tali inaduertentia.*

58 *Confessus non accepta absolutione, obligatur iterum confiteri.*

59 *Obiectio in contrarium cum solutione.*

HIc duo dubia occurrunt explicanda. Prius est, An is satisfaciat præcepto Confessionis, qui illam facit imperfectam: vtpote qui non confitetur omnia sua peccata; aut quamuis confiteatur omnia quorum memoriam habet, id tamen facit sine legitima contritione cordis, aut sine debita conscientiæ discussione. Posterius est, an satisfaciat qui confessus proprio Sacerdoti, non accipit ab eo absolutionem. Prius autem explicatur his propositionibus.

Explicatio dubij, Num præcepto confitendi satisfiat per confessionem imperfectam.

SECTIO PRIOR.

Nu.53. PRima est; nec diuino nec humano præcepto confessionis satisfacere illum, qui modo aliquo ex dictis, imperfectam facit deditâ operâ, aut per negligentiam seu ignorantiam affectatam. Probatur, quia talis nec facit, nec facere curat id quod Christus instituit, & quod secundùm Christi intentionem Ecclesia quotannis fieri præcipit. Nam vt in Concil. Trident. *sess.14.cap.5.* dicitur: ex Christi institutione oportet à Pœnitentibus peccata omnia mortalia quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri; quod confessionem sic imperfectam facientes, certum est non seruare.

Nu.54. Secunda propositio est; eum qui pari modo imperfectam facit per ignorantiam crassam, non tamen affectatam, non satisfacere præcepto diuino. Hæc probatur eadem ratione qua præcedens, quia non facit quod Christus instituit, nec excusatur per ignorantiam; cùm adhibitâ morali diligentiâ illam vincere potuerit.

Nu.55. An autem satisfaciat Ecclesiastico; difficultas est; de qua in vtramque partem authores adfert Azor. *in cit.cap.29.quæst.3.* & affirmantem sequitur vt mitiorem, & quæ pœnitentes peccatorum suorum confessionem facientes liberet à crebris scrupulis, quibus grauiter diuexarentur, tanquam rei violationis præcepti de annua confessione, si eis non constaret se integrè & cum sufficienti conscientiæ discussione, & cum summo dolore de peccatis, & cum perfecto emendationis proposito, confessionem perfecisse. Propter quam rationem facilè ei consenserim, quoad casum in quo Pœnitens incertus esset, an in aliquo prædictorum defecisset suâ culpâ: quia tunc locus esse posset excusationi à peccato, ob graue illud incommodum, quod tactum est: non verò quoad casum in quo certus esset, se defecisse. Nam præterquòd in eo casu non adest occasio diuexationis scrupulos: pro parte contraria est vrgens ratio, ne

Nu.56. Tertia propositio est; per confessionem imperfectam ex defectu integræ declarationis peccatorum, si prouenit ex obliuione seu inaduertentia naturali, impleri præceptum confitendi, siue diuinum siue Ecclesiasticum sufficienter ad excusationem à peccato transgressionis: quamquam peccata oblita, si in memoriam postea recurrant, confiteri oportet. Huius prior pars patet quia naturalis obliuio seu inaduertentia cùm sit inuincibilis, excusat à peccato. Posterior verò probatur ex eo, quod talia peccata non sint supposita Sacerdotis proprij iudicio, vt debent ex Christi institutione, omnia post baptismum commissa prout habet Concil. Trident. *sess.14.initio cap.5.*

Nu.57. Difficultas autem est, An hæc propositio procedat cùm ex inaduertentia, confessio facta fuerit quidem cum detestatione peccati, vt ipsum est Dei offensa, non tamen tam plena quàm opus esset ad obtinendum Sacramenti Pœnitentiæ effectum, qui est Dei gratia, per quam peccator iustificatur. De qua difficultate in vtramque partem authores refert Couar. *ad cap. Alma mater De sentent. excomm. in 6. parte priore §.4.num.13.versu 3.* & affirmantem partem, tanquam apud Theologos communiorem meritò approbat: sicut & Franc. à Vict. De sacrament. *num.157.* & Nauarr. *in Enchir. cap. 9. num. 10.* Eam verò bona ratione Caiet. Sotus & Canus, *quos Couar. citat*, confirmant: nempe quòd is qui ad iudicium viri prudentis bona fide credit se præstitisse ea, quæ requiruntur ad confessionem Sacramentalem; præcepto de confessione ita per eam satisfaciat, vt ad iterandam non teneatur. Nam alioqui non esset locus tranquillitati conscientiæ, sed quacumque diligentiâ posità, semper esset cogitandum de illius iteratione ad præcepti implet ionem, quod esset onus grauissimum & intolerabile, à quo tam non posset releuari homo, quàm ipse nescire potest vtrum sit Dei amore aut odio dignus *Ecclesiastis cap. 9.* & quam non debet esse de propitiato peccato securus, *Ecclesiastici cap.5.*

Explicatio alterius dubij, An satisfiat, non accepta absolutione.

SECTIO POSTERIOR.

Nu.58. DE posteriori dubio notandum est, non proponi de eo qui non accepit absolutionem culpâ suâ, vt quia non ostendit dolorem de peccatis, aut quia dixit se non posse in posterum à peccatis abstinere: nam constat talem non satisfacere præcepto: quandoquidem est de ratione confessionis à Christo præceptæ, vt ordinetur ad absolutionem, tanquam Sacerdotis sententiam excipiendam; iuxta antedicta sub initium huius capitis. Proponitur ergo dubium de eo tantùm, qui prout putuit, dignè confessus est: sed ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed ex malitia Sacerdotis, vel ex aliquo casu repentino, absolutionem Sacramentalem non accepit. In vtraque partem autem plures authores citat Suarez *in ead. disput. 36. sect. 7.* negantémque tenet; hoc est, talem non satisfacere præcepto confessionis, ne quidem Ecclesiastico: itaut maneat obligatus ad iterum eo anno confitendum. Ratio est quia quamuis Pœnitens in eo casu possit à peccato transgressionis pro eo tempore excusari: nihilominus tamen non implet reipsa præceptum, quo Christus fideles in peccatum mortale lapsos, obligauit ad susceptionem sacramenti Pœnitentiæ: cùm constet ad illud præter confessionem Sacerdoti factam cum cordis contritione, requiri eiusdem Sacerdotis absolutionem. Et per consequens nec implet Ecclesiæ præceptum: quod, vt sæpe dictum est, à diuino diuersum nó est quoad substantiam: sed tantùm in eo, quòd addat, illi temporis determinationem. Et certè, quòd non sit datum de confessione secundùm se simpliciter: sed de ea vt ad constitutionem sacramenti Pœnitentiæ concurrit cum aliis, patet ex eo, quòd in ipso *cap. Omnis vtriusque sexus*, cum confessione iniungatur studium implendi pœnitentiam impositam. Id enim indicat, ibi sermonem esse de confessione super qua absolutio datur, impositâ salutari pœnitentiâ.

Nu. 59. Sed pro contraria parte (quam Azor sequitur *in eodem cap. 29. quæst. 4.*) *ex eodem capitulo* obiicitur, quòd sumptio Sacramenti Eucharistiæ in Paschate ibi præcepta, differri possit de Confessarij consilio ob rationabilem causam: quare poterit & absolutio à peccatis facta confessione. Respondendum est quod sicut consilium Confessarij (prout verbum *differri*, importat) pro eo solùm tempore excusat à præcepto violationis præcepti de sumenda Eucharistia: non autem liberat ab omni obligatione illud implendi quamprimum commodè poterit: ita nec consilium de differenda absolutione liberabit ab obligatione quamprimùm confitendi, ad illam consequendam. Neque aduersatur illud *ex cap. Quod quidam. De pœnitent. & remiss.* quòd recipienda sit confessio eorum qui publici peccatores sunt & vitam emendare nolunt, licet absolui non debeant. Non enim sensus est admittendos esse, quasi faciant confessionem sufficientem ad implendum Ecclesiasticum præceptum; sed vt corripiantur, dirigantur, & moneantur salutaribus consiliis & documentis, vt Deo iuuante illi tádem præparentur ad legitimè confitendum.

CAPVT TERTIVM.

De conditionibus quas Sacramentalis confessio ad suam perfectionem requirit.

SVMMARIVM.

60 *Quæ sint ea conditiones, & quomodo colligantur.*
61 *Explicatio primæ conditionis: vt sit simplex.*
62 *Superfluitas verborum non est toleranda in confessione, etiamsi hanc non vitiet.*
63 *De secunda conditione: vt sit humilis.*
64 *De tertia, vt sit pura.*
65 *Non est in confessione mentio facienda alienorum peccatorum: si quæ fiat, non illam vitiet.*
66 *De quarta conditione, vt sit fidelis.*
67 *Quando peccatum mortale committatur, infideliter confitendo peccatum mortale.*
68 *Falso affirmare vel negare aliquod peccatum veniale in confessione, non est peccatum plusquam veniale.*
69 *Nisi quis illud solùm faceret Sacramenti materiam, nullum aliud simul aperiens.*
70 *Idem dicendum de mendacio circa peccatum mortale, de quo iam aliàs ritè facta est confessio, & de iis quæ nihil ad confessionem attinet.*
71 *De quinta conditione, vt sit frequens.*
72 *De sexta conditione, vt sit nuda.*
73 *De septima conditione, vt sit discreta.*
74 *De octaua conditione, vt sit lubens.*
75 *De nona conditione, vt sit verecunda.*
76 *Qua verecundia vitanda in confessione, & qua debeat huius comes esse, ratione cuius vitanda sit familiaritas inter Confessarium & Pœnitentem.*
77 *De decima conditione, confessionis, vt sit integra.*
78 *De vndecima condit. vt sit secreta.*
79 *Quæquidem non impedit quominus interdum possit confessio publicè fieri.*
80 *Excusat autem à facienda per interpretem aut per scripturam.*
81 *Verbis facienda est confessio: cùm verò non potest, facienda est nutibus.*
82 *Etsi per scripturam fieri non est necesse, licitum tamen est: sicut & fieri per interpretem.*
83 *Non est de se peccatum mortale eum confiteri nutibus aut scripto, qui voce id facere potest.*
84 *Illicitum est confiteri sine iusta causa, tertio audiente.*
85 *Peccant mortaliter Sacerdotes simul audientes multos pueros tam doli capaces.*
86 *Peccatum est de se mortale plures Sacerdotes simul audire vnum, eundemque Pœnitentem.*
87 *De duodecima conditione, vt sit lachrymabilis.*
88 *De decimatertia conditione, vt sit accelerata.*
89 *De decimaquarta conditione, vt sit fortis.*
90 *De decimaquinta conditione, vt sit accusans: & de decimasexta, vt sit parere parata.*

SVMMVLARII in verbo Confessio, & passim alij de sacramento Pœnitentiæ tractantes (*cum de confessione*) tradunt confessionem ipsam sibi vendicare sexdecim conditones, quas inter cæteros satis late persequitur Nauar. *ad cap. Fratres. De pœniten. dist. 5.* expressas his versibus.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis, *Nu. 61.*
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Is verò numerus in supplemento 3. *partis D. Thomæ quæst. 9. art. 4.* colligitur ad hunc modum. Confessio sacramentalis potest spectari, tum generaliter, vt est actus virtutis; tum specialiter vt est actus virtutis pœnitentiæ; tum specialissimè, vt est talis actus pœnitentiæ, nempe manifestatiuus interioris contritionis, cuius signum est externum; tum demum vt est pars Sacramenti pœnitentiæ. Atque vt actus virtutis, debet primò esse discreta, seu prudens. Secundò, lubens, seu voluntaria. Tertiò, pura, seu facta rectâ intentione. Quartò, fortis, seu nulla ex parte impedita per timorem aut verecundiam. Etenim actio virtutis requirit vt prudenter, voluntariè, recta intentione & constanter fiat. Vt autem est actus talis virtutis, nimirum pœnitentiæ: primò, debet esse verecunda: quia pœnitentiæ actus sumit initium ab horrore turpitudinis peccati. Secundò, debet esse lachrymabilis; quia idem actus ab horrore procedit ad dolorem de peccato commisso. Tertiò, debet esse humilis; quia idem etiam actus terminatur in abiectione sui ipsius. Vt verò est pœnitentiæ actus manifestatiuus tritionis, quia talis manifestatio impediri potest. mò, per falsitatem, debet esse fidelis. Secundò, per scuritatem, debet esse nuda. Tertiò, per verborum multitu

multitudinem, debet esse simplex. Quartò, per subtractionem, debet esse integra. Denique vt est pars Sacramenti & concernit iudicium Sacerdotis, qui est illius minister, debet primò, esse accusans, per respectum ad confitentem. Secundò, parere parata, per respectum ad Sacerdotem cui sit ipsa confessio. Tertiò, secreta, per respectum ad conditionem fori pœnitentialis, in quo de occultis conscientiæ agitur. Quod sit frequens, & quod accelerata seu statim post peccati commissionem facta, non pertinet ad esse, sed tantùm ad bene esse confessionis, vt in citato art. 4. notatur. Iam de vnaquaque earum sigillatim dicamus.

Prima conditio, Simplex.

Nu. 61. SIMPLEX debet esse confessio, id est, taliter facta, vt verbis superfluis careat, & vt clarè à Confessario intelligantur peccata secundùm suam speciem: immo & secundùm numerum, & secundùm grauitatem malitiæ, quam siue ex obiectio, siue ex circunstantiis notabilem habuerint. Vnde conditio hæc deest confessioni in qua peccata narrantur ita artificiosè, vt à Confessario non ponderentur: vel ita generaliter & confusè, vt ipse nequeat percipere; sitne mortale an veniale illud de quo fit confessio, vt si quis generaliter dicat, Non recitaui preces horarias cum debita attentione: habui turpes cogitationes: aut si dicat sub distinctione, appetij vindictam vel deliberatè vel ex primo motu: sensu motus libidinis: vel cum consensu vel sine consensu. Talis enim facit confessionem inuolutam, & quasi plicatam; cùm æquè de veniali ac de mortali: imò & de eo quod per indeliberationem nullum peccatum est, ea intelligi possit.

Igitur benè, atque vt par est confessurus (ex Nauarr. *ad cit. cap. Fratres, num. 10.*) omissis plicis illis generalibus, quæ confessionem reddunt ambiguam, declaret simpliciter peccatum suum vtendo nomine specifico, quod sufficiat ad intelligendam peccati quantitatem seu grauitatem: mortalène sit an veniale, & cuius sit speciei: seruata interim discretione, vt in peccatis lasciuiæ, verba sint sobria, pudica, & honesta quantùm fieri potest.

Nu. 62. Non redditur autem inualida confessio (dummodo Confessarius possit, prout ad Pœnitentiæ sacramentum requiritur, iudicare de peccatis de quibus ea fit: fuerintne mortalia an venialia) ex eo, quòd in illa addantur superflua, vt ferè solet ab idiotis & scrupulosis, si id non alia intẽtione fiat, prout citatis Angelo & Nauarr. habet Henriq. lib. 5. cap. 3. in Marg. litt. B, quàm vt peccata magis explicentur. Quanquam vt D. Anton. 3. *part. tit. 14. cap. 19. §. 12.* admonet, debet Confessor talia superflua resecare, si que aliqua proponantur, quæ indigeant consolatione, vt tribulationes; vel consilio, vt dubia: dare operam, vt post absolutionem differantur, nec confessioni admisceantur.

Secunda conditio, Humilis.

Nu. 63. SEcundò humilis debet esse confessio; tum interiùs quoad intellectum & affectum: vt scilicet confitens sibi ipsi attribuat sua peccata, *inquit D. Anton. in seq. §. 13.* non autem Deo, ipsum non iuuanti; vel diabolo, impugnanti; vel homini incitanti, vel constellationi appetitum inclinanti, agnoscatque, *inquit Sylu. confessio 1. quæst. 1.* se miserum & infirmum. Tum etiam exteriùs, tam quoad verba, seu modos loquendi: vt scilicet non dicat peccata sua cum iactãtia, aut ea eleuando. Tum quoad corporis compositionem, nempe vt tanquam reus petens de peccatis veniam gratis concedendam per meritum sanguinis Christi, sit flexis genibus & aperto capite: nisi necessitas excuset: etsi hac non excusante non peccatur in eo pluscquam venialiter *ex Nauar. in sequenti num. 11.* nec inualida est confessio, si cætera necessaria concurrant præter illam corporis compositionem.

Tertia conditio, Pura.

TErtiò debet confessio esse pura prout est facta *Nu. 64.* cum debita intentione, ad quod exigitur vt principaliter fiat ad placandum Deum. Secundariò autem potest confitens, sicut & faciens aliud bonum opus, spectare aliquid aliud, *dummodo licitum*, vt euasionem alicuius infirmitatis, vel alicuius infortunij: quia motiuum secundarium non excludit finẽ principalem. Vbi nota quod Henriq. tangit *loco cit. lit. H*, vitiari confessionem, si sola intentione temporalis commodi consequendi, aut incommodi vitandi fiat, excluso expresè principali fine, qui est reconciliatio cum Deo, seu remissionis peccatorum: non item si is ipse finis proponatur, etiam dato quòd confessio nullatenus fieret, si tale commodi aut incommodi motiuum abesset.

Pura quoq; confessio ita esse debet, vt vitentur in *Nu. 65.* ea quæ continent peccatorũ alienorum detectionẽ, per quam peccatum detractionis ibi committatur, vbi peccatorum omnium purgatio quæritur. Quanquam ex Nauar. *in seq. num. 13.* impertinentium propositio, aut peccatorum alienorum manifestatio in confessione non impediunt quominus ea sit valida; si cõfitẽs non aduertat se in eo peccare: vel si aduertat quidem, sed de tali peccato pœniteat, illúdque cum cæteris sufficienter aperiat Confessario. Qui quidem debet talia confessioni suæ admiscentem monere, vt de illis taceat: ne & ipse tanquam consentiens alienæ detractioni, reus illius apud Deum constituatur. Si autem Pœnitenti occurrat aliqua peccati circunstantia confitenda, quæ sine alterius personæ manifestatione aperiri nequeat Confessario, quid in eo casu agendum sit in sequen. cap. 5. exponemus agendo de integritatis defectu in confessione.

Quarta conditio, Fidelis.

QVartò debet confessio esse fidelis, seu digna *Nu. 66.* cui fides adhibeatur, veráxve, vt Nauar. ad antè memoratum *cap. Fratres, num. 14.* interpretatur. Tradens consequenter *vsque ad num. 28. & in Enchir. cap. 21. num. 37. & 38.* quando sit vel non sit peccatum mortale mentiri in confessione: cuius doctrina his propositionibus comprehenditur.

Prima est: peccatum esse mortale mentiri in con- *Nu. 67.* fessione, affirmando vel negando falsò peccatum aliquod mortale; de quo nondum facta fuit alia legitima confessio. Hanc, in qua Nauar. ipse omnes conuenire ait: Sotus *in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 4. concl. 3.* confirmat: quia is, qui in confessione negat se fecisse mortale quod fecit, quia tacet quod fuit de necessitate exprimendum, facit confessionem mutilam, atque adeo nullam ex defectu integritatis: sicque in materia graui, sacrilegium committit. Similiter is

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui affirmat se mortale commisisse, quod non commisit: cùm in foro Dei, Iudicem decipiat circa pertinens ad causæ substantiam.

Accedit quod tam hoc quàm illud, sit occasio data impendendi: perperam Sacramentalem absolutionem: puta subiiciendo ei materiam illegitimam. Idem pariter sentiendum esse (peccare inquam mortaliter) Nauar. *ad idem cap. Fratres, num.* 26. expressit de eo, qui in confessione (cùm in illa debeat se talem ore prodere, qualis est corde) pro certo affirmat, aut negat se fecisse mortale, de quo an fecerit dubitat, incertúsque est. Excipi tamen debet ille qui ex indiscreto feruore mentiretur absque intentione fallendi Confessarium. Immo qui putaret se potius bene facere, dum tutiorem, vt sibi videtur, viam eligit: accusando se fortiter, & abundè: excessum amplectens ad contrarium defectum securiùs vitandum. Cuius exceptionis rationem idem Nauar. attigit *in sequenti num.* 27. quòd etsi mentiri in re graui, seu cum notabili irreuerentia Dei, vel iniuria proximi censeatur mortale: id tamen non habeat in tali casu locum: quia sine intatione fallendi, etiamsi falsum dicatur, non contingit mẽdacium nisi materialiter: cùm, *vt habetur ex D. August. in cap. Beatus 22. quæst. secunda*, mendacium sit falsa significatio vocis, cum voluntate fallendi. Quamuis autem eo modo confitens excusetur à mortali: non tamen à veniali, vt Caietanus notat, *in verbo Confessio Sacramentalis, Condit.* 4. quia indiscretè se accusans, agit contra rectam rationem.

Nu. 68. Secunda propositio est: non esse plusquam veniale mentiri in confessione affirmando vel negando falsò peccatum aliquod veniale. Hæc non est tam certa quàm præcedens; sed de ea controuersia est inter Theologos, quos in vtramque partem citat Suarez *tomo* 4. *disput.* 22. *sect.* 10. *num.* 6. & 7. Eam verò aduersus Caiet. Sotus *in citata concl.* 3. ex eo confirmat: quòd vt in aliis casibus, ita & in hoc leuitas materiæ à mortali excusare debeat. Et certè si velle, aut facere peccatum veniale non est de se plusquam veniale omnium iudicio; nec esse debet affirmare vel negare falsò peccatum veniale. Si instes cum Caiet. non esse quidem de se: esse tamen ex circunstantia Sacramenti, cuius materia ipsum perperam constituitur. In eo enim peccatum mortale perinde cernitur, ac quando Consionator pro materia & argumento suæ concionis assumit falsum aliquod miraculum: quia vt hoc modo concionans, concionis: ita illo modo confitens, confessionis quantum in se est, veritatem tollit. Respondetur peccatum veniale non esse materiam necessariam Sacramenti pœnitentiæ, neque excludere materiam necessariam, cùm liberum sit Pœnitenti illud in confessione exprimere vel tacere, vt in sequenti cap. docebitur. Adde quòd nec tale mendacium obstet, quin possit quis integrè & cum debito dolore valide confiteri sua peccata mortalia: præsertim cùm censeatur à Sacramẽto subtrahere illud, mutato proposito ipsum confitendi: prout censendus est facere is qui vult super eo mentiri. Aut certè vult illud subiicere tantummodo, vt materiam leuem, & minimè necessariam: cuius admistione minimè tollatur veritas & efficacia Sacramenti pœnitentiæ (vt nec Eucharistiæ veritas ex admistione modicæ festucæ in Hostia) sicut cõtra perniciosè, & in iniuriam Religionis tollitur veritas concionis, in qua falsum miraculum prædicatur.

Nu. 69. Attamen vt Nauar. *in citato num.* 27. notat: negandum non est Caietani sententiam; nempe mortaliter peccare eum qui circa veniale in confessione mentitur, locum habere quando confitens nullum aliud peccatum mortale vel veniale Confessario aperiret. Tunc enim peccaret mortaliter: non quia mentiretur, sed quia Sacramentali absolutioni non subiiciendo materiam veram & sufficientem, committeret sacrilegium, continens grandem rei sacræ irreuerentiam: atque adeo notabilem Dei iniuriam: cùm, *ex D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 1. omne illud quod ad irreuerentiam rerum sacrarum pertinet, ad iniuriam etiam Dei pertineat, habẽs sacrilegij rationem. Porro dici non potest istiusmodi irreuerentiam ex parte saltem contingere, quando reliquis partibus confessionis veris, admiscetur aliquod mendacium circa veniale. Namque vt consequenter Nauar. ait: quando materia ad Sacramentum sufficiens proponitur, addito aliquo, quod non est formæ Sacramentalis capax: dummodo id non vitiet Sacramentum, non committitur dicta notabilis irreuerentia Sacramenti: quia forma Sacramentalis, intentione saltem implicita Ministri, cadit super eam tantùm materiæ partem, super quam aptè cadere potest: vt Sacerdos cui porrecta esset Hostia triticea admixtum habens aliquid materiæ, ad Eucharistiam ineptæ, dum verba consecrationis profert, censetur super aptam materiam non super ineptam proferre. Contingeret autem eiusmodi notabilis irreuerentia, si quis intenderet tale quid ineptum, facere reipsa materiam Sacramenti.

Nu. 70. Tertia propositio est, Non esse peccatum mortale mentiri in confessione, circa peccatum etiam mortale, de quo iam aliàs facta est debitè confessio, aut circa aliquid nihil pertinens ad propriorũ peccatorũ institutam confessionem. Prior pars probatur, quia, peccata mortalia de quibus iam facta est confessio perinde ac venialia possunt pro arbitrio in confessione taceri, vel exprimi, vt in sequen. cap. docebitur. Quoad posteriorem partem verò, probatur à minori ad maius quia si mentiri in confessione circa venialia, quæ rationem habere possunt materię Sacramenti, non est peccatum mortale: multo minus erit circa alia quæ nihil ad confessionem attinent. Hinc Nau. *ad memora. cap. Fratres, nu.* 23. sicut asserit quoad peccatum veniale, non peccare mortaliter eum, qui à Confessario interrogatus, Nũ aliqua ludicra verba protulisset, falsò negat se protulisse, sciens se non teneri respondere, vt nec confiteri de eo si nolit: ita etiam *in sequen. num.* 24. & 25. asserit quoad peccatum mortale iam ritè per confessionem expiatum, non peccare mortaliter eum qui interrogatus à Confessario, Num aliquando rem habuerit cum muliere, id falsò negat, eoquod illud de quo antè legitimè confessus est, nolit iterum confiteri. Item quoad nihil pertinens ad confessionem: neque eum peccare mortaliter qui interrogatus à Confessario, Num pater aut anus ipsius hoc vel illud gessisset, falsò respondeat se nescire, cùm tamen sciat: sed id negat, eoquod videat ad suorum peccatorum confessionem nihil pertinere.

Quinta conditio, Frequens.

Nu. 71. QVintò debet confessio frequens esse: quod duobus modis intelligitur: altero vt qui frequenter cadit, frequenter confiteatur; altero, vt eadem peccata is qui iam ritè illa confessus est, pluries confiteatur: quorum modorum neuter est in præcepto. Non quidem prior vt patet per tradita in tertia parte præcedentis capitis, de tempore in quo præceptum confessionis siue diuinum siue Ecclesiasticum obligat. neque posterior, quia nemo authoritate vlla humana cogi potest, ad confitendum iterum ea peccata quæ legitimè semel confessus est; sicut nec ad iterum

rum soluendum debitum, quod iam legitimè soluit. Id quod plenius tractat Nauar. *ad cap. Placuit, de Pœnuen. distin.* 6. *anum.* 107. *ad* 123. Sed pro quotidiana praxi sufficit monere cum eodem ad prius citatum cap. Fratres num. 28. & 29. quòd etiamsi non sit de præcepto tales confitendi modos seruare: esse tamen de consilio; his nominibus maximè salutaris, quòd confessio Sacramentalis, Dei timorem & peccatorũ odium valde conseruet; & pœnam temporalem, in quam mutata est æterna, minuat propter verecundiam quam confitens suffert; & propter absolutionem Sacramentalem, per quam non solum augetur gratia, sed etiam pœna in purgatorio sustinenda minuitur secundum receptam, *inquit Nauarrus*, sententiam. Quanquam tamẽ, vt idem intinuat in sequenti num. 30. præstat aliquando peccata iam rite confessa obliuioni tradere potius, quam eorum confessionem iterare: vt quando per eam iterationem (sicut contingit scrupulosis) inquieta redditur conscientia, & Confessarius molestia afficitur, tempúsque melioribus occupationibus impendendum, perditur: aut quando peccata sunt carnis, vel alia quorum recordatio inducit in periculum consentiendi malo.

Sexta conditio, Nuda.

Nu. 72. SExtò debet confessio esse nuda, id est, iuxta omnium *ex Nauar. ibidem num.* 51. interpretationem; non vestita coloribus, seu fucis aut lenociniis vel ambagibus verborum: quibus peccata, sicut grana glumis operiantur, & ita obscurentur, vt non percipiantur à Confessario: aut minus consideretur grauitas turpitudóque illorum: qualis apparitura est coram Iudice Christo; neque satis intelligatur quid à Pœnitente ipso dicatur. Qua in re non minus peccatur, quàm si peccatum tacereturn: mutilam scilicet faciendo confessionem, atque adeo indebitam materiam subiiciendo Sacramentali absolutioni. Nam nihil interest: an quis taceat interrogatus, an obscurè respondeat, vt incertum dimittat interrogantem: *lege De ætate ff. De interrog. §. Nihil interest.* Vnde sicut inutilem inualidámque facit confessionem is, qui in hac tacet illud quod de necessitate dicendum fuit, ita & is qui sic obscurè loquitur, vt à Confessario non intelligatur, aut certè intelligatur aliter quàm ipsemet Pœnitens nouit; vt cùm nouit certò à se commissum esse aliquod peccatum, & Confessarius intelligit cum dubio.

Septima conditio, Discreta.

Nu. 73. SEptimò, debet cõfessio esse discreta, hoc est, prudens, & quantùm ad verba; vt scilicet verbis honestis peccata explicentur, præsertim peccata carnis: & quantùm ad circunstantias, vt non nisi necessaria dicantur, si has à non necessariis Pœnitens distinguere sciat: & quantum ad modum narrandi, scilicet quæ simul exprimi possunt, non dicantur diuisim, aut contra: vt v. g. dici potest ter peieraui, nec est dicendum semel peieraui, iterumque, & adhuc tertiò: ac demum quantum ad idoneum Confessarium, (cuius conditiones in prima parte lib. 1. exposuimus) vt quæratur discretus, qui nec interroget, nec respondeat quæ non oporteat: adeunti enim indiscretum, contingere potest quod Iudæ proditori qui ductus pœnitentiæ, non ad Apostolos, sed ad Pharisæos accessit, cum detestatione peccatum suum confitens: à quibus non est curatus, sed in despectionem inductus. Certè si æger bonum Medicum quæris: si causam tuam coram Rege examinandam, non nisi perito Aduocato & Iudici committis: cur non eligas bonum Confessarium, non est alia ratio, nisi quia peccatum tuum tibi non displicet sufficienter, nec satis exhorresci miserum animæ tuę statum. Notat autem Caietanus *in verbo Confessio Sacramentalis* exponens hanc ipsam conditionem: saltem imprudentiæ peccatum incurri à Pœnitente, cuius confessio non fuerit discreta.

Adde & committi posse peccatum mortale, ob aliquam grauem iniuriam, inde illatam Sacramento; vt cum indiscretè electus est Confessarius non habens sufficientem potestatem, aut carens dispositione necessaria ad intelligendam integrè confessionem quæ ei fit: siue quia est valde ignorans; siue quia non tenet idioma, quo confitens vtitur: siue quia distractus aut dormitans, aut surdus non audit sufficienter. Quanquam excusare potest bona fides in Pœnitente, cui nullatenus venit in mentem, tale quid de suo Confessario suspicari.

Octaua conditio, Lubens.

Nu. 74. OCtauò debet confessio esse lubens, id est, *ex Sylu. Confessio primo, quæst. prima*, sine coactione, non modo absoluta, seu per vim; sed neque conditionata, seu per metum aut verecundiam. Debet enim sponte fieri propter Deum, ad quem peccatori reconciliandum ipsa instituitur. Atramen ex Nauar. *ad idem cap. Fratres num.* 54. *& aliquot sequentibus*, nihil impedit quominus is qui propter Deum principaliter confitetur, minus principaliter ad id motus sit ex verecundia, vel importunis precibus, vel alia temporali humanaque de causa: itaut (*ait idem ibidem nu.* 55.) ille satisfaciat præcepto confitendi, sufficienterue cõfiteatur, *si cætera intercedant*: qui principaliter confitetur ad obtinendam à Deo peccatorum suorum veniam; etiamsi fortè confessurus non esset, nisi timor, aut pudor ipsum ad id impulisset. Nã res iudicanda est secundum id quod principaliter intenditur: sic enim à Simonia excusatur Sacerdos, qui Missam principaliter dixit propter Deum: quamuis non dixisset nisi precibus, aut spe temporalis commodi ad dicendum inuitatus esset. Accedit quod negari non debeat quin vt contritio quædam nata ex metu (attritio dicitur) potest sufficiens esse ad obtinendam Sacramentalem absolutionem ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. sic etiam confessio, per quam eadem contritio efficitur sensibilis, vt possit esse Sacramẽti materia, sit ad idipsum sufficiens: id quod Caiet. attigit *loco cit. in expositione huius conditionis*. Atque consentaneum ei est, quod Perrus à Soto habet *in institu. Sacerd. de confessione lect.* 7. nihil referre si non nihil grauatè suscipiatur confessio: dummodo tamen vera deliberatio animi sit, velle Deo obedire, & saluti propriæ consulere.

Nona conditio, Verecunda.

Nu. 75. NOnò debet confessio esse verecunda, id est (*interprete Caiet. ibidem in expositione huius conditionis*) in qua pœnitens erubescat: tum intus apud semetipsum, de turpitudine & fœditate animæ propriæ: tum foris apud Confessarium de opprobrio, seu quòd defectuosus habeatur à Confessario. Vnde, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nauar. habet in seq. num. 59. is qui confitetur peccata quasi narrando historiam, vel se iactando, nulla ex parte erubescens, non satisfacit. Quod videtur propterea contingere, quia in taliter confitente deficit contritio sufficiens ad obtinendam Sacramentalem absolutionem: sicut etiam censeri potest deficere in eo qui confitetur sine proxime præcedenti conditione.

Nam qui detestatur peccatum suum super omne detestabile, *quod contritio requirit*; erubescit de illius turpitudine: libenterque id amplectitur, quod liberat ab ea, & à pernicie cum ea coniuncta: prout liberat Sacramentalis confessio. Etsi autem verecundia in confessione salutaris est: quandoquidem ex Dei gratia imputatur ad partem satisfactionis pœnę peccatis debitæ: *ad quod facit cap. Quem pœnitet, De pœnit. distinct.* 1.

Nu.76. Nihilominus tamen cauendum est, ne eò vsque procedat, vt Dei timorem & amorem superans, impediat omnia crimina perpetrata confiteri: sic enim perniciosa esset Pœnitentiæ; sicut est laboranti lue venerea, quòd ob verecundiam nolens eam detegere medico, miserè consumitur. Hinc hortatur Sapiens *Ecclesiastici* 4. Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.] Quarum confusionum prior retrahit à confessione: posterior verò debet illi comes esse: cuius exemplum habetur in S. Magdalena *Luc.* 7. in qua fuit tanta, vt exteriorem confusionem ipsa non sentiret: ad instar illius qui duplici infirmitate laborans; vnius earum grauiore dolore ita premitur, vt alterius minorem dolorem non sentiat. Aduerte ex hac conditione haberi, non esse consultum, eligere Confessarios nobis familiares, quos sciamus pari nobiscum scelere contaminatos, aut nostri sceleris conscios. Itémque Confessariis vitandam esse familiaritatem personarum (præsertim fœminarum) quarum confessiones audire solent.

Decima conditio, Integra.

Nu.77. DEcimò debet confessio integra esse; nempe vt Caiet. habet *ibidem* in expositione huius condit. quantum ad peccata mortalia, alias non confessa, tam dubia quam certa; & eorum circumstantias de necessitate confitendas: in quibus scienter mutilata confessio, non est pars Sacramenti pœnitentiæ, sed illius simulatio: nisi tacendi interueniat iusta aliqua causa: quorum plena cognitio habebitur per dicenda in sequentibus capitibus. Necessitas autem huius conditionis non modò traditur; sed etiam rationibus confirmatur *in cap. Sunt plures, De pœnitent. distinct.* 3. quod legendum est. Es pro rudibus addendum exemplum criminosi rei multorum criminum capitalium, à Rege de illis veniam petentis. Nam malitiosè vel vnum reticens aduertente Rege; qui præceperit omnia cum detestatione & dolore confiteri, veniam ipsam non consequetur: sed magis in se prouocabit eiusdem Regis iram. Item exemplum ægri de vita periclitantis ex acceptis pluribus plagis lethalibus; quarum si vel vnam celet Medico, quæ non curetur, in eodem periculo perseuerabit: perseuerante scilicet causa sufficiente pereundi. Quod accommodando ad rem præsentem, accommodari quoque poterit illud Iacobi 2. Qui totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.] Addi potest etiam *ex* 2. *Reg. cap.* 10. figura de seruis Dauidis, quos in conspectum suum venire noluit habentes dimidiam barbæ partem, & vestem vsque ad nates præcisam ab Hanon Rege Ammonitarum. Cæterùm sic curanda est confessionis integritas, vt in ea non tantùm mutilatio, sed etiam superfluitas vitetur: exprimendo quidem omnia quæ faciunt ad plenè informandum Confessarium de animæ statu: sed reiectis cæteris; tanquam reddentibus confessionem quasi monstruosam.

Vndecima conditio, Secreta.

VNdecimò debet cõfessio esse secreta, id est, vni Sacerdoti vice Dei facta, non enim tenetur Pœnitens tertio audiente confiteri: vt satis indicatum est *in cap. Omnis vtriusque sexus, De pœnitẽt. & remiss.* per verbum *Solus*; & nouissimè in Concil. Trid. *sess.* 14. *cap. quinto* est apertè expressum. Confirmatur que ratione: tum in expositione huius conditionis; à Caietano: quia confessio cùm Sacerdoti fiat in persona Dei omnia exploratissimè cognoscentis, excludit omnem testem: tum etiam *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 6. *conc.* 2. à Soto: quia in confessione, aperienda sunt etiam peccata occultissima; quæ publicare sine iusta causa repugnat legi naturæ, quam lex gratię non tollit. Quanquam (vt Canus habet in relect. De pœnit. par. 6.) in articulo mortis constitutus, aduertens se contritum non esse de mortalibus, quibus conscientia ipsius grauatur: (ideóque tantummodo ope Sacramenti pœnitentiæ reipsa susceptæ se posse diuinæ gratiæ restitui) tenetur confiteri, etiamsi non possit id facere audiente solo Confessario: quia tenetur quamcumque aliam iacturam postponere iacturæ æternæ salutis suæ. *Nu.78.*

Tria autem hîc occurrunt obseruanda. Primum est, nihil obstare quominus Pœnitens iusta aliqua de causa faciat, si velit, publicè suorum peccatorum confessionem: quemadmodum loco cit. Conc. Trid. expressit his verbis. Cæterùm quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etiamsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit: non est tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Vnde rectè Nauar. *in Enchir. cap.* 2. *num.* 5. notat tolli scrupulum de valore & iustitia confessionum, quæ fiunt in mari à periclitantibus, vel aliter audiente tertio. *Nu.79.*

Alterum quod obseruandum occurrit, est; ex hac conditione posse probabiliter inferri, neminem teneri ad faciendam confessionem per interpretem, aut per scripturam: quia per interpretem facta manifestat; & facta per scripturam (quæ signum est permanens, amittique potest) nata est peccatum manifestare alij, quàm Sacerdoti, cui fit. *Nu.80.*

Tertium est, Pœnitentem debere peccata sua confiteri propriis verbis, si id facere possit; quia cùm in omnibus Sacramentis semper id accipiatur, cuius est communior vsus (*quo argumento vtitur* D. Thomas *in quodlibet.* 1. *art.* 10.) in manifestatione peccatorum conuenit vti verbis quibus homines consueuerunt sensa animi sui significare aliis. Quamquam id non impedit quominus Sacramentalis confessio licitè possit aliter fieri. Nam quando Pœnitens mutus est aut ignarus cuiusuis linguæ, quam Sacerdos calleat, neque alius est à quo audiri possit: vrgente necessitate tenetur meliori quo potest modo confiteri *Nu.81.*

teri nutibus: vt D. Thomæ & omnium sententiam esse notat Sotus *in cit. art.* 6. *col.* 6. Et probatur quia nutus pro vocibus seruiunt; nec magis nati sunt publicum facere illud quod exprimunt, quàm voces. Porro meliori quo potest modo confiteri, est (interprete Soto) non quod Pœnitens teneatur summam adhibere diligentiam in exquirendis fingendisque nutibus, quos Sacerdos intelligat; sed quod ea in re illam præstare debeat, quæ in re graui adhiberi debet.

Nu.82. Præterea non valens verbo confiteri, licitè ac validè ex D. Thoma *in cit. art.* 10. potest confessionem instituere non tantùm nutibus, sed etiam scripturâ: id est, in charta descriptis suis peccatis, quæ Confessarius legat, ipsomet Pœnitente præsente & innuente de illis se dolere, séque accusare vt Sacramentaliter absoluatur. Qua in re Caiet. loco cit. monet hac cautela vtendum esse, vt Pœnitens talem scripturam teneat manibus suis, nec tradat in libertatem Confessarij, vt sic confessio minus habeat de publico. Addit idem auctor consequenter, modum quo sine vllo periculo signi publici confiteri possit mutus sciens scribere & legere. Habeat, inquit, vnum folium in quo scripta sint nomina specierum omnium peccatorum mortalium, & circumstantiarum necessariarum: & vnum aliud in quo sint numeri: & rursus habeat aliquas schedulas, in vnaquę cõtineatur *Commisi*: in alia *Æstimo seu credo*: in alia *Dubito*: in alia *Non recordor*: & sic poterit completè confiteri, monstrando digito in foliis peccatum de quo remordet ipsum conscientia, & similiter eius circumstantiam, similitérque numerum: sique non est numerus certus, sed æstimatus, potest illum monstrando, simul monstrare schedulam *Æstimo*. Iuxta quem modum, cùm nullum sit periculum publicationis peccati ex scriptura, vt patet: non videtur dari excusatio vtendi illo ad integritatem confessionis. Præterea quando Confessarius fuerit ignarus linguæ, itaut nequeat Pœnitentem intelligere: potest idem Pœnitens per interpretem confiteri. Cuiusmodi confessionem semper fuisse, & esse in vsu Ecclesiæ notat Nauar. *in Enchir. cap.* 21. *num.* 36. sicut & eam quæ à Pœnitente per scriptum fit, ipso legente sua peccata coram Confessario: quod ibidem Caietanus laudabile ait esse, & post ipsum Nauar. ad antea memoratum *cap. Fratres nu.* 89. cùm prius *in præced. num.* 87. ex tradita huius conditionis explicatione intulisset, quòd nemo teneatur ad conscribenda sua peccata, vt memoriæ succurrat: quantumuis id liceat, dummodo fiat cautissimè.

Nu.83. Iam licet Diuus Thomas loco citato, indicare videatur, *dicendo scilicet non recipere gratiam*, mortaliter peccare & inualidè confiteri eum, qui cùm loqui possit, & à Confessario intelligi, confitetur nutibus aut scripto; tamen ex Soto loco cit. cùm nullum sit præceptum Ecclesiæ in contrarium, censeri potest talis confessio valida, si facta sit cum circunstantiis necessariis, & nominatim cum integritate. Cum qua fieri nutibus, ab illo qui peccata habet explicatu facilia, concedi potest; non ab illo qui habet talia, quæ non facilè exprimantur proposito modo; velut contractus illiciti. Itaque ex illo solo extraordinario modo, si absit contemptus, haud contingit peccatum plusquam veniale, consistens in non seruando communem & receptum confitendi vsum sine rationabili causa: qualis censenda esset ex Cano *in Relect. De pœnien. par.* 6. tanta puellæ verecundia, vt voces edere nequeat: aut ægroti tantus gutturis angor, vt vix ægrèque confiteri possit: aut aliud simile per quod Pœnitens ad voce confitendum efficitur moraliter impotens, iudicio boni prudentísque viri.

Nu.84. Quartum & postremum quod hîc obseruandum occurrit, est illicitum esse sine iusta causa scienter confiteri sua peccata tertio audiẽte. Quod Nauar. *ad idem cap. Fratres num.* 90. probat: tum quia nihil minus est infamare se, quàm alium 11. *quæst.* 3. *cap. Non sicut audiendi & 12. quæst.* 1. *cap. Nolo*: tum quia secundùm Apostolum in posteriori ad Corinth. cap. 8. Non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus prouidenda sunt bona.] & Ecclesiastici 41. Habenda est cura de bono nomine.

Adde, quod grauius est, & expresserunt Syluest. & Nauar. ille *in verbo Confessio* 1. *num.* 23. & hic *in Enchir. cap.* 8. *num.* 13. mortaliter peccare Sacerdotes simul audientes multos pueros in vnum congregatos, iam doli capaces. Rationem reddit Nauar. quia tales iniuriam faciunt Sacramento pœnitentiæ, abutendo eo ad iocum & risum. Deinde, inquit Syluest. quia transgrediuntur præceptum Ecclesiasticum *capituli Omnis vtriusque sexus, De pœnitẽt. & remiss.* iniungentis vt qui ad annos discretionis venerit, solus omnia peccata sua confiteatur proprio Sacerdoti. *Nu.85.*

Vnde infert etiam, peccare mortaliter plures Sacerdotes simul audientes vnum eumdémque Pœnitentem: quia dicitur singulari numero Sacerdoti proprio. Sed tamen aduerte quod idem auctor monet: in articulo necessitatis, id est, quando imminente morte vnus post alium confiteri non potest, vt in naufragio, licere plures simul audire, nec enim per id euacuatur virtus Sacramenti. Similiter consentiente Pœnitẽte, plures Sacerdotes vnius Pœnitentis confessionem simul audire posse, quando id exigitur vt ille saniori consilio regatur ac sufficiẽter instruatur. Talemque confessionem Sacramentalem esse Sylu. ipse confirmat aduersus Scotum. In quo non immorabimur tanquam in re inusitata. *Nu.86.*

Duodecima conditio, Lacrymabilis.

DVodecimò debet confessio esse lachrymabilis, vnde possit Pœnitens dicere illud *Psal.* 55. Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo:] non quod confessio necessariò facienda sit cum exterioribus lachrymis: quandoquidem hæ non sunt in nostra potestate: sed cum interioribus: quæ sunt displicentia præteritæ vitæ, seu perpetratorum peccatorum: & propositum nouæ, seu obseruationis diuinorum mandatorum: quod idem est ex Sylu. *in seq. num.* 24. atque faciendam esse cum contritione: aut saltem cum attritione ea, quę Sacramento reipsa suscepto, sufficiat ad obtinendam diuinam gratiam. Quod cùm ita sit & sufficienter in præcedenti libro tractata sint quæ ad contritionem spectant, nihil est cur diutius in tali conditione hæreamus. *Nu.87.*

Decimatertia conditio, Accelerata.

DEcimotertiò debet confessio esse accelerata, id est, statim post peccati commissionem facta. Quæ conditio, vt sub initium huius capitis ex Diuo Thoma notauimus non pertinet ad esse, sed tantùm ad bene esse confessionis. Quod patet ex eo, quod in præced. cap. Docuimus consilium esse non præceptum, statim post admissum peccatum mortale, de eo confiteri. *Nu.88.*

***

Universidad de Deusto
Biblioteca

Decimaquarta conditio, fortis.

Nu. 89. DEcimoquartò debet confessio esse fortis, id est, facta cum tanta animi constantia, vt nihil in ea de necessariò dicendis omittatur ob metum, aut verecundiam, aut aliud simile. Quamuis autem, *vt rectè mouet Caiet. verbo Confessio Sacramentalis in expositione huius conditionis*, metus aut verecundia sic debeat in confessione superari, vt Pœnitens audeat per semetipsum sua peccata dicere. Ad hanc tamen conditionem sufficere potest ea fortitudo, qua quis siue per semet dicendo, siue interroganti Confessario respondendo, desiderat omnia, iuxta doctrinam in sequen. cap. tradendam, confiteri: neque confessionem complere nisi explicatis omnibus: itaut timor non dominetur in animo, ad dimidiandam mutilandámue confessionem. Quo ita dominante, vt Pœnitens illo percitus statuat tacere aliquod suum peccatum necessariò confitendum, tanquam dimidiatam seu truncatam faciens confessionem, sacrilegium committit: ex suáque timiditate in æternæ mortis damnationem incurrit, iuxta *cap. Sunt plures. De pœnitent. distinct. 3.* Quanquam ex Nauarr. ad sæpe memoratum *cap. fratres, num.* 101. si ipse interrogationibus Confessarij pulsatus, omnia sua peccata confiteretur, satisfaceret huic conditioni: prout indicant verba illa *cap. 1. De pœniten. distinct. 6.* Diligens igitur inquisitor & subtilis inuestigator, sapienter & quasi astutè interroget à peccatore, quod forsitan ignorat vel verecundiâ velit occultare. Quibus interrogationibus iungere debet Confessarius ex eodem Nauarr. admonitionem pœnitentis, vt pœniteat ipsum illius suæ pusillanimitatis, quâ deterrebatur à confitendis necessariis: ac peccatum quod volendo talia occultare commisit, confiteatur cum cæteris suis peccatis: quia tale quoque est de genere criminum capitalium.

Decimaquinta conditio, accusans.

Nu. 90. DEcimoquintò debet confessio esse accusans, *intellige sui ipsius*, id est, qua Pœnitens peccata sua sibi imputet, non aliis causis: vt cœlo, vel mundo, vel carni, vel sociis vel naturali complexioni, aliíve rei quàm sibi. Id quod criminis esset non parui, inquit Caiet. *ibidem in expositione huius conditionis*, nimirum sacrilegij: cùm talis confessio non sit accusatio, prout Sacramentalis debet esse, iuxta illius definitionem traditam in præceden. cap. 1. sed excusatio ad absolutionem obtinendam inepta. In cuius exemplum adfertur: tum ea, qua Aulicus confitens suos amores, dicit homines illius sortis vix posse absque illis viuere: tum ea, qua mercator sua furta confitens, dicit se non posse aliter facere, eoquod talis mos inoleuerit. Quanquam vt Nauarr. habet *in sequen. n.* 105. non videtur alienum dicere, sufficientem esse accusationem quâ pœnitens peccata sibi principaliter imputat, quamuis minus principaliter eadem imputet, diabolo vel aliis creaturis, quæ etsi non potuerunt iustam dare peccandi causam, dederunt tamen nonnullam occasionem.

Decimasexta conditio parére parata.

POstremò debet confessio, esse parére parata, idest facta à pœnitente cum ea dispositione animi, vt paratus sit iuxta Confessarij arbitriũ satisfacere Deo pro peccatis suis; si modò tale arbitrium sit æquum, vt consequenter addit Nauarr. num. 106. De qua conditione, sit ne in præcepto, an solùm in consilio, patere poterit per ea quæ in sequen. libro dicenda sunt de satisfactionis necessitate. Atque hæc hactenus de conditionibus quas sacramentalis confessio requirit, vt debitè fiat. Quas verò ex eis sic requirat, vt per ipsarum defectum reddatur inualida, patebit ex dicendis in sequenti cap. 5.

CAPVT IV.

De iis, de quibus facienda est Sacramentalis confessio.

QVædam de his certa sunt, & quædam dubia, vtraque persequemur: illa in priore, & hæc in posteriore parte huius capitis.

PRIOR PARS CAPITIS.

In qua proponuntur ea quæ certa sunt.

SVMMARIVM.

91 *De omnibus peccatis mortalibus post baptismum commissis facienda est Sacramentalis confessio.*
92 *Peccata venialia sunt quidem materia sufficiens confessionis, non tamen necessaria.*
93 *Duo casus in quibus veniale est necessariò confitendum.*
94 *Peccatorum, de quibus iam aliàs ritè facta est confessio, potest iterum ipsa fieri.*
95 *Solutio eorum quæ in contrarium obiici possunt.*
96 *Etsi autem sint materia sufficiens, non tamen necessaria, sicut nec peccata venialia.*
97 *Eorum aliqua confiteri licet aliis tacitis, nisi confessio de illis antea facta fuerit inualida.*
98 *Non est illicitum hodiè aliqua eorum vni Sacerdoti confiteri, & cras alia confiteri alteri, sed melius est, omnia vni.*
99 *De omnibus peccatis mortalibus nondum confessis, (etiamsi occulta sint) tam quoad numerum, quàm quoad speciem eorum & circunstantias mutantes speciem, facienda est confessio.*
100 *Extensiones cum quibus istud accipiendum est.*
101 *Qui notus est Confessario non tenetur confiteri circunstantiam personæ.*
102 *Sacerdoti cui iam aliàs nota sunt peccata pœnitentis, sufficiens confessio fit, si hic illi dicat se confiteri de omnibus quæ is nouit a se commissa esse.*
103 *Propositio indicans omnia necessaria ad confessionis integritatem.*

PRIMVM ergo certum est; de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ esse, vt in confessione omnia peccata mortalia post baptismum commissa exprimantur, quantum potest moraliter fieri: idque eidem Sacerdoti, & in eadem confessione, adeóque in ordine ad vnam & eandem absolutionem. Pro quo decreta Conciliorum *(inter quæ manifestissimum est illud Concilij Trident. sess. 14. cap. 5. & Can. 7.)* ac Patres adfert Suarez *tom. 4. disput. 22. sect. 1.* & ex D. Thoma rationem hanc addit; quòd cùm vnum peccatum mortale remitti nequeat sine alio, nec Sacerdos possit ab vno absoluere, quin absoluat ab omnibus: atque absolutioni adæquata esse debeat confessio: siquidem hæc ideo necessaria est, quòd absolutio non debeat dari de ignotis ex Concil. Trident. *in cit. cap 5.* Cùm, inquam, hæc ita sint, peccátaque mortalia, sicut connexa sunt quoad remissionem, sint & quoad absolutionem; erunt pariter quoad confessionem, quæ ad absolutionem ordinatur. Nu. 91.

Nu. 92. Secundò certum est, peccata quidem venialia esse debitam materiam confessionis: hanc tamen non esse necessariò de illis faciendam: itaut liberum sit illa tacere. Id quod habetur definitum à Concil. Trident. *in eo. cap. quinto.* Et ratio ostendit: quia pœnitentia est secunda post naufragium tabula. Peccatum autem veniale non est naufragium; nec enim frangit innocentiæ nauem separando hominem à Deo. Intelligendum verò istud est siue quis habeat sola venialia, siue habeat mortalia, ex probata ab omnibus, *inquit Nauarr. in Enchir. cap. 21. num. 34.* sententia. Neque obstat quod *in cap. Omnis vtriusque sexus, De pœniten. & remiss.* expresè præcipiatur confessio omnium peccatorum, nam id tantùm intelligendum est de mortalibus, vt ibidem in verbo Omnium; interpretatur glosa recepta, vt addit Nauarr. ab omnibus tum Canonistis tum Theologis. Idque meritò quia *(vt rectè argumentatur Caiet. tom. 1. opusc. tract. 5. quæst. 1. Franciscus à Victoria de sacram. num. 129. & Canus in relect. de pœnitent. part. 6.)* intentio Ecclesiæ in eo præcepto, non est præcipere confessionem; sed iure diuino præceptum determinare quoad tempus; ac proinde præceptum Ecclesiasticum obligat tantùm ad confessionem mortalium, sicut & diuinum; cum quo idem est: nec enim Ecclesia præcipit aliam confessionem quàm quæ instituta est à Christo.

Nu. 93. Attamen duo casus dantur relati à Nauar. *loco cit.* in quibus necessariò de venialibus, sicut & de mortalibus facienda est confessio Sacramentalis. Alter quando de aliquo veniali dubitatur an sit mortale: ob eam enim dubitationem tenetur quis de illo confiteri iuxta dictum D. Augustini relatum *in cap. Si quis autem de pœnitent. distinct. 7.* Tene certum, dimitte incertum. Siquidem Pœnitens tacendo peccatum de quo dubitat, an sit mortale, exponit se periculo peccandi mortaliter per mutilationem confessionis: à cuiusmodi periculo se liberat declarando illud in confessione. Vbi aduerte ex Syluest. *confessio 2. quæst. 2.* hunc casum intelligendum esse de dubio quo quis quasi in æquilibrio constitutus, non magis ad vnam partem, quàm ad alteram oppositam declinat, saltem notabiliter, etiamsi aliqualiter coniecturet de earum vna, sed sine probabilitate. Quo dato, sequitur non modò eum qui scit, sed etiam eum qui probabili ratione de aliquo peccato, existimat quòd non sit mortale, haud teneri de illo confiteri. Neque obstabit leuis aliqua formido de contrario; cùm sine tali, vix vnquam contingat opinio: cuius differétiam per quam à scientia separatur, Philosophi ponunt in ea ipsa formidine, quam scientia à se excludit.

Alter casus *sumptus ex D. Bonauentura in 4. distinct. 16. sub finem*, est: quando quis tantopere afficitur ad aliquod peccatum veniale, vt timeat se per illud inducendum ad mortale, nisi confitendo fræner fortiter talem affectum: nam consentiret aliquoi in mortale, consensu saltem interpretatiuo.

Nu. 94. Tertium certum, est de mortalibus iam aliàs ritè confessis, eandem esse rationem ac de venialibus in hoc, quòd sint materia sufficiens confessionis, etiam sola & sine admixtione aliorum peccatorum; quod communem opinionem esse nec qui contradiceret se vidisse Caiet. ait *in memorato tract. 5. quæst. 4.* In illiúsque confirmationem Nauarrus *ad cap. Quem pœnitet. De pœnit. dist. 1. nu. nono*, inducit idipsum cap. habens hæc verba:

Quantò plurib⁹ confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tantò facilius consequetur misericordiam remissionis] Inducit, inquam, dum ait: Infertur ista notabilis conclusio; quòd non solùm peccata nondum confessa, sed etiam iam confessa legitimè, iamque condonata, possunt esse sufficiens materia Sacramenti pœnitentiæ. Quod etiam ipse attigit *in Enchir. cap. 21. num. 42.* Et rationem adfert *ad cap. Fratres. De pœnitent. dist. 5. num. 29.* quòd quamuis pes primam confessionem & contritionem peccata illa condonentur: pœna tamen temporalis in quam æterna fuit commutata pro illis subeunda, minuitur tali iteratione: tum propter verecundiam, quam confitens patitur: tum propter absolutionem Sacramentalem, per quam non solùm augetur gratia, sed etiam secundùm receptam sententiam minuitur pœna in purgatorio sustinenda. Ad quam rationem accedit consuetudo virorum bonorum, eadem peccata sæpe confitentium: que, vt ait à Vict. *de Sacramen. num. 170.* maximum pro hac re habet argumentum. Accedit etiam illud Extrauag. *communis, Inter cunctas. §. Cæterum de priuileg.* non esse quidem de necessitate iterum eadem confiteri peccata, tamen propter erubescentiam, quæ bona pars est pœnitentiæ, salubre esse.

Nu. 95. Solutio autem illorum quæ in contrarium obiici possunt, in his consistit, vt habetur ex Caiet. *in ead. quæst. 4.* Primò, peccata esse tantùm remotam materiam Sacramenti pœnitentiæ; propinquam verò, quæ multiplicanda est, vt forma ipsius Sacramenti multiplicari possit, esse contritionem, confessionem & satisfactionem: quæ de vno eodémque peccato possunt esse plures. Secundò, iam remissum esse peccatum quoad culpam, ac etiam quoad pœnam, non impedire quominus ipsum sit materia sufficiens Sacramenti: alioqui enim is qui tantam de suis peccatis contritionem concepit, vt remissionem illorum sit à Deo consecutus, tam quoad pœnam, quàm quoad culpam, non posset de iisdem peccatis confiteri: quod nemo dixerit: quia vt rectè ait idem Caiet. *in solutione 3. argumenti.* confitendum est, quòd tale & tale peccatum fecerimus, non autem quòd talis peccati vinculo detineamur. Atque ad hoc, vt pœnitens à Confessario absoluatur, satis est, vt ille contritus & paratus ad pœnitentiam, exponat sua peccata tanquam ea quibus se obligauit. Quod hinc confirmatur, quia peccata post factum diligens conscientiæ examen oblita in confessione, tenemur postea cõfiteri si in memoriam recurrant: non quòd adhuc illis ligemur, quia remissa sunt cùm cæteris ante confessis, sed quia illis alligati fuimus.

Postremò sacramentum Pœnitentiæ, ex propria sua ratione habere, vt medecinale sit & curatiuum infirmitatis peccati actualis: hancque infirmitatem consistere non solùm in culpa & pœna siue æterna, siue temporali, in quam æterna ipsa fuerit mutata; sed etiam in multis aliis malis, vt patet argumento vulnerum quæ ex peccato originali in baptizatis remanent. Quibus malis quoniam anima ob peccatum tenetur alligata, potest & in eo (deleta etiam iam culpa & pœna) verificari forma Sacramenti pœnitentiæ, Absoluo te ab omnibus peccatis tuis:] conferendo nimirum gratiam, quæ quatenus est Sacramentalis Sacramenti pœnitentiæ, extenditur non solùm ad culpam & pœnam, sed adhuc ad alios per peccatum contractos animæ morbos sanandos.

Nu. 96. Quartum certum, est peccatorum iam ritè confessorum eandem ac venialium rationem esse in eo, quòd non sint de necessitate confitenda. Quodquidem (sicut & præcedens) communem Catholicorum sententiam habere notat Nauarr. *in Enchir. cap.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

9. num. 1. & cap. 21. num. 38. Ratio autem patet ex eo, quòd non sit obligatio ad confessionem aliquorum peccatorum, quin sit etiam ad eorum contritionem: cùm ex hac illa debeat procedere vt sit Sacramentalis. Ar nulla est obligatio saltem de iure diuino ad iterandam contritionem peccatorum, de quibus iam habita est: vt docuimus in præceden. lib. num. 16. Ergo nec est ad iterandam confessionem peccatorum, de quibus iam facta fuit. An verò aliqua possit esse de iure humano postea examinabitur.

Nu.97. Hinc consequens est, in confessione peccatorum iam aliquando legitimè confessorum, sicut & in confessione venialium, liberum esse quædam eorum dicere, & quædam reticere: quod expresserunt Franc. à Victoria & Sotus: ille *de Sacram. num. 166. & hic in 4. d. 17. art. 18. quæst. 2. art. 5. col. 4.*

Vbi aduerte ideo dictum esse *legitimè confessorum*, quòd per confessionem quæ iuxta dicenda in sequen. capite, inualida est, non satisfiat obligationi confitendi. Vnde sequitur discrimen inter eum qui confessionem iterat ob præcedentis inualiditatem, & eum qui iterat tantùm ob deuotionem: quòd ille teneatur confiteri omnia peccata mortalia in aliis inualidis confessionibus confessa, nec possit aliquod eorum scienter tacere, ac si nusquam de illis confessus esset. De qua re monendus est Pœnitens; sicut & de eo, quòd debeat exprimere quoties eo modo confessus sit, & in tali statu Eucharistiam sacram susceperit; cùm toties sacrilegium commiserit. Iterans verò confessionem tantùm ex deuotione, possit pro arbitrio quædam peccata iam ritè confessa exprimere, & quædam tacere: nisi dixerit Confessario se velle confiteri peccata omnia mortalia totius vitæ, & dedità opera taceat aliquod mortale quia tunc peccaret mortaliter; vt à Victor. loco cit. probat ex eo, quòd perniciosè mentiatur, confessorem decipiendo circa principalem materiam Sacramenti. Quanquam secus esset si taceret ex ignorantia, ob defectum perfectæ examinationis conscientiæ: quia vt idem author addit, confessio generalis de peccatis iam ritè confessis non requirit tantam conscientiæ examinationem, quantam confessio de nondum confessis.

Nu 98. Vt autem liberum est, quædam ex iam ritè confessis iterum confiteri, & quædam tacere: sic ex Soto loco cit. liberum est partem eorum hodie confiteri, & ab illis absolui; & partem aliam cras, & similiter absolui: & sic per hebdomadam. Imò vni Sacerdoti vnam partem, & alteri alteram: nisi quòd videretur esse genus hypocrisis, non ostendere se tam peccatorem quàm sit: verùm consultius esse vni idoneo totam conscientiam aperire, haud dubium est.

Nu.99. Quintum certum, est in Sacramentali confessione omnia peccata mortalia, tam quoad numerum, quàm quoad speciem exprimenda esse; quantumuis interna tantùm sint: vt ea quæ contra duo vltima decalogi præcepta committuntur. Omnia, inquam, quæ nondum legitimè confessa, post discussionem sui diligentem memoriæ occurrunt; simul expressis circunstantiis speciem mutantibus. Sic enim definitum habetur in Concilio Trident. *sess. 14. cap. 5. & can. 7.* Et ratio in promptu est, quia confessio instituitur ad subiiciendum peccata clauibus Ecclesiæ, vt earum virtute remissio illorum obtineatur: dicente Domino *Ioan. 20.* Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.] per quod Apostoli, & successores ipsorum constituuntur Iudices in foro pœnitētiali: in quo vt ferant sententiam secundùm æquitatem, debent totam causam audire, exploratámque habere: quod fieri non potest, nisi Pœnitens confiteatur sua peccata, declarando non modò speciem illorum; sed etiam numerum: cùm vnum quodque illorum, siue in eadem siue in diuersa specie, contineat distinctam ab aliis, pro priámque malitiá ac Dei offensam. Accedit quòd vnius mortalis remissio sine alterius remissione obtineri non possit ex Theologorum omnium (vt Nauarr. testatur *ad cap. Sunt plures, De pœnitentia distinct. tertia*) sententiá; confirmatá per illud eiusdem cap. Impium est à Deo dimidiam sperare veniam.] Ratióque aperta est: quia cùm remissio peccati mortalis non fiat sine conuersione ad Deum, nec sine infusione diuinæ gratiæ; per quod-cumque peccatum mortale autem homo manet auersus à Deo & diuina gratia priuatus, sequeretur, eundem simul esse conuersum ad Deum, & auersum à Deo: gratiá diuiná locupletatum simul esse; & eadem priuatum: quod absurdum est.

Cæterùm istud extenditur quoque ad ea peccata *Nu.100.* de quibus Pœnitens dubitat an sint mortalia; prout patet per dicta sub initium huius capitis: ac pari, imò & maiori ratione, ad ea quæ ipse omnino putat esse mortalia, quamuis non sint: aut quæ putat à se perpetrata esse, cùm mortalia sint, quamuis non perpetrauerit. Extenditur etiam, tam ad peccata quæ extra confessionem iam sunt nota Confessario, quàm ad ea quæ ignota sunt. Tam enim illa, quàm hæc de necessitate confitenda esse sententia est communis, vt notat Syluester *in verbo Confessio 2. qu. 3.* Rationémque addit, quòd ea peccata non sint manifesta Confessario in forma iudicij interioris, in quantum ipse est Dei Vicarius: quasi dicat, quòd talia peccata non sint nota Sacerdoti in foro Sacramenti pœnitentiæ: atque omne peccatum in aliquo foro iudicandum, debeat in eodem foro esse notum. Cui argumento Canus *in Relect. de pœnit. part. 5.* hæc addit. Tum quòd talia peccata, vt per Sacramentum remittantur, requirant absolutionem, & hæc requirat eorum confessionem, tanquam materiam cui illa tanquam forma applicetur. Tum quòd si peccator non confiteatur talia peccata, nequeat Confessario innotescere, an ille de eis pœniteat & proponat emendationem: vnde nec poterit idem Confessarius discernere an absoluere debeat, vel ligare.

Aduerte tamen ex Nauar. *in præcedenti num. 60.* in *Nu.101.* hac re aliam esse rationem circunstantiarum: quàm principalium peccatorum: quia enim hæc confitens, illas quoque implicitè confitetur; si Confessario erudito iam sint notæ, non esse necesse de illis explicitè confiteri. Sic, inquit ille, Sacerdos vel Monachus, qui confitetur se peccatum aliquod admisisse quod voto suo, vel statui directè sit contrarium: Confessario qui probè nouit ipsum esse Sacerdotem vel Monachum, non tenetur confiteri personæ circunstantiam, quamuis in infinitum aggrauet idipsum peccatum, mutando speciem.

Aduerte verò ex Medina *in Cod. de Confess. quæst. 8.* *Nu.102.* videri probabile, quòd sufficere possit ad integritatem confessionis, quoad ea quæ iam sufficienter nota sunt Confessario, vt dicat Pœnitens: Accuso me Pater de illis peccatis quę scis me commisisse. Sic, inquit ille, si mulier non habet alia peccata confitenda quàm ea quæ cum suo Confessario commisit, satisfacit dicendo, Confiteor & doleo me peccasse in illis quæ nosti me tecum commisisse. Item si aliquis extra confessionem verbo vel scripto omnem suam vitam peccaminosam Sacerdoti detexit, tanquam narrans historiam: volens postea ab illo absolui, facit satis si in illis omnibus, quæ retulit se reum esse eidem Cõfessario fateatur, poteritque absolui. Cuius doctrinæ fundamentum est, quòd non videatur ad aliud necessaria peccatorum confessio explicita; nisi vt Sacerdos integram habeat notitiam de peccatis, super

super quibus sententiam absolutiuam debet proferre. Vnde si Sacerdos habeat aliunde sufficientem peccatorum. Pœnitentis notitiam, ipséque Pœnitens se omnium illorum quæ Sacerdos nouit reum esse fateatur: siue ea cognouerit ex reuelatione ipsi vel alteri facta, siue ex facti euidentia, siue aliunde; id habendum est pro confessione ad hoc sufficiente, vt à tali Confessario absolui possit is, qui se de illis cum dolore confiteri ait, & deprehenditur. Quanquam de consilio melius est integram de nouo confessionem instituere.

Nu.103. Ex dictis ad iudicandum de integritate confessionis (ex qua potissimùm, & ex contritione pendet validitas illius) hæc propositio statuitur. Ad confessionis integritatem spectare, vt Pœnitens confiteatur omnia & singula peccata mortalia, quæ post factam diligentem conscientię discussionem memoriæ occurrerint; siue cogitatione tantùm perpetrata sint, siue verbo, siue opere: siue publica sint & nota, siue secreta; itémque ea de quibus dubitat an mortalia sint nécne: aut quæ putat esse mortalia, quamuis reuera non sint: aut quæ putat se fecisse, etiamsi reuera non fecerit: ita tamen vt confiteatur dubia tanquam dubia, certa tanquam certa, incerta tanquam incerta, & ea de quibus timet tanquam de eiusmodi.

POSTERIOR PARS CAPITIS.

In qua explicantur quæ sunt dubia.

SVMMARIVM.

104 *Peccata ante baptismum commissa, non sunt materia confessionis Sacramentalis.*
105 *De obligatione Monachorum Benedictinorum ad confessionem menstruam.*
106 *Ab ea non excusatur Monachus habens tantùm peccata venialia.*
107 *Solutio rationum contrariarum.*
108 *Non potest lege humana induci obligatio ad iterandam confessionem iam ritè factam.*
109 *Solutio obiectionis in contrarium.*
110 *Doctrina Caietani, quòd quædam peccatorum species non sunt de necessitate exprimendæ in confessione.*
111 *Fundamentum talis doctrinæ.*
112 *Contraria sententia tenenda, & cur.*
113 *Excepto casu, in quo diuersitas peccatorum obscurior esset; & ea tam à Confessario, quàm à Pœnitente ignoraretur.*
114 *Et casu in quo diuersita esset tantùm physica, non verò moralis.*
115 *Is qui determinatè scit peccatorum suorum numerum tenetur illum determinatè exprimere.*
116 *Explicandus est numerus peccatorum, non narrando hæc sigillatim ac seorsim, sed dicendo simul totum ipsum numerum.*
117 *Non explicatur sufficienter per verbum sæpe, frequenter, aut multoties.*
118 *Affectus commitendi peccatum intermissus & repetitus, non explicatur sufficienter, confitendo tantùm ipsam commissionem.*
119 *Quas actiones peccati comites opus sit in confessione exprimere.*
120 *Qui scire potuit suorum peccatorum mortalium certum numerum, peccat mortaliter non confitendo illum.*
121 *Quomodo satisfiat præcepto confitendi peccatorum numerum, cum is certò sciri non potest.*
122 *Qui consuetudinem habuit committendi aliquod peccatum, qua ratione eidem præcepto satisfaciat.*
123 *Duæ conditiones quibus eadem ratio est temperanda.*
124 *Solicitudo mediocris in inquirendo numero certo peccatorum, sufficere potest ad satisfaciendum dicto præcepto.*
125 *Pœnitens quocumque modo confitendi peccatorum suorum numerum vtatur, intentionem debet habere declarandi omnia quantum est in sua potestate.*
126 *Quid agendum sit, cùm deprehensus fuerit error commissus confitendo verosimilem numerum peccatorum.*
127 *Circunstantiæ aggrauantes ex vno genere in aliud genus: vel ex vna specie in aliam speciem.*
128 *De circunstantia virginitatis, an sit exprimenda in confessione de peccato carnis.*
129 *Circunstantiæ multiplicantes peccatum intra eandem speciem, vel facientes mortale de non peccato vel tantùm veniali.*
130 *Circunstantiæ aggrauantes aut minuentes tantùm venialiter.*
131 *Circunstantias diminuentes in infinitum non confiteri scienter, peccatum est mortale.*
132 *Circunstantia aggrauans peccatum intra eandem speciem exprimenda est in confessione, si illud de veniali faciat mortale.*
133 *Fundamentum, opinionis, quòd de necessitate exprimi debeant circunstantiæ aggrauantes in infinitam intra eandem speciem.*
134 *Fundamentum contrariæ opinionis.*
135 *Quid tenendum sit in praxi.*
136 *Euersio fundamenti priorís opinionis.*
137 *Duo casus quorum exceptione restringenda est posterior opinio.*
138 *Quando confitendo peccandi sit exprimenda in confessione.*
139 *Quomodo vt de specie, sic & de numero peccatorum iudicetur ex circunstantiis.*
140 *Notabile de confessione rusticorum, quoad circunstantias & numerum peccatorum.*
141 *Ad confitendum sufficienter circunstantiam, quæ per obliuionem omissa est, non est necesse repetere peccatum quod ipsa aggrauauit.*
142 *Confirmatio eius rei.*
143 *Circunstantiarum sicut & peccatorum non modo numerus, sed etiam species est exprimenda, cum sua varietate, si sit varia.*

Actenvs de iis quæ certa videntur, sequitur vt dubia proponamus & explicemus.

Primum dubium, An peccata mortalia ante baptismum commissa, confitenda sint de necessitate.

Ad hoc paucis respondetur cum Medina *in Cod. De confess. quæst. 5. sub finem*, non esse audiendum Angelum de Clauasio *verbo Confessio 2. num. 2.* cùm dixit talia peccata esse de necessitate confitenda. Nam pœnitentiæ Sacramentum, est secunda post naufragium tabula: seu remedium aduersus peccata mergentia nos in interitum: institutum pro tempore quo illis delendis baptismus non potest amplius vsui esse; vt non potest cùm commissa sunt in illius susceptione, vel post illius susceptionem; quia baptismus *Nu.104.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptissimus nequit iterari. Peccata mortalia igitur de quibus est ex necessitate confitendum: sunt commissa, aut sumendo baptismum indebitè (*verbi gratia, sine firmo proposito nouæ vitæ*) aut post baptismum ipsum susceptum. Accedit ad confirmationem: tum vsus Ecclesiæ, nec talem confessionem exigentis, nec imponentis satisfactionem pro peccatis commissis ante baptismum, etiamsi exigat illorum detestationem cum firmo proposito emendationis: tum etiam authoritas Concilij Triden. *sess.* 14. *cap.* 2. vbi proposita doctrina satis clarè traditur.

Secundum dubium est, An possit humana lege præcipi venialium confessio.

Nu. 105. HOc inquiritur propter *Clement. primam De statu Monach. §. Sane*, vbi præceptum datur Monachis Benedictinis semel confitẽdi singulis mensibus. De quo Sotus *in 4. distinct.* 18. *quæst.* 1. *art.* 3. *col. penult.* sentit non obligare habentem solummodo venialia, sicut nec præceptum Cap. Omnis vtriusque sexus. De pœniten. & remiss. quoniam vt per hoc, ita & per illud Ecclesia intendit tantùm declarare præceptum diuinum de confessione, illud abbreuiando in Monachis: vt quo modo omnes fideles tenentur singulis annis confiteri, si habeant peccata mortalia, ita illi teneantur singulis mensibus. Eandem sententiam sequitur Sylu. *Confessio, primo, quæst.* 13. consequenter docens satis esse dictis Religiosis non habentibus mortalia, si se præsentent suo Confessori dicentes, nihil se habere necessariò confitendum; sed se in multis lapsibus deliquisse: sicut (inquit ille) de laicis tenet communis doctorum schola: nimirum illis nõ habentibus mortalia, sufficere vt proprio Sacerdoti se præsentent, dicentes nihil se habere necessariò confitendum. Quibus eumdem Sacerdotem debere credere monet à Victoria *De Sacram. num.* 129. vt & Sotus *in seq. col. vltima*. Addens exceptionem: nisi aliã legitimã viã constiterit talem Pœnitentem prauum & impostorem esse. Quanquam tamen iidem authores aliique communiter monent, vtile esse vt non habens mortalia, de venialibus confiteatur. Rationem reddit Nauar. *in Enchir. cap.* 21. *num.* 34. quia per id augetur gratia, & minuitur pœna purgatorij, & renouatur propositum numquam peccandi venialiter.

Nu. 106. Caietan. verò *in tomo primo opusc. tract.* 5. *quæst.* 1. & post eum Nauar. *ad cap. Placuit, De pœnitent. distinct.* 6. *num.* 122. sentiunt eam esse dicti præcepti obligationem, vt Monachus cui imponitur habens tantùm venialia, teneatur de aliquo eorum confiteri. Talis enim constitutio obligat absolutè ad menstruam confessionem; tanquam (perinde ac alia quæ ibidem præcipiuntur) conducentem maximè ad obseruationem monasticæ disciplinæ: cui se prouidere velle Pontifex ostendit. Cùm ergo confessio fieri possit tam de venialibus quàm de mortalibus; nihil sanè est cur talis Monachus non habens mortalia excusetur à menstrua confessione: si quidem venialia adhuc habeat de quibus sibi conscius, illam facere possit.

Nu. 107. Ad argumenta verò Soti respondendum est, negando dictum Clementinæ præceptum, esse tantùm determinationem iuris diuini, sicut est præceptum Decretalis *Omnis vtriusque sexus, De pœniten. & remiss.* asserendóque esse præceptum humanum de vsu confessionis, tanquam medio valde accommodato ad restituendam & conseruandam Religiosam disciplinam: sicut & cùm Religionum fundatores aut reformatores præcipiunt frequentem confessionis vsum, non intendunt determinare de eo datum præceptum diuinum: sed simpliciter vsum confessionis præcipere. Ratio autem cur præceptum Decretalis potius, quàm Clementinæ in hac re censeatur tantùm determinatio iuris diuini, est quòd illa iniungat omnium peccatorum confessionem sub grauissimis pœnis; ex clusionis ab Ecclesia in vita, & priuationis sepulturæ Ecclesiasticæ in morte. Id quod intelligi non potest, nisi de confessione mortalium, quam ius diuinum imponit. Namque de omnibus venialibus confitendis non potest rationabiliter dari præceptum, & maximè sub tam grauibus pœnis: cùm impossibile sit homini omnia sua venialia peccata in memoriam reuocare; iuxta illud *Psal.* 18. Delicta quis intelligit?] Adde quod habet à Victoria loco citato, consentaneum non esse Ecclesiam piam matrem filiis suis perfectioribus (quales censentur qui tantùm habent venialia) sub tam grauibus pœnis confessionem venialium imponere, quæ confiteri non tenentur qui habent mortalia.

Clementina autem memorata, cùm absolutè iniungat confessionem, relinquit liberum non habenti mortalia, perinde ac habenti, de quibus, velit venialibus confiteri, dummodo de aliquibus confiteatur; nec transgressori aliam pœnam imponit, quàm vt regulari subiiciat disciplinæ, id est, pœnæ quam regula dictat, vt glosa interpretatur ad verbum *Regulari*. Quæ pœna in regula sancti Benedicti est (vt ex eiusdem regulæ declaratorio *cap.* 46. citat Iacobus à Graphiis, ipse Benedictinus *in lib.* 1. *Decis. Aurearum cap.* 9. *num.* 11.) quod non confitenti semel in hebdomada imponatur, vt comedat in terra cum pane & aqua, & dicat suam culpam in Capitulo.

Quod verò Sotus & Sylu. adhuc vrgent: si daretur præceptum Ecclesiasticum obligans ad confitendum venialia, Ecclesia mutaret materiam Sacramenti, faciendo necessariam de non necessaria. Reiicitur, negando id esse mutare materiam Sacramenti: quia ex Christi institutione, venialia sunt materia sufficiens Sacramenti pœnitentiæ: neque præcipere illorum confessionem, magis efficit illam quam ipsi obiiciũt mutationem, quàm vouere confessionem aut sub iuramento eam promittere. Cùm ergo votum emissum de facienda confessione singulis mensibus, non reprehendatur tanquam alienum ab institutione Sacramenti pœnitentiæ: sed commendetur tanquam factum de opere supererogationis admodum salutari: nihil est cur vrgeatur præceptum de eadem confessione perperam dari.

Tertium dubium, An peccata iam ritè confessa, iterum confitenda possit quis humano præcepto obligari.

Nu. 108. DE hac re satis fusè disserit Nauar. *ad cap. Placuit, De pœnitentia distinct.* 6. *num.* 107. *& aliquot sequen.* statuítque post Gersonem, Palud. aliósque nonnullos, quos commemorat, neminem sine suo consensu à quoquam homine, quantacumque polleat authoritate, posse obligari ad confitenda iterum peccata, de quibus iam legitimè confessus est, & ab eis absolutus. Rationes ipsius sunt duæ. Altera, quòd Ecclesia non obliget ad nimis difficile argumento *cap. Aliqui gant* 26. *quæst.* 7. valde autem difficile sit, iam factam mortalium confessionem iterare: sicut & iam persolutam grandem pecuniæ summam iterum soluere. Vnde obiicienti quod antea dictum est, præcipi posse confessionem venialium: ille occurrit *ibidem num.* 121. inquiens non valere hanc consequentiam. Statui potest, vt quis teneatur confiteri venialia. Ergo vt & teneatur confiteri mortalia iam confessa: quoniam nemo non videt durius esse bis mortalia omnia confiteri, quàm semel venialia & ea tantùm quæ volueris. Altera ratio ipsius est, quòd habeatur ex iure communi, nullam esse necessitatem iterandi confessionem iam ritè factam; vt ex extrauag. communi Vas electionis, De hæret. Vbi statuitur contra Ioan. de Poliaco, illos qui confitentur Fratribus potestatem generalem habentibus audiendi confessiones, non magis teneri eadem peccata confiteri, quàm si ea confessi fuissent proprio suo Sacerdoti. Item *ex Extrauag. Inter cunctas, De priuilegiis. §. Cæterum.* vbi expresè dicitur non esse de necessitate iterum eadem peccata confiteri. Nusquam autem inueniatur in eod. iure communi (*addit in præced. num.* 116. *idem Nauar.*) neque vlla ratione probari possit iam legitimè confessum & absolutum, siue à suo Parocho, siue à Fratribus, siue ab aliis potestatem habentibus, teneri de iisdem iterum confiteri.

Nu. 109. Statutum autem Monachorum Cistercienſium (quod in ipsorum priuilegiis à duobus Summis Pontificibus cõfirmatum Nauar. ibidem *num.* 118. refert) vt omnes semel in anno suis Abbatibus confiteantur, ea quæ aliis Confessariis prius confessi essent, & ab iisdem absoluti; non repugnat huic doctrinæ, quæ non procedit quando quis suo consensu obligatur. Sicut igitur qui vouit, aut iurauit se facturum totius vitæ confessionem generalem obligatur ratione voti, vel iuramenti ad confitendum iterum peccata mortalia iam ritè confessa: sic & qui regulam profitetur præcipientem confessionis iterationem, ad hanc obligatur ratione talis præcepti cui sua sponte se subiecit. Quoniam ergo, inquit Nauarrus, qui Cistercienſium ordinem profitentur, tacitè volunt se subiicere omnibus illius ordinis statutis; ideo tacitè saltem, consentiunt in obligationem iterandi confessionem peccatorum suorum: sicut is qui sacrum ordinem suscipit, obligat se ad castitatem seruandam.

Dubium quartum, An omnes peccatorum species, etiam specialissimæ sint confitendæ.

Nu. 110. CAusa dubitandi est, quòd vna ex parte quando sunt plures peccatorum species in vno actu, plura quoque sint peccata in genere moris; sicut & sunt plures malitiæ seu defectus, repugnantes rectæ rationi. Quare qui de aliqua peccati specie tacet in confessione, non confitetur integrè de omnibus & singulis peccatis suis; prout debet iuxta Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. Et ne tergiuersari liceat, Concilium expresè ibidem definit, circunstantias in infinitum aggrauantes peccatum mutando speciem, confitendas esse: de quibus magis dubitari poterat, quàm de peccatis specie distinctis. Ex altera parte verò Caiet. *in tom.* 1. *opusc. tractatu* 5. *quæst.* 3. sentit non esse necessarium in confessione exprimi eas peccatorum species, quæ vt plurimum notæ non sunt, & quibus non expresis Confessarius perinde condemnaturus est vel absoluturus pœnitentem, ac si eas expressisset; itaut ea de causa, nulla sit opus diuersitate, siue in iudicio faciendo de statu Pœnitentis, siue in imponenda pœnitentia, siue in consilio dando, & siue in medicina adhibenda. Quam sententiam approbant Canus *in relect. de pœniten. par.* 6. & Nauar. *ad princip. cap. Consideret, De pœniten. distinct.* 5. *num.* 18. & vterque Sotus, Dominicus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. *concl.* 2. & Petrus *in Instit. Sacerd. De confessione, lectione nona.*

Fundamentũ autẽ quo Caiet. nititur est differentia quæ cernitur inter iudicium purè vindicatiuum, & iudicium medicinale institutum ad emendationem & salutem eius qui iudicatur. In illo enim exacta culparum cognitio requiritur: ad hoc nimirum vt pœna tanta sit, quantam quis per culpas meritus est. In hoc verò non exigitur exacta cognitio culparum, sed qualis & quanta necessaria est ad curationem & emendationem malefactoris qui iudicatur. Cumque à Christo constitutum sit duplex iudicium, cui subiicerentur fideles in peccatum prolapsi, vnum pro præsenti vita, & alterum pro futura: istud (quod nos vocamus iudicium extremum) est prioris generis, cùm in eo exactissimè ab vnoquoque exigendæ sint pœnæ, suis peccatis debitæ, iuxta illud *Matth.* 5. Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.] Illud verò (quod nos appellamus iudicium pœnitentiale) est posterioris generis: quia in eo non tam agitur vt Pœnitens puniatur, quàm vt emendetur & saluetur; iuxta illud *Ioan.* 3. Non misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum.] Quæ differentia, non obscurè insinuatur *in cap. Omnis vtriusque sexus De pœniten. & remiss.* cùm dicitur: More periti Medici, Sacerdos diligenter inquirat peccatoris circunstantia & peccata: iuncto *cap. Deus qui, eodem titulo*: ex quo habetur moderandam esse pœnitentiam, non tam secundùm quantitatem excessus, quàm secundùm Pœnitentis contritionem per discreti Sacerdotis arbitrium: pensatâ qualitate personarum, & consideratis circunstantiis omnibus, prout saluti eorum viderit expedire. Vnde satis patere videtur in confessione ad iudicium ipsum pœnitentiale pertinente, non esse omnino necessarium exprimi eas peccatorum species, quæ nec admodum notæ sunt, nec in aliquo variant iudicium Confessarij circa statum Pœnitentis: nec impediunt tale proferri, quod accommodatum sit & salutare Pœnitenti ipsi. *Nu.* 111.

Cæterùm prior pars videtur tenenda absolutè (vt tenet Suarez *tom.* 4. *dispur.* 21. *sect.* 2.) propter authoritatem manifestam Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. & *Can.* 7. atque communè vt Caiet. fatetur Doctorum consensum: nimirum non esse satis sua peccata in genere exponere etiam dicendo; commissi tria peccata mortalia contra primum præceptum; aut admissi tria peccata luxuriæ; vel alio simili modo; & multominus aliquo generaliori: vt dicendo multoties peccaui mortaliter contra Dei præcepta: tam variis modis mortaliter offendi Deum vt non valeam explicare: sed exponenda esse singula in specie sua: nempe dicendo. Contra primum præceptum offendi mortaliter per hæresim, desperationem, & superstitionem si talia sint tria illa peccata. Item peccato luxuriæ offendi mortaliter per fornicationem, adulterium, incestum, & sic de similibus, addito etiam numero, si iterata fuerint eiusdem speciei peccata, prout tradetur in explicatione sequentis dubij. *Nu.* 112.

Posteriot pars vero videtur admittenda tantùm, vt modificatio prioris partis in duobus casibus. Alter est cùm tam à Confessario, quàm à Pœnitente inuincibiliter ignoratur diuersitas specifica taliũ peccatorum, quæ etiam vt plurimum sit ignota: quia enim ea obscurior est, Confessarius ad illius scientiam non ita tenetur, quin possit illam inuincibiliter ignorare: sicque fit, tum vt talis ignorantia non constituat scientiæ defectum, quo confessio redditur inualida: tum vt possit admitti quod habet Nauarr. *in citato num.* 18. *& in sequenti* 113. doctrinam de confessione peccatorum in sua specie, non procedere in speciebus illis, quæ vt plurimũ non sunt notæ. Quod si diuer *Nu.* 123.

Universidad de Deusto
Biblioteca

si diuersitas illa dignoscatur vel à Pœnitente, vel à Confessario: non video cur vel ille non debeat eam exprimere, vel hic illum de ea exprimenda monere: nec sufficiat ita confusè declarasse, vt talis diuersitas non intelligatur apertè. Nam Concilium Tridentin. *sess.14.cap.5.* definit exprimenda esse in confessione omnia & singula peccata quæ post factam diligentem conscientiæ discussionem venerint in mentem. Deinde quòd aliqua peccatorum diuersitas specifica, sit vt plurimùm nota, & aliqua non sit: causa quidem sufficiens esse potest ignorantiæ inuincibilis: non tamen excusationis ab ea exprimenda in confessione: quia non impedit quominus contineat diuersæ virtuti, diuersóque præcepto repugnantem malitiam moralem offensámque Dei, per quam varietur Pœnitentis status; vt in se, ita & in iudicio Confessarij.

Nu.114. Alter casus (de quo in citata lectione nona Petrus à Soto intellexit Caietani sententiam) est, cùm diuersitas specifica peccatorum fuerit tantùm in genere naturæ: tunc enim quia malitia moralis in illis est eiusdem speciei, nihil est opus diuersitatem declarare, vt v.g. Si quis peccauerit in diuinando, vel prolabendo in hæresim, satis est si dicat, Toties peccaui peccato diuinationis: neque necesse est addere, semel per pyromantiam, iterum per hydromantiam, ac demum per necromantiam. Item, toties lapsus sum in hæresim; nec necesse est dicere, semellapsus sum in hæresim Lutheranam, iterum in Caluinianam, demum in hæresim nouorum Arrianorum; quia in talibus non est diuersitas specifica moralis, sed tantùm physica. Idem iudicium est de eo, qui peccauit per crapulam: nec enim necesse est, vt exprimat omnia ciborum genera quibus se ingurgitauit: sicut nec necesse est, vt fur exprimat se furatum esse argentum, aut aurum, aut pannum, aut aliud simile: dummodo rei pretium explicet. Ita habet alter Sotus *in sequenti concluſ.6.*

Dubium quintum, Quomodo in confessione explicandus sit peccatorum perpetratorum numerus.

DVplici responsione huic satisfaciendum est. Priore quidem, quoad eum qui sciuerit determinatè certum numerum suorum peccatorum: posteriore verò, quoad eum qui nesciuerit.

Nu.115. Respondetur ergo primò: scientem, teneri talem numerum peccatorum exprimere: vt v. g. si sciat se decem vicibus peierasse, teneri determinatè dicere, decies peieraui. Ratio est quia cùm numerus peccatorum necessariò aperiendus sit in confessione, vt omnium ore affirmari habent Nauar. & à Victoria ille *ad princip. cap. Considereet, De pœniten. distinct. 5. num.* 40. & hic *de Sacramen. num.* 178. Decimum autem vel centesimum peccatum periurij, v. g. non minus sit peccatum quàm primum vel secundum eiusdem speciei, sanè si non licet in confessione scienter tacere primum vel secundum, nec licebit centesimum: proindéque certò sciens se decies peierasse, si præ pudore aut alia simili de causa confiteatur dicendo nouies peieraui, peccat mortaliter vt expresserunt Sylu. & à Victoria ille *Confessio 1. quæst.11. sub finem* & hic *loco citato.*

Nu.116. Nota autem primò, ex Soto *in citato art. 4. col.3.* & aliis quos refert & sequitur Suarez *tomo 4. disput. 22. sect.5. num.37.* non esse opus ita exprimere numerum peccatorum eiusdem speciei, vt dicantur singula per se, & quasi historicè narrando: sed satis esse dicere vno verbo (quemadmodum habet Nauar. *in Enchir. cap.6. num.18. versu 16.*) millies blasphemaui: millies peieraui: millies feci contra meum votum, vel iuramentum; decies consului alicui, vt in peccato mortali perseueraret; aut illud toties feci ad finem fornicandi, & sic de aliis: nisi fortè aliquod talium peccatorum haberet annexam circunstantiam mortaliter aggrauantem, ratione cuius esset de illo seorsim facienda particularis mentio. Ratio verò talis doctrinæ est: tum quòd breuitas, quæ vna est de perfectionibus confessionis, id exigat: tum quòd vsus peccata sua narrandi, ita ferat.

Nota secundò (quòd ex Caiet. habet Nauar. *ad supra memoratum principium num. 42. & 43.*) ad exprimendum in confessione peccatorum numerum, non sufficere vt Pœnitens dicat: sæpe, seu frequenter, seu multoties tale peccatum commisi. Ratio est, quòd aliter sit iudicandus, & medendus is qui bis tantùm, quàm qui centies furatus est. Verbum autem, siue sæpe, siue frequenter, siue multoties: in duobus actibus verificatur: iuxta *glosam cap. Monasteria, de vita & honest. Cleric. verbo Frequentare*: receptam ab omnibus vt Nauar notat *in eit. num.*43. Ideoque nihil amplius ad declarationem peccati sui teneretur dicere qui centies, quàm qui bis furatus esset: quod patet esse à ratione alienum, cùm certum sit non posse ex tali declaratione sufficiens de illius statu iudicium ferri à Confessario; cùm relinquat eum dubium & incertum in eo de quo posset & deberet certiorem ipsum facere: perinde scilicet ac ille qui sciens se furatum esse, aut perierasse, dicit: si furatus sum vel peierauerim confiteor. Nam sicut hic circa peccati speciem, ita ille circa numerum deficit in modo declarandi sua peccata. *Nu.117.*

Nota tertiò: quamnis in confessione sufficienter exprimi censeatur interior affectus per actum externum, qui ab eo prouenit: vt interior affectus furandi, per furtum: itaut sufficiat confiteri dicendo furatus sum, nec opus sit addere habui voluntatem furandi, quia hoc ex illo satis intelligitur. Attamen cùm iterati fuerint plures affectus non coalescentes in vnum numero (vt quando vno cessante per expressam mutationem intentionis, alter resumitur) tunc non sufficit solùm actum externum exprimere, quia per eum non intelligitur talium affectuum numerus: quem confiteri oportet non secus ac numerum actuum externorum: quandoquidem obligatio confitendi ad vtrumque genus peccati pariter extenditur iuxta Concil. Trident. *sess. 14. cap.5.* Sic igitur (vt ex Maiore habet ibidem Nauarrus) qui decies voluit aliquid vltra sortem vi mutui capere, etiam circa eamdem pecuniam, non satisfacit si dicat se semel dedisse pecuniam ad vsuram, nisi adhuc exprimat se decies id facere voluisse. *Nu.118.*

Nota quartò quod habent Sotus & Nauarrus: ille *in eod. art. 4. col. 11.* & hic, *tum in sequenti num.48. tum in Enchir. cap. 6. num. 16. & 17.* quando multæ actiones sunt de se dispositiones ad vnam aliquam finalem, non esse quidem necessarium illas explicare, si hæc completa fuerit: vt qui hominem interfecit, non tenetur dicere; quòd insidiatus sit illi, quòd gladium eduxerit animo interficiendi illum, &c. quia tales dispositiones cum illo suo fine idem numero peccatum constituunt: cùm sic malitiam eius induant, vt sit eadem omnium, sicut omnium partium corporis. eadem est anima. Si verò ea ipsa finalis actio non fuerit completa (vt si prædictus non interfecerit) necessarium esse actiones quæ ad eam dirigebantur, exprimi in seipsis: quandoquidem in illa (cùm non sit) exprimi nequeunt. Idem est iudicandum de peccatis, quæ sunt quidem actiones annexæ alicui peccato exter *Nu.119.*

externo, sed non sunt dispositiones de se ad illud præuiæ: ad quod ordinantur tantùm ex intentione peccantis: vt si quis ad occidendum inimicum, asciuit sibi socium, aut ad violandum puellam interposuit alium, qui eam ad id solicitaret: id enim & aliud eiusmodi exprimendum est in confessione: neque sufficeret dicere interfeci hominem; aut puellam violaui. Ratio est quia eius generis dispositiones non habent cum actione finali connexionem per quam hac posità, illę intelligantur interuenisse. Atque hæc hactenus quoad eum qui determinatè scit peccatorum suorum numerum.

De modo explicandi numerum peccatorum, cùm is non scitur determinatè.

Nu.120. QVoad eum verò, qui nescit peccatorum suorum numerum, respondetur si per latam suam culpam nesciat: putà quia de ea re non præcogitauit cùm potuerit, peccare mortaliter tacendo numerum suorum peccatorum, nec valere illius confessionem, prout expressit Nauar. *in præc. num.* 14. Et confirmatur quia talis reticentiæ, quæ tollit cõfessionis integritatem à Christo institutam, nulla datur iusta causa.

Nu.121. Sin debitum diligentiam adhibuerit quidem, sed nescire potuerit certum suorum peccatorum numerum, debere prout idem addit, secum rationem ponere, quoties in die, vel hebdomada, vel mense, plus minúsve peccatum illud admiserit, & verosimiliorem numerum exponere dicendo v.g. decies circiter peieraui: quod sufficere cùm nescitur certus peccatorum numerus Caiet. probat *in tomo 1. opusc. tract. 5. quæst.3.* quia peccatorum numerus declarandus est in confessione, non vt facit differentiam in iudicio absolutè, sed vt facit differentiam in iudicio salutari: siue prout habet Petrus à Soto *in citata lectione nona*, quia iudicium hoc, non ad integram peccatorum punitionem, sed ad salutem potius animarum ordinatur. Quamuis autem iudicium absolutè, requirat notitiam omnium rerum de quibus ipsum ferendum est; attamen prout ordinatur ad iudicati salutem, mutationémve mali status in bonum, tam exacta cognitio non requiritur, sed verosimilis sufficere potest ad adhibendam medelam conuenientem.

Nu.122. Vnde ait Caiet. quod communiter approbatur, quando consuetudo peccandi præcessit, non esse necessarium vt Pœnitens vel Confessarius de huiusmodi numero etiam verosimili solicitus sit: sed potius de explicando statu per tempus & frequentiam perpetrationis delicti: nempe, quòd per tantum temporis, vt per decennium, consuetudinem habuerit quotidie peierandi: quòd per integrum annum omiserit diuini officij recitationem ad quam tenebatur, quòd absque legitima causa non seruauerit ieiunia Ecclesiastica, & sic de similibus casibus: in quibus ex declaratione frequentiæ & procliuitatis peccandi, status Pœnitentis ad illius curationem magis intelligitur, quàm ex declaratione verosimilis numeri. Sic cum eod. Caiet. Nauar. & à Vict. aiunt: ille *ibidem num.* 15. & hic *De sacramen. num.* 178. si audienda sit meretrix ad pœnitentiam conuersa; quæ decem annos in lupanari fuerit, non sit opus eam solicitam reddere; an centum millia peccatorum commiserit plus minúsve, sed satis erit vt ita dicat, Ego decem annos fui in hoc vitio quoslibet homines (quoties Sacerdotes vel alios voto castitatis adstrictos, quoties coniugatos vel solutos; non est necesse eam multum solicitam reddere addit Caiet.) admisi: & in qualibet hora parata fui admittere. Ratio est, quia ex eo Confessarius tantam accipit notitiam, quanta illi necessaria est ad finem confessionis consequendum; seu ad prudens iudicium & remedium adhibendum ad peccatricis confitentis curationem spiritalem. Ad cuius doctrinæ confirmationem induci potest illud *cap. Considereet, De pœniten. distinct.5.* Considereet quantum perseuerauerit, & defleat quod perseueranter peccauit.

Eam autem Sotus *in eodem art.4. non longè ab initio*, *Nu.123.* censet temperandam duabus conditionibus. Altera est, vt si interuenerint circunstantiæ mortaliter aggrauantes, quæ per illum generalem confitendi modum non satis intelligantur, tales explicentur: vt si dicto modo Confitens meretrix admiserit flagitium contra naturam, aut consanguineo commixta sit. Altera est, vt si absque magna difficultate fieri possit, frequentia distinctè exprimatur, dicendo quoties in die vel in hebdomada vel in mense peccatum perpetratum sit durante ea consuetudine: quoniam (inquit Sotus) etiamsi duæ mulieres sint eodem tempore, mente ad turpitudinem paratissimæ, vna tamen potest eodem tempore decies opere peccare, & alia centies: quarum proinde est diuersa ratio: sicut & duorum latronum ad omne facinus paratorum, quorum alter magna & multa fecit latrocinia, & alter tantùm pauca, & fortè exigua. Itaque debebit dicere toties ferè, aut paulo plus vel minus, id mihi accidebat in die, aut in hebdomada, aut in mense. Tunc ergo demum tempus consuetudinis generaliter sicut propositum est, expressisse sufficit, cùm peccatorum numerus ita excreuit, vt Pœnitens nequeat facilè illum inire: sicut accidit ei qui assiduam habuit consuetudinem iurandi, aut qui perinde ac maritus concubinam in domo & lecto habuit. Quam difficultatem aduertens Confessarius, non debet nimiùm instare vt Pœnitens ipse per singulos dies, vel hebdomadas, vel menses dicat numerum peccatorum: quia dum ipse ad talem suppputationem cogitur, sæpissimé incertum numerum confitendo: mentitur. Ita notat à Victoria *in eodem num.* 178.

Præmonens non esse necessarium magnam adhibere diligentiam ad cognoscendum distinctè certum numerum peccatorum. Cogitat aliquis (inquit ille) se falsum iurasse multoties, semel in qualibet septimana, paulo plus vel minus; sique amplius cogitaret vel fatigaret se, posset reperire certum numerum: dico quòd illud non est necessarium. Nam dummodo parum plus vel minus attingat numerum peccatorum, licet non determinatum, nihil impedit eorum quæ sunt in confessione facienda in ordine ad salutem Pœnitentis. Non enim impeditur absolutio, cui sufficit talis notitia: nec satisfactio quæ non est imponenda ad æqualitatem, sed prout Confessarius cognito sufficienter statu Pœnitentis, arbitratus fuerit. hæc ille. *Nu.124.*

Admonet item Caiet. loco cit. quia Pœnitens ad reconciliationem suam cum Deo, tenetur accusare se de omnibus mortalibus, ipsum consequenter teneri intentionem habere explicandi in confessione omnia sua peccata mortalia, illáque comprehendendi sub quocumque dicendi modo, quo vtetur confitendo. Neque enim per ante assignatos modos, liberatur Pœnitens vel Confessarius à molestia difficultatis inuestigandi certum numerum peccatorum: sed ij dantur ad faciliorem rationem explicandi peccata omnia iuxta Christi institutionem. Addunt Sylu. & Nau. ille *confessio, 1. quæst.11. in fine*, hic verò *ad princ. cap. Considereet, De pœnit. dist.5. num.61.* numerum peccatorum satis manifestari, quando ex complexu verborum confitentis, Confessarius eum æquè intelligit, ac ipse confitens. *Nu.125.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.126. Admonent præterea Sotus & à Victoria: ille *in citato art.4.* & hic *in sequenti num.179.* cùm in confitendo incerto numero notabilis error fuerit cómissus, si postea deprehendatur, confitendum esse de excessu si fuerit notabilis, non item si notabilis non fuerit. Exempli gratia, aliquis confessus est se decies peierasse, paulò pluries: postea verò deprehendit se peierasse vicies, tenetur confiteri eas vices quæ numerum prius dictum excedunt: non item si deprehendat se duodecies peierasse, quia antea dicens (paulò pluries) duas illas vices complexus est, quantum potuit moraliter. Cuius doctrinæ ratio est, quòd integritas ad perfectionem confessionis non ita exigatur, vt hæc necessariò debeat semper esse omnino conformis peccatis ipsis: sed sufficit conformem esse secundùm facultatem & conscientiam Pœnitentis; quod est morali modo satis innotescere Confessario, vt possit de illis ad hoc forum accommodatè iudicare. Quod Suarez *tangit tomo 4. disp. 22. sect. 5. in fine.* Esse verò simul cum numero in tali casu exprimendam peccati speciem, dicendo v. g. numerus peccatorum de quo non sum confessus, est trium furtorum, quatuor periuriorum, sex detractionum: non autem in genere tredecim peccatorum mortalium: patet, quia confessio oblitorum recurrentium in memoriam facienda est eodem modo quo facta fuisset in præcedenti confessione si memoriæ occurrissent. At facta fuisset dicendo ter peccaui furando, ter peierando, &c. alioqui non fuissent distinctè expressa omnia peccata secundùm propriam ipsorum speciem.

Sextum dubium est, An solæ circunstantiæ in infinitum seu mortaliter aggrauantes mutando speciem, sint de necessitate confitendæ. Cui vt satisfaciamus, supponemus ex Nauarr. *in Enchir. cap.6. nu.* 3. inter circunstantias aggrauantes, mortaliter peccatum, cum eodem confitendas de necessitate, *congruenter definitioni Concilij Trident. sess.14. cap. 5.* numerari sequentes.

quærere, an fuerint virgines, quia siue stuprum fuerit diuersæ, siue eiusdem speciei, graue sibi detrimẽtum eo ipso intulerunt, perdẽdo irrecuperabilẽ virginitatis aureolam. Obiicit autem aduersus Sotum Nauarr. *in Enchir. cap.6. num.* 7. quòd stuprum mentale & externum sint eiusdem speciei: sed facile est occurrere, quòd Sotus fundetur in eo, quòd stuprum externum adferat secum damnum, quod purè mentale non adfert, quantumuis eiusdem speciei sit.

Nu.129. Tertiò autem numerari eam quæ multiplicat peccatum in eadem specie morali; vt facit circunstantia temporis, quando quis non audit sacrum die dominico: in quem incidit festum S. Ioannis Baptistæ (exempli gratia) itaut non sufficiat dicere, semel omisi sacrum die festo: sed addendum est illum diem fuisse Dominicum & sacrum D. Ioanni Baptistę; quià in hoc casu, sicut & in duobus præcedentibus, non vnum sed duo peccata committuntur transgressione duorum præceptorum, diuersam obligationem imponentium: cùm sic sint inter se diuersa, vt vnum nõ includatur in altero, nec tantùm sit alterius renouatio circa actum eiusdem specie. Neque mirum videri debet vno actu cómitti duo peccata eiusdem speciei: quia qui culpabiliter displaudens bombardam occidit decem homines, committit decem homicidia, quæ omnia debet in confessione exprimere itaut dicendo tantùm, commisi homicidium, non satisfaciat, sicut satisfaceret si tantum vnum occidisset.

Quartò denique, numerari eam quæ de non peccato, aut de peccato tantùm veniali facit mortale: quia mortalis circunstantia, cuicumque accidat, semper constituit mortalem Dei offensam: & ideo in confessione de necessitate exprimendam. Sic ille, qui pauperi dedit eleemosynam, vt induceret ipsum ad perpetrationem homicidij: aut furatus est calamum socij, vt eum prouocaret ad blasphemandum, licet non teneatur confiteri de tali eleemosyna vel furto, tenetur tamen de vtriusque circunstantia: nempe de fine mortaliter malo.

Quatuor genera circunstantiarum aggrauantium.

Sectio I.

Nu.127. PRimò quidem, eam quæ trahit peccatum ex vno genere mortalis ad aliud: vt cùm quis furatur ad mœchandum: qui non satis diceret in confessione commisi furtum: sed debet exprimere circunstantiam finis per quem tale furtum rationem induit fornicationis: quæ genere distinguitur ab illo.

Secundò verò, eam quæ trahit peccatum ex vna specie mortalis, in aliam eiusdem generis: quomodo circunstantia obiecti in peccato carnis, facit vt quod sine eadem circunstantia, tantùm esset simplex fornicatio, sit vel stuprum commissum circa Virginem, vel adulterium circa personam coniugatam, vel incœstus, circa personam consanguineam aut affinem, vel sacrilegium circa personam Deo dicatam.

Nu.128. Vbi nota obiter ex Soto *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. col.* 13. non esse necessarium vt Confessarius cum pueri aut puellæ mentalem consensum in rem veneream confitentur, suffundere seipsum, & illos vel illas pudore; interrogando an sint virgines, ad declarationẽ circunstantiæ stupri. Ratio illius est, quòd in stupro simplici, seu à quo abest violentia, non cernatur modus iniuriæ, in qua sufficienter fundetur peccati species distincta à fornicatione, sicut in raptu, vel adulterio vel huiusmodi aliis. Quanquam, vt idem addit, quando confitentur opus perpetratum, bonum est

Quatuor alia genera circunstantiarum.

Sectio II.

Nu.130. SVpponimus secundò, cæterarum circunstantiarum quatuor esse genera. Primum earum, quæ infinitum, seu venialiter tantùm aggrauant peccatum: de quibus certum est quòd possint subiici confessioni, sed non esse necessarium eas subiicere: quoniam par est ratio earum, ac peccatorum venialium, vt bene ait Nauarr. *ad ante memoratum principium cap. Consideret num.14.* Cum quo *in Enchir. cap.6. nu.4.* inde inferes peccantem ob fiduciam, quòd postea veniam obtinebit, non teneri de necessitate id confiteri: quia non est circunstantia multum aggrauans, imò potius imminuens peccatum.

Secundum est earum quæ minuunt tantùm venialiter, vt quando mulier inuenta sola in loco secreto, multis blanditiis & tactibus impudicis donísque illecta, consenserit turpitudini; aut quando famem patiens in necessitate, non tamẽ extrema, furatus est: cuiusmodi circunstantias quamuis plerique putarint esse de necessitate tacendas in confessione: eoquod declaratio illarum videatur excusatio peccati, non accusatio: Nauarrus tamen in sequenti num. 6. aliique plures (*quorum meminit Henriquez. lib. 5. Summæ Theologiæ Moral. cap.7. §.3. lit. N. O*) tenent contrarium: nullam nimirum obligationem esse illas tacendi, sicut nec dicendi: quia nec ratio, nec lex vlla dari potest, quâ sufficienter talis obligatio probetur: neque eas exprimens cum peccato suo, excusat se; quia sufficienter culpam quam habet imputat sibi, nihil adiiciens ei aut detrahens. Quinmo, vt addit Nauarr. si Confessarius de illis Pœnitentem interroget ad pleniorem cognitionem peccati, is respondere tenetur; ac etiam non interrogatus, illas confiteri (salua tamen confessionis discretione) quando ex illarum occultatione Confessarius caperet occasionem alicuius mali: aut, *iuxta illud Ecclesiastici* 41. Curam habe de bono nomine] Pœnitenti esset propriæ famæ consulendum. Sic puella, quæ iuuenem admisit pressa inopiâ, vel mortis metu, quamuis peccauerit mortaliter: tamen ad consulendum suæ famæ debet exprimere illas circunstantias necessitatis vel mortis: quibus peccatum ipsius multum minuitur. Quæ doctrina est Soti & Franciscí à Victoria: illius quidem *loco citato col.8.* & huius *de Sacramentis num.175.*

Nu.131. Tertium genus circunstantiarum, est earum quæ diminuunt peccatum in infinitum, id est, de eo quod alioqui esset peccatum mortale, faciunt non peccatum, aut peccatum tantùm veniale. Exemplum est, cùm quis capit alienum, sed extrema necessitate cõpulsus: aut communicat in diuinis cum nominatim excommunicato, sed id facit sine plena aduertentia. Illa enim extrema necessitas acceptionem alieni facit non peccatum; & defectus plenæ aduertentiæ facit illam communicationem cum excommunicato, esse tantùm venialiter malam, quæ cum plena aduertentia esset mortaliter mala. Cuiusmodi circumstantias de necessitate esse in confessione exprimendas, sententia est communis teste Nauarr. *in eod. cap. 6. n.6.* quàm à Victor. *loco citato* probat: quia mendacium alioqui est tale quid dicere in confessione: cùm tanquam mortale proponatur, quod non est: in quo peccari potest mortaliter (quod Sotus *in eod. art. 4. col.* 7. attigit) sicut & expresse mentiendo circa mortale. Itaque si ille qui in exemplum allatus est, confitendo absolutè, de industria dicat furatus sum notabilem quantitatem: aut Missam audiui cum nominatim excommunicato, grauiter peccat; quia cùm verba illa de se indicent peccatum mortale, cuius non est reus, fallit Confessarium in materia notabili.

Nu.132. Quattum & postremum genus est earum circunstantiarum quę aggrauãt in infinitum intra eandem speciem: quæ aggrauatio interdum sic fit, vt peccatum quod in se paruum est seu veniale, fiat magnum seu mortale, Exemplũ est, cùm quis furatus est quinque asses, existimans se furari quinque nummos aureos: tunc que dubium non est quin circunstantia aggrauans aperienda sit in confessione: idque etiãsi mentalis tantùm culpa fuerit, quæ inde non desinit rationem habere peccati mortalis in confessione exprimendi de necessitate. Interdum verò sic fit, vt peccatum, quod iam in se magnum, mortaléve est, duplo aut amplius fiat maius, vel etiam maximum; & de talibus circunstantiis dubitatur an sint de necessitate in confessione exprimendæ: vt v. g. An ei qui furatus est centum nummos aureos sufficiat dicere. Commisi furtum mortale, perinde ac si vnum tantùm aureum furatus esset: an verò teneatur exprimere quantitatem, per quam talefurtum intra eandem speciem (*vtrumque enim est species furti*) aggrauatur supra furtum vnius aurei.

Difficultas de circunstantiis aggrauantibus in infinitum intra eandem speciem: num sint de necessitate exprimendæ in confessione.

Sectio III.

DE hac in vtramque partem varios authores referunt Henriq. & Suarez: hic *tomo 4. disput. 22. sect. 3.* & ille *lib. 5. cap. 7. lit. Q. & V*, Duorum nobiliorum & in docendo accuratiorum meminisse sufficiet Soti & Nauarr. quorum ille partem affirmantem & hic negantem propugnat.

Nu.133. Partis affirmantis autem fundamentum Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. col.* 10. istud constituit potissimùm; quòd is qui continuè peccat tota vna horâ: v. g. continuando sine interruptione propositum occidendi inimicum, nó minus peccet cæteris paribus, quàm is qui eodem tẽpore ter aut quater interruptum tale propositum repetiit; nec item qui semel furatus est centum aureos, quàm is qui totidem furatus est tribus vel pluribus vicibus; aut qui semel flagrantissimo in aliquem exarsit odio, quàm ille qui bis vel ter prosecutus est aliquem odio non adeò vehementi: nec etiam qui extra templum furatus est mercatori centum, quàm qui decem in templo: aut qui prudens & sciens laicum interfecit, quàm qui imprudens, cum aliqua tamen sua culpa, occidit Sacerdotem. Quare non minus ad integritatem confessionis pertinet, vt declarentur circunstantiæ mortaliter aggrauãtes peccatum intra eamdem speciem, quam numerus aut circunstantiæ mutantes speciem, quemadmodum ostendunt exempla proposita: tum de quantitate, quæ est circunstantia obiecti: tum de continuatione & intensione, quæ sunt circunstantiæ modi, non mutantes speciem. Ad confirmationem facit, quòd Confessarius de peccatis censere debeat, non tantùm ex ipsorum numero & specie, sed etiam ex grauitate: iuxta quam debeat Pœnitentibus iniungere satisfactiones salutares pro facultate ipsorum, & criminum qualitate: itaut leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum particeps, efficiatur ex Concilio Trident. *sess.14. cap.* 8.

Nu.134. Partis autem negantis præcipuum fundamentum Nauarr. *in Enchir. cap.6. nu.7. & ad priucip. cap. Consideret, de pœnit. distinct.5. num.6. & aliquot sequentibus*, ponit, tum quòd confessio res esset penè impossibilis, & conscientiarum quædam tortura. Si enim tantam difficultatem experiuntur & Pœnitentes & Confessarij in perquirendis circumstantiis speciem mutantibus, & numero peccatorum: quid quæso fiet si examinari debeat vniuscuiusque peccati grauitas, ad declarandum illius notabilem excessum, cùm pauca sint etiam vnius speciei peccata, quæ non sint alia aliis maiora ratione personæ, aut modi, aut moræ, aut antecedentium, aut consequentium. Neque dum pœnitentes Confessario importuni fiunt subinde redeuntes, ac dicentes, Non satis expressi vehementiam affectus cum qua turpitudinem commisi, nec moram quam in ea committenda traxi, nec oscula & eiusmodi alia quibus ad illa mihi viam muniui: vix eis potest alia ratione satisfieri, vt tuta & tranquilla maneat conscientia ipsorum; quàm dicendo istiusmodi quæ in genere morum non mutant speciem, nec augent numerum peccatorum, non esse de necessitate confitenda. Ad quę &ad alia similia incom-

Universidad de Deusto
Biblioteca

moda *quæ loco posterius cit. persequitur* Nauarrus ad idem confirmandum : ratio hæc accedit, quòd præceptum confessionis sit positiuum, obligans ex sola Christi Domini voluntate: de qua quandiu non constat extendi ad aliquid; ipsum nequit dici necessariò comprehendi præcepto confessionis. At Christi voluntatem fuisse obligare fideles ad confitendas suorum peccatorum circunstantias aggrauantes intra eamdem speciem, non constat; neque sacrarum literarum authoritate, neque Sanctorum Patrum Ecclesiæue traditione; neque Conciliorum definitione, vt satis indicatur per illud quod Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. tradendo doctrinam fide Catholica tenendam de confessione, docendóque de quibus ea sit ex necessitate facienda: meminerit tantùm peccatorum omnium & singulorum ac circunstantiarum quæ in infinitum aggrauant, mutando speciem: relinquens liberum vt in speculatione, sic & in praxi sequi vtrãtis propositi dubij partem, tanquam probabilem: vtpote nobilium Doctorum authoritate, & rationum satis validarum firmamento munitam.

Nu. 135. Cæterùm quidquid sit in speculatione, puto in praxi posteriorem sententiam tanquam benignioren sequendam esse, quando in eo genere nihil actum est contra consuetum modum peccandi, aut quando peccata sunt quæ nihil nocent proximo, vt interna, & ea quorum aggrauatio est in sola mora temporis, aut in sola intensione actus voluntatis. Nam ea sententia multum demit de illo horrore patefaciendi liberè animæ suæ statum, quo plerique à salutari confessionis vsu retrahuntur. Si enim difficultatem experiuntur in enumerandis speciatim suis peccatis, & in eorum numero declarando: quid quæso fiet, si ab iis exigatur vt declarent quanto tempore in vnoquoque malo voluntatis proposito, aut in dicto, vel opere illicito moram traxerint: quoties illud interrumpere & ab eo abstinere potuerint nec fecerint: quanta rationis plena aduertentia seu iudicij plenitudine peccauerint. Aut certè si non vincantur rei difficultate, sed hac quoque ex parte satisfacere confessionis integritati constituant; in anxietatem & conscientiæ quamdam torturam incurrunt, dum subinde timent ne satis plenè huius vel illius grauitatem expresserint: & sic pace vix vnquam fruentur: quod est magnum impedimentum gustandi quàm suauis sit Dominus, vt inflammemur ad illius amorem, in quo perfectum nostrum bonum consistit.

Nu. 136. Fundamentum verò alterius sententiæ, ex eo tollitur; quòd obligatio confitendi peccata & circunstantias, tota sit à Christi voluntate nobis declarata: atque talis voluntatis obligandi nos ad confitendum circunstantias non mutantes peccati speciem, nullam habeamus certam declarationem: siue per expressum aliquem sacræ Scripturæ textum: siue per aliquam Ecclesiæ traditionem aut definitionem: siue etiam per necessarium aliquem rationis discursum. Nam is maximè esset quem Concil. Trid. loco citato vsurpat ad ostendendum circunstantias mutantes peccati speciem, esse de necessitate in confessione exprimendas: quòd scilicet peccata ipsa sine illis, neque à Pœnitentibus integrè exponantur, neque Iudicibus innotescant sufficienter, vt de grauitate criminum rectè censere possint ac pro illis pœnam quam oportet imponere pœnitentibus. Talis verò discursus non est necessarius respectu circunstantiarum non mutantium peccati speciem: cum procedat facta suppositione institutionis Christi de remissione peccatorum obtinenda per formã iudicij, requirentis quidem ipsorum peccatorum manifestationem, sed talem tantummodo qualem eadem sua institutione Christus ipse voluit. Voluisse autem manifestationem eiusmodi fieri confessione peccatorum cum omnibus circunstantiis ipsorum: tam non mutantibus quàm mutantibus speciem, nihil pro certo exploratum habetur, sed in opinione relinquitur. Iam quod Concilium Trident. probat confitendas circunstantias mutantes speciem, quia Sacerdoti innotescere debent peccata Pœnitentis, vt huic pœnam quam oportet ille imponat: intelligendum est, non quod causa totalis & integra confitendi circunstantias quæ mutant speciem, sit absolutè, quòd per illas crescat peccatorum malitia; sed quòd malitia simul & numerus peccatorum per illam augeatur, atque teneamur ex Christi institutione omnia peccata nostra mortalia confiteri. Circunstantia autem non mutans speciem licet augeat malitiam, non auget tamen numerum peccatorum: ideóque definitio Concil. Trid. ad eam extendenda non est. Ad quod facit illud notatum à Nauarr. *in Enchir. cap. 6. num.* 7. quod multi sanctissimi ac doctissimi viri, qui eidem Concilio interfuerunt, de hac re postea disseruerint, tanquam posita in opinione: quòd non fecissent, si aliquid determinatum esse de fide cognouissent.

Attamen posterior ipsa opinio restringenda est ex *Nu.* 137. Nauarr. *in seq. num.* 8. exceptione duorum casuum, alter est, in quo tali circunstantiã tacita, tegitur Confessario reseruatio peccati cum tali circumstantia perpetrati. Sic enim cùm certæ quantitatis furtum Episcopo reseruatur per synodalem constitutionem, non est satis dicere sum furatus: sed dicendum est in tali quantitate: aut etiam tegitur excommunicatio imposita ob peccatum cum tali circunstantia commissum: sic cum in bulla Cœnę Dñi excõmunicentur mutilantes, vulnerantes aut interficientes peregrinos Romam deuotionis causã accedentes, is qui aliquem huiusmodi interfecit, non confitetur sufficienter dicens, commisi homicidium; nisi addat circunstãtiam hominis occisi, ratione cuius excommunicationem incurri nouit. Aut item tegitur restitutio aliqua facienda, ratione cuius talis circunstantia aperienda est; quia Confessarius debet ex ea iudicare de facultate Pœnitentis, restitutionem ipsam faciendi; & arbitrari quando & quomodo sit facienda, aut demum ex eodem Nauarro *ad memoratum principium cap. Consideret. num.* 14. eo quod confessio, siue explicita siue implicita, numeri verosimilis peccatorum, aliter fieri nequeat: quoniam is ipse numerus in tali circunstantia continetur aut certè per eam indicatur. Namque longa peccati continuatio, aut vehementia, ex magna intensione praui affectus, vt plurimùm, non modò malitiam, sed etiam numerum peccati auget siue per se, siue per aliquid concomitans. Sic ille qui ita incensus est irâ; vt inimicum occidens delectet se in vulneribus ipsius, non tantum admittit homicidium, sed etiam peccatum fœuitiæ (de quo *D. Thom. 2. 2. quæst.* 159. *art.* 2.) quodquidem Pœnitens taceret tacitâ circunstantiâ modi quo perpetrauit homicidium: & sic de aliis id genus. Alter casus est, quando Confessarius talem circunstantiam interrogat, nec ea fileri potest absque periculo alicuius spiritalis incommodi: immo & pari ratione, si non interroget quidem, sed à Pœnitente cognoscatur eiusmodi incommodum secuturum si ea taceatur; nempe se non accepturum à Confessario congruam medicinam: aut se positurum obicem diuinæ gratiæ. Quæ sunt exempla Sylu. *in verbo Confessio 1. quæst. nona in fine.*

Iam quòd tertium casum addere videtur Nauar- *Nu.* 138. rus: inquiens eum qui prauam habet consuetudinem peccandi, teneri illam explicare, vt status ipsius Cõfessa

fessarij innotescat, & is debitam pœnitentiam possit iniungere; non est sic accipiendum, quasi tale quid absolutè sit de necessitate. Neque enim (*vt Canus ait in relect. De pœnit. par.* 6.) necesse est Pœnitentes macerare de recidiuo malitiam habente constitutam in generali erga Deum benefactorem ingratitudine, quæ cùm cernatur in omni peccato, sicut & generalis inobedientia: satis intelligitur à Confessario per confessionem peccatorum, quantumuis ea non exprimatur. Quanquam, vt ille subiungit, consilium optimum est, reciduum & peccandi consuetudinem explicare Confessario: non solùm ob verecundiam, cuius fructus in confessione maximus est: verùm etiam ob remedium: quoniam aliter simplici febri, aliter hecticæ medemur. Neque negandum est, quin Pœnitens teneatur necessariò respondere Confessario secundùm consuetudinem receptam, vt certior fiat, interroganti, An ipse cum debita dispositione, nempe cum dolore sufficienti, & firmo emendationis proposito ad confessionem accedat: recidiuum enim arguit tale propositum esse infirmum, Confessariique iudicium mutat. Aut an persistat in aliqua propinqua occasione peccandi mortaliter: Confessarius enim de iis quę absolutionem impedire possunt, tenetur se informare: & consequenter Pœnitens tenetur illi respondere; tanquam iusta ac debita interroganti pro iudicis authoritate qua fungitur. Immo & consuetudinem ipsam vltro detegere debet, si aduerterit, se alioqui non accepturum medicinam congruam.

Admonitio de circunstantiis in particulari.

Sectio IV.

QVod hìc à nobis institutum nostrum exigit, vt à generalibus ad particularia descendentes, doceamus de vnaquaque circumstantia, An in confessione exprimi debeat nécne, requirit doctrinam *in sequen. lib.* 14. Deo iuuante, tradendam proprio loco, explicando in particulari quænam augeant vel minuant; siue in finitum, siue in infinitum: & quæ mutando speciem ac quæ intra eamdem speciem; quibus cognitis nemo est quin possit per hactenus dicta statuere quænam ex illis sint, aut non sint de necessitate in confessione exprimendæ, maximè adiutus lectione eorum quæ Nauarr. habet in Enchir. cap. 6.

Nu. 139. Interea tamen illud paucis monendum est, de peccatorum numero, sicut & de specie, ex circunstantiis iudicari per repugnantiam ad rectam rationem quã influunt in ea ipsa peccata. Itaque non dicimus tria furta, actum eum quo quis furripit rem ad tres homines pertinentem, quia obiectum per quod pugnat cum recta ratione, nó sunt tres homines, sed res aliena, quę vna est. Dicimus autem tres detractiones esse, oblocutionem eam qua quis trium hominum famam lædit: & tria homicidia, vnam catapultæ displosionem, quâ quis tres homines occidit; quia homo est obiectum ex quo tales actus habent quod repugnent rectæ rationi. Sic etiam dicimus diuinationes per aquam & per ignem non distingui specie in genere moris, quia illæ ex aqua & igne per quę differunt, non accipiunt suam dissonantiam à recta ratione. Dicimus similiter non distingui specie furta quibus surrepti sunt boues, equi, vestes, aurum, & huiusmodi alia: quoniam illa ex his secundùm suam naturam sumptis non habent quod rectæ rationi repugnent, sed secundùm illud quod sunt alienũ pecuniã æstimabile, in quo omnia prędicta furta sunt vnius speciei. Displosioné verò bombardę quâ quis nefariè occidit patrem in templo, dicimus tria peccata specie distincta: quia homo, pater, & locus sacer, quorum singulorum respectu, illa repugnat rectæ rationi, differunt inter se specie in genere morum.

Non erit etiam absre, pro remedio difficultatis *Nu.* 140. satis frequentis, addere quod Henriquez *in Institut. moralis Theologiæ lib.* 5. *ca.* 8. §. 2. habet his verbis Rustici qui nesciunt discernere species morales aut numerum; sed grosso modo confitentur, explicantes grauiores quasdam circunstantias & tempus peccati consueti, quia amplius à Parocho indocto non interrogantur, hi non sunt cogendi repetere totius vitæ confessiones. In quam sententiam Bartholomæus Medina *in instruct. Confessariorum lib.* 2. *cap.* 8. *sub finem* ait, illum quidem qui ex proposito omiserit confiteri peccatorum suorum numerum, teneri ad iterationem confessionis: alium verò non item, si paratus erat quantum posset eum dicere, quando à Confessario interrogaretur. Sufficere enim, si confiteatur de negligentia, quam in eo commiserit, & numerum peccatorum mortalium, de quibus confessus est indicet quantùm poterit commodè reminisci. Quanquam vt meritò ille addit, tutius est generalem confessionem de omnibus peccatis admissis instituere.

Postremum dubium est, An oblitus confiteri circunstantiam de necessitate confitendam, teneatur simul cum ea iterum confiteri peccatum quod illa aggrauauit; an verò sufficiat illam solum confiteri, non detecto aliter eodem peccato.

HOc fusè tractat Nauarr. *ad princip. cap. consideret. De pœniten. distinct.* 5. *à num.* 104. *ad* 117. & paucis totam illius solutionem attingit *in Enchir. cap.* 6. *sub finem*; inquiens satis esse confiteri circunstantiam; vt si quis iurauerit se non furaturum, non occisurum, non blasphematurum: & cùm in talia peccata incurrisset de illis confitens, non meminit dicere se de iis non committendis iuramentum præstitisse; satis illi erit postea confiteri, dicendo se ter licita iuramenta transgressum esse, aut se fecisse tria peccata quæ iurauerat se non facturum: nisi fortè talis esset circunstantia, cuius malitia intelligi non posset in sua specie non declarato peccato iam confesso: vt si quis in Ecclesia homicidium perpetrasset; speciem sacrilegij in eo commissi declarare non posset, non declarato ipso homicidij peccato. *Nu.* 141.

Huius doctrinæ potissimum fundamentum est, *Nu.* 142. quòd negari non possit quin is legitimè confessus sit, qui peccatum suum declarauit omissâ per obliuionem inuincibilem illius circunstantiã, non secus ac omisso alio peccato: quandoquidem propria & specialis malitia peccati potest plenè innotescere absque illius circunstantia, quæ accidentalis ei est. Neque obstat quòd status Pœnitentis, ea confessione non intelligatur tam malus esse, quàm reuera sit; quia idipsum similiter contingit ex obliuione aliorum peccatorum mortalium. Sicut igitur omisso per obliuionem inuincibilem vno peccato, non est necesse iterare cæterorum confessionem; ita nec omissâ circunstantiâ, necesse est iterare confessionem peccati in ea secundùm suam speciem & numerum sufficienter manifestari. Quod si quis vrgeat rationem circunstantiæ postulare, vt ad illius declarationem intelligatur in specie, id cuius est circunstantia: negandum est tale quid postulare: quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nauar. *ad memoratum principium num.* 108. ex eo confirmat, quòd is qui facit opus genere suo bonum, & ex aliqua tantùm circunstantia malum est mortaliter, satisfaciat confessioni, dicendo in genere se fecisse aliquod opus de se bonum, sed quod tali circunstantia mortaliter mala vestiatur: vt qui pauperi dedit eleemosynam, vt ipsum induceret ad perpetrandum homicidium, satisfaceret confitendo se fecisse bonum opus, vt induceret alium ad patrandum homicidium: nec est necesse, vt specificet illud bonum opus fuisse eleemosynam: & ita de similibus, in quibus malitia non tenet se ex parte actus; sed tota pendet ex circunstantia: quam specificare proinde sufficit. Simili ergo modo, quia peccatum iam sufficienti confessione deletum, tacitâ per obliuionem ipsius mortali circunstãtiâ, nihil attinet ad huius malitiam, quam habet totam ex eo, quòd de se repugnet rationi; non verò ex eo, quòd actui, siue bono siue malo accidat. Quia inquam, hoc ita est, nec necesse est peccatum iam ritè confessum iteratò confiteri, fit vt ad debitam confessionem circumstantiæ etiam mutantis speciem, omissæ ex obliuione, necessarium non sit actum peccati iam confessi, cuius erat circunstantia, declarare in sua specie: sed satis sit dicere v. g. duodecies violaui licitum iuramentum quod oblitus eram dicere in alia mea confessione. Quinimo ob eam rationem, cùm simul in mentem venerunt peccatum & circunstantia, potest de illis tanquam de duobus diuersis peccatis fieri confessio, nec obligatio est vnum confiteri; vt alterius circunstantiam: quod aliis citatus litera N, Henriquez notat *lib.* 5. *cap.* 5. §. 4.

Nu. 143. Aduerte autem, quia oblitorum confessio facienda est perinde, ac facta fuisset si ea in memoriam venissent cum aliis ante confessis; si circunstantiæ oblitæ plures fuerint inter se diuersæ speciei; puta periurij, violationis voti, contaminationis loci sacri, eas esse exprimendas non tantùm secundùm numerum sed etiam secundùm speciem suam, perinde ac peccata oblita: quia ad illarum perinde atque ad horum, confessionem obligamur. Sic ergo quia scandalum formale (quo quis peccat dum aliquid dicit vel facit eo animo vt alium inducat ad perpetrandum peccatum mortale) trahitur ad speciem illius peccati quod intenditur ac proponitur pro fine: ad illius sufficientem explicationem in confessione, tenetur Pœnitens non solùm dicere quod voluerit inducere alium ad peccatum mortale: sed etiam exprimere debet in specie ad quod mortale: vt ad homicidium, vel blasphemiam, vel aliud. Ita Nauar. *in Enchirid. cap. 6. numero* 19.

CAPVT V.

De iis, per quæ Confessio Sacramentalis redditur inualida, seu inefficax ad peccatorum remissionem.

SVMMARIVM.

144 *Confessio valida, inualida, informis, formata, quæ sit.*
145 *Defectus ex parte Confessarij, quibus confessio Sacramentalis redditur inualida.*
146 *De defectibus specialiter, attentionis & intentionis, ac prælationis verborum Sacramentalium.*
147 *De defectu vsus rationis in Pœnitente, & defectu examinis conscientiæ.*
148 *De defectu sufficientis saltem attritionis.*
149 *Quando confessio sit inualida ex malo fine, vel ex mutatione Confessarij.*
150 *Defectus integritatis confessionis reddens ipsam inualidam, quomodo contingat.*
151 *Iusta causa illum excusat.*
152 *Cuiusmodi est obliuio, aut ignorantia inuincibilis.*
153 *Non tenetur iterare totam confessionem is qui de aliquo peccato confessus non est, eoquod nesciret esse mortale: nec is qui non declarauit suorum peccatorum numerum, nesciens id esse necessarium.*
154 *Altera causa excusans est necessitas seu impotentia.*
155 *Exempla de ignaro idiomatis, & de patiente deliquium, & de naufragantibus.*
156 *Tertia causa iusta, periculum grauis damni imminens ex confessione peccati.*
157 *Quod in hac re censeri debeat graue damnum.*
158 *Ratio cauendi tale damnum.*
159 *Iusta causa tacendi aliquod peccatum, non excusat ab obligatione confitendi de aliis.*
160 *Casus in quibus licet in confessione reuelare complicem.*
161 *Non est iusta causa tacendi peccatum, quòd Confessarius minoris, quam antea faciet confitentem.*
162 *Iusta causa tacendi peccatum in confessione est, ne Sacramentale sigillum violetur.*
163 *Defectus propositi confitendi reddit confessionem inualidam.*
164 *Admonitio de modo iterandi confessionem factam inualidè.*
165 *Defectus satisfactionis non reddit confessionem inualidam.*
166 *Defectus autem propositi satisfaciendi, inualidam reddit in duobus casibus.*
167 *An ille qui non impleuit satisfactionem acceptatam in præcedenti confessione, teneatur hanc iterare, difficultas est: cuius pars negans censetur probabilior.*
168 *Quòd detur confessio valida, seu sufficiens ad implendum præceptum de confitendo, quamuis non sit cum diuinæ gratiæ consecutione & remissione peccatorum.*
169 *De ratione qua id contingit.*
170 *De modo quo postea talem effectum sortiatur, dissentiunt Doctores.*
171 *Monitum pro Confessariis de absolutione indispositi.*
172 *Aliquot propositiones quibus explicatur quatenus in Pœnitente excommunicatio obstet quominus valide confiteatur.*

CONFESSIO quædam valida est, quædam inualida: & rursus valida, quædam informis, & quædam formata. Censetur autem valida esse, cùm nihil ei deest spectans ad substantiam Sacramenti Pœnitentiæ: sique nec desit effectus eiusdem Sacramenti, hoc est, diuinæ gratiæ infusio, dicitur formata: sin desit idem effectus, ea dicitur informis. Inualida verò censetur esse, cùm aliquid ei deest spectans ad prædictam substantiam: ex eo enim defectu irrita redditur, itaut tanquam nulla repetenda sit ad consequendum Sacramenti effectum, hoc est, Dei gratiam, & peccatorum remissionem. Contingunt verò defectus eius generis, ac deriuantur in confessionem, tum ex Confessario, tum ex Pœnitente: de quibus sigillatim est nobis dicendum. *Nu.* 144.

Defectus ex parte Confessarij quibus confessio redditur inualida.

SECTIO I.

Primus

Nu. 145. PRimus istiusmodi, est ordinis Sacerdotalis defectus: quem reddere confessionem inualidam, patet per illud quod habet Conc. Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. solos Sacerdotes esse absolutionis Ministros. Secundus est, defectus iurisdictionis, iuxta illud quod *in sequen. cap.* 7. habetur: nullius momenti absolutionem eam esse, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet iurisdictionem. Tertius est, defectus liberi vsus iurisdictionis ob casum reseruatum, iuxta illud quod *in fine eiusdem cap.* 7. habetur: extra mortis articulum, Sacerdotes nihil posse in casibus reseruatis. Quartus est, defectus scientiæ necessariæ, ac sufficientis approbationis, ad cuius & trium præcedentium plenam intelligentiam requisita, persecuti sumus in præcedenti libro primo.

Nu. 146. Quintus est, defectus attentionis in Confessario: per quem reddi confessionem inualidam Angelus & Syluester probant *in verbo Confessio* 1. ille *num.* 22. & hic *num.* 6. quia confessio importat reuelationem peccatorum, tanquam apertionem quamdam morborum; quæ reuelatio esse non potest nisi Pœnitente referente sua peccata, & Confessario illa percipiente. Itaque quoties Confessarius ob somnum, aut ob aliquam occupationem non aduertit aliqua peccata mortalia, aut circunstantias de necessitate confitendas, inualida est & iteranda confessio. Secus autem, si ad aliqua venialia vel circunstantias non necessarias, vt bene Angelus addit. Consentit his Nauar. *in Enchir. cap.* 9. *num.* 11. cùm docet nihil valere absolutionem, qua quis datâ operâ & studiosè confessus est lethalem culpam alicui Sacerdoti, à quo non intelligebatur bene, siue quia confessio non fuit aperta & clara, ob verba obscura: siue quia Confessarius dormitabat. Se quoque consentire Franc. à Victoria *De Sacram. num.* 169. satis significat; inquiẽs quòd sine dubio, ex quacumque causa Confessor non aduertat ad peccata confitentis, confessio sit iteranda. Quanquam, vt ille addit, potest Pœnitens inuincibiliter, & ideo excusabiliter, ignorare an Cõfessor audiuerit nécne. Quod si aliquo pacto ei constet Confessorem vel non audiuisse, vel non intellexisse omnino, tenetur, addit idem, iterare confessionem, cùm prior fuerit nulla.

Ex quibus paret illud, quod consequẽter Angelus attigit: Confessariũ cùm non attendit vel non intellexit dicta à Pœnitẽte, debere de eo ipsum monere.

Sextus defectus est, intentionis absoluendi in Confessario. Quem reddere confessionem inualidam, patet ex eo, quòd in omni Sacramentorum administratione, necessaria sit intentio, saltem faciendi quod Ecclesia facit, prout definitum est in Concil. Trident. *sess.* 7. *Can.* 11. Patetque ex eo, quòd *in sequ. sess.* 14. *cap.* 6. negetur quis verè & coram Deo absolutus, si vel ei nulla contritio adsit, vel Sacerdoti animus seriò agendi, & verè absoluendi desit. Quanquam tamen ad euitandam conscientiæ inquietudinem, præsumendum semper est, quòd Confessarius habuerit talem intentionem, saltem virtualem, contentam in actuali, quâ in eo quod facit, intendit tanquam Ecclesiæ Minister, id exequi circa Pœnitentem, quod est sui Sacerdotalis muneris. Vt igitur ineprè faceret is, qui anxius esset, An ille à quo baptizatus est habuerit intentionem ad tale Sacramẽtum sufficientem: aut, An ille cuius Missam audit, verba Consecrationis protulerit cum debita intentione: sic & ille qui turbatur dubitando absque manifesta ratione, An Confessario suo adfuerit debita intentio ipsum absoluendi.

Septimus defectus est, prolationis verborum absolutionis. Ex quo prouenire Sacramenti inualiditatem certum est: cùm talia verba sint talis Sacramenti forma: sicut & verba consecrationis, sunt forma Sacramenti Eucharistiæ. Qua de causa vt bene Caier. notat *in verbo Confessio Sacram. condit.* 11. absolutio Sacramentalis nullatenus fieri potest in scriptis tantùm: sique fiat, etiam Pœnitente in præsentia constituto, nulla est: perinde ac verba formæ Eucharistiæ aut Baptismi, si tantùm proponantur in scriptis, nihil operantur valens ad Sacramentum.

Defectus ex parte Pœnitentis, quibus confessio Sacramentalis redditur inualida.

SECTIO II.

HOrum primus est, defectus vsus rationis: quem reddere confessionem inualidam patet: quia confessio Sacramentalis est de se libera, & actus virtutis; qui non contingit sine vsu rationis. Vnde est quod præceptum de annua confessione *in cap. Omnis vtriusque sexus, De Pœniten. & remiss.* expresè iis solis imponitur, qui ad annos discretionis peruenerint. Atque ita nullæ sunt confessiones factæ à pueris antequam sciant discernere inter bonum & malum (de quo vide dicta in præced. libro 4. in princip.) nec item factæ ab amentibus & furiosis: nisi habeant lucida interualla, & confiteantur cùm sunt sana mente. Attamen si Pœnitens confiteatur cum intentione obtinendi absolutionem, & dormitet cùm hanc accipit, aut in animæ deliquium labatur, alióve casu priuetur rationis vsu, retinens virtute prædictam intentionem, si nihil aliud obsit, effectum Sacramenti consequetur: vt ex eo patet, quòd animam agenti, si ante amissum rationis vsum peccatum aliquod verbo, aut alio signo confessus sit, debeat absolutio impendi ex communi sententia. *Nu.* 147.

Secundus defectus est, sufficientis examinis conscientiæ: hoc enim ad Sacramentalem confessionem necessarium esse habetur ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. Confirmaturque ratione: quia naturalis ratio dictat iustam curam, & neque maiorem neque minorem quàm oportet, vnicuique negotio adhibendam esse. Vnde sequitur quia confessio Sacramentalis perpetratorum peccatorum, negotium est adeo notabile, vt meritò exigat notabilem diligentiam in peccatis, de quibus facienda est, commemorandis.

Sequitur, inquam, vt sine sufficienti conscientiæ examine non debeat censeri facta sicut par est: neque valida; nisi aliquid interueniat, quod iuxta post dicenda, excuset illam insufficientiam: præsertim cùm integritas alioqui deesse meritò censeatur: quandoquidem moraliter impossibile est confessionem integram facere, nullâ positâ diligentiâ in discutienda conscientia: vt bene Canus argumentatur *in relect. de pœniten. par.* 6. Quid autem requiratur vt Pœnitens censeatur feciisse sufficiens conscientiæ examen iam expositum est in præceden. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 8. *& sequentibus.*

Tertius defectus est, sufficientis saltem attritionis. *Nu.* 148. De cõtritione autem vel attritione sufficienti cuius defectu confessio redditur inualida, quæ dicenda sunt, satis intelliguntur ex proximè præced. libro. De defectu verò illius, hîc occurrit monendum; non impedire quidem, quin eo laborans audiri possit in confessione *iuxta cap. Quod quidam, De pœnit. & remiss.* impedire tamen quominus absoluendus sit, & confessionem faciat validam, quia sine sufficienti saltem attritione, confessio non est idonea materia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacramenti pœnitentiæ: cui, ad ipsius complementum, absolutio possit valide, & sine sacrilegio addi tanquam forma. Iudicatur autem ille tali defectu laborare, qui sibi in aliquo peccato mortali complacet, aut non habet dolorem de commisso; aut nullum propositum emendationis vitæ, aut non firmum & absolutum, aut non vult relinquere statum peccati, vel occasiones peccati proximas; quod est habere propositum saltem virtuale committendi nouum peccatum.

Nu. 149. Aduerte autem quòd cùm repugnet eam confessionem per quam anima contaminatur peccato mortali, valere ad illam à peccatis emundandam, eam censeri inualidam quæ fit ob finem mortaliter malum, vt eam quæ fit ad patefaciendum sibi aditum ad aliquod flagitium perpetrandum: non item eam quæ ob finem tantùm venialiter malum vt factam ob inanem gloriam. Ita Nauarrus & Sotus: ille *in Enchir. cap. 21. num. 40.* & hic *in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 3. ad 3.* Rationem reddens: quia cùm peccatum veniale non sit obex gratiæ, fieri potest vt non obstante sine venialiter malo, talis confessio non tantùm sit valida, si non habeat alium defectum: verumetiam vt absolutio sit fructuosa. Secus esset verò, si finis mortaliter malus fuerit.

Quòd autem Nauar. addit non peccare mortaliter eos, qui ne honestam de ipsis conceptam existimationem amittant, Confessario alicui familiari confitentur omnia peccata sua etiam obscœna: & postea alteri pio & graui, solùm leuiora; extendendum non est ad eos qui de industria, vt sibi concilient opinionem falsam probitatis, duos habent Confessarios: vnum vulgarem & liberiorem, cui grauia confitentur: & alterum timoratum, & bonæ famæ, cui solùm leuia. Nam in eo esse sacrilegium mortale expressit Franc. à Victoria, *De Sacrament. num.* 196. & posse esse hypocrisim mortalem habet Syluester *Confessio primo num.* 8. Ratio verò quam illi tacent esse videtur, quòd in ea re admittatur notabilis irreuerentia Dei, dum Sacramentum ab ipso institutum sumitur in testimonium quoddam & confirmationem falsitatis. Non condemnaretur tamen, (vt addit à Victoria) ille qui cùm non esset solitus peccare, lapsus semel in peccatum mortale, vt retineat bonam opinionem, in qua erat apud Confessarium suum ordinarium, alteri confitetur. Caue autem istud, vel illud ante dictum Nauarri extendas ad eos qui de industria mutant subinde Confessarium, ne animæ suæ status deplorandus plenè intelligatur, & seuerior medicina, prout deberet, eis applicetur: quia reuerentia tanti iudicij, non patitur tales fraudes: sed arguit grauis peccati.

De inualiditate Confessionis Sacramentalis ex defectu integritatis eius.

Sectio III.

Nu. 150. NOtandum est primò, defectum integritatis in confessione, reddere hanc inualidam ex eo patere, quòd à Christo instituta sit integra de omnibus peccatis mortalibus quoad fieri posset, quando *Ioan. 20.* absolutè & sine restrictione dixit. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.] Quibus verbis obstrinxisse fideles ad recensenda in confessione omnia peccata, quorum conscientiam habuerint, patet ex Conc. Trid. *sess. 14. cap. 5.*

Secundò notandum est, *ex Nauar. in Enchir. cap. 9. num. 11.* talem defectum contingere, cùm aliquis prudens & sciens omiserit confiteri secundùm suam speciem & numerum peccatum aliquod mortale; aut de quo probabiliter dubitat an sit mortale: vel aliquam circunstantiam de necessitate exprimendam: aut qui confessus sit quidem, sed dedita operà alicui Confessario, à quo tale peccatum aut circunstantia non intelligebatur bene, ob verborum obscuritatem, vel ob defectum attentionis in eodem Confessario: quem videbat dormitare aut alio modo ab attentione impediri, aut qui confessionem diuiserit, partem suorū peccatorū vni Sacerdoti, & partem alteri cōfitendo: quod, *ex cap. Consideret, D. Pœn. distinct. 5. §. Cautus*, minimè licet: ne quidem cùm quis ita absoluitur, vt adhuc ad Superiorem pro absolutione aliquorum reseruatorum remittatur; iuxta receptam sententiam, vt addit Nauarrus. Eiusdem §. Cautus, verba sunt. Cautus sit Pœnitens ne verecundiâ ductus, diuidat apud se confessionem, & diuersa velit diuersis Sacerdotibus manifestare.] Quibus accedunt illa *cap. Omnis vtriusque sexus, De pœniten. & remiss.* Omnia sua solus peccata proprio Sacerdoti confiteatur.] Accedit item communis Ecclesiæ consuetudo iam indè ab ipsius incunabulis (*inquit Nauar. ad eundem §. Cautus, num. 7.*) ad hunc vsque diem seruata, & à Christo per Apostolos & ipsorum successores, quasi per manus ad posteros transmissa.

Notandum est tertiò, non omnem talē defectum *Nu.* 151. reddere confessionem inualidam: sed tantummodo eum, cuius nulla est iusta causa: vtpote procedentem vel ex malitia, vel ex pusillanimitate, vel ex pudore aut verecundia, vel ex omissione examinis conscientiæ, vel ex negligentia quadam crassa & supina: quæ non possunt excusare ab obligatione faciendi integrè confessionem de omnibus mortalibus: quam necessariam esse declaratur *in cit. cap. Omnis vtriusque sexus* & in Concil. Trident. *sess. 14. cap. 5. & Can. 7.* Ex eóque confirmatur, quòd cùm peccati mortalis venia non obtineatur, *ex eodem cap. 5.* nisi in ordine ad claues, quibus ipsum subiicitur per confessionem; tam alienum sit à confessione, eam truncatè fieri; quàm est à venia peccatorum, eam dimidiatè à Deo sperare: de quo *in cap. Sunt plures, De pœniten. distinct. 3.* dicitur: Quædam impietas infidelitatis est ab illo qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam.

Iam quod idem defectus integritatis ex iusta causa contingens, non impediat confessionis validitatem, patet: quia tunc datur locus excusationi ab obligatione præcepti de confitendo integrè: quod (vtpote diuinum positiuum) non obligat adeò strictè, vt teneatur quis illud seruare, quacumque necessitate vrgente in contrarium; aut quocumque alio præcepto concurrente. Accedit, quòd (*vt rectè Canus in relect. De pœniten. par. 6. argumentatur*) lex Christi obliget ad integritatem confessionis, rationi consentaneam: vnde sequitur peccatum quod rationabiliter tacetur & irrationabiliter explicatur, non esse materiam confessionis à Christo institutæ.

Aduerte ergo, confessionem quidem ita necessariam esse ad pœnitentiæ Sacramentum, vt hoc sine illa perfici nequeat: quia iudicium de reo requirit illius accusationem, per quam is cognoscatur à Iudice: idipsum tamen Sacramentum perfici posse, quantumcumque confessio non sit integra: si quidem nequeat integritas exhiberi, impossibilisve sit, siue absolutè, siue moraliter ob iustam causam: Tunc enim, non obstante defectu, aderit accusatio & manifestatio Rei, quantum esse debet ex obligatione: præsertim cùm impossibilium non sit obligatio. Videri potest Suarez *to. 4. disp. 23. in principio.*

Porro talis causa iusta censetur esse: primò obli- *Nu.* 152.
uio seu ignorantia inuincibilis; quando nimirum quis

quis præmissa diligenti conscientiæ discussione, non recordatur vnius aut plurium peccatorum à se commissorum: per talem defectum enim, confessio non efficitur inualida iuxta illud quod in Concil. Trid. *sess. 14. cap. 5.* habetur: Nihil aliud in Ecclesia à Pœnitentibus exigi, quam vt postquam quisque diligentiùs se excusserit & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus Dominum & Deum suum se mortaliter offendisse meminerit.

Et illud quod habet piorum hominum vsus dicendi generaliter in sua confessione: Accuso me etiam de aliis quorum memoriam non habeo: quod frustra fieret, si obliuio ab inualiditate confessionis non excusaret, *vt rectè notat à Victoria de Sacram. num.* 165. Quod si postea in memoriam recurrant, ea sunt debito tempore confitenda, siue eidem siue diuerso Sacerdoti, quemadmodum expressit Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. col. 4.* perinde acsi de nouo perpetrata essent: nisi quod reseruata, desinant secundo Confessario esse reseruata post absolutionem primi Confessarij, qui potuit ab illis absoluere, & intentionem habuit absoluendi, *prout communiter solent & debent Confessarij*, quantùm ipse potuit & Pœnitens indigebat. Ratio est quia virtute talis absolutionis tollitur reseruatio & peccatum manet simplex, vt Nau. habet *in Ench. cap. 26. nu 13.* alios commemorās. Quibus accedit Canus *in citata parte 6.* bene monens illum secundum Sacerdotem debere habere iurisdictionem in Pœnitentem, qua possit ipsum absoluere à peccato mortali.

Nu. 153. Hic adhuc occurrit notandum quod habent Nauar. & Sylu. ille quidem *ad cap. Fratres de Pœnit. dist. 5. num. 82. & in Enchir. cap. 9. num. 12.* hic verò *in verbo Confessio primo quæst. 3.* cùm quis per ignorantiam aliquod peccatum mortale omisit in confessione, eo quod erronee putaret ipsum non esse tale, etiamsi error vincibilis fuerit, nec à mortali perpetrantem excusarit: excusare tamen ab iteratione totius confessionis: itaut sufficiat Pœnitentem ipsum in sequenti confessione peccatum omissum declarare. Sic ergo (*inquiunt iidem auctores*) pueri & puellæ qui grandiores facti, nouè agnoscunt peccatum esse mortale, quod alias omiserunt confiteri, eoquod ignorarent illud tale esse: non tenentur iterare confessionem eorum quæ confessi fuerunt legitimè, sed tantùm eorum quæ omiserunt. Atque quod illi statuunt de peccato, pari ratione statuendum est de circunstantia peccati omissa, & de numero peccatorum non expresso in confessione. Quo modo idem Nauar. *in lib. 5. Consil. tit. de Pœnit. & remiss. Consil. 3.* statuit rusticum qui inter confitendum asserit se non solitum interrogari à Parocho de numero peccatorum, eoquod ille contentus sit, si Pœnitens dicat, v.g. Ego blasphemaui Deum & Sanctos pluries, & pluribus modis. Statuit, inquam eiusmodi rusticum non teneri ad iterandas tales confessiones bona fide factas: obligari tamen ad confitendum verosimilem peccatorum numerum, quem non est confessus in aliis confessionibus. Vide dicta in præced. num. 140.

Nu. 154. Secunda causa iusta, censetur impotentia integrè confitendi, siue proueniat ex parte Pœnitentis, siue ex parte Confessarij; vt cùm alteruter morbo oppressus non habet tempus, aut ille dicendi, aut hic audiendi integrè peccata perpetrata. Nam tunc (excepto casu quo necessitati prouenienti ex parte Confessarij occurri potest per alium Confessarium) dari debet absolutio, quia id quod Pœnitens tunc dicere cœpit confessio est; & id quod omisit non fuit in sua potestate perficere: in quo non est minor causa excusationis, quàm in obliuione: vt rectè notat à Victoria *in præcedenti numero* 164.

Vnde intelligitur rectè Nauar. statuere *in libro 5.* *Nu.* 155. *consil. de pœnit. & remiss. consil. 10.* ignarum linguæ qua Confessarius loquitur, posse sacramentaliter absolui si vnum aut duo peccata sua sic exprimat vt à Confessario intelligantur, velitque omnia confiteri, & id facere conetur, sed propter linguæ ignorantiam nequeat ab ipso Confessario intelligi. Quod idem sentiendum est de muto, qui vult & conatur sua peccata signis ac nutibus exprimere, nec ita potest, vt omnia intelligantur à Confessario; sed aliqua tantùm. Idem quoque sentiendum est de iis qui versantur in tali periculo naufragij, vt nequeant omnes integrè confiteri, & possint singuli non integrè: tunc enim censeri potest necessitas illos sic excusare, vt ad recipiendum absolutionis beneficium, cuique illorum satis sit, declarare Confessario aliqua peccata cum proposito reliqua confitendi debito tempore si euaserit: quandoquidem is est articulus necessitatis, qui non permittit vnicuique eorum aliquid amplius facere: saltem absque aliorum grauissimo damno spirituali pro quo vitando posse confessionem truncari sequens causa ostendit.

De damno quod excusat defectum integritatis in confessione.

Sectio IV.

Nu. 156. TErtia iusta causa censetur periculum imminēs, id est, quando ex confessione alicuius peccati, graue damnum animæ aut corporis aut famæ subsequeretur: siue ab ipso Pœnitente, siue à Confessario, siue ab aliqua tertia persona sustinendum; tunc enim tale peccatum tacendum est, facta reliquorum confessione. Pro quo rationes Nauar. habet *in Enchiridio cap. 7.* quarum præcipua est: quòd diuina lex positiua cedat legi naturæ: & confessionis integritas sit de lege positiua diuina; vitare verò prædictum damnum sit de iure naturæ: cui Christus Dominus noluit quidquam derogatum institutione Sacramentorum.

Addit verò idem author: primò Pœnitentem non debere nominare personam cum qua peccauit. Secundò sacerdotem cùm præuidet velle nominare, nisi statim prohibeat pariter peccare. Tertiò non esse confitendam peccati circunstantiam quando talis confessio fieri nequit absque infamia tertiæ personæ: quia ius naturæ iubet famæ & vitæ alterius sicut propriæ consulere, vt Sotus argumentatur *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. ad 4.* Addens id habere locū quādo infamia illa notabilis fuerit: vt esse censeri potest, quando Confessarius non seruans secretum eitest, quando Confessarius non seruans secretum eidem tertiæ personæ crimen suum exprobrabit, aut alteri patefaciet: aut quamuis secretum seruet vlciscetur, damnúmque notabile tali personę inferet. Ad quod illustrandum Sotus ipse adfert exemplum confessionis de fornicatione commissa cum sorore Cōfessarij: qui facta mentione talis peccati statim cognoscet sororem suam illud admisisse, cui id exprobaturus est, aut in ea vindicaturus. Quod si nullum timeretur eiusmodi periculum, sed hoc tātùm, quod Confessarius personam sibi notam sciet deliquisse, seruabit autem secretum: etiamsi deinceps non sit eiusmodi personam tanti æstimaturus, quàm antea: potest in confessione explicari talis circunstantia, ex sententia D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Durandi plurimorúmque aliorum quos Henriquez refert *in lib. 5. moral. Theolog. cap. 9. in margine lit. Q*, immo & omnium

Universidad de Deusto
Biblioteca

nium recentiorum,vt inquit Sotus: rationem subiungens, quòd Confessarius eodem confessionis sigillo teneatur celare culpas aliarum personarum, quo personæ confitentis; vnde sicut non est causa sufficiens truncandæ confessionis, quòd propterea Confessarius non est tanti æstimaturus Pœnitentem, quanti antea æstimabat;ita nec quòd tertiam personam peccati complicem (præsertim cùm simul peccando, se suâ culpâ tali incommodo obnoxiam reddiderit)nisi forte eidem personæ tam magni referret non esse in malæ æstimatione apud Confessarium,vt meritò notabile ei damnum inde creatum cêseretur: prout non modò idem Sotus, sed etiam plures alij (*quorum meminit Henriquez ibidem lit. V.*) propositam sententiam temperant.

Nu.157. Aduerte autem *ex Cano in relect.De pœnit.part.6.* in hac re notabile damnum censendum esse creatum ei cui iudicio viri prudentis illata est iniuria magna,aut saltem mediocris: non autem, cui tantùm modica. Quod hæc ratio confirmat, quia si necessarium esset reticere circunstantiam, ex qua Sacerdos intelligeret crimen tertiæ personæ, quantuncumque nullum aut tantùm modicum damnum ab alio incurreretur,Parochi non possent audire confessiones suorum subditorum in iis pagis aut oppidulis,vbi ipsi norunt omnes viros & vxores:filios & filias reliquósque cõsanguineos. Quæ ratio vrget tunc maximè, cùm adest tempus implendi præcepti Ecclesiastici, aut cùm elaberetur alioqui occasio siue festi alicuius celebrandi cum præcipua deuotione, siue lucrandi Iubilæi, siue obtinendæ absolutionis ab aliquo casu reseruato,aut dispensationis in aliquo voto, vel impedimento.

Quod verò idem Canus addit Pœnitentem in articulo mortis debere explicare sui peccati circunstantiam, non obstante infamia tertiæ personæ, recte Sotus reiicit:quia tantumdem,ac etiam plus Pœnitens tunc tenetur famæ proximi consulere, quàm alio tempore. Quare, non est magis necessaria tunc illa explicatio,quàm alio tempore.Neque dici potest eam tertiam personam debere subire tale dispendium pro salute Pœnitentis: nam id potest tantùm habere locum quando Pœnitens ipse nullum aliud habuerit peccatum,de quo confiteatur ad Sacramẽtalem absolutionem obtinendam, in tanto salutis æternæ discrimine: quo casu eadem tertia persona debet subire dispendium non tantùm mediocris infamiæ de qua loquitur Canus: sed etiam grauis & magnæ,qualis est infamiæ publicæ.Immo & dispendium mortis, cùm ordo charitatis postulet, vt salutem spiritalem proximi, nostræ corporali in extrema necessitate anteponamus.

Nu.158. Quartò, *addit Nauarr.in cit.cap.7.* cùm Pœnitens non potest confiteri aliquam circunstantiam necessariam sine graui suo aut alieno damno, debere ex communi Doctorum sentẽtia, apud proprium suum pastorem procurare facultatem confitendi alteri;aut ita dissimulare vocem & habitum, sicque se cautè gerere,vt nullo modo agnoscatur. Quod intellige iuxta Canum antè memoratum, quando non adest alius Confessor, quàm ille cui reuelando peccatum, subsequeretur graue damnum.Cùm enim adest alius sufficientem habens iurisdictionem, is sine dubitatione adeundus est:tunc nimirum cessante omni ratione aliquid tacendi in confessione.Similiter si Pœnitens sciat se breui habiturum alium cui commodè & sine periculo famæ alienæ possit integrè confiteri, is expectandus est. Id quod annotat Henriquez *in summa Theol.moral.lib.5.cap.9.§.6.* & præmittit (quod obseruatione dignum est) cùm in particulari circunstantia tacenda est vt graue aliquod malum vitetur, confitendum esse genus peccati externi:v.g. dicendo se fornicatum esse, cùm incestum commiserit; aut exprimendum esse consensum internum illius determinatæ speciei v.g. dicendo se concupiuisse matrem. Ratio est quia institutio Sacramenti Pœnitentiæ perinde postulat vt confessio integra fiat, ac vt secretum seruetur. Quando autem infamia proximi sufficienter vitatur, *vt sit confitendo præpositis modis*, non datur locus excusationi nec impedimentum quin debeat Confessio ea ratione fieri.

Quintò reiicit Nauarrus opinionem dicentium *Nu.159.* Pœnitentem, cùm nequit confiteri sine prædicto damno,excusari ab obligatione confessionis. Inquit enim teneri ad confessionem reliquorum peccatorum mortalium,ex quibus nullum imminet damni periculum. Cuius rei rationem habet Medina *in Cod.de confess.quæst.10.in fine*:quia præceptum,quod in toto impleri non potest, debet seruari in eo in quo potest,vt patet ex præcepto de ieiunanda Quadragesima:quod qui implere non potest ieiunando integram Quadragesimam, obligatur ipsum seruare ieiunando eam Quadragesimæ partem quam potest. Quod si nullum aliud habeat mortale peccatum, non obligatur confiteri; quoniam habens tantùm venialia,nulla necessitate confitendi vrgetur: & à confessione mortalis quod habet eum, vt supponimus, excusat periculum imminens grauis damni. Id quod tangit Suarez *in tom.4.disput.23.sect.2.num.6.*

Vbi etiam docet duo notanda pro praxi.Vnum est, non esse licitum vti istiusmodi truncatione confessionis,nisi vrgeat necessitas implendi præceptum de confessione:siue diuinum,vt in articulo mortis, aut cùm sumenda est sacrosancta Eucharistia: siue Ecclesiasticum, vt cùm adest finis anni:aut certè id postulat magna vtilitas, quæ alioqui elaberetur. Pro quo facit quod ex Concil.Trid. *sess.14.cap.5.* de necessitate huius sacramenti sit quidem, vt confessio fiat de omnibus peccatis quæ memoriæ occurrunt: sed tamen talis necessitas non sit tanta, quin ea cedat notabili hominum vtilitati, ad quam cùm sit instituta confessio,non debet ei obsistere.Alterum est, Soti quidem sententiam esse, eum, qui ob causam propositam omisit in confessione peccatum aliquod declarare, teneri quamprimùm ei adfuerit cõmoditas,de illo confiteri:sed tamen non videri maiorem rationem esse id dicendi de tali peccato, quam de oblito; cuius confessionem differri posse ille concedit:nec enim ad impletionem præcepti minùs sufficiens est confessio mutilata ob istiusmodi causam, quàm mutilata ob obliuionem.

Addit sextò Nauarrus, si Confessarius talis esse co- *Nu.160.* gnoscatur, qui plurimùm prodesse possit eiusmodi tertiæ personæ ad vitæ emendationem: nullo modo verò obesse; nihil esse cur in confessione taceatur illud quo eiusdem personæ peccatum detegetur; quia id non est illum infamare nec damno afficere. Adde quoque ex D. Bonauen. cum Soto *ibidem consequenter*, licere Pœnitenti explicare circunstantiam,per quam tertia persona detegitur, vt sibi de remedio contra peccatum necessario prouideat: nempe puella v.g. reuelare potest eum à quo solicitatur ad turpitudinem,si id sibi profuturum iudicet. Et ratio est, quia non solùm in confessione,sed etiam extra eam: nec solùm illi qui potest prodesse,sed etiam illi qui obesse potest: solicitatus ad malum potest illum à quo solicitatur reuelare ad se protegendum ab ipsius iniuria:quoniam qui alteri iniuriam intentat,quandiu in tali malitia perdurat, facit se obnoxium damno, quo eadem iniuria est propulsanda, postquam reliqua remedia (vt correptio fraterna,aliáue suauiora) nihil profecerunt. Neque in eo committitur peccatum detractionis,sicut nec peccatum homicidij,cùm aduersus inuasorem, ita vitam suam defendit quis cum moderamine inculpatæ tutelę,vt illum occidat; quoniam iura id concedunt. Quamquam tamen, *vt rectè idem Sotus subiungit*, nunquam reuelatio facienda est Confessori vt ipse obsit:sed tantùm vt consilium det:neque ille facile suscipere debet curam tractandi negotium extra confessionem,aut illud reuelandi de Pœnitentis licentia,ne faciat religionem confessionis odiosam. Sed tantùm dare consilium salutare:ad quod si nihil sit opus reuelatione personæ,ea tacenda est etiam à Pœnitente.

Adde adhuc ex D. Antonino 3. *part. tit.14. cap.19. §.11.* si quis circunstantiam alterum prudentem exprimat bona intentione, seu non quidem animo illum prodendi aut se excusandi, sed inducendi Confessarium ad orandum pro illo, aut illum secreta sua monitione corrigendum, non peccare;sed bene agere. Similiter nec Confessarium si interroget Pœnitentem de persona cum qua peccauit, si id faciat nõ ex curiositate,sed ex charitate; nempe vt prudenter periculo prouideat, quia est Prælatus. Quanquam, *vt idem D. Anton. bene monet*, non debet illum cogere ad dicendum,si nolit dicere. Vbi nota obiter quod Henriquez habet *in citato cap.9.§.10.* Prælatum in occulto Pœnitentiæ foro, ius inquirendi de aliis non habere magis, quàm Confessarium priuatum: nec posse magis in eodem foro compellere, etiam addito præcepto sub excõmunicatione; quàm aliũ Confessarium:neque ei licere Pœnitentem prohibere,ne alium pro consilio adeat:adeóque iniurium esse,si absolutionem ei neget;aut minis & metu,etiam reuerentiali, eum terreat,aliter quàm liceat cæteris Confessariis.

Nu.161. Postremo loco monet *in eod.7. cap.* Nauarr. non esse iustam causam confitendi alieno Confessori, quòd proprius post auditam Pœnitentis confessionem curam illius magis solicitè geret, ac minus bene,quàm antea de illo opinabitur: nisi fortè pudor adeò magnus esset,vt Pœnitens videret se versari in periculo tacẽdi aliquod mortale. Nam ne amans periculum,pereat in illo] *Ecclesiastici 3.* petere debet facultatem alteri confitendi.

Nu.162. Superest quarta causa, nempe violatio sigilli confessionis: hoc est,quando Sacerdos non potest facere suam confessionem integram,nisi reuelet peccatum in confessione auditum,quamuis sit tantùm veniale.Tunc enim suum peccatum ex quo talis reuelatio sequeretur, debet tacere cum proposito illud confitendi,quando poterit sine dicti sigilli præiudicio.Rationem adfert Nauarr. *in Enchir.cap.8.num.6.* quòd ex communi Theologorum sententia vnus tantùm sit casus,in quo liceat reuelare audita in confessione:nimirum quãdo confitens, sponte omnino: dederit licentiam reuelandi,ad suam vel alterius non contemnendam vtilitatem spiritalem aut temporalem. De qua re antea lib.tertio,cap.quinto.

De defectibus propositi confitendi, & propositi satisfaciendi.

Sectio V.

Nu.163. QVoad propositum confitendi, notandum est primò,defectu priore confessionem reddi inualidam: quia cùm intentio tam suscipientis,quàm conferentis Sacramentum ad eiusdem validitatem sit omnino necessaria: fatendum est confessionem factam sine proposito confitendi,inualidam esse tanquam non Sacramentalem.

Notandum est secundò, confessionem hoc defectu ad inualiditatem sufficienter,tunc etiam laborare, quando ea sit quidem intentione confitendi; sed ob finem aliquem mortalem, vt vtuenit confitens eo animo,vt Deus prosperet suos contractus simoniacos,vel vsurarios: vel vt det successum suis impuris amoribus. Tunc enim confessio non est inregra,nisi mutato proposito, illud quoque peccatum explicetur:de eóque,sicut & de cæteris expositis vel exponendis, Pœnitens ex animo doleat, seque accuset.

Vbi aduerte, quòd quando contingeret ex hoc *Nu.164.* vel alio defectu confessionem inualidam esse;etiam si Pœnitens eam omnino iterare obligetur; tamen si idem Confessarius sit qui recordetur peccatorum de quibus ille confessionem fecit inualidam; aut certè pœnitentiæ quam illi imposuerit,sufficit peccatum quod scienter omisit, & intentionem cum qua omisit, declarare particulariter: reliqua verò peccata perperam prius confessa repetere generaliter ad hùc modum. De omnibus quoque peccatis quæ tibi pãter priùs eram confessus,dico Deo meam culpam & tibi:&c. Ita Syluester & Nauarrus ille *in verbo Confessio 1.quæst.3.versic.1.*& hic *in Enchirid.cap.9.sub finem.* Vbi addit eamdem rationem esse posse, si Confessarius recordetur, saltem in confuso, status in quo tunc Pœnitens erat. Quod si nullum ex tribus illis concurreret,noua omnino confessio esset instituenda, perinde ac si confiteretur alteri,quàm ei cui priorem inualidam fecit.

De posteriore defectu, propositi, inquam, satis- *Nu.165.* faciendi notandum est, quòd etsi certum sit de fide ex Concil.Floren.*in instruct. Armenorum & ex* Concil. Trident. *sess.6.cap.14.& sess.14.cap.3.& 8.& can.4.* satisfactionem verè esse partem materialem Sacramenti Pœnitentiæ: hoc tamen ab illa non ita pendere vt necesse sit ipsum inualidum esse quotiescumque illa defecerit:quoniam sacrilegium alioqui esset absoluere expirantem,quantumuis dederit sufficiens contritionis signum: cùm Sacerdos non imponat ei satisfactionem, quam implere nequit. Aliter autem rem habere,satis ostendit communis Ecclesiæ vsus.

Attamen duo dantur casus in quibus respectu sa- *Nu.166.* tisfactionis Sacramentum Pœnitentię censeri debet inualidum,spectantes ad hunc locum. Prior est,cùm quis ad confessionem accedit habens propositum non exequendi quæ Confessarius iniunxerit: si ea sint talia in quibus tenetur illi obedire:vt in facienda restitutione alicui personæ læsæ: in fugiendis occasionibus peccatorum: in eorumdem remediis accipiendis. Namque tale propositum excludet illud, quod ad idem Sacramentum est omnino necessarium ex parte contritionis; nempe non peccandi de cætero; & est graue peccatum indebitè accedentis ad Sacramentum ipsum:ideóque confessionem facit inualidam ex defectu integritatis; nisi animo mutato, de eodem sicut de cæteris à se commissis, ille & pœniteat & confiteatur. Quod idem iudicandum est ex Nauarr. *in Enchir.cap.9.num.14.& ad cap.Fratres,de Pœnitent.distinct.5.num.50.*cùm quis accesserit quidem ad confessionem cum animo satisfaciendi: tamen pœnitentiam sibi à Confessario impositam, & à se acceptatam contempsit,antequam absolutionem acciperet,nec curauit tunc de ea recordari, vt illam postea impleret. Id enim fuit saltem interpretatiuè animum concipere eam non implendi, & per consequens graue peccatum. Vnde licet eam postea impleat,tamen ex defectu integritatis, confessio eius inualida fuisse censenda est, quandoquidem ante acceptã absolutioné sciẽter in ea tacuit tale peccatum.

Posterior

Universidad de Deusto
Biblioteca

Posterior casus est, cùm quis sciens quidem ad perfectionem huius Sacramẽti pertinere satisfactionem, nullam tamen quantumcumque modicam sibique facillimam vult admittere. Ratio est quia talis non potest censeri ad Sacramentum, *quod vult imperfectum*, seriò & cum debita dispositione accedere: cùm debeat ad illud accedens offerre se Confessario, tanquam reum Iudici, cui in pœnitentiali foro data est à Christo, vt soluendi ita & ligandi potestas; ad quam satisfactionis impositio pertinet ex Concil. Trident. *sess.14.can.15.* Adde cum Nauarro *in Enchir. cap.26.num.20.vers.15.* quòd nullus Pœnitens sit adeò saxeus, qui bona fide confiteatur, nec velit tantillam Pœnitentiam acceptare.

Nu.167. Cæterum, an ille qui habuit quidem sufficiens propositum, sed non impleuit pœnitentiam præcedentis confessionis, impositam pro peccatis mortalibus, eamdem iterare teneatur tanquam inualidam, non conuenit inter authores. Nam Angel. & Syluest. Confessio 1. ille *num.13.* & hic *num.6.* censent teneri, si fuerit imposita pro mortalibus: idque Syluester procedere vult tantum in illo qui talis pœnitentiæ oblitus est: nam illius adhuc memor, implendo eam liberatur ab onere iterandi confessionem. Nauarr. autem *ad cap. Contrarium De pœnitent. distinct.5.num.20. & deinceps* citans pro se D. Thomam, Adrianum & Caiet. docet confessionem non esse necessariò ex eo iterandam, quòd Pœnitens iniunctam sibi pœnitentiam impleuerit extra statum gratiæ: neque ex eo, quòd illam nullatenus impleuerit, siue per obliuionem siue per negligentiam, siue per contẽptum: Quam sententiam sequitur à Victoria *de Sacram.num.* 167. & communem esse omnium magistrorum Salmanticensium ait à Vualdo *in Candel. aureo cap. De confessione num.76.* veriorémque esse, quamuis altera securior sit, habet Armilla *in verbo Confessio, num.10.* & sine scrupulo teneri posse monet Nauarr. Confirmatur autem hac potissimum ratione: quòd, vt supponimus, confessio in qua talis pœnitentia fuit imposita, valida fuerit: vnde cùm Dei dona sint sine Pœnitentia *ad Rom.* 11. quidquid postea sequatur non efficiet illam inualidam: neque à Pœnitente exigenda erit illius iteratio, sed tantùm impletio pœnitentiæ omissæ; aut saltem (vt Caiet. habet *verbo confessionis iteratio versic. Ex satisfactionis defectu*) pœnitentiæ æquiualentis cum dolore & confessione de peccato mortali perpetrato, illam omittendo ex contemptu, vel ex notabili negligentia. De negligentia leui alia est ratio ex Nauarr. *in præced. num.* 18. cùm non sit mortalis.

Duo casus in quibus etsi confessio non sit valida, est tamen sine consecutione gratiæ, & peccatorum remissione.

SECTIO VI.

Nu.168. EX eo quòd confessio inualida sit, intelligitur non valere ad peccatorum remissionem: sed ex eo, quòd sit valida, non habetur continuò, eam esse cum peccatorum remissione. Nam dari posse confessionem validam informem, id est, quæ valeat quidem ad satisfaciendum præcepto cõfitendi siue diuino, siue Ecclesiastico: non habeat tamen adiunctam diuinam gratiam & peccatorum remissionem: rectè *in tomo 1. opusc. tractatu, 5. quæst. 5.* Caietanus, itémque Sotus & Canus: ille *in 4. distinct. 18. qu. 3. art. 2.* & hic *in relect. De Pœnit. part.6.* ex eo confirmant, quòd is qui ad iudicium viri prudentis, bona fide credit se sufficienter præstitisse ea quæ requiruntur ad confessionem Sacramentalem, non teneatur eam iterare, per eámque satisfaciat præcepto de confessione. Nam nullus alioqui esset locus tranquillitati conscientiæ: sed quacumque diligentia posita in cõfessione facienda (cùm de propitiato peccato non debeant, viri etiam pij, esse sine metu Ecclesiastici quinto) semper cogitandum esset, de iteratione confessionis & impletione præcepti, quodquidem onus esset grauissimum & intolerabile. Quare fatendum est talem confessionem validam esse, cùm omnis inualida, sit iteranda: neque per eam satisfiat præcepto, cùm non sit Sacramentalis, de qua præceptum ipsum datur. Idem etiam docent Nauarr. & à Victoria ille *in Enchir. cap.9.nu.10.* & hic *de Sacram. nu.* 157. Et confirmatur, quia is qui bona fide putat se accedere ad Pœnitentiæ Sacramentum cum ea contritione & confessione peccatorum quæ requiritur ex Christi institutione, exequitur humano modo, quæ sunt suarum partium: itaut excusabilis sit quantumuis deficiat ex parte rei: putà, non contritus, aut non confessus sufficienter: sicut Iudex in foro externo si iudicans secundùm allegata & probata, condemnet innocentem probatum nocentem, excusatur etiamsi iniustam proferat sententiam: quia seruat omnia substantialia, humano modo requisita ad tale iudicium: videri potest Henriquez *in summa Theolog. moral. lib.5.* cap. 11. Quod verò talis confessio facta bona fide posit esse sine Dei gratia iustificante, & ideo informis, concluditur ex eo, quòd alioqui recta esset hæc illatio. Iste, ad iudicium viri prudentis scit se credere probabiliter, quòd præstiterit sufficienter ea quæ requiruntur ad Sacramentalem confessionem. Ergo scit se esse in Dei gratia. At non est recta: quia falsum concludit, iuxta illud *Ecclesiastici* 9. Nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit. Quæ cùm ita sint, relinquitur dari aliquam confessionem validam, quæ sit informis, seu absque forma diuinæ gratię: hæcque sententia est à Theologis (vt notat Couarr. *ad cap. Alma mater, de sentent. excomm. in 6. part. 1. §. 4. num.13.* magis communiter recepta, quamuis non desint (*quorum idem meminit*) qui sentiant omnem confessionem quocumque modo ob aliquod gratiæ impedimentum informẽ, prorsus inualidam esse, & ideo iterandam. Qua de re videri potest Suarez *tom. 4. disput. 20. sect. 5.* nam diutius in ea nos immorari nihil est necesse: cùm ad nostrum institutum sufficiat scire prius traditam sententiam, quæ benignior est, & animarum fauet tranquillitati; nos posse tutò sequi tanquam authoritate & ratione ad moralem certitudinem sufficiente, munitam.

Porro istiusmodi informitas confessionis ex eo *Nu.169.* nascitur, quòd Confitens careat necessaria & sufficienti dispositione, nempe quòd non præmiserit sufficiens conscientiæ examen, vel non detestetur summè vt par est, sua peccata prout sunt offensa Dei: vel non habeat satis firmum propositum nouæ vitæ: ignorat tamen sine lata sua culpa se in aliquo horum deficere; imò bona fide putat se cum sufficienti dispositione confiteri. Etenim (quia non sequitur, Putat quis probabiliter se sufficientem fecisse diligentiam in examinanda conscientia, aut se contritum esse. Ergo verè res ita habet) fieri potest vt quamuis quis deficiens confitendo, non peccet, nec Sacramentum violet, quia ignorãtia inuincibilis illum excusat; non consequatur tamen gratiam & peccatorum remissionem: quia non est verè ad eam dispositus: istúdque est facere confessionem validam quidem, sed informem, fictámue: vt aliqui propterea illam appellant, quòd is à quo fit, per ea quæ gerit exteriùs, ostendat se pœnitere; cum tamen interùis non habeat veram Pœnitentiam.

Nu.170. Consentiunt autem istiusmodi sententiæ authores; recedente ea fictione: hoc est, vbi Pœnitens postea fuerit verè contritus & conuersus ad Deum ex toto corde, aduenire suscepti sacramenti effectum, id est, gratiam Dei & remissionem peccatorum: sed dissentiunt in eo, quòd aliqui: vt D. Anton. & Canus, ille *in 3. par. tit.14. cap.19. §.5.* & hic *in relect. de pœnitent. par.6.* ex sententia D. Thomæ dicant fieri vi Sacramenti ante susceptum: sicut cùm baptizatur quis in peccato mortali, qui postea contritus consequitur effectum eiusdem baptismi cui obicem per tale peccatum posuerat. Aliqui verò, inter quos est Sotus *in sequen. art. 3. sub finem*, existimant fieri vi alterius confessionis formatæ quæ secuta sit in re vel in voto. Sed vtrumuis dicatur parum refert ad nostrum institutum, modò constet id in quo illi consentiunt, non teneri Pœnitentem ad iterandam eiusmodi confessionem: satisque esse illi, si postea deprehendens talem defectum confiteatur de eo cum debito dolore, vt ex D. Thoma habet D. Anton. loco citato.

Nu.171. Ex his illud emolumenti capiet Confessarius: vt cùm imprimis cauere debeat sacrilegium in absoluendo indispositum, intelligat quando indispositio contigerit Pœnitente sciente & aduertente, aut ignorante quidem, sed ignorantiã tantùm crassa, si detur absolutio non esse locum excusationi à sacrilegio; non modò ex parte ipsius Pœnitentis, sed etiã ex parte Confessarij, si laboret similiter ignorantia tantùm crassa. Quando verò contigerit indispositio, tam Pœnitẽte quam Confessario probabiliter ignorante, excusationi à sacrilegio locum esse, datámque absolutionem validam esse, etiamsi non sit cum remissione peccatorum. Cæterùm crassa esse censetur in hac re ignorantia, existimantis eum sufficienter dispositum, qui nullo modo examinauit conscientiam, aut certè cum negligentia summa, vt vsuenit quibusdam hominibus vecordibus ac desidibus, qui videntes se pluribus criminibus implicitos, nullam ferè adhibent in examinanda conscientia diligẽtiam: quod perinde est ac si eamdem facere nollent, *inquit Sotus in eodem art.2.col.4.*

Quanquam ex Medina *Cod. de Confessione, quæst.19. sub initium*: tales dum confitentur possunt absolui, si de suis peccatis & simul de negligentia eiusmodi doleant, adsitque articulus necessitatis ex imminenti morte vel graui scandalo, excusans dimidiationem confessionis, iuxta antedicta *num. 154. & aliquot sequentibus.* Quod si nullus adesset talis articulus necessitatis, absoluendus non esset, etiamsi de priore negligentia doleret: quia cùm illi suppetat tempus ad conscientiam discutiendam, debet illud antè sumere, quàm petere absolutionem, ne hinc obicem ponat, sine causa dimidiando peccatorum suorum confessionem. Similiter ignorantia crassa esse censetur existimantis sufficienter dispositum eum qui nullam in se sentit peccati detestationem, neque illius desiderium; nec apud se statuit deserere peccatum aliquod mortale, vel illius propinquam occasionem. Nam cum talibus defectibus nullum probabile argumentum esse potest sufficientis dispositionis. Censeri autem potest probabilis ignorantia, cùm quis sufficienter dispositus iudicatur ex eo, quod mediocrem diligentiam in examinanda conscientia se posuisse ostendat per modum suum confitendi, & responsionem ad omnia interrogata; dans signa veræ Pœnitentiæ, qualia proposuimus *in prima parte lib.2. cap.5. sect.1.*

* * *

Explicatio difficultatis de excommunicatione, Num ita reddat excommunicatum incapacem Sacramenti Pœnitentiæ, vt confessio ab illo facta, sit inualida.

Nu.172. DVO sunt quæ vt Confessarium administratio-nis, sic Pœnitentem susceptionis Sacramenti Pœnitentiæ incapacem faciunt; nempe reseruatio casuum & excommunicatio. Atque de reseruatione, quòd absolutionem sacramentalem, & ex consequẽti confessionem, inualidam reddat & quando: satis patere poterit per dicenda in proxime *seq. lib.8. cap.4. & deinceps*, de absolutione à casibus reseruatis. De excommunicatione verò idem restat hoc loco explicandum: quod fiet sequentibus propositionibus.

Prima est quam Caiet. attigit *in verbo absolutionis impedimenta, & in verbo Confessionis iteratio*; expressitque Nauarr. *ad cap. Fratres De pœnitent. distinct.5. num. 38. & in Enchir. cap.9. num.4.* inualidam esse absolutionem à peccatis (& ex consequenti, de eis factam confessionem) datam excommunicato, qui non solùm intelligit se excommunicatum esse: verumetiam nouit lethalem culpam esse; recipere vel procurare dari sibi talem absolutionem, antequam ab excommunicatione absoluatur. Ratio in promptu est: quia cum excommunicatus, siue maiori siue minori excommunicatione, à Sacramentorum perceptione excluditur, grauitérque peccet percipiendo *ex cap. Si celebrat, De Clerico excommun. ministr.*, talis ipso actu suscipiendi absolutionem grauiter peccans, obicem ponit effectui absolutionis, qui est diuina gratia, non compatiens secum peccatum mortale: sicque quantum in se est, Pœnitentiæ Sacramentum contaminans, sacrilegium admittit. Quod est argumentum Caietani *in verbo Absolutionis impedimenta*, Addẽtis tale sacrilegium committi quidem suscipiẽdo absolutionem à peccatis, quia hæc est forma perficiens Sacramentum: non tamen exercendo actus contritionis, aut confessionis, aut satisfactionis, quoniam tantùm sunt materia inchoans Sacramentum Pœnitentiæ.

Secunda propositio, *quam Nauarr. habet ad cit. cap. Fratres, num.48.* est: inualidam esse vt prius, absolutionem à peccatis, datam excommunicato scienti, aut secundùm qualitatem suam debenti scire, se in eo statu absolui non posse à Confessario cui se subiicit. Ratio est: quia talis confessio Pœnitentis integra non est, nisi iple confiteatur de sacrilegio, quod in ea re committit, Sacramentum Pœnitentiæ sortiãtur quantum in se est. Vel si integra sit quidem, eo quod tale quoque peccatum cum cæteris à se commissis, confiteatur: est tamen sine proposito vitandi de cætero omne peccatum, cum excludat peccatum voluntatis contaminandi Sacramentum Pœnitentię accipiendo absolutionem ab eo, qui illam, ipsi dare non valet. Iam verò confessio inualida redditur per defectum siue integritatis, siue propositi vitandi de cætero omne peccatum.

Tertia propositio est: validam esse absolutionem à peccatis (*& ex consequenti eorumdem confessionem*) quando pœnitens probabiliter ignorabat aut non aduertebat, se excommunicatum esse; itaut quando absoluebatur, neque crederet neque aduerteret se peccare. Hanc loco ante citato attigit Caietanus, & expressit Nauar. *ad idem cap. Fratres num.45. & in Enchir. cap.9. num.3.* Probatque primò, quia rem quæ culpa caret in damnum vocari non conuenit; *ex cap. 2. De consist. & ex cap. Sine culpa, De regulis iuris in sexto.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deinde quia excommunicatus diuina celebrans, ob ignorantiam probabilem excusatur vt à peccato, sic & ab irregularitate *ex cap. Apostolica, de Clerico excomm. ministr.* Quare suscipiens Sacramentum Pœnitentiæ, ob eandem ignorantiam similiter excusabitur vt à peccato sacrilegij, sic & à priuatione fructus eiusdem Sacramenti, quem natum est proferre in omni adulto à quo suscipitur, nullum ponendo obicem. Denique quia nullo iure nec vlla ratione persuaderi potest, absolutionem à peccatis datam excommunicato, esse ipso iure nullam. Cui argumento Caietanus in verbo Confessionis iteratio, robur ex eo addit, quòd sint alia excommunicatis prohibita, quæ ius declarat, si fiant esse nulla: vt collationem beneficij factam excommunicato *ex cap. Postulastis, De Clerico excomm. Ministr.* Vnde coniectura ducitur, quòd excommunicatio iure positiuo, non reddat absolutionem à peccatis inualidam, cùm id in illo non sit similiter expressum. Quod si opponas *ex cit. cap. Si celebrat*, haberi, Sacramenta collata ab excommunicato minore excommunicatione non carere virturis effectu, eoquod is non videatur à collatione, sed à participatione Sacramentorum remotus. Quasi nimirum sint effectu caritura, si ab illo susciperentur. Respondetur ex Nauar. *ad cap. Considerei, De pœniten. distinct. 5. §. Cautus, num. 30.* excommunicatum remoueri à Sacramentorum participatione, verum esse hoc sensu; quòd excommunicatus male faciat dum sciens & prudens suscipit Sacramentum: non autem quod ab eo suscepta sint nulla. Nam *ex cap. 1. De eo* qui furtiuè ordines suscepit, is qui excommunicatus insignitur ordine, verum Sacramentum ordinis suscipit: etiamsi ab illius executione suspendatur. Deinde *ex cap. Significasti. De eo qui duxit in matrimonium, &c.* matrimonium ab excommunicato contractum, tenet. Adhæc nemo auderet Confirmationem iterare illi, qui aptea eam accepisset excommunicatus. Quare excommunicationem ita remouere à Sacramentorum perceptione, vt illa reddat nulla; nec in Sacramentis quę iterari possunt (vt Matrimonium & Pœnitentia) nec in iis quæ iterari non possunt (vt Confirmatio & Ordo) locum habet. Itaque saluo meliori iudicio Pontifex in cit. cap. Si celebrat; probans valida esse Sacramenta collata ab excommunicato minore excommunicatione: quia is non est à tali collatione remotus: non videtur supponere Sacramenta de facto inualidè suscipi aut conferri, eo ipso, quòd suscipiens aut conferens excludatur per excommunicationem ab eorum vsu: sed quòd etiamsi id ita esset, tamè non carere effectu collata ab excommunicato minore excommunicatione, qui tantùm ab illorum perceptione, non autem à collatione est remotus.

Quarta propositio est, Eum qui se sciret ac fateretur excommunicatum: & errore ductus secundùm suam qualitatem iusto (*eoque siue iuris siue facti*) putaret se posse à Confessario suo absolui, etiamsi ab eo absoluatur à peccatis priusquam ab excommunicatione, verè à peccatis absolutum esse. Hanc *ad idem cap. Fratres, num. 45.* Nauarrus habet: & probari ait ex eo quod tunc, iuxta antedicta, neque excommunicatio neque peccatum mortale interueniens, reddat, *tanquam obex*, absolutionem inualidam. Has easdem propositiones refert & approbat Couar. *in antecitata parte 1. §. 6. num. 7.*

Quinta propositio *pro qua authores citat Nauarrus in Enchir. cap. 9. num. 4.* est, Excommunicatum excommunicatione quæ in foro interno & coram Deo iniusta est, posse absolui à suis peccatis. Ratio est: quia talis in eo foro non est excommunicatus, sed in externo tantùm, & quoad Ecclesiam. Ad quod facit etiam quod de taliter excommunicato generaliter Caietanus & Couar. docent: ille 2. 2. *quæst. 70. art. 4.* & hic *in seq. §. 7. num. 7. versu Illud tamen.* Cùm absuerit scandalum, talem posse absque peccato, diuinis immiscere se, hoc est, eiusmodi cui constat se innocentem esse, ideoque excommunicationem sic in se latam, nullam esse quoad Deum: suamque innocētiam nequit probare, posse interim diuina celebrare vitato scandalo: vt celebrando in loco secreto: aut coram iis tantùm, qui illius innocētiā sibi facilè persuadent.

Sexta propositio est, Quamuis ille qui excommunicatus, à peccatis absolutus est secundùm tres proximè præcedentes propositiones, non teneatur confessionem iterare: tenetur tamen quærere absolutionem ab excommunicatione, qua manet irretitus: nec potest interea immiscere se diuinis. Ita expressè habet Caiet. *in verbo Absolutionis impedimenta*: & ex superioribus inferri Nauar. monet *in prius citato nu. 48.* Sic autem infertur: Cùm ex hypothesi excommunicatio non tollatur à Confessario non absoluente ab ea: vel quia non meminit, vel quia non potuit: profectò eadem perseuerat in Pœnitente, etiamsi reconciliatus sit Deo: donec is fuerit ab illa absolutus, *ex cap. A nobis 2. De sement. excommunic.* Quocirca tenetur sub pœna peccati mortalis, perinde ac prius abstinere à diuinis, à quibus Ecclesia, cui ex Christi præcepto parere tenetur, ipsum excludit ex cap. Illud & cap. Si celebret, De Clerico excommunicato ministrante.

LAVS DEO.



LIBER

LIBER TERTIVS, AC OPERIS TOTIVS SEPTIMVS, DE SACRAMENTALI SATISFACTIONE.

PRÆFATIO.

AMBIGVVM est satisfactionis nomen; interdum enim sumitur pro debiti solutione, quâ tantum restituitur, quantum ablatum est: interdum etiam pro responsione ad aliquam interrogationem, vt cùm primæ Petri tertio dicitur: Parati semper ad satisfactionem, *id est responsionem*, omni poscenti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe & fide.] Interdum autem pro defensione alicuius, seu purgatione à crimine ei obiecto: in qua significatione satisfaciendi verbum D. Paulus sumpsit Act. 24. dicens: Bono animo pro meipso satisfaciam; id est, libenter me purgabo à crimine mihi obiecto. Interdum præterea, pro iniuriæ illatæ compensatione, quantum satis est ad vindictam: quæ acceptio est in vsu, tam apud Theologos, quàm apud Iurisp. cùm de actionibus & passionibus iniuriosis agunt: vt cùm de detractionibus, conuitiis, &c. Interdum denique ex accommodatione sacrorum Scriptorum ad significandam compensationem iniuriæ Deo illatæ ab homine. In qua significatione sumitur interdum latiùs, pro omni remedio, ad Deum, quem peccatis nostris offendimus, placandum adhibito: siue à nobismet ipsis qui peccauimus, siue ab alio. Sicque dicimus Christum satisfeciisse pro peccatis totius humani generis: & Theologi quærunt, An vnus homo possit pro alio satisfacere. Interdum verò sumitur angustiùs pro eo tantùm remedio, quod ad placandum Deum peccatis offensum exhibetur ab eo, qui peccauit: Quod quidem remedium est opus pœnale, ex Dei acceptatione satisfactorium pro pœna peccatis debita: siue post hanc vitam in purgatorio, siue in hac vita perferatur. Quod fieri potest dupliciter: vno modo propria sponte, altero modo ex impositione Confessarij. Atque hac demum ratione constituit satisfactionem, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ. De cuius impositione per Confessarium & acceptatione per Pœnitentem, ac impletione per hunc, & relexatione per illum instituimus dicere in hoc libro: priùs exposita propria ipsius ratione. Primum ergo caput erit, de eadem propria ratione. Secundum, de necessitate imponendi & acceptandi satisfactionem in vsu Sacramenti Pœnitentiæ. Tertium, de iis quæ imponi possunt in satisfactionem. Quartum, de prudentia Confessarij in imponenda satisfactione. Quintum, de quantitate & qualitate satisfactionis imponendæ. Sextum, de remediis & pœnitentiis variis, quæ aduersus varia peccata iniungi debent Pœnitenti à Confessario. Septimum, de adimpletione satisfactionis impositæ. Octauum, de eiusdem relaxatione. Reliqua erunt de Indulgentiis per modum appendicis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT I.

De propria ratione satisfactionis Sacramentalis.

SVMMARIVM.

1 *Definitio satisfactionis Sacramentalis, cum explicatione.*
2 *Post remissam peccati culpam, remanet aliqua pœna persoluenda siue hîc, siue in Purgatorio.*
3 *Eam minuit, tum contritio, tum Sacramenti susceptio.*
4 *Satisfactionem fieri per opera pœnalia, quomodo accipi debeat.*
5 *Quomodo talia opera significentur ieiunij, eleemosynæ, & orationis nomínibus.*
6 *Satisfactio ex eo dicitur Pœnitentia, quòd sit huius effectus & externum signum.*
7 *Ea vt Sacramenti Pœnitentiæ pars, restauratio est iustitiæ læsæ, tantùm imperfecta.*
8 *Maior est cæteris paribus efficacia satisfactionis Sacramentalis, quàm propria sponte susceptæ.*
9 *Supra sponte susceptam, hoc habet Sacramentalis satisfactio, vt etiam facta in peccato mortali aliquid valere possit, ad tollendam pœnam peccatis debitam.*
10 *Quomodo id possit.*

Nu. 1. AD rationem propriam seu naturam Sacramentalis satisfactionis declarandam, plures quidem inueniuntur traditæ definitiones. Sed vnâ satis accuratâ & familiari contenti esse possumus; quâ satisfactio sacramentalis dicitur esse, voluntaria passio pœnæ pro peccato, ad placandum Deum à Confessario impositę Pœnitenti, propositum habenti Deum ipsum non offendẽdi de cætero. Hanc omissis illis verbis *à Confessario impositæ*, Nauar. *ad cap. Satisfactio, De pœnitent. distin. tertia, num.* 2. tradit, & consequenter explicat: inquiens, verbum *Voluntaria*, significare satisfactionem esse opus virtutis, prout in Supplem. 3. par. D. Thomæ *quæst.* 12. *art.* 1. probatur ex eo, quòd nullus actus operetur deletionem peccati, nisi sit actus virtutis; ejus vnum contrarium destruatur per suum contrarium: per satisfactionem autem, peccatum annihiletur. Quod verò sequitur, *passio pœnæ*, ait generaliter sumi pro quacumque læsione, labore, & dolore animi vel corporis, vel honoris, vel pecuniæ. Quod deinde subiungitur, *pro peccato ad placandum Deum*, ait excludere passiones quæ ob aliud, quàm ob peccatum; vel in alium finem, quàm ad Deum placandum assumuntur. Additum autem est consequenter, *à Confessario imposita*, propterea quod austeritates & pœnitentiæ voluntariæ, quas Pœnitens pro arbitrio suscipit, vt per eas Deo pro peccatis suis satisfacere possit; non constituunt eam de qua agimus satisfactionem, quia non sunt à Confessario impositæ. Additum est præterea, *Pœnitenti*, quia Sacramentalis satisfactio non alteri, quàm Pœnitenti confitenti imponi potest: siquidem virtute clauium sententia in eum solummodo profertur, qui se eis subijcit: vt facere censetur is qui Sacerdoti confitetur, tanquam Iudici habenti à Christo authoritatem absoluendi à peccatis, & ligandi ad pœnam pro illis subeundam. Positum est postremo, *habenti propositum Deum non offendendi de cætero*, quia vt ad cæteras Sacramenti pœnitentiæ partes, ita & ad hanc necessarium est tale propositum: Deinde quia satisfactio, de qua agimus debet esse actus virtutis pœnitentiæ, quæ non modò præteritum, sed etiam futurum peccatum respicit; inclinando ad illius odium & auersionem; habetque rationem quamdam medicinæ; vt ad præterita peccata euranda, sic ad futura præcauenda.

Quædam notanda ad plenè intelligendam propriam rationem satisfactionis Sacramentalis.

SECTIO PRIOR.

VT autem tota res melius intelligatur, quædam explicationi huic adiungenda sunt. Primum est expresse definitum esse in Concil. Trident. sess. 6. cap. 14. & Can. 30. & sess. 14. cap. 8. & Can. 12. Quando in Sacramento pœnitentiæ remittitur peccatorum mortalium culpa, non deleri semper (sicut in baptismo) totam pœnam eisdem debitam; sed æternâ dimissâ, temporalem aliquam plerumque manere delendam, per dignos fructus pœnitentiæ: quod latiùs disputatum aduersus hæreticos, qui volet videre potest apud Bellarm. *lib. 4. De pœnitent.* Satis enim nobis est, notasse quòd ad talem pœnam tollendam institutæ sint indulgentię, ex Extrauag. communi Vnigenitus. De pœnit. & remiss. ad eámque luendam, post hanc vitam quidem, si aliqua nondum dimissa supersit animæ decedenti in gratia Dei, ordinatas esse Purgatorij pœnas: prout inter cætera definitum est in Concilio Florentino. *Nu. 2.*

In hac vita verò, institutas esse pœnas non solùm à nobis pro peccato vindicando sponte susceptas, aut Sacerdotis arbitrio, pro mensura delicti impositas, sed etiam temporalia flagella patienter à nobis tolerata propter Deum, ex Concil. Triden. *sess. 14. cap. 9.* Iam vt culpa mortalis, finita quidem est ratione conuersionis ad creaturam, sed infinita ratione auersionis à creatore secundùm receptam (*reste Nauar. De indulgentiis not. ab. 16. num. 2.*) D. Thomæ sententiam: sic etiam pœna eidem culpæ debita, finita est quidem quoad intensionem, sed infinita quoad durationem: vtpote æterna, iuxta illud Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum.] Atque de præ dicta illa pœna temporali notat Caiet. *in to. 1. Opusc. tract. 4. quæst. 4.* quòd ea sit ipsamet æterna, subtracta æternitate per culpæ remissionem, qua peccator diuinæ gratiæ restitutus, desinit obnoxius esse eidem pœnæ æternæ; quæ propria est illorum qui tanquam hostes puniuntur.

Addit idem per contritionem minui eiusmodi pœnam; quia in homine viatore contritio, quatenus pœnalis à charitate procedens, satisfactoria est, sicut cætera bona opera: itaut *inquit ille*, duo hæc sint certa: nempe quanto maior est contritio, tanto plus tolli de pœna temporali debita peccato: deinde posse contritionem tantam esse vt totam eamdem pœnam tollat: non quidem vi sua, *quod dicere Pelagianum esset*: sed virtute meritorum Christi, quibus nostræ satisfactiones niti debent, vt sufficientiam aliquam habeant, prout constat ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 8.* Item per Sacramentum pœnitentiæ eamdem pœnam aliquâ ex parte tolli, idem author ex eo confirmat, quòd susceptione Sacramenti, passionis Christi meritum, *pœnæ peccatis nostris debitæ remissiuum*, applicetur membris eiusdem Christi, per charitatem ei vnitis. *Nu. 3.*

Secundum notandum, est satisfactionem in Pœnitente, correspondere conuersioni ad creaturam per peccatum, sicut contritio correspondet auersioni *Nu. 4.*

ni à Deo per idipsum peccatum. Et quia per conuersionem ad creaturam; in Dei contemptum, nimium concessum est concupiscentiæ circa aliqua bona temporalia delectabilia, vel nobis vtilia; debere satisfactionem fieri per bona opera pœnalia quibus & Deus honoretur: & concupiscentiæ; temporalia subtrahantur; vt sic compensatio fiat ex lege iustitiæ, detrahendo ei qui habet plus iusto, & addendo ei qui minus habet. Quæ ratio adfertur in Supp. tertiæ partis D. Thomæ *quæst. 15. art. 1.* ad docendum non per alia bona opera, quàm pœnalia, fieri satisfactionem pro peccatis. Quod aduerte, verum esse quidem; omnem tamen actum virtutis, licet vno respectu delectabilis sit, alio nihilominus esse pœnalem, & sensualitati repugnantem: hâcque ex parte aptum esse ad satisfactionem. In quo & in quibusdam aliis (*de quibus paucis & bene Henriquez in summa lib. 5. cap. 19.*) immorari, scholastici instituti potius est, quàm huius nostri. Fortè autem D. Thomas respexit ad id quod Ecclesiæ vsus habet: vt quamuis homo quibuscumque suis operibus Deo gratis, tam internis quàm externis; vt mereri, sic satisfacere possit: tamen à Confessario non nisi opera habentia suapte naturâ aliquam pœnam ac difficultatem, imponantur Pœnitenti in satisfactionem.

Nu. 5. Porrò cùm ex 1. *epist. D. Ioan. cap. 2.* concupiscentia triplex sit: carnis, seu voluptatum corporis: oculorum, seu bonorum temporalium: & superbiæ vitæ, seu honoris; conueniens est vt Deo satisfaciamus subtrahendo nobis tria ista genera bonorum, per ieiunium, eleemosynam, & orationem, quæ communiter statuuntur esse bona opera, per quæ possumus Deo pro peccatis satisfacere: eoquod ieiunium subtrahat concupiscentiæ, delectationes carnis; & eleemosyna, commoditates rerum temporalium; ac demum oratio, superbiam vitæ cohibeat per animi demissionem, cum qua debet ipsa fieri.

Vbi aduerte latè sumi ieiunij, eleemosynæ & orationis nomina: vt nimirum ieiunij nomine intelligantur quæcumque nata sunt lasciuiam carnis edomare: vt flagella, vigiliæ, cilicia, humicubationes, peregrinationes, & id genus alia: quæ carnem affligere solent: non tantùm quæ sponte suscipiuntur à Pœnitente aut ei à Sacerdote iniunguntur: sed etiam temporalia flagella, quæ à Deo infliguntur; vt morbi, paupertas, & huiusmodi alia: dummodo, *vt à Sancto Iob*, patienter ferantur: quandoquidem vidua est virtus quam non patientia firmat, vt dixit Prudentius. Et vt ait D. Iacobus *in cap. 1. suæ Epist.* Patientia opus perfectum habet.] Quibus flagellis (de quorum numero est ipsa etiam mors incuitabilis, prout notat Nauar. *in Enchir. cap. 26. num. 23.*) apud Deum Patrem per Iesum Christum nos satisfacere posse definit Concil. Trident. *in cit. sess. 14. cap. 9.* Satisfacimúsque de facto per talia, patiendo illa piè, tanquam à Deo immissa; eadémque offerendo in compensationem nostrarum offensarum: vt ex D. Thomæ doctrina & Concilij Trident. approbatione, habet Nauarrus *in præcedenti cap. 3. num. 4.*

Nomine eleemosynæ verò, intelliguntur non tantum pecuniarum largitiones sed etiam (vt ex Soto Nauarrus, & ex D. Thoma Syluester habent: ille *in eod. cap. 3. nu. 2.* & hic *in verbo satisfactio quæst. 8.*) opera misericordiæ corporalia vt mortuos sepelire, infirmos visitare, itémque hospitalia & carceres, & quidquid aliud impenditur in vtilitatem proximi *ex Supplem. 3. par. D. Thomæ quæst. 15. art. 3. ad 5.* Denique nomine orationis intelliguntur non tantùm meditationes, & preces vocales: sed etiam, *vt addunt Nauar. & Sylu.* omnia spiritualia opera misericordiæ: itemque, vt insinuatum est in citato supplemento, opera religionis; seu pertinentia ad Dei cultum: vt v. g. Missæ sacrum celebrare, vel audire: libros pios legere, confessiones excipere, concionari, & alia eiusmodi.

Tertium notandum, est quamuis satisfactio vulgò dici soleat pœnitentia; eam tamen solùm esse pœnitentiæ in interiore voluntate existentis effectum, signúmque externum: nempe sicut cùm videt quis fumum, cognoscit ipsum ex igne procedere; ita cùm quis macerat carnem suam ieiunio aut alia ratione affligit, cognoscitur in corde dolorem habere, ex quo indignatio illa sancta contra seipsum, procedat. Similiter & cùm quis videns alterum, distringit gladium aut lapidem vel fustem arripit, vt illum percutiat, ostendit latens in corde odium quo illum prosequitur: eâdem ratione homo assumens ieiunia & alias mortificationes, vt de peccato suo propter Deum vindictam sumere in seipso possit, ostendit odium internum quo prosequitur peccata sua propter Deum, cuius sunt offensa. *Nu. 6.*

Quartum est: eò spectare satisfactionem, vt iustitia per illatam iniuriam læsa, restauretur secundùm æqualitatem actionum. Id quod fieri potest dupliciter, vno modo, secundùm absolutam & perfectam æqualitatem: vt quando inter duos homines æquales, actio contumeliosa recompensatur per aliam contrariam, tantum habentem honoris, quantum prior habuerat contumeliæ. Altero modo secundùm æqualitatem imperfectam; vt cùm quis à proprio seruo grauissimis affectus iniuriis contentus est, si is de suo crimine veniam petat: aut cùm is qui pertulit iacturam decem millium aureorum satisfieri sibi patitur cessione bonorum omnium: licet ea ad summam tot millium nequaquam peruenerint. Non posse autem satisfactionem [illo]re modo fieri Deo ab homine pro suis peccatis, inter omnes conuenit: quia quidquid sumus & habemus totum est Dei; illudque exiguum ac finitum. Vnde cùm peccando infinitum bonum, diuinamque maiestatem offenderimus, nisi aliqua acceptatio & donatio intercedat, nemo potest Deo satisfacere pro peccatis, quibus in eum iniurius fuit. Quare posteriore tantùm modo satisfactio, quæ acceptatione & donatione Dei nititur, locum habet in Sacramento Pœnitentiæ. *Nu. 7.*

De differentia inter satisfactionem propria sponte assumptam & eam quæ imposita à Confessario, acceptata est à Pœnitente.

SECTIO POSTERIOR.

POstremum est quamuis in substantia operis, conueniant satisfactio propria sponte susceptа, & à Confessario iniuncta: inter vtramque tamen duplex magnum cerni discrimen: quorum prius in hoc consistit; quòd cæteris paribus, maioris efficaciæ sit illa, quæ à Confessario imponitur, quàm quæ propriâ sponte suscipitur. Sic cæteris paribus magis censetur satisfeciſſe pœnæ peccatis suis debitæ, qui impleuit ieiunium à Confessario impositum, quàm si impleuisset non impositum, quia talis satisfactio fuit Sacramentalis: Sacramentique virtute; meritum Christi applicatur satisfacienti. Dixi, *cæteris paribus*, quia posset quis tanto feruore deuotionis ieiunare propria sponte, & tam tepidè ex impositione Confessarij; vt plus consequeretur ratione deuotionis, quàm faceret, ratione Sacramenti. *Nu. 8.*

Posterius discrimen in hoc consistit, quòd satisfactio spontanea, si in peccato mortali fiat, nihil prosit ad pœnæ debitæ compensationem; neque nunc, *Nu. 9.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque postea, quia non potest valere nisi ex opere vt vocant operantis, seu ex bona dispositione interiori, per quam Deo acceptum est id quod agitur. Nullum autem opus factum extra gratiam & charitatem valet apud Deum: sicut nec apud Regem moneta adulterina: iuxta illud *prioris ad Corinth.* 13. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum itaut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.] Satisfactio verò iniuncta à Confessario, etiam facta in peccato mortali, aliquid valet; tum eoquod per illam impleatur præceptum Ecclesiæ *in cap. Omnis vtriusque sexus, De pœniten. & remiss.* datum de peragenda pœnitentia à Confessario imposita: neque opus sit eam iterare, ex Soti sententia frequentius receptâ, prout habet Nauar. *ad princip. cap. Primi, De pœniten. distinct. sexta, num.* 45. Et probatur: quia Ecclesiæ præcepta possunt in peccato mortali impleri quoad substantiam actus qui præcipitur. Sic enim ieiunij Ecclesiastici violator esse non censetur is, qui illud seruauit in peccato mortali: quia fecit id quod præcipitur, non obstante malo suo statu, & sic de aliis.

Nu. 10. Præterea licet illud opus, pro eo tempore quo homo existit & perseuerat in peccato mortali, non sit satisfactorium ex communi sententia, teste Nauarro ibidem: est tamen pro eo tempore quo ille à peccato surrexerit: vt idem Nauar. *in Enchir. cap. 3. num.* 5. habet ex D. Thoma, cum aliis quos *in priore parte candelab. aurei cap. De satisfactione, num.* 13. Alphonsus à Viualdo commemorat. Ratio autem est: quia talis satisfactio pars est Sacramenti & per consequens tanquam Dei operatio, remoto obice sortitur suum effectum, argumen. *cap. Tunc valere, De consecr. distin.* 4. Itaque sicut in præcedenti libro, num. 170. diximus de confessione valida informi, eam fieri quidem sine suo Sacramentali effectu, sed illum postea sortiri, cùm obex sublatus fuerit: similiter dicendum est, satisfactione imposita à Confessario: nempe factam in peccato mortali sortiri suum effectum, id est, remissionem pœnæ quando homo redierit ad gratiam Dei. Quod à Caiet. traditum *in Summula verbo Satisfactio*: & plenius tractatum ab eodem *in* 1. *tom. opusc. tract.* 6. *quæst.* 2. improbat quidem Sotus, *in* 4. *distinct.* 19. *quæst.* 1. *art.* 5. sed vt apparet satis debili fundamento: quod est, satisfactionem non esse de essentia Sacramenti: hoc enim euertitur ex eo, quod in Concil. Florent. *in instructione Armenorum* & in Concil. Triden. *sess.* 14. *cap.* 3. *& Can.* 4. Satisfactio constituatur Sacramenti Pœnitentiæ pars materialis, sicut contritio & confessio. Vnde sequitur verè Sacramentalem esse, etiamsi tantùm sit pars integralis. Nec est quod quis inde inferat satisfacientem in peccato mortali, peccare mortaliter. Nam Sacramentum pœnitentiæ non requirit sanctitatem in suscipiente: Ita enim ille qui contaminatus peccato mortali, confitetur attritus tantùm, non peccat mortaliter: vt patet ex doctrina de eadem attritione tradita in Concil. Triden. *sess.* 14. *cap.* 4.

Quæritur autem an satisfactio illa sortiatur postea totum effectum remissionis pœnæ, quem sortita esset facta in charitate. Respondet Caiet. *in citata qu.* 2. *ante solutionem* 1. *argumenti* non sortiri totum effectum Nauar. verò ad memoratum principium nu. 49. verius putat quòd totum effectum sortiatur. Quidquid autem sit in speculatione *Scholasticis relinquenda*, ad praxim parui refert quodnam eorum sequamur: etsi dictum à Nauarr. videatur hoc nomine præponderare, quòd tanquam multum fauens animæ, & valde commendans Dei misericordiam erga eam resipiscentem, valeat maximè ad foucendum studium faciendi fructus dignos pœnitentiæ: ad quos D. Ioann. Baptista Matthæi 3. hortatur.

CAPVT II.

De necessitate satisfactionem per Confessarium imponendi, & per Pœnitentem acceptandi.

SVMMARIVM.

11 *Confessarius tenetur satisfactionem imponere, nisi inueniat, quòd Pœnitens nullam possit implere, aut quòd iam fecerit sufficientem.*

12 *Addit Caiet. aut nisi acceptare recusét; quod non est sequendum.*

13 *Non tenetur Pœnitens acceptare Pœnitentiam, in qua imponenda Confessarium errare, manifestè constat.*

14 *Pœnitens tenetur acceptare Pœnitentiam medicinalem, seu necessariam ad euitandum peccatum mortale futurum.*

15 *Pœnitentiam autem satisfactoriam, nullo præcepto tenetur acceptare, si malit & proponat satisfacere in Purgatorio.*

16 *Quid responderi possit iis, quæ pro sententia contraria adferuntur.*

17 *Confessarius volentem tamtum, potest vt absoluere à culpa, sic & ligare, ad pœnam.*

18 *Quo modo impositio satisfactionis censeatur ligare eum, cuius arburio est relicta.*

19 *Ordinariè ante Sacramentalem absolutionem imponenda est satisfactio, non tamen de necessitate, nisi eam oporteret declaratoriam esse alicuius obligationis sub mortali.*

20 *Non est exigendum à Pœnitente promissum quod obliget ad nouum peccatum mortale, nisi ius postulet.*

Nu. 11. CONFESSARIVM regulariter teneri satisfactionem Pœnitenti imponere, patet tum authoritate Concilij Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. *& cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnit. & remiss.* tum etiam ratione: quia Cõfessarius tenetur quantùm potest integrum facere Pœnitentiæ Sacramentum, quod in forma iudicij in stitutum, requirit Iudicis æquitatem, qua iudicans inter Deum & hominem, sicut absoluit hominẽ quem inuenit dispositũ, sic debet curare vt is satisfaciat Deo. Dixi *regulariter*, propter duos casus in quibus Cõfessarius potest nullam satisfactionem Pœnitenti imponere. Prior est quando Pœnitẽs nullam omnino implere potest: quod contingit rarò, vt interdum in mortis articulo. Impotentia enim tunc excusat, & ita excusat vt tamẽ non impediat administrationem Sacramenti Pœnitentiæ: de cuius integritate satisfactiõ ipsa est quidẽ, sed non de essentia; vt argumento est, quod idipsum Sacramẽtum sic verè perficiatur, vt gratiam conferat ante eam adimpletam: quod Theologos communiter sentire notat Suarez. *tom.* 4 *disput.* 38. *sect.* 3. *num.* 4.

Posterior casus est, quando Confessarius ex Pœnitentis confessione, & ex aliis indiciis intelligit ipsum sufficienter satisfecisse pœnæ debitæ suis peccatis; quia sicut æquitas iudicij postulat vt puniatur qui debet, ita etiam vt liberetur qui iam soluit: sicque non est de æquitate iudicij, vt satisfactio imponatur ei qui iam sufficienter satisfecisse intelligitur. Cæterùm quia difficile est talem sufficiẽtiam cognoscere, consul

consultum est, saltem ad integritatem Sacramenti, semper aliquid in satisfactionem imponere.

Nu. 12. Quibus duobus casibus Caiet. *in Summula verbo Satisfactio*, tertium addit: cùm Pœnitens nullam vult satisfactionem suscipere, sed omnem differre luendã in purgatorio. Cui aduersatur quod cùm Concil. Florent. *in instruct. Armenorum, De Sacramento Pœnitentiæ* & Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. *& Can.* 4. satisfactionem faciant eiusdem Sacramenti partem; dubium non sit, quin Confessarius sub graui peccato teneatur aliquid semper in satisfactionem imponere debenti ac valenti eam implere: quandoquidem rẽdit alioqui Sacramentum mutilum truncatã vnà ipsius parte. Accedit quod is nequeat iudicari ad pœnitentiæ Sacramentum seriò accedere qui sciens illud esse imperfectum sine satisfactione, hanc *nullâ necessitate cogente*, recusat vel modicam suscipere. Et maximè, cùm vt Confessor teneatur satisfactionem imponere; sic Pœnitens teneatur illam acceptare: quandoquidem ipse quoque concurrit ad Sacramẽtum: vnde fit vt teneatur integritatem illius seruare: se nimirum tanquam reum offerendo Confessario, Iudici instituto à Christo cum potestate absoluendi à peccatis & ligandi ad pœnam, imponendive satisfactionem ex Concil. Trident. *sess.* 14. *can.* 15. Et certè vt benè ait Nauarr. *in Enchir. cap.* 26. *num.* 20. nullus est Pœnitens adeo saxeus qui bona fide confitens,

Nu. 13. nolit vel tantillam pœnitentiam acceptare.

An autem de præcepto teneatur, quancumque sibi impositam acceptare difficultas est. Cui vt satisfaciamus, præmonendum est authores consentire, Pœnitentem non teneri acceptare pœnitentiam in qua imponenda Confessarium errasse manifestè constat; nulla enim lex talem obligationem inducit. Dixi *manifestè*: quoniam in dubio standum est Sacerdotis iudicio; prout notat Sotus *in* 4. *dist.* 20. *q.* 2. *art.* 2. Vt autem censeatur Confessarius errasse in imponenda pœnitentia, non est necesse vt excedat pœnam in purgatorio luendam à Pœnitente pro suis peccatis: sed, vt idem Sotus ibidem indicat, satis est vt excedat pœnam pro eis in Pœnitentiali foro iniungendam, considerata qualitate personæ, commoditate ac possibilitate eam peragendi, & reliquis circunstantiis: quarum, vt post dicetur, habenda est ratio in imponenda pœnitentia. Quare, vt habet Nauar. *ad cap. Consideret. De pœnitent. distinct.* 5. §. *Ponat se numero* 8. si valde melancholico ieiunium in pane & aqua, aut vitatio honestarum recreationum imponeretur, aut si debilissimo multa ieiunia, aut occupatissimo multæ preces quotidie recitandæ, iniungerentur: is melius facit non acceptando talem Pœnitentiam, quàm acceptando: tantùm abest vt teneatur acceptare. Quod cùm ita sit, in eo tantùm difficultas versatur, An si Sacerdotem errasse non constet omnino; quin potius videatur iustam pœnitentiam imposuisse, pœnitens teneatur de præcepto eam acceptare. De qua in vtramque partem argumenta & authores habet Nauarr. *in Enchir. cap.* 26. *num.* 20. & latius in memorat. commentario *ad* §. *Ponat se*: per totum.

Expositio difficultatis, An teneatur Pœnitens acceptare Pœnitentiam sibi impositam, cum non apparet iniusta.

SECTIO I.

PRo explicatione autem cum eodem Nauarro vtendum est distinctione Pœnitentiæ, in satisfactoriam, id est, quæ homini imponitur ad satisfaciendum Deo in hoc mundo pro temporali pœna debita culpa ipsi remissæ: & in medicinalem seu necessariam ad exeundum à peccato; itaut Pœnitens ad eam teneatur sine vllo Confessarij iussu: qualis est alieni restitutio, odij mortalis depositio, concubinæ dimissio, aut officij quod absque peccato mortali exercere nequit, & euitatio conuersationis, per quam se credit in peccato mortali relapsurum.

Nu. 14. Hac igitur distinctione posita: dicendum videtur Pœnitentem teneri huius posterioris generis Pœnitentiã acceptare: sique nolit nullatenus esse absoluẽdum ob defectum sufficientis contritionis quo laborat, tanquam nolens abstinere ab omni mortali peccato: cùm respuat remedium necessarium ad aliquod tale vitandum. Sicque Nauarr. monet accipiendos esse canones, qui adferuntur in confirmationem sententiæ Paludani & aliorum (eos Alphonsus à Viualdo commemorat *in Candel. aureo cap. De satisfact. num.* 25.) asserentium Pœnitentem de præcepto teneri acceptare quamcumque Pœnitentiam iustam pro suis peccatis impositam ei à Confessario, tanquam habente potestatem ipsum obligandi.

Nu. 15. Pœnitentiam verò posterioris generis, nullo præcepto teneri acceptare: itaut illam recusanti (nisi omnem respueret, in notabilem iniuriam Sacramenti) non sit eo solo nomine deneganda Sacramentalis absolutio, dummodo verum propositum habeat Deo plenè satisfaciendi, vel viuens per bona opera & indulgentias: vel mortuus per purgatorij cruciatum. Nam existimari potest diuina clementia (inquit Nauarr. *in cit. comment. num.* 11.) ob fragilitatem nostram dedisse nobis optionem satisfaciendi sibi, vel hîc, vel in purgatorio. Et certè exclusâ Sacramentali satisfactione acceptatâ, nullum haberi præceptum, quo homo sub mortali teneatur in præsenti vita satisfacere pro temporali pœnâ culpæ sibi remissæ debitâ: satis confirmat communis Ecclesiæ consuetudo: quâ potissimùm innixus, sententiam hanc Nauarrus approbat. Ea enim habet vt nulli denegetur absolutio eo solo nomine, quòd nolit acceptare talem aliquam Pœnitentiam sibi iniunctam, dummodo sit eo animo, quo ante propositum est. Quam consuetudinem rationabilem esse, ostenditur per illud, quòd ea temporalis pœna possit in hoc sæculo solui, & in futuro: electióque in eo conueniat homini ipsi, perinde ac si aliquis sub disiunctione debeat præstare vnum de duobus, quorum vtrumuis eligere sit relictum in eius potestate. Itaque liberum est homini post contritionem & confessionem velle hîc vel in purgatorio pœnam temporalem soluere: de quare bene disserit Medina *in cod. de satisfactione, quæst.* 6. §. *verum.*

Accedit etiam ad confirmationem, quod ex D. Thoma & aliis Theologis *in* 4. *dist.* 20. idem Nauar. habet *in præced. num.* 5. si pœnitentia à Confessario iuncta confitenti, non sit tanta, quantam illius peccata exigunt, confitẽtem ipsum per eam peractam non esse absolutum à tota pœna temporali peccatis illis suis debita. Sicque dum Confessarius ob corporalem imbecillitatem Pœnitẽtis, vel ob animi languorem, imponit minorem pœnitentiam quàm debeatur peccatis de quibus confessus est; ea ipsa pœna, qua parte per satisfactionem non recompensatur, manet in purgatorio luenda. Nam etsi talis pœnitentia fuit iusta secundùm vsum fori pœnitentialis (in quo non tãtùm qualitatis criminum, sed etiam facultatis pœnitentium ratio habenda est ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 8.) non fuit tamẽ sic iusta, vt per eam ita diuinę iustitiæ satisfieret, quòd ea peracta à Pœnitente, is à purgatorio liberetur. Vnde intelligitur consentaneum esse, vt volens ibidem omnino soluere, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

cogatur talem pœnitentiam iniunctam suscipere.

Nu.16. Iis autem quæ ex sacris canonibus aut Patribus pro sententia contraria vrgentur : Nauarr. *in memorato comment.num.9.* respondet, quod iam antè attigimus, intelligi de pœnitentia medicinali: aut de satisfactoria iam acceptata: aut etiam de acceptanda, non quidem ex præcepto, sed ex consilio: vt sensus sit Pœnitentem optimè quidem facturum si pœnitentiam ei discrete taxatam acceptauerit, & acceptatam peregerit: sed ad id nullo præcepto obligari, quemadmodum ante memorata consuetudo ostendit: cõfirmátque authoritas multorum grauium Doctorum (aliquos commemorat idem Nauarr. *in Enchir.cap. 26.num.20.* plures Alphonsus à Viualdo *in Candel.aureo,cap.de satisfact. num. 24.*) negantium præceptum esse de eadem acceptatione.

Nu.17. Sed obiici potest illud pro quo plures authores citat Suarez *tomo 4. disput.38.sect.7. num. 2.* Confessarium in Pœnitentem tanquam iudicem in reum, habere potestatem ligandi ipsum ad pœnam, sicut absoluendi à culpa. Vnde sequitur Pœnitentem dum impositione Pœnitentiæ ligatur à suo Confessore, teneri impositam acceptare. Cui obiectioni Nauarr. *in eodem comment.num.13.* occurrit; quòd cùm constet Confessarium non posse absoluere nolentem, sed tantùm volentem: concedendum esse quidem, posse ligare volentem & acceptantem pœnitentiam; non item nolentem & in purgatorio vel per alia bona opera pro peccatis satisfacere deliberantem, aut certe volentem adire alium Confessarium, cui de integro confiteatur, à quo minorem pœnitentiam expectat quod iustè posse habet idem author *in præced.nu. 6.* Quamuis in eo videatur aliquid peccati saltem venialis inesse: cùm rationi aduersetur, Sacramentum relinquere inchoatum, & fugere iustum Sacerdotis iudicium; cui iam semel te subdidisti: nisi aliqua rationabilis causa id cohoneste. Addit Nauarr. *num.11.* notatu dignum in hac re: quòd etsi iudex fori externi possit delinquenti, velit nolit, pœnam meritam imponere, non possit tamen Iudex fori interni: quia tale forum non respicit, sicut externum, publicam vtilitatem, sed priuatam animę Pœnitentis itaut pœnitentia in eodem foro iniuncta, tanquam mandatum in vtilitatem Pœnitentis factum, transeat in consilium: etiamsi acceptata sic liget, vt necessariò implenda sit: perinde ac votum, quod suscipere, est quidem consilij tantùm; sed susceptum implendum est de necessitate præcepti. Accedit quod hæc satisfactio sit quoque in remedium aduersus relapsum: quò fit vt debeat accommodari dispositioni Pœnitentis: cui nonnunquam expedit, satisfactionem hic & nunc, vel secundùm se totam, vel secundùm partem imponi suo consilio potius, quàm sub præcepto, propter ipsius dispositionem, cuius habenda est ratio; sicut in medicina corporali ratio habetur dispositionis ægri.

Nu.18. Si obiicias, satisfactionis impositionem non esse Sacramentalem, nisi sit actus potestatis ligandi à Christo in Ecclesia institutæ, qualis non est satisfactio relicta in arbitrio Pœnitentis; cùm hic, illâ etiã susceptâ liber nec ligatus maneat. Respondetur satisfactionem eo modo imponere, non esse quidem ligare imponendo simpliciter necessitatem agendi; esse tamen ligare in ordine ad finem consequendi per pœnitentiæ Sacramentum remissionem pœnæ propriis peccatis debitæ: ad quam per se primò instituitur satisfactio, sicut ad culpæ remissionem contritio & confessio. De qua re videri potest Suarez *in citata disputatione 38. sect. 3. num. 2.*

Explicatio alterius difficultatis, An satisfactio sit de necessitate imponenda ante Sacramentalem absolutionem.

SECTIO POSTERIOR.

Nu.19. ANtedictis de necessitate imponendæ satisfactionis coniuncta est difficultas, quando illa imponi debeat. De qua tenendum est cum Nauarr. *in Enchir.cap. 26.num. 10.* & cum aliis quos refert Suarez *tom.4.disput.38.sect. 3. num. 6.* imponendam esse quidem ordinariè ante absolutionem: sed nihil obstare quominus post eam imponi possit, cùm tam sit Sacramentalis post, quàm antè imposita, vt idem Nauarr. *ad princip.cap.1.de pœnitent.dist.6.nu.35.* probat ex eo, quòd illa quæ incontinenti fiunt, inesse videantur ex lege *Lecta,§.dicebam,ff. de rebus cred.* & ex lege *Legem.Cod.de pactis, & ex cap. Præterea,de testibus cogendis* : additque eam esse receptam sententiam. Quam aduerte non procedere quoad pœnitentiam, quã Pœnitenti per modum declaratæ obligationis, iniungitur id, quod illi necessarium est ad retinendam animæ suæ puritatẽ, eo quod ad illud sub mortali teneatur, etiamsi à Confessario non iniungatur. Cuiusmodi est restitutio notabilis damni aliis per ipsum illati: siue in fama, siue in rebus externis, siue in persona: quam restitutionem omittere dum fieri potest, peccatum est mortale: depositio item odij mortalis, & ablegatio ancillæ cum qua nequit absque recidiui periculo viuere: ac etiam euitatio cuiuscumque alterius causæ peccati mortalis. Cùm enim absolutio non sit danda ei, qui non statuerit omnino abstinere à quouis peccato mortali, antequam confessus absoluatur, iniungenda est ei restitutio, ad quam teneri cognoscitur, & euitatio occasionum proximarum peccandi mortaliter, quas deprehenditur habere.

Nu.20. Aduerte autem quòd licet à tali antequam absoluatur, sit exigendum de præsenti firmum propositum quòd restituet, vel quòd vitabit dictas occasiones, aliudve præstabit, ad quod sub mortali tenetur: ipsum tamen non esse ad id obligandum voto vel iuramento vel alia promissione, quæ nouum vinculum inducat; nisi ius id fieri postulet; nempe (vt Nauarr. *in Enchir.cap. 26.num. 2.* notat) in excommunicato notorio. item in incendiario. 3. in mutilatore. 4. in manifesto raptore aut Ecclesiæ violatore. 5. in vsurario publico 6. in inferente publicè iniuriam personis Ecclesiasticis.

CAPVT III.

De iis quæ imponi possunt in satisfactionem.

SVMMARIVM.

21 *In satisfactionem imponi possunt Pœnitenti, tum bona opera pœnalia, quæ comprehenduntur latè sumptis nominibus ieiunij, eleemosynæ & orationis, tum etiam illata à Deo mala, voluntariè patienterque tolerata.*
22 *Internum opus imponi potest in satisfactionem.*
23 *Possunt & omnia bona quæ acturus est, & mala quæ passurus est Pœnitens in sua vita.*
24 *Ratio eius rei.*
25 *Aduertenda de clausula, Quicquid boni feceris, &c. adiun*

adiuncta Sacramentali absolutioni.
26 *Vnde orta sit consuetudo imponendi modicas Pœnitentias.*
27 *Bona opera generatim imposita in satisfactionem, non sunt tam satisfactoria, quàm imposita particulariter.*
28 *Imponi possunt in satisfactionem opera aliàs debita.*
29 *Probatio eius rei.*
30 *Duplex obiectio in contrarium, cum earum solutione.*

PONENDVM est pro fundamento, quod Nauarr. habet *ad princip.cap.1. De pœnitent. distinct.6.num.43.* quidquid à Pœnitente assumi potest in satisfactionem pœnitentialem, id per Confessarij ministerium dari posse in Pœnitẽtiam. Ratio est, quia derogaretur alioqui Ecclesiæ clauibus, maiorem virtutem voluntati hominis, quàm eis tribuendo: quod à fidelium opinione longè abesse debet.

Nu.21. Quo posito statuitur, in satisfactionem imponi posse ea omnia per quæ hominem pro suis peccatis satisfacere posse Deo, antea diximus; nempe ea bona opera pœnalia, quæ comprehenduntur latè sumpto nomine ieiunij, aut eleemosynæ aut orationis; non tantùm susceptа sponte propriâ; sed etiam à Deo immissa; si quidem voluntariè & patienter tolerentur. Nam pœnæ inflictæ à Deo, quatenus volũtariè & patienter acceptatę per Pœnitentes contritos, satisfactoriæ sunt, sicut & meritoriæ, vt bene docet Medina *in Cod. De satisfact.quæst.5.§.* Nunc respondendum: quia ipsa voluntaria propter Deum acceptatio, est actus patiẽtis, procedens à charitate: ideóque acceptatur à Deo ad præmium & ad pœnæ remissionem. Dixi (*per Pœnitentes contritos*) quoniam pœnæ toleratæ per Pœnitentes obstinatos in peccato mortali, non sunt satisfactoriæ: sicut nec satisfaceret homini (quod exemplum Sylu. *in verbo, Satisfactio, num.2.* adfert ex D. Thoma) qui pro alapa data, se coram eo prosterneret, & aliam simul daret. Addit Medina ibidem, sibi videri probabile, Pœnitenti voluntariè & patienter pœnam inflictam sustinenti, in satisfactionem cedere; non modo eam quæ eimet illata fuerit; sed eam etiam quæ ob ipsius peccatum, aliis personis sibi coniunctis.

Quòd imponi possint tam opus internum, quàm omnia quæ Pœnitens acturus est bona, & passurus patienter mala.

SECTIO PRIOR.

Nu.22. TRia hic occurrunt pro praxi obseruãda. Primum est quod habet Suarez *tom.4.disp.38.sect.6. nu.2.* bonum opus externum magis quidem accommodatum esse ad satisfactionem, quia solet esse magis pœnale; nihilominus posse imponi internum actum: vt si Pœnitens ita ægrotet, vt nihil externũ facere possit, iniungi ei potest, vt actum internum eliciat, v.g. corde dicat, Iesus Maria. Item si Confessor iudicet expedire ad bonum Pœnitentis, vt aliquoties vel aliquibus diebus sibi intra se proponat vitare peccata, id illi in satisfactionem imponere potest. Nec obstat quòd materia Sacramenti debeat esse sensibilis: quia sufficit sensibilem esse per accidens: vt patet ex contritione, quæ est actus per se internus. Fit autem eiusmodi satisfactio per accidens sensibilis, quando exterius imponitur, & exterius acceptatur. Sicut igitur potest Confessarius absoluere à peccatis internis, ita etiam potest in satisfactionem imponere actum internum.

Nu.23. Secundum est, ex Nau. *ad princ.cap.1. De pœn.dist.6.n.36.* & aliis quorum meminit Suarez *in seq.nu.6.* valde vtile esse vt Confessarius Pœnitenti in remissionem peccatorum suorum, cum eo quod censuerit illi particulariter imponendum, iniungat generatim bona quæ in posterum fecerit & mala quæ patienter sustinuerit: quoniam opera satisfactoria à Confessario in satisfactionem imposita, plus tollũt de pœna in purgatorio luenda, quam quæ propriâ sponte à Pœnitẽte suscipiuntur: vt ab omnibus receptum esse idẽ Nauarrus ait, *sub finem sequentis num.37.* quod plenius expressit *ad cap.Falsas, De pœni.dist.5.n.11.* Addés id hodie seruari ab omnibus Confessariis qui per illam clausulam in formula absoluendi ponitam, *Quidquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum tuorum*, Pœnitentibus iniungunt in satisfactionem bona quæ fecerint & mala quæ sustinuerint in vita sua.

Nu.24. Id quod esse rationi consonum in eodem num. 6. Suarez probat à simili: quia si peccatum in communi potest esse materia huius Sacramenti, poterit & satisfactio in communi. Ne tamen possint inde aliqua absurda inferri, ipsum restringendum est, prout idem addit, ad satisfactionem pro peccatis de quibus facta est illa confessio: de quibus solis iudicium fit per Ecclesiæ claues, quarum beneficio Pœnitentis actus eleuantur ad esse Sacramentale.

Vnde postquam talia peccata quoad pœnam, fuerint omnino remissa cessabit talis effectus satisfactionis Sacramentalis.

Nu.25. Nota autem circa eandem clausulam (*Quidquid boni feceris, &c.*) quòd ea non sit de Sacramenti essentia, nec ita necessaria quin possit omitti: vt suo loco in sequen. lib. exponetur: neque à Sacerdote proferatur tanquam sententia obligatoria à iudice in reum lata; sed per modũ deprecationis. Quo fit vt ea non sit de se fundamentum sufficiens ad asserendum, à Sacerdote tanquam Iudice ligante, Pœnitenti in satisfactionẽ imponi quidquid boni facturus aut mali passurus est. Quanquam tamen conferri potest sufficiens, ratione communis vsus. Neque obstat quòd non sit pura Pœnitentiæ iniunctio (vtpote quæ nihil imponit Pœnitenti necessariò faciendum; sed totum relinquit ipsius voluntati) nam ea est conditionalis: quandoquidem relatiuum tempori futuro adiunctum, cõditionem denotat; vt argumentatur Nauarr. *in cit.num.36.* Qui consequenter num. 37. addit ea de causa, nullo Pœnitentis arbitrio expectato, satisfactioni applicari si quæ ipse ex charitate faciat bona opera, aut patienter toleret mala.

Nu.26. Nota secundò ex tali vsu imponendi generaliter in pœnitentiam bona facienda, & mala perferenda à Pœnitente, inoleuisse, iudicio eiusdem Nauarr. ibidem, morem Pœnitentias minuendi, seu modicas iniungendi: nempe quòd illud in quo cæ fortè deficerent, suppleri posse videretur per illa, quæ vt plurimùm homines faciunt bona, vel sustinent mala; si & ipsa in satisfactionem imponantur.

Nu.27. Nota tertiò, ex eodem *Nauarr. in seq.num.39.* bona opera ita generatim & sub conditione iniuncta, non esse tam satisfactoria, quàm illa quę speciatim & purè iniunguntur: quia quo quis magis obligat se ad aliquid faciendum, eò illud, ad quod se obligat cæteris paribus, est melius, & Deo gratius: vt factum ex voto, quàm factum omnino liberè; prout à Theologis est receptum per rationes quas adfert glosa *ad Clement. primam, De reliq. & venerat. Sanctorum verbo Seipsum* : attamen plus satisfactoria sunt, quàm si nullo modo iniungerentur. Vnde vt idem Nauarr. addit ibidem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ibidem tres sunt gradus bonorum operum, quibus satisfacimus. Primus maximè satisfactorius, eorum quæ purè & speciatim nobis imponuntur à Confessario. Secundus minùs satisfactorius, eorum quæ sub conditione si ea fecerimus, nobis imponuntur. Tertius multo adhuc minùs satisfactorius, eorum, quæ nos ipsi nostra tantùm sponte assumimus.

Imponi posse in satisfactionem Sacramentalem opera tam aliàs debita.

SECTIO POSTERIOR.

Nu.28. TErtium obseruandum restat (cuius contrarium Franciscus à Victor. *De Sacram. num.* 203. putat esse erroneum) in satisfactionem Sacramentalem imponi posse opera aliàs debita: pro quo plures authores citant à Viualdo & Henriq. hic *in sua summa lib.5.cap.19.§.5.lit.O*, & ille *in Cand. aureo cap.De satisfact. nu.10.* Idque confirmãt efficaciter Caiet. & Nauar. ille in tomo 1. opusc. tract. 6. quæ. 1. & hic tum in Enchir. cap. 26. nu. 24. tum ad princ. cap. 1. de pœnit. dist. 6. num. 41. & seq. quia opera debita alia ratione, quàm ob iniunctionem Confessarij, vt ieiuniũ Quadragesimale vel Quatuor temporum, recitatio horarum Canonicarum, auditio Missæ in die festo, & alia ad quæ quis tenetur de præcepto Dei, vel Ecclesiæ, aut ex voto, vel iuramento, sunt satisfactoria pro pœna in purgatorio luenda. Quare ad eum finem facienda & applicanda, possunt à Confessario imponi, seu per Ecclesiæ clauis in satisfactionem Sacramentalem eleuari.

Nu.29. Patet consequentia; tum per illud quod duplex obligatio possit cadere in idem opus: vt obligatio præcepti & voti in auditionem Missæ in die festo: fæpéque expediat ita fieri saltem ratione humanæ infirmitatis: Tum etiam per eam rationem quam Nauar. persequitur *ad cit. principium num.* 42. scilicet quòd per opus aliàs debitum, possit non tantùm debitum ipsum persolui, sed simul etiam effici, vt operanti debeatur merces æternæ vitæ. Sic enim (*confessione omnium*) is qui ex charitate parentes honorat satisfacit debito, ad quod per quartum præceptum decalogi obligatur, simúlque vitam æternam meretur. Quod cùm ita sit fieri quoque poterit, vt temporalis pœna in purgatorio luenda recompensetur per tale opus. Nam si aliàs debitum esse, non tollit ius accipiendi mercedem futuram, nec item tollet ius compensandi per illud seu satisfaciendi pro debito præterito. Cùm enim tam excellens tamque immensa sit vitæ æternæ merces: & ipsius comparatione, adeò exile debitum pœnæ temporariæ in purgatorio luendæ: sanè alienum est à ratione dicere, idipsum quod sufficit ad vitam æternam promerendam, non posse valere ad tollendum id, quod tantùm est eiusdem vitæ adipiscendæ impedimentum quoddam.

Accedit quod Martyrium aliquando subeundum sit ex præcepto: nec tamen dubitari possit, quin per illud semper satisfiat pœnæ in purgatorio debitæ, cùm nusquam soleat Ecclesia pro Martyribus orare.

Nu.30. Nec obstat quod pro decem, quæ debeo Titio ex emptione non possim satisfacere restituendo alia decem, quæ ab ipso accepi mutuo. Nam satisfactio, de qua agimus, non est ad perfectam iustitiæ æqualitatem, sicut quando Titio ita suum redditur, vt ipse nihil minus, & ego nihil plus habeam: sed ad æqualitatem imperfectam, quæ magis sapiat naturam amicitiæ, quam iustitiæ, eoquod talia opera hominis existentis in gratia & operantis ex charitate, Deus acceptet in satisfactionem, perinde atque alia ab ipso pro peccato vindicando sponte susceptа, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositа; aut etiã iuxta Concil. Trident. *sess.14.cap.9.& Can.13.* à Deo ipso immissa, & ab eodem homine patienter tolerata: sicut si Titius decem quæ ab illo accepi mutuo acceptaret in solutionem pro decem, quæ illi debeo ex emptione.

Nec etiam obstat, quòd secundùm omnes *teste Nauar. in Enchir. num.24. ante citato.* Confessarius imponens pœnitentiam ieiunij aliquot dierum; in dubio non censeatur imponere illud ad quod Pœnitens aliàs tenetur; itaut is, cui impositum esset ieiunium trium dierum, non satisfaciat ieiunando tribus diebus Quatuor temporum; communísque ritus Ecclesiæ habeat vt non imponantur pœnitentiæ de ieiuniis & orationibus aliàs debitis. Hoc inquã non obstat vt Caiet. notat *loco cit. in solut.2. argumenti* & post eum Nauar. *ad memoratum princip. num.*44. quia Confessarius (quem cor & charitas Pœnitentis latet) iudicium suum inclinans ad tutiorem partem: præterеundo in satisfactione id quod est amicitiæ, conuertit se ad id quod est iustitiæ: qua ratione satisfactio requirit vt fiat per opera non aliàs debita. Vnde si quid proposita obiectio efficiat, tantùm est, non ordinariè: sed rarò talia opera in satisfactionem imponenda esse: non autem nihil ea prodesse si imponantur: aut non esse consultum imponi cùm timetur Pœnitentem non impleturum præceptum, quo ad talia opera obligatur: speratúrque quòd per eam nouam rationem obligationis inducendus sit ad ipsum implendum.

CAPVT IV.

De prudentia Confessarij in imponenda pœnitentia.

SVMMARIVM.

31 *Non est imponenda satisfactio quæ sit in præiudicium tertij.*
32 *Nec quæ peccatum occultum in confessione detectum manifestet.*
33 *Vitandum, ne videatur esse inepte imposita.*
34 *Pœnitenti contraria peccatis ipsius imponenda est satisfactio, ad radices illorum excidendas.*
35 *Imponenda tantùm est Pœnitenti satisfactio, quam creditur impleturus.*
36 *Nec nimis leuis, nec nimis grauis imponenda est.*
37 *Non nisi leuem admittere volens, reiiciendus non est, in re posita in ipsius arbitrio.*
38 *Monendus tamen, quam maiorem mereatur, nisi ex monitione incommodum timeretur.*
39 *Recusans id ad quod aliàs tenetur sub mortali, non est absoluendus.*
40 *Tertius modus imponendi pœnitentiam, notandus.*
41 *Cum constituto in articulo mortis qualiter procedendum sit in imponenda satisfactione.*
42 *Vt Sacramentalis satisfactio imponatur præcedere debet confessio Sacramentalis.*
43 *Satisfactio omissa vno tempore, implenda est alio.*

AD prudentiam Confessarij in imponenda pœnitentia, de qua dicere distulimus in hunc locum, sequentia pertinent.

Primum est, *quod D. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 20. §. 1.* habet, ne imponatur Pœnitentia cuius impletio sit in præiudicium tertij: vt si seruo imponatur magnum ieiunium, vel longa peregrinatio, vel

vel aliud notabile impedimentum obsequiorum debitorum domino: vel fœminæ non habenti paraphernalia, iniungántur magnæ eleemosynæ in præiudicium viri.

Nu.32. Secundũ est, *quod consequ. idem author habet*, vt pro peccato occulto, nõ imponatur pœnitentia manifesta, seu cuius impletio ostendat Pœnitentem graue aliquid admisisse: quoniam frangeretur alioqui confessionis sigillum: & ita Nauar. *ad cap. Sacerdos, De pœniten. distinct. 6. num.* 103. meritò ait, incautos esse Confessarios, qui ieiunia & cæteras, quæ nequeunt aliis nescientibus impleri; graues pœnitentias imponunt paulo post confessionem implendas: quoniam attento quòd nostra ætate vix quisquam facit graues pœnitentias propria sponte susceptas, alios inde inducunt ad suspicandum, quòd Pœnitentes grauia peccata commiserint, propter quæ tales pœnitentiæ sint impositæ. Si quis tamen verearetur inter eos, apud quos in vsu esset, aliquas graues pœnitentias nonnunquam ex deuotione suscipi: vt in monasteriis, aut collegiis, aut sodalitiis quibusdam, orationes longiores, meditationes, vigilias, & verberationes; possent tales iniungi, & quæcumque aliæ, quas multi vbi Pœnitens degit, solent ex deuotione vsurpare; vt Romæ, flagellationes in nocte cœnæ Domini: non item insolitæ: aut ex quibus spectata qualitate vel consuetudine personæ, coniici facilè posset iniunctas esse ob mortale peccatum in confessione detectum. Exemplum est, si Confessor in confessione iniungat Pœnitenti vt capite & pedibus nudis cereum teneat in Missa coram populo: quod se vidisse ait & improbat idem Nauar. *in seq. num.* 106. Item (quod habet Henriquez *lib.5. Summæ Theol. Moral. cap.21.§.6.*) si fœminis aut Religiosis, qui in communi mensa cibum sumunt, grauia ieiunia in pane & aqua imponantur, vnde grauis peccati à maritis, aut à Prælatis arguantur.

Nu.33. Tertium est, *quod attingunt Nauar. & Sotus*: ille *in Enchir. cap.* 18. & hic *in 4. dist. 20, quæst. 2. art. 3. conclus. 2.* ne ita imponatur pœnitentia vt inepte imposita esse videatur: vt si imponatur magna eleemosyna homini pro ratione sui status pauperi: aut prolixæ orationes, homini continuè occupato: aut ieiunium assiduè laboranti, & vescenti pane in sudore vultus sui: aut austeritas magna, delicato, vel constituto in altiori dignitatis gradu: aut aliquid quod sit contra ipsius honorem nec deceat ab ipso impleri: aut quod periculum habeat lapsus spiritalis; vt fœminam sine viro peregrinationem suscipere, vel etiam cum illo longinquam (vt ex Hostiensi addit Nauarrus) aut ad melancholiam & desperationem pronum, vti tantùm pane & aqua, & recreationes omnes etiam honestas vitare. Etenim Pœnitentiæ (inquit bene Henriquez *in præced. §. 2.*) non tantùm numero & qualitati peccatorum proportionatæ esse debent: sed etiam dispositioni personæ: vt leuior ei imponatur qui ostendit magnæ contritionis signa; aut qui apparet infirmior, siue corpore siue animo: aut qui de grauioribus nihil videtur impleturus. Neque iuuenibus feruentioribus, qui graues pœnitentias expetunt, imponendæ sunt tales, quibus sub onere gemant, aut breui deficiant viribus.

Nu.34. Quartum est, *quod loco citato D. Antoninus attigit*: vt Confessarius multum laboret, Pœnitentibus contrariam peccatis pœnitentiam imponere ad excidendas eorum radices & occasiones *iuxta cap. Satisfactio, De pœniten. distinct. 3.* put à luxurioso, quæ valere poterunt ad continentiam retinendam: vt euitare & deserere familiaritatẽ personarum, quæ illi esse possunt causa ruinæ: itemque ieiunia, verberationes & alias corporis macerationes vsurpare. Auaro autem, imponere eleemosynam: & Superbo, opera humilitatis *iuxta cap. 1. De pœniten. distinct. 2.* & sic de cæteris: curando in omnibus: vt cum in Pœnitentiæ sacramento, satisfactiones non solùm sint vindictæ peccatorum, sed etiam medicinæ: ex quas ipse imposuerit, non minus, immo potius sint remedium præseruatiuum à recidiuo, quàm expiatio pœnæ præteritis peccatis debitæ: quemadmodum ex D. Thom. & aliis Theologis habet Iacobus à Graphiis *in lib. 1. decis. aurearum cap. 31. num. 7.*

Quintum est, *quod idem à Graphiis consequenter addit*; vt Confessarius semper curet eas pœnitentias imponere, quas credat verosimiliter, Pœnitentem ipsum impleturum: ne obsint, quæ prodesse debent; quandoquidem per violationem illarum, status ipsius deterior futurus est, quàm alioqui foret. Quapropter monendus est (quantumcumque iuxta Sotum loco citato non ostendat se difficilem) ne propositam pœnitentiam acceptet, nisi se eam impleturum firmiter proponat: etiamsi pœnæ peccatis suis debitæ non satisfaciens in hac vita, debeat illam soluere in Purgatorio, vbi longè grauior erit, & multo minus efficax ad satisfaciendum: vt *in eod. art. 3. non longè à principio*, idem Sotus tangit. Et ratio est, quia in hac vita homo pœnitentiam impositam suscipit & peragit ex plena libertate: in futura vita verò, necessitate compellente: perinde ac cùm quis Iudice cogente soluit debitum: quod non imputatur ei ad laudem & meritum, sicut si ex plena libertate solueret. *Nu.35.*

Sextum est, *quod idem à Graphiis in seq. num. 8. & 9. adhuc habet*, Confessarium debere diligenter cauere, ne pœnitentiam adeò leuem imponat, vt Pœnitens illam contemnat, illiúsque leuitate illectus relabatur faciliùs: neque contra adeo grauem, vt ille eam cum animæ suæ præiudicio omittat: sed sic grauitatem cum lenitate temperet, vt neque nimis rigida, neque nimis facilis esse videatur. *Nu.36.*

Quodsi Pœnitens ipse dixerit se pœnitentiam mediocrem, quam iudicio Confessarij meretur, facere non posse; sed velle tantùm facere paruam: debet hic illi morem gerere in re quæ arbitrio ipsius relicta est, prout pluribus aliis citatis habet Henriquez *lib.5. Summæ cap.20. §.5. lit. Q.* Cùm enim Confessarius non tantùm gerat officium Iudicis ad vindictam peccati: sed etiam pij Medici ac Patris spiritalis, ad curationem animæ, debet vti ea prudentia (vt benè loco cit. concl. 2. ait Sotus) qua solet Medicus, qui non semper rigore vtitur medicaminum, quæ morbus exigit, sed ad ægri debilitatem attendit; qui si rigorem illum ferre nequeat, remissiùs cum eo agit. Si ergo Pœnitens Confessario suam imbecillitatem exponat, isque præsumatur propter debilitatem corporis aut animi, spiritusque languorem & teporem, non impleturus pœnitentiam condignam, iniungenda est ei, quam libenter admittet, etiamsi esset vnum Pater & Aue, aliúd ve modicum: (addito quòd alia bona quæ fecerit vel mala quę pertulerit patienter, sint etiam ei in Pœnitentiam) potius quàm fiendus, vt recedat afflictus vel desperatus ob pœnitentiæ difficultatem. *Nu.37.*

Id quod ex D. Thoma & Hostien. adferens D. Anton. 3. *parte tit. 17. cap. 20. in initio*, addit ex Palud. quando pœnitentia minor quàm deberet, sic imponitur; indicandum esse Pœnitenti quanto maiorem mereatur: cùm Canones Pœnitentiales septennalem imponant pro vno mortali: ne decipiatur; putans impositam; condignam esse ac sufficere. Si tamen ex tali declaratione timeretur nimia deiectio, vel desperatio, abstinẽdum esset ab ea: & potius humaniore adhibita adhortatione, suadendum vt velit Deo *Nu.38.*

satisfa

Universidad de Deusto
Biblioteca

satisfacere, siue hîc siue in purgatorio. Quę voluntas ei sufficere potest iuxta Nauar. alios citantem *in Enchir. cap. 26. num. 20.* Et confirmatur per illud quod idem bene docet *ad cap. Consideret, De pœnitent. distin. 5. §. Ponas se, nu. 11.* relictum esse ipsius arbitrio siue hîc, siue in Purgatorio satisfacere pœnæ debitæ peccatis suis.

Nu. 39. Aduertendum est verò, si id quod Pœnitenti imponitur tale sit, vt sub mortali teneatur illud præstare, etiamsi non iniungeretur; ipséque illud recuset, non debere Sacramentaliter absolui, vt iam ante attigimus: quia tanquam impœnitens, incapax est talis absolutionis iuxta illud *in cap. Tunc vera 11. quæst. 3.* Tunc vera est absolutio præsidentis, cùm interni sequitur arbitrium Iudicis] id est, Dei: qui nunquam absoluit impœnitentem. *De pœnitent. distinct. 1. cap. Neminem.* Quod D. Anton. annotans, addit id procedere etiamsi talis in sistat pro absolutione, ostendendo scandalum & desperationem si non absoluatur. Nam ei nullo modo assentiendum est, sed declarandum id non posse fieri: neque si fiat profuturum ipsi. Quod verò is permaneat in scandalo, non debet nos reddere solicitos, quasi rei simus illius: quia non est à nobis datum, sed ab eo acceptum: itaut Pharisæorum sit, non paruulorum scandalum *ex cap. Inter verba 11. quæst. 3.*

Nu. 40. Septimum esse potest, quod Polancus habet in Direct. *cap. 2. art. 4.* vt dispositis ad maiorem pœnitentiam admittendam, maior imponatur habita ratione criminum perpetratorum, dummodo ea talis sit quam illi videantur adimpleturi. Concedatur item Pœnitenti vt impositam Pœnitentiam possit redimere, vt ieiunia eleemosynis: quædam etiam relinquantur ipsius arbitrio, dicendo, hoc facies, aut si malueris illud.

Nu. 41. Octauum sit, quod Nauar. *in Enchir. cap. 26. nu. 33.* habet, & ante eum ex Palud. D. Anton. *3. parte tit. 10. cap. 2. sub initium, per cap. 1. 26. quæst. 7.* vt constitutis in articulo mortis non imponatur magna pœnitentia exterior mox agenda, sed ad interiorem contritionem quam fieri potest maximam, ipsi moueantur: non tam proponendo pœnas inferni, quàm spem misericordiæ Christi pro ipsis crucifixi: quia tunc magis quis desperatione quàm præsumptione oppugnatur. Item admoneantur vt iubeant de bonis suis eleemosynas rationabiles fieri, & Missas celebrari: rogéntque amicos si quos præsto habeant, vt precibus & aliis bonis operibus iuuent ipsos, ad pœnitentiam pro suis peccatis agendam. Quò etiam spectat quod ex Hostiéns. D. Antoninus addit Pœnitentem in articulo mortis constitutum monendum esse à Confessario, quæ pœnitentia illi imponi deberet si bene valeret, quámque debeat implere, si conualescat: aut pro ea eleemosynas facere; fuísque hæredibus iniungere faciendas.

Quod si timeretur inde accepturus occasionem aliquam desperationis, seruandum esset quod antea num. 38. dictum est: moneri tamen posset vt conualescens se denuo præsentet Confessario, petendo sibi taxari condignam suis peccatis Pœnitentiam, quod tunc fieri non potest, manéte ipsius infirmitate. Ratio autem monitionis huiusmodi redditur, quia plus valet cæteris paribus, *vt iam ante attigimus*, impletio satisfactionis à Confessario impositæ, quàm suscepte propria tantùm sponte, perinde ac impletio voti. Addit D. Antoninus de tali, si redeat ad eundem Cófessarium non teneri denuo confiteri peccata pro quibus satisfactio est taxanda, si Confessarius ipse adhuc illorum recordetur, quantum sufficit ad moderandam pœnitentiam: alias verò, debebit denuò confiteri.

Pro quo notandum est sequẽs documentum. Si *Nu. 42.* Pœnitens considerando Sacramentalem satisfactionem, maioris efficaciæ esse quam sponte susceptam; velit per illam potius, quàm per hanc Deo satisfacere: ideóque postulet aliquam sibi imponi, debere tũc confiteri, ex Nauar. *ad cap. Contrarium, De pœniten. dist. 5. num. 23.* Et patet quia vt Concil. Triden. habet *in sess. 14. cap. 5.* Sacerdos iudicium pœnitentiale incognitá causá exercere non potest, neque æquitatem in pœnis iniungendis seruare: nisi in specie & sigillatim sua Pœnitens peccata ei declauerit. Idem iudicium est, si ab alio, quàm eo cui confessus est, vel ab eodem quidem, sed qui oblitus est peccatorum, quæ ei detecta fuerant, petat aliquam sibi imponi, quia non meminit antea impositæ quam non impleuit.

Quodsi idipsum petat memor pœnitentiæ à se *Nu. 43.* omissæ; cautum est (*inquit D. Anton. in sequen. tit. 17. cap. 20. §. 1. sub finem*) ei declarare ac permittere, vt si die aliqua, siue ex negligẽtia, siue ex obliuione omiserit iniunctam pœnitentiam; vt ieiunium, vel orationes vel aliud huiusmodi, possit alio die supplere. Ratio est quam reddit Caiet. *verbo Satisfactio §. 1. in fine*, quòd principale in satisfactione sit ipsum opus, non circunstantia temporis. Qua etiam ratione Fumus *eodem verbo num. 5.* vtitur ad stabiliendam determinationem, quam ait posse consolari multos; nempe si Pœnitens non impleuit loco & tempore designatis, vel partem vel totum quod ei fuerit injunctum, impleat postea. Quanquam si tempus ipsum tanquam pars satisfactionis imponatur; vt si præcipiatur ieiunare in æstate, quia ieiunium tunc habet specialem difficultatem: ieiunando hyeme non impletur tota pœnitentia, ratione variæ conditionis temporis, quæ spectata est in illa imponenda.

CAPVT V.

De quantitate & qualitate satisfactionis Pœnitenti à Confessario imponenda.

SVMMARIVM.

44 *Tamá & talis satisfactio imponenda est Pœnitenti à Confessario, quæ censeatur iusta.*
45 *Solus Deus nouit definite, quæ sit iusta.*
46 *Relinquitur arbitrio Confessarij determinare quantitatem & qualitatem Pœnitentiæ iustæ.*
47 *Iniuncta minor, quam diuina iustitia exigat, non liberat omnino a pœna peccato debita.*
48 *Non ita relinquitur arbitrio Confessarij satisfactio, vt pro libito eam imponere possit.*
49 *Satisfactio non modo in remedium futuri, sed etiam in vindictam præteriti peccati imposita esse debet: & responsio ad illud, quòd Christus peccatum remiserit sine impositione pœnitentiæ.*
50 *Quæ consideranda ex parte Pœnitentis in arbitranda Pœnitentia.*
51 *Ratio arbitrandi ex eadem parte.*
52 *Consideranda ex parte peccati in arbitranda pœnitentia.*
53 *Ratio arbitrandi ex eadem parte, est per Canones pœnitentiales, & quomodo.*
54 *Canones Pœnitentiales secundum ordinem peccatorum Decalogi, & Sacramentorum ad quæ pertinent.*
55 *Consideranda ex parte finis in arbitrãda satisfactione.*
56 *Generalia remedia aduersus peccata quæ in satisfactionem imponi possunt.*

Dubium

Nu. 44. DVBIVM non est, quin vt Nauar. *in Enchir. cap. 26. num. 15.* docet: Pœnitenti à Confessario imponenda sit tanta ac talis satisfactio, quæ iusta censeatur. Id enim præter alia quæ ille adfert, satis confirmat authoritas Concilij Trident *sess. 14. cap. 8.* docentis, quòd Sacerdotes Domini debeant quantùm Spiritus & prudentia suggesserit pro qualitate criminum & Pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere: ne si forte peccatis conniuent & indulgentius cum Pœnitentibus agant, leuissima quędam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Nu. 45. Verumtamen quia, *vt idem in seq. num. 16. notat*, iusta Pœnitẽtia censetur, quæ exæquat nec maior nec minor est eâ pœnâ, quæ pro peccatis per contritionẽ & confessionẽ condonatis, restat luenda in purgatorio; certũ est, quòd Deus solus eã cognoscat, sicut solus nouit grauitatem peccati & vim contritionis: ac quã pœnæ partem absolutio Sacramentalis tollat, quantique meriti sit opus satisfactorium, siue impositum à Confessário, siue propriâ sponte susceptum. Quo fit vt Confessarius in æstimanda iusta pœnitentia nequeat id spectare & sequi, quod diuina iustitia definitè exigit, cùm id notitiam ipsius fugiat.

Nu. 46. Vnde quantitas & qualitas iustæ pœnitentiæ relinquitur sempérque relicta fuit prudentis Confessarij arbitrio, prout *ibidem num. 17.* Nauar. docet *per cap. Mensuram, De pœniten. distinct. 1. & cap. Tempora 26. quæst. 7. & cap. Deus qui, De pœniten. & remiss.* Benéque præterea admonet, ad hoc relinqui, vt animæ negotia; tam quoad hunc mundum, quàm quoad alterum, gerantur seruatâ rationis moderatione; non autem ad eum effectum vt Pœnitens impletâ quacumque sibi à Confessario iniuncta pœnitentia, siue magna siue parua, liberetur ab omni Purgatorij pœna.

Nu. 47. Nam quæ iniuncta est minor, quàm diuina iustitia exigat, etiam impletâ, relinquit obligatum ad luendum illud pœnæ debitæ reliquum, quod ipsa non exæquar. Indéque Nauar. ipse *in citato num. 15.* ait dictam esse falsam pœnitentiam *in cap. Falsas, De pœniten. distinct. 5.* non quòd nihil prosit, vel absolutionem reddat inualidam: sed quòd Pœnitentem fallere possit præbendo ei occasionem credendi, se per illam plane satisfacere, cùm res aliter se habeat. Itaut idem consequenter, meritò approbet dictum à Ioanne Maiore *in 4. distinct. 20.* non esse veri amici parnam pœnitentiam imponere: neque esse prudentiæ, paruitate illius lætari. Quamquam vt ex communi sententia habet Suarez *tomo 4. disput. 38. sect. 4. num. 4.* si rationabilis causa propter impotentiam aut fragilitatem Pœnitentis exigat leniorem satisfactionem, talis potest imponi ei, interea monito quòd non sit sufficiens ad eximendum ipsum omnino à pœna Purgatorij.

De Confessarij arbitrio, cui relinquitur iustæ satisfactionis taxatio.

SECTIO I.

PORRO Confessarij arbitrio relictam esse iustæ pœnitentiæ quantitatem & qualitatem, est eam non esse taxatam à iure, sed illius taxationem relinqui prudentiæ Confessarij, tanquam Iudicis simul & Medici spiritalis, prout constat ex vsu communi Ecclesiæ.

Nu. 48. Attamen non ita relinquitur, vt ad libitum suum, sine alia circumspectione possit illam facere: sed (vt benè confirmat Sotus *in 4. dist. 20. qu. 2. art. 3 concl. 1.*) spectatis peccatorum & peccatoris circumstantiis: quia non exercet hoc munus propriâ suâ authoritate; sed Dei, tanquam instrumentum, quod non nisi ad nutum ipsius moueri decet. Pro quo tum alia Sotus adfert: tum illud Ioann. 20. Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, &c.] per quod Christus Iesus insinuauit, non esse à Sacerdotibus potestate remittendi peccata vtendum proprio arbitratu: sed secundùm iudicium directum à Spiritu sancto. Non est ergo dubium quin Confessor peccet, offensas contra Deum factas condonans sine prudentia: præsertim cùm pœnitentias nimis leues imponendo, faciat iniuriam Deo: & imponens nimis graues, faciat proximo. Cuius peccati ipsum clarè admonet Concil. Trident. vt patet ex illius verbis propositis initio huius capitis.

Quibus cùm subiungit, Habeant autem præ oculis vt satisfactio quam imponunt non sit tantùm ad *Nu. 49.* vitæ nouæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad peccatorum præteritorum vindictam] ostendit Confessorem ipsum in imponenda satisfactione sic debere rationem habere emendationis Pœnitentis, vt simul habeat iustæ vindictæ peccatorum ipsius: seu, quod idem est, curare vt non modò medicinalis, sed etiam satisfactoria sit pœnitentia. Quam vt iam ante attigimus, detetminare ex æqualitate, quâ peccati grauitatem magnitudo pœnæ exæquet, non est moraliter possibile, ob defectum notitiæ quantitatis eorum quæ inter se conferenda essent: puta prædictæ grauitatis & magnitudinis, ex vna parte; ex altera verò, tum dispositionis cum qua Pœnitens ad Sacramentum accedit: tum portionis meritorum Christi, quæ iuxta institutionem ipsius, applicatur suscipienti Sacramentum: itaut Confessarius, tantùm possit, ac etiam debeat obseruare, vt secundum rationes quasdam generales, pro grauioribus delictis grauiores pœnitentias imponat, quantùm prudentia & Spiritus sancti instinctus dictauerit: de quibus quæ à Theologis Scholasticis traduntur Suarez persequitur *in eu. disput. 38. sect. 5.* Sufficit autem nobis cum Soto respondere ad obiectionem illam, quòd Christus Ioan. 8. peccata remiserit sine impositione satisfactionis, cùm dixit mulieri deprehensæ in adulterio, Nec ego condemnabo, vade iam noli amplius peccare.]

Respondetur ergo id à Christo Domino factum esse pro sua potestate excellentiæ, nec debere à Sacerdotibus trahi in exemplum: quorum potestas tantum est ministerij & instrumenti; quòd non proprio, sed causæ principalis nutu, vt in aliis, sic & in hac re moueri debet: prout iam attigimus insinuatum esse à Christo, per illud Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis.]

Itaque constitutum sit ex hactenus dictis, ad instam, seu quantam & qualem oporter, satisfactionem pro peccatis auditis in confessione, imponendam; requiri in Confessario tum Spiritus sancti impulsum, tum considerationem trium horum; peccatoris inquam, peccati, & finis, id est, salutis animæ; quibus eadem debet commensurata esse: sicut Medicina infirmo, infirmitati, & sanitati, vt bene ait Caietan. *in verbo Satisfactio.* Atque de Spiritus sancti instinctu pro praxi nobis proposita, nihil aliud occurrit monendum, quàm vt deuotâ humilique oratione imploretur; nec illi obex prauæ mentis ponatur. De cæteris plura sunt notanda quod fiet de vnoquoque sigillatim.

* *
*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Considerandа ex parte Pœnitentis in arbitranda satisfactione.

SECTIO II.

Nu. 50. EX parte Pœnitentis igitur, in arbitranda imponendaque satisfactione oportet Confessarium considerare, ac ponderare: primò possibilitatem & commoditatem ipsius, ad talem pœnitentiam implendam. Deinde quantitatem contritionis quam is habet de peccatis commissis. Præterea qualitatem personæ, robustáne sit an debilis: iuuenis an senex assueta pœnitentiis an non: denique cæteras circunstantias, vt scandalum, vel detrimentum aliorum. Ineptum enim est talem imponere Pœnitentiam quam Pœnitens implere non possit: aut quamuis absolutè possit, non tamen commodè, itaut sit expositus periculo non implendi impositam. Consentaneú est verò cæteris paribus, minorem pœnitentiam magis contrito imponi ob idem peccatum, quàm minus contrito, cùm per maiorem feruorem contritionis maior pars pœnæ remitti nata sit.

Præterea personis infirmis, aut non assuetis Pœnitentiæ agendæ, imponenda est satisfactio, habita ratione infirmitatis ipsarum, vt quantumcumque grauiorem ipsarum peccata mereantur & exigant, non imponatur tamen nisi quanta & qualis ipsarum infirmitas, siue corporalis siue spiritalis, languórve aut tepor animi ferre potest; iuxta documentum ante traditum *in præcedenti num. 37. & 38.* In quam sententiam præclarè Caiet. *in verbo Satisfactio* ait: Aegro secundùm corpus forti, ac bene constituto, dari potest fortis medicina: debili autem, minimè; ita Pœnitenti benè præparati & robusti animi, satisfactio quam meretur imponenda est, debiliter autem dispositis, danda est satisfactio paruula iuxta debilitatem sui animi: vt paruulus ignis foueatur appositâ paleâ, ne suffocetur appositis magnis lignis desuper. Hæc ille. Atque in tali casu Sacerdos quemadmodum habet D. Anton. *3. part. tit. 17. cap. 20. sub initium.* si non potest gaudere de omnimoda purgatione Pœnitentis, saltem gaudeat quod liberatum à gehenna in purgatorium transmittit.

Nu. 51. Cauere tamen debet, ne minorem quam ea quæ iusta videatur imponat sine iusta causa. Censetur autem iusta causa ex Nauarr. *in Enchir. cap. 26. num. 21.* & patet ex dictis: tum impotentia implendi maiorem Pœnitentiam, tum magnitudo contritionis de peccatis confessis, tum senectus & debilitas Pœnitentis tum aliqua lucratio indulgentiarum, per quas supplentur Pœnitentię punitiuæ: tum demum iniunctio & directio omnium bonorum operum totius vitæ Pœnitentis in satisfactionem pœnæ peccatis ipsius debitæ. Adde & bonorum operum quæ ab aliis, pro se fieri curauerit, ex D. Anton. *in eod. cap. 20. §. 1. in fine.* Curare quoque debet Confessarius, vt Pœnitentiæ sint præseruatiuę à relapsu in peccata: quia homo per Sacramentum restituitur diuinæ gratiæ, vt deinceps ambulet ac perseueret in operibus bonis. Quin imò potest interdum pro minore peccato grauior Pœnitentia imponi Pœnitenti illius capaci, ad deterrendum ipsum ne facilè recidat. Nam ea quoque ratione qualitati Pœnitentis satisfactio proportionatur. Nec obstat quod non proportionetur peccato; quia quantumuis grauitatem peccati superet, talis tamen inæqualitas compensatur per fructum spiritalem ex ea consequentem.

Considerandа ex parte peccati in arbitranda Pœnitentia.

SECTIO III.

Nu. 52. EX parte autem peccati, in arbitranda ac imponenda satisfactione, considerandа est à Confessario: tum natura, tum grauitas ipsius peccati. Natura quidem: quia vt corporeis, sic spiritualibus morbis consentaneum est, adhibere medicinam ex contrariis, eo modo quo ante num. 34. traditum est. Grauitas verò, quia non debent pro grauibus delictis leuia opera iniungi, vt Concil. Trident. expressit per illa verba, quæ retulimus initio huius capitis. Aduerte verò, dari quidem aliquam rationem iudicandi de peccatorum grauitate quantum satis est ad intelligendum quod grauius sit, vel minus graue (vt patebit in sequenti *lib.* 14. dum tradetur ratio iudicandi de illis ex obiecto) & consequenter cognoscendi in genere pro quo maior vel minor satisfactio sit imponenda: cùm dubium non sit grauioribus maiorem deberi: nullam tamen dari certum rationem determinandi in particulari, quam magna vnicuique debeatur pœna, cuius toleratione ita satisfiat diuinæ iustitiæ in hac vita, vt nihil superſit soluendum in vita futura. Nam sicut gradus pœnæ pro vnoquoque peccato luendæ in Purgatorio (qui coram iustitia diuina certus definitúsque est quoad rigorem & durationem) nobis est incognitus: ita etiam incognita est magnitudo pœnæ in hac vita sustinendæ, quæ sic ei commensurata sit, vt sufficiat ad ipsam totam redimendam.

Nu. 53. Itaque hac ex parte ad Confessarium dirigendum in satisfactione imponenda conuenienter, seu correspondenter grauitati peccatorum in confessione auditorum, nihil potest in particulari assignari præter canones pœnitentiales (quorum aliquot collecti habentur in fine decreti Gratiani) tanquam regulas directorias valde vtiles Ecclesiast. necessarias ad Pœnitentias Pœnitentibus imponendas; vt ibidem habet eorum inscriptio. Ob quam necessitatem censeri potest dictum *in cap. Quæ ipsis. Distinct. 38.* vix Sacerdotis nomen constare in eo, qui tales Canones ignorauerit. Non est tamen sic accipienda ea ipsa necessitas, vt benè monet Nauarr. *ad cap. Falsas, De pœniten. dist. 5. num. 18.* quasi oporteat Sacerdotes in foro conscientiæ imponere Pœnitentias in iisdem canonibus contentas; vsus enim contrarium docet: tum in aliis, tum in eo quòd (*inquit idem author in præced. num. 3.*) nemo Presbyterorum inueniatur qui ob simplicem fornicationem decem annis pœnitentiam agat ipsi constitutam *in cap. Presbyter distinct. 82.* Atque si talis de necessitate imponenda esset, quid quæso fieret cum presbytero, qui toto anno in concubinatu vixisset; quandoquidem non sufficeret ad agendum talem Pœnitentiam mille annorum vita. Ratio igitur eiusmodi necessitatis est, quòd per eos canones possint Confessarij doceri, quę Pœnitentiæ quãtitas & qualitas cui peccato magis conueniat. Quorum canonum statutum licet impediantur sequi ob Pœnitentis infirmitatem, siue corporis siue animæ, vel ob aliam causam: tamen habent vnde salubriter illum moneant, dicendo ei (iuxta Nauarr. *in Enchir. cap. 26. num. 19.*) quamuis solus Deus sciat iustum Pœnitentiam pro peccatis tuis tibi imponendam, nihilominus diuino impulsu directos sanctos Patres, per suos Canones talem pro tali peccato de quo cõfessus

fessus es, aut pro alio non absimili imposuerunt. Addendo etiam (quod refert Gratianus *in cap. Hoc ipsum 33. quæst. 2.*) Priscos Christianos solitos fuisse pro vnoquoque maximo peccato mortali facere septem annorum Pœnitentiam (intellige eius rationis cuius debere esse arbitraretur Sacerdos, perspecta conditione ac dispositione personæ) iudicantes tam longam pœnam, tam magnæ offensæ purgandæ adhiberi oportere; se autem nolle tam grauem imponere nisi ipse sponte velit suscipere. Quo respondente se velle, si iudicetur impleturus, iniungenda est ei Pœnitentia, quæ videbitur iusta; facta comparatione ad eas quæ prædictis canonibus Pœnitentialibus præcipiuntur. Hocque est quod Nauarr. notat *in citato num.* 18. Parochos, secundùm omnes, debere pœnitentias suas imponere ad instar præfixarum à iure, pro foro exteriori. Cùm ergo certum sit, Confessarium debere dictos canones in promptu habere, saltem ad pœnitentias in illis præscriptas, Pœnitenti (nisi deiectus omnino videretur) insinuandas, vt intelligat quàm graui pœna dignus sit; libentique animo eam quæ imponitur subeat, ac diligenter caueat se iterum inquinare talibus peccatis, quæ sunt tam grauibus pœnis expianda. Cum inquam ita sit; ad doctrinæ complementum iidem canones subiiciendi sunt, tanquam regulæ directiuæ ad iniungendas Pœnitentias commensuratas grauitati peccatorum declaratorum in confessione.

ad 5.

Canones Pœnitentiales in arbitranda satisfactione considerandi à Confessario.

Nu. 54. AD horum faciliorem recordationem & commodiorem vsum, conducet eos proponere secundùm ordinem præceptorum decalogi & Sacramentorum, ad quæ pertinere cognoscuntur.

Pertinentes ad præcepta Decalogi.

Diuinationes obseruãs.

Diuinatores consulens.

ad 1.

DIuinationes aliquas in aliquibus rebus obseruare præsumens. 40. dies in pœnitentia sit. *cap. 1. De sortilegiis.*

Respiciens furta in astrolabio, seu consulens diuinatorem, etiam bono zelo, & cum simplicitate, suspenditur à diuinis per annum. *cap. 2. eod. tit.*

Magicis cantionibus vsus.

Qui ædes magicis cantionibus lustrat, aliúdue simile admittit, & qui ei consentit & consulit, Pœnitens sit 5. annis *cap. Qui diuinationes 26. quæst. 5.*

Votum simplex violans.

Votum simplex castitatis violanti ducta vxore, constituitur Pœnitentia trium annorum *cap. Si vir distinct. 27.*

Publicè blasphemans.

Qui blasphemiam in Deum & Beatam Virginem & Sanctos publicè coniecerit, Pœnitentiam agat. 7. annis, secundùm formam præscriptam *in cap. Finali. De maledicis.*

Iurans non redire ad pacem.

Iurans nó redire ad pacem cum proximo, redeat; & per annum Pœnitens sit *cap. Qui Sacramento 22. quæst. 4.*

Periurans sponte.

ad 2.

Qui periurium sciens admiserit, 40. dies in pane & aqua, & 7. sequentes annos Pœnitens sit; & nunquam sit sine pœnitentia, *cap. Quicumque 6. quæst. 1.*

Peierans cõpulsus.

Qui coactus peierat, si liber sit, 40. dies & 7. annos sequentes: si seruus, 3. Quadragesimas & legitimas ferias Pœnitens sit, *cap. Qui compulsus 22. quæst. 5.*

Peierans in manu Episcopi.

Qui peierat in manu Episcopi, vel in cruce consecrata, pœniteat tribus annis: si verò in cruce non consecrata, anno; si ignoranter & coactus tribus Quadragesimis *iuxta cap. Qui peierat eadem quæst.*

Inducẽs alios in periurium.

Qui sciens in periurium alios induxerit, 40. dies pœniteat in pane & aqua & 7. sequentes annos, & nunquam sit sine pœnitentia: & alij qui conscij fuerint, similiter pœniteant *cap. Si quis peierauerit. 22. quæst. 5.*

Dominum vel vxorem interficiens.

Qui dominum vel vxorem interfecerit, nunquam equitet aut vehatur, non contrahat matrimonium: decem annis carne non vescatur, vinum non bibat. *cap. Quicumque & cap. Admonere. 33. quæst. 2.*

Occidens matrem.

Matrem occidens decem annis Pœnitens sit *cap. Laiorem ead. quæst.* vbi forma agendi pœnitentiam præscribitur.

Occidens Clericum vel Monachum.

Occidens Clericum vel Monachum Deo seruiat in monasterio omnibus diebus vitæ suæ & 7. annis publicam Pœnitentiam agat. *cap. Qui occideris 17. quæst. 4.*

Occidens Presbyterum.

Occidens presbyterum 12. annis in pœnitentia sit *cap. 2. De pœnitent. & remiss.*

Homicida.

Episcopus homicida, sit Pœnitens annis 15. & deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ peregrinetur: Presbyter annis 12. Diaconus decem: tres in pane & aqua: Clericus & Laicus septem, tres in pane & aqua. *cap. Si quis homicidium distinct. 50.*

Casu committenti homicidium pœnitentia quinque annorum imponitur. *cap. Eos: cum duobus sequentibus, ead. distinct.*

Sacerdos fornicarius.

Sacerdos qui fornicatur pœnitentiam agat annis decem *cap. Presbyter distinct. 82.* in quo etiam præscribitur pœnitentiæ modus.

Monialis fornicans.

Monialis quæ fornicatur, & qui eam cognoscit Pœnitens sit 10. annis. *cap. Deuotam 27. q. 1.*

Incestuosus.

Si pater & filius aut duo fratres cum vna muliere: aut si cum matre & filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus aliquis concubuerit, octo annis pœniteat, 30. *quæst. 4. cap. Si patet*, & 32. *quæst. 9. cap. Si quis viduam.*

Fornicans cum filia spiritali.

Si Sacerdos fornicatus est cum filia sua spiritali, id est, quam baptizauit, aut de baptismo vel confirmatione suscepit: aut cum illa quæ ei confessa fuit peccata sua, Pœnitens sit 12. annis, & in monasterio seruiat Deo omnibus diebus vitæ suæ. Si Episcopus id admiserit, Pœnitentiam agat annis 15. Mulier verò detrudatur in monasterium vbi per petuo viuat *cap. Si quis & cap. Non debet 30. quæst. 1.*

Adulter & fornicator.

Adultero, fornicatorive constitui Pœnitentiam septem annorum habetur ex *cap. Prædicandum 22. quæ. 1. prout glosa declarat.*

ad 6.

Occultans coitum cum sponsa fratris.

Qui fornicatus est cum muliere, & frater eius id nescius illam duxerit, pœniteat 7. annis, eoquod crimen fratri celauerit. *cap. Si homo 35. quæst. 5.*

Peccantes contra naturam.

Ecclesiastica consuetudine vsurpatum est, vt maiorum criminum pœnitentia 7. annorum spatio concludatur: nisi vel officij excellentia vel criminum magnitudo vulgarem consuetudinem excedens, præmissum spatium transcendere cogat; veluti dum contra naturam humanæ societatis

Universidad de Deusto Biblioteca

parētibusvel liberis, vel aliis eiusmodi personis impudicè adheremus vel dum relicto naturali vsu cōtra naturā more Sodomitico fornicamur, vel vsque ad coitum animalium prolabimur. Ita habetur *in cap. Hoc ipsum 33. qu. 2. Et in cap. Clerici de excessibus Prælatorū* eiusmodi nefandi criminis reus, præcipitur deponi si Clericus sit, & excommunicari. si Laicus.

Incendēs Ecclesiam. Qui Ecclesiam, incenderit pœniteat. 15. annis, ac eam sedulò restituat & pretium det pauperibus. *cap. Si quis Ecclesiam* 17. *qu.* 4.

Incendens domum vel aream. Qui domum vel aream cuiusquam incenderit voluntariè, sublata & incensa omnia restituat, & tres annos pœniteat; *cap. Si quis domum De iniuriis & damno dato.*

Patronus absumens res Ecclesiæ. Patronus qui res, Ecclesiæ absumit, ad restitutionem malè acceptorum compellitur & per annum excommunicationi subiicitur. *cap. Filiis* 16. *quæst.* 7.

Mensuras adulterans. Fur. ad 7. Mensuras adulterans, 30. diebus ieiunet in pane & aqua *cap.* 2. *De empt. & venditione.*

Clerico furi septem annorum, Laico 5. annorum pœnitentia imponitur, si res sit notabilis; sin vilis sit, pœnitentia vnius anni. *cap. Si quis Clericus* 17. *quæst.* 4.

Iniustè accusans. Qui iniustè quempiam accusat ad mortem, 40. diebus continuè in pane & aqua ieiunabit, & per 7. annos pœnitentiam aget: non tamen in aqua & pane, sed arbitrio Sacerdotis. Si verò ob eam occasionem non vitam, sed membrum quis perdiderit, accusator ieiunabit Quadragesimis tribus in pane & aqua. *cap. Accusasti De accusationibus.*

Pertinentes ad Sacramentorum vsum.

Scienter rebaptizata. Scienter rebaptizatus, si per hæresim id scelus admiserit, afficiatur pœna 7. annis feria 4. & 6. ieiunans. Si verò fecerit pro immunditia, siue curatione aliqua corporis, tribus annis: *cap. Qui bis de consecr. distinct.* 4.

Ecclesiastici rebaptizati. Baptismi. Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus sponte sunt rebaptizati, quamdiu viuunt Pœnitentes sint. Alij verò Clerici & Moniales pœnitentiam agant 10. annis *cap. Eos quos ead. distinct.* Vbi pœnitentiæ modus præscribitur.

Celebrans sine communione. Sacerdos celebrans absque sumptione Sacramenti, per annum pœnitentiam agat, & interea temporis non communicet *cap. Relatum De consecrat. distinct.* 2.

Inuoluens mortuū pannis altaris. Sacerdos qui pannis altaris mortuum inuoluit, Pœnitens sit annis decem & mensibus 5. Diaconus autem tribus annis & mensibus sex, *cap. Nemo* 2. *De consecrat. distinct.* 1.

Polluēs chrisma, calicem, &c. Sacrilegiis polluens chrisma, calicem, vel altare, Pœnitens sit 7. annis, *cap. De viro,* 12. *quæst.* 2. Vbi præscribitur pœnitentiæ agendæ modus.

Excommunicatus celebrans. Sacerdos excommunicatus si celebrat, annis tribus in pœnitentia sit, hebdomadibúsque singulis feria 2. 4. & 6. à carnibus & vino abstineat *cap. De illis* 11. *q.* 3. incurritque in irregularitatem reseruatam Papæ *cap.* 1. *De sentent. excomm. in* 6.

Degradatus celebrans. Sacerdos à Sacerdotij gradu remotus in perpetuum, si celebrare præsumat, priuatur Eucharistiâ vsque ad vltimum vitę diem, & est excommunicatus: viaticum tamen in fine sumens *cap. Accidens. distinct.* 50.

Sinens cadere guttam sanguinis Christi. Eucharistia. Si gutta sanguinis Christi in terram cadat, Sacerdos in Pœnitentia sit 40. diebus si super altare & ad pannum vnum transeat duobus diebus: si vsque ad pannos duos, diebus quatuor: si vsque ad tres, diebus nouem, si vsque ad quatuor, diebus 20. *cap. Si per negligentiam De consecrat. dist.* 2. vbi alia ad hoc genus pœnitentiæ pertinentia traduntur.

Euomens Eucharistiā. Qui per ebrietatem aut voracitatem euomit Eucharistiam, si laicus est, 40. diebus: si Clericus, 60. Si Episcopus, 90. diebus pœniteat. Sin per infirmitatem diebus septem *cap. Si quis per ebrietatem. De consecrat. distinct.* 2.

Communionem dās hæretico aut ab eo illā recipiens aut ei Missam celebrare permittens, aut ad hæreticos deficiens. Ignoranter communionem dans hæretico, vel ab eo accipiens, per annum sit pœnitens. Sin scienter, annis quinque. Item qui nesciens permittit ipsum in Ecclesia celebrare, diebus 40. pœniteat: sin sciat, sed permittat pro eius reuerentia, anno vno: sin pro damnatione Ecclesię Catholicæ, proiiciatur ab Ecclesia tanquam hæreticus: aut si resipiscat 10. annis pœniteat, quod si ad hæreticos defecerit & postea ducatur pœnitentiâ, 12. annis pœniteat, *cap. Si quis dederit* 24. *quæst.* 1.

Pœnitens ad vomitum rediens. Pœnitentiæ. Solemniter Pœnitens, si postea ad vomitum redierit, pœnitentiam agat decem annis. *cap. Si quis verò De pœnitent. distinct.* 5.

Reuelator confessionis. Confessarius qui Pœnitentis peccatum patefacit in monasterium detrudatur ad agendum pœnitentiam *cap. Omnis vtriusque sexus. De pœnitent. & remiss.*

Episcopus ordinans inuitum. Episcopus qui Clericum inuitum & reclamantem ordinat, subiicitur annuali pœnitentiæ. *cap.* 1. *distinct.* 74.

Vendentes sacra ministeria. Episcopus dissimulans corrigere venditiones ministeriorum, mensibus duobus: Sacerdos vendens, mensibus 4. Diaconus tribus, excommunicationi subiaceat: cæteri Clerici pro arbitrio Superioris competenti pœna puniantur. *cap. Quidquid* 1. *qu.* 1.

In horis canonicis à consuetud. Metrop. Ecclesiæ discrepans. Ordinis. Qui in dicēdis horis canonicis & aliis officiis diuinis discrepat à consuetudine metropolitanę Ecclesię suæ, priuatur communione sex mensibus, *cap. De his distinct.* 12.

Ducens alienam sponsam. Qui alienam sponsam de præsenti, accipit in vxorem, Pœnitens sit 7. annis & 40. diebus in pane & aqua, *cap.* 2. *De sponsa duorum.*

Supponens partum. Mulieri quæ partum supponit de alieno viro conceptum, pœnitentiæ & satisfactionis modus relinquitur præscribendus arbitrio prudentis Confessarij *cap. Officij De pœnitent. & remiss.*

Occultans fratri crimen sponsæ. Fornicatus cum muliere quam frater id nesciens ducit in vxorem: eo quod frater fratri crimen celauerit, 7. annis pœniteat, *cap. Si homo* 35. *quæst.* 3.

Dirimentes sponsalia filiorum. Parentes filiorum sponsalia dirimentes, atque iidem filij eâdem de causâ, si de ipsorum consensu contracta fuerint; communione priuantur annis tribus, in *cap. vnico* 31. *quæst.* 3.

Contrahens cum adultera. Qui contraxerit cum ea cum qua adulterium commisit, Pœnitens sit annis quinque *cap.*

cap. Si qua 31. *quæst.* 1.

Cognoscens adulteram. Matrimonij. Vxorem quæ adulterata est cognoscens aute peractum Pœnitentiam, duobus annis pœnitens sit 32. *qu.* 1. *cap. Si quis* 1.

Sacerdos qui adest clandestinis desponś. Sacerdos qui interest clandestinis desponsationibus, per triennium, ab officij sui administratione amouetur *extra. De clandestina desponsatione in fine.*

Ducēs filiam spiritualem. Qui filiam suam seu quam de sacro fōte suscepit duxerit in vxorem Pœnitens sit 7. annis. *cap. Non oportet.* 30. *quæst.* 3.

Contrahens matrimoniū contra interdictum Ecclesiæ. Qui matrimonium contrahit contra interdictū Ecclesiæ, per mensem aut arbitrio Sacerdotis condignam agere pœnitentiam debet ex *cap.* 1. *De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.*

Nota quod habet Iacobus à Graphiis *in fine lib.* 1. *Decis. aurearum*: quando in propositis canonibus ad tempus præscriptum non additur modus pœnitentiæ agendæ, eū relinqui arbitrio Sacerdotis, inspecta Pœnitentis qualitate & dispositione. Ieiunia autem triū Quadragesimarū esse addit, illa quæ ante Natale Domini & Pascha Resurrectionis, ac tredecim dierum ante festum Sancti Ioann. Baptistæ, olim celebrabantur. Legitimas autem ferias aliqui volunt dici 2. 4. & 6. alij verò 4. 6. & Sabbathum: sed parui id refert ad nostrum institutum.

Considerdanda ex parte finis in arbitranda satisfactione.

Sectio V.

Nu. 55. Ex parte denique finis satisfactionis (qui est salus animæ) in satisfactione ipsa arbitranda, imponendáve Confessarius salutem ipsam debet ita cōsiderare, quemadmodū habet *in direct. c.* 2. *art.* 4. Polancus, vt sua intentio in imponendo, feratur in extirpationem vitiorum; ac proinde his contraria imponat, quantum à Pœnitente admittenda implendáque esse iudicātur: vt eleemosynas, contra auaritiam: ieiunium contra luxuriam: auditionem verbi Dei, & lectionem librorum piorum contra negligentiam cogitandi de sua salute: & orationes, ad gratiam contra vitia ipsa à Deo impetrandam: vt septies Pater & Aue, ad impetranda septem Spiritus-sancti dona, & septem virtutes, septem peccatis capitalibus cōtrarias: aut quinquies, ad impetrandā reformationem quinque sensuum; aut ter ad reformationem trium principalium potentiarum animæ, hoc est, intellectus, voluntatis, & memoriæ: aut etiam ad bene habendum se ad Deum, ad seipsum, & ad proximum: tum corde, tum ore, tum etiam opere: aut ad promerēdum aduersus recidiuum auxilium speciale Dei (qui respicit orationem humilium) coram diuina ipsius maiestate prosternendo se in genua, terrâ deosculatâ si locus secretus sit) dicere Psalmum Miserere mei Deus, vel alium huiusmodi, cum animi auersione à peccato. Confert etiam, inquit consequenter Polancus, pro pœnitentia aliquando imponere euitationem: aliquarum occasionum peccati, & præcisionem causarum illius: vt allocutionem alicuius personę, ingressum in domum illius, & similia.

Nu. 56. Vtiliter etiam iniungeretur (si Pœnitens libenter admittat) aliquid ex latè patentibus remediis aduersus vitia: quale est octauo vel decimoquinto quoque die confiteri: &, vt habet Iacob à Graphiis *in lib.* 1. *decis. aur. cap.* 31. *num.* 29. certis diebus loco ac-

commodato exercere se in meditationibus: puta in consideratione suorum peccatorum, quibus gratiam Dei, & regnum cœleste perdidit; ex filio Dei, effectus filius dæmonis, spoliatus omnibus mediis consequendæ salutis æternæ, constitutus reus æternę damnationis; adeóque in infernum præcipitandus: vbi tormenta sunt sine fine, sine interruptione, sine temperamento, & tortores qui nunquam lassantur: vbi timor reum conturbat, conscientia confundit & increpat, ac denique diluuium est omnium pœnarum: quas moriens in peccato mortali, ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores eiectus, horrendè patiatur sine vlla vnquam spę euadendi. Præterea in mortis consideratione; quā (sicut equi muscas agitatione caudæ) abigimus insidentes in anima tentationes seu solicitationes ad peccatum; mortem enim ad quam velis remísque incessanter tendimus cogitantes: de fortitudine & aliis bonis corporis non superbiemus; quæ omnia videmus per aliquam infirmitatem (eiusdem mortis tātummodo prænunciam) amittenda esse. Nec item de generis nobilitate, aut aliis eiusmodi bonis: quia cernimus vnam esse omnium moriendi conditionem, sicut vna est nascendi. Nec demum de diuitiis, quia scimus nec ob eas quemquam excipi à regula mortis: quæ æquo pede pulsat pauperum tabernas, regúmque turres.

Præterea in consideratione tremendi iudicij Dei, in quo de minimis quibusque actionibus, verbis, & cogitationibus nostris reddituri sumus rationem, & satisfacturi diuinæ iustitiæ vsque ad vltimum quadrantem: nec inuenturi locum pœnitentiæ, aut recuperaturi tempus quod conceditur ad redimenda debita, pro quibus ad pœnas horrendas condemnati erimus, misericordiâ Dei conuersâ in iudicium.

Præterea in consideratione ingratitudinis nostræ erga Deum; qui tamdiu nos in peccatorum cœno hærentes sustinuit; cùm multi pro paucioribus & minoribus peccatis, quàm nostra sint, iam crucientur in inferno: quique tot sanctis inspirationibus contemptis, perseuerantes in peccato misericorditer conseruauit, vt tandem per pœnitentiam tam horrendas pœnas redimeremus ac euaderemus. Denique in consideratione Passionis Christi; ex qua tanquam ex remedio inæstimabilis ineffabilísque excellentiæ ac infiniti valoris, intelligitur quantę malignitatis morbus, peccatum sit, ac quàm graue sit debitum, quod tanto pretio fuit soluendum.

In quibus, vt & in aliis proponendis semper habenda est prudenter ratio capacitatis & dispositionis pœnitentis. Vnde, vt idem à Graphiis habet *in fine eiusdem cap.* 31. illis qui videbuntur minus ad ista idonei imponendum potius est, vt aliquid pium legant vel Dei verbum audiant. Qui etiam rectè addit, iis qui peccato assueti sunt, non per vnam sed per plures hebdomadas talia exercitia esse iniungenda. In quibus omnibus interna vnctio docebit timoratum & cum Deo coniunctum Confessarium. Cui etiam debebit curæ esse, Pœnitentem ipsum animare ad iniuncta constanter exequenda; resistendo fortiter diabolo tentanti: difficilem enim initio tantùm futuram pugnam: quia vires pugnando crescent & hostes debilitabuntur; iuxta illud D. Iacobi *cap.* 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis] Caueat igitur in re tanti momenti negligenter agere, & primas partes aduersario concedere. In Christi auxilio humiliter confidat cum Apost. dicente *ad Philipp.* 4.

Omnia possum in eo qui me confortat.]

*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT VI.

De remediorum, & Pœnitentiarum varietate accommodata varietati peccatorum capitalium.

SVMMARIVM.

57 *Aduersus luxuriam puncta consideranda.*
58 *Cautela adhibenda.*
59 *Pœnitentia imponenda.*
60 *Remedia aduersus gulam.*
61 *Aduersus eamdem imponenda in Pœnitentiam.*
62 *Pœnitenti à Confessario inculcanda aduersus acediam.*
63 *Pœnitentiæ peculiares eâ laborantibus imponendæ.*
64 *Aduersus auaritiam remedia.*
65 *Pœnitentia auaris imponenda.*
66 *Remedia aduersus superbiam.*
67 *Pœnitentia eâ laborantibus imponenda.*
68 *Remedia aduersus inuidiam.*
69 *Pœnitentiæ aptæ aduersus eamdem.*
70 *Remedia aduersus iracundiam.*
71 *Ratio ferendi patienter alterius iram.*
72 *Pœnitentiæ iracundis imponendæ.*
73 *Imponendæ blasphemantibus seu maledicentibus Deo, aut ipsius Sanctis: quod plerumque fit ex ira.*
74 *Admonitio pro vsu antedictorum.*

VIA praxis nobis proposita exigit, vt quantùm fieri potest ad particularia descendamus, subijciemus antedictis, quæ aduersus peccata capitalia tanquam noxias radices ex quibus cætera pullulant, possunt peculiaria remedia adhiberi & in pœnitentiam aptè imponi.

Contenti autem erimus iis quæ à Gasparo Loarte tradita sunt in institutione Confessariorum *lib.2.cap. 21. & aliquot sequentibus*: tanquam profectis à viro, tum pio, & docto; tum etiam in istiusmodi praxi multum exercitato. Ad quæ alia quidem addi possent, sed diligentiæ, sicut & prudentiæ Confessarij multa relinquenda sunt: itaut sufficiat attigisse ea per quæ is sufficienter dirigatur: præsertim cùm prolixitas nimia, in re alioqui relicta arbitrio, fastidium parere soleat. Adde opus nuper editum à Ioan. Busæo, quod inscripsit πανάριον, ei qui volet suppeditaturum abundè tam sacræ Scripturæ, quàm Patrum authoritates, accommodataque exempla.

Aduersus luxuriam particularia remedia & pœnitentiæ accommodatæ.

PRimum dicemus de luxuria, tetro & abominando crimine, passim hominibus adeo familiari, vt dici meritò nunc possit, quod de tempore diluuij dictum est *Genesis* 6. Omnis caro corruperat viam suã.] Quod crimen grauissimum est pernicioſissimúmque omnium, cùm non tantùm animam inficiat, sed ipsum quoque corpus corrumpat: ideóque bonos & zelo diuini honoris feruentes Confessarios decet diligentem nauare operam, ad communem eam pestem curandam, atque pluribus aduersus eam instructos esse remediis qualia memoratus Loartes adfert: tam puncta consideranda, quàm cautelæ à Pœnitente adhibendæ.

Quorum punctorum primum est: quantum malum pro momentanea voluptate, luxuria inuehat & in animam & in corpus. Illam enim præ cæteris peccatis mortalibus de spiritali statu dimouet, obtenebrans intellectum, & voluntatem deprauans per vehementiam passionis; itaut subacta mancipataque corpori, reuocetur à perfecta voluntate quærendi Deum (quo nomine suffocare semen verbi Dei censetur, *ex cap.8.D.Luce vers.14.*) ineptáque fiat ad spiritalia, ac tantùm sapiat quæ carnis sunt, homine quasi in bestiam degenerante. Corpori verò præter illud de quo 1. *Corinth.* 6. Qui fornicatur, in corpus suum peccat] adfert vitæ diminutionem, virium debilitationem, formæ deturpationem, bonorum temporalium dissipationem, aliáque multa incommoda, quæ patent experientiã. Quibus accedit (iuxta illud 1. ad Corinth. 6. Neque fornicarij, neque molles, neque masculorum concubitores, &c. regnum Dei possidebunt) reatus gehennæ, omni alia pœna grauioris; cuius timorem Dominus nobis commendat Matth. 10. *versu* 28. Reputet ergo quisque momentaneum esse quod delectat, & æternum quod cruciat. *Nu.57.*

Secundum est, vt occurrente carnis tentatione, habeatur in memoria præsentia Dei, & sancti Angeli custodis: quos tantæ turpitudinis facinus latere non possit: de quo instinctu ipso naturæ contingit erubescere coram quocumque viro honesto: etiam iis qui sunt perditis moribus. Recordetur tanquã Christianus, quòd si templũ Spiritussancti, quod qui violauerit disperdet illum Deus *ex priori ad Corinth.cap.3.* Quæ violatio insinuatur verbis eiusdem Apostoli 2. *ad Thessal.cap.4.* Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione & sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione.] Item voluptatis amans cogitet longè amabiliorem esse illam de qua *in Psal.* 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.]

Tertiũ est: si quantumcũque fame pressus recusas vti cibo, cui scis admixtum esse venenum (iuxta illud *Iob cap.6.* Non potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem) cur non respues delectationem carnis adferentem animæ æternum interitum?

Quartum est: naturam huius detestandi vitij esse, vt quò diutius in eo perseueratur eò magis cruciet desiderio insatiabili: vtpote æstum libidinis non restinguens, sed magis ac magis inflammans, tanquam ignis qui tanto magis inflammatur & ardet, quantò plus fomenti acquirit: vnde ipsum statim, tanquam à facie colubri fugiendum est, & excutiendum à se, tanquam ignis illapsus in sinum.

Prima cautela Pœnitenti præscribenda, est vt studiosissimè euitet conuersationes & occasiones quas ante habuit tẽtationum; vt otium, quia multam malitiam docuit otiositas *Ecclesiastici* 33. Aspectus item & tactus: quia mors ascendit perfenestras nostras *Ierem.* 9. Itemque consuetudinem cum personis suspectis, præsertim illam, quæ est solius cum sola, aut cum turpiloquiis: quandoquidem corrumpant bonos mores colloquia praua] 1. *Corinth.* 15. Ac demum nimiam curam carnis (cui indulgere pericula & causas vitare talis turpitudinis: cuius tentationem fugiendo potius, quàm resistendo superari D.Thom. 2.2. *quæst.* 35. *art.*1. *ad* 4. annotat per illud 1. *Corinth.*6. Fugite fornicationem.] *Nu.58.*

Secunda cautela est, vt tentationum initiis resistatur. Si enim patefiat illis aditus oblectando se in eis, ita præualebunt, vt nequeant sine magna difficultate postea expelli. Magna igitur adhibenda est cura, & vigilandum vt exortæ, statim repellãtur (quod est, *ex Psalmo* 136. paruulos suos tenere, & allidere ad petram)

tram) concepto timore Dei: cuius iram tali peccato peculiariter accendi, patet ex cap.6. Geneſis: vbi habetur, quòd tactus intrinsecus & pœnitens se feciſſe hominem in terra, dixerit, Delebo hominem quem creaui, à facie terræ.]

Tertia cautela est: vt si quis per incuriam permiserit tentationem in carne sua radices agere, confugiat ad Dominum; intimo cordis affectu petens ab ipso auxilium, séque beatissimæ Virgini, & Angelo suo custodi, aliísque Sanctis commendans: memor quòd non possit esse continens nisi Deus det. *Sapien.*8. Intereáque carnem ipsam dolore aliquo afficiens per quem conceptus ardor extinguatur: simúlque mente recolens acerbissimas gehennæ flammas, quibus efficitur obnoxius præbendo consensum carnali oblectationi: ac simul quid de se dicat S. Apostolus *in priori ad Corinth. cap.* 9. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.] Denique commendatum habens frequentẽ, cum debita præparatione, vsum Eucharistiæ, tanquam rei, quæ iuxta Zachariam *in cap.*9. Frumentum est electorum & vinum germinans Virgines.]

Nu.59. Pœnitentiæ autem in eiusmodi peccatum prolapsis, iniungendæ; sunt potissimum quæ carni castigandæ deseruiant: vt ieiunare, superflua in cibo & potu resecare per abstinentiam & sobrietatem, verberatione aut ciliciis, humicubatione, aut durioris strati vsu carnem domare, vigilare, summóque mane surgere, templa obire cum deuotione; hospitalibus inseruire, ægrotis ministrare, fœtoremque sordidorum locorum perpeti, & id genus alia: quibus caro subigitur, refrænatur, ac spiritui subiicitur. Diuitibus autem & aliis infirmioribus, qui harum carnis macerationem, non videbuntur capaces, eleemosynæ sunt commendandæ, quibus pauperes foueant puellis indotatis subueniant ad matrimonium ineundum, orphanos nutriant, in studiis alant, aliáque similia opera faciant pro conditione & facultate cuiusque. Misericordes enim misericordiam consequuntur à Domino: cui non minus facile est internam eam lepram mundare, quàm fuit externam, quando ei dictum est, Domine si vis potes me mundare] *Matth.*8.

Aduersus gulam.

Nu.60. PRo remediis aduersus hoc peccatum inculcari possunt Pœnitenti sequentia. Primum est, talis peccati pernicies; de qua in Sacris literis habentur exempla. Gula enim matris Euæ, fuit perditio humani generis *Gen.* 3. Lot vir alioqui iustus per ebrietatem eò delapsus est, vt cum propriis filiabus commisceretur] *Gen.*19. Ob gulam Esau iure suæ primogenituræ excidit, *Gen.*25. Holofernes vino obrutus à Iudith truncatus est capite, *Iudith* 13. Herodes denique in suo natali inter epulas caput Diui Ioannis Baptistæ præcepit amputari, *Matth.*14. Eamdẽm perniciem ostendunt etiam tum temporalium bonorum iactura; tum varij corporis morbi, quos atqueadeo mortem ex eo peccato prouenire medici testantur, & experientia satis docet. Adde quoad animam, patefacere in eam aditum vitiis omnibus, & intercludere virtutibus, vt ipsaquoque experientia docet. Vnde Dominus *Lucæ* 21. præcipit, vt attendamus nobis, ne fortè grauentur corda nostra in crapula & ebrietate.

Secundum est: breuitas voluptatis, quæ ex hoc peccato percipitur: nec enim diutius durat, quàm quamdiu editur & bibitur, cibúsque aut potus ab ore in fauces delabitur, nullo perseuerante vestigio perceptæ voluptatis; imò si modus excedatur, continuò præsto est molestia. Nam stomachus se ciborum onere prægrauatum, fastidióque affectum sentit, eruditas & alia incommoda sequuntur.

Tertium est multiplex fructus quem profert contraria abstinentia; ex qua quoad corpus, proueniunt sanitas, vita longa, alacritas, dexteritásque ad quoduis opus, compendium sumptuum, cura, labor, molestiáque minor. Quoad animam verò, aptitudo ad orandum, contemplandum, studiis vacandum, ad vitanda peccata, & sectandas virtutes, &c.

Quartum est; euitatio occasionum huius vitij nempe (iuxta illud *Prouerb.* 23. Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in commessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt) non versari cum epulonibus & temulentis; fugere conuiuia, in quibus modum seruare difficile est; præsertim in iis in quibus superuacanei sumptus fiunt in cibo & potu: de quibus consultum est ne cogitare quidem.

Quintũ; memoria fellis & aceti, quo Christus in passione potatus est: & temperantiæ qua ipse & ipsius Discipuli vsi sunt: atque sancti illi Patres qui putabant vitiosum cibo cocto vesci, vt non rarò D. Hieronymus in suis Epistolis meminit. Adde & pauperes, qui in toto terrarum orbe plurimi cum fame & siti conflictantur.

Sextum est, expectatio cœnę cœlestis. Decet enim in huius mundi quasi ientaculo sobrios nos esse, vt in illam cœnam admissi, mereamur satiari ab vbertate domus Dei & torrente voluptatis illius inebriari, iuxta dictum Dauidis *in Psal.* 35. Quibus adde statum abominabilem eorum quos *ad Philipp.* 3. flens, dicit inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est.]

Pro pœnitentiis particularibus aduersus idem peccatum, imponi hæ possunt: aliquo die ieiunare aut abstinere: aliquandiu sibi temperare à rebus, quarum vsus expetitur, magis ad voluptatis, quàm necessitatis; vt ab aromatibus, condimentis, fructibus & à cæteris quæ irritant gulam: potissimum autem ab iis, quibus maximè quis delectatur. Iniungi etiam posset admixtio alicuius rei amaræ in memoriam amaritudinis, quam Christus in cruce sitiens sensit: quoniam tale quid à Sanctis factitatum inuenitur, vt à S. Francisco cùm cibum suum aspergeret cinere: Dauidis imitatione dicentis *in Psal.*101. Cinerem tanquam panem manducabam. *Nu.61.*

Excedentibus in potu potest iniungi, vt ad tempus ab vsu vini abstineant, aut illud aquâ probè dilutum & parciùs bibant, neque extra mensam bibant. Item quoties bibituri sunt, præsentiæ Dei meminerint: & aliquid orationis occultè ac nemine aduertente, fundant. Potest etiam iniungi Pœnitenti vt quoties in tale peccatum lapsus fuerit; aliquam pœnitentiam sibi imponat, quam exequatur sequenti die: vt parciùs ac tardiùs cibum sumere quàm vellet, aut cibis vti vilioribus, vel malè paratis aut aliud pœnitentiæ opus facere.

Aduersus acediam seu pigritiam.

ACedia peccatum est non leue, dilectioni Dei & pietati ac promptitudini quam cultui ipsius debemus contrarium: tanquam tædium quoddam, & tarditas in rebus spiritalibus ac ignauia quædam ad bonum inchoandum, & inchoatum perficiẽdum. Ei quem Confessarius senserit hoc morbo laborare, remedia hæc adhibebit. Primò, proponet meditan- *Nu.62.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum quàm breue sit huius vitæ tempus, concessum ad opera meritoria præstanda: ex quo tamen pendeat quidquid per omnem futuræ vitæ æternitatem sibi euenturum est; & de quo coram Christo Iudice reddituru sit strictissimam rationem.

Secundò, in memoriam ei reducet quantos labores subeant, quot discrimina adeant homines dum diuitias & honores sectantur: quanta solicitudine, aulici principibus placere & eis seruire studeant; bonum autem nullum esse maius æterna salute: nullúmque esse dignius diuina maiestate: itaut maximè quemque pudere debeat, negligentem esse in diuino obsequio.

Tertiò, inculcabit labores assiduos, molestias, orationes, aliáque pia exercitia tum Christi & Sanctorum, tum etiam multorum adhuc in sancta conuersatione viuentium: vt quod illi facere consueuerunt, ipse quoque gnauiter faciat, cum eamdem quam illi expectet mercedem.

Quartò, incitabit ad æstimandum secum, quòd præsens dies ipsi supremus sit: quandoquidem incertus est de crastino: dicente Domino *Matth.* 25. Vigilate quia nescitis diem neque horam.] Dicat ergo apud se: incertus de crastino: Cur hunc saltèm diem, mihi fortè vltimum, non impendam vt debeo: percepturus ex breui hoc labore æterna gaudij præmia: nonne in medio incendio, aut in procelloso mari constitutus; omnem diligentiam adhiberem, ad quamprimum inde me eripiendum: multo magis conuenit, me nunc vigilantem ac sedulum esse, qui versor inter tot pericula æterni incendij & submersionis in profundum infernalis abyssi.

Quintò, admonebit acediæ profligandæ laborem, ostendere se præcipuè initio: si quis enim æternæ salutis desiderio motus, sibi vim aliquam faciat; consuetudine, magis ac magis difficultas minuetur, nec ipse amplius tædium illud experietur quod sentit initio. Ad quod tædium leuandum si ipsum perseueret, consulendum [illegible] vt exercitia mutet: nempe si in meditationibus [illegible] se ac frigidum comperiat, transeat ad vocales orationes faciendas: sique nec inde gustum percipiat, occupet se in aliqua lectione, vel in aliquo studio pio. Si denique nec tunc afficiatur, aggrediatur aliquod corporis exercitium, opúsve misericordiæ: sic vt nunquam desidiæ se dedat, otióve se torpere sinat.

Nu.63. Pœnitentiæ peculiares eidem peccato accommodatæ hæ assignantur. Prima est, vt aliquo hebdomadis, aut mensis die, dum præsertim ab illo ignauo spiritu se oppugnari animaduertit, virum aliquem Religiosum inuisat, cuius in Deo colendo zelum, flagránsque studium perspectum habet: cum quo communicet ac conuersetur; quia talis conuersatio cum hominibus zelo pietatis flagrantibus, solet in aliorum animis similem zelum accendere, & in nimium remissis mutationem aliquam adferre.

Vitet autem commercium carnalium hominum, mundanis deliciis deditorum; quod magnam præbere solet istiusmodi tentationi occasionem.

Secunda est, cum immoderatus cibus & potus, ac somnus, inutiliáque colloquia istud peccatum magnopere promouere solcant, ad obuiandum ei malo, certum ieiunium, aut vigilia, aut silentium imponatur.

Tertia est, exercitium aliquod manuum domi aut foris peragendum, quod Pœnitenti ipsi congruat, & frugiferum sit pro ipsius statu & conditione.

Quarta, sub noctem exquirere, An elapso die fortassis otio indulserit: & conscius sibi talis defectus, pro vnaquaque hora otiosè ac inutiliter transacta, minimum dicat defixo in terra vultu orationem Dominicam cum salutatione Angelica.

Quinta, vt quoties audit horæ pulsum, apud se dicat, Esto memor rationis, quam Domino Deo redditurus es de hac hora: hoc enim erit illi incitamentum ad horam sequentem vtiliter transigendam.

Aduersus auaritiam.

QVæ hactenus dicta sunt pertinent ad bellum gerendum contra carnem, hostem nostrum domesticum: quæ iam sequuntur pertinent ad gerendum cum externo hoste, qui est mundus: suos asseclas plerumque præcipitans in auaritiæ barathrum, quæ peccatum est cómune tam diuitibus, qui opes suas immoderatè amant & retinent: quàm pauperibus qui nimia cupiditate inordinatóque modo incumbunt diuitiis acquirendis.

Remedia vtrisque inculcanda, sunt primò quòd *Nu.64* ex Christi Domini doctrina *Matth.* 5. & 19. amor studiúmque paupertatis sit ad beatitudinem & perfectionem via. Illic enim dicitur: Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum:] & hic, Si vis perfectus esse, vade & vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus.] Amor diuitiarum verò radix sit omnium malorum, vt dicitur *in priori ad Timoth.* 6. Vbi & additur. Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli.] Spinæ sunt diuitiæ (iuxta Domini doctrinam *Luc.* 8. *vers.* 14.) quæ acquiruntur conseruantur & amittuntur cum magnis molestiis: sicut & spina in pedem intrat, & manet in eo, ab eóque extrahitur cum dolore & molestia.

Secundò, quòd in Christi famulatu magni fiant, honoratique sint, non qui diuitiis inhiant, sed potius qui illas spernunt eiusdem Christi exemplo; qui in ipso ingressu in mundum pauperratem elegit, nascens in stabulo, eámque per totam vitam seruauit, non habens vbi caput suum reclinaret; ac tandem in morte ita coluit, vt nudus omníque humano solatio destitutus vitam finierint. Quodquidem exemplum beatissima Virgo, Apostoli, réliquique Sancti studiosè secuti sunt. Et meritò cùm auaritia sit quædam simulachrorum seruitus *ad Coloss. 3. ver. 5.* Ac facilius sit camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum] *Matth. cap. 19.* Nihílque prosit homini, si totum mundum lucretur & animæ suæ detrimentum patiatur] *ex præced. cap. 16. ver. 26.*

Tertiò, quòd huic trãsitoriæ breuíque vitæ paucæ necessaria sint & sufficiant: nempe victus & vestitus quibus nos contentos esse iubet Apostolus 1. ad Timoth. cap. 6. ver. 8. itaut nihil opus sit tanta contentione & molestiâ: quantâ se fatigant diuitiarum amatores: præsertim cùm Christus *Matth.* 6. promiserit talia esse adiicienda iis, qui primùm quæsierint regnum Dei & iustitiam eius. Itaque hortante Apostolo *ad Hebr.* 13. mores sint sine auaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit: Non te deserant neque delinquant, &c.]

Quartò, non immeritò Psalmistam monere *Psal.* 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere:] nam nõ modo voluntatis desiderium non satiant, sed acuunt potius: sicut aqua salsa epota sitim non extinguit sed accendit, eóque magis quò magis fuerit potata. Et ita, vnde solatium & quies quæritur, inde molestia inquiẽtudóque augentur, prout patet experientiâ. Quod qui in se agnoscunt, erubescant conquerente Deo *apud Ierem. cap. 2.* Duo mala fecit populus meus, me dereliquerũt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas quę continere non valent aquas.]

Quintò, experientia quoque constare id quod ait Apostolus *in priori ad Timoth. cap. 6.* Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid possumus.] Nec quemquam esse quin dicere possit cum Iob *in cap. 1.* Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.] Cum vno funerali linteo mandaberis terræ, sicut vides cæteris contingere. Cur ergo tanta auiditate diuitiis congregandis & conseruandis incumbis, quas te oportet aliis relinquere, qui eas pro arbitratu consument, parum de te curaturi, ac fortè etiam tuam hanc irrisuri solicitudinem: quæ te fecerit obliuisci bonorum cœlestium, quorum comparatione nihil sunt totius mundi opes: itaut meritò dictum sit *Ecclesiastici* 10. Nihil nequius esse, quàm amare pecuniã.] Considera igitur hortante D. Gregorio *in homilia* 37. *in Euangelia*: quæ & quanta nobis promissa sint in cœlis, & vilescent animo omnia, quæ habentur in terris.

Nu.65. In pœnitentiam hoc crimine infectis Loartes ait imponendum: opulentis quidem ac diuitibus, vt eleemosynas erogent. Quodquidem continuato tempore fieri potius, *etiamsi parum detur*, quàm simul largiri multum, nonnumquam expediet hoc nomine; quòd ex assidua consuetudine dandi sæpius eleemosynam, paulatim nascetur habitus liberalitatis, quæ est auaritiæ destructiua.

Addi quoque posset, vt hospitalia alióque inopes visitent; vt videntes illorum miseriam & inopiam; de dutitia sua aliquid remittant, & ad misericordiam flectantur. Pauperibus verò auaris qui ardent desiderio comparandi diuitias quas non habent; iniungi potest ne cum diuitibus, præsertim auaritiæ deditis, conuersentur: & caueant sibi ab inspectione pecuniarum, opúmque alienarum, ne inde inflammentur illarum cupiditate. Interdum quoquè pauperiorum, quàm ipsi sint, domos ingrediantur; illorum necessitates & penuriam considerent; sique possint opitulentur. Item vt aliquam in die vel hebdomada horam insumant meditandæ paupertati Christi inopis, ac nudi in cruce pendentis.

Aduersus superbiam.

Nu.66. QVæ sequuntur pertinent ad pugnam aduersus Diabolum, tertium nostrum hostem, nos prouocantem præcipuè ad superbiam, odibilem coram Deo & hominibus; omnis peccati initium vt dicitur *Ecclesiastici* 10. Aduersus eam autem, cùm sit appetitus inordinatus excellentiæ & præeminentiæ; remedia sunt, quæ vilem hominis conditionem miserúmque statum ostendunt: nempe corporis quidem interna fœditas, quam manifestant excrementa ex eo promanantia; squalor, incommoda famis & sitis, æstus & frigoris, multiplicium morborum & ærumnarum; ac tandem mortis & corrosionis à vermibus. Animæ verò, ignorantia & errores, vitia innumera, praue affectiones, timor, solicitudo, mœror, anxietas, & plurimorum peccatorum reatus: quibus miser est, & miserabilis, æternæ obnoxia morti: de qua *in Psal.* 33. Mors peccatorum pessima;] & ad instar Diaboli facta nihili, iuxta illud *in sequen. Psal.* 72. Ego ad nihilum redactus sum & nesciui.] Deinde quamuis homo careret omnibus prædictis incommodis, abundè miser & miserabilis efficeretur per ipsum superbiæ peccatum, cui Deus specialiter aduersatur, fauens maximè contrariæ humilitati, iuxta illud *Iacobi* 4. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.] Sic Luciferi & sequacium superbiam

puniuit gehennæ supplicio æterno, *ex Isaiæ* 14. *cap.* Superbiam primorum nostrorum parentum, expulsione à paradiso terrestri & corporali morte, aliisque innumeris calamitatibus *ex cap. 3. Geneseos.* Ad quæ adiugi possunt exempla punitionis qua seuerè puniuit in hac etiam vita, superbiam tum Saulis 1. *Reg.* 15. tum Roboam 3. *Reg.* 12. tum Nabuchodonosoris *Dan.* 4. tum Aman, *Esther* 7. tum Antiochi *lib. 1. Machab. cap. 6. & lib. 2. cap. 9.* tum etiam multorum aliorum. Humilitatem verò beatissimæ Virginis vt excellentissimam, tanto beneficio cumulauit, vt ipsa Dei mater & dici & esse mereretur: exaltantur enim humiles vt ipsa profitetur in suo Cantico, & apertè Dominus pronunciauit *Luc* 14. & 18.

Remedium quoque aduersus eamdem superbiam est instabilitas & inconstantia eorum de quibus homo gloriatur: vt sanitas, pulchritudo, fauor, diuitiæ, nobilitas, & similia quæ fluxa esse, faciléque euanescere constat. Quæ verò iudicantur bona esse hominis solida, vt virtutes & bona opera, ille sibi tribuere non debet, sed illa Deo accepta referre; nec de illis gloriari: iuxta illud *in priori ad Corinth. cap. 4.* Quid habes quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?] præsertim cùm ipsa de se adeò imperfecta sint, vt *ex Isaia cap.* 64. censeantur quasi pannus menstruatæ. Itaque hortante Apostolo 2. *Corinth.* 10. Qui gloriatur in Domino glorietur: nõ enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.] Vana gloria vitanda est omni studio, tanquam bona opera euacuans laude apud homines, & mercede apud Deum: quorum illud constat experientia, & hoc ex Domini doctrina, *Matth.* 6.

Remedium denique præter cæteria efficacissimũ, est, animo reuoluere exempla quæ Christus Sanctus Sanctorum, Rexque Regum dedit humilitatis in sua natiuitate, totóque vitę suę cursu, factus subditus beatissimæ Virgini, ac Sancto Iosepho: non dedignatus lauare Discipulorum suorum pedes, aliáque agere quibus doceret quæ à se discere discipulos suos voluit, cùm dixit *Matth. vndecimo.* Discite à me quia mitis sum & humilis corde.] Quodque singulare humanæ superbiæ antidotum est: humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis] *ad Philip. 2.*

Pœnitentiæ laborantibus superbiã imponendæ, *Nu.67.* hæ assignantur. Quandoque in actibus humilitatis se exercere: simplicioribus & vilibus hominibus se adiungere: inferiorem locum in mensa eligere, Hospitalia visitare, pauperibus & ægrotis ministrare, cibum porrigere, lectos sternere: vilia & contemptibilia ministeria obire. Iis autem quibus talia publicè facere displiceret; iniungi posset vt ea minimùm in ædibus priuatis exequantur. Item quando soli fuerint, humi se prosternant, semetipsos conuitiis & probris onerent humilitatis ergo: quod à D. Francisco factitatum habetur in ipsius vita. Præterea Rosarium recitent flexis genibus & ad vnamquamque orationem Dominicam, ac salutationis Angelicę decadem osculentur terram.

Superbientibus autem aduersus parentes, aut Superiores, omnino tanquam medicinalis pœnitentia iniungenda est submissio & obedientia: per illud *ad Hebr.* 13. Obedite præpositis vestris & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant & non gementes: hoc enim non expedit vobis.]

Aduer

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aduersus inuidiam.

SVperbiæ inuidia comes est: vt in Diabolo superbo (cuius inuidia peccatum introiuit in orbem terratum *Sapien.*2.) sic in hominibus quos ad superbiam pertractos, inflammat inuidiâ seu mœrore ex aliorum profectu. *Nu.*68.

Aduersus quod peccatum, remedium potest esse. Primò, ostendere illius grauitatem: quæ patet ex eo, quòd sit directè contrarium charitati, virtutum omnium præstantissimæ, & sine qua nihil sumus, nihilque nobis ad æternam salutem prodest *ex priori ad Corinth.cap.*13.

Secundò inculcare illius perniciem: nam est instar vermis intra lignum nati, qui ipsum vnde natus est rodendo consumit. Vnde *Prou.*14. dicitur: Putredo ossium inuidia] simulque addere, ex aliis peccatis aliquid voluptatis capi; sed hoc cruciare corpus pariter & animam, ex temporalibúsque pœnis, ad sempiternas abripere, priuando tum præsentis, tum futuræ vitæ gaudio, sine vllo necessitatis, vel vtilitatis motiuo.

Tertiò, exponere Pœnitenti quòd inuidus similis sit furioso laceranti se propriis dentibus; illúmque per antecedentia remedia studeat reuocare à superbia: quæ procreat ipsam inuidiam, dum superbus ægrè fert alios sibi superiores aut æquales esse. Illum item conetur ab amore terrenarum rerum (qui vtrumque illud vitium generat & fouet) adducere ad amorem cœlestium, quæ sunt vera perpetuáque bona, omnibus benè viuentibus proposita: ad quorum fruitionem, quo plures admittuntur, eo singuli vberiore cumulantur lætitia, adeout nullus sit inuidiæ locus.

Quartò, inculcare magnæ cæcitatis esse, amatorem propriæ excellentiæ tangi inuidiâ; per quam se profitetur alio inferiorem, aut non superiorem: itémque se mœrore inutili vexare de eo, ex quo feruens charitate, posset lætitiæ fructum capere.

Postremò, inducere ad expendendum secum, quòd inuidus pugnet cum naturæ lege, dictante non esse faciendum alteri quod tibi factum nolis.

Quia ergo inuidus nollet alios de suo bono tristari, nec ipse debet de alieno. Pariter inducere ad considerandum, quàm multa sint, quæ nos inuitant ad congaudendum aliis, de ipsorum bonis. Omnium nostrum vna est fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium *ad Ephes.* 4. Vna omnium mater Ecclesia, omnes ex Adamo & Eua originem trahimus, & ad vnum finem tendimus, eamdémque beatitudinem expectamus. Quæ omnia sunt motiua conciliatiua charitatis, & inuidiæ eliminatiua ab anima.

*Nu.*69. Pœnitentiæ quæ infectis hac labe imponi possunt; duæ proponuntur potissimum. Prior, vt recitent Rosarium pro iis quibus inuident, quósve odio habét; & dent operam, vt de eis bene coram aliis loquantur ac vbicum que ipsos deprehenderint accusatos & malitiosè traductos, quàm fidelissimè possunt excusent, eos quandoque visitent, cum illis colloquantur, alióve officij genere ipsis gratificentur.

Posterior verò vt aliquoties animo intueantur Christum ligno crucis affixum, pro suis crucifixoribus orantem, ac sanguinem suum effundentem: simúlque cogitent eum in quem odium vel inuidiam exercent, esse de numero eorum quos Christus ipse sanguine suo asperserit, & expiauit. Quæ etsi inuito forte animo, ab ipsis initio fient; vsu tamen ipso, & difficultas tolletur & fructus cum voluptate percipietur.

Si ex inuidia sequuta sit detractio, monédus est Pœnitens de obligatione ad restitutionem famæ læsæ & inculcandum ei Tobiæ monitum *in cap.* 4. Quod oderis ab alio tibi fieri, vide ne aliquando alteri facias.] Item quàm indignum sit, os habere tanquam se pulchrum patens, ex quo emittantur fœtores ad corrumpendum bonum proximi odorem, sine vlla tua vtilitate: imò cum damno maximo: quandoquidem detrahendo, non minus lædatur propria, quàm aliena fama: nec enim est qui bene sentiat de detractore.

Aduersus iracundiam.

AD peccatum iræ diabolus quoque per superbiam excitat hominem; quod specialiter aduersatur mansuetudini, quam vt ab ipso discamus præcipit Christus *Matthæi* 11. Familiare autem est Principibus ac magnatibus: quibus in remedium proponi poterit primò, quàm sit à ratione alienum exardescere irâ in alterum similis naturæ: cùm ne quidem bestiis ferocibus tale quid vsuueniat, etiamsi armatis à natura sufficienter ad nocendum; quod homini non est concessum. *Nu.*70.

Secundò, ex tali immoderata ira sibimet multa mala inferre: turpes enim vultu & gestibus, contemptibilésque effici, balbutire linguâ, ac in sermone hærere perplexos: iudicio in omni re destitui, non valere seipsum refrenare, ac cohibere: & cæteris fastidio, offendiculóque esse.

Tertiò, propria delicta contra Deum commissa exigere vt longè maiora ipsi ferant, quàm ea quæ Deo permittente contigerunt, ob quæ sic excandescunt. Proinde imitentur Dauidis mansuetudinem, qui *ex 2.Regum cap.*16. maledicentē sibi Semei nō permisit occidi; maledictionémq; tanquā Dei precepto factam, cum humilitate & mansuetudine suscepit, sperans se ideo misericordiam à Deo consecuturum.

Quartò, reuocent in memoriam Christi Domini patientiam, qui conuitiis probrisque appetitus, obmutuit, & dolores tantos ac tam multos, tormentáque grauissima innocenter perferens, non est comminatus neque conquestus. Intuentes enim seipsos in tam lucido speculo, facilè cognoscent, quàm longè absint à mansuetudine requisita in vero Christi sectatore.

Quintò, vbi se excandescere sentient, iram intus continere ac compescere studeant, nec sinant foras erumpere. Recedant ab iis contra quos irâ commouentur, & se aliis negotiis applicent, séque Deo commendēt, donec ira ipsa deferbuerit. Vnde fiet vt maguam delectationem ex eo sentiant, quòd nihil opete, aut verbo admiserint, vnde ipsos pœnituisset.

Ad ferendam autem alterius iram patienter, quod necessarium est ad illam in seipso cohibendam: iuuabit primò, se à conspectu irati subducere. Secundò, si id non possit commodè, iratum demulcere bonis verbis: quia responsio mollis frangit iram.] *Prouerb.*15. *Nu.*71.

Tertiò, si neque hoc locum habeat, seruet silentium, donec irascens suam iram decoxerit, cogitando irati cerebrum de suo statu dimotum esse: ideóque locum esse commiserationi potius, quàm indignationi: sicut & cùm quis agitur furiis; iuxta illud quod communiter ira dicitur furor breuis.

Pœnitentiæ iis accommodatæ qui iræ succubuerint esse possunt, primò, vt orent pro iis quos offenderint, ac beneficiis prosequantur, vt benefaciendo com *Nu.*72.

pensent offensas: sicque iuxta monitum Apostoli *ad Rom.* 12. ignitos carbones charitatis congerant super caput ipsorum.

Secundò, vt interdum semetipsos afficiant conuitiis & verbis iniuriosis lacessant, exemplo D. Francisci, vt assuescant scommata & dicteria contumeliosa aliorum excipere patienter.

Tertiò, cùm iræ (vt nonnunquam solet) admixtus fuerit affectus odij, & desiderij nocendi, iniungenda est consideratio verborum Domini *Matth.* 6. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.] Quæ verba aperte ostendunt deponendum esse odium & appetitum vindictæ ad consecutionem æternæ salutis: de qua nos assiduè solicitos esse debere, idem Dominus satis admonet *in seq. cap.* 25. inquiens Vigilate quia nescitis diem neque horam:]ac inter cætera prouidere, ne qui toties nostri misertus est, non miserentibus proximi exprobret illud *Matth.* 18. Serue nequam omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?] ac tradat tortoribus.

Quartò, cùm ex ira secutum fuerit homicidium præter restitutionem de qua dicetur *lib. decimo*, poterit imponi in pœnitentiam longa peregrinatio sine viatico, vt sentiat pœnam Caim *Gen.*4. cuius est imitatus nequitiam. Item iniungi exercitium operum misericordiæ in sepeliendo mortuos, visitando captiuos, hospitalium ministeria obeundo, orando, sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ piè vsurpando, procurando sacra fieri pro eo quem trucidauit. Confessarius autem, cui talis casus reseruatus fuerit, absoluere non debet ab eo, aut dispensare in irregularitate quæ ex eo sequitur: sed remittere ad Superiorem. *Nu.*73.

Quintò, cùm ex eadem ira fuerit secuta blasphemia in Deum vel Sanctos (vt etiam solet) imponendam esse grauissimam Pœnitentiam Nauarr. habet *in Enchir. cap.* 12.*nu.*83. ex decreto Concilij Lateran. sub Leone 10. Ex Gaspharo autem Loarte *in memorato lib.2.num.*28. esse potest, vt 1. Rosarium B. Virginis reciter: & ad finem cuiusque orationis osculatus terram dicat, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: aut, aut Sit nomen Domini, Sanctorúmque omnium benedictum in sæcula sæculorum. Item, vt linguâ signum crucis in terra imprimat, ad membrum maledictionis ea ratione castigandum: Tertiò, Litanias de nomine Iesu, & Beatæ Virg. quibus continentur laudes ipsorum, cum aliis precibus recitet: aut si non possit nesciens legere, vel alia de causa, illud sæpius vsurpet, laus, honor, & benedictio sit Deo & omnibus Sanctis. Quartò, vt aliquam pœnam sibimet imponat, quam sponte subeat, quoties in tale detestabile peccatum relapsus fuerit; qualis esset os suum vel pectus ferire terram osculari; psalmum aliquem vel saltem orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitare, eleemosynam aliquam largiri, aliquot verbera sibi infligere, ieiunare, proximo quoque tempore confiteri: aut aliquid aliud facere per quod maiore deinceps cura caueat sibi à tali lapsu. Extendat quoque ac vsurpet easdem pœnas, quoties incurrerit in occasiones talis peccati quas euitare debuit: quales sunt alearum lusus, & cōsuetudo iurandi per Deū aut per ea quæ Dei sunt, & rixæ. Extendat etiā, cùm peierauerit, præsertim ex consuetudine temerè iurandi & cùm maledixerit, seu malum imprecatus fuerit proximo, cùm redditurus sit rationem de minimo etiam verbo otioso, ex *D.Matth.cap.*12.*vers.*36. Ne autem facilè tam saluta-

Admonitio pro ante traditorum vsu.

SVbiungit memoratus Loartes *in cap.*29. admonitionem aliquot puncta continentem. Primum est, non omnia tradita remedia, esse singulis Pœnitentibus proponenda: quia id nimis profixum esset; sed quæ ex audita confessione iudicabuntur cuique necessaria esse, & sufficere posse ad ipsius curationem. Non igitur omnia alicui speciali peccato assignata, debent cuilibet indifferenter accommodari, sed tantùm ea quæ ab eo, cuius confessionem excipit Confessarius, capi possunt, & esse vsui. *Nu.*74.

Secundò est, cùm Pœnitens variis peccatis implicitus ab omnibus pariter oppugnatur: itaut differentibus peccatis æquè consulendum sit, tunc sufficere vnicum singulis remedium attribuere; nisi quòd conueniat plura adferri aduersus illud à quo Pœnitens vehementiùs impugnari inuenitur.

Tertium est, quod dicitur de remediis, idem esse dicendum de pœnitentiis assignatis pro variis peccatis: nempe vt non omnes indifferenter imponantur, sed prout peccati & peccatoris conditio exegerit; ac cùm fuerint peccata diuersa, pro vnoquoque aliqua pœnitentia imponatur, accommodata ei secundùm antedicta: sique aliquod ex iisdem peccatis grauius fuerit, plures ex talibus pœnitentiis imponere conueniet.

Quartum est, consultum esse vt Confessarius eiusmodi Pœnitentias adiunctis remediis in promptu habeat, simúlque diligens sit in aliis, *quæ multa sunt*, comparandis librorum lectione, & communicatione cum iis quos nouit in hac exercitatione bene versatos: & imploratione auxilij Spiritussancti; ex cuius maximè impulsu dirigi oportet in peccatoris

cura

Universidad de Deusto
Biblioteca

curatione, vt ea sit cum fructu. Remedia particularia aduersus varias species peccatorum, ex memoratis fontibus manantium, relinquemus Confessario, lectione librorũ piorum (quam debet familiarem habere) sibi comparãdas, præsertim cùm nimia prolixitas vitanda sit: & quæ cõparauerimus propria industriâ tanquam magis placentia, inculcentur cum maiore sensu. Adde & quòd antedicta sufficiant ad Confessarium ipsum dirigendum in illis eligendis, vt & in supplendo illorum defectu, quod fit docendo tale speciale peccatum, ex tali fonte generali oriri, cui adhiberi debeant hæc vel illa remedia. In particularibus verò pœnitentiis imponendis pro particularibus peccatis, poterit dirigi tum antea propositis: tum etiam canonibus pœnitentialibus, in cum finem descriptis in proximè præcedenti capite. De cæteris quæ particulariter circa nonnulla sunt obseruanda dicendum erit suis locis, cùm ex instituto quæ singulorum sunt propria tractabuntur in sequenti parte tertia.

CAPVT VII.

De adimpletione satisfactionis, seu pœnitentiæ à Confessario impositæ.

SVMMARIVM.

75 *Improportionatam satisfactionem sibi impositam non tenetur Pœnitens implere. Nec etiam proportionatam, cum constiterit absolutionem datam fuisse inualidam.*

76 *Acceptatam satisfactionem legitimam non implere, siue veniale an mortale, & quod non sicut consilij est impositam satisfactionem acceptare: sic est acceptatam implere, sed necessitatis.*

77 *Eam non implere per oblitionem, aut negligentiam: nisi oblitio sit affectata & negligentia grauis, non est peccatum mortale. Nec iterum cum imposita est pro peccatis venialibus, aut pro mortalibus iam alias rite confessis: nisi sit grauis, imposita iusta aliquâ de causa. Nec demum cum pro mortalibus leuis imposita fuerit.*

78 *Satisfactio præcepta à Confessario per modum mortificationis, de eo ad quod Pœnitens tenetur, non inducit obligationem.*

79 *Quid sit iudicandum de satisfactione non impleta eo tempore, pro quo imposita est. Quid iuris de satisfactione statim implenda.*

80 *Satisfactionem, vt in medicinam instituitur, Pœnitens per se tantùm implere potest: vt verò instituitur in solutionem pœnæ peccatis debitæ, potest tum per se, tum per alium de consensu Confessarij.*

81 *Ex iusta causa potest Confessarius suo Pœnitenti imponere suæ factionem implendam siue per seipsum siue per alium. Et requisita vt fructuosa sit satisfactio vnius pro alio: quæ sunt charitas, & rationabilis causa.*

82 *Debet Pœnitens esse absolute paratus per se ex equi iustam satisfactionem à se acceptatam: neque prius suscepta ab alio, valet ei si non impleatur. Nec eadem operâ potest quis pro se & pro alio satisfacere: atque rationes cur non debeat facilè Confessarius satisfactionem imponere per alium implendam.*

83 *Quando possit, aut non possit Confessarius Pœnitentem obligare ad implendam satisfactionem priusquam absoluatur.*

84 *Ad Sacramenti integritatem valere potest satisfactio facta in peccato mortali. Satisfactioque facta in peccato mortali non soluitur quidem effectum suum remissionis pœnæ, manente tale statu: eo tamen mutato in statum gratiæ, probabile est soluiri.*

Quæstio prima occurrit, An peccet qui impositam à Confessario, & à se acceptatam satisfactionem, Pœnitentiamve non implet.

AD hanc communiter respondetur, non peccare, si constet ei, quòd impositio contineat intolerabilem errorem: vt censetur, cùm satisfactio est nimis improportionata peccatis confessis, aut Pœnitenti ipsi. Tunc enim ea tanquam sententia iniusta, non ligat. Sic tenentes authores refert Henriquez *in sua summa lib. 5. cap. 22. §. 3. lit. O, in margine.* Immo ne si quidem proportionata sit, sed Pœnitenti ipsi constet absolutionem sibi datam fuisse inualidam. Pro quo idem Henriquez *in seq. §. 7.* duas rationes adfert. Prior est, quòd acceptata sit satisfactio, sub conditione compensationis, per illius fructum. Posterior est, quòd secunda sententia non obliget, cùm non obligat primaria: præsertim in hac re, in qua absolutione existente inualida, percipi nequit fructus satisfactionis Sacramentalis; qui nullus est, nisi repetita de nouo confessione cum impositione satisfactionis, accipiatur absolutio Sacramentalis valida. *Nu. 75.*

Extra eos casus autem, ac quando imposita fuerit satisfactio legitima, eum qui acceptatam non implet, peccare doctores consentiunt quidem: sed de grauitate peccati dissentiunt. Nam Caiet. *in tomo 1. opusc. tract. 6. quæst. 2. ad 2.* existimat peccare solùm venialiter, dùmodo contẽptus abfit: cui Fumus assentitur *in verbo Satisfactio num. 5.* Fundamentum ipsorum est, quòd satisfactio sit solutio pœnæ temporalis, quæ si hìc non soluatur, soluetur in Purgatorio: ideóque illius omissio non excludit à regno cœlorum. Multi verò alij, tam recentiores quàm antiquiores, quos commemorat Alphonsus à Viualdo *in præcipua parte Candel. aurei, cap. De satisfactione, num. 26.* sentiunt mortaliter peccare eum qui pro suis peccatis mortalibus à Confessario impositam sibi & à se acceptatam satisfactionem notabiliter magnam, non implet, omittendo eam scienter ac voluntariè. Nam in materia graui peccat, & ideo mortaliter: perinde ac in voti violatione peccat quis, cum nec paruitas rei nec indeliberatio excusat. Multa autem insinuantur in hac sententia, quæ vt obseruatione digna pro praxi, tradenda sunt plenius & apertius. *Nu. 76.*

Primum est quòd quamuis *ex præced. num. 15.* liberum sit Pœnitenti recusare vel admittere Pœnitentiam à Confessario impositam: postquam tamen præceptam (secus si tantùm consultam) acceptauerit obligatur eam implere, non eo tãtùm nomine, quòd acceptauerit: sed etiam quòd ad eam obligatus sit à Confessario, qui perinde potestatem ligandi habet ac soluendi, ex definitione Concil. Trident. *sess. 14. cap. 8. & Can. 15.* & cuius sententia non minorem habet vim in foro interno, quàm alterius Iudicis sentẽtia in foro externo: quæ implenda est sub mortali, vt patet ex graui pœna, quæ non implenti iniungitur *in cap. 2. de maiorit. & obedient.* Itaque vt vouere consilij est, & reddere votum semel nuncupatum, est præcepti *ex cap. Magne, De voto & voti redempt.* ita acceptare pœnitentiam iniunctam libetum quidem est Pœnitenti, dummodo velit hìc vel in purgatorio aliter satis facere; attamen acceptatam implere tenetur.

Secun

Nu. 77. Secundum est: si satisfactionem impositam contingat non impleri per oblitionem vel negligentiam leuem, id non esse putandum peccatum mortale: nam obliuio nisi sit affectata ponitur inter species ignorantionis excusantis à peccato mortali, tanquam impedimentum plenæ libertatis in agendo vel omittendo. Deinde cùm negligentia, quâ id omittitur quod debet & potest fieri, dicitur esse peccatum mortale; intelligẽdum est de negligentia notabili: vt ab aliis notatum refert *Nauarr. ad cap. Contrarium de pœniten. distinct. 5. num. 18.* Et ratio esse potest, quòd ne quidem homo, amicitiam initam cum homine, rationabiliter scindat ob leuem ipsius negligentiam.

Tertium est: non implere pœnitentiam, tantùm pro venialibus impositam, si absit contemptus, non esse communiter peccatum mortale. Hoc Nauarr. expressit *in Enchir. cap. 21. num. 43.* Cuius ratio esse potest, quòd peccato leui, proportionata sit satisfactio leuis, seu non magna notabiliter. Cur verò dictum sit, *communiter*, ratio est quòd interdum Confessarius iusta de causa imponat magnam pœnitentiam pro aliquibus venialibus, eo quod tali remedio opus sit ad euitandum aliquod graue malum alioqui secuturum. Nec obstat, quod Confessarius debeat satisfactionem imponere secundùm qualitatem peccatorum, ex Concil. Trid. *sess. 14. cap. 8.* quia potest interdùm contingere, vt peccatum veniale quod est in se leue, sit graue in suo effectu: quia nisi emendetur generaturum est aliquod graue malum. Sic (vt habet Henriquez *in sua summa lib. 5. cap. 20. §. 3.* Religioso pro multis & periculosis venialibus peccatis, dignè imponitur grauis pœnitentia claue non errante. Hócque dictum de venialibus, pariter dici potest (quod idem author insinuat *ibidem, & ex Soto & aliis habet Suarez tom. 4. disp. 38. sect. 7. num. 5.*) de mortalibus iam alias debitè confessis, pro quibus tanquam non amplius excludentibus à gratia Dei, leuis satisfactio, vt & pro venialibus, communiter imponenda est. Quanquam iusta de causa, vt cùm quis instituit confessionem generalem totius vitæ, grauem imponi nihil obstat.

Quartum est: nec peccatum mortale esse satisfactionẽ non implere, si imposita sit quidé pro mortalibus, sed leuis; vt fieri potest ob pœnitentis infirmitatem. Istud sententiam cõmunem esse habet Henriq. *in sequenti §. 4. lit. M.* Ratio autem est, quàm habet Suarez *n cit. nu. 5.* quia licet causa tunc sit grauis, tamen materia præcepti non est sufficiens ad tantã obligationem vt patet: quia si illa esset materia partialis, omissio illius nõ esset mortalis ob materię paruitatem. Ergo neque est, licet sit totalis. Idem iudiciũ est, vt ex Medina idem Suarez addit, si Confessarius, etiamsi grauem satisfactionem imponat, velit tamen Pœnitentem obligare solummodo sub veniali. Quod posse probatur argumento à minori ad maius: quia iuxta antedicta *num. 17. & 18.* potest eam imponere tantùm consulendo, atque adeo sine obligatione.

Nu. 78. His pro praxi adde primò, quod *in citato num. 43.* habet Nauarrus, si Confessarius Pœnitenti præcipiat satisfactionem aliquam non in redemptionem pœnæ in Purgatorio pro peccatis suis luendæ, sed in monitionem eius ad quod tenetur: vt si præcipiat ne in posterum omittat annuam confessionẽ, & communionem, aut vt restituat quod iniustè retinet, aut aliud eiusmodi, ad quod sub mortali tenetur, etiamsi à Confessario non iniungatur; tale quid non implere, esse quidem peccatũ mortale: sed non aliud quàm esset, si non præciperetur à Confessario.

Nu. 79. Adde secundò, si Confessarius designet tempus intra quod implenda est satisfactio, vt cùm iniungit ieiunium duorum dierum in proximè sequenti hebdomada, illam esse implendam intra illud tempus; sique fortè intra illud non impleatur, non ideo cessare obligationem implendi; sicut cessat in præceptis ieiunij Ecclesiastici, vel audiendi Missam die festo, quando tempus assignatum effluxit. Ratio est, quia intentio Confessarij in imponenda pœnitentia, est satisfactio pro peccatis, cui tempus assignat solum, ne diutiùs differatur, nulla vrgẽte causa iusta. Quamquam tamen si vt ieiunium Ecclesiasticum, sic & satisfactio imponatur in honorem determinati temporis: vt si in honorem festorum Beatæ Mariæ Virginis imponatur ieiunium seruandum in eorum vigiliis; quia erit onus diei, perinde ac ieiunium Ecclesiasticum; si quis illud omiserit, non tenebitur supplere alio die. Quæ doctrina est eiusdem Nauarri *in Enchiridio cap. 12. num. 54.*

Adde tertiò, quod habet Henriquez *in cit. lib. 5. cap. 22. §. 6.* si Confessarius non designarit certum tempus, Pœnitentem esse liberiorem ad differendam satisfactionem: quia si contritionis & confessionis præcepta non obligant ad executionem, statim post peccatum perpetratum, nec præceptum satisfactionis obligabit statim post ipsum datum, nisi daretur ad præseruationem à relapsu: quia tunc statim ac vrgeret periculum relabendi, implenda esset: iuxta intentionem Confessarij. Attamen extra hunc casum, si dilatio executionis meritò nimia esse censeretur, dici posset adesse peccati mortalis casum ante propositum, prout Suarez attigit *in cit. sect. 7. nu. 6.* Et patere potest ex eo quòd talis dilatio sit contra intentionem debitam imperantis satisfactionem ipsam ad Sacramenti integritatem: quæ temere negligi non potest absque notabili irreuerentia Dei: cùm is, qui Angelis peccantibus non pepercit, pro nobis hominibus vilibus saluberrimum hoc remedium instituerit aduersus futuræ vitæ immanissima purgatorij supplicia. Quod remedium qui temere negligit, vt in seipsum crudelis, sic in Deum ingratus est, & Sacramento iniurius.

QVÆSTIO II.

An Pœnitens teneatur satisfactionem sibi impositam implere per seipsum.

AD hãc in verbo Satisfactio, Angelus & Sylvest. vterque num. 3. congruenter doctrinæ Theologorum, quos magno numero commemorat Suarez *tomo 4. disput. 38. sect. 9. num. 1.* respondent satisfactionem Sacramentalem ad duo institui: & ad solutionem pœnæ pro peccato præterito debitæ, & ad medicinam pro futuro peccato vitando. Atque ex ea parte, qua ad solutionem instituitur, Pœnitentem posse (de voluntate tamen Confessoris sicut paulo post exponetur) illam implere per alterum. De fide enim est quòd vnus possit pro altero satisfacere: quandoquidem id negans debeat consequenter negare Sanctorum communionem, quam in Symbolo profitemur. De qua re aduersus nostri temporis hæreticos agit Sotus *in 4. distinct. 19. quæst. 2. art. 4.* Ea verò ex parte, qua ad medicinam satisfactio instituitur, éstque præseruatio à peccatis; non nisi per seipsũ à Pœnitente impleri posse: quia medicinam præseruatiuam sanitatis sumere debet is per seipsum, qui vult effectum illius consequi. Nihil enim (vt Sotus consequenter bene ait) ieiunium aut flagellum vnius prodest alteri ad corporis castigationem, quæ ei necessaria est ad peccatum vitandum: etiamsi per accidens oratio & cætera bona opera vnius facta in gra- *Nu. 80.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia possint de congruo mereri alteri gratiæ augmentum (iuxta dicenda *in seq. num. 96.*) quod est efficax remedium aduersus tentationes, seu peccandi occasiones. Cùm ergo satisfactio Sacramentalis soleat potissimum imponi tanquam medicina aduersus peccatum futurum, & ad correctionem Pœnitentis, fit sanè (vt ex D. Thoma Sotus addit, habetúrque *ex cap. Omnis vtriusque sexus. De pœniten. & remiss.*) quòd hic illam per seipsum implere debeat, præsertim cùm talis sit rationabilis voluntas Confessarij: quam satis indicant ipsius verba dicentis, Recitabis pro pœnitentia tales preces. Tantum dabis in eleemosynam. Tories ieiunabis. Atque eam esse communem sententiam notat Suarez. Vnde ille cui ieiunium impositum est, non satisfacit tali præcepto per ieiunium quod nomine ipsius facit aliquis alius.

Nu. 81. Attamen si Confessarius aliqua ratione ductus, iudicaret imponendam esse satisfactionem quam Pœnitens aut per seipsum aut per alium persoluat: præsertim ieiuniam, vel peregrinationem, vel aliquid eiusmodi; nihil obstat quominus id facere possit: quandoquidem communis lex est, vnum pro alio satisfacere posse; vt patet ex vsu fori externi. Nec obstat quod in foro interno satisfactio, sicut contritio & confessio, debeat esse actus Pœnitentis: quia satisfactio facta ex petitione alicuius, aliquo modo censetur esse ipsius, vt patet de eleemosyna, quam quis pro se dari, obtinet ab alio.

Sic igitur (vt Caiet. *in verbo Satisfactio §. posteriore*, expressit) satisfactio Sacramentalis persolui potest per alium ad id voluntarium: siue acceptet eam imponi sibi à Confessario, siue à Pœnitente acceptatam, in se suscipiat de consensu Confessarij qui imposuit, vel alterius Confessarij qui iuxta dicenda in sequenti cap. possit impositam mutare: ita nimirum vt à Iudice fiat mutatio sententiæ quoad personam satisfactricem.

Quamquam, *addit ille*, posset quoque sub ratihabitione Confessarij in articulo necessitatis siue (prout Angelus & Sylvest. *loco cit.* habent) in casu quo numquam illam in hoc mundo implere potest is, cui iniuncta est. Quodquidem procedit, *vt ex Palud. Sylvest. subiungit*, etiamsi ita esset eidem iniuncta, vt præciperetur illam per seipsum implere: quia sic de intentione imponentis iudicandum est, vt existimetur noluisse Pœnitentem suum, vel obligare ad impossibile, vel ipsum in Purgatorium mittere.

Duo autem, *inquit Cai etanus, & ante memorati attingunt*, exiguntur ad satisfactionem fructuosam vnius pro alio. Alterum est charitas; intellige cum Soto *loco cit. concluf. 2.* tam in eo qui satisfacit, quàm in eo pro quo fit satisfactio, quia charitas est per quam iuxta Apost. *ad Galat. 6.* alter alterius onera portat; vniúsque opera communicantur alteri, tanquam ei cum quo reputatur vnius esse in Christo: iuxta illud *ad Rom. 12.* Multi vnum corpus sumus in Christo singuli autem alter alterius membra.]

Alterum verò est rationabilis causa: quia maius bonum omittendum non est, nisi aliqua rationabilis causa persuadeat. Maius autem bonum est, quemlibet satisfacere per se, quàm per alium: quia hoc tantùm est pœnæ solutio: illud verò est, & pœnæ solutio, & sibi ipsi meritum pro vita futura, & medicina pro præsenti. Qua de causa, *vt ex D. Thoma habent locis cit. Sylvester & Sotus*, etiamsi ad hoc vt satisfactio facta pro alio valeat, non exigatur vt is pro quo facta est impotens sit ad satisfaciendum per seipsum: tamen permittendum non est eam per alium fieri, quando nulla apparet iusta causa non faciendi per seipsum: seruandumque est quod in memorato cap. Omnis vtriusque sexus præscribitur: vt quisque fidelium iniunctam sibi pœnitentiam, propriis viribus studeat adimplere. Iustæ causæ autem exempla adfert ibidem Sylvester. Tum ex Paludano: quando Pœnitens in aliis Deo magis acceptis occuparivult; vt in concionando, vel in gerendo bello contra hostes fidei: aut quando volens magis satisfacere; curat imponi pœnitentiam meliori se, vt ipsa sit efficacior & fructuosior. Tum etiam ex D. Thoma; quando apparet in Pœnitente defectus corporalis, per quem impotes est ad sustinendū illud quod imponi debet: aut apparet spiritalis defectus, ob quem promptus non est ad portandum pœnitentiæ onus.

Addit consequenter idem Sylu. Primò, istud satisfactionis genus non prodesse ei pro quo fit, nisi sit absolutè paratus exequi per se id, quod iustè ipsi iniunctum est: quia ad id obligatur per propolita verba *cap. Omnis vtriusque sexus.* Secundò addit, cum cuius satisfactionem alter in se suscepit nec impleuit, manere obnoxium eidem satisfactioni; ac proinde si ante illam impletam moriatur, non euolare statim in paradisum. Pro qua facit ratio: quia nemo in paradisum ingreditur, nisi sit extra omne debitum quod contraxit peccando in Deum. Is verò, de quo agimus, manet in debito pœnæ; cùm ad liberationem à tali debito, non sufficiat voluntas satisfaciendi; sed requiratur vt opus ipsum per quod satisfactio fit, præstetur. Quod debent ij aduertere qui in se susceptas defunctorum satisfactiones differunt: vel qui illa, quæ per se implere possunt in satisfactionem pro suis peccatis, differunt post suam mortem peragenda per eos quos instituent hæredes. *Nu. 82.*

Tertio addit *idem adhuc num. 5.* satisfacienrem pro alio, mereri quidem pro seipso, non item pro alio (quod proprium est Christi ex D. Thomæ sententia recepta, *teste Nauar. in comm. de indulgentiis n. 13. num. 5.*) non tamen eâdem operâ satisfacere pro seipso: quoniam in satisfactione attenditur æqualitas iustitiæ, opúsque illud iustè impositum in satisfactionem, ita æquatur reatui pro quo imponitur; vt iustitia non patiatur ad alterius compensationem extendi.

Cæterùm in hac re commendatum habere debet Confessarius, vt non facilè, sed iusta tantùm & necessaria de causa satisfactionem per alium implendam imponat; memor quòd talis modus nec adeo vsitatus sit in Ecclesia, nec multum accommodatus ad huius Sacramenti finem, cui satisfactio ipsa debet per modum medicinæ seruire: neque multum consentaneus eiusdem institutioni, quæ pro materia illius requirit actus Pœnitentis; nec satisfactio per alium, sit Pœnitentis nisi per accidens: nimirum quòd ea ex ipsius intentione & petitione exercea-tur: prout explicat Suarez *in citata sect. 9. num. 4.*

Qvæstio III.

An Confessarius possit Pœnitentem obligare ad satisfactionem impositam, prius implendam quàm absoluatur.

Nu. 83. Hæc explicanda est distinctione, sicut Suarez explicat, *in memorata distinct. 38. sect. 7. num. 7.* nempe si sermo sit de satisfactione vt est peccati vindicta, Confessarium nihil tale posse per se loquendo; quia nullum ius ad id habet, nec iustam causam: dato quòd Pœnitens satisfactionem impositam acceptet, nulláque detur sufficiens ratio existimandi, quòd nō sit illam adimpleturus. Cuiusmodi ratio si daretur, oporteret differre absolutionem: perinde ac cùm pœni

pœnitentiam in aliqua priore confessione impositam aliquis iniquè, ac sæpius omisit. Quamquam vt in hoc casu, sic in illo opus est prudentia, qua videatur quid ad Dei gloriam & proximi vtilitatem magis expediat. Sin autem sermo sit de satisfactione, vt medicinalis est, & necessaria ad exeundum à statu peccati, vt censetur restitutio damni illati, & euitatio consuetudinis personæ suspectæ: Confessarium cùm expedire iudicauerit, negare posse absolutionem Pœnitenti, donec talem pœnitentiam impleuerit. Ratio est: quia tunc potius agitur de condigna dispositione ad remissionem peccatorum, quam de satisfactione pro pœna in Purgatorio luenda; neque præceptum, quo talis satisfactio imponi debet à Confessario, tam est inductuum nouæ obligationis, quam declaratiuum obligationis, cui Pœnitens subiicitur de se, vt possit moraliter constare de ipsius dispositione, ac sufficienti proposito vitandi peccata in posterum.

Qvæstio IV.

An necesse sit satisfactionem implere in statu gratiæ.

Nu. 84. PRo huius explicatione Suarez *in seq sect. 8.* tria docet. Primum est, quod plenius tractat Abulensis *ad 6. cap. D. Matth. quæst. 33.* satisfactionem factam in peccato mortali, sufficere ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, & ad implendam obligationem à Confessario impositam: quia Confessarius tantùm præcipit opus, non autem modum: vnde fit, vt ad illius, sicut & ad aliorum præceptorum impletionem, perfectio operis sufficiat, etiamsi ipsum fiat extra charitatem: Imò vt idem Suarez addit etiamsi ipsum malè fiat sitque peccatum ex aliqua circunstantia: vt si ieiunium imponatur & Pœnitens in quantitate cibi aut potus excedat prandendo. Dummodo enim formam ieiunij seruet, præceptum de ieiunando sibi impositum implebit secundùm illud quod pertinet ad substantiam ieiunij.

Secundum est, satisfactionem impletam in peccato mortali, quamdiu is status perseuerat, non sortiri effectum suum remissionis pœnæ temporalis debitæ peccatis confessis. Ratio est: quia cùm talis effectus sit supernaturalis, vtpote aliquo modo præparans hominem ad gloriam (nempe remouendo aliquod illius impedimentum, quod est reatus temporalis pœnæ luendæ post remissum reatum culpæ) non est cur is ipse effectus conferatur alteri, quàm ei qui Dei amicus, dispositus est ad gloriam adipiscendam: qualis non est inquinatus peccato mortali.

Tertium est, difficultatem magnam esse, An talis satisfactio facta in statu peccati mortalis, sortiatur effectum ex opere operato, seu ex merito passionis Christi, quando is qui fecit, restitutus fuerit statui diuinæ gratiæ. In eo autem discutiendo hærere, non est nostri, sed scholastici instituti. Satis ergo sit monere: partem affirmantem, quæ fauorabilior est, non carere probabilitate, vt videre licet apud memorarum authorem *ibidem num. 5.* alios idem tenentes citantem: ac bene monentem considerandum esse, quòd licèt opus illud satisfactorium, vt est opus operantis, sit mortuum, nec reuiuiscere possit & diuinæ gratiæ effectum sortiri: tamen vt est opus Sacramentale, & applicatio meritorū seu satisfactionis Christi, semper esse opus ex se viuum, etiamsi ratione subiecti quodammodo mortificatum, non possit in illo diuinæ gratiæ effectum habere secundum præsentem dispositionem. Itaque sicut bona opera per peccatum mortale mortificata reuiuiscunt, remoto per pœnitentiam ipso peccato: ita satisfactio Sacramentalis facta in peccato mortali, ablato eodem peccato, incipit habere suum effectum.

Explicationē quæstionis, An ei qui non impleuit satisfactionem à se acceptatam, sufficiat confiteri peccatum suæ omissionis, an verò debeat repetere totam confessionem propter quam imposita fuit, habes in præced. libro 6. num. 167.

Explicationem alterius, An is qui oblitus satisfactionis sibi impositæ petit imponi sibi nouam debeat eadem peccata denuo confiteri, habes in præcedenti num. 42. & 43. huius libri.

CAPVT VIII.

De mutatione & diminutione satisfactionis acceptatæ à Pœnitente.

SVMMARIVM.

85 *Duo modi quibus per interpretationem potest satisfactio relaxari.*
86 *Satisfactio etiamsi iustè imposita, & acceptata, mutari aut diminui potest à Confessario iusta de causa.*
87 *Quid in hac re amplius possit Confessarius qui satisfactionem imposuit, qu im alius.*
88 *Superior Confessarij potest satisfactionem ab eo impositam mutare, aut minuere.*
89 *Potest & Confessario æqualis, ac etiam inferior.*
90 *Argumentum in contrarium, cum illius solutione.*
91 *Exceptio casus, in quo Superior sibi reseruasset talem mutationem, aut diminutionem: aut pœnitentia fuerit imposita ob peccatum reseruatum.*
92 *De satisfactionis relaxatione per indulgentias notanda pro praxi.*
93 *Ad relaxationem iustæ satisfactionis sacramentalis, secundum probabiliorem sententiam requiritur ratio confessionis peccatorum pro quibus imposita fuit.*

QVÆ huc pertinent sufficienter ad praxim possunt aliquot propositionibus comprehendi. Quibus præmittendum est, præter mutationem & diminutionem, de qua agimus, faciendam à Confessario, dari ipsius satisfactionis interpretationem, quæ non est actus potestatis Sacerdotalis, sed prudentiæ & doctrinæ: habétque in hac re locum duobus modis.

Altero, cùm quis rationabiliter indicat clauem à principio erasse, seu impositam esse satisfactionem iniustam: ideóque declarat Pœnitentem non teneri ad illam implendam. Altero, cùm à principio quidem fuit iustè imposita, sed postea Pœnitens factus est impotens ad eam implendam; vel orta est alia causa sufficiens, quæ illum excuset: in quo etiam casu locus est interpretationi. Nam cum impotentia aliáve causa excusandi sufficiens adest, reuera non tenetur Pœnitens mutationem postulare; quia ratio obligationis cessat in præcepto, quando ipsum cadit in actum, qui vel moraliter possibilis vel conueniens non est. Extra eiusmodi casus verò, non est Pœnitenti liberum ne quidem in melius, propriâ authoritate mutare illud quod in satisfactionem sibi à Confessario impositam acceptauerat; etiamsi possit mutare illud de quo votū fecit: quia, vt bene ait Hēriquez *in 1. part. Theol. Moral. lib. 5. cap. 20. §. 5.* homo per suam tantùm voluntatem adstrictus est voto; ad *Nu. 85.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pœnitentiam verò implendam, adstringitur per sententiam Confessarij, tanquam Superioris sui.

Nu.86. Prima autem propositio de mutatione aut diminutione facienda per Confessarium est. Iustam satisfactionem mutari aut diminui posse iusta de causa: nempe vt habet Nauar. *in Enchir. cap. 26. num. 22.* quia Pœnitens bona fide putat se talem implere non posse, aut non sine magna difficultate, aut periculo salutis animæ vel corporis.

Et probatur quia si in voto locum habent commutatio, & compensatio (per quam obligatio voti implendi tolli, etiam in totum, potest: cùm adest iusta dispensandi causa) nihil est cur negetur habere quoque locum in satisfactione acceptata à Pœnitente. Debet verò iusta adesse causa: quia vt votum rationabile, sic sententia iusta Confessarij acceptata ita obligat, vt seruari omnino debeat, quando nulla causa subest cur eam mutari, aut relaxari oporteat. Quilibet enim Confessarius Iudex est absolutus, tanquam Christi Minister immediatus: qui vt soluere à culpa, sic ligare potest ad pœnam, vt bene argumentatur Sotus *in 4. distinct. 20. quæst. 2. art. 3.*

Nu.87. Ex quo sub finem eiusdem articuli aduerte, in commutanda aut diminuenda satisfactione, Confessarium qui illam imposuit non habere maiorem potestatem, quàm cæteros Confessarios: nisi quòd Pœnitente qui illam acceptauit, pro tali mutatione ad ipsum recurrente intra tempus, quo idem iudicij moraliter censetur adhuc durare, potest suam sententiam mitigare, sicut mitigasset antequam satisfactio acceptaretur à Pœnitente: tanquam durante adhuc iudicio, negotium nondum in rem iudicatam transierit. Tempus illud autem esse trium dierum, idem Sotus definit inquiens; Si quis hodie vel heri quempiam absoluit, illique recurrit præsens, eras vel postridie; quando adhuc in memoria sunt peccata; videtur idem iudicium durare. Sin autem longum tempus defluxerit, negotium videtur iam transire in rem iudicatam; & ideò non potest aliud facere Sacerdos qui satisfactionem imposuit, quàm quod de alio Sacerdote dicitur. hæc ille satis rationi congruenter. Quamuis vt meminit à Vivaldo *in priore parte Candelabri aurei cap. De satisfactione num. 30.* non defuerint qui plures dies assignarent permansioni morali talis iudicij, ad effectum de quo agimus sufficienti: quod relinquitur prudenti pensandum ex inspectione circumstantiarum, cum humili imploratione diuini auxilij. Cæterùm si nulla grauis necessitas in contrarium vrgeret, & Cõfessarius nihil apud se certi statuere posset, deberet, *quia tutius est*, perinde agere in ea re cum Pœnitente, ac iuxta post dicenda, ageret alter, qui talem satisfactionem non imposuisset.

Nu.88. Secunda propositio est: satisfactionem à Pœnitente acceptatam, quando iusta adest causa, mutari, aut diminui posse; tum ab eo, qui illam imposuit; tum ab ipsius Superiore. Hanc satis aperta ratio confirmat, quia licet Confessarius habeat à Christo authoritatem præcipiendi satisfactionem; tale tamen præceptum est humanum; vtpote quod pendet à voluntate hominis; sicut lex Ecclesiastica est humana, etiamsi feratur à Papa, qui suam potestatem habet à Christo. In præcepto autem humano, & is qui illud dedit, & Superior ipsius (quandoquidem huius correctioni sententia illius subiicitur) potest dispensare: præsertim quando adest iusta dispensandi causa. Quare in præcepto quoque satisfaciendi, tam Confessarius qui illud dedit, quàm Superior ipsius dispensare poterunt: itaut Pœnitentiam à Parocho impositam mutare, aut diminuere iusta de causa possit; tum idem Parochus, tum Episcopus ipsius, tum etiam Papa: & impositam ab Episcopo; tum ipse tum, Papa:

Nu.89. Tertia propositio est, Ab æquali, imò & ab inferiori Confessario posse ex iusta causa minui vel mutari satisfactionem à Pœnitente acceptatam. De hac est quidem difficultas aliqua; & in vtranque partem authores refert Suarez *tom. 4. disput. 38. sect. 10. num. 4.* Sed vt idem notat, ea est communis sententia, quæ probatur ex eo, quòd talis modus minuendæ vel mutandæ pœnitentiæ, sit in vsu: vt Sotus, *qui contrariam partem sequitur*, fatetur *in cit. art. 3. sub finem.* Deinde, quòd omnes Confessarij respectu eorum peccatorum, in quæ iurisdictionem habent non impeditam, sint æquales in munere confessiones audiendi & absoluendi, cum proferant vltimam & definitiuam sententiam, tanquam immediati ministri Christi. Quare sicut ad perfectam potestatem Confessarij, atque ad perfectum Sacramenti pœnitentiæ vsum, maiúsque remedium animarum, pertinet vt vnus & idem Sacerdos, iterata ei confessione possit mutare impositam satisfactionem, vel de ea aliquid demere ob bonam dispositionem Pœnitentis (qui nimirũ multo melius dispositus accedit quàm prius: siue quia maiorem habet contritionem, siue quia aliis viis satisfecit, aut lucratus est indulgentias) sic etiam in diuersis Sacerdotibus sufficientem habentibus potestatem, idem contingere existimandum est. Quod confirmatur: quia Pœnitens antea factam confessionem iterare potest: vt eidem Confessario, sic & diuerso idoneo, cuius prudenti iudicio, impositio satisfactionis perinde relinquitur, ac si nondum de talibus peccatis facta esset confessio. Istud enim iudicium tale est, vt ad bonum Pœnitentis ordinatum: in fauorem eiusdem, sit super eamdem causam iterabile: non quidem per modum appellationis: sed per modum noui iudicij, æqualis iudicio præcedenti: quorum iudiciorum neutrum officit alteri: sed ipsum in sua integritate relinquit: eoquod reus in pœnitentiali foro, fauorem hunc obtineat, vt super iisdem peccatis si velit sæpius iudicari possit, siue ab eodem, siue à diuersis habentibus sufficientem iurisdictionem. Ac cum Deus sit contentus vna competenti satisfactione (iuxta illud quod dicitur, non iudicare bis in idipsum *23. quæst. 5. cap. Quid ergo ex Nahum, cap. 1.*) Pœnitens ipse non tenebitur plures pluribus illis iudiciis competentes pœnitentias sibi impositas implere; sed vnam quam libuerit: quod etiam Suarez notat *in seq. num. 7. sub finem.*

Nu.90. Atque ex his satis constat infirmum esse argumentum allatum à Soto pro contraria sententia. Nempe quòd quiuis Sacerdos pœnitentiam iniungens sit Iudex absolutus, suo tantùm superiori subditus, cùm par in parem non habeat imperium: ideóque alius ipsi æqualis vel inferior, sententiam ipsius mutare nequeat. Respondetur enim ex dictis constare, quòd in hac iudicij iteratione par in parem non exerceat imperium: sicut nec idem exercet in seipsũ. Nam posterius iudicium non instituitur ad derogandum priori; sed ad consulendum Pœnitenti, in cuius fauorem talis iteratio conceditur; vt ei liberum sit pœnitentiam nouam præsenti dispositioni accõmodatiorem suscipere, omissâ eâ quam in præcedenti confessione admiserat. Sic ergo fit (absque hoc, quòd par in parem exerceat imperium, aut inferior in superiorem) prout Nauar. *in Enchir. cap. 26. nu. 22.* expressit; vt Episcopus Pœnitentiam à Papa, & Parochus ab Episcopo impositam possit iusta de causa mutare, aut diminuere.

Nu.91. Excipe tamen cum Syluestro *Confessio 1. quæst. 27.* & cum Rosella *Confessio 2. nu. 2.* nisi certum sit, quòd Superior reseruauerit sibi talem mutationem, aut diminutionem: aut nisi crimen, pro quo imposita est pœni

pœnitentia, fuerit Superiori reseruatum: circa quod inferior sicut nihil potest quoad culpam, vt Pœnitentem ab ea absoluat: ita nec quoad pœnam, quæ per Ecclesiæ clauem imposita fuerit, eidem culpæ annexam. Vnde quia eiusdem potestatis clauium est, absoluere à culpa, & ligare ad pœnam: fit vt inferior sicut circa absolutionem à reseruatis, ita circa satisfactionem pro eis à Superiore impositam, nihil possit, misi de ipsius licentia. Quam, *vt memorati authores inquiunt*, præsumitur dare, quando ipse non potest facilè adiri, necessitásque vrget, vel vtilitas suadet fieri satisfactionis ab ipso impositæ commutationẽ aut diminutionem. Videri potest Suarez *in cit. sect. 20. num. 13. & sequent.* Atque addi ex Nauar. loco citato; cùm spes adest breui adeundi Superiorem, qui pro reseruatis imposuit pœnitentiam, huius impletionem differendam esse potius, quàm ab alio Sacerdote faciendam ipsius mutationem vel diminutionem. Cæterùm non debet Confessarius præbere se facilem in mutanda vel minuenda pœnitentia, quam alius imposuit: tum ne obsit bonæ æstimationi alienæ; tum ne petentibus præbeatur occasio facilitatis non implendi suas pœnitentias. Potius ergo remittendi sunt ad Confessarios qui illas imposuerunt, si commodè adiri possint; sin minus agendum est iuxta antedicta.

Nu.92. Quarta propositio (pro qua plures authores refert Suarez *in præced. num. 16.*) est, Superiorem qui habet potestatem dandi indulgentias, posse pœnitentiam ab alio impositam relaxare pro quantitate indulgentiarum quas dare potest. Ratio est: quia per indulgentias remitti potest pœna debita pro aliqua culpa. Ergo & tolli obligatio satisfaciendi pro illa. Aduerte autem incidenter, ex Nauar. *in commentario De indulgentiis notabile 31. num. 9.* ex communiter receptа sententia abusum esse, quorundam vsum, qui nullo vel suo vel Pœnitentis muniti priuilegio, ei concedunt indulgentias. Nam inferiores Episcopo nihil tale posse, nisi ex Superioris, id est, Papæ vel Episcopi priuilegio; patet *ex cap. Accedentib. De excessib. Prælat.* Ideoque audiendi non sunt contrasentientes, quorum meminit à Vivaldo *in priore parte candelabri aurei cap. De indulgentiis num. 6.*

Aduerte etiam quod *loco cit.* monet Suarez, posse per indulgentias remitti pœnitentias impositas vt satisfactorias sunt, non item prout sunt medicinales: quia indulgentia non datur in destructionem, sed in ædificationem animæ. Tollere autem medicinam curatiuam peccati, magnum est detrimentum animæ. Quare non est ad id instituta potestas dandi indulgentias: neque ea intentione detur. Vnde infert idem author, his temporibus, consideratõ modo quo Pœnitentiæ imponi solent, nunquam licere propter indulgentias omittere impositas: vtpote quæ ordinariè sunt leuissimæ, & quæ vix sufficiant per modum medicinæ præseruatiuæ à peccatis in futurum: ac quæ requiruntur saltem ad Sacramenti integritatem, & ad obedientiam suo Iudici exhibendam, atque ad assuescendum bonis operibus. Vnde sumi potest ratio eius quod Henriquez habet *in sua summa multis* authoribus in margine citatis *lib. 5. cap. 22. §. 6. lit. B.* concessâ indulgentiâ etiam plenariâ Iubilæi, non debere Pœnitentem se reputare liberum à pœnitentiæ iniunctæ præcepto.

Nu.93. Restat dubium, An iterari debeat confessio peccatorum, pro quibus imposita est satisfactio, quando hæc iusta de causa minuenda, est aut mutanda. De qua re Franciscus à Victoria *De Sacram.* & Nauar. *in Enchir.* ille *num. 211.* & hic *cap. 26. num. 22.* sentiũt non esse necessariam talem iterationem. Sotus verò *in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 3. sub finem*, idem censet qui-

dem si clauis erranerit, id est, si prior Confessarius minùs improportionatã peccatis aut Pœnitenti, pœnitentiam imposuerit; quia tunc potest talis relaxatio extra confessionem fieri: atque adeo fieri, à Sacerdote, non tantùm vt Confessario est habens iuridicam authoritatem ea declarandi quæ pertinent ad Pœnitentis sibi subditi conscientia; sed etiam vt pius doctor. Qua ratione ad ferendum rectum iudicium, nihil is amplius requirit, quàm vt sufficienter informetur de tota re: quòd potest fieri sine Sacramentali confessione, & faciendum esset si doctor qui consuluitur, non esset Sacerdos, cum de ignotis nemo prudenter iudicet. Si autem clauis non erranerit, sed pœnitentia fuerit debitè imposita, vult Sotus ne Superiorem quidem posse mutare aut minuere impositam, nisi audita confessione peccatorum pro quibus imposita est. Quod idem asserens Suarez *in cit. sect. 10. num. 8.* bene probat: quia in Pœnitentiali foro, potestas eadem est ligandi ac soluendi. Quare sicut Superior non potest extra confessionem ligare seu imponere pœnitentiam Sacramentalem: ita nec potest ab illa soluere, seu illam mutare. Confirmatur: quia talis mutatio est actus iuridicus iudicij fori pœnitentialis: sicut & impositio, quæ per eamdem aufertur. Requirit ergo Sacramentalem confessionem; sine qua prædictum iudicium esse non posse, satis declarauit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5.

APPENDIX.

De indulgentiis, cuius prima pars est de illis secundum se.

MAGISTER dicta de satisfactionis relaxatione, exigunt vt per modum appendicis adiungamus tractatum de lucratione indulgentiarum, quibus suppletur satisfactio à nobis iusto Dei iudicio subeunda pro peccatis nostris. Suppletur inquam, dũ per potestatem in Ecclesia relictã; Christi satisfactio sic nobis applicatur, vt pœnæ quas ille pertulit, in iudicio ipso diuino admittantur in compensationem illarum quas ex rigore iustitiæ deberemus pro peccatis nostris sustinere. Atque Bellarminus *in cap. 1. libri prioris de indulgentiis* & Henriquez *in summa Theologiæ moralis initio libri 7.* referunt magno numero doctores de indulgentiis tractantes, quibus nouissimè accesserunt Gregor. à Valen. tum in speciali libro de illis edito; tum ad D. Thomam *tomo 4. disput. 7. quæst. 20.* & Franciscus Suarez *tomo item 4. disput. 49. & sequentibus.* Considerandæ sunt autem secundum se primò; deinde quoad concessionem; & tandem quoad acquisitionem earum. Atque de ipsis secundum se potest ad praxim nobis propositam sufficere, vt declarata vi nominis, ea tradantur ex quibus pendet res per ipsum significata, quidque eadem res sit, definitione explicetur.

CAPVT IX.

De nomine indulgentiæ, & iis ex quibus ipsa pendet.

SYMMARIVM.

94 *Qua acceptione nomen indulgentiæ sumatur in hac tractatione.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

95 *Homo peccans sit reus culpæ, simul & pœnæ, non tamen liberatus omnino à culpa, simul liberatur omnino à pœna.*

96 *Hominis iusti (Christo excepto) bona opera meritoria sunt tantum operanti: satisfactoria verò aliis quoque possunt esse.*

97 *In Ecclesia est thesaurus satisfactionum, non modo Christi, sed etiam Sanctorum.*

98 *Eædem satisfactiones nobis applicari possunt, & prodesse.*

99 *Ratio qua id probatur.*

100 *De satisfactionibus Sanctorum quatenus possunt nobis applicari, monita notanda.*

101 *Potestatem esse in Ecclesia dandi à Christo concedendi indulgentias, Concil. Trident. & decernit & confirmat.*

102 *Concedi possunt indulgentiæ extra Sacramentum.*

Nu. 94. DE nomine indulgentiæ notandum est, ex vi vocis significare lenitatem quandam, præsertim patrum erga filios; & sumi apud prophanos autho. es, tum in malam partem, vt idem sit quod blãda & licentiosa permissio: siue (vt Quintilianus *lib. 1. Rethoric. instit. cap. 2.* interpretatur) mollis educatio: tum in bonam partem, vt sit quædam lenitas & clementia, qua homo ab iis quos habet sibi obnoxios, non exigit omnia secundùm rigorem iustitiæ: quo modo sumpsit Cicero ad Atticum, cùm dixit. Cæsarem pro sua indulgentia in omnes, probaturum spero. Ad rem autem præsentem id nomen non est translatum, habita ratione prioris acceptionis, quasi indulgentia hîc significet aliquid permissum in Ecclesia contra legem Dei, vel peccandi licentiam ab Ecclesia concessam: quia indulgentia de qua hîc agitur respicit peccata præterita; denotans quandam eorum relaxationem, in qua cernitur iustitia coniuncta cum misericordia. Indulgentia autem acceptione illa profanâ, respicit peccata futura, denotans vt diximus illorum licentiosam permissionem, quæ misericordiæ speciem quandam habet, iustitiæ nullam. Translatum est igitur habita ratione posterioris acceptionis, quæ quadrat optimè cum re præsenti; in eo consistẽte, quòd Deus non exequatur in nos rigorem eum quem sua iustitia exigere videtur, vt ipsi soluamus quam debemus pœnam: sed nobis indulgeat, vt per potestatem à Christo in Ecclesia relictam, eiusdem Christi satisfactio nobis applicetur; itaut pœnæ quas ille pertulit, in compensationem earum quas ex rigore diuinę iustitię nos pro peccatis nostris sustinere deberemus; admittantur in diuino iudicio: sicut si debita per nos contracta, ex alterius pecunia, ipso volente soluantur.

De iis ex quibus indulgentiæ esse pendet; ac 1. De peccantis reatu, & Christi ac Sanctorum superabundante merito & satisfactione.

Sectio Prior.

Nu. 95. QVod attinet ad ea, ex quibus esse indulgentiæ pendet, notandum est primò, hominem cùm peccat reum fieri culpæ & pœnæ: non eodem tamen modo, sed cùm peccat mortaliter, incurrit in culpam quâ perditur amicitia, & contrahitur inimicitia Dei, ac reatus æternæ pœnæ ignis infernalis: cùm verò peccat venialiter non perdit amicitiam Dei, nec inimicus ipsius constituitur, sed amittit feruorem amicitiæ: itaut illum cum minore intensione charitatis amet, quàm amasset sine tali peccato: fitque reus, non quidem pœnæ æternæ, sed pœnæ temporalis, in hoc vel in futuro sæculo luendæ. Licet autem reatus pœnæ sequatur ad hunc modum ex culpa; tota pœna tamen non tollitur semper culpa sublatâ: sed plerumque post huius remissionem, aliquid illius superest luendum: prout definitur in Concil. Trid. *sess. 14. cap. 8. & Can. 11.* abundéque confirmat aduersus nostri temporis hæreticos Bellarm. *in tom. 2. controuer. lib. 4. De pœnitentia.* Ad nostrum autem institutum sufficere possunt dicta in præced. num. 2. Quomodo verò ex culpa sequatur de necessitate pœna, nec tamen pœna tota tollatur sublata culpa: similitudine (quam ex D. August. *lib. 15. De Trinitate* D. Thomas habet *in quodlibeto 2. art. 16.*) declaratur: quòd vt ad infixionem teli sequitur vulnus, non autem ad reuulsionem, sequitur sanatio vulneris: ita ad peccati patrationem sequatur quidem reatus pœnæ, non autem ad remissionem culpæ, remissio totius pœnæ. Telum, inquiunt illi, peccati abstrahitur per remissionem peccati, sed vulnus sanatur per reformationem imaginis, quæ fit per opera satisfactionis. Nu. 96.

Notandum est 2. bona opera hominis iusti, seu existentis in gratia Dei; sicut habent quòd sint bona, & quòd pœnalia, ita etiam habere quòd sint meritoria, & quod satisfactoria. Meritoria quidem, tum vitæ æternæ, tum augmenti gratiæ: iusto enim propter sua bona opera, datur augmentum gratiæ in hac vita, & post mortem gloria æterna. Satisfactoria verò sint pro temporalibus pœnis quæ debentur pro peccatis venialibus, aut mortalibus iam quoad culpam quidem remissis, sed nondum quoad totam pœnam. Inter eos verò bonorum operum effectus discrimen cernitur, quòd nullus homo iustus præter Christum possit alteri homini augmentum gratiæ mereri per sua bona opera, sicut potest sibiipsi; etiãsi vnus interdum alteri à Deo impetret auxilium ad opera perficienda, per quæ ipse sibi mereatur: possit autem vnus iustus pro altero, vt & pro seipso, quoad pœnam satisfacere. Ratio huius discriminis est, quam D. Anton. tangit *in 1. parte, tit. 10. cap. 3. §. 1.* quòd solus Christus sibi & aliis plus meruerit quàm acceperit, vel accepturus sit in seipso: tantummodo enim in seipso accepisse gloriam sui corporis, & celebrationem sui nominis, Theologi in tractatu de incarnatione docere solent: inquientes non accepisse animę gloriam propter sua merita, sed propter vnionem hypostaticam ante omne meritum: ideoque supersit ex ipsius meritis quod aliis communicetur: non item ex meritis aliorum iustorum, quibus etiam supra cõdignum merces rependitur: iuxta illud ad Romanos 8. Non sunt eondignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.]

De hac re logi potest Greg. de Valentia tom. 4. disput. 1. qu. 19. puncto 3. vbi eam satis perstrinxit sub breuitatemque tradit.

Nu. 97. Præter Christum autem multi Sancti fuerunt qui plus satisfecerunt, quàm ipsi deberẽt: vt qui ob nullà aut pauciſſima, eáque venialia sua peccata, nullius aut modicæ tantùm satisfactionis debitores fuerunt: multis autem bonis operibus satisfactoriis abundarunt: quò factum est vt satisfactiones ipsorum superabundarent superarẽtque pœnas suis illis peccatis debitas. Ad quod confirmandum facit illud Iob. cap. 6. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.] Illud item, quod B. Virgo Maria nullum vnquam habuerit peccatum, & bonorum operum illius tanta fuerit copia, vt iudicetur in ea cæteros omnes Sanctos perinde superasse, ac mare omnia flumina superat in aquæ copia. Itémque illud quod sancti Apostoli & Martyres plurimi

plurimique alij iusti, plus pœnę tẽporalis amore Dei pertulerint, quam suis peccatis deberetur cùm innocentissimam vitam egerint, à peccato tanquam à facie colubri fugientes. Quæ cùm ita sint relinquitur tum Christi immaculati agni, tum sanctissimæ Matris suæ ac plurimorum Sanctorum satisfactiones non fuisse ipsis applicatas, cùm non haberent debita. Neque dici potest eas periisse ac sine fructu conseruatas esse in complacentia & acceptatione Dei; quia consequenter dici deberet contra definitionem Cõcil. Trident. *sess. 14. cap. 8.* nostras satisfactiones non niti Christi satisfactionibus. Item D. Paulus *in posteriori ad Corinthios cap. 8.* decepisset Corinthios ipsos, cùm eis spem absolutè fecit, fore vt per Titi, & alterius quem cum eo ad illos miserat, bona opera; ipsorum spiritali inopiæ subueniretur. Absolutè enim inquit, vt illorum abundantia vestræ inopiæ sit implementum. Id quod non minus ad inopiam satisfactionis, quàm ad aliam quamcumque spiritalem, potest referri.

Nu. 98. Iam verò eaſdem Christi & Sanctorum superabundantes satisfactiones nobis applicari ac prodesse, qui satisfactione indigemus, consentaneum esse dicere, sic ostenditur. Sacræ literæ *ad Rom. 12. prioris ad Corinth. 12. ad Eph. 4. ad Coloss. 1.* nobis proponentes Ecclesiam tanquam vnum quoddam corpus, & fideles in eodem corpore tanquam membra sibi inuicem coniuncta, apertè significant, quòd vt in eodem corpore, membra suis officiis sibi mutuo prosunt quoad possunt: sic fideles in Ecclesia, alios aliorum spiritali indigentiæ subuenire quãtum possunt: & proinde vi charitatis qua inter se vniuntur, bona opera sua facere ea intentione, *saltem implicita*, vt prosint alij aliis, quos iuxta legem charitatis diligunt sicut seipsos: atque adeo si quid ex iisdem bonis operibus supersit satisfactionis, vltra necessaria ad remissionem pœnæ temporalis propriis peccatis ipsorum debitæ, id aliis satisfactione indigentibus communicetur. Et ita in Ecclesia, ratione prædictæ vnionis (perinde scilicet ac in familia ratione cognationis, hæreditas ab vno derelicta transit in alterum) satisfactiones eorum qui illis non indigent, fiunt aliorum qui illis indigent: quibus conuenienter applicatæ acceptantur à Deo in solutionem pœnæ temporalis debitæ peccatis ipsorum; perinde ac si proprias suas offerrent. Atque istud est quod sibi volunt Catholici cùm iuxta Clementis Sexti definitionem *in Extrauag. Vnigenius De pœnitent. & remiss.* ac Leonis decimi, *in bulla De indulgentius contra hæresim Lutheri edita anno Domini 1518. quinto idus Nouembris*, affirmant in Ecclesia militante esse thesaurum meritorum seu satisfactionum Christi ac Sanctorum, ex quo subueniatur indigentibus satisfactione: dispensando nimirum eis aliquid de ipsis Christi & Sanctorum satisfactionibus; quibus tanquam alienæ pecuniæ ex communi ærario sumptæ, exoluant sua debita. In hôcque indulgentiarum ratio & origo consistit.

De aliis ex quibus idipsum esse indulgentiæ pendet, nempe de thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum, déque potestate illum dispensandi.

Sectio Posterior.

Nu. 99 NOtandum est tertiò, Christi merita superesse sufficienter non tantùm ad culpæ & pœnæ æternæ remissionem, iustificationémve nostram, iuxta Concil. Trident. *sess. quinta cap. 3. & sess. 6. cap. 2. & 7.* sed etiam ad remissionem pœnæ temporalis debitæ peccatis nostris (qua ex parte constituunt thesaurum ante memoratum) patere ex sancta Scriptura quæ docet Christum plus nobis profuisse, quàm Adam obfuerit *ad Rom. cap. 5. vers. 15.* Inde enim consequens est, quòd cùm peccatum Adæ non tantùm culpam sed etiam pœnam temporalem inuexerit; merita Christi non tantùm ad culpæ, sed etiam ad pœnæ temporalis remissionem nobis valere. Docet item merita Christi superabundare ad peccatorum remissionem, cùm in sequenti *vers.* 20. dicitur, Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia:] & *in cap. 1. Epist. ad ephes.* cùm dicitur, In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ quæ superabundauit in nobis.] Similiter patet ex eo, quòd vnus iustus possit pro alio satisfacere, & per consequens merita iustorum aliqua ratione ad eumdem memoratum thesaurum pertinere. Namque *ad Coloss. 1.* inquit D. Paulus, Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quòd est Ecclesia.] Vbi aduertendum est quod ipse absolutè loquendo, nec determinando vllum modum quo id agere intenderet, significauerit suam voluntatem fuisse, vt suæ passiones (quas vocat passiones Christi, quia in vtilitatem Ecclesiæ, quæ corpus est Christi mysticum, conferebantur) prodessent Ecclesiæ omni ratione, omnique titulo quo poterant: præsertim cùm tanta ipse ferueret charitate, vt non solùm superimpendere sed etiam superimpendi optaret pro animabus aliorum *ex cap. 12. posteriorís ad Corinth.* Tales autem passiones potuerunt prodesse ad satisfaciendum pro temporali pœna peccatis debita; cùm id commune sit omni operationi hominis iusti, quatenus ea molestiam aliquam habet, & est coniuncta cum gratia. Quare Apostolus intendebat etiam inter cætera, vt ad remissionem pœnæ temporalis prodessent iis qui satisfactione indigerent. De quare pluribus agere non est necessarium ad nostrum institutum. Cui sufficere potest sequentia vlterius monuisse,

Nu. 100. Primum est, merita Sanctorum non addi meritis Christi, quasi hæc sine illis non sufficiant ad constitutionem thesauri, ex quo possint sumi satisfactiones pro omnium hominum peccatis. Namque sola constituunt infinitum & inexhaustum, iuxta illud 1. *Ioann. 2.* Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.] Et illud *Clementis 6. in cit. Extrauag. Vnigenitus.* Propter vnionem hypostaticam suffecisset modica gutta sanguinis Christi pro redemptione totius humani generis.

Secundum est, non esse necessarium vt merita Sanctorum ad thesaurum pertineant, totam pœnam temporalem per illa auferri posse; sed quod saltem minima possit, quódque deest ex parte illorum, suppleatur per merita Christi. Tertium est, hoc quod dicimus de meritis Sanctorum, meritis Christi non derogare magis, quàm quod dicitur de propriis meritis quibus iustus potest pro seipso satisfacere. Hoc inquam patere, quia sicut Christi merita possent nobis sufficere sine satisfactione Sanctorum, ita etiam possent sine vlla nostra satisfactione. Verumtamen, sicut nihilominus conuenit nos aliquid facere: ita etiam conuenit in Ecclesia, alios aliorum ad instar membrorum, sentire auxilium, vnde agnoscant se communione Sanctorum indigere.

Quartum est, in Ecclesia non alium quidem quàm Christum, dare nobis vitam æternam, gratiam, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatorum remissionem: iuxta illud *Act.* 4. Non est in aliquo alio salus:] quoad alias tamen vtilitates, inter quas est remissio pœnæ temporalis debitæ peccatis; iuuari possumus à Sanctis tanquam membra à membris eiusdem corporis mystici sub Christo capite.

Nu. 101. Notandum est 4. relictam esse à Christo in Ecclesia potestatem antedictum thesaurum dispensandi suis membris indigentibus. Id quod Concil. Trident. *sess.* 25. *in decreto de indulgentiis* definit confirmátque per illud *Matth.* 16. Quodcumque solueris super terram erit solutum & in cœlis.] Cùm enim dicitur, *quodcumque*, intelligitur omne vinculum tam culpæ, quàm pœnæ: quandoquidem tam hoc quàm illud impedit ingressum in regnum cœlorum. Item per illud *Ioann.* 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:] quod cùm absolutè & sine restrictione dicatur, intelligendum est de peccatis: tam quoad pœnam, quàm quoad culpam. Præterea per antiquissimum eiusdem potestatis vsum in Ecclesia: de quo constat *ex posterio. ad Corinth. cap.* 2. vbi D. Paulus dicitur aliquid pœnæ Corinthio fornicario remisisse. Quod fecisse vtendo potestate relicta à Christo in Ecclesia concedendi indulgentias, bene aduersus hæreticos ostendit Gregor. à Valen. in citato libro de indulgentiis cap. tertio. Neque obstat quòd olim non concederentur indulgentiæ tam largæ quam nunc: quia tunc non fuit tanta necessitas, quanta nunc est largas concedendi: eoquod Christiani longè quàm nunc feruentiores erant in bonis operibus: vnde fiebat vt non indigerent tantopere indulgentiis, quàm nos. Iisiusmodi potestatem aduersus hæreticos propugnant idem Greg. à Valen. & Bellarm. *ille in cit. cap.* 3. *& sequen.* 4. hic verò *in libro priore de indulg. cap. item* 3. *&* 4. de eáque multa disputat Suarez *tomo* 4. *disput.* 49. *sect.* 1. 2. *&* 3. Sed pro praxi satisfecit nobis proposita doctrina Concilij Trident. pro qua rationes habet Sotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 1. Contenti erimus vnam attigisse, quòd frustra esset in Ecclesia supra memoratus infinitæ valoris thesaurus, nisi Christus in illa reliquisset clauem, quâ is aperiretur, id est, potestatem, qua is dispensaretur indigentibus. Hinc ergo, vt habet Leo decimus in memorata bulla, Christus in Ecclesia reliquit claues, quarum esset aperire regnum cœlorum suis fidelibus, tollendo illius ingrediendi impedimenta; culpam scilicet & pœnam pro actualibus peccatis debitam, tam quidem mediante Sacramento Pœnitentiæ pœnam verò temporalem pro actualibus peccatis secundum diuinum iustitiam debitam, mediante Ecclesiastica indulgentia. Hæc Pontifex.

Nu. 102. Ex quibus intelligitur, vt potestatis in Ecclesia à Christo relictæ, meriti ipsius applicati nobis: non tantùm in Sacramento; sed etiam extra Sacramentum. Quod Sotus loco citato confirmat ex eo, quòd absolutæ dictum sit à Christo: Quodcumque solueris;] & Quorum remiseritis peccata &c.] Inde enim intelligitur non cum restrictione, sed absolutè accipiendam esse potestatem, per illa verba relictam in Ecclesia, relaxandi peccata. Quo modo eam accepisse, nec ad Sacramentum restrixisse meritò putandus est S. Paulus, qui Corinthio absenti indulgentiam authoritate Christi concessit: cum Sacramentum conferatur tantùm præsentibus. Quod verò dicitur Ecclesiam non habere potestatem remittendi peccata nisi Sacramentis alligatam, intelligendum est de mortalium remissione quoad culpam, requirente infusionem diuinæ gratiæ, quam ministri Ecclesiæ non nisi per Sacramenta possunt conferre. Remissio autem peccati quoad pœnam; culpâ prius remissa, non requirit gratiæ infusionem, ideóque potest authoritate Ecclesiæ sine Sacramento fieri.

CAPVT X.

De definitione indulgentiæ, quâ quid rei sit explicatur.

SVMMARIVM.

103 *Definitio indulgentiæ.*
104 *Cur indulgentia dicatur remissio.*
105 *Quomodo dicatur esse pœnæ remissio, cùm quædam dentur & a pœna & a culpa.*
106 *Responsio ceteris accommodatur.*
107 *Cuius pœna indulgentia sit remissio.*
108 *Explicatio aliquot partium tradita definitione.*
109 *Indulgentiæ non sunt piæ fraudes Ecclesiæ, vt impiè dicunt hæretici.*
110 *Etiam perfectorum est, quærere indulgentias.*
111 *Vsus legitimus indulgentiarum multa requirit, quæ non facile conveniunt.*

Nu. 103. QVID rei sit indulgentia, potest aliquatenus ex iam dictis colligi; quod plenè declaratur per definitionem traditam à Nauarr. *in Commen. de indulgentiis, notab.* 20. quæ dicitur esse remissio pœnæ temporalis debitæ peccato actuali Pœnitentis, extra Sacramentum ab Ecclesiastico Prælato, ob rationabilem causam facta, compensando eam ipsam pœnam ex Ecclesiæ thesauro satisfactionum.

Nu. 104. Indulgentia autem vt in hac definitione, sic & in Extrauag. Vnigenitus, *De Pœniten. & remiss.* dicitur remissio, quia per eamsit quædam relaxatio & condonatio, in qua simul interueniunt misericordia & iustitia. Sicut enim cùm pro damnato ad triremes, alius substituitur, qui eam pœnam sustineat; aut pro debitore centum aureorum, soluitur ex ærario publico: misericordia est, quòd is qui debet non soluat de suo: iustitia verò, quòd non liberetur à debito sine plena solutione: sic in indulgentia misericordia est, quod pro vno detur satisfactio ex pœna alterius; iustitiæ verò, quòd is plene satisfaciat pœnæ debitæ. Dicitur deinde, *Pœnæ*, ad differentiam remissionis culpæ, quæ fit per Sacramentum, non per indulgentiam.

Nu. 105. Si dicas inueniri concessas indulgentias à pœna & à culpa. Respondent aliqui illud verbum, *a culpa* non esse profectum à Sede Apostolica: sed à quæstuariis. Cui responsioni fauet, quod in Concil. Trident. *sess.* 25. *in decreto de indulgentiis*, causa abusuum in populo Christiano circa indulgentias, refertur ad prauos quæstus factos pro illis consequendis. Quæ responsio nó satisfacit, quia Nauar. *in citato Comm. notab.* 10. *num.* 18. ait suæ ætate passim in Gallia appellatas esse indulgentias à pœna, & à culpa: itaut probabile sit sub ea forma fuisse profectas à Summo Pontifice. Aliter ergo idem *in præced. num.* 16. censet respondẽdum esse, ac dicendum cum D. Anton. 1. *par. tit.* 10. *cap.* 3. §. 4. indulgentiam à culpa dici improprie; nam proprie tantùm est à pœna; cuius solius per se directèque est remissio, & culpæ tantùm ex accidenti ac indirectè: nempe quòd dicta remissio pœnæ per indulgentias, supponat in illo qui eam consequitur, omnis mortalis culpæ remissionem; cum non possit concedi existenti in peccato mortali: sed vt habetur *in Clemen. Vnigenitus, De pœnitẽt. & remissionibus*, solis verè pœnitentibus & confessis, id est, iis qui per contritionem

tionem & confessionem sunt suorum peccatorum mortalium veniam consecuti. Sed quia ista ratione vna indulgentia nó est magis à pœna & culpa, quàm alia: & Sedes Apostolica vtens prædictâ formâ in quarumdam indulgentiarum concessione; meritò censetur significare, se circa culpæ remissionem aliquid operari, quod non operatur in aliarum concessione: non enim frustra & temere fit, quod aliquando exprimat culpæ nomen, quod solet vt plurimum reticere.

Nu. 106. Vnde potest conuenientiùs responderi cum Palud. in 4. dist. 20. quæst. 4. sub finem, talem indulgentiam dici à culpa; non quidem mortali circa quam Ecclesia nihil potest nisi per administrationem Sacramenti, sed veniali: ad cuius remissionem cùm possit Ecclesia ipsa instituere Sacramentalia (prout meminimus in *præsed. lib.* 5. *cap.* 4. *sect. prima.*) potest etiam indulgentiam sic concedere, vt opus pium (quod iuxta post dicenda ad eam lucrandam requiritur) velut recitationem septem Psalmorum pœnitentialium, aut largitionem certæ eleemosynæ, aliúdve simile: instituat in Sacramentale, ad culpæ venialis remissionem, quam sine Sacramento fieri posse, patet ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5.) sicut instituit deuotam aquæ benedictæ sumptionem, aut generalis confessionis recitationem, aut Episcopalis benedictionis susceptionem; itaut vi talis institutionis per prædictum pium opus, tanquam per Sacramentale quoddam (non autem per indulgentiam cuius causa illud suscipitur) omnes veniales culpæ remittuntur, si indulgentia sit ab omni culpa & pœna? vel earum pars aliqua, si quæ fuerit determinata in indulgentiæ concessione. Quod dicere minus habet periculi, quàm illud quod habet & sequitur Gregor. à Valen. ad D. Thomam *tom.* 4. *disput.* 7. *quæst.* 20. *puncto* 3. *col.* 1881. indulgentiam dici à pœna: & à culpa, quia cùm remissione pœnæ conceditur facultas, eligendi Confessarium qui absoluat a quauis culpa.

Nu. 107. Dicitur 3. *temporalis*, quia pœna æterna quæ debetur peccato mortali, non tollitur per indulgentiam, sed per contritionem & pœnitentiæ Sacramentum, quo peccatum ipsum mortale remittitur. Id quod habetur etiam ex ante memorata Extrauag. Porro pœnam temporalem dicimus, quæ ad tempus luenda est in Purgatorio pro peccatis propriis, nisi in præsenti vita redimatur.

Dicitur 4. *debitæ actuali peccato*: quoniam pœnæ peccato originali debitæ, vt mors, fatigatio, morbus, & id genus aliæ, non remittuntur per indulgentias

Dicitur 5. *Pœnitentis*: quia non Pœnitenti indulgentia non conceditur, ex eiusdem Extrauagãtis verbis expressis, quæ Nauarr. expendit *in cit. comment. notab.* 17. Aduerte autem simpliciter dici *Pœnitentis*, non autem copulatiue pœnitentis & confessi, sicut in ead. Extrauag. habetur: quia indulgentia concedi potest Pœnitenti, qui non est confessus actu, vt in eod. comm. tractat Nauarr. *notab.* 18. & in sequentibus suo loco declarabitur.

Nu. 108. Dicitur 6. *extra Sacramentum facta*, ad differentiam remissionis quę in Sacramento fit pœnę temporalis, cum qua conuenit quidem, quòd vtraque sit temporalis pœnæ peccatis debitæ; sed differt, quòd facta per indulgentiam, sit cum compensatione per quam de thesauro Ecclesiæ tantum soluitur, quantum indulgentiam ipsam acquirenti remittitur. Sacramentalis verò sine compensatione sit, per diuinam liberalitatem: vt ex Palud. post D. Anton. Nauar. habet *in præcedenti notab.* 10. *nu.* 21. *&* 22. Ac probat, quia diuinam magnificentiam decet nobis miseris cum animorum iusta demissione peccata confitentibus, aliquid pœnæ condonare, sine respectu ad alterius solutionem & satisfactionem.

Dicitur 7. *à Prælato Ecclesiastico*: quoniam ea quæ fit à Rege, vel alio Iudice laico non est indulgentia de qua loquimur: vtpote quam solus Prælatus Ecclesiasticus, prout postea docebitur, concedere potest.

Dicitur 8. *ob rationabilem causam*: quia, vt expressum est in ante memorata Extrauag. Christus commisit thesaurum indulgentiarum dispensandum per D. Petrum & ipsius successores, propriis & rationabilibus de causis: & *in cap. Cum ex eo, de pœnit. & remiss.* damnantur indiscretæ indulgentiæ.

Quod reliquum est in definitione, excludit remissiones pœnę temporalis peccatis debitę, factas etiam extra Sacramentum per orationes, ieiunia, eleemosynas, & alia bona opera eius qui est in Dei gratia. Tales enim remissiones non comprehenduntur nomine indulgentiæ: quia non fiunt cum compensatione satisfactionum ex thesauro Ecclesiæ.

Atque ex his satis liquet illud, quod habetur in formula professionis fidei, posita in quadam Pij Quarti bulla quæ est vna ex illis quæ circunferuntur cum Conc. Trid. salutarem esse indulgentiarum vsum legitimum. Liquet item Ioannis Vviclef damnati in Concil, Constantiensi *sess.* 8. atque hæreticorum nostri temporis (aduersus quos in Conc. Trid. *sess.* 25. editum est decretum de indulgentiis) impiam esse sententiam, qua asserunt indulgentias ad nihil aliud valere, quàm vt sint piæ quædam fraudes, quibus mater Ecclesia falsis præmiis indulgentiarum propositis, ad pia opera suos filios excitat; nempe ad ieiunia, peregrinationes, audiendum verbum Dei & similia: perinde ac mater prouocat paruulum filium ad ambulandum præmonstrato pomo, quod postea non dat ambulanti: talis enim sententiæ falsitatem proposita definitio ostendit aperte, declarando naturam indulgentiæ consistere in eo, vt per illam in Christi corpore, quod est Ecclesia, pœna de se satisfactoria vnius membri innocentis, iusta de causa applicetur satisfactioni pœnæ alterius membri nocentis eiusdem corporis: non secus ac in homine linguâ vel manu peccante, terga verberantur in talis peccati pœnam. *Nu.* 109.

Quod autem quidem etiamsi prædictum vsum non improbarent: negarunt tamen perfectorum esse indulgentias quærere; reiicitur à Nauarr. *in comment. De indulg. notab.* 5. Tum quia velle indulgentias, est velle per alienas pœnas satisfacere diuinæ iustitiæ modo debito: quod cùm licitum bonúmque sit, erit & meritorium in Dei gratia factum, & per consequens viro perfecto dignum. Tum quia cupere dissolui & esse cum Christo, perfectorum est; & per consequens, velle tollere impedimenta quæ remorarentur à conspectu Christi si mori contingeret: de quorum impedimentorum numero essent pœnæ illæ quæ per indulgentias relaxantur. *Nu.* 110.

Obiicientibus autem perfectorum esse amplecti pœnas & sitire crucem Christi: indulgentiam autem quærere, sit eas fugere. Respondet idem author, imperfectionis quidem esse indulgentiam quærere vt ea habita tepidè Christo inseruias, minúsque medelæ, & cautelæ impendas peccatis vitandis ac radicibus eorum extirpandis: non autem quærere vt Deo per alienas pœnas debito modo satisfacias: quod in se, *vt prædiximus*, bonum est & meritorium: neque est malum ex eo, quòd tollat executionem satisfactionis, quæ valet ad meritum & ad medicinam aduersus peccata. Nam quod quis relaxationem satisfactionis sibi impositæ à Confessario, sit per indulgentiam consecutus, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non impedit quin (vt communiter consulitur) eamdem impleat ad consequendas salutares quos profert fructus.

Nu.111. Porro legitimus indulgentiarum vsus tunc contingit, cùm in eo concurrunt omnia quæ postea dicentur requiri ad illarum concessionem & acquisitionem. Sicut verò non est facile talem vsum contingere, ita nec est difficile multos, *præsertim socordes*, decipi putantes se potiri fructu indulgentiarum, cum res secus habeat. Possunt multi alij errores per eandem definitionem confutari: vt contendit Gregor. à Valen. *in lib. de indulgen. cap.* 2. Sed in ea re tanquam remotiore à praxi nobis proposita, non immorabimur: videri potest Suarez *tom.* 4. *in tertiam par. disput.* 49. *sect.* 5.

CAPVT XI.

De illis, à quibus possint indulgentiæ concedi.

SVMMARIVM.

112 *Summus Pontifex potest, ac solus potest plenam indulgentiam conferre.*
113 *Episcopi, & Superiores Prælati infra Papam, possunt ex officio conferre indulgentias.*
114 *Extra proprium dioncsim lucrandas, dare possunt suis: vita functis autem, tanquam non subditis, dare nequeunt.*
115 *Nullus Episcopo inferior potest ex officio indulgentiam dare, ne quidem si exemptus, potestatem in suos habeat quasi Episcopalem.*
116 *Ex commissione Papæ vel Episcopi, potest quicumque Clericus indulgentias concedere.*
117 *An possit Laicus ex Papæ commissione.*
118 *Invalidam esse indulgentiam Pœnitenti à Confessario non Episcopa concessam propria authoritate: vt & concessam ab Episcopo excommunicato non tolerato.*
119 *Qui comprehendantur nomine subditorum, quibus potest Episcopus indulgentiam concedere.*
120 *Indulgentia ab Episcopo concessa supra modum ei à iure determinatum, quatenus valeat.*
121 *Qualis sit Legati Apostolici & Summi Pœnitentiarij facultas concedendi indulgentiam.*
122 *Nec Vicarius Episcopi, nec Capitulum sede vacante, potest concedere indulgentiam, nisi ex commissione.*
123 *Episcopus confirmatus à Papa, aut per huius literas prouisus, nondum tamen consecratus, potest indulgentiam concedere.*
124 *Abbates aliique Religiosarum familiarum Superiores nequeunt indulgentiam concedere, etiamsi possint facere participes bonorum operum sui ordinis.*
125 *Documenta ostendentia differentiam inter communicationem eiusmodi operum & indulgentiam.*

QVæ spectant ad eos qui possunt indulgentias concedere, & ex communi Doctorum sententia haberi notat Iosephus Angles *in* 2. *par. Florum Theolog. cap. De indulgen. art.* 3. *sub initium*, ista sunt.

Nu.112. Primò, Romanum Pontificem Petri successorem & Christi in terris Vicarium, posse concedere indulgentias, tum particulariter vni, vel alteri; tum generaliter multis, ac etiam omnibus Christi fidelibus, pro remissione vel totius vel partis pœnæ temporalis debitæ peccatis ipsorum. Id quod patet tum authoritate Extrauag. communis Vnigenitus, De pœniten. & remiss. tum etiam ratione: quia Summus Pontifex obtinet in Ecclesia summum principatum: ideoque plenissima dispensatio thesauri satisfactionum Christi & Sanctorum, quo in communi ditata est Ecclesia, ei competit; perinde ac dispensatio communium bonorum reip. summo illius principi competit.

Secundò solum Romanum Pontificem posse concedere indulgentiam plenam. In quo Doctores *ad cap. Quod autem, De pœniten. & remiss.* consentire notat Nauar. *in comment. de indulg. not. ab.* 31. *num.* 2. Patet verò ex eo, quòd cæteri Prælati, non nisi certi temporis, & solis suis subditis possint indulgentiam concedere, vt paulo post docebitur. Quod autem Nauar. consequenter ex Panormit. & Felino excipit Concilium legitimè congregatum: Suarez *tomo* 4. *disput.* 55. *sect.* 1. ostendit non habere locum, si ipsum Concilium sumatur vt condistinctum à Summo Pontifice: sed tantùm vt Summus ipse Pontifex ei per se, aut per suos legatos præsidet, & tanquam caput cum membris in vnum corpus mysticum coalescit. Fundamentum ipsius est, quòd Christus soli D. Petro dixerit *Matth.* 16. Tibi dabo claues regni cœlorum,] & *Ioan.* 21. Pasce oues meas.] Cætera qui volet apud eumdem videat, Scholastici potius, quàm præsentis instituti propria.

Tertiò, præter Summum Pontificem, Episcopos & superiores Prælatos ex officio indulgentias conferre: non tamen vt illum plenas & pro tota Ecclesia; sed quæ non sint plurium quàm quadraginta dierum; aut quando Ecclesia, siue ab vno Episcopo tantùm siue à pluribus dedicatur, vnius anni: iuxta expressam determinationem generalis Concilij Lateran. relatam *in cap. Cum ex eo de pœniten. & remiss.* innouatam à Bonifacio 8. *in cap. Finali eodem tit. in* 6. Item quæ non pertinent ad omnes fideles iuxta definitionem Innocentij tertij *in cap. Quod autem, De pœniten & remiss.* Et ratio est: quia sicut illi non sunt Prælati totius Ecclesiæ, quibus tanquam summis Principibus conuenit plena bonorum communium dispensatio; sed sunt quasi secundarij Principes sub summo constituti; quibus cùm aliqua tantùm pars Ecclesiæ attributa sit regenda, dispensatores sunt quidem thesauri satisfactionum, qui in Ecclesia conseruatur: possúntve indulgentias concedere; sed non plenas, & intra vnam tantùm Ecclesiæ partem sibi attributam, nempe *ex cap. Nostro, De pœniten. & remiss.* Archiepiscopus, intra suum Archiepiscopatum, & Episcopus intra suum Episcopatum *prout glosa annotat ad verbum Prouinciam.*

Quodquidem ex Palud. *in* 4. *dist.* 20. *quæst* 4. *art.* 3. *principali concl. quarta*, intelligendum est quoad personas, non quoad locum. Nam cùm indulgentiæ dentur personis, non autem loco, Episcopus indulgentiam quadraginta dierum sicut & licentiam confitendi alieno, dare potest suis subditis visitantibus locum aliquem pium extra ipsius Diœcesim. Quam Paludani sententiam sequitur Suarez *in ead. disput.* 55. *sect.* 3. *nu.* 17. Sed improbat in præcedenti numero 6. quod ille subiungit si plures Episcopi similiter faciant suis subditis: atque Episcopus loci omnes ibidem concessas confirmet, illos qui sunt de confirmantis diœcesi visitantes talem locum, posse tot quadragenas indulgentiarum lucrari, quot ab illis pluribus Episcopis sunt concessæ. Improbationis rationem adfert: quòd ea confirmatio ad talem effectum non habeat aliam vim, quàm delegationis propriæ potestatis: quæ non est maior quàm concedendi indulgentiam 40. dierum. Eam autem concessam alicui loco non potest multiplicare per se: etsi successor ipsius, *vt idem docet consequenter num.* 7. potest eidem

eidem loco concedere similem indulgentiam: quam vtramque, subditi ipsius lucrati poterunt: vt & eam quæ eidem loco concessa adhuc esset ab Archiepiscopo.

Nu.113.

Nu.114

Nu.115. Quartò: nullum Episcopo inferiorem posse ex officio indulgentiam concedere. Hoc patet ex cap. Accedentibus, De excessibus Prælat. Et ratio esse potest, quòd potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ competat ministris ipsius, prout expedit ad Ecclesiastici ministerij finem, qui est eiusdem Ecclesiæ vtilitas: ad quam expedire vt talis thesaurus distribuatur tantùm per Summum Pontificem, & Episcopos, patet: quia ipsi soli in Ecclesiæ communitate locum obtinent Principũ (ad quos solos pertinere solet reis pœnas debitas remittere) vt de Summo Pontif. manifestum est: & de aliis Episcopis ex eo probatur, quòd quisque Episcoporum tanquam Princeps præsit suæ diœcesi: quæ propter varietatem fidelium quos complectitur, formam quandam habet Reip. in qua ei qui præest competit communi vtilitati prospicere: siue puniendo sontes, siue relaxando pœnas. Quodquidem nequit dici de inferiorib. Prælatis, qui regunt conuentus vel Parochias tanquam familias quasdam, non tanquam Rempub. aliquam: itaut non sint tam Principes, quàm Principum quidam coadiutores. Neque obstat quod aliqui sint exẽpti, iurisdictioné habentes quasi Episcopalem: quia probabile est Summos Pontifices, sicut soli tanquam summi Principes eam acceperũt à Christo: sic etiã solis Episcopis tanquam propriis & ordinariis Ecclesiæ Principibus: illam iure ordinario communicasse: vt satis intelligitur *ex cit. cap. Accedentibus.* Ostendit quoque proposita ratio, quòd cùm Papa toti Ecclesiæ præsit, omniúmque curam debeat gerere: non item alij Episcopi, potestatem conferendi indulgentias illi competere plenè, nó item his: sed ea ratione, vt in eis illa possit ab ipso Papa limitari ac restringi.

Nu.116. Vltimò ex commissione Papæ vel Episcoporum, posse quemque Clericum indulgentiam concedere. De hoc plenius Suarez *in sequen. sect.* 6. sed nobis sufficit id constare ex eo, quòd indulgentiæ concessio, actus sit haud requirens Sacerdotalem ordinem (sicut Sacramentalis absolutio, aut pœnitentiæ Sacramentalis impositio requirit) sed contentus sola Papali aut Episcopali iurisdictione. Ad quam quæcumque spectant, delegabilia esse sententia est (teste Nauar. *in* 1 *citato not ab.* 31. *num.* 8.) recepta communiter. Quæquidem delegatio, tanquam muneris Ecclesiastici, debet quidem fieri Clerico: non est tamen necesse vt fiat initiato Sacerdotali, alióve sacro ordine; etiamsi deceat eam Episcopo fieri potius, quàm alteri Sacerdoti: & huic quàm alteri Clerico data opportunitate.

Nu.117. An autem possit ex commissione Papæ laicus indulgentias conferre disputari solet: sed nobis sufficit paucis ea de re monere: non videri tale quid negandum plenitudini potestatis quam Papa habet à Christo: quandoquidem eiusmodi collationis minister, non est iure diuino particulariter designatus, sicut est absolutionis Sacramentalis.

Documenta pro praxi ex antedictis deducta.

Nu.118. NAuar. ibidem à num. 9. ex antedictis deducta aliquot documenta notatu digna adfert. Primum est abusum esse, si Confessarius inferior Episcopo, Pœnitenti quem Sacramentaliter absoluit, indulgentiam concedat nullo munitus ad id proprio vel Pœnitentis priuilegio: quia id præstare non potest ex officio, quod de iure annexum est dignitati Episcopali, vt patet *ex cit. cap. Accedentibus.* Videri potest Suarez *in ead. disput.* 55. *sect.* 4.

Secundum est, Episcopum & Superiores Prælatos excommunicatos nominatim, aut ob notoriam Clerici percussionem, non posse indulgentiam concedere: quia per *cap. Audiuimus* 24. *quæst.* 1. carent vel suspensi sunt omni iurisdictione: quam indulgentiæ concessio requirit necessariò; cùm hæc sit quidam illius actus. Scelcratos autem perinde ac sanctissimos posse eas concedere: quoniam per peccata mortalia iurisdictio, non tollitur neque suspenditur secundum omnes teste Nauar. *loco cit. num.* 11.

Tertium est Episcopum & Superiores Prælatos infra Papam, non posse indulgentiam aliis concedere quàm subditis suis. Quo nomine comprehendi omnes pertinentes ad ipsorum diœcesim: non modo eos in quos possunt omnes actus iurisdictionis exercere, sed etiam exemptos Palud. *in* 4. *dist.* 20. *qu.* 4. *art.* 3. *principali concl.* 4. bene probat ex eo, quòd neque taliũ intentio fuerit petere, neque Papæ cõcedere exemptionem in ipsorum malum, seu detrimentum, quo carerent fructu indulgentiæ concessæ ab Episcopo, cæteris illo gaudentibus in eadem diœcesi. Præterea congruenter *cap. Quod autem, De pœnitent. & remiss.* comprehendi eos quibus fuerit à suis superioribus facta potestas talem indulgentiam quærendi. De quorum Superiorum numero esse Parochum *ad idem cap. Quod autem verbo Iudices*, attigit glosa communiter (teste Nauar. *in sequenti num.* 13.) recepta. Nec obstat quod Parochus non possit dare indulgentiam, quia vt Palud. argumentatur *in præced. concl.* 3. si Curatus nondum Sacerdos potest alteri Curato suos subiicere, à quo accipiant Sacramentalem absolutionem, quam ipse dare non potest: poterit quoque eosdem subiicere Episcopo, vt ab eo accipiant peccatorum indulgentiam, quam ipse nequit illis conferre. Postremo comprehendi eos, qui mediatè saltem, sunt subditi: vt Archiepiscopo censentur esse, qui sunt de Episcopatu suffraganeorum ipsius: iuxta cap. Pastoralis, De offic. Ordinarij: quibus ipsum posse indulgentiam concedere habetur expresse *ex cap. Nostro, De pœniten. & remiss.*

Nu.119.

Quartum est, indulgentiam ab Episcopo vel alio Superiore Prælato infra Papam vltra modum ante traditum *ex cap. Cum ex eo, De pœnit. & remiss.* concessam, non valere *ex cap. fin. eod. tit. in* 6. nisi quoad id quod ipse concedere potuit, vt ibidem annotat glosa communiter teste Nauar. *loco cit. nu.* 16. recepta. Videri potest Suarez *in eadem disput.* 55. *sect.* 3. *num.* 11. & aliquot sequentib.

Nu.120.

Quintum est: quòd secundùm glosam ad cap. finale, De officio legati (communiter receptam teste Nauar. *in sequenti num.* 25.) Legatus Apostolicus intra fines suæ legationis potest indulgentiam concedere etiam perpetuam: id ei non conuenire ex officio, sed (prout explicat Suarez *in cit.* 3. *sect. num.* 22.) ex generali vel speciali commissione Papæ. Adde pariter ex commissione tantùm, Summo Pœnitentiario competere quòd possit concedere indulgentiam centum annorum, prout idem Nauar. meminit *in eodem notabili* 31. *num.* 17. Namque sola Episcopalis dignitas est, cui tale officium annexum est iure ordinario: etsi dici potest, quod ex Panormit. subiungit Nauarr. Summum ipsum Pœnitentiarium talem potestatem obtinuisse consuetudine præscripta, sciente ac tolerante Papa.

Nu.121.

Sextum est, neque generalem Episcopi Vicarium neque Capitulum Sede vacante, habere potestatem concedendi indulgentias: ne si quidem consuetudo sit in contrarium, vt ex Calder. habet Nauar. *in eodem not ab.*

Nu.122.

Universidad de Deusto
Biblioteca

notab. 31. *num.* 6. quod tamen intelligendum est de consuetudine secundùm se, & vt est quidam communis vsus, qui nihil in hac re potest nisi accedat authoritas Papæ illam scientis & approbantis. Videri potest Suarez *in sequenti sect.* 4. *nu.* 2. & 3. Neque refert quòd Capitulum succedat Episcopo in iurisdictione, quia numquam succedit in dignitate: cui, *vt ante habitum est*, de iure potestas istiusmodi coniuncta est, & quasi ei reseruata.

Nu. 123. Septimum est, eos qui in Episcopos aut Superiores dignitates electi sunt, & confirmati à Summo Pontifice; etiamsi non sint in Episcopos consecrati, immò etiamsi nondum sint Sacerdotes, posse indulgentiam conferre secundùm D. Thomæ, & Panorm. sententiam communiter receptam vt habet Nauar. *in præced. num.* 4. Addens idipsum quoque esse dicendum de promisso per literas Apostolicas, siue eum præsentatione, siue absque illa. Id quod Suarez approbat *in præced. sect.* 3. *num.* 18. Ratio verò esse potest quòd illi per dictam confirmationem vel promissionem præficiantur populis, quos regunt tanquam proprij ipsorum principes Pastores: quod est acquirere Episcopalis dignitatis iurisdictionem: cuius actus quidam est, concessio indulgentiarum.

Nu. 124. Octauum est: Abbates aliorúmque religiosarum familiarum Prælatos concedentes suis indulgentiã, id generali aut speciali priuilegio, tanquam Papæ vel Episcopi commissarios facere, aut nullius valoris concessionem esse. Nam illi non sunt de numero Prælatorum quibus commissa est dispensatio communis thesauri Ecclesiæ: cùm non polleant Episcopali dignitate. Neque refert quòd possint bona opera & satisfactiones suorum subditorum aliis accommodare (vt censentur cùm omnium bonorum sui ordinis, participes faciunt bene de eo meritos) quia id non est concedere indulgentiam, seu applicare alienas satisfactiones sumptas ex communi Ecclesiæ thesauro: cùm illi ex hoc nihil sumere possint: ne quidem ipsas suorum satisfactiones in eodem thesauro iam repositas: vt censentur repositæ omnes præteritæ superabundantes: siquidem eo ipso quòd necessariæ non fuerunt ipsis ad satisfaciendum pro scipsis, neque fuerunt particulariter applicatæ aliis, accesserunt ad communem Ecclesiæ thesaurum. Itaque possunt tantùm satisfactiones subditorum futuras applicare aliis, sicut subditi ipsi per se possent singuli suas, & quilibet etiam laicus, posset suas: ex Nauar. *in eodem notab.* 31. *num.* 18. Qui etiam habet in præced. num. 14. Episcopum posse facere participes bonorum, quæ fiunt in suo Episcopatu, eos qui sunt alterius Episcopatus, etiam Episcopo ipsorum inuito, quia id aliud quid est ab indulgentia. Itémque *in seq. num.* 20. *& tribus sequentibus* infert ex hac doctrina sequentia documenta.

De hac re Sotus *in* 4. *dist.* 21. *qu.* 1. *art.* 4 *sub finem* & latiùs Suarez *in ead. disp.* 55 *sect.* 5.

Nu. 125. Primum est, dictam communicationem bonorum operum non tollere obligationem adimplendi pœnitentiam à Confessario impositam, quam indulgẽtia tollit. Secundum est, illam non reuocari per eas bullas indulgentiarum quibus omnes aliæ indulgentiæ suspenduntur. Tertium est, vno nomine talem communicationem videri commodiorẽ, quàm indulgentiam: eoquod nimirum, illa non tantùm, sicut hæc, prosit ad satisfactionem pro temporali pœna in præsenti vel in futuro seculo subeunda; sed etiam valeat de congruo, ad obtinendum augmentũ diuinæ gratiæ in anima conseruatæ: aut ad se præparandum ad illius perditæ recuperationem & ad bene operandum, ac firmius fortiusque resistendum Dæmoni, mundo, & carni. Altero autem nomine censeri minus commodam: nempe quòd per indulgentiam pœna peccatis debita certius soluatur, cùm talis satisfactio fiat ex thesauro infinito, qui deficere nequit: facta verò per dictam communicationem nitatur meritis satisfactoriis, quæ superfunt communitati, omnia valoris finiti, & interdum pauca, aut etiam nulla, propter ipsius communitatis superuenientem necessitatem, cui omnia applicantur.

CAPVT XII.

De causis legitimis concedendi indulgentias.

SVMMARIVM.

126 *Pia causa necessaria est ad validam concessionem indulgentiæ.*
127 *Obiectio in contrarium cum solutione.*
128 *Quis actus talem causam continere censeatur.*
129 *Notanda pro eiusdem causa sufficienti intelligentia.*
130 *Difficultas de proportione requisita inter indulgentiam, & ipsam causam piam.*
131 *Non esse necessarium ad validitatem indulgentiæ vt causa pia, propter quam datur, æquiualeat ei.*
132 *Sed quæcumque pia causa sufficere potest, vt indulgentia valeat; non tamen vt sit discreta.*
133 *Obiectio in contrarium cum solutione.*
134 *Magnæ indulgentiæ concessæ pro causis piis quæ apparent paruæ, quo modo excusentur.*
135 *Quid sit respondendum obicientibus abusum.*



Nu. 126. OMMVNIS Doctorum consensus est (*vt initio 7. cap. lib. de indulg.* Gregor. à Valent. & Suarez *tomo 4. disput. 54. sect. 1. num. 2.* notant) vt indulgentia sit valida, non sufficere voluntatem concedentis, sufficientem concedendi potestatem habẽtis: sed adhuc requiri causam piam, id est, iuxta D. Anton. *in 1. part. tit. 10. cap. 3. §. 2. versu 2.* opus aliquod ad Dei honorem, & proximorum Ecclesiæve vtilitatem ordinatum. Cuius tanti consensus ratio est: tum quod in Concil. Constan. sub finem inter articulos de quibus interrogandus esset suspectus de hæresi Vvielefi, tunc grassantẽ, iste ponatur à Martino quinto, Num credat Papam omnibus Christianis verè contritis & confessis, ex causa pia & iusta posse indulgentias concedere in remissionem peccatorum: tum quòd Clemens sextus in Extrauag. communi Vnigenitus, De pœnit. & remiss. aperte dicat Christum commisisse thesaurum indulgentiarum, dispensandum per Papam & ipsius successores, propriis & rationabilibus de causis. Quod idem dixit Leo decimus *in Bulla de indulgentiis edita anno Domini* 1518. *quinto idus Nouembris.* Accedit quòd Innocentius tertius *in cap. Cùm ex eo de pœniten. & remiss.* damnet indulgentias indiscretas: quales censentur quæ sine rationabili causa dantur. Accedit quoque ratio: quia Prælati non sunt domini thesauri indulgentiarum, sed tantùm dispensatores, vt citata verba *Extrauag. Vnigenitus* satis ostendunt: proindéque non habent potestatem aliquid ex illo sumẽdi, nisi secundùm intentionem Christi & Sanctorum ex quorum bonis, id est satisfactionibus, ille constat. At Christi & Sanctorum intentio fuit, vt non nisi in Ecclesiæ vtilitatem, & diuinæ gloriæ incrementum memoratus thesaurus dispensaretur. Nec enim dubium est quin omnia sua retulerint in eum finem. Quæ cùm ita sint, vt indulgentia validè conferatur, præter sufficientem conferentis authoritatem, requiritur causa pia seu iusta, & rationabilis.

Nu. 127. Si quis opponat relaxationem pœnitentiæ à Confessario iniunctæ, factam etiam sine causa à Romano Pontifi

Pontifice, posse ita valere; vt is cui iniuncta est non teneatur illam implere. Respondet Nauar. *De indulgen. notab.* 15. *num.* 11. posse quidem Papam, etiam sine vlla causa; indulgentiam concedere, quâ tollat obligationem implendi pœnitentiam iniunctam; non tamen quâ pœnam condonet taxatam iudicio Dei pro peccato remisso: quia quantumuis iure humano constituta (de quorum numero est pœnitentię impositio tanquam facta ab homine) si bene constituta sint non debeant sine iusta causa destrui: eorum tamen destructio, sine iusta causa per Papam facta, tenet: non verò destructio eorum quæ sunt iure diuino constituta, eiusmodi esse istud, vt indulgentia non detur sine iusta ac rationabili causa; ratio paulo ante proposita satis ostendit, & latius tractat Suarez *in citata sect. 1. & sequen. 2.*

De causa pia requisita ad concessionem indulgentiæ.

SECTIO I.

Nu. 128. PORRO dicta pia causa (vt ex Cajet. habet Gregor. à Valent. *non longè à citato initio*) contineri potest quocumque actu, ex quo aliqua Ecclesiæ vtilitas, aut Dei gloria redundet: siue per se, siue ob aliquem respectum, quem is habeat ad aliquid ex quo talis vtilitas vel gloria proueniat, aut probabiliter existimetur prouentura, etiamsi res secus forte habeat: vt v. g. quando Papa pro indulgentia obtinenda, aliquod pium opus faciendum iniungit in eum finem, vt inter duos principes stabiliatur pax, quæ videtur cedere in Ecclesiæ commodum, & reuera cedit in detrimentum.

Potest item esse: tum actus exterior, vt recitatio aliquarum precum, eleemosyna, peregrinatio: tum interior, vt meditatio passionis Christi, examen conscientiæ, &c. Potest quoque esse non modo actus proprius, sed etiam alienus, vt est ille quo continetur pia causa, pro qua defunctis indulgentia per modum suffragij conceditur: is enim executioni mandatur, non ab ipsis defunctis, sed ipsorum nomine à viuis. De qua re postea suo loco. Potest præterea esse non modo actus futurus quem tunc oporteat exequi, cùm acquiritur indulgentia: sed etiam præteritus; vt cùm morientibus indulgentia datur propter opera bona quæ ipsi, vel alij fecerunt: neque aliud siue ab ipsis, siue ab aliis loco ipsorum faciendum exigitur: prout ex Durando & quibusdam aliis consequenter refert Gregor. à Valen. & Nauar. attigit *in comment. De indulgen. notab.* 22. *num.* 36. Potest denique esse actus alioqui debitus & positus in præcepto. Quod cum Angelo & Cordub. contra Syluestrum idem Gregorius tenens, in illius ac præcedentium confirmationem adfert: quòd omnibus illis modis indulgentia concedatur ob causam quæ in Ecclesiæ vtilitatem & Dei gloriam cedat. Quodquidem, iuxta antedicta, sufficit vt Ecclesiæ thesaurus censeatur secundùm Christi & Sanctorum intentionem dispensari. An autem quælibet talis causa ad indulgentiam necessaria, debeat eidem æquiualere, nec quantulacumque causa pia ad quantamcumque indulgentiam sufficiat, difficile est statuere: nostro autem instituto satisfaciemus notando sequentia.

Nu. 129. Primum est: distinguendum esse in hac difficultate inter causam propriam indulgentiæ, seu relaxationis pœnæ temporariæ pro peccatis debitæ; & causam propriam concessionis indulgentiæ; hæc enim est opus aliquod pium iuxta antedicta; illa verò est Christi & Sanctorum satisfactiones peccatori applicatæ ex thesauro Ecclesiæ.

Secundum est: non esse necessarium ad validitatem indulgentiæ, vt opus pium pro quo ipsa datur, in complacentia & acceptatione diuina æquiualeat remissioni per indulgentiam ipsam factę; alioqui enim eadem remissio esset referenda ad idipsum opus, quo (vtpote æquiualente) tota compensaretur: non autem in dispensationem thesauri Ecclesiæ. Quodquidem dicere, est indulgentiæ vim & rationem tollere, vt patet ex definitione illius tradita in præced. cap. 1. 6.

Tertium est, rationabilem esse alicuius indulgentiæ causam, intelligi posse dupliciter; primò de ea quæ ad hoc sufficit, vt indulgentia vere, validéque detur secundùm intentionem Christi & Sanctorum, quorum sunt ea bona quæ dispensantur. Secundò, de ea quæ ad hoc sufficit, vt secundùm intentionem prædictam, indulgentia non modo verè & validè, sed etiam discretè, & sine scandali periculo concedatur. Quo posteriore intellectu, communiter admittitur causam rationabilem non censeri quamcumque piã, sed quę si non absolutè, saltem secundùm proportionem æquiualeat indulgentiæ: ita scilicet vt quanto maior indulgentia conceditur, tanto maiorem causam piam suppetere oporteat. Id quod recta ratio sic dictat, vt contraueniendo agatur indiscretè, & pusillis occasio detur contemnendi indulgentias, tanquam res parui momenti: aut quæ potius ad viuendi licentiam quàm ad vitæ emendationem facere videantur: aut etiam existimandi Prælatos à quibus conceduntur dissipatores potius esse quàm dispensatores bonorum alienorum: satisfactionum, inquam Christi, & Sanctorum, ex quibus conflatur Ecclesiæ thesaurus.

Explicatio difficultatis de proportione requisita inter indulgentiam, & causam piam propter quam illa datur.

SECTIO POSTERIOR.

Nu. 130. DISSENSIO verò est inter Doctores (quorum sententias discutiunt Gregor. à Valen. & Suarez: ille *in antea cit. cap.* 7. & hic *tom.* 4. *disput.* 54. *sect.* 3.) Num vt causa priore intellectu rationabilis censeatur absolutè sufficiens ad verè validéque concedendam indulgentiam, satis sit eam esse pium opus, quantumcumque non æquiualeat eidem indulgentiæ. Atque ad explicationẽ, omissa subtiliore discussione, *quam memorati authores, ei qui volet suppeditabunt*, contenti erimus pro praxi notare vnum ex tribus dici debere in hac re. Primum est, indulgentiam non valere nisi opus pium propter quod datur, remissioni quæ propter illud datur æquiualeat, saltem ex affectu & deuotione operantis. Secundum est, indulgentiam datam pro opere pio non æquiualenti, valere quidem, non tamen absolutè quantum ipsa sonat, sed secundùm eam proportionem, qua suæ causæ respondet: vt si concedatur indulgentia centum annorum pro opere quod æquiualeat tantùm indulgentiæ viginti annorum: implendo illud non centum, sed viginti tantùm annorum indulgentia acquiratur. Tertium est, quamcumque causam piam sufficere, vt indulgentia valeat, eámque proinde valere tantùm quantùm sonat: etiamsi fieri possit, vt is qui indulgentias maximas, propter causas minimas concedit, peccet ex quadam indiscretione, aut ratione alicuius scandali inde sequentis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu. 131. Primum autem propterea non videtur dicendum, quòd tollat omnem indulgentiarum vim; cùm commune sit omnibus operibus bonis, vt tantum valeāt, quantum est boni affectus in operante: ideóque inutilis esset indulgentia, sine qua tantundem ac cum ea obtineretur. Nec fauet quod Bonifac. Octauus *in Extrauag. Antiquorum. De pœnitent. & remiss.* postquam concessit plenissimam indulgentiam iis qui centesimo quoque anno visitauerint Basilicas vrbis Romæ, subiunxit vnumquemque eo plus meriturum & indulgentiam efficaciùs consecuturum, quo Basilicas illas deuotiùs visitarit. Nam aduerbium illud *efficaciùs* non potest significare excessum ex parte indulgentiæ, cuius ibi mentio est; quia cùm sit plenissima, non potest plenior reddi, vt rectè glosa *verbo consequetur*, explicat. Significare ergo videtur excessum eum quem notat Gregor. à Valen *sub finem cit. cap.* 7. vt is qui deuotiùs peregerit opus illud pium, possit moraliter certior esse de consecuta ea plenissima indulgentia.

Sed neque secundum dicendum esse; patet ex eo, quòd habeat incommodum graue; nempe Summum Pontificem constitutum à Christo in Ecclesia magistrum veritatis, in quodam vsu muneris sui, quantum in se est, decipere aliquando totam ipsam Ecclesiam. Etenim si Summorum Pontificum indulgentiæ non valeant absolutè quantum sonant, sed solùm secundùm proportionem causæ piæ propter quam dantur, deceptio in illarum concessione contingit: cùm ex vna parte iidem Pontifices loquantur absolutè, dicentes se tantam indulgentiam tale opus facientibus concedere: nullatenus indicata necessitate eâ æquiualentiæ secundùm proportionem, quam aliqui authores inducunt (de ea Suarez *in cit. sect. 3. nu.* 3. & 4.) & ex altera parte fideles bona fide se tantam indulgentiam consequi existiment, quanta proponitur si præstiterint illa quę ad eam consequendam imponuntur facienda, nihil cogitantes de prædicta necessitate. Quare decipiuntur, quod est graue incommodum.

Nu. 132. Quocirca restat vt tertium videatur dicendum cum ipso Gregor. à Valen. & pluribus aliis (quorum tum idem tum Suarez meminerunt: ille *in eod. cap.* 7. *proponens* 4. *sententiam*, & hic *in præced. num.* 1.) quod & vsui in Ecclesia recepto, & intentioni Christi ac Sanctorum consentaneum esse, non ægrè sibi persuaserit is, qui sequentia considerauerit. Primum est, nemine repugnante, ad indulgentiam concedendam non requiri causam equipollentem, vt v. g. ad indulgentiam 20. dierum concedendam, non esse necessarium talem causam interuenire, quæ per se mereatur tantam remissionem pœnæ, quantam in satisfactionem pro viginti dies subire peccata commissa merentur: sed aliam minorem, quæ censeatur rationabilis esse, cur Prælatus eamdem 20. dierum pœnam relaxet. Quanto autem minor esse possit, solum Deum certò scire, sicut & quanta pœnitentia debeat à Confessario imponi, vt ea ad satisfaciendum pœnæ pro peccatis confessis debitæ, sufficiat adæquatè.

Secundum est, in hoc dispensationis genere, Christum & Sanctos noluisse exercere tam proportionalem iustitiam cuique iuxta suum meritum plus aut minus tribuentem, quàm gratiam & liberalitatem, vt nomen ipsum indulgentiæ indicat, quo Ecclesia talem dispensationem censuit appellandam.

Tertium est, minimam gloriam diuinam, quæ ex quocumque opere pio Ecclesiéque vtili redundare potest, pluris fieri à Christo & Sanctis, quàm quodlibet pium opus satisfactorium, vt satisfactorium est; cùm eamdem gloriam constituerint omnium suarum satisfactionum finem; neque ipsi vereantur ne constatus ex eis thesaurus, *cùm infinitus sit*, aliquando deficiat, quantumcumque pro paruis operibus magnæ indulgentiæ concedantur.

Sed obiicitur in contrarium, quòd nulla minima *Nu.* 133
indulgentia possit sine causa valide conferri. Ergo nec maior aut maxima indulgentia sine maiori aut maxima causa. Respondendum est verò, quòd quamuis indulgentia non censeatur secundùm Christi & Sanctorum intentionem valida, nisi detur ob piam aliquam causam: non requiri tamen maiorem vel maximam causam piam, ad maiorem vel maximam indulgentiam; nisi vt detur prudenter, neque sequatur inde offensio vel dissolutio populi, nec dantes peccent. Sicut igitur dispensator regis, id quod ad aliorum vtilitatem relictum est in domo regia; si dispensans illis, si perperam id faciat, peccat quidem, sed dispensatio est valida; quia non agit contra substantiam præcepti sui Regis; sed tantum contra modum quo præceptum secundùm intentionem illius executioni mandandum fuit. Itaque Pontifex quantumuis peccaret dando magnas indulgentias pro paruis causis, tamen daret validè.

Neque verò de tali peccato damnandi sunt Supe- *Nu.* 134
riores, quoties amplas dant indulgentias, pro causis quę nobis paruæ videntur; vt cùm plenariam pro recitatione orationis Dominicæ & salutationis Angelicæ quinquies repetita in honorem quinque vulnerum Christi, ad impetrandum aduersus Ecclesiæ hostes diuinum auxilium; & sic de similibus. Etsi enim causa per se videatur parua, tamen habito respectu ad Ecclesiæ vtilitatem & Dei gloriam (quam talis causa alio atque alio tempore potest adferre maiorem vel minorem) meritò præsumitur Pontifex cùm indulgentiam concesit compertum habuisse ex tali causa tantam Ecclesiæ vtilitatem, & Dei gloriam consecuturam, quæ sufficeret ad tantam Ecclesiastici thesauri dispensationem rationabilem. Accedit quòd si vnquam, nũc maximè locum habeat illud *cap. Fraternitatis distinct.* 24. Defectus nostri temporis quibus non solùm merita, sed etiam corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis non patitur in omnibus manere censuram. Vnde sicut in imponendis rectè & prudenter pœnitentiis, non tam spectatur quantum pœnæ pro peccatis confessis meritò debeatur; quàm quantum Pœnitens pro sua infirmitate facilè sit subiturus; multúmque receditur à taxatione quam Canones pœnitentiales faciunt; quámque olim maiores nostri vsurparunt. Sic etiam in concedendis indulgentiis, rectè & prudenter Pontifex id spectat, quod fideles (de subsidio magnopere indigentes) non sint recusaturi; ne alioqui animum despondeant difficultate rei, qui contra animãtur facilitate, adducuntúrque ad Sacramentorum vsum alioqui neglectum: & ad Ecclesiæ tum reuerentiam, cuius tantam potestatem esse agnoscunt: tum etiam amorem cuius tantam maternam pietatem experiuntur: ac demum ad glorificandum Deum, vt Patrem misericordissimum quem vident tum benignè secum agere. Vnde (vt rectè notat Alphonsus à Viual. in priore parte Candel: aurei *cap. de indulgen. num.* 11.) sine causa Sotus *in 4. distin. 21. quæst. 2. art. 2. vers. Nostris temporibus*, videtur contemnere indulgentias, vni grano benedicto, vel vni altari affixas; quibus conceditur plenaria indulgentia vel liberatio animæ à purgatorio. Nam si ob actum quantumcumque modicum contritionis Deus liberalissimè peccatori reatum pœnæ æternæ condonet: cur negabitur (non obstante quòd orationes vel alia pia opera, quæ ad tales indulgentias lucrandas iniunguntur, sint modica) condonare iustificatis certam pœnam, adhuc ipsorum peccatis præteritis debitam.

Quodsi

Nu. 135. Quod si ex ea liberalitate aliqui capiant occasionem dissolutè viuendi, vel reuocentur ab agenda pœnitentia, non est Pontificum culpa; sed talium malitia: vel concionatorum, aliorúmve qui eiusmodi indulgentias promulgant, negligentia: dum non admonent eas nihil prodesse perseuerantibus in peccato mortali; à quo exisse non sunt putandi qui vitam in eo ducere, nec pœnitentiam per quam deseratur, agere volunt. Dicentibus autem hæreticis ridiculas esse tales indulgentias, cùm aditum in cœlum faciant adeo facilem. Respondendum est, multo magis ridiculum esse quod illi dicunt sola persuasione, qua quis firmiter credit sibi remissa esse peccata per Christi merita, ipsum ita liberari ab omni culpæ & pœnæ reatu, vt nihil ei supersit quo impediatur ab ingressu regni cœlorum. Ea enim ratione peccatori inimicóque Dei, multo faciliorem faciunt viam in cœlorum, quàm nos faciamus iustificato & in Dei gratia restituto. Calumniantibus verò, interdum indulgentias dari pro certa pecuniæ summa; sicque dantes incurrere in peccatum illius cui dictum est *Actorum* 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum Dei pecuniâ possideri: occurrendum est secundùm Ecclesiæ institutum talem pecuniam nunquam exigi: vt quasi negotiatione quadam, emeretur peccatorum remissio: sed vt largitione eleemosynæ ad aliquem bonum finem relatâ, suppeteret causa idonea dispensandi per indulgentiam ex thesauro Ecclesiæ. Quodsi abusus aliqui per pastores irrepserint, eos damnat Ecclesia, vt videre est *in decreto De indulgen. sess.* 25. Concilij Trident. sicut & indiscretas indulgentias promulgari sub pœna peccati mortalis prohibet *per Clement.* 1. *De priuileg. §. Quibus etiam.*

CAPVT XIII.

De modis concedendi indulgentias.

SVMMARIVM.

136 *Pœna grauitas, quæ grauitati peccati respondet, est tum intensionis, tum extensionis.*
137 *Grauitas intensionis magis conuenit pœnæ luendæ in purgatorio, quàm grauitas extensionis: non item luendæ in hac vita.*
138 *Per indulgentiam remittitur pœna peccatis debita, non solum vt taxata à Confessario vel à canonibus Ecclesiasticis: sed etiam vt à diuina iustitia.*
139 *Soli Deo notum est quanta extensionis esse debeat pœna pro peccatis luenda in hac vita: sicut & quanta intensionis sit futura in purgatorio.*
140 *Indulgentia aliquot annorum, quomodo sit accipienda.*
141 *Distinctio indulgentiæ in plenam, pleniorem, & plenissimam, quomodo sit accipienda.*
142 *Concessio indulgentiæ, est stricte interpretanda.*
143 *Indulgentia plena seu plenaria quanam sit.*
144 *Quæ plenior, & quæ plenissima.*
145 *Corollaria ex præcedentibus deducta.*
146 *Indulgentia in forma iubilei quid amplius habeat, quam alia plenissima: & quid Iubilei nomine significetur.*
147 *Ne quidé plenissima indulgẽtia iuuat in foro externo.*
148 *Tres modi concedendi indulgentiam, relaxando tantum partem pœnæ.*
149 *Quomodo sit accipiendum, quod simul cum plena, detur aliquot dierum indulgentia.*
150 *Indulgentia data absolutè & sine restrictione, comprehendit pœnas tam iniungendas quàm iniunctas in Sacramentali confessione.*
151 *Documentum vtile pro parante se ad lucrandas indulgentias.*
152 *Indulgentia datur tum viuis tum mortuis, sed illis per modum absolutionis, & his per modum suffragij.*
153 *Indulgentia quædam à Papa immediatè datur, & quædam mandatur dari per alium.*
154 *Indulgentia quædam datur cum determinatione ad certum tempus vel locum: & quædam sine ea determinatione.*
155 *Perennis aclongi temporis indulgentia lucrifieri potest pluries, alia tantum semel.*
156 *De indulgentia concessa pro articulo mortis.*
157 *Ratio exequendi ministerium commissum indulgentiam concedendi in articulo mortis.*
158 *Indulgentiæ quæ sit duratio.*
159 *Duratio indulgentiæ quæ nec data est cum limitatione temporis, nec expresè in perpetuum.*
160 *Regula Cancellariæ eam limitantes.*
161 *Indulgentia etiam in perpetuum concessa, per reuocationem cessare potest.*
162 *Pro arbitrio potest ab habente potestatẽ talis reuocatio fieri validè, imò & licitè, nisi obstent scandalum, aut promissio facta in contrarium, aut animarum notabile detrimentum.*
163 *Non antè nocet reuocatio, quàm venerit in notitiam eorum, qui ipsâ indulgentiâ gaudebant.*
164 *Iudicium faciendum de reuocatione & suspensione indulgentiæ.*
165 *Duratio indulgentiæ non requirit durationem causæ, propter quam concessa est.*

PRÆSCRIPTVS quidem est à Christo modus quo peccata mortalia debeant ab Ecclesiæ ministris remitti, nempe Sacramentorum administratio: non item modus quo dum legitima adest causa, relaxari debeant temporales pœnæ, quibus post eam remissionem adhuc plerique manent obnoxij, sed relictus est determinationi eiusdem Ecclesiæ: quæ non vnum sed plures vsurpat.

Notanda ad talium modorum intelligentiam.

SECTIO PRIOR.

AD eos autem intelligendos notandum est primò: pœnam peccato debitam ita ei correspondere, vt quod sceleratiùs committitur, seueriùs puniatur. 24. quæst. 1. cap. Non afferamus: sítque secũdùm mensuram delicti plagarum modus *Deut.* 25.] & quantum quis se glorificauit & in deliciis fuit, tantum detur illi tormentum & luctum Apoc. 18.] & in carcerem à iudice missus, non exeat inde donec reddat vltimum quadrantem, Matth. 5.] Sícque fieri, vt ea ipsa pœna suam habeat quantitatem; tum intensionis, quæ secundùm grauitatem illius: tum extensionis, quæ secundùm maius aut minus tempus quo durat; attenditur. Quam quantitatem necesse non est æqualiter esse vtriusque modi: sed siue maior sit intensionis, quàm extensionis, siue contra: sufficit vtroque illo modo coniunctim eam correspondere peccati grauitati. *Nu.* 136.

Notandum est secundò: consentaneum esse sentire pœnam temporalem alicui peccato correspondentem, quatenus luitur in purgatorio, magnitudinem suam habere magis secundùm intensionem, quàm secundùm extensionem: quatenus verò luitur in hoc *Nu.* 137.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundo magis habere secundùm extensionem quàm secundùm intensionem, id est, magis secundùm durationem, quàm secundùm acerbitatem: quia homo in hoc mundo debet vitam suam temporalem conseruare, & operibus ad eam necessariis vacare: multum verò intensa pœnitentia, nocet temporali vitæ, nec permittit ad opera necessaria attendere.

Accedit quod extensione Pœnitentiæ, magis quàm intensione inducatur homo ad bene operandum: quod illi solemne, perpetuúmque esse debet in hoc mundo. In purgatorio autem conuenit pœnam acerbiorem esse, quàm diuturniorem: quia locus est satisfaciendi, in quo anima subiicitur rigori diuinæ iustitiæ, purgatúrque (vt habet bulla Eugenij quarti, qua continetur Sacramentorum doctrina, in Concilio Floren.) à peccatorum reliquiis: quò nitidè, ad nitidissimam Dei præsentiam & visionem admittatur. Quâ præsentiâ, illam, *Dei amicam*, longiore tempore priuari; minus conuenit, quàm breuiori tempore torqueri pœna acerbiore.

Nu. 138. Notandum est tertiò, quòd ex D. Thom. & Alberto magno habet D. Antoninus 1. *par. tit.* 10. *cap.* 3. §. 3. indulgentiam remittere non solùm temporalem pœnam taxatam à Confessario vel à Canone Ecclesiastico; sedetiam taxatam à diuina iustitia. Quod idem vult Sotus *in* 4. *distinct.* 21. *quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. cùm ait indulgentiam tantum valere, non solùm in foro Ecclesiæ, sed etiam apud Deum, quantum sonat; ita vt æquiualenter ei quod sonat, liberet non solùm ab obligatione implendi pœnitentiam à ministro Ecclesiæ impositam; sedetiam à pœna purgatorij. Quod idem patet ex supra memorata bulla Leonis decimi: in qua statuitur debere (sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Romano Pontifici reseruata) ab omnibus teneri & prædicari: omnes qui veraciter indulgentias legitimè in Ecclesia concessas fuerint consecuti: à tanta temporali pœna secundùm diuinam iustitiam pro peccatis actualibus suis debitâ liberari, quanta concessè & quæsitæ indulgentiæ æquialet. Confirmatur etiam ex eo, quod ad claues regni cœlorum, Ecclesiæ concessas à Christo, spectet tollere peccatum ex omni parte, qua impedit ingressum in cœlum: cùm absolutè dictum sit, Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis; & quorum remiseritis peccata remittuntur eis.] Impeditur autem ingressus, vt per alia, sic per pœnas temporales culpâ remissâ pro peccatis secundùm diuinam iustitiam debitas: vt ostendunt omnia argumẽta quibus doctrina Catholica de purgatorio (quę corruit illo fundamento sublato) propugnatur aduersus hæreticos: quæ videri possunt apud Bellarm. *in tomo* 1. *controuersia* 6. *lib.* 1.

Nu. 139. Notandum est quartò, quod vt soli Deo notum est in particulari, quantum pœnæ temporalis in purgatorio luendæ secundùm diuinam iustitiam debeatur cuique peccato; ita eidem soli notum esse, quàm diuturna huius vitæ pœna requiratur ad illam æqualiter compensandam: nihilominus Sanctos patres edidisse Canones quibus certæ durationis pœnitentias, pro certis peccatis præscripserunt, quas probabiliter existimarunt sufficere pro pœnis quæ eisdem peccatis secundùm iustitiam diuinam deberentur; aut si fortè non sufficerent, id quod deesset remitteretur in reconciliatione Pœnitentis.

Nu. 140. Quæ cùm ita sint duo statuuntur. Alterum est, quando aliquot annorum indulgentia conceditur, tantum pœnæ purgatorij condonari eam lucranti, quantum per totidem annorum pœnitentiam in hac vita peractam, condonatum fuisset. Quod ex Innocentio *ad cap. Quod autem De pœnitent. & remiss.* & Palud. *in* 4. *distinct.* 20. *quæst.* 4. *art.* 2. communiter receptum esse ait Nauarr. *in comment. de indulgen. not.* 11. *num.* 8. Alterum est, non esse quòd quis offendatur indulgentiis quæ dantur centum, aut mille aut plurium annorum, eoquod non soleat vita hominis esse tam longa. Nam eæ sic sunt accipiendæ, vt per illas relaxetur tantum pœnæ purgatorij peccatis, secundùm diuinam iustitiam debitæ; quantum à Pœnitente in hoc mundo redimeretur agendo pœnitentiam centum, aut mille aut plurium annorum, si tamdiu viueret. Quod nihil absurdi continere patet: quia cùm per aliquos canones admoneamur pro vnoquoque mortali peccato si graue sit, imponendam esse pœnitentiam septem annorum, sin grauius decem annorum: sin demum grauissimum quindecim annorum, ac etiam totius vitæ, vt ea correspõdeat pœnę purgatorij, talibus peccatis secundùm diuinam iustitiam debitæ; manifestum est fieri posse, vt quis egeat huius vitæ pœnitentiis centum, mille, ac etiam plurium annorum; sicut fieri potest vt centies vel millies, ac etiam sæpius se peccatis eiusmodi contaminauerit in vita sua.

Primus modus concedendi indulgentiam: nempe relaxando totam pœnam.

Sectio II.

His ita positis facile est intelligere, quod cùm varij sint modi concedendi indulgentias, primam & præcipuam varietatem illorum in hoc consistere; quòd talis concessio fiat nonnumquam relaxando totam pœnam, quam quis secundùm iustitiam diuinam luere debet in purgatorio pro omnibus suis peccatis: nonnunquam verò partem tantùm aliquam eiusmodi pœnæ remittendo: saltem per se; quod addo quia potest accidere vt indulgentia quæ conceditur quadraginta, verbi gratia, aut centum annorum sufficiat alicui ad ipsum liberandum ab omni purgatorij pœna peccatis suis debita.

Nu. 141. Cæterùm quod Sotus ait *in cit. art.* 1. *col. antepen.* priore modo concessam indulgentiam dici indifferenter tum plenam, tum pleniorem, tum plenissimam, Nauarr. *in comment. de indulgen. notab.* 9. reiicit: non quidem approbando differentiam quam Sotus ipse refert Adrianum & Summistas dare: sed aliam assignando; nimirum quòd plena dicatur quæ relaxatur tota pœna debita peccatis omnibus cõfessis; plenior verò, qua tota pœna debita, tum peccatis omnibus confessis, tum etiam mortalibus in confessione oblitis, obliuione quæ non impedierit, eorum deletionem: plenissima denique, qua tota pœna debita peccatis tam confessis quàm oblitis, támque mortalibus quàm venialibus. Fundamentum autem sic distinguendi inter se plenam, pleniorem & plenissimam indulgentiam, idem Nauarr. ponit. Tum in verbis 1. Extrauagantis communis. De pœnit. & remiss. quæ sunt: Non modò plenam & largiorem, imò plenissimam omnium suorum concedimus veniam delictorum. Hæc enim indicant Pontificis mentem esse, maius aliquid concedere quàm simpliciter concedendo plenam indulgentiam. Tum etiam in eo, quòd concessio indulgentiæ sit strictè interpretanda duabus de causis præter cæteras.

Nu. 142. Altera est quod *iuxta cap. Cum ex eo, de Pœnit. & remiss.* per illam eneruetur pœnitentialis satisfactio, tantopere nobis vtilis, & ad quam nos tanto studio Ecclesia inuitat per tot canones pœnitentiales, & per ieiunij Quadragesimalis, Quatuor temporum, & quarundam Vigiliarum, impositionem sub pœna peccati mortalis. Altera est, quòd cùm indulgentiam concedens soluat de alieno alterius debita; præsumi debeat id potius facere parcè, quàm effusè; ne cõseratur potius dissipator, quàm fidelis dispensator bonorum domini sui. At non esset stricta interpretatio, in qua tantum positiuo, quantum comparatiuo; & vtrique, quantum superlatiuo tribueretur. Quare putandum est aliquid minus concedi per plenam, quàm per pleniorem; & per hanc, quàm per plenissimam indulgentiam.

Nu. 143. Quod verò idipsum minus, aptè assignetur eo quo ante positum est modo, sic ostenditur. Quia relaxatio pœnæ peccatis confessis debitæ eadem est, ac relaxatio pœnitentiarum iniunctarum, aut quæ iniungi debuerunt à Confessario (nec enim pœnitentiæ iniungi possunt nisi pro peccatis confessis cùm cætera maneát incognita, nec sine cognitione possit in iniungendis pœnis æquitas seruari ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5.) indulgentia plena seu plenaria. (inter quæ duo nomina nihil interesse quoad significationem Nauarr. notat *in eod. not. ab.* 9. *num.* 14.) aptè dicitur quæ tollit omnes pœnitentias iniunctas, aut quæ erant iniungendæ. Sicut enim olim (de quo Nauarr. in eodem comment. notabili 11. *nu.* 15. 16. & 17.) quia vsitatior forma concedendi indulgatias erat, vt expresse ad pœnitentias iniũctas eæ restringerentur, fiebat vt plena, plenariáve indulgentia intelligeretur concessa tantùm de pœnitentiis iniũctis, nisi aliquis amplius concessum significaretur. Ita nunc quia mutata illa antiqua consuetudine videmus æquè, immo magis frequenter indulgentias concessas simpliciter quàm cum restrictione ad pœnitẽtias iniunctas: meritò plenam seu plenariam ita accipimus, vt sit qua relaxantur omnes pœnitentiæ iniunctæ, & quæ debuerant iniungi: atque adeo quà relaxatur tota pœna peccatis confessis debita. Et certè cùm olim canones pœnitentiales (quibus sufficienter taxata credebatur pœna pro vnoquoque peccato debita) essent in vsu quotidiano, *vt in citato num.* 15. ex aliis habet Nauarr. fierétque vt bona Christianorum pars, multorum annorum, quadragenarum, mentium, & dierum onerata esset pœnitentiis, meritò præsumebatur Põtifex, concedendo plenam indulgentiam, intendere animum ad illarum remissionem. Nunc autem cùm ab eorumdem Canonum seueritate ita recessum est, vt paucissimi etiam dies, ac nulli penè anni pœnitentiæ iniungantur; ne plena seu plenaria indulgentia à Papa concessa, parum aut nihil plerumque prosit; meritò interpretamur concedentis animum esse, non tantùm pœnitentias iniunctas, sed etiam eas quę iniungi debuerant sufficientes ad redimendam totam purgatorij pœnam pro peccatis confessis debitam à Pœnitente.

Nu. 144. Iam verò, si indulgentia plena, simpliciter dicatur ea, quà omnes pœnæ peccatis confessis debitæ relaxantur, meritò plenior dicetur, quæ totam pœnam temporalem peccatis mortalibus tam confessis quàm oblitis debitam, tollit: & plenissima, quæ omnem tam venialibus quàm mortalibus, tã confessis quàm oblitis pœnam condonat: cùm non possit meliori ratione explicari quid amplius valeat plenior quàm plena; & quid vtraque hæc minùs valeat, quàm plenissima. Si quis opponat plenitudinem non accipere augmentum *ex cap. Si omnia* 6. *quæst.* 1. ideóque non dari de facto indulgentiam pleniorem plena. Respondet Nauar. *in eod. not. ab.* 9. *num.* 6. quod Plenum est vno respectu, plenius esse posse altero respectu; vnde sicut modius qui vt rasus, est plenus; Potest plenior esse, vt cumulatus; ita indulgentia quę plena est respectu pœnitentiarum pro peccatis confessis iniunctarum, & iniungendarum, plenior esse poterit per additionem remissionis pœnæ debitę pro peccatis mortalibus obliuis, factam remissioni pœnæ debitæ peccatis ore confessis.

Ex quibus infertur primò, nec plenã, nec pleniorem *Nu.* 145 indulgentiam pertinere ad primum, de quo agimus modum concedendi indulgentias: cùm neutra per se tollat totam pœnam quam quis pro suis peccatis secundùm diuinã iustitiã deberet luere in purgatorio.

Infertur secundò, concessã plenã indulgentia simpliciter, non censeri concessam plenissimam nec pleniorem, cùm illa sit quid minus quàm hæc, & concessio indulgentiæ sit stricte interpretanda. Quam illationem Nauarr. consequenter habet *num.* 7. Ex quo *in num.* 10. & 15. aduerte quoque indulgentiam plenam seu plenariam omnium peccatorum, & indulgentiam plenam seu plenariam ad instar anni Iubilæi, censeri plenissimam. Nam Pontifex dicendo omnia peccata, nullum excipit cuius pœnam non relaxet; quòdque indulgentia anni Iubilæi plenissima sit, apertè constat ex secunda Extrauag. communi De pœnitent. & remiss. & per consequens, eam pariter quæ ad instar illius datur plenissimam esse, prout ipse Nauarr. ostendit *in sequenti notabili* 26. Ex quibus patet non esse confundendam indulgentiam plenam peccatorum, cũ indulgentia omnium peccatorũ aut cum indulgentia in forma Iubilæi, quoniam minor est; sicut nec confundi debet cum plenaria de pœnitentiis iniunctis, quoniam maior est: vtpote quæ etiam ad iniungendas extenditur, cùm ad iniunctas; altera sit restricta. Hîc tria occurrunt obiter notanda.

Primum est, Indulgentiam in forma Iubilæi plus *Nu.* 146. cæteris plenissimis habere ex accidenti, hoc nomine quòd simul cum ea sæpe concedatur facultas absoluendi à casibus reseruatis, & commutandi vota: & interdum dispensandi super rebus male possessis, quarum veri domini ignorantur.

Secundum est, indulgentiam iubilæi, quam Bonifacius 8. *in* 1. *Extrauag. communi De pœnit. & remission.* concessit centesimo quoque anno Clementem sextum *in seq.* 2. *Extrauag.* ad quinquagesimum quemque annum transtulisse, & Paulum secundum, ac successorem ipsius Sixtum quartum, ad quemque annum vigesimum quintum, vt fidem facit subsequens quarta Extrauagans: atque hoc modo manere in Ecclesia annum Iubilæi: sic dictum ob analogiam quam tanta remissio spiritalis in eo facta, habet cum remissione temporali; quæ quinquagesimo quoque anno fiebat apud Iudæos iussu Dei *Leuit.* 25. vbi talis annus dicitur Iubilæus. De qua appellatione & comparatione inter vtramque remissionem Nauarr. *in comment. de indulg. not. ab.* 1. 2. 3. & 4. qui etiam ostendit *in sequenti notab.* 7. ante editam à Bonifacio octauo prædictam Extrauag. fuisse in Ecclesia Catholica Iubilæi vsum. Ipsum qui volet consulat.

Tertium est, quod idem Nauarr. habet *notab.* 11. *Nu.* 147. *num.* 20. indulgentiam quantumlibet plenissimam, nihil relaxare de pœnis in foro externo debitis; itaut illam adeptus, possit in hoc per Iudicem siue sæcularem, siue Ecclesiasticum castigari. Hæcque hactenus de modo concessionis indulgentiæ, relaxando totam pœnam.

Secundus modus concedendi indulgentiam: nempe relaxando tantum pœnæ partem.

Sectio III.

De posteriori vero modo, quo in indulgentia pars tantùm pœnæ peccatis debitæ remittitur: sciendum est, eum plures particulares sub se continere, qui tamen ad tres reuocantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.148. Primus est, quo datur plena, seu plenaria indulgentia peccatorum, certum aliquid facientibus: Talem enim indulgentiam non esse totius pœnæ peccatis debitæ, nisi aliud contineat quo ea amplietur, patet ex suprædictis. Quod Nauar. *notab. 9. num. 11.* monet esse notandum, ne decipi contingat in lectione authorum qui contrarium supponere videntur; vt D. Anton. *1. par. tit. 10 cap. 3. §. 4.*

Secundus est, quo indulgentia datur cum limitatione expressa ad certam partem pœnæ peccatis debitæ; vt cùm datur indulgentia tertiæ aut quartæ partis peccatorum, & nihil amplius; aut cùm datur tantùm de pœnitentiis iniunctis: vltra quas restant non iniunctæ, & pœnæ peccatis non confessis debitæ: aut cùm tam de iniunctis quàm de iniungendis datur: quod est (iuxta suprædicta) dari de pœnis debitis pro omnibus peccatis confessis: præter quæ supersunt peccata in confessione oblita, quorum pœnæ non relaxantur per talis modi indulgentiam strictè (per superiùs tradita) interpretandam.

Tertius modus est, quo indulgentia conceditur limitata certo numero dierum & annorum; vt quadraginta, vel centum, vel etiam plurium aut paucorum. Exemplum esse potest quod teste Nauarro *notab. 11. nu. 11.* nostra etiam ætate Romanus Pontifex concedit singulis diebus Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ, quinque, & septem annos, & totidem Quadragenas de vera indulgentia.

Nu.149. Porro tria sunt circa hos modos notanda. Primũ est, quod ex Cordub. approbat Gregor. à Valen. *in lib. De indulgen. cap. 6.* quando primus modus cum tertio miscetur, id est, cùm præter plenariam indulgentiam conceduntur adhuc aliquot dies; id addi ad cautelam: quâ cùm diuersæ sint Doctorum sententiæ de sufficientia causæ concedendi indulgentias, is qui indulgentiam quærit, certus sit nihil ex parte causæ impedire quin saltem quoad illos dies, eam lucretur.

Nu.150. Secundum est, indulgentiam siue plenam, siue limitatam certo dierum vel annorum numero, datam absolutè & sine illa additione, *de iniunctis*, comprehendere tam iniungendas quàm iniunctas pœnitentias; itaut is qui plenariam indulgentiam lucratur, liber sit non modò ab obligatione persoluendi pœnitentiam sibi à Confessario impositam (quod Nauar. *notab. 31. num. 43.* probat per illud, quod *in cap. Cùm ex eo, de pœnitent. & remiss.* satisfactio pœnitentialis, per indulgentiam eneruari dicitur) sed etiam à pœna pro peccatis confessis luenda in purgatorio. Ei verò qui lucratur indulgentiam quadragintâ vel centum dierum, tantum pœnę in Purgatorio luendæ condonetur, quantum redimeret per pœnitentiam totidem diebus in præsenti vita actam. Id quod Sotus & Nauar. ille *in 4. distinct. 21. quæst. 2. art. 1. concl. 3.* & hic *notab. 11. à num. 9.* confirmant pluribus rationibus: sed hac vna contenti erimus; quòd tam Episcopi quàm Papa possint, & velint sub tali forma, tam iniungendas quàm iniunctas comprehendere. Quodquidem Caietanus de Papa vsu concedens de Episcopis negat; quia *in cap. Cùm ex eo de pœnitent. & remiss.* Episcopis limitatur omnis potestas quam ipsi habebant concedendi indulgentias. Si enim aliqua relinqueretur illimitata, adhuc locus esset indiscretis indulgentiis: ad quas impediendas Canon ille editus est. At in eo limitatur solùm potestas dandi indulgentias de iniunctis. Quare Episcoporum non est alia. Eidem verò, *loco citato, nu. 10.* rectè occurrit Nauarrus inquiens, quòd cùm ipse fateatur difficilius, maiúsque esse tollere pœnitentiam iniunctam: quæ iudicio hominis simul & Dei pro peccatis debetur: quàm iniungendam quæ debetur tantùm iudicio Dei: fateri quoque debeat Episcopos sicut possunt tollere iniunctas pœnitentias, posse quoque tollere iniungendas. Licet autem in prædicto canone fiat tantùm expressa mentio pœnitentiarum iniunctarum: in illo tamen limitari, non tantùm harum indulgendarum potestatem, sed etiam potestatem indulgendi iniungendas, vt patet ex ratione quæ in eo redditur talis limitationis: nempe vt tollatur abusus indulgentiarum indiscretarum: quæ ratio pariter habet locum in indulgentiis de pœnitentiis iniunctis & de iniungendis. Velle autem Papam & Episcopos illud quod dictum est, hinc satis patet; quia ei cui nulla pœnitentia iniuncta esset, aut certè modici temporis: vt sæpius hodie fit, parum aut pene nihil prodessent tales indulgentiæ: quod absurdum est: quia vt idem Nauar. bene argumentatur *in seq. num. 18.* res in dubio, ita interpretanda est, vt valeat, ex lege Quoties ff. de reg. iuris. Accedit quod verba, *concedimus tot dierum indulgentiam*, secũdùm propriam suam significationem, æquè comprehendant dies iniunctos, ac non iniunctos; & luendæ pœnæ in Purgatorio, æquè ac alios dies.

Tertium est, quod ex Palud. habet Nauar. *notab. 9. num. 12.* ei qui se parat ad lucrandas indulgentias de iniunctis pœnitentiis datas, expedire plurimùm vt priùs confiteatur peccata, rogétque Confessarium vt tot dies, vel annos pœnitentiæ iniungat, quot indulgentia quam lucraturus est continet, vel illos omnes annos & dies qui ad integram deletionem peccatorum suorum sunt necessarij. Iniungat inquam, sub præcepto disiuncto; quòd vel totam illam pœnitentiam impleat, vel sibi quærat indulgentiam, quæ tali impletioni æquipolleat. Vbi nota ex eodem *in sequen. notab. 11. num. 19.* indulgentias vnius anni de pœnitentiis iniunctis, lucrifactas ab eo cui imposita est grauior pœnitentia, plus de se prodesse, quàm ei cui imposita est leuior: non tantùm quoad hoc seculum; sed etiam quoad futurum: cùm per indulgentiam, nó tantùm tollatur obligatio sustinẽdæ pœnæ iniunctæ, vt ieiunãdi, gestandi ciliciũ, se diuerberãdi, peregrinandi, &c. sed etiam remittatur tantum pœnæ purgatorij, quantum fuisset remissum illam sustinendo. Plus autem cæteris paribus remissum fuisset sustinendo grauiorem quàm leuiorem. Dixi, *cæteris paribus*: quoniam ob maiorem charitatem qua quis patitur, posset tantum aut plus satisfacere quid leue faciendo, quàm alter faciendo aliquid grauius.

Alij modi concedendi indulgentiam.

Sectio IV.

Nu.152. TRes adhuc notantur varietates in modo concedendi indulgentias: quarum prima in eo consistit, quòd viuis indulgentia detur per modum absolutionis; & defunctis per modum suffragij quemadmodum definit Leo decimus *in Bulla de indulgentiis edita anno Domini 1518.*

Circa eam verò notandum est, non distingui duos istos modos, quasi viuis indulgentia concedatur virtute clauium, potestatisve ligandi & soluendi à Christo relictæ in Ecclesia; non item defunctis (vtroque enim modo authoritate Apostolicâ concedi, habetur ex eadem bulla) sed propterea distingui, quòd indulgentiæ quæ dantur viuis, proximè directéque dentur illi qui facit opus præscriptum: perinde ac soleat absolutio à peccatis proximè dari ei, qui facit confessionem, quam ipsa prærequirit: quæ verò dantur defunctis, transferantur ab vno ad alium, id est, non dentur ei qui facit opus pium, sed alteri pro quo illud facit. Id enim est dari per modum suffragij; quandoquidem suffragium respicit alterum pro quo fit. Quę ratio huius distinctionis sumitur ex eo quod in citata Bulla dicitur, Romanum Pontificem dispensare thesaurum meritorum Christi; vel per modum absolutionis indulgentiam conferendo: vel per modum suffragij illam transferendo.

Aduerte autem istud ipsum quod dicitur viuis per modum absolutionis, & defunctis per modum suffragij indulgentiam dari, intelligendum esse de eo quod fit ordinariè: cùm nihil obstet, quominus viuo perinde ac defuncto, Papa concedat indulgentiam iniungendo ei opus, quod alius pro ipso faciat ex Nauar. *notab. 22. num. 23. & 24.* Itémque possit defuncto indulgentiam concedere propter præterita merita ipsius in Ecclesiam, ex eodem Nauar. *in sequen. nu. 33. 34. 35. & 36.*

Differentia autem generalis poni potest in eo, quòd viuis indulgentia concedatur tanquam subditis, exercendo actum potestatis iudiciariæ, quam Papa tanquam Vicarius Christi habet, vt ad puniendi, sic ad liberandum à pœna, compẽsando eá ex Ecclesiæ thesauro suæ dispensationi diuinitus commisso.

Mortuis autem concedatur, non vt subditis quos iudicet, sed vt charitate coniunctis, quibus indigentibus subueniri potest ex thesauro Ecclesiæ. De qua tota re latè disserit Suarez *tom. 4. disput. 53.* in quibus immorando egrederemur nostros limites.

Satis ergo nobis sit notare secundò, absolutionem vt est actus clauium, sumi tum specialiter pro sola remissione peccatorum facta per modum sententiæ Iudicis: tum generaliter non tantùm pro illa: sed etiã pro alia facta aliter quàm per modum sententiæ. Indulgentiam autem dici non posse absolutionem priore modo; quia consequenter dicendum esset Papam dũ indulgentias perpetuas concedit, absoluere nondum natos, atque adeo futuros post multos annos: quod absurdum est. Itaque dici posteriore modo; nimirum, quòd sit remissio quoad temporales pœnas; facta, non quidem per modum sententiæ sicut absolutio Sacramentalis: sed per modum dispensationis bonorum communium factæ indigentibus. Id quod *in Extrauag. Vnigenitus, De pœnitent. & remissionib. & in citata Bulla Leonis X.* satis significatur, cùm potestas per quam ipsa fit, vocatur potestas dispensandi thesaurum meritorum Christi in Ecclesia relictum.

Aduerte verò obiter, quòd vt remissio peccatorum mortalium quoad culpam, & pœnam æternam, non est de essentia absolutionis Sacramentalis, sed effectus ex ea, iuxta Christi institutionem, consequens; ita nec remissionem pœnæ temporalis, esse de indulgentiæ essentia (quæ consistit in memorati thesauri dispensatione) sed illius tantummodo effectum: qui sæpe ipsam consequitur post multos dies vel menses vel annos: vt quæ extenditur ad nondum natos.

Nu.153. Secunda varietas in eo est, quòd quædam immediatè à Papa concedatur, hoc vel illud facienti; & quædam ab eo mandetur concedi per Confessatium, vel alium Ecclesiæ ministrum. Inter quas *ex Nauar. notab. 30. num. 14.* differt; quòd illa *tanquam late nimirum sententiæ quæ in rem iudicatam transierit*: ipso iure, & sine alicuius absolutione acquiratur. Hæc verò, *tanquam sententiæ ferendæ*, non acquiratur nisi mediante absolutione ministri, cui datum est mandatum de concedenda. Cuius absolutionis forma (de qua latiùs Suarez *disput. 56. sect. 1. num. 5. 6. 7. & 8.*) non requirit quidem certa determinatáque verba; imò sine verbis, potest constare scriptis, aut aliis externis signis quæ verbis æquipolleant: nihilominus talia ciusdem absolutionis signa requirit, quæ determinatè illam indicent: cùm in iis quæ humano more inter homines tranſiguntur, id quod vnus confert alteri debeat signo externo indicari.

Vnde quamuis maximè conueniens sit forma, quam idem author refert ex D. Anton. & Syluestro; Authoritate Sedis Apostolicæ mihi commissa, concedo tibi talem vel talem remissionem. Ea tamen non est necessaria, sed sufficere potest quæcumque: dummodo sit significatiua remissionis seu absolutionis; etiamsi non indicet authoritatem à qua procedit, nec effectum quem determinatè producit; nempe talem vel tantam pœnarum relaxationem; adeout possit talis indulgentia concedi in confessione per verba absolutionis Sacramentalis; si Confessarius ea proferens intendat, sicut absoluere à peccatis, pro potestate quam habet conferendi Sacramentum pœnitentiæ: ita & à pœna eisdem peccatis debita liberare, pro potestate sibi commissa conferendi indulgentiam. De quibus Suarez plenius. Sed nobis sufficit eam esse communem doctrinam ex Nauar. *in comment. De indulgen. notab. 30. num. 8.* quæ à pari confirmatur per ea quæ dicentur in sequen. lib. nono, de forma absolutionis ab excommunicatione: vtraque enim absolutio ab eadem potestate pendens, eumdem modum habet ab ea prouenienti.

Nu.154. Tertia varietas in eo consistit, quòd aliquando indulgentia absolutè, & sine illius determinatione ad certum locum vel tempus concedatur, aliquod pium opus facientibus: vt à Sixto IV. omnibus, & singulis Christi fidelibus præsentibus & futuris vbicumque degentibus, qui tertiam Rosarij partem, id est, quinquies Pater & quinquagies Aue Maria dixerint conceditur indulgentia quinque annorum, & totidem Quadragenarum prout refert Nauar. *in Miscell. 1. de Rosario num. 3. & in sequen. Miscel. 14. num. 1.* Aliquando verò detur cum dicta determinatione; qui modus adhuc varius est. Nam ex D. Anton. *1. parte tit. 10. cap. 3. §. 4.* & Nauar. *in comment. de indulgen. notab. 30. num. 2.* conceditur visitantibus certum locum certo tempore; vt plena conceditur visitantibus Romæ certas Ecclesias vigesimoquinto quoque anno, qui annus Iubilæi dicitur; itemque aliæ quas videmus passim concessas visitantibus à Vespera in Vesperam certa loca, certis diebus: quarum etiam meminit Nauar. *notab. 31. num. 36. & 37.*

Nu.155. Ac earum differentiam ab illis quæ sunt præcedentis formæ perennésque dicuntur, hanc adfert ex S. Thoma, quòd semel tantùm quæri possint (intelligo in vnoquoque ex iis diebus pro quibus sunt concessæ) illæ verò quæri possint sæpius: nempe, *vt Nauar. subiungit*, bis aut pluries eodem etiam die; dummodo non toties & tali modo, vt fraus quædam & irrisio esse videatur: vt videretur si quis subinde egrediendo Ecclesiam, vellet eam visitanti concessam indulgentiam lucrifacere. Nota autem ex eodem authore *in sequen. notab. 32. num. 46. versus finem*, hanc differentiam non esse extendendam ad indulgentias temporales, quæ non sunt determinatorum dierum sed longioris temporis: quoniam eæ tanquã perennes, durante tempore pro quo conceduntur possunt sæpius lucrifieri. Sic enim, vt ibidem ipse ex instituto probat, potest quis in anno Iubilæi bis, ter, & pluries indulgentiam tunc concessam lucrari, faciendo visitationes ad id requisitas. Sic etiam à Palud. traditum *in 4. distinct. 20. quæst. 4. art. primo §. tertio concl. 3.* ipse quoque, *tum ibidem tum in præced. notab. 15. & 19.* approbat: nempe indulgentiam in perpetuum vel in aliquod certum tempus longius concessam visitantibus aliquam Ecclesiam lucrifieri posse quolibet mense & quolibet die.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De indulgentia concessa pro articulo mortis.

Sectio V.

Nu.156. QVædam porro indulgentia ita conceditur vt extra mortis articulum quæri possit, & quædam demum in mortis tantùm articulo. Circa quem modum Nauar. notat *in not.ab. 30. num.* 3. mortis articulum in hac materiâ, *nisi aliud exprimatur*, intelligendum esse non tantùm verum, sed etiam præsumptum: sicut & in materia de extrema vnctione: itaut probabiliter morituros possit vti indulgentia pro articulo mortis sibi concessa: quam lucrabitur, si cætera requisita concurrant, quantumuis non moriatur. Sed aduerte ex eodem authore *in Miscell.* 18. *de Rosario B. Virginis Mariæ num.* 4. indulgentiam datam pro mortis articulo vnâ tantùm vice; non acquiri in articulo mortis præsumptæ, sed tantùm mortis veræ, si concessionis formula nullum requirat ministerium Confessarij, vel alterius per quem ea debeat in tali articulo concedi: sed Papa ipse per se eam pro tali tempore concedat. Ratio est: quia intentio taliter concedentis censetur esse, vt virtute gratiæ quam impertitur, is qui illam adipiscitur ex hoc mundo exeat liber ab onere sustinendi in vita futura pœnas peccatis suis debitas: qui exitus non contingit in præsumptæ, sed tantùm in veræ mortis articulo: quo fit vt talis indulgentia non prosit in articulo mortis præsumptæ tantùm nec veræ: neque in illo vsurpata, consumatur, sed remanet adhuc pro vero mortis articulo.

Quod si concessionis formula prædictum Confessarij ministerium requirat; patet indulgentiam concessam acquiri etiam in articulo mortis præsumpto: quoniam ea posset alioqui frustranea esse. Si enim articulus veræ mortis expectari debeat vt Minister ille possit ad concedendum adhiberi, nec sufficiat quod quis probabiliter credatur moriturus: fiet plerumque vt mors præueniens reddat superuacaneam illam Summi Pontificis gratiam. Cuiusmodi periculum ideo non timetur in indulgentia concessa priore modo, eoquod adueniente mortis articulo, ipso iure ea quæratur; neque requiratur ministerium cuiusquam alterius à Papa. Ex quo discrimine, inter vtrumque talem indulgentiæ concedendæ modum, consequens est alterum: nempe quòd indulgentia posteriore modo concessa prodesse possit in articulo mortis præsumptæ, atque in eo vsurpata consumatur, nec ipsa remaneat pro veræ mortis articulo: cuius contrarium diximus de concessa priore modo.

Nu.157. Rationem exequendi dictum ministerium post D. Antoninum *in sequen.* §. 3. Nauarrus *in cit. not ab.* 30. tractat, ponderata forma qua per vjam specialis indulti indulgentia conceditur dicendo: quòd talis habeat facultatem eligendi idoneum Confessorem in articulo mortis, qui vigore ei concessæ indulgentiæ, valeat eum absoluere ab omnibus peccatis de quibus est corde contritus & ore confessus, exceptis iis quæ perpetrasset sub fiducia talis gratiæ. Sufficiet autem ad antedicta hæc addere.

Primum (quod is habet *num.* 8.) ad talem indulgentiam concedendam per Confessarium, sufficere si ipse dicat. Concedo tibi indulgentiam prout in hac bulla continetur; vel dicat aliud æquipollens; quia nulla certa verba præscripta sunt ad concedendam indulgentiam, sicut nec ad dandam absolutionem ab excommunicatione, iuxta communiter receptam sententiam. Ea de re in sequenti libro nono *proprio loco.*

Secundum, de quo Nauar. *in seq. num. nono*, est sicut in articulo mortis, cùm non potest Sacerdos haberi, potest confessio fieri Clerico non Sacerdoti, & in huius defectu laico ea ratione, quâ traditum est in prima parte lib. 1. cap. 1. sect. 3. ita etiam defectu Sacerdotis Clericum non Sacerdotem; & defectu tam huius, quàm illius laicum posse exercere ministerium concedendi dictam indulgentiam; cùm id nec sit Sacramentaliter absoluere, nec ipsum Sacramentalem absolutionẽ prærequirat: sicut prærequireret, si in forma concessionis diceretur: Ab omnibus peccatis de quibus es sacramentaliter absolutus. Quo casu solus Sacerdos posset esse idoneus Confessarius, cùm solus possit audita confessione Sacramentaliter absoluere.

Tertium, de quo Nauar. *ibidem num.* 12. est, Eum qui factus est mentis impos, si cùm esset sana mente declarauit se confiteri & absolui velle, capacem esse supradictæ indulgentiæ accipiendæ in articulo mortis, habendo speciale illud, quod suprà commemorauimus indultum; quemadmodum capax esset absolutionis Sacramentalis iuxta tradenda *in seq. lib. 8. cap. 3. sect. 1.* Pro hoc autem ac pro præcedenti addito, facit quòd liceat indulgentiam (cùm sit fauor) respectu eius cui conceditur, latè interpretari; dummodo non obstet, quòd respectu concedentis censeretur indiscreta, & abusus dispensationis bonorum alienorum ei creditæ.

De duratione & cessatione indulgentiæ concessæ.

Sectio Vltima.

Nu.158. INdulgentiam pro certo tantùm tempore concessam non durare vltra illud, ex eo patet: quòd indulgentia tantum valeat quantum sonat, vt quoad cætera, sic & quoad durationem, cùm non excedat voluntatem concedentis, expressam ipsius verbis. Concessam verò expresè in perpetuum, constat ob eamdem rationem semper durare, etiam mortuo eo qui concessit; vt est sententia communiter recepta teste Nauar. *in comment. de indulgen. not ab. 31. num.* 25. Quæ procedit siue ille sit Papa, siue alius, vt Suarez declarat *tom. 4. disput. 57. sect. 2. num.* 4. Probatur verò quia concedentis præcedens voluntas non retractata manet moraliter, ad eum moralem effectum sufficienter; vt confirmatur à simili; quia nec literæ falsi conductus pereunt mortuo concedente: nec licentia celebrandi extra locum sacrum, aut recipiendi ordines concessa ab Episcopo, cessat ipso mortuo: & sic de similibus. Verumtamen destructo loco cui indulgentia concessa est, ipsa censetur reuocata vt idem Nauar. *in sequent. numero* 27. habet ex Palud. Et ratio est: quia vt certæ personæ data ad vitam, durat quamdiu illa viuit; sic data certo loco, etiam perennis, durat tantùm quamdiu is manet, non item eo destructo; quia licet indulgentia non concedatur propriè ipsi loco; sed hominibus, qui eam lucraturi sunt: tamen quia conceditur lucranda certo tantùm loco, eo destructo censetur ablata potestas lucrandi: perinde ac pro certo tempore concessa, eo transacto, ipsa lucrifieri non posset: quandoquidem vt tempus elapsum, sic locus destructus amplius non est. Perpetuitas ergò istiusmodi cernitur maximè in illis indulgentiis, quæ religionibus aliisve communitatibus, & familiis, quæ successione continua perseuerant, conceduntur in perpetuum; siue expresè, siue etiam

etiam virtualiter: vt concedi censentur eæ quæ sine limitatione temporis dantur.

Nu.159. Id quod ex communi sententia, authoribus in eam citatis, habet Suarez *in præced. sect. 1. num.* 5. Et probat, quia cùm Superior in tali indulgentia non ponat limitationem temporis, nec nos debemus ponere. Non enim est nostrum limitare Superioris voluntatem, eiue definitum terminum assignare. Quare vel illa nullo tempore valet, quod dici non potest, vel valet sine limitatione temporis: perpetuaque est. Sic D. Anton. ait *in 1. par. tit. 16. cap. 3. §. 4.* quando indulgentia datur omnibus visitantibus certum locũ, certo die intra annũ, eam permanere donec reuocetur à Papa, vel ab alio authoritate ipsius, sufficienter ad id munito. Quod tamen intelligendum est cum hac exceptione: nisi in contrarium regula Cancellariæ fuerit: qua Sedes Apostolica declarauerit limitaueritque verba. Nam, *vt Suarez notat loco cit.* secundùm talem declarationem & limitationem Papa censendus est loqui, si loquatur absque alia speciali declaratione.

Nu.160. Vnde notandum est quod Nauar. *in cit. comment. not ab. 9. num. 8. & 9.* habet ex regula 57. & 59. Cancellariæ, indulgentiam pro certis diebus cuiuslibet anni futuri concessam, restringendam esse ad viginti annos: & concessam alicui Ecclesiæ vel capellæ tacita alia qualibet parua eidem concessa, nihil valere. Item si indulgentia petatur simpliciter pro festo, vel festis loci pij, & Papa concesserit per (fiat) tantummodo censeri concessos tres annos si Ecclesia fuerit Cathedralis, vel insignis Collegiata, aut solẽne monasterium: alioqui duos annos, & duas quadragenas. Sin concesserit per (fiat vt petitur) Cathedrali, Collegiatæ, & monasterio, quatuor: aliis verò, tres annos concessos videri.

Nu.161. Quod attinet ad cessationem indulgentiæ concessæ: ea contingit maximè per reuocationem, factâ siue ab eo qui concessit, siue ab ipsius successore tanquam eo qui moraliter est idem, ac multo magis ab ipsius Superiore. De qua re satis constat ex communi Ecclesiæ vsu, quo reuocari videmus indulgentias granis benedictis & aliis similibus rebus attributas. Constat etiam ex Extrauag. communi Quemadmodum, De pœnitẽ. & remissionib. per quam durante Iubilæo, omnes aliæ indulgentiæ vbique cessant. Atque de eadem authores inter se consentire, Suarez notat *in citata sect. 2. num. 5.* Consequenter inquirens, An pro arbitrio, & absque causa talis reuocatio fieri possit.

Nu.162. Statuit autem posse, tum validè, tum etiam licitè: quia indulgentia ab initio fuit beneficium gratuitũ, quod potuit liberè, & sine alia causa licitè negari, tanquam dependens ex sola concedentis voluntate. Quare potest quoque liberè non conseruari pro tempore futuro: quod idem est ac reuocari. Patet consecutio: quia per concessionem indulgentiæ perpetuæ nullum ius acquiritur illi cui conceditur; quãdoquidem ea non obstat, quin talis indulgentia maneat in ratione cuiusdam gratię pendentis ex voluntate concedentis. Vnde nulla ei fit iniuria, si tali fauore pro arbitrio priuetur. Quanquam ex alio capite potest reuocatio illicita esse: vt si generet scandalum, eoquod sit signum odij: vel si concedens promiserit se non reuocaturum; vel si ea creditur valde fructuosa animabus, nec nocumentum vllum afferre: quia contra charitatem & officium boni pastoris tunc ageret.

Nu.163. Communis autem Doctorum sententia est (quod Suarez nominatis aliquot ex eis notat *in sequen. num.* 8.) indulgentiam non extingui reuocatione, donec hæc peruenerit ad notitiam eorum qui illa gaudebant. Eam enim esse intentionem Summi Pontificis valde probabile est: cùm alioqui contingeret multos fideles facere opera ad indulgentiam requisita, & fraudari fructu illius, sine sua culpa; quod credibile non est Papam intendere. Vnde infertur pro praxi quod idem author habet *in sequenti num.* 9. Si quis bona fide peccata reseruata ritè confessus esset, & absolutus ab eis, in virtute indulti concessi in ordine ad indulgentiam illam quam reuocatam esse inuincibiliter ignorat: infertur inquam, talem confessionem posse censeri validam, taliterque absolutum manere liberum; etiam à censuris atque ab onere comparandi coram Superiore. Eam enim mentem esse Papæ credibile est: cùm aliud, & periculosum sit, & valde onerosum.

Cæterum hæc de reuocatione dicta, dicenda pariter esse de indulgentiæ suspẽsione Suarez bene monet *in fine sequentis num. decimi*: quia suspensio indulgentiæ est reuocatio quædam illius ad tempus, quo elapso ipsa restituitur. Cùm autem in dubio interrogamur super reuocatione, aut suspensione indulgentiarum, aut facultatum quæ simul cum eis plerumque conceduntur: puta commutãdi vota, vel dispensandi in eis, vel componendi de malè acquisitis, quorum veri domini ignorantur, vel eligendi Confessarium qui absoluat à casibus reseruatis, vel edendi oua, aut lacticinia in Quadragesima: vel celebrandi super altare portatile, vel dicendi hoc aut illud officium: tunc, inquam, debemus attentè legere, & expendere literas Apostolicas, illam de qua agitur reuocationem continentes: sicque ex eis iudicium ferre ea ratione qua fert Nauarrus *in sæpe memorato comment. de indulgen. not ab. 24. 25. 26. 27. 28. 29. & 33.* Cuius doctrina in tali difficultate magnam lucem adfert, vt & illa quam habet Suarez *tom. 4. disput. 56.* fere per totam; in quibus breuitatis studio non immorabimur, præsertim cum talium literarum interpretatio doctrinam eminentem requirat: ideóque consultiùs sit simplices Confessarios, quorum institutionem habemus propositã, ad Doctores pro illarum intelligentia recurrere: quàm id per se conari, quod impar esse ipsorum viribus facile contingit. Nu.164.

Superest monendum durationi indulgentiæ non obstare quòd cesset causa propter quam concessa est. Nam si causa temporalis sufficiens fuit ad indulgentiam concedendam pro aliquo spatio temporis: hæc toto eo tempore manet, quamuis causa non duret tamdiu. Sic enim pro dedicatione Ecclesiæ quæ in vno die fit, dari potest indulgentia lucranda intra totum anni spatium. De qua re Suarez in fine memorati tomi quarti. Nu.165.

CAPVT VLTIMVM.

De indulgentiis, quoad earum acquisitionem.

SVMMARIVM.

166 *Requisita ad indulgentiæ acquisitionem sunt potestas, causa iusta concedendi, atque capacitas acquirendi.*

167 *Ad validitatem indulgentiarum non requiritur licitas expediri de illarum concessione.*

168 *Solus existens in statu gratiæ, capax est indulgentiarum.*

169 *Probabile est existentem in peccato mortali quo tempore lucranda est indulgentia, etiamsi faciat opera præscripta, nec tunc, nec postea diuinæ gratiæ restitutum, eam lucrari.*

170 Cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

170 *Cum nemo sciat an sit in statu gratiæ, quomodo possit ob lucratam indulgentiam se existimare liberum à satisfactione per Confessarium sibi imposita.*
171 *Ad acquisitionem indulgentiæ, quando necessaria sit confessio Sacramentalis actu facta.*
172 *Quando sufficiat illius propositum, etiamsi indulgentia concessa sit, vere pœnitentibus & confessis.*
173 *Qualis confessio, & quando, facienda sit ad lucrandam indulgentiam confessis concessam.*
174 *Quomodo satisfactio requiratur ad acquirendam indulgentiam.*
175 *Quorsum concedatur indulgentia, si ad eam acquirendam opus sit satisfactione.*
176 *Ad acquirendam indulgentiam necessaria est exercitio pij operis, propter quod concessa est.*
177 *Non sufficit ad id voluntas exequendi: neque executio paries, ne quidem ad partem indulgentiæ acquirendam; neque impedimentum in eo excusat.*
178 *Non ante perfectum totum opus impositum, acquiritur indulgentia.*
179 *Rationes dubitandi, an necessarium sit totum perfici in statu gratiæ.*
180 *Resolutio dubij, sufficere posse vltimam partem fieri in statu gratiæ.*
181 *Solutio allatorum in contrarium.*
182 *Facultates simul cum indulgentia concessas, sine ea acquiri, etiam in peccato mortali, non repugnat.*
183 *Qui indulgentiam consequi vult, debet per seipsum implere opus pro ea acquirenda impositum, nisi per alium impleri posse sit expressum.*
184 *Implendum est secundum formam in concessione præscriptam.*
185 *Exceptio, ex quadam æquitate, & tacita intentione indulgentiis.*
186 *Ad indulgentiam consequendam impositum exhortando, non præcipiendo.*
187 *Præstandum ad indulgentiam acquirendam, cùm imponitur opus indeterminatum.*
188 *Peccans implendo opus impositum, quando impediatur indulgentiam acquirere.*
189 *Relaxatio pœnarum per indulgentiam extenditur ad pœnas, tam peccatorum quæ concessionem illius præcesserunt, quàm quæ secutæ sunt.*
190 *Idque etiamsi quis hæc commiserit ex certa spe consequendæ indulgentiæ.*
191 *Relaxatio pœna peccatis anterioribus debitæ, quæsita per indulgentiam, non amittitur ob relapsum in peccatum mortale.*
192 *Indulgentias acquirere possunt tantùm qui sunt in statu gratiæ: de quorum numero sunt qui detinentur in purgatorio.*
193 *Inferior Papa non potest indulgentiam pro defunctis concedere: & quid sit Papam id posse per modum suffragij.*
194 *Quando prosit defunctis indulgentia.*
195 *Prodest illis, etiamsi is qui opus impositum exequitur sit in statu peccati mortalis.*
196 *Pro bonis quæ defunctus gessit adhuc viuens, potest ei concedi indulgentia.*
197 *Indulgentiam lucraturo, etiam in articulo mortis, expedit habere animum satisfaciendi Deo.*
198 *Ob quæsitam defuncto indulgentiam, non sunt omittenda Ecclesiastica suffragia pro eo facienda, & cur.*
199 *Superior capax est acquirendæ indulgentiæ, quam concedit.*

PRIMA QVÆSTIO.

Quænam requirantur ad indulgentiarum acquisitionem.

Nu.166. PRo huius explicatione dicendum est: constare ex definitione Leonis decimi in bulla de indulgent. edita anno 1518. ex parte quidem concedentis, requiri potestatem clauium Ecclesiæ à Christo institutarum ad regnum cœlorum fidelibus suis aperiendum, tollendo ab eis impedimenta ingrediendi in illud: ex parte verò indulgentiæ ipsam concedi ob rationabilem causam; ac demum ex parte acquirentis ipsum esse in gratia: siue vt memoratus Pontifex loquitur, fidelem esse qui charitate iungente membrum sit Christi. Quod est, vt dici solet, ad acquirẽdam indulgentiam requiri authoritatem in concedente, pietatem in opere, & habilitatem in acquirente.

Nu.167. Atque de duobus prioribus requisitis nihil aliud superest addendũ ad antedicta, quam non esse necessarium ad validitatem indulgentiarum, literas de earum concessione expediri ab habente concedendi facultatem: etiamsi id conducat ad probationem eiusdem concessionis. Nam voluntas concedendi, quæ ipsi cõcessioni vim tribuit, non tantùm scripto, sed etiam verbo, & alio signo externo sufficienter exprimi potest. Vnde ex Nauarro *in comment. de indulg. notab.* 31. *num.* 45. Religiosi qui sub virtute obedientiæ, & interminatione maledictionis æternę *in Clemen.* 1. §. 1. *de priuileg.* prohibentur prædicare indulgentias indiscretas, secus facientes non peccant: præsertim mortaliter, quantumcunque de literis concessionis earum nihil cognoscant, dummodo verè concessas esse ab eo qui potuit aliunde sciant, aut certè probabilibus argumentis id credant: quandoquidem alioqui damnandi essent peccati mortalis Concionatores qui existentes in suggestu, rogantur per scedulam; vt indulgentias, sibi alioqui ignotas, publicent, hoc vel illo tempore, aut loco quærendas id quod durum videri meritò *aiũt Nauarrus*: posito quòd id faciant sine contemptu dictæ prohibitionis, ac sine temeritate: indiciis probabilibus credendo veras nec ementitas esse tales indulgentias.

Nu.168. Circa tertium, requisitum notandum est primò; ipsum probari adhuc *per Extrauag.* 1. *De pœnitẽt. & remiss.* prout Nauarr. ostendit *in eodem comment. notab.* 17. *num.* 1. itémque *ex cap. Legatur* 24. *quæst.* 2. ac ex inde sumpta regula iuris in 6. peccati veniã non datur nisi correcto: Præterea ex eo inferri illud, quod communiter esse à Canonistis receptum ait Nauarr. *in seq. num.* 2. Indulgentiam nimirum, nihil prodesse existentibus in peccato mortali: ne quidem (vt contra Syluestrum addit ibidem Nauarr.) pro eo tempore quo postea fuerint in statu gratiæ; quia secundùm memoratas Extrauagantes thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum, dispensandus est tantùm verè pœnitentibus: siue, quod idem est, *& habet bulla Leonis decimi antecitata*, fidelibus qui charitate iungente membra Christi sunt: quales certum est non esse eos qui mortali culpâ inficiuntur.

Nu.169. Vnde qui in tali statu fuerint, quo tempore lucrandæ sunt indulgentiæ, neque tunc neque postea vi earum acquirent relaxationem pœnarum peccatis suis debitarum. Cuius cõtrarium sentit quidem cum Syluestro Henriquez *in sua summa lib. 7. cap. 9. §. 3.* sed ipsum est minus tutum quàm aliud: ideoque illi postponendum in ordine ad vsum acquirendi indulgentias; quarum thesaurus solis amicis Dei aperitur, vt memoratæ Summorum Pontificum constitutiones declarant. Aliis enim clausus manet tanquam iis qui maculati peccato mortali, non temporali pœnæ, quæ per indulgentiam tolluntur, sed æternæ sunt obnoxij. Itaque tenendum est quod Nauarr. ipse expressit *in eod. comment. notab.* 19. *sub finem*: eos qui benedictioni Episcopali interfuerunt, vel orationes quarum pronunciatoribus conceduntur indulgentiæ, recitant, vel alia opera imposita pro consequendis aliquibus indulgentiis exequuntur: nullam nec minimã indulgentiam consequi, nisi vel se à postrema confessione ritè facta, mundos à peccato mortali seruauerint, vel magna cura perfectam eorum quæ postea peccarint, contritionem ante habuerint qua omnia & singula peccata mortalia ita displiceant, ob amorem Dei principaliter, vt ad nullum bonum quærendum vel malum vitandum velint ea denuo admittere; neque sufficit aliquantulam memoriam, & aliquantulum dolorem eorum præconcipere.

Nu.170. Dubitarit autem aliquis si ad indulgentiam consequendam oporteat esse in statu gratiæ, cùm nemo sciat an amore vel odio dignus sit, *ex Ecclesiastis nono cap.* quomodo vnquam tutâ conscientiâ possit omitti pœnitẽtia iniuncta, propter acquisitam æquipollentem illi indulgentiam! Cui dubitationi Nauar. *notab.* 31. *num.* 43. occurrit inquiens, ad excusationem à peccato transgressionis præcepti de implenda pœnitentia sufficere, quòd quis probabiliter credat se consecutum indulgentiam: etiamsi id non sufficiat ad percipiendum indulgentiæ fructum; nempe remissionem pœnæ pro peccatis luendæ in Purgatorio; sicut Eucharistiæ sumptio in Pæchate, illum qui credit probabiliter se esse in statu gratiæ, liberat à peccato transgressionis præcepti Ecclesiastici dati de eadẽ sumptione: sed si ille reuera sit in statu peccati mortalis, ea non profert in ipso salutares suos fructus, *ex cap. Quotidie de consecr. dist.* 2. Subiũgit idem author *in sequent. num.* 44. quod diligenter est memoriæ commendandum, vnanimi Theologorum & Canonistarum omnium consensu, dandum esse consilium, ne quis ob indulgentias cesset à pœnitentiæ operibus: non modò ob præfatam incertitudinem, sed etiam ob remedium quod illa adferunt aduersus peccata futura, & ob satisfactionis indigentiam, qua plerúmque maiore laboramus quàm existimemus.

SECVNDA QVÆSTIO.

An ad indulgentiam acquirendam, actualis confessio peccatorum comitari debeat contritionem, quâ peccator iam restitutus est diuinæ gratiæ.

HVic Nauarr. *in comment. de indulgen. notab.* 18. rectè satisfacit per sequentia documenta maximè notanda pro praxi.

Nu. 171. Primum est, Papam cùm possit indulgentiam cõcedere contritis nondum actu confessis, præsumendum esse, quòd ea ratione concedat, si mentionem confessionis non faciat expressè. Ratio est, quia confessio non requiritur iure diuino ad indulgentiæ acquisitionem, sicut contritio, *quæ medium est de se necessarium ad iustificationem peccatoris*: sed iure tantùm humano, ideóque non sit necesse hanc sicut illam subintelligi, quando expressa non est à Papa.

Secundum est, Si Papa facit expressam mentionem confessionis: vt concedendo indulgentiam verè pœnitentibus, & confessis; præsumi verè, mentem eius esse, vt ad talis indulgentiæ acquisitionem, præcedat cum contritione confessio de peccatis actu facta. In confirmationem Nauar. adfert tum alia, tum quòd dispositio copulata, qualis est facta verè pœnitentibus & confessis, exigat vtriusque partis veritatem: neque ille qui tantummodo habet propositum confitendi, possit verè dici confessus. Tum etiam quòd in dubio, non sit à verborum proprietate recedendum: vt recederetur intelligendo nomine confessi, eum qui habet propositum confitendi: præsertim vbi is distinguitur à contrito: qui nequit talis esse absque proposito confitendi, iuxta ante tradita *lib. 5. cap. 5. sect. 4.* Tum demum quod forma præscripta ad indulgentiarum acquisitionem sit seruanda. Papa autem sufficientissimè declaret se actualem confessionem præscribere, cùm dicit se indulgentiam dare verè pœnitentibus, & confessis.

Tertium est, *quo præcedens temperatur*, illum indulgentiam pœnitentibus & confessis concessam acquisiturum, qui contritus confiteri voluit quidem, sed non potuit ob Confessarij defectum, vel ob ægritudinem, vel ob excommunicationem, aliámve legitimam causam. Quod similiter dici potest de eo, qui probabili facti vel iuris ignorantiâ, se legitimè confessum esse putat, cùm non sit, ob aliquam causam ipsi occultam. Ratio esse potest: quòd concedens meritò existimetur fuisse ea mente, vt exigeret confessionem quatenus in cuiusque potestate est eam facere. *Nu.172.*

Quartum est, Non esse necessarium, *nisi Bulla concessionis aliud exprimat*, vt generalem confessionem omnium suorum peccatorum faciat ille cui contrito & confesso conceditur plenaria indulgentia, sed sufficere vt confiteatur ea mortalia quæ nunquam fuit antea confessus. Similiter nec necessarium esse confessionem fieri eo die vel tempore quo lucranda est indulgentia; sed sufficere vt post vltimam confessionem, nullum admiserit peccatum mortale, nec recordetur alicuius nondum detecti in confessione. Ita *ex glosa magna ad Extrauag.* 1. *communem De pœnitent. & remission.* habet Nauarr. *in sequen. num.* 17. & 18. Rationémque addit, quòd intentio Papæ non videatur esse obligandi quemquam ad confitenda iterum peccata quæ semel legitimè confessus est, vel probabiliter credit se legitimè confessum esse: præsertim cùm talis obligatio nullo humano præcepto possit imponi: vt habitum est in *lib. 6. cap. 4. parte posteriore dubio* 2. *Nu.173.*

Quintum est, *quod in miscell. 95. de orat. idem Nauarr. habet*: melius esse confiteri ante eleemosynas, orationes, & ieiunia imponi solita ad acquirendam indulgentiam in forma Iubilæi concessam: quàm postea confiteri. Nam Sacramentalis confessio, est vnum de præcipuis mediis acquirendi statum gratiæ. In quo statu facta bona, sunt Deo gratiora, & ex consequenti accommodatiora ad obtinendum ab eo illud cuius gratia Iubilæum conceditur. Quod etsi ita sit, ille tamen, qui differt cõfessionem vsque ad manè Dominicæ in qua communicare debet, indulgentiã ipsam acquirit (vt idem resoluit) si cætera omnia per bullam requisita impleuerit: quia cum in eo casu confessio iubeatur, non ob ipsam principaliter, sed ob Eucharistiam, cuius sumptioni præmittenda est de præcepto, vt constat ex Concil. Trident. *sess. 13. cap. 7.* satis seruat bullæ ordinem quoad confessionem, qui illam facit ante communionem tempore apto sumendam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIA QVÆSTIO.

An ad acquirendam indulgentiam præter contritionem & confessionem, satisfactio requiratur.

Nu.174. HAnc tractans Nauarr. in comment. de indulgent. notab.21. non damnat quidem eos qui partem negantem sequuntur : eoquod vt suffragia vnius fidelis prosint alteri sufficiat ambos membra esse vnius corporis coniuncta per charitatem : nihilominus tamen cum Cajet. *in tom. 1. opusc. tract 10. qu. 1.* partem affirmantem tenendam censet : vt non modò tutiorem, sed etiam vt magis rationi conformem. Parum enim rationabile videtur, vt ei qui non vult, neque quantum potest curat pro se satisfacere, subueniatur de thesauro Ecclesiæ ; cum pœnitens grauissimis Purgatorij pœnis obnoxius perinde habeat se ad eum thesaurum, ac debitæ pœnæ grauissimorum cruciatuum ad pecuniam ærarij publici vel amicorum labores, quibus potest ab eadem pœna redimi. At si quis pecuniosus, & corpus ad labores habens aptum, nollet suâ pecuniâ, nec suo labore ab illis cruciatibus se redimere, sed ex ærario publico sibi succurri peteret; aut omnem laborem ad se liberandum necessarium subiri ab amico vellet, meritò irrationabilis existimaretur. Quare similiter videri deber is qui ex thesauro Ecclesiæ velit laboribus Christi & Sanctorum pro suis peccatis satisfieri, nolítque illud quod potest ad id de suo conferre. Vnde apparet ad indulgentiam acquirendam meritò censeri, opus esse vt imposita à Confessario pro peccatis perpetratis pœnitentia acceptetur, aut propositum firmum concipiatur agendi pœnitentiam quantum oportet ad satisfaciendum Deo pro suis peccatis. Et certè quia Christus suis satisfactionibus non iuuaret torpentem, ac sibimet subuenire negligentem : prout satis indicant verba ipsius *Matth.* 24. Vigilate quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit] Nec sanè Papa præsumendus est, eas velle tali dispensare : cùm *iuxta cap. Super literis. De rescriptis*, Vicarius, & delegatus alicuius, non debeat facere id quod principalis non faceret. Neque satis firmum est fundamentum quod pro parte negante allatum est; quia dum vnus alteri præstat aliquod suffragium, constat de ipsius intentione quod velit illud ei applicare. Christus autem & Sancti non videntur habuisse intentionem communicandi suas satisfactiones omnibus indifferenter qui in statu gratiæ essent iis indigentes, sed tantùm iis qui quòd in se est, alioqui facerent.

Nu.175. At quæret aliquis cùm nemo fere sit, quin si velit possit pro suis peccatis satisfacere, & satisfaciens nihil opus habeat indulgentiâ, quorsum ergo hæc concedatur. Ad quod respondendum est; quamuis ad indulgentiam acquirendam necessarium sit habere verum propositum satisfaciendi pro suis peccatis, id tamen non impedire quominus illius acquisitionis finis, sit effectus liberandi ab obligatione satisfaciendi : quia sufficit (*vt monet Nauarr. sub finem cit. notabilis* 21.) prædictum propositum conditionale esse; nempe satisfaciendi, si non contingat per indulgentias à tali onere leuari. Porro illis acquisitis nihil est opus idipsum propositum habere, cùm sublata sit obligatio illius exequendi, satisfactione sufficienti facta ex thesauro Ecclesiæ, tanquam pecuniâ, cuius debitores eramus, solutâ ex ærario publico. Quamquam secundùm probabiliorem sententiam, prout rationes antè propositæ ostendunt, ad earum acquisitionem, debuimus velle & conari, nunc ieiuniis, nunc precibus nunc eleemosynis, & aliis operibus ac laboribus piis, redimere pœnas peccatis nostris debitas, alioqui in purgatorio luendas. Hoc enim est habere verum propositum satisfaciendi : putà coniunctum cum conatu mandandi illud executioni.

QVARTA QVÆSTIO.

An præter supradicta ad acquisitionem indulgentiarum aliquid aliud requiratur.

Nu.176. AD hanc respondendum est, requiri executionem operis pij, sub conditione cuius subeundi ad Dei gloriam & proximi vtilitatem, indulgentia datur. Nam ostensum est *in præced. cap.* 12. ad validè concedendam indulgentiam, tale opus tanquam rationabilem causam concessionis, debere interuenire; vnde meritò censetur concessa esse sub hac conditione, si idipsum opus impleatur : sic vt eo non impleto, illa non obtineatur : vt nec quodcumque aliud sub conditione datum, acquiritur eâ non impletâ. Ita expressit Palud. *in 4. distinct. 20. quæst. 4. art. 3. principali, conclus.* 2. inquiens non implenti conditionem indulgentias non prodesse : circa quod obseruanda sunt hæc documenta pro praxi.

Nu.177. Primum est *sumptum ex D. Antonino 1. par. tit. 10. cap. 3. §. 4. sub finem*, cùm ad acquirendam indulgentiam oporteat implere opus quod mandatur : non sufficere partem operis impkere ad partem indulgentiæ acquirendam, sed solummodo toto impleto, totam eam acquiri, alias nihil; vnde si quis ex forma indulgentiæ teneatur certis diebus ieiunare, nec ieiunarit omnibus, non assequitur indulgentiam ipsam, neque eius partem, etiamsi ieiunauerit aliquot ex illis diebus. Item si visitare debeat quatuor Ecclesias intra quindecim dies, & visitet tantum tres vel solùm visitet intra viginti dies, nec totam indulgẽtiam, nec illius partem acquirit. Quodquidem Nauarr. *in comment. de indulg. notab. 19. num. 4.* ex Richardo, Palud. Maiore & ipso D. Antonino, addit procedere, etiamsi paupertas vel inopia vel aliud quodcumque legitimum impedimentum obstiterit; nisi in concessione contrarium expressè contineatur : vt cum *in Extrau. communi Vnigenitus. De pœnit. & remiss. verſu Adiicientes*, exprimitur, eos qui in anno Iubilæi consequendæ indulgentiæ causa, iter adeundi Romam arripiunt, & legitimè impediti vel morte præuenti eò peruenire, vel eo peruenientes Ecclesiarum præstitutas visitationes facere nequiuerunt, eamdem consequi. Quæ expressio ne superflua esse censeatur, supponit non fuisse alioqui consecuturos indulgentiam, illos qui non perfecissent totum opus pro ea acquirenda iniunctum.

Nu.178. Secundum documentum est : immediatè post, & non ante impletionem totius operis imposti acquiri indulgentiam. Hoc Nauarr. *in eod. consilio. notab. 32. num. 49.* probat : quia dispositio conditionalis post impletam conditionem statim sortitur effectum, & non ante, iuxta cap. Si pro te, de rescript. in 6. Cui documento conforme est quod in citata concl. 2. habet Palud. Si daretur indulgentia omnibus crucem sumentibus, eo ipso quòd quis illam sumeret, etiamsi plus non faceret, illam lucraretur : sed si dicatur transferentibus ; non obtinet antequam sit vltra : sin autem dicatur euntibus, consequitur in via : & sic de aliis.

Tertium

Nu.179. Tertium documentum est. Ad acquirendam quamcumque indulgentiam vtile esse & sanctum, conari vt omnes actus præscripti in concessionis formula, perficiantur in statu gratiæ. Id quod de se notum est; sed an simpliciter necessarium sit versatur in controuersia : de qua plures rationes in vtramque partem Nauarr. habet *in eod. comment. notab. 19. num. 9. & aliquot sequentibus.* Atque partis affirmantis fundamentum Cajet. *qui illam sequitur in tom. 1. opusc. tract. 10. quæst. 2. & tract. 15. cap. 9.* constituit, tum in eo, quòd opus factum in peccato mortali non sit accommodatum medium applicationis meritorum Christi faciendæ ipsius membris viuis : tum in eo, quòd consueta Ecclesiæ forma concedendi indulgentias : expressa, aut certè subintelligenda, contineat indulgentiam dari verè pœnitentibus, qui visitauerint, vel dederint, vel recitauerint, &c.] Id quod indicat tale opus iniunctum debere fieri per verè pœnitentem; & ideo existentem in statu gratiæ : quamuis necessarium non sit in tali statu fuisse, dum indulgentia ipsa concederetur, nisi esset eodem tempore acquirenda; vt cùm datur indulgentia suscipientibus benedictionem Episcopalem.

Partis verò negantis D. Anton. (*eam sequens, in 1. Part. tit. 10. cap. 3. §. 5. dub. 6.*) fundamẽtum ponit in eo, quòd pœnitentia à Confessario iuncta, implenti eam in peccato mortali, valeat ad pœnæ ablationẽ, cùm ab eodem peccato resurrexerit : itaut eam iterare non sit opus. Videtur enim pari quoque ratione illud quod in statu peccati factum est ad lucrandam indulgentiam; facienti, in statu gratiæ postea existenti, prodesse ad pœnæ remissionem quæ conceditur per ipsam indulgentiam.

Nu.180. Cæterùm Nauarr. *loco cit. num. 19. vers. 10.* bene totam difficultatem minuit : inquiens indulgentiam lucrifieri ab eo qui est in bono statu eo tempore quo est acquirenda, etiamsi omnes actiones & conditiones ad illam acquirendam requisitæ, non impleantur in statu gratiæ, dummodo impleantur bene moraliter; id est, seruatis omnibus circunstantiis debitis (ita scilicet vt nullam peccati, ne quidem venialis rationem induant; iuxta tradita ab eod. Nauar. *notab. 32. nu 45.*) & vltima eorum pars, quæ est proxima causa acquisitionis indulgentię, fiat in ipso statu gratia. Nam cùm possit indulgẽtia malis concedi, quam lucrentur restituti in bono statu : dignum sanè est prudentiæ Summi Ecclesiæ præsidis, vt intẽtio ipsius in operibus pro consequenda indulgentia imponendis, non excludat à tanto beneficio exequẽtes in statu peccati aliquam eorumdem operum partem; præsertim quando executio talis est; quæ longum tempus requirat : quandoquidem notum est in tãta támque varia multitudine hominũ, quibus Iubilæa proponuntur, paucos esse ob carnis fragilitatem, & liberæ voluntatis inconstantiam, qui inter tot occasiones se diu conseruent à lapsu in peccatum mortale : aut in illud lapsi facilè, statímque resurgant. Itaque vt quis lucretur indulgentiam anni Iubilæi, non est necesse, *inquit Nauar. in prius cit. num. 19. ver. 11.* toto rempore quo Romam iter facit, & quo in ea vrbe visitandis Ecclesiis operam dat, semper esse in statu gratiæ, dummodo (*vt idem expressit tum in præced. ver. 10. tum in seq. nu. 22.*) vltimam visitationũ prescriptarum, qua talis indulgẽtia ipso iure acquiritur, faciat in statu gratiæ. Sic etiam ad lucrandas indulgentias, quæ in forma Iubilæi dari solent contritis & confessis qui ieiunarint feria quarta, sexta, & sabbatho, quique preces in certis Ecclesiis fuderint, & sequenti die Dominico Eucharistiam sumpserint, satis est in gratia esse, antequam tunc ipsa Eucharistia sumatur.

Ex priori autem fundamento Caietani, tantum Nu.181. euincitur opera imposita ad acquirendum indulgentiam; debere saltem moraliter bene fieri : eorumque perfectionem vltimam, per quam illa est proximè acquirenda, fieri debere in statu gratiæ. Non esse verò negandum, quin talia opera seruire possint ad integrandam causam concedendi indulgentiam, patet ex eo, quod seruiant de congruo ad obtinendam à Deo condonationẽ culparum, iuxta S. Thomã communiter receptum teste Nauarr. *sub finem cit. num. 19.* Quod & confirmatur per doctrinam de attritione, quæ cùm sit actus existentis in peccato mortali : sufficiens est tamen cum sacramento ad iustificationem peccatoris; ex Concil. Trid. *sess. 14. cap. 4. & can. 5. vide antedicta in lib. 5. cap. 6. sect. 2.* Posterius verò eiusdem Cajet. fundamentum tollitur per paulo antedictum de intentione Pontificis in concedendo indulgentias. Nam ex eo patet cã esse aliam, quam Caietanus putet significari per verba illa, *vere pœnitentibus qui visit. auerint, &c.* Vbi autem de intentione constat, verba non debent nos mouere, quia verba seruire debent intentioni non intentio verbis.

Quartum documentum est quod Nauarrus adhuc Nu.182. habet *in cit. notab. 19. num. 16.* facultates siue eligendi Confessarium, qui à reseruatis absoluat; siue audiendi diuina tempore interdicti; siue sacrificandi in altari portatili extra locum sacrum, siue comedendi ova, aut lacticinia in Quadragesima; siue id genus aliæ, quæ præter indulgentiam conceduntur : non requirere de se statum gratiæ, cùm nec seorsim ab indulgentia, concessæ, requirant : nec ita annexæ sint indulgentiæ cum qua conceduntur, quin possint valere illã non acquisitã : vt patet de absolutione à reseruatis virture Iubilæi data ei qui proponit præstare omnia quæ ad ipsum lucrandum imponuntur, sed postea negligit illa implere : valida est enim absolutio, si cætera necessaria interuenerint, vt ostendit idem Nauarr. *in Miscel. 93. de oratione* : etiamsi iuxta primum documentum, talis non consequatur concessam indulgentiam.

Quintum documentum est. Illum qui indulgen- Nu.183. tiam consequi vult, debere opus impositum per se implere. Huius rationem reddit Nauarr. *in Miscel. 14. de Rosario B. Virginis num. 2.* quòd (argumento cap. Porro De priuilegiis :) indulgentia sit restringenda respectu concedentis, tanquam dispensantis bona aliena, non verò suæ : nec sit extra sui tenoris metas extendenda : sicut extenditur data facientibus aliquod opus : intelligendo per facientes tam eos qui verè, per sèque faciunt : quàm eos qui fictè, id est, non ipsis sed aliis nomine ipsorum operantibus. Quare vt idem ex Abulẽsi habet *in comm. de indulg. not ab. 31. nu. 33.* parum prudenter faciunt, qui alios mittunt pro se ad loca, vbi lucrandæ sunt indulgentiæ; quia etsi tale quid possit prodesse ad aliquod meritum, non tamen ad acquisitionem indulgentiæ : nisi expressum esset in illius concessione, posse ad eam acquirendam opus perfici per alium : vt cùm in quadam bulla confirmationis confratriæ Rosarij B. Virginis, *quam idem refert in Miscel. 4. de eodem Rosario*, confratribus qui recitauerint per se vel per alium Beatæ Mariæ Virginis Rosarium, conceditur quadraginta dierum indulgentia.

Aduerte autem ex eõdem *in memorato not ab. 19. nu.* 6. cùm ad indulgentiam quærendam opus iniunctum potest per alium fieri, non esse necessarium vt faciens sit in statu gratiæ, dummodo is pro quo fit, in illo sit : sicut meritum eleemosynæ non impeditur ex eo quod detur per manum mali ministri.

Sextum est. Impẽdum esse opus iuxta for- Nu.184. mam in concessione indulgentiæ præscriptam : quia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt habitum est antea, nisi totum illud quod indulgens ad quærendam indulgentiam requirit, impleatur; nec illa nec illius pars acquiritur. Vnde Nauarr. *in Miscel. 92. de orat.* disputans an ad lucrandam indulgentiam quæ frequenter datur in forma Iubilæi, contritis & confessis: qui quarta & sexta feriis & Sabbatho ieiunauerint, iisdemque diebus deuotè orauerint, & eleemosynam si possint, iuxta suam deuotionem largiti fuerint, An inquam ad satisfaciendum intentioni indulgentis sufficere possit, quòd vno solo die tantùm orent aut tantum eleemosynæ dent quantum tribus diebus deberent. Resoluit non posse sufficere; tum aliis de causis; tum quia forma concessionis, cuius seruandum est præscriptum, continet vt tribus diebus fiant orationes, & dentur eleemosynæ.

Nu. 185. Quanquam, *vt idem sub finem eiusdem Miscellanei admonet*, probabile est eum qui per ignorantiam, obliuionem, vel inauertentiam excusabilem absque alia culpa vel negligentia orare, eleemosynam facere omitteret vsque ad diem Sabbathi; si tunc faceret orationem & eleemosynam notabiliter maiorem ea quã tribus diebus facere tenebatur: ex quadã æquitate, & ex tacita indulgentis intentione, indulgentiã ipsam acquirere: cùm id quod culpacaret in damnũ vocari non cõueniat *ex cap. 2. Deconstitutionib.* Receptúmque sit, *addit idem Naua.* pro tacitè statuto habẽdum esse id, quod verisimiliter statutum fuisset si à statuente quæsitũ fuisset. Dubitandum verò non sit quin Papa pro sua pietate, & æquitate, de hoc casu si interrogaretur id responderet quod dictum est.

Quo etiam fundamento niti potest traditum ab eodem Nauar. *in sequen. Miscel. 94.* Si in forma concessionis Iubilæi, is ab eleemosyna facienda excusetur, qui ob egestatem facere non potest: probabiliter quoque (præsertim cùm de similibus idem sit iudicium, *ex cap. Dudum 2. de electione*) excusari à ieiunio operarium illum, qui ob iustam necessitatem alendi ac sustentandi se vel familiam, cui tenetur de victu prouidere, omisit ieiunare diebus in eadem forma præscriptis: si quidem faciat cætera, & impleat quæ eorumdem ieiuniorũ loco Confessarius ei iniunxerit.

Nu. 186. Aduerte obiter *ex sequent. Miscel. 96.* quæ iniunguntur non præcipiendo, sed exhortando vt fiãt ad lucrandam indulgentiam: quia de consilio tantùm facienda sunt, non impedire lucrationem si omittantur. Sic ibidem ille resoluit non fuisse necessarium interesse supplicationibus ad quas Gregor. XIII. inuitauit, concedens indulgentiam in formã Iubilæi ad implorandum auxilium diuinum pro fœlici successu belli Flandrici, ad fidei Catholicæ augmentum & totius Ecclesiæ vtilitatem.

Nu. 187. Septimum documentum ex eodem Nauar. *in comment. de indulgen. notab. 31. nu. 34. & 35.* est indulgentiam quæ conceditur danti vel facienti aliquid indeterminatum (vt auxilium præbenti, vel oranti) acquiri ab eo qui dat vel facit, prout suæ personæ congruit; nempe à paupere quidem parum dante; à diuite verò dante multum. Concessam autem danti vel facienti aliquid determinatum, illud ipsum esse omnino obeundum ad acquirendam indulgentiam iuxta ante traditum primum documentum. Addit Nauarr. secundùm communem opinionem non referre ad indulgentiam acquirendam, *licet referat ad plus merendum*, an opus iniunctum impleatur cum magno labore, an cum paruo: quia indulgentia seu relaxatio pœnæ peccatis nostris debitæ non requirit proportionem cum labore à nobis suscepto, sed cum meritis Christi & Sanctorum quæ in ea dispensantur. Quæ doctrina est D. Thomæ *posita in supplemento tertiæ partis quæst. 25. art. 2.* vbi in responsione ad 4. argumentum ex ea infertur Clericos & alios vicinos Ecclesiæ, in qua concessa est indulgentia; eam æquè acquirere, ac alios à longè venientes.

Octauum documentum est *de quo ipse Nauar. in eodem comment. notab. 32. num. 45.* Eum qui opus impositum implet peccans seu venialiter seu mortaliter, non acquirere indulgentiam, si illud in quo peccat, ad ipsam operis executionem pertineat tanquam accidens morale, seu tanquam circumstantia: quæ cùm sit indebita, reddit eam moraliter malã. Namque ad acquirendam indulgentiam, vt habitum est antea in explicatione tertij documẽti, requiritur vt opus impositũ, fiat bene moraliter. Acquirere autem, si illud in quo peccat, nihil ad ipsam operis impositi executionem moraliter pertineat; quia id non impedit quominus ipsum moraliter bene fiat. Nec enim dicendum est eleemosynam non esse bonam moraliter ex eo, quòd detur ab eo qui cum altero inimicitias exercet; & sic de cæteris. Quæ quacumque ratione fiant ab existente in peccato mortali; esse verè peccata, quicumque dixerit, hæreseos condemnatur per *Can. 7.* Concilij Trident. *sess. 6.* *Nu.* 188.

Sic ergo, inquit Nauar. is qui visitationem Ecclesiarum propter quam datur indulgentia facit ob vanam gloriam: aut nimio risui, vel colloquiis vanis vacando, vel tempore indecenti, vel habitu, aut comitatu suæ personæ non conuenienti, aut cum aliquo aliorum iusto scandalo, non lucratur indulgentiam: quia talis executio operis, mala est ex circumstantia temporis, vel ex circumstantia personæ agentis. Is autem qui facit eamdem visitationem bono fine, bono modo, ac tempore opportuno: sed ea durante peccet: verbi gratia, concupiscendo aliquam vindictam, aut desiderando vanam gloriam aliquibus aliis suis actibus, lucratur indulgentiam, si adsint cætera ad id necessaria. Cùm autem fieri possit vt vna pars eiusdem actus sit mala, & altera pars bona; vt cùm quis in Ecclesiam ire incipit ob vanam gloriam; & postea mente ea mutata persequitur, & finit iter ad gloriam Dei: addit Nauar. opus quod maiori ex parte bene fit moraliter, licet aliqua ex parte malum sit, valere ad consequendam indulgentiam, pro qua ipsum imponitur; & ita satisfacere eum in supra dicta visitatione, qui modestè & deuotè ingrederetur, precaretur, & egrederetur Ecclesiam: quantumcumque ad eam veniendo se immodestè gesserit.

Nonum documentum, *ex iis quæ Nauar. disputat atque definit in notab. 34. de indulgen.* tale statui potest. Quod indulgentiæ acquisitio extendatur non modo ad peccata commissa ante concessionem absolutè factam, sed etiam ad commissa post illam. Hoc patet ex vsu concedendi indulgentias perpetuas, per quem Ecclesia falleret, si indulgentia non posset ad peccata post illam concessam commissa extendi. Nam declarari non posset quo modo ipsæ perpetuæ prodessent iis etiam, qui nati non erant quo tempore concedebantur. Neque obstat, *inquit Nauar. num. 4.* quòd indulgentiæ concessio sit restrictè interpretanda: quoniam restrictio ea intelligitur quoad indulgentiæ concessæ quantitatem & durationem: non autem quoad personas & peccata pro quibus concessa est. Hoc enim posteriore respectu, non possunt sicut illo priore, vrgeri incommoda malæ administrationis bonorum alienorum: cùm Christus suarum satisfactionum thesaurum reliquerit Ecclesiæ indifferenter pro omnibus suis membris viuis, qui satisfactione indigerent pro quibuscumque suis peccatis. *Nu.* 189.

Procedere autem hoc documentum quantumcumque peccauerit quis, cum certa spe consequendæ indulgentiæ concessæ; Nauar. *in sequent. num. 6.* ostendit ex eo, quòd peccare cum certa spe veniæ, minus malum sit, quàm peccare eã non conceptã: vt hinc patet, quia illud, minus quàm hoc, accedit ad desperationem quæ malum est maximum. Quare si peccans non concepta spe veniæ consequendæ per indulgentiam, potest hanc consequi poterit quoque peccans dicta spe concepta. Nec propterea dicẽdum est, scandalum seu occasionem peccandi præberi per indulgentiam; quia hæc non datur, vt spe illius consequendæ peccetur: sed vt miseriæ lapsi in peccatum misericorditer subueniatur. Ex quo misericordiæ actu, quod quis occasionem peccandi accipiat, illius malitiæ, non indulgentiæ tribuendum est, sicut legi qua Clerici à iurisdictione laica eximuntur, non tribuitur quòd aliqui ex eis fiduciã impunitatis, grauia interdum crimina committant. Nec Sacramento pœnitentiæ, quod plerique Christiani peccent spe veniæ per illud obtinendæ. *Nu.* 190.

Nu. 191. Habet etiam *in sequenti num. 7.* Nauar. quod est obseruatione dignum, & maximè bonitatem diuinam commendat: remissionem peccatorum anteriorum iam acquisitam per indulgentiam, non amitti ob frequentem lapsum in peccatum mortale, quia vt culpa, sic pœna peccati semel ablata & extincta, non potest reuiuiscere: quia diuina clementia peccata dimissa, in vltionem vlterius redire non patitur vt habetur *in cap. fi quis, De pœnitẽt. distinct. 4.*

QVÆSTIO V.

Quinam sint capaces indulgentiæ acquirendæ.

Nu. 192. HVius difficultatis determinatio habetur ex *Bulla Leonis decimi de indulgen. edita anno Domini* 1518. per illud quod in ea dicitur: Romanum Pontificem Petri clauigeri successorem & Christi in terris Vicarium, potestate clauium posse pro rationabilibus causis indulgentias concedere fidelibus, qui charitate iungente membra sunt Christi: siue in hac vita sint, siue in purgatorio. Inde enim patet indulgentiæ capaces esse tantùm eos, qui sunt in statu gratiæ, & pro peccatis suis quoad culpam remissis, manent in foro Dei debitores pœnæ, hìc vel in purgatorio luendæ. Ratio est quia cùm talis pœna impediat ingressum in regnum cœlorum, relaxatio illius necessariò pertinet ad claues, quas D. Petro, & successoribus ipsius traditas esse constat ex verbis Christi *Matth. 16.* Tibi dabo claues regni cœlorum. quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solueris super terram erit solutum & in cœlis.] Neque eidem pœnæ obnoxij inueniantur beati, vt certum est: neque existentes in statu peccati mortalis seu viui seu mortui, perseuerante in eis reatu pœnæ æternæ. Inueniantur autem obnoxij aliqui, tam ex iis fidelibus qui vita functi iam sunt, quàm ex iis qui adhuc superstites sunt: nimirum quibus remissione culpæ suæ mortalis, æterna pœna mutata est in temporalem quam nondum persoluerunt integram. Vnde consequenter fit vt inueniantur capaces indulgentiæ, quâ illa ipsa pœna tanquam impedimentum ingressus in regnum cœlorum, tollatur dictarum clauium virtute.

Neque quoad vita functos obstat illud, *super terram*: quia non est referendum ad eum qui soluitur, quasi is esse debeat super terram; sicut nec illud, *in cœlis*, ad eumdem referendum est, quasi debeat esse in cœlis: sed referri debet ad illum qui soluit: vt sensus sit, Quod tu super terram existens solueris: idipsum Deus existens in cœlo pariter soluet. Quo modo eum locum S. Gregor. *in lib. 2. Dialog. cap. 23.* intellexit: cùm inde confirmauit S. Benedictum adhuc *in* terris degentem potuisse soluere duas sanctimoniales vitã functas. Cur autem ex vita functis soli ij qui in Purgatorio detinentur indulgentiæ capaces esse censeantur, ratio in promptu est: nempe, quòd illi Ecclesiæ militanti, *ex cuius thesauro indulgentia depromitur*, coniuncti sint charitatis vinculo indigeantque ipsius auxilio; quod sicut eis præstari potest per singularum personarum pia opera, *ex cap. Animæ & cap. Tempus 13. quæst. 2.* poterit etiam per dispensationem communis thesauri, qui multo abundantior est meritis. Cæteri autem vel non indigent tali auxilio, vt qui beatã vitã fruuntur, *iuxta cap. Cum Marthæ, De celebr. Miss. & citatum cap. Tempus*: vel carent charitate per quam sint viua Christi membra, vt pueri in limbo detenti ob peccatum originale: & multo magis æternis suppliciis ob alia mortalia peccata addicti: quos non posse iuuari, habetur *ex cap. In præsenti & cap. Pro obeuntibus in cit. quæst. 2.* Licet autem detenti in purgatorio, vtpote vita iam functi, non spectent absolutè ad Ecclesiæ forum: respectu tamen peccatorum quæ in hoc mundo commiserunt, censentur ad illud spectare sufficienter ad relaxandam temporalem pœnam iisdem peccatis, culpã remissã, debitam, vt declaratur similitudine: quia is qui in ciuitate aliqua diu mansit, posteaquam in aliam migrauit, ad prioris forum spectat, quantum sufficit ad hoc, vt peccata quæ in eadem priore commisit, si ea sint ibi legitimè remissa, non possit iustè pro illis in posteriore ciuitate puniri.

Aduerte autem quod Nauar. notat *in comment. de indulgen. not. ab. 22. num. 4.* (& esse cõmunem Theolog. & Canonist. sententiam tangit Suarez *tom. 4. disput. 55. sect. 3. num. 9.*) inferiorem Papã non posse ad mortuos indulgentiam extendere. Et probat: tum quia nunquam id videtur hactenus factum: tum quia de Papa, an id posset non parum dubitatum aliquando fuit; quæ indicio sunt non posse probabiliter asseuerari, quod ipsi inferiores prælati valeant pro defunctis indulgentiam concedere: præsertim cùm potestas ipsorum concedendi indulgentias sic restricta sit *in cap. Cum ex eo: de pœniten. & remiss.* vt non valeant eas concedere nisi subditis: de quorum numero non sunt defuncti; ne quidẽ ij qui ad ipsorum diœcesim viui pertinuerunt: ideóque non possunt magis eos iuuare quàm viuos pertinentes ad aliam diœcesim. *Nu.* 193.

Porro inter omnes conuenit, *reste eodem Nauar. in sequen. num. 10.* quòd indulgentia à Papa concessa detentis in Purgatorio, illis prosit per modum suffragij: quod est, vt idem interpretatur *ibidem num. 14.* ipsos per eam eodem modo, quo per pia viuorum opera, iuuari auxiliúmque accipere ad suam liberationem. Cum autem triplex sit modus ferendi auxilium defunctis per pia opera (quod ille *num. 15.* subiungit ex Caietano) vnus de congruo tantùm dictam liberationem illis promerendo: alter eam impetrando precibus; & tertius satisfaciendo pro illis per passionem operum pœnalium: huic tantùm postremo similis est modus iuuandi mortuos per indulgentiã: quæ cùm de se, non meritoria vel impetratoria sit, sed tantùm satisfactoria, auxilium quod per illam præbetur censetur tantùm esse per modum satisfactorij; non autem per modum meritorij vel impetratorij. Propterea igitur indulgentia dicitur per modum suffragij concedi mortuis, quod idem *in nu. 21.* habet quia conceditur vt prosit ipsis eodem modo quo viuorum suffragia quatenus satisfactoria, prosunt ipsis: nempe satisfaciendo pro temporalibus pœnis quarum adhuc debitores sunt, sumpto pretio ex thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum: cuius dispensatio commissa est Papæ, non tantùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

viuis faciendi sed etiam defunctis in Purgatorio detentis. In quos quantumuis non acceperit potestatem Iudicis, qua in eos tanquam in subditos sententiam proferret absolutionis vel condemnationis; non est tamen negandum quin potestatem acceperit (quod ille addit *num.* 22.) per indulgentiam iuuandi ipsos ad eum modum quo cognati & amici per sua suffragia satisfactoria eosdem iuuant: quia in foro animarum separatarum sicut & in foro adhuc degẽtium in corpore, diuina voluntate acceptantur satisfactiones aliorum pro aliis quibus applicantur per intentionem satisfacientis, aut sufficientem Superioris authoritatem. Qua in re quod speculatiua sit, non immorabimur sed transibimus ad ea quæ Nauar. ipse subiungit, obseruatione digna pro praxi.

Nu. 194. Primum est *in nu.* 29. Indulgentiam tunc demum prodesse defuncto, cùm ad hunc per concessionis formam, illa extenditur, & ab aliquo ex viuis, nomine ipsius perficitur opus pium, propter quod illa conceditur. Tale enim opus imponitur viuis, non autem defunctis, quibus sine speciali reuelatione innotescere non potest impositum.

Nu. 195. Secundum est *in num.* 30. Non referre an viuus qui supradictum opus facit, sit in statu gratiæ, vel in statu peccati mortalis. Nam quamuis secundùm receptam Palud. sententiam *in 4. distinct. 45. quæst. 1. art. 1. concl. 3. vers. 3.* malus non modo pro se, sed neque pro alio possit principaliter satisfacere: potest tamen ministerialiter satisfacere pro alio existente in statu gratiæ, cuius mandato facit eleemosynã, vel aliquod aliud opus bonum. Quare etiamsi malus sit ille qui pro existente in purgatorio, qui est in statu gratiæ, implet opus propter quod ei concessa est indulgentia, non impedietur huius acquisitio: quæ non consistit in eo quòd is qui opus implet satisfaciat pro defuncto, sed in eo quod Papa ob tale opus impletum, ex Ecclesiæ thesauro impertiat tali defuncto satisfactiones Christi, & Sanctorum superabundantes.

Nu. 196. Tertium est, Defuncto ob ea quæ dum viueret, fecit digna indulgentiã, posse à Papa indulgentiam ipsam concedi. In cuius confirmationem Nauar. adfert *in sequen. num.* 33. quod aliqui Summi Pontifices tradantur vsi tali potestate erga nonnullos; qui morte obierant; de Sede Apostolica bene meriti iustúmque sit vt eiusdẽ Pontificis acta quoad eius fieri potest, defendamus: argumento *cap. 1. distin.* 20. Sique obiiciatur non dari indulgentiam mortuo, nisi ob opus factum à viuo. Respondet Nauar. *ibid. num.* 34. id quidem verum esse, sed illum ipsum cui mortuo indulgentia conceditur, fecisse dum viueret opus propter quod conceditur.

Quartum est: omnia quæ viuentibus necessaria sunt ad indulgentiam acquirendam, esse quoque necessaria mortuis: atque sicut nõ potest Papa. pro libito indulgentiã cõcedere viuentibus, sed iusta tantùm de causa: ita nec mortuis. Quod notans idem Nauar. *in seq. num.* 37. addit inde consequens esse quod ex D. Thoma *in 4. distin.* 45. communiter admittitur, non posse Papam pro libito euacuare purgatorium animabus in eo detentis.

Nu. 197. Quintum est, vtilissimum esse persuadere ægroto morituro, vt concipiat animum Deo satisfaciẽdi pro suis peccatis in hoc sæculo, si vita ei super sit: quoniã *in præced. quæst.* 3. ostensum est tanquam tutius & rationabilius tenendum esse cum Caiet. quòd indulgentia ei soli prosit, qui tantam pœnitentiam quanta sufficit ad delendam pœnam quæ indulgetur acceptauit iniunctam à Confessario, vel non iniunctam proposuit in hac vita facere.

Nu. 198. Sextum est, *quod adhuc habet ibidem Nauarrus, num.* 50. merito fieri suffragia pro defunctis postquam vel in articulo mortis vel post mortem eis quæsita fuerit indulgentia plenaria: tum quia fieri potest vt viuens non habuerit iustum & sufficiens propositum satisfaciendi pro tota pœna Purgatorij, relaxanda per ipsam indulgentiam: quod propositum prædiximus secundùm probabiliorem sententiam, necessarium esse ad acquirendam indulgentiã: tum quia ex dictis *in præced. cap. 13. sect. 2.* plenaria indulgentia non tollit omnem pœnã in purgatorio luẽdam: imò nec plenior, sed sola plenissima: tu quia multorũ sentẽtia est *quam Nauar. sequitur in præced. not. ab.* 15. quòd indulgentia plenissima non liberet plenissime, nisi causa ob quam conceditur sit ad id sufficiens: de qua re nõ potest satis nobis constare. Nec obstat quòd sententia contraria videatur probabilior: quia cùm ipsa altera suam aliquam probabilitatem habeat, expedit facere, quæ nocere nequeunt etiamsi forte nihil prosint: tum demum, *prout ex Gabriele Nauarrus addit*, quòd talia suffragia fieri possint in gratiarum actionẽ, sicut & illa quæ fiunt pro puero recens baptizato & mortuo, nihil habente expiandum. Itemque ad gratificandum ipsis defunctis qui plurimùm gaudẽt amicos suos tam pia opera pro se agentes Deo gratiores fieri, & Deum honorare, aliasque animas Purgatorij iuuare. Itaque pectus habens verè Christianum, non tantùm libenter suis vita functis acquiret indulgentiam per quam celerius ab horrendis Purgatorij pœnis liberentur: sed etiam suffragia præstabit: quibus etsi forte non indigeant, per ea tamen accrescat illis gaudiũ quoddam accidẽtale, eo nomine, quòd causa ipsorum: & animæ aliorum defunctorũ iuuentur, & diuina maiestas honoretur; taliaque præstantes reddantur Deo suo gratiores: quem illi à pœnis liberi etiam atque etiam deprecantur, vt nos qui fuimus in eos benefici, liberet hìc à malis, & secum tandem collocet in cœlis.

Vnicum dubium restat, An is qui indulgentiam concedit capax sit illius acquirendæ. Hoc Sotus proponens *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 4 col. penult.* pro parte negante adfert, quòd conferre indulgentias sit actus iurisdictionis in subditũ, nemóque possit in seipsum iurisdictionem exercere; vt patet ex eo quod nemo possit seipsum sacramentaliter absoluere. Pro affirmante verò, *quam ille sequitur & probabilior est*: quòd à ratione alienum prorsus sit, Papam eoquod sit Ecclesiæ caput, excludi ab illo beneficio, quod cæteris cõmunicat: cùm Princeps distribuens bona communia, possit suam portionem sibi accipere tãquam Reipublicæ membrum, omnium etiam potissimum. Quod qui negauerit negare similiter debet, Papam posse gaudere priuilegio, quo dispensauerit cum tota vrbe in aliquo die ieiunij. Et certè si in onerosis, ille generalem legem qua imponit aliquid (vt ieiunij vel festi obseruationem) tenetur seruare, si non vi coactiua, vt alij, saltem vi directiua iuxta illud Canonizatum *in cap. Cum omnes, De constitut.* Patere legem quam tuleris ipse: non est negandum in fauorabilibus ipsum posse participem esse beneficij quod generaliter confert, si illo sicut cæteri indigeat, vt potest indulgentiæ beneficio indigere. Ad argumentum autem contrarium idem author respondet, neminem posse quidem iurisdictionem in seipsum exercere cogẽdo se; nec absoluere seipsum sacramentaliter; cùm talis absolutio requirat vt Pœnitens se Sacerdoti subiiciat cui parere teneatur. Indulgentiam verò non concedi cogendo, sed aliquid facientibus concedendo ex thesauro Ecclesiæ, pretium quo redimant pœnas temporales, quas Deo debent pro suis peccatis. Quod beneficium ita concessum, potest perinde extra Sacramentum ac in Sacramento obtineri. *Nu.* 199.

LIBER QVARTVS, ET TOTIVS OPERIS OCTAVVS, DE SACRAMENTALI ABSOLVTIONE.

PRÆFATIO.

ABSOLVERE idem est generaliter, ac expedire aliquem vinculis quibus constrictus tenetur: absolutióque est ipsa actio ligatum liberandi à vinculis: quorum nomine propriè significantur corporea, seu quæ corpus ligant: per metaphoram verò ex illis sumptam; tum peccata, quibus spiritaliter ligatur humana anima, iuxta illud Prouerb. 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur:]tum censuræ Ecclesiasticæ, quibus Ecclesia spiritaliter constringit peccatores ad ipsorum correctionem & emendationem. Pro quo duplici spiritalium vinculorum genere, duplex distinguitur absolutio spiritalis; vna à peccatis, & altera à censuris: quæ sunt excommunicatio, suspensio & interdictum. De illa, quæ communiter dicitur Sacramentalis, propositum nobis est hoc loco dicere: atque eam cum Caietano in summula, spectare primò secundùm se absolutè. Deinde in ordine ad Confessarium illam conferentem. Tertiò, in ordine ad Pœnitentem, illam recipientem; & sic primum huius libri caput erit de Sacramentali absolutione secundùm se. Secundum de ea in ordine ad Confessarium. Tertium de eadem in ordine ad Pœnitentem: quibus aliquot addenda sunt de absolutione à casibus reseruatis, quæ peculiarem habet difficultatem: tam quoad potestatem absoluendi, quàm quoad executionem eiusdem potestatis. Ad quam minuendam, quartum caput addetur de potestate absoluendi à reseruatis. Quintum, de commissione eiusdem potestatis. Sextum, De illius executione; & Septimum, de eiusdem executionis effectu.

CAPVT I.

De absolutione Sacramentali secundùm se absolutè.

SVMMARIVM.

1 *Absolutio Sacramentalis, actus est iudicialis, & Sacramenti Pœnitentiæ forma.*
2 *Essentia illius tota consistit in verbis Absoluo te, ab eiusdem Sacramenti ministro prolatis, cum debita intentione.*
3 *Peccatum est, eadem verba in Sacramenti administratione mutare in alia, eiusdem etiam sensus, & sufficientia ad perficiendum Sacramentum.*
4 *Cum qua intentione pro ferri debeant.*
5 *Quatenus sint Sacramenti forma.*
6 *Nec licet, nec valet absolutio Sacramentalis data sub conditione de futuro.*
7 *Quando liceat data sub conditione de præterito.*
8 *Quando data sub conditione de præsenti, etiamsi illicita, valeat.*
9 *Duo casus in quibus sic data potest licita esse.*
10 *Bis super eadem confessione dari non potest: super iisdem autem peccatis iterata eorum confessione, potest.*
11 *Absolutio per aliquod tempus differri potest post factam confessionem, & impositam satisfactionem.*
12 *Manum Pœnitenti imponere necessarium non est; non modo de necessitate Sacramenti, sed nec de necessitate præcepti.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ONTENTI erimus ea attingere de Sacramentali absolutione secundùm se absolutè, quæ ad praxim nobis propositam facere videntur, relictis aliis Theologorum scholasticorum considerationi, quorum sunt propria.

Nu. 1. Primum est, Sacramentalẽ absolutionem actũ esse iudicialem, quo à Sacerdote tanquam Iudice, sententia pronunciatur, prout Concil. Triden. definit. sess. 14. cap. 6. & Can. 9. Quod & in præced. cap. 3. statuit, ipsum Sacramenti Pœnitentiæ formam esse, in qua præcipuè, vis illius sita sit; addens consistere in verbis ministri eiusdem Sacramenti *Ego te absoluo.* Pro quo etiam facit hæc ratio, quam habet D. Thomas in 3. part. quæst. 84. art. 3. Illa est forma in vnaquaque re, per quam ipsa perficitur ab agente. Sacramentum autem pœnitentię per ea verba perficitur à Sacerdote illius ministro; cùm nihil ipse faciat aliud, quàm, *præsupposità Pœnitentis confessione tanquam materiâ*, verba prædicta proferre. Ergo ea sunt ipsius forma.

Notanda quoad essentiam & validitatem absolutionis Sacramentalis.

SECTIO PRIOR.

Nu. 2. SEcundum est in solis illis verbis (Ego te absoluo) à ministro Sacramenti Pœnitentiæ cum debita intentione prolatis, consistere totam Sacramentalis absolutionis essentiam. Quod Caiet. in verbo Absolutio à peccatis, ex Concil. Florentino confirmans; addit pronomen Ego, non esse de necessitate formæ, quia ipsum subintelligitur in verbo Absoluo: nec item ea quæ dictis verbis antecedenter aut consequenter apponuntur dicendo: Dominus Iesus Christus te absoluat, & ego authoritate ipsius te absoluo à peccatis tuis: in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi & merita beatæ Mariæ Virginis & omnium Sanctorum quidquid boni feceris vel mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & in præmium vitæ æternæ. Amen.] Quamquam tamen talia meritò censentur esse de cõgruentia, vt idem author tangit; quia cùm Sacerdos absoluat tanquam Dei minister, non habens authoritatem ex se, sed ex Deo, qui est principalis causa remissionis peccatorum: ne videatur sibimet talem authoritatem arrogare, consentaneum est, vt prædictæ formæ absolutionis præmittat illa verba, *Dominus Iesus Christus te absoluat*, itémque subiungat verba illa, *Passio Domini nostri, &c.*] propterea quod deletâ per absolutionem culpâ, manet pœna in purgatorio luenda: quæ nobis relaxatur tum per Christi & Sanctorum merita quæ nobis applicantur per indulgentias; de quibus proximè egimus in appendice præcedentis libri: tú per bona quæ facimus aut mala quæ patimur ex Dei amore in ipsius gratia cõstituti. Debere verò subiungere illa, *peccatis tuis: in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, nec vllo modo omittere posse Concil. Trident. satis indicat, cùm in cit. cap. 3. addidit, *& cetera*: hoc enim verbum ostendit saltem ex intentione Ecclesiæ nullo modo omittenda esse ea quæ Sacerdos postquam dixit, (*Ego te absoluo*, statim subiungit *à peccatis tuis: in nomine patris & Filij & Spiritus sancti*: etiamsi non pertineant ad Sacramenti essentiam: nec eorum omissio de se faciat absolutionem sacrilegam & inualidam, si cætera adsint. Verba autem deprecatoria, tam quæ præcedunt absolutionem, *Misereatur tui &c.* quàm quæ sequuntur, *Passio Domini nostri Iesu Christi, &c.* licet non sint pro arbitratu omittenda, tum quia laudabilis sanctæ Ecclesiæ mos fert, *prout Concil. Trid. habet in cit. cap. 3.* vt absolutioni adiungantur: tum quia sunt Pœnitenti vtilia, pro impetranda dispositione ad gratiam, & recipiendam per absolutionem, & receptam deinceps conseruandam. Quanquam non est tanta eorum necessitas, quin si vrgeat Pœnitentium multitudo, aut alia similis causa rationabilis, omitti possint; tanquam non modò ad essentiam, sed neque ad administrationem Sacramenti Pœnitentię necessaria *vt idem Concil. Trident. expressit.* Et hoc nequidem necessitate præcepti, vt habet Nauarr. *ad princip. cap. primi De pœniteni. distinct. 6. numero* 30. vnde ex Soto in 4. distinct. 14. quæst. 1. art. 3. col. penultima, ea omissione nisi contemptus interueniat ne veniale quidem peccatum committitur.

Nu. 3. Tertium est, mutationes quibus receditur à verbis per Ecclesiam determinatis in forma Sacramenti Pœnitentiæ, non fieri sine peccato; etiamsi eæ tales sint quæ non obstent quominus Sacramentum perficiatur: quod tamen peccatum Sotus ait loco citato non esse genere suo mortale, nisi fortè ob scãdalum: nimirum quia vulgus putaret talem formam non esse legitimam. Vbi aduerte Ecclesiam non præcipere vt sacramentum Pœnitentiæ administretur sub hac verborum forma (Ego te absoluo) quasi velit irritum esse Sacramentum, si sub alia administretur: sed quasi velit declarare, talia verba magis quàm alia conuenire ad eum vsum: quia cùm verba non pertineant ad Sacramenta nisi ex institutione diuina, conuenit vt ea, *nec alia*, vsurpentur ad Sacramentum, sub quibus ipsum fuit à Christo institutum. Sic quia ipse dixit Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes baptizãtes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti:] pro forma Baptismi vsurpantur verba, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.] Pariter ergo quia Matth. 16. dixit, Quodcumque solueris super terram: & cap. 18. Quæcumque solueritis super terram erunt soluta & in cœlis; conuenit vt illis verbis, *Ego te absoluo*, Sacerdotes Sacramentum pœnitentiæ administrent, ad quod præstandum potestas per prædicta verba relicta est à Christo in Ecclesia ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. Itaque peccatum committere censetur, *nisi ignorantia excuset*, quisquis dictam formam mutat, etiam retento sensu: non quòd non perficiat Sacramentum, sed quòd ritum Ecclesiæ non obseruet.

Nu. 4. Quartum est, intentionem ministri verba ea proferentis debere in particulari esse, exercendi actum per quem Sacramentum Pœnitentiæ administretur confitenti: ideoque si Sacerdos casu, nec ex intentione, verba ipsa Sacramentalia proferret, neutiquam absolueret. Cæterùm in communi debet intentio esse faciendi quod Ecclesia facit per suos ministros iuxta Concil. Florentinum in instruct. Armenorum sub initium: non quòd necessariũ sit vt intra se actu dicat: Intendo facere id quod facit Ecclesia, *prout bene monet Sotus in 4. distinct. 1 quæst. 5. art. 8. in fine*: sed quod intendat tanquam Ecclesiæ minister incumbere talis Sacramenti administrationi, & id quod sui muneris est exequi.

Nu. 5. Quintum est, eadem verba non dici formam Sacramenti Pœnitentiæ, quatenus voces quædam sunt materialiter: sed quatenus significant eiusdem Sacramenti effectum; nimirum peccatoris iustificationem liberationémve à peccatorum vinculis: cùm enim Sacramenti essentia nihil aliud sit, quàm signum esse rei sacræ, seu significare gratiam interius sanctificantem ex D. Thoma 3. part. *quæst. 60. art. 2. & 3.* ac cæteris Theologis *in 4. distinct. 1. quæst. 1.* fit vt vnumquodque

quodque, *siue tanquam materia, siue tanquam forma*: catenus ad Sacramentum pertineat, quatenus significat: aliioqui enim Græci qui ignorant has voces (Absoluo te) non perficerent Pœnitentiæ Sacramentum. Vnde pro praxi ex D. Thomæ doctrina *in citata quæst. art. 7. ad 3. & artic. 8.* hæc regula sumitur Quæcumque mutationes fiant in forma Sacramentali, dummodo sensus non mutetur, verè conficitur Sacramentum. Quæ intelligenda est suppositâ in ministro rectâ intentione faciendi quod ex Christi institutione facit Ecclesia. Nam verba Sacramentalia non habent ex sua natura, vt significent interiorem gratiam; sed ex diuina institutione: quæ illis in partieulari applicatur per intentionem ministri. Qua de causa Concil. Florent. loco cit. inter ea quæ requiruntur ad Sacramentum, numerat intentionem ministri. Ad quorum pleniorem intelligentiam documenta quædam addenda essent: sed quoniam sunt omnibus Sacramentis communia, in eum locum differenda sunt, in quo tradentur quæ in genere ad Sacramenta ipsa pertinent, in sequenti libro 26.

Notanda quoad absolutionis Sacramentalis vsum.

SECTIO POSTERIOR.

Nu. 6. SExtum est, nunquam absolutionẽ à peccatis impendendam esse sub conditione de futuro: vt si Cõfessarius diceret, Si restitueris, aut si feceris talem pœnitentiam, vel aliud huiusmodi, ego te absoluo. talis enim absolutio esset nulla, vt rectè probat Caiet. in summula *verbo Absolutio à peccatis, versu Circa appositionem conditionalem*, & post eum præter cæteros Nauarr. *in Enchir. cap. 26. num. 12.* Quia non est in potestate Sacerdotis ministrantis Sacramentum, nunc temporis conferre illud, & suspendere effectum eius in aliud tempus implendæ conditionis appositæ. Vnde, *vt addit Caiet.* sacrilegus est eiusmodi abusus formæ Sacramenti, quâ ipsum ea ratione perficitur, vt fructus ipsius excludatur per indebitam ministrãtis intentionem. Idem iudicium est, *vt adhuc Caiet. addit*, si Sacramentalis absolutio impendatur sub ratihabitione Superioris: quoniam quod fit sub spe ratihabitionis, quamuis voce tunc fiat; re tamen ipsa fit tanquam pendens, itaut irritari nullúmque esse possit.

Nu. 7. Sub conditione verò de præterito, quando Confessarius dubitat an protulerit verba absolutionis, potest licitè absoluere dicendo: Si non es absolutus ego te absoluo, &c. Sicut cùm de aliquo dubitat an sit baptizatus, potest illum sub conditione baptizare dicendo, Si non es baptizatus ego te baptizo &c. iuxta cap. 2. de baptismo.

Nu. 8. Sub conditione denique de præsenti, vt dicendo Si verè statuisti restituere, vel præsentare te Superiori Absoluo te, &c. Absolutio data tenet, stante conditionali veritate, id est, si res verè se habeat vt supponitur: peccat tamen Sacerdos sic absoluens: quia sine iusta causa (quandoquidem in foro Pœnitentiali ex Ecclesiæ communi vsu, Pœnitenti aliquid de se dicenti creditur absolutè, & sine conditione) præsumit dare sub forma dubia, quod Christus mandauit sub certa forma ministrare. Adeout, *addit Caiet.* si à Superiore facultas absoluendi à reseruatis commissa sit sub aliqua conditione peragendi certam pœnitentiam peregrinationis, vel eleemosynæ, vel alterius boni operis: ipse non debeat conditionaliter, sed simpliciter & absolutè absoluere Pœnitentem acceptantem talem pœnitentiam, aut saltem habentem animum implendi quamcumque ei iniungendam. Nu. 9.

Duo tamen sunt casus, quos Iacobus à Graphiis *lib. 1. decis. aur. cap. 32. num. 2.* ex Bartholomæo à Medina commemorat: in quibus dari potest absolutio sub conditione de præsenti. Prior est, quando puer confitetur, & Confessarius dubitat an is habeat vsum rationis, vel an phreneticus in actu confessionis, sit sanæ mentis. Posterior est, quando is qui confitetur iustus esse creditur, & ita virtutibus ornatus apparet, vt Sacerdos nequeat internoscere, an ea quæ ille cõfitetur sint peccata venialia necne. In illo enim casu, inquiunt memorati authores, Confessarius potest absoluere dicendo. Ego te absoluo à peccatis tuis, si habes vsum rationis. In hoc verò, dicendo Ego te absoluo si quæ confiteris sint peccata.

Cuius doctrinæ ratio reddi potest, quod absolutio sub conditione de præsenti, sufficere possit ad Sacramentum: & quando res est dubia, tantùm abest vt ea sit de se mala, quin potius remedium est præsentissimum ad vitandam molestiam, qua animus anxius vexatur, dum non suppetit ratio vincendi dubietatem, vt ferè cõtingit in propositis casibus. Quamquam in corum posteriore, *quod etiam monet Iacobus a Graphiis*, melius est aliqua dexteritate elicere ex ore Pœnitentis aliquod ipsius peccatum iam aliàs in confessione detectum, vt vsurpari possit vsitata absoluendi forma. Aut certè cùm nullum dubium est de mortali, abstinere à Sacramentali absolutione: prout prudentia, interiórque Spiritus sancti instinctus ad maiorem Dei gloriam esse dictabit. Nam etsi cauendum est, absolutionem Pœnitenti facile negare, *prout habet Nauar. in Enchir. cap. 26. num. 3.* tamen non fit ei iniuria, cùm ideo non absoluitur, quòd notetur aliquid ad absolutionem requisitum deesse in ipso: vt deest materia absolutionis in proposito casu.

Nu. 10. Septimum est, nunquam esse impendendam bis absolutionem super eadem confessione: posse autem impendi super iisdem peccatis, si eorum confessio iteretur. Cuius veritatis priorem partem Caiet. *loco citato versu Circa iterationem*, probat: quia ipsa iteratione, vtpote arguente insufficientiam prioris formæ, fit iniuria Sacramento. Posteriorem partem verò probat: quia confessio tenet locum materiæ proximæ in Sacramento Pœnitentiæ; ex Concil. Florent. in antecitata instruct. Armenorum: vnde fit vt homo, quia potest pluries eadem peccata confiteri, possit quoque pluries ab iisdem absolui. De qua re Medina in Cod. de confessione quæst. 25. Quamquam tamen in tali iteratione adhibendus est modus propter reuerentiam Sacramenti. Nam ea laudabilis quidem est, quando fit seruatis prudentiæ conditionibus, non tamen aliter facta: nempe ex inquieta phantasia & scrupulosa conscientia, cum molestia Confessarij & iactura temporis: prout ex eod. Caiet. annotat Nauarr. ad cap. Fratres. De pœniten. distinct. 5. num. 30. Videnda sunt *in præced. lib. 2. cap. 10.* dicta, de sexta specie scrupulorum.

Nu. 11. Octauum est, absolutionem per plures dies differri posse, post factam confessionem & taxatam pœnitentiam: etiamsi Confessarius interea obliuisceretur talis pœnitentiæ, dummodo ea illi in memoriam priùs reuocetur. Item posse in vna die confessionem audiri, & in altera iniungi pœnitentiã & absolutionem impendi: quia Pœnitentiæ Sacramentum non requirit tantam continuitatem agendorum & dicendorum quantam alia Sacramenta. Ita habet D. Antoninus in summa confessionali tractatu 1. par. 2. cap. 4. sub finem, ex quo id refert etiam Iacobus à Graphiis *in lib. 1. decis. aur. cap. 32. num. 11.*

Nu. 12. Postremum est, ad absolutionis substantiam mini-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mè pertinere, vt dum ea profertur manus capiti Pœnitentis imponatur: imò neque de necessitate præcepti id faciendum esse Nauarr. ad princip. *primi cap. de pœnitent. distinct. 6. num.29.* ex D. Thoma habet. Addens aliquando malum esse id facere: vt cùm Pœnitens est fœmina, molli fortè pulchritudine & molliter ornata. Similiter nec videtur necessarium esse vt Sacerdos dum absoluit manum extollat: licet vbi consuetudo regionis id fert, conueniat id facere.

CAPVT II.

De absolutione Sacramentali in ordine ad Confessarium.

SVMMARIVM.

13 *Expositas in prima parte libro primo conditiones, absolutio Sacramentalis requirit in Confessario.*

14 *Prudentiæ Confessarij est, Pœnitentem circumspectè monere, consolari obiurgare, interrogare.*

15 *Item non facilè negare ei absolutionem, nec eam dare nolenti à peccato mortali abstinere, aut recusanti restituere.*

16 *Item cognoscere dispositionem Pœnitentis: & quantum ad præteritum; si suis obligationibus satisfecerit: & quantum ad præsens; si sufficientem dolorem habeat; & quantum ad futurum si sufficienter emendationem proponat.*

17 *Item non absoluere à reseruatis; nisi habità ad id facultate: nec ante à peccatis absoluere, quàm ab excommunicatione, & quàm imposuerit Pœnitentiam.*

18 *Forma seu modus absoluendi à peccatis.*

19 *Quid sit agendum cum Pœnitente qui cognoscitur occasiones proximas habere peccandi de cætero.*

20 *Quidnam agendum cum eodem, si interrogatus in confessione neget peccatum, quod Confessarius probè nouit esse ab ipso commissum.*

Nu.13. SACRAMENTALIS absolutio requirit ex parte Confessarij, vt is sit Sacramenti Pœnitentiæ minister idoneus: vt esse censebitur præditus qualitatibus, seu conditionibus iis, quæ in prima parte libro 1. expositæ sunt. Cui expositioni addendum est de pertinentibus ad prudentiam Confessarij in absoluendo Pœnitente, quænam illa sint.

Spectantia ad prudentiam Confessarij in absoluendo.

SECTIO I.

Nu.14. HÆc Nauarr. persequitur in Enchir. cap. 26. vndecim primis numeris.

Primum est, vt peracta confessione doceat Pœnitentem, si quæ sint, in quibus ipsum culpabiliter errare animaduerterit.

Secundum est, vt pro Pœnitentium varietate alium increpet, alium consoletur, ad odium peccati, & virtutis amorem excitet, adhibitis salutaribus monitis & conuenientibus remediis, iuxta ea quæ in 1. parte lib. 2. dicta sunt de ipsius tanquam patris & Medici spiritualis muneribus.

Tertium est, vt præmissis, pro munere Iudicis, interrogationibus opportunis, faciat Pœnitentem concludere confessionem; dicendo quòd de omnibus confessis & quibuscumque aliis, quorum non meminit à se commissis, doleat ex animo, petátque à Deo veniam, cum firmo proposito, nec illa nec alia, saltem mortalia, de cætero committendi, ipso bene iuuante. Ad quod non est voto, aut iuramento obligandus: exceptis casibus in iure expressis quos in præcedenti libro 7. cap. 2. in fine ex eod. Nauarr. commemorauimus.

Quartum est, vt non facilè neget Pœnitenti absolutionem, dicendo peccatum mortale esse, quod non est; sed si dubitet, petat à Pœnitente inducias, seu spatium ad consulendos Doctores. Quodsi ille nolit diutius sibi absolutionem differri, exigendum est ab eo propositum faciendi id, quod ipsum de iure debere facere constiterit. Tale enim propositum sufficit vt absoluatur, prout ex Angelo & Syluest. habet Nauarr. *in Enchirid. cap. 26. nu. 3.* *Nu.15.*

Quintum est, vt nullatenus absoluat nolentem abstinere ab eo quod certum est peccatum esse mortale: Christi enim minister existens in hoc sacro iudicio, grauiter contra religionem & iustitiam peccaret absoluendo eum quem Christus non absoluit, peruertendóque dictum ipsius Matth. 18. Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis:] quandoquidem solueret in terris eum, qui non soluitur in cœlis.

Sextum est, vt non neget absolutionem Pœnitenti, cùm in re inter authores dubia, ille non vult eamdem, quam ipse sententiam sequi: nisi crederet se aliti textu aut ratione euidenti.

Septimum est, dare operam vt Pœnitens, qui ad restitutionem tenetur, obligationi suæ satisfaciat. De quo & tribus præcedentibus vide tradita in præced. lib 2. cap. 3. sect. 1.

Octauum est, vt curet cognoscere dispositionem Pœnitentis antequam ipsum absoluat: nempe respectu præteriti, si satisfecerit sufficienter alicui obligationi sub mortali, quam habeat exequendi aliquid. Respectu verò præsentis, si doleat ex animo de offensa Dei à se commissa. Respectu demum futuri, si firmum propositum habeat non peccandi de cætero. *Nu.16.*

Ac circa horum primum obseruandum ei est documentum, quod aliis citatis tradit Suarez *tomo 4. disput. 32. sect. 2. num. 3.* non debere semper, ptiusquam Pœnitentem absoluat, cogere ipsum id exequi quòd facere tenetur; quia interdum satis est ad absolutionem à peccatis, vt firmum propositum habeat obligationem suam implendi. Cui promittenti credendum est, præsertim si tunc primum defecerit in executione, needum inuentus sit infidelis & inconstans esse in similibus propositis; neque ex aliis coniecturis possit suspicio sinistra formari probabiliter. Deprehensus verò obligationem suam non implere, absoluendus non est, si quidem iterum ac iterum de illa, contra promissionem in confessione factam non impleta, confiteatur: quia propositum, quod ab eo fit de nouo, non potest moraliter iudicari magis efficax esse, quàm priùs factum: sed ipsum promittentem versari perinde in morali periculo relabendi, ac antea. Qua in re (*vt idem Suarez ex D. Anton. Caiet. & Nauarr. addit*) Confessarios cautos esse oportet & constantes, ne peccatis alienis inuoluantur.

Circa secundum verò, obseruare debet; vt si audita confessione, aut etiam adhibita cùm opus esse iudicauerit, aliqua cohortatione; non habeat sufficientia signa præsentis doloris in Pœnitente, debeat ipsum interrogare; an ex animo de peccatis suis doleat: Ei autem seriò affirmanti credere tenetur, cùm nihil

nihil apparet quod obstet.

Circa tertum demum obseruare debet Confessarius, sufficere posse si Pœnitens de præsenti concipiat generale propositum nunquam deinceps peccandi mortaliter: neque necesse est, vt Confessarius ipse persuadeat sibi aut etiam probabiliter iudicet eumdem Pœnitentem seruaturum semper tale propositum: sed satis est vt existimet, quòd tunc tale habeat: quantumuis post breue tempus sit illud mutaturus. In quo idem Suarez omnes conuenire ait. in fine præcedentis numeri 2.

Nu.17. Nonum est: vt Pœnitentem habentem casum reseruatum non absoluat, nisi habità licentiâ ab eo, qui potest illam dare. Ad huius pleniorem notitiam latè inferius dicetur de absolutione à reseruatis.

Decimum est; vt Pœnitentem excommunicatum prius absoluat ab excommunicatione quàm à peccatis; seruatâ quoad fieri potest, iuris formâ: de qua re in sequenti libro ex instituto.

Vndecimum est, vt ordinariè satisfactionem imponat antequam absoluat à peccatis. De qua re iam dictum est in proximè præcedenti libro.

Duodecimum est, vt absolutioni à peccatis præmittat ad cautelam, absolutionem à censuris, maximè ab excommunicatione, etiamsi non constet Pœnitentem in eas incurrisse.

Postremum est, vt absoluat à peccatis eo de quo consequenter dicendum est modo.

Modus absoluendi à peccatis cum explicatione duorum casuum difficilium.

SECTIO POSTERIOR.

Nu.18. IAm modus absoluendi à peccatis satis conueniens censetur traditus in directorio Polanci *cap. 4. art. 1.* vt postquam Pœnitens ad absolutionem dispositus dixerit, Mea culpa, & cætera quæ sequuntur in confessione generali: Confessarius dicat. Misereatur tui omnipotens Deus & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam: & manum, versus caput Pœnitentis eleuans addat, Dominus noster Iesus Christus, qui est summus Pontifex te absoluat, & ego authoritate ipsius mihi licet indigno concessa, absoluo te imprimis à vinculo excómunicationis, suspensionis & interdicti; in quantum possum & indiges. Deinde ego te absoluo ab peccatis tuis; in nomine Patris, & Filij & Spiritussancti. Posthæc remouendo manum dicat, Passio Domini nostri Iesu Christi & merita Beatæ Mariæ semper Virginis & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris & mali sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ & in præmium vitæ æternæ Amen. Si tamen Pœnitens nullo ordine sit initiatus, omittendum est nomen suspensionis; quia non est capax censuræ per illud significatæ. Quod si constaret in particulari de censura aliqua incursa, ea esset particulariter exprimenda per causam propter quam incursa est; verbi gratia, dicendo Absoluo te imprimis à vinculo excómunicationis, quod incurristi propter Clerici percussionem. Síque sæpius in eamdem incurrerit, exprimendum quoties id contigerit. Si verò in diuersas inciderit, diuersę quoque causæ ad earum expresionem sunt exprimendæ.

Síque Pœnitens adhuc incurrerit in irregularitatem in qua possit Confessarius dispensare: ipse supra positis verbis *In quantum possum & indiges*, addere debebit. Et dispẽso tecum super irregularitate, quam incurristi propter tale quid: verbi gratia, propter missæ celebrationem ante ætatem: & habilito te ad actus legitimos. Deinde ego te absoluo à peccatis tuis, &c.

Hic occurrit monendum duos esse casus in quibus Confessarius quoad absolutionẽ impendẽdam, facilè potest perplexus esse; ideóque opus habet in illis, vt inuocatione Spiritussancti, sic & prudentiâ magnâ.

Prior est, cum Pœnitens habet proximas occasiones peccandi mortaliter, quas vix potest relinquere sine scandalo & infamia, alióue graui incommodo humano. Síque non relinquat manet in morali periculo proximo peccandi mortaliter. In quo casu nihil certi potest Confessario præscribi: itaut totum negotium relinquatur prudentiæ ipsius: qui sic habeat rationem commodorum proximi, vt maiorem habeat gloriæ Dei; cui sine controuersia potiores partes semper sunt deferendę. Igitur videre debet, an talis occasio peccati, sit proxima, & voluntaria: vtrũque enim id requiritur, vt reddat absolutione indignum, tanquã eum qui amans periculũ peribit in illo. *Nu.19.*

Iudicabit autem causam esse proximam, quando ea talis fuerit ex suo genere, quæ frequenter homines similis conditionis inducat ad eiusmodi peccatum: vel quando experimento constiterit, habere in eo homine talem effectum. Iudicabit autem non voluntariam quando moraliter vitari non potest: apparétque eam tali homini inferri potius, quàm ab eo assumi: síque necessitas potius quædam, vel impotentia esse, quàm aliquid morale meritò censeatur. Videre quoque debet, an sit aliquod remedium, quod à Pœnitente susceptum, credatur posse cum Dei gratia, præseruare ipsum à lapsu in peccatum: tale enim remedium admittens cum firmo proposito non consentiendi peccato, posset absolui. Neque si iterum ac iterum recidat, obstabit quominus iterum confitens possit absolui: dummodo aliqua emendatio, diminutióue in numero peccatorum facta esse notetur. Interdum quoque absolutio differri potest. Omnino autem neganda est, quãdo nullus apparet profectus. Hæc docet Suarez tomo 4. disput. 32. sect. 2. in fine.

Posterior casus est, cùm videt Confessarius Pœnitentem tacere aliquod peccatum, quod ab ipso commissum esse scit euidenter: & nihilominus idem Pœnitens de eodem interrogatus, illud negat in confessione. In quo casu hæc documenta poterunt vsui esse Confessario, *quæ Suarez tangit in fine sequentis sectionis tertiæ.* *Nu.20.*

Primũ est, cùm in hoc foro credendũ sit Pœnitenti, tam pro se quàm contra se loquenti (nec enim alius testis in eo admittitur) regulariter standum esse illius confessioni: ideóque si alterius tantùm relatione Confessarius sciat peccatum Pœnitentis in dubio debet huic magis credere, quàm illi.

Secundum est, quamuis Confessarius certus sit commissum esse à Pœnitente peccatum, *vt quia suis oculis vidit*: si possit probabiliter existimare, quod ille iam de eo confessus sit, potest dissimulare credendo propterea tacere, quod sit de eo confessus.

Tertium est, si in proposito casu euidens sit Pœnitentem mentiri; ipsum tanquam nolentem integrè confiteri de omnibus mortalibus (ideóque obligem ponentem Sacramentali absolutioni eiusmodi integritatem requirenti vt sit valida: nullo modo absoluendum esse, quidquid ipse dicat; quia committeretur alioqui mortale peccatum sacrilegij, contra reuerentiam debitam Sacramento institutio à Christo. Nec obstat communis regula, quod in omni iudicio debeat Iudex secundùm allegata & probata iudicare. In hoc autem foro non sit alia allegatio & probatio, quàm dicti

Pœni

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pœnitentis: cui siue pro se, siue contra se dicenti creditur. Non obstat, inquam, quia in foro quidem externo, iudicium tanquam publicum, *vtpote spectans ad commune Reip. bonum*, requirit scientiam publicam, tanquam ei proportionatam: sed in foro pœnitentiali, iudicium quod secretum est & ordinatum ad priuatum Pœnitentis bonum, priuata scientia Confessarij, ad eundem Pœnitentem redarguendum & conuincendum, seruire potest.

CAPVT III.

De absolutione in ordine ad Pœnitentem.

SVMMARIVM.

21 *Qui in foro pœnitentiali dicatur Pœnitens.*
22 *Nolens pœnitere absoluendus non est; qualis censendus non est, qui sibi de relapsu omnino timet, dummodo firmum habeat propositum non peccandi de cætero.*
23 *Singuli quidem Pœnitentes sunt ordinariè absoluendi seorsim, vrgente tamen extrema necessitate salutis, nihil obstat plures simul absolui.*
24 *Absolutio à peccato non potest dari ad reincidentiam, sicut absolutio ab excommunicatione.*
25 *Æger qui nullum signum contritionis dedit, absoluendus non est; qui verò dedit, etiamsi vnicum tantum peccatum exprimere valeat, absoluendus est.*
26 *Explicatio difficultatis, An sufficiat in genere tantùm dedisse contritionis signum, vt percutiendo pectus, vel exollendo oculos aut manus in cœlum.*
27 *Approbatio partis affirmantis per refutationem rationum contrariarum.*
28 *Pœnitens qui nondum præsente Sacerdote signa dedit contritionis, absolui potest.*
29 *Documenta pro Confessario qui ægro administrat pœnitentiæ Sacramentum.*
30 *Quid agendum sit Confessario cum aliquem absoluerit, quem non potuit, propter aliquod impedimentum, explicatur distinctione.*
31 *Quid, cum error tantum leuis commissus est.*
32 *Quid, cùm à se dimisit sine absolutione eum quem absoluere debuit.*
33 *Quando ad supplendum istiusmodi defectum sit, vel non sit opus iteratione confessionis.*
34 *Is cui à Papa concessa est facultas eligendi Confessarium à quo posset ab omnibus reseruatis absolui, non redditur ex eo indignus absolutione, quod propterea liberius se in talem casum præcipitauerit.*
35 *Religiosus habens tantùm venialia: aut mortalia de quibus iam directè absolutus est, aut in mortis articulo constitutus, potest à simplici Sacerdote absolui.*
36 *Non requiritur approbatio Episcopi in Sacerdote ad valide absoluendum Religiosum.*
37 *Per priuilegium concessum Mendicantibus, absoluendi quoscumque ad se venientes, non possunt ab ipsis absolui Religiosi ordinis alterius à suo.*
38 *Nouitius ab excommunicatione absolutus in Religione, hanc relinquens in illam reincidit.*
39 *Potest Episcopus regulavem exemptum quem Superior ei subiecerit, tum absoluere, tum etiam cum eo dispensare in casibus sibi concessis.*

Nu.21. PŒNITENTEM in foro Pœnitentiali dicimus, Christi fidelem, qui ritè facta peccatorum suorum confessione, capax est recipiendæ absolutionis Sacramentalis: & intendit eam recipere: intentione saltem simili ei, quam Confessarium à quo impenditur, debere habere in præced. num. 4. attigimus: nimirum vt sicut ille debet saltem intendere, id facere quod facit Ecclesia, seu quod solent in Ecclesia, Ministri Sacramenti Pœnitentiæ: ita & iste recipere id quod fideles solent, dum ad Sacramentum Pœnitentiæ accedunt.

De re autem proposita, Notandum est 1. ex Nauar. in Enchir. cap. 26. num. 3. sicut non est facilè neganda Pœnitenti absolutio propter aliquod peccatum de quo inter doctores an mortale sit dubitatur, ne ille errore illaqueetur: sic nullatenus absoluendum esse nolentem abstinere ab eo quod certum est esse mortale; ne Sacramentum sacrilege contaminetur. Vbi tamen cauendum est, ne pro nolente abstinere habeatur is, qui propter magnam consuetudinem quam habet peccandi, putat se iterum peccaturum, sed omnino vult cauere, & firmiter proponit non peccare. Nam talem absoluendum esse Franc. à Vict. De Sacramen. num. 197. ex eo probat: quòd consuetudo relabendi non impediat quominus is qui facit quod in se est, habeat bonum propositum, etiamsi propter experientiam, non possit facilè credere, se deinceps non peccaturum. Irretitum autem censurâ Ecclesiastica, quantumcumque bonum propositum habeat, oportet prius ab ea absoluere, quàm à peccatis: Nam peccatum graue esset excommunicato, vel à diuinis suspenso aut interdicto, scienter Sacramentum ministrare à cuius perceptione ille excluditur. Per cap. Si celebrat, De Cleric. excomm. Cæterùm ex Caietano in tomo 1. opuscul. tract. 5. quæst. 5. is qui cognoscens statum suum malum, & nihilominus rogat vt à Confessario absoluatur, excusatur à sacrilegio, si bona fide cum viro docto & pio id tractet: neque existimet sacrilegio, sed bono operi se operam dare. *Nu.22.*

Notandum est secundò, etsi Pœnitentes, sicut singuli seorsim audiendi sunt confitentes; sic etiam absoluendi sint singuli seorsim; tamen vt Alphon. à Viualdo in Candel. aureo cap. De absolutione num. 76. ex multis nobilibus authoribus habet: quando in maris procella, aut peste sæuiente, aut conflictu belli vrgente, deest commoditas singulos seorsim audiendi & absoluendi, Sacerdotem tunc posse auditis peccatis aliquibus vniuscuiusque, simul omnes absoluere, dicendo, Ego vos absoluo à peccatis vestris; præmissa cohortatione ad dolorem concipiendum de omnibus suis peccatis. Et quamuis authores ab ipso relati, id non habeant expressè, ratio tamen quam adfert contemnenda non est: nempe, quòd cùm olim in primitiua Ecclesia & nunc apud Indos multi simul vna aspersione baptismo initientur dicendo, Ego baptizo vos, &c. Sacramentum pœnitentiæ validum esse possit administratum: illo modo, qui vitandus non est tanquam sacrilegus, quando constitutis in extrema necessitate salutis, aliter subueniri non potest. In quo discutiendo tanquam vix vsitato non est necesse nos immorari. *Nu.23.*

De absolutione constituti in articulo mortis.

SECTIO I.

NOtandum est tertiò, quemlibet Pœnitentem debitè dispositum, absolui posse in articulo mortis à quouis casu per quemuis Sacerdotem. De qua re iam aliàs diximus in lib. 1. num. 58. & aliquot sequentibus.

Tan

Nu.24. Tantùm addendum est, quòd quamuis data absolutio ab excommunicatione reseruata, censeatur ad reincidentiam; quia si Pœnitens ex morbo conualescens non præsentet se Superiori, commoditate habita, recidit in eamdem excommunicationem per cap. Eos qui, de senten. excomm. absolutionem tamen à peccatis, neque tunc, neque vnquam alias censendum esse ad recidendum ad priorem peccati statum: tum quia sine pœnitentia sunt Dei dona] *ad Rom.* 11. tum quia absolutio ad reincidentiam coincidit cum ea, quæ datur sub conditione de futuro reprobatâ superius in cap. 1. num. 6.

Nu.25. Notandum est quartò; constare inter Doctores non esse impendendam absolutionem Sacramentalem ægro, qui nec dat nec dedisse cognoscitur, signa contritionis: quia tunc nulla interuenit confessio, sine qua absolutionem Sacramentalem impendere sacrilegium est. Constare item absolui posse eum, qui si non verbo, saltem nutu, alióve signo externo peccatum aliquod in specie confessus, morbo impeditur cætera confiteri: quia confessio iusta de causa truncata, sufficit ad obtinendum absolutionem vt docuimus lib. 6. cap. 5. num. 151.

Nu.26. An autem is qui in genere tantùm exprimit signa contritionis, percutiendo pectus, vel eleuando oculos aut manus in cœlum, nec potest verbo, vel alio signo, vllum in particulari peccatum manifestare, absolui Sacramentaliter possit, non modica difficultas est. In vtramque partem authores commemorat Alphon. à Viualdo in Candel. aureo cap. De absolutione num. 70. & 71. & quamuis magni nominis authores partem negantem sequantur, inter quos est Nauar. in Enchir. cap. 26. num. 28. permittens nihilominus tali conferri Eucharistiam & extremam vnctionem atque absolutionem à censuris.

Nu.27. Attamen pars affirmans, nimirum quòd absolui possit is, qui prædicto modo signa contritionis dederit, probabilis est, & tuta in praxi. Nam præterquà quod fauet animabus, & Dei immensam in peccatores misericordiam commendat, approbatur calculis multorum celebrium Theologiæ professorum modernorum, quos idem à Viualdo commemorat, eis addens aliquot antiquiores: quibus, alios adhuc citans, Suarez tom. 4. disput. 23. sect. 1. assentitur: vt & Henriquez in sua summa lib. 4. cap. 1. in fine, & lib. 6. cap. 10. §. 7.

Neque eiusmodi sententiæ reprobandæ datur ratio conueniens. Cùm enim obiicitur non nisi confesso de peccatis, dandam esse absolutionem Sacramentalem: respondeti potest in proposito casu Pœnitentem confessum esse nutu, quod sufficit quando confessio nequit fieri verbis. Et dum vrgetur, eam confessionem esse generalem per quam conscientia peccatoris à quo fit non plus innotescit, quàm sine illa; quia ostendit tantùm generaliter quod is peccator sit. Sacramentalem verò confessionem ex diuina institutione debere fieri de peccatis singulatim in specie, & numero. Voluit enim Christus Sacramentum pœnitentiæ iudiciale esse: Iudicis verò sententia, apta esse non potest, nisi Iudex ipse peccata in specie & numero cognoscat. Dum, inquam, hoc vrgetur, respondeti potest; ex Christi quoque institutione confessionem Sacramentalem esse debere integram; & tamen necessitatem facere, vt confessio mutilata, sufficiens sit ad obtinendum Sacramentalem absolutionem. Quocirca necessitatem similiter facere posse, vt ad eamdem obtinendam sufficiat confessionem fieri in genere de propriis peccatis, quando ad speciem & numerum descendi non potest. Confirmatur, quia si quis recordetur se peccasse mortaliter, & oblitus est cuius speciei fuerit illud peccatum: potest, imò & debet confiteri se peccatum mortale admisisse, cuius nequit in particulari meminisse. Idem iudicium est si recordetur & dubitet, mortale ne fuerit an veniale. Quam doctrinam ex D. Thom. & aliis adfert à Viualdo in fine citati num. 71. & ex Maiore Nauar. in Enchir. cap. 10. num. 7.

Neque illud quod Iudicis sententia apta esse non possit nisi in particulari cognoscantur peccata, multum vrget: quia in casu proposito aduersarij fatentur confitentem, si vel vnicum veniale expressisset in particulari, absolui posse: quo tamen posito nemo dixerit cognosci tunc à Confessario peccata Pœnitentis in specie & numero sufficienter ad ferendum aptum iudicium, quale aduersarij volunt fieri tâtum delictis à Iudice sigillatim cognitis. Itaque tale quid est quidem omnino necessarium in iudicio instituto ad punitionem delinquentis, quæ delicto correspondere debet: non tamen in instituto ad delinquentis curationem & emendationem: quale est iudicium Pœnitentiale: vt rectè expositum est à Caiet. in tomo 1. opusc. tract. 5. quæst. 5.

Porro quod D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 2. vult *Nu.28.* propositam doctrinam procedere etiam cùm Pœnitens nondum præsente Sacerdote dicta contritionis signa dederit, si interueniat sufficiens testimonium eorum qui præsentes fuerunt cùm illa daret, rationi consentaneum est; quia ibi cernitur, confessio facta per interpretem, quà per alium, declaratur mens Pœnitentis, perinde ac dum verba illius ignota explicantur in consueta confessione per interpretem. Nec est quòd obiiciatur ibi posse esse deceptionem falsò attestantium: quia hic quoque potest esse deceptio falsò interpretantium. Negandum tamen non est, quin ea res prudentiam requirat Confessarij: ne quibusuis, ac quouis modo attestantibus credat; neque vbi alia supperterent, istiusmodi remedium vsurpet, nullâ æternæ damnationis vitandæ necessitate vrgente: vt cùm æger probabiliter crederetur contritus, cui sine irreuerentiæ periculo porrigi possit Sacrosancta Eucharistia, vel saltem Extrema vnctio. Ac demum ad cauendum sacrilegium, ipse in dubio det absolutionem sub conditione de præsenti. Si tu ex capax absolutionis, ego te absoluo, &c. Quod placuit notatum inuenire apud Melchiorem Zambranum in suis decisionibus aureis cap. 4. dubio 2. in quo de tota hac re fusè agit cùm in cæteris compendiosus sit. In ea non hærebimus diutius; cum ad praxim sufficere posse videatur antedicta. Non sunt verò prætereunda silentio documenta, quæ Suarez attingit initio citatæ sectionis 1. meritò notanda iis qui administrant hoc Sacramentum.

Primù est, cùm interuenit vera necessitas (vt cùm *Nu.29.* mortis probabile periculum, Confessarius alioqui incurreret, v. g. in graui contagione) posse absolutionem dari ante consummatam integram confessionem. Ratio est: quia præceptum de integritate confessionis non obligat, *sicut nec aliud positiuum*, ad simpliciter aut etiam moraliter impossibile.

Secundum est, quoad fieri potest dandam esse materiam certam; seu in confessione exprimendum esse, si possit fieri, peccatum in sua specie; etiamsi nullius mortalis esset quis sibi conscius. Ratio est, quia religio Sacramenti id postulat.

Tertium est, habentem peccatum mortale debere potius de illo confiteri eo breui tempore, quàm de quocumque veniali. Ratio est quia peccatum mortale de necessitate præcepti confitendum est, non autem veniale.

Quartum est, si Pœnitens absoluatur, propter probabilem timorem mortis ante perfectam confessionem, nec statim sequatur mors, confessionem

ipsam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsam continuari debere, donec integrè fiat, si tempus ad id concedatur. Ratio est, quia illam integrè fieri, est per se necessarium necessitate præcepti; ideoque implendum quantum fieri potest durante periculo in quo viget eiusdem præcepti obligatio: finita verò tali confessione, iterum danda est absolutio; quia nouum Sacramentum perficitur, distinctum numerò ab ante collato.

De eo quod agere debet Confessarius cum aliquem absoluit, quem non debuit.

SECTIO II.

NOtandum est quintò, difficultatem esse quid agendum sit Confessario cum ex ignorantia aliquem absoluerit; quem non poterat ob casum reseruatum, vel aliud impedimentum; aut per oblionem a se dimiserit sine absolutione, aut in præiudicium tertij dixerit non esse restituendum, quod reuera erat alienum. De qua difficultate olim disputatum fuisse in Concil. Basilien si, nec quidquam resolutum fuisse ob varietatem sententiarum, meminerunt Medina in Cod. de confess. quæ. 35. à Victor. de Sacram. num. 185. & Sotus in 4. distin. 18. quæst. 4. art. 6. eol. 4. ex Ioanne Nider qui eidem disputationi interfuit.

Nu. 30. Est autem explicanda distinctione (de qua plenius Suarez tomo 4. disput. 32. sect. 6.) Nam si Confessarius cui aliquid tale contigerit, probabiliter timeat scandalum, si conueniat Pœnitentem; vt quia is conquesturus est de relcuatione confessionis, debet (inquit à Victor. & ante eum D. Antoninus 3. par. tit. 17. cap. 12.) illum relinquere, & Christo Sacerdoti summo committere; præsertim quando multi sunt, vel à loco Sacerdotis longè distant ij, in quorum confessionibus defectus contigit; prout quibusdã placuisse habet D. Antoninus. Sin nullum notabile scandalum Sacerdos probabiliter timeat, debet conuenire Pœnitentem, & docere grauem errorem in audientia suæ confessionis commissum esse; ideoque petere, vt velit iterum sibi confiteri, vel saltem sibi facere potestatem sub eodem Sacramentali sigillo, ipsum docendi veritatem: ita Sotus. Addens Pœnitentem tũc teneri consilium Sacerdotis capere; sique illud respuerit, transfundi in ipsum culpam Sacerdotis. Neque ex eo excusabitur, quòd ita videatur suum peccatum ei extra confessionem exprobrari: quia, vt à Victoria attigit, non fit ei iniuria, tale quid dicendo, quale propositum est ex Soto. Quod si pudore fortè in eo afficiatur, tanquam ei sua exprobrentur peccata, id imbecillitati suæ tribuere debet; non iustæ petitioni Confessarij.

Iam si acquieuerit, *inquit à Victoria*, dicam ei Confitere peccata in generali; id est dic, Confiteor de omnibus peccatis quæ tibi in tali cõfessione aperui: atque declares si quæ adhuc alia commisisti, quia in illa tua confessione contigit talis defectus ex quo fuit inualida. Aut si me dicente sibi scias quòd in confessione mihi à te facta, defectus quidam cõmissus sit: vis illum audire: ipse respondeat se velle; dicam ei sine scrupulo: scias quòd tu eras excommunicatus, & ego non potui te absoluere; vel aliud, quod fortè interuenerit impedimentum absolutionis. Nam si ex communi doctrina à nobis explicata in lib 3. cap. 5. sect. priore, licet de pœnitentis licentia, peccata ipsius alteri reuelare, multo magis ipsimet, si licentiam dederit.

Nu. 31. Aduerte autem ex Soto, si error quem in confessione commissum Confessarius deprehendit, non sit adeo grauis, sed Pœnitens absolutus fuisse credatur; non esse curandum de illo reuocando & conueniẽdo: maximè cùm non facilè, imò (vt aduersus Palud. habet à Victor. in fine cit. num. 185.) nullo modo liceat Confessario de peccato sibi confesso monere Pœnitentem: ne quidem secretò, & correctionis gratiâ; nisi in confessione interueniat antedictus defectus, cui Confessarius tenetur qua ratione potest remedium adhibere, tanquam is qui illi causam dedit; vt confirmat Medina loco antea citato.

De eo quod agere debet Confessarius, cùm sine absolutione dimisit aliquem illius capacem.

SECTIO III.

NOtandum est sextò congruenter antedictis, quando Confessario constat (cùm dubitat debet sub conditione absoluere dicendo, Si non es absolutus, Ego te absoluo, iam in præced. num. 7. notauimus) se non absoluisse Pœnitẽtem, debitè quidem confessum, sed per inaduertentiam à se dimissum sine absolutione: tunc si idem Pœnitens adhuc sit præsens, etiamsi aliquantulum remotus, debere reuocari: idque cum ea dexteritate, vt suam negligentiam Confessarius ipse aliis minimè prodat. Si verò non possit sine scandalo reuocari, illéque talis sit, qui expectet communionem, vel de quo ex qualitate personæ probabiliter eidem Confessario constet, quòd nondum inciderit in nouum peccatum mortale: debere absolui etiam aliquantulum remotum; nisi de eius præsentia ipsemet Confessarius dubitaret; quia tunc (sicut & quando constaret recessisse ab eo loco, vt discessisse ex templo) expectanda esset commoditas illius reuocandi, eo modo, quo in præcedenti notabili habitum est. *Nu. 32.*

Notandum est septimò, cùm supplendus est per nouam absolutionem defectus in præcedenti confessione cõmissus; si is fuerit essentialis, id est, ex eorum numero qui confessionem ipsam reddunt inualidam; vt quando facta fuit sine iusto dolore, aut sine debita integritate, aut non habenti iurisdictionem: tunc de necessitate iterandam esse ipsammet confessionem; nisi quòd cùm iteratur eidem Sacerdoti, qui illius adhuc memor est, sufficiat dicere, se de illis de quibus antea malè confessus est, iam ex animo confiteri: addito defectu commisso, atque aliis peccatis, si quæ adhuc sint quibus suam conscientiam grauari sentiat. Si verò defectus non sit confessioni essentialis: vt cùm oritur ex eo, quòd Confessor non protulit verba Sacramentalia, Absoluo te à peccatis tuis: distinguendum est, prout habet Suarez tomo 4. disputatione 22. sect. 6. sub finem. Si enim ipse iurisdictionem sufficientem habens, iam imposuit pœnitentiam, non indiget memoriâ peccatorum ad absoluendum de nouo: imò vt ille contra Nauarrum addit; neque memoria pœnitentiæ impositæ: sed satis est vt recordetur illum suum Pœnitentem fuisse benè dispositum, ritéque confessum; neque postea quidquam (ipso testante *cui credendum est*) graue commisisse. Sin pœnitentiam non imposuit: neque in particulari, neque secundùm confusam aliquam & moralem rationẽ recordetur grauitatis peccatorum, & status conscientiæ Pœnitentis, oportet ipsum, vt rectè suo munere fungatur, iteratam notitiam postulare; quia licet ad validè absoluendum non sit necessaria distincta notitia & memoria peccatorũ (quandoquidem sine illa interuenire possunt omnia quæ *Nu. 33.*

essentialia sunt pœnitẽtiæ Sacramento; nempe materia & forma cum debita ministri potestate, & intentione) requiritur tamen ad imponendam dignam pœnitentiam, cum æquitate iudicij: & ad consilium & remedium, medicinámque accommodatam Pœnitenti adhibendum. Quod notabile habet quoque Henriq. lib. 5. cap. 15. in fine, alios citans in margine.

Nu. 34. Notandum est octauò (quòd tenentes authores plures commemorat à Viualdo *in Candel. aureo*, cap. de confessione nu. 42.) eũ qui ex confidẽtia bullæ accipiẽdæ, vel acceptæ, vel alterius priuilegij facilius se præcipitauerit in casum reseruatũ, posse ritè confessum absolui per talem bullã seu priuilegium. Quod confirmari potest eodem argumento quo Caiet. 2. 2. quæst. 21. art. 2. probat illum non aggrauare suum peccatũ sed minuere, qui peccat sub prætextu, quòd postea confitebitur & aget pœnitentiam: nempe, quia id voluntatis est transitoriæ, & non pertinacis in malo. Limitandum est verò, vt non procedat in casu particulari in quo Superior nunquam concessisset priuilegium, si particulariter ei talis casus indicatus esset: quoniam in generali concessione non veniunt ea quæ quis verosimiliter concessurus non esset in specie, ex 81. Regula iuris in 6. Sic quoniam Papa ei qui Episcopum interfecit cum magno multorum scandalo, grauíque Ecclesiæ detrimento: nunquam concessisset in particulari priuilegium, per quod posset à quouis Confessario à se electo absolui, non est censendus idipsum concessisse, quando generalem dedit ei facultatem eligendi Confessarium, qui posset ipsum absoluere ab omnibus peccatis, & censuris, etiam reseruatis in bulla Cœnæ Domini.

De absolutione in ordine ad Pœnitentem Religiosum.

SECTIO IV.

NOtandum est nonò, de absolutione Religiosorum aliquam difficultatem esse, cuius explicationem persequitur Alphonsus à Vinaldo in Candel. aureo cap. De absolutione num. 18. & aliquot sequentibus: ex quo prò praxi, hæ propositiones sunt obseruandæ.

Nu. 35. Prima est, Regulares posse absque speciali priuilegio, à simplici etiam Sacerdote absolui, quando tantùm habent venialia, aut iam alias absoluti sunt ab omnibus mortalibus, de quibus cõfitẽtur, aut quãdo cõstituti sũt in articulo mortis. Ratio est, quia ex recepta doctrina antea à nobis proposita lib. 2. cap. 4. sub initium, nec de venialibus nec de mortalibus iam directè absolutis, quisquam tenetur confiteri: & in articulo mortis, quilibet à quibuslibet peccatis quomodocumque reseruatis absolui potest per quemlibet Sacerdotem, vt habet Concil. Tridentin. sess. 14. cap. 7. sub finem.

Nu. 36. Secunda est, Religiosum, cui à suo Superiore facta est potestas eligendi Confessarium, posse confiteri alterius ordinis Religioso, vel sæculari Sacerdoti, etiam per nullum Episcopum approbato. Ratio est, quia electus iurisdictionem in eum accipit extraordinariam, neque Concilium Trident. faciens decretum de approbatione Confessarij, quidquam noui statuit circa confessiones regularium. De qua re diximus in libro primo num. 175.

Nu. 37. Tertia est, Religiosos habentes priuilegium cum clausula, quòd possint audire peccata quorumcumque, vndecumque ad se venientium, non posse audire confessiones aliorum Religiosorum extra casus in duabus præcedentibus propositionibus notatos. Ratio est, quia generalis concessio intelligitur secluso iuris alicui præiudicio, ex cap. Quamuis, De rescriptis in 6. Præiudicat autem Religioni (propter perturbationes nimirum quæ inde nasci possunt) quòd Religiosi dirigantur, vitæque emendadæ & in posterum instituendæ rationem accipiant ab alienis, & non à suis prælatis vel eorum Commissariis. Vnde (vt memoratus Alphonsus refert nu. 25.) Pius quintus consultus, An Religiosus ex mendicantibus posset pro arbitrio eligere sibi Confessarium virtute bullæ cruciatæ, vel alterius quà sit potestas eligendi Confessarium qui absoluat etiam à casibus reseruatis. Respondit non posse. Quod similiter respondẽrunt, *vt idem author addit*, multi primarij Magistri Salmaticenses. Idem tangens Henriquez in sua summa, pro eo plura adfert quæ apud ipsum videri possunt lib. 6. cap. 16. §. 7. in margine, lit. P.

Cæterùm semper videndũ est, quid ferant vniuscuiusque Religionis priuilegia; per quæ plerumque, *vt constat ex iis quæ idem Henriquez adfert*, sic derogatur talibus bullis, vt virtute illarum nequeat Religiosus absolui per non designatum à Superiore suo.

Quarta propositio (quam idem Alphonsus tangit in præced. num. 23. & 24.) est: Nouitios Religionum posse in eisdem, sicut professos, absolui ab excommunicatione reseruata: in quam tamen recidant si non perseuerent, etiam iusta de causa dimissi. Ratio est, quia priuilegium illis tantùm conceditur, dum sunt in via ad Religionem capessendam. *Nu. 38.*

Pro vltima propositione addi potest, quod adfert Henriquez in sequen. §. 8. Regularem exemptum, si propriusPrælatus illum subdat Episcopo loci in quo domicilium habet, posse ab eodem absolui & perinde dispensari, ac potest Clericus subditus ei, ratione dignitatis qua præeminet. Nõ posse verò sine Prælati licentia; quia id esset contra priuilegium exemptionis tali religioni concessum. Quamquam si licentia eiusmodi expresè haberi nequeat: siue quia Prælatus ille est nominatim excommunicatus: siue quia nimis longè abest: siue quia mortuus est, censenda est haberi tacita: ne contingat regularem vagari recurrendo ad Papam ex cap. Religioso, De sentent. excommunicationis in sexto. *Nu. 39.*

CAPVT IV.

De potestate absoluendi à casibus reseruatis.

SVMMARIVM.

40 *Quis potestatem ordinariam habeat absoluendi à reseruatis, & quis delegatam.*
41 *Superior non requisito Inferioris consensu dare potest facultatem absoluendi à casibus, quos idem Inferior sibi reseruauerit.*
42 *Cognoscenda est mens danris istiusmodi facultatem.*
43 *Quando Superior contra iustitiam peccat recusando delegare facultatem absoluendi à reseruatis.*
44 *Quando recusare possit, aut etiam debeat.*
45 *Quando recusando peccet contra debitum charitatis.*
46 *Non excusat eam recusationem aliena vilitas.*
47 *Excusare autem potest alienum incommodum.*
48 *An excuset verecundia.*
49 *Superior facilis potius quàm difficilis esse debet in concedenda facultate absoluendi à reseruatis.*
50 *Non cogitur dare generalem facultatem confitendi cuicumque Pœnitens voluerit.*
51 *Facultas petita pro peccatis commissis potest concedi*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum onere imponendi aliquam pœnitentiam, & quomodo non item cum onere præsentandi se Superiori.

52 *Verumque onus imponi potest cùm petitur facultas pro peccatis committendis.*

Nu.40. MAec potestas esse potest vel ordinaria, vel delegata. Ordinariam habet, qui peccata reseruauit, & superior ipsius habens in pœnitentiali foro potestatem à talibus peccatis absoluendi ordinariam. Nam is qui iurisdictionem aufert per reseruationem, ita retinet illam sibi, vt non præiudicet Superiori in eius iurisdictione; ex cap. Inferior, distinct. 21. Quod cùm ita sit, peccatum ab Episcopo reseruatum, nō reseruatur, Papæ: reseruatur autē Archiepiscopo, qui dignitate quidē est Episcopo superior, non tamen, *sicut Papa*, cum iurisdictione in foro interiori: nullam enim talē habet in Diœcesi Suffraganei sui ex ca. Pastoralis, De offic. Ordin. nisi quando eam visitat ex cap. finali De censibus in 6. Similiter nec in religione peccatum reseruatum à Prouinciali, reseruatur Generali. Delegatam verò istiusmodi potestatem obtinet Sacerdos, cui est directè concessa ab eo qui habet ordinariam prædictam: aut qui electus est à Pœnitente licentiam habente sufficientem ad eligendum sibi Confessarium, à quo absoluatur à reseruatis. De qua delegatione quædam occurrunt proponenda notatu digna.

De delegatione potestatis absoluendi à casibus reseruatis notanda ex parte delegantis.

SECTIO I.

Nu.41. NOtandum est primò, non tantùm reseruantem posse committere potestatem absoluendi à peccatis quæ sibi reseruauerit, sed etiam ipsius Superiorem: sicque Papam potestatem absoluendi à peccatis, quæ Episcopus sibi reseruarit, dare posse non requisito ipsius consensu. Quod probatur: tum ex communi Ecclesiæ consuetudine: tum ex sensu quem omnes boni Catholici communiter habent de summa Papæ authoritate: tum demum aperta ratione: quia quidquid in hac re Papa exequi potest per seipsum, potest etiam per suum commissarium. Per seipsum autem à peccatis quæ Episcopus sibi reseruauerit absoluere potest, non requisito ipsius consensu: ergo idem etiam potest per suum commissarium.

Notandum est secundò: talem potestatem obtineri posse tum ab homine, tùm à iure, tum etiam à necessitate, minimè autem à consuetudine; cum reseruatio sit declaratio quædam voluntatis Superioris, vt nemo à tali peccato absoluat, sine suo consensu: contra quem consensum consuetudo in hoc foro nihil potest, iuxta illud quod in cap. Si Episcopus De pœnit. & remiss. in 6. dicitur: nulla posse consuetudine introduci, quod aliquis præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit absoluere & ligare. Quamquam tamen ea consuetudo, qua vidente & tacente Superiore, qui prohibere posset, inferiores passim absoluerent à reseruatis, testis esse posset ablatæ reseruationis, prout Henriquez notat *in summa lib. 6. cap. 14. num. 9. litt. B*, ex recentiorum doctrina. De potestate autem obtenta à necessitate iam dictum est in lib. 1. num. 58. & aliquot sequentibus. De obtinenda verò ab homine.

Nu.42. Notandum est tertiò, dum obtinetur, si quidem concessio fiat ore ad os loquendo, curandum esse vt concedens mentem suam exponat sufficienter: si verò fiat absenti, considerandam esse verborum vim, & expendendas circumstantias, ex antecedentibus & consequentibus eliciendo concedentis intentionem. Vbi pro principio tenendum est illud, quod habetur in citato cap. Si Episcopus: Superiore generaliter dāte potestatem audiendi confessiones suorum subditorum, non dare eo ipso potestatem absoluendi à casibus quæ sibi reseruauerit.

Nu.43. Notandum est quartò, quod Suarez tractat tom. 4. *disput.* 30. *sect.* 4. contra debitum iustitiæ peccare Superiorem, si subdito neget facultatem eligendi Confessarium, à quo possit à reseruatis absolui: illam propterea petenti, quòd meritò damnum aliquod graue, & confessioni extrinsecum, sibi timeat: siue ab ipsius Superiore, siue somet ab alio cui vices suas cōmisit inferendum: vtpote qui reuelaturus est confessionem: vel acceptā ex confessione scientiā vsurus est in nocumentum graue eiusdem subditi: aut etiam quia ille graues cum ipso gerit inimicitias: aut quia ille idoneus non est ad ferendum de ipsius interno statu iudicium, cùm sit ignarus; aut ita improbus, vt loco Medicinæ sit scandalum allaturus. Quod totum ex eo confirmatur, quòd Superior suo inferiori debeat administrationem huius sacramenti, nec possit illum cogere ad se in ea exponendum periculo alicuius grauis nocumenti externi.

Nu.44. Vbi autem abest tale periculum, eam facultatem negari posse à Superiore, argumento est: quòd aliqui nullius ferè momenti esset reseruatio, à qua tam facili negotio subditus liberaretur: neque enim tanquam onerosa, valeret ad peccatores coërcendos, & peccata curanda: in quem finem ea instituitur. Imò certum est negare debere, quando probabiliter timet eam, tanquam veniæ facilitatem, fore subdito occasionem scandali relabendiue in peccatum; aut etiam quando suspicio est probabilis, peccatum tale esse, quod vergat in damnum communitatis, aut tertiæ personæ; cui audita confessione, *non autem aliter*, Superior poterit adhibere remedium seruato confessionis sigillo. Tunc enim Superior ipse dando facultem, concurreret ad peccatum subditi volentis confiteri sine sufficienti emendationis proposito; quodquidem debet inter cætera, esse euitandi occasiones, relapsus in peccatum, & inferendi damnum alteri. In quam sententiam Suarez loco citato num. 5. citans Angelum, Sotum & Armillam: addit non modo cùm Superior timet graue detrimentum subditi, sed etiam quando sperat illius maiorem vel æqualem vtilitatem, posse licitè negare talem facultatem. Immo & cùm sperat vtilitatem minorem, si negare censeatur ad aliorum exemplum, communéque bonum esse necessarium, aut valde conueniens, In eo enim Superior vtetur iure suo præferendi commune bonum incommodo vnius particularis modico: quale est quod quodammodo coactus, & cum minore deuotione confitebitur. Dico (*modico*) quia per magnum incommodum, quale esset si confessio sine fructu fieret, cessaret vtilitas subditi, quæ in hoc casu iustificare debet negationem facultatis.

Nu.45. Notandum est quintò; ex debito charitatis Superiorem tanquam dispensatorem fidelem, teneri dare propositam facultatem, quoties graue subditi detrimētum timuerit ex illius negatione, quamuis ipsum sit tantummodo internum, id est, non extrinsecus, sed solùm ex interno subditi affectu euenturum: vt quia de industria peccatum aliquod tacebit, aut confessionem differens, accipiet peccandi licentiā, aliúdue eiusmodi. Ita communiter tenent. Doctores D. Thomam secuti, cuius verba sunt in 4. distinct. 17. quæst. 3. art. 3. in fine responsionis ad 4. quæstiunculam. Peccaret Sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri: quia multi sunt adeo infirmi, quòd potius sine confessione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur. Vnde illi qui sunt nimis soliciti, vt conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibiipsis.] hæc ille. Nec refert quod subditus ipse, causa sibi sit talis mali: quia & hoc spiritalis pastor impedire tenetur si commodè potest. De qua commoditate iudicandum est iuxta sequentia, de quibus Suarez in citata sect. 4. nu. 8. & tribus sequentibus.

De eadem delegatione notanda ex parte modi delegandi.

SECTIO POSTERIOR.

Nu.46. PRimum est, quantumuis speretur aliqua aliorū vtilitas ex dictæ facultatis negatione facta subdito, eam tamen non esse faciendam cum huius detrimento, in cuius bonum institutum est Pœnitentię sacramentum, atque data Superiori potestas reseruādi peccata. Quo fit vt non liceat vti tali negatione tanquam medio ad procurandam aliorum vtilitatem interueniente detrimento subditi; præsertim cùm interueniat consequenter iniuria Sacramenti, quandoquidem ex huiusmodi negatione fieri potest vt confessio reddatur difficilis & odiosa. Quod incommodum præponderare cuiuis alij incommodo vel commodo; patet ex doctrina de sigillo Sacramentali antè tradita in lib. 3. cap. 2.

Nu.47. Sed aduerte aliud esse in hac re, aliorum vtilitatem procurare, & aliud vitare eorum nocumentum. Nam quamuis non possit ob illud, ob hoc tamen potest prædicta facultas ei negari, qui apparet animum habere nocendi. Nec obstat quòd reseruatio in bonum ipsius instituta, sit ei hac ex parte in malum cessura: quia id imputatur malitiæ ipsius, qui cùm teneatur conscientiam suam aperire Superiori suo, qui sibi & aliis prodesse potest, nec nocere vult; recusat tali obligationi satisfacere: in quo peruerso animo persistens, non est dispositus ad absolutionem accipiendam; & per consequens, nec ad obtinendam facultatem eligendi Confessarium à quo absoluatur.

Nu.48. Quod attinet ad verecundiam, licet ea de se non sit affectus malus, non est tamen sufficiens causa vrgendi Superiorem ad delegandam facultatem absoluendi à reseruatis. Ratio est: quia verecundia conditio est intrinseca confessioni: cuius proinde non est impedimētum, sed potius perfectio quædam. Quodsi eam verecundiam nimiam esse contingat, itaut à confitendo reuocet, superanda est adiuuante diuina gratia; nisi fortè (*vt limitandum censet Nauarr. ad cap. Placuit De Pœnitent. dist. 6. num. 150.*) tanta sit, vt Pœnitens vereatur ne se constituat in periculo tacendi aliquod peccatum, vel aliquam circunstantiam de necessitate confitendam.

Nu.49. Secundum est; moraliter per sèque loquendo, Superiorem debere se facilem præbere potiùs quàm difficilem in ista facultate concedenda. Minus enim periculi moraliter ac per se loquendo, ineſt in concedenda quàm in neganda. Itaque inquit Suarez loco cit. num. 9. ad concedendam sufficere potest, quòd nulla specialis ratio negandi occurrat. Ad negandum verò oportet interuenire aliquam specialem rationem negandi. Quinimo nec Superiore iudicante talem aliquam adesse (nisi nocumentum proximi, de quo antea, adesset) negari debet in casu, quo idem Superior alicūde cognosceret subditum nullo modo velle ipsum adire pro confessione: nec posse ad id vlla ratione induci. Nam paterna misericordia tale quid postulat; quam conuenit Superiorem exercere in subditum: postulat etiam medicinæ ratio, quam reseruatio habet: cùm absurdum sit medicinam ad sanationem ægri institutam, tunc ei applicari, cùm non prodesse, sed obesse cognoscitur.

Si obiicias induratum inferioris animum reddere ipsum indispositum ad absolutionem. Respōdetur id quidem verum esse, sed fieri posse vt facultate ipsa obtenta, inducatur ad duritiem suam deponendam, dolendúmque ac confitendum de ea, sicut de aliis suis culpis, itaut habeat dispositionem requisitam ad absolutionem. Quod si nollet eum animum deponere, absoluendus non esset, tanquam peruersè recusans satisfacere obligationi quam habet confitendi proprio Sacerdoti: sicut nec absoluendus esset debitor, qui postquam importunis precibus remissionem debiti à creditore obtinuit, perseuerat in proposito peruerso, quod habebat non soluendi, si negata fuisset talis remissio.

Nu. 50. Tertium est Superiorem non teneri dare subdito generalem facultatem eligendi quemcumque voluerit Confessarium, per quem absoluatur à reseruatis: vel eum cōmittere cuicumque specialiter expetito ab eodem subdito. Nam licet Superior cedat iure suo, causam ad se pertinentem committendo alteri: retinet tamen ius eam committendi tantùm personæ quæ sit eidem causæ proportionata: quandoquidem reseruatio ad hoc fit, iuxta Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. vt grauiora quædam crimina subiicerentur iudicio summorum Sacerdotum: tanquam personarum scilicet proportionatarum, à quibus meliùs corrigi emendarique possent. Siautem electio personæ relinquatur in arbitrio Pœnitentis: frequenter erit personæ, quæ Superiori non videbitur proportionata: & ideo, cui non debeat in tali casu absolutio committi. Attamen, *vt Suarez quoque addit*, non debent Superiores in hoc præbere se difficiles (nisi alia grauis causa occurrat) quando subditi petentes facultatem sunt prudentes & timorati: vel Sacerdos pro quo, aut per quem petunt, reuera idoneus est, cui tale negotium committatur.

Quartum est, *quod in sequenti sect. 5. latius tractat Suarez*, facultatem de qua agimus, peti posse vel pro peccatis iam commissis, vel pro nondum commissis, si fortè committantur: atque siue hoc, siue illo modo petitam, concedi posse vel absolutè, vel cum impositione alicuius oneris: quod esse potest vel præsentandi se Superiori, vel faciendi aliquam pœnitentiam, quæ sit medicina, seu remedium conueniens aduersus peccatum ipsum reseruatum.

Nu. 51. Atque petenti pro commissis, onus præsentandi se imponi, alienum est à ratione. Nam si per se petat, satis se præsentat: sin petat per alium, eo modo propterea petit, quòd nolit in notitiam Superioris venire. Adhæc cùm pro illo petens nequeat absque crimine violati secreti illum prodere; nec etiam Superior potest licitè inquirere quis ille sit, vel circunstantias aliquas interrogare, per quas in notitiam illius deueniat: præsertim cùm talis inquisitio sit iniuriosa huic Sacramento, cuius vsum reddit difficilem, & odiosum.

Onus verò Pœnitentiæ imponi potest: quia conueniens est, vt Superior medeatur suorum morbis, quātum iudicat necessarium ad eorum curationem. Vnde potest interrogare culpæ speciem, & peccandi consuetudinem, aliáque circunstantias, quantum sine manifestatione vel suspicione personæ declarari possunt: cum quo periculo, nec ipse interrogare debet, nec alter respondere, prout prædictum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Potest etiam absque speciali notitia criminis,limitationem concessioni suæ adhibere sub conditione; si crimen tale fuerit, imponatur talis Pœnitentia. Et quamuis huiusmodi onus imponi possit per modum præcepti,non debet tamen sine magna & extraordinaria causa; sicque vt plurimum imponitur per modum consilij. Multo minus verò imponi debet cum tanta seueritate,vt nisi accepretur absolutio aliàs data,sit nulla; sed solùm imponi per modum cuiusdam ordinationis.Nam pœna fori Pœnitentialis,quę medicinalis magis est,quàm vindicatiua,nunquam præscribitur tantâ necessitate adiunctâ ; quin arbitrio Confessarij relinquatur vt illam moderari possit, iuxta dispositionem, vel alias conditiones Pœnitentis, quem viderit non esse tantæ pœnæ debitorem, aut illam ei non expedire. Quo arbitrio Confessarium priuare cum periculo conferendi absolutionem inualidam,iniquum est ac imprudentissimum.

Nu.52. Quod autem petenti facultatem pro peccatis reseruatis committendis, possit quoque pœnitentiæ onus imponi,manifestum est. Quæ enim ratio docet posse imponi propter commissum , eadem ostendit imponi posse ob idem,si iterum committatur.Manifestum etiam est imponi posse onus præsentandi se Superiori , ob excommunicationem peccato reseruato annexam. Nam talis impositionis vsus ex iure habetur. Is enim qui in articulo mortis à censura reseruata absolutus est ab inferiore , præcipitur se cùm primum potest Superiori præsentare;in cap. Eos qui De sentent.excommunic. in 6.

Difficultas autem grauis est, An si peccatum sit sine excommunicatione reseruatum , imponi valeat tale onus Eam copiosè tractat Suarez in citata sect. num. sexto & deinceps,partem affirmantem tenens nec immeritò:cùm & tutior sit & valdè consentanea rationi quam *in præced.num.50. ex Concilio Trident.* attigimus,inducendæ reseruationis causam:cum nihil intersit ad grauitatem peccati emendandam per Superiorem:quòd ipsum per se,aut quòd per excommunicationem ei annexam,sit illi reseruatus.

CAPVT V.

De commissione potestatis absoluendi à casibus reseruatis.

SVMMARIVM.

53 *Facultas quam Papa concedit absoluendi ab omnibus casibus sibi reseruatis,non comprehendit hæresim.*

54 *Neque ea quam concedit absoluendi ab omnibus censuris & pœnis Ecclesiasticis comprehendit irregularitatem contractam ex delicto.*

55 *Facultatem habens absoluendi à casibus reseruatis Papæ, habet simul absoluendi à casibus reseruatis Episcopo.*

56 *Eius rei ratio.*

57 *Fundamentum partis negantis , cum illius refutatione.*

58 *Ille cui concessa est facultas absoluendi à casibus Papæ reseruatis , ea vti nequit ,nisi fiat ipsi confessio Sacramentalis.*

59 *Absolutio à casibus reseruatis data virtute Iubilæi valet,etiamsi non fiant omnia quæ ad eiusdem Iubilei consecutionem iniunguntur.*

60 *Tria quæ obiici possunt in contrarium , cum solutionibus eorundem.*

61 *Tollitur reseruatio per confessionem factam Superiori, etiam inualidam.*

62 *Etiamsi confitens causam scienter dederit defectus : nisi hic corrigerit circa peccatum ipsum reseruatum.*

63 *Aut nisi facultas absoluendi à reseruatis , commissa sit Sacerdoti per modum indulgentiæ concessæ confitentibus.*

64 *Cùm Iubilæum concedatur lucrandum in vna ex duabus hebdomadis : qui in priore illud lucratus est, potest adhuc in posteriore , si quod nouum casum reseruatum habeat,absolui ab eo.*

65 *Episcopus concedens facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis,non censetur concedere à censuris sibi reseruatis.*

66 *Habens facultatem absoluendi à casibus Episcopo suo reseruatis, potest eos qui ad se cum licentia proprij Sacerdotis venerint, absoluere à casibus Episcopo ipsorum reseruatis.*

67 *Quando generali sua concessione audiendi confessiones, censeatur Episcopus concedere facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis.*

68 *Peregrini non possunt à casu reseruato absolui sine licentia Episcopi in cuius diœcesi confiteri volunt , si in ea reseruetur.*

69 *Si verò non reseruetur,etiamsi reseruatus sit in propria diœcesi, absolui potest à Parocho loci.*

70 *Cum onere tamen præsentandi se proprio Episcopo , si casus sit reseruatus cum excommunicatione.*

71 *A casibus Papæ reseruatis Episcopus non potest per priuilegium Concil.Trident.absoluere peregrinum,nisi is statuat in diœcesi ipsius pro maiori anni parte morari.*

72 *Episcopus potest peregrinum ab homine generaliter excommunicatum absoluere,& qua ratione.*

73 *Religiosi ex priuilegio quod à iure habent audiendi confessiones,non habent absoluendi à casibus Episcopo reseruatis.*

74 *Non potest Episcopus talibus Religiosis plures casus reseruare quam Curatis.*

PRIVS dicemus de Papali,posteriùs de Episcopali commissione De illa occurrit difficultas , an quando Summus Pontifex per bullas aut Iubilæum concedit facultatem absoluendi ab omnibus peccatis & censuris Ecclesiasticis,etiam reseruatis in bulla Cœnæ Dominj; id accipiendum sit prout verba sonant , absque vlla restrictione vel extensione.

De ratione qua intelligenda est Papalis commissio absoluendi à casibus reseruatis.

SECTIO I.

AD cuius difficultatis explicationem dicimus, Sotum quidem in 4. dist.22.quæst.2.art.3.concluſ.quinta (cui consentientes multos doctores Hispanos commemorat Alphon. à Viualdo in Candel. aureo cap.de absolutione num. 16.) sentire,quòd ea verba accipienda sint sine exceptione: ita vt virtute talis facultatis possit in foro conscientię absolui quiuis criminosus,etiam hæreticus , dummodo emendatus sit.

Sententiam tamen contrariam (nempe à dicta *Nu.53.* concessione excipiendam esse absolutionem ab excómunicatione incursa propter hęresim)videri tenẽdam:non tantum quia est multorum aliorum authorũ grauissimorum quos idem à Viualdo & Hẽriq.referunt:*ille in sequ.nu.17.& hic in sua summa lib.6.cap.16. §. 2. litt. Z.in marg.* sed maximè , quia duo Summi Pontifices,vt iidem etiam notant, eam suis responsis approbarint. Pius 5.anno Domini 1572. & Gregor. 13. anno Domini 1577. dicens stylum & vsum curiæ Romanæ suámque intentionem talem esse , vt per bullæ aut Iubilæi clausulam generalem , nunquam censeatur concessa absolutio ab hæresi.Videri potest Nauarr. in Enchir. cap.27.num.272. in regulis Confessariorum.Vbi adfert in confirmationem quod iidem Pontifices talem facultatem suo etiam summo Pœnitentiario non concesserint nisi cum certis modificationibus , sine quibus non absoluebat. Vnde cùm in generali concessione non veniant quæ quis in speciali non esset verosimiliter concessurus,vt habet regula 81.iuris in 6.teneri non potest quod dicit Sotus generalem facultatem absoluendi ab omnibus peccatis & censuris includere absolutionem ab hæresi:nisi fortè sit hæresis omnino occulta,nec aliis damnosa , de qua Papam informari nihil videretur necessarium ad Ecclesiæ ædificationem.

Nu. 54. Dicimus secundò, non carere quidem probabilitate quod idem Sotus ait in sequen. quæst. 3. art. 1. col.3. virtute Iubilæi aut bullarum Summi Pontificis,in quibus fit potestas absoluendi ab omnibus casibus reseruatis , censuris & pœnis Ecclesiasticis,exceptis iis quæ reseruantur in bulla Cœnæ Domini, dispensari posse cum Pœnitente in irregularitate nata ex delicto;quoniam & ipsa, est pœna Ecclesiastica:attamen non solùm tutius; sedetiam probabilius esse contrarium:hoc est,non posse.Quod in Enchir.cap.27.num.250. Nauarr. probat ex eo , quod stylus Romanæ curiæ habeat , non intelligi datam esse in prædictis Iubilæis aut bullis facultatem dispensandi in irregularitate , nisi id exprimatur,vt interdum fit quidem (& tunc excipitur irregularitas ex digamia , & ex homicidio voluntario) non tamen in Iubilæo & bullis prædictis. Vnde sequitur,si vera sit Soti sententia, ampliorem à Papa in talibus bullis dari facultatem dispensandi in irregularitate, quàm cùm se dare exprimit,quod absurdum esse satis constat.

Si quæras quænam igitur sint illæ pœnæ Ecclesiasticæ,de quibus præter censuras Ecclesiasticas fit in iisdem bullis mentio. Respondetur,non posse esse omnes Ecclesiasticas indifferenter : alioqui enim per tales bullas posset quis absolui à pœna pecuniaria pro suo peccato imposita , vel imponenda à iudice Ecclesiastico,quod non ita est. Sunt igitur , *vt Nauarr.ait*,illę quæ possunt,perinde ac censuræ, impedire perceptionem absolutionis à peccatis : in quam tanquam in finem illa Papalis concessio dirigitur.Irregularitas autem non est pœna de numero earum quæ impediunt talem perceptionem:cùm de se tantùm sit inhabilitas ad sacros ordines suscipiendos aut exercendos. Si quæras rursus quænam ergo sint illæ pœnæ? Respondet Nauarr. esse posse : tum eam, quam Confessarius interdum imponit Pœnitenti , vt intra tantum temporis,nec sacramentalem absolutionem , nec sanctam Eucharistiam accipiat: vel qua Pœnitens aliquo bono fine se adstrinxerit ad abstinendum ab iisdem Sacramentis intra certum tempus : aut qua nonnulli canones Pœnitentiales statuunt aliquem à communione arcendum intra aliquod tempus;vt Canon Presbyter distinct. 82. & Canon De his verò 33. quæst.2.

Nu.55. Dicimus tertiò, munitos supradicta potestate , & per consequens Religiosos, quibus à Summo Pontifice commissa est potestas absoluendi ab omnibus peccatis & censuris Ecclesiasticis, etiam reseruatis Sedi Apostolicæ exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini : posse (dummodo tamen approbati sint secundùm decretum Concil. Trident. sess. 23. cap. 15.) à casibus Episcopo reseruatis absoluere sine eius licentia. Ita Alphonsus à Vualdo *in candel. aureo cap. de absolutione à nu. 26.ad 53. vsque*,resoluit ponderatis in vtramque partem momentis rationum : quarum tantùm præcipuas attingemus.

Nu.56. Pro parte affirmatiua igitur facit , quòd Papa habeat omnimodam potestatem in omnes Christi fideles, quoad absoluenda crimina , siue commissa siue committenda,vt nemo Catholicorum negat. Quòd item possit illam suam potestatem committere , cui voluerit Sacerdoti : quia omnis Ordinarius potest constituere delegatum , vt habet communis opinio, teste Panormit. ad rubricam de officio deleg. maximè autem Papa, qui est Ordinarius Ordinariorum. Iam quando committit potestatem absoluendi ab omnibus casibus sibi reseruatis , *certis exceptis* : committens quod maius est, censetur pariter committere quod est minus:nempe potestatem absoluendi ab omnibus reseruatis Episcopo,non contentis prædicta exceptione. Quando enim maius conceditur, minus concessum esse videtur;cap. Ex parte tertiò, de decimis:vbi ex hoc principio concluditur , Abbati cui concessum erat priuilegium percipiendi decimam de laboribus terræ parochiarum suarum;fuisse quoque concessam percipiendi de noualibus ,,quia hoc minus est , quàm illud. Cui argumento plane simile est illud,quo colligitur , Papam ex eo quod dederit priuilegium absoluendi à casibus sibi reseruatis dedisse quoque à reseruatis Episcopo : quandoquidem sine controuersia hoc minus est quàm illud.

Nu.57. Pro parte verò negatiua facit quòd Papa non possit tollere ius diuinum,Episcopis autem concessa sit iure diuino potestas reseruandi sibi aliquos casus; quæ potestas tollitur, si virtute bullarum quibus Papa concedit facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis,possit quis absoluere & à reseruatis Episcopo absque vlla ipsius licentia. Verùm hanc opinionem, vt neque veram , neque bene fundatam, idem author reiicit, ex eo potissimum , quòd Papa iurisdictionem in omnes Christianos,quoad omnia spiritalia,immediatè habeat à Deo, secundùm receptam D. Thomæ sententiam in tract. contra errores Græcorum cap. 32.concl. 33. ideóque nemo alius possit eã illi tollere vel imminuere ex cap. Cũcta per mundum & cap. Per principalem 9. quæst. 3. & per consequens nec Episcopus sua reseruatione impedire, quominus ipse vt per se , sic per suum Commissarium possit à quocumque peccato quemcumque Christianum Pœnitentem absoluere. Deinde licet concederemus iure diuino datam esse Episcopis potestatem reseruandi sibi casus:non ideo tamen cogitmur concedere Papam non posse eorumdem casuum absolutionem iusta de causa alteri committere.Nam vna est omnium conclusio,multa de iure naturali & diuino competentia multis, restringi & limitari à summo Ecclesiæ Pontifice posse quoad spiritualia: tum per interpretationem inter ius & æquitatem interpositam:tum etiam per factam iusta de causa dispensationem : prout in sequenti parte tomo primo, suo loco exponendum est,cùm de lege dicetur. Neque est quod quis dicat posse quidem Papam dare hanc potestatem , sed ita vt Episcopi consensu sit opus ad illius executionem. Nam id dicens consequenter dicat oportet , quod communiter reprehenditur in Glosa ad cap. Omnis vtriusque sexus de Pœnitent.& remiss. confessos Religiosis habentibus à Papa priuilegium audiendi cõfessiones, teneri suis Parochis iterum confiteri , si absque horum licentia fuerint illis confessi. Adde quod aliquo modo inclinet in hæresim Ioan. de Poliaco damnatam in Extrauag. Vas electionis,De hæreticis : quæ fuit , non

Universidad de Deusto
Biblioteca

posse Papam ita dare licentiam audiendi confessiones, vt confessus non teneatur eadem peccata suo Parocho iterum confiteri. Item quod destruat Clement. Dudum, De sepult. & omnia Iubilæa & bullas Pontificis, quibus fit facultas eligendi Confessarios. Immo & generalem Ecclesiæ consuetudinem, quæ contraria tali opinioni vbique terrarum seruatur, vt idem author ait, & constat experientiâ. Adhæc quâtumuis in Ecclesia, Christi authoritate instituti sint Episcopi ad regimen populi; iuxta illud Actorum 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo: nihilominus tamen potestas talis regiminis non datur eis immediatè à Deo, sed Dei authoritate à Papa prout ostendimus lib. 1. num. 23. Potestas autem reseruandi casus est eius generis, vtpote pertinens ad Christiani populi disciplinam ex Concil. Trid. sed. 14. cap. 7. Quare negandum non est quin ita pendeat ab authoritate Papæ, vt is quantùm iudicauerit expedire ad Christiani populi bonam disciplinam, possit illam limitare: sicut quoad loca & personas, ita & quoad peccata: siue sibi ea reseruando, siue eorum reseruationem ab alio factam, tollendo.

Nu.60. Tria autem sunt quæ obiici possunt in cõtrarium. Primum est, quòd nulla indulgentia, nec pars eius quæratur alicui antequam faciat omnia quæ requiruntur ad eam acquirendam, etiamsi bonam eius partem fecerit: vt idem Nauar. probat in comment. de indulgen. notab. decimonono in principio. Secundum est, quòd intentio Papæ videatur esse, vt Confessarius absoluat à reseruatis sub conditione si Pœnitens fecerit requisita ad quærendum Iubilæum. Tertium est, quòd alioqui daretur occasio fraudis, qua quis velit virtute Iubilæi absolui ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, nihil curando de Iubilæo acquirendo.

Ad quorum primum, responsio eiusdem Nauarri est in memorato Miscellan. aliud quid esse indulgentiam quærendam, de qua proponitur argumentum: & quid aliud confessionem legitimam; quæ est quoddam præambulum requisitum ad eiusmodi acquisitionem.

Ad secundum, non esse eam intentionem Papæ; cùm nihil tale habeatur ex ipsius bulla, per quam sit absolutè potestas absoluendi. Immo nec esse potuisse; quandoquidem Confessarius peccat, Sacramentaliter absoluens sub conditione rei futuræ, prout habitum est in præced. cap. 1. num. 6.

Ad tertium, nos loqui de illo, qui verè contritus cum firmo proposito acquirendi Iubilæum, faciendique omnia ad id requisita, legitimè confitetur. Eum verò qui dicta fraude vteretur non esse verè contritum, nec legitimè confiteri: siquidem scienter taceret peccatũ illud admissum per eam intentionem fraudandi: vnde mutilam adeóque inualidam faceret confessionem: itaut neque à reseruatis, neque à non reseruatis absolueretur, sed nouo peccato contaminaretur: eóque mortali ob notabilem in eo commissam Dei irreuerentiam.

Tertium dubium est, An is qui valenti absoluere à reseruatis: confessus est, sine sufficienti contritione, aut sine sufficienti conscientiæ examine, satisfecerit obligationi quam habet præsentandi se Superiori, pro absolutione suorum reseruatorum; desinátque reseruatio eorumdem. Causa autem dubitandi est, quòd talis confessio sit sine effectu suo remissionis peccatorum.

Nu.61. Resolutio verò Caietani in verbo Casus, pluriúmque aliorum, quorum meminit Henriquez in sua summa lib. 6. cap. 16. §. 5. littera B, C, est semel absolutum à reseruatis, etiamsi inefficaciter ad salutem animæ suæ, si denuo de iisdem reseruatis confiteatur, absolui posse à Sacerdote qui posset ab illis absoluere si reseruati non essent. Ratio est: quia ex quo beneficium absolutionis in foro Ecclesię concessum est, & executioni mandatum à legitimo Superiore, rationabile est vt peccatum super quo concessum est, non sit ampliùs reseruatum, tanquam iudicatum ante Tribunal cui reseruatum erat. Siquidem subditus comparuit coram Superiore, eíque, *vt supponimus*, integrè aperuit peccatũ suum reseruatum cum proposito non recidendi in illud. Superior verò ostendit se contentum, imponendo ei conuenientem medicinam & satisfactionem. Vnde videtur satisfactum esse fini reseruationis, atqueadeo reseruationem ipsam ablatam esse, & pœnitentem ab illius onere liberatum esse.

Nu.62. Quod procedit, vt Suarez tomo 4. disput. 31. sect. 4. num.

Responsio ad tria dubia quæ mouentur circa commissionem absoluendi à reseruatis factam à Papa.

Sectio II.

Nu.58. DE Papali commissione absolutionis à reseruatis restant tria dubia. Primum est, An ab eo cui data est potestas absoluendi à casibus Papæ reseruatis, possit quis ab iisdem casibus absolui, non facta ei confessione Sacramentali. De quo ex Nauar. in Enchir. cap. 26. num. 31. rutius est dicere, quod absolui non possit, quàm contrarium: quia facultas absoluendi à censuris videtur per bullas tribui, vt præludium quoddam necessarium ad absolutionem à peccatis, quam constat non posse dari nisi confesso. Quamquam ex eodem authore in sequen. num. 32. mortuus cum signis contritionis, sed non consecutus absolutionem Sacramentalem; potest ab excommunicatione post mortem absolui ab eo, qui ipsum in vita extra mortis articulum absoluere poterat: non item ab eo qui in mortis tantùm articulo. Vnde sequitur in tali casu, habentem prius dictam potestatem, posse ab excommunicatione absoluere sine absolutione à peccatis.

Nu.59. Secundum dubium est, An si absolutus à casibus reseruatis virtute Iubilæi non impleat eiusdem conditiones, absolutio valeat: itaut de illis iterum confiteri, minimè teneatur. Ad quod ex Nauar. *in Miscell. 93. De oratione*: cui Suarez assentitur *tom. 4. disput. 31. sect. 4 num. 5.* Respondendum est affirmatiuè, hoc est, in tali casu absolutionem valere, neque iterandam esse confessionem: quia is qui semel confitetur legitimè peccata sua & absoluitur, nullo iure tenetur illa iterum confiteri: immo nulla lege humana potest absque suo consensu obligari ad idem peccatum bis confitendum. Et verò is de quo dubium hoc proponitur, fuit legitimè confessus peccata sua, & legitimè ab illis absolutus, vt ex eo patet, quòd si talis Pœnitens feciſſet omnia ad Iubilæum quærendum requisita: vel facta cõfessione mortem obiisset antequam omnes Iubilæi conditiones impleſſet, iudicaretur absolutus, etiam quoad reseruata: idque non per aliam, quàm per prædictam absolutionem. Deinde

4. numero 9. notat, non tantùm quando Pœnitens ignoranter causam dederit defectui, ob quem absolutio non est sortita suum effectum conferendi gratiam in remissionem peccatorum: sed etiam quãdo scienter, siue non habendo firmum propositum emendationis, siue non confitendo integrè sua peccata. Excipe, nisi hoc cõtingeret circa peccatum ipsum reseruatum: de quo confitens sine proposito emendandi se de illo: aut sine integra illius declaratione, non censeretur satisfacere intentioni Superioris reseruantis, nec sufficienter coram illo comparere pro remedio adhibendo aduersus tale peccatum, iuxta reseruationis finem: proindéque non satisfacere obligationi id agendi, quod requiritur ex parte ipsius, vt à reseruationis onere liberetur. Secus est verò, si defectus circa alia peccata contingat: quia is accidentarius est reseruationi, quæ solet esse peccati secundùm se, non autẽ peccati in ordine ad alia peccata; vnde ab his illa non pendet: & maximè, cum voluntas perseuerandi in eis, possit esse cum voluntate euitandi peccatum reseruatum; itémque aliquo aut pluribus eorum in confessione celatis, peccatum ipsum reseruatum possit integrè declarari.

Nu.63. Sed aduerte quod etiam notat Suarez in seq. num. 22. istam diuersam rationem non habere locũ, quando absolutio à reseruatis datur per modum indulgentiæ concessæ confitentibus, vt solet in Iubilæis: tunc enim de intentione concedentis requiritur confessio valida, nec sufficit inualida: per quam reseruatio non desinit, quia non satisfit intentioni Superioris.

Nu.64. Circa quod pro praxi aduerte obiter, quod habet Henriq. in cit. cap. 16. §. 3. quando Iubilæũ datur vna ex duabus hebdomadis lucrandum, si quis illo lucrato, intra primæ hebdomadæ tempus, reincidat in nouum casum reseruatum, posse adhuc illud in secunda hebdomada lucrari, & ab illo reseruato sufficienter absolui: quia priuilegium interpretatione ampliandum est, non restringendum; respectu priuilegiati, cuius est fauor.

De Episcopali commissione potestatis absoluendi à casibus reseruatis.

Sectio III.

DE hac, difficultas est: quando censendus sit Episcopus fecisse alicui potestatem absoluendi à casibus sibi reseruatis? Cui satisfit ex parte, per illa quæ docet Nauar. in Enchir. cap. 27. § . De casibus reseruatis num. 255.

Nu.65. Primum est, Episcopum concedendo facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, non concedere absoluendi à censuris sibi reseruatis; sicut Papa concedere censetur circa suos casus. Cuius discriminis ratio est, quòd vix detur casus Papæ reseruatus, cui non sit annexa censura: multi verò dentur reseruati Episcopo non habentes annexam censuram. Vnde secundùm communem loquendi consuetudinem, *qua attendi debet iuxta cap. Ex literis, de sponsalibus*, per casus Episcopi, intelliguntur tantùm peccata ei reseruata.

Nu.66. Secundum est, Parochum habentem facultatem absoluendi à casibus Episcopo suo reseruatis, posse Pœnitentem alterius Episcopatus, habentem iustam licentiam ei confitendi, absoluere à casibus reseruatis Episcopo illius alterius Episcopatus, ex tacita eiusdem Episcopi licẽtia. Cuius licentiæ testis est ex eod. Nauar. consuetudo illa, qua legitimus Confessarius habens prędictam facultatem, numquam remittit Pœnitentem ad Episcopum suum pro casu ei reseruato. Vide sequentem numerum 69.

Nu.67. Tertium est, Episcopum concedendo alicui omnem suam facultatem, & omnem suam authoritatem ad audiendas confessiones & ad absoluendum auditos, non videri eo ipso concedere casus sibi reseruatos: nisi dicat excepto tali casu reseruato; quia exceptio regulam in contrarium tunc firmaret: vel nisi appareat intentionem illius fuisse concedere casus reseruatos, concedendo omnem suam facultatem. Aliàs enim Regula 81. iuris in 6. locum habet: nempe In generali concessione non venire quæ quis non esset verisimiliter concessurus. Qua ratione ex cap. finali: De officio Vicarij eodem libro, Officialis Episcopi seu Vicarius generalis, nõ potest ex commissione generali ipsi facta, conferre beneficia. Hæc sunt quæ docet Nauarrus. Quibus ad exhauriendam huius rei difficultatem addenda sunt alia, præsertim ex Soto.

Nu.68. Quartum igitur sit, de quo idem Sotus *in 4. distin. 18. quæst. 4. art. 2. col. 10. & 11.* Quamuis legitimus Confessarius possit peregrinos absoluere à peccatis vbicumque commissis (quod ex Panorm. Nauarrus habet loco cit.) tamen quia subduntur legibus diœcesis cui applicuerunt, dum habent casum ibidem reseruatum Episcopo, non posse absque eiusdem licentia absolui: quòd maiore ratione dicendum est de habentibus in vtraque diœcesi reseruatum: nempe absolui non posse nisi de licentia Episcopi diœcesis, in qua absolui volunt. Idem cum Soto sentientes plures refert Henriq. *in summa sua, lib. 6. cap. 14. §. 8. lit. Q.*

Nu.69. Addens citatis quoque authoribus lit. R, quòd si casus reseruatus in diœcesi peregrini, nõ sit reseruatus in alia in qua vult confiteri, ipsum posse absolui à Parocho loci vbi tunc est. In confirmationem verò adfert tacitam proprij Episcopi ratihabitionem de præsenti, cuius testis est consuetudo & Doctorum consensus: in eo fundatus, quòd consentaneum sit vt proprius Episcopus subdito, cui ob distantiam subuenire non potest, velit subueniri per alios vbi est; & de iis quorum reus est in pœnitentiali foro iudicari secundùm leges & consuetudinem loci in quo est.

Nu.70. Addit quoque in margine litera Q, si talis habeat casum reseruatum cum excommunicatione, ei imponendum esse onus præsentandi se suo Episcopo. Id enim conducit ad conseruationem Ecclesiasticæ disciplinæ, ad quam excommunicatio spectat: vnde dicta est gladius Ecclesiasticæ disciplinæ.

Nu.71. Addit denique in eodem §. 8. differentiam in hac re, inter peregrinum breui tempore alicubi morantem, & peregrinum morantem pro maiori anni parte, vt solent scholastici in Academiis: quòd ille non possit modo iam dicto absolui ab iis casibus Papæ reseruatis, à quibus Episcopus non potest aliter absoluere, quàm nouo iure Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. Iste verò ab eis quoque absolui possit. Cuius differentiæ ratio est, quòd talis potestas Episcopo concedatur tantùm pro sibi subditis in sua diœcesi, quales non censentur qui breui tantùm tempore in ea morantur.

Nu.72. Quintum est, *de quo idem Sotus in sequen. distinct. 22. quæst. 2. art. 3. dubio ante 3. concluſ.* Etiamsi casus sit reseruatus cum excommunicatione ab homine (modo ea sit generalis, vt est lata in quemcumque facientem furtum) Episcopum loci ad quem excommunicatus peruenit, vel illius Vicarium, posse taliter irretitum absoluere: perinde ac eiusdem proprius Episcopus potest, dũmodo satisfaciat parti læsæ, & pœnæ impositæ à iure vel à Iudice, nec lis fuerit conte-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stata in tribunali proprij Iudicis, quia tunc per eum aut per Summum Pontificem, vel alium superiorem eiusdem Iudicis, debet determinari.

Nu.73. Postremum est, *quod adhuc Sotus ipse habet in prius citata quæst. 4. art. 3. col. 7.* Quamuis Sylvester & Gabriel senserint Religiosos, per Clement. Dudum De sepult. priuilegiatos ad audiendas confessiones, & semel ab Episcopo approbatos, posse à casibus ipsi Episcopo reseruatis absoluere, absque ipsius licentia: tamen eorum sententiam nec tutam, nec receptam esse, quoniam expresè habetur in eadem Clementina. Per huiusmodi concessionem nequaquam intendimus ampliorem potestatem fratribus impendere, quàm est Curatis & Parochialibus Sacerdotibus à iure concessa; nisi forte eis Ecclesiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam. Ex quibus verbis patet Religiosos virtute dicti priuilegij, non posse absque speciali gratia Episcopi, absoluere à casibus ei reseruatis, magis quàm simplices Curatos. Quod confirmatur ex Clement. Religiosi, De priuileg. vbi excommunicantur Religiosi, si tentauerint absoluere à casibus reseruatis Apostolicæ sedi, vel locorum Ordinariis.

Nu.74. Quamquam tamen, *inquit Sotus*, si Episcopus vellet plures casus reseruare Religiosis, quàm Curatis, censeretur id facere in fraudem & in odium ipsorum: quæ fraus tam aperta esse posset, vt illi parendum non esset: cùm per prædictam Extrauagan. Summus Pontifex & generale Concilium Viënense, in quo illa fuit edita, pares Curatis faciat ipsos in hac materia; neque possit Episcopus Papæ & generalis Concilij decretis derogare. Idem post Sotum aliis citatis annotat Suarez tomo 4. disputatione 30. sect. 2. numero 16.

CAPVT VI.

De executione potestatis absoluendi à casibus reseruatis.

SVMMARIVM.

75 *Superior auditis in confessione peccatis tam reseruatis, quàm non reseruatis, non potest ab illis solis absoluere, & pro absolutione horum, ad inferiorem remittere.*

76 *Nec potest auditis solis reseruatis, habentem alia mortalia Sacramentaliter absoluere, nisi grauis necessitas id exigat.*

77 *Superior cui onerosum est audire totam confessionem subditi habentis casum reseruatum, non debet eum Sacramentaliter absoluere, sed ei qui totam confessionem audiat, illam committere.*

78 *Rarò lucere potest Superiori, vt auditis solis reseruatis, absoluat habentem alia mortalia.*

79 *Sine licentia Superioris nequit inferior à reseruatis absoluere directè.*

80 *Nec etiam indirectè (ne quidem cum onere præsentandi se Superiori) nisi iusta causa interuenerit.*

81 *Quo modo ex bona fide Pœnitentis valida esse possit absolutio, habenti casum reseruatum data ab Inferiori sine licentia Superioris.*

82 *Ex hac pari bona fide, valide absolui potest à simplici Sacerdote, is qui probabiliter putans se habere tantum venialia, habet etiam mortalia.*

83 *In articulo mortis quilibet Sacerdos quemlibet directè absoluere potest à quibuslibet peccatis.*

84 *Episcopi potestas absoluendi à casibus Papæ reseruatis, qualis sit.*

85 *Ob vrgentem necessitatem vitandi probabile mortis periculum, aut graue scandalum, licere potest Inferiori, debitè dispositum absoluere, etiamsi habeat casum aliquem reseruatum.*

86 *Negamus id procedere cùm reseruatio fuerit ratione censuræ.*

87 *Quatenus teneri possit contrarium.*

88 *Absolutus à reseruatis per eum cui ad id facta est commissio à Superiore, non tenetur se huic postea præsentare, nisi committendo ipse imposuisset tale onus.*

89 *Quid agendum habenti casum reseruatum cùm Superior adiri potest.*

90 *Si superior auditis solis reseruatis remittat ad Inferiorem pro cæteris audiendis, probabile est eidem Inferiori adhuc aperienda esse ipsa reseruata.*

DE hac executione dicemus: tum respectu Superioris cui facta est reseruatio: tum respectu Inferioris cui committitur absolutio à reseruatis. Atque id, propositis documentis pro praxi quibus intelligatur modus quo siue ab hoc, siue ab illo perficienda est. Diuersa verò quæ diuersi diuersè sentiunt omittemus. De quibus videri potest Suarez tomo 4. disput. 31. sect. 1. & 2.

Documenta de modo quo Superior potest à peccatis reseruatis absoluere.

SECTIO PRIOR.

EX doctrina quam idem Suarez in eadem sect. 1. perseguitur, ista sumuntur. Primum est, non esse liberum Superiori auditis Peccatis pœnitentis tam non reseruatis quàm reseruatis, absoluere à solis reseruatis, & aliorum absolutionem Inferiori committere. Ratio est: tum quia post factam debitè confessionem integram, neque absolutio dimidiari potest, *quam iure diuino integram esse oportet, non minus quam confessionem*: neque iam ritè confessus compelli potest ad confessionem iterandam. Tum quia Superior, vel tunc habet intentionem conficiendi Sacramentum, vel non habet: ac non habens nullum temittit peccatum; habens verò, velit nolit peccata omnia remittit, si Pœnitens non ponat obicem: quia licet Sacramenti valor pendeat ex intentione ministri, effectus tamen Sacramenti validi non pendet ex illius voluntate: quandoquidem Sacramentum producit effectum suum per modum causæ naturalis, secundùm recipientis dispositionem: quam supponimus sufficientem esse, vt per se ac directè omnia sua peccata ei per Sacramentum remittantur. Accedit quòd etsi in aliis Sacramentis quantitas materiæ non sit determinata iure diuino, sed per intentionem ministri determinari debeat: in Sacramento tamen pœnitentiæ, eodem iure diuino totum id pendeat ex recipiente, cui idipsum ius defert munus applicandi materiam, puta contritionem & confessionem de suis peccatis integram: ministro autem defert munus formam eidem materiæ applicandi, dando scilicet absolutionem: quam perinde oportet integram esse, ac confessionem cui applicatur. Nu.75.

Secundum documentum est, Superiorem non posse licitè solis reseruatis auditis habentem alia mortalia Sacramentaliter absoluere, nisi grauis necessitas id exigat. Hoc nonnullis rationibus Suarez *in eadem sect. 1. num. 6.* probat. Illa autem sufficit, quòd iuxta definitionem Concilij Trident. sess. 14. cap. 5. & Can. 7. confessionem dimidiare, sit contra ius, ideoque Nu.76.

ideoque de se illicitum; & cùm reseruatio nō conferat Superiori nouum ius: sicut ipse nō potuisset licitè ante reseruationem grauiora tantùm illa peccata audire, cæteris mortalibus omissis, & Sacramentaliter absoluere sine rationabili causa; ita nec possit post reseruationem.

Quamquam tamen, *vt idem author addit*, taliter collata absolutio valida erit, si Pœnitens de omnibus suis peccatis contritus, agat bona fide, sitque benè dispositus: quia concurrent substantialia omnia, & consequenter omnia ad Sacramenti validitatem necessaria: integritas enim confessionis, *de qua maximè dubitaretur*, ob prædictam bonam fidem adest formalis: etiamsi ob omissionem non reseruatorum, desit materialis.

Nu.77. Tertium documentum, Quando non est quidem grauis necessitas; tamen reuera onus est Superiori, audire totam confessionem: si ipse iudicet necessarium audire Pœnitentem de reseruatis, potest audire ad imponendam pœnitentiam, & medicinam adhibendam; non autem Sacramentaliter absoluere; sed sublata reseruatione (quod potest sine Sacramentali confessione, etiamsi reseruatio sit peccati sine censura, *prout notat Henriq. lib. 6. cap. 14.* in fine) remittere ad Inferiorem, qui totam confessionem audiat & Sacramentaliter absoluat. Huius documenti ratio est, quòd non videtur tunc adesse causa sufficiens dimidiandi confessionem Sacramentalem. Non quidem ex parte Confessarij: quem si iusta occupatio non permittit audire per seipsum integram confessionē, ipse potest audientiam alteri committere: sicut committeret, nec per se absolueret non habētem casum reseruatum, cuius confessionem integram audire non vacaret. Nec item ex parte Pœnitentis; quia talis causa non potest alia esse, quàm quod cogeretur duobus Confessariis illa sua peccata reseruata deregere. Eam verò non esse sufficientem, argumento est; quòd quando vrgente necessitate aliquis vt possit absolui ab Inferiori, confitetur ei integrè de omnibus suis mortalibus etiam reseruatis; ipse adhuc teneatur pro horum absolutione offerre se Superiori cui reseruata sunt: quoniam ea non fuerunt clauibus suppositis sufficienter: siquidem Inferior sine Superioris licentia, nihil potest in reseruatis ex Con. Cilio Trident. sess. 14. cap. 7.

Vbi aduerte nihil esse cur Pœnitens se tali onere grauari queratur: quia ipsum imponitur ei propter grauitatem peccati sui, & periculum nocendi aliis per illud. Nec item est cur infamationem sui obiiciat; quia quantumuis Superior peccatum ipsum nō audiat ad Sacramentaliter absoluendum, sed solùm ad imponendam satisfactionem, vel committendam Inferiori absolutionem illius: ipse tamen tenetur seruare secretum sub Sacramenti sigillo, quoniam ei detegitur in ordine ad Sacramentalem confessionē, siue inchoandam siue consummandam; quod sufficit ad eiusmodi obligationem, vt patet per tradita in præcedenti lib. 3. cap. 3. sect. 1.

Nu.78. Quartum documentum est: rarissimam esse necessitatem, ob quam licear Superiori auditis solis reseruatis, Sacramentaliter absoluere habentem alia mortalia. Ratio est, quia ad eiusmodi necessitatem constituendam multa requiruntur, quæ rarò contingit simul concurrere: nempe ex parte quidem Confessarij; tale ac tantum impedimentum adesse, vt totam ipse confessionem hîc & nunc audire non possit. Ex parte pœnitentis verò, vt non possit differre diutius suam confessionem. Ac denique ex parte peccati, vt secundùm prudens iudicium nequeat moraliter, vel certè non expediat, alterius iudicio quàm Superioris, ipsum committi. Quibus concurrentibus aduerte, non modò Superiorem, sed etiam eum cui delegauit suam potestatem absoluendi à reseruatis, posse dicto modo absoluere: quippe qui particeps est eiusdem potestatis. Aduerte etiam Pœnitentem, accepta illo modo absolutione, remissum ad Inferiorem pro absolutione aliorum peccatorum; non teneri eum his confiteri de ipsis reseruatis: cùm de eis coram Deo & Ecclesia, iam sit per se directéque virtute clauium absolutus ab eo qui sufficientem habuit iurisdictionem: non minus quàm cùm aliàs confessio dimidiata est ex obliuione, vel ob aliquam causam rationabilem, siue ex parte Pœnitentis, siue ex parte Confessarij ortam. Quæ non obstat quidem, quin omissa in priore confessione exprimi debeant in posteriore, tanquam nondum supposita clauibus: liberat tamen ab obligatione iterandi in ipsa posteriore confessione quæ iam sufficienter in priore expressa fuerunt.

Si quis obiiciat, quòd confessio debeat integra fieri Confessori, non autem Confessoribus: Respondendum est id verum esse quidem per se loquendo, sed ex accidenti sufficere posse vt peccata omnia clauibus subiiciantur, quantumuis Confessores ideo sint distincti, quòd ob iustam causam tota confessio nequiuerit fieri vnico.

Documenta de modo quo Inferior Sacerdos potest à reseruatis absoluere.

SECTIO POSTERIOR.

PRimum est, secluſa facultate Superioris, Inferiorem non posse per se, ac directè à reseruatis absoluere valide: ac multo minus licitè. Probatur: quia hac minimum ratione verum est, quod Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. statuit, Sacerdotes nihil posse in casibus reseruatis, & debere Pœnitentibus persuadere vt ad Superiores accedant: pro absolutione videlicet obtinenda. Nu.79.

Secundum documentum est, Nec per accidens & indirectè, secluſa Superioris authoritate, Sacerdotem Inferiorem posse licitè absoluere à reseruatis, etiam imposito onere præsentandi se ipsi Superiori, nisi rationabilis adsit causa dimidiandi confessionem. Ratio est: quia cùm integritas confessionis sit de iure diuino, truncatio illius non potest esse licita, nisi rationabilis causa excuset. Facta autem proposito modo, est truncata; quia licet Pœnitens omnia sua peccata, tam reseruata quàm non reseruata proferat; non est tamen in ordine ad Sacramentum; quia Sacramentalis confessio non est quæcumque peccati manifestatio: sed accusatio sui in foro pœnitentiali coram Iudice iurisdictionem habente in accusantem seipsum. Quia ergo talis Sacerdos non habet sufficientem iurisdictionem, cùm non habeat pro tota causa (quandoquidem nihil potest in reseruatis) certè confessio sic facta non censetur integra; vtpote cuius pars non est illa iam dicta sui accusatio. Accedit quòd si proprius Sacerdos ideo possit absoluere subditum à casibus reseruatis Superiori, quia potest à non reseruatis, quibus per Sacramentum sublatis, consequenter tolluntur reseruata: dici pariter posset, simplicem Sacerdotem posse absoluere à mortalibus, quia potest à venialibus: quandoquidem his quoque sublatis per Sacramentum quo diuina gratia confertur: illa etiam, *quæ cum eadem gratia consistere nequeunt*, consequenter auferri necesse est. Contra communem autem Ecclesiæ vsum est, vt simplices Sacerdotes nulla necessitate vrgente, confessiones Nu.80.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes habentium peccata mortalia, audiant, sine proprij pastoris facultate; ne quidem sub hoc onere, quòd ei se postea offerant. Cùm alioqui sub eo prætextu passim quiuis Sacerdos quibuslibet audiendis se licitè offerret; quod absurdum est, & ab Ecclesiastica disciplina alienum: & querimoniarum ac discordiarum seminarium.

Nu.81. Tertium documentum est; antedicto modo datam absolutionem non esse ita illicitam, quin valida esse possit, si Pœnitens bona fide agat, nec obicem ponat gratiæ Sacramentali. Quam esse communem sententiam post Nauarr. habet Suarez tom.4.disput. 31.sect.2.num.6. Probatur verò quia nullum validitatis impedimentum tunc esse potest, quàm ex parte ministri non habentis iurisdictionem in omnia peccata mortalia, quibus se Pœnitens contaminauit. At illud non est sufficiens, vt patet ex eo, quòd omnium consensu valida sit confessio facta inferiori carenti iurisdictione in reseruata, quando illam faciens habet quidem talia, hoc est, reseruata: sed eorum nullo modo recordatur; aut si recordetur, confitetur de illis tanquam de non reseruatis: plane ignorans reseruata esse: cuiusmodi ignorantia sicut & obliuio excusabilem reddit dimidiationem seu truncationem materialem confessionis.

Vbi aduerte: quod etsi Pœnitens cùm per ignorantiam confitetur de reseruatis tanquam non reseruatis, dicat omnia peccata sua coram Sacerdote: non omnium tamè facere confessionem Sacramentalem; sed tantummodo illorum quæ non sunt ei reseruata, subsuntque ipsius iurisdictioni, per quam possit ab illis directè absoluere. Vnde fit, vt reseruatorum expressio in confessione, non magis impediat eam esse materialiter mutilam, quàm ipsorum obliuio: ideóque de illa, perinde ac de mutila ex obliuione dici possit: quod si rationabilis causa excuset, nihil esse quòd impediat valorem absolutionis super illam datæ quæquidem directè cadet tantùm in peccata non reseruata absoluenti: in reseruata verò tantùm indirectè: seu quòd cùm repugnent diuinæ gratiæ: hac beneficio Sacramentalis absolutionis adueniente, illa eliminentur ab anima.

Nu.82. Sed obiici potest, si hæc ita sint, dici quoque posse confitentem bona fide simplici Sacerdoti de venialibus, si obliuiscatur mortalium aut existimet venialia esse tantùm, quæ sunt mortalia, absolui validè. Cui obiectioni consequenter Suarez ita occurrit, vt concedat id probabile esse: quia licet Sacerdos simplex non habeat iurisdictionem sufficientem ad iudicandum per se de mortalibus: habet tamen sufficientem ad perficiendum Pœnitentiæ Sacramentum: quod cum vim habeat sanctificandi hominem, habet etiam peccatum mortale, si in illo inueniatur, expellendi: faciendo ex inimico Dei amicum.

Nu.83. Quartum documentum est; in articulo aut probabili periculo mortis posse quemlibet Sacerdotem à quibuslibet casibus reseruatis directè absoluere quélibet Pœnitentem. Hoc habetur ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. Ad cuius intelligentiam videnda sunt tradita in præcedenti libro 1. cap. 7. num. 58. & aliquot sequentibus.

Nu.84. Quintum est; Episcopum posse directè absoluere à casibus reseruatis Papæ, cùm hic adiri non potest, vel cùm casus sunt occulti, nec ad forum externum deducti. Hoc patet ex potestate eidem Episcopo concessa à iure ad absoluendum à talibus casibus: de qua diximus lib. 1. num. 135. & 136. vbi monuimus illam quoad forum internum extendi etiam ad casus in bulla Cœnę Domini reseruatos. Quod ipsum asserens Henriquez in sua summa lib. 6. cap. 14. §. 7. ex eo infert, quòd si quis in talem casum incurrerit & morbo detentus vel inclusus nequeat adire Episcopum: ipsum: huncauditâ causâ & personæ qualitate cognitâ, posse illum absentem, ab excommunicatione, *non item à peccato*, absoluere: & ita liberare à reseruatione: aut certè pleniorem causæ cognitionem committere prudenti viro ad id specialiter delegato. Dico (*specialiter*) quia is est modus à Concil. Trident. præscriptus, cùm in sess. 24. cap. 6. absolutionem à casibus Papalibus occultis nec deductis ad forum externum committit Episcopo. Qua de causa peregrinus ab Episcopo loci, in quo peregrinatur, non potest à talibus casibus absolui: quia non est ad id specialiter deputatus per proprium Episcopum eiusdem peregrini; sicut opus esset iuxta Concil. Trident. quod talem absolutionem committit proprio Episcopo vel alteri quem ipse ad id specialiter deputauerit. Quod tamen aduerte, *vt iam aliàs attigimus*, intelligendum esse de peregrino, qui ad breue solùm tempus vult morari in aliena diœcesi: quia ille qui pro maiori anni parte morari statuit, eadem ratione absolui potest qua cæteri de diœcesi: quod etiam tangit Henriq. *in sequen. §. 8.* Et probatur quia per tale quasi domicilium, peregrinus fit in foro pœnitentiali subditus pastori eiusdem loci, iuxta dicta in præcedenti libro primo cap. septimo in fine.

Nu.85. Sextum documentum est: extra mortis probabile periculum; si Pœnitentem vrgeat necessitas vitandi infamiam alicuius grauis criminis, de quo suspectus est, aut grauis scandali, nec adiri possit Superior: posse de illius tacita licentia ab inferiori absolui, impositio onere illum postea adeundi pro reseruatis: aut si adiri possit quidem, sed periculosum sit, crimen ei detegere, aut malitiosè recusat committere facultatem alteri idoneo; tunc similiter absolui posse ex tacita commissione Papæ, qui censetur ipso iure concedere iniustè negatam licentiam: præsertim vrgente necessitate: quæ, (*vt habet 4. regula iuris. Extra*) facit licitum, quod est iure illicitum.

Nu.86. Quanquam istud aliqui ita restringunt, vt dicant neque tunc absolutionem à peccatis dandam esse; si casus sit reseruatus ratione censuræ annexæ: quia graue alioqui sacrilegium committeretur. Id quod Nauarrus approbans *ad cap. Confideret. De pœnitentia, distinct. 5. §. Cautus num. 23.* & in Enchir. cap. 26. num. 7. inde probat: quòd excommunicatio excludat à diuinis, & maximè à perceptione Sacramentorum per cap. Si celebrat De Clerico excommunic. ministrante Attamen Angelus confessio 5. num. 10. putat contrarium probabilius esse; si Pœnitens non fuit in mora petenti absolutionem: vel fuit quidem, sed verosimiliter apparet, quòd non erit amplius. Quam sententiam vt non tam tutam quàm benignam reiicit Rosella Confessor 1. nu. 10. soluēs rationes quę pro ea adferuntur: & addēs oppositum Theologorum, Canonistarum, & Summistarum, ferè omnium esse; generalémque consuetudinem habere, vt excommunicato non antè impendatur absolutio à peccatis, quàm is sit à vinculo excommunicationis solutus.

Nu.87. Cæterùm putarim non esse repudiandum illud quod Scholiastes eiusdem Angeli admonet; videndum esse in hac re quid saluti confitentis expediat; ideóque si casus occurrat, in quo non obstante excommunicatione, ipsum, *vt facientem quidquid in se est*, absolui à peccatis videatur necessarium: vt exempli gratia quia non potest probabiliter existimare se contritionem habere perfectam, qua sacrosanctam Eucharistiam sumpturo, *ad vitandum ex hypothesi scandalum*, necessarium ei est: Si inquam occurrat talis casus, absolui posse absque peccato; accepta tamen promissione eiusdem confitentis, quòd cumprimum poterit Superiorem adibit vel commissa

missarium eius à quo absoluatur à reseruatis. Ratio quæ mouet me, præter Angeli non contemnendam authoritatem, est; quòd excommunicatio de se non faciat hominem ita incapacem absolutionis à peccatis, vt hanc reddat nullam: vt patet ex dictis in præced. lib. 6. cap. vltimo sect. vltima propos. 3. 4. & 5. Nec item facit vt intrinsecè malum sit absolutionem à peccatis excommunicato impendere: quasi nulla prorsus de causa, id possit licitè fieri: maximè cùm non sit consentaneum Ecclesiam quando excommunicationem imponit, agere tanta seueritate cum filiis vt quantumcumque faciant quidquid in ipsis est, velit nihilominus eis negare, quod est eis ad salutem necessarium.

Nu.88. Septimum documentum est, absolutum à casu reseruato, per eum qui accepit ad id facultatem à Superiore, non teneri se huic præsentare, nisi illā commisisset sub eiusmodi onere (quod fieri non solet, etiamsi possit, vt notat Henriquez lib. 6. cap. 15. §. 2.) & per consequens non reincidit in eamdem excommunicationem: sicut is, qui ab excommunicatione reseruata absolutus est in articulo mortis reincidit; per cap. Eos qui De sentent. excommunic. in 6. Quod documentum habet locum in eo qui tempore Iubilæi absolutus est absque fraude; etiamsi omittat postea implere quæ deerant pro consequenda indulgentia: nam in Iubilæo non datur Confessario facultas absoluendi ad reincidendum. De qua re idem

Nu.89. Henriquez in sequen. cap. 16. §. 6.

Octauum documentum est, si Prælatus cui casus reseruatur sit præsens in vrbe, reus per se vel per aliū debet priusquam Inferiori confiteatur, illum adire ea intentione, vt integrè confiteatur illi omnia sua peccata, tam reseruata quam non reseruata. Hoc habet idem Henriquez in cit. cap. 15. §. 4. authoribus commemoratis in marg. lit. P, & Q, additáque ratione: quòd ordo ille procedendi aptior sit, & quasi regia via, vt primum adeatur Superior, qui per se absoluat; vel alteri absolutionem committat; quódque intentio integrè confitendi, *quantum commoditas datur*, necessaria sit ex Christi institutione, de qua Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. Quodsi non expediat ipsum scire criminis reseruati reum; interponi commodè poterit Confessarius qui petat licentiam absoluendi aliquem suum Pœnitentem ab aliquo casu reseruato. Id quod non grauatè, sed facilè concedendum est docto & probato Confessario petenti.

Nu.90. Quod si Superior causas occupationem; totam confessionem audire (quod magis deceret) nollet, sed sola reseruata audire & ab eis absoluere, próque absolutione à non reseruatis remittere ad Inferiorem: sic remissum non teneri confiteri huic de reseruatis; etsi posset ex eo deduci, quòd sic data absolutio Sacramentalis sit & valida iuxta ante traditum tertium documentum; *teneique Suarez tom. 4. disput. 31. sect. 1. num. 10.* attamen quia plurimi ac nobilissimi authores (*quorum meminit Henriquez in eodem libro cap. 15. §. 5. in marg. lit. D.*) sentiunt tunc quoque reseruata cum non reseruatis esse confitenda: quod consulendum est in praxi tanquam tutum, nec adeo graue de se, quin leue fiat commutatione timoris æternæ damnationis, in spem æternæ salutis.

CAPVT VII.

De effectu sequente executionem absolutionis à casibus reseruatis.

SVMMARIVM.

91 *Peccatum reseruatum, de quo iam facta est sufficienter confessio, non impedit quin si hæc iteretur, simplex etiam Sacerdos possit absoluere Sacramentaliter.*
92 *Reseruatio potest per Superiorem tolli sine Sacramentali confessione.*
93 *Quod cum sit, non quiuis Sacerdos absoluere potest, sed tantum is qui in Pœnitentem habuerit iurisdictionem ordinariam aut delegatam.*
94 *Delegatam tantummodo habens potestatem absoluendi à reseruatis, eam exequi nequit, non audita Sacramentali confessione Pœnitentis.*
95 *Non tollitur reseruatio nisi Superior voluerit, etiamsi velle debuerit.*
96 *Quomodo reseruatio tollatur, dum habenti iurisdictionem sufficientem ad eam tollendam, fit confessio Sacramentalis.*
97 *Obiectio cum solutione.*
98 *Prædictum modum habere locum non solùm quando iurisdictio fuerit ordinaria, sed etiam quando delegata.*
99 *Habere item locum in confessionibus ordinariis.*
100 *Extendi ad reseruationem oblitorum in prædictæ confessione.*
101 *Cùm plures sunt eiusdem peccati reseruationes, quomodo tollantur.*
102 *Et quomodo si fuerint excommunicationibus annexæ.*

DE hoc effectu latè differit Suarez *tom. 4. disput. 31 sect. 4.* Quæ autem pro praxi sufficient complectemur aliquot documentis.

Primum est: quando habens casus reseruatos absolutus est ab eis per Superiorem, vel alium cui Superior concesserit sufficientem ad id facultatem, posse postea ab iisdem absolui per Inferiorem, cui confessionem illorum repetere placuerit. Ratio est, quia vt à venialibus, sic à quibuslibet mortalibus, de quibus iam facta est legitimè confessio, absoluere potest simplex etiam Sacerdos, iuxta antedicta lib. 1. num. 65. *Nu.91.*

Secundum est, Superiorem qui iurisdictionem habet ordinariam, posse non tantùm per absolutionem Sacramentalem tollere peccati reseruationem, sed etiam absque illa: adeóque peccati culpā non ablatā; vt quando in casibus occultis Papæ reseruatis Episcopus absolutionem dat tantùm ab excommunicatione: aut quando aliqua alia ratione voluntatem habet expressam vel tacitam auferendi reseruationem sine Sacramentali absolutione: vt v. g. tantummodo audiendo peccatum reseruatum & imponendo satisfactionem necessariam, dandóque monita salutis, reliqua Inferiori committendo. *Nu.92.*

De quo Inferiore obiter aduerte, talem debere esse, qui in eiusmodi Pœnitentem iurisdictionem habeat ordinariam vel delegatam: id est, qui pastor sit ipsius proprius; vel ab eodem delegatus. Ratio est, quia per eum modum auferendi reseruationem, peccatum non supponitur clauibus, ideóque adhuc est materia necessaria confessionis, perinde ac cætera peccata mortalia; à quibus nemo absoluere potest nisi in Pœnitentem habeat iurisdictionem ordinariam aut delegatam, vt expressum est in Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. *Nu.93.*

Aduerte etiam, eum qui iurisdictionem habet tantùm delegatam circa reseruata; non posse reseruationem auferre modo prædicto: quo scilicet ea sic auferatur vt ad alium pro habenda Sacramentali absolutione *Nu.94.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

solutionc remittatur. Nam non est quid tale concessum delegato ad audiendas confessiones: vtpote qui subdelegare nequit eam delegationem, per quam tantummodo est electa ipsius industria, non autem ei commissa pastoralis cura.

Nu.95. Tertium est: quantumuis subditus legitimè confessus sit suo Superiori; si hic nec velit ipsum absoluere, nec causam alteri committere, non inde tolli reseruationem. Hoc Suarez in cit.sect.4.num.7.probat, quia in eo Superior vtitur iure suo, quando iustam causam habet: vt si subditus non sit dispositus ad absolutionem, quia recusat satisfactionem, vel non ostendit firmum emendationis propositum: vel si absolutio differatur, quia Pœnitens nondum fecit quod in ipso est, quódque ab ipso exigi potest. Cùm verò non habet causam iustam etiamsi peccet negando malitiosè absolutionem, aut illius commissionem, reseruatio adhuc manet: quia debet auferri per eius voluntatem, quæ quandiu non habetur, propterea nihil efficitur, quòd talis ablatio requirat iurisdictionis vsum, à quo ille vult tam per se, quàm per alium abstinere omnino. Itaque in tali casu, *addit Suarez*, recurrere oportet ad alium, Superiorē ipso. Quod si fieri nequeat, poterit quis seruatis antedictis num.85. Inferiori confiteri, vt à non reseruatis directè absoluatur, & à reseruatis indirectè, donec ab ipso Superiore maior facultas obtineatur.

Nu.96. Quartum est: quando Superiori vel alteri habenti ab eo iurisdictionem sufficientem confessio à Pœnitente specialiter fit ad finem exonerandi omnino conscientiam suam, & consequendi absolutionem à peccatis, *si quæ forte habeat*, reseruatis: atque eam suam intentionem manifestat tali Confessario, cui'& bona fide dicit omnia peccata sua, quæ potuit in memoriam reuocare: tunc per absolutionem Sacramentalem sic acceptam liberari à reseruatione casus quem forte habuit & per obliuionem tacuit. Hoc Suarez tractat fusiùs in eadem sect. 4. à num. 12. Et commemoratis authoribus ita tenentibus, pro fundamento adfert, quòd absoluentis intentio siue expressa siue tacita, sit per suam absolutionem liberare quantùm potest Pœnitentem ab omni onere suorum peccatorum. Quæ intentio in tali casu ex eo sufficienter colligitur, quòd ipse sciens subditum accedere ad ipsum eo animo, vt quoad fieri potest liberetur ab onere peccatorum suorum, vidensque illum bona fide confiteri, quæcumque in memoriam reuocare potuit, illum absoluit satisfactione imposita. Per id enim satis indicat quòd velit quantum potest eum relinquere liberum. Vnde cùm possit tollere vinculum reseruationis, dubitandum non est, quin illud quoque velit tollere; præsertim cùm pastorale munus ab ipso exigat, vt subdito faciente quod in se est, & quantùm moraliter potest, conscientiam suam ei aperiente, & admittente quam imposuerit satisfactionem, debeat tali manifestatione contentus esse pro omnibus peccatis ad illud vsque tempus ab eo commissis: itaut velit eum manere liberum ab onere per reseruationem impositio se præsentandi ipsi pro consequenda absolutione ab aliquo illorum.

Nu. 97. Si obijcias illam manifestationem non impedire quin peccatum oblitum debeat claubus subijci quoad culpam: de eo enim quando in memoriam venerit, confitendum est: ergo nec quòd subijci debeat quoad reseruationem. Respondetur negando consequentiam: quia vt peccata censeantur quoad culpam sufficienter suppositа esse claubus, debent per peccatoris confessionem manifestari Sacerdoti eadem claues habenti: nec enim aliter Sacramentalis absolutio eis directe applicatur, vt constat ex necessitate confessionis ad eam impendendam. Vt verò censeatur suppositа sufficienter quoad reseruationem (*etiamsi hæc sit cum censura*) sufficit ita satisfactum esse Superiori à Pœnitente, vt ille ostendat se contentum esse de eo quoad obligationem, quam habere potest comparendi coram ipso, pro remedio adhibendo peccatis quibus animam habet contaminatam.

Nu. 98. Cæterùm procedit istud, vt Suarez quoque ibid. num.17. notat; non tantùm quando Superior iurisdictionem ordinariam habens absoluerit, sed etiam quando ab ipso delegatus: cui censetur vices suas commisisse ad absoluendum Pœnitentem eo modo, quo ipsius dispositio & intentio exegerit. Quo fit vt de ordinario, sic & de ipsius delegato concedi possit, quòd dum ex obliuione peccatum reseruatum non manifestatur, is ita absoluat Pœnitentem facientem quod in se est, vt ab onere reseruationis ipsum liberet, sicut Ordinarius ipse liberaret. Neque obstat quòd delegatus non possit subdelegare suam iurisdictionem: quoniam reseruationem tollere non est iurisdictionem suam alteri committere, sed solummodo auferre impedimentum, quo remoto tale peccatum relinquitur sub communi lege aliorum mortalium: nempe vt ab eo possit ille absoluere, qui cōmunem habuerit iurisdictionem in proposito Pœnitentem. Neque etiam refert quod delegatus nihil possit in reseruatis sine Sacramentali absolutione: quia non est necesse simpliciter vt ea directè sit à reseruatis; nisi facultas restricta esset ea conditione. Nam data simpliciter vt solet in Iubilæis interpretanda est, iuxta Sacramenti Pœnitentiæ institutionem, requirentem quidem per se loquendo, vt peccatorum omnium confessio vni & eidem fiat: per accidens tamen si per obliuionem aut ob aliquam iustam causam, aliquod omissum sit; permittentem de eo confiteri alteri.

Nu. 99. Quod autem idem Suarez in sequenti num. 18. vult documentum propositū non procedere in confessionibus ordinariis, quasi in eis sine vlla cogitatione casuum reseruatorum, & inferior confiteatur, & superior det absolutionem: non puto necessariò tenendum in praxi, quæ ordinariè habet, vt Pœnitens si non distinctè, saltem confusè, de reseruatione cogitet, eo animo confitens, vt per Sacerdotis absolutionem quantum fieri potest, liberetur ab omni vinculo suorum peccatorum: eādemque intentione Confessarius cum illo procedat, vt indicio est absolutio à censuris, quam solet Sacramentali absolutioni præmittere, non qualitercumque sed quantum potest, & cōfessus indiget vt indicat forma absoluēdi proposita à nobis in præcedenti num. 18. quam à plerisque vsurpari, ipse Suarez non improbat. Deinde tam excommunicatio reseruata, quam non reseruata impedimentum est absolutionis Sacramentalis. Ergo cum ad tale impedimentum tollendum Confessarius dicit. Absoluo te inprimis à vinculo excommunicationis, in quantum possum & indiges, intendit absoluere non tantùm ab excommunicatione non reseruata, sed etiam à reseruata, si ipse possit & pœnitens indigeat. Quod verò ille ait, tollere quidem excommunicationem, non tamen illius reseruationem, reijcitur: quia reseruatio solutionis vinculi, nulla est vinculo ipso sufficienter soluto ab habente plenam potestatem: & in casu proposito soluitur vinculum excommunicationis ab habente, *vt supponimus* plenam ad id inrisdictionem. Quod si hoc dicitur de reseruatione cum excommunicatione, multò magis dici potest de reseruatione sine excommunicatione, quæ minor est.

Quod adhuc ille vrget talem modum tollendi reseruationem esse contra huius finem: quia nec peccatum tunc cognoscitur à Superiore, nec pro eo satisfactio

tisfactio imponitur, nec medicina adhibetur quæ præcipuè intenduntur per reseruationē. Reiici pariter potest, quoniā eadem ratione probaretur, nec tolli reseruationem peccati obliti, quando fit confessio & datur absolutio legitimè. Nam nec tunc à Superiore tale peccatum cognoscitur, nec pro eo imponitur satisfactio, aut adhibetur medicina.

Nu.100. Quintum documentum est; probabile esse, id quod antea dictum est de peccatis reseruatis in confessione expressis, dici posse de oblitis: nimirum libera manere à reseruatione in eo qui bona fide confitens absolutus est Sacramentaliter virtute Iubilæi à Summo Pontifice concessi, cum facultate absoluendi ab omnibus casibus reseruatis: quantumuis postea mutata voluntate, absolutus negligat cætera facere quæ requiruntur ad lucrandam indulgentiam quæ conceditur. Hoc tractans Suarez in sequen. num. 23. & 24. ipsum fundat in eo, quòd supposito tali priuilegio à Papa concesso ad obtinendam relaxationem reseruationis per Sacramentalem absolutionem, satisfiat eiusdem voluntati quidquid postea sequatur: dummodo præcesserit confessio, qualem absolutio ipsa requirit vt valida sit. Nam si inualida sit, non modò oblitorum, sed nec expressorum in confessione, reseruatio tolletur: quia non erit satisfactum voluntati Superioris ad id exigentis confessionem, & absolutionem, non aliam quàm validam, vt nemo negauerit.

Nu.101. Postremum documentum est, quod postremo tractat Suarez consequenter à num. 25. vsque ad finem sectionis: quando fuerunt plures eiusdem peccati reseruationes, omnes tolli cùm directè per absolutionem Sacramentalem peccatum ipsum remittitur: sic enim remissum, non est amplius materia necessaria confessionis: vnde fit vt pro eo non sit ad Superiorem denuo recurrendum. Cùm verò indirectè tantùm remittitur, vt solet peccatum oblitum: si diuersæ sint illius reseruationes ab eadem potestate profectæ: *vt cum vnus Episcopus per suum statutum reseruat aliquod peccatū, & successor eius idem facit per aliud statutum*: quia tales in re, sunt potiùs vna reseruatio repetita: quam plures, manántque ab eadem potestate, simul tolluntur dum præditus eiusmodi potestate absoluit. Si verò sint à diuersis potestatibus subordinatis; *vt quando Papa reseruat peccatum iam reseruatum Episcopo*: & potestas ad absoluendum habeatur tantùm ab Episcopo, ea non est sufficiens: Papali reseruatione maiorem potestatem requirente. Sin habeatur à Papa potestas ad absoluendum à casibus sibi reseruatis, sufficiens est ad tollendam cum papali episcopalem reseruationem iuxta illud quod in præced. num. 55. ostensum est; habentem à Summo Pontifice licentiam absoluendi ab omnibus casibus sibi reseruatis, habere simul absoluendi à casibus reseruatis Episcopo.

Adde his: quando reseruatio est cum excommu- *Nu.102.*
nicatione, vt ea tollatur, tollendam esse excommunicationem: quæ si non sit vna, sed plures; ad tollendam reseruationem opus est potestate absoluendi ab omnibus, quia vna perseuerante, perseuerat reseruatio impediens Sacramentalem absolutionem: cùm inter excommunicationes non sit ea connexio, quæ inter peccata mortalia, vt ad vnius relaxationem, sequatur aliarum relaxatio.

LAVS DEO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER QVINTVS, ET TOTIVS OPERIS

NONVS, DE ABSOLVTIONE AB EXCOMMVNICATIONE,

absolutioni Sacramentali
præmittenda.

PRÆFATIO.

ANTE traditæ explicationi absolutionis Sacramentalis à peccatis, adiungendam esse explicationem absolutionis ab excommunicatione: satis patet ex recepto communique vsu vtramque coniungendi: & ex eo, quòd excõmunicatio quęlibet priuando participatione Sacramentorum; iuxta cap. Si celeb. De Clerico excommunicato ministrante, irretitum eadem sic reddat incapacem absolutionis Sacramentalis, vt hanc nec licitè nec validè accipere possit quando grauis necessitas aut ignorantia eum non excusat, prout ante expositum est satis plenè in fine libri sexti. Sic autem procedemus vt primo loco dicamus de eo qui absoluere potest ab excommunicatione à iure; seu lata cum intentione faciendi statutum. Secundo, de eo qui potest absoluere à lata ab homine, seu lata absque intentione faciendi statutum. Tertio, de eo qui absoluitur. Quarto, de iis quæ obseruari debent ad ritè impendendam absolutionem ipsam ab excommunicatione, quando constat incursam esse. Quinto, de iis quæ obseruari debent, cùm dubitatur an sit incursa. Atque illis addamus quæ de excommunicatione Confessarium scire conuenit ad impendendam debitè eamdem absolutionem: qualia sunt ea ex quibus pendet excommunicationis validitas, & causæ excusantes ab excommunicatione ipsa; & reseruatio in Bulla Cœnæ Domini. Porro de absolutione à suspensione, & interdicto propterea non est necesse in præsentiarum dicere, quòd sine ea Sacramentalis absolutio possit & licita & valida esse; quandoquidem suspensio non excludit ab ea, *vt bene docet Caiet. in Summula verbo Suspensio*: neque interdictum obstat, quin eadem impendi possit parato ad faciendum id quod tenetur, & potest: prout habetur ex cap. Alma mater, §. Quia verò, De senten. excommun. in 6.

CAPVT

CAPVT I.

De eo qui potest absoluere ab excommunicatione lata a iure.

SVMMARIVM.

1 *Ab excommunicatione à iure reseruata, nullus absoluere potest, nisi is cui facta est reseruatio, aut Superior ipsius, aut alius de ipsorum commissione.*
2 *Commissio facta Episcopo à iure ad absoluendum à casibus reseruatis Papæ.*
3 *Qui habentes ex commissione facultatem absoluendi à casibus reseruatis, possint eam alteri committere.*
4 *Commissio generalis ad absoluendum à casibus reseruatis, non includit eum casum quem is qui committit negaturus esset in specie.*
5 *Nec item talis commissio iuuat pro foro externo.*
6 *Virtute eiusdem commissionis, data absolutio ab omnibus peccatis & censuris, tollit reseruationem oblitorum in confessione.*
7 *Commissio generalissima pro articulo mortis.*
8 *Per eam absolui potest ab excommunicatione, is etiam qui non est capax absolutionis Sacramentalis.*
9 *Laico aut cuiuis alteri non Sacerdoti non est commissa facultas absoluendi ab excommunicatione in articulo mortis.*
10 *Nomine articuli mortis in hac re comprehenditur probabile mortis imminens periculum.*
11 *Obligatio præsentandi se Superiori, imposita ei, quem ob mortis probabile periculum, vel aliam vrgentem necessitatem inferior absoluit ab excommunicatione reseruata.*
12 *Qui absoluere possint ab excommunicatione à iure non reseruata.*
13 *Difficultas de Parocho, & simplici Sacerdote habente licentiam audiendi confessiones.*
14 *Cur pars affirmans tenenda videatur.*
15 *Potestas facta in cap. Nuper De senten. excommunicat. non est tantùm ad absoluendum à minori excommunicatione.*
16 *Eâdem ratione censenda est facta Parocho, quâ cæteris habentibus curam animarum, Episcopo inferioribus.*
17 *Talem potestatem Parochus circa suum subditum exercere potest, etiam extra Parochiam, siue excommunicatio sit à iure communi, siue à particulari.*
18 *Quomodo Parochus habeat potestatem ad absoluendum ab excommunicatione, cùm non habeat ad excommunicandum.*
19 *Habet pro foro tantùm interno.*
20 *Eadem cum Parochis potestate gaudent Sacerdotes simplices qui deleganter ad audiendas confessiones.*
21 *Notanda pro solutione eorum quæ in contrarium obiiciuntur.*
22 *Prohibitio in hac re Religiosis facta sub excommunicatione reseruata.*

EXCOMMVNICATIONVM à iure quædam sunt reseruatæ, hoc est, quarum absolutionem iuris conditor sibi aut alteri reseruauit: & quædam non reseruatæ, hoc est, quarum absolutionem conditor iuris nec sibi nec alteri reseruauit.

De eo qui potest absoluere ab excommunicatione reseruata à iure.

SECTIO I.

A Reseruata à iure nemo potest absoluere, vt omnes consentiunt teste Nauar. *in Enchir. cap. 27. num. 39. in fine*, nisi ille cui facta est reseruatio: nimirum si Papæ, solus Papa; si Episcopo, Episcopus tantùm; aut etiam Metropolitanus ipsius; cùm appellatũ fuerit ad ipsum ex cap. Venerabilibus §. 1. De senten. excommunic. in sexto: non autem inferiores, nisi gratiâ speciali seu gratiosâ, *vt loquuntur*, commissione id fuerit illis concessum, siue ab homine, siue à iure. Atque commissionis factæ ab homine, frequẽs est in Ecclesia vsus per priuilegia Summi Pontificis, & facultates aliorum Ordinariorum: qui vt possunt iuxta cap. vltimum, De officio Ordinarij; sic & solent potestatem absoluendi ab excommunicationibus sibi reseruatis, concedere extraordinariam: quãtum ad maiorem Dei gloriam, maiúsque animarum lucrum conferre iudicauerint, eam ampliando aut restringendo. Ad quam rem spectantia iam tradita sunt in proximè præcedenti libro cap. 4. & 5. Nu. 1.

Ex commissione autem à iure facta in Concil. Trident. sess. 24. De reformat. cap. 6. potest Episcopus absoluere ab omnibus excommunicationibus Sedi Apostolicæ reseruatis, cùm fuerint occultæ, nec ad forum externum deductæ, quoscumque sibi subditos in sua diœcesi, per seipsum aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere, impositâ salutari pœnitentia. Id quod procedere etiam quoad casus bullæ Cœnæ Domini, prout aduertit Nauar. in lib. 5. Consiliorum. tit. de senten. excommunic. consilio 43. num. tertio patet: quia nulla alioqui fuisset ratio cur Concilium specialem mentionem faceret hæreseos, quoad eam restringens illam suam facultatem: quæ si non extẽderetur ad casus reseruatos in bulla Cœnæ Domini, nihil spectaret ad hæresim: quæ primò omnium loco in eadem bulla reseruatur. Neque obstat, quòd in illa ipsa (§. Cæterum) statuitur, vt nullus præter Summum Pontificem à talibus sententiis extra mortis articulum absoluere possit, prætextu quarumcumque facultatum & indultorum per cuiusuis Concilij decreta concessorum. Nam id non habet locum in Concil. Triden. quia vt à Viualdo notat in Candel. aureo capit. De absolutione num. 13. praxis habet vt quando Papa in lege alicuius grauis Concilij (*maximè cum ipsum adhuc recens est, vt Concil. Triden.*) dispensare vult, vel ei derogare id specialiter exprimat. Adhæc quantumcumque excommunicatio reseruata Papæ notoria fuerit: si illa irretitus habeat legitimum impedimentum adeundi illum personaliter: vt cum quis puer est, aut valde senex, aut fœmina, aut infirmus, aut alio simili modo iustè impeditus: eius quoque absolutio iure ipso censetur commissa Episcopo, prout iam à nobis traditum est lib. 1. num. 135. & annotat Henriquez aliis in margine suo more citatis lib. 6. cap. 10. §. 1. & 4. item lib. decimotertio cap. 27. §. tertio. Addens quòd si nec Episcopus adiri possit, videri quod à Parocho solui queat imposito onere se illi præsentandi, cùm primùm sublatum fuerit impedimentum. Sed iuxta dicta à nobis in fine citati num. 135. id procedere non potest extra casum grauis necessitatis confitendi: in quo censeatur ab Ecclesia concessa esse Infe- Nu. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

riori facultas absoluendi habentem casum reseruatum: vt censetur tum in articulo mortis, prout adhuc in eadem prima parte expositum est in præced. num. 58. & aliquot sequen. tum etiam quouis alio casu in quo necessitas confitendi adiunctam habuerit iustam causam truncandi confessionem: extra quem, *ob defectum integritatis ad Sacramentalem absolutionem necessariæ ex Christi institutione*, non potest quis Sacramenti Pœnitentiæ administratione iuuari à suo pastore. Vide dicta in numero 80. libri proximè præcedentis.

Obseruationes de generali commissione ad absoluendum ab excommunicatione reseruata.

SECTIO II.

Nu.3. OBserua autem primò, quod attigit Henriquez libro decimotertio cap. 27. §. quinto, aliquos eorum qui ex commissione absoluere possunt ab excommunicatione reseruata, posse eamdem absolutionem rursus alteri committere: vt Legatum Papæ, tanquam Principis Summi. Item habentem ab eod. Summo Principe priuilegium perpetuum, quo talis commissio annexa sit dignitati suæ ac officio quod ipse fungitur: iuxta illud quod in cap. fin. De Officio Ordin. dicitur: eos qui possunt ex officio absoluere à certis casibus, posse absolutionem eiusmodi committere cùm viderint expedire. Itémque eum qui delegatus est ad vniuersitatem causarum, cum vi coactiua, & iurisdictione in vtroque foro: vt Vicarium generalem Episcopi; aliúmve constitutum ad gerendum vices Prælati absentis, cuius dignitati & officio prædicta commissio est annexa priuilegio perpetuo.

Nu.4. Obserua secundò, quod tum alij quorum meminit Henriquez ibidem in fine: tum etiam Nauar. & Couar. ille ad princip. cap. 1. De pœnit. dist. 6. num. 61 & hic ad cap. Alma mater, parte priore §. 11. num. 15. annotant generalem commissionem absoluendi ab excommunicatione, minimè comprehendere illam excommunicationem cuius absolutionem delegans creditur nequaquam in specie commisisse; iuxta 81. regulam iuris in 6. Vnde Couar. ipse colligit quod iam traditimus in proximè præced. lib. cap. 5. in initio: virtute bullarum & aliarum Apostolicarum literarum quibus conceditur absolutio ab omnibus excommunicationibus, etiam reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, non posse quem absolui ab excommunicatione quam incurrerit ob hæresim. Colligi quoque posse videtur, quòd virtute eiusmodi commissionis absolui nequeant illi qui sunt nominatim excommunicati à suo Superiore. Nam quia id cederet in præiudicium & damnum eiusdem Superioris, qui impediretur obtinere suorum subditorum obedientiam, authoritatemque suam retinere; *prout conatur per talem censuram*: non est præsumendus Summus Pontifex talem absolutionem in specie committere: præsertim cùm priuilegium semper intelligatur cõcessum sine læsione alterius; ex cap. Pastoralis, De priuileg. Vbi glosa, *verba Contineatur* id expressit: Neque generalis commissio deroget iurisdictioni cuiusquam; ex cap. Licet, De offic. Ordin. nisi id in illa sit expressum, ex cit. cap. Pastoralis.

Nu.5. Obserua tertiò, Pœnitentem absolutum à Confessario virtute eiusmodi commissionis generalis, nihil iuuari in foro exteriori vt Couar. in seq. num. 16. probat: tum aliunde, tum ex eo maximè, quòd stylus vetustissimus curiæ Romanæ habeat Summũ Pontificem non consueuisse per Iubilæum, aut Bullas, Confessariis Sacerdotibus committere ea quæ forum contentiosum concernunt: sed tantùm quæ ad forum pœnitentiale, conscientiæque purgationem spectant. Atque hinc est, quòd iuxta glosam ad cap. De his sub finem, De accusationibus: ille qui virtute talium bullarum absolutus est, etiam peractâ pœnitentiâ impositâ à Confessario, possit in foro exteriori accusari; perinde ac ante absolutionem; quoniam examinatio quæ fit in iudicio conscientiæ, *vt Couar. quoque argumentatur*, præcipuè fit ad satisfactionem diuinæ offensæ: & ideo præter illam, debet alia esse in foro exteriori ad satisfactionem Reipub. Quod tamen intellige, nisi in ipsis literis Apostolicis expressum sit, *vt nonnunquam solet esse eodem Couarruuia ibid. verf. hæc deinde*, absolutionem à Confessario delegato datam in foro exteriori prodesse, & immunem efficere.

Nu.6. Obserua quartò, Si quis confiteatur Sacerdoti à quo virtute eiusmodi commissionis generalis potuit ab omnibus peccatis & censuris absolui, & inter confitendum per obliuionem omittat aliquod peccatum propter quod excommunicatus est excommunicatione reseruata Superioti, ipsum manere ab hac liberum, si ab eodem Sacerdote, *vt solet*, generaliter absolutus sit ab omni peccato & vinculo excommunicationis: itaut idipsum peccatum recurrens in memoriam sufficienter illud subiiciat clauibus de eo confitendo Sacerdoti proprio, etiam non habenti potestatem absoluendi à reseruatis. Ita docent aliis citatis Nauar. & Couar. ille in Enchir. cap. 26. num. 13. & hic in eod. §. 11. num. 12. Vide quæ dicta sunt in proxime præced. libri cap. septimo.

Obseruationes peculiares de eadem commissione, facta pro articulo mortis.

SECTIO III.

Nu.7. OBserua quintò; omnium amplissimam esse generalem commissionem absoluẽdi ab excommunicationibus reseruatis concessam in articulo mortis. Nam *ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 7.* ea est absoluendi à quauis excommunicatione, à quocunque & quomodocumque lata, & quantumcumque reseruata, cuiuis Sacerdoti concessa: ita vt eam absolutionem impendere de iure in eo articulo possit, simplex etiam Sacerdos. Ad cuius rei intelligentiam, vide notata in præcedenti lib. 1. nu. 59. & aliquot sequentibus, ad nostrum institutum sufficientia.

Nu.8. Obserua sextò, quòd etsi quilibet Sacerdos (*prout in cit. §. 11. num. 9. sub finem Couar. ex Palud. notat*) ideo possit in articulo mortis absoluere ab omni excommunicatione, quòd eo tempore Sacramentaliter à peccatis absoluere sit illi concessum: nec Sacramentalis absolutio aliter ministrari valeat, quàm præmissâ absolutione ab excommunicatione: eo tamen non obstante fieri posse, vt is qui inuenitur non dare signa contritionis sufficientia ad obtinendam Sacramentalem absolutionem, valeat ab excommunicatione absoluti; prout traditum est à Nauar. in Enchir. cap. 26. num. 27. & cap. 27. num. 271. in regula 6. Confessariorum. Et patet per illud, quod Concilium Tridentin. loco citato habet omnem Sacerdotem, quoslibet pœnitentes à quibuslibet non modo peccatis sed etiam censuris absoluere posse: constétque incapacem absolutionis Sacramentalis, posse valide à censuris absolui; iuxta cap. A nobis 2. De sentent. excommunicationis.

Obserua

Nu.9. Obserua septimò, difficultatem esse inter authores (quos in vtramque partem commemorat Georg. Sayrus *lib. 2. Thesauri casuum conscientiæ cap. 21. num. 3.*) num in mortis articulo censeatur laico concessa facultas, vt deficiente alio qui absoluat, ipse possit valide ab excommunicatione absoluere. Partem autem negantem magis receptam esse (quod *Henriquez notat lib. 13. cap. 27. num. 4.* Idque meritò: quia talis absolutio actus est iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ laico conuenire non potest nisi fortè ex Papæ aut generalis Concilij delegatione. Delegatam verò esse laico à Papa vel Generali concilio iurisdictionem ad absoluendum ab excommunicatione in articulo mortis; nihil constat. Neque in re tanti momenti sine certo fundamento agendum videtur. Nihil constat, inquam, quia Concil. Triden. idipsum tanti momenti indicasset aliquo modo. Non omnes autem simpliciter sed specialiter omnes Sacerdotes ab excommunicatione in articulo mortis absoluere posse idem Concilium ait.

Accedit quòd, *vt iam ante attigimus*, propterea censeatur Ecclesia cuilibet Sacerdoti in articulo mortis committere absolutionem à quauis excommunicatione, quòd velit tali tempore liberam esse à quibuslibet peccatis absolutionem; ne Sacramentum Pœnitẽtiæ, quod Christus in remedium peccati instituit, cuiquam tunc desit, cùm est maximè necessarium consequentérque voluerit, omnem eum cui posset communicari potestas absoluendi à peccatis, participem esse potestatis absoluendi ab excommunicatione propter necessitatem præmittendi huius absolutionem absolutioni à peccatis, iuxta communem omnium consensum notat Couar. in eod. numero 9. Iam potestas absoluendi à peccatis cùm sit Ordinis Sacerdotalis, nullo modo potest Laico communicari: ideoque non debet Ecclesia censeri, *nisi id aliunde constet*, potestatem absoluendi ab excommunicatione in articulo mortis committere laico. Adde cum Nauar. in Enchir. cap. 26. nu. 26. nec alteri non Sacerdoti propter eamdem rationem.

Nu.10. Obserua octauò; in hac re quid per articulum mortis intelligi debeat, non omnes eodem modo exponere: quid autem sentiendum sit expositum esse in lib. 1. num. 59. Cum qua expositione consentit quod Couar. in cit. §. 11. nu. 8. collegit ex communi doctrina Canonistarum: nimirum quoad rem de qua agimus, periculum verosimile mortis, & articulum mortis æquipollere: itaut ille qui exponitur verosimili mortis periculo, iudicetur in articulo mortis constitutus, ad hoc sufficienter, vt à quacumque excommunicatione per quemcumque Sacerdotem absolui possit.

Intellige autem ex Nauar. *in eodem nu. 26.* si copia desit Superioris: si enim is adiri possit sine moræ periculo, alius non debet (*vt ex Innocen. idem in sequent. num. 27. addit*) absoluere ab excommunicatione reseruata. Quod verò Couar. eam Canonistarum doctrinam monet esse tantùm admittendam cum moderatione ea, vt tunc demum mortis periculum articulo mortis æquipollere, cum eóque confundi censeatur, cùm propè fuerit: ita scilicet vt mors ipsa verosimili coniectura immineat. Id inquam bonam rationem habet: nempe quod in hac re adeò periculosa, priuilegium non sit temere ampliandum interpretatione: quandoquidem sine iurisdictione, aĉ iurisdictionis vsu, absolutio siue à peccatis, siue à censuris nulla est. Adde quòd iuxta communem vsum, non quodlibet mortis periculum, sed quale dictum est reputetur moraliter mortis articulus: iuxta quem vsum consentaneum est intelligi priuilegium de quo agimus: ideoque datum pro articulo mortis, sic accipi, vt non extendatur ad aliud periculum, quàm ad illud in quo satis verosimili coniectura mors imminere censetur viri prudentis iudicio, cui standum est in tali re.

Nu.11. Obserua postremò, ex cap. Eos, De senten. excommunicationis in 6. cùm ob periculum mortis, aut aliud quodcumque legitimum impedimentum adeundi Superiorem, cui reseruata est absolutio ab excommunicatione, aliquis absoluendus est: debere ei iniungi, *etiamsi valeat absolutio*, vt cessante tali impedimento; vt v. g. si periculum mortis euaserit, quâprimum commodè poterit se præsentet ei, qui de iure ipsum absoluere poterat: offerẽdo se parere ipsius mandatis: siue in suscipienda, quam imposuerit pœnitentia: siue in satisfaciendo iis, quibus damnum intulerit: síque, prout ei iniungitur, se non præsentauerit, incursurum denuo eamdem excommunicationem: perinde ac eum qui absolutus à Sede Apostolica, vel ab ipsius legato, cum onere præsentandi se suo ordinario ad suscipiendam pœnitentiam, aut ad satisfaciendum iis quos iniuriâ affecit; si tale mandatum exequi contemnat iuxta idem cap. Eos.

Duo autem super hac re monent Caiet. & Nauar. ille in verbo Excommunic. cap. 69. & hic in Enchir. cap. 27. num. 46. Prius est tempus quod significant ea verbã (*quamprimum commodè poterit*) in foro quidem iudiciali decerni arbitrio Iudicis: in foro autem conscientiæ testimonio conscientiæ ipsiusmet qui absolutus est; nempe si testetur conscientia sua, quòd negligens fuerit, aut contemptor mandati accepti, eo testimonio conuictus, habẽdus est perinde ac prius, ligatus excommunicatione reseruata. Posterius est non teneri præsentare se personaliter, sed sufficere vt ad id idoneos procuratores mittat: tum quia memoratus Canon, nec ad præsentationem personalem obligat, nec quidquam præcipit ad quod agendum, talis præsentatio necessariò requiratur.

De eo qui potest absoluere ab excommunicatione non reseruata à iure,

SECTIO IV.

Nu.12. AB excommunicatione à iure non reseruata, seu quam iuris conditor nec sibi, nec alteri reseruauit, certum est quod absoluere possit: primò quidem Summus Pontifex, & generale concilium: eiusdem Pontificis legatus in prouincia in qua fungitur legatione. Item Episcopus quilibet in sua diœcesi, etiamsi excommunicatio sit confirmata, imò & lata, *non tamen reseruata*, à Summo Pontifice, vt passim tradunt Doctores quos magno numero refert Georgius Sayrus in Thesauro casuum conscientiæ *lib. 2. cap. 19. num. 2.* Et patet ex cap. Nuper, De senten. excommunic. Vbi eius rei hæc ratio redditur, quòd conditor Canonis, *& pari ratione illius confirmator*, absolutionem ab excõmunicatione per ipsum decreta sibi specialiter non retinens, eo ipso concessisse videatur aliis, facultatem relaxandi illam.

Similiter potest Capitulum, seu ille ad quem, *vt Vicarium ab eodem Capitulo electum*, pertinet Episcopalis iurisdictio Sede vacante. Id enim perinde potest, ac Episcopus sedens poterat; iuxta cap. vnicum De maiorit. & obedient. in sexto: pro quo idem Sayrus in seq. num. 7. plures citat. Intelligendum est autem procedere, non modo cùm Sedes vacat morte Episcopi, aut renuntiatione, aut translatione aut depositione: sed etiam cum eiusdem detentione à paganis aut schismaticis vel hæreticis: iuxta cap. Si

Universidad de Deusto
Biblioteca

piscopus De supplen.neglig.Prælat.in 6.

Potest quoque proprius Sacerdos,prout expressum etiam est in citato cap. Nuper : vbi nomine proprij Sacerdotis ex Nauarr. *in Enchir.cap.27.num.39.& aliis quos Sayrus in memoræo num.2. refert*, intelligitur quiuis Prælatus Ecclesiæ regularis aut secularis : siue sit priuilegio Summi Pontificis à iurisdictione Ordinarij exemptus,siue non sit ; dummodo habeat iurisdictionem in vtroque foro. Quod verò idem addit de Parocho, imò & de quouis simplici Sacerdote , qui potest ex delegatione absoluere à peccatis mortalibus,magnam habet difficultatem : de qua in vtramque partem plures ac varios authores in sequenti nu. 12.idem Sayrus citat;& ante eum Couar.& Henriq. ille ad cap. Alma mater par.1.§.12.num.5. & Henriq. in summa lib.13.cap.28.§.5.in marg.litt.Q.& S.

Explicatio difficultatis , An Parochus aut simplex Sacerdos licentiam habens audiendi confessiones sufficientem , possit absoluere ab excommunicatione non reseruata à iure.

SECTIO V.

Nu.13. PArtis negantis Couarruuias loco memorato,fundamentum ponit in eo,quòd excommunicare,& absoluere ab excómunicatione sint actus eiusdē iurisdictionis iuxta illud , *quod ex D. Ambrosio relatum De pœnit.Aistinct. 1.cap. Verbum*, Dominus par ius & soluendi esse voluit & ligandi ; qui vtrumque pari conditione permisit. Ergo qui soluendi ius non habet,nec ligandi habet] Item illud *quod ibidem glosa vltima citat ex iure ciuili, De regulis iuris.* Nemo qui condemnare non potest,absoluere potest.]Ex quibus inferre licet; cùm nec Parochus ratione sui officij, nec simplex Sacerdos ratione licentiæ audiendi confessiones excommunicare possit , neque etiam absoluere posse ab excommunicatione.Partem verò affirmantem sequi in praxi (nisi alicubi consuetudo recepta esset in contrarium) nihil prohibere videtur; cùm eam Theologi communiter approbent , *vt antigerum Couarr. & Henriquez* ille in eodem nu.5. & hic in eit.litera S, ac Summularij passim non modò recentiores sed etiam antiquiores quorū nonnullos refert Syluester in verbo Absolutio 1. num. 4. Propugnat autem Suarez tomo 5.ad 3.partem D. Thomæ, disput.7.sect.3.à num.23.& sect.quarta.

Nu.14. Fundamentum verò præcipuum,est sæpius memoratum cap.Nuper:in quo nomen proprij Sacerdotis cui conceditur absolutio ab excommunicatione nō reseruata, intelligendum esse etiam de parochiali Sacerdote , patet ex eo , quòd secundùm opinionem communiter receptam teste Couarr. non aliunde habeatur quàm ex eodem ca. Nuper,quòd Parochus possit ab excommunicatione minori absoluere : Et ratio est , quia vt excommunicationem ferre est actus iurisdictionis fori externi, sic etiam est ab ead. absoluere : qualem iurisdictionem Parochus nullam habet aliunde annexam suo officio.

Nu.15. Illic autem ei committi tantùm iurisdictionem quæ sufficiat ad absolutionem à minore excommunicatione,ideo dici non potest , quòd consequenter dicendum esset quòd Episcopus per idem cap.Nuper non posset absoluere à Papali excommunicatione maiore non reseruata. Nam licet is habeat iurisdictionem in foro externo , non habet tamen ad soluendum quod Papa ipse ligauerat ex cap. Verbum De pœnit.dist.1.sicut nec ad mutandum ipsius præceptum ex cap.Inferior distinct. 21. Ideo ergo absoluere potest, quòd id illi commissum sit iure. Iam verò talis commissio,in ipso cap.Nuper , perinde fit Parocho sub nomine proprij Sacerdotis , ac Episcopo:vt satis intelligitur tum ex illa forma verborum: à suo Episcopo, vel à proprio Sacerdote poterit beneficium absolutionis obtinere]tum etiam ex ratione generali,quæ subiicitur ; quadrante similiter in vtrumque,sicut & in vtramque excommunicationē: tam maiorem quàm minorem:ea enim est. Quia cōditor canonis,ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis, relaxandi.

Nu.16. Neque dici potest per illos alios , quibus sit talis commissio , intelligi solos habentes iurisdictionem in foro externo. Nam etsi Parochus non habeat talem ratione sui officij,habere tamen potest ex commissione ; itaut nihil ea ex parte impediat, quin ad ipsum interpretatione extendatur commissio facta in proposito cap.Nuper : præsertim cùm excommunicatio cuius relaxationem committit , sit pœna quam ius Ecclesiasticum , sicut reatus æterni supplicij pœna est,quam ius diuinum imponit ob aliquod peccatum mortale : meritò is qui potestatem habet illud (atque adeo reatum æterni supplicij) tollendi per absolutionem,censetur habere pariter (impositā competenti pœnitentiā) tollendi excommunicationem ex eo sequentem & quasi natam , nisi Superior voluntatem suam aliam esse declaret , vt solet per reseruationem. At verò Parochus in sua Parochia, sicut & quiuis Prælatus Episcopo inferior,in suo collegio vel conuentu,iure diuino & ordinario, eo ipso quòd habet iurisdictionem in foro pœnitentiali , à quocumque peccato cuiuscumque generis , *quia iure diuino nullum est reseruatum* , potest absoluere : nisi ab homine, hoc est, à Papa vel ab alio Superiore,ipsum reseruetur. Quare vbi non impedit peccati vel excommunicationis reseruatio, idem Parochus suos subditos non minus quàm alius Episcopo inferior, censendus est posse absoluere ab excommunicatione non reseruata.

Nu.17. Quod procedit etiamsi illam extra Parochiam incurrerint iuxta sententiam receptam teste Nauarr.in Enchir. cap.27.num.39.sub finem.Procedit etiam siue excómunicatio sit à iure communi lata per Summum Pontificem, aut Concilium generale:siue à iure particulari, lata per Episcopum , aut Episcopalem Synodum vel Concilium prouinciale;vt Doctores communiter intelligere notat Suarez in cit. sect. 3. num.20.eo quod Papa in eod.cap.Nuper generaliter verbo canonis vtatur dicens:Quia conditor canonis &c. itaut quemcumque canonem, à quocūque conditus esset,comprehenderit: In quo non facit iniuriam Episcopis , si pro summa sua authoritate præscribat modum seruandum in ferenda excommunicatione:cùm per id non adimat illis potestatem reseruandi.

Nu.18. Procedit adhuc quantumcumque tale ius particulare sit à Papa confirmatum, nisi confirmando absolutionem reseruaret: quia confirmari à Papa aliquod statutum non est maioris roboris & momenti,quàm ab ipso conditum esse, vt bene Sylvester argumentatur,Absolutio 2.num.4.

Ad fundamentum autem sententiæ eorum qui in proposita difficultate partem negantem sequuntur, respondendum est : Parochum non absoluere propria authoritate ab excommunicatione non reseruata : sed ex commissione quæ iuxta propositum cap. Nuper , illi à conditore canonis eam decernentis facta est eo ipso,quòd eius absolutionem nec sibi nec alteri reseruauit. Itaque licet concedamus excommunicare & ab excommunicatione absoluere ad eamdem potestatem spectare : tamen quia Parochis ea committitur tantùm ad absoluendum , non autem ad excommunicandum,negantes ipsum posse excommunicare , asserimus posse ab excommunicatione absoluere. Quod si aliquando inter casus Episcopo reseruatos inueniatur numerata excommunicatio iuris : id accipi debet de reseruatione quoad forum externum, prout notat Henriquez *in cit. §. 5.* Pro quo foro, non esse factam commissionem in dicto cap. Nuper, sed tantùm pro interno , declarauit consuetudo vtendi eâdem.

Nu.19. Vnde est , *prout loco cit. Nauarr.attigit* : quòd ea accipienda sit vt procedat tantùm quoad forum conscientiæ : nempe vt possit quidem Parochus absoluere ab ea excommunicatione in foro pœnitentiali, non autem in foro contentioso:& absolutus ab ipso, restituatur quidem participationi Sacramentorum & communium precum Ecclesiæ;maneat tamen obnoxius pœnis fori contentiosi:quales sunt repelli ab agendo:iudicari inhabilis ad beneficium obtinendum : & huiusmodi alia. Cæterùm si Episcopus aliquas excommunicationes nulli à iuris conditore reseruatas sibi reseruaret , non posset Parochus ab iis ne quidem in foro pœnitentiali suos subditos absoluere:vt expressit Angelus Absolutio 1.num.2. Et ratio esse potest,quòd tale priuilegium sit fauor factus ipsis quoque Episcopis qui proinde eis præiudicare non debet.

Nu.20. Porro quod de Parochis dicimus similiter intelligendum est de simplici Sacerdote, qui licentiam audiendi confessiones habet , siue ab eodem Parocho siue à quouis alio Ordinario,qui potest iuxta cap. finale.De officio ordin. eam dare. Ita sentientes authores refert Henriq. loco citato in marg.lit.Y,Probatur verò quia simplex Sacerdos per huiusmodi licentiam acquirit subditos,quos in foro pœnitentiali non secus ac Parochus potest à mortalibus absoluere.Qua igitur ratione Canonis conditor nulli reseruando absolutionem ab excommunicatione,præsumitur illam Parocho committere,præsumetur etiam committere eiusmodi Sacerdoti. Confirmatur:quia appellatio proprij Sacerdotis extenditur ad omnem illum qui iurisdictionem habet absoluendi à peccatis mortalibus:cùm quatenus munus eiusmodi exercet,vicem subeat proprij Sacerdotis. Quo fit vt absolutio quæ ipso iure committitur proprio Sacerdoti,ei quoque competere intelligi possit : præsertim cum,vt nomen , sic munus habeat cum Ordinario commune, absoluendi à mortalibus:sicque rationes ante propositæ pro Parocho , pariter pro eo procedunt.

Nu.21. Nonnulla autem in contrarium obiici possunt, quæ Suarez *in sequenti sect.4.num.10. & aliquot sequentibus* proponit,& bene soluit. Satis est notare ad occurrendum illis : quando simplici Sacerdoti licentia simpliciter datur audiendi confessiones , licentiam absoluendi ab excommunicatione simul dari : non tamen ab eodem a quo illa prior datur, sed à iure de quo agimus. Item simplicem Sacerdotem eo ipso quod absoluere potest à peccato veniali , habere à iure potestatem absoluendi à minore excommunicatione,quæ est eiusdem absolutionis impedimentum, nec reseruatur Superiori.

Nu.22. Aduerte obiter Religiosis sub excommunicatione reseruata Papæ prohibitum esse in Clementina 1. De priuilegiis, ne absoluant quemquam excommunicatum à canone; præterquam in casibus expressis à iure,nempe de sententia excómunic. cap. Monachi, & cap.Cùm illorum) vt glosa ad eamdem Clement. notat verbo Expressis:vel ad quos extendantur priuilegia Sedis Apostolicæ, quæ fuerint ipsis concessa. Quo fit vt probè tenere debeant quæ & quanta sint talia priuilegia.

CAPVT II.

De eo qui absoluere potest ab excommunicatione lata ab homine.

SVMMARIVM.

23 *Generale documentum de re proposita.*
24 *Ampliationes regulæ,eum qui excommunicationem tulit,posse ab ea absoluere.*
25 *Successor potest absoluere excommunicatum à suo prædecessore.*
26 *Potest & Superior , ab inferiore excommunicatum.*
27 *Quatenus non possit aut non debeat Episcopus absoluere ab excommunicatione lata per suum inferiorem.*
28 *Archiepiscopus non potest absoluere excommunicatum à suo Suffraganeo,nisi appellatum sit ad ipsum.*
29 *Qui excommunicationem tulit,potest per suum delegatum ab ea absoluere.*
30 *Ab excommunicatione generaliter lata ab homine, idem potest absoluere,qui à lata iure.*
31 *Casus in quibus is qui tulit excommunicationem , non potest ab ea absoluere.*
32 *Is qui in aliquem nominatim tulit excommunicationem, non potest ab ea absoluere,si à Papa ex certa scientia,confirmata sit eius sententia.*
33 *Ex mandato Papæ excommunicans aliquem, quando possit taliter excommunicatum absoluere.*
34 *De absolutione ab excommunicatione quam tulit sufficientem habens iurisdictionem : sed nondum Sacerdos.*
35 *Participans in crimine cum excommunicato ab homine,non potest ab alio absolui, quam ab eo qui excommunicauit,vel ab ipsius Superiore.*

Nu.23. GENERALITER statuitur, Eum ab excommunicatione lata ab homine posse absoluere,qui illam tulit,aut qui ei succedit in iurisdictione,aut qui Superior est ipsius in iurisdictione ; aut qui fuerit ad id delegatus legitimè. Atque quid possit is qui tulit quamdiu retinet suam excommunicandi potestatem dubium non est , cùm absoluere sit illius cuius est ligare , ex cap. Si Petrus 24. quæst.1. Idque Vgolinus *De censuris tabula 1.cap. 4. in initio* , ait esse pro regula communiter receptum à doctoribus , quorum aliquot citat.

Nu.24. Et docet procedere non tantùm in excommunicatione,sed etiam in suspensione & in interdicto. Item procedere siue generaliter siue specialiter & nominatim lata fuerit excommunicatio. Item procedere vt quoad absolutionem, sic & quoad sententiæ propriæ reuocationem faciendam , quando ante eam impletam interuenerit aliquid propter quod debeat talis reuocatio fieri. Ité procedere quantumuis per talem sententiam obligatus ab ordinario iudice , appellarit ad Superiorem ; etiam postquam idem Superior appellationem admiserit. Item procedere etiamsi excommunicatus in aliam diœcesim domicilium postea transferat. Item etiamsi excommunicatus sit mortuus , cuius absolutionem hæres procurare debeat,iuxta cap. A nobis 2. de sentent. excommunic. Item etiamsi excommunicatus ingrediatur religionem. Nam si mors naturalis non im-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pedit, qnominus debeat is à suo excommunicatore absolui, multo minus impediet mors ciuilis. Item procedere siue Ordinarius sit vna singularis persona, siue aliquod Collegium,& Capitulum Ecclesiæ Cathedralis,aut Concilium,siue generale siue particulare. Patitur autem eadem regula aliquot exceptiones, sed quæ satis ex post dicendis notæ esse poterunt.

Nu.25. Quod possit quoque absoluere successor, hoc est ille qui succedit in eadem iurisdictione, siue succedat in eadem dignitate vt Episcopo Episcopus; siue nõ:vt Episcopo Capitulum Sede vacante, vel administrator datus Ecclesiæ Cathedrali,deducitur ex ca. Si Episcopus 11.quæst.3.Et confirmatur, quia talis cum eo cui succedit,sicut & ille qui alicuius Prælati Vicarius est in omnibus, reputatur eadem persona esse cum illo. De qua re videri potest Vgolinus in eodem cap.4.§.3.

Nu.26. Quod item possit Superior habens plenam in excommunicatum, æquè ac excommunicator iurisdictionem,dubium esse non potest. Nam iurisdictio in aliqua diœcesi competens Prælato inferiori, ita est accipienda, vt Superiorem ordinaria iurisdictione,quam in eadem habet, minimè priuet. Atque hinc est, quòd Papa cùm sit superior omni alio Iudice Ecclesiastico; & in quemlibet fidelium plenissimam habeat iurisdictionem, potest absoluere ab excommunicatione prolata à quocumque alio Prælati. Item quòd Episcopus (quandoquidem sic est ordinarius in sua diœcesi ex cap. 1. De offic. ordin. vt iurisdictionem habeat in omnes qui de ea sunt, nisi exemptio impediat) potest non tantùm à suo Vicario aut ab alio suo delegato,sed etiam ab Archidiaconis & cæteris Prælatis inferioribus excommunicatos absoluere in eadem diœcesi. Hanc esse communem sententiam pluribus in eam citatis notat idem Vgolinus *in præcedentis* §.1.*num.*1.

Nu.27. Sed aduerte ex Syluestro *in verbo Absolutio* 2.*num.*1. intelligendam esse cum exceptione indicata in cap. Romana. De appellationibus in 6. §. ab Archidiaconis:nisi Prælatus inferior habeat ex consuetudine, vt excommunicatus à se non possit ab Episcopo absolui: vt censentur habere iuxta doctrinam Paludani in 4. *distinct.*18.*quæst.*5.*art.*2. Archidiaconi,aut Decani siue rurales siue Ecclesiæ collegiatæ: talem de consuetudine habentes iurisdictionem, vt non appelletur ab eis ad Episcopum ipsum, sed ad Archiepiscopum, aut ad Papam. Addit Syluester malè facere Episcopum absoluendo excommunicatum à Prælato inferiori (etiamsi potestatem ad id habeat validéque absoluat) non requisito ipsius consensu: ex cap.Per tuas De sentен.excommunic.Et ratio est, quia non seruat subdito suum ius. Addit præterea id quod de Episcopo respectu inferiorum Prælatorum dictum est,esse pari ratione intelligendum de Prouinciali comparatione Priorum conuentualium sibi subditorum:nempe ipsum posse absoluere ab excommunicatione per eos lata in aliquem.

Nu.28. De Archiepiscopo autem respectu subditorum sui suffraganei non esse similiter intelligendum (*de qua re late Vgolinus in segmenti* §. 2.) nisi in casu appellationis ab eodem Suffraganeo ad ipsum, ratio docet; quia non habet in eosdem subditos plenitudinem potestatis:cùm ipse Suffraganeus non habeat ab illo suam authoritatem,sed à Sede Apostolica.

Nu.29. Quod denique delegatus excommunicantis possit ab ipso excommunicatum absoluere, patet tum per cap. Sacro § Caueat.De sentent. excomm. cùm dicitur, *Absque ipse per se vel per alium, &c.* munus sci absolutionis impendat. Tum quia delegatus in re sibi delegata,vices habet delegantis.De his videri potest Vgolinus *in eod.cap.* 4. & Georgius Sayrus alios referens *in Thesauro casuum conscientiæ lib.*2.*ca.*20.nam diutius in his hærere non videtur necessarium ad nostrum institutum; si addiderimus casus in quibus initio posita generalis propositio patitur exceptionem.

Casus in quibus alius, quàm qui tulit, absoluit ab excommunicatione lata ab homine.

Sectio Vnica.

Nu.30. PRimum igitur si excommunicatio lata sit ab homine generaliter:vt v.g.in omnes fures, aut in omnes eos qui bona,huic vel illi ablata retinent:non autem specialiter in aliquam determinatam personam:vt in Titium,vel Sempronium, potest absoluere ab ea quicumque *iuxta antedicta in præcedent. cap. posset* si à iure lata esset. Pro quo authores referunt Nauarr. in Enchir.& Couarr.ad cap.Alma mater.De sentent.excommunic.in 6. *ille cap.* 27.*num.* 44. *& hic* 1.*par.*§.12.*num.*4. versu Secundò, vbi in confirmationem adfert, quòd in cap. Nuper De sentent. excommunic.facta sit generalis permissio,ambęque illæ excommunicationes multa habeant paria; imò non plus differant,quàm quod vna sit statuta in perpetuum, non item altera.Quod cùm ita sit, regula initio huius capitis tradita, erit tantùm intelligenda de excommunicatione,qua specialiter seu nominatim quis excommunicatus est ab homine. Etsi contrarium, (quod cum relatis à Sayro in cap. 20. numero secundo Vgolinus sequitur in memorato cap.4.num.3.) teneri posset quando præsumeretur probabiliter non esse intentionem excommunicantis,vt ab alio,quàm à se absoluatur,censurâ per ipsius sententiam irretitus,ne authoritas sua veniat in contemptum,autipse fine sibi proposito frustretur.Tunc enim permissio cap.Nuper,non præcederet, cessante ratione quæ in eo redditur.

Nu.31. Secundò,etsi delegatus Papæ possit excommunicare non obedientem suæ sententiæ:tamen post annum à lata sentẽtia definitiua, cui ille inobediẽs fuit, numerandum (non à lata excommunicatione) non potest eum absoluere:vt notant tum Nauarr. in Enchir.cap.27.num.40. tum plures alij,quorum meminit Georg. Sayrus in eodemcap. 20. num. 9. Probatúrque per cap.Quærenti,De offic.deleg.iuncta glosa. Vnde pro tali absolutione recurrendum est ad Papam delegantem.

Tertiò, incendiarius potest ab Ordinario excommunicari & denuntiari, sed post denuntiationem non potest ab eo absolui: sed à solo Papa:pro quo plures authores idem Sayrus citat *consequenter nu.*10. deduciturque ex cap. Tua nos, De sentent. excommunic.

Quartò, si quis postquam excommunicationem tulit, perdat suam iurisdictionem; vt fit cùm amouetur à dignitate vel ab officio, ratione cuius iurisdictio illi competit:vel certè priuatur vsu iurisdictionis, vt accidit cùm nominatim denuntiatur excommunicatus;vel est notorius percussor Clerici. Tunc enim ab excommunicatione absoluere non posse patet: per rationem quam persequitur Vgolinus *in eod. num.*12.Nimirum quia vt excommunicatio, sic & absolutio ab excommunicatione actus est iurisdictionis,quam exercere non potest, qui vel eam non habet,vel habet impeditam. Vnde etiam patet quod idem præmittit *in fine præcedentis nu.*10.per cap.Graue

De

De præbendis post Panormit. ibid.num.7.non posse Inferiorem à sua excommunicatione absoluere,quãdo Superior omnino id ei prohibuerit:vt Episcopus suo Vicario, & Papa cuicumque, siue Ordinario siue delegato.Tali enim prohibitione suspenditur vsus iurisdictionis.

Nu.32. Quintò,si excommunicatio in aliquem lata ab inferiore Indice,per Papam confirmetur, is qui tulit non potest ab ea absoluere; sed solus Papa, aut is cui ipse id negotij commiserit,secundùm glosam finalem ad cap. Ex frequentibus De institutionibus: vbi Panormit. id probat, quia omnia quibus authoritatem impertimur, ea facimus nostra: iuxta cap. Si Apostolicę De præbendis in 6.Quare per dictam Papæ confirmationem,excommunicatio fiet Papalis, id est,à qua nemo nisi Papa aut is cui commiserit absoluere possit:non secus ac si ipsemet Papa eam tulisset. Idem docentes authores citat Sayrus. *in memorato cap.*20.*num.*12.

Cæterùm intelligendum est de excommunicatione quæ per sententiam hominis fertur in aliquem nominatim,confirmatáque est à Papa ex certa scientia. Nam cùm lata est per statutum inferioris, confirmatio Papæ non impedit illius absolutionem,nisi confirmando reseruet sibi eam, prout in præcedent. num.17.habitum est.Neque item cum lata est generaliter:quia vt ante habitum etiam est num. 31.illius eadem est ratio,quæ latæ per statutum. Nec denique cum est à Papa confirmata, non ex certa scientia sed per simplicem confirmationem sine causæ cognitione; tunc enim qui tulit potest ab ea absoluere,vt admonent D. Anton. 3.*parte iu.*24.*cap.* 77. *non procul ab initio* & aliquot alij quorum meminit Georgius Sayrus in fine citati num.12.

Aduerte autem quod idem notat & ante eum Syluester Absolutio.2.num.5. confirmationem censeri ex certa scientia esse, quando tota causa Superiori explicatur:seu quando in ea inseritur totus tenor rei confirmatæ:vel quando Papa vtitur his aut similibus verbis,*ex certa scientia*: vel quando confirmat aliquid quod ipsemet vidit. Cùm verò confirmat simpliciter non instructus aliter de negotio, dicitur cõfirmare in forma communi.Quæ confirmatio *(inquit idem Syluester)* parum aut nihil operatur, impetratúrque tantùm ad incutiendum timorem.

Nu.33. Sextò,ille qui est merus executor, vt is cui Papa commisit vt absque aliqua causæ cognitione quempiam excommunicet;postquam ipsum excommunicarit non potest absoluere. Ita sentientes authores referunt Vgolinus & Sayrus:*ille tab.*1.*cap.*4.*in princip. num.*13.*& hic in eod.cap.*20.*num.*13.Probatur verò quia cùm tali,tantummodo commissum sit excommunicare:ille absoluendo,præteribit fines sui mandati,nec valebit absolutio;iuxta cap. finale de restitut. spoliat. Quod si cui Papa daret mandatum excommunicandi aliquem,simul committendo cognitionem causæ, posset vt excommunicationem ferre, sic & ab ea absoluere; vt post D. Antoninum ante memoratum, notant Angelus & Syluester:ille Absolutio 2.num.1. & hic Absolutio 1.num.3.vers.6.

Si verò simpliciter alicui mandet,vt ferat excommunicationem in aliquem;neque addat cum cognitione,aut sine cognitione causæ:vt intelligatur,an si excommunicarit, possit absoluere excommunicatum: recurrendum est ad mandantis intentionem, quæ vt post Panormit. ad cap. fin. de officio delegati tradit Angelus loco citato:per verba mandati sic deprehendi potest. Si quidem dicat:intelleximus quod talis,&c. Quare mandamus veritate cognita vt excommunices,&c.intendit committere causæ cognitionem:& ideo qui virtute talis mandati excommunicauerit, poterit ab eadem excommunicatione absoluere Sin verò dicat. Quòd certificati sumus, quia talis,&c. Ideo mãdamus vt excommunices,&c. quia committit nudam executionem: si is cui committitur,excommunicauerit: non poterit eum quem excommunicauit absoluere.

Postremò, si is qui excommunicationem tulit *Nu.34.* non est Sacerdos, potest quidem absoluere absolutione iudiciali,seu fori contentiosi:non autem absolutione sacramentali seu fori pœnitentialis, quæ requirit potestatem ordinis Sacerdotalis. Quod tamen non est ita accipiendum,quin is qui sufficientem iurisdictionem habet quamuis Sacerdos non sit, sic absoluere possit ab excommunicatione,vt absolutio prosit in foro conscientiæ; & excommunicatus sit coram Deo absolutus, maneátque liber ab excommunicatione, Cui enim Christus potestatem dedit excommunicandi, dedit & absoluendi ab excommunicatione vt manifestum est ex verbis ipsius Matthæi 18. Quæcumque alligaueritis super terram,&c. neque absolutio à vinculo excommunicationis est Sacramentalis,vt in absoluente requirat potestatem Sacerdotalis ordinis: sicut absolutio Sacramentalis requirit;prout intelligitur ex verbis quibus est à Christo instituta.Ioan.20. Quorum remiseritis peccata, &c. Cuius differentiæ ratio sumi potest ex eo, quòd vinculum peccati contrahatur per offensam Dei: vinculum excommunicationis verò contrahatur tantùm per sententiam Iudicis Ecclesiastici. Itaque Prælatus nondum Sacerdos, dicitur absoluere ab excommunicatione in foro iudiciali non in foro pœnitentiali:quia non potest absoluere simul à peccato mortali,seu contumacia, propter quam est incursa excommunicatio:quoniam id pertinet ad potestatem ordinis, quæ solis Sacerdotibus tradita est; ex Concil. Trident. sess.14. cap.6.& ex instituto docuimus in lib.1.cap. 1. Admonet autem aliis citatis Sayrus in lib.2.cap. 21. num. 1. si absolutio hæc facienda sit cum solemnibus precibus & ceremoniis, *de quibus postea*, debere fieri per Sacerdotem,quod est rationabile.

Supereſt addendum:illud quod dictum est nu. 30. *Nu.35.* de absolutione ab excommunicatione lata in aliquem nominatim ab homine:nempe eam dari posse tantùm ab excommunicatore vel ab ipsius successore aut Superiore, extendi ad excommunicationem quam ius imponit participanti in crimine criminoso (quo nomine significatur crimen propter quod excommunicatio illa fuerit imposita) cum eo qui illa ratione excommunicatus est ab Episcopo,nõ posse absolui, nisi ab hoc vel à successore aut Superiore ipsius iuxta cap. Nuper,De sentent.excommunic. §. In primo articulo.

CAPVT III.

De eo qui absoluitur ab excommunicatione.

SVMMARIVM.

36 *Potest quis ab excommunicatione absolui inuitus.*
37 *Quando liceat absoluere ab excommunicatione initum.*
38 *Valida esse potest talis absolutio, etiam illicitè data.*
39 *Potest quis absens absolui ab excommunicatione.*
40 *Per procuratorem item aut per literas.*
41 *Ac etiam simpliciter sine illis; itémque ignorans potest.*
42 *Nulla est absolutio ab excommunicatione, absenti data à suo Superiore, quando is est specialiter seu nomina*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nominatim excommunicatus in diœcesi in qua demoratur.

43 *Mortuus potest ab excommunicatione absolui, dummodo non discesserit contumax & sine signis contritionis: & per quem, ac quo modo ille absolui debeat.*

44 *Quare ratione censeatur mortuus absolui ab excommunicatione.*

45 *Non valet absolutio ab excommunicatione si obtenta sit ex falsa causa.*

46 *Nisi absoluens illam dare intendat, etiamsi falsa sit causa, qua ei proponitur.*

47 *Idem ac de causa falsa, dicendum est de veritate tacita, quando ea declarata non daretur absolutio.*

48 *Per metum grauem extorta absolutio ab excommunicatione, nulla est.*

49 *Pluribus excommunicationibus ligatus, in interno quidem foro non potest: in externo autem, potest ab vna absolui sine alia.*

50 *Quomodo cognoscatur num pluribus excommunicationibus irretitus, sit ab omnibus absolutus an ab aliquibus tantùm.*

51 *Qui plurium hominum excommunicationibus irretitus est, à quo absoluatur.*

52 *Est illicita sit absolutio ab excommunicatione data sub conditione de futuro, potest tamen esse valida.*

53 *Quando excommunicatio lata in aliquem donec satisfecerit, cesset sine absolutione, vel hanc requirat.*

54 *Quid sit & quotuplex sit absolutio ab excommunicatione ad reincidendum.*

55 *Talis absolutio propriè dari non potest ab eo qui potestatem habet absoluendi sine potestate excommunicandi.*

56 *Probabile est in excommunicationem eum non recidere (qui impossibilitate ipsum excusante) ad recidendum nisi satisfecerit absolutus, non satisfacit absque vlla sua culpa.*

QVæ pertinent ad eum qui ab excommunicatione absoluitur, ex iis quæ dicta sunt de eo qui absoluere potest, intelligi possunt aliqua ex parte. Cætera quæ ad eorum intelligentiam faciunt, persequemur explicatione aliquot dubiorum.

Primum dubium. An aliquis possit inuitus ab excommunicatione absolui.

PRæmittendum est: quamuis non sit de substantia istiusmodi absolutionis, vt eam excommunicatus postulet: id tamen expedire ad debitam conuenientémque illius modum; iuxta cap. Per tuas §. finali, De senten. excommunic. cum dicitur: Nisi gratiam absolutionis imploret non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticum contemnere videatur.] Atque in ordine quidem ad forum externum, plura seruanda sunt in tali postulatione, quæ tractat Vgolinus tab. 1. cap. 19. §. 3. Sed in ordine ad forum internum sufficit, vt petens exhibeat sufficientia signa obedientiæ erga Ecclesiam, talémque absolutionem implicitè petat: puta petendo absolutionem à peccatis; nisi absoluenti concessa esset potestas cum limitatione, vt non absoluat, nisi expressè petentem absolui ab excommunicatione.

Nu. 36. Quæ cùm ita habeant, mouetur propositum dubium, à multis tractatum, quos Georgius Sayrus commemorat *in suo thesauro casuum conscientiæ lib. 2. cap. 21. num. 5.* Eorum autem communis responsio est quòd vt excommunicatio potest in inuitum validè fieri; sic etiam inuito absolutionem ab excommunicatione posse validè conferre: quia excommunicatio pœna est Ecclesiastica: neque pœna censetur voluntaria ex voluntate puniti, sed ex voluntate punientis, qui eam pro arbitrio, tum infert, tum aufert. Itaque vt inuitum excommunicare, sic excommunicationem, siue per statutum, siue per simplicem hominis sententiam decretam, remittere inuito, Ecclesia potest: perinde ac Rex pœnam extremi supplicij in homicidas decretam; potest inuito, vt inferre, sic & relaxare. Nec refert quòd Ecclesia non possit inuito remittere culpam, ob quam tenetur quis excommunicatione irretitus. Nam neque Rex potest remittere eam propter quã homicida obnoxius est extremo supplicio. Ob quam nihilominus rationem fatendum est, nullum esse talis absolutionis vsum in administratione Sacramenti pœnitentiæ: cùm in illa tantùm conferatur gratia Sacramentalis absolutionis: quamquidem certum est inuito, non communicari tanquam malò ad eam affecto.

Nu. 37. Adde nec extra eamdem administrationem consentaneum esse vti ipsa potestate absoluendi inuitũ, *qui potius aliarum pœnarum adiectione vrgendus est ad resipiscentiam*: nisi in casu in quo constaret eam absolutionem, magis medicinalem esse animæ contumacis, quàm excommunicationem ipsam: aut certè quando Superior videret excommunicationem non prodesse excommunicato & nocere communitati propter participationem cum ipso: aut quando ex absolutione vtilitas proueniret Ecclesiæ. Si tamen de illius correctione nulla spes esset ex alio remedio, & ex ea absolutione alij reddendi essent procliues ad contemnendam excommunicationem, abstinendum esset ab illa, tanquam inutili ex vna parte, & pernicioſa ex altera. Hæc aliis citatis annotans Sayrus in seq. cap. 21. num. 9. & 10.

Nu. 38. Addit in seq. 11. quòd etsi peccet absoluens inuitum cum alterius iniuria; nihilominus absolutionem valere: quia sicut in ipsius potestate fuit illam ferre, sic & illam reuocare, argumento cap. Verbum, De pœnit. distinct. prima.

Dubium secundum. An absens possit absolui ab excommunicatione.

Nu. 39. HOc quoque tractantes authores refert Sayrus in cit. cap. 21. num. 12. Responsio autem eorum communis est affirmatiua: nempe absentem posse ab excommunicatione absolui, perinde ac excommunicari: nulla enim datur ratio diuersitatis. Neque obstat, quòd de contumacia deposita constare non possit Iudici nisi ipse præsentem habeat excommunicatum, qui emendationem promittat, & absolutionem petat. Non obstat inquam, quia vt proximè dictum est inuitus absolui potest ab excommunicatione. Neque etiam obstat quod ceremoniæ vsurpari solitæ, non nisi præsenti adhiberi possint. Nam eæ non sunt de substantia eiusmodi absolutionis, quæ potest simplici verbo validè dari.

Nu. 40. Modus autem absoluendi absentem, vnus est, per Procuratorem, seu Procuratore absolutionem loco ipsius excipiente: quod non debet quidem fieri sine causa iusta (qualis est quòd desit, cui facultas absoluendi delegetur; nec excommunicatus possit adire eum à quo absolui debet) faciénsque peccet, *vt Syluester notat Absolutio 3. num. 9.* nihilominus sic impensa absolutio, valida est: vt expressit gloſa ad cap. De manifesta, verbo Iudicaui 2. quæst. 1. De qua re plenius Vgoli

Vgolinus *De censuris tab. 1. cap. 19. §. 1. num. 2.* in qua vt spectante ad forum externum non immorabimur. Alter modus est, absoluendi per literas, quẽ Richard. *in 4. distinct. 18. art. 10. qu. 2.* confirmat: quia omnis res, per quæcumque causas nascitur, per easdem dissoluitur. Cap. 1. De regul. iuris. At per literas superioris absentis, nasci potest excommunicatio, seu aliquis excommunicari: vt patet ex priori ad Corinth. cap. 5. Ergo & absolutio ab excommunicatione. Quod etiam expressit gloſa ad cap. Quanto à nobis, verbo Epistolam, 2. quæst. 4. simul admonens quòd tunc demum talis erit absolutus, cùm literas acceperit, nisi aliunde constet de absoluentis mente, quòd voluerit ipsum esse antè absolutum. Vnde vt eadem gloſa addit: si talis moriatur antequam literas absolutionis accipiat, non est censendus per eas absolutus, cùm reuera eas non acceperit. Secus est verò, prout notatur à Richardo loco citato, si accipiat mortuo eo qui per illas absoluit. Nam id non obstat, quominus absolutus sit: cùm reuera tam acceperit munitas intentione absoluendi non reuocata; quàm si accepisset illo adhuc superstite.

Nu. 41. Cæterùm quia in vsu Sacramenti Pœnitentiæ talis absolutio dari non potest, sicut nec absolutio à peccatis, consuetudo obtinuit (quod Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. sub finem notat) vt cùm aliquis absens, ab excommunicatione absoluendus est, id non fiat per literas; sed cómittatur absolutio Sacerdoti, qui à peccato simul & excommunicatione absoluat.

Porro quod non tantùm per Procuratorem aut per literas possit absens ab excommunicatione absolui; sed etiam absolutè sine his, itaut valida sit absolutio: Syluester *in eod. num. 9.* probat: quia absolutio ab excommunicatione totaliter dependet à voluntate absoluentis: nec de necessitate requirit corporalem præsentiam eius qui absoluendus est: cùm hæc non sit magis ad eam rem necessaria; quàm præsentia voluntatis: quam non esse necessariam ostensum est, probando posse inuitum absolui ab excommunicatione: sicque, *vt ille addit*, absolutio generaliter facta, extenditur etiam ad absentes, si Prælatus id intendat. Vnde si Summus Pontifex diceret, Ego absoluo omnes excommunicatos totius mundi, intendens idipsum quod dicit, omnes essent reuera absoluti, fierõntque participes omnium suffragiorum Ecclesiæ; licet ipsi quamdiu id ignorarent, tenerentur gerere se pro excommunicatis. Aduerte obiter, vt absentem, sic & ignorantem absolui posse ab excommunicatione: cùm talis absolutio non magis dependeat à scientia, quàm à voluntate eius cui impendenda est.

Nu. 42. Aduerte etiam (quod inter alia habet Henriq. lib. 13. cap. 27. sub finem) non valere absolutionem, quam quis dederit subdito absenti degentique in diœcesi in qua est ab Episcopo loci nominatim excommunicatus. Id quod patet ex eo quod habitum est in præceden. num. 30. generalem regulam de eo qui absoluere potest ab excommunicatione lata ab homine (quòd nimirum sit ille qui excommunicauit) procedere cum excommunicatio fuerit specialiter seu nominatim lata. Quæ ratio ostendit etiam, ne quidem reuersum ad propriam diœcesim, posse à tali excommunicatione valide absolui: quod Suarez etiam notat tom. 5 disput. 7. sect. 2. num. 27. Iam qui in suo territorio ligauit alienum propter crimen ibi perpetratum, potest ipsum cum recesserit in proprium territorium absoluere absentem, in alienáque diœcesi existentem: quia & tunc potest sententiam suam tollere sine iudicij strepitu, vocationéve ad iudicium: ac sine alterius Episcopi iniuria.

Tertium dubium est. An vita functus possit absolui ab excommunicatione.

AFfirmatiuè respondendum esse ex Couar. *ad cap. Alma mater 1. parte §. 11. numero octauo*, & ex aliis quorum meminit Vgolinus *De censuris tab. 1. cap. 19. in princip. num. 2.* habetur per cap. Sacris, De sent. excomm. & expressiùs per cap. A nobis 2. eodem titulo: vbi quoque statuitur talem absolutionem dandam esse ab eo qui dare poterat, *subintellige, extra mortis periculum*: habendo sufficientem in ipsum iurisdictionem siue ordinariam siue delegatam. Nam facultas ad absoluendum à quibuslibet censuris in articulo mortis cuilibet Sacerdoti concessa, non extenditur vltra eumdem articulum, qui per mortem cessat. Interim autem dum talis absolutio non impenditur, si mortuus de numero eorum excommunicatorum sit, qui vitari debent: quantumcumque in eo signa pœnitentiæ præcesserint; non est licitum pro illo, sicut fit pro aliis, publicè orare: nec illũ in loco sacro sepelire: quia vt in eod. cap. A nobis dicitur; ille in quo talia signa præcesserunt, si morte præuentus, absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, non dum tamen habendus est absolutus apud Ecclesiam, prohibentem eiusmodi excommunicatum ante absolutionem sepelire in loco sacro, vel participem facere communium suffragiorum. Sine dictis verò signis decedens quis contumax, absolui non debet: ne communicetur mortuo, cui non est communicatum viuo, contra id quod præscribitur 24. quæstione 2. cap. 1. & 3.

Nu. 43.

Atque satis esse, vnius testimonio eiusmodi signa probari, multi nobiles authores tradiderunt, quos refert Vgolinus loco citato, numero quinto. Illud quoque in præced. num. 4. admonens: quod cùm memoratum cap. A nobis signa tantùm contritionis ad absolutionem de qua agimus, requirat; eam dari posse, etiamsi ille in cuius gratiam lata fuit excommunicatio id nollet; nisi ei prius satisfieret. Ratio est, quia habet defuncti hæredem sibi obligatum, contra quem potest ad satisfactionem agere ex eodem cap. A nobis §. finali.

Porro ex gloſa ad idem cap. verbo *Non potuerit*, cõmuniter recepta *teste Couar. loco citato*: si quis in articulo mortis fuerit per quemcumque Sacerdotem absolutus ab excommunicatione, etiam Summo Põtifici reseruata, non est denuo post mortem absoluendus. Ratio est, quia talis absolutio vera fuit ex iurisdictione omnibus Sacerdotibus pro illo articulo delegata iure ipso, vt patet ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. In mortuo autem absoluendo ab excommunicatione, eamdem formam seruãdam esse, quàm in absoluendo viuo, habetur ex eod. cap. A nobis §. penult. Vnde gloſa in verbo, *forma seruetur*, colligit iuramentum quod iuxta cap. Cùm desideres, De senten. excommunic. exigitur ab excommunicato antequam absoluatur, non esse de substantia seu forma absolutionis; cùm ipsum non possit exigi à mortuo: in quo nihilominus absoluendo ab excommunicatione, forma absolutionis seruatur.

Nu. 44. Aduerte autem, quia potestas absoluendi ab excommunicatione, sicut & excommunicandi, data est Ecclesiæ à Christo in eos tantùm qui sunt super terram (vt enim Matt. 18. dixit, Quæcumque alligaueritis super terram erũt ligata & in cœlis: ita & subiunxit, Quæcumque solueritis super terram erunt soluta &

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta & in cœlis) sicut non potest mortuus excommunicari propriè, sed tantum impropria quadam excommunicatione, qua per modum maledictionis declaretur decessisse excommunicatus *prout Nauar. ex communi sententia habet in Enchir.cap.27.numero 271.* Ita potest tantùm denuntiari absolutus, seu quod è vita excesserit quoad Deum absolutus ab excommunicatione; prout addit idem Nauar. aut certè absolui ab excommunicatione, absolutione impropria.

Quamquidem Alphõsus à Castro in lib.2. De iusta hæretic.punitione cap.20. sub finem, hoc modo explicat: vt cùm excommunicatio incommodet excommunicato, & quoad animam, quam priuat communibus Ecclesiæ suffragiis: & quoad corpus, quod priuat Ecclesiastica sepultura: & quoad alios, à quibus non potest iuuari publicis orationibus, aliisque piis operibus: absolutio propria liberet illum omnibus talibus incommodis; impropria non item. Quia ergo mortuus quoad animam separatus est omnino à iudicio Ecclesiæ, hæc non potest illi nec per excommunicationem incommodare, nec per absolutionem ab excommunicatione commodare quoad animam ipsam: sicque fit, vt absolutio ab excommunicatione quæ illi impenditur, non nisi impropria censeri possit: vtpote quæ non aufert de se omnia incommoda, quæ infert excommunicatio; sed ea tantùm quibus quoad corpus, aut quoad alios læditur excommunicatus, hoc est, mortuus absolvitur tantùm quoad hoc, vt corpus ipsius possit in loco sacro sepeliri, possintque alij publicè pro ipso orare, aliáque pia opera peragere. Quam doctrinam approbãt Couar. & Suarez: ille in cit.num. 8. & hic to. 5. disp. 7. sect. 1. num. 4.

Subiungit Nauar. loco cit. quod etiam approbat Suarez in seq. num. 7. si censura sit occulta, eam dissimulandam esse potiùs, quàm cum aliqua infamia aut alio nocumento procurandam absolutionem defuncti: qui si discesserit in malo statu, ea nihil ipsi proderit; sin in bono statu obierit, non est necessaria quoad Deum; nec etiam quoad Ecclesiam, quæ non iudicat de occultis, & permittit communicationem, etiam in diuinis, cum excommunicatis non denuntiatis nominatim: nisi sint Clerici percussores, ita notorij vt nulla tergiuersatione excusari possint.

commemorat Sayrus in lib. 2. thesauri casuum conscien. cap. 21. num. 27.

Secunda propositio est: Si absoluens sufficienti præditus potestate animum haberet absoluendi, etiam causa existente falsa, peccaret quidem absoluendo: sed absolutio valeret, etiam in foro conscientiæ. Pro hac authores quoque commemorat Georgius Sayrus *in præced.num.26.* Ea verò probatur, quia absoluere ab excommunicatione aliquem, nullâ existente causâ absoluendi, non excedit (*vt argumentatur Nauar.in Enchir.cap.27.num.38.*) humanam potestatem Superioris ad valide absoluendum: quæ eadem est cum potestate excommunicandi *ex cap. Verbum, De pœniten. distin.1.* à qua sententiam excommunicationis sine causa profectam non carere viribus, nisi contineat errorem intollerabilem, patet ex eo, quòd sententia pastoris siue iusta siue iniusta timenda sit vt habetur 11. quæst. 3. cap. 1. & latiùs tractat Vgolinus *De censuris tab.1.cap.13.§.3.* *Nu.46.*

Tertia propositio est: vt cùm per expressam falsitatem, sic & cùm per suppressam veritatem: siue, *vt habet Couar.in eod.num.14.versu, Igitur hæc*, cùm tacitâ verâ causa ob quam lata est excommunicatio, alia exprimitur: aut cùm pluribus de causis lata est, vna tantùm in petitione refertur: aliquis obtinet absolutionem ab excommunicatione, quam alioquin non obtineret, ea ipsa absolutio nulla est; iuxta cap. Ex parte, De officio Ordin. Vbi glosa id annotat, verbo Redire: & ad idem facit cap. Officij, cuius verba paulò superiùs retulimus. *Nu.47.*

Intelligenda est autem doctrina hæc, cum moderatione quam habet Couar. in præced. num. 13. concluſ. prima: vt si pluribus de causis lata sit excommunicatio, & supprimatur aliqua non principalis, quæ minimè auertisset Prælatum ab absolutione, si ei significata fuisset; non ideo reddatur inualida absolutio. Locum habet autem eadem doctrina in vtroque foro. Ex qua colliges mentientem in confessione se non posse satisfacere parti læsæ, cùm possit; sei ab excommunicatione datam absolutionem esse nullam: & sic de similibus.

Quartum dubium est. An is validè absoluatur ab excommunicatione, qui ex falsa causa absolutionem obtinet: vt v.g mentiendo se satisfeciſſe.

Nu.45. AD huius explicationem tres propositiones statuuntur. Prima est, Si excommunicatus absolutionem, quam non obtinuisset si verum dixisset, obtinuit expressa falsitate, vt se satisfecisse parti læsæ, aut se propositum habere parendi Ecclesiæ, cùm vtrumque falsum sit: tunc talem absolutionem, inualidam nullámque esse. De qua re neminem dubitare, aut dubitare posse habet Couar. *ad cap. Alma mater 1.par.§.11.num.14.* Apertè autem confirmatur: tum ex cap. Officij, De senten. excommunic. cuius verba sunt: Respondemus quòd supprimenti veritatem, absolutio subrepta non prodest: tum etiam manifesta ratione: quia in tali absolutione deest intentio absoluentis ei necessaria, cùm sit actus humanus. Nam cùm ipse veritatem intelligens non debeat illam exhibere, *vt in eod. cap. Officij præscribitur*, præsumendum sane est intentionem ipsius esse (quæ in dubio consentaneè canonibus interpretãda est) vt non valeat sic obtenta absolutio. Ita docentes authores

---

Quintum dubium. An si quis per metum grauem absoluatur ab excommunicatione, valida sit absolutio.

RESponsio communis Doctorum quos Sayrus commemorat in eod. cap. 21. num. 30. est affirmatiua: quæ expressa habetur in cap. Vnico, De iis quę vi metúsve causa fiunt in 6. Aduerte autem tunc istiusmodi casum contingere, cùm quis aut mortem ipsam aut corporis cruciatus graues, aut vniuersorum bonorum, aut magnæ partis eorum spoliationẽ, aut carcerem vel exilium interminatur recusanti absoluere. Talia enim sunt ea quæ cum ab alio imminent, metum illum constituunt ex quo prouenit inuoluntarium secundùm quid: de quo in sequenti lib. 11. cap. vltimo. Aduerte etiã quod docet Vgolinus *de censuris tab.1.cap.4.in princip.num.14. & post eum Sayrus loco citato*: propositam responsionem procedere, etiási sententia excommunicationis fuerit iniusta, valida tamen: item etiamsi lata sit sub conditione: itémque etiamsi fuerit tantùm minor excommunicatio: ac demum etiamsi metus sit incussus à muliere. Quorum singula Vgolinus confirmat: sed nobis sufficit ea esse consentanea generalibus verbis memorati Capituli vnici, pertinentis ad fauorem ac iustam Ecclesiasticæ potestatis defensionem. De quo Cap. monendum est, non loqui tantùm de excommunicatione, *Nu.48.*

ne, sed etiam de aliis censuris: nec tantum de absolutione; sed etiam de reuocatione censuræ: quæ fit quando fertur contrahenda intra certum temporis terminum, & antequam ipsum effluxerit ea reuocatur. Præterea imponere nouam excommunicationem ad quidpiam tale agentibus.

Sextum dubium. An pluribus excommunicationibus irretitus, possit ab vna absolui, remanente alia.

HOc tractantes authores Sayrus adhuc commemorat in eodem cap. 21. num. 15. bene monens intelligi, secluſa Sacramentali absolutione: in ordine ad quam non sufficere vnam excommunicationem tolli sine alia, certum est. Quare procedit tantùm quoad absolutionem quæ in foro exteriori concedi solet.

Nu.49. Responsio autem est: quòd vt is iam est ligatus vna excommunicatione, potest denuo aliâ ligari: sic posse ab vna absolui, manente alia. Ratio verò illius hæc redditur, quòd excommunicationes non sint, *quemadmodum peccata mortalia*, connexæ quoad remissionem; quia ad hanc non est opus conuersionẽ voluntatis ad Deum, & infusione gratiæ gratum facientis, sicut ad remissionem peccati mortalis, quod cum illa cohærere non potest. Cæterùm sic accipienda est hæc responsio, *quod bene monet Paludanus in 4. dist.18. quæst.5.art.3. concl.2.* vt nihilominus non ante is qui pluribus excommunicationibus ligatus est, restituatur communioni fidelium & participationi Sacramentorum, quàm fuerit ab omnibus absolutus.

Nu.50. Quando autem censendus sit ab omnibus absolutus, & quando ab aliquibus tantùm: Couar. ad cap. Alma mater *De sent. excommunic. in 6. prima part.§.11. num.13.* tradit: inquiens quòd pluribus excommunicationibus ligatus petens absolui ab excommunicatione: citra controuersiam absolui ab omnibus, si absoluenti sufficientem potestatem habenti omnes exprimat. Si verò vnius tantùm mentionem faciat, non censeri à reliquis non expressis liberari: etiamsi fuerit indefinitè absolutus, nempe dicendo absolutè, Absoluo te à vinculo excommunicationis: neque addendo aliquid, quo hęc vel illa particulariter indicetur. Ad cuius rei confirmationem authoritati D. Thomæ & aliorum nonnullorum, ille addit hanc rationem, quòd absolutio tunc data à Superiore, sit tantùm ea quæ commemorata est in petitione, seu quæ expresè petita est. Quare si petens irretitus est aliis excommunicationibus, inde ab eis minimè liberatur.

Verumtamen quia, *vt idem author consequenter docet*, is qui excommunicatus est pluribus excommunicationibus, potest ab omnibus absolui vnica absolutione, Superior habens potestatem absoluendi ipsum ab omnibus, dum indefinitè eum absoluit, tollet omnes vnica absolutione, si omnium earum notitiam habeat, etiamsi in petitione absolutionis, vna tantùm sit ei expressa. Ratio est, quia præsumitur talis fuisse mens absoluentis: quandoquidem de tota re instructus, vtitur verbis idipsum sufficienter significantibus. Immo *iuxta Palud.in seq.concluſ.4.* nec est necesse absoluentem habere notitiam omnium, sed sufficit vt possit verosimili coniectura præsumi quòd etiam à tacitis excommunicationibus absoluturus esset, si earum notitiam habuisset. Id quod idem Couar. approbat. *in eod.num.13.concluſ.6.* Præmittens in concluſ. quinta: id quod dictum est de absolutione quæ datur indefinitè, similiter intelligendum esse de ea quæ datur generaliter hoc modo, Absoluo te ab hac excommunicatione, & ab aliis omnibus quibus ligatus es, quarum nec memineris nec memoriam habes. Et ratio est quia cum tali verborum forma absoluens, manifestè aperit mentem suam esse, vt ad omnes alias excommunicationes absolutio extendatur.

Porro cùm quis est irretitus pluribus excommunicationibus plurium hominum, vnius absolutio (*vt monet Palud.in tit.to art.3.concl.3.*) non sufficit, nisi alij consenserint, vices suas ei committendo; aut nisi is fuerit Superior qui suo iure possit ab excommunicationibus aliorum absoluere, vt Papa; aut etiam nisi Iudex sit in solidum: quia quando vnius causæ duo sunt Iudices quilibet in solidum; vt contingit duobus Officialibus eiusdem Sedis Episcopalis, vna eadémque iurisdictio est in duobus: quorum proinde alter absoluere potest à sententia alterius: nisi quando, vno præoccupante, alter postea non habet, *vt Palud. loquitur*, se ita intromittere, seu ita immiscere se causæ, vt possit excommunicare: vnde nec tunc potest absoluere: cùm nemo qui ligare non potest, absoluere possit; nisi ex delegatione iuxta antedicta initio secundi cap. De qua tota re pluribus agit Vgolinus *De censuris tab. 1. cap. 19. §. 3. a num. 7.* sed quia magis forum iudiciale quàm pœnitentiale concernit, contenti esse possumus iam dictis. *Nu.51.*

Septimum dubium est. An possit quis ab excommunicatione absolui sub conditione.

VT hoc explicetur obseruandum est, sermonem esse posse vel de absolutione quæ fit sub conditione rei futuræ, vt si excommunicatus satisfecerit; vel sub conditione rei præsentis vel præteritæ: vt solita vsurpari quando dubitatur de eo qui absolutionem perit, sitne excommunicatione aliqua ligatus, dicitúrque absolutio ad cautelam. Prioris igitur generis absolutione, non debere quemquam absolui ab excommunicatione docet D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 7. sub finem: quia taliter absolutus non est simpliciter absolutus: sicut nec in Episcopum electus, si hoc vel illud egerit, vel ad vnum mensem, aliúdve certum tempus, est simpliciter electus: cùm ex regula 50. iuris in 6. actus legitimi, non accipiant conditionem neque diem. Syluester verò *Absolutio 3. in principio*, ait neminem posse sub conditione absolui, quo indicat talem absolutionem ab excommunicatione, esse inualidam. Id quod apertè Angelus ait Absolutio 5. in principio. Nauar. autem ad princip. 1. cap. De pœnit. distin. 6. propositam D. Antonini opinionem admittens num. 62. hoc quod à Sylu. signatum est, & ab Angelo expresè dictum, reiicit in sequenti numero 64. Inquiens quòd etsi absolutio ab excommunicatione, sub dicta conditione fieri non debeat, facta tamen valeat: quia nullum ius afferri potest, quo inualida sit iudicãda potius, quàm alia quæuis iniusta, seu impensa aliter quàm debeat: cuiusmodi aliquam valere posse patet ex cap. Venerabilibus §. Vbi autem De sentent. excommunicat. in Sexto. *Nu.52.*

Neque huic opinioni (quam admittit Couarr. ad supra memoratum cap. Alma mater & post eum Suarez ille *1.par.§.11.nu.6. & hic tom.5.disp.7.sect.8.nu.7. & seq.*) aduersatur regula 50. iuris in 6. quia nomine actuum legitimorum, de quibus expresè loquitur, non comprehendi excommunicationem & absolutionem ab excommunicatione ex eo patet; quòd excommunicatio sub conditione rei futuræ, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo validè,sed etiam debitè ferri possit: iuxta cap. Præterea 2.De appellationibus. Cum ergo is qui ligat soluere possit ex generali regula antetradita initio præced.cap.2. validè quoque impendi poterit sub eadem conditione absolutio ab excommunicatione, etsi non possit impendi debitè:vt argumento est,quòd nihil tale sit in Ecclesia vsu receptũ. Et cõfirmatur, ex eo,quòd cõditio rei futuræ ita suspẽdat effectum actus, vt non sortiatur eũ, nisi illâ impletâ, atqueadeo nec excommunicatio liget nec absolutio liberet ligatum sub conditione, donec eâdem adimpleatur. Cur verò excommunicatio sub eiusmodi conditione debitè feratur, non item absolutio ab ea debitè detur: ratio est, quia excommunicatio est res odiosa,& absolutio ab ea, res fauorabilis; quo fit vt non sit consentaneum in hac, perinde ac illa suspendi effectum:sed (*prout Nauarr. ipse expressit in Enchir.cap.26.num.12.*) peccet is qui audet sub conditione ab excommunicatione absoluere. De qua re videri potest Suarez loco cit. num. 10. & 11. qui & putat necessitatem à tali peccato excusare posse:quod non negauerim.

Iam verò absolutione posterioris generis, non modo posse,sed etiam debere absolui ab excommunicatione eum de quo dubitatur,an eâ irretitus sit, patebit in sequenti cap.5.vbi ea de re ex instituto agendum est.

Octauum dubium, An excommunicatus sub conditione donec satisfaciat, exhibita satisfactione, opus habeat absolutione.

Nu.53. REs hæc in speculatione quidem habet difficultatem,quam persequitur Couarr. ad cap. Alma mater 1.*part.*§.11.*num.*5.& 6. Sed nobis pro praxi sufficere potest, quod tom. 5.disput. 7. Suarez habet *sect.*1.*num.*13. considerandã esse verba legis aut sententiæ, per quam fertur excommunicatio: si enim indicent negationem absolutionis:vt illa in fine cap. Quamquam,De censibus in 6. Nec ab excommunicatione eiusmodi absolutionem:vel interdicti relaxationem obtineant,donec,&c.] tunc præter satisfactionem absolutio est necessaria. Si verò indicent cõcessionem absolutionis; *vt illa Ex quo satisfecerit absolutus sit*; tunc satisfactio sufficit; absolutione eâ concessâ, effectum suum consequente. Sicut cum aliquid sub excommunicatione faciendum præcipitur:hoc ipso quòd non fit suo tempore incurritur excommunicatio. Quod si verba neutrum indicent specialiter, quidquid sit in speculatione, sequenda videtur in praxi sententia tutior, quam Couar. communem esse ait: nempe esse opus absolutione.

Postremum dubium est, Num absolutio ab excommunic. possit alicui concedi ad re-incidentiam.

Nu.54. HVius sensus est, An absolutio ab excommunic. possit alicui concedi ad actum, quo deducto in effectum, vel ad tempus, quo finito, is iterum sit excommunicatus sub iisdem monitionibus & solemnitatibus quibus prior excommunicatio inflicta fuit. Ad ipsum autem pluribus aliis citatis Couarr. *in antecen.* §.11.*num.*6. respondet posse absolui: eámque esse communem sententiam,quam iamdiu praxis admiserit, consentaneam cap.Veniens 2.De testibus,&ca. Apostolicæ,De exceptionibus.Pro cuius pleniore intelligentia ex iis quæ Suarez tractat in prius memorata sect.8.à num.16.ad finem vsque:notandum est absolutionem ad reincidendum, esse per quam censura tollitur, non in perpetuum sed ita vt reditura sit post certum tempus vel post certum effectum. Atque esse duplicem, vnam non propriè dictam:quæ ex intentione absoluentiis non conceditur vt perpetua:sed vt limitata certo tempore, vel certo effectu: v.g.vt liberè possit testimonium ferre vel vt collatio beneficij facta valeat:aliam verò propriè dictam,quæ ex intentione absoluentis datur nõ solùm ad definitum tempus vel effectum: sed etiam vt simpliciter valeat perpetuáque sit; sub conditione tamẽ satisfaciendi vel aliquid faciendi intra certũ tẽpus; quo transacto & non impleta cõditione incidatur rursus in excommunicationem. Quarum absolutionum prior dari potest,non modo ad cautelam seu cum de excommunicatione dubitatur:sed etiam ex certa scientia, seu cum de ea incursa constat.

Posterior verò; quia incursam excommunicationem ita simpliciter tollit, vt nouam imponat sub conditione,requirit cum potestate absoluendi coniunctam potestatem excommunicandi, vt Nauarr. bene notat in Enchir.cap.27.num.272. Ideoque talis absolutio vsurpari nequit à Confessario qui virtute Iubilæi, aut aliarum bullarum Apostolicarum absoluit:quoniam per illam absolueret pure & excommunicaret sub conditione: ad quod posterius faciendum, neque ad tempus, neque ad certum effectum habet vllam potestatem. *Nu.55.*

Cæterum quod idem Suarez attingit in cad. sect. sub finem:etiamsi quis nullâ suâ culpâ non impleat conditionem,incurrere in censuram sub illa impositam, videtur durum,& potest improbari ex eo:quòd ab excommunicatione per absolutionem simpliciter liberatus non ligetur eodem vinculo sine vlla noua contumacię culpaà qua vt homines reuocentur, instituta est excommunicatio tanquam accommodata medicina, iuxta cap. 1. De sentent.ex commun.in 6. *Nu.56.*

CAPVT IV.

De iis quæ obseruari debent ad ritè impendendam absolutionem ab excommunicatione, cùm incursam esse constat.

SVMMARIVM.

57 *Iuramentum exigendum ab excommunicato antequam absoluatur.*
58 *Quæ sint præcipienda eiusdem iuramenti virtute.*
59 *A quibus ipsum sit exigendum.*
60 *Et ob quæ crimina.*
61 *Casus in quibus, ne quidem in foro externo,exigitur.*
62 *Iuramentum non est de substantia absolutionis ab excommunicatione, itaut ea valere possit illo omisso.*
63 *Quomodo valeat aut non valeat absolutio ab excommunicatione per delegatum data, omisso iuramento.*
64 *Satisfactio facienda est reipsa à Pœnitente, antequam absoluatur ab excommunicatione imposita ob offensam manifestam.*
65 *Si reipsa satisfacere non possit, debet quam potest cautionem dare.*
66 *Quam non implens accepta absolutione, non recidit eo ipso*

ipso in eamdem excommunicationem.
67 *Cum ob offensam dubiam fuerit quis excommunicatus, absolui potest data tantùm cautione.*
68 *An talis offensa sit certa vel dubia indicatur in foro interno confessione Pœnitentis.*
69 *Ampliationes documenti,quèd absolutio ab excommunicatione incursa ob offensam manifestam dari non debeat ante factam satisfactionem.*
70 *Eiusdem restrictiones.*
71 *Dubium,an absolutio ab excommunicatione sit valida non præmissa satisfactione,explicatur distinctione, quoad habentem potestatem ordinariam.*
72 *Quid de eo sentiendum sit, quoad habentem potestatem delegatam.*
73 *Ceremoniæ absolutionis ab excommunicatione; ac 1. Psalmus pœnitentialis.*
74 *Deinde verberatio,qua quomodo sit vsurpanda, & quando omittenda.*
75 *Orationes aliæ.*
76 *Tales ceremoniæ omitti non debent: ipsis tamen omissis valida esse potest absolutio.*
77 *Causæ aliquot ob quas licitè omitti possunt.*
78 *Non sunt certa determinataque verba, formæ absolutionis ab excommunicatione.*
79 *Vsitata Ecclesiæ consuetudine datur per verbum Absoluo: & quo modo quoad forum pœnitentiale.*
80 *Seruandum in absolutione,cum quis irretitus est pluribus excommunicationibus.*
81 *Mandata danda excommunicato post ipsius absolutionem.Relapsum cauere, & pœnam aliquam subire.*
82 *Mandatum item de præsentando se Superiori.*
83 *Post absolutionem ab excommunicatione, facienda est illius denuntiatio.*

ABsolvendo ab excommunicatione, alia obseruari debent quando constat excommunicationem incursam esse: alia quando id versatur in dubio:de his in sequenti, de illis in præsenti cap.dicemus;quorum alia antecedere debent absolutionem,vt iuramentum, & satisfactio: alia verò comitari, vt ceremoniæ & formula verborum quibus impenditur:alia demum subsequi, vt mandata danda absoluto, quæ omnia sigillatim explicanda sunt.

De iuramento quod exigendum est ante absolutionem ab excommunicatione.

SECTIO I.

Nu.57. PRimùm igitur ab excommunicato antequam ab excommunicatione absoluatur, accipiendum esse iuramentum constat ex cap.Ex tenore & ex ca.De cætero. De sentent.excom. vbi Papa potestatem absoluendi ab excommunicatione quosdam percussores Clericorum concedit, conditione hac expressâ, vt prius recipiatur ab illis iuramẽtum. Ex communi autem sententia Doctorum (vt habet Vgolinus,plures commemorans,*de censuris tab.*1.*cap.*19.§.5.*num.*1.) ipse iuuare debet quòd parebit mandato Ecclesiæ, seu mandato illius àquo absoluendus est,prout habẽt D.Anto.3.par.tit.24.ca.77.§.1.Syluester Absolutio.3. num.3.& Caiet.in verbo Absolutio ab excommunic.

Nu.58. Cuius iuramenti virtute post absolutionem vt bene declarat Vgolinus in sequen.num.2. præcipi potest & debet primò (*iuxta cit. cap. ex tenore*) ne delictum propter quod excommunicatus est, de cætero committat,nisi ipse talis esset qui facilè in idem crimen prolaberetur, quia tunc oporteret infirmitati ipsius consulere:ad alia verò crimina non est extendendum mandatum. Secundò præcipi potest,vt pœnam aliquam subeat, v.g.recitet septem psalmos,ieiunet, eleemosynam largiatur. Procedunt verò hæc siue excommunicatio sit à iure:siue ab homine:& siue constet sententiam esse iustam, siue de ea dubitetur,vt docet idem Vgolinus *in prius cit.num.*1.

Non modo autem à viris,sed etiam à fœminis antequam absoluantur ab excommunicatione exigendum esse,& præstandum tale iuramentum, dubitandum non esse habet loco cit.Syluester vbi post D.Anton. addit de pueris, an iurare similiter debeant,relinqui iudicio Episcopi: quod etiam notat Tabiena Absolutio 3.num. 1. Quanquam tamen ius in cap. Quamuis,De senten.excomm.videri potest illos penitus eximere à tali obligatione iurandi. *Nu.59.*

Notat quoque Couarr. ad cap.Alma mater 1.part. §.11. num. 11. quòd cùm tale iuramentum exigatur ad cauendam futuram & præsumptam cõsuetudinem; ipsum exigi debere ab eo etiam,qui iustè excommunicatus,tempore ipso absolutionis satisfacit pro culpa commissa.

Admonent item D.Anton.Sylu.Tabiena & Caiet. locis citat.dictum iuramentum exigi, præstarique debere ab iis tantùm, qui ob magna crimina in decretas excommunicationes incurrerunt, vt ab incendiariis,percussoribus Clericorum, hæreticis & huiusmodi aliis.Quorum sententia laudabiliter quidem seruari potest cùm absolutio ab excommunicatione datur in foro interiori: quia tunc maximè fides est Pœnitenti habenda: sed quia iura loquuntur absolutè,nec distinctionem illam attingunt, meritò cùm in foro externo danda est talis absolutio: semper à Pœnitente (vt emendationem pollicenti tutò credatur) exigitur istiusmodi iuramentum,exceptis aliquot casibus,quos persequitur Vgolinus in memorato §.5.*num.*2. *Nu.60.*

Primus est cùm manifestè constat sententiam fuisse nullam aut iniustam.Secundus cùm sine admonitione & sine scripto,ea lata est,contra formam præscriptam in cap.Sacro.De senten.excomm. & in cap. 1. eod.tit.in 6.atque is à quo petitur absolutio;est ille ipse qui sententiam tulit. Tertius quando consuetudo est in contrarium: nempe vt tale iuramentum non exigatur.Quartus,quando ipsum nequit absque scandalo exigi. Quintus,quando manifestissimè apparet eum à quo exigitur,peieraturum esse. *Nu.61.*

Porro Hostiensis in sua summa tit. de excommunic. §. Et qualiter hæc absolutio,existimat idipsum iuramentum esse de substantia absolutionis ab excommunicatione, & per consequens eamdem esse inualidam,si illud omittatur. Id quod admittendum non est. Nam vt Panormit. & Couarr. expresserunt *hic in cit.*§.11.*num.*7.*& ille ad cap. Cùm desideres, de sententi.excomm.num.*8 consequens illud aduersatur communi sententiæ,statuenti esse validam:pro qua ratione habet Vgolinus *in citato,*§.5.*sub finem.* Hæc autem vna potest nobis sufficere: quòd nulla detur inualiditatis causa,quàm quæ ab Hostien. affertur: nempe quod iuramentum sit de substantia absolutionis ab excommunicatione. At non ita est, prout expressit idem Panormit.in præced. num. 4. & glosa ad memoratum cap.Cùm desideres,*verbo ad cautelam* 1. deducit ex eo, quod ibidem dicitur, excommunicatis cautionem iuratoriam potius ad cautelam ex consuetudine Ecclesiæ,quàm ex rigore canonum inductam esse: & ad cap. A nobis 2. eod. tit. *verbo, Forma seruetur*, deducit etiam, ex eo quod ibidem præcipitur, vt cum mortuus ab excommunicatione absoluendus est, forma seruetur: non enim potest à mor- *Nu.62.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuo vel exigi vel præstari iuramẽtum. Vt de sequitur, quòd si mortuus absoluatur ab excommunicatione forma seruata, iuramentum minimè pertineat ad formam siue substantiam absolutionis ab excommunicatione: itaut possit valida esse illo omisso. Quamquam tamen omitti non debet nisi legitima de causa, iuxta definitionem cap. Super eo, De sentent. excommunic. ac talis omissio, tanquam generali ritui Ecclesiæ repugnans, facta sine causa, sufficit ad peccandum; & quidem grauiter nisi excuset bona fides, quâ credatur adesse legitimam causam omittendi.

Nu.63. Cæterùm istud quod dicitur de validitate absolutionis ab excommunicatione, procedit siue ea danda sit ab illo qui iure ordinario potest, siue ab eo cui simpliciter & absque restrictione fuerit ab illo commissum eam dare; prout annotat Angelus *Absolutio 3. nu.* 2. Immo & ab eo cui determinatè commissum fuerit dare secundum formam iuris, vt docet Nauarr. *in Enchir. cap.* 27. *num.* 37. dummodo talis commissio non sit facta sub conditione ad hunc modum. Concedimus tibi facultatem absoluendi ab excommunicatione, dummodo absoluas in forma iuris: tũc enim absolutio per eum data non valeret, formâ ipsa iuris non obseruatâ vt idem Angelus ibidem annotat: sicut nec valeret si commissio facta esset specialiter sub hac conditione: vt excommunicatus prius iuret de stando mandatis Ecclesiæ. Ratio est quam idem attigit, quia tunc ex vi commissionis, iurisdictio ad absoluendum, non aliter competit, quàm seruatâ formâ, quæ in eadem commissione præscribitur. Absolutio autem ab excommunicatione vt valida sit, iurisdictionem requirit.

De satisfactione quæ debet absolutionem ab excommunicatione præcedere.

Sectio II.

Nu.64. Secundò, cùm quis excommunicatus est pro offensa manifesta, seu de qua constat per ipsius cõfessionem, aut per probationem legitimam, vel rei euidentiam; is à quo absoluendus est dare debet operam, vt is satisfaciat sufficienter, realiue satisfactione, antequam ipsum absoluat. Pro quo canones & Canonistas commemorant Vgolinus de Censuris *tab. 1. cap. 19. § 6. in initio* & Georgius Sayrus in thesauro casuum conscientiæ lib. 2. cap. 18. num. sexto, Intelligendum est autem non solùm cùm quis est excommunicatus pro debito notorio; iuxta cap. ex parte 1. de verborum significatione sub finem (in quem locum videndus est Panormitanus:) sed etiam cùm pro damno dato notoriè, iuxta cap. Parochianos, de sentent. excommunic. Cùm verò est excommunicatus pro contumacia notoria, priusquam absoluatur, debet soluere expensas (inquiunt Nauarr. & Couarr. *ille in Enchir. cap. 26. num. 7. & hic ad cap. Alma mater 1. part. § 11. num. 11. circa initium*) Id quod habetur ex cap. Venerabilibus §. Secus autem De sentẽt. excom. in 6. & vt notat Vgolinus in eodem § 6. num. 7. id locum habet tam in impensis factis ob primam citationem, quàm ob secundam & tertiam: itémque in pensis oblitem factis, quę sunt redditæ: inutiles; eo quod citatus non comparuerit.

Nu. 65. Quod si in aliquo ex antedictis casibus Pœnitens non possit realiter satisfacere, ille à quo absoluendus est, antequam absoluat, faciet ipsum (iuxta cap. Odoardus De solutionibus, versu Recepta prius: & cap. Ex parte ante memoratum, versu. Si prius, & cap. Quafronte De appellationibus) cautionẽ idoneam dare: nimirum per pignora aut fideiussorem: aut si fortè hanc non possit, saltem faciet dare iuratoriam, id est, faciet ipsum iurare, quòd cùm primum poterit satisfaciet. Idem docent D. Anton. Sylu. & Caietanus locis cit. initio huius capitis.

Vbi aduerte si huius generis cautione præstita, *Nu. 66.* aliquis simpliciter absoluatur, non relabi in priorem excommunicationem, etiamsi non satisfaciat secundùm ipsam cautionem à se præstitam. Ita docet Couarr. ad cap. Alma mater De sentent. excomm. in 6. 1. *par.* § 11. *num.* 6. *vsu Quod si quis*, & alij quos commemorat docent; sequiturque Vgolinus *in tab. 1. cap.* 19. § 9. *num.* 2. per cap. Ad reprimendam in fine De officio Ordinarij, & cap. Quæstioni De appellationibus: vbi habetur in eamdem esse reducendum authoritate Superioris: vnde sequitur non esse eo ipso reductum.

Porro si quis excommunicatus sit pro debito du- *Nu. 67.* bio vel pro illato damno dubio, aut contumacia dubia, non tenebitur ante absolutionem realiter satisfacere, etiamsi possit: sed ei sufficiet dare cautionem pignoratitiam, aut fideiussoriam si possit. Si verò non possit, iuratoriam, iuxta cap. Ex parte. De verborum signific. & cap. Cùm contingat, de officio deleg. & cap. Solet, De sentent. excomm. in sexto, de qua re Vgolinus plenius in præcedenti §. 7. annotans inter cætera, eam locum habere in foro pœnitentiæ, quia potest conuenienter in eo seruari.

Cæterùm vt offensa vel contumacia manifesta, de- *Nu. 68.* bitum vel damnum illatum manifestum esse censeatur: quoad forum quidem externum, requiritur vel confessio vel probatio facta Iudici, vel euidentia, prout antea dictum est: quoad forum tamen Pœnitentiale sufficit secreta cõfessio Pœnitẽtis; in quo foro, id habendum est pro certo & manifesto, quod ille se scire; & pro dubio, id de quo se dubitare confitetur cum in eodẽ foro cessent præsumptiones: & confessum à Pœnitẽte habeatur pro notorio secũdùm omnes: vt Nauarr. habet in Enchir. cap. 26. num. 7. Quocirca cum Pœnitens non dubitat de offensa, etiamsi hæc aliàs sit dubia & occulta, nec sufficienter in foro contentioso probari possit, non est ante absoluendus quàm iuxta antedicta satisfecerit, prout ex eod. Nauarr. annotat Vgolinus in prius memorato §. 6. nu. 2. in 5. ampliatione: argumento cap. Venerabilibus, §. Porro, versu Secus autem, De sentent. excommunic. in 6.

Ampliationes & restrictiones communis documenti de satisfactione præmittenda absolutioni ab excommunicatione. §. 1.

Occurrit hîc monendum illud quod ante habitum est, cum quis ob offensam manifestam excommunicatus est, debere satisfacere antequam absoluatur, multis modis tum ampliari, tum etiam restringi quos idem Vgolinus in eod. num. 2. persequitur.

Ampliatur ergo vt procedat primò, si offensa ma- *Nu.69.* nifesta sit, siue quia reus illam confitetur, siue quia condemnatus est de ea per sententiam iudicis, siue quia per se de ea constat. Secundò, etiãsi offensa non sit quidẽ notoria Iudici: tamẽ ob manifestam, quem excommunicatum esse, sufficienter probatur ab aduersario, iuxta cap. Solet De sentent. excommunic. in 6. Tertiò, siue excommunicatio sit à iure, siue ab homine. Quartò, siue ordinarius, siue delegatus ipsius absol

absoluere debeat. Quintò, siue in foro iudiciali, siue in foro pœnitentiali absolutio petatur. Sextò, etiamsi in mandato Papæ quod datur ad absoluendum, nulla fiat mentio satisfactionis. Septimò, etiamsi absoluendus, constitutus sit in articulo mortis.

Nu. 70. Restringitur verò, vt non procedat primò, cum mors adeo vrget vt satisfaciendi tempus non detur. Secundò, cùm ob facultatum tenuitatem, absoluendus satisfacere non potest. Tertiò, cùm ex aliqua circunstantia satisfacere non potest nisi sit absolutus: vt cum ideo est quis excommunicatus, quòd beneficium curatum habens noluerit suscipere sacros ordines. Nisi enim priùs absoluatur, satisfacere non potest sine peccato mortali, quod cõmittitur suscipiendo ordines in excommunicatione. Quartò, nisi longiori tempore opus sit ad talem satisfactionem faciendam: vt si reædificanda esset Ecclesia ab ipso destructa. Quintò, nisi solum Deum læserit: vt potest contigere cùm quis ob aliquam blasphemiam excõmunicatus est: tunc enim sufficit pœnitentia: nisi imposita esset eo nomine aliqua mulcta pecuniaria, quæ solui debeat ante absolutionem. Sextò, nisi res pro qua excommunicatur non recipiat satisfactionem: vt quod debeat accipere in vxorem illam cui fidem dederat, & iam est alteri coniunctus per verba de præsenti. Septimò, nisi absolutio detur solùm ad ferendum testimonium, vel ad obtinendum beneficium: quia actu eo transacto, statim recutret excommunicatio; ideoque nullum inde damnum pars aduersa incurret. In quibus tamen casibus in defectum satisfactionis, exigenda est ab excommunicato cautio qualem dare potest antequam absoluatur. Quę omnia plenius explicata apud ipsum Vgolinum videri possunt.

Explicatio dubij, De absolutione data non præmissa satisfactione, an sit valida. §. 2.

Occurrit præterea explicandum dubium, an valida sit absolutio ab excommunicatione, si detur non præmissa satisfactione quando præmittenda est.

Nu.71. Quam explicationem accommodatè ad vsum fori externi latè persequitur Vgolinus in citato §. 6. *nu.* 5. Nobis pro interno sufficiet vti distinctione cum Caiet. in sua summula, verbo absolutio ab excommunicatione vers. De iudicialibus: nempe quòd si excommunicatio sit talis cuius absolutionem sine præmissa satisfactione impensam, ius irritet expressè, *vt dicende aliterque impensa absolutio non valeat*, tunc siue ab Ordinario, siue à delegato absolutio impendatur, inualida sit. Cuiusmodi expressæ irritationis exemplum habetur in Extrauag. communi Etsi dominici gregis 2. De pœnitent. & remiss. sub finem. Similiter inualida erit ex eod. Caiet. cum satisfactio ipsa præmittenda est, non solùm ex iuris communis debito, quo excommunicatus debet illatam iniuriam resarcire: sed etiam ex debito speciali canonis, quo decreta est excommunicatio de cuius absolutione agitur: nempe cum ille satisfactionem absolutioni præmitti requirit per verba negatiua potentiæ actiuę: vt quando dicitur in illo, quòd non possit quisquam à tali excommunicatione absoluere ante satisfactionem: aut quòd absolutio à tali excommunicatione non possit impendi ante satisfactionem. Cum enim taliaverba in tali casu ligent potestatem absoluentis, neque potestas legitimè ligata possit suum effectum sortiri: fit vt absolutio ab excommunicatione, ne quidem impensa ab eo, qui de iure ordinariam habet potestatem ad absoluendum, sit valida.

Quod si Canon prærequirat satisfactionem per verba tantummodo negatiua potentiæ passiue (*exemplum esse potest cap. pessimam 23. quæst. 8.*) vt si dicatur, Qui tale quid fecerit sit excommunicatus, nec possit absolui, nisi satisfaciat: aut nullatenus absoluatur ante satisfactionem: valida esse potest absolutio, impensa ab eo qui ordinariam habet potestatem, licet futura sit iniusta. Ratio est quia tunc constitutio iuris, non fit ad priuandum ordinarium plena sua potestate absoluendi, aut ad eamdem potestatem limitandam, sed ad statuendum illi modum seu regulam secundùm quam debet absoluere. Quare, *inquit Caiet.* relinquitur locus abusui potestatis, vt illicita quidem iniustaque detur absolutio, valida tamen: *iuxta cap. Venerabilibus §. Sane, versu Vbi autem. De sentent excommunic. in 6.* Quod idem, eadem de causa, vult etiam Caiet. sentiendum esse cùm satisfactio præmittenda est ex solo debito iuris communis: hoc est datam absolutionem ab excommunicatione per Ordinarium non præmissa satisfactione, quæ de iure communi facienda est læso, validam esse; quoniam vt in eod. §. dicitur: licet talis absolutio sit iniusta, quia contra ius litigatoris sit; non est tamen contra ius constitutionis: ita nimirum, vt debeat ipso iure inualida censeri.

De absolutione verò impensa ab eo qui ex sola *Nu. 72.* commissione habet potestatem absoluendi, sic statuendum est iuxta eumdem Caiet. vt si per priuilegium aut Iubilæum aliásue literas Apostolicas commissa sit absolutio, cum verbis significantibus aut importantibus conditionem de præmittenda satisfactione ante absolutionem; non valeat talis absolutio ab excommunicatione, si detur non præmissa ipsa satisfactione: quod etiam expresè tenent Sylu. & Nauarr. *ille excommunicatio septimo num. 65. & hic in Enchir. cap. 27. num.* 37. per illud communi consensu receptum ex glosa ad Clement. 1. de iure patronatus verbo inhibentes: quòd absolutio commissa alicui sub certa forma, non valeat, eâdem formâ non seruatâ. Et ratio est, quia is absoluendo aliter, egreditur fines suæ commissionis, quæ limitata fuit tali conditione: neque potestatem habet extra commissionem. Iam verò potestate deficiente, actus non valet.

Sin autem eidem commissa sit absolutio, nullâ præscripta speciali absoluendi forma, sed simpliciter facta absoluendi potestate; aut certè cum generali tantùm conditione absoluendi secundùm formam iuris: etiamsi idem similiter sentiendum esse Caiet. insinuat; dũ in tali casu validè absoluere cõcedit tãtùm Ordinario: nihilominus tamẽ contrarium, *quod Nauarr. tenet consequenter in eod. num.* 37. *& post ipsum in citato num.* 5. *Vgolinus*, videtur probabilius; quia nulla potest afferri causa inualiditatis. Nam si quæ alia, hæc maximè esse potest; quòd Papa suis priuilegiis & indulgentiis nolit quemquam lædere, ex cap. Quamuis De rescriptis in 6. Lęderet autem eũ cui debet fieri satisfactio, si hac non præmissa, valeret prędicta absolutio. Quam rationem non esse sufficiẽtem constat ex eo, quòd tantùm ostendat non esse Summi Pontificis intentionem, vt talis absolutio detur non præmissa satisfactione, cum proximi læsione; non autem quòd idem Pontifex intendat, vt si quis iniustè vtendo potestate sibi commissa, absoluat cum alicuius præiudicio & damno, absolutio sit nulla: sicut nec eiusdem item Pontificis intentio est cùm dignitatem confert, habentem de iure annexam eiusmodi potestatem: vt talis ferat iniustam sententiam: attamen si talem ferat, ea potestate valida, iuxta textum expressum in partilo superiùs memorato versu. Vbi autem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De ceremoniis absolutionis ab excommunicatione.

Sectio III.

Nu.73. HIc ceremoniarum nomine intelligimus Psalmum pœnitentialem,& orationes cum quibus debet fieri absolutio ab excommunicatione iuxta cap.A nobis 2. De senten.excommun. vbi sub finem verba hæc habentur: Absolutionis autem forma seruetur, vt fiat cum pœnitentiali Psalmo, & tam Oratione Dominica,quàm alia consueta.] Quem pœnitentialem Psalmum Pontificale Romanum in tertia parte, constituit Miserere mei Deus, integrum cum Gloria Patri,&c. Sed Nauar. ad princip.cap.1. De pœniten. distinct. 6. & Caiet. Verbo Absolutio ab excommunicatione *ille num.54.& in Enchir. cap.26. nu. 8.& hic versu quoad secundum*, atque alij quorum meminit Georgius Sayrus in citato capite 18. num. 17. admonent, illum esse debere, vel alium quemuis ex pœnitentialibus.

Nu.74. Inter ipsum verò recitandum, iuxta præscriptum eiusdem Pontificalis, ille qui est imperaturus absolutionem in quolibet versu debet virga leuiter inter scapulas(easque nudas iuxta D. Anton. 3. *par.tit.* 24. *cap.*77.§.1.)verberare absoluendum: *vel certè,vt aliqnot aliis citatis consequenter Sayrus habet*, leuius vel acrius secundùm quod causa contumaciæ maior vel minor requirit. Idémque addit eiusmodi ceremoniam non tam iure quàm consuetudine receptam esse: minimè tamen sine iusta causa omittendum esse, præsertim cùm vsus illius valeat ad terrendum & pudefaciendum excommunicatum, atque ad augendum meritum patientiæ ipsius.

Iusta causa verò omittendi quoad nudationem scapularum, censetur adesse quando mulier absoluitur in externo etiam foro : cùm non conueniat eam coram Ecclesiastico nudari. Censeri quoque potest adesse,ob iustum aliquem respectum, quando viri absoluuntur ex Nauar. in cit. num. 54. Certè in pœnitentiali foro, non modò mulieres, sed nec quoscumque alios secretò confitentes videntibus alijs verberare licet: tum quia id insuetum est, tum quia auerteret ab vsu Sacramenti tanquam infamatiuum. Hoc idem ex Caietan. annotás Vgolinus *De confessariis tab.2. cap. 31. in principio num. 2.* addit preces nihilominus semper adhiberi, quæ in publico possunt secretè fieri. Item quãdo mortuus in loco sacro sepultus, absoluendus est ab excommunicatione, verberandum esse tantummodo sepulchrum ipsius: nec enim exhumandus est,vt glosa penult. ad cit. cap.A nobis habet.

Nu.75. Iam orationes illæ consuetæ, quæ ad Psalmum Pœnitentialem ex definitione eiusdem cap. A nobis adiungi debent,hæ traduntur in memorato Pontificali Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster, &c. Et ne nos inducas in tentationem. Respons. Sed libera nos à malo. Vers. Saluum fac seruum tuum,*vel ancillam tuam*,Domine. Resp. Deus meus sperantem in te. Vers. Nihil proficiat inimicus in eo,*vel in ea*. Respons. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Vers. Esto ei Domine turris fortitudinis. Respons. A facie inimici. Vers. Domine exaudi orationem meam. Respons. Et clamor meus ad te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Respons. Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus cui proprium est misereri semper & parcere suscipe deprecationem nostram & hunc famulum tuum, *vel famulam tuam*: quem,*vel quam*,excommunicationis catena constrin. git, miseratio tuæ pietatis absoluat. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Cui orationi, adhuc aliam ipsum Pontificale subiungit:sed Caiet. & Nauar. aliique solum meminerunt memorataruin : neque Psalmo Pœnitentiali adiungunt Psalmum Deus misereatur nostri: sicut adiungitur in eodem Pontificali.

Cùm autem eiusmodi orationes,iuxta sententiam receptam,vt habet Vgolinus, *in cod.cap.31.§.2. nu.2.* non sint de forma & substantia absolutionis ab excommunicatione: & grauiter peccet absoluens, qui sine rationabili causa, scienter illas omittit ; vtpote agendo contra directionem iuris eas exigentis:tamẽ absolutio valet, etiam data ab illo cui commissum est vt absoluat in forma Ecclesiæ. Quod Caiet.probat in verbo Absolutio ab excommunicatione versu Quoad tertium:quia ceremoniæ absolutionis, instituuntur & committuntur tanquam ceremoniæ, hoc est, tanquam ea quæ seruari debeant in absoluendo; non tanquam ea quæ sint necessaria ad substantiam absolutionis. Nu.76.

Causa verò illa iusta,*vt decet idem Vgolinus in præced. num* 1.contingit primò cum quis absoluitur ad tempus:vt cùm absolutio ei datur,vt testimonium ferat. Secundò,cùm is qui absoluit non est Sacerdos. Nam preces Deo offerre pro peccatis, munus est proprium Sacerdotum.Cap.Quia Sacerdotes 10.quæst.1. Tertiò, cùm premit temporis angustia, vt *ñ* excommunicatus iam exhalet animam. Quartò, cùm quis iniuriâ excommunicatus est:qui sine difficultate mox absoluendus dicitur in cap. Venerabilibus. §. *Sane versu Si verò,De senten.excommunic.in 6.* Quintò, cùm excommunicatio lata est sine rationabili causa manifesta,aut non præmissa monitione. Nam & tunc absolutio debet sine difficultate dari iuxta cap.Sacro De senten.excommunic. Sextò, cùm petitur absolutio ad cautelam, hoc est, quæ tribuitur eò quod non habeatur pro certo,an illam petens, excommunicatus sit nécne. Nam tunc ex Nauar. in Enchir. cap.26.num.9.necesse non est ceremonias adhibere. Nu.77.

De forma absolutionis ab excommunicatione.

Sectio IV.

Nu.78. REcitatis verò quę traditæ sunt orationibus;subiungenda est forma absolutionis ab excommunicatione de qua D. Antoninus & Richardus:ille in cit.§.1.& hic in 4.dist.18.art.10.quæst.5.& in verbo Absolutio.3.num.2. Angelus & Syluester: ac in verbo Absolutio ab excommunicat. Caiet.& tum loco citato, tum in seq.cap.27.num.37. Nauarrus: ac etiã Sotus & Couarr.ille in 4. distinct.22. quæst.2. art.3. sub finem & hic in sæpe citato §. 11. num.7. versu Imò & aduersus:tradunt quòd eiusmodi formæ non sint certa determinataque verba: itaut absolutio valeat, non solùm si dicatur Relaxo tibi excommunicationem vel Benedico te; vel aliquid æquiualens: dummodo remotionem excommunicationis significet : vt ex communi Doctorum sententia post Nauar.in comment De Iubilæo habet Vgolinus in præced. cap.30. §.1. num.1. prolatúmque sit cum intentione absoluendi.Quanquam vt Caiet. monet & attigit Sylvest.Absolutio 6.num.2. consuetudo Ecclesiæ obtinuit vt talis absolutio per verbum, *Absoluo*, impendatur ; quod patet ex forma, quæ in Pontificali Romano proponitur memoratis orationibus subiungenda ad absolutionem excommunicato impendendam:& ex ea quam in foro pœnitentiali, recitatis

citatis iisdem orationibus vsurpandam ad absoluendum ab excommunicatione Pœnitentem, de quo constat aliquam incurrisse, Nauarrus in citato cap. 26. num.8. tradit : quæ est, Authoritate qua fungor absoluio te à vinculo excommunicationis,quod incurristi ob hanc vel illam causam:*vt v.g. ob violentam manuum iniectionem in Sacerdotem: vel ob lectionem librorum hæreticorum*: & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium, In nomine Patris & Filij & Spiritussancti. Amen.

Nu.80. Addit verò idem Nauar. Primò,quòd si Pœnitens ob multas causas excommunicatus sit,eas in absolutione exprimendas esse ; alioqui iuxta communem sententiam, esset tantummodo absolutus à vinculo illius excommunicationis, cuius expressa est causa, manente vinculo aliarum, quarum causæ non sunt expressæ.

Secundò, si Pœnitens ob vnam tantùm causam sæpius excommunicationem incurrerit, sufficere vt in absolutione addatur, toties quoties eã incurristi.

Tertiò,quamuis hæc ita sint, tamen si Confessarius habuerit intentionem absoluendi Pœnitentem ab omnibus excommunicationibus quibus ipsum irretitum esse nouit (eas omnes comprehendendo illis suis verbis,Absoluo te à vinculo excommunicationis) absoluit ab omnibus, etiamsi in absolutione non exprimat causas omnium : nec addat illa verba: Toties quoties eam incurristi.Ratio est,quia cùm sola verba, Absoluo te à vinculo excommunicationis, sint forma sufficiens, cæteráque addantur,non ad necessitatem, sed tantùm ad maiorem declarationem eius quod agitur,*ex Vgolino in seq.*§.2. per ea tolli possunt omnes excommunicationes, quibus aliquis irretitus est, si cum tali intentione ab habente sufficientem iurisdictionem prõferantur.

Quartò, quando Confessarius absoluit Pœnitentem ab aliqua certa excommunicatione, qua ipsum teneri videt, debere adhuc eumdem generaliter ab omni excommunicatione absoluere sub conditione; si,vel, quantum possum, & indiges. Nam si hoc faciendum est cùm non videt aliqua excommunicatione Pœnitentem teneri, vt quotidiana fert Ecclesiæ consuetudo : quidni etiam facere debeat, cùm videt aliqua teneri.

De mandatis, quæ subsequi debent absolutionem ab excommunicatione.

Sectio V.

Nu.81. POst absolutionem ab excommunicatione, absoluens debet absolutè,virtute iuramenti de quo dictum est sect.1. facere iusta ac rationabilia mandata,prout præscribitur in Pontificali Romano: & tradunt communiter Doctores quorũ meminit Georgius Sayrus in thesauro casuum conscientiæ *lib.* 2. *cap.*18.*nu.*22. Et ratio est quam *tabula* 1.*cap.*19. §.9.*in principio*, habet Vgolinus : quia ex quo se obtemperaturum promisit, iure merito si quid sibi legitimè mandetur,debet illud facere. Dictum est autem iusta & rationabilia : quoniam, vt ostendit Nauar. ad princip.cap.1. De pœniten.distinct.6.num.54.sub finem:alias is cui fiunt, posset appellare in foro externo,& illa non acceptare in foro pœnitentiali. Mandata verò iusta,vt docet Vgolinus in præced.§.5.numero 2.erunt primò, si iuxta cap. Ex tenore De senten.excommunic. iniungatur excommunicato à iure,ne contra eum Canonem cuius violatione in excommunicationem incurrit,vnquam veniat: vt verbi gratia,ei qui sine facultate libros hæreticorum legit, vt numquam sine facultate legat : & qui iniustè percussit Clericum, vt numquam iniuste percutiat & sic de aliis crimimbus, ob quæ fuerit excommunicatus : non item de cæteris, hoc est, de iis propter quæ non est excommunicatus, prout addit idem Vgolinus. Cum quo etiam addo,ab eo genere mandati esse abstinendum,si probabiliter timeatur quod Pœnitens non sit illud seruaturus; & idcirco periurium incursurus.Ita enim colligit ex cod.cap. Ex tenore sub finem: vbi dicitur:ab eo qui excommunicatus est propter Clerici percussionem, non esse exigendum iuramentum, quòd nunquam percutiet, si sit eius quem percusserit,socius: quia vt notat glosa, propter assiduam conuersationem præsumitur facilè peruenturus à verbis ad verbera.

Secundò, mandari poterit vt aliquam pœnam subeat:nempe *iuxta eumdem Vgolinum*:vt septem Psalmos Pœnitentiales sæpe recitet:aliquibus diebus iejunet,pauperibus aliquid largiatur;quod mandatum sub iuramento præstito seruare tenebitur, nisi irrationabile esse inueniatur : nempe quia illud implere vel non potest,vel non debet. Additur in memorato Pontificali posse cum mandato exigi cautionem:pro quo facit.Cap.Grauem,De sent.excomm.

Monet item de casu in quo quis à Sacerdote ob mortis articulum, aliúdve impedimentum legitimũ (à quo aliàs non potuit) absolutus est ab excommunicatione reseruata Superiori,quem adire nõ potuit, Monet inquam pro mandato iusto ac rationabili, iniungendum esse tali, vt sublato impedimento se præsentet ipsi Superiori à quo erat absoluendus: mandata ipsius accepturus: *de quo idem Vgolinus consequenter*.Seruandum autem est diligenter,& Pœnitenti seriò inculcandum cap.Eos,De sent.excommunic. quod non implentem idipsum mandatum, reuocat in eamdem excommunicationem. Nu.82.

Superest monendum absolutionem datam excommunicato, denunciandam esse, vt intelligatur quæ ei per excommunicationem erant prohibita, iam beneficio absolutionis licere. Quæ denuntiatio seu publicatio sic fieri debet ; vt de ipsa absolutione perinde constet, ac de excommunicatione ante constitit.Vnde hæc publica vel occulta esse debet secundùm quod illa publica vel occulta fuit. De qua re in particulari,plura Vgolinus *tab.1.cap.24.*in ordine ad forum externum.Pro foro interno illud tantum admonens, num. quarto : in ordine ad idem forum,fidem Confessario haberi, præter quem nullus in eo testis admittitur ex Concil.Trid.sess.14. cap.5. versu Cæterum quoad modum,&c. Nu. 83.

CAPVT V.

De iis quæ obseruari debent cùm non constat de excommunicatione.

SVMMARIVM.

84 *Absolutio ad cautelam seu sub conditione,quando & quomodo danda.*
85 *Ea non requirit ante tradita.*
86 *Solutio obiectionis, quòd inde sequeretur melioremesse conditionem obliuiosi,quam memoris.*
87 *Nonnunquam consultum est, absolutioni ad cautelam præmittere exactionem iuramenti.*
88 *Quomodo per absolutionem ad cautelam tollatur excommunicatio incursa ob offensam notoriam.*
89 *Excommunicatio per oblivionem tacita in confessione,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tollitur per absolutionem quæ communiter in foro pœnitentiali datur, si Confessarius sufficientem habeat potestatem.

90 *Cùm nescitur an valida sit excommunicatio, absolutio datur ad cautelam de iuris benignitate.*

91 *Opponitur aduersus eam in foro exteriori.*

92 *Non in foro interiori: in quo quatenus satisfactio ei absolutioni præmitti debeat.*

93 *Non sufficere cautionem aut promissionem fieri pro satisfactione, cùm quis absoluitur virtute potestatis ad absolucndum ab omnibus censuris, concessæ in Iubilæis, aut in aliis Bullis Pontificis.*

94 *Dubitans de excommunicatione teneatur illius absolutionem petere: siue dubitatio sit de iure, siue de facto: & quacumque de causa dubitetur.*

Nu.84. SCIVIT cùm excommunicatio scitur lata esse & valida, danda est excommunicato absolutio simpliciter, nempe secundùm formam superiùs expositam: ita cùm dubitatur an sit lata, vel scitur quidem lata, sed dubitatur an valeat, danda est sub conditione; siue, vt communiter dicitur, ad cautelam istiusmodi verbis secundùm Syluestrum, Absolutio sexto num. 2. & Nauar. in Enchir. cap. 26. num. 10. Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, à quo possum te absoluere, ego absoluo te, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ & communioni fidelium: In nomine Patris & Filij & Spiritussancti. Nisi quòd ex communi sententia, *vt Nauar. ibidem addit*, necesse non est adiungere, Restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium; quia eo ipso quòd excommunicatus absoluitur, illis restituitur. Vnde intelligimus per ea verba quæ Polancus habet in suo direct. Absoluo te à vinculo excommunicationis, in quantum possum & indiges; sufficienter hanc de qua agimus absolutionem ad cautelam impendi.

De obseruandis cùm dubitatur an excommunicatio incursa sit.

Sectio Prior.

Nu.85. CÆterùm cùm dubitatur an incursa sit excommunicatio, vt cùm Pœnitẽs conscientiâ prout potuit sufficienter examinatâ, nescit se aliqua ligari; nihil eorum quæ ante posita sunt de iuramento, satisfactione, precibus & mandatis necesse est seruari: vt Nauar. ad princip. primi cap. De pœniten. distin. 6. num. 66. confirmat ex consuetudine iamdiu in Ecclesia vsitata, quâ illis non seruatis, Confessarij antequam à peccatis Pœnitentem absoluant, etiam nescientem se excommunicatum, ad cautelam à cẽsuris absoluunt quantùm is indiget & ipsi possunt. Quanquam negandum, non est quin, vt idem Nauar. addit, Pœnitens ipse debeat saltem esse eo animo, vt si se excommunicatum sciret, satisfaceret: & cùm primum tale quid fortè resciuerit, satisfacturus sit. Debeat, inquam, propter obligationem quam haberet resarciendi iniurium alteri à se illatam: cui quantum potest, satisfieri pœnitẽtiale forum exigit, iuxta cap. 1., 14. quæst. 6. Pœnitens verò, qui ignorat iniuriam à se illatam, non potest eidem satisfacere aliter, quàm præbendo se paratum ad satisfaciendum vbi res innotuerit.

Nu.86. Sed opponi potest sequi ex dictis, obliniosum ac minus diligentem, melioris conditionis esse, quàm memorem ac diligentem in cognoscenda excommunicatione à se incursa: quandoquidem cognoscenti, non autem ignoranti, antedicta iniunguntur ad consequẽdum absolutionis beneficium. Ad quod idem author consequenter respondet, meliorem esse melioris & diligentioris conditionem, quoad animę commodum, quod solùm in foro pœnitentiali spectatur. Certum enim est, maius esse animæ meritum confitentis peccatum & pro eo satisfacientis, quàm non confitentis: quantumuis contingat, *quia oblivio est excusabilis*, tam idipsum peccatum quàm censuram ei annexam, tolli cum aliis peccatis & censuris, de quibus specialis in confessione facta est mentio: interueniente absolutione accepta à Sacerdote prædicto potestate ad id sufficiente.

Nu.87. Admonet præterea videri consultum, vt ab iis qui raro confitentur, & quos alicunde censuras incurrisse probabiliter dubitatur, iuramentum ante absolutionem exigatur de faciendo, quàm poterùt commodissimè, & citissimè quidquid debent, si de aliqua censura qua irretiantur, notitiam imposterum habeant. Ab aliis autem neque præstari debere, neque peti consultum esse: imò neque ab illis prioribus id exigendum esse contra consuetudinem iampridem receptam, si nollent libenter præstare.

Nu.88. Ac demum congruenter à se antedictis, idem Nauarrus consequenter num. 68. 69. & 70. statuit: primò si quis adhibitâ iustâ curâ reuocandi in memoriam peccata sua, ad cautelam absolutus sit ab excommunicatione, eo modo quo proposuimus; ipsum liberũ reddi etiam ab excommunicatione in quam incurrerit ob notoriam offensam pro qua satisfactio facienda erat antequam absolueretur: dummodo ipse esset ea mente, vt si illius meminisset, statim ante absolutionem si potuisset, satisfacturus esset ac præstiturus quod pro tali offensa deberet.

Nu.89. Statuit secundò iuramentum, satisfactionem, preces, & mandata, *de quibus in præced. cap.* non esse de substantia absolutionis: cùm hæc sine illis valere possit.

Statuit tertiò, illum qui confessus est alicui qui potuit ipsum absoluere ab omnibus peccatis & censuris, posse à reseruatis, quæ confiteri oblitus fuerit, absolui postea à quouis Sacerdote inferiori: quod ipse aliis citatis habet etiam ad cap. Consideret, De pœniten. distinct. 5. §. Cautus sub finem. Vbi vult id intelligi dummodo Confessarius absolutioni à peccatis præmiserit absolutionem à censuris, quatenus opus esset, & ipse posset: sicut communiter fit per vsu receptam formulam, Absoluo te imprimis à vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti in quantum possum & indiges, deinde, Absoluo te ab peccatis tuis. Intellige autem iuxta eumdem, siue expresè præmiserit siue tacitè, propter dictum illud Gersonis; Quòd Confessarius qui recta intentione super Pœnitentem dixit Absoluo te à peccatis, In nomine Patris & Filij & Spiritussancti: non solùm à peccatis, sed etiam à censuris absoluisse iudicãdus sit.

De obseruandis cùm dubitatur an excommunicatio sit valida.

Sectio Posterior.

Nu.90. CVm autem scitur quidem, latam esse excommunicationem, id est, commissum esse à Pœnitente factum, propter quod excommunicatio decreta est; sed nescitur an sit valida, id est, an propterea ipse ligetur, eoquod opponat sententiam continere errorem intolerabilem, aut fuisse latam post legitimam appellationem, aut ab eo à cuius iurisdictione exem

exemptus esset, aut aliquid aliud eiusmodi: eidem Pœnitenti petenti absolui, absolutio ad cautelam tantùm (*vt Couar. notat ad cap. Alma mater 1. par. §. 12. num. 7.*) ex quadam iuris benignitate & gratiâ impenditur: quia non petit simplicem absolutionem humiliter confitens se excommunicatum; sed potius negat excommunicationem, qui ideo de rigore non foret absoluendus, sed solùm admittendus ad probationem eius, quod allegauerit ad ostendendam inualiditatem excommunicationis.

Nu.91. De cuiusmodi gratia iuris, apertè constat ex cap. Solet, De senten. excomm. in 6. vbi definitur dictam absolutionem petenti, non esse negandam, quamuis in contrarium se excommunicator, vel pars aduersa opponat: nisi forte illum asserant pro manifesta offensa excommunicatum esse: in quo casu indulgendus est asserenti terminus octo dierum, vt si probauerit quod opponit, non relaxetur sententia, nisi priùs sufficiens præstetur emenda, vel si offensa dubia proponatur, competens cautio de parendo iuri.

Ex qua definitione quamuis sequatur, quòd ante examinationem inualiditatis possit Pœnitens ad cautelam absolui ab excommunicatione, quam dicit inualidam: nihilominus (vt loco cit. Couar. post Innocen. & alios nonnullos docet) quando inualiditatis causa adfertur defectus iurisdictionis in excommunicatore; semiplena saltem probatio eiusdem defectus requiritur, antequam debeat absolutio impendi: ne Iudici ordinario passim fiat illusio. Quod item faciendum addit, quando causa inualiditatis adfertur, quòd appellatio præcesserit latam sententiam excommunicationis.

Nu.92. Sed hæc intelligenda sunt tantùm quoad forum contentiosum. Nam in foro pœnitentiali statur confessioni Pœnitentis: neque auditur contra eum aduersarius, ne quidem opponens quòd is pro manifesta offensa excommunicatus sit, iuxta Nauar. *in Enchir. cap. 27. num. 272. seu in regulis Confessariorum circa finem vers. 6.* Quæ tamen differentia non est extendenda ad satisfactionem, vt idem admonet. Quod enim per cit. cap. Solet, satisfactio præmittenda est absolutioni ad cautelam, quando offensa est manifesta: & competens cautio, quando est dubia: nõ tantùm in foro exteriori locum habet, sed etiam in interiori. Nõ enim vt citatio, vel oppositio facta ab aduersario aliena est à foro interiori, sic & satisfactio vel cautio competens; sed tam hęc quàm illa ei quoque congruit. Itaque excommunicato agnoscente offensam propter quam excommunicatus est veram esse, is prius cogendus est, satisfacere quàm ei petenti impendatur absolutio: Sin dubitet an offensa sit vera, dare cautionem. Quanquam in casu talis dubitationis potest quoad internum forum, sufficere firmum propositum satisfaciendi debito vel offensæ, si eam veram esse apparuerit prout in præceden. versu 4. Nauar. ipse addit.

Nu.93. Simul admonens id locum non habere quando Confessarius absoluit tanquam delegatus, cui non est specialiter commissa absolutio ad cautelam, sed (prout fieri solet in Iubilæis & aliis Bullis Papæ) absolutio simpliciter ab omnibus peccatis & censuris. Nam talis, non solùm cùm Pœnitens de offensa certus est: sed etiam cùm dubitat, nequit ad cautelam sine præuia satisfactione absoluere cum sola cautione: & multo minus cum solo firmo proposito satisfaciendi cùm primum constiterit de veritate.

Ad quod facit quod Couar. tradit *in citato num. 7. versu Iudex verò*: absolutionem ad cautelam esse extraordinariam & inductam Apostolicæ Sedis quadam gratiâ: ideoque nõ esse cuiuis Iudici permittendam, vbi non fuerit specialiter à iure permissa.

Si quæras an taliter dubitans teneatur petere absolutionem. Respondetur cum Syluest. Absolutio 3. num. 14. teneri: quia in dubiis tutior pars est eligenda cap. Iuuenis: De sponsal. cap. Ad audientiam. cap. Significasti De homicid. & ad rem præsentem magis accommodatè. Cap. Illud De Clerico excommunic. ministr. An autem in foro exteriori to ipso quòd quis petit simpliciter se absolui ab excommunicatione habendus sit excommunicatus sua confessione (*quod pluribus disputat Couar. in præced. num. 1.*) quia mihil refert ad nostrum institutum, in eo non immorabimur.

Nu.94. Illud ad extremum occurrit monendum quod Vgolinus De censuris *tab. 1. cap. 22. §. 1. num. 9.* plenius explicat: dicta in priore huius Capitis sectione procedere siue dubitatio sit facti, siue iuris: hoc est, siue dubitetur an Pœnitens commiserit factum propter quod imposita est excommunicatio: siue an à iure, vel ab homine lata sit excommunicatio in tale quid facientem. Item dicta in sectione posteriore procedere: ex quacumque causa censeatur excommunicatio inualida.

Explicatio spectantium tum ad validitatem excommunicationis: tum ad causas ab excommunicatione excusantes, quorum notitia requiritur ad vsum legitimum absolutionis ab excommunicatione.

CONfessarius in vsu absoluendi ab excommunicatione debet instructus esse non tantùm de antedictis: sed etiam de ratione iudicandi, an excommunicatio qua Pœnitens apparet irretitus, valida sit necne, sique esse videatur: an aliqua detur causa ipsum ab illa excusans: atque si non detur, an excommunicatio sit reseruata. De quoquidem tertio vniuersè possunt sufficere dicta in præced. lib. 8. à cap. 4. & in lib. 1. cap. 11. In particulari verò de lata in percussorem Clerici vel Monachi, iam dictum est in appendice ad memoratum librum 1. De latis in Bulla Cœnę Domini, resistendo peculiariter earum absolutioni, dicemus in præsentiarũ. De cæteris verò quoad earum reseruationem nihil occurrit dicendum: nisi idipsum quod in memorata appendice dictum est, quoad reseruationem latæ in percussorem Clerici; accõmodandũ esse ob paritatem rationis ad reseruationem vniuscuiusque illarum aparticulares materias commodius expendendas propriis locis in sequenti parte, tomo secundo maximè. Iam verò de duobus prioribus pro eorum explicatione, dicendum est quid, & quotuplex sit excommunicatio: à quo, in quem, qua de causa, & quo modo ferri debeat vt valida sit. Item qua ratione cognoscatur eam incursam esse: & quæ ab ea incurrenda excusent. Quapropter sextum huius libri caput erit de definitione & diuisione excommunicationis, septimum de eo à quo debet excõmunicatio ferri, vt valida sit. Octauum, de eo in quem ferri debet. Nonum, de causa ob quam ferri debet. Decimum, de modo quo ferri debet. Vndecimum, de iis quæ ab ea incurrenda excusant, quantumuis aliàs sit valida. Duodecimum, De ratione qua cognoscendum est an ea sit incursa. Reliqua verò ponentur in explicatione Bullæ Cœnæ Domini.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT VI.

De definitione & varia diuisione excommunicationis.

SVMMARIVM.

95 *Definitio excommunicationis:ad cuius declarationem proponitur varietas bonorum, in quibus Christi fideles communicant.*
96 *Diuisio excommunicationis in generalem & specialem.*
97 *Diuisio eiusdem in eam quæ est à iure, & in eam quæ est ab homine.*
98 *In quo maxime differant duæ illæ excommunicationis species.*
99 *An ex consuetudine sit aliqua excommunicatio.*
100 *Diuisio excommunicationis in comminatoriam, & latæ sententiæ.*
101 *Diuisio in Papalem, Episcopalem, & communem.*
102 *Diuisio in iustam & iniustam.*
103 *Tres casus in quibus excommunicatio censetur iniusta.*
104 *Subdiuisio iniustæ in validam & invalidam.*
105 *Quando ex parte excommunicantis excommunicatio sit nulla.*
106 *Quando ex parte causæ, propter quam fertur.*
107 *Quando ex parte modi quo fertur.*
108 *Diuisio in absolutam & conditionalem.*
109 *Quid sit tenendum de excommunicatione lata in aliquem, nisi intra certum tempus soluat creditori; & hic illi prorogat terminum præscriptum.*
110 *Diuisio excommunicationis in maiorem & minorem.*
111 *Sententia eorum qui peccatum mortale faciunt speciem excommunicationis; cum illius refutatione.*
112 *Ratio discernendi inter excommunicationem maiorem & minorem.*

Definitio excommunicationis.

SECTIO I.

Nu. 95. VID in genere sit excommunicatio, illa definitio explicat; qua dicitur censura Ecclesiastica, à Canone vel à Iudice Ecclesiastico prolata, priuans communione fidelium. In cuius declarationem aduerte, censuram esse correctionem culparum: & communionem fidelium posse esse, vel ipsorum prout homines sunt, vel prout fideles sunt: priorémque modo vel esse interiorem, nempe in natura humana, in qua omnes cõmunicamus; vel exteriorẽ, nimirum in cõuersatione ciuili, quâ homines inter se communicant colloquiis, salutationibus, conuiuiis, & negotiorum tractatione. Posteriore autem modo posse esse; vel in donis interioribus siue fidei, ob quam in fidelium nomine ipsi communicant: siue charitatis ob quam ipsi constituunt Sanctorum communionem: cuius est mentio in Symbolo: in quo sicut præcedens articulus Credo Sanctam Ecclesiam, pertinet ad fidem: ita subsequens Sanctorum communionem, pertinet ad charitatem quâ viua Christi membra conglutinantur (*quod habet Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. col. 6.*) vel esse posse in Ecclesiæ intentione, secundùm quam fideles communicant in precibus communibus, iisve quas Clerici quatenus Ecclesiæ ministri faciunt: vel in rebus exterioribus, qualia sunt templa & cœmeteria: vel demum in rebus partim interioribus partim exterioribus, qualia sunt sacramenta: hocque modo accipi debet distinctio communionis fidelium in interiorem exteriorem & mediam, vsurpata ab authoribus quorum plerosque commemorat Couarr. *ad cap. Alma mater De sentent. excommunic. in 6. in initio nu. 2.*

Cùm autẽ hæc ita sint, non solet quidẽ Ecclesia per excommunicationem priuare fideles bonis naturalibus; solet tamen conuersatione ciuili: quod facit cõgruenter sacræ Scripturæ. Nam D. Paulus in priori ad Corinth. cap. 5. prohibet conuersari cum fornicariis: & in posteriori ad Thess. cap. 3. cum iis qui non obediunt verbo ipsius, & D. Ioannes in Epist. 2. cum qui non adfert doctrinam veram, non esse recipiendum in domum, nec aue ei dicendum. Quod si quis opponat ciuilem conuersationem conuenire homini ex quadam naturæ lege; homo enim ex natura sua est animal ciuile: ideoque non videri consentaneũ vt Ecclesia hominibus illã interdicat. Respõdetur, Ecclesiam interdicere alicui conuersatione ciuili, quia licet sit naturæ hominis consentanea: ipsa tamen per quorumdam vel infirmitatem, vel malitiam perniciosa esse potest disciplinæ Ecclesiasticæ: cui vt consulatur potest aliquis eâ ipsâ priuari, Nam alioqui nec consentaneum esset quemquam à Magistratu ciuili coniici in carcerem.

Quod attinet ad bona fidelium vt fideles sunt: interna quidem donis fidei & charitatis, Ecclesia non solet per excommunicationem priuare. Neque enim ob hæresim; aut aliud peccatum mortale aliquem excommunicans, eum priuat fide aut charitate: sed supponit his esse priuatum sua voluntate: fide quidem per hæresim aut aliam infidelitatem: charitate verò per quodcumque peccatum mortale, De qua re plenius Vgolinus in tab. 2. de censuris cap. 9. §. 7. Communibus verò precibus, & Sacramentorum, aliarúmque rerum Ecclesiasticarum vsu, priuare solet: quod alibi tractandum est, nimirum 3. parte tomo tertio libro vltimo. Quotuplex verò in genere sit excõmunicatio, variis diuisionibus tradi solet: quarum vna tantùm est generis in suas species, nempe in maiorem & minorem. Cæteræ enim sunt subiecti in sua accidentia: de quibus sigillatim est deinceps dicendum.

Diuisiones excommunicationis in generalem, & specialem: à iure, & ab homine.

SECTIO II.

PRima igitur diuisio est in generalem & specialem: illa est, quæ generaliter fertur in eum qui hoc vel illud fecerit: hæc verò, qua aliquis excommunicatur nominatim, id est, expresso nomine proprio ipsius: aut saltem (quod habẽt Sotus *in sequ. art. 4. col. 2.* & Couarr. *ad memorat. cap. part. 1. §. 2. num. 8.*) appositis aliquot signis, quæ certò & indubitãter ipsum demonstrent, designéntve tam speciatim, quàm si proprio nomine exprimeretur. Vnde pro nominatim excommunicato habendus non est is, qui egerit contra canonem quo excommunicatio imponitur omni facienti certum quid, vt clericum vel monachum percutienti; quantumcumque apertè constiterit, factum ipsum, pro quo imposita est excommunicatio, perpetratum esse ab eo: id quod Couarr. adhuc habet loco citato. Nu. 96.

Secunda, diuisio excommunicationis, est in eam quæ Nu. 97.

quæ à iure & in eam quæ ab homine imponitur. Illa autem dicitur esse à iure imposita, quæ ab habente authoritatem statuendi ius Ecclesiasticum (vt ordinariam habent, Episcopi, & Episcopo superiores atque Concilia tum generalia, tum prouincialia: atque extraordinariam inferiores Episcopo habere possunt ex commissione aut priuilegio, aut ex consuetudine aliqua legitimè præscripta) perpetuo statuto lata est: quod post Anto. D. 3. *part. tit. 24. cap. 74.* annotant Caiet. *verbo Absolutio sub finem*, Syluester *verbo Excommunicatio 1. §. 3.* Qui addit eam duplicem vnam à iure communi, id est, à iure quod vel in Concilio generali, vel à Summo Pontifice statutum, ligat fideles per totam Ecclesiam: alteram à iure seu constitutione particulari sancitam in Concilio prouinciali, vel in synodo alicuius diœcesis, vel à Sedis Apostolicæ Legato alicuius prouinciæ, vel ab Episcopo. Quæ perpetua quidem est, sicut præcedens: sed non extenditur ad loca quæ sunt extra eam diœcesim vel prouinciam: vt nec iurisdictio eius à quo est lata.

Ab homine verò esse excõmunicatio illa dicitur, quę ab habente authoritatem (de quo in sequ. cap. 7.) lata est absque intentione faciendi constitutionem aliquam perpetuam; sed tantùm ad tempus, siue definitum siue indefinitum: nempe, *ex Sylu. ibid.* vt ad tempus prouideatur alicui vel aliquibus personis: vt si à Summo Pontifice excommunicentur omnes, qui in colloquio cum monialibus turpia verba vsurpauerint, vel qui se immiscuerint alicui certo negotio: vt v. g. qui ad aliquod bellum in Ecclesiæ perniciem exortum, profecti fuerint de nouo.

Nu. 98. Cæterùm à D. Anton. loco cit. post Palud. *in 4. distinct. 18. quæst. 5. art. 2.* & post vtrumque à Nauarr. *in Enchir. cap. 27. num. 2.* immo & ab aliis communiter, discrimen inter hasce duas species constituitur præcipuè; quòd excommunicatio ab homine, cesset mortuo, aut ablato ab officio illo, à quo lata est, nisi confirmetur à successore, argumento capituli Ex rescripto de locato & conducto: ex quo habetur vnum legatum, posse alterius, cui succedit, statutum confirmare. Cessat, inquam, comparatione eorum qui illam non incurrerunt, eo à quo lata est fungente adhuc officio suo; prout notant Palud. loco cit. & Panorm. *ad cap. Nobis 1. De sentent. excommun. num. 12.* Itaque si Episcopus aleatores excommunicauerit: ipso mortuo, aut ab Episcopatu deposito, cessat illa excommunicatio, excepto quòd illi, qui ipso adhuc tenente Episcopatum eam incurrerunt, permaneant irretiti, debeántque petere absolutionem ab eo qui succedit in eadẽ iurisdictione, aut à Superiore iuxta cap. Si Episcopus 11. quæst. 3. Excommunicatio verò à iure nisi à successore aut à Superiore abrogetur, permaneat defuncto eo qui tale ius condidit iuxta cap. finale De officio Legati: in quo decernitur statuta Legati durare etiam finita legatione.

Porro quamuis, vt notant Panormit. *ad rubricam, De sentent. excommunic.* & post eum Sylu. *loco citato*, excommunicatio minor ab homine, non sit in vsu: negandum tamen non est quin omnis ille qui maiorem ferre potest, minorem quoque ferre possit, prout ostendit Couarr. *ad cap. Alma mater 1. parte §. 8. numero 5.* Nu. 99.

Quærit autem Syluester ibidem, Num præter excommunicationem à iure & ab homine aliqua sit à consuetudine: respondétque nullam esse: quod etiam docent D. Anton. in memorato cap. 74. & cum Hostiensi Angelus excommunicatio 1. num. 6. ac cum Rosella Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 7. vbi moderationem hanc adhibet (vt & Angelus) nisi consuetudo approbata sit à Summo Pontifice, aut ab alio Prælato quoad suos subditos: quia tunc ea vim haberet statuti. Adde etiam ex Sylu. ibidem nisi habeat (vt ille loquitur) obseruationem & opinionem hominum, quòd sic faciens excommunicatur: quia & tunc aut verè aut præsumptiuè censetur constitutio edita.

Excommunicationis diuisiones in comminatoriam & latæ sententiæ: in Papalem, Episcopalem, & communem.

SECTIO III.

TErtia diuisio excommunicationis est in comminatoriam, & latæ sententiæ. Comminatoria est, quam Superior ferre, cognita causâ, Iudici imperat: neque incurritur antequam is illam tulerit. Latæ sententiæ verò est, quæ ipso facto, propter quod lata est, incurritur. Iisque generis esse *ex D. Antonino 3. part. tit. 24. cap. 74.* censenda est, cum fertur his verbis: Præcipimus vobis sub pœna excõmunicationis quam ex nunc, prout ex tunc: & ex tunc prout ex nunc in vos ferimus; aut cum quidpiam mandatur aut prohibetur expresse sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: aut cùm ex forma verborum patet Prælati voluntatem esse sententiam ferre: vt cum dicit, Propter hanc vel illam causam excommunicamus te, vel vos, aut eum vel omnes qui hoc crimen admiserint; aut cùm vsurpatur verbum præteriti temporis, sit excommunicatus; sit innodatus sententia excommunicationis; aut aliud æquiualens. Nu. 100.

Comminatoria verò esse censetur, cùm absolutè & sine additione quidpiam prohibetur sub pœna vel interminatione excommunicationis, aut anathematis; vel is qui fert excommunicationem vtitur verbo futuri temporis, hoc modo. Qui hoc vel illud fecerit excommunicetur: nisi addat ipso facto; vel ipso iure, vel eo ipso, vel aliud simile ex quo latam sententiam esse appareat. Quibuscumque enim verbis Superior subditum excommunicet, modò ei voluntatẽ suam de ferenda tunc excommunicationis sententia exprimat, censenda est excommunicatio latæ sententiæ: itaut nihil referat *ex D. Anton. loco cit.* vtrum Iudex dicat; excommunico te; aut scias te excommunicatum: aut te excommunicatum agnosce; aut te habeas pro excõmunicato; aut te excommunicatum reputes: dummodo huiusmodi verba voluntatem, intentionémue ipsius de præsenti exprimant: quoniam verba seruiunt intentioni, non contrà ex cap. Humanæ aures 22. quæst. 5. Cùm autem dubitatur de intentione, eligenda est (inquit D. Anton. congruenter doctrinæ tradendæ in sequenti lib. 13. num. 98.) tutior via: vt scilicet is qui in talem sententiam incurrit, se reputet excommunicatum: ob periculum irreuerenter in diuinis communicandi cum aliis, aut scandalo eorumdem. De ratione cognoscendi num lex pœnalis ferendam an verò latam sententiam contineat, dicemus plenius in sequenti lib. 13. num. 258. & nonnullis sequentibus.

Quarta diuisio excommunicationis est in Papalem, Episcopalem, & communem. Dicitur autem Papalis cuius absolutio sanctæ Sedi Apostolicæ reseruata est; à quocumque authoritatem habente imposita sit, etiam inferiore Papa: vt post Caiet. *in verbo excommunicatio cap. 22.* annotat Sotus in 4. *distin. 22. quæst. 2. art. 3. conclus. 2.* Adferens in exemplum excommunicationem in incendiarios ex cap. Tua nos De sentent. excommunic. quæ non est lata à Papa, & nihilominus ei reseruata est. Episcopalis verò dicitur, cuius absolutio à iuris conditore reseruata est Nu. 101.

Episcopo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Episcopo. Communis denique dicitur, cuius absolutio nec Summo Pontifici, nec Episcopo reseruata est: siue à Summo ipso Pontifice, aut ab ipsius delegato; siue à Concilio generali aut prouinciali; siue ab Episcopo per suum aut per Synodale statutum lata sit: sed ab ea quilibet absoluere potest, qui aliàs possit à peccato, propter quod ea est lata.

Diuisio excommunicationis in iustam & iniustam.

Sectio IV.

*Nu.*102. QVinta diuisio excommunicationis est in iustam & in iniustam. Illa est, quam is fert qui debet, & propter quod, ac quomodo debet: hæc verò, quam contrà fert, is qui non debet aut ob aliud, aut aliter quàm debet. Cui definitioni congruenter glosa ad cap. Sed ponatur 11. quæst. 3. distinguit tres casus insinuatos in cap. Episcopus Presbyter, eadem quæst. in quibus excommunicatio iniustè fertur.

*Nu.*103. Primus est ex parte ferentis, cùm is ad ferendũ non adducitur zelo iustitiæ, sed irâ, vel odio: id quod esse contra ius patet ex ead. quæst. cap. Illa. Secundus est ex parte causæ: nempe quando ea est nulla, aut falsa, per falsos testes probata; aut non est sufficiens ad excommunicationem (*hoc quando contingat exponetur in sequen. cap. 9.*) quod item esse contra ius certum est ex cap. Sacro. De sentent. excommunic. & ex cap. Cùm medicinalis, eod. tit. in 6. Tertius est ex parte modi: nempe cùm non præmittitur competens admonitio (*de qua in sequen. cap. 10.*) nec fertur excommunicatio præsentibus personis idoneis, per quas admonitio probari possit: quod est contra ius in cit. cap. Sacro. Vbi tamen aduerte admonitionem non requiri, nisi sententia excommunicationis feratur ob culpas præteritas. Nam cùm ob futuras fertur, sufficit ipsa prohibitio, quæ rationem habet admonitionis. Vnde cùm excommunicatio à iure ad futura tantùm peccata puniendà instituatur, ex cap. Cognoscentes De constitut., non requirit admonitionem antegressam.

*Nu.*104. Subdiuidi quoque solet excommunicatio iniusta in validam, & in inualidam seu nullam. Valida est quæ sortitur effectum suum ligandi (quod contingit, quàdo iniustitia non tollit ea quæ ad excommunicationem sunt necessaria simpliciter) proindeque timenda est perinde ac iusta, iuxta illud D. Gregorij relatum 11. quæst. 3. cap. 1. Sententia pastoris siue iusta siue iniusta timenda est. Et ratio est: quia ligat tam in foro interno quàm in externo, prout notat Nauar. *in Enchir. cap. 27. num. 3.* & latius tractat Vgolinus *De censuris tab. 1. cap. 43. §. 3.* Inualida verò est, quæ effectum non sortitur, nec quoad externum, nec quoad internum forum; nisi quòd pro vitando scandalo obliget ad obediendum, donec vulgus (inquit Nauarr. sub finem citati num. 3.) causas nullitatis, *etiamsi iam notas sapientibus*, sibi persuadeat, aut certè persuadere debeat: prout tunc debet cùm quis, sicut excommunicatus est publicè aut pro tali denuntiatus; ita etiam promulgatur postea de ipso publicè, quòd sententia in eum lata fuerit inanis nullarumue virium. Istud significatur in cap. Qui iustus eadem quæst. 3. cùm dicitur, Iustum cum iniustè maledicitur, etiamsi non teneatur apud Deum, sententiæ tamen parere debere: ne ex superbia ligetur, qui prius ex puritate conscientiæ absolutus tenebatur. Casus in quibus excommunicato inualida, nullaue est, glosa ad cap. Præsenti De senten. excomm. in 6. ponit 12. quos & alios eiusdem generis ita possumus distinguere; vt quosdam dicamus esse ex parte ferentis excommunicationem, quosdam ex parte causæ propter quam ea fertur, & quosdam ex parte modi quo ea fertur.

Ex parte igitur illius qui sententiam fert, in his casibus excommunicatio est nulla. Primò, cum non intendit ligare: quia excommunicatio vires suas habet ex intentione excommunicantis: perinde scilicet ac lex ex intentione legislatoris. Id quod Panormit. notat ad cap. Ex parte De officio Iudicis Ordin. num. 6. deinde cùm non est Iudex illius in quem fert sententiam: nec ius habet in ipsum. Pro quo facit illud quod ex cap. Ad audientiam De consuetud. habetur: sententiam à non suo Iudice latam, nullam obtinere firmitatem. Tertiò, cùm Iudex, quamuis sit proprius, est tamen excommunicatus; ex cap. Miramur. 24. qu. 1. aut suspensus à iurisdictione; ex cap. Quia De concess. præbendæ. Denique si ferat sententiam in casu sibi non permisso; ex cap. Cùm capella De priuileg. & excessib. vbi Pontifex statuit canonicos facelli Ducis Burgundiæ non esse excommunicatos ab Episcopo Lingonensi, ea ex parte qua exempti sunt ab ipsius iurisdictione. *Nu.*105.

*Nu.*106. Ex parte verò causæ propter quam fertur, excommunicatio nulla est, quando illa continet errorem intolerabilem; ex cap Per tuas De sentent. excommunic. sicut ea censetur continere (ex glosa ibid. ad verbum Intolerabilem errorem) quæ datur aduersus aliquem, vt impediatur facere quod est licitum, & ex virtute: vt v. g. dare eleemosynam pauperi; aut repetere legitimè pecuniam sibi iustè debitam. Vel ex aduerso compellatur facere aliquid illicitum; vt debitum reddere vxori putatiuæ; aut quodcumque aliud peccatum committere, etiam veniale tantùm: *prout notat* Sylu. *excommunicatio* vltimo nu. 1. Adde, aut cõquod non fecerit aliquid impossibile: siquidem impossibilium nõ est obligatio. ff. De reg. iuris, lege Impossibilium. Quocirca sententia excommunicationis lata contra non facientes aliquid, aut non soluentes, non incurritur ab eis, in quorum potestate non est præstare id quod præcipitur.

Aduerte autem ex Cordub. in lib. 1. Quæstionarij quæst. 3. circa princip. ad hunc errorem intolerabilem constituendum, requiri apertam notitiam, hoc est, quòd excommunicatio lata sit ex causa manifestè falsa, vel omnino iniusta, vel illicita, *siue ex suo genere, siue ex circumstantiis*; vel naturaliter impossibili, id est, quam manifestè constet vel nullo modo, vel non nisi cum vitæ periculo in actum deduci posse. Secus enim est, si aliquid solùm sit ciuiliter impossibile, vel non manifestè iniustum aut malum: quia excommunicatio dicetur quidem iniusta ex parte causæ, non tamẽ nulla (*de quo plenius Vgolinus in cit. §. 3. sub finem*) & ideo timenda: quia ligat quo ad Ecclesiam, itaut peccatum sit mortale, saltem ratione scandali, non seruare eam, si authoritas Ecclesiæ inde contemni videatur. Quod si scandalum absit, *vt in secreto*, potest non seruari ab eo cui constat se innocentem esse, atque adeo excommunicationem in se latam esse nullam: Quamuis enim suam innocentiam probare nequeat: licitè tamen potest, *vitato interim scandalo*, etiam dicendo missam, non seruare illam: quod post glosam ad cap. Licet De sentent. excommun. in 6. docent Caiet. 2. 2. quæst. 70. art. 4. Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 3. sub finem, Couarr. ad memorat. cap. Alma mater par. 1. §. 7. versũ Illud tamen.

Inualida est præterea excommunicatio ex parte causæ (iuxta cap. Quia plerique De senten. excommunic. in 6.) quam Prælatus fert in suos subditos; qui Superioribus, aut sedis Apostolicæ Legatis, aut inquisitoribus insinuant, vel exponunt Ecclesiarum, seu

*Nu.*107. seu locorum suorum, personarum, ac rerum statum.

Ratione verò modi quo fertur, inualida est excommunicatio; cùm quis post legitimam appellationem excommunicatur; ex cap. Per tuas De sentent. excommunic. Vbi aduerte obiter quòd quando lata est excommunicatio cum conditione: si appelletur pendente adhuc cõditione, appellationem tenere & impedire sententiã ex ca. Præterea 2. De appellationibus. Si verò simpliciter feratur excõmunicatio; hanc non tolli quidem per appellationem: cognitionem causæ tamen transferti ad Superiorem, ex cit. cap. Per tuas. Inualida etiam est quando participantes cum excommunicatis eâ participatione, quæ minorem solùm excommunicationem inducit (qualis censetur ea, quæ non est in crimine pro quo lata est excommunicatio ipsa) excommunicantur maiore excommunicatione, non nominando eos expressè, neque præmissa admonitione canonica, *de qua postea*. Istud, notatum à Nauarr. *in Enchir cap. 27. num. 4.* & à Couarr. *ad cap. Alma mater part. 1. §. 3. num. 6.* habetur ex cap. Statuimus, & ex cap. Constitutionem De sent. excommunic. in 6.

Diuisio excommunicationis in absolutam & conditionalem.

Sectio V.

*Nu.*108. ABsoluta excommunicatio dicitur cùm absolutè & absque conditione fertur. Conditionalis verò, cùm fertur sub aliqua conditione. De priore illud obseruandum est: ipsam in conscientia statim ligare delinquentem, etiam latam à iure. Nam etiamsi pœna ipso iure imposita non liget communiter in conscientia ante sententiam Iudicis, vt patet ex cap. Cùm secundùm De hæreticis in Sexto: ex quo habetur, in pœnis ipso iure incursis, requiri declarationem Iudicis, vt earum executio iustè fieri possit. Nihilominus tamen id non habet locum in excommunicatione, & in aliis censuris Ecclesiasticis, vt notant Caietan. 2. 2. quæstione 62 articul. 3. & in summula verbo Pœna, ac Sotus in 1. de iust. & iure quæst. 6. art. 6. concluf. 2. Quibus fauet quod in cap. Pastoralis §. Verum De appellationibus habetur; quòd excommunicatio secum trahat executionem: & excommunicatus per denuntiationem non amplius ligetur.

De posteriore verò obseruandum est cum D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 74. in fine, Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 11. & Couarr. in cit. 1. par. §. 10. num. 6. eam non ligare antequam conditio sub qua fertur impleatur. Ratio est, quia vt Panormit. notat ad cap. ex parte De offic. Iudicis ordin. num. 6. excommunicatio vim habet ex intentione Iudicis à quo fertur. Qui autem sub conditione excommunicat, non intendit ligare nisi adimpleta conditione: immo nec potest, nisi iniustè, id intendere: cùm iniquum sit excommunicare illum qui nullam adhuc commisit contumaciam. Adimpleta conditione verò, omnem vim ligandi statim sortitur, non secus ac si prolata esset sine conditione. Ex quibus consequens est illud quod loco cit. tradit Couarr. ab eo tempore quo aduenit conditio, censendum esse irretitum excommunicatione, illum in quem lata est conditionalis excommunicatio: non autem à tempore pronunciationis sententiæ: per eam quam Iurisperiti vocant retrotractionem: ne quidem, *iuxta Panormit. ad cap. Præterea 2. De appellat. nu. 11.* Iudex sic protulerit sententiam: Nisi intra 20. dies solueris, ex nunc te excommunico.

Aduerte autem eum cui est impositum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt intra 20. dies creditori satisfaceret; si creditor ipse illi terminum proroget: v. g. vsque ad quadraginta dies, non incurrere in excommunicationem intra primum terminum viginti dierum, vt notatum est ab eod. Panorm. *ad ca. Ex rescripto De locato & conducto num. 7.* Et ratio est, quia cum Iudex tunc decernat excommunicationem in fauorem creditoris, voluntas illius conformatur voluntati huius. Quare cùm creditor debitori prorogat terminum, id censendum est fieri de mente Iudicis qui excommunicationem decreuit. Deinde sicut creditor debitori remittendo debitum ad omne tempus, illum ab excommunicationis pœna penitus liberaret: sic censendus est remittendo ad certum tempus, liberare à certi temporis pœna excommunicationis. Quam tamen prorogationem aduerte fieri debere antequam primus terminus elapsus sit, debitórque in excommunicationem incurrerit: nam consensus post incursam superueniens, eam non tollit: vt meritò aiunt Angelus *excommunicatio 1. nu. 20.* Sylu. *excom. 2. num. 1. vers. 13.* & Nauarr. *in Enchir. cap. 27. num. 15.* quia excommunicatio est vinculum absolutione tollendum. *Nu.*109.

Dubitatio autem est, An si debitor non soluat intrà terminum à creditore prerogatum, incidat statim in excommunicationem. De qua re iidem authores asserunt, quòd si prorogatio facta sit de consensu Iudicis qui excommunicationem tulit, debitorem tunc incidere in excommunicationem: quia in tali casu, res perinde se habet ac si in principio Iudex ipse totum illum terminum excommunicationis incurrendæ præscripsisset. Sin autem prorogatio à creditore sit facta inconsulto Iudice, Angelus & Sylu. locis cit. putant non incurri tunc excommunicationem: quia licet creditor possit effectum excommunicationis auferre prorogando terminum, vel remittendo debitum, vt dictum est (*quoniam id non requirit iurisdictionem*) non potest tamen excommunicationem prorogare: cùm id sit opus iurisdictionis, quam ille non habet. Atque istud, *ipsorum sententiã*, verum est, etiamsi constitutum sit inter partes, vt si intra terminum prorogatum solutio non fiat, excõmunicatio incurratur.

Post Felinum verò, ad cap. 1. De iureiur. num. 5. & ad cap. 2. De spons. nu. 34. atque alios; Couar. ad ca. Quãuis pactũ initio 1. partis §. 1. nu. 6. existimat in hoc quoque posteriore casu excommunicationem incurri. Quod probatur: quia prorogatione facta à Iudice, aut ab alio de authoritate ipsius, excõmunicatio incurritur, vt illi concedunt in priore casu. Ergo incurritur quoque facta prorogatione illo incõsulto. Nam ratione facta, censenda est fieri de voluntate & hac ratione facta, censenda est fieri de voluntate eiusdem: cùm Iudicis cuius intentio in istiusmodi excommunicatione decernenda, conformetur intentioni eius in cuius fauorem decernitur. Vnde credẽdum est mentẽ eiusdem Iudicis esse quando fert excommunicationẽ: vt si creditor velit solutioni termino præscribere longiorem, quàm in sententia ipse definiuit; id ita possit, vt nisi in termino quẽ præscripserit fiat solutio, tunc excommunicatio lata effectũ suum sortiatur. Quanquam tamen si certò constet Iudicem non habuisse dictam mẽtem, fatendum est excommunicationẽ non incurri in termino prorogationis, si solutio non fiat: quia vt iam diximus, excommunicatio vim suam habet ex intentione Iudicis. Ad argumentum verò in contrarium, facilè est ex his occurrere: non enim creditor est, qui debitorem ligat, non facta solutione in termino prorogationis: sed Iudicis in ferenda sententia, intentio conformandi se eiusdem creditoris voluntati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Diuisio excommunicationis in maiorem & minorem.

SECTIO VLTIMA.

Nu. 110. VT ratio huius diuisionis intelligatur notandum est ex D.Thom.in 4. distinct.18. quæst.2. art.1. quod vt ille qui per baptismum adscribitur Ecclesiæ,ad duo ascisciturr: nempe ad cœtum fidelium, & ad participationem Sacramentorum:ita etiam illum qui per excommunicationem ab Ecclesia separatur, priuari cœtu fidelium, & participatione Sacramentorum.Item sicut potest quis particeps esse cœtus fidelium,qui non sit Sacramentorum: ita etiam posse quem priuari participatione Sacramentorum, qui non priuetur cœtu fidelium. Atque hinc iuxta cap. A nobis,De exceptionib.& cap.Si quem,De senten. excommunic.distinguitur duplex excommunicatio: vna maior priuans tam cœtu fidelium quàm participatione Sacramentorum: altera minor, quæ priuat tantùm participatione Sacramentorum: itaut illa, iuxta cap. Cùm medicinalis De senten. excommun. in 6. (quod Couarr. explicat ad cap. Alma mater in initio num.nono) merito comparetur corporali pœnæ medicatiuæ,qua membrum putridum, aut vlcus vel apostema inciditur:hæc verò præseruatiuæ,qualis est abstinentia à cibis per dietam.

Nu. 111. His D. Anto.3. par.tit. 24. in procœmio addit tertiam, qua per peccatum mortale charitate spoliati, segregamur à communione Dei. De qua 1. Ioan. 4. Deus charitas est & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.]

Sed opinio Panor. ad Rubric.De sent. excomm. tenenda est; Canonistarum, teste Nauarr. *in Enchir. cap.27. nu.*2.communis, traditam bimembrem diuisionem sufficientem esse;quia cùm excommunicatio non sit culpa, sed censura, seu pœna Ecclesiastica; non incurritur nisi per sententiam latam à iure, vel ab homine Ecclesiastico. Deinde quamuis ille qui peccato mortali contaminatur, destitutus sit charitate:non ideo tamen censetur esse extra communionem Ecclesiæ; sed esse tanquam membrum aridum quidem,& mortuum,*iuxta illud 1.Ioan.3.Qui non diligit manet in morte*: non tamen seiunctum à communione reliquorum membrorum corporis. De qua comparatione videri potest Couar. in præced. num. 5. Et quamuis à Christo capite non recipiat perinde specialem influxum, ac reliqua Ecclesiæ membra viuentia charitate; magnam tamen vtilitatem ex eo accipit,quòd non sit à communione Ecclesiæ præcisus. Namque Ecclesia pro illius ad Deum conuersione orat, ipsiusque curam pastoralem gerit: atque sicut cùm Princeps toti ciuitati aliquod beneficium impertitur, malis propter societatem bonorum benefacit: sic Deus peccatoribus interdum beneficia tribuit propter societatem Sanctorum cum quibus communicat.

Cæterum quamuis excommunicatio minor ponatur species excommunicationis:non habet tamen huius perfectam rationem, vt annotat D. Thomas loco cit.sed tãtùm aliquid de ea participat: nimirum esse priuationem vsus Sacramentorum: cùm adhuc, maximèque pertineat ad perfectam rationem excommunicationis, vt priuet cœtu fidelium.Itaque soli maiori conuenit plena perfectaque ratio excommunicationis, prout notat Sotus *in 4. distin.22. quæst.1.art.1.*

Nu. 112. Ad vnam verò ab altera discernendam,regula hęc tenenda est: vt si in sententia qua fertur excommunicatio nó indicetur hanc esse minorem: nempe vel eam ita nominando, vel ei tantummodo tribuendo effectum minoris excommunicationis proprium (qui est priuare Sacramentorum receptione)censenda sit maior. Vnde cum sententia fertur absolutè;vt cum Iudex dicit Excommunico illum, aut aliquid aliud æquiualens, nulla facta mentione maioris vel minoris excommunicationis,est maior excommunicatio iuxta expressum textum in cap. Si quem, De senten.excommunic.

Sed obiiciet aliquis in pœnis benigniorem interpretationem esse assumendam ex lege, Si præses,& ex lege Interpretatione ff.De pœnis. Cùm igitur id quod à Iudice dictum est absolutè, *excommunicatum*, interpretari possumus, & de maiore & de minore excommunicatione;interpretatio de hac,vtpote benignior,assumenda est. Cui obiectioni duobus modis Couar.*ad cap. Alma mater 1.par.*§.8.*num.*5.respondet. Primò ita vsum sermonis obtinuisse; vt cum absolutè excõmunicatio dicitur, significetur maior: communem vsum verò, maximum obtinere locum in cuiuslibet sermonis interpretatione; ex lege Labeo,ff.De supellectile legata.Secundò,excommunicationem esse pœnam spiritalem:ad hoc institutam, vt contumaces animos à peccatis auertat, & ad veram obedientiam adducat: quem effectum ea ratissimè haberet, si esset interpretanda de minori, cùm hæc parum operetur vltra peccatum mortale, hoc est,non inducat admodum grandem læsionem,præteream, quam cõtumax ex peccato mortali accepit.

CAPVT VII.

De eo à quo excommunicatio ferri debet vt sit valida.

SVMMARIVM.

113 *Quæ iurisdictio requiratur ad validè excommunicandum.*
114 *Illius capax est tantùm homo Christianus,viuens,& ratione vtens.*
115 *Eam non habet laicus.*
116 *Nec item mulier etiamsi Abbatissa sit.*
117 *Cui etiamsi Ecclesiastica iurisdictionis incapax sit; eiusdem tamen vsus aliquis coarctari potest.*
118 *Ab Episcopo & Prælatis eo superioribus, potest ex officio valide ferri excommunicatio.*
119 *Potest etiam a nonnullis inferioribus Prælatis.*
120 *Qui ex ordine secularium censendi sint excommunicare posse ex officio.*
121 *Parochos non esse ac eodem numero.*
122 *Solutio obiectionum contrariarium.*
123 *Qui Regulares excommunicare possint.*
124 *De iis qui ex delegatione possunt excommunicare.*
125 *Quædam aduertenda circa eamdem delegationem.*
126 *Prælatus immoderatius multare excommunicatione,quàdiu ab Ecclesia toleratur,potest valide excommunicare.*
127 *Quod procedit etiam in eo qui est propter hæresim immoderatus.*
128 *Irregularitas non est impedimentum vsus potestatis excommunicandi.*
129 *Quæ sint eiusdem vsus impedimenta.*
130 *Peccat mortaliter qui sciens se non posse excommunicare,nihilominus excommunicat.*
131 *Ecclesiastici in vsu excommunicandi, non pendent à potestate laica.*
132 *De eo quod laici impediuntur se submittere Curiæ Ecclesiasticæ,relicti a laicali.*

Cùm

CVM excommunicatio alia sit à iure, alia ab homine:illam is solus valide ferre potest, qui ius statutúmve Ecclesiasticum perpetuum potest condere: de quo in præcedenti numero 97. iam est habita mentio. Atque conditiones in iure excommunicationem imponente requisitas, vt ea valida esse ac ligare censeatur persequi,illius loci est in quo tractandum est de iis, quæ sunt necessaria vt lex humana obliget. Qui locus pertinet ad sequentem lib. 13. in cuius cap. 16. ea tractatio instituetur. Tantum igitur est hîc differendum de eo qui excommunicationem secundi generis, *ab homine scilicet*, valide ferre potest. Atque sic procedemus, vt in priore parte Capitis doceamus quis sit qui excommunicare potest: vnde sufficienter intelligetur quis possit excommunicatione eiusdem generis ferre.In posteriore parte verò satisfaciamus quibusdam dubiis,eodem spectãtibus.

Prior pars capitis,in qua docetur quis sit qui excommunicare potest.

Nu. 113. HOc quasi fundamentum constituendum est:excommunicationem esse actum iurisdictionis Ecclesiasticæ in foro exteriori, vbi causa inter homines contendendo agitur, vt facile est deducere ex verbis Domini nostri Matth.18. Si frater tuus habet aliquid aduersum te,&c. latiúsque tractat Vgolinus *De censuris tabula 1.cap.*2.§.18.& 19.Vnde consequens est,eum omnem qui iurisdictionem habet in foro exteriori,posse excommunicare:quod vnanimi consensu admittere Theologos in quartum distin.18. & Summularios in verbo Excommunicatio testatur Couar.*ad cap. Alma mater, De sentem. excommunic.in 6.* 1.*par.* §. 11. *num.* 1. in eamdem sententiam citans Panormit.Hostiensem,& Felinum:admonénsque *iuxta cap. Transmissam & cap. Suffraganeis, De electione*,intelligendum esse de eo etiam qui potestatem ordinis nondum habet; & iurisdictionis particeps est, per commissionem qua populus ei subiicitur regendus, etiam in foro exteriori.

Nu. 114. Patet autem primò ex fundamento posito: non nisi hominem Christianum,viuentem, ac ratione vtentem, excommunicare posse. Nam nec Angelus siue bonus siue malus,nec Iudæus,aut Paganus, nec mortuus nec furiosus aut aliter rationis vsu priuatus, capax est prædictæ iurisdictionis, vt de se patet: & in particulari Vgolinus loco cit.docet. De Angelo quidem §.1.in fine. De homine verò vita functo, in §.2.vbi num. 2. inde infert non valere excommunicationem quam Iudex tulit,sub conditione si ipse moriatur antequam conditio impleatur. De priuato autem rationis vsu in §. 6. & demum de non Christiano in §. 9. In quibus hærere non est necessarium ad nostrum institutum.

Laicum non posse excommunicare validè.

SECTIO I.

Nu. 115. PAtet secundò,laicum excommunicare non posse;quæ est communis Doctorum sentẽtia,vt aliquot in eam referens Vgolinus habet *in eod. cap.* 2. §. 10.Pro qua Couar.in cit.§. 11.num.3. adfert tum alia tum cap.2.de iudiciis & cap.Ecclesia Sanctæ Mariæ, De constitutionib. Qui & insinuat *in præced. num.* 1. bonam eius rei rationem: nempe quòd potestas excommunicandi, cùm respectum habeat ad aditum regni cœlestis(excludit enim à Sacramentorum vsu quo regnum cœlorum aperitur) est Ecclesiastica: quandoquidem laica per se respicit tantùm reip. pacem.Indèque est quòd eadem iurisdictio,in subiecto in quo inest, requirat aliquem sacrum ordinem, vt idem author annotat: aut saltem primam tonsuram vt placet Paludano & aliis quos refert & sequitur Vgolinus *in cit.* §. 10. *sub finem*. In laico igitur nequit esse potestas excommunicandi, ne quidem delegata, nisi Papa sit qui eam deleget. Quod cõmuni Doctorum consensu teneri aliquot eorum citatis, Vgolinus meminit, benèque declarat eius rei fundamentum in eod.§.10.num.4.post Couar.sub finem cit.num.3. Nempe quòd prohibitio ne iurisdictio Ecclesiastica per laicos exerceatur,sit de iure Pontificio:cui cæteri quidem omnes subsunt,non autem Papa. Addit ille, quod est notatu dignum,requiri Sacerdotalem ordinem ad ferendam excommunicationem cum solemnitate ceremoniarum, & precum, quas in anathematizatione seruandas esse habetur in 3. parte Pontificalis Romani.

Nec mulierem posse validè excommunicare.

SECTIO II.

TErtiò,patet fœminam non posse excommunicare, etiamsi Abbatissa sit; ex cap. Dilecta De maiorit. & obedien. consentiúntque Summistæ in verbo Abbatissa & alij quorum meminit Vgolinus *De censuris tab.1.cap.*2.§.7.*num.*3. Ratio verò potissima est, quòd ex communi Theologorũ & Canonistarum sententia, *vt idem Vgolinus habet aliquos eorum citans in præced. num.* 1. mulier non sit capax tonsuræ Clericalis, nec ordinum, & per consequens, clauis regni cœlorum non habeat in ea locum. Id quod manifestum est ex cap.Noua,*De pœnitẽn.& remiss.*vbi ratio hæc redditur:quia licet Beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis vniuersis, non tamen illi sed istis Dominus claues regni cœlorum commisit. Nu. 116.

Quamquam vt D.Thomas monet *in 4. distinct.* 19. *quæst.*1. *art.*1. *in fine*, propter imminens periculum, si viri mulieribus cohabitent, aliquis clauium vsus committitur Prælatæ:putà correctio suarum subditarum & gubernatio, iuxta idem cap. Dilecta: quo decernitur Abbatissæ subditos, debere ei obedire,sicue sint moniales, siue alij, etiam Sacerdotes: atque esse alioqui excommunicandos.Non concedi autem vsum excemmunicandi patet: quia non conceditur vsus absoluendi ab excommunicatione ex cap. De monialib.De senten. excommunic. párque ius est limonialib.De senten. excommunic. párque ius est limonialib.De senten. excommunic. párque ius est limon

Universidad de Deusto
Biblioteca

Palud.ibidem D.Anton.3.par.tit.27.cap.4.versu Vltimo nota, Sylu. in verbo Suspensio quæst. 2. & alij quibus assentitur Vgolinus in citato §.7.num.5.

Episcopum ipsóque Superiores, itemque aliquos Inferiores, posse validè excommunicare.

SECTIO III.

Nu.118. QVartò patet Episcopum, ac Synodale Concilium posse excommunicare: multóque magis alios Prælatos ipso Episcopo Superiores, puta Summum Pontificem, Concilium Generale, Patriarchas, Primates, Metropolitanos & Concilia Prouincialia. Quibus omnibus dubium non est accommodari ac cōuenire illud, per quod in Ecclesia, potestas excommunicandi instituta est à Christo, cùm dixit Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit sit tibi tāquam Ethnicus & Publicanus. Quæcumque alligaueritis super terram erunt ligata in cœlis. Illis Vgolinus addit in sequen.§.20. Papę Legatum à latere, respectu eorum qui sunt in prouincia ad quam delegatur: ac tum eiusdem Papæ, tum aliorum Prælatorum memoratorum Vicarios. Sed Sotus *in 4.distin.22.quæst.2.art.2.concl.* 1. ponendos censet potius in delegatorū quàm in Ordinariorum numero: eoquod non ex officio, sed ex commissione possint excommunicare. Siue hoc autem siue illud dicatur parum refert ad nostrum institutum.

Nu.119. Quod verò sint aliqui inferiores Episcopo, qui ex suo etiam officio excommunicare possint, habetur ex cap. Cùm ab Ecclesiarum De offic. Ordin. Neque Sotus, qui videtur contrarium docere *in lib. 10. de iustitia & iure quæstione prima, artic.tertio* (inquiens excommunicare propria authoritate, solius Episcopalis muneris esse) audiendus est: nisi velit tantùm excommunicationem maiorem ferre, ad officium Episcopi propriè pertinere: sicut gestare gladium materialem, ad officium Principis pertinere dicitur hoc nomine, quòd cæteri, licet portent ex officio, id tamen faciant, vt Principis coadiutores. Isque est sensus cap. Corripiantur 24. quæst.5. à Soto ipso citati: in quo sensu accipitur à Sylu. excommunicatio 1. num.5. Etsi alter quoque esse potest: nempe quòd inferior excommunicare nequeat cum solemnitate: quia id Episcopi proprium est, prout patet ex cap. Debent. 11. quæst.3. vbi ea solemnitas describitur his verbis. Debent duodecim Sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis, vel excommunicationis proiicere debent in terram, & conculcare pedibus.

Sit igitur constitutum, posse sine tali solemnitate, maiorem excommunicationem ferri ab inferioribus Episcopo, qui in foro externo iurisdictionem habent ordinariam: vt censentur habere illi quibus per legem Ecclesiasticam ea conuenit, tanquam propriæ dignitati ipsorum annexa, congruenter necessitati muneris quod iisdem incumbit.

Interdum etiam consuetudine rationabili & præscripta (de qua ex instituto dicetur in lib.13. tract.4. titulo quarto) eamdem potestatem obtineri ab iis qui inferiores sunt Episcopo, constat ex cap. Dudum 2.§. Sed cùm in iure De elect. vnde habetur etiam talem consuetudinem requirere, vt actus ex quibus ea constat, ab habente curam animarum exerceantur in proprios subditos: vt à Parocho in suos Parochianos, à Pręposito Canonicorum aut aliorum Clericorum in eosdem. Illic enim Pontifex ex eo, quòd quidam Archidiaconus consuetudinem habebat ferendi censuras, infert eumdem habuisse etiam curam animarum. De istiusmodi plenius Vgolinus in cit. cap.2. §.21. Suarez tomo 5. disput.2. sect.2. & Georgius Sayrus lib.1. Thesauri casuum conscientiæ cap. 6. numero 30. & 31. Pro praxi sufficiet sequentia addidisse.

Qui ex sæcularibus Episcopo inferioribus possint validè excommunicare.

SECTIO IV.

IAm quinam ex sæcularibus Episcopo inferioribus talem potestatem habeant, cognosci potest hac regulâ, quam dat Palud. *in 4.distinct.18. quæst.2. art.1.* Nu.120.
Eum Prælatum Episcopo inferiorem posse excommunicare, qui de iure aut consuetudine legitimè præscripta, aut speciali priuilegio, potestatem habet citandi subditos suos, & in Ecclesiastico foro contentioso, ius illis reddendi: non item alium. Cuius regulæ ratio est, quòd excommunicatio (vt Panorm. *ad cap. Si Sacerdos De offic. Ordin. nu.*10. ostendit) non fertur sine iudiciaria causæ cognitione; *ex cap. Nemo, 2.quæst.1. & ex cap. Sacro, de senten. excomm. & ex cap.1. eod. tit. in* 6. & est meri imperij: ferturque in inuitum argumento cap. Sententia *11. quæst.* 3. Vbi igitur de aliquo constiterit talem potestatem Ecclesiasticum ipsum habere, statuemus excommunicare posse: sicut Palud. statuit de Cardinali non Episcopo in Ecclesia sui tituli: quod communiter receptum esse ex Panor. & Felino habet Vgolinus *in prius cit.§.20. numero* 10. Item de Archidiacono habente curiam, de Decano rurali, si & ipse curiam habeat: de Decano etiam vrbano, qui non tantùm curam animarum sed etiam in foro contentioso Ecclesiastico ius reddere potest: & demum de Succentore, aut alio quouis ad quem per modum iudicij vel fori contentiosi pertinet iurisdictio in Clericos Chori.

In qua sententia fundatur, quod Nauar. *in Enchir. cap.27.num.5* ait Præpositos Ecclesiarum collegiatarum de iure communi excommunicare posse suos subditos. Ex eáque sequitur illud quod ex Panormit. Vgolinus habet in fine eiusdem §.20. vt non tantùm Collegium Cathedralis Ecclesiæ Episcopo mortuo: sed etiam collegium inferiorum Ecclesiarum, quæ capitulum habent, mortuo suo antistite, adipiscatur, potestatem excommunicandi. Monet autem consequēter Nauar. se dicere (Ecclesiarum Collegiatarū) propter Rectores Ecclesiarum habentium multos beneficiarios non viuentes collegialiter: quoniam tales nullam iurisdictionem habent in foro exteriori, iuxta glosam *ad cap. Statutum, verbo Collegiata, De electione in 6.* & Panorm. *ad cap. Nobis, De iure patronatus num.* 8. Vbi an aliqua Ecclesia sit Collegiata cognosci ait, primò, ex illius institutione: nempe si institutum sit, vt in ea plures essent Collegæ, non autem si tantùm esset vnus cum aliquo Clerico. Secundò, si aliquo priuilegio habeat ius Collegiatæ. Tertiò, si illi qui sunt de ea Ecclesia sint in possessione collegij, id est, si exerceant iura pertinentia solùm ad collegium: nempe si soleant creare syndicum, eligere Prælatum & eiusmodi alia facere. Quod si hæc desint non sufficit in Ecclesia esse plures Clericos beneficiarios, vt dicatur Collegiata.

Porro ex proposita regula, pariter de eo quem constiterit non habere potestatem reddendi ius in foro contentioso, statuendum erit non posse excommunicare.

Quid sit de Parochis tenendum.

SECTIO V.

Nu.121. QVapropter quidquid aliqui contradixerint (de quibus Vgolinus tab.1.cap.2.§.19.num.3.) non modo simplices Sacerdotes qui non habent subditos; sed nec Parochi iure communi excommunicare possunt. Hoc expresè docent tum Panormit. ad cap. Cùm contingat De foro compet. num. 30. & ad cap. Si Sacerdos De offic. Ordin. num.10. aliíque ab Vgolino ibidem citati: tum etiam Palud. & Nauar. locis antè citatis, & D. Anton.3. par. tit.24. cap. 75. ac Sotus lib.10. de iust. & iure, quæst. 1. art.3. Vbi admonet iam non esse in vsu, quod D. Thomas dixit Parochis concessum esse à iure communi, vt propter furtum & rapinam excommunicare possint. Immo iam prohibitum esse intelligitur ex Concil. Trident. sess.25. cap.3. De reform.

Dixi *de iure communi*, quia negandum non est, quin vt D. Anton. notat, ex speciali iure & priuilegio; aut consuetudine præscripta (quod etiam Nauar. monet *in cit. num.5.*) possint excommunicare tanquam Vicarij Episcopi, qui vbique esse non potest. Quod verò ipsi Parochi excommunicare non valeant ex officio, hinc patet: quia etsi iurisdictionem in suos subditos habeant quoad forum conscientiæ: non habent tamen quoad forum iudiciale: cùm iidem subditi nequeant coram illis conueniri in causis contentiosis, hoc est, licet Parochi in foro exteriori, possint inter aliquos iudicare tanquam arbitri ab ipsis electi: non tamen tanquam Iudices Ecclesiastici; qui non solùm habeant curam animarum; sed etiam causarum cognitionem, & decisionem per quam actori reddant ius, de reo coram se canonicè conuento. Accedit quòd ex iure communi (vt Vgolinus *in cit.§.19. nu.5.* bene docet) munera Parochi sint. Primò Sacramenta suis Parochianis administrare. Secundò, iisdem Missæ sacrum diebus saltem festis facere, & ad illud eos de more vocare. Tertiò, festis præsertim diebus, illos ad Christianas virtutes amplectendas incitare, & à vitiis deterrere. Quartò, festis item diebus, Christianæ fidei rudimenta pueris tradere, Christianísque moribus imbuere. Quintò, decimas aliásque oblationes percipere. Sextò, sepulturæ, vt onera ferre; sic emolumenta ac ius consequi. Ad quæ officia exequenda, non est necessaria iurisdictio alia, quàm foris interiori.

Nu.122. Quod si obiiciat aliquis ex cap. Si Sacerdos, De offic. Ordin. quòd Sacerdos authorem damni, etiamsi is illi confessus sit, excommunicare possit (ita tamen vt non violetur Sacramentale sigillum de quo dictum est in præced. lib.3.) si ille cui damnum illatum est petierit iustitiam. Respondendum est, illic *interprete Panormitano*, nomine Sacerdotis significari habentem ordinariam iurisdictionem. Quo item modo respondendum est ad illud, quod in cap. Cùm ab Ecclesiarum eod. tit. potestas excommunicandi tribuitur Plebano: nempe, *glosa interprete*, illic esse sermonem de eo plebano, qui habet iurisdictionem in foro contentioso. Atque hæc de sæcularibus.

Qui ex regularibus validè excommunicare possint.

SECTIO VI.

QVod attinet ad regulares, Palud. *in 4. dist. n.18. quæst.2. art.1.* statuit Abbatem, quia per electionem institutus est iudex suorum monachorum, habere potestatem hos excommunicandi, etiam ante ipsius benedictionem, dummodo confirmatus sit. Nu.123.
Assentiuntur ei D. Anton.3. par. tit.24. cap.75. Syluester excommunicatio 1. num. 5. & Nauar. cap.27. num. 5. Vgolinus tab.1. cap.2. §.20. num.11: atque a recentioribus communiter notatur, per cap. Transmissam De elect. vbi definitur electum confirmatum exercere posse ea quæ sunt iurisdictionis. Idemque vult Palud. sentiendum esse de Priore conuentuali instituto per electionem, ex cap. Cùm in Ecclesiis, De maiorit. & obed. Immo & de eo, qui cùm per electionem constitui soleat, institutus est tamen per prouisionem Superioris: non item de Priore claustrali, qui sine electione constituitur ab Abbate. Is enim habet tantùm authoritatem quam illi vt delegato suo, Abbas committit: Mortuo tamen Abbate (inquit Palud.) idem Prior vicem illius gerit: similitérque mortuo Priore instituto per electionem: Superior qui tunc præest conuentui vicem gerit ipsius: Qui vterque proinde potest iure suo excommunicare, sicut Canonicorum capitulum potest Sede vacāte vicem Episcopi mortui gerere in spiritualibus iuxta cap. Cùm olim De maiorit. & Obed. Atque istud quod de Abbatib. & Priorib. dicitur, est pari ratione accommodādum ad Superiores quarumuis Religiosarum familiarum; nisi institutio ipsarum aliud ferat. Sic enim, vt pluribus in margine citatis habet Henriquez in sua summa, lib.13. cap.24. §.3. in illis quæ exemptæ sunt à iurisdictione Episcopi; non modo Generalis & Prouincialis, sed etiam Prior, aut Guardianus, vel Rector habet ex officio potestatem excommunicandi. Et ratio esse potest, quòd tam horum quàm illorum externa gubernatio vt efficax sit, requirat tale adiumentum, tanquam neruum Ecclesiasticæ disciplinæ: & ad continendos in officio subditos valde salutare; ex Concil. Trident. sess.25. cap.3. De reformat.

De iis qui excommunicare possunt validè tanquam delegati.

SECTIO VII.

PRæter ordinarios Iudices Ecclesiasticos, de quibus hactenus; ipsorum delegati excommunicare possunt ex cap. Præterea De offic. delegati. Id quod pro communiter recepta sententia proponit Couar. ad cap. Alma mater 1. par.§.11. num.1. in fine, & post ipsum Vgolinus de censuris tab.1. cap.7, in principio, citans adhuc pro ea alios canones. Intelligendum est autem cum restrictione ad ea quæ commissa sunt ipsis: & non extra illa, iuxta Palud. *in cit. art.1. concl.11.* Item dummodo is qui illos delegauit adhuc sit in viuis, nec ab officio amotus sit; aut alia ratione iurisdictionem amiserit; ex cap. Gratum, De offic. delegati. Nam aliàs non potest iure procedere, nisi in negotio cœpto per citationem, per quam iurisdictio continuatur, prout communem sententiam esse habet ex Iasone Vgolinus *tab.1. cap.7.§.1. num.5:* Addens ex Felino communem quoque sententiam esse, quòd talis citatio, non prosit, nec confirmet iurisdictionem in aliis causis, non connexis cum ea quæ per citationem cœpta fuit. Nu.124.

Aduerte autem primò, ex Sylu. in verbo Delegatus num.1. Delegatum hîc intelligi tantùm eum, cui ab Ordinario causa cognoscenda & decidenda com- Nu.125.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mittitur. Neque enim ille cui nudum ministerium delegatur; potest excommunicationē ferre, nisi fortè id speciatim sit ei cōmissum (*quo casu posse validè excommunicare Vgolinus in sequen. nu. 7. ait communem consensum esse*) quia punitio per excommunicationem requirit causæ cognitionem quæ nō est ei commissa: demandata enim executione nuda, non censetur cōmissa causæ cognitio, iuxta legem Executorem Cod. De executione rei iudicatæ.

Aduerte secundò, ex eodem Sylu. ibidem num. 2. quemlibet Ordinarium qui excommunicare potest, posse habere delegatum: quia illud quod est iurisdictionis, potest alteri cōmitti: nisi quis habeat, *eo modo quo postea dubio 2. exponetur*, impeditum iurisdictionis suæ vsum: de qua re Vgolinus tab. 1. cap. 4. §. quarto num. quinto. Addens in seq. num. 7. delegante post delegationem incidente in excommunicationem, aut officij suspensionem, ac denuntiato: delegatum amittere iurisdictionis vsum: excepto quòd prius cœptam causæ cognitionem sibi commissam prosequi possit, prout iam ante insinuauimus.

Aduerte tertiò ex Palud. *in seq. art. 2.* solum delegatum Papæ posse subdelegatum, id est, à se rursus delegatum habere. De quo idipsum, quod proximè dictum est de amissione iurisdictionis in aliis delegatis, esse dicendum patet ex cap. finali. De officio Legati.

Aduerte quartò, quod Palud. consequenter addit, visitatorem missum non solum ad simplicem enquestam (vt ipse loquitur) faciendam, & referendam: sed etiam ad corrigendum & puniendūm: posse excommunicare. Nec refert, *inquit ille*, quòd Prior clausstralis punire & corrigere possit, non autem excommunicare; quia præsentem habet Abbatem qui id potest.

Aduerte quintò Officiales Episcopi magis iure ipsius, quàm suo proprio, excommunicare posse: vt deduci potest ex cap. Romana De appellationibus in 6. vbi habetur Episcoporum & suorum Officialium vnum & idem consistorium siue auditorium esse censendum.

Pars altera capitis in qua tractantur dubia quædam de eo qui excommunicare potest.

Nu. 126. PRIMVM DVBIVM EST, An sufficientem iurisdictionem aliàs habens, si irretiatur maiore excōmunicatione, possit valide excommunicare. Cui occurrendum est distinctione: vel enim est de numero eorum excommunicatorum qui vitandi sunt; & tunc certum est ex cap. Audiuimus 24. quęst. 1. excommunicationis sententiam ab ipso latam, nullius momēti esse. Et ratio est, quia priuatur vsu potestatis iudicandi; per cap. Exceptionem De exceptionibus: vbi sub finem dicitur, excommunicatum publicè, ab officio Iudicis repellendum esse: & per cap. Ad probandum, de sentent. & re iudicata: vbi dicitur, sententiam latam per publicè innodatum vinculo excommunicationis infirmandam, id est, *interprete glosa*, nullam esse. Vel est de numero eorum excommunicatorum quos non tenemur vitare, quia Ecclesia illos ad huc tolerat: sicque dubitatur, an ab ipso lata excommunicationis sententia sit valida. De qua re in vtramque partem authores proponit Conarr. ad cap. Alma mater 1. *part.* §. 11. *num.* 4. post Felinum ad cit. cap. Ad probandum nu. 7. Vbi fundamēta eorum qui inualidam esse dixerunt, refert istud: quòd publicè excommunicatus, cùm sit extra Ecclesiam, non possit ab ea alium ejicere. Aliorum verò fundamentum esse: quòd excommunicatus toleratus ab Ecclesia nō priuetur vsu publici officij (quod nec contrariæ sentētiæ propugnatores negant: nisi quòd in excommunicatione peculiarem rationem esse velint) itaut teneant illa, quæ ab ipso geruntur, quatenus publicam habet authoritatem. Quare tenebit etiam validáque erit excommunicatio ab ipso lata: præsertim cùm sententia excommunicationis, inquit Felinus, facilius penetret, id est, facilius robur suum obtineat, effectumque sortiatur, quàm aliæ pœnæ: siquidem ex cap. Pastoralis De appellat. sub finem, excommunicatio secum trahit suam executionem: adeout, *ex glosa ibidem*, vel statim liget vel statim nulla sit. Neque refert, quòd excommunicatus, etiam occultus, extra Ecclesiam sit: nam vt rectè ait idem Felinus, quod quis validè excommunicet, dignitas facit non persona. Excommunicatus autem occultus in officij dignitate & vsu toleratur.

Hanc sententiam memorati authores sequuntur, & recentiores communiter. Quam quoad hæreticum, restringendam esse significat Alfonsus à Castro *libro 2. de iusta hæreticorum punit.* in cap. 23. & 24. contendens Papam & cæteros Episcopos per hæresim amittere iurisdictionem: vnde consequens est latam ab ipsis excommunicationem, esse nullam. Sed probabilior est sententia Caiet. *tract. 1. De authoritate Papæ cap. 19.* & Soti *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2.* existimantium Papam, si fieret hæreticus similitérque cæteros Episcopos eādem labe infectos, quandiu ab Ecclesia tolerantur, retinere suam iurisdictionem: idcóque debitè latam ab ipsis excommunicationem esse validam. Id quod deducitur ex cap. Ad probandum §. Præsenti De hæreticis. Cuius verba sunt, Præsenti nihilominus ordinatione sancimus, vt quicumque manifestè fuerit in hæresi deprehensus; si Clericus sit, vel cuiusliber religionis obumbratione fucatus, totius Ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur, & sic omni officio spoliatus Ecclesiastico, sæcularis relinquatur potestatis animaduersione debita puniendus. Hæc enim exprimunt tantùm ferendam, non autem latam sententiam vt constat ex eo, quòd verbum, *nudetur*, sit futuri temporis; cui nec additur ipso facto, vel ipso iure, nec aliud quo lata sententia significetur. Priuationem ergo officij non incurrit hæreticus ipso facto: sed postquam ad illam fuerit per Iudicem condemnatus. Accedit quòd ratio ob quam valida censentur gesta per excommunicatum toleratum: (nempe quod magna oriretur in Ecclesia perturbatio, si in dubium esset reuocandum ius eorum, quibus à tali excommunicato, officium aut beneficium Ecclesiasticum est datum) perinde locum habeat in hæretico tolerato, ac in cæteris excommunicatis toleratis.

Nu. 127.

Nu. 128. SECVNDVM DVBIVM EST. An vt ab excommunicato, sic ab irregulari lata excommunicatio sit inualida. Ad quod respondet Richard. *in 4. dist. 18. art. 4. quæst. 4.* habentem aliàs sufficiētem iurisdictionem si fiat irregularis, ferre validam excōmunicationem. Ratio est, quia irregularitas ex se non adimit iurisdictionis vsum, sed tantummodo vsum Ordinum aut habilitatem ad eosdem suscipiendos vt suo loco exponetur lib. 30. tract. 2. Ad ferendam autem validè excommunicationem, nihil amplius requiritur ex parte ferentis, quàm iurisdictio sufficiens, & illius vsus non impeditus.

Nu. 129. Quod impedimentum, cum Vgolino (*De censuris tab. 1. cap. 2. §. 23.*) nota nasci posse ex his. Primò, ex eo quod Prælatus sit excommunicatus, nominatim denuntiatus: tūc enim nec ipse, iuxta antedicta, nec Vicarius ipsius, ex cap. 1. De offic. Vicarij *in 6.* excommu

excommunicare potest. Quod idem de eodem Vicario dicendum est, si Prælatus cuius vices gerit captus sit à paganis vel schismaticis; tunc enim iurisdictio dęvoluitur ad Capitulum, perir de ac ipso mortuo; ex cap. 3. De supplenda Prælatorum negligentia in 6. Idem autem quod de excommunicato nominatim denuntiato, esse dicendum de suspenso ab officio, communiter receptum esse addit ex Panormit. Vgolinus *ibidem num. 8.* Præterea nasci posse ex eo, quòd Superior, prohibendi potestatem habens, ipsi omnino prohibuit ne iurisdictionem exerceat, aut ne excommunicet; sique contra faciat, id pro infecto haberi velit. Ad quod facit cap. Quia plerique De offic. Ordin. in 6. iuncta glosa, verbo Sententiis. Nasci tertiò posse ex eo, quòd à Iudice antequam excommunicationis sententiam proferret, appellatum sit ad Superiorem. Tali enim appellatione, vsus iurisdictionis ita suspenditur in Iudice, vt si contra conetur nulla sit sententia. Id quod Vgolinus *in seq. num. 9.* canonum & Canonistarum authoritate confirmat: sed in eo tanquam spectante ad forum externum, nihil opus est non immorari. Denique iuxta communiter receptam, *vt idem num. 10. addit*, sententiam nasci posse ex eo, quòd is in quem Iudex vult ferre sententiam, ipsum recusauerit. Id quod, sicut præcedens, ad forum externum pertinet.

Nu. 130. TERTIVM DVBIVM EST, quale peccatum committat is qui sciens aut scire debens se non posse excommunicare, nihilominus excōmunicat. Ad quod Nauarr. in Enchir. *cap. 27. nu. 8.* respondet peccare mortaliter: quia vsurpat alienam iurisdictionem aut eius vsum; quod peccatum est mortale iuxta D. Tho. *2. 2. quæst. 60. art. 6.* Itaut sibi cauere debeant nonnulli Parochi, qui absque iurisdictione ferunt in suos subditos sententiam excommunicationis. Neque enim eos excusat quod obtendunt se comminatoriam tantùm ferre ad ipsos terrendos absque intentione excommunicandi: nam plerique id ignorant, & conscientiâ erroneâ laborantes, eam quam putant veram excommunicationem patui pendentes peccant: in quod discrimen coniicere ipsos, peccatum est graue; vt rectè monet *Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 2. col. 7.*

Nu. 131. QVARTVM DVBIVM, QVOD OLIM PROPONEBATVR. An Ecclesiastici Iudices in vsu potestatis excommunicandi pendeant à potestate laica: nunc temporis nullum habet locum: quia omnem de ea re dubitandi occasionam Concil. Trident. sustulit sess. 25. cap. 3. De reform. cùm præcipit, ne Episcopus ad excommunicationes concedēdas cuiusuis sæcularis, etiam magistratus, authoritate adducatur: sed totum in eius arbitrio & conscientiâ, sit positum, quando ipse pro re, loco, personâ, aut tempore decernendas esse iudicauerit. Item postea versus finem capitis habetur, nefas esse sæculari cuilibet magistratui prohibere Ecclesiastico Iudici ne quem excommunicet: aut mandare vt latam excommunicationem reuocet: sub prætextu quòd obseruata non sint contenta in eo decreto Concilij: putà quòd pro re leui, nec sufficiente monitione præmissa lata sit. Non enim ad laicos sed ad Ecclesiasticos talis cognitio pertinet.

Nu. 132. Quā tamen Concilij definitione non obstante Nauarr. in lib. 5. Consiliorum *tit. De excom. consil. 1.* à peccato excusat quod pluribus in lo[illegible] magistratu non permittuntur laici sæcu[illegible] culari foro renuntiare, & se Ecclesiastico subiicere: confitendo debitum, séque obligando ad soluendum illud in certum diem: suscepto sponte Iudicis præcepto, vt promissionem impleant sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Nam licet per hoc, impedimentum aliquod vsui excommunicationis ponatur: non ideo tamen ipsum esse censendum illicitum: inde probat idem Nauarrus, quòd ex permissione talis renuntiationis & submissionis, fraus fieret iurisdictioni laicorum: siquidem omnes ferè contractuum ciuilium causæ referrentur ad curiam Ecclesiasticam, curiā illorum desertā: quod ālienum est à ratione, vt patet: quia Ecclesia quæ cultrix est iustitiæ non debet cum aliena iactura locupletari. Adde nec eam velle vt iurisdictio laica fraudem patiatur, neque intendere iurisdictioni Regum præiudicare ex cap. Nouit De iudiciis. Hæc Nauarr. quæ saluo semper Superiorum sanctorum iudicio accipienda esse vult, & nos cum eo velle debemus.

CAPVT VIII.

De eo in quem excommunicatio validè ferri potest.

SVMMARIVM.

133 *Angeli excommunicari non possunt, non modo boni, sed nec mali.*
134 *Nec item possunt bestiæ.*
135 *Nec homines non baptizati, etiamsi catechumeni sint, seu ad fidem conuersi.*
136 *Nec homines vita functi.*
137 *Obiectio de hæreticis post mortem anathematizatis, cum solutione.*
138 *Vniuersitatem excommunicari non posse.*
139 *Possunt tamen qui sunt de vniuersitate, & qua ratione.*
140 *Non modo iniusta sed etiam inualida est excommunicatio lata in vniuersitatem. Et quod nemo à seipso, aut à pari aut ab inferiori possit excommunicari.*
141 *Papa excommunicari non potest, nec Archiepiscopus à suo Suffraganeo.*
142 *Episcopus non ligatur excommunicatione à se lata: illius tamen occasione incurrere potest in latam aduersus eos qui cum excommunicatis communicant in crimine criminoso.*
143 *Episcopus excommunicari potest à suo Metropolitano non item subditi ipsius, exceptis Officialibus, cum peccant in executione officij, quod gerunt vice eiusdem Episcopi.*
144 *Quis possit excommunicari, & quibus modis contingere possit, aliquem esse excommunicatū subditum.*
145 *Idem subditus potest à suo Superiore pluribus excommunicationibus ligari, etiam ob idem peccatum.*
146 *Excommunicatio lata per statutum Episcopi, non incurritur ab ipsius subditis delinquentibus extra territorium.*
147 *Limitatio cum qua id accipiendum est.*
148 *Quomodo possit, aut non possit Episcopus ligare subditum suum existentem extra territorium ipsius.*
149 *Excommunicari potest absens.*
150 *Committens delictum in alieno territorio in quo propter illud imposita est excommunicatio, in eam incurrit.*
151 *Huius extensio & limitatio.*
153 *Quando excommunicationem latam per modum sententiæ hominis incurrant non subditi committentes delictum propter quod lata est.*
154 *Committens delictum in loco exempto à iurisdictione Episcopi, non incurrit in excommunicationem ab hoc propter illud latam.*
155 *Quomodo possit aut non possit quis excommunicari ab Episcopo proprio existente extra suam diœcesim.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Hoc caput sicut præcedens bipartitum erit, In priore parte tradetur explicatio rei propositæ, & in posteriore tractabuntur aliquot dubia ad eam spectantia.

PRIOR PARS CAPITIS.

In qua traditur explicatio rei propositæ.

Ad rei propositæ explicationem supponenda sunt duo. Alterum, quòd is solus excommunicari possit, qui est capax bonorum quibus excommunicatio priuat; nam excommunicatio est quædam priuatio, & omnis priuatio est negatio formæ in subiecto illius capaci. Alterum, excommunicationem cùm sit actus iurisdictionis, non nisi in subditum posse ferri: itaut nequeat non subditus excommunicari, prout receptam sententiam esse aliquot in eam citatis testatur Vgolinus *De censuris tab.1.cap.2.§.11.num.1.& 2.* Vbi ad confirmationem inducit capitulum Conquerente & cap. Dilectus iuncta glosa De offic. Ordinarij, & cap. A nobis 1. & cap. Sacro De sentent. excommunic. & cap.1. & cap. Romana §. Porro, eodem tit. in 6. & cap. finale De Constitut. eod. lib.

Nec *Angelum, nec bestiam, nec hominem non baptizatum excommunicari posse.*

Sectio I.

Nu.133. Ex quibus fundamentis infertur primò, Angelum bonum excommunicari non posse: quia nec est capax Sacramentorum, aliorúmque bonorum quibus excommunicatio priuat, nec vlli homini subditur: vt patet ex verbis Domini Matth.11. Amen dico vobis, non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista. Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo. Item ex Psal.8. & ex cap.2. epist. ad Hebr. vbi Deus dicitur hominem minorasse paulominus ab Angelis.

Infertur secundò, neque diabolum excommunicari posse, quod Nauarr. expressit in Enchir. cap. 27. num.13. Nam & ipse est Angelus licet malus, bonorum quibus excommunicatio priuat minimè capax Neque est quod quis obiiciat anathematizationes, quibus exorcismorum libelli sunt pleni. Nam eæ sunt imprecationes & detestationes, quibus id nomen accommodatur, sicut Marci 14. cùm de Petro dicitur Cœpit anathematizare: &c. quem constant tunc vsurpasse, non quidem excommunicationes de quibus agimus, sed imprecationes & detestationes. Eas autem diuersas esse ab excommunicatione, inde constat apertè, quòd illas exercere possit exorcista, qui ex tali officio non habet iurisdictionem necessariam ad ferendam excommunicationem. Adde quòd excommunicatio feratur ad deducendum contumacem à sua contumacia. Dæmon autem sit obstinatus in sua.

Nu.134. Infertur tertiò, neque bestias (quod etiam loco cit. expressit Nauarr.) excommunicari posse. Nam constat prædictorum bonorum eas minimè capaces esse. Quanquam vt idem ait, aduersus locustas brachos & alia eiusmodi vermium genera, religiosè vti possumus aquâ benedictâ, precibus, & adiurationibus sanctis, fundatis in diuina bonitate, & misericordia, ac sanctissimis verbis ipsius, institutionéque Ecclesiæ Catholicæ. In quibus precibus & adiurationibus verba non sunt referenda ad bestias ipsas, sed vel ad Deum, vt dignetur misericorditer tale incommodum auertere: vel tanquam exorcismi, ad dæmones, vt Dei virtute cessent nobis esse infesti De qua re Vgolinus tab.1.cap.17. in principio, num.2.

Infertur quartò, nullum Paganum, Turcam, aut Iudæum excommunicari posse: quod exprese tradût D.Anton.3.part.tit.24.cap.75.§.1.& Sylu. excommunicatio 1.num.7. multique alij quos commemorat Vgolinus in eod.cap.17.§.5.num.2. Et patet ex cap. Multi 2.quæst.1. vndè habetur correctionem Ecclesiasticam quæ per excommunicationem fit, esse eorum qui ad Ecclesiam pertinent, non autem eorum qui foris sunt: iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 5. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri si is qui frater nominatur, est fornicator aut auarus &c. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare? Et ratio in promptu est: quia nequeunt priuari participatione Sacramētorum ad quam nunquam fuerunt admissi, nec vt tales admitti possunt iuxta cap. Veniens De presbytero non baptizato. Quæ ratio sufficit ad demonstrandum ne catechumenos quidem seu conuersos ad fidem (etiamsi aliqua ratione subiiciantur ditioni Ecclesiæ) excommunicari posse: quod in cit. num.13. expressit Nauarr. Vnde licet inferre, quòd etiamsi detur, *quod contendit Alphonsus à Castro in lib. 1. De iust. hæretic. punitione. cap.8.* Catechumenum fide imbutum, si antequam baptizetur in aliqua hæresim incidat, censendum esse hæreticum: non debere tamen censeri incurrisse excommunicationem bullæ Cœnę Domini, latā in hæreticos. Cęterùm hoc quod dicitur non posse Paganos, Turcas, Iudæos, & Catechumenos excommunicari, non est, prout D. Anton. & Sylu. locis cit. aliisque ab Vgolino in seq. nu.4. relati admonent, extendendum ad priuationem externæ communionis fidelium. Nam Ecclesia potest illos indirectè eâ priuare: nimirum prohibendo fidelibus, ne cum illis conuersentur.

Nu.136. Infertur quintò, hominem mortuum excommunicari non posse: quod non modo Theologos omnes sed etiam iuris canonici peritos tenere admonent Couarr. ad cap. Alma mater *1.part.§.11.num.8.* & Alfonsus à Castro *in lib.2. de iusta hæretic. punitione cap.19.* Qui bonam rationem addit: quia potestas iurisdictionis ad excommunicandum, Prælatis Ecclesiæ cōcessa est tantùm in eos qui sunt super terram, hoc est, qui adhuc vitam in hoc mundo agunt: non autem in eos qui vita functi, supra aut infra terram sunt. Nāque concessa est à Christo illis verbis Matt.18. Quæcumque alligaueritis super terram erunt ligata & in cœlo Atque concessa; in eum qui semel & iterum à fratre, & tertiò à Prælato correptus, emendari recusat, tanquam contumax & rebellis: prout patet ex eod.cap.18. in illis verbis Si te non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit sit tibi tanquā ethnicus, & publicanus.] At verò mortuus, cùm non possit à fratre, aut ab Ecclesia moneri, non potest censeri contumax & rebellis Ecclesiæ. Quare nec potest excommunicari congruenter Christi institutioni: adeout is, qui dedit alicui mandatum de Clerico occidendo, si è vita decedat antequam facinus, [illegible] mandatum cōmittatur, non sit cēsendus excomm[illegible]atus: etiamsi contingat illud committi; ipso vita iam functo. Ita nota glosa ad cap. Mulieres, De sentent. excommunic. §. Illi verò, verbo Authoritate.

Nu.137. Sed contra obiici potest, à sanctis Patribus, non modo viuentes: sed etiam mortuos hæreticos fuisse anathematizatos: vt in sexto synodo actione vltima, Theodo

Theodorum, Sergium, Pyrrhum & quosdam alios qui erant mortui: & in Concil. Constantiensi sess. 8. Ioannem Vviclef iam defunctum. Adde in ca. Si quis De hæreticis præcipi vt anathema dicatur Episcopo mortuo, qui hæreticum aut paganum hæredem instituerit. Cui obiectioni respondet Alphonsus in postrema parte citati cap.19. per sententiam qua post mortem damnantur hæretici, hos non excommunicari tunc primò, quia per mortem extra iudicium hominum constituuntur: sed declarari hanc vel illam hæresim pertinaci animo fuisse amplexatos, & per consequens fuisse excommunicatos. Episcopum autem, eoquod hæredem instituit hæreticum aut paganum, præsumi hæreticum: vt ad cit. cap. Si quis notat Panorm. ideóque declarari esse pro excommunicato habendum Quæ tamen sententia ex eo; quòd solùm sit declaratoria non est putanda parui momēti esse, aut frustra ferri. Nam etsi in nullo liget defunctorum animas, effectum tamen habet quoad multa quæ in hac vita illos attingunt. Etenim per huiusmodi declarationem bona ipsorum confiscantur; iuxta cap. Accusatus §. In eo, De hæret. in 6. Deinde filij ipsorum contrahunt infamiam iuris (de qua te plura idem Alphonsus in præced. ca.9.) neque admittuntur ad beneficium Ecclesiasticum aut publicum officium vsque ad 2. generationem: quodque secus actum fuerit, irritum manéque est; iuxta cap. Statutum 2. De hæret. in 6. Præterea corpora ipsorum cognoscuntur indigna esse Ecclesiasticâ sepulturâ: itaut sepulta in loco sacro inde proiicienda sint, si ab aliis corporibus internosci possint: iuxta cap. Sacris. De sepult. vt corpus Ioannis Vviclef proiiciendum præcepit Concil. Constantiense in cit. sess. 8. Quocirca licet ea, quæ propriè est excommunicatio, ferri non possit in mortuum: potest tamē impropria quædam in eum decerni; etsi enim quoad animam separatus est omnino à iudicio Ecclesiæ: tamē quoad corpus & ea quæ ad illud attinere possunt, adhuc Ecclesiæ subiicitur. Qua de re videri potest Vgolinus in memorato cap.17.§.2.

Nec *vniuersitatem, nec quemquam à se aut ab æquali, aut ab inferiori, excommunicari posse.*

Sectio II.

Nu.138. Infertur sextò, vniuersitatem seu communitatem excommunicari non posse: quod per cap. Si habes 24. quæst.3. cum D. Thoma in 4. distinct. 8. quæst. 2. art.3. quæstiun.2. tenent Doctores quorum meminit Vgolinus in tab.2. de censuris cap.26. in principio num.4. Et ratione confirmatur; quia si vniuersitas sumatur vt abstractum quoddam, in quo multi communicant, non est subiectum capax communicationis; à qua excommunicatio excludit. Nā talis communicatio est in actibus, qui tantùm sunt singularium; non autem vniuersorum, & abstractorum. Súpta autem vniuersitas collectiuè pro omnibus iis personis ex quibus ipsa constituitur, excommunicari prohibetur in cap. Romana §. In vniuersitatem De sentent. excommunicationis in 6. vbi prohibitionis ratio redditur, quòd nonnunquam contingeret innoxios tali sententiâ irretiri. Nam demus aliquid mādatum esse alicui Capitulo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; id est, quod si non fiat, omnes & singuli qui de illo sunt, in excommunicationem incurrant. Maiorem verò illius partem nolle obedire, reliquis maximè volentibus; oporteret hos qui innocentes essent, pœnæ excommunicationis subiici: quod absurdum est.

Nu.139. Aliud esset autem, si aliquid ita præciperetur vniuersitati, vt quicumque de ea non obtemperaret tali præcepto, excommunicationem incurreret; nam habetur ex cit. §. In vniuersitatem: in eos de collegio vel vniuersitate quos culpabiles esse constiterit promulgandam esse excommunicationem, non autem in ipsam vniuersitatem. Eamque communem sententiam esse Vgolinus notat *in cit. cap.26.§.4.* Addens ad eam promulgationem non esse opus noua singulorum præmonitione in particulari, cùm præfatum ius requirat tantùm vt constiterit culpabiles esse. Procedere autem propositam illationem, etiamsi omnes de vniuersitate fuerint contumaces, probatur ex eo, quòd in dicto §. In vniuersitatem, Papa prohibeat penitus, ne excommunicatio feratur in vniuersitatem. Nam penitus, idem est ac omnino, & in nullo casu. Itaque licet omnes de collegio sint contumaces non debent tamen excommunicari tanquā omnes. v.g. dicendo Excommunico omnes de tali collegio; sed tanquam singuli v.g. dicendo Vnumquemque de tali collegio qui mihi non vult obedire excommunico.

Nu.140. Sed quæret aliquis, An si feratur sententia excommunicationis in vniuersitatem, valida sit etiamsi iniusta. Cui respondendum est ex Palud. & Richardo in 4. distin. 18. *ex illo quidem qu.2. art. penult. & ex hoc art.5. quæst.3.* esse inualidam: tum quia continet intolerabilem errorem, vtpote quæ ad aliquos culpa carentes extendi potest, tum quia prohibetur à iure ad vitandum animarum periculum, quod inde sequi potest, prout in eod. §. exprimitur. Cui periculo non esset satis prouisum, nisi ius ipsum illam redderet irritam: sicut reddere, particula *penitus prohibemus* in eodem §. posita, non obscurè indicat.

In fertur septimò, neminem à seipso vel ab æquali vel ab inferiori posse excommunicari. Quam esse communem sententiam authoribus in eam citatis notat Vgolinus *De censuris tab.1.cap.2.§.6.num.2.* Intelligenda est autem siue sermo sit de excommunicatione ab homine, siue de excommunicatione à iure, quia vtriusque par est ratio. Iam quod ex antepositis fundamentis eadem sententia inferatur, patet: quia nemo est sibi subditus cùm non possit sibi iubere, aut prohibere aliquid: ex leg. Si de re sua. Cod. De receptis arbitris, & multo minus seipsum inuitum cogere, vt fit per excommunicationem, quæ actus est iurisdictionis tanquam potestatis coactiuæ.

Deinde cùm par in parem non habeat imperium ex cap. Innotuit de elect. nec par parem potest excommunicare: cùm excommunicatio sit actus non modo imperantis, sed etiam inuitum cogentis Adhæc solum subditum sententia excommunicationis ligat ex cap. A nobis primo De sententia excommunic. & ideo nemo ab inferiori vt nec à pari, sed tantùm à superiori, potest quis ex communicari.

Sequitur autem ex proposita doctrina Papam non posse excommunicari. Nam cùm in Ecclesia non habeat superiorem, *vt nec in corpore humano, caput habet membrum superius,* non nisi vel à se vel à pari vel ab inferiori posset excommunicari. Vnde fit vt quantumcumque is committat peccatum, cui à iure annexa est excommunicatio, in illam tamen non incurrat: quia tale ius non fertur nisi ab ipsomet Papa, aut ab aliquo suo prædecessore, cui par est in authoritate & dignitate, aut ab inferiore. Nu.141.

Sequitur secundò, quòd Episcopus, *vtpote inferior,* non possit excommunicare Metropolitanum suum: & ideo

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ideo si hic in illius territorio committat peccatum, pro quo ibi ab Episcopo ipso lata est excommunicatio, eam non incurret. Neque enim inferior potest iudicio potiorem ligare ex cap. Inferior dist. 21. Id quod Sylvester expressit in verbo Excommunicatio primo num. octauo, aliquot alios citans in eamdem sententiam. Ersi non defuerint qui aliter sentirent, quorum idem meminit. Sed apertè refelluntur ex eo, quòd per iurisdictionem, sit quis superior eo, in quem illam habet tanquam Iudex eius.

Nu. 142. Sequitur tertiò, si Episcopus aut alius habens authoritatem, excommunicet omnes illos qui furtum aut aliquid aliud fecerint, ipsum non ligari quantumuis tale quid commiserit: id quod habet Nauar. *in Enchir. cap. 27. nu. 6.* citatis aliis in eamdem sententiam. Procedit autem in eo etiam, qui potestatem excommunicandi habet tantùm delegatam: prout aliis citatis notat Vgolinus *De censuris tab. 2. cap. 17. §. 6. num. 3.* Sed aduerte illud non obstare quominus ligetur Episcopus, qui excommunicationem decernit in omnes eos qui aleis luserint, si ludat cum eo, qui iam in illam incurrit: quia non ligatur quidem per sententiam à se latam, ligatur tamen per latam in cap. Nuper & in cap. Si concubinæ De sentent. excommunic. per quam excommunicantur communicantes cum excommunicatis in crimine criminoso, id est, pro quo excõmunicati sunt. Dixi, *qui illam iam ante incurrit*: quoniam si talis Episcopus luderet cum eo qui nondum lusisset non ligaretur; non quidem per sententiam à se latam, cui non subiicitur: nec per aliam antememoratã, quæ tãtùm fertur in eos qui in crimine criminoso communicant cum iis qui iam in excommunicationem incurrerunt, vt bene monet Caiet. in verbo Excommunicatio cap. 57. ideoque non ligat ante incursum excommunicationem, nec quo tempore primum incurritur, vt notat Nauar. *in sequen. num. 33.* Aduerte præterea cum eodem Nauar. in prius citato num. 6. si Episcopus tantùm sit denunciator excommunicationis latæ à Summo Pontifice, aut ab alio Superiore, id non impedire quominus in eam incurrat, si fecerit aut omiserit, id quod per illam prohibetur aut præcipitur.

Nu. 143. Sequitur quartò, posse Episcopum excommunicari à suo Metropolitano tanquam ipsius subditum: quod est expressum à Palud. *in 4. distinct. 18. quæst. 2. in 2. parte art. 1. conclus. 2.* Pro quo facit cap. Pastoralis, De offic. Ordin. vbi Episcopus dicitur esse subiectus suo Metropolitano, etiamsi hic in illius subditos nullam habeat potestatem: exceptis quibusdam articulis seu casibus: iis scilicet quos cõmemorat Sylu. in verbo Archiepiscopus num. 2. Admonet autem idem Palud. Metropolitanum non debere excommunicationis sententiam ferre in Episcopum suffraganeum suum; nisi prius suspensum & interdictum: quod deducit ex cap. Sane 2. De offic. deleg. Admonet etiam, vt Episcopum sic etiam Episcopi Officiales posse à Metropolitano excommunicari: & probat ex cap. Romana, De offic. Vicarij in 6. Quod intellige cum glosa ibidem, verbo Rationabili: quando illi peccant in iis quæ sunt sui officij, & iurisdictionis, quam vice Episcopi exercẽt. Nam in aliis non magis possunt ab Archiepiscopo puniri, quàm reliqui de subditis sui Suffraganei, vt ead. glosa annotat: & facilè potest deduci ex cap. Romana, De foro cõpetenti in Sexto. Quod verò nequeat Metropolitanus excommunicare subditos Suffraganei sui patet: quia excommunicatio actus est cuiusdam potestatis cogendi subditum: & ex citato cap. Pastoralis Metropolitanus nequit Suffraganei sui subditum cogere inuitum: cùm in eum, exceptis quibusdam casibus, nullam habeat potestatem.

Qui tandem sint qui excommunicari possunt.

Sectio III.

Nu. 144. RElinquitur ex hactẽnus habitis, illum qui excommunicari potest, esse hominem Baptismali charactere insignitum, nondum vita functum, determinatum, nec in aliquo confuso sumpto (vt cùm sub nomine communitatis sumitur) & excommunicanti subditum. Quod vltimum aduerte contingere posse primò, ratione domicilij, siue ex eo quod habeat quis domicilium, habiterque in territorio excommunicantis: nisi sit ab illius iurisdictione exemptus: vel priuilegium habeat vt excommunicari nequeat. Id quod declaratũ plenius videri potest apud Vgolinum *De censuris tab. 1. cap. 2. §. 12.* Vbi numero 11. aliis citatis bene notat, non posse valere priuilegium vt quis nequeat, ne quidem à Romano Pontifice excommunicari. Nam non modo alius, sed nec Papa potest tale priuilegium dare: quia vt is neminem à Dei potestate eximere potest: ita nec à sua: cùm in terris gerat Dei vices, vt habetur in cap. 2. de translat. Episcopi.

Contingere potest secundò, ratione originis, prout declarat Vgolinus in sequen. §. 13. Inquiens communem sententiam esse, quòd existens in loco suæ originis possit ibi excommunicari quantumcumque domicilium alibi habeat.

Contingere potest tertiò, ratione contractus vt idem quoque §. 14. consequenter declarat, docens eum qui in aliquo loco contractum, aut quasi contractum iniit, posse dum ibi est, quantumuis domicilium alibi habeat, excommunicari ab Episcopo eiusdem loci. Itemque dum ab illo abest, si cum adesset præmonitus sufficienter, inde discessit contumax.

Quartò, contingere potest ratione delicti, de qua re postea dicemus.

Quintò, contingere potest ratione rei quæ in territorio excommunicatoris sita est, vt idem author §. 16. declarat: docens eum qui conuenitur actione in rem, quæ sita est in alicuius territorio: si is ibi inueniatur; & antequam illinc discesserit, saltem citetur: résque illa sit immobilis, vel ibi perpetuò mansura: Eum, inquam, etiamsi domicilium alibi habeat, posse ab Episcopo loci excommunicari.

Postremò, potest contingere ratione voluntatis se subiiciendi alterius iurisdictioni: quod etiam Vgolinus declarat §. 17. docens parem à pari immo superiorem ab inferiori (excepto Papa) posse excommunicari, si iurisdictioni ipsius se subiiciat. Quod Clericus facere non potest sine licentia Episcopi sui; nec Episcopus sine licentia Archiepiscopi sui: neque exemptus sine licentia eius cui manet exempt us. De his tanquam spectantibus potissimum ad forum externum, nihil est necesse quòd agamus pluribus.

Nu. 145. Porro non modo vnã, sed & pluribus excommunicationibus potest subditus ligari: itavt iam excommunicatus possit iterum excommunicari; vt patet ex cap. Engeltrudam 3. quæst. 4. vbi Engeltruda dicitur sæpius anathemate percussa; & ex cap. Ita quorumdã De Iudæis, vbi præcipitur vt in ciuitatibus maritimis crebra & solemnis excommunicatio feratur in eos qui arma, fertum, & galearum lignamina deferunt ad Saracenos: & ex cap. Vnico De iis quæ vi, &c. in Sexto: vbi absolutio ab excommunicatione per vim extorta declaratur nulla: & noua excommunicatione irretitur is qui illam extorsit. Ratio etiã confirmat. Nam vt ille qui per peccatũ separatus est

est à Deo, potest adhuc per alia subsequentia peccata magis separari: ita & qui semel per excõmunicationem ab Ecclesiæ communione semotus est, potest per subsequentem longius se moueri: seu magis extra Ecclesiam detineri; ex glosa finali ad cit. cap Ita quorumdam

Ex qua adde: sublatã primâ excommunicatione, per secundam manere excommunicatum perinde obnoxium priuationi communionis fidelium ac priùs: itavt eidem communioni restitutus minimè censeatur, donec sit absolutus ab omnibus. Adde etiam ex Soto *in 4. distinct. 22. quæst. 2. art. 2. conclus. tertia*, non solùm propter nouum crimen, sed etiam propter vnum & idem (ad maiorem terrorem scilicet & confusionem) posse excommunicationem iterato in aliquem contumacem ferri: quia quamuis non sit aliud crimen; ipsa tamen obstinatione per quam indurescit quis, recrudescitque in eodem crimine, fit dignus acriori animaduersione.

Aduerte tamen ex Palud. *in 4. dist. 18. quæst. 2. sub finem*: quando plura iura decernunt excommunicationem pro eadem causa: vt v.g. pro violenta iniectione manuum in Clericum, sententiam videri vnam esse, qua ius posterius, declaratiuum est prioris. Vnde ob eiusmodi duplex ius, non incurritur duplex excommunicatio à iure.

POSTERIOR PARS CAPITIS.

In qua tractantur dubia quædam de re proposita.

Nu. 146. SVpersunt aliquot dubia, quorum explicatio requiritur ad plenam rei propositæ cognitionem.

Primvm est, An aliquis extra territorium ligetur excommunicatione generaliter lata per statutum sui Episcopi. Cui respondendum est negatiuè, cum authoribus quos refert & sequitur Couarr. ad cap. Alma mater 1. par. §. 10. num. 3. Non enim ligari manifestum est ex cap. Vt animarum, De constitut. in 6. vbi habetur per Episcopi statutum, quo excommunicantur omnes qui furtum fecerint, non ligari subditos ipsius committentes furtum in alia diœcesi: Subiicitúrque ratio: quia dicenti ius extra territorium impunè non paretur, ex lege fin. ff. de iurisdict. omnium iudicum. Immo vt ibidem authoribus citatis addit Couar. si Episcopus de facto intendat statuto suo ligare excommunicatione subditos suos delinquentes in aliena diœcesi, non ideo ligabuntur. Ratio est, quòd memoratum cap. Vt animarum, causam cur statutum Episcopi non liget extra territoriũ, constituat non in defectu intẽtionis ligandi: sed in defectu potestatis significato per illa verba, *Dicenti ius extra territorium impunè non paretur.*

Nu. 147. Verumtamen Angelus Excommunicatio 1. & Sylvester Excommunicatio 2. *ille num. 10. & hic num. 8.* aliquos casus notant in quibus istud fallit. Atque in genere statuunt, ad idipsum requiri non tantùm vt delinquens, sed etiam vt res circa quam delinquitur, & delictum totaliter sint extra territorium. Nam si quis Episcopus per statutum excommunicet omnes Curatos, exempli gratia, sibi subditos, non residentes: qui talis est, etiam constitutus extra territorium, nisi iustam excusationis causam habeat, in excommunicationem incurrit: quia delinquit circa rem quæ est in eiusdem Episcopi territorio. Similiter si per statutum excommunicet eosdem, qui non conuenerint ad Synodum; ille qui contemnit adesse, quantumuis sit extra territorium incurrit in excommunicationem: quia censetur in territorio delinquere. Nam delictum omissionis ibi committi reputatur, vbi id quod omissum est debuit executioni mandari. Notat etiam idem Sylu. *in seq. num. 15.* & ante eum D. Anton. 3. *par. tit. 24. cap. 7 5. §. 1. sub finem.* subditos Religiosos vbicumque locorum fuerint, Prælatorum suorum sententiis ligari, ac teneri obedire. Rationémque reddunt, quia totus mundus est eis pro territorio.

Nu. 148. Secvndvm dvbivm est. An Episcopus subditum suum extra suum territorium possit ligare excommunicatione ab homine, si non potest excommunicatione à iure. Cui Angelus, & Sylvest. ibidem: *ille num. 11. & hic num. 10.* respondent distinctione: inquientes excommunicationem si generaliter feratur pro culpa præterita (ad habendam scilicet emendationem & satisfactionem) vt si dicat Episcopus Excommunico omnes qui sacrilegium commiserũt: tunc ligare subditum etiam existentem extra territorium, si in territorio (non item si extra) sacrilegium commiserit. Itémque si excommunicatio specialiter, nominatimve feratur in aliquem pro culpa præterita; eã ligare ipsum, etiamsi extra territorium deliquerit & existat. Nam Episcopus subditum apud se accusatum de crimine, quod extra territorium commisit, potest compellere ad comparendum coram se; sique nolit obedire, potest ipsum etiam extra territorium existentem, excommunicare: saltem ratione inobedientiæ, quæ censetur committi in territorio, vbi obedire tenetur: itaut pro illa; sicut pro alio crimine commisso in suo territorio, Episcopus possit ipsum excommunicare. Sin autem excommunicatio feratur ab homine, siue generaliter siue specialiter pro culpa futura; illius eamdem rationem esse quàm latæ à iure, in hoc quòd nec ignorantes nec extra territorium delinquentes liget.

Nu. 149. Tertivm dvbivm est. An aliquis possit absens, intra diœcesim tamen existens, excommunicari à suo Episcopo. Cui glosa ad cap. De manifesta, verbo Iudicaui. 2. quæst. 1. respondet posse: quod patet ex illa excommunicatione quam D. Paulus absens tulit in fornicarium cap. 5. prioris ad Corinth. Adde & eum qui post præmissam canonicam monitionem, seu qui sufficienter præmonitus, non obtemperat, ligari per latam in ipsum sententiam excommunicationis: etiamsi ignarus, insciúsve sit illius, vt communem sententiam esse annotat Couar. ad cap. Alma mater 1. par. §. 10. num. 7.

Nu. 150. Qvartvm dvbivm est. An qui delinquit in territorio Prælati cuius non est subditus, incurrat in excommunicationem statuto eiusdem Prælati decretam in eos qui delictum eiusmodi commiserint, cui glosa 2. ad cap. A nobis 1. De senten. excommun. respondet incurrere. Et rationem reddit, quoniam iuxta cap. vltimũ. De foro compet. ratione delicti fortitur quis forum: siue, *quod idem est*, ratione delicti efficitur quis subditus ei Prælato in cuius ditione illud commiserit: itaut possit coram eo ritè conueniri: possítque idem Prælatus, quoad tale delictum, iurisdictionem suam in illum exercere ex cap. 1. De priuileg. in 6. circa principium: & pluribus aliis citatis Couar. quoque annotat *in præced. num. 2.* Sicut igitur ratione delicti commissi in alieno territorio potest quis ibidem à Iudice ordinario ligari, seu puniri quoad corpus: ita etiam potest quoad animum per excommunicationem: vt rectè notat Panorm. *ad cap. 1. De raptoribus num. 4.*

Nu. 151. Cum quo in seq. num. 12. obseruandum etiam est, statuto quo excommunicationem imponit Episcopus, ligari omnes, *nisi fuerint Superiores ipsius*, qui in illius territorio committunt delictum illud propter

quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod lata est eadem excommunicatio: etiamsi ij sint pares dignitate, vt sunt alij Episcopi, atque etiam illo maiores, vt sunt Archiepiscopi: quoniam ibi censentur priuatæ personæ, rationeque delicti fiunt subditi tali Episcopo: quandoquidem nulla videtur esse causa cur eximantur à subiectione subeundi pœnam ei delicto ibi decretam: nisi forte, *prout tractat Vgolinus De censuris tab. 1. cap. 2. §. 16. num. 5. & 6.* ipsi sint ab illius iurisdictione exempti: aut habeant aliquod priuilegium personale ne ratione delicti efficiantur subditi, aut ne à quoquam excommunicari valeant; quia tunc nec ille, nec quiuis alius tali priuilegio munitus, ligaretur iuxta cap. 1. §. In eos, De priuileg. in 6. Ratio autem factæ exceptionis Superiorum, in promptu est: quia Canonicè, inferior non iudicat Superiorem ex cap. Cùm Inferior De maior. & obedien. ac proinde nec obligat per suum statutum. Attamen si contingeret Suffraganeum habere aliquem locum pertinentem ad alium Archiepiscopatum, Archiepiscopus ille cuius est Suffraganeus in tali loco delinquens, ligaretur statuto ipsius: quia tunc spectaretur vt priuata persona non vt Superior, prout ostendit Vgolinus in cit. cap. 2. §. 15. num. 3.

Nu. 153. QVINTVM DVBIVM EST. An si excommunicatio feratur ab Episcopo, non quidem per modum statuti, sed per modum sententiæ hominis, eà irretiantur non subditi, qui in eiusdem Episcopi territorio commiserint delictum propter quod illa decreta est. Ad quod Angelus Excommunicatio 1. & Syluest. Excommunic. 2. *ille num. 11. & hic num. 10.* respondent distinctione. Nam non subditus, qui delinquit in territorio Episcopi: vel quando fertur sententia excommunicationis adhuc ibidem est; & tunc per eam ligatur, non secus ac per aliam, quæ statuto decreta esset: quoniam ad illam eadem iurisdictio, quæ ad hanc, nec maior requiritur: vel iam inde recessit; & tunc siue excommunicatio feratur generaliter siue specialiter, non ligat non subditum (iure enim quodam gentium, nemo censetur alteri subditus propter delictum, nisi cùm est in eius ditione) nisi is antequã discederet ex territorio in quo deliquit fuerit præuentus citatione: vel Iudex proprius sub quo degit requisitus, compelleret ipsum se sistere eiusdem territorij Episcopo: quia nolens obedire, posset excommunicari. Quod si excommunicatio feratur pro culpa futura, nonnulli putant ligare non subditos; quia illi ratione delicti fiunt Subditi. Sed memorati authores contrarium sentiunt; sicut ante eos sensit Panorm. ad cap. A nobis 1. De sent. excommun. num. 7. & post eos Couar. *ad cap. Alma mater 1. par. §. 10. nu. 2.* Et probant ex differentia quæ est inter statutum, & sententiam hominis: quòd illud trahatur ad tempus futurum: & hæc statim ac fertur vires suas sumat in eos contra quos profertur. Tales autem non possunt alij esse, quàm tunc subditi eidem homini. Illi autem de quibus agimus, quando talis sententia fertur, sunt simpliciter non subditi: cùm ex hypothesi, delictum ipsorum, *vtpote futurum*, tunc non sit: ideóque ob illud dici nequeant subditi esse ratione delicti.

Nu. 154. SEXTVM DVBIVM EST. An possit Episcopus per suum statutum excommunicatione innodare omnes absolutè qui intra suam diœcesim aliquod delictum commiserint; si in ea sit locus exemptus à iurisdictione ipsius. Ad quod respondent Palud. & Gabr. *vterque in 4. distinct. 18. quæst. 2. ille parte posteriore articuli 2. & hic concl. 6.* locum intra diœcesim alicuius Episcopi exemptum, quoad iurisdictionem per eumdem Episcopum exercendam, æquiparari loco existenti extra diœcesim: quod deducitur ex cap. Cùm Episcopus De offic. Ordin. in 6. & ex cap. Volentes De priuileg. eod. lib. §. Nunquid ergo; & ex Clement. Archiepiscopo, De priuileg. sub finem: in quibus Episcopus perinde prohibetur exercere suam iurisdictionem in locis intra suam diœcesim exemptis, ac in illis qui extra eam sunt. Adeout Episcopus ipse nullam iurisdictionem habeat in locis exemptis, *vt nec extra territorium*, paucis casibus exceptis de quibus glosa ad cit. cap. Volentes verbo Instituta, atque aliis, in quibus Concil. Trident. diuersis locis Episcopo subiecit regulares exemptos & moniales: quos casus Henriquez in summa Theologiæ moralis libro 7. cap. 24. §. 3. lit. O, in margine refert: in quibus tanquam spectantibus potissimum ad forum externum non immorabimur.

Constitutum sit igitur ex dictis illos qui in loco exempto committunt delictum propter quod ab Episcopo decreta est excommunicatio, non ligari per eam: sicut nec ligantur qui illud extra diœcesim committunt. Pari modo iudicandum est de aliis difficultatibus, quæ moueri possunt quoad loca exempta: nimirum vt idem statuatur, quod statueretur quoad locum extra territorium, exceptis illis casibus, quorum præcipuus est casus hæreseos: in quo iuxta cap. Ad abolendam in fine De hæretic. exempti subiiciuntur iurisdictioni Episcopi diœcesani, tanquam delegati à Papa.

SEPTIMVM DVBIVM EST. An si Episcopus sit extra suam diœcesim, vel in loco exempto, possit subditus ipsius ab ipso excommunicari. Pro cuius solutione prænotandum est, ea quidem quę sunt iurisdictionis voluntariæ, nec causæ cognitionem processúmve requirunt, posse vbique à Superiore peragi: vt Episcopum in alieno Episcopatu posse audire confessionem sui subditi, sicut Parochum sui Parochiani in aliena parochia: quod Palud. expressit in sequenti distinct. 19. *quæst. 2. art. 3. conclus. 1.* *Nu. 155.*

Ea autem quæ sunt iurisdictionis contentiosæ, cognitionémque causæ & iudicij strepitum requirunt, non posse extra territorium, nec in loco exempto peragi ab Episcopo: quia non potest ibi ad dirimendas suorum contentiones tribunal erigere; ex cap. Luminoso 18. quæst. 2. Cùm igitur hæc ita sint proposito dubio Syluester & Nauar. *ille Absolutio 1. num. 11. & hic in Enchir. cap. 27. num. 6.* respondent tum posse, tum non posse excommunicare: posse quidem cum vsu iurisdictionis voluntariæ: seu cùm res adeo manifesta est, vt nullam requirat causæ, cognitionem, & disceptationem: non posse verò, cum vsu iurisdictionis contentiosæ, causæque cognitione: nisi impetrata licentia ab Episcopo loci, in quo ferenda est sententia: aut nisi Episcopus ille à quo ferenda est, propter metum persequentium, in locis suę diœcesis residere, iurisdictionémque siue per se, siue per alium exercere impediatur: quia tunc in Clement. vnica De foro compet. permittitur ei omnimodam suam iurisdictionem in aliquo loco vicino Episcopatui suo exercere, etiam non impetratâ, *quam tamen petere debet*, licentiâ à diœcesano eiusdem loci.

CAPVT IX.

De causa ob quam ferri debet excommunicatio, vt sit valida.

SVMMARIVM.

156 *Non potest quis pro alio peccato, quàm suo proprio excommunicari.*
157 *Corollaria inde deducta.*
158 *Peccatum aliud externum aliud internum: de hoc quæstio*

quæstio est, an propter ipsum possit quis excommunicari.
159 *Probatio partis negantis.*
160 *Solutio eorum quæ adferuntur pro parte contraria.*
161 *Peccatũ potest occultũ esse, tum per se, tum per accidẽs.*
162 *Peccatum per accidens occultum potest esse causa sufficiens incurrendi excommunicationem à iure.*
163 *Non potest excommunicatio ab homine valide ferri pro peccato præterito, nisi in iudicio ipsum fuerit sufficienter probatum.*
164 *Quod peccator sit occultus, non impedit quin ea ferri possit, ac quæ tunc seruanda sint.*
165 *Excommunicatio lata secundùm allegata & probata censeri debet valida; quantumuis is in quem lata est, sit de facto innocens: de quo tamen non constet, sed dubitetur.*
166 *Cùm de innocentia constat, excommunicatio est nulla: attamen vitandum scandalum.*
167 *Vt valida sit excommunicatio, peccatum propter quod ea fertur, debet esse mortale.*
168 *Non sufficit ipsum esse mortale ex sola peccantis praua voluntate.*
169 *Non est necessarium vt sit ex sua natura mortale.*
170 *Vbi non peccat quis mortaliter, non incurrit in excommunicationem maiorem.*
171 *Nec item in re minima.*
172 *Peccatum mortale propter quod fertur maior excommunicatio debet esse graue.*
173 *Quanquam ad talis excommunicationis validitatem sufficere potest, quòd sit mortale quodcumque.*
174 *Peccatum mortale pro quo decernitur excommunicatio debet annexam habere contumaciam, & quam.*
175 *Non sufficit esse leuem, nec necessarium est manifestam esse.*
176 *Nec ité vt sit ex formali conceptu legis aut Iudicis.*
177 *In non contumacem lata excommunicatio est nulla.*
178 *Pro culpa præterita vel præsenti nemo excommunicari potest.*

VM certum sit ex cap. 18. D. Matth. vbi tradita est à Christo potestas excommunicandi, talem causam esse aliquod peccatum: videndum est primò, num debeat esse proprium eius qui excommunicandus est. Secundò, num externum. Tertiò, num manifestum. Quartò, num mortale. Quintò, num grauissimum. Sextò, num habens adiunctam contumaciam. Septimò, num iam perpetratum.

QVÆSTIO I.

An peccatum illud propter quod excommunicatur aliquis, debeat esse ipsius proprium.

Nu. 156. AD hanc respondendum est (vt aliis citatis respondet Vgolinus *De censuris tab. 1. cap. 17. §. 8. num. 1.*) numquam vnum pro alio puniri excommunicatione; ideóque peccatum illud propter quod aliquis excommunicatur: debere esse proprij ipsius: quia quamuis vnum pro culpa alterius corpore punitum inueniamus, vt pluribus exemplis ostendit Gratianus 24. quæst. 3. in summa: non tamen excommunicationis pœnâ ligatum pro alterius contumacia: ex cap. Si habes *in ead. quæst. 3. versu Tunc quippe.* Et ratio est quia ex Christi institutione Matth. 18. is tantùm excommunicandus est, qui Ecclesiam non audit, seu qui contumax & inobediens est Ecclesiæ: non autem alter, cui nihil tale contingit. Sic enim in cap. Romana §. In vniuersitatem De sententia excommunicat. in 6. Papa vetat vniuersitatem excommunicari, ne innoxij eà censura irretiantur cum noxiis.

Itaque ex cit. cap. Si habes; nec vxor pro peccato viri; nec filius pro peccato patris, nec seruus, pro peccato domini, nec tota familia pro vnius delicto excommunicari debet. Illud annotat in 4. distinct. 18. Richardus art. 3. quæst. 3. addens dominum pro peccato suorũ subditorum excómunicari non posse: & Gabriel quæst. 2. concl. 5. corol. 5. neque populum pro peccato domini sui posse excomunicari. Adde etiã quæ *in seq. nu. 4.* tractat Vgolinus; nec successoré in dignitate, pro contumacia illius cui succedit excommunicari posse: nec hæredem pro contumacia illius cui succedit in hæreditate: nec dominum pro contumacia sui Procuratoris: nec demum pupillum aut minorem, pro contumacia sui Tutoris, aut Curatoris: itaut taliter lata excommunicatio sit nulla tanquam continens intolerabilem errorem; vt idem author docet *in eod. §. 8. num. 6.* argument. cap. Pertuas De senten. excomm. & cap. Solet & cap. Venerabilibus §. penult. eod. tit. in 6. Quæ omnia intelligere procedere, quantumcumque alienum peccatum fuerit atrocissimum. Nam ratio proposita id etiam cõfirmat. Non procedere verò, si in alieno peccato participetur, siue committendo siue omittendo, patet: quia tunc non tantùm ille cuius est proprium peccatum, sed alij quoque, participantes in eodem, possunt excómunicari. Verum id nõ est propriè pro alieno, sed pro suo peccato excommunicari. *Nu. 157.*

QVÆSTIO II.

Num peccatum pro quo excommunicatio fertur debeat externum esse.

PEccatum externum hic vocamus illud, quod foris se prodit: siue per se, vt furtum, homicidium, &c. Siue per aliquod signum ex quo possit in foro exteriori apud Iudicem probari: vt potest hæresis mentalis Titij ex eo, quod verbo aut scripto asseuerit Christum nõ esse in Eucharistia: aut quòd à Missa audienda se planè auersum ostendat: commissione enim rei notæ, manifestari potest interior malitia à qua procedit. Peccatum verò internum dicimus illud, quod ita latet in animo, vt non possit aliter cognosci, quàm per reuelationem factam ab eo, qui intra se illud perpetrat: de hocque est præsens quæstio, num aliquis possit propter ipsum excommunicari. Cuius quæstionis explicatio pendet ex explicatione alterius, quà quæritur num possit tale peccatum puniri iure humano. De qua re in vtramque partem Couar. *ad regulam Peccatum 2. par. in princip. num. 7.* varios authores refert: cum quo & aliis recentioribus passim, tenendum est, non posse puniri. *Nu. 158.*

Quod confirmatur ex cap. Erubescant distin. 32. vbi dicitur sententiam in eo latam aduersus initiatos maioribus ordinibus retinentes mulierculas; intelligendam esse de manifestis: quia secretorum, & cognitor Deus & Iudex est: per quod satis significatur quod glosa ibi infert; Ecclesiam non iudicare de occultis. Ad idem quoque facit quod in cap. Cogitationis De pœnit. distin. 1. dicitur Cogitationis pœnam nemo patiatur: supple ab homine, sed tantùm à Deo, vt glosa interpretatur. Item quod in cap. Cogitatio, eadem distinctione dicitur: Cogitatio non meretur pœnam iure ciuili. Accedit ratio qui Iudex non potest punire crimen quod ipse nullo *Nu. 159.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo cognoscere potest : sicut enim qui quòd nouit loquitur, iudex iustitiæ est, *Prouerbiorum* 12. ita qui quod non nouit loquitur, iudex est iniustitiæ, Id est, iniustè agit iudex ille, qui alicui infert pœnam nesciens an sit eâ dignus. At homo Iudex, nosse non potest crimen in animo penitus latens. Quis enim hominum (ait D. Paulus in priori ad Corinth. cap. 2.) scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est; quasi dicat nullus; iuxtà illud 1. Regum 16. Homines vident ea quæ foris parent; Deus autem intuetur cor.] Quare peccatū quodcita est internum vt in solo animo commissum sit, nec ad vllum externum opus peruenerit, vnde possit ab aliquo homine naturaliter cognosci, nullo modo, ne quidem per viâ statuti, potest puniri ab homine. Vnde talē punitionem tanquam opus diuinæ rei ec humanæ iurisdictionis, D. Paulus in priori ad Corinth. ca. 4. prohibet fieri, inquiens, Nolite ante tempus iudicare quoadvsque veniat Dominus, qui manifestabit consilia cordium, & illuminabit abscondita tenebrarum.] Sic etiam in cap. Erubescant dist. 32. in ca. Consuluisti, 2. quæst. 5. in cap. Si omnia 6. quæst. 1. in cap. Christiana 32. quæst. 5. in cap. Sicut tuis & in cap. Tua nos De simonia dicitur: occulta soli Deo seruari ab eo iudicanda.

Nu. 160. Ad ea autem humana iura quæ pœnam decernūt pro peccato interno, hoc est, pro vitioso affectu siue amoris, siue odij, pro hæresi aut simonia mentali, & huiusmodi aliis optimè respondet Alphons. à Castro lib. 2. De lege pœnali ca. vlt. Cuius responsionis apud ipsum prolixioris, summa hæc est: non decerni talem pœnam pro actu interiori absolutè, & secundùm se sumpto: sed ea ratione, qua actus exteriores coniunguntur illi, ab illóque prouenium. Quod fieri potest duobus modis: altero præcipiendo sub aliqua pœna opus externum benè fieri, atque adeo exigendo bonā affectionem interiorem: sicut Ecclesia potest Clericis præcipere sub priuatione fructuum beneficij, vt diuinum officium recitent attentè & deuotè: sicque indeuotionem, quæ interior est, punire. Altero verò modo, prohibendo ne opus externum fiat tali mala voluntate, vt cum in Clement. 1. De statu Monachorum §. Quia verò, excommunicatur Monachi adeūtes curias Principum, animo inferendi aliquod damnum suis Prælatis. Et cum in Clement. 1. §. Verum De hæreticis, sententia excommunicationis innodatur Inquisitor hæreticorum; qui odio aut spe lucri aliquem innocentem punierit: quodquidem est excommunicationem imponere propter odium, aut propter spem lucri: respectu ex eis procedentis persecutionis innocentis, per incarcerationem, torturam, aliósue id genus actus exteriores, qui ab hominibus videri possunt.

Constitutum sit igitur ad validitatem excommunicationis requiri, vt peccatum propter quod ea decernitur, externum sit aut ratione sui, aut saltem ratione alterius ex ipso prouenientis, prout proximè habitum est. Quandoquidem Iudex nequit excommunicatione, vt nec alia pœna iusta quemquam punire, nisi eum cuius nouit crimen per ipsum aut per ipsius effectum & signum externum.

Quæstio tertia, Num peccatum manifestum esse debeat pro quo imponitur excommunicatio.

Nu. 161. PRænotandum est, peccatum dupliciter censeri occultum: vel per se, vel per accidens: per se quidem, illud quod ex sua natura non potest naturaliter ab hominibus cognosci: vt illud quod omnino latēs in animo, excommunicatione puniri non posse ante probatum est. Per accidens verò, quod etsi non committatur solo animo: sed voce aut opere exerceatur exterius: itaut ex sua natura habeat quòd audiri possit vel videri ab eo qui propinquus fuerit dicenti vel operanti: nihilominus tamen quia nullus cùm exerceretur, presens fuit, qui posset illud audire vel videre, accidit ei, vt sit notum soli perpetranti, & cæteris sit obscurum perinde ac si commissum esset solo animo: hócque est de quo hic quæritur. Num possit esse causa sufficiens ferendi valide excommunicationem in aliquem: an verò peccatum propter quod ferri potest, debeat esse aliis notum.

Cui quæstioni (vt cæteros omittam quorū Henriq. meminit in sua summa lib. 13. ca. 27. §. 2. in marg. lit. H. & K, bene satisfecisse videtur Alfōsus à Castro in supra cit. cap. vltimo concluſ. 2. cùm dixit peccatum tantummodo per accidens occultum, sufficere ad hoc vt incurrat quis in excommunicationem latam à iure: non autem vt excommunicetur ab homine. Quod probat, quia habentur exempla excommunicationis quæ à iure infertur propter occultum crimen, vt in cap. Porro De sentent. excommunic. ex quo habetur occultum Clerici percussorem irretiri excōmunicatione; & in Extrauaganti cōmuni Cùm detestabile De simonia: vnde habetur simoniacum occultū subiici pœnis iuris perinde ac manifestum. Deinde excommunicatio à iure, cùm feratur tantùm generaliter pro culpa futura contenta est illius generali cognitione, nec requirit processum & causæ cognitionē, vt effectum suum sortiatur; sed solùm criminis perpetrationē. Vnde sequitur quotiescumque perpetratum fuerit crimen propter quod excommunicatio lata est à iure, perpetratorē illius, esse eo ipso excommunicatum: non obstante quod crimen sit occultum: cum id non impediat quin verè sit crimen ac verè perpetratum: itaut perpetratorem reddat sufficienter obnoxium excommunicationi, propter illud impositæ. Atque hoc modo accipienda est glosa *ad Clement. Multorum De hæreticis verbo Eo ipso*: annotans Ecclesiam posse infligere censuras pro criminibus omnino occultis. Indeque est (quod in summula verbo Hæresis in fine, Caietanus attingit) vt is qui hæresim mente conceptam exteriùs verbo aut facto, etiam sine vllis testibus enunciauerit: excommunicatus omnino sit eâ excommunicatione, quæ in hæreticos lata est à canone. *Nu.* 162.

Excommunicatio verò ab homine cùm fertur pro culpa præterita, requirit processum & causæ cognitionem: quia Iudex qui illam fert, debet iudicare secundùm allegata & probata: nec potest excōmunicare eum quem ignorat crimen commisisse; cùm iuxta Christi institutionem correctio delinquentis debeat excommunicationem præcedere: quod fieri non potest ignorato ipsius delicto. Ex quibus relinquitur, peccatum pro quo ab homine ferenda est excommunicatio, debere saltem esse ita notum, vt possit legitimè in iudicio probari: adeout minimè sufficiat, tantummodo vnum vel vidisse vel audiuisse, cùm ad ferendam sententiam, vnius solummodo testis dictum, nihil prorsus faciat, ex cap. Veniens 1. & ex cap. Licet 1. De testibus & attestat. sed requirantur plures, tot scilicet quot requiruntur ad reddendum in iudicio testimonium ad hoc sufficiens, vt sententia feratur. *Nu.* 163.

Neque verò quin tunc feratur, obstabit quòd paratur talis peccati occultus sit. Nam D. Gregorius, *vt refertur 5. quæst. 1. ca. Quidam maligni spiritus*, eum qui occultè libellum famosum contra Castorium ipsius notarium, in publico ciuitatis loco posuit, anathemate percussit, si attentasset corpus Domini nostri *Nu.* 164.

sumere: & est in Ecclesia consuetudo vsitata, vt excommunicatio feratur propter furta quorum ignorantur authores: quia licet tales sint in se occulti, sunt tamen aliquo modo manifesti in suis operibus: *nimirum effectu manifestante suam causam*. Vnde potest Iudex ob talem manifestationem aduersus ipsos procedere vt puniantur. Quod dum facere tentat duo sunt ei necessaria: alterum vt prius moneat in genere sic dicendo: Quicumque hoc aut illud damnum intulit, satisfaciat, aut excommunicabitur. Alterum, vt in genere & non nominatim illum excommunicet, prout definitur in cap. Si Sacerdos De offic. Iudicis ordin. vbi in confirmationem adfertur exemplum Christi, qui noluit Iudam nominatim repellere à cōmunione sui corporis; etiamsi eum proditorem esse sciret, quia id erat aliis occultum: sed in genere ipsum admonuit suppresso nomine, dicens. Vnus vestrum me traditurus est.

Porro si quando ab homine fertur excommunicatio pro peccato futuro (prout ferri posse constat ex cap. Romana §. Caueant De sentent. excomm. in 6.) eadem erit ratio illius quæ excommunicationis à iure: quia feretur per viam statuti, non quidem perpetui, sed ad tempus duraturi secundùm intentionem ferentis.

Difficultas propositæ quæstioni annexa.

Nu. 165. HVic quæstioni annexa est grauissima difficultas, de qua in vtramque partem plures authores & rationes adfert Cordub. in lib. 1. quæstionarij quæst. 43. in 3. puncto. An si Iudex secundum allegata & legitime probata sententiam excommunicationis pronuntiet aduersus aliquem innocentem, illa sit valida? Cui sufficienter ad nostrum institutum satisfacere possumus duabus propositionibus.

Prior est, talem sententiam, si manifestum errorem non contineat, sed dubium sit an aliquem contineat, esse omnino validam: etiam quoad effectum priuandi communibus Ecclesiæ precib. & vsu Sacramentorum; itaut ille in quem lata est (quidquid ei aliqui dicant, videri sibi latam esse iniusta de causa) teneatur se gerere pro excommunicato: Hæc probatur primò, ex cap. Per tuas De sententia excommunicationis §. finali. Deinde ratione; quia de pœnis à Superiore inflictis non manifestè iniustis (etiamsi de earum iniustitia constare videatur aliquibus) non pertinet ad subditos iudicare, libcrando se, vel alios ab eis: cùm quiuis alioqui, pœnas sibi impositas posset repudiare tanquam iniustas. Vnde sequeretur in Ecclesia confusio & perturbatio ordinis hierarchici; quod magnum incommodum est. Nec refert talem pœnam forte esse iniustam, id est, sustineri ab eo qui illam fortè non meruerit. Nam subditus pœnam etiā quam non meruit, impositam à Superiore per sententiam iustam, seu latam secundùm ius, tenetur humiliter sustinere propter bonum commune: ad quod magni refert, vt iuris authoritas seruetur. Dictum est autem in propositione, *Si manifestum errorem non contineat*: quia, vt post Felinum & quosdam alios Conarr. *ad cap. Alma mater 1. par. §. 11. nu. 14. versu Ego sanè* admonet per cap. Inter cæteras, de sentent. & re iudicata, si sententia excommunicationis secundùm acta processus, manifestè falsam causam contineret, esset notoriè iniusta, ideóque nulla. *Nu.* 166.

Posterior propositio est: Illum qui certus est se esse innocentem, si secundùm allegata & probata feratur in ipsum excommunicatio, non esse reuera excommunicatum, nec Ecclesiæ suffragiis priuari: ne-

que si Sacerdos existens celebret, irregularitatem aut aliam pœnam iuris incurrere; itaut liceat ei vbicumque sine scandalo id facere valuerit (ad scandalum vitandum, & ne authoritas Ecclesiæ contemnatur, tenetur gerere se cum aliis, & alij cum eo, ac si iustè excommunicatus esset, donec contrarium notorie constet) sacris se ingerere non minus, quàm si in eum talis sententia lata non esset. Hęc probatur, quia non est præsumendū quòd Ecclesia (cui à Christo data est potestas excommunicandi tantummodo in eum, qui cùm in fratrem peccauerit, ipsam audire non vult Matth. 18.) intendat innocentem tali pœna afficere. Quare ille qui certò scit se innocentem, potest cùm inde nullum scandalum imminet, gerere se pro non excommunicato. Exemplum esse potest si feratur excommunicatio in citatum, non comparentem ex iusto impedimento; quam esse nullam post Panorm. & Felinum annotat Nauar. in Enchir. *cap. 27. num.* 38. Addens quod si Iudex intenderet excommunicare non comparentem, siue iustè impeditum, siue non: sententia contineret intolerabilem errorem, qui excommunicationem reddit nullam ex cap. Per tuas De sentent. excommunic. §. finali; & ex cap. Venerabilib. §. penultimo, eod. tit. in 6. Accedit, quod si Ecclesia intenderet obligare etiam eum qui certò scit se innocentem esse; consequenter, *quod absurdum est*, nonnunquam intenderet etiam eum obligare ad perpetrandum peccatum mortale. Sit enim, ex hypothesi, in Titium, eoquod secūdùm allegata & probata iudicatus sit maritus Bertæ, lata excommunicationis sententia; nisi maritaliter viuat cum illa, ipséque certò sciat eam non esse suam coniugem: quia nequit obtemperare tali præcepto nisi fornicando, prout habetur cap. Inquisitioni De sentent. excommunic. (& de se manifestum est) si Ecclesia per eam sententiam intenderet obligare eumdem Titium habentem talem certitudinem: intenderet pariter obligare ad perpetrandum peccatum mortale: quod ab omni ratione alienum est, continetque intolerabilem errorem.

QVÆSTIO IV.

An vt valida sit excommunicatio, peccatum pro quo fertur debeat esse mortale.

QVod à D. Thoma dictum est *in 4. distin. 18. qu. 2. a. 1. 1. quæstiun. 3. ad* 1. nō nisi pro peccato mortali ferendā esse maiorem excommunicationem, Doctores omnes recipere communi consensu notat Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. concl. 1.* quorum plures eorum etiam commemorat Vgolinus *tab. 1. cap. 27. in princip. nn. 2.* Fundamentum verò potissimum est cap. Nemo Episcoporum 11. quæst. 3. vbi apertè dicitur, anathema nonnisi pro mortali crimine imponi debere. Quod & ratio cōfirmat: quia fidelis per excommunicationem, ab Ecclesia certo modo excluditur ex cap. Omnis Christianus, & ex cap. Nihil 11. quæst. 3. qua exclusione non censetur dignus, nisi iudicatus sit regno cœlorum indignus: prout potest tantummodo ob peccatum mortale, per quod amittitur charitas sine qua non patet ad regnum cœlorum aditus Quocirca nemo nisi ob mortale peccatum debet excommunicari. Deinde, vt argumentatur Sotus, sicut crudele esset, si Chirurgus alicui membrum leui morbo affectum amputaret: ita quoque esset, si Iudex Ecclesiasticus aliquem fidelem à cæterorū communione propter leuem culpam præscinderet. Vnde *Nu.* 167.

Universidad de Deusto
Biblioteca

meritò Concilium Trident.sess.25.De reform.cap.3. prohibet excommunicationes decerni aliter quàm ex re non vulgari,causáque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata. Idem etiam deducitur ex excommunicationis institutione, in qua Christus Matth.18.verbis illis. Si Ecclesiam non audierit:sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus] hæc præposuit,Non est voluntas ante Patrem vestrum vt pereat vnus de pusillis istis. Si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te & ipsum solum:& si te audierit,lucratus eris fratrem tuum.] Ex quibus patet peccatum pro quo frater delatus ad Ecclesiam , & eam non audiens excommunicari potest, tale debere esse,propter quod ipse perierit, & à quo qui reuocat ipsum lucratur animam ipsius. Tale autem non est, nisi peccatum mortale:itaut lata ob culpâ,quæ mortalem grauitatem non attingat , à quocumque feratur, sit nulla : tanquam non proueniens à legitima potestate. De qua re Suarez ad 3. partem D. Thomæ tomo 5.disput.18.sect.3.num.6.

*Nu.*168. Aduerte autem quod Henriquez habet in 1.par. summæ Theolog.moralis *lib.*13.*cap.*17. §.2. oportere vt exterior actus pro quo imponitur maior excommunicatio sit peccatum mortale secundùm quantitatẽ operis ; non autem ex relatione ad cogitationẽ: siue,quod idem est,sit mortale ex magnitudine iniuriæ per ipsum illatæ , non autem ex sola malitia voluntaris inferendi illud. Quomodo Couarr. ad cap. Alma mater 1.*part.*§.9.*num.*2. notat percussorẽ Clerici non incurrere in excommunicationem , etiamsi animum habeat vleiscendi, & iniuriâ afficiendi,si ea percussio ita leuis sit , vt iniuria per eam illata, venialis tantum de se,non autem mortalis meritò censeatur.Quod etiam Suarez expressit *in præced. disput. quarta sect.*4.*num* 4.*in fine.*

*Nu.*169. Aduerte præterea, quòd in Institutione Sacerdotum attigit Petrus à Soto *tractatu de excommunicatione lect.*3.& cum eo alter Sotus *in* 4.*distin.*22.*quæst.*1.*art.*2. *col.*3. & ante vtrumque Sylu.*Excomm.*1.*num.*11.Cum sub excommunicatione maiore aliquid futurum , siue à iure siue ab homine præcipitur aut prohibetur: non esse necessarium,vt ipsum sit natura suâ peccatum mortale:sed sufficere vt tale sit ex circumstantia scandali,aut alterius grauis nocumenti, perpetratione illius inferendi contra charitatem, aut contra iustitiam. Ob talem causam enim,etiam illud quod de se,ne veniale quidem peccatum est, potest iustè prohiberi seuerè, adeout contrauenies peccet mortaliter per notabilem inobedientiam. Cuiusmodi prohibitio esse potest ne Clericus vestiatur serico , aut ingrediatur tabernam , eoquod immineat inde populi scandalum. Quod cùm ita sit,nihil obstat quin sub excommunicatione id possit validè prohiberi, quod alias,non est de se mortale : etsi non possit id quod nullo modo;ac ne quidem ex circumstantia est mortale.

*Nu.*170. Infertur autem primò ex dictis,quod pro regula à Palud.traditum commendat Nauarr. *in Enchir. cap.* 27.*num* 9. & pro quo plures alios citat Vgolinus *De censuris tab.*2.*cap.* 27.*in principio num.* 2. nempe quòd cùm sententia iuris non sit iniusta , hominem posse informare conscientiam suam , quòd vbi non peccat mortaliter,nunquam incurrat excommunicationem à iure. Quod idem pari ratione dicendum esse de generali excommunicatione ab homine,addit Nauarr. Sic igitur qui venialiter solum peccat iniiciẽdo manus in Clericum (indeliberatione scilicet, vel necessitate tuendi vitam , vel leuitate iniuriæ exterioris, ipsum à mortali excusante) non incurrit in excommunicationẽ cap.Si quis suadente diabolo 17.quæst. 4.Sic etiam Henriquez *in cit.*§. 2. vult nec in rixa inter pueros tonsuratos incurri eamdem excommunicationem:quia percussio ea ob ætatem censetur leuis & absque ignominia esse:perinde ac ea quæ contigit in rixa hominum infamæ sortis. Pari quoque ratione dicendum est,illos quibus circa fidem dubia occurrunt,sine deliberatione,vel circa eandem scrupulos habent contra suam voluntatem,non incurrere ea de causa in excommunicationem decretam in hæreticos:quia talia dubia & scrupuli non sunt peccata mortalia ex recepta sententia,vt notat Nauar. *in Enchir.cap.*11.*num.*18.

Infertur secundò,quod Sotus habet *in cit.*4.to *art.*2. *casu* 1. in re minima , aut quæ in casu proposito sit minima habenda(ex circunstantiis nimirum, & qualitatibus actus,à mortali eum excusantibus) non incurri excommunicationem transgressione præcepti, aut sententiæ eam imponentis:nam materiæ leuitatem à mortali excusare dubium non est. Hæc igitur ratione , ille qui furatus est modicum, non comprehenditur excommunicatione generaliter data in eos qui furtum commiserint. Quodquidem verum est, etiamsi talis , ob erroneam conscientiam mortaliter peccauerit , vt si existimans se furripere crumenam plenam aureis nummis , furripiat plenam calculis. Ratio est:quia error delinquentis non extendit excommunicationem:alioqui percutiẽs laicum, quem putat esse Clericum, incurreret sententiam excommunicationis quæ percussori Clerici decreta est. Cuius contrarium communiter tenetur , & meritò: quia in rei veritate talis non est percussor Clerici. Alioqui item is qui facit aliquid ex quo se excommunicationem incursurum erroneè putat , cùm ob tale factum nulla sit decreta ab Ecclesia ; reuera incurreret:quod à Victoria *in summa de Sacramentis tract. de excommunic.num.*9. bene reiicit:probans eum qui furatus est decem nummos aureos in Ecclesia,omnino credens ob tale crimen positam esse excommunicationem,cùm non sit , minimè propterea irretiri excommunicatione:nam,inquit , talis non potuit seipsum excommunicare:neque *ex hypothesi*,excommunicatus est ab alio. Quare nullo modo est,ob tale factum. Quamquam tamen negandum non est , quin talis,quamdiu habet illam conscientiam , debeat se in omnibus habere ac si verè excommunicatus esset: quoniam aliter agendo peccabit contra suam conscientiam. Inferri adhuc possunt multa alia; sed hæc attigisse sufficit.

*Nu.*171.

QVÆSTIO V.

Num oporteat peccatum mortale graue esse , vt excommunicatio maior pro eo validè feratur.

AD explicationem huius quæstionis duo docenda sunt. Alterum,an non nisi pro graui peccato ferri debeat maior excommunicatio. Alterum,an si feratur propter aliud quàm graue peccatum mortale , ipsa sit inualida.

*Nu.*172. Ac de priori Franciscus à Victoria & Sotus : *ille in preced.num.*5.*& hic in eod.art.*2.*in explicatione conclusionis* 4. statuunt oportere esse graue peccatum. Quod colligitur primò ex eo,quòd D. Paulus in priori ad Corinth.cap. 5. fornicationem propter quam Sathanæ tradidit Corinthium valde exaggerauit, vt ostenderet iure à se latam talem sententiam. Omnino, inquit,auditur inter vos fornicatio , & talis fornicatio qualis nec inter gentes.] Item quòd quamuis ipse multa peccata damnare soleat : non meminit tamen sententiam excommunicationis se tulisse,nisi ob duo: nimirum ob incestum loco cit. & ob hæresim blasphemam in ptiori ad Timoth.cap. 1. quæ sunt duo peccata grauissima.Colligitur deinde ex eo quod refertur ex D.August.24.quæst.3.cap.Corripiantur:pro diuersitate culparum subditos esse corripiendos maioribus aut minoribus pœnis:excommunicationémque esse pœnarum maximã.Vnde consequens est eam non esse inferendam nisi pro maxima culpa. Deinde ex eo,quòd in Concil.Vormacienſi can. 2. (pro quo Gratianus Concilium Aluernense citat 11. quæst. 3. cap.Nullus) præcipiatur,vt nullus Sacerdotũ quemquam rectæ fidei hominem,pro paruis & leuib. causis à communione suspendat , præter eas culpas pro quibus antiqui Patres iusserunt arceri,aliquid committentes. At antiqui Patres non decreuerunt excõmunicationem nisi pro graui criminie,vt patet eõsiderãti decreta ipsorum in iure Canonico : quibus anathemate feriuntur , vel hæretici vel Clericorum percussores,vel Ecclesiarũ violatores , vel alij id genus insignes criminosi , vt Sotus annotat. Expressa autem est Concilij Trident.definitio *tollens omnem in hac re dubitationem sess*25.*cap.*3.*de reform.* quâ statuitur, ne temere & leuibus ex rebus excommunicatio incutiatur; & vt excommunicationes quæ monitionibus præmissis ad finem reuelationis , aut pro deperditis aut subtractis rebus ferri solent,à nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernantur. Et tunc non aliter quàm ex re non vulgari,causáque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ eius animum moueat. Nonnullis verò antiquis Canonibus qui videntur insinuare contrarium,quomodo satisfaciendum existimet Suarez,videri potest apud ipsum in 3.part.D.Thom.*tom.*5.*disput.*18.*num.*9. 10.& 11.

*Nu.*173. De posteriori autem, An inquam valida sit maior excommunicatio,si pro alio, quàm graui peccato feratur:tenere possumus, quod loco citato attigit Sotus,non debere quidem pro alio peccato ferri,quàm graui , tamen quodcumque mortale sufficientem causam esse posse, vt excommunicatio sit valida.Ratio verò est,quia quodcumque tale sufficit , vt quis quoad Deum exclusus sit à regno cœlorum. Ergo & vt sit quoad Ecclesiam.

ri potest. Quare excommunicatio, quæ ita est pœna medicinalis (sicut vocatur in cap. Cùm medicinalis *De sentẽt.excomm. in* 6.) vt nulla sit ea maior in Ecclesia, ex cap. Corripiantur 24. quæst. 3. non ante debet adhiberi ad sanandum alicuius peccatum, quantumcumque graue,quàm fraterna correctio aut admonitio , aut præceptum Superioris tanquam lenior medicinia antecesserit. Quibus antegressis obedire contemnens, factúsque contumax meritò pœna excommunicationis plectitur:id est , per inobedientiam subducens se ab Ecclesia, meritò priuatur cœtu & communibus bonis fidelium ad eam pertinentium. Quam rationem insinuauit quoque Anacletus Papa *in ead.quæst.*3.*cap.Tam Sacerdotes* : præcipiens vt delinquentes redargutione corrigantur à Sacerdotibus,& incorrigibiles inuẽti excommunicentur.Item Prosper *in sẽt. cap. Ecce autem* , cùm ait , illos tanquam putridas corporis partes debere ferro excommunicationis abscindi, qui diu portati & salubriter obiurgati, corrigi noluerunt. Confirmari etiam potest eadem sententia ex verbis Domini Marth. 18. quibus non nisi in eum qui præmissis salutaribus monitionibus Ecclesiam audire noluerit potestas excommunicandi traditur. Vnde prohibetur in iure, cap. Omnes decimæ 16.quæst.7. in ca. Sacro De sentent.excommunic.& in cap. Romana eod.tit.in 6.ne quis,nisi competenti monitione præmissa , *secundum Domini præceptũ vt in cit.cap.Omnes decimæ additur*, proferat in aliquem excommunicationis sententiam.

Iam verò contumacia,vt ab Angelo & Sylu.in verbo Contumacia definitur,nihil aliud est , quàm inobedientia voluntaria , quâ quis Iudicis admonitionem implere contemnit. Quia igitur ex Christi institutione nullus excommunicari debet nisi qui Ecclesiam audire noluerit,id est, qui contempserit implere admonitionem Iudicis Ecclesiastici : relinquitur profectò non nisi in contumacem debere ferri excommunicationis sententiã.Itaut rectè dicat Sotus *in* 4.*distinct.*22.*quæst.*1.*art.*2.*concl.* 2. quantumcumque grauissima scelera quis commiserit,dummodo sit parere paratus:Iudicem posse quidem aliâ pœnâ ipsum punire,non tamen excõmunicatione:quia quantumuis Deus peccantes mortaliter transgressione iuris naturalis,aut diuini vel humani in futura vita priuet societate Sanctorum,æternis suppliciis eos addicendo:in hac tamen vita, non nisi contumacem vult per excommunicationem separatione à cœtu fidelium, puniendum esse:vt satis intelligitur ex citatis verbis Domini apud D. Matth. Eáque causa est, cur statim ac beneficio excommunicationis reuocatus est aliquis à contumacia,tribuitur ei absolutio ; iuxta cap. Ex literis De constitut.

Multis verò modis committitur contumacia , vt notat glosa ad cap.Ex literis De dolo & contumacia, verbo Contumaciter,quos congruenter ea. Certum est 11. quæst. 3. ad tres reuocatos videre licet apud Sylu.loco cit. Constituendum est autem in vniuersum prout ex aliis habet Vgolinus in citata tab. 1. *cap.*17.§.7.*num.* 12. ex quacumque causa quis contumax sit iuri,vel iusto mandato Iudicis , siue in iudicio,siue extra iudicium aliquid præcipientis , quod pertinçat ad suum officium , ipsum excommunicari posse.Vbi aduerte ex Soto *in sequen. concl.* 3. mandatum Iudicis Ecclesiastici, quod qui non audit, censetur ita contumax esse , vt possit legitimè excommunicari , debere esse factum sub comminatione excommunicationis:vt argumento est, quòd nemo incurrat in excommunicationem à iure, transgrediendo ius quod nihil statuit sub pœna excommunicationis.

QVÆSTIO VI.

An peccatum pro quo fertur excommunicatio maior,vt ea sit valida, adiunctam habere debeat contumaciam.

*Nu.*174. VT peccatum sit causa legitima ferendi excommunicationem maiorem ; præter grauitatem, debere annexam habere contumaciam : in Concil. Trident.sess.25.cap.3. De reform.& apud Gratianum in cap. Si quis deinceps 17.quæst. 4. non obscurè insinuatur:cùm de reo dicitur:Si contumax sit erga Iudicem aliis pœnis ipsum coërcentem , anathematis mucrone feriri posse. Eáque est sententia expressa D.Thomæ *in* 4.*distin.*18.*quæst.*2.*art.* 1.*quæstiuncula* 3.& ad verba D.Marth.cap.18.Sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus] pro qua plures canones Vgolinus citat *De censuris tabula* 1.*sub initium cap.*12.Potest autem, *vt D.Thomas subindicat* , sic confirmari. Non debet sapiens medicus statim morbo adhibere extrema & molestissima remedia:sed tum demum cum alia leniora amplius nihil prodesse possunt. Neque enim cauterio curandum est vulnus,quod vnguento cura-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quædam notanda de contumacia, ad pleniorem quæstionis propositæ intelligentiam.

HIs, de ipsa contumacia, pro pleniore propositæ quæstionis explicatione, addenda sunt quædam.

Nu.175. Primum est: quamuis iuxta gloſam ad cap. Duo sunt distinct.96.verbò Videbatur (cui multos assentientes adfert Couar. *ad cap. Alma mater 1.par.§.9.nu.* 3. quælibet contumacia digna sit excommunicatione: antequam tamen tantâ pœnâ plectatur, considerandum esse (vt idem Couar.aliis quoque citatis addit *in fine eiusd.num.*3.) qualis sit, & quantum Ecclesiæ nocere possit, ac cuiusmodi sit res ea circa quam habetur: quia indignum est quemquam excommunicare pro leui contumacia: aut quæ contigerit in re leui, velut in parua quæstione orta super modica re temporali: aut cùm numquam poterit obedientia tantùm prodesse Ecclesiæ, quantum obierit excommunicatio, qua vnum vel plura ex membris ipsius separantur à societate Sanctorum & spiritalibus suffragiis.

Secundum est (quod patet ex cap. Venerabilib.§. Porro, De senten. excommunic. in 6.) ad legitimè ferendam excommunicationem, non esse necessarium vt contumacia sit manifesta: seu qua quis apertè recuset obedire mandato Superioris: sed sufficere posse occultam siue præsumptam: qualis est eius qui malitiosè occultat se, ne citetur. De quare Vgolin.in cit.tab.1.cap.17.§.7.num.4.& 5.

Nu.176. Tertium est (de quo adhuc in eodem num. 3. Couar.) contumaciam qua quis non vult obedire legi vel Iudici, posse procedere aut ex contemptu ipsius legis vel Iudicis: vt accidit cùm quis agit contra præceptum, eo quod nolit Superiori præcipienti subiici, nec ipsius voluntatem exequi: sed contra eam, siue explicitè siue implicitè insinuatam agere; itaut contemptus, causa sit agendi: quo modo est speciale peccatum inobedientiæ: illúdque mortale, etiam in re minima; iuxta Caiet.in verbo Contemptus. Aut posse procedere ex aliqua alia causa: vt ex appetitu voluptatis, vel pecuniarum, aut ex eo, quòd res iudicetur leuis, vel aliud eiusmodi. Sicque non constituit distinctam speciem peccati; sed pertinet ad eam de qua præceptum datur: vt exempli gratia; contumacia quâ quis ob inordinatum affectum habendi, recusat parere præcepto quo Iudex sub pœna excommunicationis iubet aliquid restituere, pertinet ad peccatum iniustitiæ: ac proinde si contingat in re leui, erit solùm veniale, vt ibidem ait Caietan. Nam peccatum quod aliàs mortale est, ex materiæ leuitate in qua contingit, potest esse tantùm veniale, prout in sequenti lib.15.cap.4.ex instituto docebitur. Vnde cùm pro veniali culpa non sit ferenda excommunicatio; illud quod ante habitum est, quamlibet contumaciam esse dignam excommunicatione, intelligi debet de qualibet mortali: siue procedat ex contemptu, siue ex alia causa. Si quis enim sub pœna excommunicationis iussus concubinam dimittere; etiamsi non ex contemptu Iudicis vel præcepti Ecclesiastici, sed solùm ex appetitu libidinis parere nolit, de omnium iudicio, iustissimè excommunicatur: & ita de aliis huiusmodi. Ad quod confirmandum faciunt tradita ab Vgolino in tab. 2. De censuris cap. 27. in principio.

Nu.177. Quartum est, in non contumacem latam sententiam excommunicationis, inualidam esse: quia vt Sotus argumentatur *in cit. art. 2. conclus.*4. In Euangelio nulla apparet alia potestas excommunicandi Ecclesiæ data: quàm in eum qui ipsam non audierit: id est ipsi præcipienti obtemperare contempserit. Hoc autem idem est ac datam esse tantùm potestatem ferendi excommunicationem in contumacem. Ergo in non contumacem lata excommunicatio non potest esse valida. Vnde vt idem Sotus bis repetit *in eod.art.* is debet esse tutus in conscientia, quòd apud Deum nullam incurrerit excommunicationem, qui certò scit, se non peccasse mortaliter contra obedientiam quam debet Ecclesiæ præcipienti aliquid vel prohibenti. Sed opponet aliquis: cùm quod factum est infectum esse nequeat, admonitionem non habere locum in præteritis, ideóque nec cótumaciam: pro quibus tamen ferri potest excommunicatio ex cap. Romana De senten. excom. in 6. Ad excommunicationem igitur non requiritur tantopere contumacia quàm diximus.

Nu.178. Occurrendum est autem; cum excommunicatio dicitur pro culpis præteritis vel præsentibus ferri, non esse sensum quòd culpæ præteritæ vel præsentes puniantur excommunicatione; cùm monitio eas non præcesserit comminatoria talis pœnæ, vt bene aduersus Caiet.idem Sotus vrget *in explicatione citatæ conclus.* sed quòd ex iis sequatur obligatio, cui si delinquens nó satisfaciat ab Ecclesia monitus, in eum tanquam contumacē, ea pœna decernatur; *vt in eum qui furtum commisit*, nisi restituerit; in concubinarium, nisi concubinam dimiserit. Ita esse patet ex cit. cap. Romana; vbi habetur sententiam excommunicationis in aliquos pro commissis culpis sub hac forma ferri: si de illis intra tale tempus non satisfecerint. Videri potest Vgol.in tab.1.cap.17.§.7. num. 6. & 8. Itaque id quod in præcedenti quæst. 3. diximus, excommunicationem ab homine pro culpis præteritis ferri; intelligendum non est simpliciter; sed ita, vt excommunicentur ij, qui illas commiserunt nolentes parere Ecclesiæ sub excommunicatione præcipienti cessationem ab illis; aut satisfactionem faciendam iis quos læserint: vt per cap. Ex parte 2. De verborum signific. tradit aliis citatis Vgolinus in eodem num.8. Quocirca cùm Episcopus excommunicat detentorem rei alienæ nisi restituat intra octo dies, excommunicatio non fertur pro detentione præterita sed pro futura, quæ post octo dies adiunctam habebit contumaciam, quam antea non habebat: & sic de similibus. Atque ex his satis manifesta est solutio quæ restat septimæ quæstionis. Num iam perpetratum debeat esse peccatum, pro quo fertur excommunicatio.

CAPVT X.

De modo quo maior excommunicatio ferri debet, vt censeatur valida.

SVMMARIVM.

179 *De eo, quòd excommunicatio lata ex ira, odio, aliáve inordinata affectione dicitur iniusta quidem, sed non inualida.*
180 *Vt ea valeat, ferri debet cum intentione ligandi.*
181 *Non ligat eos quos à tali sententia Iudex, aut is cui ipse ius reddit, vult eximi.*
182 *Quid sentiendum sit in ea re de vxore & filiis eius qui excommunicationem procurat, & de Procuratore per quem procurat.*
183 *Excommunicatio ferri debet præmonito delinquente, in quem ferenda est.*
184 *Talis præmonitionis circunstantia prima, vt sit personalis,*

nalis, quæ patitur exceptionem in aliquot casibus.
185 *Circunstantia secunda, vt eadem præmonitio sit trina: quæ patitur etiam exceptionem in aliquot casibus.*
186 *Non est necessarium tres monitiones esse inter se distinctas: & quod spatium temporis ad eas requiratur.*
187 *Alia circunstantiæ.*
188 *Præmonitio præmitti debet sententiæ excommunicationis, quantumuis crimen sit notorium.*
189 *An is quem Ordinarius delegat ad proferendam excommunicationem debeat vti præmonitione, explicatur distinctione.*
190 *Non est necesse ad incurrendam excommunicationem latam à iure, vt monitio sit præmissa.*
191 *Id quod patitur aliquam restrictionem, & locum habet in excommunicatione lata ab homine per modum statuti pro culpis futuris.*
192 *Lata sine causæ cognitione excommunicatio nulla est: item lata sine monitione, exceptis duobus casibus.*
193 *Ad excommunicationem non sufficit sola interior intentio eam ferendi, sed exterius verbis proferri debet.*
194 *De eo, quòd debeat proferri in scriptis.*
195 *An ore quoque proferri necesse sit.*
196 *Variæ verborum formulæ, quarum aliæ tanquam æquipollentes huic, Excommunico te: sufficiunt ad ferendam excommunicationem; aliæ verò, non item.*

PRimo exponēdum est quæ seruari oporteat ex parte excommunicantis. Secundò, quæ ex parte excommunicati. Tertiò, quæ ex parte ipsius excommunicationis, vt ea sit iusta simul & valida.

Quæ seruari oporteat ex parte excommunicantis.

SECTIO I.

Nu.179. EX parte igitur excommunicantis duo seruari oportet. Alterum est vt in decernenda excommunicatione rectam habeat intentionem, id est, moueatur affectu iustitiæ, cuius est custos: non autem odio, ira, alióve prauo affectu. Alioqui enim iniustam seu contra ius proferre sententiam, patet ex cap. Episcopus Presbyter 11. *quæst.*3. *sub finem*: & ex cap. Cùm externi *De semen. & re iudicata in* 6. Quæ tamen iniustitia nec est peccatum mortale, iuxta Sotum *in lib.*3. *de iust. & iure quæst.*4. *art.*2. *versu Circa harum*: nec vllam restituendi obligationem inducit iuxta Nauar.in Enchir.cap.25. num.15. nec demum excommunicationem reddit inualidam iuxta D. Thomam *in* 4. *distinct.*18. *quæst.*2. *art.*1. *quæstiun.* 4. atque communem omnium Doctorum sententiam teste Soto *in* 4. *dist.*22. *quæst.*1. *art.*3. *concl.*1. Quæ confirmatur ratione: quia corruptio intentionis Iudicis non impedit quominus sententia quam ipse fert (si nullo alio vitio contaminetur) seruet æquitatem iustitiæ retinendam inter homines. Quare nec quidquam impedit quominus sit valida.

Sed aduerte quòd cùm iuxta eumdem Sotum loco prius citato ex lib. tertio, de iust & iure, sententia Iudicis tribus modis intelligi possit iniusta esse ex parte ferentis: vel quia fertur contra iustitiam; ita scilicet vt fiat alteri iniuria: vel quia non fertur ex affectu seu inclinatione iustitiæ: vel quia fertur ex prauo aliquo affectu siue odij, siue iræ, siue alterius: tria hæc quæ dicta sunt, intelligi debere præcisè de sententia iniusta secundo modo. Nam quando aliis quoque modis iniusta est, Iudex illam ferendo potest mortaliter etiam peccare, & ad restitutionem obligari: ipsáque esse inualida. Etenim affectiones iræ, vel odij, &c. seu auersiones animi adeo vehementes esse possunt, vt rationem habeant peccati mortalis: & sententia excommunicationis ita ferri contra iustitiam, vt Iudex teneatur ad restitutionem famæ aut alicuius damni temporalis, ipsáque sit inualida: quod relinquitur iudicio prudentis ex inspectione circunstantiarum.

Alterum quod ex parte excommunicantis seruari oportet, est vt is ferat sententiam cum intentione ligandi. Alioqui enim, vt expresserunt post Panorm. Angelus excommunicatio tertio num. 16. Syluest. excommunicatio 1.num.2. versu 14. Nauar. in Enchir.cap.27.num.11. inualida erit excommunicatio: quod etiam aliis citatis notat Henriquez *in* 1. *part. Moralium Instit.lib.*13. *cap.*20. *circa principiū, lit.B.* Et ratio confirmat, quia sententia excommunicationis vim accipit ex intentione illius, qui *cum potestatem habeat*, illam profert: itaut absque hac, illa sit nulla: perinde ac Sacramentalis absolutio nulla est, quæ datur ab eo qui voluntatem absoluendi non habet; iuxta illud quod in Concil.Trident.sess.14.cap.6. dicitur: non esse absolutum aliquem coram Deo, si nulla ei adsit cōtritio, aut Sacerdotis animus seriò & verè absoluendi desit. Nam vt absolutio Sacramentalis, eoquod sit actus humanus potestatis acceptæ à Christo, requirit intentionem id faciendi ad quod instituta est eadem potestas: sic etiam excommunicatio requirit; cùm & ipsa actus sit humanus potestatis datæ à Christo. *Nu.180.*

Ex quibus iidem authores duo inferunt. Alterum est, quòd si Iudex generalem proferens excommunicationis sententiam nolit aliquos sub illa comprehendere, ipsos fore ab ea exemptos, neque ligari. Alterum est fore similiter exemptos illos quos eximi voluerit is, ad cuius instantiam Iudex excommunicationem ipsam decernit; quia Iudex non vult sub sua sententia, comprehendere alios, quàm quos voluerit ille, in cuius gratiam eam profert. Et ratio est quia in tali iudicio non habet alios reos quàm quos ille cui ius reddit, intendit ad ipsum deferre. *Nu.181.*

Sed dubitari potest, An si paterfamilias petat ab Episcopo proferri excommunicationem in eos qui bona sua diripuerunt: ad hoc vt vxor & filij ipsius eximantur ab excommunicatione, necesse sit vt specialiter intendat eos excipere: an verò satis sit, si in mentem tale quid ei veniſſet, omnino illos excepisset.

Cui dubitationi iuxta Rosellam Sylvester *Excommunic.*7. *num.*52. *dum explicat excommunicationem* 17. *versu* 3. respondet etiam vxorem & filios tali excommunicatione ligari, nisi pater ipse familias eos specialiter exceperit, etiamsi excepisset, si id in mente ei veniſſet. Ipse verò propendet in contrarium, nec immeritò: quia satis probabiliter Sotus ait *in* 5. *de iust. & iure quæst.*3. *art.*1. *ante solutionē argumentorum*; quòd præsumendus non sit paterfamilias, tam acri spiritali mucrone aut vxorem aut filios sauciare velle: itaut Iudex conformando se ipsius intentioni, non videatur intendere vxorem & filios ipsius comprehendere sub sua sententia. Cæterùm cùm nihil constare possit, nec de patrisfamilias, nec de Iudicis intentione tales specialiter excipiendi, contraria sententia tanquam tutior, est sequenda in praxi. *Nu.182.*

Dubitari etiam potest, An si paterfamilias per suum Procuratorem postulet ab Episcopo, ferri sententiam excommunicationis in omnes qui bona sua

Universidad de Deusto
Biblioteca

diripuerunt, nisi restituant: ipse quoque Procurator tali delicto obnoxius, comprehendatur sub ea sententia, si is intendat seipsum excipere dum excommunicationem procurat. Cui dubitationi rectè Syluester ibidem respondet comprehendi & perinde ac cæteros ligari, si pater familias non intenderit ipsum excipere. Nam intentio Prælati excommunicantis respondet intentioni patris familias, tanquam causæ principalis, cuius tantummodo instrumentum, Procurator est.

Quæ sint seruanda ex parte excommunicati.

Sectio II.

Nu. 183. QVod ex parte excommunicati seruari oportet in ferenda maiore excommunicatione, est vt ille præmoneatur seruatis quibusdam circunstantiis. Atque præmoneri debere constat ex iis quæ in præced. cap. quæst. 6. proposita sunt ad docendum non nisi in contumacem esse ferendam excommunicationis sententiam. Et confirmatur per cap. Sacro De senten. excommun. & cap. Statuimus, & cap. Constitutionem eod. tit. in 6. ac per alia quæ adfert Vgolinus De censuris *tab.* 1. *initio capitis* 18. Addens authores idem tradentes, simúlque monens ampliandum esse, vt procedat respectu quidem excommunicantis; siue ille sit Iudex ordinarius, siue delegatus; & siue sit sæcularis siue regularis. Respectu verò excommunicati; siue sit singularis persona, siue multitudo personarum. Respectu autem causæ, quæcumque ea sit, pro qua excommunicatur quis: etiamsi notoriè constet ipsum esse talis criminis reum: quia adhuc scire oportet ipsum esse contumacem, nec velle audire Ecclesiam: ad quodquidem requiritur, vt præmoneatur nomine Ecclesiæ. Respectu porro modi quo fertur excommunicatio, siue feratur generaliter, siue specialiter ac nominatim. Respectu denique eius in cuius gratiam fertur: siue sit ipsemet Iudex excommunicans, siue alius, cuius postulatione excommunicat.

Nu. 184. Circunstantiarum verò quibus talem præmonitionem circumscriptam esse oporteat; prima est, quòd debeat esse personalis, hoc est, debeat ei qui excommunicandus est fieri in facie: non autem solùm (sicut secundùm leges in aliis citationibus fieri potest) ad ipsius domum, in qua assidue habitat, aut per edictum: vt pluribus aliis in eam sententiam citatis habent Couar. ad cap. Alma mater: & post ipsum Vgolinus De censuris: *ille 1. par. §. 9. num. 4. & hic in cit. cap.* 18. §. 1. Qui & addunt aliquot casus in quibus id patitur exceptionem.

Primus est, cùm is quem admonere volumus, vel dolo malo absens factus est, vel latitat, vel impedit quominus admonitio ad ipsum perueniat: tunc enim sat erit, si admonitio seu citato fiat ad domum; iuxta cap. Quoniam frequenter §. *Porro tu. Vt lite non contestata.* Sed antequam excómunicatio feratur, oportet eiusmodi impedimentum & dolum probari: cùm nec factum, nec dolus præsumatur; nisi probetur: argumento legis Dolum ff. De dolo. Sique reus non habeat domum, facienda est admonitio in Ecclesia Cathedrali illius loci. Quod vtrumque citatis aliis, Vgolinus ibidem addit.

Secundus casus est, cùm excommunicatio, non quidem nominatim in certam personã, sed generaliter aut indistincte in eũ qui aliquid antè fecit, vel post facturus est. Quia enim talis non cognoscitur, personaliter moneri non potest: sed solùm generaliter ferri excommunicatio, vt solet à iure pro culpis futuris: & ab homine pro præteritis, quando authores illarum ignorantur: vt v.g. quando excommunicatur quicumque res Titij furatus est, nisi reddat: aut quicumque talem nouit, nisi reuelet.

Tertius casus est, cùm quis fuit iam semel citatus legitimè personali citatione: quæ cùm maximum habeat effectum ad integram causlæ discussionem; deinceps, *inquit Couar.* sufficere poterit citatio seu admonitio ad domum, aut per edictum, aut in ipso tribunali facta.

Quartus casus est, quando monitio ad domum facta, peruenit ad ipsius excommunicandi notitiam. Cùm enim certus, certior fieri non possit ex cap. Eum qui, De regulis iuris in 6. talis monitio sufficit, vtis legitimè excommunicari possit.

Quintus est, cùm quis fuerit malè absolutus ab excommunicatione, & tractatur de reducendo eum in primam excommunicationem: quia tunc satis erit quòd ad domum moneatur, inquiunt iidem authores, post alios ab ipsis citatos.

Nu. 185. Secunda circunstantia est, vt talis monitio sit trina, prout communem sententiam esse notat in seq. num. 5. Couar. pro qua authores Vgolinus refert in eod. cap. 10. §. 2. habetúrque ex cap. Constitutionem De senten. excommunicationis in 6. §. Statuimus: & apertè confirmatur ex cap. 18. D. Matth. Vbi Dominus præcipit peccantem in nos fratrem corrigi inter nos & ipsum solum, sique nos non audierit, nobiscũ testes adhiberi; atque si nec tunc audierit, defetri ad Ecclesiam: quam demum si audire noluerit habeatur sicut Ethnicus & publicanus. Quibus satis indicatur trinam monitionem præmittendam esse sententiæ excómunicationis, propter quam aliquis habendus vt Ethnicus & Publicanus. Sicut indicari notatur 16. *quæst.* 7. *cap. Omnes decimæ*, cùm sic dicitur, Modò multi inueniuntur decimas dare nolentes: statuimus vt secundùm Domini præceptum admoneantur semel & secundò & tertiò: qui si non emendauerint, anathematis vinculo feriantur.] Item 17. *quæst.* 4. *cap. De presbyterorum*, vbi de cad. monitione excommunicationi præmittenda ex Domini præcepto, similis est mentio. Vnde in cap. Sacro *De senten. excommunic.* Iudices sine tali monitione excommunicationem ferentes, etiamsi iusta fuerit sententia, interdicuntur ingressu Ecclesiæ per vnum mensem; aliã adhuc pœna mulctandi si visum fuerit expedire: in eoque peccant mortaliter vt notant Sotus in 4. distinct. 22. & Nauarr. in Enchir. *ille quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. *& hic cap.* 27. *num.* 8. & 10. Sed tamen aliquot dantur casus in quib. circunstantia hæc potest deficere, relati ab Vgolino loco citato.

Primus est, cùm ex vnica monitione satis appareat, manifestáque est delinquentis contumacia; vt cum Iudici sedenti pro tribunali prædixit se non comparitum si citetur: neque parituram si admoneatur; argumento cap. Venerabilibus §. *Porro, versu Secus autem, De senten. excommunic. in* 6. Et ratio est quia non fit admonitio, nisi vt conuincatur delinquentis contumacia, quæ est proxima causa excommunicationis.

Secundus casus est, quando monendus, occultat se aut aliter impedit, ne ad ipsum perueniat monitio; indè enim præsumitur contumax sufficienter ad excommunicationem.

Tertius est, cùm excommunicatio à iure aut ab homine fertur pro culpis futuris iuxta dicenda in seq. sect. dub. 3.

Quartus, cùm necessitas aliud suadet, estque periculum in mora ex citato cap. Constitutionẽ in fine.

Quintus, cùm monendus, nimis terribilis est monenti.

nenti. Nam persimilis est ei qui impedit, quominus admonitio ad eum perueniat.

Nu. 186. Cæterum nihil refert siue fiant tres monitiones distinctæ, siue vna sufficiens pro tribus, vsurpetur ex cap. Constitutionem, vbi sub finem sic dicitur: Statuimus quoque vt inter monitiones, quas (vt canonicè promulgetur excommunicationis sententia) statuunt iura præmitti; Iudices, siue monitionibus tribus vtantur, siue vnã pro omnibus, obseruent aliquorum dierum competentia interualla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda.

Tribus autem monitionibus vtuntur Iudices, vt indicat Glosa explicans illa verba, *vna pro omnibus*, cùm dicunt Monemus te pro prima, & hac finita; monent pro secunda; quã rursus finitã monent pro tertia. Vna verò pro tribus vtuntur, cùm dicunt: Monemus te pro secundo & tertio peremptorio. Porro ex eo, quod in cod. cap. statuitur; inter monitiones debere interesse aliquot dierum interuallam, intelligimus Nauarrum in cit. num. 10. (cui assentitur Vgolinus in cit. §. 2. num. 41.) rectè dixisse inter vnam & aliam monitionem debere intercedere duorum saltem dierum spatium; & quando vsurpatur vna monitio pro tribus, esse minimum concedendos sex dies illi qui admonetur, antequam in eum excommunicatio decernatur. Nam locutio illa pluralis (obseruent aliquot dierum competentia interualla) duorum saltem dierum spatium requirit. Ex eo autem quod subiicitur, *nisi forte necessitas aliter suaserit ea esse moderanda*: colligitur non tantum illud quod ait ibid. Nauarrus: quando periculum est in mora, minuendum esse hoc temporis spatium quantum oportuerit, neque plus neque minus: sed colligitur etiam Iudicem posse & debere, cùm pro qualitate negotij vel personarum viderit expedire, in longiora dierum spatia, monitiones suas prorogare.

Nu. 187. Tertia circunstantia in eo cõsistit, quòd talis monitio fieri debeat præsentibus idoneis personis, per quas si necesse fuerit, ipsa probari possit. Ità statuitur in cap. Sacro, De senten. excommunic. vbi & Iudex qui tali circunstantiã omissa sententiam excommunicationis tulerit, interdicitur ingressu Ecclesiæ per vnum mensem. Vide Vgolinum in sequ. numero 5.

Quinta circunstantia in eo cõsistit, vt qui specialiter monentur debeant nominatim exprimi in monitione vt notant Angelus Excommunic. 3. & Syluest. Excommunicatio 2. *ille num.* 17. *& hic num.* 1. *versu* 9. Et patet ex cap. Constitutionem De senten. excommunicãn 6.

Quinta est, vt fiat sub comminatione excommunicationis. Verùm quia ius Canonicum non dat de ea speciale præceptum, non videtur sic requiri vt si à Iudice omittatur, is censendus sit sententiam tulisse absque canonica præmonitione.

Responsio ad quædam dubia, antedictis annexa.

Sectio III.

Nu. 188. HIc dubitari potest primò, An tunc etiam cùm crimen notorium est, admonitio debeat necessariò præmitti sententiæ excommunicationis. Cui dubitationi Couar. pluribus aliis citatis affirmatiuè respondet *ad cap. Alma mater* 1. *par. §. 9. nu.* 6. quia quantumuis crimen sit notorium, non ideo tamen conuincitur ex illo contumacia, seu erga Ecclesiã inobedientia, quæ debet annexa esse peccato propter quod excommunicatio infertur, vt ante ostensum est. Cùm igitur ad conuincendam contumaciam necessariò præmitti debeat admonitio, tunc quoque præmittenda est.

Secundò dubitatur, An monitio de qua agimus, *Nu.* 189. præmitti debeat ab eo, cui Papa aut alius Ordinarius sententiam excommunicationis proferre commisit. Cui respondendum est cum Syluest. *excommunic.* 1. *num.* 12. non esse opus, si sciat præmissam esse ab Ordinario, atque adeo reum sufficienter de contumacia conuictum esse: licut nec præmitti debet cognitio causæ, cùm iam ab Ordinario decisa est. Quod si nesciat præmissam, aut reuera non sit præmissa, debet præmitti. Nam cùm sine præmonitione excommunicatio nunquam debeat ferri, si Ordinarius non præmonuerit, is saltem cui ferendæ excommunicationis ministerium demandauit, præmonere debet.

Tertiò dubitatur, An oporteat monitionem præ- *Nu.* 190. mitti vt excommunicatio lata à iure incurratur. Ad quod respondent Syluester ibidem & Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *num.* 10. & alij quos commemorant & sequuntur Couar. & Vgolinus *ille in præced. num.* 5. *& hic tab.* 1. *cap.* 18. *in princip. num.* 2. *vers. Tertio aduenitio hæc*, non esse necessarium præmitti aut ille qui facit contra ius siue statutum, quo in delinquentem decernitur excommunicatio, hanc ipso facto incurrat: vt qui Clericum percutit, eo ipso subiacet excommunicationi latæ in cap. Si quis suadente Diabolo, 17. quæst. 4. Cur autem non sit necessarium; ratio hæc redditur quia lex quæ lata cum maturo iudicio magnáque circumspectione, censuram eam inducit, quotidie admoneret subditos quos obligat, ne committant crimen propter quod illa decernitur: ideoque necessaria non est alia specialis monitio, nisi aliter iure ipso cautum esset; prout excipit Vgolinus loco citato.

Qui & aliis citatis addit per cap. Reprehensibilis, *Nu.* 191. De appellationibus: delinquentem contra Canonẽ, quo decernitur excommunicatio, aut quo aliquid sic prohibetur, vt prohibitio ipsa debeat haberi pro monitione comminante excommunicationem; posse à Iudice aliquem excommunicari, præmissa vnica monitione: ne idipsum faciat quod est tali Canone prohibitum: dummodo tamen (ipso prius citato) constiterit de eius delicto: prout oportet constare non modo ad talem criminosum irretiendum excommunicationẽ, sed etiam ad denunciandum iam irretitum.

Cæterùm, quod diximus de excommunicatione à iure, debet simili modo intelligi (prout expressit Gabr. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *lit. M.*) de excommunicatione ab homine, quæ ex modum statuti fertur pro futuris culpis; qualis est si Superior moneat aliquem vt non fornicetur deinceps, alioquin ipsum excommunicat. Tunc enim vt notant D. Anton. 3. *par. tit.* 24. *cap.* 74. & Syluester *excomm.* 1. *num.* 13. pluresque alij quorum meminit Vgolinus *in cit. num.* 2. *versu Admonitio denique*: non est opus monitione vt excommunicatio à tali incurratur post patratum scelus; sed statim in illam incidit.

Quartò dubitatur, An si excommunicationi ab *Nu.* 192 homine pro emendatione criminis commissi, super quo non erat à iure datum præceptum sub excommunicatione, nulla monitio præmittatur: excommunicatio non modò sit iniusta; sed etiam inualida. Pro responsione autem dicẽdum est, omnino inualidam esse eam excommunicationem, quæ ratione præteritorum omissa monitione fertur sine causæ cognitione, & sine clausula iustificatoria, id est, non dato termino ad allegandas causas, si quas subditus habuerit, ob quas non debeat tali excommunicationi subii

Universidad de Deusto
Biblioteca

subiici. Id quod aliis citatis docet Nauarr. in Enchir. *cap.27.num.10.versu* 5.&sequitur Vgolinus in fine memorati principij. Non esse autem inualidam, ex eo tantùm,quòd desit Canonica,seu trina monitio, tenet glosa ad cap.Romana De sentent. excomm. in 6. verbo Iniustus.

Tenent etiam Palud. *in 4.distinct.18. art.4.sub finem*, pluréſque alij quorum meminit Vgolinus in eod. princip.num.4.& ante eum Couarr.in cit.§. 9. num. 7. qui communem sententiam esse ait. Apertè verò probatur ex cap Sacro De sentent. excommunic.vbi ingressus Ecclesiæ per mensem interdicitur Iudici, qui non præmissa competenti (nempe trina, vt glosa interpretatur) admonitione, sententiam excommunicationis tulerit;etiamsi hæc fuerit iusta, id est (vt glosa intellexit, etiamsi feratur iusta de causa : adeoque teneat. Nam de excommunicatione cùm est nulla,verificari non potest quod sit iusta : quandoquidem non entis non datur qualitas. Vera est autem hæc sententia, *vt Couarr. addit, & tenent alij ab Vgolino citati*, non solùm cùm excommunicatio profertur ab Ordinario sed etiam cum à delegato:nisi in mandato delegatario,fuerit expressum, vt præmissa canonica admonitione excommunicatio feratur: quia tunc canonica admonitio requiritur, tanquam aliquid de forma mandati : cuius omissio actum vitiat iuxta cap. Pisanis & Lucanis De restitutione spoliat.

Datur etiam alius casus, in quo ob prætermissam Canonicam admonitionem excommunicatio est nulla;iuxta definitionem cap. Statuimus De sentent. excommunic. in 6. nempe si Iudex ante Canonicam ipsam monitionem, proferret excommunicationem maiorem in illos,qui in locutione &aliis,pro quibus de iure incurritur tantùm minor excommunicatio, participant cum iis quos ipse excómunicauit.Quem casum aduerte obiter, non procedere quoad Papam, qui tali iure (quod est humanum) non adstringitur: nec quoad alium Iudicem in ordine ad excommunicatos ab eodem. Nam vt habet Couarruias in citata 11.parte §. 3.*num.6.& sequitur Nauarr. in Enchir. cap. 27.num.*4.)Si Iudex communicantes cum excommunicato ab alio Iudice vel à iure, excommunicet sine Canonica præmonitione,licet futura sit iniusta excommunicatio:non erit tamen nulla. Ratio est,quia textus citati cap. tantùm loquitur de participantibus cum excommunicato ab eodem Iudice, à quo in ipsos sententia fertur.

loquitur. Quæ verba indicant ; ad hoc vt quis pro excommunicato habendus sit, non esse necessariò expetendam sententiam Superioris in eum verbo aut scripto prolatam : sed satis esse vt Superior ipse communionem ipsius auersando, insinuet suam intencionem.

D.Anton.verò 3,part tit.24,cap.74.Gabr.in 4.dist. 18.quæst.2.art.2.concl.7. Angelus excommunicatio. 2.§.4.Sylu.Excommunicatio 1.num.13. & 15.volunt sententiam excommunicationis debere proferri verbis,quibus Iudex exprimat suam de præsenti intentionē excommunicandi, qualia sunt : Excommunicamus omnes qui hoc vel illud egerint : Excommunico te,& alia his æquiualentia (nulla certa verba præscripta esse pro forma substantiali excommunicationis, omnium sententiam esse notat Vgolinus tab.1.cap. 20. in princip.num.3.) quæ exprimunt intentionem siue consensum Iudicis excommunicantis de præsenti:non item quæ de præterito vel futuro Adeout dicente Iudice,Denuntio Titium excommunicatum (quia hæc verba significant præteritam intentionem excommunicandi, non erit Titius propterea excommunicatus, nisi prius incurrisset in talem censuram. Quamquam vt notant D. Anton. & Sylu.locis cit.cæteri tenentur ipsum vitare tanquam excommunicatum:cùm non sit illorum iudicare, an fuerit necne iam excommunicatus.Similiter nec erit quis excommunicatus cùm Iudex vtitur verbis comminatoriis,quæ significant tantùm futuram intentionem ferendi excómunicationem. Nec item, cùm Iudex dicit : Volo vt vnus ex istis duobus sit excommunicatus : quia ex illis verbis constare non potest de eius presenti intentione excommunicandi.Eidem opinioni D. Antonini & aliorū,quā latè persequitur Vgolinus *in eod.cap.* 20. ratio fauet : quia excommunicatio est actus Ecclesiasticæ iurisdictionis in foro exteriori: in quo lites verbis & discutiuntur & dirimuntur.

Adde Iudicem non tantùm debere exteriùs verbis exprimere excommunicationem:sed etiam, *prout expresiè in cap.Cùm medicinalis De sentem. Excommunicatio. in Sexto precipitur*, debere eam in scriptis proferre: & causam expressè conscribere, propter quam excōmunicatio proferatur, exemplúmque ejusdem scripturæ excommunicato tradere intra mensem si fuerit requisitus. De quibus Vgolinus pluribus in seq. cap.21. Intelligi autem sic debent iuxta Nauar. *in cit. cap.27.num.*8. vt nihil referat siue scriptura sit publica siue priuata,id est, siue feratur excommunicatio in scriptura de manu notarij publici, siue de manu eam ferentis. Itémque sic intelligi, vt licet is peccet qui sine iusta causâ solo verbo excommunicat, omissa scripturâ siue publicâ siue priuatâ : nihilominus talis excommunicatio liget quantumuis iniusta ; vtpote lata contra iuris ordinē. Id quod præter Nauar. habet Sotus *in 4.dist.22.quæ.1.art.3.concl.2.versu sententia verò* satisque deducitur ex cit.cap. Cùm medicinalis,dum in eo præcipitur,vt per Superiorem, cùm ad ipsum recurritur,illa statim relaxetur. Nec enim locus est relaxationi si non liget. Denique sic intelligi; vt etiamsi generaliter dicatur,illos qui excommunicando scripturam eiusmodi omiserint, pœnam suspensionis incurrere:id tamen sit ad Prælatos inferiores Episcopo referendum : quia Episcopus, & alij Prælati superiores in nullo casu incurrunt interdicti aut suspensionis pœnam, occasione cuiuscumque constitutionis aut sententiæ aut mandati; nisi in eis expressa mentio de illis habeatur,vt statuitur in cap. Quia periculosum, *De sententia excomm. in 6.* Nulla autem expressa mentio Episcoporum sit in proposito cap.Cùm medicinalis:vt nec in ca. Sacro De senten. excom

Nu.194.

Quid ex parte excommunicationis seruare oporteat.

SECTIO IV.

Nu.193. QVod in hac re difficultatem habet ; est vtrum necessarium sit sententiam excommunicationis exterius exprimi verbis aut scriptis,quibus Iudex suam intentionem de ea ferenda enuntiet. Sententia autem est Hostiens. *in summa,De sentem. excommunic.§. Qualiter proferatur* : posse aliquem sola Iudicis voluntate excommunicari. Quam probat ex cap. Si inimicus distinct. 93. vbi verba D. Petri alloquentis populum in ordinatione Clementis, referuntur ad hunc modum. Si inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis prauis,vos nolite expectare, vt ipse vobis dicat,cum illo nolite amici esse, sed prudenter obseruare debetis,& voluntati eius absque commonitione obsecūdare, & auertere vos ab eo,cui ipsum sentitis aduersum : neque loqui iis quibus ipse non

excommunic.in quo,vt ante annotauimus,per mensem ingressū Ecclesię interdicitur is,qui sine canonica præmonitione excommunicate præsumpserit.

Porro canon Si inimicus ab Hostien. propositus, nos tantùm vrget concedere,quod vt vitari debeat is quem Papa excommunicarit, non sit expectandum vt ipse illam excommunicatum esse exprimat verbis: sed sufficere,vt eo modo illum auersetur, quo solet excommunicatum iam denuntiatum;adeout illo canone significetur,non quidem Summum Pontificem excommunicare sola interiori intentione : sed cùm non ligetur decretis Canonum, ipsum sola cuitatione vti posse pro denuntiatione sufficienti, vt aliquis tanquam excommunicatus vitari debeat.

Nu.195. Quæret aliquis vtrum necesse sit vt Iudex sententiam excommunicationis ore pronuntiet,an satis sit, quòd eam decernat per scripturam. Cui quæstioni Panormit.ad cap.Præterea 2. De appellationibus nu. 12. respondet posse Superiorem excommunicare per literas,neque necessarium esse quod ore suo sententiam proferat. Pro quo facit praxis recepta : cui non aduersatur,quòd in ante cit.cap. Cùm medicinalis Prælatus prohibetur sententiam excommunicationis ferre, nisi proferat in scriptis : namque satis profert in scriptis exprimendo eam in literis, quas mittit ad reum,per eas ipsum excommunicando formulâ vsitatâ ferendi excōmunicationē.Iam quæ aliæ formulæ possint esse, quæ huic *Excommunico te* æquipollentes, sufficienter iudicent maiorem excommunicationem proferri, bene tractat Vgolinus De censuris *tab.2.cap.*28.Sed satis erit paucis attigisse quę ille persequitur latius.

Nu.196. Primum est, *quod ipse habet in princip. num.*2. Omnibus his formulis excommunicationem maiorem ferri. Præscindo te ab Ecclesia,Eiicio te extra Ecclesiam, In te sententiam excommunicationis profero, Excommunicationis mucrone te ferio, Priuo te Christi fidelium & Sanctorum communione.

Secundum est, *num.*3. hisce verbis, *Nemo tali communicet*, Non esse censendum ferri maiorem excommunicationem,nisi manifestè constet Iudicem velle ea ratione excommunicare;aut id præsumatur ex eo, quòd ante in causæ cognitione occupauerit se animo ferendi excommunicationem:aut illis ipsis verbis addat donec absoluatur,satisfactione præmissa.

Tertium est, *in num.*4. istis verbis *anathema sit*, excommunicationem ipso iure ferri,non autem decerni solùm ferendam. Quartum *in num.* 5. his verbis, Noueris te excommunicatum, non ferri excommunicationē sed significari latam:vnde cùm tali cui dicuntur à Iudice,is non tenetur se habere pro excommunicato,si nulla alia in ipsum sententia excommunicationis præcesserit. Cùm verò ponuntur in iure: is qui in illud offenderit, debet se reputare excommunicatum:quia antequam offenderet, lata erat excommunicatio, in quam incurrit. Quintum est, *in* §.1. verba hæc Maledico tibi. Indignationem incurras omnipotentis, aut Apostolorum Petri & Pauli. Præcipio tibi sub obtestatione diuini iudicij;non inducere maiorem excommunicationem ; sed potius obligationem sub mortali.Postremum est,*in* §.2. his verbis,Fero in te sententiam censuræ, aut disciplinæ Ecclesiasticæ:aut pœnæ seu animaduersionis Ecclesiasticæ:aut Ferio te mucrone Episcopi seu Ecclesiastico:non ferri maiorem excommunicationem:quia nomina censuræ,disciplinæ, pœnæ aut animaduersionis Ecclesiasticæ, aut mucronis Episcopi, vel Ecclesiastici, multa alia quàm excommunicationem significant : pro quibus an accipiantur incertum erit:& incertitudo vitiat sententiam per tradita ab eodē authore in præcedēti *tabula 1.cap.*20.§.3.Excipe,nisi Iudex talibus verbis maiorem excommunicationem, aut omnem censuram Ecclesiasticam se ferre velle declarauerit.

CAPVT XI.

De causis quæ excusant ab incurrenda excommunicatione, etiamsi aliàs sit valida.

SVMMARIVM.

197 *Ignorans & absens,excommunicatione ligari potest: & varietas ignorantiæ.*
198 *Ignorantia vincibilis non excusat ab excommunicatione.*
199 *Inuincibilis facti excusat:quod qua ratione procedat cùm ignorantia est circa personam, circa quam exercetur factum.*
200 *Excusat item inuincibilis ignorantia sententiæ, & statuti particularis.*
201 *De dubio an excuset ignorantia iuris communis, decernentis excommunicationem pro facto non illicito,authores & rationes in vtramque partem.*
202 *Solutio rationum partis negantis.*
203 *Ignorantia inuincibilis statuti, siue communis siue particularis excusat ab excommunicatione etiam. si hæc per illud imponatur ob factum diuina lege damnatum.*
204 *Solutio rationis in contrarium.*
205 *Cur nihilominus sic ignorantes, pro absolutione remittantur ad Superiorem, si talis excommunicatio fuerit ei reseruata.*
206 *Impossibilitas excusans ab incurrenda excommunicatione,alioqui valida.*
207 *Exclusio aliquorum à sententia excommunicationis, qui ideo ab hac incurrenda excusantur.*
208 *De excusatione ab incurrenda excommunicatione, sub qua præcipitur, vt edantur, seu proferantur in medium scripturæ aliquæ.*
209 *De excusatione ab excommunicatione lata in eos qui aliquid sibi retinent ex certis bonis, quando hæc retinentur in iustam compensationem.*
210 *De excusatione ab excommunicatione lata ad habendum testimonium.*
211 *De bona fide excusante ab incurrenda excommunicatione.*
212 *Speciales causæ ob quas potest quis excusari ab incurrenda excommunicatione lata ad habendam reuelationem. Et de excusatione ob incommoda incurrenda.*

AD antedicta,ex quibus cognoscitur quando excommunicatio sit valida ; pro instructione Confessarij adiungendæ sunt causæ ab illa excusantes, quæ præter defectus ex quibus redditur inualida iuxta tradita hactenus,sunt tum illæ de quibus in posteriore parte huius capitis dicetur,tum rei paruitas quæ sufficienter nota est ex dictis in præced. cap.nono quæst.4.tum etiam ignorantia de qua nunc est dicendum.

PRIOR PARS CAPITIS.

De ignorantia excusante ne incurratur excommunicatio,aliàs valida.

Nu.197. DIfficultas versatur in hoc,an ignorantia sic excuset ab excommunicatione, vt hæc non sortiatur effectum suum in eo,qui alioqui illi subiicitur; adeout

Universidad de Deusto
Biblioteca

adeout talis,neque peccet communicando cum aliis, neque incurrat pœnas à iure constitutas,vt irregularitatem. Cuius difficultatis explicationi præmittendum est primo ex glosa ad cap.Apostolicæ *verbo.Probabili, De Cleric.ex.ommunic.* receptа communiter teste Couarr.ad cap. Alma mater *p.2.*1. §.10.*num.*7.*& Vgolino tab.*1.*cap.*9.§.8.*num.*3. ignorantem & absentem excommunicari.Quod probatur : tùm quia Apostolus, vt dicitur in fine cap. Cùm sit, De appellationibus, absentem & irrequisitum excommunicauit: prius tamen admonitum ad pœnitentiam:tum quia excommunicatio pendet ab animo & intentione eam proferentis:& ideo ex quo inscium & absentem obligare vult, ille manet obligatus : nisi obsterat aliquid ex antedictis, ex quibus excommunicatio redditur inualida. Præmittendum est secundo,duplicem distingui ignorantiam,vnam iuris,&alteram facti. Illa est qua ignoratur ius , seu sententia lata siue à iure siue ab homine:ignorantia facti verò, quâ ignoratur factum aliquod particulare esse de iis quę tali sententiâ comprehenduntur.Præmittendum est tertiò,tam iuris quam facti ignorantiam esse aut vincibilem,aut inuincibilem. Dicitur autem vincibilis quando aliquis ignorat quod tenetur & potest scire:inuincibilis verò, quando quis ignorat quod non tenetur, vel si teneatur, non potuit illud scire: aut certè ipsum nunquam venit illi in mentem ; aut etiamsi venerit,tamen adhibitâ quam debuit & potuit diligentiâ,non est notitiam illius assecutus. Pluribus de ignorantia dicetur in cap.2. libri vndecimi sequentis.

Certa de re proposita.

SECTIO PRIOR.

Nu. 198. PRimò certum est , ignorantiam vincibilem non sufficere ad eam de qua agimus excusationem:*ex cap.Apostolicæ De Clerico excommunicato* ; & ex cap. Vt animarum,De constitut. in 6. estque communis sententia teste Vgolino alios in eam citante : *De censuris tab.*1.*cap.*9.§. 8.*num.* 6. Probatur verò,quia reportaretur alioqui fructus de peccato negligentiæ : quod absurdum est. Hincque fit, vt ibidē notat Vgolinus, quòd is qui legem aliquam scire debet ob officium quod exercet , non excusetur si in eam offendat:quia ignorantia eius quod quis scire debet & potest, nullam habet excusationem. Exemplum adfert de Parocho, qui ignorat Episcopi sui constitutionem , ad quam sciendam tempus habuit.

Nu. 199. Secundum certum est ad eamdem excusationem sufficere inuincibilem ignorantiam facti. Id enim patet ex cap. Si verò 2. De sentent. excomm. vbi decernitur percutientem Clericum quem ignorauit esse Clericum,non innodari sentētia excommunic. Et ratio est,quia talis ignorantia constituit inuoluntarium , & per consequens tollit malitiam cui pœna debetur.De qua re Vgolinus,&plurib.Couar.ad cap. Alma mater 1. part. *ille in sequen.num.*8.*& hic* §. 10.*nu.* 13.14. 15.16. Ex quo notandum est : si quis statuat percutere Titium, quem scit esse Clericum , & per ignorantiam loco illius percutiat Sempronium item Clericum, in excommunicationem incurrere : quia talis ignorantia personæ non excusat illum quominus sit voluntarius Clerici percussor in quem excōmunicatio decreta est. Si verò pro Titio quem scit Clericum,per ignorantiam percutiat Mœuium laicum errans in persona : immo si percutiat Mœuium laicum quem putat esse Clericum , errans in circunstantia facti prohibiti,non innodari excommunicatione. Nam lata est excommunicatio in percutientem Clericum scienter : itaut ad eam incurrendam non sufficiat vel animus percutiendi,vel conscientia læsa,id est, quòd quis constituerit id agere , propter quod decreta est excommunicatio , vel etiam conatus sit agere , vt idem author post Felinum annotat. Sin autem existimat se percutere Mœuium laicum, & ignorans pro eo percutiat Titium Clericum,non incurrere in excommunicationem : quoniam per ignorantiam inuoluntaria est talis percussio Clerici. Et quamtumuis percutiat iniusta percussione , non tamen percussione propter quam imponitur excommunicatio : sicut ille qui ignoranter cognoscit duas sorores, aut matrem & filiam , aut à patre cognitam:quamuis peccet peccato fornicationis , non tamen fornicationis incestuosæ : itaut non puniatur pœnâ incestuosi *ex cap. Si quis cum duabus , & cap. Si quis cum matre,& cap.Si quis formicatus* 34 *quæst.*2.Quod si quis volens percutere Titium Clericum , quem probabiliter quidem ignorat esse Clericum : sed tamen eo est animo , vt etiamsi Clericus sit, percutiat, in excommunicationem incurrit percutiens : quia talis ignorantia non reddit inuoluntariam eam Clerici percussionem:ideóque non excusat à peccato, & per consequens nec à pœna peccati : pro quo alios Doctores Vgolinus addit in fine citati num.8.

Tertiò certum est, ad eamdem excusationem sufficere quoque ignorantiam inuincibilem sententiæ excommunicationis ab homine latæ : itaut minimè ligetur is qui fecit id propter quod lata est , si propter illud latam esse,inuincibiliter ignoraverit.Ratio est,quia sic ignorans non potest censeri inobediens & contumax : in quem solùm excommunicatio ferenda est *ex cap. Nemo Episcoporum* 11.*quæst.*3. *Nu.*200.

Quartò certum est, sufficere ignorantiam inuincibilem statuti particularis , id est, obligantis in aliqua tantùm diœcesi, vel prouincia;si factum propter quod decernit excommunicationē, sit aliàs licitum, nec vlla diuina aut naturali lege prohibitum : vt si per Synodale statutum excommunicentur omnes Canonici qui vterentur vestibus sericis. Certum est inquam; quia ibi nulla potest assignari ratio culpæ: sique de aliqua ignoratione , maximè de hac, potest intelligi quod in cit.cap.Vt animarum, *De consti.in 6.* Bonifacius 8. ait:Sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari noluimus ignorantes:dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina. Et ita ab omnibus receptum esse habet Nauarr. *in Enchir.* cap.27.num.16.

Dubia de re proposita.

SECTIO POSTERIOR.

DVo verò sunt de quibus dubitatur. Alterum est,an ad similiter excusandum , sufficiat ignorantia iuris communis decernentis excommunicationem ob factum de se non illicitum : qualis est excommunicatio lata in cap. Non magnopere. Extra Ne Clerici vel Monachi , aduersus Religiosos qui per tres menses medicinæ vel iurisprudentię operam dederint. Alterum verò,an sufficiat ignorantia iuris siue particularis siue communis , decernentis excommunicationem propter factum aliquod diuina lege prohibitum:quale est furtum, aut aliud eiusmodi.

***

Expli

Explicatio prioris dubij.

*Nu.*201. DE quorum priore Adrian. in 4. de Claub. & Cordub. in lib.2.quæstionari:*ille quæst.* 3.*versu Sed magis dubium & vers. Ex his:hic vero quæst.*27.alios in eidem sententiam referens , existimant non sufficere. Quorum rationes quas latius ibidem persequitur Cordub. sunt. Primò , quòd si ignorantia iuris communis excusaret ex se, ignorantia iuris particularis pari ratione excusaret. Quod si ita est, nihil fuit cur in cit.cap. Vt animarum,Pontifex de particulari statuto definiret, non ligare ignorantes. Deinde in cap. Cùm illorum, De sentent.excommunic. statuitur,cum iis qui post iniectionem manuum in Clericos, ordinati sunt,dispensari posse in irregularitate, si ex ignoratione id fecerint.Vnde consequens est,eū qui ignorans iniecerit manus violētas in Clericum, excommunicationē incurrere , propter quam factus sit irregularis suscipiens ordines. Denique etiamsi quis ignoret pœnam ciuilem, vt homicidam & furē esse morte plectendum;nihilominus eam incurrit, si committat crimen propter quod decernitur. Nauar. verò in Enchir. cap.27.num.16. tenet cum Sylu. Excommunic. 2. num.25.& excommunicatio vlt. num. 4.(cui adde Angelum excomm.7.casu vlt.nu.3.&Sotum in 4.distinct.22.quæst.1.art.2. versùs finem) talem quoque ignorantiam sufficere , vt quis à pœna excommunicationis excusetur:quoniam excommunicationi obnoxius est tantùm is , qui contumaciter inobediens est Ecclesiæ,iuxta ante habita in cap. 9. quæst.sexta:quod non contingit ei qui de ipso Ecclesiæ præcepto nihil nouit,quantumuis sciat rem esse aliàs illicitam:nisi esset in dolo quo notitiam declinaret:quod dici non potest de ignorante inuincibiliter.Quæ cum ita sint,relinquitur quod inuincibilis ignorantia iuris communis excommunicationem decernentis propter factum iure diuino aut naturali damnatum , sufficiat ad excusandum ab eadem excommunicatione. Id quod Couarr. fatetur ad cap. Alma mater 1.*par.*§.10.*nu.*12.*versu.Secundo principaliter.*

*Nu.*202. Nec rationes in contrarium ita vrgent, quin tuta conscientia idem teneri possit. Ad primam enim bene respondet Sotus loco citato : quamuis Pontifex in illo cap. tantùm loquatur de excommunicatione à iure particulari,non effici tamen , quod Adrianus vult ; quia non fert illic nouum aliquod ius , sed solùm declarat quam vim ad obligandum subditos habeat ius particulare: talem nimirum habere , quæ ad eosdem subditos vel ignorantes vel existentes extra territorium Iudicis , à quo ipsum conditum est, minimè se extendat. Vnde colligere non licet,ius cōmune extendere se ad subditos qui ipsum ignorant: alioqui enim liceret similiter colligere; quòd extendat se ad eos qui sunt extra territorium , seu locum iurisdictionis, Summi Pontificis,à quo est conditum nempe ad vita functos : quod in præcedenti num. 136.refutatum est.Adde generalem illam clausulam, *quorumcumque Ordinariorum* , non esse interpretatione restringendam in hac materia fauorabili : præsertim cum animarum periculo , *ad quod tollendum ea cōstitutio instituta est* perinde locum habeat respectu statutorum Papalium,ac Episcopalium. Ad secundam rationem verò respondetur, non esse illic sermonem de ignorantia inuincibili,sed de alia ; quæ siue sit iuris,siue facti non excusat ab excommunicatione , vt nec à peccato mortali. Ad tertiam denique:aliam esse rationem excommunicationis, quàm aliarum pœnarum : quoniam hæ simpliciter propter peccatum insliguntur,non autem illa; quæ iusstituta tantùm est contra contumaces,cōsue qui Ecclesiæ obedire renuūt Cuiusmodi non est is,qui nihil audiuit vel audire potuit de aliquo mandato Ecclesiæ : vt vsuuenit ei qui ipsum ignorat inuincibiliter.

Explicatio posterioris dubij.

DE altero dubio Couarr. *loco cit.& in præced.nu.*8. sentit,si propter factum diuina lege damnatum decreta sit excommunicatio per statutum siue particulare siue commune,ignorantiam inuincibilem tālis statuti non excusare delinquentem ab ea incurrenda. Ratio est:quia ad incurrendam pœnam iuris satis est scire factum propter quod imponitur illicitum esse & pœna dignum.

Sed Angelus Excommunic.7. casu vlt. num. 3. & Syluester verbo Ignorantia nu.16. & Excommunic. vlt.quæst.3. Alphonsus à Castro in lib.2.de lege pœnali cap.14.versu Sicut dictum est,Sotus in 4. distin. 22. quæst.1. art.2. versùs finem, Nauarr. in Enchir. cap.27.num.272.in 14. regula Confessariorum plūrésque alij contrarium iudicant. Nec immeritò:quia quantitas pœnæ debet proportione quadam quantitati culpæ respondere,*iuxta cap.Fœbius. De pœnis in* 6. Ille autem qui facit illud quod scit vel scire debet diuina lege dānari , sed inuincibiliter ignorat ipsum esse humano iure prohibitum , contemnit quidem legem diuinam:non tamen humanam , quam inuincibiliter ignorat. Quare puniendus est quidem pœna contemptorum legis diuinæ , non item contemptorum legis humanæ:qualis est pœna excommunicationis,quæ à Christo institutа est ad castigandum contumaces qui Ecclesiam audire nolunt,præceptóque ipsius recusant obedire. *Nu.*203.

Vnde soluitur ratio quam adfert Couarr. Nam cùm excommunicatio non sit pœna facti , nisi coniuncti cum contumacia in Ecclesiam , non est satis ad illam incurrēdam commisisse factum dignum excommunicatione, nisi ille qui facit, contumax quoque sit in Ecclesiam:qualis esse non potest is,qui inuincibiliter ignorat præceptum Ecclesiæ super eadem re. Nec dici potest,ignorantiam iuris humani non esse inuincibilem, quando idipsum ius decernit pœnam pro facto de se malo,diuinaque lege damnato. Namque si id ita esset, oporteret , *vt rectè Angelus & Sylu.aiunt* , vnumquemque habere procuratorem in curia Romana , & studio iuris Canonici vacare ad satisfaciendum tali debito;quod multos non posse constat. Si opponas,quòd in quibusdam sententiis excommunicationis dicatur sufficere , vt eæ affigantur Romæ in valuis S. Petri : illi respondent id ita accipiendum esse; vt sensus sit,sufficere non quidem quoad forum conscientiæ , sed quoad præsumptionem fori contentiosi; aut quoad eos qui sunt in culpa,ne illæ possint publicari in ipsorum terris. Hos enim perinde ligant , ac si publicatæ essent coram ipsis, iuxta Extrau.communemRem non nouam,De dolo & contumacia. *Nu.*204.

Adde his quòd in cap.Vt animarum De constitut. in 6.dicatur per statuta quorumcumque Ordinariorum non ligari ignorantes;intelligendum esse de iis etiam statutis , quibus excommunicatio decernitur propter factum diuina lege prohibitum : non enim dubium est de statuto loqui eodem modo,quo ipsum sumitur ibidem,cùm consequenter additur:statutum Episcopi non ligare subditum extra suam diœcesim. Vbi statutum sic latè sumi vt amplectatur illud quo excommunicatio decernitur propter factum diuina

Universidad de Deusto
Biblioteca

lege damnatum patet;quo in exemplum ponit statutum quo excommunicantur committentes furtum: quod certum est esse factum diuina lege damnatum. Quare concludendum est,*quod Angelus expressit*; excommunicationes per quodcumque statutum decretas, propter factum diuina lege damnatum, quæ non publicantur in diœcesibus, minimè ligare ignorantes: nisi sint tales personæ, quæ negligant eam diligentiam adhibere ad sciendum, quam communiter solent homines suæ conditionis, & quâ adhibitâ,cognitionem consequuntur: vt quando plebeius negligit Ecclesiam adire cum cæteris, ac conciones audire; per quod medium homines illius conditionis solent instrui de iis ad quæ tenentur.

Nu.205. Sed quæret aliquis,si hæc ita sint:cur ergo Confessarij eos Pœnitentes,*quantumcumque ius ignorantes*, quos deprehendunt commisisse peccatum propter quod incurritur excommunicatio à iure, remittunt ad Superiorem pro absolutione,si fuerit ei reseruata. Respondendum est causam esse posse,quòd quamuis hæc sententia quam sequimur probabilior sit:opposita tamen est tutior: valdéque difficile est indubitatam certitudinem habere, de sufficienti diligentia à Pœnitente adhibita ad consequẽdam cognitionem. Vnde fit vt Confessarius,ne exponat se periculo peccandi mortaliter, ad maiorem cautelam remittat Pœnitentem ad Superiorem: sicut propter idem periculum,semper ad cautelam ante absolutionem Sacramentalem à peccatis, datur sub conditione absolutio ab excommunicatione:etiamsi Pœnitens nihil confessus sit, propter quod specialiter dubitari debeat ipsum esse aliqua excommunicatione irretitum.

Aduerte autẽ ignorantiam inuincibilem vix posse præsumi ad iuste excusandum aliquem ab excommunicatione, qui scienter facit contra ius Ecclesiasticum, per quod tale factum prohiberi ipse probè nouit. Nam præterquam quod apertè contumax inobediẽnsve est Ecclesiæ, satis conijcere potuit in re præsertim valde seria (qualis est percussio Clerici, venditio beneficij, aut quid eiusmodi) Ecclesiam prout solet,pœnam aliquam prohibitioni apposuisse. Vnde cauendum est ne nimis faciles simus in admittenda tali excusatione.

Posterior pars capitis.

De reliquis causis excusantibus ab excommunicatione.

Nu.206. PRima est,impossibilitas,seu quod non possit quis præstare illud, quod sub excommunicatione iubetur.Receptissima enim est iuris Regula, Impossibilium non esse obligationem. Hinc, *vt habet Sotus in 4. distin.22.quæst.1.art.2. casu 2. eorum in quib. excommunicatio non tenet*, & post eum aliis adhuc citatis à Graphiis *lib.4. decis. aurearum cap.8. nu.* 10. si feratur sententia excommunicationis in aliquem, nisi restituat ea quæ deprædatus est: aut quæ alio nomine iustè debet,excusatur ab excommunicatione, si tempore sententiæ fuerit non soluendo, adeout possit absque scrupulo,si occultus est,diuinis interesse. Idem iudicium est, *iuxta communem doctrinam de restitutione*, si nec potuerit tunc,sine notabili infamia sua.

Duo autẽ aduertenda sunt, quæ iidem authores addunt. Alterum est eum qui non potest soluere in totum teneri in partem quam potest ex doctrina in seq. lib.10. tradenda. Alterum est non obstante impotentia soluendi, excommunicationem latam in non soluentem durare: itaut ille qui tempore sententiæ fuit non soluendo, in excommunicationem incurrat,si postea factus soluendo, non soluat:& ille qui fuit soluendo tempore sententiæ,nec soluit manet ligatus etiam cùm postea pressus egestate efficitur non soluendo: quia contractum vinculum excommunicationis tollitur tantùm per absolutionem Superioris.

Secunda causa,est exclusio aliquorum à sententia excommunicationis; siue quia causa propter quam fertur non habet in eis locum: siue quia eximuntur intentione ferentis. Neque enim sine causa,aut sine intentione Superioris, potest quis excommunicari. Vnde infertur, quòd si rem meam ab alio detentam, quam aliter recuperare nequeo, quàm ei clam furripiendo, non teneat obedire, & excuser ab excommunicatione sub qua præceptum fuerit, vt quicumque talé rem habuerit reddat; vel si habentem sciuerit manifestet.Hoc habent quoque Sotus &à Graph. ille in seq.casu 3.& hic in eod.cap.8.num.11. *Nu.207.*

Addentes idem esse dicendum cùm sub eâdem censura præcipitur, vt qui habet has vel illas scripturas,eas proferat:si quidem manifestum sit eas taliter ad ius easdem possidentis conducere, vt nullatenus ad ius alterius confirmandum attineant. Nam tunc nulla apparet ratio obligationis proferendi. Sin autem possidentis propriæ, faciant ad ius alterius confirmandum: eadem ratione datur obligatio illas proferendi,ac datur testificandi de veritate cùm proximus id exigit ad cõfirmationem sui iuris: nempe vt si iussio Iudicis non interueniat, obligatio sit tantùm ex charitate;sin talis iussio interueniat, *prout hîc supponimus*,obligatio sit ex iustitia;quia quantumcumque tales scripturæ propriæ sint eas possidentis: tunc tamen publica authoritate alter acquirat ius in earum vsum,pro se tuendo. Licet autem velit Sotus esse omnino proferendas, neque ad excusationem sufficere, quòd quis dicat se vexationẽ inde timere: tamen contrarium non obscurè subindicat, *aliis in margine citatis*,Henriquez in 1.par.suæ summæ *lib.13. cap.18. §.2.* his verbis: Excusari potest reus, quando ex eo quòd instrumenta edat, patitur graue præiudicium proprij iuris, & aduersarius coget ad expensas magnas & vexationem in lite. Quod existimarim posse seruari in praxi, quando vexatio foret iniusta: itemque(& potiore ratione)quando aduersarius per tales scripturas, non solùm tuebitur proprium ius circa rem de qua litigatur: sed etiam illas proferentem vexabit, circa alia bona quæ legitimè possidet: exigendo v.g. titulos quibus ea possideat, quos non poterit ostendere defectu scripturarum quæ perierint.]Fundatur autem hæc doctrina in eo, quòd piæ matris Ecclesiæ iubentis sub excommunicatione,intentio esse existimanda sit, ne in eam incurrat is, quem iusta causa excusat.

Iam si quispiam Iudex ex præsumptione procedens, appositâ aliquâ clausulâ iudicet intentionis suæ esse,vt reus edat instrumenta, quantumuis præiudicium inde timeatur,is non obligat:quoniam per Papam qui Iudex est benignior, ab obligatione talis præcepti, ipse reus iure Pontificio, *cui,præter Papam, ipsum subiiciuntur Iudices omnes*,eximitur in cap.primo De probationibus. Vbi decernitur non esse quemquam compellendum, scripturas quas contra semet-ipsum habet apud se,requirere & proferre. *Nu.208.*

Adde,quòd ratio naturalis dicter, præceptum sub excommunicatione, non esse de re prout est nimis difficilis, sed prout est proportionata fragilitati humanæ.Sic enim Nauar. in Enchiridio cap.27. nu.63. sub finem; ab excommuic. lata in eos qui Turcis pugnantibus contra Christianos auxilium ferunt, excusat illos,qui in eorum triremibus remigant metu

tu mortis aut verberum. Immo in sequenti num.84. ab excommunicatione lata in percussorem Clerici, excusat eum qui mutilauerit aut etiam occiderit Clericum,inuentum in flagranti delicto cum matre, aut vxore vel sorore.

Addit Henriquez magis excusari reum, si non habeat originalem scripturam, sed tantùm transumptum,præsertim non authenticum cum signo Notarij. Addit item *& recte*,quòd si reus habeat authenticum instrumentum, quòd iniustè sustũrátus est à Tabellione vel ab aduersario, aut quod est vtrique commune hæreditario iure vel donatione,alióve iusto titulo (*de qua re latè Panorm. ad cap.1. De probation. à num.7.*) compulsus sub excommunicatione, teneatur illud edere vt satisfaciat damno iniustè dato,fraudulenter idipsum occultando. Sicut enim eâ re compertâ,posset à Iudice laicò compelli ad edendum;ta etiam in subsidium partis læsæ,ad idẽ compelli potest per excommunicationem à Iudice Ecclesiastico.

Hâcque ratione,ante posita doctrina Soti procedit:non autem quando bona fide cœpit quis tale instrumentum possidere tanquam aliquo modo proprium; nec potest illud edere sine magno suo detrimento,iniustáque vexatione notabili in persona aut bonis suis. Nam etsi non licet, statum suum conseruare alienis bonis mala fide quæsitis: non est tamen obligatio ea quæ bona fide acquisita sunt, restituendi cùm magno detrimento proprio;prout annotatũ à Nauar.in Enchir. cap. 17. num. 57. plenius exponendum est in sequenti libro De restitutione cap. 19.Porro si reus præiudicium non pateretur edendo instrumenta quæ iubetur: quia iussio esset iusta non minus quam ea quâ iuberetur de veritate testificari; ille non obediens incurreret in excommunicationẽ addictam eidem iussioni:prout ex Sylu. habet Petrus à Nauar. lib.2.De restitut.cap.4.num.227.

Nu.209. Infertur secundò, ex proposita causa, quod habent Angel. in verbo furtum §. 41. Sylu.eod. verbo quæst.15. Med. Cod.de restitut.quæst.3. causa 12. & quæst.ult.sub finem Nauar.in Enchir.cap.17. nu.114. &115. quos sequuntur à Graphiis in cit.cap.8. num. 12.& Petr.à Nauar. lib.2.de restit.cap.4. num.226. Si feratur excommunicatio contra eos qui retinent bona alicuius;ab illa excusari eum qui de talibus bonis aliquid retinet in compensationem eius,quod ille in cuius fauorem eadem fertur, debet ipsi, tanti aut etiam maioris valoris: dummodo tamen debitum sit ex iustitia & liquidum. Neque enim sufficit,vt debitum sit gratitudinis, & remuneratorium obsequiorum:cuius obligatio non parit actionem, nec ius petendi,vt ex D.Thoma & aliis habet Nauar.in cit.nu. 114. Debitum verò dubium, sine iniuria possessoris accipi non potest,prout Nauar. in sequen. num.117. docet contra Medinam. Et patet quia in dubio melior est conditio possidentis.

Istud autem de compensatione dictum, procedit quantumcumque proferens excommunicationem, simul iubeat reuelari eos qui in compensationem debiti acceperint.Immo iudicio Naua.in eod.nu.114. quantumcumque specialis excommunicatio feratur, propter illam ipsam rem recuperandam.Quanquam videtur in eo adhibenda distinctio quam ex Syluest. habet Petrus à Nauar.in seq.nu.227.vt verũ sit, cum quis timet fore se cogendũ ad iniustam restitutionẽ: quia tunc mandatum contineret errorem intolerabilem:nõ autem cùm nullum est tale periculum. Namque mandatum de reuelando,est de se iustum: præsertim cùm Superior præsumit illicitam,aut nimiam esse compensationem,aut debitum esse dubium.

Procedit etiam vt notat à Graphiis in seq.num.13. in rebus subtractis & absconditis per creditorẽ, quando ob delictum debitoris omnia bona eius veniunt confiscanda.Sic Nauar. in Ench.cap.17. nu. 135. latâ excommunicationem in capientes talia bona, negat incurri ab vxore, filio,aut cognato, cùm abcondunt aliqua in monasterio aut in alio loco, ne aludice sequestrentur: si id faciant ad compensandum debitum doris aut aliud legale debitum; alias verò non.

Postremò procedit non tantùm quoad facientes compensationem, sed etiam quo ad eam scientes: quando ad hos quoque excommunicationis sententia extenditur. Nempe excommunicando cum retinentibus bona aliqua,eos qui norunt retinentes nisi reuelent. Quo enim casu illi qui principales sunt, excusantur; isti quoque, qui accessorij sunt,excusati censentur. Cùm accessorium sequatur naturam sui principalis De regul.iuris in sexto.cap.Accessorium; & ff.eodem tit.lege Cùm principali. Aduerte tamen ex Nauar.in cit.num.114. id verum esse,cùm scientes habent compertum talia bona retineri in compensationem debiti legalis: secus enim est,si de eo dubitent: etiamsi retinens dicat; se retinere ea in iustam compensationem debiti legalis; nisi is apud ipsos tanta fide esset, vt meritò propter ipsius dictum, ab animis suis dubietatem depellere debeant.

Memineris autem acceptionẽ rei alienæ in compensationem, conditiones nonnullas requirere vt excusetur à peccato mortali: quas habet Nauar. in Enchir.cap.17.num 112.& 113. & nos suo loco trademus Deo iuuante in num.258.sequentis libri.

Infertur tertiò ex eadem secunda causa,illud quod aliis in margine citatis Henriquez habet in 1. par. summæ *lib.13.cap.18.§.3.* cùm ad habendum testimonium excommunicatio fertur: excusari parentes & filios:qui iuris priuilegio,*ne quidem volentes*, aduersus se inuicem admitti possunt; vt habetur in cap. finali *§.Parentes,4.quæst.3.* Vbi glosa monet,*& post eam Sylu. in verbo Correctio,quæst.* 7. intelligi tantùm de ascendentibus & descendentibus, non item de collateralibus,hoc est de fratribus & cognatis. Quod verum est in causis ciuilibus,nam in criminalibus,neque hi aduersus se inuicem compellendi sunt testimonium ferre;iuxta illud quod habetur in cit.cap. finali,*§.lege Iulia*,non esse denunciandum inuito,vt testimonium litis dicat aduersus socerum,generum,vitricum, priuignum,priuignam,sobrinum,sobrinam,sobrinóve natum, eósve qui in propiori sunt gradu. Id quod Sylvest. ibidem monet intelligi debere cùm criminaliter proceditur, non item cùm ciuiliter: seu in causa ciuili:in qua vt habet glosa ad cap.1. *verbo Parentes 3. quæst. 5.* licitè admittitur frater contra fratrem, & pro ipso:quia nullo iure id prohibitum est. Idem verò ac de ascendentibus & descendentibus dicendum esse de viro & vxore; Sylvester ibidem ex eo probat,quòd reputentur pro vna persona ratione matrimonij;iuxta illud Matth.19. Iam non sunt duo sed vna caro.] Aduerte autem excusationem hãc locum non habere, quando illud pro cuius manifestatione excommunicatio fertur, tale quid fuerit, cui nec soleant nec possint communiter aliæ personæ interesse quàm quæ dictæ sunt;aut quas solas interfuisse pars accusans iuramento confirmat; prout declarat Nauar.in Enchir. *cap.25.num.50.* vbi & docet in causa hæresis,filium aduersus patrem,si alij desint, teneri testificari:nisi certò credat, quòd is pœnituerit,aut quòd monitus resipiscet.Id quod citatis aliis tangit etiam Henriquez loco cit.

Tertia causa,est bona fides. Nam ex Caiet. verbo Præceptum in fine: transgressio iuris positiui,si absque contemptu & repudiatione finis in quem dirigitur,fiat ab eo,qui nullo modo vellet consentire in *Nu.210.* *Nu.211.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatum mortale; siue fiat ex pura ignorantia, siue ex apparente sibi excusatione:non committere peccatum mortale:& per consequens nec in excommunicationem incurrere quoad forum conscientiæ: presertim cum existimandum non sit piæ Matris Ecclesię intentionem esse,bonas eiusmodi hominũ animas illaqueare tam hostili vinculo. Quamquam tamen videtur tunc ad cautelam absoluendus propter periculum negligentię in quærenda notitia,aut propriæ complacentiæ in admittenda excusatione. Qualis contingere potest, cùm quis putat ab excommunicatione lata in iniustum alienarum rerum detentorem,se ideo excusari, quòd in foro ciuili non esset condemnandus ad restitutionem propter defectum probationum,vel scripturarum, vel testium:cùm tamen in eo causam sufficientem non habeat: quia in iudicio ciuili iudicari potest ex legibus ciuilibus fundatis in præsumptione,quæ veritatem potest habere in contrarium.

Exemplũ sit;Mœuius à Sempronio mercede conductus,ei seruiuit per decẽ annos,nec quidquam toto eo tẽpore accepit:quod sciens Titius hæres,soluere non vult;nixus iure ciuili de præscriptione decem annorum transferente dominium. Mœuius ad eum compellendum impetrat excommunicationem: in quam Titius incurrit,si non soluat. Neque valet excusatio illius de præscriptione ciuili, propter malam fidem cum qua cœpta est aut continuata, debitore sciente se debere. Quam esse sententiam communẽ Nauarrus testatur in Enchir.cap.17.num.85. Exemplum aliud sit: Si Sempronius in extremis constitutus instituat Titium hæredem, & illi iniungat dare alicui Ecclesiæ in animæ suæ subsidium decem aureos,nec id faciat inscribi testamento. Titius à se repetitos soluere non vult:quia neque per scripturam, neque per testes probari potest esse legatos: iussus sub excommunicatione soluere, in eam sententiam incurrit non soluens,cùm peccet per tradita à Sylu. *Testamentũ* 1.*quæst*.5.*ver*.4.Quod vtrumque exemplum proponit à Graphiis in lib.4. decis. aurearum *cap*. 8. *num*.18.& 19.In illisque deficere bonam fidem,patet ex eo,quòd tunc agatur contra veritatem cognitam.

Particulares causæ excusantes ab excommunicatione lata ad habendam reuelationem.

Nu.212. ALiquæ præter ante notatas, dantur causæ excusantes specialiter ab excommunicatione satis frequenti,latâ ad habendam reuelationem: quas tradit Nauar.in Enchir.*cap*.25.*num*.46. Et tractant Cordub.in lib.1.quæstionarij quæst.43.dub.2. circa medium;Petrus à Nauar. in lib. 2. de restitut. cap. 4. num. 215. & aliquot sequentib. Iacobus à Graphiis lib.4. decis. aurearum cap.8. & Henriquez in 1. par. summæ lib.13.cap.18.Prima est,si peccator ad cuius emendationem & partis læsæ satisfactionem reuelatio quæritur,iam emendatus est,ac parti satisfecit, aut probabiliter speratur illius emendatio & partis satisfactio; tunc enim sola correctio fraterna sufficiet, etiamsi præciperetur reuelatio fieri nulla habita ratione fraternæ correctionis: vt ex D. Thom. & D.Anton.addit ibidem Nauar. Ratióque est, *quam habet Petrus à Nauar. num*.216. quòd vbi cessat causa finalis præcepti,cesset quoque illius obligatio.Secus autem erit,*vt idem in sequen.num.*217.*addit post Cordub.* si Superior præcipiat reuelationem,non ad emendationem peccatoris, aut partis læsæ satisfactionem; sed ad eiusdem peccatoris punitionem: quia tunc supposita semiprobatione vel infamia plenè probata, vel indiciis ei æquipollentibus, parendum est præcipienti: cùm iuste ac iuridice procedat. De qua re dicetur ex instituto cùm de ipsa denunciatione parte tertia, tomo secundo ad octauum præceptum decalogi.

Secunda causa est, si peccatum reuelandum probare non possis:per testes scilicet aut scripturam,aut indicia sufficientia, vel infamiam; quemadmodum habet ex Felino à Graphiis loco cit. num. 30. quia boni viri tacere debent, quod probare non possunt ex glosa prima ad cap. Sacerdos De pœnit.distinct.6. Addit idem à Graphiis in sequen.num.35.quòd cùm aliquis venit ad reuelandum, Prælatus Ecclesiæ debeat ipsum priuatim interrogare; possitne ea quæ reuelat probare: iniustéque faciat si respondentem non posse,mittat ad Actuarium vt reuelet; neque ad tale quid vrgẽti, necesse est obedire: quia debet esse contentus,quòd sibi sit facta reuelatio tanquam patri emendaturo delinquentem.

Tertia causa est:si quis à talibus, aut taliter audiuerit peccatum reuelandum, vt ob id moueri non debeat:aut si ob eam reuelationem, notandus sit leuitatis; vt si audiuit, *prout vulgo fit*, iens per vicos & plateas ciuitatis à personis incognitis, vel non dignis fide vt à pueris, seu aliis quibus fides adhibenda non est.Secus verò si à viris fide dignis, aut ab ipsomet delinquente.Ratio est quam adfert Petrus à Nauar.num.228.quia damnum inferret tum sibi;notam scilicet leuitatis inurendo: tum proximo quem exponeret tam infamiæ quàm punitioni,fortassis iniustæ,aut certè maiori quàm mereretur.

Quarta causa est, si ille cuius relatione id scitur, iam reuelauerit:tunc enim,quia principalis non tenetur amplius, nec tenebitur accessorius.Nam accessorium sequitur naturam sui principalis, de reg. iuris in 6.

Quinta est: si illud pro quo recuperando lata est excommunicatio retineatur iusta de causa: vt in iustam compensationem,iuxta superius dicta.

Sexta causa est, si quis per solam Sacramentalem confessionem nouerit id quod præcipitur reuelandum:nullo enim casu absque Pœnitentis licentia liberè concessa, reuelari potest; prout latè tractatum est in præcedenti lib.3.

Septima est:si quis rem cuius reuelatio quæritur, sub sigillo secreti ad hoc acceperit,vt misero delinquenti consilium vel remedium adhiberet in corpore vel in anima; nisi aliâ viâ illud idem cognouerit, Pro qua re multos authores citat Petr.à Nauar.num. 222.Addens in seq.223.rationem: quòd committens alteri secretum in remedium animæ vel corporis, cùm committendo non peccet,deterioris conditionis esse non debet,quàm si tacuisset. Ergo sicut tacens non erat à me reuelandus, ita nec dicto modo committens mihi secretum: nisi fortè ad id det vrgentem causam; vt si peccatum ipsius vergeret in detrimentum reipub.aut proximi;nec ipse vellet desistere ab eo inferendo: quia inde mereretur sibi frangi fidem.

Postrema causa est,quam ex Baldo & Felino habet Nauar.in Enchir.cap.25.num.50. & sequuntur à Graphiis in cit.cap.8.num.32.& Petr.à Nauar. lib.2. de restitut.cap.4.num. 228. vt ille à denunciando & testificando excusetur,qui sibi ex sua denunciatione ac testificatione iustè timet aliquod euenturum magnum damnum spirituale, aut temporale personæ, vel honoris,aut bonorum pecuniariorum.Ratio est, quam habet Syluest.in verbo Familia quæst.7. quòd nullus teneatur suo malo procurare bonum proximi temporale. Adde similiter ex eodem Nauar. si ex

denun

denunciatione, aut testificatione oriturum esset scãdalum:quia vt habet Syluest.*in verbo Correptio quæst*.7. *sub finem*, Ecclesia nullum cum scandalo obligare videtur:argumento cap. Officij De pœniten.& remiss. Hîc aduerte quod Alphons. à Castro tangit in lib.2. de potestate legis pœnalis *cap.vlt.concl*. 2. *versu Circa istos*: quando excommunicatio generaliter fertur ad reuelandum criminis aperti patratorem, eum qui patrauit non incurrere illam, si ad vitandam infamiam se non manifestauerit:nisi crimen tale sit vt ad satisfaciendum obligationi quam per illud contraxit,seipsum prodere teneatur; vt accidit in casu cap. Quidam maligni 5. quæst. 1. de quo antea diximus.

CAPVT XII.

De ratione cognoscendi num quis incurrerit in excommunicationem legitimè latam.

SVMMARIVM.

213 *Consideranda ad cognoscendum an quis in excommunicationem incurrerit.*
214 *Excommunicatio lata in facientes aliquid, non extenditur ad præcipientes, aut consulentes illud fieri.*
215 *Exceptiones notandæ.*
216 *Vt excommunicatio incurratur, oportet factum pro quo imponitur,esse consummatum.*
217 *Notanda de excommunicatione lata in præcipientes,consulentes &c.quòd tales subiiciuntur ei,nonnumquam per modum cooperationis, nonnumquam per modum propriæ actionis.*
218 *Quædam obseruanda peculiariter circa excommunicationes latas ad extorquendam reuelationem vel satisfactionem.*
219 *Obseruanda tum de tempore quod præfinitur in sententia excommunicationis: tum de Iudice à quo fertur.*
220 *Obseruanda de excommunicatione lata per Cameram Apostolicam, pro solutione annuæ pensionis.*

TRADITA explicatio eorum, quæ excommunicatio ex se requirit vt validè inferatur; ac eorum quæ ab incurrenda, etiam legitimè latâ, excusant: sequitur vt tradatur ratio cognoscendi vtrum quis in eam incurrerit.

Nu.213. Primum ergo considerandum est, qualis ea sit; comminatoriáne,an latæ sententiæ;conditionata an absoluta;& ita de cæteris,de quibus in cap.6.egimus, Nam inde aliquo modo intelligitur quatenus liget.

Secundò, ponderanda sunt verba quibus Canon vel Iudex vtitur in excommunicando; & cùm in excommunicatione duo inueniantur, *vt rectè Caietanus notat verbo Excommunicatio initio*,persona quæ excommunicatur,& actio pro qua excommunicatur;inspiciendum est contra quas personas & pro quibus actionibus excommunicatio decernatur. Neque enim ad alias personas aut actiones extendenda est, vt notant ibidem Caiet.& Nauar. *in Enchir. cap*. 27. *num*.51. alios citans in eamdem sententiam, & confirmans aliquot rationibus. Illa autem sufficit quòd Pœnæ sint interpretatione restringẽdæ potius quàm ampliandæ;iuxta cap.Pœnæ, De pœniten. dist.1. & regulam 44.iuris in 6.quæ sic habet: In pœnis benignior est interpretatio facienda.

Tertiò,considerandum est,An ab eo & in eum & ea de causa, & eo modo feratur quo *secundùm tradita in præcedentibus capitibus*,debet vt censenda sit valida.

Quartò considerandum est, An excommunicatio Nu.214.
feratur tantummodo contra eum qui facit: vt v. g. qui occidit,vel furatur:quia sub tali sententia cõprehendendus non est ille,qui antequam res fiat,præcipit,vel dat consilium aut fauorem vel auxilium prębet. Ita docent tum memorati authores, tum alij vt Angelus Excommunicatio 8. nu.1. & Sylu. Excom. vltimo num. 5. vers. 3. & si contrarium indicet Excommunicatio 9 casu 41. versu 8. quo nomine loco cit.inconstantiæ illum arguit Nauarrus: qui & optimè de hac re disserit: cuius præcipuæ rationes sunt duæ. Prior,quòd præcipientes, consulentes, & alij non sint propriè & verè facientes: quia *ex hypothesi*, præceptum ipsum consilium, fauor, vel auxilium præcedit factum: nihilque potest præcedere seipsum.Quare non nisi ampliando pœnam, *quod regula iuris vetat*, præcipientes, & alij memorati comprehendi possunt sententiâ excommunicationis lata in facientes.

Opponenti verò ex cap.Mulieres De sent.excom. in 6. eum qui mandat interfici Clericum, verè committere,& in excommunicationem percussoris Clerici incurrere. Respõdendum est,committere quoad culpam criminis:quam incurrimus, illud quod prohibitum est facientes,siue per nos siue per alios. Incurrere verò in excommunicationem, non ob percussionem per alium factam,sed ob mandatum quod dedit faciendi:ad quod Pontifex in eod. capitu. extendit particulariter excommunicationem latam in percussorem Clerici vel Monachi 17.quæst.4.cap.Si quis suadente Diabolo. Vnde interfectio Clerici sicut ad culpam,ita & ad pœnam mandanti imputatur ob eam extensionem.

Posterior ratio est: quia excommunicatio ligat iuxta intentionem Iudicis, vt habitum est in cap. 10. sect. 4. vsusque obtinuit, vt quando Iudex intendit cum facientibus ligare præcipientes, & alios quos diximus,id in sententia exprimat(*tacitè nimirum significando non ligari alioqui*) sicut expressit Bonifacius VIII. in cap. Fœlicis De pœnis in 6. & Clemens V. in Clemen.Si quis suadente Diabolo eod. tit. & exprimere solent Summi Pontifices in Bulla Cœnæ Domini. Concludendum est igitur, quando sententia excommunicationis fertur in eos qui aliquid fecerint,non esse sub ea comprehendendos præcipientes,consulentes,& alios antedictos.

Nisi vt Nauar. ibidẽ admonet;ex tenore eiusdem, Nu.215.
idipsum satis colligatur: præcipientes inquam, aut consilium dantes, facientibus æquari in pœna, voluntate excommunicantis. Sic ex cap. Ita quorumdam De Iudæis, in quo excommunicantur deferẽtes ad Sarracenos arma,& alias merces prohibitas; colligitur excommunicari similiter eos qui præcipiunt deferri.Tali enim collectione,*vt bene notat Nauar.* vti licet,quoties sententia frustratoria inanisve esset,nisi ea ratione extenderetur: prout manifestum est in exẽplo proposito. Frustra enim esset ea lex,si ligaret solummodo eum qui per se deferret arma ad Sarracenos; non item eum qui mitteret per alium: quia idem incommodum est;siue quis per se ferat,siue per alium mittat. Atque hinc est iuxta cap. Si ciuitas De senten. excommunicat. in 6. cur cùm ciuitas aliqua interdicitur,tacitè colligi debeat interdici suburbia: quia talis sententia lata ad terrendum populum,non haberet alioqui magnum ad id momentum: quia nõ esset multum graue populo diuina officia audire celebrata in loco proximo. Adde similiter, si idipsum colligatur ex aliquo decreto Ecclesiastico, sicut ex decretis cap.Mulieres,& cap.Quantæ,De senten.excommunicat. colligitur canonem Si quis suadente Diabolo 17. quæst.4. dum excommunicat percusso-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem Clerici, extendi debere ad præcipientem, consulentem & iuuantem: in quos perinde ac in ipsum percussorem, dicta capitula excommunicationem decernunt.

Nu.216. Quintum est, cùm excommunicatio fertur contra facientem aliquid (quandoquidem pœnæ sunt interpretatione restringendæ) eam non incurri nisi opus consummetur; vnde non comprehendit illum qui tentauit quidem facere, sed non perduxit opus ad exitum. Ita docent post Ioannem Andream D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 1. §. 1. Panormit. ad cap. 1. De sententia excommunicationis num. 4. Alphonsus à Castro lib. 2. de lege pœnali sub finem 7. capitis & Caietanus verbo Excommunicatio circa principium: vbi exemplum adfert, inquiens, Quãtumcumque conetur aliquis Clericum percutere, lancea, sagittis, lapidibus, nisi actus pertingat ad Clerici personam, non incurret in excommunicationem latam in percussorem Clerici.]

Nu.217. Sextum est: cùm excommunicatio fertur simul in facientes & in dantem præceptum, consilium, fauorem vel auxilium: si actiones hæ dandi, *inquiunt Caiet. & Nauarr. locis citatis*, excommunicationi subiiciatur per modum extensionis, & cooperationis ille, cuius sunt actiones (nisi forte in sententia aliter exprimatur: vt in cap. Pro humani. De homicidio in 6. exprimitur excommunicari eum, qui Christianum per Assassinos interfici fecerit, vel etiam mandauerit interfici: quamtumuis mors inde non sequatur) in excommunicationem minimè incurrit si opus non sit perpetratum: vt cùm excommunicantur iniicientes manus violentas in Clericum, & in omnes qui ad id dederunt mandatum, consilium, fauorem, aut auxilium; etiamsi aliquis mandet, consulat, faueat, auxilietur, si effectus (hoc est violentæ iniectionis manus in Clericum) non sequatur, neque incurritur excommunicatio: quia tales actiones quatenus sunt cooperatoriæ, non consummantur, nisi terminentur in opere, id est, nisi ad eas sequatur opus.

Sin autem eædem actiones subiiciantur excommunicationi per modum propriæ actionis; nihil refert si effectus non subsequatur: vt cùm in Clement. Cupientes §. 1. De pœnis, excommunicatur Religiosus dicens aliquid, quo audientes retrahat à solutione decimarum Ecclesiis debitarum; non exigitur ad incurrendam excommunicationem, vt eoquod dixerit, audientes retrahat à solutione decimarum: sed sufficit quod dixerit cum intentione retrahẽdi. Nam (*inquit Caiet.*) tale dicere, subiicitur excommunicationi per modum cuiusdam actionis secundùm se, & non per modum extẽsionis seu cooperationis. Fuisset autem per modum extensionis, si Canon ille principaliter excommunicasset non soluentes decimas; & accessoriè, dicentes aliquid ad retrahendum à tali solutione.

Aduertendum adhuc est ex Caiet. & Nauar. loco cit. quando præceptum, consilium, &c. priore modo, hoc est accessoriè tantùm prohibentur sub excommunicatione latæ sententiæ: vt in hanc iucurratur, idipsum siue præceptum siue consilium, &c. debere esse aliquo modo causam operis. Nam cùm præcipiens, vel consulens non excommunicetur, nisi vt cooperator ad malum; consequens est, vt si præceptum ipsius vel consilium nullo modo influat in malum (vt censetur non influere, cùm sine eo tam certo, tamque iniquo animo ipsum faciendũ fuit) quantumcumque hoc perpetretur, ille ab excommunicatione liber erit; iuxta cap. Fœlicis De pœnis in 6. iuncta glosa, verbo Simplici.

Præter hæc autem, quæ communia sunt omnibus excommunicationibus, alia quædam sunt propria iis excommunicationibus quæ ferri solent ad extorquendam reuelationem delictorum, aut satisfactionem debitorum. Illorum nonnulla iam ante attigimus in fine præcedentis capitis: reliqua vt scitu necessaria pro quotidiano vsu, hîc addemus ex iis quæ authoribus in margine citatis proponit Henriquez in 1. par. summæ Theolog. lib. 13. cap. 18. §. 4. & sequentibus, & erudite tractat Suarez tomo 5. in 3. par. D. Thomæ, disput. 20. Vbi sect. 3. tradit bonum fundamentum pro iudicio de validitate istiusmodi excommunicationum; quod est: vt causa propter quam feruntur sit peccatum mortale in quo perseueratur, aut quod de nouo committendum est transgressione præcepti iusti. Vnde intelligitur, validam esse excommunicationem latam in finem manifestandi veritatem, vel dandi illud quod exigitur: cùm quis iam ante illam ipsam excommunicationem, iure siue diuino, siue humano ad tale quid præstandum, siue ex iustitia siue ex charitate tenebatur sub peccato mortali. Itemque validam esse, etiamsi non præcesserit talis obligatio, si Prælatus sufficientem authoritatem habens, iustum det præceptum manifestandi, aut præstandi aliquid quod notabilis aliqua necessitas spiritalis exigit, vt ipse sub excommunicatione vrgeat illud seruari: vt cùm iudicat expedire ad communem pacem & ad vitanda multa peccata. Non esse autem eam validam, quando nec supponit grauem culpam in occultanda veritate, aut in non præstando eo, quod exigitur: nec item supponit priorem obligationem ad tale quid agendum: neque excommunicans valet nouam eiusmodi obligationem inducere, siue simpliciter siue in tali casu: nempe in quo nulla vrgeat spiritalis necessitas. De quibus plenius ipse Suarez. Sed pro praxi contenti esse possumus cætera perstringere paucis.

Nu.218. Primum est, excommunicationes quibus præcipiuntur reuelationes aut satisfactiones, cum cæ sint ab homine, expirare mortuo earum authore, aut amoto ab officio. Secũdum est, cùm sub excommunicatione præcipitur vt reuelatio fiat intra sex dies, eũ qui per ignorantiam, aut aliam iustam causam, excusatus est sex illis diebus, postea cessante ignorantia vel alia iusta causa, non incurrere in excommunicationem, si non faciat quod præcipitur; quia sententia vigorem non habet vltra terminum in ea constitutum. Monet tamen Henriquez in cit. §. 4. quòd dũ per modum visitationis excommunicatio promulgatur ad habendam reuelationem, ea expiret tantùm finito tempore visitationis: non autem statim finitis sex illis diebus intra quos denunciare præcipiebatur. Nam talem esse intentionem promulgantis dubitari nõ potest, spectato fine qué habet propositum.

Pari ratione dicendum est, quando excommunicatio fertur vt solutio fiat intra certum tempus, illam perseuerare & incurri posse hoc elapso: quia manifestum est Superioris mentem non esse eum terminum designare ad finiendam obligationem soluendi sed ad executionem illius differendam vsque ad eum terminum, nec vltra: vnde si in eodem, siue ex impotentia, siue ex alia quacumque causa non satisfiat obligationi; non ideo extinguitur, sed perseuerat obligatio satisfaciendi nec differendi solutionem.

Vbi aduerte, quod Suarez tractat in ead. disput. 20. sect. 2. num. 15. & 16. quia impotentia quæ ex malitia vel negligentia voluntarie accidit, non excusat ab excommunicatione, *vt nec à peccato*, cum qui in præscripto termino per talem impotentiã, nõ soluit, nec excusari ab excommunicatione; quandoquidem non excusatur à contumacia transgressionis præcepti sub ea impositi: cùm nulli sua malitia prodesse debeat.

Tertium

Tertium est, citatos sub excommunicatione, excusari, si iustum habeant comparendi impedimentum: *de quo in Enchir. Nauarr. cap. 27. num. 38. in fine.* Et ita, *inquit Henriquez*, quando omnes Parochi ad synodum venire iubentur sub pœna excommunicationis; eam nõ incurrunt impediti legitimè, si cum possent facilè, excusationem miserunt. Non tenentur verò, *vt ille addit*, procuratorem mittere suo loco.

Nu.219. Quartum est: cùm pro rebus subtractis fertur excommunicatio, vt detentor restituat, & scientes denuncient intra dies aliquot: si intra illud tempus debitor per ignorantiam, aut impotentiam excusetur, cæteros non denunciantes excusari cum ipso à tali excommunicatione: neque enim rationi consentaneum esse, quod aliqui dixerunt teneri denunciare, vt assecuretur debiti restituendi facienda à debitore, quando potuerit commodè fieri: Henriquez probat: quia non est ea intentio Iudicis excommunicantis, cui illud solùm curæ est, vt reus per inobedientiam quam debet Ecclesiæ, exeat à peccato; quod tunc nullum est non restituentis: excusante ipsum ignorantiâ, vel impotentiâ.

Quintũ est, quod ipse Henriq. habet in sequen. §. 5. cùm sub excommunicatione præcipitur, vt quicumque rei, de qua in iudicio agitur, veritatem sciuerit: accedat ad iudicium, dicturus quod nouit de delicto aut de delinquẽte, aut de illius infamia, seu notorietate in vicinia: eam sententiam locum habere, etiamsi Iudex apud quem causa tractatur, sit laicus. Eum verò in hac re censendum scire, qui sensu externo expertus est; aut qui nouit per confessionem partis, aut qui audiuit certificari à viro fide digno: neque necessarium est vt præcedat infamia, sed sufficit vt semiplena probatio contra reum, parte contraria instante. In dubio autẽ, *addit Henriq. in marg. lit. L*, non tenetur quis credere Iudici asserenti reum esse apud se semiconuictum, nisi aliunde constet ipsi, quòd idem Iudex sit talis, cui fides integra adhiberi debeat.

Sextum est, *de quo in §. 6. Henriquez*, quando in chartis excommunicationis scientes iubentur denunciare intra sex dies, non numerari inter eos, diem publicationis: quia dies intelligitur naturalis qui est 24. horarum: Item illum terminum intelligi dummodo intra id tempus præmitti possit commodè prima & secunda correptio fratris: alioqui enim tantũ prorogari potest denunciatio, quantum ad id sufficit. Præterea illum qui nescivit statim ab initio latam fuisse excommunicationem contra facientes, posse à tempore notitiæ numerare prædictos sex dies, intra quos expendatur, quæ correctio præmitti debeat Aliqua alia de iisdem excommunicationibus vide apud Nauarr. lib. 5. Consiliorum, tit. de sentent. excommunicationis.

Nu.220. Item de excommunicatione lata per cameram Apostolicam pro solutione annuæ pensionis appositæ beneficio, videri possunt quæ tradunt Henriquez in sequen. cap. 19. & Suarez in citata disput. 20. sect. 2. à num. 7. Duo autem attigisse contenti erimus. Alterum est, quod Henriquez habet in §. 2. & plenius Suarez in num. 10. ex benigna interpretatione mentis Camerarij Apostolici, pensionarium non esse termino elapso habendum excommunicatum, nisi pars cui debetur pensio, & ad cuius instantiam & fauorem datur excommunicatio; declaret, non quidem priuatim, sed per Cameræ Apostolicæ sententiam parti intimatam, se velle vt excommunicationem incurrat: adeoque si antequam declaret, vel ipse vel debitor moriatur, vel debitũ soluatur, vel inter se partes conueniant, excõmunicatio non incurritur, etiam elapso termino præscripto; ac etiam in casu in quo se quis obligauerit personaliter, seu per propriũ & immediatum consensum: ac item quantumcumque tunc debitori satis constet de obligatione à se assumpta sub tali onere & pœna. Ita ex vsu & stylo curiæ Romanæ haberi notat cum Nauarr. ex Cassiodoro Suarez. Et addit rationem, quia consentaneum est vt in ea re voluntas creditoris expectetur; quia cùm in fauorem ipsius lata sit excommunicatio, censetur dilationem permittere, donec cum tanto rigore debitum exigat. Neque Iudex intendit excommunicationem ferre, nisi secundùm exigentiam, & voluntatem ipsius: quam consentaneum est iuridicè, seu per Iudicis sententiam, intimari debitori.

Alterum est, quod Henriquez in sequen. §. 4. addit, Cùm mandatum Camerarij præsumatur iustum, si intercedunt causæ quæ debitoris moram soluendi excusent à culpa, itaut creditor irrationabiliter sit inuitus: excusari quoque eumdem debitorem ab excõmunicatione prædicta: qui si in ea re timeat se molestandum, impetrabit à Summo Pontifice diploma commissum Ordinario, tanquam Apostolico delegato; vt iure procedens, *iuxta cap. Odoardus De solutionibus*, designet congruam sustentationem ipsi beneficiario debitori, & prohibeat creditori vexare ipsum, sed contentus sit fructibus residuis. Qua in re, vt monet Suarez num. 13. aduertendum est, tale rescriptum Pontificium vt vtile sit, debere continere clausulam *non obstante quacumque obligatione formæ Cameræ*: quia per talem concessionem non impediretur alioqui facultas auditoris Cameræ, ob plurium Pontificum concessiones ei factas.

Pro debito vsu absolutionis ab excommunicatione, Explicatio excommunicationum Sedi Apostolicæ, in Bulla Cœnæ Domini reseruatarum.

MAGNA est excommunicationum multitudo, etiam earum quarum absolutio iure communi est Sedi Apostolicæ reseruata; & in quibus oportet Confessarium versatum esse, ne Sacramẽtalem absolutionem det sacrilegè, adeoque inualidè, iuxta doctrinam de casuum reseruatione in Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. expressam. Non dicemus autem in præsentiarum de omnibus: quia nõnullæ sic passim ignorantur, nec in vsu sunt, vt pro abrogatis haberi valeant: & pleræque, licet notæ sint & in vsu, commodius tamen tractantur cum peccatis, propter quæ à iure imponuntur. Iam verò quæ à nobis peculiarem, paulòque pleniorem considerationem, nullo modo negligẽdam, exigunt: sunt (vltra eam de qua iam diximus in appendice ad librum primum) excommunicationes latæ in Bulla Cœnæ Domini: tum quia sub finem eiusdem Bullæ, Summus Pontifex mandat, vt omnes quauis authoritate ad audiendas confessiones deputati, transumptum illius penes se habeant, diligentérque legere, ac percipere studeant: tum quia sunt omnium grauissimæ, non eo tantùm nomine, quòd lætè sint propter grauissima quædam peccata, quibus plus diuina maiestas, quàm cæteris offenditur, ac quibus pax vniónque populi Christiani cum Christi in terris Vicario, *non sine graui scandalo*, perturbatur: sed etiam quia illarum absolutio tanta scueritate reseruatur Papæ, vt maior excommunicatio imponatur cuicumque, cuiuscumque dignitatis vel status sit, & quocumque priuilegio, quacumque ratione munitus (nisi in illo fiat expressa earum mentio) qui extra mortis articu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum, quempiam ab eis absoluere de facto præsumpserit: vt videre est in 3. parte eiusdem bullæ §. Cæterum 1. Vnde satis intelligitur in earum cognitione Confessarium oportere imprimis versatum esse. Quod & patet ex speciali præcepto, quod in eadem bulla sub finem, Summum Pontificem dare iam attigimus.

CAPVT XIII.

De Bulla dicta Cœna Domini.

SVMMARIVM.

226 *Bulla Cœnæ Domini, vsus in Ecclesia.*
227 *Modus peculiaris quo cessat obligatio eiusdem.*
228 *Obseruatio de casibus, qui in innouatione eiusdem Bullæ, interdum detrahuntur.*
229 *Alia de iis, qui interdum adduntur.*
230 *Excommunicationes Bullæ Cœnæ, nec sunt propriè ab homine, nec propriè a iure.*
231 *In tres partes Bulla Cœnæ distinguitur.*
232 *Tres causæ ob quas est instituta.*

ANtequam ad singularum excommunicationum consideratione aggrediamur, quædam obseruanda sunt de ipsamet Cœnæ Bulla.

Obseruationes generales circa eamdem Bullam: quæ nunc habetur edita à S. D. N. Paulo Quinto.

Nu.226. PRima sit: Romanos Pontifices, vt discimus ex Clementina 1. De iudiciis, quibusdam solemnibus anni diebus: nempe, *vt ibidem glosa notat verbo, Solemnes*, die Iouis septimanę sanctæ, qui dicitur Cœna Domini; & die Ascensionis eiusdē Domini nostri, ac die Dedicationis Basilicarum Petri & Pauli; consueuisse generales processus facere contra quædam personarum genera: nempe, *vt eadem glosa, verbo generales, annotat*, contra hæreticos eorumque credentes, &c. cōtra eos qui ad Saracenis prohibitas merces deferunt, contra piratas, contra exigentes, vel imponentes noua pedagia, & contra falsarios literarum Apostolicarum. Progressu verò temporis cōsuetudinem inualuisse, vt semel tantùm in anno fierent: ipso scilicet die Iouis septimanæ sanctæ, vt attigit D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 72. vbi eius generis processum Martini Quinti referens ad verbum, præfigit ei hanc inscriptionem: Processus annualis, qui fit annuatim in curia in Cœna Domini, contra multa hominum genera. Cuiusmodi consuetudo ad nostra vsque tempora perseuerauit.

Nu.227. Secunda obseruatio est: obligationem sententiæ talis processus, non esse perpetuam; sed durare tantùm vsque ad promulgationem alterius similis sententiæ; siue ab eodem Papa, siue à suo successore latę, prout in ipsa bulla Cœnæ Domini exprimitur his verbis, Volentes præsentes nostros processus, ac omnia & quęcumque his literis contenta, quousque alij huiusmodi processus à nobis, aut à Romano Pontifice pro tempore existente; fiant aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri. Non est verò, quòd quemquam moueat illa disiunctio, *fiant aut publicentur*, tanquam indicet priorem bullam non obligare semper vsque ad promulgationem subsequentis. Cùm enim mens Pontificis sit per talia verba continuare obligationem istiusmodi bullarum: neque noua obliget, sicut *nec vlla alia lex humana*, antequam promulgetur: sic illa accipienda sunt vt significent obligationem vnius talis bullæ tum demum cessare, cùm publicata est altera.

Nu.228. Tertia obseruatio est: Quando in bulla noua Cœnæ Domini, omittitur aliquis casus eorum qui in vetere continebantur, si is talis sit, qui à iure annexam habeat excommunicationem reseruatam, licet desinat habere tantam reseruationem quantam habebat ratione istiusmodi bullæ, non desinere tamen habere excommunicationem aut reseruationem iuris quam prius habebat; perinde ac si in eadem Bulla nunquam positus fuisset. Videri possunt pro maiori explicatione quæ habet Nauarr. ad cap. Ita quorumdam De Iudæis notab. 11. num. 25. & aliquot sequentibus. Quando verò omittitur casus, qui nullam habet excommunicationem à iure, tunc quoad illum, cessat omnino excommunicatio.

Sed aduerte quòd etsi ille qui in eo deliquit, non est amplius obnoxius excommunicationi reseruatæ in bulla Cœnæ Domini; sicut erat si deliquisset vigente adhuc bulla, quâ comprehendebatur; tamen si eâdem adhuc vigente deliquerit, ab excommunicatione quam tunc incurrit, non liberatur ex eo, quòd casus in quo deliquit defierit comprehendi in Bulla Cœnæ: sed ligatus manet sicut prius: itaut nequiat per alium quàm per Summum Pontificem absolui: non secus ac si eadem bulla adhuc vigeret. Ratio est: quia excommunicatio semel incursa, retinet vim suam ligandi donec tollatur per absolutionem, quam in tali casu solus Papa dare potest ob reseruationem factam in ipsa Cœnæ Bulla.

Aduerte item quod ex Nauarr. habet Suarez ad 3. part. D. Thomæ tomo 5. disput. 21. sect. 1. si pro eodem delicto feratur excommunicatio in istiusmodi Bulla, pro quo in iure iam fuit lata; excommunicationem esse eamdem numero: quia cùm pœnę sint in mitiore sensu interpretandæ, is qui excommunicationem fert in casu in quo iam lata à iure, censendus est (nisi aliud in sententia expresè declaret) non ferre nouam censuram, sed eam quę in iure continetur, declarare & roborare.

Nu.229. Quarta obseruatio est: Casus additos de nouo in Bulla Cœnæ, non esse referendos ad præterita, sed tantùm ad futura: adeout is, qui ante additionem etiam millies commisisset delictum illud propter quod noua excommunicatio per Bullam ipsam Cœnæ decernitur, minimè incurrerit in illius sententiam. Sin autem post additionem vel semel commisisset, omnino incurrerit. Nam Papæ mentem non esse ferre talem sententiam respectu præteritorum, sed futurorum delictorum; satis significat inscriptio quam ipsi Bullæ præfigit talem: Paulus Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Hęc enim verba, sicut & illa, *ad perpetuam rei memoriam* quæ Summi Pontifices in suis literis vsurpant, cùm faciunt statutum perpetuum, ostendunt ipsum sententiam ferre pro culpis futuris.

Nu.230. Quinta obseruatio est: excommunicationes Bullæ, de quibus instituimus dicere, nec esse propriè ab homine, nec propriè à iure, sed medij cuiusdam generis. Nam non esse propriè excommunicationes ab homine, patet ex eo quod tales expirent cum homine à quo feruntur: & excommunicationes huius Bullæ ferantur duraturæ etiam post ferentis mortem, vt patet ex verbis eiusdem Bullæ quæ supra in 2. obseruatione retulimus; statuitur enim illas valituras vsque ad promulgationem alterius Bullæ siue ab ipsomet ferente, siue à suo successore faciendam: itaut edita Bulla à Summo Pontifice in Cœna Domini eo anno quo è vita excedit, vim & robur suum retineat, donec successor ipsius nouam in sequenti Cœna

Cœna Domini promulget.

Neque item esse propriè à iure excommunicationes ipsas Bullæ Cœnæ, patet ex eo quòd non sint stabiles ad modum iuris, cùm non modo à diuersis sed etiam ab eodem Pontifice sæpe mutentur. Deinde, quòd obligatio vnius Bullæ eas decernentis cesset per solam promulgationem alterius de nouo factæ, vt ante habitum est. Obligatio autem eorum, quæ vim iuris habent, non cessat quantumcumque ius nonum condatur aut promulgetur: nisi ipsum illa reuocet.

Quare concludendum est, medij cuiusdam generis potius, quàm vel propriè ab homine, vel propriè à iure esse excommunicationes Bullæ Cœnæ. Quantumquam tamen spectata natura illarum, possunt absolutè censeri ab homine esse; quia illud quod dictum est, *ipsas ferri duraturas post mortem sui authoris*, non habent ex sua natura sed ex voluntate Pontificis ferentis, qui potest validare quamlibet sententiam hominis vsque ad tempus aliquod, siue determinatum

Nu.231. siue indeterminatum.

Postrema obseruatio est: literas in quibus excommunicationes nobis ad explicandum propositæ habentur, à S. D. N. Paulo 5. latæ, tribus partibus distingui: quarum prima præmium constituit: secunda viginti clausulis excommunicationes fulminat: tertia quædam ad earumdem excommunicationum absolutionem, valorem, & authoritatem pertinentia continet. Assignantur verò in proœmio, causæ ob quas, consuetudine maturo consilio introducta, plurimisque iam annis non interruptâ, Summus Pōtifex (qui teip. Christianæ, *cuius gubernacula tenet*, pacem & tranquillitatem procurare debet) spiritali Ecclesiasticæ disciplinæ gladio contra quædam personarum genera vtitur: ea præscindendo à corpore mystico Ecclesiæ militantis: sic tamen vt tanquam communis omnium, pius pater, volentibus omnino incorporari, spem paratam relinquat.

Nu.232. Prima autem ea causa est, vt retineatur conseruetur que vnitas & integritas fidei Catholicæ, sine qua nemo potest placere Deo ad Heb. 11. In quem finem quia eadem fides maximè labefactatur per hæresim, prior pars primæ clausulæ ex dictis viginti, decernit excommunicationem in hæreticos & alios qui aliquo modo ipsis in causa hæresis participant, sicut inferius suo loco videbitur. Secunda causa est, vt sancta fidelium societas sine offensione seruetur, nempe vt fideles inter se alter alteri offensionis causam minimè præbeant, sed vinculo charitatis coniuncti, sic vitæ præsentis quiete gaudeant, vt futura quoque beatitudine perfruantur. Offendi verò potest sancta fidelium societas primò in ordine ad bona temporalia: tum aliis rationibus, tum maximè iis ob quas decernus pœnam excommunicationis imponi in 3. 4. 5. & 7. clausula: deinde in ordine ad personas Ecclesiasticas, vt contingit præcipuè, cùm committuntur ea. pro. quibus decernitur excommunicatio in clausula 14. 15. 16. 17. 18. 19. Tertia causa, vt seruetur vnio fidelium cum Christo, & ipsius in terris Vicatio, tanquam membrorum cum capite: cuius vnionis qui particeps non est, nec esse potest illius spiritalis vitæ, quæ ad beatam ducit. Violatur verò talis vnio pluribus modis, & maximè iis quibus violatores excommunicationi subiiciuntur sub finem primæ clausulæ, & in 2. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 17. sequentibus.

CAPVT XIV.

De prima excommunicatione lata in hæreticos cuiuscumque sectæ: ac eorumdem credentes, receptatores, fautores, libros legentes, tenentes aut imprimentes atque schismaticos, his verbis.

1. EXcommunicamus & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris & Filij & Spiritussancti, authoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra: quoscumque Hussitas Vvicleffitas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trimitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes & singulos alios hæreticos, quocumque nomine censeātur, & cuiuscumque sectæ existant, ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine authoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa publicè vel occultè, quouis ingenio vel colore: nec non schismaticos, & eos qui se à nostra & à Romani Pontificis pro tempore existentis, obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

SVMMARIVM.

233 *In quas personas feratur prima excommunicatio Bullæ Cœnæ Domini.*
234 *Requisita ad eamdem excommunicationem incurrendam ob hæresim.*
235 *Baptizatum esse, requiritur.*
236 *Item habere in mente errorem contra fidem.*
237 *Quod sufficiat talem habere propriā existimatione, & quando sufficiat in fide dubitare.*
238 *Requiritur pertinaciam habere in voluntate.*
239 *Adhuc requiritur externum signum interioris hæresis: quod commune, aut etiam incompletum esse, sufficere potest.*
240 *Aliqua etiam omissio potest sufficere: ritemque dictum aut factum per iocum.*
241 *Confideri de mentali hæresi, aut super ea petere consilium, non est sufficiens signum ad incurrendam hanc excommunicationem.*
242 *Credentes hæreticorum sunt in duplici genere; & qui in hanc excommunicationem incurrant.*
243 *De quibusdam eorum, quoad hanc excommunicationem, perinde iudicandum est, ac de hæreticis; de aliis verò nonnullis, sicut de fautoribus hæreticorum.*
244 *Qui sint intelligendi per receptatores hæreticorum, quibus proposita excommunicatio imponitur.*
245 *Quando ab ea excusentur, qui recipiunt hæreticum quæsitum ad pœnam pro sua hæresi luendam.*
246 *Fautores hæreticorum incurrentes in hanc excommunicationem: ac primò ij qui omissione.*
247 *Deinde ij qui commissione.*
248 *Qui defensores hæreticorum in eamdem excommunicationem incurrant.*
249 *In legentes libros hæreticorum duplex lata est excommunicatio, & quæ ad quamque earum incurrendam requirantur.*
250 *Quædam edita ab hæreticis, legi permissa.*
251 *Quando audiendo legi librum hæretici, incurratur excommunicatio.*

252 *Quid*

Universidad de Deusto
Biblioteca

252 *Quid sit sentiendum de reciditibus memoriter ea quæ retinent ex lectione librorum hæreticorum.*
253 *Legentes in libris Catholicorum, eis inserta ex libris hæreticorum, non incurrunt in excommunicationem.*
254 *Excusant ab eadem in hac materia, vt & in aliis, tum ignorantia, tum parvitas vel.*
255 *Quis dare possit facultatem legendi libros prohibitos.*
256 *Retinentes libros hæreticorum, quo modo incurrant in excommunicationem.*
257 *Quomodo sive imprimentes, sive defendentes eosdem libros, incurrant.*
258 *Quis proprie schismaticus esse censeatur.*
259 *Affectus & effectus ex quibus potest quis schismaticus proprie censeri.*
260 *Indebitus modus coniungendi se Romanæ Ecclesiæ: ex quo potest quoque censeri quis schismaticus.*
261 *Tres modi quibus potest quis subtrahere se ab obedientia Papæ.*

*Nu.*233. PRIMA excommunicatio fertur in prima clausula, contra personas decem generum; ex quibus quinque constituuntur in ordine ad hæresim: nempe omnes hæretici, quocumque nomine censeantur, & cuiuscumque sectæ existant: deinde eorumdem credentes: tertiò receptatores: quartò fautores: quintò quilibet defensores illorum.

Quatuor verò in ordine ad libros hæreticorum, nempe eos scienter legentes, deinde retinentes. Tertiò imprimentes. Quartò quomodolibet defendentes ex quauis causa; publicè vel occultè, quouis ingenio vel colore. Vnum demum in ordine ad subtractionem ab obedientia Summi Pontificis; nempe schismatici: qui rebellant eidem Pontifici, nolentes admittere ipsum caput esse Ecclesiæ. De quibus sigillatim dicendum est, si prius obiter monuerimus, quod de hæreticis dictum est, quocumque nomine censeantur, non esse referendum ad propria nomina ipsorum; quasi quilibet hæreticus sit per hanc sententiam nominatim excommunicatus: non enim excommunicatur quis nominatim, nisi expresso proprio ipsius nomine; vel certè sic suis circunstantiis describto, vt ipsius persona certò designetur, *sicut iam alibi exposuimus*; sed esse referendum ad sectarum nomina, quorum nonnulla exprimuntur in eadem clausula, vt Lutheranorum, Caluinistarum, &c. Id quod satis indicant verba quæ subiiciuntur, *cuiuscumque secta existant*: sicut & per eadem verba, non excludi ab hac censura illos hæreticos, qui nulli sectæ se addicunt, nulliúsque nomen vsurpant, indicatur illis aliis verbis præcedentibus, *omnes & singulos hæreticos*,

De hæreticis in quos primò hæc excommunicatio fertur.

SECTIO I.

EXcommunicatio in hæreticos lata frequens est in iure Canonico: nempe in cap. Acatius, & in cap. Audiuimus 24. quæst. 1. ac in cap. Sicut 1. & in cap. Ad abolendam & in cap. Excommunicamus 1. & 2. De hæreticis, & in cap. Nouerit De senten. excommunic. Quod autem hic à nobis explicandum occurrit, est, quidnam requiratur vt aliquis propriè censeri possit hæreticus qui excommunicatione ista irretiatur.

*Nu.*234. Requiritur ergo primò, vt sit Christianus: secundò, vt habeat in mente errorem: tertiò, vt in voluntate pertinaciam, quæ in hæresi est vt formale: sicut error est vt materiale: quartò, vt errorem illum pertinacem, externo signo prodiderit. Et ita, censuram hanc is non incurrit, qui vel hæresim animo conceptam, nullo externo signo prodidit: vel si externum hæreseos signum dedit; nullatenus in animo hæreticus fuit. Quæ doctrina est Syluestri *excommun. 7. nu. 3.* & Alfonsi à Castro *lib. 2. De iusta hæreticorum punitione cap. 8.* & Nauar. in Enchir. *cap. 11. num. 25.*

Primò autem requiri vt sit Christianus, id est, homo qui baptismi susceptione fidem Christi professus sit, patet: quia hæresis includit negationem fidei, in eo qui illam professus est, vnde dicitur discessus à fide iuxta illud prioris ad Timoth. 4. In nouissimis temporibus discedet quidam à fide.] Neque alius nisi is qui baptismo initiatus est excommunicari potest, vt in præced. cap. octauo, num. 135. ostensum est. Quare non modo catechumenus, de quo dictum est ibidē: sed neque is qui baptizatus est baptismo inualido, quātumcumque multos habeat errores contra fidem & eos pertinaciter tueatur, incurrit in hanc excommunicationem: quia nunquam verè professus est fidem Christi susceptione baptismi: vtpote qui non est verè baptizatus. *Nu.*235.

Si quæras, An is qui baptizatus est in hæresi, in hanc excommunicationem incurrat? Respondetur distinctione: nam si bona fide imbibisset hæresim, putans esse veram doctrinam Ecclesiæ Christianæ; ignorantia ipsum tamdiu excusat ab excommunicatione: quamdiu illam non veram doctrinam esse proptrea ignorat, quòd nihil ea de re audiuerit, vel si audiuerit, non potuit habere à quo instrueretur: sic enim censetur ignorare inuincibiliter. Sin autem audito rumore de errore suo, nolit inquirere veritatem, vel certè in inquirendo sit notabiliter negligens, perseuerando in eodem errore tanto temporis spatio, quanto consultis viris doctis & piis, de veritate instrui potuit: incurrit in hanc excommunicationem: quia cessat supra dicta excusatio.

Secundò requiri, vt habeat errorem in mente patet: quia hæresis est species infidelitatis: infidelitas verò error est in mente, ex eo sic dictus, quòd in ipsa mente rectitudinem fidei non patiatur secum: sed eam, si adfuerit, tollat. Vnde sequitur, eum qui non habet errorem in mente, *cum non sit hæreticus*, non incurrere in hanc excommunicationem. Licet igitur quis consentiat in externum opus infidelitatis: vt accidit ei qui exterius adorat dæmonem, genu flectendo, & adolendo ei thus, vel facit cum eo conuentiones & pacta: si fidem integram in mente retineat, nihil sentiendo de dæmone & ipsius dignitate vel potestate, quod Christianæ doctrinæ aduersetur; sicut non est hæreticus, *vt ex professo docet D. Anton. 2. par. tit. 12. cap. 5. §. 1.* ita nec incurrit in hanc excommunicationem. Idem esse iudicandum vult Tabiensis in verbo Apostasia num. 6. de iis qui interius sunt Christiani, id est, qui in mente fidem retinent integram: sed propter timorem, vel aliam causam faciūt exterius aliquem actum infidelitatis: v. g. *quod exemplum ille habet in verbo hæreticus, num. 3.* qui osculantur sepulchrum Mahometis, vel aliquid aliud faciunt ad venerationem ipsius, more infidelium; si non sentiunt id interius, quod facto exterius significant. Quamuis enim mortaliter peccent, non sunt tamen hæretici: nec ideo in hanc excommunicationem incurrunt. *Nu.*236.

Cæterùm is error de quo hîc agitur, comprehendit non tantùm eum, qui est contra illa quæ in sacris literis aut in Symbolo Apostolorum expressa habentur: sed eum etiam, qui est contra aliquid de iis quæ *Nu.*237.

quæ à Summis Pontificibus & Conciliis generalibus de fide esse determinata sunt: aut per traditionem Apostolicam ad nos vsque peruenerunt. Immo qui est contra illa, quæ istiusmodi esse putantur, etiamsi non sunt. Itaut erret isto erroris genere, non modo ille qui sacræ Scripturæ aut determinationi Ecclesiæ, sed etiam qui ei quod sacram Scripturam, aut Ecclesiæ determinationem esse putat, deliberatè dissentit. Nam nec cum tali errore consistere potest fides, qua creditur aliquid sub ea tantùm ratione, quòd ab Ecclesia proponatur reuelatum esse à Deo.

Quinetiam comprehendit dubitationem, in qua deliberatè quis assensum cohibet à rebus fidei, quantumuis non dissentiat positiuè, hoc est, illas minimè neget, immo malit mori quàm negare. Ratio est: quia talis dubitatio tollit quoque fidem, cùm huius essentialem firmitatem nequeat secum pati: ideoque efficiat infidelem iuxta illud in cap. 1. De hæreticis Dubius in fide infidelis est.] Quæ infidelitas cùm non sit pura, *qualis est tantummodo in eo qui nunquam fidem suscepit*, nec item apostasia, *qualis est in eo qui nihil retinet eorum quæ ad Christianam doctrinam pertinent*: debet esse hæresis. Vnde fit, vt propter illam excommunicatio ista incurratur. Quinimo si apostasia esset, incurreretur: quia cùm apostata ab hæretico non differat, nisi secundum magis & minus, *nempe quod ille sit perfectius & consummatus hæreticus; & hic imperfectius & inchoatus apostata*: non est dubitandum, quin sub hac sententia comprehenderentur apostatæ, etiamsi in sententia non exprimerentur speciatim; sicut exprimuntur maioris perspicuitatis gratiâ.

Dixi, *deliberatè cohibet*, ad excludendum eum qui dubitaret ex motu primo infidelitatis: vt vsuuenire potest, cùm quis disputans contra hæreticum, audit aliquam rationem contra fidem, quæ facit ipsum statim titubare; aut cùm oppressus stimulis carnis, statim hæsitat, an verum sit simplicem fornicationem esse peccatum mortale; & sic de similibus. Item eum qui dubitaret, sine vlla aduertentia, & statim ac perfectè deliberans, redit ad se; veritati assentitur firmiter: sicut enim talis non est hæreticus, ita nec in hanc sententiam incurrit. *Nu.*238.

Tertiò, requiri vt pertinaciam habeat in voluntate, patet: quia sicut assensus fidei pendet ex pia voluntatis affectione; sic dissensus hæreseos illi contrarius, pendet ex praua voluntatis affectione; adeout dissentiens ab aliqua veritate fidei absque praua voluntatis affectione (vt vsuuenit illi, qui bona fide putat tale quid credendo, se non errare, paratúsque corrigi, submittit in omnibus iudicium suum iudicio Ecclesiæ) non sit hæreticus: ille verò sit hæreticus, & per consequens excommunicationem hanc incurrat, qui alicui propositioni etiam veræ, assentitur ex praua voluntatis affectione: nempe cùm putet eam esse contra determinationem Ecclesiæ Romanæ, vult nihilominus illam tenere; aut certè sic ab illa dissentit; vt etiamsi Ecclesia Romana contra sentiendum statueret, vellet tamen adhuc illam tenere, nec est paratus se conformare eiusdem Romanæ Ecclesiæ definitioni. Huiusmodi autem prauam affectionem, hic vocamus pertinaciam requisitam, vt quis tanquam hæreticus in excommunicationem istam incurrat. *Nu.*239.

Postremò requiri vt externo signo interiorem hæresim prodiderit, patet ex iis quæ diximus in præcedenti cap. 9. quæst. 2. quamuis necesse non sit tale signum manifestum esse, prout in sequen. quæst. 3. ostendimus. Hinc autem infertur, quòd cùm signorum externorum hæreseos possint duo genera distingui: vnum communium, id est, quæ alium æquè, ac hæreseos assensum indicare possunt: sicut sunt elatio manus, inclinatio capitis & similia: alterum propriorum, quæ scilicet per se indicant aliquam infidelitatem mentis, prauamque voluntatis affectionem erga id quod Ecclesia de fide tenendum proponit. Infertur, inquam, quodcumque ex illis ab interiori hæresi procedens, satis esse ad incurrendam hāc excommunicationem. Etsi enim de signis communibus videri possit aliter sentiendum; non tamen ita est, quia quòd actus exterior ex hæresi procedens, sit communis (quod est posse ex alia interiore affectione perinde prouenire, atque ex hæresi) impedire potest quidem quominus hæresis ipsa exterius cognoscatur ab aliis; non tamen impedit, quominus ea per accidens sit externum peccatum, pro quo excommunicatio ferri possit: sicut & quòd professio Religiosi ad aulam Principis, procedere possit ex alia intentione, quàm inferendi aliquod damnum suis Prælatis; minimè impedit quominus Religiosus tali intentione adiens, excommunicetur per Clemen. primam §. Quia verò De statu Monachorum.

Infertur secundò, quòd cùm actus exterior prouenies, seu imperatus ab hæresi, possit esse vel completus, id est, quo hæresis plenè, determinatéque significetur: vt cùm quis hæresim quam animo conceptam habet, disertis verbis exprimit, aut etiam factis: vt si animo persuasum habens, nos non teneri ad obseruationem præceptorum Ecclesiæ, comedat carnes in Quadragesima. Vel esse possit incompletus; quo scilicet incōpletè & indeterminatè significetur hæresis: vt esse possunt hæc verba, *Ita est*, & alia huiusmodi, quæ quis suam hæresim meditans, voce proferat, non facientia orationem perfectam: itemque signa eis respondentia: vt capite annuere, aut abnuere, attollere manum aut aliud huiusmodi ab hæresi prouenientia. Infertur, inquam, non modo eum qui actu externo completo: sed etiam eum, qui incompleto hæresim suam expresserit, in hanc excommunicationem incurrere: quoniam hæresis mentalis expressa per talia verba, aut signa, causa est sufficiens excommunicationis: vt argumento est quod Ecclesia excommunicare possit omnes qui animo hæretico talia verba protulerint, signáve ediderint; sicut & potest excommunicare quemcumque aliquid aliud exterius agentem ex aliqua praua animi affectione: prout satis constare potest ex memoratæ secundæ quæstionis explicatione.

Infertur tertiò, non modo hæreticum qui mente conceptam hæresim exprimit actu externo; sed etiā eum qui omissione actus externi, incurrere in hanc excommunicationem: præsertim quādo ipsa omissio includit virtute actum externum: vt vsuuenit cùm quis de inuocatione & cultu Sanctorum hæresim in mente habens: reuerentiam reliquiis, aut imaginibus ipsorum, non exhibet cùm deberet: aut quando omissio reddit suspectum de hæresi: sicut nunquam interesse Missæ absque rationabili excusatione; aut non communicare in Pascha te, reddit suspectum de hæresi contra præsentiam corporis Christi in Eucharistia. Certè ob malam affectionem ex qua prouenit omissio actus exterioris, posse excommunicationem decerni; patet ex Clemen. Multorum De hæret. §. Verum: vbi excommunicantur Inquisitores fidei, qui odij, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu; contra iustitiam aut conscientiam suam, omiserint contra aliquem procedere, vbi fuerat procedendum. *Nu.*240.

Infertur quartò, eum qui hæresim quam in mente habet, per iocum exterius exprimit (vt v. g. si credens Christum non esse in Eucharistia, dicat se nolle adorare Deum qui comedi potest à muribus) incurrere in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in hanc excommunicationem, quia verè prodidit hæresim actu externo procedente ab ea,& ex rei natura eam exterius declarante. Neque refert, quòd per iocum exprimat: in re enim tam seria, quàm est fides, iocus non excusat: cùm non modo non sit laudabilis, sed etiam execrabilis sit. Et quamuis dictum per iocum non faciat fidem apud eum qui audit; verè tamen potest exterius enunciare interiorè animi affectionem, *iuxta illud, Rid. ndo dicere verum quid vetat?* atqueadeo esse signum externum interioris hæreseos, sufficiens ad subiiciendum hæreticum huic excommunicationi.

*Nu.*241. Porro qui Sacramentaliter confitetur de hæresi, quam animo conceptam retinet; licet eam exterius verbo prodat reuelétque; non ideo tamen censendus est incurrere in istam excommunicationem: quia talis reuelatio, cùm sit omnino extra iudicium humanum, relinquit hæresim ipsam mentalem tam occultam, támque liberam ab humano iudicio, *& per consequès ab excommunicatione*, quàm prius. Adde quòd alioqui melior esset non confitentis, quàm confitentis conditio; quandoquidem hic excommunicationem incurreret, à qua ille immunis maneret. Adde etiam quòd numquam à suo proprio Sacerdote hæreticus purè mentalis posset absolui; si quidem per ipsam confessionem se proderet sufficienter ad incurrendam excommunicat. quæ semper est Summo Pontifici reseruata. Quinimo probabile admodum est, neque eum qui suam hæresim, ad habendum super ea consilium, manifestat alteri, incurrere in hanc excommunicationem. Quia præsumendum non est Ecclesiam actum bonum, & animæ valde salutarem, *qualis est petitio consilij ad emergendum ab hæresi*, subiicere tantæ pœnæ: præsertim cùm eius generis petitio non sit de se signum hæreseos: hæc enim includit in sua ratione pertinaciam, & illa indicat animum non omnino pertinacem paratúmque dirigi. Adde quòd alioqui hæreticus mentalis terrore tantæ pœnæ à qua per neminem nisi per Summum Pontificem posset liberari, reuocaretur à tali petitione consilij: quo tamen nullum est medium humanum accommodatius ad reuocandum ipsum ab errore, sicque præsens excommunicatio ad hæreseos extirpationem instituta, aliquatenus eamdē impediret.

De credentibus, receptatoribus, fautoribus, & defensoribus hæreticorum, in quos hæc excommunicatio fertur.

Sectio II.

HI omnes excommunicati sunt quoque à iure: credentes quidem hęreticorum in cap. Excommunicamus 1. De hæreticis: fautores verò, tum ibidem, tum in cap. Nouerit De senten. excommunicationis: receptatores demum & defensores, tum in iisdem locis, tum in cap. Sicut ait, De hæreticis.

De credentibus hæreticorum.

*Nu.*242. POrro credentes hæreticorum (inquit Panorm. ad memoratum cap. Excommunicamus 1. & post eum Tabiensis in verbo Excommunicatio quinto: *(ille nu.* 12. *& hic casu* 4. §. 11.) dupliciter dicuntur: vno modo illi, qui nullum quidem errorem habent explicitè, sed tamen implicitè assentiuntur pertinaciter erroribus aliquorum hæreticorum: siue vnius siue plurium, credentes vera esse quæ ipsi docent: nempe (ex Sylu. in verbo *Hæresis* 1. *num.* 10.) ad eum modum, quo quidam rustici, nullum ex articulis fidei credentes explicitè, credunt implicitè quidquid Romana credit Ecclesia. Secundo modo illi, qui credunt hæreticos esse viros bonos, eisque fauent: & quamuis non credant erroribus ipsorum, exhibent tamen aliqua exteriora signa, propter quæ videantur credere eis, vt vsuenit, ex Tabiensi, illis qui sæpe adeunt & visitant hæreticos, & conciones ipsorum nonnunquam audiunt, literas eorum hinc inde ferunt, ducatum eis in itinere præbent, aliaque similia faciunt scienter: ex quibus non conuincitur quidem apertè, quòd credant ipsorum erroribus; suspicio tamen non leuis generatur.

Prioris autem generis credentes hæreticorum pœnitur & ipsi in numero hæreticorum, iuxta cap. Excómunicamus 2. De hæreticis: cuius verba sub finē sunt hæc: Credentes autem eorum (intellige hæreticorum) erroribus, hæreticos similiter iudicamus. Quod etiam ratio ostendit: quia sicut is qui suscepto baptismo implicitè credit omnibus quæ tanquam de fide tenet Romana Ecclesia, est verè Catholicus; quia elicit actum positiuum credendi in confuso omnibus articulis fidei, sique aliquis eorum in particulari proponeretur illi, tanquam aliquid quod Romana Ecclesia tenet esse de fide, statim assentiretur: ita etiam ille qui implicitè credit iis omnibus, quæ tenet aliquis hæreticus, ipse quoque pari ratione est hæreticus. Vndè Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *num.* 56. ait tales in hoc canone contineri sub nomine hæreticorum, tantúmque in eodem illos exprimi ad declarationem: adeóque si omitterentur, *sicut omittebantur in Bulla Pij V.* dicendi nihilominus essent in hanc excommunicationem incurrere. Credentes verò posterioris generis, non sunt hæretici; quia non intendunt approbare hæreticorum doctrinam; immo putant illam esse falsam: & quoties illis in particulari aliquis articulus ex hæreticorum doctrina proponeretur, dissentirent apertè: alioqui enim iam non essent credentes huius, sed prioris generis.

*Nu.*243. Cæterùm sicut hæresis purè mentalis, qua quis explicitè assentitur alicui errori: ita & illa, quâ quis implicitè assentitur omnibus erroribus alicuius sectæ, non est sufficiens ad incurrendam hanc excommunicationem, nisi aliquo signo, id est, verbo, gestu, vel opere externo ea exprimatur. *De quo signo quale debeat esse ex præced. sect. intelligitur.* Deinde quamuis legum pœnæ non sint interpretatione dilatandę, sed potius restringendæ iuxta regulam 49. iuris in sexto; ideoque videatur non extendendam hanc excommunicationem ad credentes secundi generis: sed de solis primi generis intelligendam esse sicut loco cit. intellexit Nauar. Attamen neque hi sunt ab ea immunes omnino, cùm plerumque accipiant conditionem, induántque rationem fautorum hæreticorum; inter quos *iuxta Nauar. ibidem*, ponendi sunt illi qui scientes aliquem esse hæreticum, fauorem ei exhibent: puta mittendo munera, associando, &c. absque aliqua circunstantia, quæ possit illos excusare in foro exteriori, ne præsumantur hæresi fauere: cuiusmodi circunstantiæ possunt esse timoris, cognationis, necessitatis, vel vtilitatis in pace aut in bello.

Cùm igitur secundi generis credentes hæreticorum, nonnunquam taliter hęreticis ipsis fauere contingat, in hanc excommunicationem quoque incurrere continger.

* * *

De receptatoribus hæreticorum.

*Nu.*244. REceptatores hæreticorum (vt iuxta Archid. ad cap. Quicumque De hæret. in sexto habet Sylu. *in verbo Hæresis primo, num.* 10. *versu Receptator*) dicuntur illi qui hæreticum scienter recipiunt in terris vel domibus suis: siue pluries, siue semel: siue occultè, siue publicè. Nam vt idē, *post Angelum in eod. verb. nu.* 23. argumentatur: etiamsi receptandi verbum Grammaticis sit frequentatiuum, tamen in iure vsus obtinuit, vt in significatione sui primitiui, hoc est, verbi recipiendi vsurpetur: quod illi probant ex lege vlt. ff. De receptatorib. Licet item secundum ius ciuile receptator sit, qui latenter aliquem recipit & celat, vt conseruatus euadat manus Iudicis, ff. De receptatorib. leg. 1. & ff. De officio præsidis, lege Congruit & Cod. De his qui latrones occultarunt lege vlt. Attamen in casu hæreticorum, *inquit Angelus*, omnis receptio prohibetur, vt deducitur ex cap. Sicut ait, De hæreticis: cùm dicitur. Sub anathemate prohibemus ne quis eos in domo, vel in terra sua tenere, vel fouere aut negotiationem cum eis exercere præsumat. His enim verbis indicatur, qui debeant intelligi per hæreticorum receptatores, in quos ibidem excommunicatio decernitur: nempe illi absolutè qui vel in domo vel in terra sua hæreticos ipsos tenent, quantumuis non faciant eo fine, vt manum Iudicis euadant.

Aduerte autem esse intelligenda de iis qui hæreticos scienter recipiunt: quia illi qui id ignoranter faciunt, excusantur, vt à peccato, sic ab hac censura: nempe quia nesciunt errores ipsorum nec vnquam aliquid sinistri de eis audiuerunt nec suspicati sunt; sique ipsos scirent tales esse, parati essent eos prodere si quærerentur à ministris iustitiæ. Sed aduerte etiam, quod ex Caietano adhuc habet Nauarr. *in eodem num.* 56. iam dicta intelligi debere de iis, qui hęreticos recipiunt eo respectu, quo sunt hęretici. Nam recipere eo respectu, quo sunt homines, *inquit Nauarrus*, nullo canone prohibitum est. Immo eis quatenus tales sunt, extremè indigentibus subuenire tenemur ex cap. Pasce, distin. 86. Adeoque potest quis iisdem non extremè indigentibus subuenire humanitatis respectu, iuxta illud D. Augustini *relatum* 23. *quæst.* 4. *cap. Duo sunt ista nomina.* Quia peccator est, corripe: quia homo, miserere.] Et infra: Ita nulli homini claudenda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas est relaxanda.

*Nu.*245. Cæterùm quoad eos qui recipiūt hæreticos dum quæruntur vt ob hæresim puniantur, distinctione in hac re vtendum est. Si enim tantùm recipiant eos vt hospites, ignorando quòd petant hospitio excipi ad occultandum se, ne in manus Iudicis veniant puniendi ob hæresim, paratique essent ipsos prodere si id scirent: non incurrunt in hanc excommunicationem, nisi recipiant eo respectu quo sunt hæretici. Sin autem vt eos conseruent ne capiantur & puniantur ob hæresim, existimandum est incurrere iuxta paulo ante dicta.

Adde, esse quoque probabile, quòd incurrant quamuis non recipiant quidem animo illos conseruandi, sed aliqua alia de causa; sciant tamen eos quærere & accipere hospitium ipsius, vt in eo recepti euadere possint pœnam quæ ob hæresim illis paratur. Ratio est, quia conditio receptatoris hæreticorū in ipsis locum habet, sicut & in illis, qui existentes in domo in qua latet hæreticus, à ministris iustitię quęsitus ad pœnam inferendam ei ob hæresim; cooperantur ipsius occultationi: ducendo eum in locum secretiorem, includendo in arca, operiendo illum vestibus, vel aliis supellectilibus, ne possit inueniri, & conseruatus euadat.

De fautoribus hæreticorum.

FAutores hæreticorum dicuntur, qui fauore & gratiâ hæreticos defendunt. Quod fieri potest duobus modis vt ex Archid. traduntur locis cit. Sylu. & Angelus: *ille versu fautores, & hic num.* 24. nempe omissione & commissione. Nam, *inquiunt illi*, personæ quæ publica authoritate funguntur, ex sola omissione dicuntur hæreticorum fautores: nimirum si ab Ecclesia de hæresi damnatos non fugent, vel non puniant: prout tenentur ex præcepto expresso capituli Ad abolendam §. *Statuimus: & cap. Excommunicamus* 1. §. *Moneantur De hæreticis*: Et ratio est: quia qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit: nihil est aliud quàm fauere impietati eorum vt habetur 23. quæst. 5. cap. Qui potest. *Nu.*246.

Pari ratione Prælati Ecclesiarum qui non faciunt carceres ad tutam custodiam hæreticorum, vel alia similia ad officium ipsorum spectantia, propterea quod volunt eis indulgere, censentur fautores hæreticorum. Neque possunt paternæ misericordiæ prætextu excusari; quia vt habetur in cap. Qui vitius 23. quæst. 5. Qui vitiis nutriendis parcit, & fauet ne contristet peccantium voluntatem; tam non est misericors, quàm qui non vult cultum rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet ne vulneratum doleat vel extinctum. Quod si iidem Prælati sumptibus parcentes ex paupertate, vel ex aliquo alio impedimento legitimo, talia non faciant; non sunt censendi fautores hæreticorum: quia non ideo omittunt facere, quòd velint hæreticis fauere.

Denique omissione eorum quæ quis potest & tenetur præstare ad punitionem hæretici, ipse constituitur hæreticorum fautor: non item omissione eorum quæ non potest aut non tenetur. Itaque ij qui ex officio, vel iuramento possunt & tenentur hæreticos denuntiare, vel accusare, habentur fautores hæreticorum non denunciando nec accusando, sed celādo, etsi sint personæ priuatæ. Similiter quicumque legitimè examinantur à Iudice, super aliquorum hæresim; si eo modo sciant quo testari & denunciare teneantur (*de quo modo Nauar. in Enchir. cap.* 25. *num.* 40.) tacendo vel negando ea quæ dicere tenentur, sunt fautores hæreticorum. Sunt etiam Aduocati qui suscepta prouincia dicendi contra hæreticos, negligenter eam sustinent illorum gratiâ. Sunt item Notarij, qui aliquid minus quàm debent in processu scribūt, vt alleuietur crimen. Sunt denique illi qui ratione officij tenentur hæreticos capere, incarcerare, testes examinare, &c. omittentes talia facere, maximè cùm in mandatis habent vt faciant. In his enim omnibus cernitur antememorata ratio fautoris hæreticorum.

*Nu.*247. Commissione autem fautores hæreticorum sunt, vt iidem authores tradunt, qui fauent ipsis, aut verbis aut factis. Verbis autem fauent qui causam ipsorum excusant, vel mendaciis colorant, vel pollicitationibus, aut alia ratione suadent Iudici, aliisve iustitiæ ministris, vt acta contra illos dissimulent, aut falsificent. Item qui falsum testimonium pro eis ferunt, vel reuelant illis accusatores seu denuntiatores ac testes; vt deponant se habere illos suspectos; aut dant illis consilium ad euadendum; aut queruntur ipsos iniustè damnatos; quos tamen constat de suo crimine esse conuictos: aut quid aliud simile de industria

Universidad de Deusto
Biblioteca

(*alia ratio est, vt monent Angelus & Sylu. si per lubricã linguã,*) dixerint quo simplices ad ipsorum hæreticorum amorem prouocent, & deuotionem quam erga Ecclesiam Catholicam habent diminuant.

Factis autem fauent, qui eos liberant, vel certè ea per quæ liberari possint suppeditant, vt arma, funes, instrumenta, quibus effringant carceres, vel se per fenestras demittant vel occidant custodes. Immo *vt Nauarr. addit in citato num.* 56. qui scientes ipsos esse hæreticos, quoduis genus fauoris illis exhibent, absque aliqua circunstantia exteriori timoris aut cognationis, aut alterius necessitatis quæ ipsos excusare possit, ne fautores hæreticorum esse conuincantur.

De defensoribus hæreticorum.

Nu.248. DEfensores hæreticorum, *vt consequenter in locis citatis post Archid. notãt Sylu. & Angelus* sunt in duplici differentia. Quidam enim sunt qui defendunt hæreticorum errores: qui quoniam magistri sunt erroris, non modo hæretici, sed etiam hæresiarchę habendi sunt, *iuxta cap. Qui aliorum 24 quæst. 3.* Quidam verò sunt, qui non defendunt errores, sed personas hæreticorum. Et generaliter quidem tales dicuntur, quotquot quocumque modo defendunt eiusmodi personas: itaut eo nomine comprehendantur quoque receptatores & fautores, de quibus iam dictum est. Specialiter verò dicuntur qui personas hæreticorum defendunt resistendo viribus, vel potentiâ, ne ad manus Iudicis veniant puniendi vel examinãdi. Atque sumi generaliter in hac Bulla Cœnæ Domini hæreticorum defensores, etiamsi in ea sit expressa mentio receptatorum, & fautorum, patet ex his illius verbis: Receptatores, fautores, & generaliter quoslibet eorum defensores.

Porro ista, sicut & illa quę antè dicta sunt de hęreticorum receptatoribus & fautoribus specialiter, debent intelligi, *vt post Caiet. notat Nauarr. in Ench. cap. 27. num. 56.* de iis qui hæreticos defendunt quatenus hæreticos. Si quæras, an omnis qui sic defendit hæreticos incurrat in hanc excommunicationem. Respondetur, quamuis post Cardinalem ad Clemen. 1. De pœnis, Angelus & Sylu. locis citatis, verè dicant, si quis defendat hæreticum ne lædatur ab homine priuato, non incurrere; nec item si in iudicio patrocinetur ei nondum conuicto de hæresi, credendo bona fide ipsum iustam habere causam *(secus esset si contra suam conscientiam patrocinaretur, vt iidem authores monent)* etiamsi appareat postea, quòd causa non sit iusta; nec denique si illi extremè indigenti ministret ad victum & sustentationem necessaria, ne ipse ex egestate moriatur: nihilominus tamen, si talia præstentur hæretico quia hæreticus est, videri incurrere: quia talis defensio ex intentione quâ fit, & quâ mala est, verè defensio est hæretici, vt hæreticus est.

De legentibus libros hæreticorum.

SECTIO III.

Nu.249. DVplex habetur excommunicatio lata in legentes huiusmodi libros; altera in Indice librorum prohibitorum à Pio 4. lata his verbis: Iis quidem qui hæreticorum libros, vel cuiusuis authoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem dãnata atque prohibita, legerit, habuerit ue: ipso iure in excommunicationis pœnam incidat. Altera in hoc primo canone Bullæ Cœnæ Domini his verbis: Ac eorumdem, *hæreticorum intelligo*, libros hæresim continentes, vel de religione tractantes: sine authoritate nostra & Sedis Apostolicæ scienter legentes. Quibus indicantur tres conditiones requisitæ ad incurrendam hanc Bullæ excommunicationem, Prima ex parte legentis, vt scienter legat. Secunda, ex parte authoris libri, vt sit hæreticus. Tertia ex parte ipsius libri, vt vel contineat hæresim vel tractet de religione. Intellige autem de continente hæresim, tractando eam ex professo: vt excludantur ij libri quorum argumentum est indifferens quidem, sed obiter in eis paucæ quædam hæreses ponuntur: quandoquidem ex secunda memorati Indicis regula examinationem horum, *& per consequens lectionem*, Episcopi, & Inquisitores fidei committere possunt Theologis Liber verò continẽs hęresim, de quo Bulla hæc loquitur, non nisi authoritate Papæ potest scienter legi; vt patet ex verbis ante propositis.

Iam vna ex iisdẽ conditionibus deficiente, nõ incurritur istiusmodi excõmunicatio; vt v.g. si liber hęresim quidẽ contineat, & scienter legatur, sed author non sit hæreticus, & ita de cæteris. Vnde multo facilius, quàm ista (sicut & facilius tollitur, cùm non sit reseruata) incurritur excommunicatio Indicis librorum prohibitorum: siquidem ad eam incurrendam, *vt patet ex ante propositis verbis*, satis est vt liber qui legitur sit damnatus, & prohibitus propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, etiamsi author nõ sit hæreticus: aut certè, vt author hæreticus sit, etiamsi liber hæresim, falsúmue dogma minimè contineat; atq; de rebus tantũ indifferentibus tractet.

Quod aduerte intelligendum esse, iuxta secundam regulam prædicti Indicis, de hæretico hæresiarcha, qui post annum Domini 1515. hæresim inuenit, aut suscitauit, aut hæreticorum caput ac dux est, vel fuit: talium enim hæreticorum libri cuiuscumque nominis, tituli, aut argumenti existant, prohibentur omnino in eadem regula. Non est verò intelligendum de aliis hæreticis: quia ipsorum libri quidem, qui de religione ex professo tractant, damnantur omnino: sed qui de religione non tractant, à Theologis Catholicis iussu Episcoporum aut Inquisitorum examinati probatique, permittuntur: vt &, *ex sequenti regula tertia*, versiones scriptorum Ecclesiasticorum, editæ à damnatis authoribus: dummodo nihil contra sanam doctrinam contineant; itémque, *ex regula 8.* libri quorum principale argumentum bonum est: sed in iis obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim, seu impietatem; diuinationem seu superstitionem spectant: cùm à Catholicis Theologis fuerint purgati Inquisitoris generalis authoritate.

Nu.250 Aduerte autem in talium librorum prohibitorum numero, non videri ponendos illos, qui, vt habet regula 5. eiusdem Indicis, hæreticorum authorũ operâ interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de suo apponunt: sed aliorum dicta colligunt: cuiusmodi sunt lexica, concordantiæ, apophthegmata, similitudines, indices, & eiusmodi: quia hæretici ipsi non sunt propriè talium authores, sed solùm compilatores: quandoquidem doctrina cõtenta in illis, est *ex hypothesi*, hominum non hæreticorum. Et quamuis hæretici possint in ea re dici authores operis & laboris; non tamen doctrinæ, & librorum. Quæ causa esse potest cur non dicantur libri hæreticorum (sicut illi de quibus in 2. reg. eiusdem Indicis) sed libri qui hæreticorum authorum operâ interdum prodeunt. Hos igitur legẽdo non incurritur excommunicatio. Nec est quod quis dicat incurri alio nomine: nempe quòd sint libri damnati & prohibiti propter hæresim aut falsi dogmatis suspicionem: quæ altera causa est incurren

incurrendæ excommunicationis latæ à Pio 4. Nam id quod in eadem regula 5. dicitur, *Si quæ habeant admixta quæ expurgatione indigeant; illis Episcopi & Inquisitoris, vnà cum Theologorum Catholicorum consilio sublatis, aut emendatis, permitti.* Id inquam non habet formam damnationis, sed potius approbationis eorum, quæ in illis expurgatione non indigent. Quod tamen caue sic accipere, vt putes ante expurgationem licitam esse eorum lectionem. Nam antedicta regula non permittit illam, nisi sublatis & emendatis iis, quæ expurgatione indigent: neque vlla scripta cuiuscumque generis sint, quæ iuxta regulas dicti Iudicis improbãtur: (siue vt hæretica, siue vt de hęretica prauitate suspecta, siue vt pietati, & morum honestati inutilia, aut aliqua saltem correctione indigentia) licitum esse legere: patet ex bulla ipsius Pij Quarti eidem Indici præfixa, quæ talem lectionem disertis verbis prohibet.

Solutio aliquot dubiorum.

Nu.251. HÎc occurrunt aliquot dubia. Primum est, an audiendo legi libros hæreticorum, perinde ac legendo, incurrantur dictæ excommunicationes Bullę Cœnæ Domini, & Indicis librorum prohibitorum. Cui occurritur distinctione. Si enim quis ita audiat vt nullo modo dici possit legere, prout accidit cùm ad legendum non inducit alium consilio, pretio, præcepto, aut alia aliqua huiusmodi ratione, nec ille alius, authoritate intuitúque ipsius legit: itaut solùm præstet simpliciter attentionem alio legente; licet audiendo peccet plerumque mortaliter, dum exponit periculo fidem suam, & quodammodo consentit legenti: non incurrit tamen in memoratas excommunicationes: quia feruntur tantùm contra legentes nulla penitus facta mentione eorum qui audiunt: vnde non sunt ad hos extendendæ, cum audire & legere sint actiones valde diuersæ: nec extendenda sit excommunicatio ad aliam actionem quàm ad eam propter quam decernitur: vt habitum est in præcedentis *cap. 12. sub initium.* Si verò quis audiat alium, quem ad legendum inducit suis precibus, aut consilio, aut pretio & pollicitationibus, aut mandato, & authoritate sua: non modo peccat audiendo, sed etiã in excommunicationem incurrit. Nam ea ratione dici potest legere, quia concurrit principaliter ad lectionem; in ea exercenda vtens alio, tanquam instrumento. Et certè si non incurreret, facilè talis censura fieret inanis, quia pauci admodum sunt qui nõ possint habere aliquẽ seu famulum, seu filium seu nepotem, seu amicum per quem ei legantur tales libri; vnde tam facilè inducetur in opiniones alienas à fide Catholica, quàm si per se legeret; sicque memorata censura frustraretur suo fine: qui est amoliri à Catholicis periculum aberrandi à veritate fidei. Cùm igitur certum si, mentem Summi Pontificis esse, vt talis censura non sit frustra; probabiliter sanè Præsumitur de mente ipsius esse, vt ea comprehendat quoque facta, quibus exclusis, vel omnino vel vt plurimum frustra esset.

Nu.252. Secundum dubium est: an qui aliquid memoriâ retinet de libris hæreticorum: vt v.g. qui sciunt Catechismum Caluini, aut Psalmos Maroti vel Bezæ; memoriter illud recitando, aut cantillando, incurrant in has excommunicationes. Ad quod respondendum est non videri incurrere: quia non legunt librum hæreticum. Neque refert, id quod recitant haberi in libro hæretico; quia legere in libris Catholicorum ea quæ ex libris hęreticorum ad verbum referuntur, *vt commodius falsitas ipsorum ostendatur*, est legere quæ habentur in libris hæreticorum, nec tamen excommunicatio inde incurritur, vt paulo post ostendetur. Oppones, si idipsum quod quis memoriter recitat legeret in libro hæretico vnde sumptum est, in excõmunicationem incurreret. At legendo in libro nihil amplius facere videtur, quàm idipsum quod facit memoriter recitando. Respondetur conferi plus facere hoc nomine, quòd lectio sit magis libera quàm recitatio quæ fit memoriter: quandoquidem homo communiter solet esse maxime proclivis ad recitandum illud quod memoriâ retinet. Deinde legendo, memoria integra semper renouatur: non item memoriter tantùm recitando, vnde experimur, eorum quæ tantùm memoriter recitamus, nos paulatim obliuiscì.

Cæterùm tales non sunt immunes à peccato, *sicut sunt ab excommunicatione*: peccant enim grauiter, quia talia dicta ipsorum, communiter sunt blasphema contra Deum: & diuina: ipsique exponunt se graui periculo errandi in fide, cùm occupant se in iis quæ illius sinceritati aduersantur. Peccant, inquã, grauiter exceptis certis casibus, in quibus est locus excusationi; vt cùm talis recitatio fit ex aliqua indeliberatione. Sæpe enim contingit, vt absque vlla, aut saltem absque completa cogitatione & aduertentia, recitemus non pauca eorum quæ memoriâ tenemus, vt integram orationem Dominicam. Item cum quis in bonum finẽ recitat, vt cupiens seruare memoriã eorumdem verborum quibus hæretici vtuntur ad confundendos ipsos, & ad veritatem fidei contra ipsorum blasphemias propugnandum, vbi se occasio obtulerit: & si quid est aliud huiusmodi.

Nu.253. Tertium dubium est: num ille incurrat in hanc Bullæ excommunicationem, qui dicta hæreticorum etiam continentia expressas hæreses legit in libris Catholicorum, in quibus ad verbũ & ad longum referuntur, vt sit non modò in iis qui contra recentiores hæreticos, sed etiam in iis qui à Patribus contra antiquiores conscribuntur; & in Conciliis antiquis quæ de verbo ad verbum referre solent articulos hęreticorum, quos damnant. Cui dubio respondet Nauar. in Ench. *cap. 27. num. 56. sub finem*: non incurrere, etiamsi legeret tantùm ad sciendum dicta & rationes hæreticorum. Ratio est, quia non legit verè libros hæreticorum, sed tantùm libros referentes scripto, dicta & rationes hæreticorum: sicut concionator illa refert verbo: vt tam videatur alienum, quòd excommunicatio incurratur propter illam lectionem, quàm propter hanc additionem.

Opponet aliquis ad incurrendam excommunicationem Indicis, non requiri vt author libri in quo hæreses aut falsa dogmata continentur, sit hæreticus. Respondeo id quidem verum esse, sed cùm author non est hæreticus, requiri vt liber sit damnatus propter hæresim aut falsi dogmatis suspicionem: quod non vsuuenit iis de quibus agimus; sicut nec antiquis Conciliis in quibus articuli hæreticorũ proponuntur, Illos enim Ecclesia non modo non damnat sed & approbat eorũ vsum: quia proponunt hæreses non quidem asserendo, sed referendo & refellendo. Quæ relatio vtilissima est, tum toti Ecclesiæ, vt calumniæ hæreticorum, quibus eam onerant, innotescant, conferuetúrque in illa, hæresum memoria, vt si in futurum renouentur, constet iam ante fuisse damnatas, & à Catholicis doctoribus confutatas: tum etiam personis priuatis, maximè iis, quæ inter hæreticos morantur, vt eorumdem hęreticorum mendacia, calumnias, & blasphemias pleniùs intelligant; & simul quid singulis respondere debeant in promptu habeant, & aduersus tales fallacias muniti, in fide firmi maneant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cùm igitur hæc ita sint, si totus liber hæreticus ad verbum insereretur libro Catholico per quem refutatur, quod fieri debet concisim, hoc est, sic vt statim atque proposita est vna ratio, ea refutetur, ne pluriũ talium lectione, rudiorum animi imbuantur praua aliqua persuasione; is qui illum etiam totum in hoc legeret, non incurreret in excommunicationem; quantumuis incurreret legens eumdem per se, aut partem ipsius sufficientem ad constituendum peccatum mortale: etiamsi id faceret ad videndum an omnia illius, in ipso libro catholico essẽt fideliter relata. Aduerte tamen eam lectionem quam dicimus non inducere excommunicationem, peccatum esse mortale, si fiat animo imbibendi hæresim, aut aliter cum probabili periculo in legente, faciendi iacturam aliquam fidei.

*Nu.*254. Quartum dubium est: An ex quauis lectione librorum hæreticorum incurratur excommunicatio. Ad quod respondendum est: cùm excommunicatio non incurratur nisi ob peccatum mortale, vt ostensum est in præcedentibus, cap. 9. quæst. 4. quando legendo non peccatur mortaliter, nec incurri excommunicationem. A peccato verò mortali legentem excusat, tum ignorantia, tum paruitas materiæ: ignorantia quidem, si probabiliter ignoret, siue librum esse damnatum & prohibitum propter hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem, siue authorem illius esse hereticum, siue in eo hæreses contineri. Dixi *probabiliter*: quia illum non excusat ignorantia crassa aut affectata, qualis est in eo qui ingressus musæum ministri Caluiniani absque circumspectione & delectu, legit in ipsius libris. Paruitas verò materiæ, vt si ex curiositate pauculas lineas eiusmodi librorum, *scienter etiam*, legeret. De qua paruitate non potest tradi certa regula, vt nec de paruitate materiæ furti, ex qua ipsum est solummodo peccatum veniale. Quod autem aliqui definiunt in hoc negotio, tunc posse censeri paucas lineas, cùm plures non sunt quàm decem aut duodecim: ita temperandum est, vt sicut in furto paruitas materiæ non excusat à mortali, quando fuerit cum graui damno proximi; sic neque in hac re excuset, si habeat adiunctum notabile periculum perdendæ fidei: ad quod declinandum facta est talis lectionis prohibitio. Nam si quis legat sex lineas, in quibus contineri putat summam & fundamentum doctrinæ hæreticæ, quæ toto libro tractatur, non video cur non tam contraueniat intentioni prohibentis, quàm legendo integrum folium, in cuius lectione non est tantum periculi.

*Nu.*255. Quintum dubium est: Quis dare possit facultatem legendi libros prohibitos? Respondendum est, facultatem legendi libros qui per Bullam Cœnæ Domini legi prohibentur, posse à Summo tantùm Pontifice dari, vt constat ex illis verbis eiusdem Bullæ, *Sine authoritate nostra & Sedis Apostolicæ scienter legentes*. Legendi verò libros qui prohibentur tantùm per Indicem Concilij Trident. facultatem concedi posse ab Episcopo & generali Inquisitore; quia Summus Pontifex illam sibi non reseruat; & per eiusdem Indicis regulas, illi possunt viris doctis tales libros dare examinandos & purgandos, & per consequens legendos. Vbi aduerte quod si eam darent viris indoctis, peccarent: nisi forte traderent eis exemplar correctum, iuxta quod corrigerent aliud suum. Immo si quis haberet exemplar, de quo ei constaret esse bene & diligenter correctum: vt si esset ei subscriptum ab Inquisitore, posset authoritate propria secundùm illud, corrigere aliud. In qua tamen correctione facienda, cauere debet à lectione eorum, quæ delere debet, si enim legat in quantitate quæ peccatum mortale constituere possit, in excommunicationem incurret.

Aduerte etiam ex Nauarr. in lib. 5. Consiliorum tit. 24. consil. 15. eum qui licentiam habet ab Episcopo legendi aliquem librum prohibitum, posse eâdem licentiâ vti extra territorium concedentis, sicut is qui à Parocho licentiam habet confitendi alteri, potest confiteri tam extra, quàm intra, parochiam. Aduerte postremò, non videri quidem huius Canonis excommunicationem incurrere eum qui legerit Bibliorum versionem factam ab hæretico: cum non nisi extensione sit liber hæretici, hæresim continens, vel de religione tractans (si quidem sententiam solummodo exprimit alio idiomate, etsi nonnumquã peruersè, atque pœnæ non sunt interpretatione extendendæ ex cap. Pœnæ De pœnitent. distinct. 1. Excipe, nisi casus contingeret in quo per omnia esset eadem ratio illius versionis, & librorum hæreticorum: quia tunc idem quoque ius esset, *iuxta glosam ad cap. 1. de temporibus ordinationum in sexto, ad verbum Italiæ*. Is autem qui talem versionem legerit, incurret in excommunicationem Iudicis. Etenim cùm in huius regula tertia, talis lectio seuerè prohibeatur, censenda est damnari vt suspecta de hæresi, aut falso dogmate.

De retinentibus, imprimentibus & defendentibus libros hæreticorum.

Sectio IV.

*Nu.*256. DE iis qui libros hæreticorum retinent, id est, qui siue apud se, in propriáque domo vel in arca illos habeant, siue apud alterum cui illos dederint suo nomine conseruandos, eadem annotanda sunt; distinguenda, ac statuenda quæ de legentibus ante annotata, distincta, statutáque sunt; nempe ad incurrendam excommunicationem Bullæ Cœnę Domini requiri; tum vt scienter retineant; tum vt libri quos retinent hæresim contineant, vel de religione tractent; tum demum vt author illorum sit hæreticus. Ad incurrendam verò excommunicationem Iudicis (quæ in legentes pariter & in seruantes statuitur tum in Bulla Pij 4. cum sub finem regulæ decimæ eiusdem Iudicis) requiri vel vt authores librorum sint hæretici, vel vt libri sint propter hæresim aut falsi dogmatis suspicionem damnati.

Aduerte tamen quòd cùm paruitas materiæ, quæ in lectione excusat à peccato mortali, consistat in paucitate linearum: in ea de qua agimus retentione, illam spectari ex paucitate temporis: vt qui modico tempore retinuerit, nimirum per aliquot horas, aut paucos admodum dies: sicut non peccat mortaliter, ita nec incurrit in excommunicationem. Aduerte quoque in Concil. Trident. sess. 4. in decreto de editione & vsu sacrorum librorum, statui vt sub pœna anathematis & pecuniæ, appositâ in Concil. Later. sub Leone X. sess. 10. nulli liceat quosuis libros de rebus sacris, sine nomine authoris, vendere aut apud se retinere; nisi primum examinati probatíque fuerint ab Ordinario. Quod intellige congruenter ei, quod in præfatione Indicis librorum prohibitorum sub finem habetur, non damnari omnes libros qui nomen authoris non præferunt: (quandoquidem constat sæpe viros doctos: vt Christiana quidem respub. ex ipsorum vigiliis fructum caperet, ipsi verò inanem gloriam euitarent, libros optimos sine nomine edidisse) sed eos qui liquidò prauam aut dubiam fidei doctrinã, aut moribus perniciosam continent. Qui autẽ tales censeri debeãt, Episcoporũ est & Inquisitorũ, adhibito Theologorũ consilio, iudicare.

*Nu.*257. De imprimentibus, vt ante de retinentibus & de legentibus, monendum est, non quosuis in hoc canone excommunicari; sed tantùm illos qui scienter imprimunt libros hæreticorum, hæresim continentes vel de religione tractantes. Aduerte autẽ quod cùm ad impressionem necessaria sit multorum cooperatio; hic imprimentium nomine non comprehendi illos qui remotè cooperantur impressioni: vt qui faciunt typos, vel torcularia, vel alia instrumenta: nam quamuis mortaliter peccent vendendo hæc iis quos sciunt malè vsuros: vt impressoribus hæreticis, qui communiter imprimunt libros hæreticos: tamẽ non incurrunt in hanc excommunicationem: quia nequeunt inde vocari impressores. Igitur imprimentium nomine hic intelligendi sunt illi qui impressioni propinquè cooperantur; vt primò quidem Dominus typographiæ. Secundò verò illi qui typos simul componunt. Tertiò qui eosdem tingunt atramento. Quartò, qui madefaciunt papyrum ad impressionem. Quintò, qui papyrum ipsam supponunt torcularí, vel eam inde subtrahũt, Sextò qui premunt torcular. Septimò, qui corrigunt impressionem, & alij si qui sint eiusdem generis. Nam isti omnes simul imprimunt, perficientes totam impressionem cooperando ei propinquè. Cùm autem excommunicatione lata à Pio I V. non sit expressa mentio imprimentium, ea non est ad illos extendenda: nisi cooperatione suâ induant rationem legentium, *vt illi qui corrigunt*: vel rationem tales libros tenentium, *vt Domini typographiæ*, in quos eadem excommunicatio decernitur.

Vt autem ex citata sess. 4. Concil. Trid. sub pœna excommunicationis & pecuniæ, nulli liceat retinere aut vendere libros editos de rebus sacris sine nomine authoris: ita nec licet imprimere. Vbi etiam additur, eos qui tales libros scripto communicant vel euulgant, nisi antea examinati, probatíque fuerint, eisdem pœnis subiacere quibus impressores. Quod aduerte non esse extendendum ad eos qui communicant aliis aliquot conciones, vel lectiones in Ecclesia vel schola exceptas, quæ non sunt adhuc in modum libri digestæ: quia id communiter fit, nec quisquam est qui de ea re faciat, aut iniiciat scrupulum: nec à Prælatis tanquam illicitum vnquam reprehenditur. Nec item extendendum esse ad eos qui manu scriptos libros, etiam digestos in ordinem & absolutos, amicis legendos, aut etiam transcribendos tradunt in proptiam & particularem ipsorum vtilitatem: itaut debeat intelligi solùm de iis qui eo animo communicant, vt tali ratione liber euulgetur, & ad omnium perueniat notitiam. Hoc enim est quod sonant verba Concilij. *Qui autem scripto eos communicant vel euulgant, &c.* alioqui tradita à Magistro in schola si formam libri haberent, non liceret ea commodare amico legenda vel describenda: quod est cõtra communem vsum à nemine improbatum.

De defendente demum, tantùm occurrit monendum: in hanc censuram incidere illos, qui quomodolibet, id est, quocumque genere defensionis, ex quauis causa, publicè vel occultè, quouis ingenio vel colore defendunt libros hæreticorum, hęresim ex professo continentes aut de religione tractantes.

*

De Schismaticis & iis cui se pertinaciter ab obedientia Romani Pontificis subtrahunt.

Sectio Vltima.

CVm Schisma, prout habetur in cap. Schisma 24. quæst. 1.) sit nomen Græcum sonans scissuram, & scissura significet quandam separationem partis à suo toto: vt tribus modis potest aliquis separari ab Ecclesia, cuius est membrum: sic tribus modis potest dici schismaticus ex Panor. ad rubricam de schismaticis, & Tabiena verbo Schisma in principio. Primum enim separari potest per peccatum mortale, quo extinguitur charitas vniens animam cum Deo & proximo, tanquam perfectionis vinculum, *ad Coloss. 3. vers.* 14. Deinde per excommunicationem, qua quis ita separatur à cæteris fidelibus; vt his cum illo, neque orare, neque loqui, neque vesci liceat *ex cap. Cum excommunicato 11. quæst. 3.* Postremò per propriam voluntatem qua renuit subesse Romano Pontifici, vt Christi in terris Vicario; scindens seu subducens se ab ea Ecclesiæ vnione, qua vnũ corpus in Christo sumus, dum sub ipso, & ipsius in terris Vicario Romano Pontifice, *vt sub vno capite*, nolumus esse partes & membra Catholicæ collectionis, quæ in symbolo Niceno, vna, sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia dicitur. *Nu.*258.

Tam peccator autem quàm excommunicatus potest lata tantùm significatione schismaticus dici, vt iidem authores admonent: quoniam tales non intendunt per se separationem prædictam. Qui verò non vult se Pontifici Romano subiicere, dicitur schismaticus propriè: quia cùm Catholicorum vnio, *per quam vna Catholica Ecclesia constituitur*, consistat in eorumdem subordinatione, seu subiectionis relatione ad vnum caput, *Christum, inquam, cuius vices Romanus Pontifex gerit in terris*: is qui non vult huic subiici, scindit se subtrahitque ab eadem vnione, & ideo propriè dicitur schismaticus. Qui si præter actualem rebellionem voluntatis, qua non vult Papæ subesse, habeat errorem in mente, negando esse in Ecclesia dictam vnionẽ, aut non esse tantùm vnã Christianorum omnium Ecclesiam: aut quamuis vna tantùm sit, ad eam tamen vnitatem non pertinere subiectionem & subordinationem ad vnum Christi in terris Vicarium Pontificem Romanum; cum schismate habebit admixtam hæresim: purum enim schisma consistit in sola iam dicta voluntatis rebellione.

*Nu.*259. Quæ ex Tabiena loco cit. contingere potest, tum constituendo Ecclesiam aliam ab Ecclesia Romana: tum se indebito modo coniungendo Ecclesiæ Romanæ. Quorum illud *ex Cajet. 2. 2. quæst. 39. art. 1. dub. 3.* fieri potest dupliciter, vno modo, secundum intentionem; altero secundum effectum. Atque secundùm intentionem: vel directùm, qua quis non vult communicare Summo Pontifici, quatenus est summus Pontifex: renuendo scilicet illi tanquam Ecclesiæ capiti, Christi in terris Vicario se subiicere: vel etiam ab eadem communione, quantum potest, alios auocat. Vel indirectam, qua quis renuit communicare aliquibus membris Ecclesiæ, hac solùm de causa, quòd Papæ tanquã Ecclesiæ capiti subiaceãt: aut quòd nolit eadem membra subiecta esse Papę vt Papa est. Qua reduplicatione ideo vtimur, quòd vt notat Syl. *in verbo Schisma sub initio*, si ex alia causa eam cõmunicationẽ declinet, quàm quòd nolit Papæ vt Papa est, se vel alios subesse *vt ratione officij*, nõ diceretur schismaticus.

Secundùm effectum verò, censetur quis sibi

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiam aliam à Romana tunc constituere, cum etsi non habeat intentionem faciendi scilluram in illa; mauult tamen se gerere ac si eiusdem Ecclesiæ pars non esset; quàm desistere, ab eo exequendo quod habet in voluntate, in animóque propositum: sicut vsuuenit iis, *inquit Caietan. in verbo Schisma*, qui vniuersales Synodos, contempto capite celebrant, aut celebrare volunt. Inde enim consequitur vt voluntate sua non sint partes Ecclesiæ Romanæ, seu collectionis Catholicorum sub Romano Pontifice tanquam capite: atque adeo vt sibi aliam à Romana constituant Ecclesiam; vnde sicut præcedentes, *de quibus non est dubitatio*, pœnis schismaticorum, adeoque censuræ huic subiiciuntur. Id quod à simili, *vt idem Caietanus insinuat*, probari potest; quia vt reus homicidij est, non solùm qui occidere intendit, ac occidit: sed etiam ille qui intendit opus ex quo homicidium facilè, aut necessariò sequi potest: *vt qui vult displodere bombardam in platea vbi solet esse hominum frequentia*: sic etiam verè schismaticus est, non solùm qui ex intentione schisma committit: sed etiam qui vult illud opus, cum quo schisma necessariò committitur.

Nu.260. Quodattinet ad modú indebitum coniungendi se Ecclesiæ Romanæ, ex quo etiá dicitur quis schismaticus; is cótingit, quãdo plures simul electi fuerint in Summos Pontifices, sicut aliquando duo, aliquando tres simul electi fuerunt. Cùm igitur verè constat aliquem eorum esse canonicè electum, & alium non canonice; tam ille qui nõ est canonicè electus, quàm sequaces ipsius sunt schismatici: præsertim viri docti, & ij quibus constat, aut constare debet non esse canonicam electionem. Etenim satis est vulgo, viros doctos & pios consulere, quorum consiliis possunt tutò acquiescere. Cùm autem res est verè dubia, quia vtriusque electio ex æquo legitima apparet: tunc ambo vel plures, qui electi fuerint, debent se submittere generali Concilio, cuius iudicio ac definitioni qui pertinaciter submittere se noluerit, habendus est schismaticus (sicut habitus est Petrus de Luna, qui depositus per sententiam Concilij Constantiensis, adhuc se pro Summo Pontifice gessit) cum omnibus qui partes ipsius sequuntur; quia verè scindit Ecclesiæ vnionem: cùm nihil sit per quod illa melius in dubio stabiliri possit, quàm per generalis Concilij sententiam: ideóque tales etiam excommunicationi huic subiici videntur; *contra quos alia specialiter fertur in cap. Licet, De electione.*

Quid verò sit nobis agendum cùm de vero Summo Pontifice res est dubia, docet Caiet. in memorato verbo Schisma: inquiens debere teneri: quod certum est: vt nimirum quilibet se reputet & habeat tanquam vnius Ecclesiæ Catholicæ membrum, sub vno ipsius capite Christo: atque huius in terris Vicarios dubios, habeat vt dubios: nulli tanquam certo & indubitato adhærens, quia temere ageret, habendo dubia pro certis.

Nu.261. De iis qui se pertinaciter à Romani Pontificis obedientia subtrahunt, obseruandum est ex Caietano 2.2. *quæst.39. art.1. dubio 2.* tribus modis contingere posse, vt quis recuset præceptum Papæ: primò ex parte rei præceptæ; vt cum quis pertinaciter quę Papa præcipit non vult exequi, propter ipsam rem: quia scilicet sibi grauis, aut incommoda est: in quo peccare quidem potest, non ideo tamen est schismaticus. Secundò, ex parte personæ ipsius Papæ præcipientis: vt cùm quis renuit obedire Papæ præcipienti, quia ipsius personam habet suspectam: qui nec ideo schismaticus est. Tertiò, ex parte officij Papæ, vt cùm quis non vult obedire Papæ vt Papa est: id est, quantumuis intelligat, ipsum esse Superiorem suum & caput Ecclesiæ; voluntate tamen non submittit se ei vt Superiori, renuens pertinaciter obedire mãdatis ipsius, tanquam sui omniúmque fidelium patris: & talis est schismaticus; de quo intelligendus est D. Thomas *in ea. art.1.* cùm ait non obedire præceptis cum rebellione, seu pertinaciter præcepta contemnere, quandam schismatis rationem constituere. Et videntur intelligenda huius Canonis verba quibus excommunicantur, se ab obedientia Romani Pontificis pertinaciter subtrahentes. Durum enim valide esset, omnes qui quoquo modo renuunt obedire Summo Pontifici, alia ratione quàm officij ipsius, seu quàm quia Summus Pontifex est, hac omnium seuerissima pœnà affici.

CAPVT XV.

De secunda excommunicatione in appellantes à Papa ad futurum Concilium: ac in dantes eis auxilium vel fauorem. Item de tertia in piratas, cursarios, & latrunculos maritimos, ac in eorum receptatores, fautores & defensores; atque de quarta in surripientes bona naufragorum Christianorum. Quæ feruntur his verbis.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint. Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus: ab ordinationibus seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad vniuersale futurum Concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio vel faubre appellatú fuerit.

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes piratas, cursarios, ac latrunculos maritimos discurrentes mare nostrum, præcipuè à monte Argentario vsque ad Terracinam: ac omnes eorum fautores, receptatores defensores.

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos, qui Christianorum quorumcumque nauibus, tempestate seu in transuersum, *vt dici solet*, iactatis; vel quoquo modo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem iecta in mari, vel in litore inuenta, cuiuscumque generis bona, tam in nostris Tyrrheni & Adriatici, quàm in cæteris cuiusque maris regionibus, & litoribus, furripuerint. Itavt nec ob quodcumque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi, etiam immemorabilis, temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.

SVMMARIVM.

262 *Peccata ob quæ, & personæ in quas feruntur secunda, tertia & quarta excommunicatio Bullæ Cœnæ Domini.*

263 *Qui incurrant in secundam, latam in appellantes à sententia Papæ ad futurum Concilium.*

264 *Qui significentur nomine piratarum, in quos fertur tertia excommunicatio Bullæ Cœnæ Domini.*

265 *Significatur is etiam, qui mare ingreditur animo nocendi, quantumcumque actu non noceat: & quomodo is etiam qui nocet simul nauiganti.*

266 *Quomodo item is qui prædicto animo prædatur in terra, aut in flumine.*

267 *An incurrant in hanc excommunicationem qui bona fidelium in nauibus infidelium, aut bona infidelium in nauibus fidelium prædantur.*

268 *Notanda circa quartam excommunicationem.*

269 *An*

269 *An in eam incurrant qui naufragorum bona accipiunt quidem animo restituendi; sed non restituunt statim.*

270 *Quid tenendum sit de iis qui bona fidelium ex nauibus infidelium, vel bona infidelium ex nauibus fidelium iecta in mari aut in flumine surripiunt.*

271 *Quando in eamdem excommunicationem incurrant qui accipiunt ex nauibus à nautis proiecta ob tempestatem.*

272 *Quando item qui reperta in nauibus quas nautæ deseruerunt metu submersionis, aut quæ sunt reipsa submersa.*

273 *Quando ex accepione talium bonorum non incurratur istiusmodi excommunicatio.*

Nu.262. SECVNDÆ excommunicationis materia proxima, est crimen contra Primatum Romani Pontificis, palliatum nomine appellationis; remota verò materia sunt personæ singulares, cuiuscumque status; quæ excommunicantur, principaliter quidem cùm appellant: accessoriè verò, cùm auxilium dant aut fauorem ad appellandum. Quibus adduntur Vniuersitates, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur; quæ interdicuntur.

Materia verò seu peccatum propter quod tertia excõmunicatio fertur, est latrocinium maritimum. Personæ in quas fertur, principales quidem, sunt piratæ, cursarij ac latrunculi maritimi discurrentes mare nostrum id est Christianum: minus principales autem sunt; tum eorumdem receptatores, tum eriam eisdem scienter dantes auxilium vel fauorem.

Materia autem seu peccatum propter quod quarta excommunicatio fertur, est furtum seu rapina bonorum naufragorum; & personæ in quas fertur, sunt surripientes seu vsurpantes sibi talia bona in ipsorum nauibus reperta, siue ex eis dilapsa, & in mari vel in litore vbicumque reperta.

Notanda circa secundam excommunicationem.

SECTIO I.

Nu.263. PRimum est, quod etsi Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 59. putat hîc quoque excommunicari consulentes, eoquod comprehendantur nomine auxiliantium, & fautorum; cùm negari non possit eum qui consulit auxiliari & fauere, videtur tamen distinctione vtendum. Nam etiamsi id verum esse possit de iis, qui dant consilium, quod virtute continet aliquid fauoris, vel auxilij: vt accidit cùm quis dat consilium non solùm de re facienda, *nempe vt appellet quis à sententia Papæ, ad futurum Concilium*: sed etiam instruit, cuius fauore niti; quâ viâ talem fauorem captare possit; vnde petat auxilium, & quâ viâ illud obtineat; de iis tamen qui dant purum consilium, *quale esset eius qui quando Papa mandat aliquid, diceret alteri Appella ad futurum Concilium*: videtur aliter sentiendum. Nam in materia pœnali & odiosa nomina sunt accipienda in propria significatione, neque extendenda. Nudum autem consilium, nec fauor, nec auxilium propriè dici potest.] Nam fauor & auxilium significant exteriùs datam opem: consilium verò, opem interiùs dirigentem ex parte intellectus. Vnde consilium rem facilitat tantummodo ab intrinseco: nempe faciendo animum promptiorẽ; vt argumento est, quòd homo post acceptum consilium, æquè potens aut impotens maneat ad talem rem faciendam. Fauor autẽ & auxilium facilitant rem ab extrinseco, resistendo cõtrariis, aut tollendo impedimẽta. Adde quòd in cæteris clausulis Bullæ, quando Papa intendit comprehendere dantes consilium, eos exprimat.

Notandum est secundò, non incurrere in ipsam excommunicationem secundam eum, qui à sententia Papæ appellauit ad Concilium prouinciale; aut ad Concilium generale præsens. Tum quia verba Bullæ tantùm valent quantùm sonant, præsertim in materia odiosa: in qua restringẽda sunt potius quàm amplianda. At verba aperta sunt de appellationibus ad futurum Concilium generale: Tum quia prouocatio à sententia Superioris, non est ad Inferiorem. Concilium autem prouinciale est infra Papam. Item quod potest Papa mouere ad hanc sententiam ferendam, est ne deprimatur summa ipsius potestas: dum vel ipsius sententia subticitur alterius iudicio, vel appellationis prætextu eadem sententia eluditur & contemnitur. Id quod non habet locum, si appelletur ad Concilium generale præsens, in quo Papa ipse, si legitimum sit, præest; statimqae veritas examinari potest.

Notandum est tertiò, eamdem excommunicationem ferri tantùm in eos qui appellant à sententiis Papæ in causis spiritalibus; aut in iis quæ sunt spiritalibus annexæ; quoniam cæ solæ spectant ad Papam vt Papa est. Nam merè temporales ad illum pertinent, vt est princeps quidam temporalis in terris sibi subiectis, ab Imperatore alióve sæculari Principe eidem donatas.

Notandum est quartò, talem prohibitionem appellandi, cùm facta sit vniuersaliter, & absque vlla limitatione, comprehendere illam etiam appellationem à sententia Papæ, qua motus ira vel aliqua alia animi perturbatione, videatur committere iniustitiam. Nam quamuis iure naturæ cuique liceat iura, bonáque sua tueri: quia tamen debet quisque eodem naturæ iure, præferre bonum animæ suæ aliis bonis: vixque potest talis appellatio fieri absque aliqua scissura, & diuisione à capite Ecclesiæ, *vnde mors animæ incurritur*, debet illi iuri cedere. Adde quòd talis possit cum animi summissione instare & rogare vt causæ cognitio ad aliquod tribunal deferatur: vel ab ipsomet Papa malè informato ad bene informatum appellare cum debita humilitate, & reuerentia: aut certè habere debeat patientiam, & suam causam Deo committere tuendam, perinde ac si iniustè pateretur à summo suo temporali Principe. Cæterùm si iniustitia esset euidens, posset aliqua excusatio esse ab obedientia.

Duo notanda circa tertiam excommunicationem cum solutione aliquot dubiorum.

SECTIO II.

PRius est, cùm nauigantes possint offendi tum periculis piratarum, tum periculis tempestatis & procellarum, priori periculo subueniri per tertiam excommunicationem, & posteriori per quartam. Ratio autem quæ mouet Pontificem ad consulendum nauigantibus tam seuerâ sententiâ, esse potest; tum magna vtilitas nauigationis, per quam ex longissimis, & remotissimis terræ partibus, suppeditatur copia necessariorum ad vitam: tum miseria nauigantium, qui tempestatum periculis obnoxij, aduersus ea, neque aduersus aggressores se facilè tueri possunt, carentes non tantùm Magistratuum præsidio, sed etiam vicinorum amicorumque ope.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.264. Posterius est: piratam à Sylu. *verbo Pirata* definiri eum qui mari prædatur. Cui definitioni, ad iudicandum cum qui hac excommunicatione irretitur, debet *ex Angelo excommunicatio 5.casu* 18. addi conditio, Sine titulo belli, & ex ipso Sylu. excommunic. 7.nu. 56. & Tabiena excommunicatio 5.casu 25.num.5. adhuc debent duæ aliæ addi: nempe vt habeāt principalem intentionem prædandi & spoliandi; & vt indifferenter quoslibet prædentur ad modum ignis huc illúcque discurrentis grassando; *vnde acceptum est nomen piratæ.* Quartam quoque conditionem insinuat Caiet. cùm in verbo Excommunicatio cap. 18. ait latrunculos marinos in eo à piratis distingui, quòd illi sint parui piratæ: quasi piratæ sint maiores latrones, qui nauibus, triremibus, aut biremibus vtuntur in agendis prædis; & latrunculi qui paruis scaphis paruóque apparatu.

Cæterùm sine his conditionibus, absolutéque accipiendum esse hic nomen piratæ, patet. Prima enim conditio reiicitur: quia etiam tempore belli, naues omnes quæ extra classem vagantur ad prædandum, & occidendum, neque sunt classis partes, aut classi incorporatæ: & sunt & vocantur naues piraticæ. Atque verè piratæ sunt illi, qui tempore belli (vt frequenter fit, quia tunc tutius & commodius est) egrediuntur ad prædandum. Vnde in hanc excommunicationem incurrunt: & maxime cùm in sententia qua fertur, cum nomine piratæ, nomen cursarij ponatur, quòd certum est illis conuenire. Secunda quoque reiicitur: quia ad talem excommunicationem incurrendam, sufficit intentio contraria ei, quam Summus Pontifex habet subueniendi nauigantibus; qualis est quæcumque siue primaria, siue secundaria hos mutilandi, occidendi, aut bonis suis spoliandi in ipsa nauigatione: quandoquidem ex secundaria perinde ac ex primaria eiusmodi intentione, natum est sequi tale damnum. Tertia conditio adhuc reiicitur: quia piratæ nomen, verè dicitur de illis omnibus, qui in mari prædicta intentione deprædantur: ideoque in illos verè quadrant verba Papæ anathematizantis omnes piratas: quod est argumentum Nauarri *in Enchiridio cap.27.num.59.in fine.* Quarta demum conditio reiicitur, quia siue in ea re consistat piratæ & latrunculi differentia, siue omnino idem sint, *quod putat Syluester in præced. num.55.* nihil pertinet ad rem propositam: quoniam certum est, quod quicumque in mari prædatur, occidit, mutilat, aut spoliat nauigantes bonis ac rebus suis, incidat in hanc excommunicationem: si non vt pirata, saltem vt latrunculus maritimus. Ratio est, quia verè committit maritimum latrocinium. Ergo saltem est latrunculus maritimus.

Nu.265. Primvm dvbivm est, An eo ipso, quòd quis mare ingrediturad animo exercendi piraticam ac spoliandi, in hanc excommunicationem incurrat antequam spoliet, occidat vel mutilet. Cui respondēdum videtur affirmatiuè: quia is verè pirata est, qui armatus in mari versatur animo nocendi quibus poterit. Atque vt patet ponderanti verba Bullæ, piratæ in ea excommunicantur absolutè, nulla attenta actione consecuta occidendi mutilandi, aut spoliandi bonis alios.

Secvndvm dvbivm est de iis qui versantur in eadem naui, An si inter ipsos occisio, mutilatio, vel depredatio contingat, incurratur hæc excommunicatio. Quod explicatur distinctione. Nam id potest duobus modis contingere. Primò, itaut aliquis priuatus in naui existens, vel clam aliquid furetur, vel exorta rixà aliquem mutilet vel occidat: sicque non incurritur hæc excommunicatio: quia talis, neque est pirata, neque latrúculus maritimus, cùm non vtatur mari ad suum maleficium: ad quod in perficiendum siue in mari, siue in terra, indifferens est.

Secundo modo potest ita contingere, vt admittat quis aliquem in nauem, vel scapham suam; vt cùm ipse in altum duxerit, occidat illum: & bona quæ defert prædetur: cuiusmodi perfidum in excommunicationem incurrere patet: quia vtitur mari ad suū peccatum, vbi alter est omni ope destitutus. Idem iudicium est, si prius sincerè admiserit in nauem, sed postea mutatâ sententiâ occidat, aut spoliet illum suis bonis; quia tunc quoque ille verè vtitur mari ad suum maleficium, & ideo verè est pirata, aut latrunculus maritimus. Nu.266.

Tertivm dvbivm est, An in hanc excommunicationem incurrant piratæ & latrunculi maritimi, qui occidunt & prædantur in terra. Sæpe enim ad litora descendunt; vt possint in terra prædari. Cui quoque satisfit distinctione. Nam illi qui incidunt in piratas: vel sunt in terra per modum transeuntis; nempe quia nauigantes descendunt in terrā, vel ad euadendum manus ipsorum piratarum insequentium, vel ad sumendum cibum, aut aliquod leue negotium perficiendum: vel sunt in terra per modum permanentis; nempe quia terrā iter faciunt, vel in terra commorantur. Quia igitur occidere, mutilare, vel spoliare existentes in terra priore modo, non item existentes posteriore modo; latrocinium est maritimum; quo scilicet vexantur nauigantes in mari, *quibus prouidetur fulminatione istius excommunicationis*, hæc ipsa incurritur, ob occisionem & prædationem prioris, non item posterioris modi.

Qvartvm dvbivm est, An incurrant eamdem excommunicationem qui in fluminibus prædantur. Cui etiam satisfit distinctione. Nam vel in flumine de prædantur homines nauigantes in mari iā ingressos flumen; & tunc si latrones sint maritimi, qui vel ingressi sunt flumen insequendo fugientes: vel abdiderunt se in flumine vt facilius caperent: in talem excommunicationem incurrunt quoniam eorum est eadem ratio; ac illorum qui prædantur commorantes in terra per modum transeuntis. Si verò sint latrones fluuiales qui nauem quam in flumine insecuti sunt tandem in mari capiunt, & spoliant, incurrunt etiam: quia verè prædantur in mari homines in eo nauigantes: vel prædantur tantum in flumine, ibique versantur in agendis prædis, & sic non incurrunt, quia ista excommunicatio fertur expressè contra eos qui discurrunt mare, & latrocinium exercent maritimum. Nu.267.

Qvintvm dvbivm est, de illis infidelium nauibus, quæ sunt onustæ fidelium bonis aut mercibus; aut de illis fideliū nauibus quæ onustæ sunt bonis aut mercibus infidelium hostiū, An per illarum spoliationem incurratur hæc excommunicatio. Pro cuius explicatione dicendum est primò, Christianos absque hac censura, infidelium nauem inuadere posse, eámque & infideles omnes, atque eorum bona, si quæ ibi sint, sibi capere, dummodo non prædentur bona fidelium, sed ea suis dominis relinquant, quādo illi sua esse probauerint. Secūdò si nauis sit fidelium, bona verò quæ vehuntur sint infidelium, neque incurrere in hanc excommunicationem fideles inuadentes eamdem & spoliantes bona infidelium reperta in ea, fidelibus relictā sua naui. Tertiò, si nauis infidelium onusta est bonis fidelium quę iidem infideles deprædati sint, neque in hanc excommunicationem incidere fideles, qui illam adorti, eam deprædantur. Nam ipsi verè non deprædantur fideles, sed infideles de quorum manibus & potestate, nauis & bona quæ ipsa continet, capiuntur. Accedit quòd sit de se licitum recuperare fidelium bona, quæ venerunt in manus

nus infidelium; malintque proprij domini talia bona haberi à fidelibus, quàm ab infidelibus, à quibus ea recuperare aliquâ viâ non est situm in ipsorum potestate. Adde quòd etsi detur in aliquo forte casu fideles teneri bona sic accepta restituere suis dominis: ideóque peccare illa retinendo: attamen quia nō tenentur ratione malæ acceptionis, sed solùm ratione rei malè acceptæ, ipsos nullo modo incidere in hanc censuram, quæ malam acceptionem propriè respicit.

Notanda circa quartam excomunicationem, cum aliquot dubiorum explicatione.

Sectio III.

Nu.268. Circa quartam excommunicationem Bullę Cœnæ, notandum est primò, in clausula per quam fulminatur, nomen *Nauis* generaliter sumi pro quocumque nauigio; & nomine bonorum comprehendi ipsa quoque nauigia, & eorum instrumenta, funes, anchoras, remos, &c. ac etiam partes, si ea dissolui contingat; itaut talium surreptione in hanc excommunicationem incurratur.

Notandum est secundò, quòd per eamdem clausulam reuocentur priuilegia omnia communitati alicui aut Principi, vel personæ priuatæ concessa de vsurpandis sibi huiusmodi bonis: abrogetúrque omnis consuetudo, ac inualidetur vsucapio, *quæ est rerum mobilium præscriptio*, ex longissimi & immemorialis temporis possessione: itaut neque ob easdem, neque ob aliud vsu receptum, excusatio sit ab istiusmodi censura: vt nec est à peccato, nec ab obligatione ad restitutionem.

Notandum est tertiò: in rapientes bona naufragorum adhuc ferri excommunicationem in cap. Excommunicationi. De raptoribus. Ad quam incurrendam duas actiones concurrere oportet, *vt annotant Caiet. in verbo Excommunicatio & Nauar. in Enchir. ille cap.23. & hic cap.27.num.117.* nempe accipere, & retinere talia bona. Vnde non incurritur ob solam acceptionem; sed ob eam coniunctam cum mora voluntaria in non restituendo. Quare si quis statim restituerit accepta; vel acceperit animo restituendi, nullo modo incurrit. Nec item si acceperit animo non restituendi, & postea mutatā sententiā statim restituerit. Id quod non videtur pariter dicendum (quidquid loco cit. contradicat Nauar.) de præsenti excommunicatione quarta: quia in Bullæ clausula, qua fertur, nulla fit mentio retentionis sed simpliciter excommunicatur is, qui dicta bona rapit. Quicumque ergo talia rapuerit, saluo meliori iudicio, etiamsi postea restituat, excommunicatus est, & eget Papali absolutione.

Aduerte tamen, ad hoc requiri duas conditiones, ex quibus acceptio, quæ de se indifferens est, malitiam contrahat: Altera est vt accipiat animo & intentione sibi retinendi: vnde si acciperet animo conseruandi suo domino, vel mittendi ad ipsum, non incurreret. Ratio est quia excommunicatio hæc in eos fertur qui surripuerint: ille autem dicitur surripere, qui animo sibi retinendi, & in vsus suos conuertendi sibi accipit alienum. Altera conditio est vt scienter accipiat, hoc est. sciens bona illa quæ accipit esse bona naufragantium. Nam si acciperet, etiam cum peccato (vt v.g. sciens esse aliena) nesciens ea esse naufragantium, non incurreret. Cæterùm si quis accepit animo quidem restituendi, sed postea statuit retinere, statim atque consentit voluntati retinendi, incurrit in hanc excommunicationem: quia acceptio rei alienæ per voluntatem retinendi acceptam, rationem habet surreptionis, atque adeo facit obnoxium excommunicationi impositæ surripienti.

Primvm dvbivm est, An incurrat in hanc excommunicationem, qui scienter accipit bona naufragorum, animo quidem restituendi, non tamen statim, sed post aliquod tempus: quia vult illis, vel eorum pretio vti. Ad quod respondendum est, si dominus ignoretur, & is qui accipit sperat se intra breue tempus posse restituere, bonaque fide accipit, putans se inde non allaturum domino damnum notabile, non videri incurrere, quia non surripit verè; cùm non ita in propriam, quin in ipsius domini quoque vtilitatem accipiat: secus esset verò, si restituere non posset, nisi post lōgum tempus, & notitia domini statim haberi posset; & multo magis si ea iam haberetur, illéque præsens esset, aut valde prope. Nam probabile est, si sine ipsius permissione & consensu, res eius tunc accipiatur, incurri in hanc censuram: quia talis acceptio, qua quis rem alterius conuertit in proprium vsum contra domini voluntatem, surreptio est; nisi forte valde citò restitui posset, neque domino ex acceptione sequatur notabile damnum. Nu.269.

Secvndvm dvbivm est, An si naufragium faciant naues infidelium onustæ fidelium mercibus, vel contrà naues fidelium onustæ mercibus infidelium, illi qui deprædātur talia bona in hanc excommunicationem incidant. Cui occurrendum est, videri probabile, quòd naufragante aliqua naue infidelium onusta fidelium mercibus, si quis deprædetur ipsam nudam nauim, vel eius lignamina & instrumenta, non incidere: quia hæc sunt infidelium. Si verò prædetur ipsas merces quæ sunt fidelium, incidere: nisi eæ assecuratæ essent per aliquem infidelem mercatorem. Quo casu, cùm totum periculum rei assecuratæ incumbit assecuranti, fidelibus tuta essent sua bona penes assecurantem: vnde antedictus, bona potius infidelis, quàm fidelis rapere videretur. Naufragante autem fidelium naue onusta bonis infidelium, incidere deprædantem nudam nauim, non autem deprædantem bona, quibus illa est onusta: nisi eadem bona essent ab aliquo fideli assecurata infidelibus ipsis, quia tunc totum damnum redundaret in fidelem, adeóque fidelium potius, quàm infidelium bona raperentur. Cuius responsionis fundamentum est, quòd Summus Pontifex expresse loquatur de Christianis naufragium passis: nec probabile sit Ecclesiam curare de indemnitate infidelium: qui sua fœlicitate maximè ei aduersantur. Nu.270.

Si quæras, An infidelium nomine hîc sint cōprehendi hæretici, itaut surripientes bona ipsorum naufragantium, etiamsi forte aliunde peccent, & teneantur ad restitutionem; non incurrant tamen in hanc excommunicationem, nec sint pro absolutione ad Papam remittendi. Respondetur, quòd etsi videri possint incurrere propter illa verba clausulæ *Christianorum quorumcumque*, siquidem & hæretici inter Christianos numerantur, propter doctrinam Christianam, quam se tenere profitentur, ac baptismalem characterem. Contrarium tamen videtur probabilius: quia cùm perinde aduersentur Ecclesiæ, & extra gremium illius sint, ac cæteri infideles; non est præsumendum Ecclesiam ipsam, illos velle indemnes seruare, potius quàm cæteros suos hostes: cùm illi, sicut & hi, perniciem ipsius moliantur.

Tertivm dvbivm est, An prædantes bona eorum qui in flumine naufragium faciunt, & quorum bona in flumine, vel in fluminis ripis inueniuntur, in hanc excommunicationem incurrant. Cui occurrendum est non incurrere: quia verba illa

gene

Universidad de Deusto
Biblioteca

generalia, *Christianorum quorumcumque nauibus*:quibus videntur indifferenter indicari bona Christianorum quomodocúque naufragãtium:restringuntur per sequentia, *Cuiusque maris regionibus & litoribus* : itaut in hanc excommunicationem illi tantùm incurrant, qui surripiunt bona Christianorum naufragantium, in mari, aut in litoribus ipsius inuenta.

Notanda in ordine ad proiecta à nautis in mare, aut aliter in hoc relicta.

Sectio IV.

Nu.271. PRimum est, illos in hanc excommunicationem incurrere, qui capiunt proiecta à nautis in naufragio,aut aliàs leuandæ nauis causâ. Ratio est,quia talis acceptio est furreptio:cùm de natura illius proiectionis non sit,vt res eiusmodi proiiciens,intendat eas derelinquere,& à se alienare:sed solùm eo modo eas deserat quo quis onere pressus,illud abiicit in via, mox cum sociis reuersurus ad illud sibi accipiendum vt dicitur ff. ad legem Rhodiam,de iactu , lege Qui leuandæ. Quare nisi aliquo signo manifestet se abiicere derelinquendi animo ; itaut in numero rerum suarum esse nolit,furtum committitur eas accipiendo;iuxta textum expressum.Institutis,de rerum diuisione in fine.

Huiusmodi autem signum duplex præsertim potest esse. Alterum, de quo Angelus in verbo inuentum,sub initium,si dominus rei proiectæ tacet , nec per se nec per alios eam requirit : tunc enim præsumitur eam nolle. Alterum , si tali modo proiicit vt verosimile sit , quod eam habeat pro derelicta. Exẽplum est,si quis librum detectum proiiciat in mare; meritò enim putatur proiicere animo derelinquẽdi, cùm statim periturus sit,nisi ab aliquo capiatur:secus verò esset,si proiiceret inuolutum pãno cerato; quia quantumuis non caperetur statim , non ideo perituras esset : vnde non debet putari abiectus animo derelinquendi. Idẽ iudicandũ est,si in litore vel in mari aliquid talium rerum inueniam, quod nisi acciperem, statim periret : nisi constaret mihi quòd dominus quærat diligenter,nisique accipiam,probabiliter is inueniet antequam pereat.

Secundum est:eum qui videns nautas proiicientes in mare merces statim perituras, occurrit præueniẽdo periculum detrimenti,& eas sibi accipit , non incurrere in hanc excommunicationem,si accipiat vidente & tacente Domino. Ratio est,quia non peccat accipiendo,cùm accipiat vel titulo derelicti,vel titulo donationis. Sin autem accipiat contradicente domino; sicut peccat , ita in hanc censuram incurrit. Id quod accidit, cùm ipse dominus contradicit : siue quia videt accipientes absque vitæ suæ periculo posse, *prout ex charitate tenentur*, ipsum iuuare, miseriámque ipsius subleuare , saltem pro iusto pretio operâ suâ locatâ:vel quia alia via se recuperare posse credit sic proiecta; nempe quia aliquos habet qui suas operas in illis extrahendis & recuperandis ei locent,etiã cum vitæ suæ periculo; vel quia non videntur ita facile perituræ,quin spes sit recuperationis earũ, sedata tẽpestate. In quibus casibus illa accipere est surripere;neque enim haberipossũt pro derelictis,cùm ad id requiratur vt dominus sic illas à se abiecerit, vt in rerum suarum numero esse nolit; prout habetur expresse Instituris. De rerum diuisione §. finali Quod si dominus nullum habeat,qui pro pretio quod offert modico, suam operam ei locare , séque periculo exponere velit:excusari potest à mortali , & per consequens ab hac excommunicatione , is qui cum vitæ suæ periculo aliquid acciperet,quod alioqui domino suo omnino periret. Nam nec peccaret contra charitatem;secundùm quam propria vita antefertur bonis *imò & vitæ* proximi. Nec contra iustitiam,quia nullam iniuriam in eo infert proximo.

Nu.272. Tertium est:si metu submersionis , nautæ omnes in mediis fluctibus nauem prorsus relinquant,neque eam,neque bona quæ in ea sunt, neque illa quæ sunt dilapsa ex ea, haberi pro derelictis. Non enim deserunt illam animo derelinquendi , sed vt saluti suæ consulant,sique ea euaserit,illam sibi recipiant. Vnde nec à peccato , nec ab hac censura ij excusantur, qui cum euidentissimo etiam vitæ periculo , aut speciali suâ diligentiâ vel industria, saluatam talem nauem & bona reperta in ea sibi retinuerint ; excepto salario debito pro labore & periculo susceptо.

Quartum est: quando mergitur nauis simul cum mercibus, expectandum esse,donec dominus vel adhibitis machinis illâ extrahat , vel natatores mittat, qui nauim ingressi inde extrahant merces : neque eã haberi pro derelicta,donec dominus circa illam nihil amplius procuret : qua procuratione domini omnino cessante,& re ab ipso desperata, excusabitur qui sua industriâ aliquid sibi ex naufragio capere poterit;nisi postea contingeret in profundo maris frangi nauem,& merces enatare:quia non posset accepta amplius sibi retinere,sed restituere teneretur; nisi tales essent,quæ nullo modo enatarent, vt ferrum, plũbum,&c. Ratio est,quia merces quæ poterant enatare,licet pro derelictis haberi præsumptæ sint : non sunt tamen pro derelictis habitæ vere.Deinde quantumuis tales essent quæ enatare non possent : si tamen comperta nauis fractione, dominus mittat natatores,qui eius generis merces extrahant,tenebitur antedictus ad restitutionem , recepto salario pro labore suo:quia dominus non habet illa pro derelictis. Neque obstat quòd cum periculo vitę suę extraxerit, quia id sibi non domino ipsarum mercium , debet imputari.

Nu.273. Quintum est:nõ videri incurrere in hanc excõmunicationem (etsi fortè possint ad restitutionem teneri) eos qui sibi accipiunt bona quæ à nautis leuãdæ nauis gratia proiiciuntur, quando nulla fere est tempestas,sed ab ea illi sibi metuunt,aut absque tempestate mergi posse timent : huius ratio ducitur ex verbis clausulæ *Nauibus tempestate , seu in transuersum iactatis, vel quoquomodo naufragium passis*:quæ indicant hanc censuram requirere tantam tempestatem , quæ in transuersum agat naues, aut naufragium pati faciat:quod non accidit in casu proposito.

Sextum est:verba illa,*ex eisdem iecta in mari*,significare quidquid prius fuerat in naui , & postea extra eam est:siue ex ea inclinata dilapsum, siue tempestatis vi ab illa ablatum,& quasi diuulsum , siue sponte ex ea proiectum à nautis:quia hæc omnia sunt bona ex naufragio proiecta:párque est damnum omnium.

Septimum est: eum qui bona fide putans sibi licere accipere,non accepturus si se peccare putaret; non incurrere in hanc censuram:quia talis fides eum à mortali excusat. Quod annotat à Graphiis lib. 4. decis.aurearum cap.18.num.61.

Postremum est : non incurrere in hanc censuram (quamuis peccet & ad restitutionem teneatur) eum qui accipit sibi naufragiorũ bona,postquam ex mari vel litore extracta sunt,&in terra alicubi posita;quia expresse in clausula Bullæ dicitur : *In nauibus inuenta vel ex eis dilapsa,& inuenta in mari vel in litore.* Deinde in terra iam posita facilius possunt custodiri & seruari , ac difficiliùs à quoquam accipi,quàm cùm sunt in mari dispersa:vbi vix possunt colligi.

CAPVT

CAPVT XVI.

De quinta excommunicatione in imponentes noua pedagia seu gabellas, vel eas augentes, lata his verbis.

5. Item excommunicamus & anathematizamus omnes qui in terris suis noua pedagia seu gabellas, præterquam in casibus sibi à iure,seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentiâ permissis,imponunt,vel augent,seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

SVMMARIVM.

274 *Causa ob quam , & persona quibus imponitur talis excommunicatio:de quarum personarum numero non sunt qui habentes potestatem, imponunt iniusta pedagia. De eodem verò sunt illi, qui non habentes potestatem,augent vetera.*

275 *Communitates quomodo subiiciantur huic excommunicationi.*

276 *Qui gabellarum exactores in hanc excommunicationem incurrant.*

277 *Quid sit gabella & pedagium:ad quod plenè intelligendum proponitur varietas onerum publicorum.*

278 *Onera personalia tripticis sunt generis.*

279 *Sunt similiter & realia:& de quo illorum sint pedagia & gabellæ.*

280 *Vsus collectarum & taliarum.*

281 *Noua imponere, aut vetera augere pedagia possunt Imperator & Reges.*

282 *Possunt & Principes in iis terris in quibus imperialia iura sibi præscripserunt.*

283 *Quomodo consuetudine,talis potestas acquiratur.*

284 *Imponentes nouas collectas , seu tallias sine potestate, in hanc excommunicationem incurrunt.*

285 *Rationes quibus id probatur cum solutione contrariarum.*

Nu.274. CAVSA ob quam incurritur hæc excommunicatio , est impositio pedagiorum seu gabellarium sine potestate imponendi. Personæ verò quæ in illam incurrunt , sunt imponentes noua & augentes antiqua pedagia , seu gabellas : cùm non habeant ad id potestatem;deinde exigentes imponi vel augeri prohibita pedagia seu gabellas.

Notanda circa eamdem excommunicationem.

Sectio I.

CIrca eam autem,notandum est primò, cùm feratur expresse in eos qui noua pedagia imponunt extra casus sibi concessos ; ipsam non incurri ab eo qui imponit pedagia iniusta, si imponat in casibus sibi concessis : quia non fertur generaliter contra imponentes pedagia iniusta,sed contra imponentes noua in casibus sibi non concessis. Cæterùm pedagia aliáque id genus dicuntur noua, quæ imposita sunt à tempore de cuius initio extat memoria:sicut antiqua dicuntur illa, quæ sunt imposita à tempore de cuius initio non extat memoria, vt notat Sylu. *in verbo Gabella 3. num. 6.* deducique potest ex eã.Super quibusdã,De verb.significatione §.Præterea. Notandum est secundò, vt noua imponentes, sic augentes vetera pedagia in casibus sibi non concessis,incurrere in hanc excommunicationem. Hoc patet,tum ex verbis Bullę quæ facit expressam mentionem de augentibus;tum quia quando de re aliqua est eadem ratio in toto & in parte, lex quæ prohibet illam fieri in toto,prohibet etiam fieri in parte : sed in gabellis & datiis imponendis de nouo , eadem ratio est,si tota aliqua imponatur de nouo , & si pars ad veterem addatur:quandoquidem non minus potest populus vexari augmento veterum gabellarũ, quàm impositione nouarum. Deinde ex sententia contraria aperitur via dolis, & fraudibus ad transgrediendas leges:quia in tantum augeri possent pedagia vetera,vt melius esset , aut saltem minus malum , noua imponi:sícque leges ipsæ essent frustratoriæ:vtpote quæ in leuamen subditorum factæ, non impedirent eorum grauamen.

Notandum est tertiò , per illa verba , *omnes qui in terris suis, &c.* non tantùm intelligi dominos temporales,qui sunt personæ singulares:sed etiam communitates,seu Magistratus,qui habent aliquam potestatem supra populum. Rectè enim dici potest de illis, quòd imponant in terris suis;id est , in terris quibus præpositi sunt , ad procurandum commune populi bonum. Neque est quòd quis opponat communitatem esse ipsummet totum populum , aut saltè ipsum representare; proindéque si imponat gabellam , *quia sibi ipsi imponit* , non facere alteri iniuriam illam, pro qua amolienda , lata est præsens excommunicatio. Item quòd Papa communitates non puniat excommunicatione *ex cap. Romana, De sement. excomm. in 6, §. In vniuersitatem*, sed interdicto:vt fit in præcedenti clausula 2. huius Bullæ ; & in cap. Quanquam De censibus in 6. Non est , inquam, quòd quis hoc opponat ; quia quantumuis communitas repræsentet totum populum,ea tamen non est populus,vnde sæpe contingit populum ab ea diserepare, & aliquando contra eam tumultus excitare.

Nu.275.

Quod si populus attenta necessitate , consentiret & sponte se subiiceret gabellæ , non videretur esse locus huic censuræ:quia tunc gabella non imponeretur sine authoritate:quandoquidem populus illam daret magistratui , subiiciendo se ei in tali re,prout potest,sicut & in alia,quæ nec damnum adfert præiudicátue proximo,nec diuinum honorem lædit. Atque licet tota communitas non excommunicetur collectiuè,sed tantùm interdicatur ; excommunicatur tamen secundùm vnumquemque eorum qui rei sunt criminis,pro quo excommunicatio imponitur: vt v.g.excommunicatione hac feriuntur illi omnes de communitate, qui dederint votum ad imponendam nouam gabellam; non item innocentes, seu illi qui tale votum non dederint.

Nu.276. Notandum est quintò , verba istius clausulæ *imponi & augeri prohibita,exigunt* : non intelligi de exigentibus quascumque gabellas seu pedagia prohibita , *quidquid dicat Caiet. in verbo Excommunicatio cap. 71.* sed de iis qui exigunt gabellas in præsenti Bullæ clausulâ imponi & augeri prohibitas non habentibus ad id potestatem. Cùm enim , *vt antè habitum est*, imponentes iniustas , si potestatem habeant imponendi,in hanc censuram non incurrunt, multò certè minus incurrent illi qui tales exigunt : præsertim cùm Pontifex prohibeat eas exigi , quas prohibuit imponi,vel augeri. Namque loquens de exactione, repetit illa verba , *Imponi vel augeri prohibita*, vnde loquitur de iisdem impositis vel auctis,quas prius prohibuerat imponi vel augeri ; alioquin in pauciſſimis verbis vteretur æquiuocatione: quod non est consentaneum.

Notan

Universidad de Deusto
Biblioteca

Notandum est sextò, exactores vocati tam eos quorum authoritate exiguntur gabellæ; nempe magistratus & dominos: quam eos qui exigunt ad portas ciuitatis, vel aliis locis. Vnde si quis Princeps aut Magistratus posuit nouam gabellam, vel auxit veteremsine potestate; successor ipsius, eo ipso quòd facit eam exigi, incidit in hanc excommunicationem, tanquam exactor. Incidunt quoque non solùm illi qui conducunt, vel emunt tales gabellas exigendas: sed etiam famuli ipsorum, & ministri qui exactioni cooperantur: vt qui recipiunt pecunias, qui scribunt, qui explorant ea quę feruntur, &c. Quamquam facillimè omnium iidem famuli excusantur, quando non constat ipsis nec rumor est impositas esse sine authoritate. Conductores verò & emptores; quia deberent inquirere, difficiliùs excusantur. Omnium autem difficillimè Magistratus & domini locantes aut vendentes tales gabellas: quoniam examinare debent qua authoritate sint impositæ; & videre an sint de numero eorum quæ in hac Bulla prohibentur exigi; vt cēnsentur esse quæ non apparent impositæ authoritate Imperatorum vel Regum, vel aliorum dominorum qui non agnoscunt superiorem, vel Concilij generalis largitione, aut Romani Pontificis authoritate concessæ: vel ex antiqua consuetudine, à tempore cuius non extat initij memoria introductæ, prout haberur ex cap. Super quibusdam, *de verborum signific.* §. *Præterea.*

Notandum est septimò, exigere solutionem; esse ab inuito & nolente eam extorquere: atque illos dici nolentes soluere & inuitos. 1. qui imperio. 2. qui minis 3. qui arrestatione rerum vel personarum, ad soluendum inducuntur. Immo & qui rogantur soluere tanquam rem debitam ex Caiet. *in verbo Excommunicatio cap.* 39. & Nauarr. in Enchir. *cap.* 27. *num.* 61. quia talis rogatio habet vim imperij & coactionis. Vnde patet, eum non soluere inuitum, qui rogatus soluit ex amore vel liberalitate, & multominus eum qui nec rogatus sponte soluit; nec item illum qui accipit talem solutionem, propriè dici exigere: itaut in hanc excommunicationem minimè incidat, latam in exigentes. Id quod attigerunt Syluester Excommunicatio 7. & Tabiensis Excomm. *5 ille num.* 54. *& hic in casu* 19. *num.* 3.

Quid sint gabella & pedagium.

Sectio II.

*Nu.*277. NOtandum est primò, gabellam & pedagium esse onera quædā subditis imponi solita à dominis, vel Cōmunitatibus, super rebus ipsorū vel ratione rerum. Aduerte autē pro maiore intelligentia: originē istiusmodi onerum fuisse defensionē & conseruationem boni cōmunis: quod vel Princeps vel Cōmunitas in repub. conseruare tenetur, nec potest nisi à subditis ciuibus adiuuetur. Inde enim promanauit potestas in Superioribus talia onera imponendi, & in inferioribus obligatio subeundi illa. Quæ in vniuersum triplicis sunt generis (quod notat Tabiena Excommunicatio 5. casu 18. num. 2.) quędam personalia, quæ imponuntur personis, solo vsu seu labore personæ exequenda, absque vlla impensa rei propriæ ex lege vlt. ff. de muneribus & honoribus, in initio: quædam realia quæ contra, rebus imponuntur; persoluuntúrque rerum sumptu & impensâ, sine labore personæ; quædam denique mixta, quæ personæ simul & rebus imponuntur: atque personæ labore ac rerum sumptu persoluuntur, hæcque vocantur perangariæ.

*Nu.*278. Ac rursus personalia sunt triplicia: quædam honesta, & per se digna, quæ vulgo honores vocantur, & habent cum onere honorem & commodum: vt consulatus, prætura, præfectura, potestas, & similia: quædam contra sunt vilia & laboriosa ac sordida; vt metalla vel arenam fodere, secare marmora, cædere syluam, calcem coquere: & his similia: quæ onera communiter dicuntur angariæ ab angendo, propterea quod angunt eos quibus imponuntur: quædam demum sunt inter hæc media: vt pote quæ nec per se vilia sunt, nec honorata vel vtilia: vt curatorem agere vel tutorem; mediáque sunt, non per participationem, sed per negationem extremorum: quia neque sunt hoc neque illud. Quorum trium generum primum, non pertinet ad hunc locum; quia gratiosum est, & amabile, communitérque quæritur & desideratur potius, quàm subterfugiatur; nec etiam vltimum, quia ipsum non imponitur à Principe vel à Magistratu, sed à quouis priuato in priuatum filiorum & hæredum bonum, ad quod per se, directéque ordinatur.

*Nu.*279. Realia quoque onera sunt in triplici differentia: nam quædam ipsis rebus imponuntur exequenda per ipsas; vt quòd equus, vel nauis, vel currus vadat ad seruitium reip. quædam verò ratione rerum, quas quis habet, imponuntur in parte fructuum, qui ex eisdem rebus percipiuntur: vt cùm imponitur soluenda Principi tertia, vel sexta, vel decima pars fructuum, quos quis perceperit quotannis; vel etiamsi nihil habeat, aliqua tamen pecunia solunda imponitur ei: vt in illa exactione quā pro singulis hominibus singuli aurei soluuntur. Quædam insuper imponuntur rebus quatenus emuntur vel venduntur, aut mercaturæ causâ, ex vno loco in alium transferuntur. Atque onera secundi generis sortiuntur varia nomina: dicuntur enim tum tributa, quatenus reipublicæ, aut Principi præstantur ex fundis vel prædiis: tum census, quatenus præstantur ex annuis redditibus possessionum: tum etiam collectæ, aut præstantiæ, aut impositiones, aut tallię, quatenus soluēda imponuntur ad tempus, ob necessitatem aliquam occurrētem. Sortiūtur quoque onera tertij generis: vocātur enim tum gabellæ, quatenus imponuntur mercibus, rebúsue quæ venduntur, & emuntur, aut ex loco in locum ad humanos vsus transferuntur; tum pedagia, quatenus soluuntur in locis constitutis à Principe ob transitum viarum: tum portoria, quatenus soluuntur ex iis quæ portantur: tum telonæa, quatenus soluuntur ex mercibus marinis ad portum aduectis; tum demum vectigalia, quatenus soluuntur pro rebus ciuitati aut prouinciæ inuectis vel euectis.

Adhuc onera realia, quædam sunt ordinaria: vt primò quidem, ea quæ sunt ab antiquo pacta & conuenta inter Principem vel Magistratum, & subditos vel ciues. Secundò verò, ea quæ ex statuto determinata sunt. Tertiò, ea quæ ex lege. Quartò, ea quę ex antiqua consuetudine vel imposita inueniuntur vel consueta sunt imponi aut exigi Quædam verò sunt extraordinaria: quæ à Principe vel Magistratu secundùm ipsius voluntatem imponuntur; quæ nonnumquam dicuntur indicta: nēpe quando Princeps ea imponit per legem, vel statutum: sic vt fiant ordinaria, ex extraordinariis: nonnumquam verò dicuntur superindicta, nimirum quando imponuntur sine statuto: propter occurrentem necessitatem: quam distinctionem Tabiena habet in cit. num. 2.

*Nu.*280. Porrò collectæ & tallię, seu præstātiæ originē duxerunt ex grauibus reip. necessitatibus, pro defensione patriæ ab irruētibus in eā hostibus, vel iusto bello, vel magno ære alieno soluendo. Pedagia verò & gabellæ ex

ex communibus vtilitatibus viatorum & mercatorum merces afferentium: nempe vt pecuniis inde conquisitis, pontes ad commoditatem ipsorum reparentur, vel sternantur viæ, vel sustententur nautæ cum scaphis, vel seruentur vię tutæ à latronibus.

Hîc aduerte in multis locis iā consuetū esse ab antiquissimo & immemorabili tēpore, imponere gabellas & pedagia loco talliarum & collectarum, hoc est, pro expensis illis in rep. faciendis pro quibus talliæ & collectæ erant institutæ ad subueniēdum reip. necessitatibus aut consulendum publicis vtilitatibus: sícque exigi gabellas non solum pro rebus, quæ negotiationis gratiā inuehuntur, aut euehuntur: sed etiam pro iis quæ ad vsum proprium, & vitæ sustentationem sunt necessariæ: vt pro frumento, farina, pane, sale, vino, oleo, carnibus & similibus. Id quod D. Anton. attingit in 2. part. tit. 1. cap. 13. sub finem.

Quis possit imponere pedagia seu gabellas.

Sectio III.

*Nu.*281. NOtandum est, eum qui potest noua pedagia imponere, posse quoque vetera augere, & contra. Potest autem Imperator & ipsius authoritate seu concessione Principes & ciuitates ipsi subiectę; ex cap. Super quibusdam De verborum signific. §. Præterea. Possunt secundò Reges, ex eodem ca. & ex cap. Innouamus De censibus; itaut audiendus nō sit Hostiensis cùm dixit solos Reges Romanos qui designati sunt Imperatores, id posse: quod in verbo Gabella 3. num. 2. Syluester reiicit: quia receptus vsus est in contrarium. Et fauet, quod Pontifex in cit. cap. Super quibusdā absolutè loquatur de Regibus: quasi id sequatur ex natura regiæ potestatis: ratione cuius Rex non cognoscit superiorem in temporalibus *ex cap. Per venerabilem* §. *Videbatur Qui filij sint legitimi*: id est, tanquam summus Princeps nullum habet supra se, ad quem ab eius sententia appelletur. Hinc fit vt ex Regum, sicut ex Imperatorum concessione, inferiores Domini & Magistratus, qui Regibus ipsis subsunt in temporalibus, possint imponere nouas gabellas: quia qui potest per se imponere, potest quoque aliis imponendi potestatem dare.

*Nu.*282. Tertiò, possunt alij summi Principes quocumque titulo & nomine vocentur, qui supra se non habent in temporalibus superiorem ad quem ab ipsorum sententiis appelletur. Id quod Nauarr. notat in explicatione huius excommunicationis *in Enchir. cap.* 27. *num.* 61. Et apertè probatur ex cit. ca. Innouamus: ponderatis verbis *Regum & Principum*. Nomen enim Principis post nomen Regis positum significat dominos qui sunt inferiores regibus, id est, minus sunt quàm Reges: quódque dicuntur posse imponere gabellas, non potest intelligi de Principibus qui subsunt regibus, cùm tales nequeant imponere, nisi ex Regis sui concessione. Debet igitur intelligi de illis Principibus qui nulli subsunt: quorum etiam concessione possunt domini inferiores communitati imponere nouas gabellas, & veteres augere.

Vbi aduerte ex D. Anton. 2. parte *tit. 1. cap. 13. in principio*, dictos Reges & summos Principes, si in loca in quibus imponunt pedagia, dominium habeant nullo iure vsurpatum, teneri ad restitutionem eorum quæ sic capiunt. Adde & incurrere in hanc excommunicationem; quia, vt patet, imponunt non habentes potestatem: quandoquidem si talia loca suo legitimo domino reliquissent, non potuissent imponere, vt certum est: atque ex eo, quòd illa sibi illicite vsurpa-

uerint, non sunt effecti melioris conditionis: quia nemo ex maleficio reportat lucrum.

Quartò, potest ciuitas libera habens merum & mixtum imperium: cuiusmodi est, quæ nulli Regi, aut supremo domino subest, sicut Venetiæ & quædam aliæ ciuitates Italiæ, quæ ex quo post factam pacem Constantiæ, habent prædictum imperium: obtinuerúntque de facto vt possint pedagia imponere: prout ex Ioann. Andrea habet Sylu. in citato num. 2. Ratióque in promptu est: quia ciuitas quæ talis est, tantum potest, quantum Princeps non habens supra se dominum; ac qui illam gubernant vicem obeunt Principis.

*Nu.*283. Postremò, consuetudo præscripta tam longo tempore, vt eius initij non extet memoria, dat potestatem imponendi nouas gabellas: itaut omnis dominus & ciuitas, quæ à tali tempore consueuit imponere gabellas ipsas, verè habeat potestatem imponendi, quantumuis subsit alteri Superiori domino. Hoc à D. Antonino annotatum *in 2. part. tit. 1. cap. 13. §. 1.* colligitur ex cap. Super quibusdam, De verb. signific. §. Præterea. Et probatur, quia vt gabella ipsa, cuius initij non extat memoriæ habetur legitima: sic etiam, habenda est legitima potestas eamdem imponendi: siquidem hoc modo, Reges omnes talem potestatem habent: nempe quia illam præscripserunt, sicut & multa alia iura imperatoria. Etenim initio tam fuit Imperatoris propria, quàm alia iura. Iam si Reges potuerunt illam præscribere, potuerunt similiter & alij Domini.

Verumtamen duo requiruntur in tali præscriptione, vnum est bona fides in imponente gabellas: alterum, vt consueuerint solui sine vi & coactione. De priore patet: quia bona fides adeo necessaria est in omni præscriptione, vt existente mala fide, præscriptio nulla valeat, ex cap. vlt. De præscript. De posteriori quoque probatur: quia si semper vel frequēter populus resistat impositioni, itaut opus sit vi & coactione; argumento est, quòd sine authoritate gabella sit imposita: vel quòd consuetudo per quam imposita est iniqua sit & irrationabilis: ideóque seruanda non sit, ex cap. Si consuetudo distinctione octaua.

An imponentes nouas collectas seu tallias, incidant in hanc censuram.

Sectio IV.

*Nu.*284. NOtandum est postremò: quia in hac clausula tā tùm fit mentio pedagiorum & gabellarum, dubitari, an incurrant in hanc excōmunicationem qui tallias seu collectas, aut taxas nouas imponunt vel antiquas augent sine authoritate, cùm hæ sint aliud genus impositionis; nēpe factæ super propriis cuiusque bonis, pro variis Principis aut Reip. necessitatibus: pedagium verò imponatur pro transitu personæ per pontem, aut aliam viam, & gabella pro transportatione mercium. Ad cuius dubij explicationem, statuitur primò, quòd cùm ex ante habitis gabellæ dicantur: tum propriè, quæ imponuntur pro mercibus; tum minus propriè, quæ in locum taxarum constitutæ sunt, & ad eumdem finem ordinantur, ad quem taxæ: cuiusmodi sunt eæ quas antè diximus imponi rebus necessariis ad proprium vel familiæ vsum: Statuitur, inquam, non tantùm imponentes prioris, sed etiam posterioris modi gabellas, in hanc excommunicationem incurrere: quia & eæ iam absolutè vocantur gabellæ, & eodem modo exiguntur quo aliæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

súntque grauiores. Statuitur secundò, quòd etsi taxæ, quæ per modum taxę imponuntur, videri possint non contineri in hac Bullæ clausula (*sicut visum est Caietano in verbo Excommunicatio cap.*71.) tum quia non est in ea de illis mentio; neque pœnæ sunt interpretatione extendendæ: tum quia in communi sermone nemo tales taxas nomine gabellæ solet intelligere.

*Nu.*285. Attamen contrarium censeri potest probabilius: tum quia hæc Bullæ clausula non respicit modum imponendi, sed onus ipsum quod imponitur. Nam in ea Pontificis intentio est, liberare pauperes subditos ab indebitis oneribus & exactionibus. Idem autem onus est: siue imponatur per modum taxæ, siue per modum gabellæ. Tum quia lex non debet frustratoria esse: adeout (etiamsi fuerit pœnalis) possit & debeat extendi ad omnes illos casus, ad quos nisi extenderetur, ipsa esset frustratoria: vt patet ex cap. Si ciuitas De senten. excommunic. vbi hæc sola ratio affertur, cur interdicta ciuitate, suburbia interdicta censeri debeant, quia lex esset alioquin frustratoria. At si hac Bullæ clausulâ prohiberentur solùm gabellæ, frustratoria esset lex: quãcumque enim summam pecuniæ, quam Domini exigere nequirent impositione gabellæ, exigerent impositione nouæ taxæ. Immo ea esset pernicios a: quia cupiditatem habendi dominorum prouocaret, vt relicto mitiori exigendi modo, duriorem sequerentur: siquidem minus onerosum est subditis, pluribus vicibus modicum soluere, vt fit in gabella: quàm semel multum vt fit in taxa.

Tum demum, quia omnes ferè gabellæ quæ modò sunt in vsu, quæque exiguntur pro illis rebus quæ ad vsum proprium deferuntur, licet modo exigendi, ac etiam nomine sint gabellæ: essentialiter tamen & ex fine sunt veræ taxæ. Ergo si illæ sunt istâ Bullæ clausulâ prohibitæ, hæ quoque censeri debent eâdem prohibitæ. Ad prius autem contrarium argumentum respondetur: non valere consequentiam; propterea quòd etiam illa quorum non fit expressa mentio, pro expressis habenda sunt, quãdo sine illis lex esset frustratoria: vt in hac re contingit iuxta antedicta. Ad posterius verò: hoc loco nomen gabellæ non extendi quidem ad taxas ex communi vsu loquendi: extẽdi tamẽ ex legis necessitate; ne ipsa sit frustratoria.

CAPVT XVII.

De sexta excommunicatione in falsificantem literas Apostolicas, lata his verbis.

6. Item excõmunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis ac Supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem vel S. R. E. Vicecanc., seu gerentes vices eorum; aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: necnon falsò fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falsò signantes Supplicationes huiusmodi, sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentiũ vices prædictorum.

SVMMARIVM.

286 *Ob quam causam, & in quas personas feratur ista excommunicatio.*
287 *Quis dicatur falsare literas Apostolicas, & quæ sit harum differentia.*
288 *Duæ extensiones eiusdem excommunicationis.*
289 *Quinque eiusdem restrictiones.*
290 *Quod subreptitiè, aut obreptitiè impetrantes literas Apostolicas in hanc excommunicationem incurrunt.*
291 *Quomodo incurratur ista excommunicatio ob mutationem factam in literis Apostolicis ad corrigendum errorem, qui in illas irrepsit.*

MAteria seu peccatum propter quod ista excommunicatio fertur; est falsitas commissa circa literas Apostolicas. Personæ verò in quas fertur; sunt primò falsarij earumdem literarum, etiam illarum quæ sunt in forma breuis ac supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem aut per S. R. E. Vicecancella. seu gerentes vices ipsorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum. Secundò falsò fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma breuis. Tertiò falsò signantes supplicationes huiusmodi, sub nomine Romani Pontificis, Vicecancella, aut gerentium vices eorum. *Nu.*286.

Notandum est primò, in hac clausula Paulum V. vt & aliquot prædecessores ipsius ex Bulla Gregorij XIII. quam Nauar. habet in Ench. cap. 27. dempsisse extensionem capituli Ad falsariorum, De crimine falsi, in quo excommunicantur primò falsificantes per se vel alios literas Apostolicas: secundò vtentes scienter literis Apostolicis falsis: tertiò impetrantes literas falsas, idest, *interprete Toleto in expositione in huius Bullæ, excommunicatione quarta, dubio* 2. ab aliis falsificatas, postquam emissæ sunt de manu Papæ: quartò defensores & fautores falsariorum. Præterea apponitur pœna; vt Clerici qui per alios falsificant, priuandi sint omnibus beneficiis. Qui verò per se falsificant sint degradandi: & tradendi brachio sæculari, vt legitimis pœnis afficiantur.

Notandum est secundò, eum falsitatis crimen circa literas Apostolicas dici committere, qui sinceram veritatem illarum immutat; aut vero sigillo earum vtitur ad falsas literas signandas *ex cap. Licet De crimine falsi.* Committi potest verò crimen falsi multis modis: puta addendo, demendo, mutando, radendo, lacerando, comburendo, sigillum adulterando, & aliis quibus substantia literarum Apostolicarum ita variatur, vt in ipsis plus vel minus contineatur, quàm antea. *Nu.*287.

Notandum est tertiò, literas Apostolicas communiter dici Bullas, id est, literas plumbeo sigillo signatas, quæ à Datario seu Romanæ Ecclesiæ Notario expediuntur nomine Summi Pontificis, cum sigillo & subscriptionibus solitis. Breuia verò dici rescripta sub nomine Papæ expedita; in hoc differentia à literis Apostolicis, quòd in cera rubea signentur annulo piscatoris, id est sigillo quo Beatus Petrus, *qui piscator erat*, verosimiliter creditur vsus: hæ verò sigillo plúbeo bullentur. Supplicationes demum dici petitiones in scriptis Summo Pontifici, vel Vicecancellario vel eorum vices tenentibus oblatas ad obtinendam aliquam gratiam: vt v. g. dispensationem, indulgentias: vel iustitiam, quibus quando Summus Pontifex acquiescit, & subscribit *fiat*: dicuntur signaturæ.

Notandum est quartò, & pro documento tenendum, falsificantes literas Apostolicas, Breuia, vel Supplicationes per Bullam Cœnæ excommunicari; tum extensionem, tum restrictionem admittere. Extenditur enim ad scienter literis iam signatis addentes, vel minuentes aliquam substantiam veritatis; etiamsi pœnitentia ducti non vtantur illis. Talis enim excommunicatio fertur in falsificantes dictas literas, non autem in vtentes falsis. Secus esset verò in eo qui raderet aliquam dictionem animo addendi nouam, sed postea ductus pœnitentiã, eamdem iterum scriberet: quia talis sicut nihil ad substantiam addidit, *Nu.*288.

addidit, ita nec eam mutauit.

Sed dubium est, An qui eiusmodi literis corrigunt vnam literam aut errorem in grammatica, vel pro clariori distinctione & intelligentiã, addunt aut minuunt aliquid, non mutantes sensum, incurrant in hanc excommunicationem. De quo Toletus *in seq. dub.* 3. in vtramque partem authores refert, sequens partem negatiuam: sicut etiam à Graphiis sequitur *lib.* 4. *decis. aurearum cap.* 18. *num.* 78 cum Nauar. in cit. cap. 27. num. 62. vbi id ex eo probat: quòd si fiat sine dolo & absque alterius iniuria, non videatur esse peccatum mortale: & ideo, nec sufficiens materia excommunicationis. Quod si dicas sufficientem esse ex intentione Papæ excommunicantis. Respondetur id non esse probabile, cùm nihil videatur in eo fieri contra iustitiam aut charitatem, aut reuerentiam Papæ debitam. Immo verò prospici decentiæ literarum ipsius.

Id autem posset procedere quando mutaretur sensus à Papa intentus, asserendo vel negando quod ipse non intendit aut tacendo, seu omittendo quod ipse exprimere intendit; etiamsi talis mutatio per vnius tantùm puncti aut apicis mutationem, fieret. Aliàs verò, *vt habetur ex cap. Ex conscientia De crimine falsi*, propter paucarum literarum rasuram in loco non suspecto, rescriptum non probatur falsum: vnde sequitur eum qui rasit, non esse ideo censendum falsarium, neque incurrere in hanc excommunicationẽ.

Extenditur quoque propositum documentum, *iuxta cap. Licet De crimine falsi*, ad eos omnes, qui verum Papæ sigillum siue plumbeum, siue cereum tradunt transferendum in falsas literas: illi enim perinde efficienter concurrunt ad falsificationem literarum, ac ille concurrit ad furtum, qui scienter alteri clauem dat per quam arca aperiatur ad furandum. Attamen si id ita fieret vt nemo vnquam eiusmodi literis vteretur, locus esse posset excusationi ab hac excommunicatione. Exemplum esse potest in eo, qui tantummodo per iocum tale quid faceret sine vllo cuiusquam scandalo.

*Nu.*289. Idipsum autem, quod dictis modis extenditur, restringitur primò, vt non procedat in fautoribus & in defensoribus, aut præstantibus authoritatem huiusmodi falsificationi. Nam de talibus non fit mentio in Bulla: quæ cùm sit pœnalis, non est interpretatione amplianda. De mandante autem, non ausim idem dicere; quandoquidem lex esset alioqui frustratoria. Incurrunt tamen iidem fautores & defensores in excommunicationem, cap. Ad falsariorum De crimine falsi.

Secundò, vt nec procedat in falsificantibus literas Episcopi, aut Nuntij Apostolici, aut Sacræ pœnitentiariæ vt habet Nauar. in cit. num. 62. quibus à Graphiis addit *in seq. num.* 82. nec Datarij aut Legati à latere aut Congregationis Cardinalium, quia non sunt literæ Papæ, sed commissariorum ipsius.

Tertiò, nec procedat in falsificantibus literas Papæ, quæ iam euanuerũt, nec amplius valent, vt ex Richardo habet Nauarrus in præced. cap. 17. num. 169. Quod intellige cum Alphonso à Viualdo *in sua explicatione huius Bullæ num.* 52. dummodo tales literas non reddant ipsa mutatione vtiles sibi aut aliis, cum intentione abutendi illis; vt fieri potest si darentur valituræ ad triennium & transacto triennio pro eo mutaretur quinquennium: tunc enim locus esset huic excommunicationi *iuxta D. Anton.* 3. *par. titulo* 24. *cap.* 16.

*Nu.*290. Quartò, nec procedat in impetrãtibus surreptitiè, vel obreptitiè literas à Papa; prout notant Nauar. *in supra cit. nu.* 62. & ex Richardo Sylu. habet *Excommunicatio* 7. *nu.* 9. Addens id procedere quantũcumque Papa alioqui non annuisset; & rationem reddit; quia tales impetrant literas veras seu verè à Papa expeditas, etiamsi falsa suggestione. Cæterùm surreptitiè impetrari dicuntur literæ Apostolicæ, quando pro illarum impetratione exprimitur falsitas, aut tacetur veritas: obreptitiè verò quando sub inuolucro verborum sic supplicatur, vt Papa non intelligat veritatem. Peccat autem grauiter sic impetrans, faciendo fraudem ipsi Papæ & aliis quorum interest; caretque impetratis *ex cap. Super literis De rescriptis.*

Quintò (quod iidem authores addunt) vt nec procedat in iis qui habent apud se literas falsatas, etiamsi iis vtantur. Nam tales non sunt de se falsarij, cùm nihil immutant in literis Apostolicis; si tamen scienter, aut ex ignorantia culpabili illis vtantur, incurrunt in excommunicationem supra citati cap. Ad falsariorum. Atque ex cap. Dura §. Adiicientes De crimine falsi: nisi intra viginti dies postquam sciuerint eas esse falsas, lacerauerint, vel resignauerint (subintellige ex glosa, verbo resignet, tali qui possit prodesse & non obesse) sunt excommunicandi per Ordinarium, semélque excommunicati, possunt tantùm absolui à Papa. Aduerte autem obiter ex citato cap. Licet & sequenti, De crimine falsi; literarum Apostolicarum falsificationem deprehendi ex quatuor nimirum ex Bulla seu sigillo, ex charta, ex filo, & ex stylo.

Postremo nec in illis procedit, *quemadmodum à Graphiis notat in cit. cap.* 18. *num.* 83. qui mutat in literis Apostolicis ea, quæ erant in suis supplicationibus prius expressa: si per errorem Notarij vel scriptoris fuerint variata: v. g. Obtinuisti à Summo Pontifice dispensationem in tertio gradu consanguinitatis; & Notarius scripsit in Bulla *affinitatis*: si tu hoc mutaueris ponendo in Bulla, sicut habebatur in supplicatione, non incurris in hanc excommunicationem. Et ratio esse potest: quia id non est falsificare sed potius verificare Bullam. Quod tamen leuiter faciendum non est, propter scandalum & præsumptiones fori exterioris, ex quibus talis corrector posset condemnari de crimine falsi. Quin si quis commodè posset ad Summum Pontificem, vel Officiales ipsius pro correctione recurrere, ea per illos fieri deberet. Immo per illos tantùm potest fieri, cùm error fuerit non solùm in bulla sed etiam in minuta manibus Summi Pontificis oblata; quia Pontifex ipse intendit tantùm concedere, illud quod ei expressum est in supplicatione: vnde corrigere mutando sensum tã supplicationis quàm bullæ, esset pro concesso habere, quod non est concessum: quodquidem est falsificare literas Apostolicas: & per consequens dare sufficientem causam incurrendæ huius excommunicationis. *Nu.*291.

De falso fabricantibus, aut falso signantib. literas Apostolicas nihil occurrit ad antedicta addendum, quàm quod cum mortaliter peccent tali falsificatione, posse in hanc excommunicationem incurrere.

CAPVT XVIII.

De septima excommunicatione contra ferentes arma infidelibus, lata his verbis.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel hæreticos per nostras, siue huius Sanctæ Sedis sententias expresè vel nominatim declaratos, deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniáque alia metallorum genera, atque bellica in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

strumenta,lignamina,canapem,funes tam ex ipso canape,quàm alia quacumque materia,& ipsam materiam,aliáque huiusmodi quibus Christianos & Catholicos impugnant, necnon illos qui per se vel per alios,de rebus statum Christianæ reip. concernentibus in Christianorum perniciem & damnum ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos, necnon hæreticos,in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt; illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque priuilegiis,quibusuis personis, Principibus, Rebuspublicis per nos & Sedem prædictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

SVMMARIVM.

292 *Causa ob quam, & personæ à quibus excommunicatio hæc incurratur.*
293 *Non incurrunt eam,iuuantes in bello iusto.*
294 *Nec qui Mulos & Asinos transmittunt.*
295 *Quæ in hac re significentur armorum nomine.*
296 *Quæ nomine ferri & cuiuscumque metalli.*
297 *Quæ nomine lignaminum & funium.*
298 *Qui tanquam ferentes aut transmittentes arma ad Christianæ Religionis hostes, innodentur hac excommunicatione.*
299 *Quatenus metus grauis ab hac excommunicatione excuset.*
300 *Quando transportantes in suis nauibus Saracenos, in eam incurrant.*
301 *Duo casus in quibus suppeditando arma infidelibus, non incurritur hac excommunicatio.*
302 *Quid tenendum sit de vendentibus arma infidelibus qui in terris Christianorum degunt.*
303 *Conditio rerum,quæ infidelibus deferuntur,notanda.*
304 *Quando incurratur hac excommunicatio, reddendo infideles certiores de rebus Christianorum, aut consilium eis dando.*

*Nu.*292. AVSA ob quam hæc excommunicatio imponitur, est crimen quod committitur contra Remp. Christianam iuuando infideles illam impugnantes.Personæ in quas fertur sunt primò,illi qui ad hostes, & inimicos nominis Christiani, quales sunt Mahometani, vel ad hæreticos, cùm sunt per Sedis Apostolicæ sententiam expresè ac nominatim declarati, deferunt seu transmittunt equos, arma, & quodcumque metalli genus,atque instrumenta bellica, lignamina, funes, ex quacumque materia, aut ipsam materiam; atque alia,quibus Christianos & Catholicos impugnant. Secundò,illi qui prædictos per se,vel per alios de rebus statum Reip.Christianę concernẽtibus,in Christianorum, aut Catholicæ Religionis damnum certiores faciunt. Tertiò, illi qui ad id auxilium,consilium,vel fauorem quomodolibet præstant. Additur etiam reuocatio omnium priuilegiorum, quibusuis personis etiam Principibus aut Reip. super hoc concessorum à Sede Apostolica. De hac quoque materia in iure antiquo extat cap. Ita quorumdam cap. Quod olim & cap. Ad liberandam, De Iudæis,& Extrauagans.Multa mentis, *eod.tit.inter communes*: latéque Nauar.eam persequitur in comment. ad cit.cap. Ita quorumdam tomo 2. suorum operum:ex quo & ex Ench.cap.27.nu.63.quædam perstringemus sciendа à Confessario.

*Nu.*293. Primum est:in hac Bullæ clausula per Turcas & Saracenos non intelligi omnes Mahometanæ perfidiæ sectatores, neque per alios Christiani nominis hostes & inimicos,intelligi omnes Paganos,Iudæos prædicto nomini infensos;sed tantùm eos quibus est bellum cum Christianis ob Christianismum. Non enim comprehenduntur illi quibus est iustum bellũ contra Christianos,neque occupant, neque occupare curant res Ecclesiæ Christianæ, neque pugnant odio Religionis sed ob aliam causam quæ iusta sit, per tradita ab ipso Nauar. in memorato commentario, notabili quarto, num. 13. quia mens Pontificis tantùm est debilitare potentiam infidelium, fideles iniustè impugnantium.

Secundum est:in hac clausula sub nomine equorum ex Nauar. *in Enchir.cap.27.num.63.versu* 3. comprehendi eos etiam,quos debiles,claudos, vel morbosos à memoratis Christiani vel Catholici nominis hostibus acceperint,ipsorúmque operâ curatos, iisdem hostibus restituerint.Nomen enim illud,cum sit generale,nullum excludit.Immo iudicio Iacobi à Graphiis *lib.4.decis.aurearum cap.*18. *num.* 87. includit aliud quodcumque inuentum,quod deseruire potest deferendis sarcinis & aliis bello necessariis:vt Mulũ, Asinum,&c. Sed in materia pœnali non videtur esse locus tali extensioni.Neque pro ipso facit Nauarrus quem citat; cùm is in memorato Comment. *notabili 5.num.*27.contrarium apertè dicat: facta tantummodo exceptione casus,in quo mala mente actuali, aut virtuali, talia inuenta traderentur ad bellum contra Christianos:sic enim illa possunt comprehendi nomine equorum,sicut nomine armorum comprehendi posse multa instrumenta agricolarum, aut artificum,paulo post dicemus. *Nu.*294.

Tertium est:armorum nomen (cuius latè patentem significationem Nauar. in dicto notabili 5. bene declarat) hic restringi ad bellica,id est(*ex eodem Nauar. ibid.num.*10.)ad ea,quæ principaliter ac verè instituta sunt ad præliandum:siue offendendo,siue defendendo vt gladij, sclopi,hastæ, lanceæ, clypei, loricæ & huiusmodi alia quæ Nauar.in seq.num.13.vocat bellica ex intentione fabricantis, eoquod fabricari soleant in vsum belli ad impugnandum hostem aut defendendum se ab eo.Addit verò idem in seq.nu.15. ex intentione assumentis ea censeri non bellica,dum referuntur in alium vsum: vt si Religiosus pugione paruulo amici,apud se derelicto,defectu cultelli vtatur ad aptandos calamos suos, aut machærâ ad secandum suum panem: sicut ex aduerso aliæ res, vt cultelli instituti ad secundos calamos,vel panem; & instrumenta agricolarum, vel artificum vt ligones, falces, secures, mallei, currus, & huiusmodi alia, in alios vsus quàm prælij principaliter,& ex intentione fabricantis comparata, ex intentione assumentis ea ad præliandum,censentur arma bellica. Quæ proinde,si quis ad Turcas aut hæreticos à Sede Apostolica denunciatos deferat, sciens futurum vt eis vtantur ad præliandum contra Christianos, incurret in hanc excommunicationem. *Nu.*295.

In summa cum Nauar.ipso in eod. notab.5. nu.25. tenendum est, armorum nomine hic prohiberi omnia & sola bellica arma, tam ad defensionem quàm ad offensionem comparata: quæ sua fabricatio, vel intentio deferentis ea ad nostræ religionis inimicos, in prælium destinat, siue actu,siue etiam virtute: vt sit,cum etiamsi lucri tantùm causâ ea deferat,scit tamen vel scire debet, eosdem inimicos illis ad pugnam vsuros.

Quartum est: appellatione ferri, & cuiuscumque metalli, quod ad hostes nostræ Religionis deferri prohibetur, intelligi tam factum,id est, ex quo aliquid formatum est,quàm infectum, seu ex quo nihil formatum est;quatenus mediatè vel immediatè vtile est bello,ex Nauar.*in memorato comment.notab.6. nu.* 8.itaut ex eodem in Enchir.cap.27.num.63. versu 6. eadem *Nu.*296.

eadem appellatione comprehendatur etiam pecunia signata,seu nummi siue aurei siue argentei,siue alterius materiæ:quia vt alia,sic & pecuniæ sunt instrumenta bello maximè necessaria. Mineræ autem, seu terræ ex quibus metalla conficiuntur, non comprehenduntur tali appellatione: quia non sunt ferrum factum vel infectum vt rectè in sequenti numero 9. argumentatur Nauar.Addens,in nu.12. neque comprehendi clauiculos, neque gladiolos, aut cultellos quibus est vsus in aptandis calamis aut secandis in mensa cibis: quia quantumuis sint ferrum factum: non sunt tamen ferrum mediatè vel immediatè vtile bello;nec quo Religionis nostræ inimici credi debeant vsuri in bello: nisi quis tantam multitudinem talium rerum deferret,vt merito verendum esset ne illi eis in vera arma conflatis,vterentur in bello:tunc enim talis ob intentionem malam virtualem & tacitam, etiamsi non haberet formalem & expressam, incideret in hanc excommunicationem.Quod idem iudicandum est, si antè memorata terra sciatur in vsum belli à Religionis nostræ hostibus expeti: nimirum vt abundent metallis, quæ ipsi norunt conflare; itaut illam eis suppeditare idem valeat ac suppeditare ipsa metalla, cùm adferat idem incommodum.

Aduerte obiter, quod bene declarat idem Nauar. *notab.* 10. *num.* 6. malam intentionem expressam in hac re contingere,cùm quis verè & expresè antedicta subministrat Christianæ Religionis hostibus: eo fine vt illis sint vsui ad bellum contra Christianos. Malam verò tacitam & virtualem,præcedenti æquipollentem contingere,cùm quis verè quidem & expresè non subministrat in malum finem,siue vt illos adiuuet; sed in bonum,vt in lucrum ad suam & suorum sustentationem honestam: attentis tamen omnibus temporis,loci,rerum, ac personarum circunstantiis existimat, quòd ipsi talibus rebus per ipsum subministratis, tunc vel aliquando vtentur contra Christianos in bello,aut certè si non existimat,debet existimare.Talis enim quamuis non expresè,virtualiter tamen æquialenterque subministrat ad bellandum necessaria:cùm paria sint vt quis faciat aliquid in aliquem finem: & quod ità faciat in alium, vt videat vel videre debeat, & latâ culpâ videre omittat, suum opus tendere in illum priorem. Quæ doctrina est notatu digna pro aliis etiam materiis.

*Nu.*297. Quintum est quod ax Angelo refert Nauar.in eod. comment.*notab.7.num.*12.per lignamina quorum delatio hîc prohibetur, intelligi trabes, & alia ligna opportuna fabricandis nauibus, triremibus, aut machinis bellicis,quibus infideles vti possunt ad impugnandum Christianos, vel defendendum se ab eis; non autem alia,quæ igni tantùm fouendo,aut alicui alteri simili actioni remotæ à bellicis. De qua tota re idem Nauar.ibidem agit plenius. Sed sufficiet monere, quod ipse habet inter cætera in num. 20. hanc excommunicationem incurrere eos qui naues, vel alias machinas bellicas hostibus Christianorum subministrauerint.Nam qui talia ipsis defert,lignamina quoque defert:non qualiacumque, sed compacta in memoratas res: atqueadeò vtiliora ipsis Christianorum inimicis,quàm si essent soluta.Ac licet prohibito eo,quod ex aliqua materia fit non censeatur prohibita ipsa materia, si nihil aliud interueniat prohibitionis extra suum: materiâ tamen rei artificialis prohibitâ,ne res ipsa habeatur,censetur à fortiori eadem res prohibita:quia propter vnumquodque tale & illud magis. Et ita per funes de quibus adhuc mẽtio est in hac censura, intelligendi sunt non tantùm simplices funes,sed etiam facta ex funibus vt scalæ,

*Nu.*298. Sextum est, *per tradita à Nauar. in eod. commentario notab.8.num.16.& aliquot sequentib.*appellatione transmittentium seu deferentium, hîc comprehendi non modò baiulantes,portantes, agentes, ducentes, trahentes; sed etiam quoslibet mala mente efficientes vt prædicta ad ipsos Religionis hostes perueniant: siue illa vendendo,permutando, donando, aut quouis alio titulo subministrando eisdem hostibus: siue mittendo, aut permittendo inuehi in suam nauem, aut extrahi ex suis portubus:siue etiam cooperando delationi seu transmissioni: quia omnes tales censentur siue per se,siue per alios transmittere.Vnde *vt ex Syla.habet ipse Nauar. ibid.nu.*21. non excusatur ab hac excommunicatione is qui iusta aliqua de causa ad prædictos arma defert ad sui tuitionem & ornamentum:& postea siue rogatus,siue vltro illis vendit vel permutat cum deterioribus,vel etiam donat: nisi rei paruitas, aut loci, vel temporis, vel personæ circunstantia,aut iustus metus mortis, captiuitatis, vel grauium cruciatuum,aut ignorantia probabilis deferentem excusaret à peccato mortali;aut etiam pœnitentia,quâ ductus delator,delata non tradidit hostibus,sed reportauit: non item quâ postquam tradidit,se tradidisse pœnituit. Ratio est ex eodem authore *ibidem numero* 29. quòd verbum delationis seu transmissionis intelligendum sit cum effectu; eoquod solus conatus non sufficiat ad incurrendam excommunicationem quæ imponitur facienti. Adde *ex eodem in præcedenti numero* 25. quantumuis quis prohibita ad hostes nostræ religionis detulerit per ignorantiam probabilem; ipsum non excusari si ea tradidit postquam prohibita esse sciuit: quia delatio prohibetur tantùm ob traditionem. Adde item *ex seq.nu.* 31. ratione paruitatis materiæ excusari ab excõmunicatione Legatum vel alium iusta negotia gerentem apud Christianæ Religionis hostem,si ei offerat vnum pugionem vel aliud huiusmodi armorum genus donet; quia inde nec graue damnũ Christiano exercitui fieret,nec hostili magnum adiumentum adderetur:nisi forte probabiliter præsumeretur, quòd alia eiusdem generis ibi fabricarentur, aut aliunde quererentur in notabile detrimentum Christianorum: quod semper in hac re spectandum est: tanquam illud cuius gratiâ excommunicatio ista decreta est.

Septimum est, Eos qui fame, aut vi adiguntur, aliáve necessitate graui compelluntur contra suam voluntatem ne pereât,vetita tradere, aut ferre Christianorum hostibus, excusari ab hac excommunicatione. Ratio est,*quam tangit Nauar. in præcedent. num.* 26. quòd vitam eripere à præsenti mortis periculo, sit de iure naturæ,cui cedit ius humanum imponens excommunicationem. Quæ tamen excusatio non procederet, si prælium esset in procinctu, & hostes prælio;tunc enim moriendum esset potius,*ita exigente communi Christianorum salute*, quàm in illius perniciem dictos hostes iuuare. Pari ratione dici posse videtur, excusari quidem illos qui pro redemptione captiui prædicta deferunt,non tamen in casu in quo inde tantum incommodum inuehereturChristianæ Reip. vt ad illud auertendum ratio suaderet occumbendum esse. *Nu.*299.

Octauum est, *de quo post Angelum & Syluestrum Nauar.ibidem numero* 27. non incurrere in hanc excommunicationem eum qui transportat arma Saracenorum in terram aliorum Saracenorum; excepto casu, quo ex ea translatione sequeretur dispendium Christianis: puta quia Christiani possunt impugnari à Saracenis ad quos transferuntur; aut quia inde illi fiunt Christianis ipsis formidabiliores. *Nu.*300.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nonum, *de quo idem consequenter*, in hanc excommunicationem similiter incurrere transportantes Saracenos ipsos cum suis armis. Similiter incurrere transfugas qui cum suis armis ex exercitu Christianorum transeunt ad Saracenos, *ex eod. in seq. num.* 33. De iis autem qui Sarracenis speculam, arcem, vel oppidum armis munitum tradunt, vel traditionem consulunt, vel iuuant; aut qui arma sua ita perdunt vt in manus Saracenorum veniant, aut inualescente prælio se dedunt vel fugiunt relictis armis, aut capti, & victi, arma tradunt, idem Nauarr. *ibid. num.* 34. statuit omnes qui talia agendo mortaliter peccant, in hanc excommunicationem incurrere, vt ij quos nec ignorantia, nec materiæ paruitas, nec iustus metus mortis, captiuitatis, aut cruciatuum excusat.

Nu. 301. Decimum est, probabile videri, quòd non incurratur hæc censura, cùm ex transportatione commodum potius nascitur Christianis, quàm contra: vt si ex pecuniis armorum, multo plus iuuarent se Christiani quàm inimici armis emptis. Id enim non est his, sed potius illis auxilio esse in bello.

Vndecimum est: si fideles habeant socios infideles à quibus iuuentur iusto bello cõtra alios siue fideles, siue infideles, & necessitas compellat; *quia scilicet non sunt sufficienter armati*; non incurrunt in hanc excommunicationem dando eis arma necessaria: prout Nauarr. habet notabili 4. num. 15. Et ratio est, quia ius naturæ concedit, ad nostram defensionem adhibere quæ possumus sine Dei & proximi iniuria. Secus verò esset, si fraudulenter & dolosè, aut per latam culpam, arma darentur talibus infidelibus, vt fiant inde potentiores contra alios Christianos, vel sine necessitate darentur in tanta copia, vt multum obesse possint Christianis. Nam tunc non est locus excusationi.

Nu. 302. Duodecimum est: *iuxta eundem Nauarrum in præced. num.* 14. non incurrere in hanc censuram dantes aut vendentes arma infidelibus, qui permittuntur morari in terris Christianorum; vt Romæ Iudæis & Venetiis Turcis. Sed videtur in eo vtendum distinctione. Nam si talibus dent, aut vendant arma, bona fide putantes eos illa accipere ad suos vsus, procedere potest ipsius Nauarri dictum. Si verò vendãt mala fide, putantes aut putare debentes eos emere in detrimentum Christianorum, v. g. vt ad socios infideles ea transmittant, videntur in hanc censuram incurrere: si non vt deferentes arma ad infideles in damnum Christianorum; saltem vt auxilium ferentes deferentibus. In mala autem fide aliquem esse vendendo (*nisi forte haberet animum rem totam detegendi Magistratui, vt deportatio impediretur*) his coniecturis deprehendi potest: primò, si prædicti infideles emant arma in magna quantitate; secundò, si clanculum, tertiò, si bombardas, hastas, & similia.

Nu. 304. Decimum tertium est: verba illa (*aliáque huiusmodi quibus Christianos & Catholicos impugnant* comprehendere iuxta Nauarr. *in sequen. not. ab.* 10 *num.* 2. & 3. tam ea quæ sunt necessaria ad pugnandum, aut ad commodè pugnandum, quàm quæ sint vtilia, vnde ex eodem *in sequen. num.* 42. in hanc excommunicationem incurrunt, qui arma deferunt hostibus nostræ religionis, iam habentibus plura quàm indigeant de præsenti; quia non habent plura, quàm quæ sunt eis vtilia, aut quàm quibus breui tempore egere possint, victi aliquo prælio.

Postremum est: secundum genus personarum in quas hæc excommunicatio fertur, non comprehendere omnes qui certiores faciũt infideles de quibus libet rebus Christianorum: sed eos tantùm qui de rebus, quæ eiusmodi sunt, vt concernant statum communem alicuius reip. Christianæ; in cuius damnum & perniciem tale quid cedat. Similiter tertium genus personarum, non comprehendere quoscumque dantes consilium infidelibus; sed solummodo cùm tale consilium cedit in damnum & perniciem Christianorum.

CAPVT XIX.

De 8. excommunicatione in impedientes eos qui victualia ad Romanam curiam conuehunt. Et de 9. in lædentes eos qui ad eamdem curiam recurrunt. Et de 10. in eos qui lædunt Romipetas, quæ feruntur his verbis.

8 Item excommunicamus & anathematizamus omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ curię necessaria adducunt; ac etiam eos, qui ne ad Romanam curiam adducantur vel afferantur prohibent, impediunt seu perturbant; seu hæc facientes defendũt, per se, vel per alios cuiuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status: etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate.

9 Item excommunicamus & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem; suâ vel aliorum operâ, interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; nec non illos omnes qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam à nobis vel nostris Iudicibus non habentes, illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare.

10 Item excommunicamus & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad vrbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his, dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

SVMMARIVM.

305 *De causis ob quas, & personis in quas feruntur istæ excommunicationes.*

306 *Octaua excommunicationi subiiciuntur non modo qui quę ad victũ, sed etiam qui quæ ad alias vitæ necessitates spectant, impediunt deferri ad Romanã curiam, nisi iusta causa aut bona fides excuset.*

307 *Non subiiciuntur verò exigentes pedagia à talibus deferentibus, nec ipsis detrahentes id, quod deferunt pro aliqua particulari persona: aut tantùmodo pecuniam quam habent in crumenis: nec nolentes sua vendere volentibus ea deferre ad Romanam curiam.*

308 *De personis, quarum vexatione nona excommunicatio incurritur.*

309 *Non est necesse talem vexationem inferri odio religionis vel Papæ: sed sufficit vt sciantur ire vel redire aut commorari apud Sedem Apostolicam.*

310 *Vexans tales pro criminibus quæ commiserint in terra suæ iurisdictionis, non incurrit.*

311 *Quis dicatur Romipeta, & quæ requirantur vt ipsum ladendo decima excommunicatio incurratur: quæque non sufficiant.*



Nu. 305. CTAVA excommunicatio fertur in sex genera personarum: quæ sunt 1. impedientes eos qui victualia, aliáue ad Romanæ curiæ vsum necessaria deferunt, 2. inuadentes eosdem, 3. prohibentes ne talia ad Romanam curiam adducantur vel afferantur. 4. idem impedientes, 5. perturbantes, ad eumdem finem: nẽpe vt non sit qui talia deferat: postremò defensores talia facientium. Extenditur verò excommunicatio hæc, tam ad eos qui per se, quàm qui per alios impediunt, inuadunt, &c. quacumque præfulgeant Ecclesiastica aut laicali dignitate.

Nona autem excommunicatio incurritur ob quinque actiones circa tria personarum genera. Imponitur enim illis, qui suâ, vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, aut detinent venientes ad Sedem Apostolicam: item illis qui similia perpetrant in eos qui ab eadem Sede recedunt: ac demum illis, qui audent contra morantes in curia Romana, perpetrare similia, non habentes ad id iurisdictionem ordinariam vel delegatam.

Decima verò excommunicatio lata est in fauorẽ vrbis Romæ, vt ad eam liber sit accessus omnibus volentibus visitare limina Sanctorum Apostolorum, Et principaliter incurritur ob quinque actiones: accessoriè verò, ob tres. Imponitur enim primariò omnibus interficientibus, mutilantibus, vulnerantibus, detinentibus, capientibus seu deprædantibus Romipetas, seu peregrinos ad Romanam vrbem deuotionis causa accedentes, aut in ea morantes, vel ab ipsa recedentes. Secundariò verò illis, qui dederint auxilium, consilium, vel fauorem, huiusmodi iniuriis inferendis.

Notanda circa 8. *Excommunicationem.*

SECTIO I.

Nu. 306. NOtandum est autem primò circa excommunicationem octauam: in illam incurrere non modo illos, qui prohibent aut impediunt ad Romanam curiam deferri vinum, frumentum, oleum, animalia seu viua seu mortua; sed etiam qui fructus, ligna, telam, pannum, papyrum & similia: hoc enim indicant verba illa, *seu alia ad vsum Romanæ curiæ necessaria*. Modicitas tamen in hac re, sicut in aliis excusat ab hac excommunicatione, vt & à peccato mortali: quod intellige de temporis etiam modicitate: vt ne deferantur per vnam horam: id quod à Graphiis notat *in lib. 4. decis. aurearum cap. 18. num. 96. in fine.*

Notandũ est secundò, ex Caiet. in verbo Excõmunicatio cap. 19. Armil. eod. verbo *casu* 15. & Nauarr. in Enchir. *cap. 27. num. 64.* neque in hanc excommunicationem incurrere eum qui suis terris consulens, contraueniũt prædictis. Maleficia enim proposito & voluntate distinguuntur: atque in eo voluntas illius est, suis consulere iusta de causa: non item, agere contra hanc prohibitionem. Exemplum est, si Dominus ne ciues proprij patiantur defectum notabilem in victualibus, prohibeat illa extrahi ex sua ditione, vel si Romana curia peste laboret, prohibeat ne quis se eo conferat volens reuerti: ne scilicet reuertens suos ciues postea inficiat. Idem tenent à Graphiis loco cit. & Georgius Sayrus alios recentiores citans *in lib. 3. thesauri casuum conscientiæ cap. 12. num. 4.*

Notandum est tertiò, quòd cùm per Romanam curiam non intelligatur Roma vel Romanus populus (quod etiam habet à Graphiis in præced. num. 95.) sed locus vbi est Sedes Apostolica, ac Summum Ecclesiæ tribunal, vbi agitantur lites auctoritate Papæ, vt Papa est; non comprehendi hac censura, impedientes, inuadentes, aut prohibentes eos, qui deferunt victualia non ad Romanam curiam, sed ad Romanum populum.

Nu. 307. Notandũ est quartò, quòd in sua expositione Bullæ Cœnæ habet Alfonsus à Viualdo num. 70. neque in hanc excommunicationem incurrere cogentem deferentes victualia, & alia ad vsum curiæ Romanæ necessaria, soluere pedagia, & alia onera quæ ab aliis iter simili modo facientibus, soluuntur. Ratio est: quia talis nullo antè memoratarum personarum genere propriè continetur. Idem dicendum est de eo qui molestia afficeret deferentem aliquid pertinens ad vsum alicuius certæ personæ: quia tale quid non dicitur esse ad vsum Romanæ curiæ. Id quod à Viualdo num. 74. etiam notat. Neque incurrere (prout idem consequenter nu 75. addit) illum qui prædicta victualia deferentem spoliaret tantùm pecuniis quas habet in crumena: quia, vt supponimus, relinquit intacta ipsa victualia. Causa autem propter quam excommunicatio hæc incurritur, est sacrilegium quo offenditur Sedes Apostolica in suis victualibus, vt loco cit. monet Caiet. idémque sequitur Sayrus in cit. num. 4. Addit verò Suarez ad 3. partem D. Thom. *tomo 5. disput. 21. num. 64.* eum qui non vult res suas vendere Romam deferendas, etiamsi fortè desint aliæ, non incurrere in hanc excommunicationem: quia illud in rigore, & ex proprietate vocis, non est impedire, ne ad Romanam curiam victualia deferantur. Neque lex prohibens tale impedimentum, cuiquam tollit libertatem vtendi pro arbitrio re suâ. Idem iudicium est de eo, qui res alienas emeret: nisi id faceret intentione impediendi, ne ad Romanam curiam transmitterentur.

Notanda circa nonam excommunicationem.

SECTIO II.

Nu. 308. CIrca nouam excommunicationem verò notandum est primò, *cum Toleto in sua explicatione, excommunicatione 7. dub.* 1. per venientes ad Sedem Apostolicam, intelligi eos qui Summum Pontificem adeunt, siue sit Romæ siue alibi, habentes negotium, quidve aliud, quod mediante seu intercueniente Papali authoritate perficiendum est. Vnde etiam patet qui per recedentes à Sede Apostolica sint intelligendi. Per illos autem qui in Papali curia morantur, intelliguntur, vt idem author in sequenti dubio habet, ex Caiet. in verbo Excommunic. cap. 14. qui in Pontificia curia inseruiunt Papæ; siue immediatè, siue etiam mediatè, vt inseruientes Cardinalibus, aut Episcopis, qui in curia tanquam ministri seu officiarij spirituales adsunt ipsi Papæ, quatenus Papa est. Quæ reduplicatio additur ad distinctionem eorum qui sunt Papæ ministri seu officiarij temporales, quatenus is est Rex. Papa enim, vt habet Nauarr. in cõmentario de datis & promissis pro iustitia vel gratia obtinendis, *qui est vltimus secundi tomi*, dupliciter considerari potest: vno modo, quatenus est Summus Christi Vicarius in spiritualibus, & habet summam iurisdictionem spiritalem ab ipso Christo immediatè datam & receptam, *iuxta cap. Nouit, De iudiciis, cuius explicationem proprio commentario idem author persequitur*: altero modo, quatenus est Rex habens actu iurisdictionem laicam seu temporalem supremam Romanæ vrbis, & aliquot terrarum, adeptam donatione Sedi Apostolicæ facta à Constantino magno & aliis Imperatoribus aut Regibus. Ex quibus consequens est, esse ita accipiendam hanc censuram, vt per eam protegantur non quotquot sunt de familia Papæ, aut Cardinalium vel Episcoporũ, qui illi in spiritualibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

seruiunt in curia Romana: sed tantum illos qui officium aliquod in eadem curia habent, per quod eisdem Prælatis seruientes, ipsi quoque in spiritualibus Papæ mediatè seruire censeantur. Nam cæteri qui seruiunt illis in temporalibus tanquam dominis, non tribuitur hæc protectio, quæ nec seruientibus Papę vt Regi, conceditur.

*Nu.*309. Notandum est secundò quod à Viualdo in sua expositione num. 81. attigit: cum Summus Pontifex hanc excommunicationem absolutè & indistinctè ferat in eos qui interficiunt, mutilant, spoliant, &c. ad eam incurrendam necessarium non esse vt talis interfectio, mutilatio, spoliatio, &c. fiat in odiũ Christianæ religionis vel Papæ, vel recursus ad Sedem Apostolicam: sed sufficere vt is qui interficitur, mutilatur spoliatur, capitur, aut detinetur, cognoscatur ex suo habitu aut colloquio, aut alia viâ; de iis esse qui Sedem Apostolicam adeunt, aut ab ea recedunt, aut in ea morantur, causâ negotiorum authoritate eiusdem Sedis perficiendorum: ad quos ab iniuriis protegendos, *non item alios etiamsi euntes aut redeuntes, aut commorantes, vbi est Pontificia curia*, lata hæc est cẽsura, vt ex Caiet. Nauarrus notat *in Enchir. cap. 27. num. 65. versu* 2. Qui non est audiendus dum ibidem consequenter reiicit ab eodem Caiet. traditum in verbo Excommunic. cap. 14. non omnem qui in Romana curia morantem interficit, mutilat, spoliat, capit, aut detinet innodari hâc excommunicatione: sed tantùm eum qui talia facit authoritatiuè: seu in talibus actionibus gerendo se pro Iudice, cùm non sit. Non est inquam audiendus ob verba quæ habentur in posteriore parte huius clausulæ: cùm dicitur. Necnon illos omnes qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam à nobis vel à nostris Iudicibus non habentes, illam temere sibi vendicantes; similia contra

*Nu.*310. morantes in eadem curia, audent perpetrare.

Notãdum est tertiò, *quod à Viualdo habet in seq. nu.* 82. non incurrere in hanc excommunicationem eum, qui in terra suæ ditionis iter agentem, vel commorantem negotiorum causa apud Sedẽ Apostolicam; ceperit, detinuerit &c. ob delictum ab ipso in eadem terra commissum. Ratio est quia talis tunc nec capitur, aut detinetur, nisi vt est, delinquens & malefactor, cui Summus Pontifex non est censendus fauere, sicut nec delicta fouere velle.

Notanda circa decimam excommunicationem.

Sectio III.

*Nu.*311. NOtandum est primò, Romipetam hîc dici de omni eo, qui siue eques, siue pedes: & siue cum habitu peregrini, siue absque eo, Romam petit deuotionis seu peregrinationis causa, atque tanquam peregrinus. Quod addo; quia, vt bene notat Caiet. *in verbo Excommunic. cap.* 13. Romæ habitans, etiam deuotionis causa, non est propriè Romipera, aut peregrinus; & ideo in excommunicationem hanc non incurrit is qui illum offenderit actionibus expressis in Bullæ clausula, quâ fulminatur.

Notandum est secundò, *cum Iacobo à Graphiis in cit. cap.* 18. *num.* 100. ad excommunicationem hanc incurrendam quatuor requiri: primum est, vt offensus sit Romipeta seu peregrinus, qualem proposuimus: secundum, vt talis non accedat Romam causâ litis, vel curiositatis, & postea incidenter visitet limina Sanctorum Apostolorum: tertium, vt ipse qui offenditur, eat Romam vel ab ea recedat vel in ea moretur causa peregrinationis: quartum, vt offendens probabiliter sciat offensum, Romipetam esse seu peregrinum qualem prædiximus.

Non requiritur autem affectus odij in religionem Christianam, aut vrbem Romanam: quia hæc excõmunicatio perinde ac præcedens fertur absolutè & indistinctè. Adde, ab hac excommunicatione excusari eadem ratione, qua à præcedenti, eum qui Romipetam delinquentem in sua dictione, malè mulctarit.

Notandum tertiò, consequens esse ex dictis quod post Caiet. loco cit. habet Nauarr. *in Enchir. cap.* 27. *num.* 66. eum qui ferit aliquem ante profectionem Romanam, aut post reditum, aut peregrinantem ad alium locum, *quantumuis in eo sit curia aut Sedes Apostolica*, aut residentem Romæ etiam deuotionis causa, non incidere in hanc censuram. De cuius materia extat antiquus canon Si quis Romipetas 24. quæst. 3. editus à Calixto Papa.

CAPVT XX.

De 11. *Excommunicatione in eos qui nocuerint S. R. E. Cardinalibus, & Episcopis; & de* 12. *in eos qui ad Romanam curiam in causis & negotiis suis recurrentes, lædunt per se, vel per alios: quæ feruntur his verbis.*

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, murilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R.E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Scdisque Apostolicę Legatos vel Nuncios, aut eos à suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis eiicientes: nec non ea mandantes vel rata habentes, seu prestantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se vel per alios, personas Ecclesiasticas quascumque, vel sæculares ad Romanam curiam super eorum causis & negotiis recurrentes, ac illa in eadem curia prosequentes, aut procurantes, negotiorúmque gestores, aduocatos; procuratores & agentes: seu etiam auditores, vel iudices super dictis causis, vel negotiis deputatos; occasione causarum vel negotiorum huiusmodi occidũt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant; seu qui per se vel per alios directè vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare; aut in eisdem auxilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque præeminentiæ & dignitatis fuerint.

SVMMARIVM.

312 *Causæ ob quas, & personæ in quas feruntur vndecima & duodecima excommunicatio.*

313 *Qui nomine Episcopi in priore clausula intelligantur, & quæ eiectio ipsorum inducat vndecimam excommunicationem.*

314 *In eadem clausula posita, quomodo capienda: & illius comparatio cum quibusdam Canonibus.*

315 *Requisita ad incurrendam duodecimam excommunicationem.*

316 *Qui intelligantur nomine recurrentium ad Romanam curiam pro suis negotiis, protecti per eamdem excommunicationem.*

317 *Differentia inter procuratẽ, & procuratorem: & quæ dicatur Romana curia ac vis verbi,* nõ verentur

318 *Notanda de verbis* per alium, aut alios: directè, aut

indirectè.

319 *An incurratur ipsa duodecimae excommunicatio cum prosecutio causarum aut negotiorum in curia Romana, fuerit iniusta.*

*Nu.*312. MAteria vndecimæ excommunicationis est sacrilegiũ in quo offenditur Ecclesia in suis mẽbris principalibus: putà Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis ac Sedis Apostolicæ Legatis vel Nuntiis: Fertur autem principaliter quidem, in omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes tales personas: aut eas eiicientes à suis diœcesibus, territoriis, terris seu dominiis. Accessoriè verò fertur in mandantes, aut rata habentes prędicta facta, seu præstantes ad ea auxilium, consilium, vel fauorem.

Materia verò duodecimæ excommunicationis ex Caiet. *in verbo Excommunicatio cap.* 15. est sacrilegiũ quo ex certa speciali causa, *litis videlicet & negotij*, offenduntur illi qui sunt sub protectione Sedis Apostolicæ. Quam offensionem, *vt idem author ibidem aduertit*, oportet non ex quacumque causa, sed occasione eiusmodi litium & negotiorum fieri. Personæ autem quæ ob idem sacrilegium (siue sit per se, siue per alium; siue directè siue indirectè ab eis commissum) innodantur hac excommunicatione: principales quidem sunt 1. occidentes 2. percutientes quoquo modo 3. spoliantes bonis sequentes personas, siue Ecclesiasticas, siue laicas: quæ sunt 1. recurrentes ad Romanam curiam super suis causis, & negotiis: 2. prosequentes in eadem curia causas suas & negotia, 3. procurantes eadem 4. negotiorum gestores. 5. Aduocatos. 6. Procuratores & agentes, 7. Auditores vel Iudices deputatos supradictis causis & negotiis. Accessoriæ verò personæ sunt, prædicta delicta siue per se siue per alios, & siue directè, siue indirectè procurantes, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentes; cuiuscumque dignitatis vel præeminentiæ fuerint.

Notanda circa vndecimam excommunicationem.

Sectio Prior.

PRo pleniore intelligentia eorum quæ ad 11. excommunicationem pertinent, consuleda erit appendix ad calcem primi libri præcedentis addita, continens explicationem cap. Si quis suadente diabolo 17. quæst. 4. quæ enim spectant ad excommunicationem illic latam ob percussionem Clerici vel Monachi, pertinent quoque ad hanc ipsam vndecimam, quæ censeri potest illius quædam species restricta personarum respectu: tam earum pro quibus fertur, quæ sunt tantùm principales Clerici: quàm earum contra quas fertur, quæ sunt non omnes iniicientes manus violentas in eosdem Clericos principales; sed interficientes, mutilantes, aut aliud antedictorum perpetrantes in illos. Addenda verò sunt

*Nu.*313. nonnulla peculiaria.

Primum est, *pro quo multos authores referunt Alfonsus à Viualdo in sua expositione, & Georgius Sayrus in lib.* 4. *Thesauri casuum conscientiæ: ille nu.* 88. *& hic cap.* 15. *nu.* 4. Episcopum dici illum qui iam consecratus est; non autem illum, qui solùm electus, præsentatus, cõfirmatus, institutus, aut prouisus est, etiamsi iam sit adeptus possessionem: quia ante consecrationem nõ dicitur quis in Episcopum promotus, neque Pontifex, vt docet Felinus ad cap. Eam te De rescriptis in initio. Dicitur autem administrator, & Episcopus electus, nõ verò Pótifex & Episcopus simpliciter; prout notat Caiet. *in verbo Excommunicatio cap.* 12. Porro Episcopus consecratus etiamsi Episcopatui renunciauerit, gaudet istiusmodi protectione: tum quòd dicatur & sit simpliciter Episcopus: tum quòd ob cõsecrationem, immunitas Episcopis sit concessa.

Secundum est, verba in hac 11. clausula posita ad significandas siue actiones ob quas, siue personas in quas excommunicatio in ea fertur, non videri explicatione alia indigere quàm vt moneamus ex Sylu. *Excommunicatio 7. num.* 23. insequi hostiliter, esse insequi vt hostem, & inimicum capitalem: aut insequi publicè & manifestè. Deinde, quod insinuatum est à Nauarr. loco cit. & tradit à Graphiis *lib.* 4. *decis. aurearum cap.* 18. *num.* 101. vt eiicientes, quorum habetur mentio in præsenti clausula, incurrant in hanc excommunicationem, requiri vt loca à quibus memorati Prælati eiiciuntur, sint ditionis ipsorum; aut ditionis aliorum quidem, sed in quibus illi debeant officij sui munus explere. Et ita ex eodem Nauarro ibidem: Iudices, qui Episcopos non parentes suis iussis, nec capere possunt, nec punire: iubent expelli ex regno, ligantur hâc censurâ, & cum eis lictores iussa ipsorum exequentes, itémque ad id opem ferentes, aut id consulentes: quia talis eiectio coniunctum habet impedimentum explendi munus officij sui. Iubentes autem exire curiam Regis aut alium locum non pertinentem ad diœcesim illorum, quamuis malè facerent, non ligarentur tamen hâc censura: cuius neque verba, neque par ratio eis adaptantur, vt de se patet.

Tertium est, quod habet idem Nauarr. *ibid. vers.* 6. *Nu.*314. defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, & ignorantiam probabilem ab hac excommunicatione excusare: neque præstantes auxilium vel fauorem incurrere in eam, nisi secuto effectu: vt nec ratum habentes, nisi ipsorum intuitu & nomine perpetratum sit scelus. Quæquidem & nonnulla alia quæ pariter addi possent nos remorari non debent, quia satis nota esse possunt per tradita in explicatione, cuius supra meminimus cap. Si quis suadente diabolo 17. quæst. 4.

Cæterùm de præsenti materia habentur cap. Felicis De pœnis in 6. & Clemen. Si quis suadente diabolo eodem tit. in quibus additur: (*aut socius fuerit facientis: aut postea receptauerit vel defensauerit scienter eumdem*, Suarez autem *in tomo* 5. *ad* 3. *partem D. Thomæ disp.* 21. *nu.* 72. admonet, socium facientis in hac materia innodari præsentis clausulæ excommunicatione, saltem vt auxilium præbentem, vel fauorem; non item illius receptatorem & defensorem, quando receptatio & defensio contingunt postquam delictum iam omnino præteriit, & solùm agitur de supplicio delinquentis: tunc enim, nequeunt habere rationem auxilij vel fauoris, sub quibus in hac clausula comprehendantur: quia auxilium & fauor sunt cooperationes facientis, aut continuantis cœptum, vt v. g. incarcerantis Episcopum vel detinentis in carcere: quem qui defendit, tanquam in delinquendo fauorem ei præbens, censendus est in hanc excommunicationem incurrere.

Notanda circa 12. *excommunicationem.*

Sectio Posterior.

CIrca 12. excommunicationem notandum est *Nu.*315. primò *ex Caiet. in verbo excommunic. sub finem cap.* 15. ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

decimoquinto ad eam incurrendam requiri conditionem, vt personæ omnes quibus imponitur, tam principales quàm accessoriæ, suas illas actiones occidendi, percutiendi, &c. perpetrent non ex quacumque causa; sed occasione causarum & negotiorum super quibus recurritur ad Romanam curiam, aut quæ in eadem curia procurantur. Vnde à Graphiis habet *in lib.4. decis. aurearum cap.18.nu.104.* si quis ex ira & voluntate furandi, vel contractâ aliunde inimicitiâ, eas iniurias inferret personis quas antè commemorauimus, non incurret in hanc excommunicationem.

Notandum est secundò, *ex Nauar.in Enchir.cap.27. num.68.versu 2.* ad hanc censuram incurrendam non esse necessarium, vt suprà positæ offensiones fiant authoritate iudiciaria laica, sed sufficere posse, vt fiant priuata vel Ecclesiastica authoritate: quia sententia per quam ea imponitur, generalis est: ideoque generaliter intelligenda *iuxta cap. Si Romanorum dist. 19.versu Ne quid verò.* Adde quod vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debeamus: argumento legis De pretio, ff. De publica in rem actione.

Notandum est tertiò, requiri adhuc ad hanc excommunicationem incurrendam, vt ille qui per se aut per alium occidit vel occidi procurat aliquem, occasione negotiorum antememoratorum id faciat per viam iniustam & illicitam: adeout ipse, liber ab ea iudicandus sit, si per viam licitam faciat: prout accidere potest, cùm quis iustè huiusmodi personam in iudicio accusat de aliquo crimine digno fustigatione, aut confiscatione bonorum; aut morte (quantumuis id faciat ea intentione vt ipsum impediat ne sua negotia in Romana curia prosequatur) atque accusatus fustigetur per sententiam Iudicis, aut spolietur bonis, aut capite plectatur. Similiter ab ea liber censendus est Iudex, qui nocentem dignum fustigatione, spoliatione bonorum, aut morte, ad talia illum damnat ea intentione, vt negotiorum illius procurationem in curia impediat ad suam vel amicorum vtilitatem. Licet enim per talem voluntatem deprauatam, peccet in eo contra charitatem: non tamen contra iustitiam: vtpote qui authoritate legitima pœnam infligit, debitam ei ob suum crimen. Et certè probabile non est mentem Papæ esse ad eiusmodi casus extendere istam suam tam grauem sententiam: præsertim cùm instituta sit ad propulsationem iniuriæ, quæ potest inferri recurrentibus ad Romanam curiam, vel apud eam morantibus pro suis negotiis procurandis. In illis casibus verò, nulla inferatur iniuria, nisi impropriè dicta.

Nu.316. Notandum est quartò, circa verba, *recurrentes ad Romanam curiam super eorum causis & negotiis, ac illa in eadem curia pro sequentes*: quòd recurrere ad curiam pro suis negotiis dicatur, quisquis causarum, & negotiorum suorum cognitionem ad Romanam curiam quoquo modo transfert: siue ipse per se ad eamdem curiam veniat in eáque tractet illa: siue procuratorem mittat, siue etiam nullo misso, per scripturam & literas: amico, vel cuiuis, negotia sua in curia gerenda committat: siue quoquo alio modo suas causas & negotia ad curiam transferat. Vnde inferre licet, vbiuis gentium aut locorum quis degat, si occasione & intuitu negotiorum suorum quæ in Romana curia tractantur, occidatur, aut quoquo modo percutiatur, aut bonis spolietur; occidentem, percutientem, aut bonis spoliantem aut non verentem eisdem dare consilium, auxilium, vel fauorem directè, vel indirectè: per se, vel per alium; in hanc excommunicationem incurrere: adeout ille cuius causa & negotium in Romana curia geritur, vbique terrarum munitus sit huius sententiæ præsidio, ne verberetur, mutiletur, occidatur, bonis spolietur intuitu eiusdem causæ, aut negotij.

Quod idem iudicandum est de Aduocatis, Procuratoribus, gestorib. negotiorum ac Iudicibus, si quos habeat quis, negotij quod tractatur in Romana curia solicitatores extra ipsam Curiam: vt cùm aliqui constituuntur alicubi à partibus, vt si quid possint inueniro, ad eamdem Curiam referant, aut transmittant: aut eos qui negotium in illa gerunt certiores faciant de iis quæ agunt, & moliuntur illi qui sunt partis aduersæ: aut etiam vt solicitent per literas eos qui in Romana Curia versantur. Idem iudicium est cùm ab eadem Curia commissarius vel Iudex cum Notario ad partes mittitur, vt apud eas inquirant, examinent testes, aliáque id genus faciant. Similiter & cùm actor in patria sua facit examinari testes super aliquo negotio, vt informationem factam transmittat ad curiam. Quas & alias similes personas, protegi hac sententia, sicut & Romæ existentes, ex eo colligitur, quod nulla appareant illius verba quæ restringant ipsam ad Aduocatos, Procuratores, negotiorũ gestores, & Iudices cùm sunt in Romana curia: sed in ea vniuersaliter sermo sit de Aduocatis & aliis prænominatis: si occidantur, percutiantur, bonis spolientur, occasione negotiorum quæ tractantur in Romana curia. Accedit quòd si personæ prædictæ quæ extra Romanam Curiam existentes, in suo munere occupantur in ordine ad eamdem Curiam: nimirum vt in ipsa negotium & causa rectè geratur: si non protegerentur per hanc sententiam, non esset per eam sufficienter prouisum negotiis in Romana curia gerendis: cùm sæpe absque iis quæ fiunt in locis partium, & inde ad Curiam transmittuntur: negotium in curia expediri non possit.

Nu.317. Notandum est quintò, verba illa *procurames & Procuratores*, ea in hoc differre, quòd procurantis nomen generalius sit; nam & solicitatores & alij, qui nomine partis principalis, operam suam quoquo modo nauant, procurantium nomine continentur. Procuratoris verò nomen tantùm dicatur de iis qui publico & authentico instrumento, vel ad lites omnes vel ad aliquam determinatam, vel ad aliqua negotia peragenda instituti sunt: quique potestatem habent comparendi in iudicio nomine principalis, in eóque agendi validè.

Notandum est sextò, nomine Romanæ Curiæ, hic non intelligi vrbem Romam, neque locum vbi est persona Papæ: sed locum in quo est audientia causarum Sedis seu authoritatis Apostolicæ, & literarum Apostolicarum; vt colligunt Doctores ex eo quod in Clemen. Ne Romani De elect. §. Sanè habetur: quòd si in certo loco, causarum & literarũ Apostolicarum audientia remanente; Papam alibi mori contingat: non ibi, sed vbi prædicta fuerit audientia, noui Pontificis electio celebretur; quia scilicet is locus est Romana curia. Non igitur accipitur nomen curiæ in hac materia pro apparatu & splendore domestico famulorum, equitatus, & cæterorum id genus: sed pro loco prædictæ causarum audientiæ.

Notandum est septimò, ex verbo *Non verentur*, colligi quòd ad incurrendam hanc censuram requiratur vt homo sciens ac prudens faciat ea propter quæ illam imponi antea dictum est: siue principalia sint, vt interficere, percutere, aut bonis spoliare: siue accessoria, vt dare in eisdem consilium, auxilium, aut fauorem. Idem enim est dicere, qui non verentur; ac dicere qui audent, vel qui præsumunt: itaut exigatur actio præsumptuosa, seu quæ scienter aduertentérque perficiatur. Vnde sequitur eum qui per lapsum linguæ & inaduertenter daret consilium hîc prohibitum, aut quid cæterorum hîc item prohibitorum: de re

derepente ac imprudenter faceret, non ligari hac censura.

Nu.318. Notandum est octauò, circa verbum *Per alium*: ipsum in istiusmodi sententiis non semper vsurpari eodem modo; nec æquè amplè: sed interdum quidé amplissimè: ita nempe vt quidquid nostro consilio, auxilio, fauore, vel quacumque nostra authoritate, mandato, aut inductione directa vel indirecta; mediata vel immediata, alius facit: id nos per illum fecisse dicamur. Interdum verò vsurpari minus amplè, vt id per alium dicatur factum, quod alterius authoritate, & mandato fit; vt quod dominus facit per seruos; Rex per milites: pater per filios, &c. An autem hoc vel illo modo vsurpetur in aliqua sententia Superioris, non potest aliunde colligi melius, quàm ex præcedentibus in eadem sentẽtia & subsequentibus. Si enim post particulam, *per alium aut alios*, addatur clausula qua exprimantur dantes consilium, auxilium, vel fauorem, *vt in præsenti clausula*, tunc ea ipsa particula *per alium aut alios*, videtur secundo modo intelligenda: vt solùm indicet id quod fit propriè per alium, quale est id, quod nostro mandanto nostráque authoritate alius facit. Si verò memorata clausula non addatur; neque vlla fiat mentio dantium consilium, auxilium vel fauorem, tunc eadem particula, *per alium aut alios*, est ad eos omnes extendenda secundùm priorem acceptionem: qua quisquis alicuius mali causa efficax fuerit, id ipse per alium fecisse dici potest.

Notandum est nonò, ad clausulam per se vel per alium, meritò addi clausulam directè vel indirectè; quia cùm solùm dictum esset: *Qui per se vel alium occidunt seu quoquo modo percutiunt, aut bonis spoliant*: dubiũ esse potuit, an hac sententiâ comprehenderetur is qui indirectè occideret, percuteret aut bonis spoliaret occasione negotiorum quæ tractantur in Romana curia; vt fieri potest cùm pater de aliqua persona tractante eiusmodi negotia; filio ea intentione vt illum occidat, dicit: Non possumus per horam quietè viuere, quamdiu iste superstes fuerit; dubitari potuisset, an si filius occideret, pater in hanc censuram incurreret virtute illius particulæ, *per alium*; quæ causa dubitandi sublata est per additam clausulam, *directè vel indirectè*. Idem iudicium est si quis occasione eorumdem negotiorum, personam occidi procuraret: eum per falsos testes de aliquo crimine conuincendo in iudicio capitali. Item si de eadem persona alicui alteri tam multa mala narraret, aut tam graues ei illatas iniurias, aut paratas insidias referret: vt talibus dictis permotus, eamdem illam personam occideret. Similiter si quis sciens aliquem certo loco armatum expectare talem personam vt occidat: aliqua arte curet, vt illa per eum locum transeat: ibique occidatur occasione causarum & negotiorum quæ gerit in Romana curia. In his enim & multis similibus, dubium esse posset; Num qui sic per alium occidit, incurrat in hanc excommunicationem: nisi adderetur particula, *Non verentur directè vel indirectè delicta huiusmodi committere*, per quam dubitatio huiusmodi tollitur.

Nu.319. Superest satis grauis difficultas. An cùm ad Romanam curiam quis recurrit pro suis negotiis, si hęc sint iniusta & per iniustitiam ab Aduocatis, Procuratoribus, & cæteris defendantur, ac manifesta iniustitia in Iudice appareat: adeout pars per iniustitiam grauiter lædatur, idque in re grauí, *vt in omnibus suis bonis*; nec possit facilè ab eadem iniustitia se protegere. An inquam, in eo casu pars læsa, si vel ex ira, vel ex odio, aut ex alia iniusta sui defensione, aliquã exprædictis personis, per se, aut per alium, directè, vel indirectè occideret, aut bonis spoliaret, vel in eiusmodi delictis consilium auxilium, aut fauorem præstaret, incideret in hanc excommunicationem. Ratio difficultatis est, quòd vna ex parte non debeat videri Summus Pontifex illos iniustos atque adeò pessimos homines tueri, huius bullæ authoritate. Ex alia parte verò, quòd in præsenti cláusula loquatur absolutè contra tales percussores, occisores, &c. nullâ additâ restrictione. Cæterùm videtur vtendum distinctione: ac dicendum duobus modis posse tales personas persequi causam iniustam: vno modo faciendo euidentem iniustitiam: putâ aliquid euidenter falsum probando per falsos testes, aut quid simile: sicque eum qui perpetrarit aliquam ex actionibus hac clausula prohibitis; non videri incurrere in hanc censuram, ob rationem allatam pro parte negante propositæ difficultatis. Altero modo prosequi posse causam iniustam, non quidem euidenter agendo contra iustitiam: sed vtendo mediis aliquibus licitis vel indifferentibus: aut etiamsi illicitis, non tamen directè facientibus contra aliquam ex personis quæ istius excommunicationis sententiâ proteguntur: sicut fieri potest prorogando terminos, adferendo cõiecturas probabiles, vtendo aliquibus cauillationibus quibus præsentis temporis Aduocati & Procuratores abundare valent: & ita probabile est, quòd occidendo, percutiendo, aut bonis spoliando aliquam ex illis personis, incurratur hæc censura: Tunc enim communiter non apparet euidens iniustitia ob quam à Papa dictum absolutè, accipi debeat cum restrictione: sæpéque passio facit parti apparere quædam euidenter iniusta esse, quæ ne probabiliter quidem sunt talia: immo nec vllam iniustitiæ speciem frequenter præ se ferunt.

CAPVT XXI.

De decimatertia excommunicatione in eos qui appellant à grauamine vel futura executione literarum Apostolicarum ad laicam potestatem: lata his verbis.

15. Item excommunicamus & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos quàm seculares, cuiuscumque dignitatis: qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine vel futura executione literarum Apostolicarum etiam in forma breuis, tam literarum Apostolicarum etiam in forma breuis, tam literarum Apostolicarum concernentium: necnon cigratiam, quàm iustitiam concernentium: necnon cigratiam, quàm iustitiam inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium & aliorum decretorum, processuum executorialium & aliorum decretorum, à nobis & à Sede prædicta, seu Legatis, Nuntorum, à nobis & à Sede prædicta, seu Legatis, Nuntiis, Præsidentibus palatij nostri & cameræ Apostociis, Præsidentibus palatij nostri & cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Iudicibus licæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Iudicibus & Delegatis Apostolicis, emanatorum, & quæ pro & Delegatis Apostolicis, emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut aliàs, ad Curias sæculares, tempore emanauerint, aut aliàs, ad Curias sæculares, & laicam potestatem recurrunt: & ab ea instante & laicam potestatem recurrunt: & ab ea instante etiam fisci Procuratore, vel Aduocato appellationes etiam fisci Procuratore, vel Aduocato appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiohuiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi & nes, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi & retineri faciunt: quíve illa simpliciter vel sine eorum retineri faciunt: quíve illa simpliciter vel sine eorum beneplacito & consensu, vel examine executioni demandari; aut ne Tabelliones, & Notarij super huiusmandari; aut ne Tabelliones, & Notarij super huiusmodi literarum & processuum executione, instrumodi literarum & processuum executione, instrumenta vel acta conficere: aut confecta parti, cuius menta vel acta conficere: aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent: interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent: ac etiam partes seu eorum agentes consanguineos, ac etiam partes seu eorum agentes consanguineos, affines, familiares, Notarios, executores & subexaffines, familiares, Notarios, executores & subexecutores, literarum, citationum, monitoriorum & cutores, literarum, citationum, monitoriorum & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnealiorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex ciuitatibus, locis & regerant, carcerant, detinent, ex ciuitatibus, locis & regnis

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnis eiiciunt,bonis spoliant,perterrefaciunt, concutiunt,& comminantur per se vel alium seu alios, publicè vel occultè;quíve aliàs quibuscumque personis in genere vel in specie, ne pro quibusuis eorum negotiis prosequendis,seu gratiis, vel literis impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant seu gratias ipsas vel literas à dicta Sede impetrent,seu impetratis vtantur: directè vel indirectè prohibere,statuere,seu mandare, vel eas apud se aut Notarios seu tabelliones:vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

SVMMARIVM.

320 *Causæ, ob quas, & personæ in quas fertur decimatertia excommunicatio Bullæ Cœnæ.*
321 *Friuola appellatio,quæ mouit Papam ad eam ferendam.*
322 *In eam incurrunt qui impediunt aut prohibent executionem propositam fieri sine Principis sui beneplacito.*
323 *Prohibitionem requisitam ad eam incurrendam sufficit quidem factam esse per statutum; sed ita, vt & debeat facta esse cum temeritate, & præsumptione.*
324 *Recusans obedire literis Apostolicis eo prætextu quòd non habeatur beneplacitum Principis: aut tale beneplacitum sibi procurans, non incurrit in hanc excommunicationem.*
325 *Extra eum casum, quomodo recusans in eamdem incurrat.*
326 *Quando Magistratus aut Princeps incurrat in hanc excommunicationem ratione sui consensus, aut examinis circa literas Apostolicas.*
327 *De excusatione ab hac excommunicatione ob metum Principum.*
328 *Obseruanda de prohibitione, impedimento, & examine ob quæ ista excommunicatio imponitur.*
329 *Personæ à quibus emanare debent literæ Apostolicæ hîc sub excommunicatione prohibita impediri ne mandentur executioni.*
330 *Respectu supplicationum Apostolicarum non incurritur hac excommunicatio,nec respectu literarum Pœnitentiariæ.*
331 *Idem dicendum respectu literarum Congregationis institutæ pro responsione ad difficultates circa Concilium Trident.*
332 *Reliqua notanda circa verba præsentis clausulæ.*

*Nu.*320. MATERIA huius excommunicationis ex Caiet. *verbo Excommunicatio cap.*17. *&* 19. est sacrilegium quo offenditur Sedis Apostolicæ authoritas, siue in suis suorumque literis, siue etiam in suis Notariis, Executoribus, & Subexecutoribus : quæquidem literæ, scripturæve Apostolicæ sunt Bullæ & Breuia:tam gratiam, quàm iustitiam concernentia : ac citationes, inhibitiones, sequestra,monitoria,processus executoriales,& quæcumque alia decreta quæ emanant à Summo Pontifice, & Apostolica ipsius Sede; vel à Legatis aut à Nuntiis Apostolicis, vel à Præsidentibus Apostolicis,vel Auditoribus cameræ Apostolicæ,vel à Commissariis Apostolicis, vel ab aliis Iudicibus Apostolicis vel à delegatis Apostolicis. Personæ autem in quas eadem hæc excommunicatio fertur sunt variæ: quæ reuocantur ad quinque capita:quorum primum continet primò eos,qui prætexentes friuolam appellationem,recurrunt ad potestatem laicam, & prædictas literas capi & retineri faciunt. Secundò, impedientes. Tertiò prohibentes,ne tales Scripturæ simpliciter vel sine eorum beneplacito aut examine mandentur executioni. Secundum continet primò impedientes;secundò,prohibentes acta confici simpliciter,aut sine eorum beneplacito vel examine, super executione earumdem scripturarum, seu literarum Apostolicarum. Tertium continet impedientes vel prohibentes acta confecta super literarum prædictarum executione : parti cuius interest, tradi simpliciter aut sine ipsorum beneplacito vel examine.Quartum continet eos qui partes ac eorum agentes,consanguineos,affines,familiares, Notarios,executores,& subexecutores scripturarum Apostolicarum capiunt,percutiunt,vulnerant,incarcerant,detinent,ex ciuitatibus vel regnis eiiciunt,bonis spoliat, perterrefaciunt,concutiunt,comminantur,per se vel alium seu alios:publicè,vel occultè. Quod intellige cum Toleto in expositione excommunicationis nonæ sub initium: si talia faciunt occasione & intuitu prædictarum scripturarum. Quintum caput continet prohibentes directè vel indirectè,quascumque personas pro quibusuis suis negotiis prosequendis aut gratiis vel literis impetrandis ad Romanam curiam accedere,aut recurrere aut impetratis vti. Præterea præsumentes easdem literas; aut apud Notarium,aut apud Tabellionem aut apud se quomodolibet retinere.

Pro explicatione notandum est primò, iustam causam istius excommunicationis ferendæ indicari verbis positis initio propositæ clausulæ quâ fertur, *Prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine,&c.* quæ apertè insinuant,sic dolo & mala fide agi aduersus Apostolicæ sedis authoritatem in præsenti materia; vt ad resistendum opus sit Ecclesiasticum gladium vi maxima vibrare. Vnde consequenter intelligitur, *quod attigit à Graphiis hb. 4. decis. aurearum cap.* 18. *num.* 108. huic censuræ non subiici eum qui bona fide ageret;sciens v.g. tales literas, subreptitias vel obreptitias esse:eoquod contra debitam Papæ intentionem contineant apertam iniustitiam,à qua nequeat aliter se protegere quàm recurrendo ad potestatem laicam.Qua tamen in re diligenter retinenda est cautio proposita in fine præcedentis capitis, ne fortè appellationem quæ re vera friuola est, appetitus inordinatus faciat apparere aliam. *Nu.*321.

Cæterùm videri potest Pontifex iisdem verbis alludere ad illud quod contrauenientes huic decreto solent dicere : se talia facere vt consulant propriæ Reip. vtilitati. Quæquidem excusatio ideo friuola, nulliusque momenti censetur,quòd Summo Pastori, cui iure diuino subiiciuntur,resistere non liceat ipsis, nisi quando ille tyrannicè se gereret, ipsósque contra iustitiam opprimere vellet: neque proponentibus difficultates suas,ac Reipublicæ suæ detrimenta,vellet vlla alia via prouidere ; tunc enim excusationem haberent. At neque ipsi proponunt, neque grauamen, seu damnum prætendunt ita magnum, quin scandalum quod ex ipsorum inobedientia sequitur,sit longè maius ac sibi aliisque pernicio sius. Idipsum Toletus habet loco citato.

Notandum est secundò,distinctionem & coniunctionem quam fecimus personarum,quę hîc excommunicantur,indicari: distinctionem quidem per disiunctiuam,*vel*, quæ indicat plura simul posita, seorsim accipienda esse:atqueadeo vnum sine aliis ad hãc excommunicationem sufficere. Coniunctionem verò,per coniunctiuam, *Et*, indicantem simul posita, esse simul capienda : ideoque vnum sine aliis non sufficere ad excommunicationem hanc incurrendam. Quamquam interdum subiecta materia cogit ipsam coniunctiuam, pro disiunctiua sumere:vt patebit in sequen.notab.6.

Cæterùm quamuis hîc expressa mentio fiat tantùm *Nu.*322.

tum eorum qui literas seu scripturas Apostolicas superiùs expressas impediunt, aut prohibent executioni mandari sine beneplacito, & consensu vel examine ipsorum:probabile est tamen comprehendi etiam illos qui non quidem sine suo, sed sine sui Principis consensu, & beneplacito executioni mandari impediunt.Ratio est,quòd odia & pœnæ extendi debeant interpretatione, quotiescumque alioqui vis legis euacuaretur, & eluderetur : sicut hîc contingeret. Nam si quilibet magistratus impunè potest prohibere, ne sine consensu sui Principis literæ eiusmodi mandentur executioni ; quantumuis nequeat prohibere,ne sine suo consensu id faciat : si quando contigerit omnes omnium Principum Magistratus eo modo prohibere, impediretur omnium Apostolicarum literarum executio;nec vlla earum mandaretur executioni absque sæcularium hominum & potentium consensu,quod est contra finem & substantiam huius sententiæ : quæ inde sic eluderetur vt prorsus inutilis esset.Neque his obstat regula vulgata ; quòd odia restringi, & fauores ampliari debeant. Nam ea tunc solùm locum habet,cùm finis & substantia præcepti potest alioqui saluari. Hic autem non potest, vt prædiximus. Neque necesse fuit expressam Principum mentionem fieri:quia Magistratuum & Principum beneplacitum pro eodem accipi potuit, vnúmque in alio intelligi,cùm idem sit vtrorumque tribunal.

*Nu.*323. Notandum est tertiò, circa verba *Impediunt vel prohibent*,ad hanc censuram incurrendam non requiri vt qui impedit, simul prohibeat, sed sufficere, vt quoquo modo impediat. Neque item vt ad factam prohibitionem sequatur reale impedimentum : quia particula disiunctiua,*vel*, satis ostendit sufficere siue impedimentum solum, siue prohibitionem solam memoratæ executionis literarum Apostolicarum. An autem sufficiat per statutum generale impedire aut prohibere,dubitari potest; cùm verba impediendi vel prohibendi, neque id exprimant, neque innuant : significant enim actus qui exercentur in particulari.Sed quamuis id ita sit,sentiendum est tamen sufficere : quia statutum eiusmodi magis aduersatur executioni literarum Apostolicarum, quàm actuale impedimentum vel actualis prohibitio :quoniam illud est velut radix & fons,& hæ velut fructus, & riuuli: positóque statuto, impedimentum fit generale: quod sine statuto,contingit solummodo particulariter in aliquo singulari.

Notandum est quartò, quòd quamuis in præsenti clausula non habeatur, sicut in præcedenti, verbum *Non verentur*, quo significatur præsumptio & temeritas in agendo:sed simpliciter dicatur impediunt vel prohibent : nihilominus tamen probabile esse ad hanc censuram incurrendam requiri quoque temeritatem seu præsumptionẽ in impediendo,vel prohibendo executionem, de qua hîc agitur, literarum Apostolicarum.Ratio est:quia communiter tam grauibus Bullæ pœna nõ solent puniri actus, nisi sint temerarij. Hinc ab ista excõmunicatione videri potest ille excusari,tanquam non agens præsumptuosè, qui nouus in aliquo Magistratu, ex repentino timore sui Principis,vel ex simplicitate aut ignorantiâ seu inconsideratione,prohiberet sine suo vel Principis sui consensu,aut examine,oblatas literas seu scripturas Apostolicas executioni mandari: itaut admonitus postea ab alio,vel re apud seipsum meliùs considerata,reuocaret prohibitionem: dicerétque id ad se nihil pertinere, vel se nolle cognoscere de scriptis Apostolicis;sed permittere,qualia sunt,mandari executioni.

*Nu.*324. Notandum est quintò : ipso nomine impedientiũ

aut prohibentium non contineri, neque in hanc excommunicationem incurrere eos contra quos emanatæ sunt literæ Apostolicæ, quando eisdem obedire recusant hoc titulo seu colore, quòd super illis non sit obtentum beneplacitum Magistratus aut Principis permittentis earum executionem. Ratio est:quia tales nec impedire,nec prohibere dicuntur vere,ac propriè; neque datur causa cur ad eos extensio in hac re sit facienda.Immo datur in contrariũ,cur non sit facienda:qualis est quòd obtemperantes ante obtentum sæcularis potestatis consensum, puniendi sint à suis Principibus,aut aliter malè tractandi. De iis etiam qui talem consensum petunt à sæculari potestate ; nec sentiendum est ipso nomine impedientium aut prohibentium contineri,aut ea de causa incidere in hanc excommunicationem:supposito quòd Principes nolint quidquam talium scripturarum executioni mandari absque eiusmodi consensu.

Notandum est sextò,circa verba, *Sine eorum beneplacito,consensu,vel examine*, quodcúque horum trium interueniat, sufficere ad incurrendam hanc censuram, hoc est, siue Magistratus prohibeat executioni mandari scripturas Apostolicas sine suo beneplacito & consensu,*quæ duo in idem recidunt*, etiamsi de examine nihil curet : siue contrà prohibeat executioni mandari sine suo examine, sed ita vt nolit requiri suum consensum, sed solum velit eas examinare ; & post examen reddere ita illæsas & immutatas, ac accepit, nullo addito signo, vel nota sui consensus. Huius rei ratio sumitur ex particula disiunctiua, *Vel*, cuius vis est,facere vt singula seorsim valeant. Iti eo enim à coniunctiua distinguitur, quæ ordinariè facit,vt non nisi simul aliqua valeant. Dico autem ordinariè,quoniam ea nonnumquam ad instar disiunctiuæ, facit vt singula seorsim valeant, quod diiudicandum est ex materia subiecta. *Nu.*325.

Notandum est septimò:cùm non prohibeatur hoc loco, ne Magistratus aut Principes sæculares consensum suum ac beneplacitum præstent scripturis Apostolicis, néve illas examinent;sed solùm ne impediant,aut prohibeant eas executioni mandari sine ipsorum beneplacito & consensu,vel examine:posse rectè inferri : quòd si quis Princeps,aut Magistratus liberè permitteret sine suo consensu & examine, Apostolicas literas executioni tradi;sed requisitus ab alio siue ad maiorem cautelam, siue ad maius robur earumdem scripturarum, sub aliquibus temporalibus pœnis grauioribus, præciperet obtemperari illis, executorialésque literas ad id concederet : in hanc censuram non incurrere; quantumuis in pretium talis beneplaciti sui,aliquid exigi præciperet. *Nu.*326.

Inferri quoque potest quòd si Princeps aliquis nulla facta prohibitione,ne executioni mandetur id quod literis Apostolicis continetur, easdem literas diligenter examinaret siue ex curiositate, vt videret an aliquam iniustitiam continerent, siue bono zelo vt Pontificem de iniustitia, si quam inueniret moneret:siue quocumque alio fine: neque incidere in hanc censuram:quia non impedit neque prohibet eam de qua hîc agitur executionem. Illi autem qui sic examinant literas Apostolicas, aut sine suo beneplacito eas executioni mandari prohibent:vt ipsi sumant sibi cognitionem causarum in illis contentarum,velintque iudicare an iniustitiam aliquam contineant, incurrunt quidem in excommunicationem: sed per sequentem Bullæ clausulam, non verò per hanc:in qua sermo tantùm est de illis qui prætextu quodam conseruandi absolutè iurisdictionem Principum sæcularium,nolunt quidquam recipi ex ordinationibus Apostolicis,nisi habita Principis approbatione. Ex quo principio facile est illos cò vsque

Universidad de Deusto
Biblioteca

progredi,vt velint de iustitia scripturarum Apostolicarum cognoscere: quod tam est contra iustitiam, quàm si vnus Rex vellet de iustitia literarum alterius Regis cognoscere; quandoquidem Papa iurisdictionem suam Ecclesiasticam habet à Christo, non minus independentem à iurisdictione laica, quàm Rex sæcularis suam habet independentem à quauis alia laica.

Nu.327. Notandum est octauò: notarios, executores, & subexecutores prædictarum literarum, si nolint confiere acta super eiusmodi executione, vel confecta nolint parti tradere, nisi prius interuenerit beneplacitum, aut examen Principis, vel magistratus permittentis eamdem executionem, non incidere in hanc censuram. Neque item Prælatos Ecclesiæ, ad quos frequenter tales literæ diriguntur, si eis non vtantur, nec eas executioni tradant, nisi obtento prædicto beneplacito. Multo minus verò incidere inferiores Iudices, ac ministros iustitiæ, capitaneos, lictores, aliósque id genus, si inuocati ad opem ferendam pro eadé executione, recusent ferre, quousque super illis obtineatur supradictũ beneplacitum. Ratio est: quia hæc sententia excommunicationis non fulminatur aduersus eos qui non exequuntur, nisi habito beneplacito, vel qui simpliciter non exequuntur: sed aduersus eos qui impediunt vel prohibent executionem. Neque illorum est litem in seipsis suscipere aduersus Principes ac supremos magistratus, pro defensione literarum seu scripturarum Sedis Apostolicæ: sed ad eam ipsam Sedem id pertinet, quâ viâ potest. Quodsi per hanc sententiam cogendo non proficiat, neque vlterius aduersus non obtemperantes progrediatur, excusantur qui timore ipsorum Principum aut Magistratuum recusant obedire, quousque prædictis literis accesserit eorum beneplacitum.

Si quæras an etiam excusentur à peccato. Respondeo neque virtute sententiæ qua excommunicatio hæc profertur, illos peccare: quia nihil in ea præcipitur de talibus personis, neque virtute scripturarum Apostolicarum, quando non continent expressum præceptum super ea re: ad peccatum enim requiritur transgressio præcepti. Nec item quãdo in scriptis Apostolicis continetur simplex præceptum, quo alicui prædictarum personarum præcipitur literas ipsas Apostolicas executioni mãdari, aut super eamdem executionem acta conficere: *si quidem Principis prohibitio fuerit, qua absque suo consensu & beneplacito id fiat*: præceptũ huiusmodi videtur intelligi si interueniat Principis beneplacitum; itaut hoc deficiente illud non obliget: ob periculum scilicet conflandi sibi magnam ipsius inuidiam, exponendíque se periculis magnis tormentorum & aliarum pœnarum. Etenim præceptum humanum tunc non obligat, cùm quid cum illius obseruatione concurrit, quod metum grauem adfert, quódque vir prudens meritò formidet. Adde quòd ex tali obseruatione nasci possit in Rep. perturbatio sine fructu; & cum damni, etiam spiritalis periculo.

Nu.328. Notandũ est nonò, ex Nauar. *in Enchir. ca. 27. nu. 68. versu 2.* ad incidendum in hanc censuram non esse necessarium vt prædicta impedimenta fiant authoritate iudiciaria & laica: sed satis esse si fiant authoritate priuata vel Ecclesiastica: quod est, hac excommunicatione innodari omnem cum qui literarum Apostolicarum executionem impediuerit, siue persona sit priuata siue publica, id est, quiuis siue Clericus sit, siue laicus priuatam degens vitam: & siue sit laicus Magistratus aut Princeps cuiuscumque præeminẽtiæ & dignitatis: & siue Ecclesiasticus Prælatus; Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, Episcopus, &c. Ratio Nauarr. est: quia nulla sunt verba huius clausulæ, quæ vel priuatam personam, vel publicam: Ecclesiasticam, vel laicam excipiant aut quoquomodo innuant excipiendã. Neque detur ratio quæ id ostendat. Vnde vt est sententia generalis, sic debet generaliter intelligi. Neque Episcopus in hac re sibi potest plus sumere quàm cæteri. Nam ipsius Episcopalis dignitas non constituit eum literarum Apostolicarum Iudicem, sed potius Apostolicæ Sedi *tanquam Papæ in regimine Ecclesiæ administrum*, omnino subiicit. Potest tamen sine hac censura ac etiam absque peccato mortali, prohibere literas scripturásque Apostolicas executioni mandari, non habito prius consensu ipsius, vel nisi per ipsum prius examinentur: non vt iudicet de iustitia earum; neque vt circa easdem, *si constiterit Apostolicas esse, seu emanatas ab aliqua personarum, de quibus in sequenti notabili dicetur*: aliquid prohibeat, mutet, impediat, &c. sed solùm vt examinet & recognoscat, an sint literæ Apostolicæ veræ, an falsæ, aut an surreptitiæ, prout sæpe contingere obseruatum est. Ac quando Episcopus ipse inueniret aliqua signa falsitatis aut surreptionis, posset Sedem Apostolicam monere eiúsque voluntatem inquirere: interea suspendendo executionem talium literarum, quousque ab eadem Sede certior de veritate fiat. Si quæras an laico magistratui liceat illo eodem modo examinare prædictas literas, similitérque prohibere executionem earum fieri sine suo beneplacito. Respondetur, probabile esse ab hac censura, tunc excusari, cùm non faciat contra Pontificis in hac clausula mentem: quandoquidem non vult cognoscere de literis, quas constat Apostolicas esse, atque legitimas.

Notandum est decimò, enumerari diuersa genera *Nu.329.* personarum à quibus emanare debent scripturæ, quarum executionem impedientes, aut prohibentes fieri sine suo beneplacito, vel examinè; hic excommunicantur; nempe Summum Pontificem, atque Apostolicam Sedem, Legatos ipsius, Nuncios, Præsidẽtes camerę Apostolicę, Auditores, Cómissarios, aliósque Iudices, & delegatos Apostolicos. Quarum personarum inæqualis est facultas: tum in ordine ad causas & negotia; quia aliis plures, aliis pauciores causæ commissæ sunt: tum in ordine ad loca in quibus dictæ literę debent recipi, & earum executio impediri vetatur. Alij enim potestatem habẽt in totum orbem Christianum; alij in particulares prouincias, regna, ciuitates, aut personas: quod notare oportet ad iudicandum de plerisque, vtrum incurrant in hanc censuram.

In Summo Pontifice igitur, *& in Sede Apostolica consequenter*: plenitudo est potestatis, à quo profectæ literæ Apostolicæ, possunt quamcumque causam spiritalem complecti: imò & temporalem, quatenus ad spiritalem ordinatur tanquam pertinens ad fidem, morésque populi Christiani. Item possunt esse ita vniuersales, vt concernant totum orbem Christianum: quod non semper contingit, sed aliquando pertinent ad certas prouincias, locaque particularia. Quando autem vniuersales sunt, vbique recipi debent, & quisquis prohibet vel impedit, ne sine suo beneplacito & examine recipiantur, & executioni mãdentur, vbiuis locorum id faciat, incidit in hanc censuram. Quando verò sunt particulariores, recipi debent in illis locis ad quæ sunt directæ, seu in quibus ex tenore ipsarum colligitur, eas habere suas vires.

Quod idem videtur iudicandum de Auditore camerę Apostolicæ, quantum ad locorum vniuersitatem, cùm sit Iudex ordinarius Papæ: non tamẽ quantum ad vniuersitatem causarum & negotiorum, cùm Pontifex nulli soleat totam suam authoritatem delegare. Quanquam super quascumque causas idẽ. Auditor non ad dicendum ius, non videri Iudices esse aut delegati, de quibus in hac clausula est sermo. Vnde consequens est sæculares Magistratus examinantes tales literas aut executioni mandari prohibentes, non incidere in hanc censuram.

ditor scripturas Apostolicas expedierit, credendum est ipsum potestatem habere id faciendi & consequenter obediendum esse. Præsidentes verò, quorum hic fit mentio, potestatem siue ordinariam siue delegatam in causis & negotiis particularibus habere solent in ordine ad quaslibet terras Christianorum; & ideo quotiescumque ad aliquem in quouis loco existentem, vel ad ciuitatem scribunt, literæ, ipsorum sunt recipiendæ. Legati autem Apostolici potestatem communiter habere solẽt tantùm in terris suæ legationis; & aliquando in omnibus quoquè terris, & diœcesibus terrarum per quas transeunt: non tamen semper æqualem, quia solent Romani Pontifices aliquando maiorem, aliquando minorem concedere pro qualitate personarum. Nuncij verò habent potestatem in illis regnis ad quæ sunt destinati Nuncij: quæ potestas minor esse solet potestate legatorum. Commissarij prętera potestatem habent solum in locis suæ commissionis: & eam adhuc præcedente minorem. Iudices denique in locis & causis ad eorum tribunal, & delegationem pertinentibus, & non vltra.

Nu.330. Difficultas autem est de nonnullis literis quarum non est in hac clausula facta mentio expressa: num earum executionem impediens incurrat in hanc censuram. Ac primò occurrunt supplicationes Apostolicæ concernentes gratiam, vel iustitiam per Romanum Pontificem vel S.R.E. vicecancellarium, seu per gerentes eorumdem vices, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatas & datarias: de quibus antè egimus cùm de sexta excommunicatione quæ in falsarios earum profertur. Tenendum autem videtur de talibus; quòd prohibentes earum executionem, in hanc censuram minimè incurrãt, cum eæ nullo modo contineantur hac clausula: non quidem expressè, vt manifestum est; neque tacitè, quia maximè continerentur sub nomine literarum Apostolicarum: sub aliis enim, quomodo contineantur non apparet. At non continentur sub nomine literarum Apostolicarum; vt ex eo intelligitur, quòd in clausula memoratæ sextæ excommunicationis tanquam inter se distinctæ, seorsim nominentur literæ Apostolicæ, & supplicationes gratiam vel iustitiam concernentes, per Romanum Pontificem, vel sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarium seu gerentes vices ipsorum signatas.

Occurrunt secundò literæ pœnitentiariæ, quæ expediri solẽt nomine Maioris pœnitentiarij; qui cum non sit legatus, neque Nuntius, neque Auditor cameræ, neque Præsidens, neque Iudex, neque Commissarius neque delegatus; de illius literis idem videatur dicendum, ac de supplicationibus dictum est: maximè cùm nec determinari possit, sub quibus verbis huius clausulæ, illæ dici valeant contineri.

Nu.331. Occurrunt tertiò, literæ congregationis Concilij Trident. quibus aliquis eiusdem Concilij locus declarari solet. De quibus idem ac de præcedentibus videtur dicendum. Non enim apparet sub quibus verbis huius clausulæ possint comprehendi. Non enim sunt literæ Apostolicæ: quia licet conscio Pontifice, vel de eius mandato scribantur: non ipsius tamen; sed congregationis nomine scribi solent, ac subscribi ab aliquo ex illustrissimis Cardinalibus: hic autem non fit mentio de literis scriptis de mandato vel consensu Papæ, sed solùm de literis Apostolicis. Dices, mentionem fieri sub illis verbis *Aliisque Iudicibus & delegatis Apostolicis*, cùm Cardinales prædictæ congregationis sint quasi Iudices à Summo Pontifice constituti ad declaranda Concilij loca, quoties circa ea occurrit difficultas. Respondetur, quòd cùm iidem Cardinales deputati sint ad declarandum,

Notandum est vndecimò, sicut priore parte huius *Nu.332.* clausulæ prouidetur executioni literarum Apostolicarum: ita posteriore prouideri personis in ordine ad talium literarum vsum, vel impetrationem: nempe Notariis, & Tabellionibus, partibus, & agentibus ipsarum, executoribus & subexecutoribus atque accedentibus, aut recursum habentibus ad Romanam curiam. Vbi aduerte discrimen esse inter accedere, & recursum habere: quòd accedere, sit per seipsum, & in propria persona ad locum aliquem se conferre. Recursum habere verò, sit quoquo modo, siue in propria persona, siue per literas, siue per procuratorem, sua negotia ad Romanam curiam deferre, vt in ea tractentur: adeovt recursum habere, latius pateat, quàm accedere.

Notandum est postremò circa vltimam clausulæ particulam: illã non contineri eos qui quęsito aliquo colore, dolo, arte, & fraude, impediunt aliquem, ne ad Romanam Curiam pro causis, gratiis, vel literis accedant, aut recursum habeant; néue gratias vel literas impetrent: sed solùm eos qui directè vel indirectè, ne quid eorum fiat, prohibent, statuunt, vel mandant, vel prædictas gratias aut literas apud se, aut Notarios, vel alios, quomodolibet retinere præsumunt. Quod præsumẽdi verbum, aduerte indicare in hac re ad excommunicationem requiri vt sic vetita, fiant per præsumptionem & temeritatem: ideóque ignorantiam & bonam fidem ab ea posse excusare.

CAPVT XXII.

De decimaquarta excommunicatione, in eos què causas spirituales aut spiritualibus annexas ab auditoribus & commissariis Apostolicis, aliisve Iudicibus ecclesiasticis auocant, lata his verbis.

14. Item excommunicamus & anathematizamus omnes & singulos, qui per se vel alios, authoritate propria ac de facto, quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu; beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab auditoribus, & commissariis nostris aliisque Iudicibus ecclesiasticis auocant, illarúmve cursum & audientiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia, causas ipsas prosequi volentes, impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt. Quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt: ad reuocandum, & reuocari faciendum, citationes vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas; & ad faciendum vel consentiendum, eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris & pœnis in illis contentis absolui; per statutum, vel alias compellũt; vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium processuum, ac decretorum prędictorũ, quomodolibet impediunt: vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, vt dicunt, supplicauerint aut supplicari fecerint; nisi supplicationes huiusmodi coram nobis & Sede Apostolica legitimè prosequantur: etiamsi talia committentes, fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

filiarij,ordinarij vel extraordinarij, quorumcumque Principum sæcularium:etiamsi imperiali, regali,ducali vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint.

SVMMARIVM.

333 *Actiones ob quas, & persona in quas decimaquarta excommunicatio fertur.*
334 *Non est quidem hæc excommunicatio antiqua in Bulla Cœnæ, est tamen in corpore iuris cap. Quoniam de immunit. Eccles. In quo, ob quas actiones, & in quas personas feratur.*
335 *Excommunicatio hæc imponitur iis, qui ea ob quæ imponitur, agunt publica authoritate.*
336 *De triplici prætextu quo aliqui se tegunt: & an necessarium sit aliquem eorum interuenire ad hanc excommunicationem incurrendam.*
337 *De prætextu prohibendæ violentiæ.*
338 *Explicatio dubij, an incurrant in hanc excommunicationem, qui illo prætextu impediunt executionem literarum Apostolicarum post appellationem in tempore, & forma interpositam.*
339 *Explicatio alterius dubij: An Reges defendere possint eos qui colorato aliquo titulo possident ecclesiastica beneficia.*
340 *Cautio adhibenda in tali defensione.*
341 *Abusus est, quod à laicis Iudicibus coguntur Iudices ecclesiastici processus originales ad ipsos mittere.*
342 *Nullo modo licet laicis intromittere se in causis spiritualibus: & quid agere debeant, si in eis subditi ipsorum vexentur.*
343 *Quomodo prætextus supplicandi Papæ, non excuset ab hac excommunicatione.*
344 *Quis prætextus ab eadem excusset.*
345 *Collatio cap. Quoniam, de immunitate Eccles. cum hac clausula Bullæ Cœnæ.*
346 *Notanda circa cap. vnicum De iis quæ vi in 6.*

*Nu.*333. NIVS excommunicationis materia ex Caiet. *in verbo Excommunic. cap.* 30. est sacrilegium quo offenditur Sedis Apostolicæ authoritas in cognitione causarum spiritualium & spiritualibus annexarum. Personæ in quas profertur,sunt:tum generaliter cæteri, tum nominatim. Primò quidem Præsidentes Cancellariarum:secundò Præsidentes consiliorum,tertiò,Præsidentes Parlamentorum:quartò, Cancellarij:quintò, Vicecancellarij:sextò Consiliarij ordinarij,vel extra, ordinarij quorumcumque Principum sæcularium quacumque præfulgeant dignitate:septimò, Archiepiscopi:octauò, Episcopi: nono, Abbates: decimò Commendatarij: vndecimò, Vicarij: quatenus eos circa certas causas certis personis commissas, quædam agere contingit, cuiusmodi certæ causæ sunt: primò,causæ beneficiales: secundò, causæ decimarum: tertiò,causæ aliæ spiritales;vt de matrimonio, diuortio,excommunicatione, petiurio, simonia, & similibus: quartò, causæ annexæ spiritualibus, vt de iure patronatus,de feudo Ecclesiæ,&c.Personæ quibus tales commissæ hic dicuntur: sunt primò, Auditores Summi Pontificis 2. ciusdem Commissarij, 3. alij Iudices ecclesiastici. Ea demum quæ contingit agere circa easdem causas, hícque prohibentur sub excommunicatione;sunt principaliter quidem. 1. causas huiusmodi à prædictis Auditoribus, Commissariis vel Iudicibus auocare. 2. impedire illarum cursum & audientiam. 3. impedire personas,capitula, conuentus, collegia volentia prosequi easdem causas. 4. se de illarum cognitione tanquam Iudices interponere. 5. partes actrices quæ prædictis personis causas prædictas committi fecerunt, & faciunt: per statutum,vel aliter compellere ad reuocandum, & reuocari faciendum, citationes, vel inhibitiones, vel alias literas in eis decretas. 6. easdem partes similiter per statutum,aut aliter compellere ad faciendum vel consentiendum,vt ij contra quos tales inhibitiones emanarunt,absoluantur à censuris & pœnis quæ in eisdem inhibitionibus continetur. 7.quomodolibet impedire executionem literarum Apostolicarum,seu executorialium processuum ac decretorum. Quæ verò minus principaliter & tanquam accessoriæ actiones hic prohibentur, sunt 1. præstare fauorem agentibus prædicta. 2. eisdem præstare consilium. 3. præstare assensum. Neque in his ad excusationem admittitur prætextus violentiæ prohibendæ,vel aliarum prætensionum quæ solent adferri;exemptionum,gratiarum, & literarum Apostolicarum:ac ne quidem prætextus supplicationum faciendarum ad ipsum Summum Pontificem informandum: nisi sic prætexentes coram eodem Summo Pontifice & Sede Apostolica,tales supplicationes legitimè prosequantur.

Notandum est primò, clausulam qua excommunicatio hæc profertur, non esse integram, sed solùm partem illius qua feruntur adhuc tres sequentes, ita vt maioris tantum claritatis gratiâ quatuor diuersis numeris distincta sit: vt coniectura satis aperta est, quòd omnia quæ sub illis diuersis numeris continentur,ad Ecclesiasticam libertatem pertineant: nec in eis repetantur verba Excommunicamus, & anathematizamus,vt factum est in singulis aliis.Id enim indicio est,à positis in hoc 14. numero, pendere quæ ponuntur in quatuor sequentibus. Porro licet ista excommunicatio non videatur multum antiqua esse in Bulla Cœnæ Domini,cùm apud Sylu.qui tempore Leonis decimi scripsit Summam casuum,nó numeretur inter eas quæ in eadem Bulla reseruantur: non ideo tamen desinit suum robur habere, quod totum accipit ex iustitia causæ, & sufficienti Papæ authoritate eam ferentis. Neque nouitas in ea re aliud arguit, quàm posteriorum temporum maiorem esse quàm priorum malitiam,compellentem vti seueriore pœna, quàm necessarium fuerit in iisdem prioribus temporibus. Adde,quòd licèt noua sit in hac Bulla, antiqua tamen sit in corpore iuris Canonici.

Notandum est enim secundò,in cap. Quoniam de immunit. Eccles. in 6. ferri excommunicationem, cuius materia est sacrilegiũ, quo offenditur ecclesiastica, libertas quoad cognitionem causarum, Pertinentium ad externum forum ecclesiasticum; personæ verò in quas fertur sunt;principales quidem, primò, illi qui litigantes, aut litigare volẽtes in foro ecclesiastico, siue ordinario siue delegato,aut impetratores literarum Apostolicarum, à lite desistere compellunt per se,vel alium. Secundò, illi qui impetratores literarum Apostolicarum, aut alios litigantes aut litigare volentes in foro ecclesiastico, ordinario aut delegato,per se aut per alios cõpellunt de huiusmodi quæstione litigare in foro sæculari. Tertiò,illi qui aliquem ex prædictis faciunt per se aut alios cõpelli ad desistendum à lite. Quartò, illi qui aliquem ex eisdem faciunt per se,aut per alios compelli ad litigandum in foro sæculari. Quintò,illi qui aliquem item ex eisdem procurant per se aut per alios compelli ad desistendum à lite.Sextò,qui aliquem adhuc ex eisdem procurant per se aut per alios compelli ad litigandum super huiusmodi causis, in foro sæculari. Septimò,qui per se aut per alios impediunt quominus

minus coram Iudicibus ecclesiasticis ordinariis, aut delegatis,querelantes de causis pertinentibus ad eorumdem iudicium & cognitionem, possint iustitiam liberè obtinere. Personæ autem accessoriæ,sunt dantes auxilium,aut consilium,aut fauorem ad prædicta facienda.

*Nu.*334.

Adde verò causas in quibus contingit memoratas personas peccare, atque in excõmunicationem memorati capituli incurrere:esse, *prout in eod. cap. exprimitur*,causas quæ de iure, aut antiqua consuetudine pertinent ad forum ecclesiasticum; vel ratione personarum,vel ratione negotiorum,vel ratione rerum: quod postea exponemus. Adde etiam modos cogendi ad supradicta,aut faciendi prohibita ante recensita,istos exprimi quoque in eodem capitulo:primum quidem, per captionem Iudicum ecclesiasticorum, coram quibus litigatur: secundum,per captionem eorum qui literas Apostolicas super prædictis causis impetrarunt: tertium, per captionem litigantium: quartum,per captionem volentiũ litigare: quintum, per captionẽ propinquorũ quorumlibet supradictarum personarum:nempe Iudicum,litigantium,aut litigare volentiũ:sextum, per captionem rerum,cuiuslibet prædictorum:septimum,per captionẽ Ecclesiarum eorumdem,id est,per captionem beneficiorum: & ad extremum quocumque alio modo compellere aut compelli facere,aut procurare,seu impedire, ne coram Iudicibus ecclesiasticis querelantes de causis pertinentibus ad eorum cognitionem possint liberè iustitiam obtinere. Et quamuis Pontifex talis excõmunicationis absolutionem sibi non reseruet: ad eam tamen obtinendam duas conditiones ponit necessarias; alteram,vt illâ irretitus,prius integrè satisfaciat Iudici cuius cognitio fuit impedita, & iurisdictio vsurpata:alteram, vt parti quæ fuit turbata in prosecutione sui iuris,integrè satisfaciat pro iniuria, damnis,expensis & interesse.

*Nu.*335. Notandum est tertiò, circa personas, in quas excommunicationem hanc Bullæ Cœnæ ferri ante diximus, eas non esse ita generaliter intelligendas, vt comprehendant omnes qui quocumque modo, siue per fraudem,siue per dolum,siue per minas, siue aliter quomodocumque, cognitionem causarum spiritualium aut spiritualibus annexarum impediunt, aut aliquid cæterorum agunt quæ in hac Bullæ clausula prohiberi diximus; sed solùm eos, qui authoritate iudiciali;ideſt,qui impediunt vel aliquid cæterorum antedictorum faciunt,gerẽdo se pro Iudicibus,prout Nauarr. notat *in Enchir.*cap.27.num.69. Istúdque est quod initio clausulæ indicant verba (*qui per se vel alios propria authoritate*,&c.)sermo est enim de iis qui iudicia exercent publicâ authoritate, siue Laicâ siue Ecclesiasticâ:tales enim sunt personæ expressæ in fine eiusdem clausulæ:in quas ab initio diximus hanc excommunicationem proferri.

Aduerte autem obiter,quòd si quas gratias,exemptiones, aut literas Apostolicas Romanus Pontifex non vt Pontifex & caput Ecclesiæ, sed vt sæcularis Princeps in suo temporali dominio concessisset alicui;& orta super eis lite,præsidens Cancellariæ, aut alius ex iis qui sub finem huius sententiæ commemoratur, illam ab Apostolicis auditoribus & commissariis auocaret, in hanc excõmunicationem non incideret; propterea quod talis causa neque est hic expressa specialiter, neque sub illis generalibus verbis, *ac aliàs spirituales & spiritualibus annexas*, continetur potest: quandoquidem constat talem causam neque spiritualem, neque spirituali annexam esse.

*Nu.*336. Notandum est quartò, circa verba posita sub initium istius clausulæ, *quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu*: illis exprimi triplicem prætextum,quo se tueri solent personæ, in quas hanc excommunicationem ferri prædiximus; quorum primus est exemptionum, secundus gratiarum(supple vtrobique Apostolicarum, cùm in hac re non alia valeat prætendi exemptio,aut gratia quam indulta à Sede Apostolica) tertius literarum Apostolicarum. Vnde nascitur difficultas, An si eædem personæ,nullo ex his prætextu; sed vel ex mera sua voluntate,vel ex imperio, & præscripto sui Principis, vel ex consuetudine generali suæ patriæ, vel speciali sui officij, vel quomodocumque; causas supramemoratas auocẽt ab Auditoribus & Commissariis Apostolicis: aut alias actiones hic prohibitas exerceant,incurrant in hanc censuram.Et ratio dubitandi est:quia ex vna parte,verba istius clausulæ sunt aperta,quibus non videtur Pontifex de illis loqui aliter, quàm si aliquo eorũ prætextuum talia faciant; nihilque omnino ponitur in eadem, per quod vel leuiter contrarium insinuetur. Non enim dicitur: qui quoquo modo,aut quid simile, sed continuata oratione dicitur: *Qui per se,vel per alium seu alios, authoritate propria,& de facto,quarumcumque exemptionum,gratiarum,& literarum Apostolicarum prætextu*: vnde rectè inferri videtur,quod si absque hoc prætextu faciant, non incurrant in hanc censuram:præsertim cùm lex pœnalis sit interpretatione restringenda, non autem amplianda.

Ex altera parte verò si isti prætextus, vel aliquis eorum necessariò requiratur ad hanc censuram:primò deterioris conditionis essent qui aliquo prætextu satis apparenti, quàm qui temere nullo prorsus prætextu hæc facerent. Deinde verborum illorum, *authoritate propria*, vis hæc est, vt indicent illos etiam comprehendi, qui sine vllo prorsus prætextu faciunt ea quæ hic prohibentur.Nam qui prætextu gratiarum,exemptionũ,&c. faciunt,ij nõ propria, sed ipsarum gratiarum Apostolicarum, atque adeo ipsius Papæ, authoritate faciunt. Quarum rationum momenta, sic difficultatem augent, vt qui velit partem priorem, vt mitem & benignam sequi, ei obstet, quod à Pontificis intentione aberrare videatur, atqueadeo sequi quod non est tutum sed periculi plenum.

*Nu.*337. Notandum est quintò,circa ea verba, *& prætextu violentiæ prohibendæ*, illis indicari causam quæ omniũ speciosissima, honestissimáque videri potest infringentibus hoc Summi Pontificis statutum.Cùm enim inter cætera, maximè commendetur cura quam Superiores gerunt suorum subditorum, ne ab aliis offendantur:Principes & officiales ipsorum facilè putare solent, licere sibi violentiam suis subditis illatã ab Auditoribus,&Cõmissariis Apostolicis depellere. Immo cùm de iure naturæ licitum sit cuique innocẽtem defendere,ab eóque violentiam prohibere,multò sanè magis id licitum sit Principibus, magistratibus, & ipsorum officialibus. Vnde communissimus esse solet talis prætextus.Circa quem Nauar. *in Ench. cap.*27.*num.*69. mouet tria dubia.

Primum,an qui executionem literarum Apostolicarum contra aliquem emanatarum, impediunt post appellationem, aut supplicationem in tempore & forma interpositam prætextu violentiæ prohibendæ,contineantur hac clausula. Secundum,an Reges regulariter possint defendere eos qui colorato aliquo titulo possident beneficia Ecclesiastica, ne absque iusta causæ cognitione deturbẽtur, vel spoliẽtur virtute literarum Apostolicarũ.Tertium an bona seu licita sit consuetudo illa recentior, qua Iudices regij non solum protegunt appellantes ne quidquam cõtra eos post appellationem innouetur; sederiam co-

Universidad de Deusto Biblioteca

gunt Iudices Eccleſiaſticos mittere ad ſe proceſſus originales,vt ſi videbitur rectè appellatum, iubeant appellationibus deferre,& à cenſuris abſoluere. Quibus quartum addi poteſt, An ordinariè, aut ſaltem in aliquo caſu, licitum ſit ſæculari poteſtati prætextu violentiæ:ſeu,quod idem eſt, iniuſtitiæ prohibendæ interponere ſe in cauſis Eccleſiaſticis, earúmue curſum impedire, aut executionem literarum Apoſtolicarum prohibere, & alia per hanc Bullæ clauſulam prohibita facere,quo enim caſu id licitum eſſet non incurretur hæc cenſura.

Explicatio dubiorum de prætextu violentiæ prohibendæ.

Nu. 338. ATque de primo dubio, Nauarr. ibidē ait, ipſum eſſe quæſtionis quotidianæ adeo magnæ, vt digniſſima ſit, quam ſumma Eccleſiæ poteſtas, id eſt Summus Pontifex determinet, auditâ ſumma poteſtate ſæculari:Imperatoris inquam, Regum & aliorum ſummorum Principum neque ipſe audet quidquam determinare, ſed Summo Pontifici determinationem relinquit:requirens ad eam, vt audiatur dicta ſumma poteſtas ſæcularis: id eſt, Imperator, Reges & alij ſummi Principes vt cauſas, quas habēt proferant, quò illis plenè examinatis veritas iuſtiore maturioréque iudicio determinetur. Cuius tanti viri ſuſpenſio iudicij, me quidem ex vna parte prohibet meum præcipitare;ſed ex altera vrget charitas indicare periculum incurrendi in hanc excommunicationem, cui exponuntur impedientes executionem literarum Apoſtolicarum, etiam poſt appellationem in tempore & forma interpoſitam. Cùm enim talis cenſura abſolutè,& ſimpliciter feratur in impedientes executionem talium literarum:in illam ij incurrunt,qui impediunt:ſiue ante ſiue poſt appellationem in tempore & forma interpoſitam, id faciant.Sed obiici poteſt; quòd prædictam executionem impedientes poſt appellationem in tempore & forma interpoſitam nihil agant,aut agere intendant contra iuſtitiam: ſed potius cooperentur ad conſeruationem iuſtitiæ, & ad impediendam iniuſtitiam: præſertim quando iniuſtitia eſt manifeſta. Vnde ſequitur non cōtrauenire prohibitioni factę à Summo Pontifice, qui exiſtimandus non eſt velle iniuſtitiam, quam ſi noſſet, nullatenus literas expediret. Quocirca videtur concludendum, impedientes earum executionem, *ſaltem quando iniuſtitia eſt manifeſta*, nullo modo offendere Sedem Apoſtolicam; ſed potius obſequi ei, defendendo iuſtitiam ſecundùm ipſius intentionem; adeóque in hanc cenſuram minimè incurrere cùm imponatur ob quoddam ſacrilegium, quo læditur Sedes Apoſtolica vt patet ex antedictis. Cui obiectioni ne cedamus, obſtant, quæ in contrarium occurrunt. Primò enim opponi poteſt,quod non pertineat ad ſęculares examinare iuſtitiam literarum Apoſtolicarum, ſicut nec ad virum ſæcularem, literas alterius ſecularis, cùm vterque eſt ſummus Princeps. Non enim minus ſuprema eſt Papæ poteſtas,quàm cuiuſcumque Principis ſecularis. Opponi poteſt ſecūdò,quòd offendatur Sedes Apoſtolica, dum contra ipſius voluntatem de iuſtitia,vel iniuſtitia literarum ſuarum,ille cognoſcit ad quem id nullo iure pertinet.Si enim iuſtitiam contineant,Pontifex ipſe vult eam defendere;ſin iniuſtitiam vult eam depellere: ad quod præſtandum non habet opus authoritate aliena. Tertiò demum opponi poteſt,quòd cùm Summus Pontifex hîc excommunicet omnes facientes aliquam ex actionibus quas ipſe prohibet; neque excipiat eum qui agit poſt appellationem in tempore & forma interpoſitam,non videatur locus relictus exceptioni. Si enim Papa ſine exceptione loquitur,quomodo audebimus illius dictum exceptione reſtringere:præſertim nulla fulti neceſſaria ratione?

De ſecundo dubio Nauar. *in eodem num.* 69. ait in Hiſpaniis & Galliis pro re indubitata haberi, quòd Reges regulariter eos qui beneficia Eccleſiaſtica aliquo colorato titulo poſſident poſſint defendere, ne abſque iuſta cognitione cauſæ deturbentur, vel ſpolientur virtute literarum Apoſtolicarum:quod vt vbique ferè,*inquit*,in illis regnis ſeruatur:ita multi illud iure munire conantur. Neque ipſe aliud addit ad dubij ſolutionem; ſed ſtatim ad tertium tranſit, ſiue ob rei difficultatem, ſiue ne loqui cogeretur contra communem eam ſententiam tam multorum Doctorum qui eruditiſſimi inueniuntur in vtroque regno. Aliquot eorum citans à Viualdo in ſua expoſitione, num. 102. addit pro ſententia ipſorum, quòd Reges aliíque Principes tanquam boni communis Procuratores,& promotores,ac Reipublicæ tutores ac defenſores, poſſint quantum ad bonum ſtatum, & gubernationem regni expedit,repellere vim vi,etiā manu armata; atque omnia remouere impedimēta quibus pax, tranquillitas, & bona regni gubernatio poteſt perturbari: vt contra ſæcularem quamcumque poteſtatem,ſic & contra Pontificiam:quam Chriſtus in Euangelio non conſtituit,reuocando,abrogandóve ius naturale quo vnicuique vim vi repellere licet. Etenim,*vt in re non abſimili argumentatur Sotus lib.* 5. *De iuſt.& iure quæſt.* 1. *art.* 8. *in ſolutione argumenti contra* 2. *concluſionem*, id fuiſſet non ſolùm ius naturale peruertere; ſedetiam ipſius Chriſti iugum, quod ſuaue eſt & leue,acerbum facere & importabile. Nu. 339.

Qua de re pro praxi quod dicam,tantùm habeo, in ea diligenter cauendum eſſe ab affectu quo Clericis oppidò ſunt infeſti laici,vt tradidit antiquitas *ex cap. Clericus, De immunit. Eccleſiarum in* 6. quoniam ille ſæpe facit,vt vis adeſſe putetur cùm abeſt;& vt in detrimentum animarum interdum paruipendatur Eccleſiæ maieſtas. Itemque moneam,quòd cum omnes fideles ſubiiciantur Papæ quoad ſpiritalia, & ſpiritalibus annexa,ei de illis ſtatuenti, non eſſe aliter reſiſtendum,quàm ſupplicando, ac rationes noſtras & incommoda nobis inde obuenientia, exponendo. Conſentaneum eſt enim ea ratione agere cum Superiore vtente ſuo iure: cui dum cedit, vt commodis noſtris ſeruiat, tribuendum eſt ipſius paternæ pietati:cùm ad id non teneatur ex debito iuſtitiæ; ſed tantùm charitatis.Et certè ſi alius modus teneri poſſit:is erit vel recurſus ad Superiorem,quem quoad ſpiritalia Summus Pontifex non habet præter Chriſtum: vel vt iuriſdictioni eiuſdem Pontif. reſiſtatur authoritate propria: quod iniquum eſt, niſi apertè conſtaret per illam nos opprimi, repudiatis iniuſtè noſtris ſupplicationibus,& rationibus: quo caſu locum habere poſſet illud quòd vim vi repellere liceat. Iniquum eſt inquam, cùm in re propoſita dici nequeat quo iure ad laicam poteſtatem pertineat interponere ſe in cauſis,quas conſtat ſpiritales eſſe,aut ſpiritalibus annexas: cuiuſmodi beneficiales eſſe, ſufficienter conſtat. Adde beneficiatum tueri ne ſpolietur beneficio: ſpectare ad illum ad quem ſpectat beneficij collatio. Adde etiam laicos teneri ſeruare quod ipſe Pontifex ſtatuerit circa eiuſmodi genus rerum:quoad quas pleniſſimam & independentem, habet à Chriſto omnium Domino abſoluto acceptam poteſtatem. Nu. 340.

De tertio dubio Nauar. loco cit. ait non eſſe facile probare, eam conſuetudinem iuri conſonam eſſe: Nu. 341.

immo verè dici poſſe,non conſuetudinem;ſed corruptelam eſſe ſeu prauam conſuetudinem abuſúmve: cùm idipſum hac Bullæ clauſulâ ſit prohibitum: nec intelligi poſſit, quo iure ad ſæculares Iudices pertineat iudicare an rectè appellatum ſit in cauſa ſpiritali:ac iubere deferri appellationi, & cogere Iudices Eccleſiaſticos mittere ad ſe proceſſus originales, aliáque ſimilia. Quid enim amplius facerent ſi ipſimet eſſent Prælati & Iudices Eccleſiaſtici, aut ipſorum Superiores?

Nu. 342. Ad quartum dubium reſponderi poteſt,probabile videri in nullo caſu licere poteſtati laicæ ſine Sedis Apoſtolicæ priuilegio ſufficienti intromittere ſe in cauſa ſpiritali vel annexa ſpiritali,neque alicuius talis cauſæ proſecutionem impedire, aut aliquid aliorum hîc prohibitorum agere, etiam prætextu violentiæ prohibendæ: excepto ſolo caſu, *de quo in ſequenti notabili*,in hac clauſula conceſſo:nempe,quo id ita illi faciunt, vt ſimul ad informandum Summum Pontificem ſupplicent,aut ſupplicari faciant, legitiméque eaſdem ſupplicationes proſequantur coram Apoſtolica Sede. Pro qua reſponſione faciunt cap. Imperium & cap. Quoniam, diſt.10.cap. Imperator cum pluribus aliis diſt.96.cap.Eccleſia,De conſtitut. cap.Solitæ De maiorit. & obedien. & cap.Nouit,De iudiciis.

Aduerte autem dictum eſſe *in cauſa ſpiritali,vel annexa ſpiritali*: quia ſi Summus Pontifex interponeret ſe in cauſa merè temporali, poſſet Princeps ſuum ſubditum contra illum tueri,ac impedire cauſæ executionem,abſque periculo huius cenſuræ, aut cuiuſcumque alterius,iuxta illud, quod Innoc. III. *in cap. Licet* 1. *De foro competenti* Vercellenſi Epiſcopo præcipit;vt ſi quando laici in cauſa ſæculari, literas Apoſtolicas impetrent,eas appellatione poſtpoſitâ,irritas decernat. In quam ſententiam adhuc alij Canones habentur eod.tit.

Iam verò probabilitas allatæ reſponſionis patet hinc: quia ſi quod ſit quid in hac re faueat ſæculari poteſtati,eſt ius naturæ, concedens innocētis defenſionem,ſeu faciens poteſtatem vim vi repellendi:non ſolùm cùm ſibi,ſed etiam cùm alteri infertur. Id autem non fauet: quia quotieſcumque innocens ita læditur, vt poſſit viâ iuſtâ reſarcire ſuam læſionem,non poteſt ſe per vim tueri.Sic enim is,qui vſuras ſoluere iuramento promiſit,tenetur ſoluere;quia poteſt illud quod ſoluerit, repetere in iudicio. Item qui latroni per vim iurauit ſe pecuniam ei daturum, tenetur quoque dare, quia valet datum repetere in iudicio. Præterea is cui à fure aliquid rapitur,ſi non ſit periculum de fuga eiuſdem furis, & adſint teſtes quibus poſſit furtum probari, non licet manus violentas in illum iniicere; quem tamen liceret inuadere,ac etiam occidere, ſi nō eſſet probabilis ſpes,ablatum recuperandi aliter. Cùm igitur,quiſquis in cauſa ſpiritali manifeſtam vim, aut iniuſtitiam patitur, liberetur, ſi ad Sedem Apoſtolicam recurrat: ſanè ei non licet vti vi: nec item ſæculari poteſtati per vim & contra Canones in eiuſmodi cauſa ſe intromittere.

Dices ſæpe eos qui violentiam patiuntur eſſe pauperes,qui nequeunt recurſum habere ad Sedem Apoſtolicam:quíque poſtquam fuerint ſpoliati, non habent facultates ad litigandum & ſe defendendum: ideóque eſſe æquum à Principibus defendi ne ſpolientur. Reſpondetur huic malo ſufficienter prouiſum eſſe per Sedem Apoſtolicam in hac clauſula: in qua conceditur Principibus,& Magiſtratibus,vt quę per eam ſunt prohibita, faciant ſub vero prætextu ſupplicandi,vel ſupplicari faciendi Apoſtolicæ Sedi: dummodo ſupplicationes huiuſmodi coram eadem Sede legitimè proſequantur. Itaque dum Principibus Apoſtolica Sedes concedit hanc viam defendendi, ipſi videntur inexcuſabiles ſi aliâ viâ minus honeſta id facere audeant. Alias vias autem eſſe minus honeſtas patet: quia in illis poteſtas ſæcularis gerit ſe tanquam Iudicem,& Superiorem poteſtate Eccleſiaſtica in cauſa Eccleſiaſtica:in qua nō eſt ſuperior ſed inferior,iure etiam diuino, iuxta textum expreſſum in cap. Si Imperator diſtinct. 96. Viam autem hîc à Summo Pontifice propoſitā honeſtiſſimā eſſe,patet; quia inferior nullo modo poteſt decentius aduerſus ſuperiorem tueri ſe, quàm ſaluâ ipſius reuerentiâ, ſupplicando ad illum informādum. Et certè ſi ipſius ſupremæ ſæcularis poteſtatis cauſa aliqua ſpiritalis tractaretur, & ab Eccleſiaſtica poteſtate ſuprema iniuſtè condemnaretur, non deberet Princeps ſæcularis condemnatus, nec licitè poſſet aliâ via ſe tueri, quàm ſupplicando ad informandam Sedem Apoſtolicam.Ergo neque in defenſione ſuorum ſubditorum poteſt aliâ, quàm quæ propoſita eſt viâ procedere. Qua de re in ſeq. notabili fuſius.

Reliqua notanda circa propoſitam excommunicationem.

NOtandum eſt ſextò circa verba, *vel quòd ad nos, vt ipſi dicunt, informandos, ſupplicauerint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes huiuſmodi coram nobis & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur*: addita eſſe: quia Principes, & Magiſtratus hoc prætextu ſolebant ſe excuſare prout ſatis apertè indicatur per illud additum, *vt ipſi dicunt*. Talis verò prætextus maximè omnium honeſtus videtur,cùm ea ratione ſæcularis poteſtas recognoſcendo ſe inferiorem Eccleſiaſtica poteſtate,appareat non audere ſe illi opponere,ſed humiliter ſupplicare ad illam informandam ſuper iniuſtitia, vt depellatur violentia; interea tamen dum expectatur reſponſio ſupplicationi reddita, impeditur executio literarum Apoſtolicarum. Non modò verò honeſtum,ſed etiam licitum eſſe in iure naturæ huiuſmodi prætextum,hinc patet: quia licet inferiorem ſuperioris, aut æqualem alterius æqualis decreta,aut mandata ipſo inſcio prohibere, ſeu impedire executioni mandari, videatur aliquam habere mali ſpeciem: tamen ex quo id facit ſupplicando ſeu faciendo ſupplicari ad ipſum informandum (itaut in eo illi ſe quodam modo ſubdat) purgatur omnis mali ſuſpicio,ſi ſincerè agatur: quandoquidem tunc executio non tam propria quàm ſuperioris,aut ęqualis cui ſupplicatur,authoritate,impeditur; aut potius ſub ratihabitione illius cui ſupplicatur, ſuſpenditur. Quia igitur nonnumquam Pontifices, eorúmque Auditores malè informati,ſolent in ſuis literis Apoſtolicis iniuſtitiam aliquam,etiam manifeſtam partibus præcipere;prohibitioni in hac clauſula vniuerſaliter factæ Officialibus Principum, ne cauſis ſpiritalibus,vel eis annexis, authoritate propria ſe interponāt,ad remedium & defenſionē innocentium:hanc viam tenere liberum relinquitur, vt tutiorem cæteris: non tamen ita tutam, quin facilè Officiales ipſi Principum, poſſint illâ abuti; ſupplicando quidem, vel faciendo ſupplicari,ſed non proſequendo coram Sede Apoſtolica ſupplicationes porrectas: ſicque eueniat, vt prætextu ſupplicationis porrectæ impediatur executio & curſus cauſæ ſiue iuſtitiam, ſiue iniuſtitiam continentis. Ideoque vt tali abuſui obuietur, Pontifex ſenſit eum quoque prætextum eſſe excludendum: vt non valeat ad euadendam præſentem cenſuram,niſi temperetur conditione; quæ eſt, Nu. 343.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt qui supplicationes porrexerint, eas semel porrectas legitimè apud Sedem Apostolicam prosequantur:quod si non faciant in hanc censuram incurrant. Iustificatur quoque eadem temperatio, ex eo, quòd alioqui non verus, sed simulatus esset prætextus supplicationum, quia frustra & fictitiè supplicatur, si porrecta supplicatione sistitur in causa,nec ad informationem proceditur:cuius tantùm intuitu supplicatio porrigi consueuit.

*Nu.*344. Notandum est septimò, circa verba *Prætextu violentiæ prohibendæ vel aliarum prætensionum*, non solùm cùm ad prohibendam violentiam supplicatur, sed etiam cùm nulla apparet violentia (vt quando causa est dubia,nec continet apertam iniustitiam) adeoque quoties actiones in præsenti clausula expressæ, fiunt sub vero prætextu supplicandi vel faciendi supplicari Apostolicæ Sedi,ac supplicans prosequitur supplicationem suam coram eadem Sede; semper contingere excusationem ab ista censura. Id enim importat particula,*vel*,cuius munus est efficere,vt simul posita debeant seorsim accipi, prout in præcedentibus iam annotauimus.

Aduerte autem, quòd si causa tractata sit coram Auditoribus, & Commissariis Apostolicis, sufficere supplicare ipsis,corámque eis supplicationem porrectam prosequi. Nam ipsi agunt nomine Sedis & Curiæ Apostolicæ, itaut parum referre videatur, eísne an Summo Pontifici supplicationes porrigan-
*Nu.*345. tur.

Notanda sunt octauò nonnulla circa excommunicationem cap. Quoniam, De immunit. Eccles. cuius meminimus notabili secundo. Primum est, eam non limitari quoad personas, sed extendi vniuersaliter ad omnes, in quas ipsam proferri notauimus in eod. notabili secundo: neque requiri vt sint Magistratus seu Officiales Principum,&authoritatiuè agant(quemadmodum requiri diximus ad incurrendam Bullæ Cœnæ excommunicationem) sed sufficit ibi verita per quemcumque perfici, quomodocumque perficiantur.

Secundum est, causas Ecclesiasticas enumeratas in eodem cap. Quoniam, fere coincidere cum causis enumeratis in hac Bullæ Cœnæ clausulâ: numerantur enim pertinentes ad forum Ecclesiasticum ratione personarum,negotiorum,& rerum: siue pertineãt de iure,siue de antiqua consuetudine, siue etiam, *vt addit Sylu. Excommunic.nono,num.*49. de impetratione à Papa. In hac verò Bullæ Cœnæ clausula, numerantur causæ beneficiales, decimarum, spirituales, & spiritalib.annexæ. Causæ autem omnes,quæ de iure aut consuetudine antiqua, vel impetratione à Papa ad forum ecclesiasticum pertinent ratione negotiorum,personarum, ac rerum, sunt vel spirituales, vel spiritalibus annexæ. Merè temporales enim ad illud non pertinent,quatenus tales.Quod addo quia nonnumquam ad illud referuntur: nimirum quando in ordine ad bonum spirituale fidei,& morum, necessitas referri postulat: tunc enim Ecclesia ius quoddam habet in merè temporalia tanquam in ea quæ in spiritalia redundant, dum necessitas vrget illa his subseruire tanquam bona inferiora bonis superioribus. Nam vt corpus iure naturæ manciparum est obsequio animæ, sic bona temporalia bonis spiritualibus subiiciuntur, vt eis subseruire debeant dum necessitas vrget.In quo casu quia temporalis causa in spiritualem seu spirituali annexam transit: probabile videtur quòd impedientes de tali litigare in foro ecclesiastico, incurrant in excommunicationem tum propositi cap.Quoniam;tum in eam quæ imponitur per Bullæ clausulam in qua versamur.

Tertium est, ad obtinendam absolutionem ab excommunicatione memorati cap.Quoniam,non sufficere cautionem de satisfaciendo, sed requiri ipsam satisfactionem integram de iniuria, damnis, expẽsis, & interesse; quæquidem facienda est non solùm Iudici ecclesiastico,cuius cognitio impedita fuerit, vel iurisdictio vsurpata:sed etiam parti quæ turbata fuit in prosecutione sui iuris.Quare Confessarius cui talis Pœnitens occurrit, non solùm debet respicere ad hanc nostram clausulam Bullæ Cœnæ, in qua non exigitur satisfactio;sed etiam ad ipsum cap. Quoniã, in quo ea exigitur:itaut Confessarius quem contigerit habere facultatem absoluendi à tali censura, non debeat absoluere Pœnitentem eâ irretitum,nisi prius satisfecerit,ad modum antepositum, vt notat glosa ad ipsum cap.Quoniam,verbo Satisfactum.

Id quod loco cit.dedit Sylvestro occasionem mouendi difficilem quæstionem,An hæc conditio sit ita necessaria vt ea deficiente absolutio collata,nulla sit; An verò sit solùm ita requisita vt valeat quidem absolutio, grauiter tamen qui aliter absoluit, peccet agendo eo modo, quo est lege prohibitum. Atque idem Sylvester pro vtraque parte authores citat. Illi autem satisfit respontione quam Sylvester ibidem habet dicens: Pro solutione notare sufficit quando à lege fit prohibitio habenti potestatem absoluendi,ne is illa vtatur nisi stante aliqua conditione:*vt in proposito capit. Quoniam,nisi præmissa satisfactione*:etiamsi is non seruet eam conditionem, absolutio valida erit:quia potestas quam quis habet sufficientem, non amittit ex eo suam vim, quòd circa illius vsum, sit aliqua prohibitio; nisi id exprimatur: vt censetur fieri cùm dicitur, quòd si quid aliter attentetur,nullius roboris sit vel momenti.

Notandum est nonò, *quod etiam debet Confessarius* *Nu.*346. *diligenter attendere*, in cap. vnico De iis quæ vi metúsve causa fiunt in 6. latam esse excommunicationem isti,in cuius explicatione versamur,aliquatenus similem: quæ imponitur iis qui partes actrices compellunt ad consentiendum absolutioni à pœnis per literas Apostolicas inflictis: latissiméque patet, vtpote quæ fertur in omnes qui per vim aut metum extorquent absolutionem aut reuocationem excommunicationis:proceditque primò,siue vis aut metus fuerit magnus, siue paruus, vt Caiet.in verbo Excom.c.41. probat ex eo, quòd Canon ille non distinguat inter metum magnum & paruum: ideóque ad incurrendam pœnam quam imponit, & inualiditatis obtentæ absolutionis, sufficiat qualemcumque vim aut metum intulisse: dummodo inde subsecutus sit effectus absolutionis. Id quod Nauar.in Enchir. cap.27.num. 125.tenendum censet quoad forum conscientiæ; indicans contrariam sententiam, *communiter,vt ipse ait, receptam*: sequendam esse quoad forum externum, in quo præsumptioni datur locus:ac metus cum paruus fuerit, pro nullo reputatur iuxta legem Metum ff. Quod metus causa. Sicque sunt intelligendi D. Anton.3.par.tit.24.& Sylu. Excommunicatio nono,ille cap.27.in fine,& hic num.43. cùm inquiunt reuocationem excommunicationis, aut absolutionem ab ea,extortam metu vano, non inducere excommunicationem in proposito cap.vnico latam.

Procedit secundò,tam quoad eum, qui extorquet absolutionem excommunicationis latæ contra se, quam qui latæ contra alium. Parum enim refert an pro se, an pro alio illam extorqueat,cùm Canon absolutè,& sine restrictione loquatur.

Procedit tertiò siue excommunicatio cuius absolutionem quis extorquet, sit à iure siue ab homine lata;item siue iusta sit, siue iniusta (vt meritò monet glosa ad idem cap. verbo Excommunicationis:cùm non conueniat agere per vim cum Superiore; sed potius humiliter petere quod nostra interest; neque aliter,quàm Superioris munere haberi potest.

Procedit quartò, ex Sylvestro *ibid.notab.*2. non solùm quoad extorsionem absolutionis ab excommunicatione,sed etiam à quacumque suspensione; siue sit ab officio,siue à beneficio,siue ab vtroque,siue ab ingressu Ecclesiæ, siue ab aliquo determinato actu officij vel ordinis. Et hoc etiamsi ille qui est aliquâ censurâ innodatus non inferat ipsemet vim, aut metum:sed alter,cui tamen mandauerit:vel suo nomine factum ab eo,ratum habuerit: tunc enim vtrumque in eam excommunicationem incurrere: tam scilicet eum qui per vim extorsit absolutionem, quàm eum qui est absolutus, idem Sylvest. annotat, per cap. Sciant, De electione in 6. & cap. Cùm quis, De sententia excommunicationis eodem lib. Atque vt D. Anton.loco cit. addit; neuter illorum ab illa excusatur,quantumcumque postea Iudex sua sponte eatam habeat absolutionem per vim, aut metum ab ipso præstitam.Cùm igitur absolutionem sic extorquens, noua excommunicatione statim ligetur;neque absolutio extorta per vim sit valida: fit vt ipse sit iterum absoluendus;tam ab illa priore excommunicatione, quâ iam erat ligatus; quam ab ista posteriore quam incurrit extorquendo vi,aut metu absolutionem.

Non habet verò locum eadem excommunicatio, *vt ad idipsum cap. vnicum verbo,Extorserunt, glosa notat*, quando metus incussus quidem fuerit, aut vis illata: sed Iudex non ideo absoluit ab excommunicatione. Nec etiam,*vt habet Caiet.loco cit.* quando metus est innatus, non autem illatus ab alio. Si enim Prælatus meticulosus, nullo alio metum incutiente,sed ex naturali timiditate absolueret; absolutio valida esset, nec absolutus in censuram de qua agimus incurreret.Nec demum si absolutio metu extorta sit tantum ab excommunicatione minore,vt docet Sylvester *in seq. notab.*3. argumento cap. Si quem, De senten.excommunicationis.

SVMMARIVM.

348 *Causæ ob quas,& personæ in quas imponitur decimaquinta excommunicatio in Bulla Cœnæ.*
349 *Eadem excommunicatio habetur ex iure antiquo.*
350 *Non tantum laici,sed etiam Ecclesiastici possunt eam incurrere,& quomodo.*
351 *Casus in quibus Ecclesiastici trahi possunt ad tribunalia Iudicum secularium*
352 *Tres casus in quibus cessat reconuentio Clerici coram seculari Iudice.*
353 *Qui in hac Bullæ clausula intelligantur nomine personarum Ecclesiasticarum.*
354 *Personæ quæ quamuis non gaudeant priuilegio Canonis,gaudent tamen priuilegio fori.*
355 *Non est probabile tales protegi hac censura.*
356 *Quando incurratur hæc excommunicatio Clerico sponte subiiciente se Iudici laico.*
357 *Quæ dicatur libertas Ecclesiastica, & quomodo ea per laicorum statuta tollatur,aut lædatur.*
358 *Quid censendum sit contra libertatem Ecclesiasticam esse.*
359 *Quod statutum censendum sit contra Ecclesiasticam libertatem factum.*
360 *Explicatio dubij de statuto quo cauetur, ne expensæ in exequiis mortuorum excedant certam summam. An ipsum sit contra libertatem Ecclesiasticam.*
361 *Quædam spectantia ad excusationem ab hac excommunicatione.*
362 *Quatenus excommunicationi subiiciantur facientes statuta contra libertatem Ecclesiasticam,aut non delentes talia de suis capitularibus.*
363 *Qui scriptores talium statutorum in excommunicationem incurrant.*
364 *Quatenus excommunicationi subiiciantur Potestates, Consules,Rectores,& Consiliarij locorum, in quibus statuta aut consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam seruantur.*

CAPVT XXIII.

De decimaquinta excommunicatione in Iudices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt aut libertatem Ecclesiasticorum tollunt,vel in aliquo lædunt,lata his verbis.

15. Quique ex eorum prætenso officio vel ad instantiam partis,aut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas,capitula, conuentus, collegia Ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum tribunal,audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum præter iuris Canonici dispositionem trahunt vel trahi faciunt: vel procurant directè, vel indirectè, quouis quæsito colore: necnon qui statuta, ordinationes,constitutiones,pragmaticas seu quouis alia decreta in genere, vel in specie ex quauis causa, & quouis quæsito colore,ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis aut priuilegij:vel aliàs quomodo libet fecerint,ordinauerint,& publicauerint, vel factis & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur,seu in aliquo lædatur, vel deprimatur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu nostris & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè: tacitè vel expressè præiudicatur.

STIVS excommunicationis materia constituitur triplex sacrilegium: primum est, illud quo Ecclesiastica libertas offenditur in Ecclesiasticis personis,capitulis,conuentibus, & collegiis Ecclesiarum quarumcumque. Secundum verò,quo eadem libertas offenditur, per statuta & quæuis alia decreta, & consuetudines quibus ea ipsa libertas tollitur, vel in aliquo lædtur. Tertium,quo Romani Pontificis & Apostolicæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum iuribus præiudicatur. Personæ verò quæ in prima materia peccantes, in hanc excommunicationem incurrunt sunt; qui ex prætenso officio suo, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, directè, aut indirectè trahunt, item qui directè, aut indirectè trahi faciunt,ac demum qui directè vel indirectè trahi procurant Ecclesiasticas personas aut capitula,vel conuentus aut collegia quarumcumque Ecclesiarum,coram se ad suum tribunal, vel audientiam,vel cancellariam,vel consilium, vel parlamentum, præter iuris Canonici dispositionem, quouis quæsito colore.Personæ verò quæ in secunda & tertia materia peccantes incurrunt in eamdem censuram:sunt primò, qui fecerint statuta, aut ordinationes,aut constitutiones, aut pragmaticas, aut quæuis in genere vel specie,quibus libertas Ecclesiastica aut tollitur, aut in aliquo lædtur, aut deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur: aut quibus Romani Pontificis vel Sedis Apostolicæ, vel quarumcumque Ecclesiarum iuribus directè,vel indirectè præiudicatur.Sunt secundò qui prædicta iam facta publicauerint. *Nu.*348.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rint. Sunt postremò, qui factis & publicatis vsi fuerint, ex quacumque causa, & quouis quæsito colore, ac prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij; aut alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, aut publicauerint aut factis, & ordinatis vsi fuerint.

Notanda tum in communi circa propositam clausulam tum specialiter circa priorem illius partem.

SECTIO PRIOR.

Nu. 349. PRo declaratione autem, notandum est primò, hanc clausulam non esse admodum antiquam in Bulla Cœnæ, vt nec præcedentem: vnde pariter ostenditur posteriorum temporum nequitia, quæ compulit posteriores Summos Pontifices ista seueritate vti in re non noua, sed antiquo iure constituta. Etenim Iudicem sæcularem (quod spectat ad primum sacrilegium ex tribus propositis) nullam habere potestatem in Clericum non modo in criminali causa, sed nec in ciuili, habetur ex iure quidem Canonico per cap. Nullus primò, 11. quæstione prima, & per cap. Sæculares, De foro competenti in 6. vbi glosa *verbo Nulla*: eius rei rationem adfert: quòd ex cap. primo, §. Cúmque lecta, distinct. 96. & ex cap. finali De rebus Ecclesiæ alinandis vel non. In disponendis rebus Ecclesiæ, obsequendi necessitas sit laicis, non imperandi authoritas. Ex iure ciuili verò, idem habetur per authenticam Statuimus Cod. De Episcopis, & Clericis: vbi adduntur tres pœnæ, 1. vt actor cadat causa, 2. vt indicatum non teneat, 3. vt Iudex ex tunc iudicandi officio priuetur. Talitérque concessa est Clericis huiusmodi exemptio à foro sæculari: vt illi nequeant ei renuntiare ex cap. Si diligenti De foro compet. nisi cùm quis eorum prorsus renunciauerit clericatui, aut perdiderit Clerici priuilegia: vt fit in casibus qui postea proponentur. Item ratione statutorum, quibus Ecclesiastica libertas offenditur (quod pertinet ad duo reliqua sacrilegia ante memorata) in ca. Nouerit De sent. excom. excõmunicantur, *sine reseruatione tamen*, eædem personæ quæ in hac Bullæ clausula: adeout Nauarr. *in Enchir. cap. 27. num. 120. vers. 11.* putet illic latam excommunicationem hîc reseruari: quod tamen verum non est simpliciter; cùm in illo cap. excommunicentur expresè quatuor genera personarum, quarum nullius mentio fit in hac Bullæ clausula. Excommunicantur enim scriptores talium statutorum. Deinde illi qui ea, quæ iudicata fuerint secundùm illa ipsa statuta, scribunt in publicam formam. Præterea Consules, Potestates, Gubernatores, seu Rectores, & Consiliarij quorumlibet locorum, in quibus statuta huiusmodi edita fuerint, vel obseruata. Postremò illi qui talia statuta non fecerint deleri de suis libellis: quorumquidem vel nulla prorsus fit mentio in præsenti clausula, vel certè non sit eodem modo, vt patet ex consideratione verborum.

Nu. 350. Notandum est secundò ex Caiet. *in verbo Excommunicatio* cap. 29. quòd licet clausula ista appareat Bullæ addita contra dominos sæculares, qui seipsos constituunt Iudices Ecclesiasticarum personarum, &c. secundùm veritatem tamen ligare etiam Ecclesiasticos, qui alia quam Ecclesiastica, hoc est, laica authoritate contra iuris communis dispositionem præsumunt se constituere Iudices prædictarum personarum: dum à laicis huiusmodi causæ ipsis deferuntur. Nonnunquam enim Principes laici non audentes ad se, vel ad alios sæculares trahere personas Ecclesiasticas, constituunt aliquem Ecclesiasticum, qui ipsorum authoritate & nomine, easdem Ecclesiasticas personas trahant ad suum tribunal. Quam suam sententiam Caiet. ex eo probat; quòd in hac clausula non fiat discretio inter laicos, & Clericos: sed absolutè dicatur. *Quive ex eorum officio, &c.* Nec quidquam in ea addatur, per quod censenda sit ad laicos restringi; sed absolutè sermo est de omnibus.

Notandum est tertiò, circa verba, *Præter iuris Canonici dispositionem*: iuris Canonici dispositione licitum esse Iudici laico cognoscere de causis Ecclesiasticorum, illósue ad suum tribunal trahere in tribus casibus, *quos ex 2. glosa summaria ad initium causæ 11. refert D. Anton. 3. part. tit. 9. cap. 2. §. 3.* Primus est in causa feudi: nam iuxta cap. Ex transmissa, & cap. Verum, De foro compet enti, ea terminari debet per dominum immediatum feudi. Secundus est, quando persona Ecclesiastica est incorrigibilis, quę casum glosa memorata colligit ex cap. Nec licuit distinct. 17. Cui addi potest cap. De liguribus 23. quæst. 5. Dicitur verò incorrigibilis, vt Syluester habet in verbo incorrigibilis, qui postquam penitus est condemnatus, iterum fertur ad idem crimen: vt in casu cap. Vt famæ De sentent. excommunicationis, vbi incorrigibiles Clerici censentur, qui de crimine condemnati, cùm non valeant in monasterio custodiri, ad similia vel peiora dilabuntur. Itaque, vt idem ait, quamuis quis de crimine non faciat pœnitentiam, incorrigibilis tamen non censetur nisi reuertatur ad delictum simile, vel peius. Immò, nisi recuset facere sui præsentiam, vt Iudex possit ipsum apprehendere. Quando enim ita sui præsentiam facit, vt Iudex possit eum apprehendere, non est incorrigibilis: cùm Ecclesia adhuc habeat quod vltra faciat. Istud enim à proposita incorrigibilitate excusare, colligitur ex cap. Cùm non ab homine De iudiciis sub finem, dum dicitur, Cum Ecclesia vltrà non habeat quid faciat, &c. *Nu.* 351.

Tertius casus est in causa reconuentionis ciuilis, iuxta cap. 1. §. Cuius in agendo. 3. quæst. 8. & ca. Prudentiam, de mutuis petitionibus; ex quibus cum habeatur ratione reconuentionis, eum posse Iudicem esse, qui aliàs non poterat: fit vt Clericus agens contra laicum coram Iudice sæculari, possit coram eodem reconueniri. Addit verò aliis citatis à Graphiis *lib. 4. decis. aurearum cap. 18. num. 114.* quòd etsi Clericus possit reconueniri coram Iudice laico, non possit tamen facta condemnatione, ab eodem Iudice cogi ad soluendum, quia cogere est Superioris.

Notat autem glosa *ad citatum cap. 1. verbo Iudicem*: reconuentionem cessare in tribus casibus. *Nu.* 352.

Primò enim cessat, quando Clericus passus est violentiam à laico: tunc enim si Clericus contra laicum agat apud Iudices sæculares, non potest apud eosdem reconueniri; vt in casu cap. Relatum §. *Ad hoc De iure patronatus*: vbi laici Ecclesias per vim possessionibus spoliarant, vt sic cogerent Clericos ad litigandum coram Iudice sæculari: hac fortè intentione, vt illos ipsi reconuenirent coram iisdem Iudicibus: prout ibidem verbo, *coram sæculari*, notat glosa. Addens non posse fieri huiusmodi reconuentionem iuxta legem 2. §. Sed si agant, ff. De iudiciis.

Secundò cessat reconuentio in criminibus, ex cap. Prius, tertia, quæst. 11. Tertiò cessat in possessione repetenda, iuxta cap. Ex conquestione, De restitutione spoliatorum, & ex cap. 1. De ordine cognitionum. Hócque est, quod memorata glosa ad cap. Relatum, antedictis subiungit; quæstionem de spoliatione, ita priuilegiatam esse, vt illam intentans reconueniri non possit, nisi in casu de alia spoliatione; quod probat ex ca. Super spoliatione De ordine cognitionum, &

& ex cap. Significauerunt De iudiciis. Qui casus notandi sunt ad intelligendum quando Iudex laicus sub prætextu reconuentionis trahens Clericum ad suum tribunal, incidat in censuram huius clausulæ; tanquam ille qui id faciat præter iuris canonici dispositionem. Sunt adhuc alij casus, in quibus Clerici possunt trahi ad tribunal Laicorum, de quibus dicemus in seq. cap. 26. Tantùm hîc monendum est primò, Regulam generalem esse (pro qua Canones & leges citat glosa *ad cap. Si Clericus, verbo Actor, De foro competenti*) quòd actor sequatur forum Rei; & ideo in causa ciuili (in spirituali non potest laicus esse Iudex ex cap. 2. De iudiciis) Clericus aduersus laicum agere debeat coram Iudice sæculari: nisi quod per cap. Cùm sit generale De foro competenti, permittatur ei ob frequentem sæcularium remissionem in reddenda Ecclesiasticis iustitia, in vtro voluerit foro, laicum conuenire.

Monendum est secundò, quòd quando collegium, hoc est, multitudo hominum iudicat: & maior aut æqualis pars illorum, est Ecclesiasticorum, possint tunc laici cum Ecclesiasticis iudicare Clericũ: quia censetur collegium Ecclesiasticum: vt cum Panorm. Syluester in verbo Collegium in principio, docet ex eo, quòd magis dignum trahat ad se minus dignum *ex glosa ad cap. Quod in dubiis De consecratione Ecclesiæ, in verbo Consecratio.*

Monẽdum est postremò, Clericũ ratione, hæreditatis quam accipit à laico, subiici foro sæculari quoad duo. Vnum est, quòd testamentum in quo laicus constituit Clericum hæredem, aperiendum sit & declarandum, ac publicandum coram Iudice sæculari. Alterum est, quòd omnes lites quæ incœptæ fuerint viuente laico defuncto, ipse Clericus hæres coram eodem sæculari Iudice prosequi debeat. Aliæ autem lites circa bona vel actiones defuncti, venire debent ad Iudicem Ecclesiasticum: de quibus latè Couar. in lib. practicarum quæst. cap. 8.

Nu. 353. Notandum est quartò, nomine personarum Ecclesiasticarum hoc loco intelligi omnes initiatos ordine Clericali: puta Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos, Acolytos, Exorcistas, Lectores, Ostiarios atque habentes primam tonsuram, iuxta cap. Nullus Iudicum, De foro competenti. Quod cum restrictione debet accipi ex Conc. Trident. sess. 23. cap. 6. De reform. cùm dicitur: Is etiam (de primâ tonsura aut etiam minoribus ordinibus initiato loquitur) fori priuilegio non gaudeat: nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalé habitum & tõsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat: vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel vniuersitate de licentia Episcopi, quali in via ad maiores ordines suscipiendos, versetur. Secundò omnes alios qui gaudent priuilegio Canonis Si quis suadente diabolo 17. quæst. 4. nempe Monachos, & quoslibet Religiosos professos religionis approbatæ ab Apostolica Sede, ex cap. Monachi. cap. Non dubium & cap. Cùm illorum De sententia excommunic. Item omnes conuersos cuiusuis religionis cum approbatæ, iuxta cit. cap. Non dubium & cap. Ex tenore, eodem titulo: ac etiam cuiusuis religionis approbatæ Nouitios ex cap. Religioso De sentent. excommun. in 6. Adde pari ratione mulieres de quibus in cap. De monial. De senten. excom. Nempe quamlibet Religiosam professam religionis item approbatæ, ac eiusdem religionis Conuersas, & Nouitias. De fratribus autem & sororibus tertij ordinis Sancti Francisci, & S. Dominici, dubitatio est, quam Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 79. distinctione explicat: inquiens priuilegiatos esse illos tertij ordinis fratres, qui gestant habitum religionis, & viuunt gregatim in monasteriis; non item eos qui seorsim viuunt in suis domibus. De equitibus Melitensibus nihil est dubitandum propter cap. Canonica De sentent. excommunic. Neque videri de eremita dubitandum Felinus ad cap. 2. De foro competenti num. 5. adfert pro argumento, quòd ordo eremiticus inter sanctos ordines cum Monachis nominetur in litaniis. Syluester autem in verbo Eremita num. 2. & Nauar. loco cit. id restringunt ad eos eremitas, qui subsunt alicui Superiori Religioso, aut saltem gaudenti priuilegio Canonis Si quis suadente diabolo: quales sunt Eremitæ illi de quibus fit mentio in cap. Vnico De excessibus Prælatorum in 6. & in cap. Priuilegium De verbor. signific. eod. lib.

Notandum est quintò, plures esse alias personas, quæ quamuis non gaudeant priuilegio Canonis: gaudent tamen priuilegio fori, id est, exemptæ sunt à foro laicorum. De quibus personis dubitari potest, an huius quoque Bullæ censura protegantur. Eæ autem sunt primò illæ quæ dicuntur minores Ecclesiæ in cap. 2. De foro compet. Quo nomine ex Panorm. ibidem num. 5. intelligendi sunt perpetuò deputati, & adscripti Ecclesiæ seruitio (qui in cap. Per exemptionem De priuilegiis in 6. vocantur perpetuò oblati) vnde ipse infert seruientes Ecclesiæ, etiamsi incedant habitu, & tonsura Clericali, viuántque inter Clericos, & intersint celebrationi diuinorum officiorum, non gaudere priuilegio fori, & immunitatis personæ Ecclesiasticæ: nisi sint perpetuò, & efficaciter oblati ipsi Ecclesiæ; argumento Clementinæ 1. De decimis in fine. Hic igitur, *præter personas in prædicti notabili memoratas*, in numero eorũ qui eximuntur à foro sæculari, ponuntur primò illi qui perpetuò & efficaciter sunt oblati Ecclesiæ ad eius obsequium. Secundò, ponuntur illi qui sunt de familia Clericorum. Vbi aduerte, iuxta glosam quidem ad cap. Clericum 11. quæst. 1. id esse intelligendum indistinctè, hoc est, non tantùm de Clericorum mancipiis (iuxta ca. Indicatum dist. 89.) qui sunt serui, obsequiis illorum addicti in perpetuum: sed etiam de famulis qui ad tempus pretio conducuntur. Sed post Archidiaconum Panormitanus loco citato num. 6. & post vtrumque Felinus loco item citato num. 1. tenent priuilegium fori non habere locum in famulis posterioris generis: quia à nullo iure constitutum inuenitur. Leges enim 1, & 2. Cod. De Episcopis & Clericis, quæ pro ea re citantur, loquuntur de mancipiis, vt notat idem Felinus. Qui in seq. num. 2. mocnet conclusionem istam generalem tenendam esse, vt priuilegiatus vti non posset priuilegio suo, nisi familia ipsius includeretur, ea tunc includitur. Postremò illi qui de familia, seu famuli sunt Ecclesiæ, *iuxta cap. fin. §. Petiit De officio Archidiac.*, Doctores communiter ibidem tenere notat Panorm. in cit. num. 6. Aduerte verò ex Felino ad cap. Insinuante, De officio delegati num. 7. eum tantum domesticum censeri de familia: qui pro maiori parte cohabitat: aut qui consanguineus est, etiamsi non cohabitet. In dubio autem eum qui est alicui domesticus, præsumi de eius familia. *Nu.* 354.

Ponuntur quartò rustici Ecclesiæ, in tribus casibus relatis ab ipso Panormit. in eodem num. 6. Primus est, quando Ecclesia habet super ea re priuilegium ab Imperatore. Secundus est, quando rustici ipsi generalem administrationem habent, vt in Ecclesiastico foro conueniantur ratione administrationis. Tertius, quando conueniuntur super re quam ab Ecclesia tenent. Quos duos posteriores casus deducit ex cap. Si Clericus laicum, De foro competenti. Ponuntur quintò, vxores Clericorum: quia generaliter

Universidad de Deusto
Biblioteca

neraliter vxor debet sortiri forum mariti, iuxta verba illa Imperatoris in lege vltima Cod. De incolis. Mulieres honore maritorum erigimus,& genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus. Quod plenius loco citato tractans Panormitanus;in sequenti num.7. illud intelligit,tum de vxore Clerici initiati minore ordine, & incedentis in habitu & tonsura Clericali:tum de vxore Sacerdotis,etiam Latini ; quando de consensu vxoris maritus separatur, prout iura permittunt; & ad sacros ordines promouetur:maximè si illa continentiam voueat:quia talis adhuc est vera vxor,manente scilicet vinculo matrimonij,quod est indissolubile ; neque consentaneum est,vt iure quo gaudent mulieres suis viris cohabitantes, priuentur illæ quæ non cohabitant ex pia &
Nu.355. laudabili causa,vt eæ de quibus agimus.

De his igitur quinque generibus personarum quę dicuntur gaudere priuilegio fori dubium mouetur, An protegantur per excommunicationem latam in hac Bullæ clausula, itaut Iudices laici nequeant coram se ad suum tribunal eas trahere,quin in illam incurrant.Respondendum videtur quantumuis omnes tales personæ ampliato vocabulo possint quadam ratione dici Ecclesiasticæ;nimirum quia sunt aliquid Ecclesiæ:probabilius tamen esse,in hoc loco nomen Ecclesiasticæ personæ strictiùs sumi:nempe propriè, & prout solùm continet personas in præced. notabili memoratas:quandoquidem eæ,quæ in hoc numerantur,non tam sunt Ecclesiasticæ personæ ; quàm aliquid Ecclesiasticarum personarum; vt vxor Clerici,est aliquid ipsius Clerici:familia Episcopi, est aliquid ipsius Episcopi, & sic de cæteris. Ideóque non videntur contineri protectione huius clausulæ , in qua eximuntur tantùm Ecclesiasticæ personæ:non autem eæ quæ sunt aliquid Ecclesiasticarum perso-
Nu.356. narum.

Notandum est sextò , de priuilegio fori quo Clerici gaudent,apertas definitiones (quas Concil. Trid.innouat sess.25.cap. 20. de reform.) haberi 11. quæst. 1. & alibi in iure canonico , De iudiciis cap. At si Clerici,cap. Clerici & cap. Qualiter. Item De foro compet. cap.2.cap. Si diligenti & cap. Significasti. Cum autem indultum sit in fauorẽ totius Clericalis ordinis,ex ea. Si diligenti De foro competenti:non posse Clericum ei renunciare : ne quidem interueniente iuramento super tali renunciatione:quæ est inualida,& sic illicita,vt tale iuramentum absque peccato seruari nequeat,prout ex eodem cap. habetur. Et ratio redditur , quia id est contra legem eam quâ constitutum est;pacto priuatorum , iuri publico non derogari : de qua lege vide glosam ibidem *ad verbum Pacto priuatorum*. Quæ cùm ita sint , mouetur difficultas,An si Clericus sponte subdat se Iudici sæculari,& in iudicio ipsius siue criminali , siue ciuili velit se purgare,idem Iudex ferens sententiam , aut permittens coram se fieri huiusmodi purgationem, incidat in hanc Bullæ censuram. Cui satisfaciendum videtur dicendo, talem Iudicem duobus modis se habere posse in eo casu. Primo quidem aliquatenus cooperando vt Clericus id faciat:nempe cogendo per minas, aut inducendo suasionibus,aut per se, aut per alios idem procurando:directè vel indirectè aut quouis tandem quæsito colore:sicque sine dubio incidere in hanc censuram,vt euidenter patet ex verbis illis , *procurant directè vel indirectè, quouis quæsito colore*. Secundo verò modo;vt Iudex ipse habeat se merè negatiuè;ita nimirum vt nullo prorsus modo trahat Clericum, neque directè , neque indirectè ; sed ille vel ex pacto priuato, vel ex iuramento præstito, vel ex zelo sui honoris , putans id expedire pro sua iustificatione,se ei sponte subdit, vel corã eo se purgat:atque tunc probabile est Iudicem admittentem talem purgationem,malè quidem facere,sed non incurrere in hanc cẽsuram:quia sic nullo modo traxit, nec procurauit trahere ad suum tribunal Ecclesiasticam personam (cùm trahendi verbum importet aliquam coactionem) hæcque censura imponatur solummodo trahentibus & facientibus, aut procurantibus trahi, &c. personas Ecclesiasticas coram se ad suum tribunal,&c. ex prætenso eorum officio,vel ad instantiã partis,aut aliorum quorũcumque.]Ex quibus postremis verbis licet colligere , quòd non omnis qui procurat Ecclesiasticas personas trahi ad tribunal laicorum,incidat in hanc cẽsuram; ne quidem pars , quæ contra eas litigat , aut ipsius Procurator, sed solummodo Iudex ad cuius tribunal trahuntur, aut ipsius ministri , & officiales constituentes vnam cum ipso personam. Neque adhuc ij semper incidunt,sed solùm quando ex prętenso officio vel ad instantiam partis,ipsi trahi faciunt,vel procurant.Vnde si ad sedandas amicè lites & non ex officio, nec ad partis instantiam ad suum tribunal adducerent absque vlla coactione,non inciderent,quantum potest ex ipsis clausulæ verbis colligi. Atque hæc dicta sint circa priorem partem huius clausulæ. Circa reliquam & cap. Nouerit De sentent.excommunicationis,ex quo sumpta est,supersunt aliqua notanda.

Notanda circa posteriorem propositæ clausulæ partem & capitulum Nouerit *De senten. excommunic. ex quo sumpta est.*

Sectio Posterior.

NOtandum est igitur septimò ex Innoc.Panorm. *Nu.357.* & Felino ad ipsum cap. Nouerit,& ex Summulariis in verbo Excommunicatio,dum in eod.cap.latam excommunicationem explicãt, deinceps commemorandis : atque ex Nauarr. in Enchir. cap. 27. num.119.vers.5. Ecclesiasticam libertatem esse eam, qua tota Ecclesia gaudet:consistentem in priuilegiis spiritualibus à Deo , vel à Summo Pontifice concessis toti Ecclesiæ ; & in priuilegiis temporalibus eidem concessis ab Imperatore,quem solum posse toti Ecclesiæ priuilegia temporalia concedere Innoc. loco cit.colligit.ex cap.Cùm ad verum, distinct. 96. itaut Reges aliique Principes & domini seculares, particularibus tantùm Ecclesiis possint priuilegia concedere. Quo ita posito

Tenendum est primò, ex communi sententia , li- *Nu.358.* bertatem Ecclesiasticam tolli aut lædi statutis iis per quæ tolluntur priuilegia, quibus tota Ecclesia gaudet;siue sint concessa personis Ecclesiasticis , siue earum collegiis,aut monasteriis;siue loco sacro , vt est immunitas Ecclesiæ;siue prædiis & bonis ad Ecclesiam seu Clericos pertinentibus;siue etiam toti congregationi fidelium ; non autem quibus particularis tantùm Ecclesia gaudet : vt bene declarat Caiet. in verbo Excommunicatio,cap. 31. notab. 5. Libertas enim Ecclesiastica,est vniuersalis Ecclesię,non huius vel illius Ecclesiæ : quamuis talis quoque per istam Bullæ clausulam protegatur : vt patet ex illis verbis *Et quarumcumque Ecclesiarum.*

Tenendum est secundò, eodem pertinere statuta omnia,per quæ Clerici , Ecclesiasticæve personæ timidiores efficiuntur, aut laici audaciores ad nocendum illis;quod ex Bartholo referũt Angelus in verbo Excommunicatio 7.casu 12. Tab.eod. verbo 5.casu 20,num.2. & Sylu. eodem etiam verbo 9. num. 31. in

exemplúmque adferunt statutum quo percutiens Clericum punitur decem solidis ; percutiens autem laicum solidis viginti.

Tenendum est tertiò , cum Felino ad idem cap. Nouerit in fine,& Tabiena loco cit.generaliter contra Ecclesię libertatem esse omne illud statutum,quo personis Ecclesiasticis aliquid prohibetur , quod neque diuino neque humano iure est illis prohibitum. Ad quod facit definitio libertatis qua dicitur esse naturalis facultas faciendi quodlibet, nisi iure prohibeatur;& sumitur ex lege Libertas ff. De statu hominum. Videtur autem id extendendum esse dupliciter Primò quidem, ad statuta quibus personæ Ecclesiasticæ obligantur ad aliquid,ad quod neque diuino, neque humano iure tenentur , quod satis colligitur ex proposita libertatis definitione. Secundò verò ad statuta quibus laica ministeria , *qualia sunt molere, coquere,vendere & similia*,& prædia, aliáque bona temporalia subiiciuntur contra libertatem Ecclesiasticam alicui obligationi , cui de iure non sunt subiecta.

Cui extensioni adstipulatur , quod ait Caietanus in memorato notab.5.libertatem Ecclesiasticam importare id omne in quo Ecclesia non est subiecta aut arctata:siue illud spectet ad esse naturale , siue ad spirituale , siue ad operari , siue ad recipere,siue ad quodcumque aliud : & siue id conueniat Ecclesiæ ex dono naturali,siue ex dono gratuito, siue ex iure cõmuni,siue ex priuilegio. Adeout non sit curæ inquirere vnde Ecclesia illud habeat, dummodo tamẽ habeat vt Ecclesia est , quemadmodum ipse Caietanus restringendum censet quidem, & post ipsum Nauar. in Enchir.cap.27.num.119. ver. 7. Sed ratio videtur esse in contrarium:quia si libertas Ecclesiastica contineret tantùm ea in quibus Ecclesia libera est quatenus Ecclesia,seu congregatio fidelium:excludendo ea quibus est libera quatenus est societas hominum pertinéntque ad conuictum politicum , sequeretur seculares Magistratus in eis quæ pertinẽt ad conuictum ipsum politicũ obligare posse Clericos absque offensione libertatis Ecclesiasticæ , quandoquidem non obligarent eos vt Clericos:& ita non esset contra Ecclesiæ libertatem prohibere Clericis ne quid emant, aut vendant ; ne alterius operas conducant, ne apud aliquem faciant molere suum triticum , aut panem coquere;ne transeant per pontem , ne habitent in ciuitate; & similia. Hæc enim omnia pertinent ad politicum conuictum ; nec qui talia statuto cauerent,facerent contra libertatem Ecclesiæ. Accedit,quod videamus Ecclesiam esse liberam in multis quæ pertinent ad politicum conuictum:vt in emendo : itémque in accipiendo ex mera donatione ; & in multis aliis. Accedit quoque durius esse , ac magis odiosum Ecclesiam , & Ecclesiasticos vexari in iis quæ pertinent ad politicum conuictum: *vt in tritico molendo, panibus coquendis, & similibus* , quàm in aliis quæ pertinent ad Ecclesiam , vt Eccle-
Nu.359. sia est.

Notandum est octauò, vt statutum censeatur esse contra libertatem Ecclesiasticam, non requiri vt expressè sit contra aliquod priuilegium vniuersalis Ecclesiæ : sed sufficere , vt sit tacitè : vel ex praua intentione statuentis , vel ex praxi & vsu. Tacitè quidem , vt in casu capituli vltimi De immunit. Ecclesiarum in Sexto , vbi excommunicantur domini temporales, qui subditis suis prohibent ne Ecclesiasticis vendant , vel ab eis emant ; tritinem Ecclesiasticis vendant , vel ab eis emant ; triticum ipsorum molant ; panem coquant ; aliáue communia obsequia exhibeant : qua quidem in re libertas Ecclesiastica læditur , cùm id sit consequenter seu tacitè impedire , ne Clerici à talibus emant , vel ipsis vendant , vel apud ipsos triticum molant , vel panem coquant, aliáve huiusmodi faciant , *vt ibidem ad verbum Libertatis, glosa annotat.*

Ex praua intentione verò instituentis , vt cùm sit statutum, ne quis donet aut vendat rem immobilem alicui, nisi subeat onera cómunitatis ; etsi enim De Clericis nihil exprimatur , tamen statuentis intentio fuit, vt ad eos statutum suum extenderetur; in quo violat libertatem Ecclesiasticam , & ideo in hanc excommunicationem incurrit, ex Tabiena excommunic. 5.casu 21. Angelo eod. verbo 7. casu 26. Nauar. in Enchir.cap.27. numero 130. Vbi aduerte quod ex Caie. habet Suarez tomo 5.in 3.par.D.Thomæ,disput.21.num.91. istiusmodi intentionem non esse spectandam ex parte statuentis,sed ex parte materiæ statuti:quę si talis sit,vt per se non respiciat res Ecclesiasticas, neque harũ exemptionem diminuat, licet legislator ipse intendat aliquod detrimentum, quod per accidens possit in Ecclesiasticas personas resultare, (ideóque peccet:) non aget tamen contra clausulæ, de qua agimus , prohibitionem : *cum tale statutum ex se , non sit contra Ecclesiæ libertatem*; atque eorum quæ sunt per accidens , non habeatur ratio. E contrario autem,si statutum ipsum sit per se repugnans Ecclesiasticæ libertati , quamuis statutarius non intendat speciali intentione libertatem Ecclesiasticam imminuere , sed solùm suis commodis seruire ; nihilominus incurret in hanc excommunicationem ; quia opere ipso voluntariè agit contra prohibitionem sub ea factam.

Denique , ex praxi & vsu , statutum censetur esse contra libertatem Ecclesiasticam , si ipsum practicetur,vsurpetúrve contra Clericos & Ecclesias, scientibus statutariis,vel iis qui in locum ipsorum succedere , ac dissimulantibus : quomodo statutum laicorum vt vadens de nocte, tantum soluat ; est contra libertatem Ecclesiasticam , si in praxi extendatur ad Clericos ; quos non obligat , etiamsi statuens intenderit ipsos eo comprehendere : quia ipsi habent suum Iudicem à quo corrigantur. Quodquidem ex Ioanne Andrea Vincen. & Panorm. notant D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 18. Tab. in cit. casu 21. numero 4. & Syluester excommunicatio 9.§.50.

Atque ex hoc notabili explicatur dubium quod *Nu.360.* tractant Tab. in præced. casu 20. numero 5. Caiet. in verbo Excommunicatio cap. 31. sub finem,Nauarrus in Enchir.cap.27.num.120.de statuto quo cauetur , ne expensæ in exequiis mortuorum excedãt certam summam : super ferertrum non sit nisi talis pannus,vel nisi tot cerei; soli filij vestiantur nigro, certus Clericorum numerus vocetur ad exequias, nec eis detur vltra certam summam. Dicendum enim est primò , statutum arctans quoad partem expensarum quæ immediatè , solúmque pertinent ad Dei cultum, vel ad salutem animæ defuncti (vt quoad cereorum vel Clericorum numerum vel eleemosynas Clericis ipsis aut pauperibus faciendas) esse contra libertatem Ecclesiasticam : & inducere tum Bullæ Cœnæ, tum iuris antiqui excommunicationem contra illius violatores latam:ipsúmque esse inualidum ex Panormitano ad cap. vlt. num. 6. De rebus Ecclesiæ alienandis,vel non:quo ex loco,id satis apertè colligi potest, vt innuunt Caiet.ac Nauarrus locis citatis,in fine.

Dicendum est 2. statutum restringens quoad partem earumdem expẽsarum, solũmodo pertinentium ad mundanam pompam,& viuorum solatium(vt v.g.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd soli filij vestiantur nigro ; quòd cubicula non parentur pannis nigris,aut aliud huiusmodi)non esse contra libertatem Ecclesiasticam : vt post Panormit. loco cit. & Corsetum in suo repertorio annotat Tabiena in eodem numero quinto,quia talia sunt merà temporalia.

Dicendum est tertiò, statutum restringens, quoad prædictarum expensarum partem mixtam ; seu quæ per se quidem instituitur ad pompam , sed ex accidenti prodest animæ defuncti eo nomine , quòd inspicientes excitentur ad orandum pro ea; vel facit ad Dei cultum qui perficitur cum apparatu maiore. Dicendum inquam , considerari debere mentem statuentium, prout habet ex Rosella Sylvester Excommunicatio nono num. 31. Vel enim fecerunt statutum illud in odium Clericorum:qua ratione,etsi indirectè,per se tamen intenderunt contra libertatem Ecclesiasticam facere;ideoque statutum eiusmodi est reuera nullum,ac inducit excommunicationem,tum iuris antiqui,tum huius clausulæ secundùm antedicta.Vel statutum non alia intentione fecerunt,quàm reprimendi pompas & expensas superfluas exequiarum (quales fieri solent dum alij alios æquare , aut etiam superare volunt) eáque ratione consulendi indemnitati & bono hæredum , onerantium se supra vires ære alieno.Atque ita,statutum non videtur esse contra libertatem Ecclesiasticam (nisi forte ex accidenti) nec excommunicationem inducit , vt cum Caiet.contra Tabienam docet Nauarrus in memorato num. 120. vers.9. Quamquam consultum est rem communicare cum Prælatis Ecclesiasticis , & de eorum consensu statuere. Cæterùm quando non constat de statuentium intentione , præsertim ipsis prætendentibus se bono animo statuisse , ad frenandas pompas in bonum ciuitatis : vt iudicetur an res ita habeat,maximè conferet attendere,an tunc communiter fuerit abusus aliquis & excessus in huiusmodi exequiis.Nam si nullus præcessit communis excessus qui repressione egeret,præsumptio erit odio Ecclesiæ ac Clericorum factum esse statutum;alias non.

Nu.361. Notandum est nonò , tum à iuris antiqui , tum à Bullæ censura excusari ignorantes sua statuta esse contra libertatem Ecclesiasticam , si ignorantia sit probabilis : quod ex Innoc. habet Sylvester Excommunicatio 9. §. 32. Et probat ex eo,quòd talis ignorantia excludat contumaciam ; nec nisi in contumacem cadat excommunicatio, iuxta cap. Certum 11. quæst.3. Tunc verò eiusmodi ignorantia contingere cēsenda est ex Caiet.in verbo Excommunicatio cap. 31.notab.4.& Nauar.in Enchir.cap.27.num.119.ver. 4.cùm facientes statutum,aut illud practicantes,non solùm sincero animo procederent , intendentes in nullo lædere Ecclesiæ libertatem; sed etiam consulerent viros doctos, & statutorum examen illis committerent;ac tandem ab illis certiores fierent , nihil se contra Ecclesiæ libertatem statuere, scribere, practicare &c. Quanquam cùm primum sciuerint secus rem se habere,tenentur primo quoque tempore desistere. Adde excusari similiter eos qui incœperint quidem huiusmodi statutum , sed non perfecerint ex Felino ad memoratum cap. Nouerit num.4. quia verbum facere denotat perfectionem.

Notandum est decimò,neque in ipso cap.Nouerit ex Caiet.in eod.cap.31.notab.1.& Nauar.initio citati numeri 119.neque in Bullæ clausula excommunicari eos qui quoquo modo libertatem Ecclesiasticam violant:sed qui illam violant per statuta,faciendo ea,vel vtendo eis ; itaut illi qui talia statuta ordinant,faciunt,publicant,aut factis ordinatis & publicatis vtuntur incidant in censuram Bullæ Cœnæ, prout manifestum est ex verbis istius clausulæ. In qua aduerte mentionem fieri de iis qui publicant huiusmodi statuta ; qui non videntur contineri in cap.Nouerit,cùm ibi de iis nulla fiat mentio;nec dici possit eos contineri sub aliquo genere personarum ibidem expressarum : quæ sunt statutarij , scriptores statutorum,Potestates, Consules,Rectores,& Consiliarij locorum: sub nullo enim horum continentur ij qui publicant,vt præcones.

Aduerte præterea circa Bullæ verba , *vel aliàs quomodolibet fecerint,ordinauerint,vel publicauerint, &c.* colligi inter eos qui sunt de communitate faciente , ordinante,aut publicante , statutum contra libertatem Ecclesiasticam,incurrere in eiusdem Bullæ censuram singulares personas,quæ tanquam membra illius ad tales actiones concurrunt per sua suffragia , vel alio simili modo:quia licet persona singularis per se tales actiones non faciat totaliter, facit tamen partialiter, quod est certo modo facere & per consequens comprehendi illis verbis , *Quomodolibet fecerint, &c.* Hoc habet Suarez in sua expositione tomo 5.disputat.21. num.88.

Circa alia verba eiusdem Bullæ,*vel factis & ordinatis vsi fuerint* , aduerte item , aliud esse seruare statuta, aliud vti statutis.Nam seruare statutum est implere, id quod in statuto præcipitur:vti verò statuto , est ad aliquem vsum rum & commodum assumere ipsum statutum:v.g.agere contra aliquem ex vi statuti , repetere eleemosynam , reuocare donationem factam, & similia agere, insistendo authoritate ipsius statuti ac illud allegando,& secundùm illud iudicando.Qui ergo seruant statutum non transgrediendo illud , in hanc Bullæ censuram non incurrunt ; sed solùm qui eo vtuntur.

Aduerte quoque in eadem Bulla solùm fieri mentionem statutorum,ordinationum, constitutionum, & pragmaticarum : consuetudinis autem non fieri mentionem , nisi quatenus assumitur tanquam præextus ad facienda statuta. Vnde sequitur eos qui vtuntur aliqua consuetudine , quæ alicubi inuenitur contra Ecclesiasticam libertatem ; itemque eos qui sine statuto,constitutione , pragmatica , aut ordinatione vlla , talem consuetudinem introducunt , non incidere in hanc Bullæ censuram , etiamsi peccent mortaliter. In cap. autem Nouerit fit mentio etiam consuetudinis. Nam excommunicantur qui seruari fecerint eiusmodi consuetudines introductas : atque Rectores,Consules , & Potestates locorum vbi illæ fuerint obseruatæ.

Notandum est vndecimò circa excommunicationem quæ in eodem cap. Nouerit imponitur iis , qui de cætero seruari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesiasticam libertatem nisi illa de capitularibus suis, id est, de libris publicis in quibus scribi solent,fecerint amoueri intra duos menses. Notādum est,inquam,moueri difficultatem; num ad eam incurrendam requiratur , vt simul concurrant duo illa:scilicet facere seruari huiusmodi statuta,& consuetudines: & non facere ea amoueri de capitularibus intra duos menses: An verò sufficiat vel facere ea seruari , etiamsi de capitularibus non deleas; vel non delere,etiamsi seruari non facias.Atque Nauar.in Enchir.cap.27.num.119. putat vtrumque simul requiri. Caietanus verò in verbo Excommunicatio cap.31.significare videtur,vtrumque seorsim sufficere:quod Sylu.excomm.9. num. 31. sub initium & Tabiena excomm.5.casu 20.num.1.clarè tradunt;& de rigore iuris tenendum esse fatetur Suarez in citata disp.21.num.82.

Nu.362.

Cæterùm concesserim quidem Nauarro ad incurrendam eam excommunicationem non sufficere , vt quis statuta faciat deleri de capitularibus , si faciat obser

obseruari : quia quod in ipso cap. Nouerit statuitur de delendo,non est præceptum (sicut est in cap. Graue ,De sentēn.excommunic.) sed solùm conditio apposita rei præceptæ. Sufficere verò,vt seruari faciat, etiamsi faciat deleri de capitularibus; licet ex verbis nō cōuincatur,atque in pœnalibus benignior interpretatio sit sequenda:id tamen probabiliter rationes hæ ostendunt. Primò quòd in illo cap. Nouerit , simul ponantur duo hæc,facere seruari statuta: vel facere seruari consuetudines introductas contra libertatem Ecclesiasticam : & ob vtrumque feratur excommunicatio. Vnde intelligitur, quòd sicut ij qui consuetudines seruari faciunt eo ipso incidunt in eam censuram , nec requiritur , quòd aliquid deleatur:cùm in mera consuetudine nihil inueniatur scriptum,quod deleatur: sic etiam facientes seruare statuta contra libertatem Ecclesiasticam , eo ipso pari ratione in eamdem censuram incidere.Nec enim datur ratio cur grauiùs puniantur faciētes seruari consuetudines, quam statuta : præsertim cùm si illi deleant statuta , & ea nihilominus seruari faciant , iam non vt statuta,sed vt consuetudines seruari facerent. Secundò,non minus violatur Ecclesiastica libertas, *ad quam protegendam lata est talis excommunicatio*,si statuta seruentur deleta , quàm si non deleta. Ergo ad eamdem excommunicationem incurrendam sufficit facere seruari statuta huiusmodi, siue deleta siue non deleta. Tertiò , mens Pontificis est per eam censuram prouidere libertati Ecclesiasticæ, quæ non lædit̄ per scripturam statutorum,sed per eorum obseruationem. Ergo deletionem scripturæ intendit tantùm in ordine ad eiusdem obseruationis vsum, libertati Ecclesiasticæ perniciosum,tam deletā,quàm non deletā ipsā scriptura.

Porro ex duobus prædictis vnum,putà facere seruari prædicta statuta,inducere adhuc excommunicationem istius clausulæ patet ; quia id idem est ac statutis factis vti,de quo mentio est expressa in eadum hac clausula. Alterum verò ; nimirum , non facere amoueri ex capitularibus , seu archiuis : *quantum ex verbis ipsius clausulæ colligi potest*, non inducit Bullæ excommunicationem. Nam etiamsi excommunicatio in ea fulminetur ratione statutorum,nihil tamen dicitur de non delentibus illa. Vnde sequitur eum,qui nec fecit , nec ordinauit , nec publicauit huiusmodi statuta, nec factis,ordinatis ac publicatis vsus est (vt fortè successor eorum qui statuerunt) quamuis non faciat ea deleri , non esse excommunicatum excommunicatione reseruata in Bulla Cœnæ.

Nu.363. Notandum est duodecimò , dubium esse de scriptorib. statutorum qui exprimuntur in cap. Nouerit De sentēn.excommunicationis, vtrum comprehendantur hâc Bullæ clausula. Cui satisfieri potest distinctione.Si enim per scriptores intelligamus Cancellarios,& Vicecancellarios, qui intersunt cùm fiūt statuta(sicut intellexit Caiet. in verbo Excommunicatio cap.31.notab.3.cùm scriptores explicat dicens, vt Cancellarij & similes) non videtur dubitandum, quin contineantur;quia cùm cooperentur efficaciter in faciendo statuto;censentur, & ipsi simul cum aliis facere statutum. Adde quod in eadē hac Bullæ clausula,verbum *ordinare* , accipi possit pro eo quod est in certum ordinem , certámve formam reducere ipsum statutum,quod communiter solent Cancellarij, & similes qui constituuntur à Principe vel communitate ad facienda aliqua statuta, pro bono communi:de quibus in cap. Grauem De senten. excommunicationis habetur exemplum. Si verò per scriptores intelligamus eos qui in libello publico seu publica forma statutū describunt dictante Cancellario,etsi improbabile non est quòd contineantur cap. Nouerit;certum est tamen nullo modo comprehendi in hac Bullæ clausula : in qua solùm exprimuntur qui fecerint,ordinauerint,&publicauerint:nam scribere non est facere,aut ordinare, vel publicare. Aduerte autem scribentem tantùm in priuatam formam , ne quidem censuram capituli Nouerit incurrere ex D.Anton.3.part.tit 24.cap.17.sub finem.

Nu.364. Notandum est decimotertiò ex Caiet.in cod. notab.3. illud quod in illo cap.Nouerit,cum statutariis, & statutorum scriptoribus excommunicantur Potestates,Consules,Rectores, & Consiliarij locorum in quibus statuta , & consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam editæ fuerint vel seruatæ : non esse tam durè interpretandum,ac verba sonant:quasi omnes prædictæ personæ , hoc ipso quòd sunt Potestates,Rectores,Consules,aut Consiliarij locorum vbi statuta huiusmodi edita sunt,vel seruata , excommunicati sint:sed solùm si participes sint delicti,id est, si aliquid operentur ad editionem , vel obseruationem statutorum , aut consuetudinum contra libertatem Ecclesiasticam. Notat verò Sylu. excommunicatio nono , num. 32. de iisdem Potestatibus,Consulibus, & Rectoribus , eos non ligari , si huiusmodi statuta ignorent.Postea quam autem de illis certificati sunt, ligari si non curent quantùm in ipsis est , facere non seruari vel de suis capitularibus deleri intra tempus breue arbitrio boni viri: quòd si non possunt tollere nec efficere vt tollantur , aut non seruentur , locum esse excusationi.

Quod verò attinet ad nostram Bullæ excōmunicationē,prædictæ personæ in eam incurrunt cùm faciūt seruari statuta cōtra libertatem Ecclesiasticam. Id enim est vti illis;pro quo vsu,eiusmodi excōmunicatio imponitur : non autem si solummodo faciant seruari consuetudines , de quibus in ipsa Bulla Cœnæ non fit mentio.

Quod si tantummodo non impediant talium statutorum obseruationem,dubium est,An in eamdem Bullæ censuram incurrant , cùm negatiuè solùm habeant se:nimirum non prohibendo: neque in eadem Bulla præcipiatur vt talis prohibitio fiat. Ad illud autem Suarex affirmatiuè respondet ad 3. part. D.Thomæ tomo 5.disput. 21. num. 85. pro Nauarro contra Caiet.Sed videtur distinctione vtendum. Nam si tales habeant potestatem abrogandi eiusmodi statuta, & prohibendi eorum obseruationem , videntur ex officio ad id teneri : & consequenter si non faciant, videntur suo quodam modo illis vti:sicque probabile est inde incurrere huius clausulæ excommunicationem,per illa verba *Vel factis vsi fuerint*.Sin potestatem non habeant tollendi statuta ipsa vel non impediendi eorum vsum:neque in Bullæ Cœnæ,neque in iuris antiqui censuram incurrunt , nisi secundùm ea iuris antiqui censuram incurrunt , nisi secundùm ea iudicent: quod esset illis vti , quódque expressè prohibetur sub excommunicatione in memorato cap. Nouerit. Vbi cùm vsurpetur verbum *Præsumpserit*, consequens est ab eadem excommunicatione excusari illum qui ex ignorantia & simplicitate,vel bona fide sic iudicauerit.

CAPVT XXIV.

De decimasexta excommunicatione in impedientes vsum iurisdictionis Ecclesiasticæ , & recurrentes ad forum seculare,lata his verbis.

16. Necnon qui Archiepiscopos,Episcopos,alióſque superiores , & inferiores Prælatos , & omnes alios quoscumque Iudices Ecclesiasticos ordinarios,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quomodolibet hac de causa directè vel indirectè carcerando vel molestando eorum Agentes, Procuratores, familiares, necnon consanguineos & affines, impediunt quominus sua iurisdictione Ecclesiastica, contra quoscumque vtantur, secundùm quod Canones, & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorũ generalium, & præsertim Tridentini, statuunt: ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias & decreta, aut alias fori Ecclesiastici iudicium eludentes ad Cancellarias, aut alias curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones & mandata etiam pœnalia Ordinariis, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant: eos quoque, qui hęc decernunt, & exequuntur seu dant auxilium, consilium, patrocinium & fauorem in eisdem.

SVMMARIVM.

365 *Actiones ob quas & personæ in quas fertur decimasexta excommunicatio Bullæ.*
366 *Explicatio dubij An ea incurratur impediẽdo vsum iurisdictionis delegatæ.*
367 *Causa merè Ecclesiastica quas impediendo incurritur talis excommunicatio, cum regulis distinguendi eas ab illis quæ sunt mixti fori.*
368 *Multitudo ac varietas priuilegiorum Clericalis status.*
369 *Quædam notanda de actionibus ob quas proposita excommunicatio fertur.*
370 *De excommunicatione quæ fertur in cap. Quicumque De sententia excommunicationis in Sexto nonnulla notanda.*

Nu.365. MATERIA huius excommunicationis est sacrilegium quo libertas Ecclesiastica offenditur quoad vsum iurisdictionis, quam Prælati Ecclesiæ habent in suos subditos; & committitur septem actionibus, quarum tres sunt principales, & quatuor accessoriæ. Prima principalis est, quomodolibet Prælatos vel Ecclesiasticos Iudices ordinarios impedire siue directè, siue etiam indirectè, quominus vtantur iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque, prout Canones & constitutiones Ecclesiasticæ ac decreta Conciliorum generalium, præsertim Tridentini, statuunt. Secunda est, recurrere ad Cancellarias, & alias Curias sæculares post sententias, & decreta eorumdem Ordinariorum, aut alias fori Ecclesiastici iudicium eludere, & procurare à dictis Curiis sæcularibus, decerni & exequi prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, contra prædictos Ordinarios, vel ab ipsis delegatos. Tertia est, decernere vel exequi prædicta mandata, & prohibitiones. Prima autem actio accessoria, est dare auxilium: secunda, dare consilium: tertia, dare patrocinium: & quarta dare fauorem in prędictis actionibus. In cuiusquidem materiæ tractatione, nisi valde circumspectè procedatur, plus periculi tractanti, quàm vtilitatis aliis, inesse potest. Qua de causa contentus ero nonnulla annotare pro quadam generali Confessarij instructione; maximè cùm in particularibus istius generis difficilis, vnicum pro conscientiæ foro remedium esse videatur, vt ad Summum Pontificem recurratur; cuius est ea componere & de eis respondere. Tales remedij admonemur in Deuteronomio cap. 17. vers. 8. cum dicitur: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c.

Nu.366. Primum notandum autem est, circa excommunicationem quæ ob primam actionem principalem imponitur, dubium esse an incurratur impediendo vsum iurisdictionis delegatæ. Ad quod videtur distinctione respondendum. Nam quædam est iurisdictio delegata personæ, & ad tempus: vt cùm lis discutienda & determinanda committitur ab Ordinario alicui viro idoneo. Quædam verò est delegata dignitati & in perpetuum: vt ea quæ à Concil. Tridentino sess. 6. cap. 3. de reformat. committitur Episcopis tanquam à Sede Apostolica delegatis, ad corrigendum & castigandum Religiosos exemptos peccantes extra monasterium; & sess. 14. cap. 4. de reformat. quoscumque Clericos sæculares exemptos, qui aliàs essent sub illorum iurisdictione: excessus, crimina, & delicta aliqua committentes, quando, & quoties opus fuerit ipsos corrigi ac castigari. Cùm ergo hæc ita sint non videtur excommunicatio hæc incurri impediẽdo vsum iurisdictionis delegatæ priore modo: quia expressè imponitur tantùm impedientibus vsum iurisdictionis ordinariæ: sique Papa eam extendere voluisset ad impedientes vsum illius iurisdictionis delegatæ, id expressisset, sicut fecit in materia sequentis excommunicationis. Impediendo autem vsum iurisdictionis delegatæ posterioris modi, hanc excommunicationem incurri ex eo colligi videtur: quòd mens Papæ sit per eamdem excommunicationem protegere ac tueri omnem iurisdictionem Prælatis concessam à Concil. Triden. Deinde quòd iurisdictio taliter delegata, sit ita media inter ordinariam, & priore modo delegatam, vt multò magis illius quàm huius rationem induat: vtpote quæ ad instar illius, perpetua est, & dignitati annexa.

Secundum notandum verò est, iure Pontificio *Nu.367.* præter Episcopos, & superiores Prælatos; iurisdictioni Ecclesiasticæ, tanquam Magistratus inferiores, præesse Decanos, Archidiaconos, & Abbates: atque de eorumdem Episcoporum, aut superiorum Prælatorum mandato; tum Officiales, tum Vicarios generales ipsorum: quos impedire in vsu suæ iurisdictionis, sufficere ad hanc excommunicationem incurrẽdam patet: tum quia illi, vel sunt Ordinarij, vel posteriore modo delegati; tum quia talem vsum in illis impedire, idem est, ac impedire iudicia Ecclesiastica, seu iudicia in quibus tractantur causæ, quarum cognitio ad solos Ecclesiasticos Iudices pertinet: nempe causæ spirituales, vt de matrimonio, diuortio, hæresi, periurio, simonia, decimis, excommunicatione & aliis ad religionem pertinentibus: de quibus laici cognoscere non possunt, etiamsi reus contra quem agitur sit laicus ex cap. 2. De iudiciis. Item causæ spiritualibus annexæ, *vt de iure patronatus*, de quibus nec laici cognoscere possunt ex cap. 3. eodem tit. *vbi glosa id notat*: ac demum causæ Clericorum criminales ex cap. Clerici, eod. quoque tit. vbi dicitur quòd in sacris Canonibus generaliter tradatur, vt de omni crimine Clericus debeat coram Ecclesiastico Iudice conueniri.

Ad quas causas distinguendas ab illis quæ dicuntur mixti fori (sunt que crimina quędam à laicis commissa de quibus cognoscere possunt tam Ecclesiastici Iudices, quàm laici) Panormit. ad cap. Cùm sit *De foro compet. in fine*, tradit has regulas.

Prima est: Iudex sæcularis potest omne delictum laicorum punire, nisi ipsum reperiretur esse merè Ecclesiasticum: aut tale de quo maximum periculum esset laicos iudicare; vt cùm dubitatur de ratione peccati, num sit vsura, vel hæresis, vel aliud crimẽ. Cuius regulæ rationem hanc ille addit: quòd Imperator, ad hoc receperit gladium, vt puniret delicta, iuuaretque Ecclesiam in exequenda punitione 23. quæst. 5. cap. Principes, cap. Administratores, cap. Sunt quędam, & cap. Rex debet.

Secunda regula est: quòd Ecclesia possit cognoscere de criminibus laicorum quæ habent originalem

lem prohibitionem à Canonibus, non à legibus; aut pro quibus pœna laicis etiam est à Canonibus imposita; vt in cap. Contra idolorum cultores 26. quæst. quinta, pro idololatria & sacrilegio: in quibus, & in aliis animam tantùm concernentibus, ius ciuile sequitur sacrorum Canonum dispositionem.

Tertia regula est, quòd Iudex ecclesiasticus possit ratione peccati indirectè cognoscere de omni crimine laici. Probatur ex cap. Nouit De iudiciis §. Cùm enim, vbi statuitur ad iurisdictionem Ecclesiasticam spectare quemlibet Christianum, de quocumque mortali crimine corrigere: sique correptionem contempserit coercere per districtionem Ecclesiasticam, id est, per cẽsuras, seu priuationem Sacramentorum, & aliorum bonorum Ecclesiæ. Ad iurisdictionem verò sæcularem spectat coercere per pœnam corpoream aut pecuniariam: itaut vnus & idem laicus criminosus possit, & ab Ecclesiastico & à laico iudicari: atqueadeo absolutus vel punitus in foro Ecclesiastico possit iterum puniri vel absolui in foro sæculari, vel contra: quia pœna spiritalis non tollit temporalem, nec è conuerso: vt communi consensu receptum esse tradit Couar. in lib. 2. variarum resolut. cap. 10. num. 6.

Nu.368. Tertium porro notandum est, circa illa verba, *Secundum quod Canones, & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium præsertim Concil. Tridentini statuunt*: plurima esse priuilegia Clericis per sacros Canones concessa, & omnia in Concil. Trid. innouata in sess. vlt. cap. 20. De reformat. quæ paucis referre commodum est: quia quantumuis non omnia attineant ad præsentem materiam, spectant tamen ad illam præcedentium, aut sequentium excommunicationum, quibus Ecclesiastica libertas protegitur. Ea igitur ad duo genera reuocantur. Nam quædam vocantur priuilegia Canonis, quæ sunt spiritalia quædam concessa Clericis per ius Canonicum. Quædam verò vocantur priuilegia fori, quibus concessa est Clericis exemptio à potestate laica; alióque nomine vocantur, tum immunitates, tum exemptiones.

Atque priuilegia Canonis sunt primò, quòd solus Clericus possit habere beneficium, vel pensionem Ecclesiasticam; *ex cap. Cum* [illegible] *adeo, De rescriptis, & cap. Ex literis De transact. & cap. 2. De institutionibus.* Secundò, quòd solus Clericus possit habere officium Ecclesiasticum, vel iurisdictionem seu potestatem aliquid statuendi in Ecclesia; *ex cap. In noua actione, & ex cap. Non placuit 16. quæst. 7. & ex cap. Decernimus, De iudiciis.* Tertiò, quòd is qui infert iniuriam Clerico, vel derogat Clericorum immunitati, puniatur variis excommunicationibus & aliis pœnis Ecclesiasticis: quod satis patet ex dictis & dicendis, in hac Bullę explicatione.

Priuilegia autem fori sunt in triplici differentia. Quædam enim spectant ad ipsas personas Clericorum: quædam ad res ipsorum: & quædam ad iudicium forense. Atque circa personas Clericorum sunt duo præcipua; alterum quòd Clericus non teneatur ire ab bellum vt pugnet, quantumuis id vouerit, & bellum sit sacrum; *ex cap. Ex multa §. fin. De voto & voti redemptione.* Nec etiam teneatur defendere ciuitatẽ egrediendo ad pugnam contra hostes; *ex cap. penult. De homicidio, iuncta glosa, verbo Remordet.* Tenetur tamen in necessitate custodire ciuitatem & obseruare vigilias; *ex cap. 2. De immunitate Ecclesiarum*: quæ nihilominus necessitas debebit declarari per illum Clericum, qui aliis præest in eadem ciuitate *iuxta cap. Ecclesia sanctæ Mariæ*, De constitut. Alterum est, quòd Clerici sint liberi ab omnibus muneribus personalibus, hoc est, quæ requirunt laborem personalem, siue sint honesta, siue sordida, siue mixta, *de quibus dictum est in præced. cap. 16. sect.* 2. per legem secundam Cod. De Episcopis & Clericis. Neque tantùm Clerici ipsi, sed etiam familia ipsorum: nempe vxor, filij, & filiæ, atque serui perpetui, à muneribus sordidis liberantur per eamdem legem secundam, & per cap. Ecclesiarum 12. quæst. 2. Famuli autem liberi & coloni qui ad tempus seruiunt Clericis, non sunt à talibus muneribus immunes, vt notat Syluester verbo Immunitas primo quæstione 4. dicto 2.

Aduerte autem Clericos à recipienda tutela, & curatela, *quæ sunt munera mixta*, nõ solùm liberari per legem Generaliter Cod. De Episcopis, & Clericis: sed etiam prohiberi per cap. Cyprianus 21. quæst. 3. Attamen ex cap. finali dist. 86. iuncta glosa in verbo Tutelam, duo casus habentur in quibus illæ à Clerico recipi possunt. Prior est, cùm ipse fuerit agnatus pupilli; posterior verò, cùm necessitas pupilli id requirit. Quo posteriore casu, non tantùm potest (vt priore) sed etiam tenetur Clericus tutelam vel curatelam recipere *iuxta cap. 1. dist. tam* 87. *quam* 88.

Circa res Clericorum, duo sunt priuilegia; alterum quòd Clericus adhuc existens in potestate patris, possit sine consensu ipsius disponere de rebus quas acquisierit; ex Authentica Presbyteros primò Cod. De Episcopis & Clericis. Alterum est quòd Clerici immunes sint ab omnibus muneribus realibus, atque à mixtis, *ex cap. Aduersus De immunit. Ecclesiarum*, & ex lege 2. Cod. De Episcopis & Clericis; & ex Authen. Item nulla communitas, ibidem. Qua de re pluribus dicetur in sequenti cap. 25. sect. posteriore. Nec solùm Clerici ipsi sed etiam familia ipsorum gaudet hoc priuilegio ex lege 2. citata, & ex cap. Generaliter 16. quæst. 1. §. Nouarum.

Circa actiones forenses denique, tria sunt Clericorum priuilegia. Primum, quòd quatuordecim annos natus, agere possit in rebus Ecclesiasticis, & dependentibus ab illis, ac si maior esset vigintiquinque annis; sique nondum attigerit 14. annum, dummodo sit maior infante, hoc est, peruenerit ad annum 7. possit eligere curatorem. & agere, ac si maior esset 14. annis *ex cap. vlt. De iudicijs in 6.* Secundum, quòd laicus non possit ferre testimonium contra Clericum, nec illum accusare in causa criminali; nisi persequatur suam vel suorum iniuriam; *ex cap. De cætero*, De testibus, & attest. aut nisi crimen sit exceptum vt crimen hæresis, vel simoniæ, vel læsæ maiestatis; *ex glosa ad cap. Cùm P. Manconella, De accusationibus, verbo Laicus.* Tertium, quòd Iudex sæcularis nullam habeat potestatem in quòd Iudex sæcularis nullam habeat potestatem in ciuili, neque in criminali causa: Clericum, neque in ciuili, neque in criminali causa: *ex cap. 2. De foro cõpetenti in 6.* & ex Authen. Statuimus Cod. De Episcopis & Clericis. Idem dic de Iudice Ecclesiastico alieno: cui Clericus ne quidem submittere se potest, nisi de Episcopi sui licentia, ex cap. Significasti De foro compet. Verumtamen dantur aliquot casus in quibus laici possunt iudicare Clericum: de quib. in præced. cap. 23. notab. 3. iam aliquid dictum est, & in seq. cap. 26. notab. 4. plura dicentur.

Quartum notandum, est quòd licet excommuni- *Nu.369.* catio quæ fertur ob secundam principalẽ actionem initio memoratam, videatur conuenire cum excommunicationibus quæ 13. & 14. clausula feruntur: eam differre tamen, quòd in clausula 13. excommunicent recurrentes ad Curias sæculares in finem impediendi vsum, & executionem literarum seu scripturarum Apostolicarum; & in hac excommunicẽtur recurrentes ad easdem Curias in finem impediendi sententias & decreta Ordinariorum, vel delegatorũ ab ipsis, *non autem Apostolicorum*: atque eludendi illorum iudicium. Item quod in clausula 14. Excommunicentur Iudices, qui propria authoritate auocant à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudicibus Ecclesiasticis causas spirituales: séque tanquam Iudices interponunt cognitioni earum: in hac verò, excommunicentur solùm ij qui decernunt mandata & prohibitiones quibus Iudicum Ecclesiasticorum sententiæ impediantur executioni tradi.

Quintum notandum est. Actionem procurandi vel exequendi prædicta mandata, ideo à nobis postam esse inter principales, propter quas excommunicatio hæc incurritur: quia si recurrere ad curias sæculares actio est principalis, multo magis erit procurare, vel exequi mandata: cum talis procuratio, aut executio, finis sit ipsius recursus. Atque ita fit, vt eo ipso, quòd aliquis procurat vel exequitur, sit excommunicatus, quantumcumque inde non sequatur effectus impediendi. Quodquidem non erit dicendum de eo qui procuranti aut exequenti, dat auxilium, patrocinium, aut fauorem, non secuta procuratione, aut executione: quoniâ illa tantum sunt actiones, his accessoriæ.

Sextum notandum est. Ex verbis huius clausulæ colligi, quòd excommunicentur non tantum ij qui post Prælatorum sententiam recurrunt ad curias seculares: sed ij etiam qui idem faciunt quouis alio tempore causæ, ac quouis alio modo eludendo iudicii Ecclesiasticū: habet enim textus *(aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes* colligi item, quòd excommunicentur non solùm ij qui decernunt, vel decerni procurant Ecclesiasticis Iudicibus mandata pœnalia; sed etiam qui mandata non pœnalia. Etenim in textu fit in genere mentio expressa mandatorum: cui ad malitiam indicandam eorum qui in ista re peccant, particularis mentio de vna mandati specie cæteris grauiore subiungitur, dicendo *etiam pœnalia.*

Nu. 370. Postremum notandum est. Cap. Quicumque De sententia excommunic. in 6. materiam habere cum hac clausula aliquo modo communem: quæ est *(vt Caiet. attigit in verbo Excommunicatio cap.* 36.) Sacrilegiū quo libertas Ecclesiastica læditur, quoad opus tuendi per cēsuras suam iurisdictionem, aduersus Reges, Principes, & quoscumque alios. Personæ verò in quas profertur sunt 1. dans licentiam occidendi eos, qui tales sententias tulerint, aut aliquem suorum: 2. dans licentiam capiendi eosdem aut aliquem suorum: 3. dans licentiam eosdem, vel aliquem suorum grauandi, siue in sua persona, siue in suis rebus: 4. dās licentiam capiendi eos quorum occasione tales sententiæ fuerint latæ: 5. dans licentiam eosdem aut aliquem suorum capiendi: 6. dans licentiam eosdem aut aliquem suorum grauandi siue in persona siue in rebus: 7. prædicta licentia data vtens in ipsos Iudices aut eos quorum occasione tales sententiæ latæ sunt, aut in aliquem suorum: 8. motu proprio committens aliquid eorum, ad quæ committenda licentiam dari, prædiximus prohibitum esse; siue contra ipsos Iudices, siue contra eos quorum occasione tales sententias tulerint; siue contra aliquem suorum. Quæ omnia intelligenda sunt addita conditione: *nisi re adhuc integra, datam licentiam reuocarint.* Aut si res non sit integra, sed ad bonorum captionem processum sit; nisi bona ipsa fuerint infra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa. Additur in fine eiusdem cap. vt post lapsos duos menses ab incursa excommunicatione quam imponit, non possit illa innodatus absolui, nisi per Sedem Apostolicam.

Cæterùm cùm *(vt patet ex dictis)* per idipsum cap. excommunicentur, qui aliquam ex actionibus in eo prohibitis, aut faciunt, aut faciendi licentiam dant, contra ipsos Iudices excommunicatores, aut eos quorum occasione lata est excommunicatio, aut cōtra aliquem suorum: dubitari potest, Quinam intelligi debeant hoc verbo *Suorum.* Quæ dubitatio tollitur per illud, quod glosa ad idem cap. *verbo Suorum,* subintelligendum esse ait, propinquorum vel familiarium: quia omnes tales sunt sui, id est, ad ipsos pertinent. Vnde excommunicatur non solùm qui occidit, aut capit, aut grauat in persona vel in rebus Iudicem ipsum, sed etiam qui quemcumque propinquum aut familiarem ipsius, etiamsi famulus sit. Nec item excommunicantur solùm ij, qui illos quorum occasione tales sententiæ latæ sunt, similiter vexant in personis aut bonis propriis; sed etiam qui in personis aut bonis suorum. Illud enim relatiuum *Suorum,* non solùm refert ipsos Iudices, sed etiam eos quorum occasione eiusmodi sententiæ sunt latæ, ac cum vtrisque coniungitur. Adeovt neque ipsi, neque sui, possint in personis, aut in rebus grauari sine talis censuræ incursione. Adde ex eadem glosa in verbo *grauandi,* idipsum verbum intelligendum esse de quocumque grauamine: vt v.g. ne quis à supradictis, vel ab aliquo suorum emat: aut ne quis vendat eis, vel molat frumentum ipsorum, & sic de similibus.

CAPVT XXV.

De excommunicatione 17. contra vsurpantes Sedis Apostolicæ, vel quarumcumque Ecclesiarum iurisdictiones, vel fructus, aut hos sequestrantes; & de 18. contra eos qui imponunt decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis & eorum fructibus: quæ feruntur his verbis.

17. Quiue iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus ad nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione vel causa, sine Romani Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia, sequestrant.

18. Quiue collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorúmque fructibus, redditibus, & prouētibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali & expressâ licentiâ, imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus & concedentibus recipiunt; necnon qui per se vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status; etiamsi imperiali, aut regali præfulgeāt dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus; quicumque etiam regnis, prouinciis, ciuitatibus, & terris quoquo modo præsidentes, & Cōsiliarij & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris & pœnis in eis contentis.

SVMMARIVM.

371 *Actiones ob quas, & personæ in quas feruntur 17. & 18. excommunicatio.*

372. *Excommunicatio decimaseptima tam ad Ecclesiasticos quàm ad laicos Iudices extenditur: quòdque ad eam incurrendam quinque requirantur.*

373. *Tradita de eadem materia à Conc. Tridentino: & quorum facultas in illa excusęt ab excommunicatione.*

374. *Ob quam sequestrationem incurratur talis excommunicatio.*

375. *Variæ constitutiones iuris circa materiam decimæoctauæ excommunicationis contra imponentes onera personis Ecclesiasticis, &c.*

376. *Excusatio duplex ab eadem excommunicatione.*

377. *Ea incurritur quantumuis bona Clericorum circa quæ peccatur, non sint beneficiorum Ecclesiasticorum, sed propria illorum.*

378. *Alia excusatio à tali excommunicatione.*

379. *Ecclesiastici eâdem censurâ proteguntur, etiam quoad bona ipsorum patrimonialia.*

380. *Tenenda in hac re quoad bona laicorum, quæ deuenerint ad Ecclesiam.*

381. *Factum in hac materia, propter quod non incurritur quidem talis excommunicatio; peccatur tamen mortaliter, & alia excommunicatio incurritur.*

382. *Quando Ecclesiasticus pro solutione onerum ad quæ tenetur conuenire possit, aut non possit coram Iudice laico.*

Nu. 371. MATERIA excommunicationis 17. est sacrilegium quo Ecclesia offenditur in iurisdictionibus, seu fructibus, & redditibus ad Sedem Apostolicam, vel ad quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinētibus: complectitúrque duas actiones: vna est, huiusmodi iurisdictiones seu fructus, redditus, & prouentus, vsurpare seu sibi sumere contra ius: altera est, easdem iurisdictiones seu fructus sequestrare, seu vsurpandos seponere apud aliquem.

Notanda circa decimam septimam excommunicationem.

SECTIO PRIOR.

Nu. 372. NOtandum est primò, excommunicationem 17. tam ad Ecclesiasticos Iudices, quàm ad laicos, extendi: vt ex eo probatur, quòd in textu non fiat specialis mentio laicorum: sed generaliter dicatur, *Quiue iurisdictiones, &c.* quo argumento Caiet. in *verbo Excommunicatio cap.* 27. *conditione secunda*, significat similiter probari, quòd licet excommunicatio hæc feratur occasione dominorum, qui suâ potentiâ freti vsurpant, aut sequestrant prouētus prædictos; eam tamen ab aliis quoque incurri: quandoquidem clausula est generalis, nec ad dominos ipsos restricta. Vnde intelligitur, probabile esse Ecclesiasticum, qui sibi vsurparet iurisdictionem vel prouentus alterius Ecclesiastici; non minus incursurum in hanc censuram quàm laicum idem facientem; nec item minus militem aut plebeium, quàm ducem, aut alium magnatem. Neque excusabit cuiuscumque potestatis laicæ, etiam Imperatoriæ, dispositio aut concessio; cùm laicis nulla sit de spiritualibus concedendi vel disponendi facultas ex cap. Tua 1. De decimis.

Notandum est 2. *iuxta Caiet. in eod. cap.* 27. ad hanc excommunicationem incurrēdam quinque requiri.

Primum, vt illud quod vsurpatur, sit iurisdictio, seu fructus, redditus, aut prouentus Ecclesiæ. Vnde ab hac censura excluduntur vsurpantes, aut sequestrantes prouentus profanos Ecclesiasticorum, id est, *ex Nauarr. cap.* 27. *num.* 69. *versus finem*, pertinentes quidem ad Ecclesiasticos, non tamen quatenus sunt Ecclesiastici, nec ratione beneficij; vt prouentus patrimoniales.

Secundum est, vt tales res vsurpentur, vel sequestrentur, non qualitercumque, sed tanquam fructus, prouentus, aut redditus Ecclesiæ. Vnde infert Caiet. non ligari hâc censurâ fures & latrones, *quamuis peccent mortaliter & ad restitutionem teneantur*, qui res Ecclesiæ furantur & rapiunt vt quasdam res; non autem ea ratione, qua sunt fructus, & prouentus Ecclesiæ. Inferri quoque ex aduerso potest, quod Toletus innuit in expositione tertiæ partis excommunic. nonæ, ligari eum qui cùm sciat tales prouentus esse Ecclesiæ, eos sibi appropriat, id est, vsurpat tanquam pertinentes ad se, sibique debitos: vt quia data sunt Ecclesiæ à progenitoribus suis & malè administrantur diuina; aut quia in bello multas fecit expensas, nullâ acceptâ compensatione à Principe; aut alia simili de causa: quæ (atque adeo quæuis omnino occasio prætensa) excluditur expressè à Summo Pontifice in præsenti clausula.

Tertium est, vt tales prouentus pertineant ad personam Ecclesiasticam obtinentem beneficium, ex quo prouenerunt. Quod Nauarr. loco citato meritò reiicit: quia inde sequitur, non incurri hanc excommunicationem ab eo qui sibi vsurparet iurisdictiones seu fructus Ecclesiæ vacantis: quod est à ratione alienum: quia pari omnino ratione iniquum est ac sacrilegum, Ecclesiæ vacantis, ac non vacantis bona vsurpare; nec minor necessitas est protegendi Ecclesiam vacantem, quàm non vacantem. Neque obstant verba textus, *& quascumque personas Ecclesiasticas*, quia nomine personarum, possunt ob paritatem rationis significari quoque personæ fictæ: alioqui capientes bona quæ à Religiosis possidentur in communi: *& ideo ad nullam personam pertinent, vtpote communia conuentui cum Prælato*, non innodarentur hâc censura: quod nemo dixerit. Adde cum ipso Nauar. quòd fructus tempore vacationis obuenientes pertineant ad successorem; & durante vacatione ad commendatarium, vel œconomum: non quidem vt eorum dominium acquirat, sed vt ea conseruet & vero domino reddat suo tempore.

Quartum est, vt talis vsurpatio, aut sequestratio fiat sine Papæ licentia, vel aliorum habentium potestatem legitimam dandi illam. Quintum est, vt testatem legitimam dandi illam. Quintum est, vt fiat quasi authoritatiuè, id est, vt vsurpans, vel sequestrans id faciat tanquam potestatem habēs. Sed istud reiicitur per illud quod antè habitū est ex eod. Caie. non solùm hęc excommunicatio comprehendat non tanquòd tùm Magnates qui authoritate vti possunt, sed etiam alios: quia verba clausulæ qua fertur, sunt generalia.

Notandum est tertiò, de hac materia agi in particulari in Concil. Trident. sess. 22. *cap.* 11. *de reformatione, citatis in margine antiquis canonibus*; excommunicationémque ferri in omnes, siue Clericos, siue laicos quacumque dignitate, etiam imperiali, aut regali præfulgeant, qui alicuius Ecclesiæ, beneficiique cuiuscumque siue sæcularis, siue regularis, montium pietatis, aliorúmque locorum piorum iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obuentiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent: per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut laicorum: seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios vsus cō- Nu. 373.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uertere, illósque vsurpare, etiam ex donatione suppositæ personæ præsumpserit; seu impedire ne ab iis ad quos iure pertinent percipiantur. A qua excommunicatione absolui non possunt, nisi per Summum Pontificem, & facta integra restitutione acceptorum: sique ij fuerint patroni eiusdem Ecclesiæ, cuius bona vsurpauerunt, priuentur eo ipso iure patronatus; & Clericus qui tam nefandæ vsurpationis fabricator, aut consentiens fuerit, eisdem pœnis subiaceat: quibuscumque sutis beneficiis priuatus sit, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur; & à suorum ordinum executione, etiam post factam satisfactionem integram, & post absolutionem, arbitrio sui ordinarij suspendatur. Quæ diligenter sunt attendenda Confessario in tanta morum peruersitate, quantam alicubi cupiditas malorum omnium radix inuexit.

Notandum est quartò, circa verba illa, *sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia*: eos tantùm censeri facultatem huiusmodi legitimam habere, qui facultatem habent alienandi ipsas iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus Ecclesiæ; siue sint talium rerum possessores, siue Prælati quorum iurisdictioni iidem possessores subiiciantur. Vsurpatio enim; quâ auferitur dominium; & sequestratio, quâ ipsum impeditur; rationem quamdam habent alienationis. Itaque ad plenam intelligentiam exceptionis, quam eadem verba continent, explicanda essent quæ de eadem facultate tenere oportet. Sed ea coincidùt cum iis quæ tenenda sunt de obligatione non alienandi bona Ecclesiastica. Vnde ad vitandum repetitionis fastidium, illa hic omittemus, commodius tradenda in sequen. lib. 30. tract. 3. num. 61. & aliquot sequentibus.

Nu. 374. Notandum est postremò: sequestrare nihil esse liud quàm rem aliquam de qua est inter duos controuersia, alicui certæ personæ causa securitatis custodiendam, aut etiam possidendam cómittere, donec certò constet, ad vtram ex litigantibus pertineat, ex lege Sequester ff. de verborum significs. & ex lege Interesse puto De acquirenda possessione. Atque sequestrationem aliquando esse voluntariam, vt cùm fit ex conuentione partium: & aliquando necessariam, vt cùm fit præcepto Iudicis: de qua hîc agitur, *sicut & in lib. 2. Decretalium tit. 17.* aoregulariter est illicita, tanquam iure prohibita: quandoquidem ex præced tit. 16. nihil est innouandum lite pendente: itaut Iudex donec de causa cognouerit, debeat possessionem relinquere illi qui tempore litis cœptæ possidebat (iuxta ca. primum memorati tituli 17. ex quo glosa ad verbum Sequestrari, id colligit) & legem vnicam Cod. de prohibita sequestratione. Tres tamen sunt casus in quibus iure etiam Canonico sequestratio à Iudice fieri permittitur. Primus est, cùm sequestratio fit puniendæ contumaciæ causâ; ex cap. 2. De dolo & contumacia. Secundus est, cùm missus in possessionem dilapidat fructus ex re perceptos. Tunc enim iidem fructus sequestrandi sunt ex cap. 2. De sequestrat. possessionum & fructuum. Tertius est, cùm quis ad restitutionem rei condemnatus appellauerit, & periculum est, ne ipse pendente appellatione consumat fructus ex re perceptos: tunc enim debebunt iidem fructus apud aliquem deponi; ex cap. finali eodem tit.

*

Notanda circa decimamoctauam excommunicationem.

SECTIO POSTERIOR.

NOtandum est primò, circa 18. excommunicationem, in iure antiquo varias haberi super illius materia Ecclesiasticas constitutiones. Primò enim *per cap. Non minus, De immunitate Ecclesiarum*, excommunicantur imponentes istiusmodi onera Ecclesiasticis personis, sine licétia Sedis Apostolicę; nisi Episcopus, & Clerus tantam vtilitatem, vel necessitatem conspexerint esse; vt ad vtramuis releuandam, cum laicorum non suppetunt facultates: subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Aqua excommunicatione absolui non possint, nisi post factam competentem satisfactionem. *Nu.* 375.

Deinde in cap. Aduersus eod. tit. Innocen. 3, in generali Concilio Lateran. propter quorumdam imprudentiam, sustulit prædictam exceptionem: volens *ad fraudes vitandas*, in casu quoque necessitatis & vtilitatis communis, prius consulendum esse Romanum Pontificem; cuius interest communibus vtilitatibus prouidere. Et declarat, imponentes ea onera, memoratæ satisfactioni subiici: etiam postquam fuerint à regimine amoti: successores item ipsorum excommunicationi subiiciens, nisi satisfaciant intra mensem. Postea autem Bonifacius 8. in cap. Clericis De immunit. Ecclesiarum in 6. eam excommunicationem reseruauit Summo Pontifici, & extendit tum ad talia accipientes, tum etiam ad dantes illis auxilium, consilium vel fauorem; quocumque modo accipiant; etiamsi à donantibus: immo & ad Ecclesiasticos talia onera subeuntes etiam sponte quouis titulo, modo, vel colore quæsito: ac demum communitates circa talia delinquentes, subiicit interdicto reseruato ipsi Summo Pontifici. Postea verò Benedictus 11. in Extrauaganti communi Quod olim De immunit Ecclesiarum, declarauit, eamdem Bonifacij constitutionem; illam restringendo quoad soluétes, & quoad recipientes à sponte soluentibus; ne pœnæ in illa statutæ habeant in eis locum. Clemẽtis quinti porrò in Clemen. vnica de immunit. Ecclesiarum, tam illam constitutionem Bonifacij, quàm hanc declarationem Benedicti reuocauit: ac decreuit stando esse constitutionibus antè memoratis capituli Non minus, & cap. Aduersus, *quarum explicationem persequuntur D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 26. Angelus Excommunic. septimo casu 5. Tabien. Excommunicatio. 5. casu 18. Sylu. excommunic. nono, casu 5. Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 115.* Postremò per hanc Bullæ clausulam eadem excómunicatio extenditur denuo ad recipiẽtes à sponte dantibus, innouantúrque decreta per sacros Canones in Lateranensi & aliis generalibus Conciliis edita super hac re; cum censuris, & pœnis contentis in illis. De qua innouatione Toletus in expositione excommunicationis nonæ sub finem, monet per eam non innouari decretum Bonifacij octaui, quoad illius partem qua excommunicationi subiicit Clericos soluentes collectas, tallias, decimas, seu aliquotam suorum prouentuum portionem: sed tantùm imponentes, vel accipientes, vel exigentes talia onera: quia inquit, nouo Canone non innouantur antiqui: nisi quoad illa quorum in eo facta est mentio. Nulla autem in hac Bullæ clausula mentio facta est soluentium siue sponte siue alio modo.

Notandum est secundò, quod bene aduertit à Vi- *Nu.* 376.
tualdo *in sua expositione huius Bullæ num.* 117. & approbat

bat Georgius Sayrus *in tomo 1. sui thesauri lib. 3. cap. 22. num.* 10. Si custodes alicuius pontis, portus, vel fluminis; pedagium, gabellas, aut alia onera petant ab Ecclesiasticis transeuntibus; vel Ecclesiastici ipsi transeuntes, sponte illis dent; non incurrere in hanc censuram: nisi talia onera essent ipsis quoque Ecclesiasticis imposita: quia in textu particula coniunctiua, cùm dicitur *imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt*: indicat ad hanc excommunicationem duo illa debere simul concurrere: nempe & quòd prædicta onera sint Ecclesiasticis imposita, & quòd ab ipsis exigantur, vel ab ipsis sponte dantibus recipiantur.

Notandum est 3. hîc nomine Clericorum non comprehendi Clericos primæ tonsuræ, aut etiam minorum ordinum, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, aut Clericalem habitum, & tonsuram deferentes, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi seruiant, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versentur. Id quod habetur ex Conc. Trident. sess. 23. cap. 6. de reformatione: vbi illi, his exceptis, priuantur priuilegio fori, quod varium est: & inter cætera comprehendit immunitatem ab iis de quibus agimus oneribus, prout habitum est in præced. cap. 24. notab. 3.

Nu. 377. Notandum est 4. in hac clausula excommunicari, non tantùm eos qui collectas, & alia onera imposuerint, exegerint, aut receperint ex bonis beneficiorum Ecclesiasticorum: sed etiam ex aliis bonis propriis Clericorum. Pro quo plures authores citat Georgius Sayrus *in præcedenti numero nono*. Ipsúmque colligitur ex verbis eiusdem clausulæ, *Ac eorum, & Ecclesiarum, monasteriorum & aliorum beneficiorum bonis*: vbi dictio *eorum* distinguitur contra sequentes: ideóque ea intelligi non potest, nisi de patrimonialibus bonis, & aliis, quæ ad Ecclesiam, monasterium, aut alia beneficia non pertinent. Sicque meritò Syluester *Excommunicatio 9 num.* 46. (quidquid contradicat Nauarr. *in Enchir. cap. 27. num.* 128.) censet excommunicationem latam in cap. Quanquam. De censib. in 6. contineri in Bulla Cœnæ. Ea enim absolute & generaliter ac sine restrictione fertur in eos qui contra decretum Alexandri 4. in cap. 1. de immunit. Ecclesiarum in 6. collectas, pedagia, & huiusmodi alia, pro personis Ecclesiasticis aut propriis ipsorum rebus, quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt; per se vel per alios, suo nomine, vel alieno exegerint, vel easdé personas ad talia soluenda compulerint: non obstante quacumque consuetudine, quæ censenda est corruptela. Quæ constitutio innouatur in Clementina Præsenti De censibus: de eáque agunt præter Syluestrum & Nauarr. locis proximè citatis, alij quorum ante notabili primo meminimus *D. quidem Antoninus cap. 25. Angelus casu 23. & Tabiena casu* 19. quibus adde Caiet. *in verbo, Excommunicatio, cap.* 39.

De eo autem notandum est 5. non facere mentionem recipientium à sponte dantibus, ideoque si à Bulla Cœnę talis mentio remoueretur, fore vt censura non incurreretur à talibus, vtpote qui nullatenus cogunt: ac verbum exigendi seu extorquendi, quo Papa vtitur in eod. cap. importet coactionem, vt Caiet. argumentatur. Quanquam vt idem addit, satis cogere censetur, qui Clericum requirit non rogando, sed tanquam à debitore petendo vt soluat: iubendóque vt arrestentur res ipsius nisi pareat.

Nu. 378. Notandum est 6. præter specialem & expressam Papæ licentiam, ab hac Bullæ censura excusare: tum casum extremæ necessitatis, in qua maturè ad Papam recurri non potest, ex Panorm. *ad cap. Non minus De immunit. Eccles. num.* 19. tum casum in quo iniuria fieret proximo: quam numquam intendere, existimandus est S. Pontifex, ne existimetur velle peccare, & contra fas authoritate sua abuti. Qui casus quando contingat, iudicati poterit obseruatione sequentium notabilium.

Notandum est septimò, nomine propriorum bo- *Nu.* 379.
norum Clerici, quæ eximuntur à gabellis, & cæteris oneribus realibus, comprehendi non modò bona laica quæ acquisierit Ecclesiæ: sed etiam bona ipsius patrimonialia, vt notat Panormit. *ad cap. Exliteris De vita & honest Cleric. num. 4 per memoratum ca. Quanquã & Clemen. Præsenti De censibus.* Idémque repetit ad cap. *Sanctum, eodem titulo in fine*: & sequitur Felinus *ad cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ De constitut. numero* 7. Et certè nomine propriorum bonorum Clerici, quorum prædicta iura expressam mentionem faciũt, comprehendi ipsius patrimonialia, nihil est cur negetur; cùm id nullatenus sit à ratione alienum. Sit autem æquitati naturali maximè consonũ, vt Summus Pontifex Clericum tanquàm diuinis ministeriis consecratum, ac Deo militantem, nec sæcularibus negotiis (*iuxta Apostolum in posteriori ad Timoth.* 2.) se implicantem, ita eximere à prædictis oneribus; vt ne quidé pro patrimonialibus, soluere ea teneatur: præsertim cùm ipsa naturalis ratio dictet ad bonum rerum spiritualium conducere plurimùm, vt Ecclesiastici, quantum fieri potest, liberi sint à potestate laicorum, quos esse illis infestos semper obseruatum est ex cap. Laicos & ca. Laici 2. q. 7. & ex cap. Clericis De immunit. Eccles. in 6. Accedit quòd res eo ipso quòd sunt diuinis vsibus deputatæ separentur à sæculari & profano vsu: vt calices cæteraque Ecclesiastica instrumẽta, hoc ipso quòd sunt benedicta. Cum igitur Clerici sint diuinis vsibus deputati & consecrati, consentaneum est vt eximantur ab vsibus oneribúsque secularibus, vt quoad suas personas, sic & quoad suas, res, tanquam comparatas ad sustentationem, vitæve conseruationem ipsorum.

Porro tali priuilegio non gaudent Clerici negotiatores, per cap. Exliteris De vita & honest. Cleric. vbi glosa verbo *Suis familiaribus*, notat id esse ita intelligendum, vt non præiudicet Ecclesiæ facultatibus, quæ etiam Clerico negotiante ex illis (*vt habet ibidem Panorm. num.* 10.) retinent suum priuilegium; sed solùm bonis propriis Clerici: idque pro eo tantummodo tempore quo se implicat negotiationi: prout contingit, *ex eodem Panorm. ad idem cap. Ex literis num.* 14. cùm res emit, vt eas non mutatas iterum vendat: non item cùm eas suâ curâ, industria, aut labore, mutatas vendit: nec cùm res emit ad suos vsus, & eas postea vendit ob aliquem casum: nec etiam cùm fructus sibi ex re sua prouenientes vendit: nullum enim horum est negotiatio, nec prohibetur Clerico. Adde ex eodem Panorm. *in præced. num.* 5. Clericum non perdere propositum priuilegium suarum facultatum, eo ipso quòd negotiatur: nam ex memorato cap. Ex literis debet ter moneri à Superiore, & sic monitus, non desistere à negotiatione.

Notandum est 8. de bonis laicorum prius obliga- *Nu.* 380.
tis ad gabellas vel collectas soluendas; si deuenerint ad Clericum vel ad Ecclesiam donatione aut alio contractu, dubium esse an deueniant cum eadé obligatione. De quo dicendum videtur primò, Clericum, vel Ecclesiam teneri ad soluendas collectas prætéritas quas laicus omisit soluere: quia in eo casu locum habet illud; quòd res ad alium transeat cum suo onere, iuxta ca. Pastoralis, & cap. Cùm non sit, de decimis, & cap. Ex literis De pignoribus.

Dicendum est secundò, quando res laicorum anne

Universidad de Deusto
Biblioteca

annexam habent expresè aliquam gabellam, vel collectam certam, & perpetuam ac inuariabilem, si deueniant ad Clericum, vel Ecclesiam, manere subiectas eidem oneri: itaut Clericus, vel Ecclesia in cuius venerunt possessionem, obligetur ad solutionem talium gabellarum, aut collectarum. Nam in hoc quoque casu locum habet illud; quòd res ad alium transeat cum suo onere. Et confirmatur à simili: quia si res censui, vel seruituti subiecta transeat ad Clericum, transit cum tali onere. Similiter si emphyteusis aut feudum, vel res per hypothecam tacitam vel expressam obligata, deueniat ad Clericum, transit cum suo onere: argumento Clement. 1. De censibus. Quæ doctrina est Panormit. ad cap. Ex literis De vita & honestate Clericorum num. 12. & ad cap. Sanctum, De censibus num. 8. in fine.

Dicendum tertiò, si res laicorum oneratæ sint gabellis, aut collectis, onere tantùm indeterminato & variabili pro varietate temporum, & necessitatum occurrentium: quale est impositionum, quæ communiter fiunt occurrente aliqua publica necessitate: vt quisque pro quantitate suarum facultatum aliquid pendat: probabile esse exonerari cùm peruenerint ad Clericum vel Ecclesiam. Ita sentit Panormit, *in cit. num.* 12. vbi repudiatis aliorum Canonistarum sententiis hanc cum Ioanne de Lignano, Ioanne Andrea, & Archid. amplectitur. Rationem adferens, quòd tale ius nequeat possessionibus annexum esse; cùm non sit perpetuum sed variabile, & quandoque imponatur personæ, loco rerum.

Si quis in contrarium opponat cap. Si tributum 11. quæst. 1. & cap. Tributum 23. quæst. 8. Respondẽdum est in illis agi de tributis quæ olim erant in vsu apud Romanos: ad quæ soluenda obligati sunt Clerici, authoritate Imperatoria, per legem De his, Cod. De Episcopis & Clericis; cui cùm pro tuenda pace, & quiete, nollet Ecclesia resistere, voluit vt res tributariæ ad ipsam translatæ, manerent tributo obligatæ, sicut antea. Vnde nihil contra propositam sententiam inde infertur: quia tale onus erat reale hoc est, rebus ipsis seu possessionibus impositũ: perinde ac si ex communi consensu ciues sua prædia per hypothecam generalem, aut specialem obligassent pro collectis imposterum imponendis, vt ad quemcumque deueniant cum eo onere transeant. Id quod obiter aduerte non esse contra libertatem Ecclesiasticam: quia vnicuique licet rei suæ imponere onus. Cui quòd Ecclesia per eiusdem rei acquisitionem subiiciatur, prouenit ex pacto proprio ipsius, seu ex contractu quo illam ipsam rem acquisiuit: non autem ex impositione laicorum.

Notandũ est nonò, quod post Panor. *ad cap. Non minus, De immunit. Ecclesiarum docẽt in verbo Immunitas* 1. *Angelus* §. 37. *& Sylu. quæst.* 5. *dicto* 4. *Tabiena excommunic.* 5. *casu* 18. *num.* 4. Clericos non teneri ad collectas quæ imponuntur causa publicæ necessitatis vel pietatis, nisi illos ea perinde ac laicos concernat; vt quando hostes grassantur, vastando territorium ciuitatis, in quo Ecclesia multas habet possessiones: pro quo faciũt dicẽda *in seq. li.* 13. *nu.* 216. *& aliquot seqq.*

Nu. 381. Notandum est decimò, quòd licet ab hac excommunicatione Bullæ *iuxta præcedens notab.* 2. excusentur exigentes à Clericis summam pecuniæ solitam solui à laicis, qui transierint per certam portam, vel pontem, vel certas res asportauerint, vel inuexerint, vel vendiderint, aut donarint; non excusari tamen à peccato mortali, & ab excommunicatione iuris per textum expressum in cap. Quanquam De censib. in 6. vbi ratio peccati tangitur, quòd talis exactio sit contra leges tum Canonicas: tum etiam ciuiles, quod patet ex lege Placet. Cod. De sacrosanctis Ecclesiis relata *in cap. Generaliter,* §. *Placet* 16. *quæst.* 1. Vnũ est tamen ex Nauar. *in lib.* 3. *consil. tit. De immunit. Ecclesiarum consilio* 1. *in fine,* per quod prædicta exactio excusari potest: nempe fraus Clerici, qui de facto negotians, pactum expressum, aut tacitum cum alio iniret, vt is quædam ad ipsum nomine doni mitteret, & ipse tantumdem, aut etiam quid amplius eodem nomine remitteret: ne portorium debitum soluere compellatur, fraus enim, & dolus nulli patrocinari debent, ex cap. Sedes Apostolica, De rescriptis.

Iam verò quod iidem exigentes à tali peccato excusari non possint ratione consuetudinis, patet: quoniam ea veriùs est corruptela quàm consuetudo, vt in eod. cap. Quanquam habetur. Et apertè sequitur, ex eo, quod ibidem quoque ponitur: quòd Ecclesiæ Ecclesiasticæve personæ, ac res ipsarum non solùm iure humano, sed etiam diuino sint à sæcularium personarum exactionibus immunes. Si enim id accipiamus sicut communiter Canonistæ *(de quibus Couar. in lib.* 1. *practic. quæstionum cap.* 31. *num.* 1.) vt sensus sit eam immunitatem à Christo in Ecclesia institutam esse, res est clara; quia statutum diuinum quidquid agant homines, semper manet firmum & immutabile. Si verò ita accipiamus, vt sensus sit: cõstitutam quidem esse iure tantùm humano *(quod latè docent Couar. in seq. num.* 2. *& Medina in Cod. De rebus restituendis quæst.* 15.) sed tamen conformiter iis quæ inueniuntur in sacris literis *(quale est Gen.* 47. *quod Ioseph omnem terram Ægypti fecit tributariam Pharaoni, præter illam Sacerdotum: & 1. Esdræ* 7. *Artaxerxes iussit ne à Leuitis & à Sacerdotibus tributum exigeretur)* tunc etiam talis consuetudo corruptela esse meritò iudicatur: quia tollit Clericorum exemptionem iis conformem quæ in literis sacris referuntur tanquam consentanea æquitati naturali. Neque ea, cùm sit legibus Principum concessa, reuocari potest ab iisdem Principibus, & multo minus ab inferioribus, nisi consentiente non modo Papa sedetiam Ecclesiasticis quorum interest: cùm ex regula 29. iuris in 6. quod omnes tangit, debeat ab omnibus approbari. Et ratio est, quia donatum & acceptatum reuocari nõ potest, nisi de mutuo partium consensu: alioqui enim tolleretur fides humana quæ est fundamentum omnis iustitiæ, obligationis, & contractus inter homines.

Notandum est postremò ex Panormit. ad cap. Non *Nu.* 382. minus De immunit. Ecclesiarum num. 18. Clericum in casibus in quibus dictum est ipsum obligari ad collectas aut pedagia, non posse conueniri coram Iudice sæculari, nec ab illo compelli ad illas soluendas. Quod tamen verum est tantùm cùm tale onus annexum est personæ, & ideo ex rebus soluendum est ratione personæ; tunc enim sicut Clericus exemptus est secundùm personam, ita quoque res illius sunt exemptæ. Cùm verò tale onus annexum est rebus, vt sunt tributum, census, feudum, hypotheca, tunc Clerico nolente soluere, executio fieri potest per Iudicem sæcularem: quia res ipsæ Clericorũ non sunt ea ex parte exẽptæ, iuxta antedicta in notabili 7.

CAPVT XXVI.

De duabus reliquis excommunicationibus Bullæ Cœnæ Domini, quæ feruntur his verbis.

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & quoscumque Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu crimi

criminalibus cõtra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo sine speciali, specifica, & expressa huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia. Quique eiusmodi licentiam ad personas & casus non expressos extendunt, vel alias illâ perperam abutuntur, etiamsi talia cõmittentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se seu alios, directè vel indirectè sub quocumque titulo, vel colore, inuadere, destruere, occupare ac detinere præsumpserint in totum vel in partem, Almam vrbem, Regnum Siciliæ, insulas Sardiniæ, & Corsicæ, terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venayssinum, Sabinensem, Marchię Anconitanæ, Massæ Trẽbariæ, Romandiolæ, Campanię, & Maritimas Prouincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, ciuitatésque nostras, Bononiam, Cœsenam, Ariminum, Beneuentum, Perusinum, Auenionem, ciuitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias ciuitates, terras & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiecta: necnon supremam iurisdictionem in illis, nobis & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt; necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem, quomodolibet præstantes.

SVMMARIVM.

383 *Crimina ob quæ, & personæ in quas fertur decimanona excommunicatio, quòdque ea sit species quædam latæ in cap. Si quis suadente Diabolo* 17. *quæst.* 4.

384 *Quid sit causa criminalis: quid processare: & quatenus istud licere possit laico aduersus Clericum.*

385 *Personæ ad quas excommunicatio hæc extenditur, & casus in quibus ea illam non incurrunt processando, aut alia faciendo contra Clericum.*

386 *Ob quam causam, & in quas personas feratur vltima excommunicatio.*

387 *Quæ excusatio ab ea esse possit.*

388 *Explicatio difficultatis, de inuadentibus terras Papæ, sine animo eas sibi vsurpandi ac retinendi.*

Nu. 383. SEQVITVR 19. excommunicatio, in Iudices sæculares, qui interponentes se in causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas. Illius materia est sacrilegium quo libertas Ecclesiastica offenditur in causis criminalibus: Personæ quibus imponitur sunt omnes & quicumque Magistratus, Notarij, Scribæ, Executores, & Subexecutores. Actio principalis propter quam imponitur est interponere se in causis criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, proferendo sententiam contra easdem, aut illam exequendo sine speciali, specifica, & expressa Apostoliæ Sedis licentia.

Notandum est primò, hanc excommunicationem sicut & præcedentem 11. censeri posse speciem quãdam illius generalis quæ fertur in cap. Si quis suadente diab. 17. quæst. 4. proindéque dicta in eiusdem explicatione addita ad calcem libri primi antecedentis huic quoque loco seruire posse: restrictione facta ad personas exercentes iudicium sæculare in causa criminali cõtra Ecclesiasticum à sæculari foro exemptum, non modo iure Canonico, 11. quæst. 1. cap. 1. & aliquot sequen. sed etiam iure ciuili, vt in cap. Clerici De iudiciis probatur ex eo, quòd Imperator dicat, quòd leges non dedignentur sacros Canones imitari: & ex eo quòd in Authentica Statuimus Cod. De Episcopis & Clericis statuatur, vt nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel ciuili, trahere ad Iudicem fæcularem præsumat contra constitutiones Imperiales, & Canonicas sanctiones, vbi etiam additur triplex pœna vt iam annotauimus in præced. num. 349.

Dicitur verò quæstio seu causa criminalis, *prout in* *Nu.* 384. *sua expositione à Graphiis lib.* 4. *decis. aurear. cap.* 18. *nu.* 134. *tangit aliis citatis*: quando agitur ad pœnam pro crimine applicandam fisco; nempe vt satisfiat iustitiæ vindicatiuæ, exigenti in Rep. delicta puniri à Magistratu. Quando autem agitur ad pœnam applicandam parti: vt scilicet satisfiat iustitiæ commutatiuæ, exigenti vt cuique suum reddatur, dicitur quæstio seu causa ciuilis.

Notandum est secundò, ex eodem authore in seq. num. 135. processare idem esse ac inquirere contra aliquem: in ordine ad prædictam pœnam fisco applicandam: ideoque illum qui de crimine aliquo Ecclesiastici, tantùm accipit informationem, vt veritas facti cognoscatur, non incurrit in hanc censuram, quia id non est processare, nisi vlterius procedatur ad pœnam à sæculari Iudice infligendam. Neque etiam incurrit ille qui secreto Ecclesiasticum processat animo præsentandi processum Summo Pontifici, non autem officialibus regiis: prout idem author ibidem notat. Et patet ex eo, quòd hæc excommunicatio feratur ad protegendum Ecclesiasticos aduersus sæculares Magistratus, volentes de eorum criminibus iudicia exercere.

Notandum est tertiò, excommunicationem hanc *Nu.* 385. generalem esse quoad personas: vtpote quæ extenditur ad omnes sæcularium iudiciorum Ministros, siue primarios, vt Magistratus & Iudices, etiamsi fuerint Senatores, Præsidentes, Cancellarij, aut Vicecancellarij; siue secundarios vt Notarios & Scribas. Adde pariter alios qui eisdem Iudicibus cooperantur in exercendo iudicio, vt solent Aduocati, & Procuratores; horum enim par omnino ac illorum est ratio. Siue denique executores & subexecutores, quales sunt qui capiunt, ligant, trahunt ad laicorum criminale tribunal personas Ecclesiasticas, aut qui comitantur trahentes ad hos defendendos; qui ligant ad torturam, aut torquent, aut aliud eius generis faciunt.

Notandum est quartò, multos esse casus (quos ex Iulio Claro in praxi criminali consequenter à Graphiis loco cit. persequitur) in quibus hæc excommunicatio non incurritur processando aut aliud supradictorum faciendo. Primus est, cùm Clericus criminosus, est realiter degradatus, aut depositus eo modo quo ex cap. Cùm non ab homine De iudiciis tradidimus in lib. 1. num. 237. vbi vide.

Secundus casus est, cùm quis tonsura tantùm Clericali, aut minoribus ordinibus initiatus est, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, & habitum, ac tonsuram Clericalem deferens alicui Ecclesiæ de mandato Episcõpi inseruiat, aut in seminario Clericorũ, aut in aliqua schola, vel vniuersitate, de licentia Episcopi quasi in via ad maiores ordines suscipiendos, versetur. Talis enim priuilegio fori non gaudet ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. De reform. Vnde intelligitur nullum Clericum coniugatum gaudere priuilegio fori, nisi ferens tonsuram & habitum Clericalem inseruiat alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi, sicque accipi debet cap. vnicum De Clericis coniugatis in 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in 6. de quo multa Couar. in lib. practicarum quæstionum cap.31.nu.6. & sequentibus. Habetur quoque ex eodem Concil.in præcedenti sess. 7. cap. 10. nullo priuilegio,præsertim in criminalibus, gaudere Clericum qui accipit minores ordines infra annum à morte sui Episcopi cum literis dimissoriis Capituli,vel alterius qui locum Episcopi habet,nisi arctatus sit occasione beneficij accepti,vel accipiendi.

Tertius casus (de quo & sequentib. videnda sunt dicta lib.1. cap.18.) est cùm Clericus se facit iaculatorem. Quartus,cùm se miscet enormitatibus. Quintus,cùm inuenitur in delicto flagranti. Sextus, cùm Iudex laicus non iure proprio,sed de mandato Superioris Ecclesiastici interponit se in causa criminali Clerici,capiendo ipsum *ex cap Vt famæ De sent. excom. & ex cap.Si Clericos eod.tit.in* 6. Et ratio patet; quia id facit tantùm vt minister Ecclesiæ, sicut faceret cætera, si causa in totum ei committeretur à Papa vt committi posse docet glosa ad cap. Decernimus, *De iudicis,verbo Non præsumant*, non item ab Episcopo, nisi quòd in causa pecuniaria, aut alia merè ciuili Clerici, possit laicum delegare cùm deest Clericus idoneus; non tamen Iudicem ordinarium constituere:quod etiam attigit eadem glosa.

Septimus est,cùm Clericus neque tonsurâ, neque vestium genere quidquã præ se fert de Clericatu,nec tertiò monitus ab Episcopo emendat se. Nam talis perdit priuilegium Clericale *ex cap. Contingit* 2. *De sentен.excommunic.* Qua de re egimus in eodem cap.18. Adde ex cap.Si iudex De senten. excommunic.in 6.si quis in tali statu captus, se Clericum dicat, retineri posse à laico donec constiterit de veritate, *quæ examinanda est coram Iudice Ecclesiastico*; eâque comperta, criminosus statim remittendus est ad suum Ecclesiasticum Iudicem: sicut & cùm notorium esset,aut publica fama ferretur,aut communi æstimatione iudicaretur ipsum esse Clericum.Hoc(de quo latè Lud. Molina de iust. & iure tract. 3. tomo 4. dispur. 49. à num.4.ad 12.)Nauar.in Enchir.cap.25.num.24.versu 14.tangit:simulque insinuat quòd Clericus delictum notorium coram Iudice laico committens, possit ab eo capi: ita tamen vt infra tempus debitum ad suum Iudicem Ecclesiasticum remitti debeat.

Aduerte autem,quòd etsi iuxta Innoc.& Panorm. ad cap. 1. De Apostatis, Clericus ex sola dimissione habitus, & tonsuræ Clericalis non perdat priuilegiũ fori:cùm ad id requiratur adhuc trina monitio Episcopi,iuxta ante memoratum cap. Contingit:tamen quoad Clericum primæ tonsuræ,aut minorũ ordinũ qui potest resilire,videri satis consentaneum rationi (vt & iuri in cap. finali §. Mandamus De vita & honestate Clericorum) illud quod in verbo Apostasia num. 11. indicat Syluester,ipsum absque huiusmodi monitione perdere tale priuilegium, si nullo modo velit viuere clericaliter.Id quod intelligetur nõ modò si ter monitus nolit resipiscere;sed adhuc, si contrahat,conueniat,& conueniatur,tallias,aliáque eius generis onera subeat & tanquam laicus ad bellũ vadat, numquam de Clericatu excipiens. Item si conuentus coram Iudice Ecclesiastico, excipiat de foro sæculari: aut aliter in iudicio confitcatur se nolle Clericaliter viuere.

Octauus casus est, quando quis post crimen commissum effectus est Ecclesiasticus in fraudẽ, vt effugeret forum sæculare:tunc enim capi potest à Iudice sæculari, non tamen puniri. De qua re legendus est Syluest.verbo Iudex 1.num.6.

Casus nonus addi potest ex Francisco à Victoria in relectione priore de potestate Ecclesiæ,sect.7.post.8. quando Ecclesiastici impunè baccharentur in cædem laicorum,& Pontifices nollent adhibere remedium:tunc enim Principes possunt consulere suis ciuibus, non obstante priuilegio Clericorum: quia respublica ciuilis cùm sit perfecta & sibi sufficiens, potest propria authoritate se defendere,& seruare ab iniuria cuiuscumque,atque adeo ab iniuriis Clericorum. Quibus volẽtibus se tueri priuilegio quo gaudent iure tam ciuili, quàm Canonico, obiicietur illud cap.Contingit 2. De sent. excomm. Priuilegium meretur amittere,qui permissa sibi abutitur potestate: ac frustra legis auxiliũ inuocat, qui committit in legem.Item quòd ex cap. fin. De immunit. Ecclesiarum; ob hanc eamdem rationem, priuilegio asyli concesso Ecclesiis, & cœmiteriis non gaudeant illi qui spe impunitatis delinquunt in eis.

Quod attinet ad vltimam excommunicationem Bullæ in occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & in illis supremam iurisdictionem vsurpantes, contenti erimus paucis notare: illius materiam esse sacrilegium quo offenditur Ecclesia Romana per vsurpationem terrarum ipsius,ac iurisdictionum supremarum ipsi competentium in iisdem terris. Item personas, in quas ea fertur,esse primò, omnes illos qui per se,aut per alios;directè aut indirectè sub quocumque titulo, vel colore: inuadere, destruere, occupare,ac detinere præsumpserint in totum vel in partem vrbem Romanam,& alias ciuitates,terras, & loca, vel iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, eidémque mediatè, vel immediatè subiecta. Secundò, omnes illos,qui vsurpare,perturbare,retinere, & vexare variis modis præsumunt supremam iurisdictionem in illis locis Summo Pontifici & Romanæ Ecclesiæ competentem. Tertiò, omnes vtriusque illius generis personarum,fautores,defensores,seu auxilium, consilium & fauorem quomodolibet illis præstantes. *Nu.386.*

Aduerte autem iura Romanæ Ecclesiæ hìc intelligi temporalia: nam iuribus spiritalibus sufficienter prouisum est in præcedentibus. Item supremam iurisdictionem pari ratione intelligi de temporali.

Aduerte etiam quod habet Suarez in 3.partem tomo 5. dispur. 21. num. 105 proqositas actiones quacumque ratione fiant contra iustitiam,posse quidem sufficere ad hanc excommunicationem incurrẽdam: sed tamen si bona fide & titulo iuxta doctorum hominum iudicium probabili,aliquid ciusmodi fiat: sicut tunc excusatio erit à culpa, ita etiam erit à censura. Pro quo facit doctrina Caietani in verbo excommun.cap.31. notab.4. Aduerte demum Per hanc Bullæ clausulam sic Summum Pontificem prouidere suis iuribus, ne in eis detrimẽtum patiatur, vt tamen nolit ius Principibus tollere, si quod in memoratis terris verè habeant: quia æquitas id non pateretur; sed velit prohibere ne sibi vsurpent, quod adhibitâ diligẽtiâ, se nõ habere cognoscere possunt. *Nu.387.*

Difficultas autem esse potest, An cùm in ciuitatibus Papæ sunt factiones, & altera factio extra existẽs inuadit hostiliter ciuitatem: duces, & milites talis factionis incurrant in hanc excommunicationem. De qua cum Caiet. & Nauar. Suarez loco cit. tenendum censet,quòd incurrant. Et probat:tum quia id est simpliciter inuadere ciuitatem hostiliter.Nec obstat quòd id non fiat animo subtrahendi eam ex dominio,aut iurisdictione Papæ:quia vbi lex simpliciter prohibet,restrictione vti non licet, nisi ratio cogat. Tum quia huiusmodi inuasiones regulariter ac frequenter non fiunt, quin ciuitas saltem in parte destruatur. *Nu.388.*

LIBER SEXTVS, ET TOTIVS OPERIS DECIMVS.

DE RESTITVTIONE FACIENDA PROXIMO: quæ satisfactionis Sacramentalis comes esse debet.

PRÆFATIO.

DEvs Optimus Maximus, vt ad se & ad proximum amandum, sic & ad iniuriam sibi illatam,& ad illatã proximo resarciendam, vna eadémque lege obligatos nos esse voluit: vnde pendet conuenientia illa inter satisfactionem Sacramentalem & restitutionem,cuius Sotus meminit *lib.4. De iust. & iure, quæst. 6. art* 1. quòd vtraque sit debiti compẽsatio,facta alteri ad æqualitatem iustitiæ: pendet item, quòd vt tractatio de amore proximi, tractationi de amore Dei;sic tractatio de restitutione,superiùs institutæ tractationi de satisfactione,aptè(*vt communiter fit à Theologis scholasticis in 4.distinct.*15.)adiungatur:etiamsi seiungendi, *vt plerumque fit ab aliis*, sufficientem causam præbeant variæ differentiæ, quibus illæ duæ compensationes multum inter se distare cognoscuntur:quales sunt primò, quòd satisfactio Sacramentalis sit pars Sacramenti Pœnitentiæ; & restitutio sit tantùm præambulum ad illud,nisi à Sacerdote imponatur in pœnitentiam:vt potest perinde ac possunt alij virtutum actus positi in præcepto, iuxta tradita in præced. lib.7.num.28. & sequen. Secundò,quòd satisfactio Sacramentalis fiat Deo, & restitutio homini.Tertiò,quòd satisfactio fiat in futura quoque vita (satispassio appellatur) & restitutio tantùm in præsenti fieri possit. Quibus adhuc alias Sotus addit,apud quem qui volet videre poterit.

Restitutio autem est actus iustitiæ commutatiuæ, quo alienum redditur ei cui debetur. Ad cuius definitionis intelligentiam notandum est, iustitiam esse virtutem,qua homo perficitur in ordine ad alterum:qui vel est persona publica, cui bonum commune per leges procuranti obtemperari debet;atque ad tale debitum reddendum constituitur generalis, seu legalis iustitia,per quam id facimus quod leges præscribunt, obedimúsve legibus: aut est persona priuata; cui tum persona publica,tum alia priuata aliquid debere potest. Atque ad tale debitum reddendum constituitur duplex iustitia specialis: nimirum commutatiua & distributiua: quarum illa efficit vt inter priuatas personas in redditione debiti seruetur æqualitas rei ad rem; tantum scilicet reddendo, quantum ablatum est. Hæc verò, *quæ versatur inter publicam personam, & priuatam*, facit vt bonum commune legitimè ab eadem publica distribuatur; seruata scilicet proportione inter personas,& res distribuendas:itaut de his,illæ personæ plus,vel minus accipiant,quæ plus aut minus merentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cùm ergo hocita sit;dum restitutio dicitur iustitiæ commutatiuæ actus, significatur quòd sit actus specialis virtutis,*putá iustitiæ commutatiuæ*,constituentis æqualitatem dati & accepti, inter priuatas personas:vt nimirum tantumdem reddatur quantum acceptum fuit:in quo distinguitur à bonorum vel malorum communium (hoc est,officiorum,beneficiorum,dignitatum , magistratuum & honorum,tam Ecclesiasticorum quàm sæcularium,tributorum,vectigalium , aliorúmque onerum)dispensatione,seu distributione : quæ actus est iustitiæ distributiuæ; dum in ea seruatur debita bonorum communium proportio ad merita cuiusque particularis personæ. Quod verò additum est, *quo alienum redditur ei cui debetur*, separat restitutionem ab altero iustitiæ commutatiuæ actu, qui est nulli inferre iniuriam.

Aduerte autem hîc nomen alieni non tantùm significare acceptum siue iustè siue iniustè : aut , *cùm ex iustitia alteri debeatur* , retentum:siue idem numero , siue idem specie,siue etiam valore,aut demum impeditum,seu quod alius iure habuisset , nisi quis impediuisset:sed etiam significare distractum , omnéque damnum illatum. Aduerte etiam particulam , *ei cui debetur* , ideo positam esse , quòd res non sit semper restituenda illi , à quo ablata est , vel accepta , sed interdum aliis:eo quòd ipsis debeatur:vt v. g hæredibus , vel vero domino , aut aliis, quibus si restitutio non fiat,peccatur contra iustitiam : cuiusmodi sunt conductor, commodatarius, colonus, is qui precario rem habet, & creditor habens pignus debitoris.

Cæterùm quod in præsentiarum nobis incumbit considerandum de restitutione , est illius faciendæ obligatio ; quam oportet maximè exploratam esse Confessario,ad cauendum sacrilegium, quod committitur perperam absoluendo sacramentaliter eum qui tali obligatione tenetur obstrictus. Illam verò considerabimus primò secundùm se, deinde in ordine ad causas seu radices ex quibus nascitur : tertiò in ordine ad circunstantias secundùm quas de ea iudicandum est: postremo in ordine ad diuersas species ipsius: sicque liber hic quatuor tractatus complectetur, quorum primus paucis expediri potest : non item cæteri.

TRACTATVS PRIMVS ET LIBRI CAP. I.

De obligatione ad restitutionem consideratam secundùm se.

SVMMARIVM.

1 *Necessitas restitutionis , obligationem illius ostendens, habetur ex multis sacræ Scripturæ locis.*
2 *Quomodo necessaria sit restitutio.*
3 *Non est necessaria necessitate medij.*
4 *Obligatio ad restitutionem est ex se sub mortali.*
5 *Quando obligatio restituendi sit sub mortali , si parum acceptum sit quidem , sed multis aliis similiter accipientibus, illatum est graue damnum.*
6 *Distinctio cum qua explicari potest eius rei difficultas.*
7 *Quòd ea sit sub mortali, cùm quis notabilem quantitatem accepit à multis , quorum nulli magnum damnum intulit.*
8 *Quomodo fieri possit talis restitutio, & quòd non sit necessarium restitui totum ad se liberandum à peccato mortali.*
9 *Obligatio est sub mortali restituendi notabilem quantitatem per modica acceptam diuerso tempore; siue cum magno , siue cum modico interuallo.*

RESTITVTIONIS necessitas ad salutem , sufficienter ostendit ipsius obligationem : cùm dubium non sit cadere sub præceptum, quidquid est ad salutem necessarium,iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Patet verò talis necessitas ex multis Scripturæ sacræ locis,vt ex cap.2.Tobiæ vers. 21.& ex cap.29. Prouerb.vers.24.& ex cap.18.Ezech. vers.7.12.& 16.ex cap.33.eiusdem vers.15.ex cap.22. Matth.vers.21.ex cap.20.Lucæ vers.25. ex cap. 13. ad Romanos vers.7.ex cap.6. prioris ad Corinth. vers.8. & 9. Quibusquidem authoritatibus congruenter 14. quæst.6.cap.1.ex D. August. in epistola ad Macedonium habetur:Si res aliena propter quam peccatum est,reddi possit,& non redditur,pœnitentia non agitur sed simulatur.Si autem veraciter agitur , non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum,si restitui potest. Id quod ita receptum est vt pro generali regula morum habeatur, Peccatum non remitti , nisi resti- *Nu.1.*

restituatur ablatum,de reg.iuris in 6. reg. 4. de qua re plenius Ludouicus Molina de iustitia & iure tract. 2. disput.716.

Nu.2. Iam cùm restitutio duplex sit , vna virtualis , quæ est efficax voluntatis propositum reddendi alienum, ei cui debetur:altera actualis seu realis,qua quis actu réque ipsa alienum reddit ei,cui debetur.Prior ita est necessaria, vt nemo possit veram pœnitétiam agere, nec à peccatis absolui , quin habeat efficacem voluntatem restituendi alienum, quantum in sua potestate situm est. Nam vera pœnitentia esse nequit absque proposito implendi illud, ad quod tenetur quis sub peccato mortali:vt annotatum est libro 5. nu.77. & 78.

Posterior autem necessaria est tantùm necessitate præcepti affirmatiui,contenti in negatiuo , Non furaberis : quo dum prohibetur iniusta vsurpatio rei

Nu.3. alienæ,præcipitur tacitè eiusdem rei restitutio.

Non esse verò necessariam restitutionem necessitate medij , *quidquid Gabriel in 4.dist.15.quæst. 2. concl. 1.contradixerit*, rectè Petrus à Nauarr. in lib. 1. de restit. *cap.1.dubit.2.* ostendit:quia necessarium esse necessitate medij,est tale esse,vt absque illo, siue ipsum ignores, siue non;& siue habere queas,siue nequeas, non assequaris finem cuius gratia necessarium censetur.Si ergo restitutio necessaria esset ad salutem necessitate medij: sicut nemo absque baptismo aut absque fide saluatur quantumuis laboret in culpabili ignorantia *(& ideo in illo talium carentia excusetur à peccato)* sic non saluaretur is qui non restituit , quantumuis per ignorantiam inuincibilem , aut per impotentiam excusaretur à peccato : sicque impotens ad restitutionem faciendam,extra statum salutis non minus esset (*quod absurdum est*) quàm impotens ad baptismum in re vel in voto suscipiendum , sicut infans,in vtero suæ motus. Neque refert quòd restitutio in voto , necessaria sit ad pœnitentiam ; sine qua salus,à lapso in peccatum mortale , nequit obtineri. Nam si id esset medium ad salutem necessarium,pariter esset & impletio cuiusuis præcepti obligantis ad peccatum mortale : cùm pœnitentia esse non possit absque proposito illud implendi. Potest enim de quouis huiusmodi dici, quòd nisi suo tempore obseruetur, salus non contingat : ipsius violatione nimirum excludente à regno cœlorum.

Nu. 4. Porro obligationem ad restitutionem , dubium non est semper esse sub peccato mortali, nisi rei paruitas,aut defectus pleni consensus excuset:adeout illam ex pleno voluntatis consensu omittendo Cùm debet impleri in re,quæ prudentis iudicio, *habita ratione personarum,locorum,& temporis*,sit notabilis,peccatum committatur mortale : vtpote quo contra iustitiam notabiliter tollitur æqualitas iure naturali inter homines seruanda:notabilitérque proximus læditur contra charitatem , animæ vitam.

Explicatio difficultatis. An cum ob rei paruitatem, venialiter solum peccatum est obligatio restituendi sit sub mortali.

DIfficultas est nihilominus,An cùm ob rei paruitatem venialiter tantùm peccatur auferendo alienum,peccetur interdum mortaliter idipsum non restituendo. Ad cuius explicationem tres casus distinguendi sunt.Primus est,quando multi ab vno aliquo,auferunt quidem singuli parum , sed ita vt ille vnus magnum detrimentum inde patiatur:vt quando multi eamdem vineam deuastant. Secundus est, quando vnus ita accipit à multis , vt à quouis parum quidem habeat,puta vnum aut alterum assem;sed tamen colligat tandem magnam quãtitatem, vt vnum vel alterum nummum aureum. Tertius est , quando vnus & idem accipit ab vno diuersis temporibus, itant singulis quidem vicibus parum accipiat , sed tandem magnam quantitatem colligat.

Quod ad primum igitur casum attinet, certum *Nu.5.* est (vt omnes fateri notat Petrus à Nauarr. *lib. 3. de restit. cap.1.part.1.dubit. 5.*) quòd si multi illi , vno sciente de alio,inter se consentiant ; & coniuncti *sine fraud,sine successiue*, diripiant : itavt vnus sine alio id non fecisset : vnusquisque eorum sicut mortaliter peccat tanquam causa totius talis damni notabilis, sic sub peccato mortali ad eiusdem damni restitutionem teneatur in defectum aliorum : acsi illud solus ipse intulisset:iuxta post dicenda de cooperantibus ad iniustam acceptionem.

Certum est item , quòd si multi illi non consentiant inter se:nec vnus cognoscat detrimẽtum quod in eo ab aliis infertur singuli , cùm parum noceant per se,nec conscij sint nocumenti dati ab aliis: sicut venialiter tantùm peccant accipiendo : ita solùm sub veniali peccato teneantur restituere illud quod acceperunt : quòd enim illatum sit notabile damnum,accidit omnino præter cuiusque intentionem,vt supponimus.

In controuersia autem versatur , An tales si non consentiant quidem ; intelligant tamen detrimẽtum magnum inferri,teneantur singuli sub peccato mortali resarcire paruum illud damnum quod intulerũt. Qua de re Nauarr.in Enchir.cap.17.num. 130. sentit non teneri sub peccato mortali:quæ videtur quoque esse sententia Soti in 4.distinct.22.quæst.1.art. 2.casu 3.& à nonnullis pro certa haberi,& sine vlla dubitatione defendi meminit Petrus à Nauarr. *in eit.dubit. quinta num.* 48. qui tamen tenet contrarium cum Medina in Cod.de reb.restit.quæst. 10. sub finem, & Conarr.in lib.1.variar.resolut.cap.3.num. 12. ac Iosepho Angles in 2.par.Florum Theologic.diffic.7.de restit. nonnullisque aliis.

Cæterùm distinguendum esse censerem inter ca- *Nu.6.* sum in quo parua quantitas rei ablatæ talis est , vt ea restituta adhuc nihilominus extaret damnum notabile;& casum in quo illa restituta,notabile damnum amplius non extaret. Atque dicendum in priore casu priorem sententiam, & in posteriore posteriorem locum habere. In priore casu enim ad talem restitutionem non tenetur quis ratione iniustæ acceptionis,per quam (ex hypothesi) peccauit solùm venialiter:leuem scilicet iniuriam inferendo , quæ non inducit de se grauem obligationem.Neque ratione iniustæ retentionis,quia non infert damnum notabile retinendo,nec impedit quominus illatum reparetur: quandoquidem, *vt supponimus*, tali restitutione facta, ipsum adhuc tale (notabile inquam) maneret. Nec demum tenetur ratione rei:cùm , *ex hypothesi* , ea sit parua : & ideo insufficiens ad peccatum mortale habita ratione personæ damnum passæ.

In posteriore autem casu , licet eo modo damnum inferens non fuerit causa cur alij inferrent,nec mortaliter peccauerit inferendo : sciens tamen notabile nocumentum illatum esse quod posset, partem suam modicam restituendo,vitare ac tollere:non restituẽdo peccat mortaliter:tanquam in notabile damnum proximi ea ratione non minùs consentiens, quàm si acciperet sciendo suã illã acceptione cum aliorum acceptionibus coniunctã, notabile damnum inferri proximo:quod non inferretur, si ipse ab accipiendo abstineret. Quicumque enim ex actu suo , etiam leui, scit proximum passurum esse notabile damnum, neque ab eo abstinet , censetur verè causa eiusdem

Universidad de Deusto
Biblioteca

notabilis damni. Quam distinctionem admittere tandem cogitur Petrus à Nauarra in lib. 3. de restit. cap. 1. part. 1. dubit. 8.

Nu. 7. Quod attinet ad secundum casum : sententia est Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 140. & Soti lib. 5. de instit. & iure quæst. 3. art. 3. sub finem: immo & plurium aliorum quos antea commemoratos sequitur Petrus à Nauarr. in præcedenti dubit. 7. Eum qui à pluribus modicum accipiendo, notabilem quantitatem furatur, teneri sub peccato mortali eam restituere. Ratio est, quòd alioqui talis, in re notabili sine peccato mortali transgrederetur præceptum Non furtum facies, quod datum est de non accipiendo alienum, nec retinendo quod iure tuum non sit. Id autem absurdum est. Deinde quòd alioqui tabernarius ac negotiator quilibet posset statum augere, ac ditescere sine peccato mortali, singulos fraudando fraude modica suarum mensurarum, vel alia simili arte; quod etiam absurdum est, vt patet per illud Prouerb. 11. Statera dolosa abominatio est apud Deum; & per illud Deuter. 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus, &c. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hoc. Accedit etiam ratio, quia homines alioqui in generis humani perniciem, mallent talibus furtis assuescere, quàm labore & industriâ quærere ad vitam necessaria: sicque artes, & honesta exercitia cessarent: vnde sanè reipub. pernicies & ruina sequeretur: quod esse graue malum ac peccati mortalis materiam, ius ipsum naturale dictat.

Neque obstat quòd ex tali retentione nullus sentiat detrimentum notabile: quia id non est simpliciter necessarium ad prædicti præcepti transgressionem: vt ex eo patet quòd ille qui Regi, vel de communibus bonis ciuitatis subripit tres aureos, transgrediatur ipsum, peccétque mortaliter, etiamsi nullus inde notabile damnum sentiat. Qui ergo alienum in notabili valore sibi vsurpat, reuera violat idipsum præceptum: etiamsi non cõtraueniat motiuo ipsius, seu rationi ob quam datum est: quæ videtur fuisse, ne proximus notabile damnum pateretur. Quocirca nõ excusatur à peccato mortali, vt nec excusatur ille, qui fornicatur: posito etiam casu, quo nullum futuræ prolis inde foret damnum, ad quod vitandum censetur datum præceptum de non fornicando. Neque audiendus est Medina in fine cit. quæst. decimæ, cùm aliam vult esse rationem pauperum & aliam diuitum in re proposita. Cùm enim extra casum extremæ necessitatis, pauperes perinde ac diuites nihil iuris habeant in re aliena, illi perinde ac hi, ad eiusdem rei per ipsos ablatæ, restitutionem obligantur.

Nu. 8. De qua obligatione bene monet idem Petrus à Nauarr. *in fine cit. dubitationis septimæ* : quòd si domini sint incerti, pauperibus facienda sit restitutio; sin certi sint, vt eadem obligatio desinat esse sub peccato mortali, debet vnicuique restitui sua pars modica, quousque restituens tantum à se abdicarit, quantum requiritur vt quantitas ei remanens non sit magna, nec ad peccatum mortale sufficiens. Vbi nota ex disputatione quam idem author habet in sequenti dubit. nona, obligationem sub peccato mortali, quam magna rei ablatæ quantitas inducit; tolli non modo restitutione totius, sed etiam illius quantitatis, quâ demptâ à toto, ipsum fit minus, quàm vt iudicio prudentis sufficiat ad peccatum mortale: vt si quis à persona medij, & communis statu abstulisset quatuor argenteos; is restitutis duobus, adhuc quidem tenetur ad restitutionem aliorum: non tamen sub peccato mortali. Ratio est, quia nullus sub mortali tenetur plus, quàm notabile damnum à se datum auferre à proximo: atque in eo casu, solutis duobus argenteis manet damnum duorum aliorum; quod *ex suppositione* non est quantitatis sufficientis ad peccatum mortale. Neque refert quòd duo illi priores sint pars totius summæ notabilis: quia pars summæ, non est sub peccato mortali soluenda, sicut tota ipsa summa; alioquã si quis tres argenteos iam restituisset; vnum quod reliquum est, teneretur sub peccato mortali restituere: quod est absurdum, cùm nullum maius nocumẽtum censeatur proximo illatum, tribus solutis vnum retinere; quàm vnum solum accipere. Hõcque procedit siue ablata sit notabilis summa ab vno, siue à pluribus, & siue successiuè siue simul; ex eodem authore ibidem in solutione primi argumenti. Quæ censenda sit summa notabilis ad mortale sufficiens, relinquitur prudentis iudicio: de qua re dicetur cùm de furto in sequenti libro 23. num. 15. & aliquot sequentibus. *Nu. 9.*

Quod attinet ad tertium casum: Nauarr. loco cit. sentit obligationem esse ad restitutionem sub peccato mortali, quando quis multa parua accipit ab eodem sine magno temporis interuallo: vt quando accipit quotidie aliquid. Nam videns huiusmodi parua creuisse in magnam quantitatem, credere debet se incurrisse obligationem restituendi sub peccato mortali, perinde ac si totam eamdem quantitatem simul accepisset: quia nihil interest paulatim, an simul proximum spolies, cùm damnum sit æquale. Talem autem obligationem non esse, quando multa parua capit quis diuersis tẽporibus cum notabili interuallo: vt cùm famulus in vno mense accipit partuam quantitatem, & post vnum aut duos menses similiter accipit, itaut spatio quatuor annorum exempli gratia, conflata sit notabilis quãtitas acceptorum. Sed meliùs sensisse videtur Medina in Cod. de rebus restituendis *quæst. 10. sub finem*, cùm sine tali distinctione absolutè dixit, in proposito casu esse obligationem ad restitutionem. Cui Petrus à Nauar. *in præced. dubit. 6.* assentiens, in eam sententiam addit alios in primo casu commemoratos. Ratio verò ita sentiendi est: quòd obligatio sub peccato mortali quoad restitutionem, æstimetur ex notabili quantitate rei alienæ, inuito domino vsurpatæ: itaut parum ad eam referat successiuè illatum esse nocumentum, vel breui aut longo temporis interuallo, dummodo constet illatum esse notabile. Quanquam illud interuallum seruire potest cum aliis coniecturis ad fundandam præsumptionem de domino, quòd non fuerit inuito ipso facta talis vsurpatio rei suæ. Solent enim homines æquiori animo ferre talia parua furta, quæ in notabilem quantitatem excreuerunt, cùm audiunt facta esse, alia longo tempore post alia.

TRACTATVS SECVNDVS
ET LIBRI CAPVT II.

In quo obligatio ad restitutionem consideratur in ordine ad causas seu radices ex quibus nascitur.

SVMMARIVM.

10 *Quotuplex sit causa seu radix ex qua oritur obligatio ad restitutionem.*

11 *Obligatio ad restitutionem quædam est ratione rei iustè acceptæ: quædam ratione rei iniustè acceptæ.*

12 *Quædam ratione iustæ acceptionis, quædam ratione iniustæ acceptionis, & quædam ratione participationis in iniusta acceptione.*

13 *Nouem modi participandi in iniusta acceptione, quibus inducitur obligatio ad restitutionem.*

Hoc non est sermo de obligatione ad restitutionem prout est ciuilis, quâ contra obligatum agi potest in iudicio; sed prout est naturalis, locum habens in foro conscientiæ, etiamsi contra obligatum agi nequeat in iudicio.

Nu. 10. Sciendum est autem, quòd vt attigit D. Thomas 2. 2. quæst. 62. art. 6. (*expresserimque Caiet. in verbo restitutio cap. 1. & Sotus de iustit. & iure lib. 4. quæst. 7. art. 2. non longè à principio, ac Couarr. ad regulam Peccatum sub initium secundæ partis*) duplex sit in genere causa seu radix vnde nascitur obligatio ad restitutionem: nempe res accepta, & acceptio. Cúmque res possit tum iustè, tum etiam iniustè accepta esse: itémque acceptio, tum iusta esse, tum etiam iniusta, per hanc que obnoxius sit, vt peccato, *ex cap. 1. epistolæ ad Rom. in fine*: sic & restitutioni, non modò is à quo ea exercetur accipiendo iniustè; sed etiam is qui cũ ipso accipiente iniustè participat; Sciendum inquam est, ideo fieri, vt quinque omnino distinguantur causæ seu radices, ex quibus nascitur obligatio ad restitutionem, quarũ prima est, res iustè accepta: secunda, res iniustè accepta tertia, iusta acceptio: quarta, iniusta acceptio: quinta, participatio cum iniustè accipientibus.

Nu. 11. Itaut vna sit obligatio ad restitutionem ratione rei iustè acceptæ: vt in commodato, locato, depósito pignore, in quibus res commodata, locata, depósita, aut pignorata, iustè accepta est. Altera verò sit, ratione rei iniustè acceptæ; vt cùm quis rem ipsam habet iusto quidem modo, sed ab eo qui illam iniustè accepit. Vbi aduerte rem non dici iniustè acceptam comparatione eius per quem est iniustè accepta; ille enim ad restitutionem tenetur ratione iniustæ acceptionis (quæ est quarta radix de qua paulo post) sed dici cõparatione eius qui iusto quidem modo rem ipsam habet, sed per eum qui accepit illam iniustè. Sic cùm quis furatus est equum quem alter emit bona fide, seu ignorans furtiuum esse; is qui furatus est ad restitutionem tenetur ratione iniustæ acceptionis: is verò qui bona fide emit, tenetur ad eamdem, ratione rei iniustè acceptæ.

Nu. 12. Tertia autem obligatio sit ratione iustæ acceptionis; vt quando res emitur & venditur à vero domino, vel cùm mutuo accipiuntur pecuniæ, aut aliæ res vsu consumptibiles, vel denique quoties fit contractus licitus, quo dominium rei propriæ transfertur in alterum. Quarta porro obligatio sit ratione iniustę acceptionis: vt quando committitur furtum, rapina, vsura, vel alius iniustus contractus. Quinta demum sit ratione participationis in iniusta acceptione: quæ participatio contingit nouem modis, quos versibus his indicatos proponit in sequen. art. 7. D. Thomas:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Nu. 13. Quibus significatur, cum causa principali, id est, cum executore iniustæ acceptionis, in eadem cooperari primò iubentem illam, siue expresè, vt dicendo: Præcipio tibi vt diripias: siue tacitè, vt ei qui ad tuum imperium mouetur, dicendo aliquid, vnde ipse possit præceptum coniicere. Secundò consulentem: quo nomine significatur non modo is qui consilium dat, sed is etiã qui adhortatur, rogat, instruit, vtilitatémque facti ponit ob oculos, vel aliud simile agit, vnde alter mouetur ad damnum inferendum. Tertiò consentientem, *suo nimirum suffragio & authoritate*: vt cùm quis exequitur quidpiam requirens alterius cõsensum: vt bellum iniustum, quod non posset absque consensu Principis, aut potestatis publicæ suscipi. Si enim talis consensus intercesserit, inducit consentientis obligationem ad restitutionem omnium damnorum inde secutorum: & sic de similibus. Quartò, palpantem seu adulantem, id est, eum qui laudatione, aut commendatione vel exprobratione, vel irrisione, vel murmuratione, alióue simili modo aliquem ad damnum alteri inferendũ inducit. Quintò recipientem, id est, eum qui recipiendo prædam, vel illam seruando, vel aliquo modo iniustè accipiẽti securitatem præbendo, est in causa vt damnum inferatur, vel vt illatum non resarciatur. Sextò præbentem auxilium, id est, eum qui cooperatur ad iniustam acceptionem, & socius criminis dicitur; siue simul cum altero eam realiter exequatur, siue tantùm sit explorator aut mediator, suppeditans instrumenta necessaria ad executionem. Septimò mutum, id est, eũ qui reprehendendo seu prohibẽdo verbis, aut cõsulendo aut clamando potuit damnum impedire, & tacuit. Octauò non obstantem, id est, eum qui suo fauore & auxilio nocumentum impedire potuit, nec voluit. Nono non manifestantem, id est, eum qui potuit, nec voluit damnum impedire, admonendo de inuasore, vt idipsum damnum impendens impediretur, vel iam datum recuperaretur ab eo qui illud passus est.

Cæterùm possunt interdum (vt sub finem citati cap. primi notat Caiet.) plures ex dictis radicibus simul concurrere. Exemplum est, cùm quis rem quam furatus est, habet apud se. Nam ad restitutionem tenetur, & ratione iniustæ acceptationis, & ratione rei iniustè acceptæ; túncque ad iudicandum de obligatione restituendi vtraque radix consideranda est, secundùm regulas deinceps assignandas.

CAPVT III.

De obligatione ad restitutionem ratione rei iustè acceptæ.

SVMMARIVM.

14 *Rem alienam habens inuito rationabiliter domino, etiamsi iustè acceptam, tenetur restituere, eamdem etiam numero, si possit.*

15 *Pro re iustè accepta, si ea casu fortuito perierit, nihil est restituendum.*

16 *Nisi conuentio fuerit in contrarium, aut mora culpabilis interuenerit.*

17 *Culpa alia Theologica, alia iuridica: & quid hæc sit.*

18 *Triplex culpa iuridica; lata, leuis, & leuissima.*

19 *Culpa antecedens facit obnoxium restitutioni.*

20 *Non modò lata, sed etiam leuis & leuissima facit obnoxium restitutioni eum, qui rem accepit in suam tantum vtilitatem.*

21 *Eum verò qui accepit solum in vtilitatem domini, nec leuissima nec leuis, sed tantum lata & dolus facit restitutioni obnoxium.*

22 *Excipitur casus, in quo pro custodia mercedem acciperet.*

23 *Cùm tam in domini, quàm in accipientis vtilitatem accepta est res: culpa quidem tam leuis, quàm lata facit restitutioni obnoxium: non autem leuissima.*

Aliquot regulæ dãtur ex quibus de istiusmodi obligatione iudicare oportet. Prima est hæc. Ad restitutionem obligatur ratione rei iustè acceptæ, quicumque illam habet, domino rationabiliter inuito: sicut contingere censetur, cùm impletum est tempus reddendi inter dantem & accipientem constitutum. *Nu. 14.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rationem tangit D.Thomas in prius cit.art.6.quòd habens rem alienam habeat quod suum non est, verusque dominus tantumdem de suo minus habeat inuitus:cui proinde restitutio ex vi iustitiæ commutatiuæ facienda est, vt æqualitas inter homines constituatur.

Secunda regula,Dicto modo obligatum non sufficit rem aliam aut pretium, sed oportet eamdem numero,si illam adhuc habeat,restituere:idque tempore constituto.Hæc habetur ex §.Item is lib.3.Institut. tit.15.vbi ratio eius attingitur,quòd commodatione, locatione,depositione,aut pignoratione rei non trãsferatur,dominium illius in alterum sed tantùm illius vsus. Nec refert quod res plus valeat tunc, quàm cùm accepta est,aut quàm si accepta non fuisset;quia cùm dominium semper apud dominum perseuerauerit, maior ille valor cedit in bonum ipsius.

Patitur autem hæc regula exceptionem in duobus casibus,quos notat Nauar.in Enchir.*cap.17. num.24. & 25.* Prior est cùm dominus fuerit contentus rem aliam sibi reddi: contra cuius voluntatem si quis etiã pretiosiorem reddere velit, non satisfacit istiusmodi obligationi. Ratio est,quam tangit Caiet. 2. 2. *quæst. 88.ad art. 12. sub initium*: quòd etsi talis res de se melior sit,non tamen ei, cui est minus grata. Posterior casus est cùm per restitutionem eiusdem rei peccator occultus manifestaretur, aut aliquod aliud magnum incommodum sequeretur: in tali casu enim satis est iustum pretium restituere.

Nu.15. Tertia regula vsurpata tam in iure canonico cap. 1.De commodato,& in cap.2. De deposito: quàm in ciuili, lege 5.10.& 18.ff.Commodati: Cùm restitutio facienda est ratione rei iustè acceptæ, siue res illa in toto,*vt cùm prorsus amittitur*: siue in parte, *vt cùm redditur deterior;ex præced.leg.3.* si pereat casu aliquo fortuito,vt incendio,naufragio,aut alio simili: ille qui eam accepit nihil tenetur pro ea restituere:nisi forte ratione pacti,aut moræ,aut culpæ: vt si accepit equũ commodato, & ei in itinere auferatur à latronibus, ad nihil tenetur: & vt habetur in sequen. lege 20. si quis argẽtum commodatum remittat ad dominum per nuntium fidelem, seu quem nemo debuerit existimare facturum fraudem,illúdque pereat culpâ aut malitiâ eiusdem nuntij: is ipse qui remisit non amplius tenetur ad restitutionem. Id quod Syluester notat in verbo Commodatum quæst. decima. Probatur autem proposita regula, eâdem ratione quâ præcedens. Nempe quòd per commodationem & alios contractus memoratos,rei iustè acceptæ dominium non transferatur in alium: ideóque si ipsa pereat,non perit accipienti, sed danti, qui illius dominus est. Cæterùm cur facta sit illa exceptio, *nisi forte ratione pacti,moræ,aut culpæ*, patebit per regulas ex citatis canonibus, & legibus deductas, quas deinceps trademus.

Nu.16. Quarta regula:quãdo conuentum fuit inter dantem & accipientem, vt res pereat in damnum accipientis: hic ad restitutionem seu solutionem pretij eiusdem rei tenetur ratione pacti,quo sua voluntate se tali oneri subiecit.

Quinta regula:quando quis rem aliquam accipit commodato,aut locato,aut in pignus, vel in depositum, & vltra tempus præfinitum illam retinet, nolens reddere cùm tenetur,& potest:quoniam ipse est in mora, si tunc res illa pereat, tenetur restituere æquiualens, seu pretium illius: vt si quis conduxit equum ad vnum mensem & eum retinet ad duos, si equus moriatur secundo mense, conductor tenetur pretium illius reddere. Quod intellige cum Syluestro in fine præcedentis quæst. nonæ, dummodo mora sit causa cur res perierit. Nam si ea apud dominum perinde periisset, recipiens non tenebitur in conscientia ad restitutionem ratione moræ.

Quæ culpa accipientis faciat, vt si res iustè acceptæ perierit,is teneatur restituere æquiualens.

IN hac re consistit præcipua difficultas de restitutione rei iustè acceptæ: cui vt satisfiat, & simul præcedentibus regulis, antequam reliquæ ad propositam radicem spectantes subiiciantur, notanda sunt quædam quorum ex Bartholo ad legem Quod Nerua ff. Depositi & ex Panormit. ad cap. 1. De commodato meminerunt Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 177. & Summularij passim, in verbo Culpa.

Primum est, hîc nomine culpæ non tantùm intel- *Nu.17.* ligi dolum: vt si quis dedità operâ vendat alteri rem sibi commodatam,aut locatam,aut in depositum vel pignus datam:sed etiam negligentiam admissam circa talem rem.

Secundum est: hîc non agi de culpa Theologica quæ peccatum est, seu offensa Dei ex alicuius præcepti transgressione:sed de culpa iuridica,quæ cùm definitur,*Externa actio inordinata, damnum ex mera negligentia inferens*, indicantur quinque conditiones ad illam requisitæ. Prima, vt sit actio externa,quoniam per eam infertur damnum proximo. Secunda, vt sit actio inordinata,id est, in qua notetur deuiatio à recta ratione:neque enim ipsum culpæ nomen tribuitur actionibus iis externis, quibus damnum infertur quidem proximo,sed secundùm rectam rationem; vt ipsum iustè puniendo. Tertia, vt sit ex negligentia, id est,sit effectus negligentiæ, non item negligentia ipsa. Nam vt solicitudo,*cui negligentia opponitur*, est in anima;ex D. Thoma 2.2.quæst.54.art.2. sic est & ipsa negligentia. Culpa autem de qua agimus est in opere externo vt prædictum est. Quarta,vt sit ex negligentia mera, id est, non procedat ex intentione nocendi, quia ex hac procedens, est dolus, non culpa. Quinta, vt diligentiâ & curâ prouidentiáque hominis potuerit præcaueri.Nam si nequiuerit,culpa non erit:sed casus fortuitus.

Tertium est, huiusmodi culpam esse triplicem: *Nu.18.* vnam latam:quando quis facit, aut omittit id quod vt plurimum homines suæ professionis ea in parte non facerent, aut non omitterent; aut quando non intelligit seu non præuidet, quod omnes communiter intelligunt,præuidéntque. Alteram leuem:quando quis facit aut omittit,id quod diligentes suæ professionis non facerent, aut non omitterent; aut non cauit, nec præuidit, quod diligentes communiter cauere, & prouidere solent. Tertiam leuissimam, quando quis facit, aut omittit id, quod soli viri diligentissimi,& maximè circumspecti non facerent aut omitterent. Itaque si liber commodatò acceptus relinquatur in platea, & furto auferatur, dicitur lata culpa: sin relinquatur in cubiculo sed aperto,& auferatur,dicitur leuis culpa:sin demum relinquatur in cubiculo clauso, sed non satis circumspectè obserato,dicitur culpa leuissima.

Quartum est: illum qui tenetur ad restitutionem ratione rei iustè acceptæ, posse tribus modis rem illam accepisse: nimirum vel in suam tantùm vtilitatem propriam, vel tantùm in vtilitatem dantis, vel in vtilitatem vtriusque: de quo Nauarr. in sequenti num.184.

Quintum est:culpam quandam esse antecedentem, id est,quæ antecedit amissionem rei:vt eam qua quis rem alienam transfert in vsum alium,quàm conuentum fuit: vt si equum ad proficiscendum Lutetiam conduxit,& proficiscatur Louanium: atque in itinere equus amittatur;quandam verò esse comitantem, id est,quæ comitatur ipsam rei amissionem.

Nu.19. Quibus ita positis ad regulas antea traditas adduntur quatuor.Sexta igitur regula est:Quando culpa præcedit amissionem rei iustè acceptæ, accipiens tenetur resarcire damnum: etiamsi id (quod Nauar. expressit in eodem cap.17.num.179.)contigerit casu. Hæc ex eo confirmatur, quòd possit contra ipsum agi actione furti,per legem quintam ff. Commodati. Nota tamen intelligendam esse, quando sic vtens re alterius, nouit esse contra voluntatem ipsius: si enim probabilissimè crederet ipsum esse contentum vt sic vtatur, non teneretur de damno, si talis res sine eius culpa pereat,aut deterior fiat prout Nauar. notat in sequen.num.185. Et patet ex lege Qui re sibi commodata ff.De furtis.Dixi,*Probabilissimè* quoniam alioquí vsus est illicitè: nisi animum habuerit compensandi damnum si quod sequeretur.

Nu.20. Septima regula: Qui accipit rem in suam tantùm vtilitatem (quod contingere solet vt plurimum in commodato)tenetur ad restitutionem totius:non solùm quando res ex dolo aut ex lata culpa, verũetiam quãdo ex leui vel leuissima periit.Ratio est, quia rem alienam accipiens propter suam tantùm vtilitatem debet illam diligentissimè custodire. Non est autem audiendus Sotus in lib.4.De iust. & iure,*quæst.7.artic. 2. circa 3. conclus.* cùm negat commodatarium teneri de culpa leuissima, quasi obligatio ad restitutionem requirat peccatum mortale. Item cùm illum cuius culpa res commodata vel deposita amittitur, negat teneri ad restitutionem totius rei amissæ: quasi teneatur tantùm ratione culpæ quæ non est semper magna sed aliquando minor, atque etiam minima. Non est inquam audiendus, quia illum priorem teneri de culpa leuissima, expressè habetur ex cap.vnico De commodato.Hunc verò posteriorem,teneri in solidum seu ad restitutionem totius, habetur ex leg. 5.ff.Commodati §.finali.Quod & probatur quia quo iure ex culpa leui censetur quis obligatus ad partis restitutionem, censendus est obligatus ad restitutionem totius: cùm non ex parte sed ex toto damnum intulerit:fundamentum autem eiusdem Soti, Nauar. consequenter in nu.184.euertit: inquiens eam obligationem non esse spectandam ex peccato iniustæ acceptionis, sed ex vi & natura contractus facti in bonum accipientis. Adde & ex iis, quæ de illo iura definierunt.

Nu.21. Octaua regula: Qui accipit rem in vtilitatem solùm dantis, *vt plerumque fit in deposito*, non tenetur ad restitutionem; nisi ipsius dolus aut lata culpa interuenerit. Hæc habetur ex leg. 1. §. Is quoque ff. De obligationibus & actionibus. Et confirmatur, quia nemo cum tanto suo periculo velit rem alterius seruare; & debet imputari alteri si rem suam non commiserit depositario diligentissimo.

Nu.22. Patitur autem hæc regula exceptionem in duobus casibus:in quibus ex Nauar.in præced.nu.181.ad restitutionem erit obligatio ob leuem culpam; non tamẽ ob leuissimam,aut casum fortuitum: nisi mora præcesserit in reddendo acceptum aut interuenerit pactum,quod ad id obligaret. Alter est,cùm quis accepit mercedem, vt custodiret depositum; tunc enim tenetur diligentiùs custodire. Alter verò cum quis ad custodiendum obtulit se vltro ob solam suam propriam vtilitatem. Secus autem si ex liberalitate, vel amicitia:quia tunc tantùm tenebitur de lata culpa,prout habet Nauarrus ipse.

Aduerte obiter personam conscientiæ timoratæ *cum soleat studiosè sibi à peccato cauere*: non debere facilè de lata culpa damnari: sed illud in quo deliquisse apparet,tribui inaduertentiæ naturali, aut ignorantiæ inculpabili alicuius subtilitatis: quæ rationem peccati excludant,& inducant rationem casus fortuiti excusantis à restitutione.

Nona regula: Quando aliquis in vtilitatem accí- *Nu.23.* pit,tam suam,quàm dantis, *vt in locationibus & pignorationibus plerumque contingit*, vterque de culpa lata & leui tenetur:sed neuter de leuissima. Ratio est, quia ex contractu cum altero,vtilitas ita quæri potest, vt iniuria illius vitari debeat magnâ diligentiâ. Vide Syluestrum in verbo Locatio quæst.17. vbi addit ex Hostiensi, eamdem esse rationem, siue res accepta pereat culpâ eius qui accepit,siue culpâ eorum,quorum opera ipse vtitur.

CAPVT IV.

De obligatione ad restitutionem ratione rei iniustè acceptæ.

SVMMARIVM.

24 *Res iniustè accepta restituenda est eadem numero, si extet.*
25 *Idque statim ac cognoscitur aliena esse, nec vendè potest, etiam empta bona fide.*
26 *Emens rem alienam intentione reddendi eam domino restituenti pretium.*
27 *Fructus quoque rei restituendi: & illorum diuisio in naturales,industriales,& mixtos.*
28 *Obligatio eius qui rem alienam vendidit bona fide.*
29 *Non sufficere ei,cedere domino actionem, quam habet in priorem venditorem.*
30 *Ab obligatione restituendi excusant præscriptio, & vsucapio.*
31 *Quando excusetur à restitutione qui rem alienam vsu consumptibilem à fure accepit bona fide.*
32 *Qui rem alienam accepit malæ fidei tenetur non modò eam restituere, sed etiam omne damnum ex illius carentia domino secutum,resarcire.*
33 *Quis censendus sit accepisse mala fide.*
34 *Idem quoque tenetur ad restitutionem fructuum.*
35 *Bonæ fidei possessor, si apud ipsum res iniustè accepta periit,tenetur tantùm restituere illud,in quo ex illa factus est locupletior.*
36 *De vendente bona fide rem iniustè acceptam.*
37 *De eo qui cibum ex tali re sumpsit bona fide.*
38 *Possessor bonæ fidei habens fructus rei iniustè acceptæ, siue hæc adhuc extet apud ipsum, siue non: & siue factus sit locupletior, siue non: tenetur illos restituere.*
39 *Si nullos habuit,etiam sua culpâ,non tenetur ad eorum compensationem.*

QVATVOR sunt regulæ ex quibus iudicium ferri potest de obligatione ad restitutionem rationè rei iniustè acceptæ.

Obligatio cùm res bona fide accepta est iniustè.

PRima est,quam attigerunt Sylvester in verbo Restitutio 3.quæst.7.Caiet.eod.verbo cap.1.Medina in Cod.De rebus restituendis quæst.10.concl.2. Si is qui tenetur ad restitutionem ratione rei iniustè acceptæ,eamdem numero penes se adhuc habeat,tenetur ipsammet restituere,vbi compererit fuisse iniustè ac-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceptam, etiamsi habuerit illam bona fide, ignorándóve inuincibiliter, aut probabiliter fuisse iniustè acceptam: vt si quis equum quem furatus est vendat alteri ementi illum bona fide: vbi ipse emens rescierit furtiuum esse, tenetur ratione rei iniustè acceptæ, illum restituere proprio domino, & pretij iacturam facere, si à fure illud recuperare non possit. Hæc patet ex lege 2. Cod. De furtis. Et confirmatur quia verus dominus nihil iuris circa talem rem amisit ex eo, quòd per alterius malitiam sit in eum statum adducta. Vnde in tali euentu vnicum superest remedium possidenti, vt de cuictione agat cum eo à quo emit.

Nu.25. Aduertenda sunt autem quædam pro praxi istius regulæ, quæ Petrus à Nauar. in lib. 3, de restit. cap. 4. part. 3. aliis citatis, magna ex parte persequitur. Primum est *(de quo ille dubitat. 1.)* Eum qui bona fide rem alienam habet, teneri illam restituere domino cùm primum nouerit esse alienam: alioqui enim verè esset fur, teneretúrque ad restitutionem, non solùm ratione rei iniustè acceptæ: sed etiam ratione iniustæ acceptionis: quia iniusta detentio tantumdem est, *quod ad mores attinet*, ac iniusta acceptio. Neque amplius esse de illo, vt de bonæ fidei possessore iudicandum; patet per illud *in cap. Si virgo 34. quæst. 2.* quòd tamdiu bonæ fidei possessor quisque dicatur, quandiu se possidere ignorat alienum: cùm verò sciuerit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor per hibebitur, tunc iniustè iniustus vocabitur.

Vnde colliges eum qui scit rem quam habet alienam esse, quamuis bona fide acceperit, non posse illam vendere: siquè vendat, teneri ad pretij restitutionem tanquam malæ fidei possessorem; *de quo in seq. regula.* Similiter colliges eum qui fuerit in mora; quia scilicet non vult cùm potest rem domino reddere, teneri eamdem rem in sua potestate pereuntem restituere, perinde ac malæ fidei possessorem. Neque refert, *vt addit idem author*, quòd res in publico foro empta sit: quia contra iustitiam, ac ius naturale est, cognito vero domino, eàm ipso inuito retinere. A cuius iuris violatione ignorantia non excusat, cùm ipsum sit naturali lumine notum. Nec etiam excusare potest statutum in contrarium: cùm tale non nisi iniquum possit esse.

Nu.26. Secundum est, *de qua Sylu. & Couar. ille in verbo Restitutio 3. quæst. 7. dicto 4. & hic ad regulam Peccatum in initio tertiæ partis num. 5.* Eum qui sciens rem esse alienam emit animo reddendi domino, posse pretium quod dedit ab eodem domino exigere, nec aliter rem ipsam reddere. Ratio est, quia cùm negotium illius gesserit vtiliter, non est consentaneum vt detrimentum inde sentiat: dummodo tamen eiusmodi rem dominus non posset aliter recuperare, atque pretio minore quàm valeat redempta sit. Nam non videretur alioqui vtilitas ipsi domino collata. Quinetiam vt Syluester addit, talis dominus tenetur soluere expensas moderatas quas alter in ea re fecerit gerendo negotium ipsius. Quod Petrus à Nauar. sub finem quartæ dubitationis approbans, addit procedere etiamsi res perierit, neque ad dominum peruenerit: cùm alter negotium ipsius gesserit. Verumtamen cùm non gesserit de ipsius consensu, non videtur ratio sufficiens esse ad obligationem ex iustitia.

Nu.27. Tertium *de quo idem Petrus à Nauar. in præced. dubio tertio*, est; fructus rei alienæ bona fide possessæ, perinde ac rem ipsam, restituendos esse: quia res domino fructificat. Sed nota inter fructus, alios esse naturales: quales sunt qui ex re nascuntur siue vllo labore, industriâ, vel expensis, vt herbæ, glandes & cætera nascentia in terra quæ non colitur: itémque reditus annui censuum, iurium, &c. ac etiam lucrum ex locatione instrumentorum aliquorum. Alios verò esse omnino industriales, quos res ipsa non parit, nisi vt subest humanæ industriæ, tanquam instrumento illos acquirendi. Eiusmodi est lucrum, quod comparatur negotiando pecunia, tritico, & quibuscumque aliis rebus tam immobilibus, quàm mobilibus, eas emendo aut vendendo: tale enim, fructus est tantummodo industriæ, quâ homo iisdem rebus vtitur negotiando. Similiter artefactus, quod quis conficit instrumento alieno; illud enim non est huius fructus, sed industriæ & artis hominis eodem vtentis. Alios denique esse fructus mixtos qui naturaliter quidem nascuntur ex re, sed adiuncta humanâ industriâ. Tales sunt fructus agrorum qui colúntur. Itémque pretia locationis domorum, equorũ, & aliarum rerum, quæ humanam industriam requirunt ad fructificandum, seruiendo vitæ necessitatibus. Cúmque hæc ita sint: primi quidem & tertij generis fructus omnino restituendi sunt, sed deductis laboribus & expensis: secundi autem generis, non sunt restituendi, quia committeretur iniustitia, pretium accipiendo pro re, quæ nullius est pretij, nempe pro fructibus rei, quæ nullos profert. In cuiusmodi acceptione, ratio peccati vsuræ constituitur, prout plenius exponetur cùm ex instituto de ea agetur in sequenti libro 23.

Nu.28. Quartum est, *de quo idem author dubitatione 5. post Sotum lib. 4. De iustitia & iure quæst. 7. art. 2. vers. Quid autem iuris.* Eum qui bona fide rem alienam vendidit non manere obligatum domino eiusdem rei, nisi quoad illud quo ex ea factus fuerit locupletior: vt si cùm emisset eam decem aureis, vendidit quindecim. Probatur quia talis non tenetur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis, cùm rem eiusmodi retinuerit, vendiderítque bona fide; nec etiam ratione rei, cuius nihil apud ipsum est nisi fortè in aliquo sit ex ea factus locupletior: quod ipsum reddendum est domino, tanquam pars quædam suæ rei.

Aduerte verò obiter, eum quoque censendum locupletiorem factum, qui pretium rei alienę aut eamdem rem impenderit in sumptus, quos statuerat nihilominus facere, siue ex liberalitate siue ex obligatione. Nam inde factum est vt plus habeat in suis rebus quàm aliàs haberet: quod est locupletiorem idcirco esse.

Quintum est, Eum qui bona fide alienum vendidit, teneri emptorem suum, reddito etiam pretio, indemnem seruare, vbi sciuerit alienum esse quod vendidit. Probatur quia non transtulit rei dominium in emptorem qui propterea grauatur onere restituendi. Vnde cùm venditor teneatur emptori sanam & securam facere rem venditam, vt patet ex toto titulo De euictionib. Digestis: talis tenebitur rescindere contractum, & emptori restituere pretium ab eo acceptum: perinde nimirum ac si vitrum emisses pro gemma, & bona fide alteri rursus vendidisses: postea enim sciens falsitatem *(quia æstimationem accepisti pro eo quod nihil valebat)* contractum rescindere seu emptori ipsi pretium reddere teneris.

Quod notans Sotus loco cit. colligit deinde ex dictis, quòd si secundus emptor non compareat, neque sit metus, quòd ab ipso repeti debeat res; eum qui bona fide illam vendidit, postea sciens aliená fuisse, ad nihil teneri: nisi ad illud quo ex ea factus fuerit locupletior. Similiter colligit eum qui bona fide in bello injusto, quod iustum esse putauit, deprædatus est aliena, postea sciens non fuisse iustum, teneri restituere illa quibus factus est locupletior: non item ædes quas incendit, aut animalia quæ occidit.

Nu.29. Colligit quoque Petrus à Nauar. in fine cit. dubit. quintæ, falsum esse, quod Nauar. habet in Enchir. cap. 17. num. 8. venditorem liberari tam in foro conscien

scientiæ, quàm in contentioso, si in emptorem cedat actionem, quam habet contra primum venditorem. Dictum est enim ipsum obligari ad securitatem rei venditæ: immo ad redditionem pretij accepti, ad quam cogetur in tribunalibus, *inquit Petrus à Nauar. ibidem*, exceptis aliquibus casibus quos habet Syluester in verbo Emptio quæst. 25.

Nu.30. Sextum est, *ex Soto in eod. art. 2. vers. Exceperim*, iure præscriptionis, & vsucapionis, bonæ fidei possessorẽ (malæ fidei non item) ita rei & fructuum dominium posse acquirere, vt quamuis comperiat illam non fuisse suam, ad nullam restitutionem teneatur. Vbi aduerte ad lites interimendas iura concessisse; vt qui certo spatio temporis rem aliquam habuit acsi esset sua, licet verè non esset, acquireret dominium illius: quod spatium in rebus mobilibus est triennium & vulgo appellatur vsucapio: in immobilibus verò decennium saltem, & dicitur præscriptio: de quibus dicendum est ex instituto: in sequen. cap. 20.

Nu.31. Septimum est, *quod idem Petrus à Nauar. tractat dubit. sexta.* Eum qui bona fide à fure accepit rem vsu consumptibilem. vt pecuniam, vinum, oleũ, aut aliud eiusmodi non teneri ad illius restitutionem, si eam acceperit ita mixtam cum alia re eiusdem furis, vt discerni nequiret. Rationem ille tangit sub finem eiusdem dubitationis, quòd talis res non sit amplius aliena, cùm per dictam mixtionem dominium illius translatum sit iure naturali in ipsum furem: vtpote dominũ eius rei cum qua sic permixta est, vt nihil superfit, *perinde ac si corrapta esset*, vnde alterius esse cognoscatur. Quare non tenetur ad restitutionem ratione rei iniustè acceptæ, seu rei alienæ. Nec etiam tenetur ratione iniustę acceptionis: quia accepit eam de voluntate illius qui habebat eius dominium. Si verò talis res haberetur non permixta, itaut ab aliis discerni possit perinde atque alia non consumptibilis vsu, restituenda esset eadem numero. Quod si acceptam non permixtam permiscuisset cum sua, teneretur restituere illud quo factus est locupletior. Nec enim potest sufficiens adferri ratio excusandi à restitutione in tali casu.

Obligatio cùm res iniustè accepta est mala fide.

Nu.32. SEcunda regula est, *quam Sotus adhuc habet ibid. versu De illo autem.* Si is qui ad restitutionem tenetur ratione rei iniustè acceptæ, eam acquisierit mala fide, non tantùm illam restituere tenetur: sed etiam omne damnum quod ex illius carentia verus dominus interea passus est. Id quod non vsuuenit ei qui bona fide acquisierit. Nam etsi teneatur rẽ acceptam restituere iuxta regulam præcedentem: non tamen resarcire damnum ex illius carentia secutum. Ratio autem eius discriminis hæc est; quòd malæ fidei possessor ad restitutionem obligetur non tantùm ratione rei acceptæ, sicut possessor bonæ fidei: sed etiam ratione iniustæ acceptionis. Quandoquidem rem alienam habere mala fide, quocumque titulo accepta sit; siue emptionis, siue donationis, siue alio: perinde est ac furtum fecisse, contrectando iniustè rem alienam; vt notat Medina in Cod. De rebus restit. sub initium quæst. decimæ. Quo fit vt idem malæ fidei possessor teneatur non tantùm reddere id in quo factus est locupletior ex re aliena (sicut possessor bonæ fidei) sed etiam compensare omne detrimentũ quod verus dominus ex carentia suæ rei accepit. Itaque si quis mala fide accepit pecuniam qua verus dominus solitus erat negotiari, tenetur refundere lucrum ea de causa eidem domino cessans. Similiter si emit equum ablatum ab homine solito locare equos; non tantùm tenetur eumdem equum suo domino restituere, sed etiam omne illud quod is lucratus fuisset ex locatione eiusdem equi sui: deductis tamen expensis factis in eo alendo, iuxta paulo post dicenda. Eadem ratione si verus dominus ob ablatam sibi pecuniam coactus est sub vsura mutuam accipere, vel maiore pretio quàm fecisset, triticum emere, malæ fidei possessor tenetur ei talia damna resarcire, & sic de similibus.

Nu.33. Cæterùm mala fide censetur is rem acquirere, qui scit eam esse alicui iniustè oblatam, aut id nescit crassa tantùm ignorantiâ: vt quis censetur quando debebat meritò cogitare esse alienam: *ex Syluest. restitutio 3. quæst. 7. dicto 2.* vt quia publicantur excommunicationes aduersus talium rerum raptores, vel tempus est belli, cum calix vel Missale, aut aliud eiusmodi à milite venditur: vel communiter dicitur rem eam furtiuam esse; aut etiam *ex D. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 12. §. 16.* cùm super hoc, quòd aliena esse possit propter suam fatuitatem & temerariam simplicitatem nihil cogitans, emit illam. Nam taliter nescíens perinde tenetur ac sciens, cùm nullam habeat iustam excusationis causam. Procedit autem istud, siue quis rem habeat proximè à fure, siue mediatè, & ab eo qui iam est tertius vel quartus possessor, & sic in infinitum, vt notant Angelus & Sylu. ille Restitutio 1. in verb. Emens num. 1. & hic Restitutio 3. quæst. 7. dicto 1.

Nu.34. Intelligitur autem ex proposita regula: cùm malæ fidei possessor teneatur ad compensationem damni, multo magis teneri ad restitutionem fructuum, quos ex re sua dominus percepisset. Et ita habetur ex cap. Grauis De restit. spoliat. verumque est, ex Couar. ad regulam Peccatum, par. 2. §. 6. num. 4. non tantùm quoad fructus naturales, & quoad mixtos, qui attentâ communi industriâ percipi potuissent: sed etiam quoad eos mixtos quos verus dominus percepisset secundùm singularem suam industriam.

An autem possessor ipse malæ fidei teneatur restituere fructus quos ex re aliena acquisiuerit per suam singularem industriam, quæ excesserit non modò id quod communis, sedetiam id quod singularis domini industria efficere potuisset, idem author explicat; inquiens teneri restituere eos, qui apud ipsum adhuc extant, vel ex quibus factus est locupletior: quia sunt ex re domini. Si verò nec extent nec ex illis factus est locupletior, non teneri: quia illud non pertinet ad compensationem damni, cùm dominus non esset aliàs tale quid habiturus; neque ipsum tunc habeatur ab alio, etiamsi aliquando habitum fuerit. Cui tamen rationi respondeti potest illud quoque ideo pertinere ad damni compensationem: quia quo tempore tales fructus extiterunt, domino rei fuerunt debiti; & iniustè, sicut & res ipsa, retenti ab alio: qui proinde tenetur eos pariter restituere; deductis tamen expensis factis; tum circa eosdem fructus in colligendo eos, conseruando & augendo: tum circa rem; si vel necessariæ fuerunt; vt cùm sine illis ea periisset, aut deterior facta esset: vel certè fuerunt vtiles, seu quæ eam reddiderunt fructuosiorem. Non item si solùm fuerint voluntariæ, seu ad voluptatem solùm & ornatum sint factæ; vt in viridariis, picturis & id genus aliis consumptæ. De qua re videri potest ipse Couar. ad Reg. Peccatum: *par. 2. §. 6. num. 3.*

Et addi, ex lege In fundo: De rei vendicatione; etiamsi valor quo res excreuit superet expensas: non esse tamen plus deducendum, quàm expensum sit: quia illud incrementum rei cedit domino eiusdem: Sin talis valor sit minor quàm expensum sit, deduci potest solummodo quantum expensum fuit: quia dominus non tenetur compensare tale damnum cui nul

Universidad de Deusto
Biblioteca

nullam dedit causam. Addi quoque potest ex eodem Couar. *lib.1.variar.resolut.cap.3.num.3.* inter expensas peti posse iustum pretium laboris necessarij, vel vtilis, quod dandum fuisset alteri, qui alioqui adhibendus fuisset ad eum subeundum pro conseruatione, aut melioratione rei. De fructibus autem merè industrialibus Sotus *loco citato vers. Intelligè autem,* expressit lucrum ex furtiua pecunia per industriam illius à quo iniustè detinetur, non esse restituendum. Quod pari ratione sentiendum est de aliis eiusdem generis, iuxta tertium notatum ad præcedent. regulam primam.

Obligatio cùm res iniustè accepta periit.

Nu.35. TErtia regula est: Eum qui obligatur ad restitutionem ratione rei iniustè acceptæ, si res periit, vel amissa sit, vel non sit amplius in ipsius potestate: sed vendita, aut ad victum vel vestitum aut etiam inutiliter consumpta, aut ludo perdita; aut dono vel in eleemosynam alteri data, aut aliter alienata: siue per culpam suam siue nulla sua culpa: si quidem bona fide illam habuit; neque per dolum desiit possidere. Eum inquam teneri tantum restituere, id in quo factus est locupletior, seu quod ipse sibi non conseruasset, nisi rem eiusmodi contrectasset. Sin habuerit mala fide, teneri totum rei pretium reddere ac compensare totum detrimentum quod passus est eiusdem rei dominus ex illius carentia. In hac vno ore omnes Doctores (*pluribus commemoratis lib. 3. De restit. cap. 4. par. 3. dubit. 1. in fine*) conuenire ait Petrus à Nauar. Quæ ex eo confirmatur: quòd bonæ fidei possessor ad restitutionem teneatur tantùm ratione rei alienæ quam possidet. In casu autem proposito non possidet eam, nisi quoad illud quo factus est ex ea locupletior. Possessor verò malæ fidei teneatur ratione iniustæ acceptionis: quæ perseuerat etiam re perempta: siue ex ea factus sit ditior, siue non; & siue ea perierit sua culpa, siue non: manente autem causa, manet & effectus ei necessariò coniunctus; sicut cessante causa cessat & effectus.

Nu.36. Ex qua regula infertur primò, quòd si quis bona fide à latrone rem accipiat titulo donationis, eámque vendat, teneatur pretium quod habet restituere domino: quoniam quoad illud locupletior factus est. Ita habet Caietan. in verbo Restitutio cap. 1. versic. Aduerte.

Infertur secundò, quòd si quis bona fide rem à latrone emit, posteáque simili fide eam vendidit, non teneatur pretium reddere vero domino: si quidem vendidit eodem pretio, quo emerat, aut certè minori: quia in hac parte, *vt patet*, non fuit factus locupletior: neque pretium ex re furtiua, bona fide receptum est furtiuum: vt rectè notat Sylu. Restitutio 3. *quæst.7. dicto* 3. ex lege qui vas ff. de furtis. Quod si maiori pretio eam vendidisset, tunc ad plus illud restituendum teneretur; quia in eo factus est locupletior; nisi idipsum plus pertineat ad industriam ipsius, non ad rei valorem: sicut censetur cùm quis triticum furtiuum negotiando transtulit ad locum in quo carius vendi cognouit; aut ex illo seminauit agrum suum: plus enim quod inde acquirit, est fructus industriæ suæ, non autem tritici, quod non erat natum tale quid proferre. Vbi obiter aduerte, non sementem, sed agrum in quo excipitur proferre fruges: quæ proinde non sementis, sed agri fructus dicuntur.

Nu.37. Infertur tertiò, quòd si quis bona fide inuitatus ad cœnam, de alieno vitulo comedit quidem, sed tamen fecit consuetos sumptus cœnæ propriæ in domo sua, non teneatur ad restitutionem: quia ex tali vsu rei alienæ non est factus locupletior. Si verò ob tale conuiuium pepercit sumptui, quem ob propriam cœnam fecisset, teneatur ad restitutionẽ eius in quo factus est locupletior (habẽdo scilicet adhuc id quod alioqui consumpturus erat) non ad amplius: quamuis ipsum minus sit, quàm illud quod de dicto vitulo comedit. Neque tamen si sit maius, tenebitur idipsum totum restituere: vt Petrus à Nauar. *in seq. dub.2.* ex eo probat, quòd alioqui plus restitueretur quàm esset ablatum: ad quod ne quidem is, qui mala fide accepit, tenetur; cùm iustitia id non exigat.

Possent hoc loco pleraque alia similia exempla assignari, quorum aliqua videri possunt apud Sotum *in citato art.2. vers. Regula est iuris:* qui bene notauit nõ esse quem iudicandum fieri locupletiorem propterea solùm, quòd occasione doni accepti statum mutauerit, induendo se splẽdidius, aut viuendo lautiùs: sicque bona fide consumperit id quod ex re aliena sibi dono datũ est. Satis est enim quòd nihil amplius quàm alioqui haberet, ea de causa habeat, vnde locupletior factus esse dicatur. Exempli gratia. Aliquis inuitatus ad splendidissimum conuiuium, in quo bona fide consumpsit res magni pretij, quas postea scit esse furtiuas; solùm tenetur restituere quantum consumpsisset ex suis propriis bonis, si de talibus non comedisset. Similiter si quis vestem pretiosam bona fide emit vili pretio, & post eam consumptam, rescit esse alienam, tenetur solùm restituere quantum ipse expendisset in alia veste, nisi illam emisset. Possessor autem malæ fidei teneretur ad restituendum totum, quod de alieno consumpsit, etiamsi non erat alioqui tantum sumptum facturus.

Obligatio cùm fructus rei iniustè acceptæ extant.

QVarta regula est. Possessorem bonæ fidei habẽ- *Nu.38.*
tẽ fructus ex re iniustè accepta: siue hanc adhuc habeat, siue non: teneri illos restituere siue sit factus locupletior, siue non. Hæc manifesta est ex eo quod Caiet. expressit in verbo Restitutio cap.1 paulo ante finem: nullam differẽtiam esse quoad restitutionem, inter rem alienam, & fructus rei alienæ: cùm fructus hoc ipso sint res alienæ, quòd producti sint à re aliena; vnde quia illi ad huius dominium pertinent, dum quis eos non restituit, planè retinet alienum. Quod aduerte locum habere: quantumuis dominus non esset ex tali re tales fructus alias habiturus. Id enim non impedit quominus pertineant ad eumdem dominum, cuius conditio per accidens in eo est melior effecta.

Cæterùm si bonæ fidei possessor nullos fructus ex *Nu.39.*
re habuit, etiam suâ culpâ lata, nõ tenetur ad aliquam compensationem: quia si aliqui prouenissent, etiam sine sua industria, & postquam illos percepisset, durante bona fide malè consumpsisset, arqueadeo in mare proiecisset, non teneretur ad illorum restitutionem, vt hinc probatur; quia non datur talis obligatio ratione iniustæ acceptionis, cùm formaliter non peccauerit contra iustitiam, excusante illum ignorantia: neque ratione rei acceptæ, cùm eam non habeat, neque factus sit ex ea locupletior. In eóque distinguitur possessor bonæ fidei à malæ fidei possessore.

***

CAPVT V.

De quæstionibus quæ moueri possunt circa propositam obligationem.

SVMMARIVM.

40 *De quæstione, An is qui rem furtiuam emit, possit eam reddere furi, ad recuperandum pretium à se datum: authores & rationes in vtramque partem.*

41 *Negatiua est tenenda, cùm possessor fuerit malæ fidei, aut rem gratioso titulo acceperit.*

42 *Est locus excusationi ob facilitatem quã dominus sciatur eam recuperaturus, vel ob iuris ignorantiam excusabilem.*

43 *Cùm possessor fuerit bonæ fidei, non videtur cogendus ad vnam potius quàm alteram partem sequendam.*

44 *Quid agendum sit possessori bonæ fidei, cùm furem aut rei dominum inuenire non potest.*

45 *Permittens rem iniustè acceptam, sibi auferri ab eo qui dedit, dummodo non offerat, liber est ab obligatione restituendi.*

46 *Quando malæ fidei possessor teneatur restituere rem in valore quem habuit maximum, à tempore quo ipse fuit in mora restituendi.*

47 *Quando ad id non teneatur.*

48 *Ad restitutionem tenetur qui infert damnum quod alius erat illaturus, nisi ipse intulisset.*

49 *Qui rem accepit dubitans an esset aliena, vbi sciuerit alienam esse, tenetur restituere tanquam malæ fidei possessor.*

50 *Sin postea sciuerit fuisse dantis, eam retinere potest: manente verò dubio, tenetur veritatem diligenter inquirere, quam si detegere nequeat, partem restituat secundum quantitatem dubij.*

51 *Qui non ab initio sed postea cœpit dubitare, an res esset aliena, tenetur adhibere diligentiam ad intelligendam veritatem: quã adhibitã si adhuc manet dubium, non tenetur restituere.*

52 *Accipere donó vel emere ab eo qui non est soluendo, non inducit obligationem ad restitutionem, nisi res esset hypothecata creditoribus.*

53 *Tamen peccatum est, & illud cum obligatione ad restitutionem, si fuerit cum solicitatione ad dandum aut vendendum: aut res quæ donata est aut credito vendita, adhuc habeatur.*

54 *Si accepta sit & consumpta bona fide, non est obligatio ad illius restitutionem.*

QVÆSTIO I.

An quo casu quis bona fide rem emit, comperiens postea esse alienam, possit eam restituere illi à quo emit vt suum pretium recuperet, quod scit se alioqui amissurum esse.

Nu.40. HÆc magnam habet difficultatem: de eáque sunt oppositæ Doctorum sententiæ: Nam Alen.4.part.quæst.86.membro 3. Angelus Restitutio 1.ver.Emens num.1. Sylu. Restitutio. 3.quæst.7.dicto 1. D. Anton. 2.part.tit.1. cap.12.§.16. Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 8. & 9. Gabriel in 4.distinct.15.quæst.3.art.3.dub.5. quos Petrus à Nauarra lib. 3. cap.4.part.3. dubit. 4. sequitur, affirmantem partem tenent. Potissimáque ratio ipsorum est, quòd emens rem aliquam bona fide, nullo iure teneatur cum graui suo incommodo eam reducere in meliorem statum, quàm erat cùm sibi data est. Sed tunc erat in manibus latronis. Quando ergo periculum est, quòd nisi eam reddat latroni, amittet pretium, non tenebitur cum tanto damno eam domino restituere: præsertim cùm nihil peccauerit accipiendo, aut retinendo, atque in pari casu innocentiæ, quisque sibi magis teneatur quàm alteri.

Partem negantem verò, quódque domino facienda sit restitutio, tenent Medina in Cod. De rebus restit. quæst.10. Sotus lib.4. De iust. & iure, quæst.7. art. 2. Couar. ad regulam Peccatum 3. par. in initio nu.3. & alij quos loco cit. Petrus à Nauarr. commemorat: & Ludouicus Molina sequitur De iust. & iure tract. 2. disput. 721. ac propugnat acriter. Fundamentum ipsorum est, quòd si dominus rei sciat eam esse apud possessorem bonæ fidei, potest prohibere ne eam latroni tradat, & cogere vt sibi restituat: peccarétque idem possessor, si id non faceret. Cùm ergo ex natura rei, dominus ius istud habeat, præsumendúmque sit, dum ignorat statum rei suæ, quòd velit restitutionem sibi fieri non furi: sanè possessor faceret contra ius, si ei rem suam non redderet. Et certè si dum res in eo statu est, possessor habeat ius illam reddendi furi ad recuperandum pretium suum, non esset ratio cur eiusdem rei dominus (immo & Iudex id facere postulatus) possit possessorem ipsum ea ex parte prohibere, ac suo illo iure spoliare. Adde quod res in eo statu existens debeatur domino, non autem furi: idcóque possessor non possit illam huic tradere ad recuperandum pretium suum: quòd fur tenetur sine tali traditione ei reddere: neque periculum illius perdendi, imminet aliunde, quàm ex eiusdem furis malitia; cui vt obsistatur non licet ponere rem alienam in peiore statu quàm sit ille, in quo de facto constituta est.

Nu. 41. Cæterùm de tota hac re videtur dicendum primò, malæ fidei possessorem non posse rem alienam ei à quo accepit reddere, ad recuperandum suum pretium, nisi certò sciret eam esse nihilominus vero domino reddendam. Nam ratione acceptionis iniustæ qua participat in iniusta detentione, & contrectatione rei alienæ, tenetur ad restitutionem in solidum, non minus quàm si domino eam primus surripuisset. Quod si dominus ipse non inueniatur, facta diligenti inquisitione, quidquid res valet deductis expensis circa eam factis, dandum est, *inquit D. Anton. in cit. §.16. sub finẽ*, pro anima illius cuius fuit. Etenim talis possessor, vt ex Hostiensi & Monaldo habet Sylu. *in verbo Restitutio, tertio quæst.7. dicto* 5. tenetur pauperibus de re vel illius pretio, & de fructibus eiusdem rei. Addit autem D. Anton. Prælatum posse eidem possessori, si pauper sit, tale quid relinquere.

Dicendum secundò, si res titulo gratioso, id est, donatione accepta sit; eum qui bona fide accepit non posse illi qui dedit reddere, si periculum sit, ne vero domino pereat; sed teneri eidem domino reddere. Nullam enim iustam habet causam exponendi tali periculo rem, quam scit esse alienam: sicut nec eam sibi retinendi.

Dicendum tertiò, quòd quando esset admodum verosimile, quòd tradendo rem furi dominus rei nullum damnum pateretur: quia vel fur sua sponte restitueret, vel facilè & absque molestia & incommodo dominus illam recuperaret; tunc posse bonæ fidei possessorem reddere eam furi: si alioqui periclitaretur pretium quod pro ea dedit: quia dominus esset irrationabiliter inuitus, si id nollet fieri: nec est qui de hoc dubiter: vt nec quin possessor ipse bonæ fidei teneatur reddere domino rem, quam habet, quando

Universidad de Deusto
Biblioteca

quando potest pretium furi datum aliâ viâ recuperare, quàm ei reddendo illam, quia contra iustitiam est te indemnem reddere, damnum inferendo proximo, cùm possis aliâ viâ.

Dicendum quartò, *quod Sotus in cit. art. 2. non longè à principio expressit*: si rusticus seu quispiam alius, qui non tenetur iuris subtilitates scire, probabili ductus ignorantiâ restituat rem prædoni, vt pretium recuperet, non curando verum dominum: eo quòd nesciat ei potius, quàm alteri faciendam restitutionem: ipsum postmodum in nihilum teneri ipsi domino rei. Ratio est, quia non tenetur ratione rei acceptæ: cùm illam iam non habeat, sed suum pretium, in nullo factus ex illa ditior; nec renetur ratione iniustę acceptionis: quia bona fide reddendo eam, non peccauit.

Nu.43. Dicendum quintò, non esse facile vnam potius quàm alteram duarum ante propositarum sententiarum condemnandam, propter authoritatum, & rationum penè parium momenta, quibus nituntur: itaut super eis scrupulus peccati mortalis Pœnitenti non sit iniiciendus, siue hanc siue illam in praxi sequi velit. Nam etsi admittamus, quod Medina dixit, priorem quidem esse piam, sed posteriorem videri tutiorem: tamen non compellimur ex eo dicere, hanc illâ relictâ de necessitate esse in praxi sequendam: cùm in iis quæ sunt inter authores dubia, sequi partem tutiorem sit tantùm consilij ex D. Anton. 1. *part. titul.* 3. *cap.* 10. §. 10. *& Nauarr. in Enchir. cap.* 27. *numero* 280. dummodo tamen altera sit tuta & probabilis, seu quæ nitatur ratione sufficienti ad eam sibi prudenter persuadendam. Si obiicias, documentum illud pati exceptionem in casu in quo proximus afficeretur iniuriâ. Respondetur, casum propositum non esse eiusmodi; quia in eo, sicut vnus rem suam, ita alter pretium suum habet expositum periculo; & in pari causa, licet proprium anteponere alieno.

Nu.44. Dicendum sextò, bonæ fidei possessorem, si fur vel alius à quo rem alienam accepit, non compareat, vt pretium recuperet: debere omnino eam reddere domino: quia ei soli debetur tanquam sua. Neque reddenti tenebitur refundere pretium datum: sed tantum satisfacere expensis, iuxta prius tradita. Si autem vetus dominus non inueniatur, factâ illius diligenti inquisitione, possessor ipse bonæ fide; ex Sylu. *in cit. dicto* 3. potest quidem ei à quo accepit rem reddere, vt pretium suum recuperet si possit: sed debet omnes fructus non consumptos bona fide, & quidquid aliud ex quo inde est ditior, erogare pauperibus. Quod si facta erogatione dominus compareat, manebit liber à restitutione erogatorum, tanquam is qui fecerit de alieno, quod debebat in tali casu.

Porro si possessori bonæ fidei, post venditionem innotescat rem fuisse alienam, non tenetur idipsum indicare domino aut emptori, si ei notabile damnum inde immineat, vt si ideo nequeat recuperare pretium quo bona fide emerat. Ratio est: quia cùm rem alienam non habeat, nec alicui sit causa damni iniusta, non tenetur cum magno suo damno curare vt dominus recuperet.

Nu.45. Dicendum septimò, si fur rem furtiuam quam alteri dedit auferret ab eodem, non quidem offerente illam, sed solùm ad vitandum suum damnum, permittente auferri: sic permittentem non teneri ad restitutionem: quia is non esset qui rem de meliori statu extraheret, & constitueret in peiori quàm erat, sed fur: neque de eo aliud verificaretur, quàm quòd extractionem non impedierit, quam nó tenebatur impedire cum tanto suo damno. Secus esset verò, si ad id furem induceret, aliquo modo ei cooperando, quia tunc causa esset damni, peccarétque contra iustitiam: atqueadeo teneretur ad restitutionem. Solùm enim permittitur ei, habere se merè negatiuè, non impediendo.

Qvæstio II.

An malæ fidei possessor teneatur restituere rem in eo valore quem habuit maximum, à tempore quo ipse fuit in mora restituendi.

Nu.46. Hanc latè tractat Lud. Mol. de iust. & iure tract. 2. disput. 725. Pro resolutione autem Confessario necessaria dicendum primò, ex Medina Cod. De reb. restitut. quæst. sexta, Couarr. ad regul. Peccatum *par. 2. §. 6. num. 2.* si rei valor accreuerit in manu detentoris iniusti, & postea decreuit, verosimileque fuit, quòd si eam restituisset cùm plurimum valuit, dominus eam vendidisset: aut non emisset aliam æqualis valoris, tunc furem teneri restitutionem facere secundum maximum illum valorem; vt si quo tempore fur triticum furatus est, ipsum valebat quinque, & postea crenit ad valorem 10. quod dominus habens, tunc venderet eo pretio, fur ipse tenetur illud restituere iuxta valorem 10. Probatur, quia quando res peruenerit ad maximum illum valorem, is totus erat domini. Quia ergo fur tunc iniustè distulit solutionem, tenetur ratione illius iniustæ retentionis ad restitutionem totius talis lucri cessantis, aut damni emergentis cui causam dedit. Quòd si non esset moraliter verosimile dominum illam suam rem venditurum esse in eo maximo valore, aut recusaturum esse in re æquali sumptum facere, si restituta esset sua cùm peruenit ad valorem illum; tunc tantum, non plus vel minus, restituendum est quantum æstimabitur arbitrio prudentis interuenisse lucrum cessans aut damnum emergens ex tali iniusta retentione: vt nimirum dominus sic tantum habeat in bonis quantum habuisset si ei res ablata non esset. De qua re videri potest Petrus à Nauarr. lib. 4. De restit. *cap. 1. dubit.* 4.

Dicendum est secundò ex Couarr. *& aliis quos ipse citat in præced. num.* 1. Quando res perit, aut redditur deterior in potestate iniusti detentoris, de qua non constat simili modo perituram, aut futuram deteriorem in potestate domini, quia fortè is illam distraxisset antequam ad talem statum deueniisset, vel impediuisset ne id eueniret; vel casus qui accidit rei existentis in potestate iniusti detentoris, non accidisset eidem, si in manu domini fuisset. Dicendum inquam est: detentorem tunc teneri illam domino restituere iusto valore secundùm prudentis æstimationem. Id quod procedit quantumuis res sic perierit citra vllam culpam eiusdem iniusti detentoris: vt v. g. tacta fulgure de cœlo. Ratio est: quia talis iniustus detentor semper censetur in mora esse non restituendo: cùm æquiparetur furi, qui, *vt habet lex In re furtiua ff. de condictione furtiua*, semper in mora esse videtur. At morosò damnum imputatur: quamuis ipsum citra suam culpam contingat, vt multarum legum authoritate probat Couarr. loco citato. Rationem addens quòd per iniquam detentionem alter sit læsus in valore rei quæ periit.

Aduerte tamen, quòd si talis iniustus detentor loco & tempore congruo rem obtulerit vero domino, non teneatur postea ad damnum, quod sine sua culpa euenit: cessat enim tunc allata ratio: quandoquidem offerendo purgauit moram; quemadmodum Syluester docet in verbo Furtum, quæst. 16. in fine. Cæterùm cùm dicimus detentorem quo casu moram non purgant, teneri restituere rem quæ secundùm iustum valorem facta est deterior: sic accipiendum est: vt ad alterum duorum sub disiunctione ipse teneatur, prout ille cui restitutio facienda est elegerit: nempe vel ad reddendam rem, & tantum insuper addendum, quantum æstimatur detrimentum, quod ea passa est; vel eâdem sibi retentâ ad reddendum totum id quod valeret si non esset reddita deterior. Id quod Medina in citata quæst. 6. notans, addit rationem: quòd rei dominus rationabiliter inuitus esse posset, si postquam res sua est reddita deterior, cogatur eam accipere, vel eâ priuari: itaut consentaneum sit relinqui arbitrio ipsius, quod maluerit illorum duorum eligere: cùm ad eum rei statum deuentum sit per iniustitiam detentoris: cuius proinde conditio meritò deterior est.

Nu.74. Dicendum est tertiò, quòd quando constat fore rem simili modo perituram, aut deteriorem reddendam apud verum dominum, iniustus detentor non teneatur in conscientia facere talis damni restitutionē, si absque sua noua culpa pereat, aut deterioretur ipsa res. Id quod tunc maximè probabilitatem habet, quando res statim perit, aut deterior redditur, eo modo quo peritura esset aut deterior futura, existens in potestate domini. Vt si per aduentum hostium ablata esset eo modo, quo existens in potestate domini ablata fuisset: aut si aliquis in naui quæ patitur naufragium furetur aliquid animo sibi retinendi illud, & postquam accepit statim ipsum perit in mari eo modo quo perituram erat, si non accepisset. Ita docet Medina ibidem, & latius tractat Petrus à Nau. lib. 4. de restitut. *cap. 1. dubit. 3. à num.* 15.

Immo locum habere etiamsi aliquanto pòst res pereat aut reddatur deterior, probatur: quia de rigore iustitiæ, nullus ratione iniustæ acceptionis tenetur ad aliud, quàm ad compensandum damnum, quod ex ipsa iniusta acceptione secutum est. At in hoc casu talis detentor ex ea tantùm radice, *iniustæ inquam acceptionis*, ad restitutionem tenetur. Quādo enim res periit, non potest teneri ex re accepta: párque ratio est quoad illud in quo deterior facta est res: quandoquidem in deterioratione illud quod consumptum est, periit. Quia igitur in casibus de quibus disputamus nullum de facto damnum domino rei secutum est ex iniusta acceptione, aut detentione (quandoquidem in potestate ipsius erat similiter peritura) fit vt nulla insurgat restituendi obligatio in foro conscientiæ. Cōcedimus tamē, quòd talis retentor apud quem res periit, teneatur restituere fructus si quos ex illa percepit, aut dominus ipse percepisset: inter quos computari debet etiam vsus; si is alicuius valoris fuerit, aut si dominum priuauit aliquo tali vsu: itémque totum lucrum inde cessans, aut damnum

Nu.48. inde emergens.

Potest hic aliquis percontari, An ad istiusmodi restitutionem is teneatur, qui alteri iniustè damnum infert v.g. comburendo ipsius domum nihil emolumenti inde percipiendo, & posito quod si ille id non fecisset, alius erat idem damnum illaturus. Atque videtur prima fronte respondendū esse negatiuè: quòd par ratio videatur esse in hoc casu, & in eo de quo proximè actum est. Sed tenendum est oppositum: quia sicut alius, qui erat damnum iniustè illaturus, teneretur ad integram restitutionem si illud dedisset: ita & tenetur is de quo agimus, qui in damno inferendo illum præuenit; neque par est ratio in hoc casu, ac in proximè tractato, vt vtrumque attentè considerans facilè intelliget.

Qvæstio III.

An is ad restitutionem teneatur, qui dubitat: vtrum res quam habet sit iniustè accepta.

Ad huius explicationem dicendum est primò, *Nu.49.* quòd si is qui à principio cùm rememit, aut aliter accepit, dubitauit an esset aliena, & iniustè possessa ab eo à quo accipiebat, eique postea constet esse reuera alienam, tenebitur perinde ad restitutionem ac malæ fidei possessor. Quamuis enim inter bonam & malam fidem detur medium, ex Couarr. ad Reg. Possessor 2. *par. 6. 7. num. 2. & sequen.* nempe dubium, quo quis neque scit aut credit rem esse suam, *sicut bonæ fidei possessor*; neque scit aut credit rem esse alienam, *sicut possessor malæ fidei*: sed consistit medius inter vtrumque; attamen quoad inchoandam possessionem & retinendam sibi rem, perinde est cum tali dubio, ac cum mala fide eam accipere; vt argumento est, quòd illo modo, perinde ac isto, conscientia dicter capienti nefas ipsi esse rē ea ratione vsurpare.

Cæterùm hoc intelligendum est posità conditione, quòd quis rem cum tali dubio accipiat animo sibi retinendi. Qui enim acciperet cum eodem dubio, sed animo adhibendi diligentiam debitam in inquirendo cuius sit, atque tradendi ei si inueniatur, *quia non faceret iniuriam, sed vtiliter gereret negotium domini*: tunc ad restitutionem teneretur eo solùm modo, quo bonæ fidei possessor.

Dicendum est secundò, quòd si quis cum dicto du- *Nu.50.* bio accepit rem animo retinendi eam sibi, posteaquā constat non fuisse alienam, sed eius à quo accepit, ad nullam tenebitur restitutionem: quia licet peccauerit cum tali dubio accipiendo rem, vt sibi retineret: tamen quia reuera nulli alteri fecit iniuriam, nulli restitutioni manet obnoxius.

Dicendum est tertiò, quòd si quis re accepta animo retinendi, adhuc perseueret dubius, neque sciat an ea sit aliena, tenebitur moralem adhibere diligentiam ad sciendum alienáne sit an non: siquc illâ adhibitâ nihil occurrat quod faciat probabilitatem, sed dubium perseueret, tenebitur ad restitutionem: non quidem ex toto sed ex parte, pro quantitate dubij (quod etiam citatis Caietano, Soto & Medina habet Leonard. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 14. dubit. 4.) nēpe si dubium sit pro vtraque parte æquale tenebitur restituere dimidium: sin sit minus probabile, tenebitur etiam minus restituere quàm dimidium: pro quantitate scilicet dubij. Ratio verò hac ex parte non sit obligatio ad totius restitutionem, est: quia perseuerante dubio, sicut iudicatur quòd res fuerit aliena, ita etiam iudicabitur quod fuerit illius à quo est accepta, qui eam ad se pleno iure pertinentem dare potuerit. Quæ ratio ostendit etiam, tale quid esse pariter obseruandum circa eum cui facienda erit restitutio: nempe si dubitetur tantùm de aliquo particulari an res fuerit illius: ei soli facienda erit restitutio, sin de pluribus dubitetur inter eos deuidendum erit id quod ex re fuerit restituendum: hocque vel æqualiter, vel inæqualiter pro ratione dubij. Quod si dubitetur an res fuerit aliena, & ignoretur cuius sit, restitutio erit facienda pauperibus.

Dicendum quartò, quòd si is qui rem accepit, non *Nu.51.* dubitauerit quidem à principio, an ille à quo accipiebat, eam possideret mala fide: dubitauit tamen an res ad alium pertineret: interea certus cum ipsum à quo accipiebat, esse bonæ fidei pos-

Universidad de Deusto Biblioteca

ſeſſorem. Dicendum inquam eſt, quòd ſolùm teneatur debitam diligentiam ad hoc adhibere, vt intelligat an res ad alium pertineat. Quâ adhibitâ ſi dubiũ adhuc perſeueret, ad nullam reſtitutionem tenebitur: quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Neque is qui in tali dubio poſſidere cœperit cum intentione faciendi prædictam diligẽtiam, eſt cenſendus mala, ſed potius bona fide poſſeſſionẽm inchoaſſe, ac ſucceſſiſſe in totum ius, quod alter bonæ fidei poſſeſſor habebat.

Dicendum quintò, eum qui licet à principio bona fide rem acceperit, credendo eam eſſe illius à quo accepit, ſed poſtea incipit dubitare an ſit aliena, teneri ſolùm facere competentem diligentiam ad inueſtigandum an ſit aliena: non autem ad reſtitutionem aliquam faciendam, ſi illâ adhibitâ perſeueret ipſa dubitatio. Nam tunc locus erit ei quod dicitur, meliorem eſſe conditionem poſſidentem: præſertim cùm is de quo agimus, cœperit bona fide poſſidere. Ceterùm idem, tali debitâ diligentiâ prætermiſsâ, rationem ac conditionem poſſeſſoris malæ fidei ſubit à tẽpore quo dubitare cœpit. Illâ verò adhibitâ, poteſt eamdem rem vendere tanquam bonæ fidei poſſeſſor vt Syluester attigit *Reſtitutio 3. quæſt. 7. dicto 3.* dubium tamen emptori detegendo duplici nomine; tum vt cognoſcat vitiẽ rei, tum vt non prætermittat etiam ipſe, debitam diligentiam adhibere ad ſciendum an res ſit aliena. De his videri poſſunt tradita à Medina in Cod. De rebus reſtitut. quæſt. 10. & à Couar. ad regulam Peccatum 3. par. in initio num. 4. Et eis addi, quòd ipſorum doctrinæ conſentaneum eſt; ſi accipias rem aliquam vt tuam, ab eo qui illam bona fide poſſidet: ac dubites nec certus ſis moraliter tuam eſſe, te non poſſe eam retinere, ſed debere totam reſtituere: quia, cùm in dubio melior ſit conditio poſſidentis, non potes ſpoliare ipſum re ſua: niſi moraliter certus ſis, quòd non ſit ipſius: qui nihil de eo dubitat, tanquam bonæ fidei poſſeſſor.

QVÆSTIO IV.

An ratione rei acceptæ, obligatio ſit ad reſtitutionem cùm res accepta eſt quidem à vero domino, ſed qui non eſt ſoluendo creditoribus.

AD huius explicationem cum Petro à Nauarr. lib. 3. De reſtit. in fine cap. 4. ſequentes concluſiones ſtatuere poſſumus.

Nu.52. Prima eſt: Non cenſeri aliquem ad reſtitutionem teneri eoipſo, quòd ſciat dominum à quo rem accepit vel emit, non eſſe ſoluendo aliis quibus debet. Probatur, quia talis non poteſt teneri ratione rei iniuſtè acceptæ, cùm ex hypotheſi acceperit ab habente dominium, licet peccãte in eo, quòd ſe ſua ſponte reddat impotentem ad reſtituendum illud ád quod tenetur. Neque ratione iniuſtæ acceptionis: cùm non inuito, ſed volente domino rem acceperit. Neque refert quòd creditor cui debetur, ſit inuitus: quia licet is in debitorẽ habeat actionem perſonalem quâ ipſum compellat ad ſolutionem: non eſt tamen dominus rerum ipſius: vnde fit vt illarum venditio vel donatio ſit valida, cùm fiat ab eo qui habet illarum dominium, & recipiantur ab eo qui recipiendi & dominij acquirendi capax eſt. Et certè ſi hoc non concedatur, dicendum erit quoties emitur aliquid à mercatoribus qui creditò, aut palliatis vſuris multa acquiſiuerunt, neceſſarium eſſe examinare, an maneant potentes ad ſoluendum: quod valde durum eſt.

Secunda concluſio, quæ præcedentis moderatio eſt. Si res antedicto modo accepta, hypothecata eſſet creditoribus, accipientem teneri ad illius reſtitutionem. Ratio eſt, quia accipiendo peccaret contra iuſtitiam: cùm creditor tunc, non tantùm habeat actionem ad perſonam, quam compellat: ſed etiam ad rem quam ſibi vendicet: vnde fit vt tali acceptione lædatur in ſuo iure.

Tertia concluſio: Eum qui ſecundùm primam cõcluſionem excuſatur à reſtitutione, non excuſari ſimiliter à peccato: facit enim contra charitatem, ſi ſciens alterum non eſſe ſoluendo, ab illo accipit id vnde creditori damnum ſcit conſequenter reſultare: eoquod debitor ſuus reddat ſe impotentem ad ſolutionem ei faciendam. Quanquam vt memoratus author habet *num. 220. in fine*; ſi magni intereſſet accipientis, rem talem habere, is non videretur contra charitatem peccare mortaliter, illã taliter ſibi comparando: quia lex charitatis permittit quemque ſibi magis quàm alteri conſulere. Sed iudicauerim iſtud, ac etiam primam concluſionem, locum tunc ſolùm habere, cùm ille qui impotens eſt ad ſoluendum, proprio impulſu, ſuáque ſponte donat, aut viliori pretio rem ſuam vendit. Namque illum ſolicitare & inuitare ad id in quo peccare, ac iniquè agere cognoſcitur, peccatum eſt cum obligatione ad reſtitutionem. Qua ratione accipienda videtur communis ſententia (in quam idem à Nauar. in præced. num. 218. plures authores commemorat) quòd ad reſtitutionem is teneatur, qui aliquid accipit ab alio qui inde impotens eſt ad ſoluendum ſuis creditoribus. Fundamentum enim ita ſentiendi illis fuit, *vt idem addit num. 219.* quòd ſi tali conſulerem ne debita redderet creditoribus, iniquè agerem, & ad reſtitutionem tenerer, dato quod conſilium meum efficax ſit. Similiter ergo ſi ſolicitatione mea rem ſuam mihi dat, vnde factus eſt impotens ad ſoluendùm quod debet alteri; iniquè ago & ad reſtitutionem teneor tanquam cauſa efficax cur ipſe non reſtituat. Nu.53.

Quarta concluſio eſt: Si res pro qua vnus alteri debitor eſt (vt v.g. ſi veſtis quã creditâ pecuniâ emit) extet in ſeipſa apud eumdem debitorem, peccatum eſſe cum obligatione ad reſtitutionem, accipere illam ab eo; quando ex acceptione ipſa, manet impotens ad ſoluendum. Ratio eſt, quia id fit cum aperta iniuria alterius, cuius eſt talis res, ſaltem in ſuo iuſto pretio.

Quinta eſt: Eum qui bona fide rem aliquam accepit & conſumpſit, non teneri ad illius reſtitutionem, cùm poſtea cognoſcit datam eſſe ab eo qui non eſt ſoluendo ſuis creditoribus. Probatur: quia, *vt omnes fatentur*, ſi is non tenetur reſtituere qui bona fide accepit, & conſumpſit rem alienam cuius dominium nunquam acquiſiuit: multò magis à reſtitutionè liber erit is, qui eadem bona fide accepit, & conſumpſit rem cuius dominium verè habuit in ſe tranſlatum ab eo, qui illud verè habebat. Nu.54.

CAPVT V.

De obligatione ad reſtitutionem ratione iuſtæ acceptionis.

SVMMARIVM.

55 *Qui obligatur ad reſtitutionem ratione iuſtæ acceptionis non tenetur reddere idem numero.*

56 *Talis obligatio tranſit ad hæredes & fideiuſſores.*

57 *Fideiuſſoris obligatio quanta ſit.*

58 De

58 *Debitor principalis ſuo fideiuſſori tenetur non tantùm de capitali, ſed etiam de omni damno.*

59 *Pro parte hæres, debita ſoluere tenetur tantùm pro parte hæreditatis.*

60 *Non poteſt talis ſolutio pro arbitrio differri, maximè legatorum piorum: quæ illam requirunt, vt defunctus releuetur à pœna Purgatorij.*

61 *Probabile non eſt obligationem eſſe in conſcientia, ſoluendi debita, cùm ſuperant hæreditatem.*

62 *Quando pater filiorum, ſocius ſocij, dominus ſerui, mercator proxenetæ debitum teneatur ſoluere.*

Nu.55. DVÆ potiſſimùm generales regulæ traduntur de obligatione ad reſtitutionem ratione iuſtæ acceptionis. Prior eſt, Qui tenetur ad reſtitutionem ratione iuſtæ acceptionis, *qualis cernitur in emptione licita, & in mutuatione pecuniæ, vel alterius rei vſu conſumptibilis*: non eſt neceſſe vt eamdẽ numero rem quã accepit, reſtituat: etiamſi illam adhuc habeat: ſed ſufficit vt pretium ſeu æquiualens ſoluat: ſiue res ipſa perierit, ſiue non. Ratio eſt, quia per huiuſmodi contractum transfertur dominium rei in alium; itaut periens, non pereat danti; ſed recipienti. Quapropter non debet ex iuſtitia reddi eadem numero.

Nu.56. Poſterior regula eſt. Quando quis tenetur ad reſtitutionem ratione iuſtæ acceptionis, obligationem tranſire tantùm ad ipſius hæredes & fideiuſſores: non autem ad alios qui talis acceptionis cauſa fuerunt quidem, ſed abſque vlla cooperatione iniuſta. Itaque ſi is qui pecuniam mutuo accepit, nolit reſtituere, hæredes ipſius, aut qui pro eo fidem dederunt tenentur ſupplere defectum ipſius: non item is qui alteri ſuaſit vt mutuo daret. Probatur: quia cùm iſta ratione ad reſtitutionem quis teneatur, non quidem ex delicto, ſed ex tenore pacti, & conuentionis factæ: obligatio illa extendi poteſt tantùm ad eos, qui contrahendi cum creditore voluntatem habuerunt; vt præter principalem debitorem cenſentur habuiſſe: tùm ipſius hæredes, qui cum hæreditate, ſuſcipiunt onera ei annexa, *prout declaratur à Syluestro in verbo Hæreditas tertio quæſt. 4. & ſequentibus*: tum fideiuſſores qui pro debitore ſe obligarunt: non item cæteri, qui quamuis aliquo modo fuerint cauſa contractus, non habuerunt tamen in voluntate efficere ſe debitores.

Nu.57. Hîc pro praxi quædam notanda occurrunt. Primum eſt, *de quo Petrus à Nauarra lib. 3. De reſtit. cap. 4. par. 2. dubit. 1.* Fideiuſſorem teneri in conſcientia debitum ſoluere: neque ſufficere vt ad id paratus ſit, ſi à creditore conueniatur, & à Iudice condemnetur. Ratio eſt, quia fideiuſſor de alieno debito, facit ſuum. Ipſe ergo perinde ac alter pro quo fideiubet, verè debitor eſt, obligatus in conſcientia; itaut adueniente termino, teneatur ad ſolutionem ſicut principalis.

Secundum eſt, principali debitore ab obligatione liberato, fideiuſſorem eſſe quoque liberũ: quia obligatur tantùm ratione illius. Tertium eſt, ob prorogatum ad tempus, terminum ſolutionis, fideiuſſorem ab obligatione ſoluendi non liberari, vt nec debitorem principalem: niſi in duobus caſibus. Alter eſt, ſi fideiuſſor obligaſſet ſe tantùm ad certum tempus, eóque expleto terminus ſolutionis prorogaretur debitori. Alter eſt, ſi de nouo contractus fiat. Ex quo enim contractus innouatur, præcedẽns expirat: vnde fit vt fideiuſſor eo obligatus, liber maneat, niſi obligetur de nouo. *Quod etiam habet Petrus à Nauar. in ſeq. dubit. 5.*

Quartum eſt, *de quo adhuc idem dubit. 4.* fideiuſſorem teneri in totum, vel in partem, ſecundùm tenorem pacti & conuentionis ab ipſo factæ cum creditore: ſîque plures vna obligatione obligentur, tanquam fideiuſſores, quemlibet ipſorum de parte tantùm teneri creditori, niſi explicetur ſingulos inſolidũ obligari, aut vnus obligationi alterius ſubſcribat, obligando ſe ad ſecuritatem: quia tunc ſinguli non minus tenentur in totum, quàm ſi diuerſis obligationibus vnus eſſet ſine alio obligatus.

Quintum eſt: principalem debitorem ſuo fideiuſſori teneri in ſolidum, non tantùm de capitali quod pro ipſo ſoluerit, ſed etiam de omni damno, quod ex ipſius culpâ euenerit ei, propter fideiuſſionem. Ita expreſſe ſtatuitur in cap. Peruenit, De fideiuſſoribus. Addita hac ratione, quòd non conueniat vt quis diſpendium patiatur: vnde videtur præmium meruiſſe. Illud autem de quo in verbo Fideiuſſor quæſt. 15. diſputat Syluest. An debitor ipſe principalis, vſuras quas pro ipſo fideiuſſor ſoluit, debeat ei reſtituere Petrus à Nauar. ſub finem dubit. ſextæ, ſoluit quoad forum conſcientiæ. Inquiens teneri, ſi ſoluerit principali ipſo ſciente & conſentiente: non item ſi abſque voluntate ipſius ſaltem implicita. Cætera de fideiuſſore in particulari, vide apud Syluestrum in eodem verbo Fideiuſſor. Nu.58.

Sextum eſt, hæredem ſiue filius ſit ſiue alius, teneri ad ſoluenda omnia debita illius: cuius hæreditatem adiit: ſíque plures ſint hæredes, regulariter vnũquemque eorum teneri ſolùm pro hæreditaria parte, quæ illi contingit: ex Syluestro in verbo Hæreditas 3. quæſt. 11. Vbi notat id fallere in ſeptem caſibus: de quibus ipſe videri poteſt; vt & in eodem verbo, de aliis quæ pertinent ad hanc hæredum obligationem. Nu.59.

Tantùm addemus pro praxi ordinaria quod Petrus à Nauar. docet *in ſequen. dubit. 7.* hæredem in conſcientia teneri quamprimum poteſt ſoluere debita ſui patris, vel alterius in cuius bonis hæreditario iure ſuccedit: nec poſſe ſolutionem differre cùm datur commoditas illius faciendæ, quia furtum eſt, inuito domino alienum retinere: itaut dilatio ſolutionis non ſit in arbitrio hæredis, ſicut nec fuit in arbitrio principalis debitoris. Nu.60.

Adde ex eodem; de legatis eſſe quoad conſcientiam, idem dicendum quod dictum eſt de debitis: quamprimum, *inquam*, poteſt commodè, ſoluenda eſſe, cùm & ipſa ſint debita quædam: ideóque ſoluenda ſine mora; maximè, ſi res legata, in patrimonio ſit teſtatoris: quo caſu ſtatim adita hæreditate, tranſit in legatarium. De qua re ex Panormit. Sylu. in verbo Teſtamentum 2. quæſt. 6.

Qui in ſequen. quæſt. nona ſub finem monet, *quod obſeruatione dignum eſt*, hæredes & executorem, peccare mortaliter per dilationem, præſertim magnam, executionis eleemoſynarum ſeu legatorum. A quo peccato incommoditas citiùs exequendi, non excuſet ipſos: ob nocumentum ſcilicet notabile inde proueniens ei defuncto, qui tale quid fieri mandauit pro animæ ſuæ refrigerio. Námque ita mandaſſe non ſecura executione, ſine vlla mandantis culpa, poteſt quidem, *ex D. Thoma quodlibeto 6. art. 13.* prodeſſe ei ad meritum: quoniam meritum ex voluntate dependet: non tamen ad ſatisfactionem ſeu relaxationem pœnæ ſuis peccatis adhuc debitæ: quia deeſt ſuffragium per quod ab ipſa pœna ſubleuetur. Addit Syluester in confirmationem quod in cap. Qui oblationes, & duobus ſequentibus 13. quæſt. 2. tales dilatores iubeantur excommunicari: & dicantur necatores pauperum, ac infideles ab Eccleſia abiiciendi. Et certè cùm huiuſmodi legata retinere ſacrilegium ſit: non poteſt is à peccato mortali excuſari, qui exponit ſe periculo tanti criminis committendi: vt meritò cenſetur quis exponere ſe per dictam magnam dilationem; ex qua omiſſio adimpletionis nata eſt ſequi, aut per obliuionem, aut per aliquod infirmitatis, aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

paupertatis, aut mortis superuenientis impedimentum, aut etiam per negligentiam, quæ senescente rei memoria crescere solet.

Nu.61. De illa autem dubitatione trita. An hæres teneatur soluere debita, si semel accepta hæreditate, ea nõ sit sufficiens: in vtramque partem authoribus, & rationibus prius propositis Petrus à Nauar. *in cit. par. 2. dubit. 9.* bene statuit non teneri: quia iustum non est, vt quis ex beneficio, & sine sua vlla culpa, damnum incurrat: hæreditas autem beneficium est, itaut hæredes, non ad damna, sed ad commoda & emolumenta vocari censeantur.

Nu.62. Huc referri possunt dubitationes. Quomodo ad restitutionem teneantur participantes in contractu societatis. Quomodo pater teneatur ex contractu filij. Quomodo dominus ex contractu serui aut gestoris suorum negotiorum: aut mercator ex contractu proxenetæ seu mediatoris. De quibus sufficit monere in præsentiarum, quòd teneantur quando contractus initus fuerit de consensu ipsorum, aut in eorumdem vtilitatem. Videri potest Sylvester in verbo Restitutio 3. quæst. 11.

CAPVT VII.

De obligatione ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis.

SVMMARIVM.

63 *Obligatus ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis debet eamdem rem numero cum fructibus reddere.*

64 *Quæ obligatio extenditur non modo ad hæredes ipsius & fideiussores: sed etiam ad omnes participantes in eo crimine.*

65 *Obligatio ad restitutionem non oritur ex alterius virtutis, quàm iustitiæ violatione, siue mortali, siue etiam veniali.*

66 *Debitum tamen ex alia virtute, perinde soluendum est, ac debitum ex iustitia, cum aliquo tamen discrimine.*

67 *Eiusdem discriminis ratio.*

Nu.63. DVæ quoque sunt generales regulæ ex quibus fieri potest iudicium de obligatione ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis; per furtum scilicet, rapinam, aut contractum aliquem iniustum.

Prior est: Qui ad restitutionem tenetur ratione iniustæ acceptionis obligatur eamdem rem restituere cum suis fructibus, si illam habeat: sin minus, pretiũ, valorémve illius & fructuum, ac omne damnum quod ex illius carentia dominus passus est. Ratio est, quia in his omnibus ius proximi læsit contra commutatiuam iustitiam, secundùm quam vt æquitas seruetur omne damnum proximo illatum debet restitutione reparari; iuxta antedicta in principio præcedentis cap. primi.

Aduerte autem regulam hanc locum habere etiãsi non præcesserit quidem iniusta acceptio: sed nihilominus iniustè retinetur alienum ex iustitia alteri debitum: vt cùm non soluitur quod debetur ex iusto contractu, aut ratione obsequij cui debetur merces. Nisi quòd ad litium multitudinem vitandam, *prout notat Molina De iust. & iure tract. 2. disput. 724. num. 3.* iure ciuili quoad emptionem & venditionem, quæ frequentiores sunt, constitutum sit vt venditor ob moram culpabilem in tradenda re vendita, & emptor in soluendo pretio rei traditæ, teneatur solummodo de interesse intrinseco: quod est, venditorem ob talem moram, teneri refundere emptori quidquid res empta, aut fructus eius minus valent quàm valebant cùm debebant restitui: & emptorem restituere venditori omnem fructum quem perceperit, aut percipere potuerit, si negligens non fuisset; non autem refundere lucrum quod alter fecisset negotiando tali re: aut damnum in quod non incurrisset habendo eam.

Nu.64. Posterior regula est: Quando obligatio ad restitutionem nascitur ex iniusta acceptione, obligantur non tantùm is qui causa est principalis talis acceptionis, atque hæredes ipsius, & fideiussores: sed etiã omnes alij qui participant in eo crimine. Nam ratio dictat obligationem restituendi maiorem esse ob iniustam, quàm ob iustam acceptionem: atque eum qui participat in crimine, sicut eidem culpæ, ita & eidem pœnæ, cum principali criminoso subiici. Pro quo aperte facit quod in cap. 1. Epist. ad Rom. digni morte dicuntur non tantùm qui scelera ibi numerata faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Vnde haberi dictum in cap. Notum, 2. quæst. 1. facientem & consentientem par pœna constringit; significatur in cap. 1. De officio Iudicis deleg. cum dicitur: Agentes & consentientes pari pœna scripturæ testimonio punumtur. In quam receptissimam sententiam plura videri possunt apud Couar. ad regulam Peccatum par. 2. §. 12.

Explicatio difficultatis, An ex alio peccato quàm iniustitiæ oriatur proposita obligatio.

Nu.65. NOtandum est primò versari in controuersia, An ex transgressione virtutum aliarum, quàm iustitiæ incurratur obligatio ad restitutionem. De qua re in vtramque partem Petrus à Nauarra *lib. 2. De restit. cap. 1. difficul. 3.* plures authores & rationes adfert. Sufficiet autem id dixisse quod idem author probabilius iudicat: restitutionis, inquam, obligationem incurri tantùm ex iustitiæ transgressione. Cùm enim restitutio actus sit iustitiæ, quo debitum alteri, reducitur ad æqualitatem ex contraria inæqualitate: certè vbi iustitia non fuerit violata, non est locus restitutioni. Accedit quod talis obligatio non incurratur quando proximo nullum infertur damnum: hoc autem non inferatur, nisi aut actu positiuo, contra iustitiam scilicet vsurpando sibi rem alienam, vel eam destruendo; *vt v. g. incendendo domum*: aut certè actu negatiuo, contra iustitiam omittendo facere id quo damnum impediri potuit & debuit: vt cùm quis videns aliena bona diripi, non impedit cùm potest & tenetur: de quo constabit plenius per post dicenda de non impediente iniustam acceptionem.

Notandum est secundò, non tantùm ex iniustitia mortali commissa in re notabili, sed etiam ex veniali commissa in re parui momenti, nasci obligationem ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis. Nam præcepto, Non furtum facies, repugnat quoque iniusta paruæ rei acceptio inuito domino, licet cum excusatione à peccato mortali ob materiæ paruitatem. Sic ergo qui furatus est rem aliquam modicam, vt peccauit venialiter iniustè agendo: ita tenetur ad illius restitutionem sub peccato veniali, quemadmodum *expressit Petrus à Nauar. in lib. 2. De restitut. cap. primo, numero 48.*

Nu.66. Notandum est tertiò, *quod habet in præced. num. 18. idem author*, perinde obligationem esse soluendi rem debitam ex virtute diuersa à iustitia, ac soluendi debitum ex ipsa iustitia: vt v. g. soluendi eleemosynam aliúdve auxilium ex charitate debitum extremè, vel grauiter indigenti, aut pecuniam aliúdve pretio æstimabile debitum ex religione ratione voti vel iuramenti. Ratio est, quia tam præceptum charitatis, aut Religionis, quàm iustitiæ, ligat conscientiam, itaut non implere illud cùm teneris & potes, perinde sit peccatum ac non implere præceptum iustitiæ: immo sit maius peccatum sicut charitas religióque quibus debitum Deo redditur, sunt virtutes præstantiores & magis necessariæ, quàm iustitia quâ debitum redditur proximo.

Discrimen igitur inter iustitiam & alias virtutes, quoad id de quo agimus: in eo tantum est: quòd non soluens debitum ex iustitia, teneatur damnum ex non solutione secutum resarcire: secutum verò ex non solutione eius quod ex virtute diuersa à iustitia debetur, resarcire non teneatur ille qui non soluit. Sicque verum est quod ait Medina *in Cod. De rebus restit. quæst. 9.* eum qui non subuenit extremè indigenti, grauiter peccare quidem transgressione præcepti charitatis: non teneri tamen cessante ea necessitate, id restituere quod tunc largiri debuerat, aut resarcire damnum cui talis omissio occasionem dedit; vt si pauper ideo membrum aliquod amisit, aut grauem aliquem morbum inde contraxit.

Nu.67. Si quæras rationem talis discriminis, Petrus à Nauar. *in præced. num. 15.* hanc adhibet: quòd iustitia per se ac directè versetur circa commutationem rerum temporalium pretio æstimabilium: inclinando ad seruandam æqualitatem inter datum & acceptum: vnde fit, vt qui eam transgreditur, præter peccatum quod committit, maneat ex inclinatione talis virtutis obligatus ad restitutionem eius, per quod reparanda est eiusmodi inæqualitas. Cæteræ autem virtutes cùm non versentur directè in æqualitate bonorum temporalium seruanda: sed in aliquo alio: vt charitas in Deo diligendo, & religio in eo colendo: fit vt si ex talium virtutum transgressione proximus damnum incurrat, non sit necesse ex earumdem inclinatione illud rependere; itaut peccetur quidem grauiter tali transgressione, sed sine obligatione ad restitutionem damni ex ea secuti: cùm cæterarum virtutum leges, eam non inducant, sicut lex iustitiæ inducit.

CAPVT VIII.

De obligatione ad restitutionem ratione damni iniustè illati rebus proximi, earum destructione.

SVMMARIVM.

68 *Qui sine dolo & culpa delictóque suo, damnum rebus proximi intulit, ad restitutionem non tenetur.*

69 *Nec item qui intulit quidem cum culpa sed sine delicto & peccato.*

70 *Immo cum peccato quidem, sed ex quo opus damnosum non prouenerit.*

71 *Ex culpa cum delicto, nascitur obligatio ad restitutionem.*

72 *Etiamsi culpa videatur leuissima, dolus interueniens inducit obligationem ad restitutionem.*

73 *Ad restitutionem in solidum tenetur quidem is qui ex lata culpa damnum intulit, non autem is qui tantum ex leui, aut leuissima.*

74 *An idem ad aliquid teneatur.*

75 *Modi quibus contingere potest, vt quis per aliquid suum, det proximo damnum cum obligatione ad restitutionem.*

76 *Quando contingat talis obligatio, & ad quid sit.*

77 *Tres conditiones requisitæ vt columbaria sint licita.*

78 *Ratio qua docentur licita esse.*

79 *Solutio contrariarum.*

80 *Occidentes columbas quando teneantur, aut non teneantur ad restitutionem.*

EX vsurpatione sic ex destructione iniusta, seu damno illato rei alienæ, nascitur obligatio ad restitutionem, huc spectans tanquam nata ex quasi acceptione iniusta. Ac constat quidem nasci cùm illatio damni fuerit cum dolo seu intentione nocendi: sed aliqua difficultas est quatenus idem vsueniat, cùm dolus absit. Pro qua minuenda tradendæ sunt aliquot regulæ: præmittendo eis. Tum quòd absente dolo ab illatione damni, culpa adesse possit; idque nonnumquam cum delicto, nonnumquam sine eo. Tum quòd possit abesse ab eadem illatione non tantùm dolus, sed etiam culpa ac delictum, vt in casu fortuito. Aduerte verò sermonem esse de culpa iuridica quæ superiùs num. 17. distincta est in latam, leuem, & leuissimam: idemque est ac imprudentia in non præuidendo, aut negligentia in non euitando damnum proximi, quod præuideri, & euitari debuit. Delicti verò nomine intellige opus omne, quo opera datur rei illicitæ: vt si quis equo vectus illum calcaribus vrgens ad consequendum inimicum quem occidat, proterat alterius pecudem: vel alienam stipulam incendens, ignis latius peruagatus segetes comburat, vel volens alienum equum vulnerare eum occidat.

Prima autem regula est, Ad nullam restitutionem Nu.68. teneri, neque in foro externo, neque in interno, eum qui absque dolo, & vlla sua culpa vel delicto damnũ alteri intulit. Id enim habetur ex cap. finali, De iniuriis: & ex lege 5. ff. ad legem Aquiliam. Et confirmatur ratione: quia sicut pœnitentia, quæ suapte natura est peccati recompensatiua, non habet locum in eo qui nunquam peccauit: ita restitutio, quæ est iniustitiæ commissæ compensatiua, locum non habet nisi vbi virtus iustitiæ læsa est. At in proposito casu nulla iniustitia commissa est. Hæc enim cùm sit peccatum, non potest esse cùm bona fide, & diligentia sufficienti: potissimùm, quando de damno illato dominus inuitus non est, aut certè non est rationabiliter: vt meritò censetur non esse in proposito casu: in quo damnum vitare fuit impossibile: contráque rationem est omnino, ab aliquo exigere impossibile. Neque dici potest, nihil referre quo quisque sit animo dúmodo actione exteriori damnum intulerit. Dicendum enim alioqui esset, quòd Iudex sontem inculpabiliter occidens puniendo; aut priuatus se defendendo, teneatur ad restitutionem damni, quod iustè infert: perinde ac si inferret iniustè: quod absurdum est.

Secunda regula est, Eum qui absque dolo quidem Nu.69. sed cum aliqua sua culpa iuridica damnum intulit (etiamsi plerumque in foro externo condemnetur ob præsumptiones ex circunstantiis, & ne detur locus fraudibus & iniuriis) in foro conscientiæ ad nullam restitutionem teneri, si culpa ipsa sit sine delicto, seu aliàs excusetur à peccato, *sicut potest plerumque contingere in leui & leuissima*: quandoquidem lex non datur quæ obliget hominem in omni sua actione diligentiorem esse aut diligentissimum: itaut opus suum faciens diligenter, non peccet. Sic enim ex Ierem. cap. 48. maledictus dicitur qui facit opus Dei fraudulenter seu negligenter: quasi is qui facit diligenter non peccet. Deinde sæpe naturali quadam obliuione homo diligentiam adhibere obliuiscitur:

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod quando contingit, ipse perinde à peccato excusatur,ac si tale quid penitus fortuitò ei contigisset: cùm per inaduertentiam ignorantiámve inuincibilẽ, eiusmodi actus sit plenè inuoluntarius. Cuius ignorantiæ indicium est, quòd agens tunc eamdem exercuisset, etiam vergentem in proprium suum damnum.Iam vbi non est peccatum,ibi nec obligatio est ad restitutionem ex iniusta acceptione, quæ peccatum est contra iustitiam.

Nu. 70. Istud autem procedit etiamsi malam alioqui voluntatem habeat ille qui damnum infert: dummodo opus ipsum damnosum ex ea non proueniat,vt quãdo ignorantia fuerit comitans:id est, quando quis aliquid facit quidem ex ignorantia inuincibili: sed si sciret, nihilominus idem faceret;vt ille qui adhibitâ in cauendo omni diligentiâ, venando occidit hominem pro fera,quem si sciuisset hominem esse, nihilominus interfecisset, eoquod inimicus esset. In quo casu non incurri obligationem ad restitutionem Petrus à Nauarr. *in lib.2.de restitu. cap.1.num.61.* rectè probat:quia licet mala voluntas adsit cum opere externo,hoc tamen ex illa non prouenit:vt displosio catapultæ in inimicum quem putauit feram esse,non processit ex praua voluntate sumendi de eo vindictam:sed ex voluntate venandi diligentiâ omni adhibitâ in cauendo ne proximo damnum inferret. Quod procedit etiamsi venatio fuerit tali personæ illicita;vt v.g. Clerico:quia ad culpam quæ inducit obligationem ad restitutionem, nihil attinet quòd quis daret operam rei licitæ vel illicitæ (de quo plenius Lud.Molina De iust.& iure tract.2.disput.728.) sed quod sufficientem diligentiam non adhibuerit. Si enim sufficiens adhibita sit diligentia ad vitãdum damnum:huius illatio tanquam inuoluntaria,siue ex opere licito siue illicito sequatur, non inducit eiusmodi obligationem.

Nu. 71. Tertia regula est. Si culpa seu defectus diligentiæ coniungatur cum delicto, nec à peccato excusetur, eum qui damnum ex ea dat, teneri ad restitutionem. Ita habetur ex cap. finali de iniuriis. E confirmatur, quia vitiosè dans causam damni, censetur consequenter vitiosè damnum ipsum dare:quia volens causam, censetur simul velle effectum natum sequi ex ea. Cæterùm cùm dubium fuerit an interuenerit delictum:si pars affirmãs plus habeat probabilitatis, obligatio datur restituendi quantum saltem excessui illi probabilitatis proportione respondeat prudentis arbitrio; si verò vtraque sit æquè probabilis, nulla datur,eo quod in pari causa potior sit conditio possidentis ex 65.regula iuris in 6. De qua re aliis citatis Petrus à Nauarr. *lib.3.de restit. cap.5.num.* 58. & post eum paulò plenius, Ferdinandus Rebellus De obligationibus iustitiæ, *quæst.14.sect.2.concl.* 3. Cum quo adde : quando constiterit quidem de delicto & obligatione restituendi ex illo nata:sed dubium fuerit an sit iam satisfactum, conditionem creditoris in tali dubio meliorem esse eo nomine, quòd ius ipsius certum sit, & debitoris incertum; ideóque illud huic præponderet, perseuerétque obligatio restituendi non obstante eiusmodi dubio.

Nu. 72. Quarta regula est. Quando in opere externo videtur culpa esse leuissima; sed reuera actio procedit ex dolo seu intentione nocendi:eum qui sic operando damnum infert, ad restitutionem teneri in conscientia : si non ratione culpæ, at certè ratione doli,qui in foro conscientiæ nunquam excusat à restitutione:vt patet ex citato cap.fin.& ex eo quòd voluntariè damnum iniustè detur ea ratione.

***

Dubium de re proposita.

DVbium autem est. An quando culpa verè leuissima est : aut etiam leuis sine vllo dolo vel intentione nocendi, is qui damnum infert teneatur in foro interiori ad restitutionem in solidum, sicut tenetur in foro exteriori cõdemnatus à Iudice. De qua re prima sententia est Angeli, & aliorum quos ipse citat *in verbo Culpa §.vltimo*, talem in cõscientia teneri ad restitutionem in solidum, etiamsi culpa illius fuerit tantùm leuissima:vt si venãdo occiderit hominem,putans occidere feram;non adhibendo diligentiam quam prudentior, immo quam prudentissimus venator adhibuisset,ne quid tale committeret.Ratio est:quia lex ciuilis iusta obligat in conscientia:at lex 44. ff. ad legem Aquiliam, obligationem eam inducit. Secunda sententia est Couarruuiæ in Epitome 4. Decretal.2.*par.cap.6.§.8.nu.*12.culpam latam & leuem ea ratione obligare,non autem leuissimam.

Tertia sententia est communis,vt Couarr fatetur, *Nu.*73. citans multos Canonistas, in ea consentientes cum Innoc.ad cap. Sicut dignum De homicid. & addens eis Syluestrum in verbo Aduocatus quæst. vltima,& in verbo Culpa quæst.4.& in verbo testitutio 2. quæ. 12.& 17. nempe in conscientiæ foro ad restitutionem in solidum,teneri quidem eum qui culpa lata, non tamen eum qui leui,aut qui leuissima (*si absque dolo*) damnum intulerit.Quam sententiam sequi possumus vt satis rationi consentaneam.Namque in tali casu,obligatio ad restitutionem iudicanda est, non ex re iustè accepta (sicut in alio de quo antea nu.20.) sed ex iniusta acceptione:vnde fit,vt culpa in eodem casu consideranda sit tanquam vitiosa qualitas eius actionis, ex qua oritur obligatio ad restitutionem. Quia igitur si nulla prorsus iniquitas in actione inueniatur, *vt accidit in casu fortuito,in quo actio cùm sit indeliberata,non est humana* : existimandum est nullam esse obligationem ad restitutionem : quandoquidẽ nulla inuenitur ratio peccati.Pari ratione si tantùm sit leuis iniquitas vel leuissima,(*vt esse potest ex defectu iudicij,consensúsve pleni*:non est cẽsenda plus quàm leuis vel leuissima restitutio deberi : cùm peccatum nõ censetur esse plus quàm leue aut leuissimũ.Quod si culpa sit lata,ac magna seu mortalis iniquitas:magnam quoque deberi restitutionẽ cõsentaneum est: hoc pacto Soti sententia superius reiecta in memorato num.20. potest tanquam vera recipi.Nã licet cùm obligatio ad restitutionem nascitur ex re iustè accepta,nihil referat an culpa peccatum mortale contineat necne : tamen cùm nascitur ex iniusta acceptione,magni id refert,vt ratio proposita ostendit.

Quod verò nonnulli (quos refert & sequitur Leo- *Nu.*74. nardus Lessius De iust.& iure lib.2.cap. 7. dubit. 6.) ex iniusta acceptione veniali negant vllam nasci obligationem ad restitutionem;ideo non admiserim quòd vt illa verè est peccatum contra iustitiam cõmutatiuam, ita etiam inducat obligationem ad restitutionem. De cuius restitutionis quantitate, prudens arbitrabitur, considerata quantitate tum malitiæ iniustitiæ commissæ; tum damni ex ea prouenientis. Illã quidem considerată,*non obstante quod dici soleat parum pro nihilo reputari* : quia licet malitia venialis censeatur leuis cõparatione facta cum malitia mortali:secundùm se tamen tanta est, vt præponderet maximis quibusque malis temporalibus;& in diuino iudicio digna habeatur, quæ grauissimis Purgatorij suppliciis in futura vita expianda sit. Hac verò pariter considerata:quia si in illo ipso arbitrio, nulla sit habenda ratio quantitatis damni illati, sequetur vt cùm quis voluntate solùm semiplena, *& ideo insufficiente ad mortale*, damnum graue de facto intulerit,vt incenderit domum multis bonis refertam, iudicari possit ipsum ad nihil teneri,aut tantùm ad modicum quodcumque libuerit; quod patet rationi aduersari. Nam quamuis infirmitas ea humana, per quam homo passim agit multa nõ satis considerate, éstque obnoxius venialibus delictis, præbeat arbitranti iustam occasionem remittendi aliquid de iustitiæ rigore:miseria tamen damnum passi suppeditat pariter motiuum sufficiens ita arbitrandi, vt in aliqua parte notabili reddatur indemnis.

Nec obstat quod inde fieri possit,vt ex iniuria veniali oriatur obligatio sub mortali : quia sicut absurdum non est,furtum suo genere mortale, esse per accidens veniale ex leuitate materiæ : ita nec est, quòd restitutionis omissio genere suo venialis,sit per accidens mortalis ex magnitudine materiæ. Pro quo faciunt antedicta in fine capitis primi. Eamdem doctrinam habet Ferdinãdus Rebellus De obligationibus iustitiæ *par.1.quæst.* 10. *concl.* 2. Ad argumentum verò Angeli antè propositum respondetur ex Panor. ad cap.Si egressus De iniuriis : legem Aquiliam esse ciuilem pure pœnalem, vt intelligitur ex fine tituli Si quadrupex pauperiem fecisse dicatur. *Institu.*talem verò legem non habere locum in conscientiæ foro, prout suo loco ostendetur cùm de ea ipsa lege agetur in sequen. lib.13.cap.vltimo.

Explicatio quæstionis, An ratione iniustæ acceptionis eodem modo obnoxius sit restitutioni,qui damnum infert per sua animalia, aut per suos seruos, acsi per seipsum inferret.

HVic explicationi præmittendum est, quædam esse,in quibus sæpe quidem accidit vt reuera non peccet quis, tamen in iure censeatur quasi reus ex delicto sibi subiectorum:vnde ipsa dicuntur quasi delicta,& contingunt tripliciter pro triplici genere eorum quæ subiecta esse possunt.

*Nu.*75. Primò, cùm quis damnum, *quod noxam vocant*,dat per domesticos suos,id est,liberos,famulos, vel hospites, quos in sua domo habet:deiiciẽdo v.g.aliquid solidum,vel effundendo aliquid liquidum in via in qua solent homines communiter versari : indéque lædatur aliquis.Deinde cùm damnum infert per sua animalia : vt si equus suus calcitiosus aliquem calce percusserit, aut bos cornupeta cornu petierit:aut galina donum alterius ingressa,fœdarit aliquid aut fregerit.Cuiusmodi damnum non dicitur noxa,*sicut ante descriptum*,sed pauperies:quia animalia bruta cum careant ratione, noxam committere non censentur. Denique cùm quis habens aliquid positum aut suspensum,vbi iter solet communiter fieri:& contingit *Nu.*76. vt per id noceat alicui.

Quæ cùm ita sint,proposita quæstio explicatur,dicendo eum qui culpâ suâ aliquo ex his modis nocet, teneri totum damnum illatum resarcire, perinde atque nocentem per seipsum; cùm perinde sit iniusta causa damni:quandoquidem ex regula 72. iuris in 6. Is qui per alium facit,per seipsum facere videtur : & ita statutum est vtroque iure:ciuili quidem Digestis ad legem Aquiliã,& Cod.ac Instit. De lege Aquilia. Canonico verò De iniuriis cap.Si bos cap. Si læserit & cap. Si culpa tua. Eum autem cui absque vlla sua culpa id contigerit,excusari à restitutione eadem ac etiam maiore ratione,quàm taliter nocẽtem per seipsum. Et certè si dominus censeatur obnoxius restitutioni quando absque vlla sua culpa animal ipsius damnum dat: censendus erit pariter, si absque vlla sua culpa domus ipsius ruat, & damnum aliquibus inferat:quod absurdum est.

Quod si obiicias talem,nisi malit damnum illatum resarcire,teneri dare animal à quo illatum est:ex iure ciuili ff.& Institut. titulo Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. Respondetur ea iura multorum Doctorum opinione, *quorum meminit Couarr. in Epitome 4.Decretalium ca.6.§.8.nu.*12. solùm cõcedere damnificato actionem in foro externo, ideóque ante condemnationem Iudicis non obligare. Qua de re plenius Petrus à Nauar. in lib.2.De restit.cap.1.à nu.36. Tantum notandum est : tum talem cõdemnationem fieri quidem sine culpa,non tamen sine causa : ad rationabilem scilicet cautelam vitãdi culpam:seu quò domini cautiores fiant, quoad custodiam suorum, ne aliis noceant : tum etiam eadem condemnatione non expectata,dominum,si ex tali damno inueniatur locupletior factus in aliquo, teneri ex eodem idipsum damnum compensare : cùm ex reg. 48. iuris in 6. nemo locupletari debeat cum alterius iniuria & iactura.

Cæterùm animalia per quæ damnum inferri potest; vel sunt domestica naturâ suâ : vt oues, boues, equi & alia non modo quadrupedia, sed etiam bipedia,vt galinæ,anseres,columbæ;ex lege 4. ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. Alia verò naturâ suâ sunt feræ:: vt leones, vrsi, & alia eiusmodi, quæ nunquam mansuescunt. Atque si animal quod damnum intulit domesticum sit, locum habet quod dictum est de proposita obligatione ; ideóque si dominus illius ignoretur,ipsum licitè capi ac retineri potest loco pignoris,donec dominus ipse cognoscatur. Quod si is notus sit,negat quidem Syluester *restit.* 3. *quæst.*4. id licere : sed quia in multis locis consuetudo est in contrarium, melius Nauarr. in Enchir.cap. 17.num.120.indicat sequendam esse loci consuetudinem. Sin autẽ animal,quo quis damnũ infert,non domesticũ sed ferum sit : siquidem damnum ipsum eius culpâ inueniatur illatum, in foro conscientiæ sufficit illud ad æqualitatem resarcire : quódque amplius exigetur,tantùm erit in pœnam ciuilem. Si verò nullâ eius culpâ sit illatum, nulla datur obligatio ad restitutionem:vt si animal ipsum ferum iam fuerit ab eodem domino dimissum:in quo casu tale animal nullius est, adeout quilibet possit ipsum interficere,vel suum facere.

Explicatio difficultatis de columbis.

POrro quoad eos qui columbas habent; operæ- *Nu.*77. pretium est notare,columbaria esse licita; dummodo adsint tres conditiones, quarum si vna desit, committi potest peccatum mortale,cumobligatione in solidum ad restitutionem damnorum quæ columbæ intulerint. Nam quamuis in casu quo dominus columbarum non peccat mortaliter, satis sit vt dãnum resarciat,vel columbas det;tamen quando in eo peccatum mortale iniustitię committit, non sufficit, vt det columbas:sed totum damnum resarcire debet, ac si per seipsum intulisset,iuxta illud,Qui per alium facit per seipsum facere videtur.

Prima autem talium conditionum est, vt columbaria non habeantur contra leges municipales : vel consuetudinem patriæ.Nec enim vbique licet cuiuis columbarium habere.Secunda est,vt is qui habet columbarium non attrahat aliquia arte in illud ; *principali saltem intentione*, columbas suorum vicinorum.

Universidad de Deusto Biblioteca

Dixi, *principali intentione*, quia quamuis licitè possit aliqua arte & industria suas retinere (etiamsi fiat consequenter vt alienas alliciat) non debet tamen principali intentione ac fraudulēter alienas ad suum columbarium allicere: quemadmodum annotat Nauar. in Enchir.cap.17.num.128. Tertia est, vt is qui habet columbarium alat suas columbas; præsertim eo tempore quo possunt agris vicinis damnum inferre, nisi omnes agri vicini essent ipsius.

*Nu.*78. Quibus conditionibus concurrentibus non debere iudicari columbaria illicita, patet: quia reipub. seruiunt, tum in cibum, tum in ornatum. Ideóque à moderatoribus illius, non modò non improbātur, sed & permituntur; legésque de illis feruntur. Et quia regulariter vicini tunc non conqueruntur, nec damnum sentiunt, videntur constructioni illorum consentire, aut certè immeritò dissentire: præsertim vbi ex satis agri, in cuius medio columbarium ipsum situm est, non minus frugum colligitur cæteris paribus: quàm ex aliis prout frequenter colligi experientiâ comprobatum est. Et ratio est quòd talia animalia deuorent mala semina, vt lolium, nigellum aliáque eiusmodi: vnde fit vt rariores nascantur herbæ illæ, quæ officiunt tritico. Accedit, quòd cooperta semina, vt etiam experientiâ comprobatum est, non discooperiant, sed solùm discooperta comedant, nec spicas dum erectæ sunt attingāt, sed solùm dum prostratæ iacent. Quamuis autem Armilla in *verbo Columbarium in fine*, existimet nunquam illum peccare mortaliter, qui non alit suas columbas: contraria tamen opinio est & communis & verior, quā sequuntur Syluest. Restitutio 3. quæst.4. dicto 3. Sotus lib.4. de iust. & iure quæst.6. art. 4. in fine Caiet. in verbo Columbarium & Nauarr. in Enchir.cap.17. nu. 126. Neque rationes illius videntur vim habere in contrarium.

Ad priorem enim: quòd non sint aues domesticæ, quia possunt à quouis interfici; facilè respondetur negando vtrumque, quia verè sunt aues domesticæ, nec possunt à quouis impunè interfici: neque si interfici posse concedatur, propterea licitum erit habere columbarium: quia non licet alicui dedita opera domi suæ tenere animalia fera; vt lupum, vrsum, & similia quæ noceant proximo (etiamsi liceret illa impunè occidere) ne quidem si vellet resarcire dānum per ea illatum: sicut nec furari licet etiāsi fur statueret restituere, prout Nauar. habet, in prçced. nu.125. Ad posteriorē verò, quod si nō essent colūbę quæ dānum inferrent agris vicinis, essent aliæ aues syluestres quæ inferrent. Respondetur quoque facilè, nihil inde effici: quia ex eo, quod columbæ alantur habendo columbaria, non desinunt aliæ syluestres aues agris nocere. Adde disparem esse talium auium & columbarum rationem, quia illæ nullius sunt domini, & ideo licet impunè eas occidere non item columbas, habentes proprium dominium. Adde etiam, quòd etiamsi columbæ non inferant plus damni, quàm aliæ aues syluestres, vtrasque saltem plus inferre quàm solas.

*Nu.*80. Pari quoque ratione non licet arte, & industria colūbas aliorum abstrahere à suis colūbariis, vel eis laqueos tendere, vt capiantur: síque id fiat intra constitutam à lege, vel consuetudine distantiam, in qua capi, vel interfici iustè nequeant; præter peccatum & obligationem ad restitutionem, capiens subiacet etiam legibus pœnalibus loci. Neque minus peccāt, & ad restitutionem tenentur, *iuxta post dicenda de participatione in iniusta acceptione*, qui scienter huiusmodi columbas vendunt, & emunt. Vbi aduerte posse, probabiliter dici de columbis, quæ inueniuntur quidem extra distantiam statutam à lege, vel à consuetudine; sed consueuerunt redire ad sua columbaria: quòd eas occidere peccatum sit cum obligatione ad restitutionem, quantumuis non incurratur pœna legis ciuilis. Ratio est, quia licet columbæ transgrediantur distantiam à lege statutam, non censentur tamē ideo esse alienæ: quamdiu redeunt ad columbarium sui domini. Quod addo, quia si non consueuerint ad illud redire, præsertim per plures dies, idque certò cōstet, possunt tanquam non alienæ impunè capi, & occidi à quouis sine peccato & obligatione ad restitutionem: non tantùm extra sed etiam intra distantiam statutam à lege: vtpote quæ nullius domini amplius esse, feræque censentur.

CAPVT IX.

De obligatione ad restitutionem ratione participationis in iniusta acceptione.

SVMMARIVM.

81 *Nouem genera personarum obnoxiarum huic obligationi.*
82 *Dubitans an sit ex aliquo genere talium personarum, si diligentiâ adhibitâ dubium maneat, non tenetur ad restitutionem faciendam.*
83 *Quis tanquam iubens teneatur ad restitutionem.*
84 *Qui damnum suo nomine illatum ratum habet, non censetur eo ipso tanquam iubens, teneri ad restitutionem.*
85 *Quando, & ad quam restitutionem consulens, consentiens, adulans; recipiens, aut auxilium ferens teneantur.*
86 *Quid agendum sit ei ad quem fur cum spoliis refugit.*
87 *Ad restitutionem tenetur non modò qui immediatè, sed etiam qui mediatè ad iniustam actionem cooperatur.*
88 *Consulens delictum damnosum, etiam sine dolo, & ex ignorantia, nisi hæc sit inuincibilis aut probabilis, tenetur resarcire damnum quod non fuisset alioqui secutum.*
89 *Ad restitutionem damni secuti tenetur qui damnosum contractum consuluit, si vel ex officio, vel ratione eminentiæ suæ, vel ratione stipendij dare debuit consilium salutare.*
90 *Debens id ratione stipendij, tenetur de leui culpa, & cum damno dato restituere id ipsum stipendium, si sit acceptum. Alij verò antedicti tantùm tenentur de culpa lata.*
91 *Qui dant nociuum consilium, si dolus absit, non tenentur damnum secutum resarcire.*
92 *Quando obligatio Confessarij ad restitutionem contingat ob eam non curatam fieri à suo Pœnitente.*
93 *De obligatione participantium actu negatiuo in iniusta actione, quid sit tenendum.*
94 *Non tenetur quis ad restitutionem eo ipso, quòd accepit munus, ne damnum inferentem detegeret; vel cùm posset, non impediuit eum; ita tamen vt nihil ei cooperatus sit.*
95 *Quando ad restitutionem teneantur serui non impedientes damna dominorum suorum.*
96 *Ad quam restitutionem teneatur custos qui assignato stipendio constitutus est ad deferendos eos, qui fraudant gabellas, vel piscantur, aut venantur in locis prohibitis.*
97 *Quando peccet cum obligatione ad restitutionem malè deferendo.*
98 *Obligatur Medicus ad restitutionem damni quod ægrotus: & Aduocatus ad restitutionem damni, quod cliens patitur culpâ ipsius.*
99 *Quando ad restitutionem damnorum teneantur Principes aut Magistratus damna non impedientes.*
100 *Quando teneantur testes.*
101 *Quando impediens alium, ne obuiet damnis, teneatur illa resarcire.*

*Nu.*81. NOVEM sunt genera personarum quæ censentur participare in iniusta acceptione: quarum sex positiuè directéque sunt causæ eiusdem iniustæ acceptionis: quatuor participando verbo: nempe iubens, consulens, consentiens, & adulans seu laudans; & duæ participando facto, scilicet recipiens, & dans auxilium. Tres verò eiusdem iniustæ acceptionis negatiuè, & indirectè sunt causæ: nempe is qui non impedit verbo cùm potest, & is qui non impedit facto, cùm item potest eam iniustitiam impedire: ac demum is qui eamdem non manifestat. Qui omnes possunt ad restitutionē obligari, vel ratione solius nudæ acceptionis iniustæ, vt quando non habent rem iniustè acceptam, vel quando nihil omnino fuit acceptum, sed tantummodo illatum damnum, *vt in incendio domus*: vel ratione iniustæ acceptionis simul & rei acceptæ: vt cùm quis habet eamdem numero rem quam iniustè accepit. Atque de hac posteriore obligatione facilè est iudicium ferre, tantùm enim obseruandum est eam esse, vt is qui rem ipsam habet, totam restituat domino suo. De priore autem iudicare difficilius est, ad quod iuuabunt regulæ deinceps tradendæ.

*Nu.*82. Cæterùm cùm dubitatur, an quis verè particeps fuerit alicuius iniustitiæ, si factâ competenti diligentiâ, nihil certò moraliter, probabilitérve sciri possit: Syluester *in verbo Restitutio 3. quæst. 6. dicto 2. in initio* notat communem doctrinam esse, non teneri ad restitutionem ratione participationis in iniusta acceptione. Cuius fundamentum est, quòd cum tali dubio speculatiuo, stet ista certitudo practica, quod tunc non restituere licitum sit iure possessionis, seu quasi possessionis: quandoquidem in dubio melior est conditio possidentis, vt habet regula 65. iuris in 6. Quocirca, *vt idem Syluester addit*, obligatio istiusmodi ad restitutionem tunc tantùm contingit, cùm quis certus est, iniustam actionem quâ illatum est damnum, efficaciter à se prouenisse. Cui Petrus à Nauarr. consentit in lib.3. De restit.cap.4.num. 58. Aduerte autem obiter scientem quidem se damnum iniustè intulisse, sed dubitantem an illud resarcierit, manere obligatum ad restitutionem, tanquam malæ fidei possessorem: vtpote qui sciat se debitum contraxisse ex delicto, nesciat autem se esse ab eo liberum: quam liberationem negligens, obnoxius est peccato, quo quis amans periculum, perit in illo.

De iubentis obligatione.

SECTIO I.

*Nu.*83. DE hac datur regula: Tanquam iubentem teneri ad restitutionem, non modo eum qui iubet expressè, sed etiam qui tacitè: adeóque omnē eum qui alteri solito ad præceptum ipsius moueri, dicit aliquid vnde is possit coniicere præcipi sibi, vt proximo damnum inferat, illúdque infert. Exemplum est, si dominus dicat famulo, Optarim te de tali sumere vindictam, eíque à te damnum inferri: vel si dicat, Non mihi placebis nisi audiero te aliquid noui fecisse, aliúdue simile, quo permotus tanquam accepto mandato, intulerit damnum.

Dubium autem est; si famulus, nec expressò nec tacito præcedente domini imperio, progrediatur ad iniuriam, aut ad detrimentum aliquod inferendum nomine eiusdem domini, si postquam illatum est, illud ratum habeat, teneatur ad restitutionem faciendam damnificato. Ad quod post Palud. D. Anton. & Syluester, *ille 2.par.tit.1.cap.12. §. 12. & hic loco cit.* affirmatiuè respondendum esse indicant: hoc est, dominum ad restitutionem teneri: siquidem duo memorata simul concurrant: quòd scilicet damnum illatum sit nomine ipsius, seu credendo id ei placiturum esse; & quòd postea illud ratum habuerit. Ratio est: quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, vt habet regula 10. iuris in 6. quam in delictis etiam locum obtinere, glosa ad eamdem notat. Constat verò, quòd si quis tale delictum à principio fieri mandasset, obnoxius esset restitutioni. Idem sentiens Nauarr. *in citato cap.17.num.133.* addit quòd ab omnibus conceditur ratum habentem non obligari, si id quod ratum habet, vel non sit factum ipsius nomine, vel non habeat ratum, nec approbet quatenus factum suo nomine, etiamsi alia ratione id illi placeat, ideoque peccet.

In contraria autem sententia est Medina in Cod. *Nu.*84.
De reb.restit.quæst.7. ad 4. cui assentiuntur Petrus à Nauarr. in cit.cap.4.num.69. & etiam Ludouic. Molina De iust. & iure tract.2. disput. 729. nempe cùm quis per ratihabitionem suam non fuerit causa, vt ille qui damnum dedit non resarciat ipsum, ad nullam restitutionem teneri in foro conscientiæ. Eidem nos quoque assentiri possumus, quia bona ratione nititur: putà quòd talis per talem ratihabitionem subsequentem non fuerit causa damni dati; quandoquidem ipsum iam ante datum erat, quàm ab eo ratum haberetur. Neque id quod posterius est tempore, potest esse efficax causa efficiens, effectus ipsum præcedentis. Cùm ergo ille de quo agitur non teneatur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis; *cum nullatenus fuerit causa sufficiens damni dati*: nec item ratione rei acceptæ, *posito quod nihil inde ad ipsum peruenerit*: fit vt ad nullam restitutionem teneatur in conscientia. Quanquam tamē postulat humanitas, vt quia damnum nomine intuitúque ipsius datū est, & ipsum ratū habuit, illud resarciat. Ratio verò in oppositū adducta solummodo probat ratum habentem damnum suo nomine illatum, *cum perinde approbet factum ac si mandasset*, reputari seu præsumi mandantem in foro externo; sufficienter ad hoc, vt licitè puniri possit: non verò ad hoc, vt verè dicatur influxisse in damnum ea ratione illatum. Cùm igitur non teneatur quis ad restitutionē damni illati, nisi in illud influat, ab ea sanè excusari potest is qui illud eo quo dictum est modo ratum habet: sicut excusatur qui suam iussionem reuocauerit ante executionem, *quæ nihilominus secuta sit*, eo quod abfuerit in eam influxus. Neque enim de mādato alicuius fit id, quod non fit de ipsius voluntate; & per reuocationem mandati cessat mandantis voluntas.

Cæterùm subditi, qui Principum, suorúmue maiorum iussa de damno inferendo, exequuntur metu reuerentiali, seu ne eis displiceant, excusationem à restitutione habere non videntur: etsi probabile est iubentes teneri illis compensare damna, quæ ex tali executione acceperint: cùm quidquid est causa causæ, sit etiam causa causati; & illi sint causa executionis, à qua causata sunt talia damna. Si quis quærat, An ad restitutionem teneatur is qui non mandauit quidem, sciuit tamen, damnum suo nomine inferendum esse alicui, nec impediuit cùm posset, aperiendo id sibi minimè placere. Respōdet Molina in fine memoratæ disput. 729. teneri: quia debuit lege iustitiæ,

ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex quasi officio impedire,ne nomine ipsius, & tanquam aliquid sibi gratum, iniustè damnum inferretur.

De obligatione cæterorum participantium in actu positiuo.

Sectio II.

Nu.85. REgula de hac datur;Tanquam consulentem aut consentientem,aut adulantem,aut recipientem aut ferentem auxilium, ad restitutionem teneri omnem eum qui aliquo ex iis modis qui suprà num.113. indicati sunt,causa est damni, mouendo aliquem ad illud inferendum.De consulente adde, quòd si decipiat executorem, teneatur ad restitutionem omnis damni inde secuti, non itè executor ipse, si ex ignorantia inuincibili iniustitiam committat damnum inferendo. Qua ratione Consiliarij Principum tenentur ad restitutionem damnorum quæ sequntur,si consilium dent, vt lex vel statutum iniustum fiat vel tributum iniustum imponatur,aliúdve quidpiam iniustè constituatur.

Adde etiam de consentiente: ad restitutionem obligatos, illius rationem seu conditionem subire qui suis suffragiis contra iustitiam eligunt aliquem,vel aliquid aliud faciunt, vnde tanquam ex efficaci causa damnum aliquod sequitur.

De adulante verò adde ex D.Antonino 2. *par. tit. 1. cap. 12. §. 12.in initio*; mouendo aliquem ad opus damnosum, prout sit proponendo ei suam nobilitatem, aut exprobrando vxoris suæ adulterium, vel aliud simile vrgendo,vnde sequatur vt pudore suffusus occidat, vel aliud damnum inferat: incurrere obligationem resarciendi damna inde secuta tanquam ex causa. Idque non solùm si illa ipse intenderit: sedetiam si talia verosimiliter inde sequi posse aduertere debuerit. Hoc autem quod de adulante dicitur, dici pariter potest de eo qui ponendo ob oculos vtilitatem vel delectationem, mouerit alium ad opus damnosum;& multò magis si ad illud induxerit vi aut metu,dolo vel fraude.

De recipiente porro,adde ipsum teneri ad restitutionem, non modo damnorum omnium, quorum concausa fuerit ob securitatem fauore, aut aliâ ratione datam, illa iniustè inferenti: sed etiam eorum quorum restitutionem impediuerit: siue occultando furem, aut furta: siue addendo furi animum non restituendi,siue defendendo illum:factúmve illius coram Iudice:siue apud eundem, aut apud Principem intercedendo pro illo. Id quod Medina notat in Cod. De reb.restit. in fine quæst. secundæ. Adde & suppeditando commoditatem loci & instrumentorum, ad talia in conuiuiis & ludis consumenda: de quo Lud.Molina in seq.disput.733.

Nu.86. Aduerte autem quod aliis citatis habet Petrus à Nauar.*in lib.3. De restitut.cap.4.nu.119.* cum qui receptat furem cum spoliis fugientem ad ipsum vt mortem euadat,etsi non deberet apud se latitantem manifestare(vtpote cui quæsito ad mortem fas est fugere antequam capiatur,de quo in seq.lib.24.num.42.) debere tamen spolia,si illa habeat in sua potestate restituere vero domino:quantumuis fur illa fidei ipsius commiserit: quia in pacto illicito fides rescindenda est.Alioqui enim si illa sibi vel furi conseruaret; ipse tanquam cooperans ad furtum,& peccans tam contra iustitiam quàm contra charitatem, obligaretur ad restitutionem:nisi metu mortis, aut notabilis detrimenti in suis bonis, aliáve legitima ex causa excusaretur:quo casu non esset censendus cooperator,sed propriæ vexationis redemptor.

Nu.87. De dante auxilium adde, ipsum incurrere obligationem ad restitutionem:non modò immediate, sed etiam mediatè cooperando ad iniustam acceptionem. Sic enim obligantur fabri ferrarij, & alij qui scientes aut præsumentes à se peti claues, vel alia instrumenta ad furandum,aut aliud damnum inferendum,illa ministrant;& ij similiter qui vendunt aliis scalas quibus ascendant ad damna inferenda,aut qui explorant ad monendum inferentes damnum, quò tutiùs & liberiùs exequantur suum facinus: aut eos comitantur ad defensionem ipsorum, vel aliud eiusmodi agunt; nisi esset quid de se indifferens; neque fieret ad cooperandum inferenti iniustè damnum, sed ad alium rationabilem finem: vt ad reddendum licitum obsequium,iure alicui debitum;vel ad vitandum imminentia verbera,vel ad aliquod aliud graue malum auertendum. Nam cùm sit tunc excusatio à peccato, erit & à restitutione,ex iniusta acceptione.

De obligatione consilium nociuum dantis ex ignorantia.

Sectio III.

DIfficultas in vsu frequens hîc occurrit explicanda, An teneatur quis ad restitutionem cùm ex ignorantia dat consilium nocium, & proximus authoritatem ipsius secutus,graue damnum inde incurrit.Eam autem allatis in vtramque partem authoribus Petrus à Nauar.*in eodem cap.4.dubit.3.à num.22.* rectè explicat distinctione post glosam ad regulam 62. iuris in 6. Potest enim esse sermo de consilio ad delictum,vel de consilio ad contractum.

Nu.88. Atque si quis delictum consulat, tenetur ad restitutionem damni illati,etiamsi absque intentione nocendi,&ex ignorantia id faciat,nisi ignorantia sit inuincibilis seu probabilis quæ excusset à peccato. Probatur: quia qui consuluit homicidium incurrit in pœnam homicidæ, ex cap. Si quis viduam distin. 50. & cap. Sicut dignum De homicidio: idemque pari ratione dicendum est de consulente furtum, aut aliud delictum quo damnum infertur proximo. Vnde sequitur consulentem perinde ac delicti perpetratorem teneri ad restitutionem faciendam ei, contra quem datum est consilium. Quod notans Syluester *in verbo Consilium quæst.7.* addit eiusmodi doctrinam non habere locum quando is cui datum est consilium, erat nihilominus tale maleficium parraturus, neque in perpetrando est ei cooperatum.

Nu. 89. Sin autem consulat quis contractum damnosum: distinguendum est rursus, cum Medina in Cod. De rebus restit.quæst.7.ad 2.ac dicendum,si is qui consilium dat sit talis,cui illud dare incumbat;aut ex officio,vt Confessario, Theologo, Aduocato, Medico quibus fides solet,aut debet adhiberi; aut etiam ratione suæ eminentiæ vel experientiæ; vt senibus & aliis qui in re, seu negotio de quo agitur periti habentur:aut demum ratione stipendij.Si,inquam,talis sit,tenetur in consulendo dare operam, diligentiámque adhibere,vt rectè salubritérque consulat:alioqui si damnum inde sequatur,imputabitur ei, & ad illud resarciendum obligabitur: siue ab ipso petitum fuerit consilium,siue vltro se obtulerit ad consulédum. Hoc patet per illud quod in cap. fin. De iniuriis habetur his verbis:Si culpa tua datum est damnum, vel iniuria irrogata,vel aliis irrogantibus opem fortasse tulisti;aut hæc imperitiâ tuâ siue negligentiâ tuâ venerunt,

nerunt,iure super his satisfacere oportet, nec ignorantia te excusat; si scire debuisti ex facto tuo iniuriam verosimiliter posse contingere vel iacturam.

Nu 90. Aduerte autem cum eodem Petro à Nauar.*in seq. nu.* 23. ac Ludouic. Molina *De iust.& iure tract.2.disp.* 730.*num.2.* Eum qui accepit stipendium ad dandum consilium,vt communiter solent Aduocati & Medici,non modo teneri de lata, sed etiam de leui negligentia, quam commiserint dando nociuum consilium: quoniam ob vtilitatem quam percipiunt, tenentur non modò diligentes esse vt communiter ceteri:sed etiam diligentiores,iuxta antedicta num.22. Quinimo etiamsi diligentiores fuerint, ideóque non teneantur resarcire damnum à se non præuisum, in quod consultor incurrit,secutus nociuum consilium sibi datum: tenentur tamen restituere mercedem, quam pro eodem consilio acceperint: perinde ac ille qui rem vitiosam ignoranter pro non vitiosa vendidit,tenetur postea re cognitâ,acceptum pretium restituere.Eum autem qui stipendium non accepit, licet ex officio, aut ratione eminentiæ consulere debuerit;memoratus Petrus indicat, quòd si bona fide processit,ob consilium nociuum datum: ad restitutionem damnorum inde secutorum, teneri tantùm ex lata culpa:quod consentaneum est regulæ octauæ in præced.num.21.traditæ.

Nu.91. Iam si ei qui nociuum consilium dat,neque ex officio,neque ratione eminentiæ vel stipendij, consulere incumbat (vt idiotæ vel mulieri vel aliis inexpertis) putat Medina loco citato ipsum teneri ad restitutionem damni secuti, si se obtulerit ad dandum consilium:quia sibi vsurpauit aliorum officium. Sed non immeritò idem Petrus *in sequen.num.25.* existimat, quòd siue quis offerat se ad dandum, siue petatur ab ipso consilium (nisi hoc æquiualeat mandato tanquam obligans eum qui illud petit) atque bona fide consuluerit,quod optimum sibi videbatur: existimat,inquam, ipsum nullo pacto teneri de damno secuto.Nam ex regula 62.iuris in 6. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur. Quæ regula locum habet maximè in hoc casu, in quo ille qui consulit non tenetur scire, & ille qui consilium à tali capit,debet sibi iimputare, quòd sequatur illud, volens imperitis acquiescere, relictis doctioribus & expertis, à quibus potuit sufficienter informari de veritate.

Nu.92. Operæpretium est hic monere Confessarium de eo,quod Nauar.in Enchir.cap.17.num.22. ex Rosella & Angelo habet:ipsum obligari ad restitutionem, quando ex eius culpa lata Pœnitens omisit restitutionem,quam non omisisset si illam ei iniúxisset: recusantúque facere,absolutionem negasset.Licet enim Confessarius suum officium habeat tantùm in gratiam Pœnitentis,nec à creditore mercedem acceperit ob quam debeat negotium ipsius gerere:ex officio tamen suo incumbit ei talem restitutionem vrgere, tanquam necessariam ad veram pœnitentiam: adeout sua culpâ latâ omittens facere,censeatur causa damni ex tali omissione prouenientis. Quam doctrinam Petrus à Nauarra in citato cap. 4. num.124. approbat quidem absolutè: sed quidquid sit existimarim quoad praxim (ad quam reducere illam, est valde difficile & onerosum) haud habere locum extra casum,in quo prædicta omissio induat rationem consilij:vt tunc censeri possit:cùm Pœnitens ostenderet se planè paratum obsequi, & expectare admonitionem, circa sibi necessaria ad exeundum à statu peccati & ad diuinæ gratiæ recuperationem. Vix enim alia ratio assignari potest, qua omissio, de qua loquimur sit contra iustitiam,prout requiritur,vt ea inducat obligationem ad restitutionem.Namque ratio tacta ex officio (quæ potissima, & fortè vnica est) ex eo reijcitur:quòd Confessarij officium, tàmquàm merè spiritale, non ad temporalium curam, *nisi forte ex charitate*, sed ad spiritalium administrationem referatur. Cuius administrationis cura, ad hoc sufficit. sine alia obligatione,vt Confessarius sustentationem corporalem accipiat: prout plenius in sequenti lib. 30.tractatu tertio tradetur agendo de beneficiis.

De obligatione participantium in iniusta acceptione actu negatiuo.

Sectio IV.

Nu.93. DE hac habendum est pro regula: Mutum seu non impedientem verbo iniustam acceptionẽ; & non obstantem, seu non impedientem facto: & non manifestantem:nunquam obligari ad restitutionem nisi cum ex iustitiæ lege tenentur talem acceptionem impedire,& possunt impedire commode,id est, absque detrimento notabili sui honoris aut rei familiaris. Ita enim communiter Doctores notant relati à Petro Nauarro in memorato cap.4.sub initiũ dubitationis decimæ.Vnde illi qui tenentur tantummodo ex lege charitatis: grauiter quidem peccare possunt non impediendo; non obligantur tamen ad restitutionem: quia nisi iustitia violata sit, nihil est, quòd per restitutionem reducatur ad æqualitatem debitam.

Cæterùm ex lege Charitatis iniustitiam impedire tenentur quidem omnes,non tamen semper. Neque enim contra charitatem is peccat qui rationabili de causa illam non impedit: vt cùm ideo non obstat damnum inferenti, quòd id nequeat absque maiori, aut certè æquali suo incommodo: aut certè sine tali dispendio, quod vir prudens,non iudicauerit incurrendum esse ad impediendum idipsum damnum. Lege verò iustitiæ tenentur multi: vt Reipublicæ Gubernatores,Duces belli,Aduocati,Procuratores, aliíque publici officiales;itémque Medici & cæteri mercede conducti seu stipendiati: quales sunt artifices & opifices omnes. Quibus adde eos qui ad aliquod officium assumuntur;quales sunt mensores agrorum, & qui litem aliquam tanquam arbitri diriműnt,vel bona inter hæredes partiuntur; speciali enim obligatione tenentur,siue ratione officij quod gerunt; siue ratione pacti quo se adstrinxerunt, operam & solicitudinem adhibere ad prospiciendum aliorum vtilitati ac damnorum vitationi.

Nu.94. Peccatum verò quod tales committunt omittendo vtilitati aliorum prospicere,& damnum impedire cùm tenentur & possunt; est peccatum contra iustitiam:vtpote quo res aliena,id est, opera alteri debita ad seruandum ipsum indemnem,ei subtrahitur.Quæ opera, quoniam non subtracta, indemnitatem tanquam fructum suum, allatura erat, is qui illam subtraxit tenetur(tanquam restituendo fructum rei aliænæ à se distractum) damnum inde secutum resarcire. Quæ ratio est Medinæ in Cod. De reb.restit. *quæst.9. sub initium.*

Inferuntur autem permulta ex hac regula. Ac primò, quod si quis munus à fure acciperet vt taceret, non teneatur propterea ad restitutionem rei ablatæ, si non incubuit illi ex officio tale damnum impedire. Hoc Sotus in lib. 4. De iust. & iure, & Nauar.in Enchir. cap. 17. notant: *ille quæst.7. art.3.vers. Immo verò*;& hic num.10.vers.4. Immo, vt illi addunt; neque munus quod accepit, si furis erat, tenetur restituere.

Infer

Universidad de Deusto
Biblioteca

Infertur secundò, quòd si is qui sola lege charitatis obuiare tenebatur, desinat obuiare ex dolo, malóque animo, quo ei gratum est alterius damnum, etiási coram Deo censeatur peccati damnosi, vt homicidij vel furti, reus (per Canones quos de hac re agens explicat Medina in cit. quæst. 9.) ad nullam adhuc restitutionem tenetur: quoniam cùm non noceat efficaciter (desiderio nimirum nocendi manente in mente) in solam charitatis legem delinquit ex Soto & Medina in iisdem locis: quibus Petrus à Nauar. assentitur *in lib. 3. De restitut. cap. 4. num. 131.* Intellige autem dolum impropriè sumptum: nimirum pro odio & peruerso zelo: nam dolus propriè sumptus, videlicet pro fraudulenta alterius deceptione, potest inducere obligationem ad restitutionem. Etenim qui alterum fraudulenter decipit, vt ad res ipsius diripiendas viâ aperiat furi, cùm sic decepto faciat iniuriam, tenetur ad restitutionem damni quod ille ideo perpessus est: vt qui finxit arcam esse clausam, vel aliquid fraudulenter dixit, aut etiam fecit vnde dominus deceptus eam furibus apertam reliquit, tenetur ad restitutionem damni inde secuti: & sic de similibus. Adde quod Petrus à Nauar. consequenter expressit *nu. 132.* eum qui verbis, aut signis aliis ostendendo se taciturum: alium dubitantem & extimescentem confirmaret, ac determinaret ad damnum dandum, *qui alioquin timore ne manifestaretur non fuisset id ausus*, non esse excusandum à restitutione: quoniam causa est positiua damni illati, ad modum siue consentientis siue consulentis, siue adiuuantis.

Nu. 95. Infertur tertiò: qualiter iudicandi sint ad restitutionem teneri vel non teneri famuli non impedientes cùm possunt, damna quę dominio ipsorum inferuntur. Si enim data sit eis cura aut custodia earum rerum, circa quas damnum infertur, ad restitutionem tenentur, sicut ij qui peculiariter ad hoc accepissent stipendium, vt essent earumdem custodes, & circa eas inuigilarent: nam & ipsi contra iustitiam peccant non impediendo. Idem iudicādum est etiam de illis quibus traditur clauis loci, in quo res aliquæ reseruantur, si permittant inde aliquid surripi, cùm possint impedire: nisi fortè iuxta eam doctrinam quam habet Petr. à Nauar. *in seq. num. 139. & 140.* taceant eo quod surripiens sit amicus, aut consanguineus domini, quem credit id gratum habiturum, aut facilè daturum accipiendi facultatem; adeoque factum ei placiturum si resciat: quamuis fortè modus facti, quo est accipiendi sine sua facultate, displicuturus sit. Quando verò vnus famulus videret alterum accipere de rebus quarum cura non esset sibi commissa, & taceret, non teneretur ad restitutionem: quia non videretur peccare contra iustitiam, sed solùm contra charitatem.

Nu. 96. Infertur quartò, stipendiatum ad obseruandum & deferendum eos qui res exportant non solutó vectigali debito, aut piscantur vel venantur in locis prohibitis, teneri restituere id quod hi soluere debebāt; nempe vectigal quo iniustè defraudatus est dominus, cuius loco positus erat custos, similitérque valorem rei per venationem aut piscationem acceptæ. Nam iniustè causa fuit talis acceptionis damnosæ: quandoquidem ratione officij quod gerebat, tenebatur ex iustitia eam impedire. Attamen ex Nauarr. in Enchir. *cap. 25. num. 34.* non tenetur ad restitutionem pœnarum quas incurrissent accusati: cùm neque hi ad illas subeundas ante Iudicis sententiam tenerentur. Quod autem Syluester verbo Pœna & Med. in Cod. De reb. restit. *ille quæst. vlt. & hic quæst. 15. in fine*, contrarium docent: locum habet in eo qui speciali iuramento aut pacto se obstrinxit, loca quorum est constitutus custos, ita custodire, vt dominus vel collector ipsius; nec debitis defraudetur gabellis, nec pœnas iure illi debitas amittat.

Hìc nota ex Nauar. in Enchir. cap. 17. nu. 122. 123. & 124. (quod etiam tractat Petrus à Nauar. *lib. 3. cap. 4. num. 126. 127. & 128.*) mortaliter peccare custodem si abscódat se ne videatur, vt habeat quos mulctet. Nam illa sua absconsione, est alteri causa peccati, participátque in iniusta acceptione: ob quam tenetur ad restitutionem damni per eam illati; nisi ideo excusetur quòd id fecerit, vt semel deprehensi cauerent tale quid denuo attentare. Ipsum verò contra iuramentum aut fidelitatem non peccare tacendo; immo committere contra iustitiam manifestando eos, qui ingrediuntur loca ei commissa ad accipiendum aliquid premente necessitate ipsi notā; satis magnā: aut certè nullum illaturi damnum: vt syluam ingredientes ad colligenda ligna iam arida excisa & derelicta: vel quia talis prohibitio est iniusta & tyrannica. Id enim perinde est ac si insonti litem excitet: ideóque tenebitur talibus restituere damnum, quod sine sua culpa incurrerint in eo casu. *Nu. 97.*

Nu. 98. Infertur quintò: medicum si ægrotus cuius curam suscepit, ex crassa ipsius ignorantia vel malitia moriatur; vel contrahat nouam infirmitatem, teneri ad restitutionem. Quod pari ratione dicendum est de Aduocato respectu clientis, cuius patrocinio suscepit. Et ad confirmationem facit aperta ratio quam habet Medina *in Cod. De rebus restit. quæst. 9.* his verbis: Qui alienam rem aut alteri debitam quando tenetur non reddit, oportet illum pro interesse satisfacere, quod alij ex eius non redditione patiuntur. Cùm ergo præfatæ personæ specialiter, & obligatione personali teneantur operam & diligentiam in aliorum vtilitatem apponere, & non apponunt: perinde est ac si rem aliis debitam, *idque cum eorum quibus debita est iactura*, retineant: ac proinde tales tenentur ad interesse.

Nu. 99. Infertur sextò: Principes, Iudices, Prætores, & iustitię ministros teneri ad restitutionem; si latrociniis, aliisve criminibus damnosis non obstent: siue ob aliquam negligentiam, siue ob respectum aliquem humanum. Secus quando sine graui incommodo obuiare nequeunt: non enim tenentur quidquam temere facere, séque manifestis periculis exponere, nisi grauis Reip. necessitas postularet vt ex D. Thoma & Syluestro habet Nauar. in Enchir. *cap. 17. num. 20. sub finem.* Quod etiam docet Sotus lib. 4. De iust. & iure *quæst. 7. in fine art. tertij.*

Nu. 100. Infertur septimò: testes in iudicio legitimè interrogatos, si veritatem occultent, siue mentiendo, siue tacendo, siue dissimulando, teneri ad restitutionem: quia cùm ex officio tanquam publicæ quædam personæ veritatem aperire teneantur, tunc peccant contra iustitiam. Hoc expressērunt Medina & Nauar. ille in cad. quæst. 9. in solutione quartę obiectionis, & hic in Enchir. cap. 17. num. 133. & in cap. 25. num. 40. Ratióque est, quia iustæ leges actori ac reo ius tribuunt quoad testem, vt ab eo valeant lege iustitiæ testimonium veritatis exigere. Quod si extraiudiciāliter testes interrogentur, siue à parte, siue à Iudice quidem, sed nō iuridicè, nec velint veritatem manifestare, nō tenebuntur ad restitutionem: etiamsi fortè peccent. Ratio est, quam Medina tangit ibidem: quia in eo tantùm peccant contra charitatem, cùm non subeant munus & officium testium, nisi respectu habito ad iudicium: vnde extra illud non peccant contra iustitiam. Pari fundamento nititur, quod Tutores, & Curatores tenentur ad restitutionem damnorum illatorum bonis pupillorum, & minorum sibi commissorum, quæ non impediuerunt cùm possent: non item illatorum aliis, si qui fortè cum ipsis pupillis aut minoribus eadem bona habuerint communia.

Nu. 101. Infertur octauò: quod si iustitiæ minister volens impedire ne damnum inferatur, aliquis ipsum prohibeat, is teneatur ad restitutionem eiusdem damni inde secuti: quandoquidem peccat contra iustitiam impediendo eum qui ex iustitia obuiabat tali damno inferendo. Quod idem iudicandum est etiam, cùm licet neuter duorū obuiare teneatur ex officio, vnus tamen alterius opem delatam ad obstandum damno, impedit per vim, dolum, vel fraudem. Etenim sicut ille qui alicui arma tolleret quibus defenderet se; ita etiam ille qui dicto modo tollit auxilium, quo alter esset à damno liberandus: iniuriam facit eidem, qui ad tale auxilium habebat ius quæsitum; volúntate eius à quo deferebatur durante adhuc: vtpote quæ ex hypothesi mutata non est reipsa, licet fortè mutata sit externo signo, ob interuenientem vim, dolum, vel fraudem. Quod etiam habet Petrus à Nau. lib. 3. De restitut. cap. 5. nu. 12.

Si autem quis per solam persuasionem vel consilium impediat alterum volentem ex charitate obstare damno, is non tenebitur ad restitutionem: quoniam eo modo legi tantùm charitatis aduersatur, nec facit iniuriam: non quidem ei qui omittit obstare ob tale consilium, vel persuasionem: quia voluntate sua libera, *quamus ab alio permotus*, id facit; nec volenti fit iniuria. Nec item ei cui auxilium subtrahitur, cùm illud ex charitate tantum ei debeatur, itaut minimè habeat ius aduersus eum à quo deferebatur, quo ipsum compellat ad aliquam restitutionem ob omissum auxilium. Ad quam sicut ille non tenetur, ita nec tenebitur is cuius consilio vel suasu omiserit.

CAPVT X.

De quæstionibus quæ monuetur circa obligationem ad restitutionem, ratione participationis in iniusta acceptione.

SVMMARIVM.

102 *Qui est causa damni efficax, non item qui inefficax, tenetur ad restitutionem.*
103 *Quando excusetur à restitutione, qui vt furem impediat accipere rem maioris pretij, suadet vt rem minoris pretij accipiat.*
104 *Qui volendo impedire damnum, dat eidem occasionem: quando teneatur ad restitutionem.*
105 *Quando à restitutione excusetur, & quando ad eam obligetur, qui suffragium iniquum dedit, vel omisit dare iustum.*
106 *Ad quam restitutionem teneatur qui furi statuenti capere quinquaginta, persuadet vt centum capiat.*
107 *Ad restitutionem tenetur is, qui alteri suasit vt damnum inferret, citius quam statuerat: quod procedit etiamsi non persuaserit primò: sed suasus ab ipso, postea animo reuoluens consilium eius, illud exequatur.*
108 *A restitutione excusatur, qui consilium, aut mandatum damnosum dedit, si illud quantum in eo fuit reuocauit antequam damnum daretur: secus si tantummodo post damnum datum.*
109 *Duo modi quibus contingit aliquem sua causalitate attingere effectum: nec tamen esse illius causam sine qua non.*
110 *Obligationem ad restitutionem non impediri, per hoc quod damnum datum, alius dedisset.*
111 *Ad restitutionem tenetur qui in actionem damnosam influxit; etiamsi non fuerit damni causa sine qua non.*
112 *Ratio cognoscendi quando quis fuerit causa, sine qua non esset damnum illatum.*
113 *Causa damni alia principalis & physica, alia secundaria & moralis: & vtraque alia est totius damni, alia partis ipsius.*
114 *Quando causa principalis, & physica teneatur, & quando nō teneatur ad restitutionem in solidum.*
115 *Quæ obligatio sit ad restitutionem, cùm plures tanquam causæ principales & physicæ ad damnum inferendum concurrunt dependenter alij ab aliis.*
116 *Quæ verò quando dependenter alij ab aliis: id quod illustratur adducto exemplo restitutionis ad quam tenentur milites, damna iniustè inferentes.*
117 *Quænam obligatio sit, cùm plures causæ principales, & physicæ concurrunt, sed vna post aliam.*
118 *Quando causa moralis, illéve qui alterum monuit ad damnum inferendum, teneatur ad restitutionem in solidum.*
119 *Quæ obligatio sit ad restitutionem, cùm plures tanquam causæ morales concurrunt in mouendo aliquem ad damnum inferendum.*
120 *Si de aliquibus dubitetur, quisnam eorum causam damno dederit, singuli contribuere tenentur.*
121 *De obligatione in solidum, nota ata quædam.*
122 *Inter plures qui in solidum restituere tenentur, is primo loco debet, qui habet illud quod restituendum est: itaque aliquis caterorum prius restituat, ille tenetur ei refundere.*
123 *Idem iudicandum est de eo, qui cùm vim haberet coactiuam damnum inferri iussit, & illatum est.*
124 *Quando executor, tanquam concausa principalis, pariter cum illo ipso: quando verò solus, teneatur restituere.*
125 *Qui executoris nomine comprehendantur: & cùm plures fuerint damni executores, quanam ac quorum sit obligatio.*
126 *Quomodo ad restitutionem teneantur consulens, adulator, receptator, mutus, non obstans, non manifestans.*
127 *Quid sit teneri ad restitutionem in solidum.*
128 *Principali authore damni, aut eo qui totam rem sibi retinuit restituente, cæteri ad nihil tenentur.*
129 *Qui pares fuerunt in concurrendo ad damnum inferendum tenentur æquis partibus refundere vni ex ipsis primò restituenti.*
130 *Vno ex iis qui sunt concausæ restituente in locum principalis, cæteri tenentur suam portionem illi refundere.*
131 *Restitutio ad quam tres tenentur in solidum, à duobus facienda est integra si tertius non possit, aut nolit facere.*
132 *Remissio actionis in foro exteriori facta vni ex concausis, non censetur eo ipso facta cæteris.*
133 *Nec item in foro conscientiæ liberatio à restitutione vni facta, censetur eo ipso facta aliis.*
134 *Si ille cui fit remissio, sit causa principalis, cæteri qui deberent defectum illius supplere, ad nihil tenentur.*

QVÆSTIO I.

An vt aliquis ratione participationis in iniustā acceptione obligetur ad restitutionem debeat esse efficax causa damni.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.102. COMMVNIS consensus est Doctorum vtriusque iuris, ac etiam Theologorum (vtrosque magno numero commemorat Couarr.ad regulam Peccatum 2. pār. §.12. nu.1.) non modò iniustè accipientem, sed etiam omnes alios qui causam damni efficacem dederint; tenēri ad restitutionem:quia qui causam damni dat, damnum dedisse cēsetur, vt pro regula vsurpari Couar.ibidem habet.Pro qua faciunt cap. fin. De iniuriis,&cap. Suscepimus,cum sequenti De homicidio.

Nota verò dictum esse efficacem, seu cuius virtute damnum subsecutum sit;quia vt participans in iniusta acceptione teneatur ad restitutionem, opus est vt ad damnum ex ea secutum, sufficientem causam præbuerit; sicut, exempli gratia, præbuisse censetur is qui consensit vt gereretur bellum iniustum; si ex consensu iuris id pēdebat, *prout solet ex consensu Principis*: non item, si minimè pendebat;vt cùm plebeius de tali bello audiens ait sibi placere quod geratur, cùm enim exinde nihil damni sequatur,etsi peccetur, nulla oritur obligatio ad restitutionem. Nec enim restitutio necessaria est, nisi vt damnum alteri illatum compensetur. Immo nec absolutè sufficit illatum esse damnum:sed præterea opus est,vt qui intulit,fuerit causa illius iniusta. Quod cum non contingat ei qui immunis est à peccato respectu damni dati, ad nullam restitutionem ipse teneatur ex hac radice. Multa autem hinc inferuntur pro praxi.

Nu.103. Primum est:eum qui non potest aliter furi dissuadere furtum rei pretiosioris,quàm suadendo vt domino illius surripiat potius rem aliam minus pretiosam,non teneri ad restitutionem: etiamsi furi in eadem re asportanda præbuerit auxilium, tanquam necessarium ad auertendum ipsum ab eodem furto rei pretiosioris. Ratio est:quia in tali casu censendus est sic suadens, vtiliter gerere negotium domini:qui ideo irrationabiliter queretur se ab eo læsum esse,cùm potius debeat loco beneficij ducere factum suâ causâ; dato quod maius illud damnum nequiuerit taliter vitare. Verumtamen licitum non est tale consilium dare;nisi ei qui alioqui iam paratus est, aut vtrumque simul, aut alterutrum è duobus facere. Si enim tantum decreuerit facere maius, non licet persuadere ei minus: cùm non sint facienda mala vel consulenda, vt inde eueniant bona. Sed si vtrumque facere decreuerat,suaderetúrque vt minus malum potius faciat quàm maius, tunc consilium non terminaretur ad damnum vt malum est, sed vt minus est; itaut idipsum consilium non sit cooperatio ad spiritalem ruinam furis, *vt nec ad damnum tertij*, sed potius ad ædificationem eiusdem,efficiendo vt anima ipsius non adeo grauiter ruat. Id quod notans Petr. à Nauarr. *lib.3.de restitut. cap.4.par.1.nu.29.* consequenter addit,non esse fas consulere alicui volenti inferre graue damnum, vt potius alicui tertio inferat minus,nisi iam determinatus esset ad vtrumque tale damnum inferendum. Cùm enim tantùm decreuit facere vnum ex duobus,dubitans quodnam illorum faciet; si meo consilio in vnam partem, vt in damnum certi tertij, inclinetur efficaciter: iam ego sum causa efficax eiusdem damni illati ipsi tertio:qui mihi est rationabiliter offensus, quòd damnum cùm existeret sub dubio, itaut spes aliqua esset illud euadendi, reddiderim certum. Attamen vt notat idem author *in sequen.num.31.* istud non procedit, cùm vnius, *diuitis præsertim*, damnum paruum est: & alterius, præsertim pauperis;magnum;ad quod quidem vitādum,alias esset obligatio ex charitate,ipsum damnum modicum subire.

Nu.104. Infertur secundò, quid dicendum sit de iis qui exercitum paratum ad bellum comitati sunt, animo impediendi iniuriam per illum inferendam, quorum animum ignorantes ij quibus studebant,sibi propterea consuluerunt fugā, ex qua damnum maximum incurrerunt. Dicendum est enim quòd si taliter comitantes aduerterunt aut aduertere debuerunt posse ex ea comitatione damnum illud sequi; nec diligentiam competentem adhibuerunt,ne sequeretur, illos alios præmonendo, suúmque bonum animum eis intimando, teneantur ad restitutionem: quia verò culpā suâ causam præbuerunt talis damni. Ita Medina in Cod.de reb.restit.quæst.7.ad 3. Nu.105.

Infertur tertiò, quod si quis iusserit vel consuluerit effectum aliquem iniustum, qui secutus sit quidem;sed talis iussio, vel consilium nullatenus fuerit causa illius; propterea quod executor, ad exequendum nihil amplius inde motus est,quàm si iussio ipsa aut consilium ad ipsum non peruenisset: quare ad nullam restitutionem tenetur. Hinc que sit, vt cùm aliquid per suffragia confertur, aut definitur, aut executioni mandatur hac lege, vt postquam maior pars suffragatæ est,res finita sit,&irrenocabilis:adeo vt posteriores qui supersunt, nihil amplius possint immutare, aut impedire:sit,inquam,vt hi suffragantes iniustè, *etiamsi peccent tanquam consentientes iniquitati*, non teneantur ad restitutionem: v.g. In aliqua communitate suffragia plura vincunt,& dum aperta feruntur, vltimus, vel ex vltimis videns præcedentium vota vicisse,& ita suum nihil prodesse:consentit iniustæ actioni, eam calculo suo confirmans, & approbans, *etiamsi mortaliter peccet consentiendo in peccatum mortale*: non tenetur ad restitutionem damni secuti. Ita expresserunt Caiet.in verbo Restitutio,& Nauarr.in Enchir.ille cap.1.§. Attende,& hic cap.17. numero 21. Probatur autem, quia tale suffragium est ac si non esset, nec vllam omnino causalitatem haber. Idem iudica de quocumque alio, qui pari ratione iniustæ sententiæ,aut electioni indigni vel repulsæ digni,iniustè subscribit.

Contrarium verò, quod Medina in eadem quæst. 7. ad 5. sentit,potest habere locum in quatuor casibus. Primus est:si tale vltimum suffragium causa fuit vt citius vel actius, cōfirmatiúsque actio iniusta qua damnum infertur, executioni mandaretur:quoniam consequenter causa fuit ipsius executionis:quando-quidem signum euidens est causalitatis agentis; quòd res non fuisset eodem modo perfecta, tali agēte non concurrente,atque fuit ipso concurrente.Secundus casus est: si cætera suffragia non sint aperta: itaut sciri nequeat,an aliorum potius, quàm vltimi suffragio facta sit læsio. Tertius, si aperta sint suffragia,& aliquis de prioribus fert suum iniustum,sciens sequentes fore eiusdem sententiæ;nam etsi læsio sine eo fieret:tamen non est sine eo facta. Quartus est, si priora vota reuocabilia sint,id est, si qui priores sententiam dixerunt, possint in contrariam sententiam posteriorum adhuc uel si eis videatur. Nam tunc cessat ratio ante allata de defectu influxus in actionem iniustam quòd ipsa amplius impediri nequeat.

Infertur 4. quòd qui in Capitulo renunciant iuri ferendi suffragium,attendēres, vel attendere debentes,id fore in causa, vt aliquid iniustè fiat:*præualentibus suffragiis eorum qui iniuste decernunt*, peccent mortaliter & teneantur ad restitutionem:quia ipsi ex officio tenentur tale quid impedire suffragando oppositum: quod quia non fecerunt,dānum est secutū. Similiter qui proponendo vel manifestādo aliquid in iudicio, possent impedire iniustā actionē, si ad id ex suo munere & officio teneantur,peccāt mortaliter tale quid omittendo, ac tenentur ad damni secuti restitutionem per tradita à Sylu. in verbo consensus quæst.3.

Nu.106. Infertur quintò,qualiter ad restitutionem obligādus sit is qui volenti surripere alicui 50 suasit vt surriperet 100. Cùm enim solùm teneatur quatenus causa fuit,influxitue in damnum datum; suáque suasione,quoad 50. tantùm causa fuisse dicatur, illa solùm restituere tenebitur. Quod aduerte procedere quando eā ipsā suasione fur non est magis firmatus in priore sua voluntate accipiendi. 50. & posteriorem voluntatem ex eadem suasione profectam, exequitur actione distincta ab executione illius prioris voluntatis: itaut acceptiones sint inter se distinctæ, ac sibi mutuo succedentes. Neque enim auderem ab obligatione restituendi totam summam excusare illum,qui consilium prædictum dedit, quando ipsum vna actione mandandum fuit executioni, nempe centum integra fuerunt simul accipienda. Etenim si furtum commissum sit v.g. accipiendo marsupium in quo erant 100.non est ratio cur consilium dicatur cooperatum potius ad acceptionem 50. horum ex 100. illis, quàm 50. reliquorum. Ergo vel cooperatum est ad vtraque tanquam partes eiusdem totius, vel ad neutrum:quod posterius dici non potest.Quare prius est asserendum:& consequenter eum qui tale consilium dedit, sicut causa fuit damni 100. aureorum,ita ad tantumdem restituendum teneri. Nec refert quod fur iam haberet voluntatem furandi 50. quia talis voluntas nihil tollit de obligatione consulentis,ut patet: quia si fur intenderet furari alicui 50. quæ erant in vno loco,is qui suaderet vt potius acciperet 100. eiusdem hominis, quæ essent in alio loco non teneretur restituere tantùm 50. sed 100. non obstante furis priore voluntate. Ad huius doctrinæ confirmationem induci potest quod in lege Vulgaris §.penult.ff.de furtis, ex eodem fere fundamēto definiatur:quando fures simul furātur lignum quod singuli non possunt portare,vnúquemque illorū teneri in solidum,seu ad totius restitutionem. Et ratio ibidem redditur,quòd dicere nō possis pro parte furtum feciſse singulos,sed totius rei vniuersos, id est,quòd singuli cooperati sint ad totum effectū,cùm ratio non sit cur influxus vniuscuiusque magis determinatus sit ad vnam partem,quàm ad reliquas.

Nu.107. Infertur sextò: quod si quis decreuerit damnum dare post decem dies, & suasu alterius dedit statim, is qui suasit teneatur ad integram satisfactionem: quia ad illud totum influxit cooperando vt statim fieret. Adde quod si non suasisset statim fieri, alter potuisset mutare sententiam, aut certè damnum, quod dare volebat,impediri aliis modis.

Infertur septimò, quòd si is qui damnum consuluit,eo tempore,quo consilium dabat, suadere non potuit quod intendebat & postea tandem alter suasus,motusque eodem ipsius consilio, tale damnum dedit,teneatur ad restitutionem. Ratio est,quia consilium prædictum verè causa fuit eiusdem damni,licet non statim,sed postea cooperatum fuerit.

Nu.108. Infertur octauò,quòd citans Medinam habet Petrus à Nauarrus *in lib. 3. de restitut. cap. 4. numero 27.* Si quis alteri consuluit vt delictum committeret, eique persuasit; sed postea ante perpetratum facinus, consilium reuocauit, opportuna ad dissuadendum sufficienter adhibens, obnixéque ab eo cui illud dēdit petens vt ab illo abstineret; videatur omnino excusandus à restitutione.Ratio autem illius satis bona est (licet contrarium approbet Ludouicus Molina de iust. & iure tract.2.disput.731.) nempe:quia tunc actio iniusta non procedit ex consilio, vtpote de se sufficienter reuocato:sed ex malitia alterius,nolentis bene dissuadentem audire, quem audiuit malè suadentē:vnde ipse meritò censetur totalis damni causa. Atque hoc quod dicitur de reuocāte consilium,maiore ratione dicendum est de reuocante mandatum (quòd non est, sicut consilium.gratia eius cui datur, sed gratia dantis; seu non est vt illius sed huius negotium geratur) nimirum quòd statim ac reuocat mandatum siue expresse, verbis aut epistola;siue tacitè, vt v. g. ineundo amicitiam cum inimico cui damnum inferri mandauerat; atque de tali reuocatione constat mādatario:secutum damnum amplius ei non imputetur,sed soli mandatario: qui sua cantùm malitiā sumit ex mandato occasionem inferendi damnum. Id quod ex Innoc. habent Angelus & Sylu.in verbo Mandatum *ille quæst.4.& hic quæst.5.*

Scisciţabitur aliquis,An consulens vel mandans si post peractam iniustam actionem consulat aut mandet damnum restituere, liber maneat. Cui respondendum est,quod aliis citatis docet Petr.à Nauar. *in eod.cap.4 nu.27.* non manere liberum à restitutione; nisi alter restituat de facto.Ratio est,quia sicut præcepto non vsurpandi rem alienam, consulens aut mandans non obligatur ad restitutionem, nisi talis vsurpatio contigerit de facto:ita nec ab eadē obligatione iam cōtractā liberatur,nisi de facto interueniat restitutio: vnde non sufficit persuasisse executori vt cōciperet restituendi propositum, nisi sequatur executio talis propositi.Hinc si Titio consulueris furtū, & simul persuaseris illius restitutionem,non es liber ab obligatione restituendi antequam illa sit facta.

QVÆSTIO II.

An vt quis ad restitutionem obligetur ratione participationis in iniusta acceptione, debeat esse huius causa sine qua non; an verò sufficiat sua causalitate,illam de facto attigisse.

Nu.109. AD huius explicationem, notandum est duobus modis contingere, vt aliquis causalitate sua attingendo effectum,non sit illius causa sine qua non. Altero quidem,quia influxus causę principalis quàm coadiuuat,talis est, vt quantumuis non coadiuuaret, nihilominus sequeretur effectus, ex solo eodem influxu:vt quando aliquis paratus est facere furtum,& accedit consilium alterius,qui illum magis firmat in voluntate:propositóque furandi: tunc etiamsi consulens in effectum influat, non est tamen causa sine qua non sequeretur effectus: quia hic produceretur quantumcumque ille non influeret, omninóque abesset. Altero verò modo, quia si ille de quo loquimur talem effectum non causasset,aliquis alius erat eum causaturus: quomodo is qui furatus est aliquid;quod si non esset furatus, alius furaturus erat: non dicitur furti causa sine qua non.

Nu.110. Cúmque hæc ita sint, præsens quæstio difficultatem specialem habet tantùm in priore sensu.Nam in posteriore constat eum qui damnum aliquod dedit, quod nisi dedisset alius erat daturus, perinde ad satisfactionem teneri, ac si alius daturus non fuerit. Nam etsi te non occidente,aut non furante alius occideret,aut furaretur,reuera tamen quando tu occidis vel furaris,verè dānum proximo infers. Ergo lege iustitiæ,teneris illud reparare,non minus quàm si alius non fuerit illaturus. Cur enim ex illius nequitia animi, debeas melioris conditionis esse,quàm ex bonitate & innocentia,nulla ratio esse potest.

Quod ergo ad priorem sensum attinet,Palud.in 4. *distinct.15.quæst.2. art. 3.* & alij quos refert Petrus à Nauarr.lib.3.de restitut.lib. 4. cap. 8. existimarunt, peccare quidem contra iustitiam eum qui adiuuat executorem operis quo damnum infertur: sed non teneri ad restitutionem, nisi sit causa sine qua illud

Universidad de Deusto
Biblioteca

non inferretur. Sed Caiet.2.2.quæst.62.art.7. & Sot. lib.4.de iustitia & iure quæst.7. art.3. Couarr. ad regulam Peccatum part.2.§.12. num. 2. Medina de rebus restituendis quæst. 7. in vniuersum affirmant, quòd cùm aliquis sua causalitate verè attingit effectum iniustum, etiamsi non sit causa sine qua non; sed solùm alterius animum magis firmet ad illius executionem,teneatur ad restitutionem. Quam sententiam Petrus à Nauar. itémque Ludou.Molina De iust.& iure tract.2.disput.736.ille in sequen.num.10, & hic num.5.sub finem meritò iudicant verisimiliorem:quia talis reuera est causa damni : vnde quãtum illud attingit sua causalitate, tantum , iuxta dicenda in sequentis quæstionis explicatione , censendus est teneri restituere. Qui enim causam damni dat, is satisfacere tenetur ex cap. fin. De iniurijs Nec refert quod eiusmodi damnum dandum foret,etiamsi concursus non interuenisset ; quia id in concausa seu cooperante ad executionem , non magis impedit causalitatem seu influxum, quàm in principali causa seu executore: vnde si hic ob tale quid,à restitutione non excusatur;nec ille excusabitur.

*Nu.*112. Cæterùm rationem cognoscendi quando quis censeri possit causa effectus, qui ipso non cooperante fuisset productus,idem à Nauarr.*ibid.nu.* 14. hanc tradit.Quandocumque aliquo posito effectus aliquis sequitur , & eo ablato vel non sequitur vel alio modo sequitur,non est dubitandum , quin illud sit causa huius. Ex quo enim in effectu solitus modus deficit per aliquid concurrens , signum est quòd ipsum influxerit,in talem effectum. Sic igitur cùm alius occideret quidem vel furaretur,sed non eo modo , aut non eo tempore quo te mouente ac iuuante ipsum, iudicandus es causa damni,quod sine te non tam celeriter,vel aliquo alio modo inferretur. Quod si effectus eodem prorsus modo sequatur,is qui superuenit ad illius productionem non est dicendus causa; quia nihil ad illum confert ; vt patet de consulente homicidium ei qui ita paratus est , & vehementer optat occidere, vt non solùm ad tale scelus perpetrãdum non moueatur ex eo cõsilio; sed neque moueatur ad citius vel acrius patrandum, aut vllo alio modo variandam perpetrationem. Qui ratione intelligendos esse prioris sententiæ Doctores,idem author monet num.15. vt sensus illorum sit,quem idem postea attigit num.48.quòd si meum opus , consilium, vel mandatum nihil contulit in ipsa re : quia siue me alius erat idem facturus, & ideo animum ipsius non impuli,nec actionem iuui; non teneor ad restitutionẽ,neque in partem neque in totum. Porro si cõcursus meus efficax fuerit solũ quoad partem,vt quando meo consilio alter impulsus est ad inferendũ plus dãni,teneor ad illud plus,quoniam ad illud non habeo me impertinenter , sed verè ac efficaciter causa sum illius:vtpote quod alter non erat sua sponte facturus.

Qvæstio III.

Qua ratione iudicandum sit, An obligatio ad restitutionem, debeat esse in solidum,seu totius dãni.

*Nu.*113. HVic satisfaciendum est aliquot propositionibus. In quarum gratiam notandum est primò: duplicem esse causam damni illati , vnam physicam & principalem,ac executricem:quæ proximè perpetret actionem,ex qua sequitur damnum:alteram verò esse moralem,secundariam,ac participantem:quę ad actionem cum causa principali concurrit aliquo modo ex illis qui exprimantur versibus, *Iussio, consilium , &c.* suprà positis num.12.

Notandum secundò , vtramque dictam causam, posse esse vel totius , vel tantũ partis dãni illati;item posse esse vel causam sine qua nõ inferretur dãnum vel causam sine qua nihilominus dãnum inferretur.

Prima igitur propositio est. Quãdo quis est principalis causa dãni,quod nemo alius intulisset , is tenetur ad restitutionẽ in solidũ.Ratio patet,quia est causa efficax & totalis:vt pote executor illationis dãni.

Secunda propositio. Quando quis est causa principalis & physica damni illati, quod sine illo fuisset illatum ab alio : siue motu proprio illud intulerit, siue ab alio inuitatus, tenetur quoque ad restitutionem in solidum:vt quando quis furatur illud , quod alter alioqui furaturus erat ; vel interficit aliquem iussu domini sui,quem alioqui alter seruus erat tunc occisurus. In qua propositione sicut & in præcedẽte Doctores conueniunt, eâdem ducti ratione; nempe quòd talis sit damni causa efficax & totalis:quandoquidem,quòd quis faciat id quod alter erat facturus,non impedit quin ipse sit propriè executor. *Nu.*114

Sed obseruandum est, quòd etsi ad restitutionem in solidum ille teneatur , qui fecit id vnde secutum est damnum,quod alter alioqui fecisset:ipsum tamen non teneri tantum restituere,quantum si nemo alius id facturus esset : quia res periculo exposita minus valet, quàm à periculo libera.Sic enim qui incendit veterem domum quæ minatur ruinam , non tenetur tantum soluere quantum si incenderet nouam,& tali periculo minimè expositam. Ob eamdem rationem,dominus præcipiens seruis vt aliquem interficiãt,plus tenetur restituere quàm seruus interficiẽs, si alter conseruus , esset alioqui interfecturus. Nam dominus præcepto suo aufert vitam , nulli alioqui periculo expositam; siquidem alter , sine ipsius præcepto,eam non auferret. Seruus autem exequens tale præceptum aufert expositam maximo periculo, ideóque minus valentem.

Quanto autem minor esse possit restitutio in solidum,ex eo, quòd damnum alioqui fuisset ab alio illatum,relinquitur definiendum viri prudentis arbitrio,consideratis his circunstantiis.1.quàm certum vel incertum fuerit eiusdem damni alioqui inferendi periculum. 2. quàm imminens,& quàm remotum erat idem periculum.3.verum immineret periculum à causa naturali, in quam non transfertur obligatio ad restitutionem:an verò à causa liberâ, id est,ab homine in quem transfertur talis obligatio.4.quàm potens aut quàm impotens alter ille seruus ad restituendum fuisset,si idem damnum intulisset.

Tertia propositio.Quando plures ad damnum inferendum concurrunt tanquam causæ principales & physicæ;itaut quilibet comparatione alterius , sit causa sine qua non; id est , nullus solus sine singulis aliis damnum intulisset; singuli ad restitutionem tenentur in solidum;seu quod idem est cæteris non restituentibus *prout tenentur* , quilibet eorum debet totum damnũ illatum resarcire.Intellige autẽ siue talis casus cõtingat ex parte rei, vt cùm duo auferunt trabem quam vnus solus auferre non posset : siue contingat ex pacto expresso,vt cùm plures inter se pacisc̃untur , vt vnus non inferat damnum sine aliis; siue etiam ex pacto quodam tacito : vt cùm plures simul iuerunt ad damnum inferendum : itaut mutuus comitatus causa fuerit damni ab vnoquoque eorum illati,quod nullus intulisset,nisi innixus communi defensione. Admittitur verò propositio hæc communiter per legem Vulgaris ff. de furtis §.penult.vbi illius ratio redditur:quòd dicere non possis, pro parte furtũ feciſſe singulos:sed totius rei vniuersos ; adeóque,vt omnes simul,ita & quemlibet eorum causam esse efficacem totius damni illati. *Nu.*115.

Quarta propositio, Quãdo plures concurrunt ad damnum inferendum , itaut singuli sint causæ principales *Nu.*116.

cipales & physicæ,nullus tamen sit concausa cooperatorũ; alteri:sed eorum quilibet per se inferat damnum sine altero, *licet forte vnus non feciſſet sine præsentia aliorum,qui simul ad damnum concurrunt* ; tenentur ad restitutionem non in solidum : sed tantùm pro rata id est,quisque eorum tenetur tantùm restituere illud quod ipse per se intulit ; non item totum quod simul cum eo omnes socij intulerunt:vt v.g. cùm eamdem vineam plures deuastant, nec se mutuo ad id,inuitarunt,nec animo defendẽdi se mutuo, illâ sunt simul ingressi:itaut nullus cooperatus sit ad furtum partiale alterius, *licet ei forte occasionẽ præbeat malo suo exẽplo*, quisque talium tenetur tantùm ad restitutionẽ eius quod accepit. Item cùm plures milites deprædantur eamdem domum,nullus eorum tenetur spolia totius domus restituere,sed quilibet partem eam quam accepit. Ita Petrus à Nauarr.expressit *in cit.cap. 4.num.*53. inquiens de iisdem militibus nisi consilio, auxilio,&c. concurrant ad damnum ab omnibus illatum,non videri quomodo vnusquisque causa dici possit totius damni,eo solo quòd sit commilito cæterorum. Secus est verò, *vt ille addit tum ibid. tum in seq.nu.*55.de ipsorum tribunis,duce,aut rege quorum consensus est efficax causa occasióve talis dãni.Probatur autem propositio, quia omnes fatentur quòd soladamni causa efficax ad restitutionem obligetur.

Et quamuis miles,*vt in proposito exemplo persistamus*, in eo casu sit tũ causa physica dãni,quod ipsemet infert,*vt pote executor*:tum etiã causa moralis dãnorum, quæ socij inferunt per datũ eis consilium vel auxiliũ ad illud inferendũ; attamen illorum damnorum quæ cæteri faciunt ipso nihil eos monente (vt ponimus cõtingere in proposito casu)nullo modo est causa efficax.Itaque vt idẽ author subdit in seq.num.57. gregarius miles tenetur 1.de dãnis iniustis à se datis vel de rebus à se acceptis 2. quæ alius iniustè fecit ipso sciente,ac fretus ipsius auxilio,vel motus cõsilio,aut imperio;aut fauore.3.de iis,*hocque in solidũ*,quę ex pacto,&voluntate cõmuni:quia scilicet milites aliquot *de quorum ipse sit numero* vnus ab alio motus damnum intulerunt:vt cùm de aliqua domo spolianda tres vel quatuor pactum seu mutuum consilium ineunt , & tanquam vna manus vnúmũe agens,tale facinus exequuntur : singuli enim eorum tenentur ad totius damni restitutionem,tanquam ij qui communi conspiratione illud intulerunt. *Nu.*117.

Quinta propositio. Quando plures ad damnum inferendum concurrunt tanquam causæ principales physicæ & cooperantes, ita tamen vt vnus operetur prius altero;vt cùm vnus lethale vulnus alicui infixit , & succedit alter , qui sic vulneratum interficit;solus primus tenetur ad restitutionẽ in solidum, alij verò superuenientes,vel ad nihil tenentur , vel tantùm tenentur id soluere quod adiecerunt priori damno. Cõfirmatur,quia primus est efficax causa totius damni v.g.mortis subsecutæ,cæteri verò tantùm eius quod priori damno adiecerunt causæ fuit efficaces;vnde si quis vulneraret iã interfectum ab alio, ad nullam restitutionem teneretur, quia nec mortis nec alicuius damni adiecti causa esset efficax.Si verò quis interficeret iam lethaliter vulneratum sed adhuc spirantem,&viuentem,non obligaretur quidem ad restitutionem in solidum quoad forum conscientiæ ; attamen ad restitutionem eatenus arbitrio viri boni teneretur, quatenus vulnerati mortem accelerauit,vel afflicto nouam addidit afflictionem : quia talis tantùm damni causa est efficax , non etiam alterius prius allati ab alia causa. *Nu.*118.

Sexta propositio.Quando aliquis est quidem causa moralis,seu mouens causam physicam:sed non est causa physica seu executrix damni illati:si quidem sit ita causa moralis , vt moueat eum qui illud alioqui non intulisset,tenetur ad restitutionẽ in solidũ, seu totius eius dãni quod ipsius motu,alius ille intulit: nam in tali casu est efficax causa totius eiusdẽ damni.

Septima propositio. Quando quis est causa moralis in ordine ad eum qui iam antea deliberauerat, omninóque statuerat tale damnum inferre , ad nihil aliud tenetur , quàm ad id quod ille peius fecit motione ipsius:nec feciſſet alioqui. Ratio est : quia talis non est efficax causa cur executor ad damnum inferendum moueatur, nisi comparatione illius damni quod non intulisset nisi ab ipso motus esset : nam comparatione damni quod alioqui inferre iam ex se paratus omnino,erat,nó potest efficax causa censeri: cùm antequã mouere inciperet,executor ipse ad tale damnum inferendum iam plenè motus esset:quemadmodum qui inflixit vulnera iam occiso,non est efficax causa mortis : quia mors iam præcesserat.

Octaua propositio. Quando quis tanquam causa moralis ad damnum inferendum mouet executorem , qui aliàs non intulisset quidem sua sponte,adfuisset tamen alius qui ipsum ad idem mouisset; tunc ille ipse qui mouit tenetur ad restitutionem in solidũ.Probatur quia talis verè est causa efficax perinde ac si nullus aliàs fuerit, qui moturus esset. Etenim cæteri qui aliàs mouissent , tantùm fuerunt causæ in potentia ; & cùm agitur de obligatione ad restitutionem,ratio habetur causarum non quæ potuerunt esse, sed quæ actu fuerunt causæ damni.

Nona propositio. Quando plures tanquam causæ morales concurrunt mouendo executorem, quorum nullus causa efficax esset sine omnibus aliis: tunc quilibet sic concurrentium tenetur ad restitutionem in solidum,seu totius damni illati ab executore. Ratio est:quia quilibet eorum est moralis causa efficax totius eiusdem damni:quandoquidem sine eo nihil factum fuisset. *Nu.* 119.

Decima propositio. Quando plures quidem morales causæ mouent principalem causam ad inferendum damnum , sed vnaquæque earum sufficiens est sine aliis;si (vt solet) vnus post alium moueat,ille qui primus omnium mouet,tenetur ad restitutionẽ in solidũ, quia est efficax causa totius damni. Cæteri verò qui sequuntur,id est,qui mouent post primũ tãquam iam actum agẽtes ad nihil tenentur,nisi ipsi in ueniantur addidisse aliquid:per quid de illis iudicandum est iuxta præcedẽtem propositionem quartam.

Vltima propositio. Quando constat ex tribus aliquem dedisse damni alicuius causam ; simúlque vnoquoque dubitatur an dederit : omnes tres tenentur contribuere ad tale damnum resarciendum, vnumquemque plus vel minus pro quantitate maioris vel minoris probabilitatis quod ipse illud dederit Id quod confirmatur à simili,quia,vt bene notat Sotus lib.4.de iust.& iure quæst.4.art.1.ad 3.vers.Quotus lib.4.de iust.& iure quæst.4.art.1.ad 3.vers.Quotus circa. Qui habet aliquid quod scit esse alienum , & dubitat cuius sit aliquorum ex tribus , tenetur interipsos vel ipsorum hæredes illud distribuere. Pari ergo ratione,quando constiterit aliquem ex tribus dedisse damnum , & quisque eorum dubitat an illud dederit,tenetur item quisque eorum contribuere ad restitutionem illius. *Nu.*120.

Qvæstio IV.

An inter eos qui ad restitutionem tenentur in solidum,ordo aliquis seruari debeat in ea facienda.

AD huius explicationem prænotandum est primò,obligationem ad restitutionem in solidum posse cadere,non modo in executorem iniustæ acce- *Nu.* 121.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptionis: sed etiam in cooperantem illi, quocumque ex nouem modis superiùs num. 12. commemoratis; quorum vnoquoque potest quis causa esse efficax totius damni: nam cur vno ex iis, & non aliis possit esse, nulla ratio dari potest: vt bene docet Petrus à Nauar. lib. 3. De restit. cap. 4. num. 65.

Notandum secundò, plures in solidum teneri, sic esse intelligendum: quòd quilibet ipsorum, quo casu alij non restituunt prout debent; siue quia nolunt, siue quia non possunt, teneatur resarcire totum illud damnum, in quod ipse tanquam causa influxit, totalitate vt vocant effectus: etsi non totalitate causæ, cùm alij simul influxerint.

Notandum tertiò, dictam obligationem plurium in solidum aliquando cadere æquè primò in diuersos: nimirum quando sunt causæ in eadem specie in eodemque gradu; vt duo executores, duo consulentes, &c. quiquidem tenentur restituere, vnus non expectato alio, *vt in seq. num. 82. notat memoratus author.* Aliquando verò prius in vnum cadere quàm in aliù: itaut ordo sit inter eos, atque vnus debeat prius restituere quàm alter; túncque ille qui posterior est, antequam intelligat priorem non posse aut nolle restituere, non tenebitur ad restitutendum properare, *vt adhuc memoratus author in præced. num. 70. notat.* Qui & latiùs eamdem rem in particulari persequitur quæ videtur posse ad praxim sufficienter explicari sequentibus propositionibus.

Nu. 122. Prima est, si apud aliquem plurium illorum qui ad restitutionem in solidum tenentur (quod contingere tantùm potest cùm damni illatio fuit lucrosa: ex non lucrosa enim vt ex incendio domus, vel occisione hominis nihil acquiritur) permaneat aliquid eorum, quæ iniustè ablata sunt; is ante omnes tenetur illud restituere: quandoquidem tenetur tam ratione rei iniustè acceptæ, quàm ratione iniustæ acceptionis, cæteri verò, hac tantùm posteriore ratione. Atque eo ipso restituente, cæteri omnes manent omnino liberi ab obligatione illud restituendi. Quod si aliquis cæterorum restituat, propterea quòd is apud quem illud permanet non potest commodè, aut non vult restituere, ille idem apud quem permanet tenebitur refundere pro se solutum. Quod similiter dicendum est, si aliquid rei iniustè ablatæ relictum est, quasi in depósito apud aliquem eorum qui vt concausæ, tenentur in solidum, & ipse illud consumpsit, aut alienauit. Nam talis ante omnes tenetur restituere, sique aliquis cæterorum loco ipsius restituat, eo quod ipse vel non possit, vel nolit, tenetur eidem refundere illud quod loco ipsius exsoluit.

Nu. 123. Secunda propositio: Si quis detur qui damnum inferri iusserit, itaut imperio mandatóve ipsius sit illatum, ipse solus *ante omnes* tanquam causa principalis, & vtens cæteris tanquam instrumento (sicut Iudex vtitur Carnifice cum ei mandat, iniquè extremo supplicio aliquem afficere) tenetur totum tale damnum resarcire: atque ipso restituente, cæteri (nempe tam executor damni, quàm reliqui qui cõcausæ fuerunt) omnino liberi sunt ab obligatione restituendi. Atque si quis eorum restituat, quia ipse iubens id facere nolnit, aut non potuit, tenetur idem iubens restituere ei illud quod soluit loco ipsius. Quæ doctrina est D. Thom. 2.2. *quæst. 62. art. 7. ad 2.* & vt habet Petrus à Nauar. *in eodem cap. 4. nu. 75.* Doctorum fere omnium. Quam aduerte tantùm procedere, cùm iubens vim habet coactiuam: vt Iudex respectu ministrorum iustitiæ; dominus respectu famuli; pater respectu filij; maritus respectu vxoris, & alius respectu illius quem minis, aut metu compellit ad actionem iniustam exequendam. Nam sine eiusmodi vi, iussio non habet rationem præcepti, sed tantùm consilij: cùm executor per illud nullo modo cogi censeatur: vnde is, tanquam principalis causa, tenetur restituere primo loco. Quod etiam notat Petrus à Nauar. in seq. num. 78.

Tertia propositio: Si executor damnum quidem intulit iussus ab alio; sed iussio non fuit sola causa, quia ipse aliunde motus, adhuc ex se voluit illud inferre: tunc ante omnes vterque, *iubens inquam, & executor*, tanquam causa principalis tenetur ad restitutionem damni illati contribuere pro rata, seu attenta quantitate influxus in damnum ipsum, ac causalitatis cuiusque eorum in ratione causæ principalis. Nempe si illo modo fuerunt æqualiter causa damni, quisque tenetur contribuere dimidium: sin vnus plus damni illo modo causauit, tenetur pro rata plus contribuere. *Nu. 124.*

Quando autem ad damnum nemo concurrit, cuius authoritate mandatóve ipsum inferatur, tunc executor ante omnes alios tenetur idipsum totum damnum resarcire; atque eo restituente, cæteri sunt liberi ab obligatione restituendi. Ratio est, quia ille solus respectu cæterorum, *qui ei operanti quodammodo ministrasse videntur, non autem is fuisse minister ipsorum*: censetur causa principalis, cui damnum restituendi onus incumbit, tanquam iniustæ damnificationis primo authori: cũ actio præcipuè magisque tribuatur principali agenti, quàm exhibenti nudum ministerium. Vnde fit, vt si quis cæterorum, *v.g. consulens aut adulator*, restituat; quia executor ipse non potest, aut non vult id facere; is ipse executor teneatur ei primus postea refundere illud quod restituerit. *Nu. 125.*

Cæterùm nomine executoris comprehenduntur quotquot immediatè concurrunt ad damnum dandum; seu ad delictum aliquod damnosum perpetrandum de communi consensu ac nomine omnium: quod etiamsi per vnum tantùm aut duos ex illis mandetur executioni, omnes tamen tenentur æqualiter contribuere ad restitutionẽ, quia omnes æqualiter censentur tunc esse causæ principales. Quod si qui inter eos principaliores sint & aliqui minùs principales: iuxta cuiusque concursum, quo operâ, vel nomine, vel authoritate ipsius, delictum mandatum est executioni, facienda erit restitutio. Sin ponas plures in gratiam vnius principalis, siue ab eo ad id inuitatos, siue non; sed sua sponte ad id incitatos damnũ aliquod eo annuẽte, dedisse ipsius nomine: ipse idem in cuius gratiã illatum est damnum tanquam causa principalis ad restitutionem tenetur ante omnes; síque in defectum ipsius aliquis cæterorum aliquid restituat, tenetur illud ei refundere. Si verò ponas, plures ad damnum dandum concurrisse, & nullum eorum esse causam principalem quæ præcipiat, & in cuius gratiam & quasi commodum detur damnum atque adeò sint sibi inuicem causæ: vnusquisque tenetur restituere ante alios quod accepit, aut distraxit, id est, omne damnum quod executus est: sique aliquis loco ipsius, tale damnum resarciat, tenetur ei totum pro se solutum refundere.

Quarta propositio quoad reliquas cõcausas (quidquid in contrarium Petrus à Nauar. *ibidem num. 80. & 81.* afferre videatur) dici posse rationi congruenter, quòd consulens, adulator, receptator, seu defensor, mutus, non obstans, non manifestans, regulariter ad nullam restitutionem teneantur, nisi in defectum executoris qui principaliter tenetur: atque in eodem defectu neminem illorum teneri ante reliquos, sed singulos qui de facto concausæ fuerint, teneri contribuere pro rata iuxta maiorem vel minorem causalitatem, influxúmve suum in damnum, arbitrio prudentis: id est, prout ipsorum operâ, vel authoritate magis, quàm aliorum datum fuerit damnum. Si tamẽ ex *Nu. 126.*

ex eis aliqui; *siue quia nolunt, siue quia non possunt*, non contribuant quantum requiritur ad resarciendum totum damnum; cæteri tenentur supplere: quia semper quilibet eorum tenetur in solidum respectu illius cui datum est; damnum: in quod totum ipse influxit, etsi non totaliter, sed interueniente aliorum concursu seu cooperatione simili.

QVÆSTIO V.

An vno restituente cæteri qui in solidum tenentur sint liberi.

Nu. 127. IN hac re certum est primò, cùm plures dicuntur teneri ad restitutionem in solidum, sensum esse quòd quando cæteri non restituunt; vel quia nolunt, vel quia non possunt, quilibet eorum qui potest teneatur totum damnum ei qui passus est restituere, non autem quòd singuli quantum ablatum est, teneantur refundere, neque alij per aliorum restitutionem liberentur ab obligatione illam faciendi damnum passo. Hac enim ratione si centum milites diripiendo alicuius domum, ei damnum intulissent mille aureorum, singulis mille aureos restituentibus, ille reciperet centum millia aureorum, quod æqualitas iustitiæ non exigit. Itaque communi consensu admittunt Doctores, *quorum plures commemorat in seq. num. 84. Petrus à Nauar.* quòd vno totum restituente, cæteri non teneantur in conscientia quidquam restituere damnificato: cùm ratio & bona fides non permittat vt idem debitum bis exigatur, ex lege Bona fides, ff. De regulis iuris: ideóque *vt idem author addit*, ipse damnificatus obligatur in conscientia actionem illi eidem cedere, qui totum soluit. Iure scilicet naturali exigente vt succedat ipsi, ac subs tituatur in ipsius loco, tanquam factus dominus rerum ablatarum, quarum iactura sit ei resarcienda, sicut vero domino.

Nu. 128. Certum est secundò, cùm principalis author cuius cæteri fuerunt tantùm administri, aut ille qui totam rem ablatam retinuit sibi, nihilque aliis dedit, primus restituit; alios nihil teneri ei postea refundere. Ratio est, quia in tali casu qui restituit; ad id principaliter primóque loco tenebatur: & quisque cæterorum tantummodo consequenter; id est, illo vel nolente vel non valente restituere, defectum ipsius supplere: tanquam debitor minus principalis, subrogatus in eius locum repræsentánsque eius personam. Id quod illustratur exemplo de fideiussore, quem principali soluente, perspicuum est liberũ esse à restitutione: quia accessorum naturam sequi congruit principalis: de regulis iuris in 6. regula 42. Ipsomet verò soluente in defectum principalis, totum ab hoc ei refundendum esse.

Certum est tertiò, eum qui rem ablatam habet, nunquam esse liberum à restitutione, *etiamsi non fuerit causa principalis in perpetratione delicti*: sed teneri eam restituere vero domino, aut alteri qui huic de facto satisfecit: etiamsi idem satisfaciens fuerit principalis causa damni. Eam esse omnium opinionem notat Petrus à Nauar. in eodem cap. 4. num. 88.

Nu. 129. Certum est quartò: *omnésque fateri idem author asserit num. 109.* si multi sint pares in concurrendo ad factũ iniustum, ipsos teneri æquis portionibus refundere vni ex ipsis primò restituenti; vt si plures consenserunt iniquæ electioni, & vnus in solidum restituerit, cæteri tenebuntur æqualibus partibus illi refundere, perinde ac si conuenissent, vt totum damnum damnificato solueretur, vnoquoque suam portionem cõtribuente. Ratio in promptu est, tum quia ille horum respectu, non est causa principalis, vt eẽseantur omnino liberi à restitutione ipso restituente: tum quia negotium ipsorũ vtiliter gessit: & ideo debent ratum habere factum, eíque satisfacere: tum quia non debet peioris conditionis esse is quem pœnitet, quàm is qui rebellis manet: tum demum quia soluens succedit in locum damnificati, eiúsque personam repræsentat, itaut omnia eius iura sint illius.

Difficultas est autem de concausis minus principalibus: si aliquæ earum restituat nolente, aut non valente principali restituere: cæteræ teneantur aliquid ei refundere. Cæterùm etsi Caiet. Sotus & alij, *quos commemorat, & refutat Petrus à Nauar. in cit. cap. 4. num. 87. & sequentibus*: distinguendum censeant; videtur tamen iuxta D. Thomam 2.2. quæst. 62. art. 6. ad 3. absolutè dicendum cum Sylu. Restitutio 3. quæst. 6. dicto 5. sub finem & Medina in Cod. De reb. restitut. quæst. 8. dubit. 2. Couar. ad regulam Peccatum par. 2. §. 12. num. 4. & cæteris communiter (vt habet in præced. nu. 86. idem Petrus à Nauar. & Caiet. ad cit. D. Thomæ locum fatetur) vno ex iis qui non fuerunt damni causæ principales totum restituente in defectum principalis, qui pro se solutum non potest, aut non vult refundere, cæteros teneri pro rata suæ cooperationis, eidem pro omnibus restituenti refundere. Probatur quia is qui ita restituit subit onus quod quisque cæterorum (cùm singuli in solidum teneantur damnificato) subire similiter tenebatur, neque intendit tales onere liberare, id præstando quod non minus illi aut fortè magis præstare tenebantur. Cùm igitur non debeat peioris conditionis ex eo esse, quòd prior fecerit id ad quod tenebantur & cæteri: hi sanè suas partes ei ita refundere tenentur, vt nulla inter ipsos maneat inæqualitas: sed quisque secundùm quantitatem culpæ & iniuriæ, *seu pro rata suæ cooperationis*, prout vir prudens arbitratus fuerit, refundat eidem restituenti pro omnibus. Alioqui enim esset inæqualitas maxima: ex suáque nequitia reportaret quis commodum, & cum damno alterius, liberationem ab onere iustitiæ. Id quod naturali rationi aduersatur: præsertim cùm occasio sectandæ iniquitatis inde daretur. *Nu. 130.*

Restat dubium. An si tres teneantur contribuere æqualiter ad restituendum triginta, in quibus aliquis læsus fuit ab ipsis: vnus eorum illa persoluat integrè, eoquod duo alij nolint aut non possint suas portiones restituere: alterque eorum duorum ductus pœnitentiâ, velit postea restituere quod tenetur: satisfaciátne prædicto qui iam ante restituit, si soluat solùm decem quæ pro rata, ipsum attingebant. Ad quod respondetur negatiuè, nempe non satisfacere: sed ipsum teneri vltra decem restituere quinque tanquam medium portionis ad quam tenetur tertius, qui non potest aut non vult restituere. Ratio est, quia tenetur æqualiter cum eo qui primo loco soluit subire onus satisfaciendi pro eodem tertio, tanquam similiter concausa. *Nu. 131.*

QVÆSTIO VI.

An eo cui restitutio facienda est, debitum remittente vni ex participantibus, qui tenetur in solidum, cæteri liberentur ab obligatione restituendi.

HIc sermo esse potest vel de remissione actionis in foro externo; vel de remissione obligationis in foro interno. Si ergo loquamur de remissione actionis, quam is de quo agitur, habet in foro exter- *Nu. 132.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

no aduersus delinquentes in ordine ad pœnam, qua quisque eorum dignus est: tunc remissione facta vni, adhuc poterit quilibet aliorum conueniri, nisi detur casus in quo id sit iure positiuo prohibitum. Probatur quia vnusquisque talium suo facto iniusto contrahit culpam pœna dignam; idque independenter à pœna & culpa alterius. Ergo damnificatus poterit actionem & ius quod habet ad puniendum vnum, remittere ei, non remittendo ius quod habet ad puniendum alios. Ita notat Medina in Cod. De reb. restitu. quæst. 8. sub finem.

Nu. 133. Si verò loquamur de obligatione ad restitutionem in foro conscientiæ: tunc dicendum est primò, quòd si remissio fiat ei qui in defectum tantùm aliorum restituere tenetur, reliqui non liberentur ab ea obligatione sed teneantur perinde ac si talis remissio facta non fuisset. Probatur, quia obligatio aliorum in nullo pendet ab obligatione huius; cùm hic solum teneatur in defectum aliorum; neque aliis præiudicium vllum ex eo sequatur, quòd ei soli fiat remissio. Quod tamen, *vt recte explicat Petrus à Nauar. in eod. cap. 4. num. 115. & 116.* intelligendum est, quando remissio fuerit tantùm negatiua: seu quia remittens non vult nec quidem in conscientia, ab eo petere damni refusionem; eoquod amicus sit aut consanguineus. Nam cùm fuerit positiua, seu qua omnem suam actionem cedat ei, gratis, & liberaliter: condonando scilicet ei debitum ac si de facto soluisset pecuniam totius damni compensatiuam; tunc etiam principalis, liber esset quidem à damnum passo, non tamen ab eo minus principali cui facta fuerit condonatio, sed ei restituere tenebitur nisi & ipse illi remittat: quia in damnificati persona & loco succedens, ius habet debitum exigendi in solidum.

Nu. 134. Dicendum est secundò, quòd quando aliqua concausa aliquid restituere tenetur non in defectum alterius; tunc si ille cui restitutio facienda est, illam remittat: cæteri sunt liberi à restitutione portionis quã is tenebatur restituere. Sicut enim si remissio fiat ei qui fuit causa principalis, obligatio cessãt in aliis: eoquod tenerentur tantùm in defectum illius ita etiam, si tres fuerint concausæ alicuius damni, itaut singuli teneantur æqualiter contribuere ad restitutionem: creditor autem vni eorum remittat, cæteri manent liberi à restituenda parte damni, quam ille tenebatur restituere. Item si alter ex reliquis duobus nollet, aut non posset restituere, tertius reliquus, solùm tenetur soluere suam portionem, & insuper dimidium portionis, ad quam tenetur is ipse qui non vult aut non potest restituere; nam reliquum dimidium is cui facta est remissio tenebatur restituere in defectum eiusdem. Et ratio horum est quia remissio alioqui cederet in præiudicium & grauamen aliorum, remittensque esset liberalis cum aliorum iactura. Ita post Caietanum, & Sotum docet consequenter Petrus à Nauar. *in sequen. num.* 117. & 118. Docet item ac etiam consentit antedictus Lud. Molina de iust. & iure tract. 2. disput. 737.

TRACTATVS III.

De variis circunstantiis ex quibus iudicandum est de obligatione ad restitutionem.

SVMMARIVM.

135 *Nouem circunstantiæ ex quibus iudicandum est de obligatione ad restitutionem.*
136 *Generalis regula de eo qui obligatur ad restitutionẽ.*
137 *Varia ratio, qua varij obligantur ad restitutionem.*
138 *Qui ex officio tenetur damnum impedire, ad restitutionem obligatur ex leui culpa, si tale officium in vilitatem suam acceperit: aliàs tantùm ex leuissima.*
139 *Mortaliter quidem peccat officiarius accipiens aliquid ad agendum contra suum officium, non tenetur tamen eo ipso ad restitutionem accepti.*
140 *Accipiens maius stipendium quàm à lege seu Principe taxatum sit, similiter peccat, & ad restitutionem tenetur: nisi libera omnino voluntate donatum sit.*
141 *Duo casus in quibus non est censendum taliter donatum.*
142 *Peccat quidem mortaliter officiarius qui accipit contra legem à se iuratam suis officij, prohibentem accipere supra taxatum stipendium; sed non obligatur ad restitutionem accepti, nisi lex ipsa reddat eum inhabilem ad illud retinendum.*
143 *Licitè potest talis plus accipere ratione suscepti laboris, ad quem non tenetur.*
144 *Itémque ratione exhibitis obsequij, ad quod non tenebatur.*
145 *Ac etiam ratione conditionis personæ sine sue, sine donantis.*
146 *His non obstat lex prohibens ne quid libere donatum accipiatur.*

NOVEM numerantur restitutionis circunstantiæ duobus his versibus indicatæ, *Nu.* 135.

Quis, quid restituet, cui, quantum, quomodo, quando.
Quo ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.

Quorum sensus est circa restitutionem faciendam considerandum esse quis restituere teneatur; quid restitui debeat; cui facienda sit restitutio; quantum sit restituendum: quomodo, & quando, quo ordine, & quo loco sit restituendum: & demum quæ sint causæ propter quas excusetur aliquis ab obligatione restituendi. Qualiter autem secundùm vnamquamque earum iudicandum sit de obligatione nobis ad explicandum proposita, tractaturi: quæ ad singulas spectant, singulis capitibus sigillatim persequemur.

CAPVT XI.

De eo qui ad restitutionem faciendam tenetur.

VNa generalis regula (quam habet Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 12.) datur de eo qui tenetur ad restitutionem: nempe, Quòd omnis & solus ille ad restitutionem teneatur qui rem aliquam alienam tenet, vel lege specialis iustitiæ aliquid alteri verè debet. Ex qua regula idem Nauarrus notat inferri, quòd ad restitutionem obligetur primò is, qui rem alienam habet. Secundò is qui tenetur ex contractu aliquo: vt ex mutuo, deposito, commodato. Tertiò is, qui ex quasi contractu, vt ex tutela, curâ, negotiis gestis, communione rerum, aditione hæreditatis, & solutione indebiti de quibus in lib. 3. Institut. tit. 28. Adde & ex officio, quod etiam, censetur quasi contractus. Quartò is, qui ex lege aliqua vel statuto talem obligationem imponente in conscientia. Quintò, is qui ex testamento, vel alia vltima voluntate. Sextò is, qui ex iusta Iudicis sententia. Septimò is, qui ex delicto quo alteri damnũ intulit siue in bonis animæ, vt ex scandalo; siue in bonis corporis, vt ex homicidio aut mutilatione: siue in bonis honorariis, hoc est, in honore, fama, vel gloria, vt ex contumelia aut *Nu.* 136.

aut detractione; siue demum in bonis pecuniariis, vt ex furto vel rapina, dolo vel fraude, aut iniusta metus incussione, quã aliquid ab altero extortum est. Octauò, is qui tenetur ex quasi delicto vt Iudex ex iniqua sententia, quam tulit ob imperitiam iuris, vel stabularius ob amissionem rei sibi commendatæ ab hospite; vel dominus bestiæ, ob ipsam non bene custoditam, &c. Nonò is, qui participat in iniusta acceptione.

Nu. 137. Ex quibus omnibus: primus ad restitutionem tenetur saltem, ratione rei iustè acceptę: secundus verò tertius & quintus, ratione iustæ acceptionis: quartus & sextus, ratione saltem rei iniustè acceptæ: nempe quòd licet sine peccato fem fortè acceperint, eam tamen alteri tradere ex iustitia teneantur per legis vel statuti, vel Iudicis determinationem: septimus, porro & octauus, ratione iniustæ acceptionis: nonus denique ratione participationis in iniusta acceptione: de quibus sufficienter dictum est in præcedenti tractatu: quæque restant sic connexa sunt cum post dicendis, vt commodiùs differantur, quàm hìc tradantur. Nisi quòd consultum videatur de eo qui ad restitutionem obligatur ob abusum officij ad damna impedienda instituti, tradere seorsim aliquot documenta: meritò notanda à Confessariis, pro difficultatibus, quæ in tali materia possunt passim occurrere.

Documenta de eo qui ad restitutionem tenetur ratione abusus officij instituti ad impedienda aliena damna.

PRimum documentum est. Si à restitutione non excusatur is qui infert damnum, quod impedire non tenetur, ex officio: multo minus is excusabitur qui infert cùm ex officio tenetur impedire. Ratio patet quia talis magis cæteris paribus, iniuriam facere apertè censetur.

Nu. 138. Secundum est. Cùm quis officium ex quo tenetur damnum impedire, nec in suam vtilitatem, nec mercede conductus accepit: ad restitutionem tunc tantùm tenetur, cùm ex lata culpa ipsius, tale damnum accidit. Cùm verò idipsum officium accepit in suam vtilitatem, vel accepta mercede illud exercet, tenetur ad restitutionem etiam tunc, cùm per leuem tantùm suam culpam damnum euenit. Ratio est, quia in priore casu, ad excusandum ipsum à restitutione, sufficiet communiter requisitam adhibuisse diligentiam. In posteriori autem ob vtilitatem ex officio perceptam, maior diligentia adhibenda fuit: itaut gerens tale officium, non modo diligens, sed etiam diligentior esse debuerit. Vnde in istiusmodi obligatione locum habent regulæ superiùs traditæ nu. 20. & duobus sequentibus, perinde ac in ea, de qua ibidem agitur ex contractu nata. Cui hæc meritò similis dicitur, *vt notat Petrus à Nauar. in lib. 3. De restit. cap. 3. num. 7.* quandoquidem ij qui ex officio tenentur ad restitutionem, vt tutor, Iudex, &c. ex quasi contractu teneri placet sapientibus: & viceuersa, ij qui tenentur ex contractu, tenentur ex quasi officio, vt argumento est, quòd depositarius iudicetur debere quasi ex officio diligenter seruare rem sibi commissam: & sic de aliis huiusmodi.

Sed aduerte obiter, quod idem subiungit *in sequen. num.* 8. cum qui se in aliqua arte peritum, & magnum profitetur, teneri ad restitutionem damni ob culpam ipsius, etiam leuissimam contingentis ei, qui diligentiorem quæsiuisset, & reuera inuenisset: dimisitque deceptus ob professionem prædictam, qua talis commendauit seipsum pro diligentissimo.

Tertium documentum est: Eum peccare mortaliter qui pretium accipit: vt præstet aliquid contra suum officium. Ratio est, quia contrauenit legi officij sui, ad cuius obseruationem, *vt communiter solet*, obstrinxit se iuramento, atque damno inde secuto causam dedit efficacem: non secus ac cùm nauclerus agendo contra rectam rationem gubernandi, dat causam submersionis nauis. Attamen ad restitutionem accepti non tenetur, *ex eodem authore ibid. nu. 15.* etiamsi publicum stipendium accipiat, nisi detur lex humana, quæ ipsum talis acceptionis incapacem reddat. Nam quamuis turpiter acceperit, puta pro transgressione legis quam seruare tenebatur, non accepit tamen iniustè: siquidem libera voluntate ei datum est: maximè si, *vt sæpe fit*, precibus dantis inductus est accipere. *Nu.* 139.

Quartum est: Officiarium peccare mortaliter, cum obligatione ad restitutionem, si maius stipendium accipiat, quàm ei assignatum sit per legem sui officij, à Rege, *vt communiter solet*, editam & à Senatu confirmatam. Eam esse communem sententiam Doctorum aliquot citatis notat Lud. Molina *De iust. & iure tract. 2. disput. 83.* Probatur verò quia talis lex est moralis, ideoque in conscientia obligans ad culpam, prout in sequenti libro 13. cap. 18. docebitur. Deinde cùm per eiusmodi legem taxetur pretium iustũ, non secus ac per taxationes à Principe vel Magistratu factas pro tritico, vino, carnibus, & id genus aliis: sicut plus accipiens pro tritico, aut vino, aliisve eius generis, quàm taxatum est, tenetur ad restitutionem: ita etiam tenetur Officialis, qui maius stipendium accepit quàm taxatum est à lege: *quia similiter transgressus est pretium iustum*; nisi sit gratis & libera voluntate oblatum. *Nu.* 140.

Id quod vsuenire censendum non est in duobus casibus satis vsitatis. Prior est, quando Officialis aliquatenus recusat actum officij sui exercere, nisi supra stipendium assignatum quantitas aliqua ei detur: tunc enim extorsio est; & id quod recipitur censetur datum ad redimendam vexationem; sicut & cùm quis soluit vsuram, eoquod non inueniat mutuantem gratis. Itaque, vt loco cit. ait Molina; si Tabellioni aut cuiuis alteri ministro publico taxatum est, quidnam pro quauis sui muneris executione accipere debeat: vel superueniente postea lege iusta, id taxetur: non potest aliquid amplius in pretium accipere: tenetúrque si accipiat, restituere: quia accipit vltra id quod sibi debetur ex pacto tacito, vel expresso cum Principe, aut Repub. inito quando officium accepit; vel certè ex iusta lege superueniente. Cùm autem nihil fuerit taxatum: accipere potest pro vnoquoque actu, quidquid iuxta temporum, rerum, & circunstantiarum varietatem fuerit arbitrio prudentis iudicatum non excedere pretium iustum rigorosum. *Nu.* 141.

Addit ille bene, quòd quando constat pretium nõ esse iustum; nec publica potestas illud auget, possit minister publicus, ab iis incrementum sumere, in quorum commodum, & ad quorum petitionẽ, suum munus exercet: quia cùm lex sit iniusta, nõ obligat in conscientia. Et ita sentit D. Anton. 3. *part. tit. 3. cap. vlt. §.* 11. Iustum autem pretium de quo loquimur, non est æstimandum ex indigentia ministri publici ad alendam familiam, vel subueniendum suæ paupertati: sed ex operoso obsequio quod ipse præstat; vt scilicet prudentis arbitrio tantum recipiat, quantum ipsum mereri ratio dictat, attenta conditione seu qualitate, & quantitate operum. Cæterùm si lex statuat pium seu infimum pretium iustum, censetur iusta, & seruanda: etiamsi de eo dubitetur: quia in dubio

Universidad de Deusto
Biblioteca

bio iudicandum est pro Superiore. Non videtur autem fas esse, quando pretium lege taxatum constat temporum varietate redactum esse infra iustum, illud authoritate propria plus augere, quàm vt limites iusti *etiamsi instmi*, attingat.

Posterior casus est, quando intercedit, vel fraus ex parte accipientis, vt si dicat sibi deberi quatuor, cùm duo tantùm debeantur: vel ignorantia ex parte dantis; vt cùm putat deberi quatuor, cùm duo tantùm debeantur: neque plura daret, si veritatem sciret. Nã tunc donatio non est libera, ob ignorãtiam, quæ tollit liberum, vnde alter iniustè recipit datum, si danti non manifestet veritatem; aut si eam reticere velit, non totum oblatum, sed illud tantummodo recipiat quod iure ad se pertinet. Id quod locum habet etiam in casu quo accipiens dubitat, aut dubitare debet an is qui plus offert, taxationẽ sciat: illudque plus gratis & liberè det: nam accipiendo, mortaliter peccat; vt-pote id faciens de quo an mortaliter peccet dubitat, aut dubitare meritò debet, taléque peccatum cùm sit contra iustitiam, inducit obligationem ad restitutionem.

Nu. 142. Quintum documentum. Quando quis vult merè libere supra stipendium taxatum dare officiario, qui iurauit obseruationem statuti, sic ei taxantis stipendium, vt simul prohibeat amplius accipere: accipientem peccare mortaliter per violationem legis, & iuramenti: sed ad restitutionem non teneri, nisi eadem lex prohibeat cum inhabilitatione, id est, reddendo accipientem inhabilem, & incapacem ad retinẽdum acceptum; itaut non faciat illud suum. Quod quamuis aliqui negent, *aduersus quos agit Molina in sequen. disput.* 88. tamen satis probabiliter ab eodem authore & à Petro à Nauarr. in ante citato num. 15. asseritur: quia in tali casu Officiarius non est iure naturali incapax accipiendi ac retinendi id quod ei gratis datur: neque lex humana prohibens, illicitamque reddens acceptionem, voluit inhabilitare ipsum ad retinendum acceptum; vel impedire dominium eorum quæ gratis offerrentur ipsi, aut darẽtur per viam muneris. Itaque licet tunc sit tutius restituere acceptum non est tamen ad id compellendus Pœnitens, qui potest tutâ conscientiâ sequi hanc doctrinam, quæ est bonorum authorum, & satis bono fundamento nititur.

Nu. 143. Sextum documentum poni potest: collectum ex iis quæ consequenter *num.* 18. *& aliquot sequentibus* habet Petrus à Nauarr. satis probabile videri, quòd possit aliquid supra stipendium à lege definitum accipi, in quatuor casibus. Primus est, cùm accipitur ratione difficultatis exeundi ad executionem officij, tẽpore incommodo: nempe de nocte, vel imbre cadente, aliáue cœli inclementia interueniente: vel quando necessaria refectio erat corpori tribuenda: labor enim ille extraordinarius, susceptus causa alterius, est æstimabilis pretio, quo lex non intendit priuare Officialem. Secus esset verò, si labor esset officio ordinario annexus; itaut Officialis ei tam hyeme quàm æstate, & tempore quantumuis incommodo vacare teneretur, tunc enim censeretur plus accipere ratione officij: quod aduersatur præscripto legis eiusdem officij.

De quo casu post Nauarrum in tractatu De datis & acceptis, hęc habet Molina *in cit. disput.* 88. Si quis à Iudice, Tabellione, alióue ministro publico petat, vt aliquid efficiat vltra id quod ex suo munere pro pretio taxato facere tenetur; vt quod plus laboris vel studij quàm tenetur, negotio suo impendat: vel vt accedat, quò accedere non tenetur, aut aliud simile: potest quidem pro talibus moderatum pretium accipere: quia sunt pretio æstimabilia; nec tenetur pro pretio taxato illa præstare. Si tamen vel scandali periculum in aliquo peculiari euentu timeretur; vel ea de causa id alicubi prohibitum esset, vel certè ne eâ viâ abusus introduceretur: peccatum esset tale quid accipere, non item obligatio restituendi: nisi lex accipientem redderet incapacem ad dominium rei ita acceptæ acquirendum.

Secundus casus est, cùm plus accipitur ratione *Nu.* 144
præstitorum obsequiorum, quæ non spectant ad officium proprium ipsius officialis; vt v. g. Aduocatus nihil præter stipendium sibi assignatum à lege accipere potest, ratione consilij de bene & firmiter facienda scriptura, siue agenda causa, & aliis similibus, ad quæ tenetur ratione sui officij; sicut nec Iudex pro iusta, firmáque sententia ferẽda: pro qua si quid supra assignatum stipendium accipiat, certum est illud restituendum esse, tãquam iniquè acceptum. Potest tamen accipere aliquid ob exhibitum aliud obsequium pretio æstimabile, quod non est de ratione sui officij: vt si Aduocatus fecerit id quòd proprium est Procuratoris; tunc enim non recipit inquantum Aduocatus, sed inquantum Procurator. Sicut nec si Medicus functus officio pharmacopolę, aliquid acciperet supra stipendium assignatum, id acciperet tanquam Medicus.

Tertius casus est, cùm plus accipitur, eoquod *Nu.* 145.
ipsum detur ratione conditionis suæ personę: nempe quia amicus est, *etiamsi amicitia ortum habuerit ex eo, quòd sit minister publicus*: vel consanguineus vel nobilis; tunc enim non censetur accipere, *sicut nec ei datur*, ratione sui officij: vt argumento est, quòd si alius esset, qui id officij exerceret eodem modo, illud plus ei non daretur.

Quartus casus est: quando is qui offert, vir est magnæ qualitatis; tunc enim plus quod offertur, non datur ratione executionis officij: sed ob qualitatem, & dignitatem eius qui dat; quique tanquam de facta sibi iniuria meritò conquereretur, si quod suâ personâ dignum liberè offert, non acciperetur. Adde quoque ex Molina *in eadem disput.* 88. quando ex gaudio & gratitudine rei iustè obtentæ, liberaliter donatur.

Si quis obiiciat, legem prohibere ne quid gratis *Nu.* 146.
oblatum accipiatur. Respõdet Petrus à Nauar. in lib. 3. de restitut. cap. 3. num. 22. eam legem solum procedere quando plus, *etiam gratis*, datur & accipitur, ratione executionis officij, pro qua taxatum est stipendium: vt quando quis debens duo pro stipendio, liberè offert decem, vt ipsa executio citius, & melius fiat. Nam donatio etiam gratiosa ob talem respectum facta, prohibetur; & merito, ne colore gratiæ, extorsiones introducantur. In prædictis autem casibus gratia non exhibetur causâ alicuius pertinentis ad officij executionem: sed propter causas ipsi officio extrinsecas, & ab illius executione alienas; ob quas officiales dõnis, quæ eis libera voluntate offeruntur, lex memorata non est censenda priuare. De obligatione verò quam eadem lex interdum imponit suis transgressoribus, iudicandum est per ea quæ in sequenti libro 13. cap. vltimo dicentur de lege pœnali.

CAPVT XII.

De eo quod est restituendum.

SVMMARIVM.

147 *Generalis regula de eo quod restituendum est.*
148 *Quando rei acceptæ fructus præter eam sint restituendi.*

tuendi.
149 *Quando & resarcienda damna, quæ passus est dominus ex carentia eiusdem rei.*
150 *Ad restitutionem tenetur qui alterum impediuit à consecutione rei, in qua, vel ad quam ius habuit; etiamsi id non fecerit per fraudem vel dolum.*
151 *Iusta de causa potest sine peccato aliquis impediri à consecutione rei ad quam nullum habet ius; alias vero peccatur, idque cum obligatione ad restitutionem, si vis, aut fraus interueniat.*
152 *Quando ad restitutionem obligetur qui alterum reuocat à prosecutione boni, quod alioqui consequeretur.*
153 *Quando tales obligationes sint, vel non sint, ad restitutionem in solidum.*
154 *Ratio iudicandi de quantitate eiusdem restitutionis.*
155 *Non est peccatum in extrema necessitate rem alienam accipere.*
156 *Si parui momenti res fuerit, non est obligatio eam restituendi.*
157 *Res accepta in necessitate, si post eam perduret, restituenda est.*
158 *In extrema necessitate licet sibi subuenire ex re malè acquisita, sed manente obligatione ad restitutionem.*
159 *Qui tantùm per accidens est in extrema necessitate, tenetur ad restitutionem alieni accepti ad subueniendum sibi in ea.*
160 *Dubium an idem sit dicendum de eo, qui absolutè est in extrema necessitate, si postea ad pinguiorem fortunam venerit.*
161 *Rationes pro parte affirmante.*
162 *Aliæ pro parte negante.*
163 *Vtramuis eligere in praxi videtur liberum.*

Nu. 147. DE re proposita datur vna generalis regula: Quòd restituendum sit alienum non modo certum, id est, cuius cognoscitur verus dominus; sed etiam incertum, id est, cuius verus dominus in particulari ignoratur quidem, sed scitur quòd sit bonum alienum: atque adeo quidquid alteri verè debetur lege specialis iustitiæ: siue ob rem iustè, aut iniustè acceptam; siue ob iustam aut iniustam acceptionem, siue ob participationem in iniusta acceptione. Iam, vt patet ex præcedenti tractatu, ille quidem qui restituere tenetur ratione rei siue iustè siue iniustè acceptæ: quia dominium tunc non transfertur in accipientem, debet eãdem numero rem restituere, non verò aliam pro ea, nec pretium illius, nisi iusta de causa sit secus faciẽdum: vt v. g. si ipsa res accepta perierit omnino, vel ex parte: aut si ille nequit restituere rem eamdem numero siue infamia, aut alio graui detrimento: in quibus & aliis similibus casibus satis est si iustum rei acceptæ pretium reddatur.

Nu. 148. Adde, eum qui tenetur ratione rei iniustè acceptæ, si hæc fuerit fructifera, teneri quoque ad restitutionem fructuum illius, deductis tamen expensis factis in ea colenda, si quidem fuerit fructifera ex earũ genere, quæ tantùm interueniẽte humano labore & industria, *non autẽ sponte sua*, fructum proferunt: vt vites, sata, horti. Circa quod aduerte, res diuidi in fructiferas, id est, quæ natura sua fructus habent; & in steriles, id est, quæ nullum prorsus habent fructum, nisi ex hominum industria, vt pecunia. Illáque rursus diuidi in eas quæ proferunt fructus naturales, seu qui sponte nascuntur sine labore hominum, vt quercus, pyri, pomi, prata, &c. & in eas quæ ferũt fructus industriales, seu qui non prouenjunt sine labore & industria hominum, de quibus hic loquimur. Et de iisdem addendum est, si extent, reddendos esse, tam à bonæ quàm à malæ fidei possessore: quia tunc quoque obligatio est ratione rei acceptæ: quandoquidẽ fructus sunt alieni, sicut est res quæ illos protulit.

Porro ille qui tenetur ratione iniustæ acceptionis *Nu.* 149.
(quod idem iudicandum est de eo qui tenetur ratione participationis in iniusta acceptione; itémque de eo, qui ratione rei iniustè acceptæ.) cùm est in mala fide, non tãtùm debet rem ipsam restituere, & fructus eius, modo iam dicto: sed præterea resarcire omne damnum quod passus est dominus ex absentia rei ablatæ. Ratio est, quia non fieret alioqui æqualitas: quandoquidem dominus absque vlla compensatione pateretur prædictum damnum. Ille autem qui tenetur ratione iustæ acceptionis; *quia tunc dominium rei transfertur in accipientem*: non debet necessariò eãdem numero rem restituere, sed sufficit si rem similem restituat, vel pretium rei ablatæ; neque tenetur resarcire damnum, quod dominus ex rei absentia passus est: nisi fuerit in mora, id est, omiserit restituere tempore constituto, & hoc ex sua culpa. Quod addo, quia quando mora non contingit ex culpa detentoris, sed ex necessitate: vt quia non poterat citius soluere, nõ debet necessariò tale damnum resarcire. Cætera quæ censentur ad istiusmodi circunstantiam pertinere; partim iam nota sunt ex traditis in præced. tractatu, partim cognoscentur ex posteà tradendis: duobus exceptis quæ continentur explicatione duarum difficultatum proximè subiicienda.

Explicatio difficultatis, An restituendum sit bonum quod quis, ne proximus consequeretur, impediuit.

HAnc difficultatem multi nobiles Doctores tractarunt (eos lib. 3. De restit. cap. 5. nu. 2. Petrus à Nauar. commemorat) in eáque vtpote difficili multum inter se dissident, quemadmodum Nauar. in Enchir. tangit *cap.* 17 *num.* 69. Quid autem tenendum videatur in praxi, aliquot propositionibus exponemus.

Prima propositio: Si is qui à boni consecutione *Nu.* 150.
impeditur ius habeat quæsitum in re, vel ad rem, ille qui impedit, etiamsi vi, & fraude non impediat, sed iussione, consilio, aut aliquo alio ex nouem modis cooperandi in præcedenti numero 13. propositis, tenetur ad restitutionem, *siue in solidum siue pro parte*, eadem ratione qua in præced. cap. 10. expositũ est teneri participantem in iniusta acceptione. Adde autem cum Nauar. loco cit. bonum, à cuius cõsecutione impeditus est aliquis, potuisse illi esse ita debitum, vt vel in eo ius perfectum (quod dicitur ius in re) haberet acquisitum, per dispositionem inter viuos, aut per vltimam voluntatem, aut per collationem, confirmationem, aliúmue similem modum. Vel haberet ius tantummodo imperfectum (quod appellant ius ad rem) per iustam promissionem, stipulationem, electionem, præsentationem expectationem, cõcursum, primogenituram, vel alium similem modum, cum quo acquiritur actio, vel officium ad iure petendum sibi talem rem. Confirmatur autem hac ratione propositio allata: quia ex quo alter habebat ius in re, vel ad rem: iste impediens ne suo iure gaudeat obtinendo possidendóque rem sibi debitam: aufert ei quod suum erat, & per consequens iniustè ei damnum infert; quod tenetur restitutione resarcire.

Nota verò obiter quòd etiamsi res debita non sit: si *Nu.* 151.
tamen alicui competat facultas eam acquirendi: vt

pauperi

Universidad de Deusto
Biblioteca

pauperi eleemosynam, mendicādo:mercenario mercedem,operam suam locando:opifici exercēdo suam artem:& mercatori negotiando:sicque de similibus Nota inquam quòd impediens talem ab acquirendo, teneatur tanquam iniuriosus ad restitutionem quantam prudens arbitratus fuerit eo modo, quo in sequenti num.154.dicetur.

Nu.151. Secunda propositio. Si quis bono animo; nempe vt consuleret reipublicæ,aut sibi aut amico , impediit alium à consecutione boni ad quod nondum habebat ius acquisitum:non peccat contra iustitiam: & ideo non tenetur quidquam restituere.Ratio est, quia nulli facit iniuriam, quandoquidem alter nullum ius habuit acquisitum : sed vel obsequium præstat reipublicæ, vel amico vel vtilitati suæ consulit quorum nullum de se aduersatur iustitiæ.

Tertia propositio.Is ad restitutionem non tenetur, qui proximum impedit à consecutione alicuius boni quod ei debitum erat tantùm ex mera liberalitate, etiamsi malo nocendique animo id faceret:dūmodo tamen vis, aut fraus minime interueniat. Hæc nō est ita certa, quin contradictores habeat quorum meminit Petrus à Nauarr. *lib.3.de restit.cap.5.num.4.* Sed tamen possumus eam sequi tutā conscientiā , cùm habeat nobiles authores bonāque ratione nitatur.Illi sunt Palud.in 4. distinct.15.quæst.2.art.2. concl. 4. Sylu.in verbo Restitutio 3.quæst.12. Caiet. 2.2. qu. 62.art.2.dub. vlt.Sotus lib.4.de iust. & iure,quæst. 6. art.3.versus finem Couar.ad reg.Peccatum par.2.§.7. num.8.concl.2. & Nauarr.in Enchir.cap.17.num.70. quibus consentiunt Petrus à Nauarr.loco cit.à num. 7.& Lud.Molina de iustitia & iure tract.2. disp. 727. & alij passim. Ratio verò est : quia licet in tali casu impediens peccet mortaliter contra charitatem in proximum:huic tamen nullam facit iniuriam:quia si absque vi vel fraude,precibus tantùm & suasionibus animum donatoris vel testatoris auertat , neminem damnificat;non quidem donatorem cùm is agat spōte,nec vllo modo inuitus sit:nec item eum,cui beneficium faciendum erat:cùm is nullo suo iure spolietur;quandoquidem nullum omnino habebat acquisitum. Quod autem in impediente fuerit intētio nocendi, nihil refert:quia non hæc , *quæ manet in mente nocentis* , sed externum opus est nociuum,quod damnificat ac restituendi obligationem inducit.Vt igitur minister iustitiæ qui iustā sententiam exequitur animo nocendi, peccat quidem odio proximi , ad nullam tamen restitutionem tenetur ; ita nec supradictus impediens.

Quod verò teneatur ad restitutionem, si id vi,aut fraude,vel mendaciis faceret , patet : quia tunc facit iniuriam:tum ei qui beneficium collaturus erat,quia inuoluntariè seducitur ; tum ei qui beneficium erat accepturus,quia durāte alterius, qui collaturus erat, volutate:ius ipse aliquod ad rem quęsitum habebat. At talis voluntas mutata tunc non est;quia dolus impedit libertatem consensus : consequentérque facit ne is sufficiat ad tollendum alterum consensum liberum. Quare manet idem ius,lædensque in illo alterum,tenetur ad restitutionem. Quod Petrus à Nauarr. in sequen.num.111.aliis citatis extendit ad eos qui infirmum à voluntate quam habet alicui legādi, auertunt contradicendo nimiùm , ipsúmque terrendo voce, vultu , contristatione vel lactymis , itaut ipsis concedat,quod alioqui nollet. Et certè si nimis importunæ preces vnquam censeri debent inferre vim,tunc maximè debent. Ex hac autem propositione multa in particulari pro praxi deduci possunt quę prout materia exegerit postea erunt attingenda. Videri possunt apud Sylvest.& Nauar. locis citatis : vt & solutio nonnullorum quæ in contrarium obiiciūtur ex Aristotele & iure ciuili,apud Ludouicū Molinam in memorata disput.727.

Quarta propositio. Qui alteri adfert impedimentum proximum consequendi aliquod bonum , puta faciendo vel dicendo aliquid,per quod fit vt ille desistat à negotio lucroso,non tenetur quidem ad restitutionem,si precibus,vel suasionibus id faciat,etiā animo nocendi;tenetur tamen ad restitutionem , si idem faciat vi,aut metu incusso , aut *(quod frequentius est)* mendaciis, falsísve promissionibus.Hæc ex præcedenti sic probatur. Si ille qui fraude aut vi impediit alium,ne beneficium in me conferret, tenetur mihi restituere, eoquod factum ipsius erga alium, resultet in meum damnum;multò magis , aut certè non minus,mihi tenebitur , quando mihi in meum damnum apponit impedimentum. *Nu.152.*

Vnde cum Petro à Nauar. *in seq.nu.39.* duo inferre licet,quorum prius est:obligationem esse restituendi si amicus beneficium vel officium quod omnino à Rege consecuturus erat, eoquod vel fauore, vel literis,vel dignitate ad illud consequendum multum valeat:sed cùm tua,vel alicuius tuorum interfit , ne rem attentet:túque nihil possis precibus,aut persuasione obtinere ab eo:falsa promissione,aut aliter mēdacibus verbis aliāve simili ratione efficis vt desistat. In tali casu enim ob illam tuam fallaciam,teneris tātum arbitrio boni viri restituere , quantum valebat spes illa,à qua excidit à te fraudulenter impeditus ab assecutione boni iam penè habiti.

Posterius est:obligationem similiter esse ad restitutionem boni viri arbitrio,si quis non stet promissis:siue puellæ , quam promisit se post certum tempus ducturum;ideóque plures ipsa sponsos reiecit;siue seruo quem tenuit ita suspensum, vt verbis ipsius fidem habens relinqueret plura , quæ maximè sibi fuissent commodo:siue domum ei, qui cùm versaretur in pingui negotiatione,rogatus ab ipso cum certis promissionibus , eam reliquit fraudatus fructu, quem sperabat. & sic de multis aliis.

Quinta propositio est:restitutionem ad quam quis iuxta præcedētes propositiones tenetur,nonnūquam esse , nonnunquam verò non esse in solidum. Hæc (quam latiùs tractat Petrus à Nauarr. *lib.3. de restitut. cap.quinto dubit.2.* quoad priorem partem probatur: quia is tenetur ad restitutionem in solidum seu tōtius boni impediti, quando nisi impediuisset , alter erat illud certò consecuturus,tanquam ius habens in eo , quod non erat alia via impediendū. Non enim est maior ratio,cur ad restitutionem teneatur consulens iniustam detentionem bonorum alicui iure debitorum,& dandorum; quàm impediens eorum certam alioqui consecutionem. Sicut ergo ille (iuxta tradita in præced.cap.10.quæst.3.tenetur in solidum, vtpote participans in iniusta læsione,sic etiamsi te nebitur , cùm & ipse similiter participet, impediendo contra legem iustitiæ , ne quis rem sibi debitam habeat. Ac confirmatur : quia si Petrus debitorem Pauli impediret quominus centum ei solueret , ille proculdubio huic teneretur in solidum,sicut ipse debitor non soluens , eoquòd ius recipiendi centum, non minus valet quàm centum , si debitum alioqui est securum.Quoad posteriorem verò partem probatur:quia cùm quis habet tantùm ius ad rem , seu imperfectum,& quod aliā viā impediri potest,siue iustè siue iniustè:vt v.g.litem excitādo, vel malè informādo de eius virtute & literis:tunc impediens non tenetur in solidum:sed ad aliquid minus,iuxta arbitriū boni viri:quia ius ad rem minus valet,quàm ius quæsitum in re. Cùm ergo ille qui istud impedit non teneatur ad plus,quàm ad totum , sanè is qui impedit illud,tenebitur ad aliquid minus : perinde ac is qui *Nu.153.*

segetes nondum natas aut nondum collectas destruit,minus restituere tenetur, quàm destruens iam natas aut iam collectas.

Idem iudicandum est , cùm res obtinenda nullo iure debita esset,adeptióque illius impediretur fraude,vel aliā viā iniusta. Nam nec tunc necessaria est restitutio in solidum,sed solùm ex arbitrio boni viri, etiamsi is qui erat rem ipsam collaturus,firmum haberet animum conferendi. Id quod memoratus author in eodem cap.5.num.30.secutus Caietanum satis bene contra Sotum ostendit ; quia cùm res tunc non sit aliàs debita;is qui illam impedit,solùm aufert illius consequendæ spem probabilem ; quæ tolli potuit multis viis etiam licitis, quantumcumque firmata esset voluntas liberaliter largituri : qui potuit eam suam voluntatem non tantùm de facto , sed etiā de iure mutare. At res habita solùm in spe , non est tanti valoris quanti habita in seipsa. Ille igitur qui eo quo agimus modo impedit alterius bonum, non tenetur totum restituere;sed quantum arbitrio boni viri illa expectatio valet. Et certè , quòd ob firmum donandi propositum in donatore, donatarius nō acquirat ius ex quo obligatio in solidum nascatur in impediente donationem , patet : quia hoc non obstante,si res donaretur alteri , *vt fieri potest cum superuenit dignior*; donatio esset valida:quod non fieret si res esset , quæ aliàs alteri iure ita deberetur , vt impediens ab illius consecutione,peccet mortaliter cùm obligatione ad restitutionem in solidum.

Nu.154. Cæterum ad iudicandum de quantitate istius restitutionis,hoc est , debeātne magna esse vel parua, vir prudens,seu peritus negotiorum de quibus agitur,debet attendere certitudinem consequendi rem expectatam:quanto enim certiùs quis illam erat cōsecuturus,tanto pluris illa valebat habita in spe:tanquam existens quidem adhuc in suo quasi semine,& causa:sed propius accedens ad existentiam realē, per quam extra suam causam posita , haberetur non iam in spe,sed inre.Quam certitudinem (quando res non erat debita, propter vim autem vel fraudem , *qua illius adeptio impeditur*, obligatio ad restitutionem incurritur)Petrus à Nauarr. *in seq. num.* 35. existimat cum Caietano metiendam esse potius ex firmitudine voluntatis maiore vel minore, eius qui decreuerat donare:quam cum Soto ex quantitate doli,& vis in impediendo adhibitæ.Nam ex vna parte, licet cæteris paribus plus peccauerit,maiorémque iniuriam fecerit qui fraudem maiorem , & vim attulit in impediendo:non ideo tamen fecit maius damnū.Quinimo fieri potest , vt maiore dolo grauioribus mendaciis,& minis,minus nocumentum hic damnum fecerit. Ex altera verò parte,quanto benefactoris animus magis erat confirmatus in concedendo beneficio vel conferenda gratia, tanto certiùs alter de quo agitur, erat consecuturus, atqueadeo tanto pluris valebat spes,quam ipse habebat *vtpote tanto maiorem firmitudinem habens propter maiorem determinationem benefactoris*;itaut cæteris paribus is qui benefactorem firmo animo statuentem aliquid dare , iniustè impedit,etiam vno solo mendacio,teneatur ad plus restituendum,quàm is qui metu mortis,aut grauibus minis, vel etiam iniuriis deterruit vacillantem in proposito dandi. Adde in eodem iudicio spectandum esse,non tantùm quàm firmo animo quis deliberauerit donare,sed etiam quàm constans,& fidelis ipse inueniatur in suis promissis seruandis.

Explicatio alterius difficultatis, Num alienum acceptum in extrema necessitate sit restitutioni obnoxium.

IN hac re quinque certa sunt. Primum est,quòd nō peccet quis auferendo rem alterius,si id faciat cōstitutus in extrema necessitate.Ratio est,quia id fecit tum iure diuino,vt patet ex cap.12. D. Matth. vbi à Christo approbatur factum discipulorum suorum vellentium spicas ad leuandam famem qua premebantur:iidémque ab eodem innocentes declarantur, quemadmodum notatum est in cap. Discipulos De consecratione distinct. 5. Tum etiam iure naturali , quo omnia sunt tunc communia : neque in tali casu ipsum mutari potuit per ius gentium , quo res sunt factæ propriæ , translato dominio earum in primo apprehendentem,vel occupantem.Nam rerum diuisio vt iusta esset, nec facta in perniciem humani generis, fieri debuit cum implicita conditione, vt necessitate extrema contingente,id quod eliet occupatum redderetur commune, quantum exigeret talis necessitas;itaut in ea constitutus haberet ius idipsum sibi sine peccato sumēdi:perinde ac si à domino esset testamento relictum ea lege, vt si quis necessitate premeretur,illi ex eo subueniretur.Id quod procedit ex Nauarr.in Enchir.*cap.17.num.* 118. siue quis pro se solo accipiat,siue etiam pro alio,qui est in eiusmodi necessitate,si aliter ei subuenire nequeat. *Nu.155.*

Secundum est : non esse obligationem ad restitutionem , cùm res accepta parui momenti est. Hoc omnes fateri expressit Sotus in lib. 4. de iustitia & iure : *quæst. 7. art.1. sub finem* & procedit ex Medina in Cod. De rebus restit. *quæst. 3. versu Quidquid igitur* , etiamsi necessitas non sit extrema.Quod confirmat per illud quod ante relatum est ex cap. 12. D. Matth. & per illud quod in cap.23. Deuter. conceditur ingresso in vineam proximi comedere vuas.Censenda est autem res parui momenti, cùm adeò parua fuerit, vt probabiliter credatur dominus velle illam donare,si accipientis inopiam sciret;ex Nauar. *in cod. num.*118.Addente idem esse dicendum , si res sit quidem magna, sed egenti qui illam accipit constat eum ad quem pertinet,non solum illam sibi mutuaturum esse, sed etiam concessurum gratis , si dum accipit adesset ipse præsens. Id quod *(inquit idem Nauarr. in seq. num.* 119. *post Medinam*, intelligi potest ex rei acceptæ,& domini ad quem ea pertinet circunstantiis: nempe si hic sit dives , si liberalis, si cognatus & amicus eius qui accepit , si eleemosynas largiri solitus. *Nu.156.*

Tertium est:si res in necessitate accepta perduret hac transactā,eam esse restituendam priori domino. Quod patet ex cap.Quod pro remedio 1.quæst.7.Sic ille qui aufert alterius equum , vt manus hostium euadat, postquam periculum euasit , tenetur illum reddere priori domino.Similiter qui magnam pecuniæ summam accepit, tenetur restituere illud quod ei restat transacta necessitate. Etenim necessitate extrema cessante, cessat ius illud quo ob eam licet vsurpare sibi alienum. *Nu.157.*

Quartum est. Eum qui ex rapina,aut furto,aut ex contractu illicito debitum contraxit , antequam incideret in extremam necessitatem : ab obligatione restituendi non liberari per ipsam superuenientem,si deinde factus sit ditior. Ita resoluitur in cap.Odoardus De solutionibus.Et confirmatur, quia quando talis contraxit debitum, non habebat ius *Nu.158.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

accipiendi rem alienam,cùm non esset tunc in extrema necessitate: haeque superueniente, *vt ex Richardo Scoto,& aliis habet Medina initio citata quæst.tertia*, obligatio restituendi sopita tantùm fuit, non extincta: itaut necessitate ipsa cessante,eadem obligatio suscitetur.

Nu.159. Quintum est;illum qui non est absolutè in extrema necessitate,sed solùm per accidens; vt is censetur,qui hoc quidem tempore & loco laborat necessitate: alibi tamen habet bona sufficientia, teneri ad restitutionem eorum,quę ad subueniendum eiusmodi necessitati accepit, nisi ex tacito domini consensu probabili, præsumeretur donatio. Ratio est, quia cùm talis non sit verè pauper,sed potius verè dives; alter non tenetur aliquid ei dare,sed satis est,si dederit mutuo:nec ille qui taliter indiget ius habet accipiendi simpliciter;sed mutuandi,id est, si dominus illi gratis dare noluerit, non potest eo inuito rem absolutè accipere, sed tantùm cum intentione postea reddendi. Nam alienum accipere licet eo tantùm modo,quo extrema necessitas vrget: & ideo si hæc sit absoluta & simplex,potest quis accipere sine animo restituendi:si verò ex casu tantùm & circunstantia sit extrema:capere quidem potest,sed cum animo restituendi. Sic ille qui captus in bello alienum accipit vt suæ vitæ succurrat fugiendo: rediens ad suos debet acceptum restituere illi à quo accepit, si possit illum cognoscere,etiamsi infidelis sit; quia infideles sunt domini bonorum suorum.

Nu.160. Dubium autem est. Quando aliquis absolutè est in extrema necessitate & pauper; sed postea redit ad pinguem fortunam: an teneatur restituere id quod accepit ad subueniendum suæ necessitati extremæ. De qua re Nauar. in Enchir. & Couar. ad regulam Peccatum: *ille in cap.17.num.61.& 62.& hic par.2.§.1. num.4.* aliique nonnulli quos ipsi commemorant, sentiunt teneri ad restitutionem. Quam sententiam, oppositâ probabiliorem putat Med. in Cod. De reb. restit.loco citato.

Nu.161. Pro quâ duplex ratio facit. Altera est,quòd inops in extrema necessitate non habeat plus iuris ad capiendam rem alienam,quàm verus dominus habeat obligationis eam dandi illi. Sed verus dominus non obligatur ex iustitia rem suam illi dare, nisi quantum satis est, vt ipse mortem euadat: ad quod sufficit illam dare mutuo, aut aliter cum obligatione restituendi eam,si quando peruenerit ad pinguiorem fortunam. Vide dicta in 1.par.lib.4.num.260. & tribus sequentibus.Altera ratio est,quòd ius vtendi & consumendi rem alienam in extrema necessitate, non proueniat ex paupertate; sed ex necessitate ad vitam conseruandam;vt argumento est, quòd dives in extrema necessitate constitutus, perinde possit eo iure vti ac pauper. Necessitas verò, etiam extrema, non tribuit ius vtendi re aliena,eamque consumendi gratis:cùm,vt paulo prius habitum est,dives teneatur ad restitutionem rei alienæ, quam consumpsit pressus extrema necessitate.Vnde sequitur,nec pauperem in extrema necessitate simpliciter habere ius consumendi gratis id,quod sibi necessarium est.

Sententiam autem oppositam tenent;tum Sylvester in verbo Furtum quæst.5.dicto 3. post Angelum in cod.verbo quæst.37. & Rosellam num.5. tum Tabiena in verbo Restitutio quæst. 4. tum etiam Sotus in lib. 4. De iustitia & iure quæst. 7. art.1. sub finem: quibus Petrus à Nauar. assentitur in lib. 3. De restit. cap.1. num.377. & lib. 4. cap.4. dubit. 4. pro eisque facit etiam duplex ratio.

Nu.162. Prior est,quòd habeatur pro communi principio: omnia in extrema necessitate communia esse: per quod significatur, eiusmodi necessitate oppressum posse absolutè ad subueniendum sibi, rem alienam accipere, & per consequens eam acquirere non modo quoad illius vsum, sed etiam quoad dominium (alioqui enim non esset rem accipere absolutè, sed eam conducere)idque non pro aliquo solùm tempore, quo finito ea sit reddenda: sed etiam pro omni tempore (siquidem nec esset absolute sed mutuo tantummodo accipere,)Iam res cuius dominium in omne tempus acquiritur, non est restitutioni obnoxia. Quare nec quod accipitur ad subueniendum extremæ necessitati.

Quod autem Nauar.loco citato infert,hinc sequi, constitutum in extrema necessitate acquirere dominium rerum omnium quæ sunt in mundo;facilè soluitur, dicendo quòd talis, solummodo acquirat dominium eorum quæ sibi accipit, vsurpátve ad subueniendum suæ necessitati. Et ita fit, vt dives qui non pascit morientem fame,quamuis peccet,non teneatur tamen ad restitutionem eorum quæ debebat illi dare; quia debitum erat tantùm charitatis. Quamquam si pauper dum extrema necessitate premitur, iam de rebus illius aliquid vsurpasset, & ille ex ipsius manibus id extorsisset: & peccaret, & restituere teneretur.

Posterior ratio est, quòd si ille qui ad conseruandam propriam vitam accipit alterius rem externam, teneatur ad restitutionem,tenebitur quoque ille qui iustè aufert famam & vitam alterius, vt conseruet suam. Nam vita vel fama pretiosior est rebus externis.At nemo dicit cessante necessitate, ad restitutionem eum teneri qui compulsus necessitate, iustè interfecit,vel infamauit. Quare nec dicédus est teneri, qui sibi alienum vsurpauit ex necessitate.

Nu.163. Cæterùm hæc in vtramque partem momenta rationum & authoritatum faciunt, vt in praxi possimus Pœnitenti relinquere liberum,quam velit partè sequi: nisi fortè promiserit se restituturum,quòd accepit,si quando commoditas ei daretur.Nam cur tali promisso stare non debeat, nulla videtur esse ratio sufficiens:cùm idipsum ab eo iustè exigi potuerit, vt docuimus loco paulo superius memorato.

CAPVT XIII.

De eo cui facienda est restitutio.

SVMMARIVM.

164 *Restitutio facienda ratione rei acceptæ, debet regulariter ei fieri,cui res ipsa ablata est; etiamsi is non sit illius dominus, dummodo illam iusto titulo habuerit.*
165 *Quædam in particulari inde illata.*
166 *Casus excepti.*
167 *An liceat rem alienam proprio domino restituere, prætermisso alio,qui erat iustus possessor illius.*
168 *Cautio adhibenda,vt tale quid bene fiat.*
169 *Creditori sui creditoris soluere in fraudem, peccatum est cum obligatione ad restitutionem : non item si id fiat sine præiudicio,nec reddenda sit res eadem numero.*
170 *Eadem numero reddenda est soli proximo creditori, cum est iustus possessor;sique remoto reddatur,non est quidem obligatio ad restitutionem, est tamen ad compensationem damni inde secuti.*
171 *Difficultas, an reddendum sit alteri id, quo malè vsurus scitur.*
172 *Reddendum est cum fuerit res de se bona, nisi sciatur repetentem velle vti in perniciem proximi, aut etiam*

etiam in suum,quam debitor teneatur impedire.
173 *Res quæ vel de se vel secundum communem vsum destinatur in malum finem, non est reddenda,nisi in casu quo cognosceretur abesse periculū abusus.*
174 *Res de se indifferens, nec in malum finem destinata, retineri potest tantùm de consensu domini,cui negatur ob periculum ea male vtendi.*
175 *Restituenda sunt per acceptionem iniustam acquisita,etiam de voluntate domini, quando talis acquisitio annullatur per legem.*
176 *Idem dicendum est, si non sit acquisita de domini voluntate, etiamsi non detur lex per quam talis acquisitio annulletur.*
177 *Restituenda sunt extorta per fraudem, aut metum, aut concussionem.*
178 *Restituendum est id quod quis accipit vt faciat illud, quod gratis facere tenetur ex præcepto.*
179 *Plura in particulari inde deducta.*
180 *Quomodo is qui tenetur gratis facere,possit aliquando pretium accipere.*
181 *Qui aliquid accepit pro eo, quod gratis facere debuit, tenetur in conscientia illud restituere antequam repetatur.*
182 *Data alicui, non in pretium, sed in liberale donum, vt alliceretur ad præstandum id quod facere debet gratis.non sunt obnoxia restitutioni.*
183 *Acceptum ob turpe factum non perpetratum, restituendum est.*
184 *An idem sit dicendum cùm perpetratum fuerit, sententia Medinæ,quæ parum reuicitur.*
185 *Regula generalis tenenda.*
186 *Quod illicitè ob turpem causam, alicui ante perpetratam turpitudinem promittitur; licitè post perpetratam petitur,& acceptum retinetur licite.*
187 *Secus est si post perpetratam turpitudinem,promittatur intuitu eiusdem turpitudinis;non autem alterius adiuncti,quod non vitiet promissionem.*
188 *Qui iurauit se non accepturum, quando possit retinere acceptum.*
189 *Diuersa sententiæ de eo cui facienda est restitutio accepti ad rem turpem perpetrandam, cùm non debet retineri ab accipiente.*
190 *Probabilior sententia,quòd facienda sit danti.*
191 *Publica meretrix non tenetur restituere pretium moderatum quod accepit pro sua prostitutione : & quando peccet accipiendo.*
192 *De meretrice occulta idem quod de publica dicendum : & quomodo illa possit magnum pretium suæ prostitutionis acceptum retinere.*
193 *Tale pretium filiafamilias patri,& vxor marito debet reddere.*

De eo cui facienda est restitutio,cùm obligatio oritur ex re accepta.

SECTIO I.

Nu.164. REGVLA generalis est: quòd cùm est obligatio ad restitutionem ratione rei acceptæ: illa regulariter facienda sit ei, cuires ablata est.Hanc ex D.Thoma 2.2.*quæst.62. art.quinto*, communiter esse receptam notat Tabiena *in verbo Restitutio quæst.* 3. & ab omnibus concedi ait Petrus à Nauar. *in lib.4. De restitut. cap.2. num.2.* Locum habet autem etiamsi is à quo res ablata est, non sit verus dominus illius, dummodo illam possederit iusto titulo, suáque interesset illam non fuisse ab ipso ablatam,quod etiam Tabiena ibidem expressit; nec dissentiunt cæteri, dicentes absolutè restitutionem ex re accepta,faciendam esse domino: censendi sunt enim appellatione domini intelligere illum, cui res debetur,siue sit verè dominus siue non.Vnde Petrus à Nauar.ibidem ait omnes fateri nomine veri domini intelligi omnem iustum possessorem rei, quantumuis non habeat verum illius dominium: vt pignoris,non habet is qui illud in assecurationem debiti seruat: neque depositarius habet rei in custodiam sibi datæ; neque commodatarius rei commodatæ: neque conductor rei locatæ, & sic de similibus. Eiusdem regulæ verò fundamentum est, quòd æqualitas, ad quam constituendam spectat restitutio, nequeat aliter legitimè fieri, quàm reddendo rem eidem à quo ablata est: cùm ipse sit qui propter ablationem minus habet.

Atque hinc colligitur primò, quòd si quis alicui *Nu.165.* surripuit id quod habebat in pignus, debeat illud eidem restituere.Quod & patet:quia iniuria alioqui ei fieret auferendo ab eo assecurationem sui debiti. Quanquam, vt notat Petrus à Nauar.illud vero domino reddi posset, si nihil interesset illius qui habebat: vt quia ipsemet erat similiter redditurus; itaut gratum ei esse putetur,quòd suo nomine reddatur.

Colligitur secundò,rem ablatam Tutori,Curatori,Procuratori,Dispensatori,Thesaurario,&c.eidem, non autem vero domino restituendam esse: præsertim si tali incumbat ex officio rationem reddere ipsi vero domino;cuius res administrat.

Colligitur tertiò,si à depositario, fullone, sartore, commodatario,& eiusmodi aliis,auferantur res alienæ, quas illi iustis titulis retinent, quantumuis non sint veri domini: eis nihilominus faciendam esse restitutionem, præsertim cùm ipsis quoque incumbat onus reddendi rationem domino de talibus rebus. Eadem Petr.à Nauar,colligens *in sequen. num.* 7.8. & 9. monet non restituentem prædictis, *nisi bona fides eum excuset*, teneri resarcire damna in quæ illi inde incurrerint, puta sumptus faciendo in perquirenda tali re, cessando à negotiatione lucrosa ob illius carentiam,aliáve simili ratione.

Porro illius particulæ,*regulariter*, positæ in tradita *Nu.166.* regula: ratio ista est, quòd Doctores excipiant aliquot casus in quibus restitutio non est ei facienda, cui res ablata est:vt videre est apud Sylvest. in verbo Restitutio 4.quæst.2.Caiet.eod.verbo cap.4. Nauar. in Enchir. cap.17. num 29. Atque de cæteris postea mentio habebitur:hic autem duo sunt notandi. Alter est, quando is à quo res ablata est, capax non est domini;vel administrationis: vt quia Religiosus est, aut filiusfamiliàs, aut habens Tutorem vel Curatorem;tunc enim non illi sed Prælato, patri, tutori vel curatori est reddenda: nisi credantur in bonum monasterij,aut familiæ impensuri conuenienter voluntati suorum Superiorum. Alter est quando ex restitutione grauius damnū sequeretur, vt si depositum gladium petat dominus ad se, vel alium interficiendum:secus,si depositam vestem,aut aliam rem petat, qua non timeretur malè vsurus in suum aut alterius damnum.

Dubitatur autem: An aliquando rem vero domi- *Nu.167.* no dare liceat prætermisso proximo iusto possessore, qui non est quidem dominus illius; sed tamen illam à domino accepiam iustè possidet: vt depositarius, locatarius,aut eiusmodi alius. Quam dubitationem Petr.à Nauar.*in eodem cap.2.dubit.*1.explicat,inquiens cum Nauar. in Enchir. *cap.* 17.*num.*28. & Soto in 4. De iustitia & iure *quæst.* 7. *art.* 1. si de ipso possessore proximo suspicio sit probabilis, quòd talem rem nunquam sit redditurus vero domino: huic non illi ipsa tradi debeat, nisi iactura vitæ, vel honoris vel alia similis immineret reddenti; vt si alter ei minetur

Universidad de Deusto
Biblioteca

mortem,nisi sibi illam tradat. Si verò proximus ipse possessor non sit eo modo suspectus, debeat eidem, res ipsa reddi: prout Medina notauit in Cod.De rebus restit. *quæst.2.§. De eo quod secundo loco.* Et probatur,quia cùm is rem iustè possideret, eáque iustè vteretur,*vt supponimus*, fieri non potest quin iniustè ille priuetur iusta possessione, & vsu eiusdem rei: atque rationabiliter inuitus sit eam sibi ablatam esse neque sibi restitui. Idem iudicandum est in dubio æquali: cùm in eo ex regula 65.iuris in sexto,melior sit conditio possidentis; itaut suâ possessione iustâ priuari nequeat sine iniuria,si sua interfit eam retinere.

Quando autem res ab iniusto possessore accepta possit eidem reddi,iam disputatum est in præceden. cap.5. quæst.1. Tantùm est addendum, quòd si talis possessor sit bonæ fidei,id est, bona fide credat rem esse suam:tu verò qui eam accepisti,scis contrarium: si quidem ipso inscio acceperis,potes eadem ratione vero domino illam reddere, qua ipse posset eam sibi resumere: quia in eo tantùm cooperaris proximo, suum iustè recuperanti. Sin autem ipso conscio acceperis sub deposito, vel commodato, alióve simili pacto,teneris ipsi possessori bonę fidei reddere à quo accepisti sub obligatione ei reddendi; quæ iure naturali seruanda est, cùm potest sine peccato: nec aliud per legem, aut Iudicem est constitutum. Ad quod facit lex Bona fides ff.depositi.

*Nu.*168. Cæterùm semper erit obseruandum quando res proprio domino restituitur, prætermisso eo à quo proximè ablata est;eum qui id fecerit, debere præter cætera curare, ne idem proprius dominus procuret sibi, aut suis restitutionem iterum fieri;néve alter à quo res ablata est,per se aut per suos hæredes, idem denuo restituat; ignorans rem esse redditam domino ad quem pertinebat.Item ne is ipse perseueret in peccato,credens se adhuc teneri restituere,neque volens id facere. Aut ne molestetur iniustè, & damno afficiatur tertius, cui talis rei furtum falsò imponatur,aut qui illius pretium soluere compellatur. Quantum ergo fieri potest maturè illi significandum erit, restitutionem rei iam esse proprio domino factam.

De eo cui facienda est restitutio cùm obligatio oritur ex iusta acceptione.

Sectio II.

DVo dubia de eiusmodi obligatione explicanda occurrunt. Prius est, An debitor qui creditori sui creditoris restituit, liberetur ab obligatione restituendi. Pro cuius explicatione quam tradunt Angelus,& Syluester in verbo Solutio *ille quæst.* 13. *& hic quæst.*4. itemque Medina in Cod. De rebus restit. quæst.3. causa 5.ac post eos Petrus à Nauar. in lib. 4. cap.2.dubit.5.

*Nu.*169. Dicendum est primò: si restitutio illâ ratione fiat in fraudem, & damnum illius pro quo restituitur, *vt censeretur fieri si uerum ab eo in iudicio exigendum esset debitum*:tunc non modo tale quid peccatum esse, sed etiam inducere obligationem ad restitutionem totius damni inde secuti. Quod de se satis patet,& in resolutione propositi dubij Medina loco citato expressit.

Dicendum est secundò: si res non est creditori reddenda eadem numero, *vt in emptione vel mutuo,vel cum res accepta periit*: neque peccatū esse,neque obligationem ad restitutionem, si omisso immediato creditore,ipso etiam inuito debitum soluatur creditori ipsius.Hoc Petrus à Nauar.*loco cit.num.*16.*&* 27. ex eo confirmat; quòd ita restituens nullam faciat iniuriam suo creditori; cùm tantummodo liberet ipsum à debito,quo tenebatur alteri creditori,neque ea in re ipse possit esse rationabiliter inuitus, vt nec possunt participantes in damno dato,si vnus eorum, damnificato soluat in solidum, vtiliter gerens negotium ipsorum. Sic ergo in proposito casu debitor soluendo creditori sui creditoris, non modo iniuriam ei non fecit,sed negotium ipsius vtiliter gessit. Vnde non peccauit contra iustitiam:immo nec contra charitatem in proximum; quia licet ipso inuito, eius nomine solutum fit:tamen, *vt supponimus*, id in fraudem vel damnum eius minimè resultat: sed potius in præiudicium ipsius soluentis, qui dum efficitur gestor negotiorum eius, exponit se periculo ne ab eo molestetur,repetendo idipsum debitum, quod iam soluit.

Aduerte verò hoc solùm procedere cùm certò constiterit creditorem esse debitorem alterius cui fit restitutio: in dubio enim, cùm illius tanquam possidentis melior sit conditio:restitutio illi, non huic est facienda.Procedere itē cū vel creditor talis creditoris nunquam alioqui est recuperaturus suum debitum, aut non nisi cum molestiis, & expensis magnis: vel certè cùm attentis circumstantiis rerum & personarum, nihil interest cui ex creditoribus debitum soluatur. Nam alioqui contra rationem est te priuare creditorem tuum iure quod habet,vt ei soluas: præsertim cùm interest ipsius ita fieri:vt si speret dilationem termini solutionis: & interea facturus sit lucrū ex soluta sibi à te debitâ pecuniâ; vel etiam speret se tandem consecuturum remissionem illius debiti, propter obsequia exhibita aut exhibenda illi suo creditori.

*Nu.*170. Dicendum tertiò: si creditori eadē numero res sit reddēda,ac proximus creditor sit illius iustus possessor,*vt depositarius,commodatarius, locatarius*: non licere eo prætermisso rem talem restituere remoto creditori,qualis est eiusdem rei verus dominus. Hoc satis patet per antedicta in præcedenti sectione.

Tantùm notandum est,quòd licet tali modo restituens,teneatur ad compensationem damni quod alter sentit priuatus possessione,& vsu rei ab ipso ablatæ:non teneatur tamen ad rem ipsam restituendam: cùm ex quo illa ei cuius erat,vel cui debebatur,restituitur,nemo defraudetur: sed potius iustitia æqualitasque seruetur,dum debitor à debito quo tenebatur alicui,liberatur per alium. Quæret aliquis an si iustus possessor fiat iniustus: vt quia rem commodatò aut in pignus acceptam restituere non vult transacto tempore constituto, liceat tertio accipere eam & restituere proprio domino.

Cui respondendū est,id non aliter ei licere quàm proprio domino, qui debet vti officio Iudicis ad suū recuperandum cùm potest eâ viâ recuperare:cùm verò non potest, licet quidem illi compensatione vti, sed seruatis debitis circunstantiis tradendis in sequ. nu.258.Cuius responsionis fundamentum est: quòd ipsi tertio nihil in eo liceat, nisi de iustè præsumpta domini voluntate. Idem docet Molina De iust. & iure tract.2.disput.741.num.5.

Alterum dubium, An creditori soluendum sit debitum quo scitur malè vsurus.

*Nu.*171. AD huius explicationem ponendum est primò, illum malum vsum posse esse,vel contra iustitiam;id est,in perniciem proximi: vt si quis repetat gladium,

gladium,ad illum occidendum: vel contra charitatem, id est, in propriam perniciem suam ad quodcumque peccatum mortale, vt ad fornicationem, ebrietatem,&c.

Ponendum est secundò: debitorem qui soluere debet,aliquando teneri siue ex iustitia, siue ex charitate impedire peccatum illud quod nouit futurum: aliquando neutro modo teneri impedire, vt quando neque ei commissa est alterius cura, neque proficiet, sed potius scandalum, aut rixas excitabit volendo impedire.

Ponendum est tertiò: quasdam res esse,siue naturales siue artificiales, quibus homines, vel ob consuetudinem, vel ob legem prohibentem, rarò aut nunquam hoc tempore,hocque loco bene vtuntur.

Tales sunt libri impudici vel hæretici, ac venena talia,quæ moraliter non nisi ad nocendum seruiunt. Quasdam verò esse quibus homines communiter bene vtuntur,quamuis interdum aliqui malè vtantur: quasdam denique esse ad vtrumlibet indifferentes,licet aliquæ in bonum,& aliquæ in malum vsum frequentiùs veniant.

*Nu.*172. Quibus ita positis dicendum primò: si res reddenda talis sit,quā communiter homines bene vtantur, vel sit indifferens,nec scitur probabiliter,an creditor ea velit malè vti,faciendam esse simpliciter solutionem. Quamuis enim creditor forte malè vsurus sit re accepta,debitor tamen soluens prout tenetur,non intendit peccatum ipsius, nec facit opus ex quo illud per se sequatur, aut quod excitet ad illud. Adde quòd cùm debitor ignoret an creditor debitum petat ad malum vsum,præsumere debeat quòd velit illud ad bonum: iuxta regulam iuris,Vnusquisque in dubio præsumitur bonus.

Dicendum secundò: differri debere, nec soluendum esse debitum creditori qui probabiliter scitur velle eo malè vti in perniciem proximi:v.g. non esse reddendum gladium repetenti eum ad homicidium perpetrandum;nec debitam pecuniam restituendam esse illi qui gerit iniustum bellum. Ratio est, quia non modo charitas, sedetiam iustitia obligat, nulli dare instrumentum ad iniuriam inferendam alteri, cùm id sit iniustitiæ cooperari moraliter. Illa redditione autem datur tale instrumentum: per quam proinde non tantùm committitur peccatum, sedetiā incurritur obligatio ad restitutionem. Quod Petr. à Nauar.*lib.*4.*cap.*2.*num.* 36. ex eo probat, quòd in tali casu,detur causa iniuriæ;vt indicio est,quòd quis in foro iudiciali ideo condemnaretur,tanquam ille qui iniustitiam fecerit.Id autem non procedere, quando creditor in suam non in alterius perniciem vsurus est re sibi debita, idem author aduersus Sotum probat:quia iniuria tunc interuenit, quando ille qui ex solutione debiti damnum patitur,alius est à creditore, non item quando est ipsemet creditor. Scienti enim &volenti non fit iniuria.Quanquam excipiendus est casus, in quo tanta perturbatio eum occupauerit, vt non compos mentis, nec deliberatè agere,meritò censeatur.

Dicendum tertiò:neque soluendum esse creditori debitum, quo scitur malè vsurus, in suam tantùm, non in alterius perniciem;si debitor, *siue ex iustitia,siue ex charitate*,teneatur impedire peccatum quod nouit prouenturum ex tali solutione. Probatur, quia si talis tenetur peccatum impedire, multo magis tenetur non præbere materiam & instrumentum peccandi; itaut præbens, peccet eodem illo peccato: quod se intendere,vel sibi placere, aut certè sibi non displicere,satis ostendit eo facto.

*Nu.*173. Dicendum quartò:quando res reddenda, siue ex natura sua, siue ex communi vsu, in malum finem destinatur:itaut habita ratione temporis & loci probabiliter timeatur vsus illius moraliter malus:nō esse licitum eam tradere quādiu perseuerauerit probabile periculum praui vsus. Ratio est, quia talem rem tradere, de se est præbere materiam peccati, atqueadeo scandalizare & cooperari peccato: perinde ac cùm quis idololatræ præbet rem quam scitur sacrificaturus idolo. Aduerte verò non esse satis, nescire certò,an talis res ad malum vsum petatur; sed necessarium esse, vt probabiliter sciatur non postulari ad ipsum malum vsum. Quando enim talis notitia non habetur, existimandum est probabiliter, quòd res ipsa dirigatur ordinetúrque ad finem, ad quem ex natura sua,vel ex vsu communi ordinariè instituitur.

Dicendum quintò: creditori rem eam,quā scitur *Nu.*174. malè vsurus,etiamsi illa sit indifferens; imò & talis quæ communiter in finem bonum destinetur: reddendam non esse, si ipse consentiat aut certè non dissentiat illius detentioni. Hoc patet: quia ratio potissima obligationis restituendi rem alienam est, quòd illius detentio sit contra voluntatem, & in detrimentum domini.In proposito casu autem retentio est de voluntate domini,&in illius commodū,ob probabile periculum ptani vsus,quōquidem cessante,statim reddenda esset.Quod si dominus dissentiret detentioni, rémque suam sibi reddi peteret; neque restitutio in damnum tertij vergeret, sed tantùm in repetentis dispendium; vt quia ad ebrietates,scortationes, ludos illicitos, pecuniā sibi debitam repetit. Petrus à Nauar. *in eod.cap.*2.*num.*34. putat non licere eam detinere,& exigenti negare: non modo cùm ex retentione,& negatione imminet aliquod scandalū: vt quando alij putabunt debitorem nolle debitum soluere, aut creditor ei minatur nimisque irascitur, vel in periculo peccandi constituitur:sed etiam cùm nullum imminet tale periculum. Probat autem:quia posito quod creditor non sit specialiter commissus curæ sui debitoris:huius non interest an ille ad pios vel necessarios vsus debitum petat, an ad abutēdum, & prodigendum.Interest verò eidem,vt quod debet restituat & soluat, quando id potest sine alicuius iniuria: quæ nulla est in proposito casu, in quo solus creditor sciens, & volens damnum patitur: scienti autem & volenti non fit iniuria. Accedit quod si liceat negare debitum creditori differendo solutionē, etiam per horam,quia verosimile est quod dissipabit illud;licebit etiam nunquam soluere, quia si possum differre per horā,potero quoque imminente periculo praui vsus, differre per mensem vel annum, vel aliud quodcumque tempus: quia non est maior ratio huius,quàm alterius cuiuscumque horæ: sicque potero numquam restituere:quod absurdum est.

De eo, cui facienda est restitutio cùm obligatio oritur ex iniusta acceptione.

Sectio III.

INiusta acceptio esse potest vel contra voluntatem eius qui est rei acceptæ dominus, vel esse de eiusdem voluntate. Quod rursus potest contingere dupliciter: vel sic vt acceptio sit ob honestam causam, seu ob actum aliquem bonum, ad quem accipiens alioqui tenebatur;vt Iudex ad proferendum iustam sententiam: vel vt sit ob turpem causam, seu actum aliquem malum:qualis est proferre sententiam iniustam. Et quamuis certum sit ac quisia per iniustam acceptionem contra domini voluntatem, omnino restituenda esse, cùm possideantur inuito iuste do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mino,isque sit communis consensus Doctorum *(multos ex eis commemorat Petr.à Nauar.lib.4.cap.2.num.39.)* tamen de acquisitis per iniustam acceptionem volente domino difficultas est ; itaut de talibus docere oporteat,tam an sint restituenda,quàm cui sint restituenda:cùm de hoc nihil statui queat illo ignorato. Id autem fiet propositis aliquot generalibus regulis, ex quibus multa pro praxi resoluuntur.

Nu.175. Prima regula igitur est. Acquisita per iniustam acceptionem etiam de voluntate domini dantis, restituenda esse, quando acquirens redditur lége aliqua positiua incapax, & inhabilis ad eiusmodi acquisitionem;aut annullatur actus ex quo illa pendet. Ratio est quia per talem legem in conscientia translatio dominij impeditur , & ideo accepta contra ipsius præscriptum,nullo modo possunt retineri,sed sunt restituenda.Ex qua regula Petr.à Nauarr. *in eod. cap.2.à num.134.* infert primò : acquisita per simoniam esse omnino restituenda, quia lex canonica annullat contractum talis acquisitionis, in cap. Finali De pactis,cùm dicitur:Pactiones factę à vobis,vt audiuimus , pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cùm in eiusmodi debeat omnis pactio , omnisque conuentio cessare, nullius penitus sunt momenti. Idem dicendum est de acquisitis per testamentum non solemne, licet testator voluntarie dederit,quando per Principis statutum annullatur taliter facta dominij translatio.

Infert secundò : Iudices & alios officiales regios teneri,ante omnem etiam Iudicis condemnationé, (vt idem à Nauarra expressit in seq.num.134.) restituere munera gratis eis oblata;quando lex non modo prohibet ipsos ita recipere, sed etiam incapaces reddit ad ea retinenda. Quamuis autem communis opinio sit, talem restitutionem faciendam esse pauperibus:idem author tamen *ibid.num.146.*cum Soto in 4.De iust.& iure *quæst.7.art.1.in solutione 2.argumẽti,* satis probabiliter putat esse faciendam danti, quia in talibus casibus dans non aliter dominium suæ rei abdicare intendit;quàm vt illud in recipientẽ transferat. Ergo si non transfert , eoquod alter recipere & retinere non possit:ipse sanè manet dominus:nisi lege speciali fiat incapax ita datum retinendi si reddatur:sicut sit incapax illud repetendi in iudicio: vt patet ex lege Vbi autem,& sequentib.ff.de condictione ob turpem causam ; aut nisi per sententiam Iudicis res de qua agitur fisco vel pauperibus attribuatur.

Nu.176. Secunda regula.Acquisita per iniustam acceptionem contra domini voluntatem, esse eidem restituenda. Ratio est,quia tunc non transfertur rei dominium in accipientem:qui cum illam possideat inuito rationabiliter domino,debet satisfacere, restituendo ei quod suum est. Hanc communiter receptam esse ait Nauar. in Enchir. *cap. 17. num. 29.*ex eaque infertur illud quod habet Medina in Cod.De reb.restit.quæst.2.dub.2.concl.7.Rem alienam vi aut metu,dolo aut fraude , vel concussione extortam, esse restituendam danti, quia in talibus casibus res, non libera voluntate,sed inuoluntariè data est.

Nu.177. Circa quod aduerte primò, *ex eodem Med. ibidem,* quando aliquid datur alicui, qui se alium esse simulat ; vt cùm quis se fingit pauperem aut consanguineum dantis,sub ea ratione aliquid ei liberaliter datur:sic acceptum reddendum esse non dati sed pauperi,aut consanguineo cui ille dare intendebat;quia ex quo ille liberè & gratis intendebat tali dare,trãstulit in ipsum, & abdicauit à se rei dominium. Nec refert quòd ipse dans fuerit deceptus : nam talis error tantùm facit vt illi per quem motus est dare,donatio facta non valeat quidem,tamen valeat pauperi vel consanguineo, cuius respectu ipsa non est ex errore,sed ex libera voluntate.

Aduerte secundò ex Nauarr.loco cit.per metum, quoad forum conscientiæ , hic intelligi non solùm grauem (de quo in sequenti lib.11.cap. vlt. dicendum est ex instituto)sed etiam leuem : talem tamen qui sic fuerit causa dandi vel accipiendi, vt nisi interuenisset,datum vel acceptum non fuisset.De qua re plenius Couar.ad regulam Peccatum *part. 2. §. 3. num.7.*

Aduerte tertiò pro quotidiana praxi ex Petro à Nauar.*in superius cit.num. 93.* inter extorta per concussionem poni à doctoribus illa quæ à Notario,Lictore, Iudice,& cæteris officiariis publicis vltra stipendium ipsis taxatum , accipiunt tanquam debitum ratione publici numeris quo fungũtur.Pro quo facit quòd taliter accepta, de numero sint eorũ quæ contra voluntatem domini accipiuntur : vt patet ex eo quòd paria sint iis quæ in venditione supra iustũ pretium accipiuntur,nec emptor dare vellet : quorum propterea dominium non transfertur in accipientem.Addit idem author *in seq.num.104.*neque ex dispensatione Principis,posse officiales publicos aliquid vltra taxationem accipere per modum exactionis:quia eius quod exigitur vltra iustũ pretium, *cùm non sit iustè debitum ,* si conctè & inuoluntariè detur dominium non transfertur iure naturali. Contra quod ius , dispensatio principis non valet. Quod si labor & occupatio ipiorum inueniatur plus mereri : princeps ipse potest quidem augere pretium omnibus ; non tamen vni specialem licentiam plus accipiendi concedere : sicut nec concedere potest vt vnus vendat triticum viginti, cùm cæteri quindecim tantùm aureis vẽdere compellantur statuto publico. Quanquam, *addit idem,* si specialis esset labor & occupatio in aliquo negotio, posset Regis dispensatione , atque etiam sine illa, moderatum aliquid supra taxatum stipendium accipi sine obligatione ad restitutionem. Quod tamen quia sic verum est in speculatione, vt in praxi periculosum sit,cupiditate habendi obcæcante mentem aut saltem obnubilante , consultum est in tali acceptione exquirere, & sequi timorati, & boni viri iudicium.

Nu.178. Tertia regula. Omnino restituendum esse illud, quod quis accepit,vt faceret id ad quod tenetur vi præcepti, siue Dei,siue hominis iustè præcipientis. Ita sentientes Petrus à Nauarr. aliquot commemorat *lib.4.cap.2.nu.97.* Probatur verò, quia taliter dans nec debuit,nec voluisset dare , si accipiens facere voluisset quod tenebatur. Quare coactè,rationabilitérque inuitus dedit ad vexationem suam redimẽdam,perinde ac ille qui vsuras propterea soluit, quod non possit mutuum aliter obtinere. Sicut igitur huic tanquam iniquum passo (soluendo nimirum,pretium pro obsequio,quod cùm ei gratis exhiberi debuerit , vendi non debuit) restitutio facienda est omnium iudicio;ita etiam facienda est illi,imò & multo magis;cùm nulla sit ex iustitia obligatio hominis ad mutuandum,sicut est ad exequendum id,quod ei lege iusta præcipitur.

Sed aduerte quod idem Petrus in seq. num. 98. & aliquot sequen. tractat:regulam hanc non procedere, quando quis tenetur quidem aliquid facere ex iustitia,non tamen gratis : sed iusto stipendio recepto:vt v.g. Notarius scripturam petenti ad ius suum persequendum,tenetur tradere;sed accepto iusto salario,& sic de similibus. Illud enim quod talis recepit moderatum secundùm taxationem publicam, vel arbitrium boni & experti viri, potest licitè retinere,vt & licitè accipere , ex communi Doctorum consensu,

consensu,*teste Couar.loco cit.num. 2.* De qua re videri potest Nauarrus in commentario De datis & promissis circa finem à num.50. Procedit ergo proposita regula cùm quis aliquid accipit (in quo violatur æqualitas)pro eo faciendo quod tenetur gratis facere,vt tenetur officiarius qui pro sui muneris executione ex publico capit debitum stipendium.

Porro quando eiusmodi acceptio contingit,restitutionem faciendam esse danti, confirmatur eadem ratione qua confirmata est præcedens secunda regula;nempe quòd sic dans mancat rei datæ dominus, nec illius dominium transferat in accipientẽ. Quod autem ex cap. Quia plerique De immunit.Eccles.illi qui extorquent extra debitum stipendium,iubentur restituere sic extorta,& tantumdem sententia Iudicis pauperibus largiri, non habet eum sensum,vt debeat talis restitutio fieri pauperibus omisso rei domino;sed vt præter eam, ille qui peccatũ concussionis admiserit,debeat in pœnam talis peccati,à Iudice cogi tantum dare pauperibus quantum accepit. Sicut & in cap. Procurationes De censibus. Prælatus qui visitans Ecclesiam sibi subiectam,plures procurationes accipit quàm sint dies quibus in ea moratur,iubetur reddere quod accepit , & in pœnam peccati tantumdem impendere Ecclesiæ quam taliter grauauit.

Nu.179. Infertur autem primò,ex proposita regula ; quòd is qui aliquid accipit pro ferendo testimonio, teneatur illud restituere,prout habent Nauarr. & Couarr. *ille in Ench.cap.17.num.34.& cap.25. num. 45. hic verò, loco citato.*

Infertur secundò,quod Tabellio & alij qui publica officia exercent , si quid receperint pro eo quod gratis præstare tenentur, debeant illud restituere.Quod de Iudice Nauarr. & Couarr. *ille in cit. num.34.& hic in præced. nu.1.* expresserunt.

Infertur tertiò , idem dicendum esse de eo quod recipitur pro restitutione rei inuentæ. Ad quod faciunt:tum multa eorum quæ Medina tradit in Cod. de rebus restituendis quæst. 25.tum maximè , quòd ex iustitia,qua vnicuique redditur quod suum est, inuentor teneatur vero domino restituere inuentum;nec possit quidquam exigere pro actu ipso restitutionis, cùm is sit debitus. Quanquam tamen pro industria,labore, aliisque id genus quæ in inuẽtione susceperit,cùm ad ea nõ teneretur,potest pretium recipere,illúdque retinere.

Infertur quartò,quòd si quis pecuniam ab alio acceperit , ne ipsum iniustè molestet in beneficio , teneatur acceptum restituere.De qua re alias cùm de simonia. Idem dicendum est ex Nauar. in memor. comment. De datis & promissis num.51.de familiaribus Principum,aut Iudicum, qui nolunt mediocri saltem modo facere quod requirit ipsorum officiũ, nisi dona aliqua , ipsis prius fiant ab indigentibus opera ipsorum , pro gratia vel iustitia obtinenda. aut qui gratias à principe factas,vel sententias à Iudice latas expedire nolunt , donec detur eis aliquid vltra iura sibi debita.Idem similiter *ex eodem in sequ. num.53.* dicendum videtur de receptoribus, & thesaurariis Principum,atque aliis , qui susceptа mandata de soluendo vel dando, mentientes se non habere pecuniam,differunt illa exequi , donec detur vel promittatur eis aliquid,vel remittatur ex quantitate accipienda.

Infertur quintò:quòd si quis recipiat aliquid vt concubinam relinquat,vt odium deponat,vt die festo audiat sacrum, vt rempore debito ieiunet, vt sacrilegium non committat,non furetur,non occidat hominem,teneatur restituere. Párque est ratio in quibusuis aliis, quid recipitur pro eo ad quod præstandum absque pretio obligatio est,siue ex lege iustitiæ , siue quauis alia ratione : præsertim cum is qui gratis accipere debet,meritò censeatur inuitus pretium dare.Vnde si quis recuset iudicare gratis alteri,vbi sit res ipsius (cùm possit sine labore aut sumptu periculóve suo) tenetur sic acceptum restituere.

Infertur sextò,quòd etsi Medicus curationem, & Aduocatus patrocinium, & consultus consilium aliquando impendere teneantur de præcepto : non teneantur tamen restituere quod pro talibus acceperint:nisi aliqua de causa , *vt quia publicum habent stipendium* , eadem gratis impendere teneantur. Confirmatur hæc doctrina ex cap. Non sanè,14. quæst.5. pro eáque faciunt tradita à Medina in ante memorata quæst. 25. Et confirmatur,quia talis opera ipsorum laboriosa est & mercede digna.

Infertur septimò, quòd si testis aliquid acceperit pro labore extraordinario,& expensis quas fecit testificando, *vt cùm debuit longum iter ea de causa facere,* non teneatur acceptam compensationem restituere; vt nec tenetur gratis tale incommodum ferre,ex ca. Statutum §. Proferendo De rescriptis in 6. Adde, & pro lucro cessante aut damno insurgente ea de causa, prout expressit Nauarr. *in Enchir.cap.25.nu.45.* quam doctrinam habent etiam Couarr.& Medina : ille in citato num.2.& hic in citata quæst.25.dicto 3.

Nu.180. Infertur octauo,quòd Tabelliones non teneantur restituere mercedem lege, aut cõsuetudine legitima, pro suo munere sibi taxatam,si eam receperint:quod Coua.quoque ibidem notat. Idémque iudicium est, si ipsi aliquid exigant pro eo pro quo pretium non est illis taxatum, nec ipsum gratis facere tenentur. Idem similiter de eo qui aliquid accipit pro assumpto labore in defendendo proximum : etiamsi ad id sub præcepto teneretur,prout ab Adriano & Medina annotatum Couar.approbat in sequenti num. 4.

Denique infertur,idem adhuc esse dicendum,cùm quis recipit aliquod pretium vt faciat quidem id ad quod tenetur,sed longè meliori modo,quàm ipse teneatur. Nam quantum æstimari potest illud plus, quod ipse impendit,& ad quod non tenetur; tantum licitè recipit & retinere potest : per ea quæ tradit Nauarr. in comment.De datis & promissis num. 50. & 51. in initio. Summopere tamen in ea re cauendum est,vt idem author meritò monet , ne insitus amor habendi persuadeat plura , & vtiliori modo præstari, quàm præstentur : cùm sæpe fiat vt aliqui nec tanta,nec tam bene faciant quàm debent.Itaque, vt idem author in eodem numero 51. expressit , Aduocati, Procuratores , & Notarij:vltra sibi constituta stipendia , quæ mediocriter fungentes officio merentur possent aliquid amplius accipere , si longe meliori & vtiliori modo fungantur eodem officio : nempe eundo aliquo,monendo aliqua, instando,rogando , & diligentiùs,ac breuiore tempore quàm ex officio teneantur,negotium expediendo.

Item,*vt idem subiungit,* familiares seruique Principum; & Iudicum,possunt accipere aliquid ab iis qui ad illos accedunt pro iustitia,& gratia obtinendis, si ea quæ sunt officij sui præstent modo longè vtiliore, quàm communiter teneantur:docendo,& monendo partes supplicantes,quid facere,&quomodo se gerere debeãt ad potiendum cõcupitis,quique iustarum,& rogant,aliáque pro breui, & commoda expeditione faciunt , vltrà quàm ipsorum officium requirat. Cauere tamen sibi debent ne plus iusto , aut per cõcussionem extorqueant aliquid : quia tenerentur ad restitutionem:sicut & ne per speciem mali,dent aliis scandalum;quia peccarent contra charitatem:etiamsi contra iustitiam non peccarent,nec ad restitutio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem tenerentur,vt idem quoque Nauar.monet *num. 52.versu Aduertendum tamen* : aut demum ne contra aliquam specialem iuris definitionem faciant in ea re:aliquando enim tales acceptiones speciali constitutione prohibentur ad euitandos abusus.

Nu.181. Dubium autem occurrit hoc loco, An qui aliquid accepit pro eo quod gratis facere tenebatur, sic teneatur ad restitutionem, vt in conscientia compellendus sit restituere priusquam siue in iudicio, siue extra iudicium repetatur quod datum fuerit. Ad quod Petrus à Nauar. *lib.4.de restitut.cap.2.num.98.* respondet affirmatiuè:& rectè : quia tunc non acquiritur rei acceptæ dominium, cùm non fuerit data ex libera voluntate. Attamen si ex circunstantiis,verisimiliter coniiceretur libera omnino voluntate à domino datam esse, posset ipsa retineri donec repetatur. Sed quia præsentes hominum mores,& conditiones rarò sinunt locum esse istiusmodi verosimilitudini,existimandum est vt plurimùm, in tali donatione consensum cum inuoluntario commixtum,nec plenè liberum esse prout requirit donatio.

Nu.182. Circa traditam tertiam regulam, ex qua deducta sunt prædicta, occurrit hoc loco adhuc monendum,eam sic accipiendam esse, vt non procedat quando non in pretium,sed per viam donationis, *de qua sufficienter constet*, datum est aliquid alicui vt alliceretur ad opera aliqua bona facienda, ad quæ tenebatur nihilominus:vel vt desisteret ab aliquo malo patrando. Tunc enim accipientem non teneri tale quid restituere,nec illud ab ipso repeti posse in conscientia probatur:quia tùc talis acceptio nullam cõtinet iniustitiam,nec est illicita,cùm non sit malum, quempiam sic excitatum, id,*saltem minus principaliter*, facere ex lucro,quod alias ex officio & gratis facere tenebatur. Id quod procedit,quantumuis ille qui donat non donaret nisi recipiens egeret tali incitamento:quia non donat inuitus,cùm donare non cogatur aliqua necessitate, metu, vel incommodo suo temporali:sed perlubenter amore Dei motus, aut honestatis:de qua re Petrus à Nauar. in sequenti num.101.

Immo verò idipsum procedit, etiamsi recipiens non agat illud ad quod donans volebat ipsum allicere, siquidem donatio fuerit absoluta;nec aliquo iure peculiari reddita irrita. Vbi obiter aduerte ex Nauar. *in sequen. vers.* rationem donationis non impediri ex eo,quòd fiat respectu alterius causæ, quàm liberalitatis:dumodo ipsa sit gratuita, aut onerosa quidem, sed tantùm minus principalis:vt cum aliquid ex mera liberalitate propterea donatur seruo, quia bene seruiuit, aut bene seruiturus videtur.

An sit, & cui sit facienda restitutio, quando ob turpem causam recipitur aliquid, præsertim perpetrata ipsa turpitudine.

Sectio IV.

Nu.183. SVpereſt vnus generalis modus iniustæ acceptionis,ex qua obligatio ad restitutionem nascitur: eius scilicet qua aliquid ob turpem causam recipitur, grauisque difficultas est non solùm cui talis facienda sit,sed etiam vtrum sit facienda.

Cui prius hac ex parte satisfaciemus, supponendo non esse quæstionem quoad casum in quo id propter quod data est res non perficitur:vt v.g.non fit homicidium, pro quo patrando acceptum est pretium; tunc enim certum est restitutionem faciendam esse danti vt Medina probat in Cod.de reb.restitut. *quæst. 2.dub.2.concl.4.* approbátque Nauarr. *in Enchir. cap. 17.num.30.vers.4.* quia cùm alter non donauerit nisi ob eam causam,eâdem non subsistente, censendus non est rem sic donatam abs se abdicasse. Quare in conscientia ei restituenda est:qui etsi ob turpem causam factus est dignus, qui re sua priuetur:non est tamen ideo illâ eo ipso priuatus. Quæstio igitur est,an post patratam turpitudinem maneat obligatio restituendi acceptum.

Explicatio prioris partis difficultatis.

Nu.184. CIrca quam quæstionem Med.Cod. de rebus restituẽdis quæst.20. versu Est igitur,distinguendum putat inter delicta ob quæ patranda pretium recipitur;quædam enim sunt ex se mala; vt homicidium,fornicatio, &c. quædam verò ex circunstantia siue temporis siue loci:vt contractus venditionis die festo,aut in loco sacro celebratus ; vultque acquisitum per delictum secundi generis retineri posse:quia durum est ad restitutionem cõpellere eum, qui non vltra id quod iustum fuit,suas merces vendidit. Acquisitum verò per delictum prioris generis, siue hoc sit peccatum omissionis siue commissionis, restitui debere:quia peccatum non est quid venale, sed potius nullius valoris; & tanquam quid turpe,non modo negligendum,sed etiam fugiendum. Vnde credit ille meretricem nihil posse in pretium suæ prostitutionis recipere.Quæ opinio quoad hanc posteriorem partem reiicitur tanquam contraria omnium ferè Theologorum opinioni,teste Soto,*lib.4.De iustitia,& iure quæst.7.art.1.ad 2.* ac tanquam innixa falso fundamento. Nam quamuis ea quæ de se mala sunt ratione deformitatis, *siue vt sunt offensa Dei, & peccata*: vsque adeo vilia sunt, vt pretio æstimari nequeant: tamen ratione delectationis, vel vtilitatis temporalis quam habent adiunctam:vel laboris aut periculi, aut detrimẽti,quod subit is,qui talia agit in gratiam alterius : dubium non est, quin inter homines sint æstimabilia pretio,quod possit accipi cessante omnino occasione peccandi ea de causa. Neque refert quòd illis annexa sit malitia ; quoniam illa possunt seorsim ab ea considerari : sicut & eadem in bonis operibus, considerari possunt præcisè & seorsim ab horum sanctitate:vt patet ex eo quod Sacerdos non committat simoniam,si ad dicendum Missam, cum graui aliqua molestia difficilis itineris, aut periculi vitæ, aut verberum, pretium exigat eiusdem molestiæ.

Quoad priorem partem verò eadem Medinæ opinio tenẽda quidẽ est,vt tenet Petrus à Nauarra in *lib. 4. De restit.cap.2.num.125.* Attamen in contrariũ obiici potest:quòd cùm restituendum sit illud,quod quis recipit ad id faciendum quod tenetur, prout in præced.sectione resolutum est:à fortiori restituere oportet illud,quod accipitur,ad id faciendum quod non facere, seu quod omittere quis tenetur. Cui obiectioni satisfit optimè per illud quod attigit Nauar.in Enchir. *cap.17.num.31.* nempe alicui datum vt faciat illud quod tenetur,censeri datum coactè:quãdoquidem non daretur nisi is cui datur timeretur officio defuturus. Datum verò alicui vt maleficium perpetret,dari sine tali timore : vnde tanquam libera voluntate datum retineri potest. Alioqui enim fatendum esset,quòd faber inductus ad fabricandum aliquid iure prohibitum, aut miles conductus ad bellum iniustum, teneretur acceptum stipendium restituere:quod est contra comm[illegible]ominum sensum,quemadmodum Couarr[illegible] regulam Peccatum

catum 2.part.§.2.numero 7.

Nu.185. Aliis opinionibus autem omissis quas idem author ibidem tangit hæc generalis regula videtur tenenda in praxi. Si quid receptum est pro quouis delicto; siue contra iustitiam,siue contra charitatem, aliámue virtutem;non est de præcepto restituendum;nisi forte pro aliquo casu particulari,lex aliqua detur, quæ faciat accipientem inhabilem ad acquirendum dominium rei sic acceptæ.Cui regulæ adstipulãtur præter Nauarrum *in præced.num.30.& 36.* multi alij à Petro à Nauarr.in seq.num.132.commemorati. Probatur verò:quia cùm nulla sit lex humana quæ generaliter reddat inhabiles eos qui pro quouis delicto aliquid recipiunt,standum erit in hac parte iuri naturali:quoquidem iure spectato,cùm dominus pro sua libertate potuerit rei suæ dominium transferre in illum alium,qui vt transferretur deliquit;consequens est,illum ipsum in quem sic translatum fuerit, non teneri ad restitutionem. Quod si in aliquo peculiari casu detur lex quæ inhabilem faciat taliter delinquẽtem:tunc facienda est restitutio : quia ob legis inductam inhabilitationem, dominium non fuit in accipientem translatum.

Nu.186. Aduerte autem primò,quòd promissio,pactio, vel acceptio pretij ob turpem causam,illicita sint ac peccata,antequam turpitudo ipsa perpetretur (quod à Caiet. *2.2.quæst.32.art.7.* traditum commendat Couarr. *in cit.§.2.num.1.*) quia cum ad rem turpem patrandam ordinentur tanquam ad finem,eiusdem malitiam contrahunt,iuxta tradenda ex instituto in sequenti lib.12.de ratione iudicandi de peccatis ex fine. Vnde sequitur, quòd promittens dare pretium ante rem patratam,possit à promisso, & pacto recedere,vt habetur ex lege Generaliter, & ex leg. Si stipulor ff. de verborum obligationibus, & ex cap. In malis 22.quæst.4. consequentérque deducitur,quòd is qui iam receperat aliquid pro re turpi futurâ, teneatur illud restituere:si alter qui dedit, nolit contractui stare,prout debet nolle.

Aduerte secundò,nihilominus post patratam turpitudinem non esse illicitum petere,& accipere pretium antea promissum ac constitutum, vt memorati authores addunt. Et probatur, quia illud,ipsum,*nisi lex inhabilitans sit in contrarium*, debetur ex iustitia:ob initum scilicet contractum locationis operæ, aut saltem innominatum,faciendi vt des : seu dandi vt facias (cùm enim pars vna impleuit contractum, altera quoque implere tenetur lege iustitiæ) nec amplius ordinatur ad peccatum,seu rem turpem : cùm iam ea transierit,defieritque esse. Iura ergo quæ statuunt promissionem & pactum de re turpi esse inualida, intelligenda sunt ante rem turpem patratam, non autem post patratam:maximè quoad forum cõscientiæ,spectato iure naturali, quo pactum seruari debet cum potest sine peccato.

Nu.187. Aduerte tertiò, aliud esse promissionem factam ob rem turpem patrandam,obligare post illam factã; aliud verò validam esse promissionem,quæ post rem turpem patratam, alicui fit eo intuitu, quòd ab ipso patrata sit;itaut istud illo concesso rectè negetur iuxta legem Si plagitij & legẽ Generaliter ff. de verborum obligationibus. Et probatur : quia talis promissio cum mala sit, *vtpote facta intuitu rei turpis*, peccetúrque eam implendo tali intuitu,fit vt diuersa sit ratio;quòd quis postquam res turpis facta est,teneatur implere id quod pro illa antequam fieret promisit; & quòd teneatur implere id quod promisit pro illa, postquam facta est.

Hinc aduerte[illegible]rò, quòd si quis post homicidium v.g. perp[illegible] homicidæ aliquid intuitu talis perpetra[illegible]quam in compensationem promittat,inualidam esse promissionem,nec promittentem teneri illi stare. Sin autem alio intuitu promittat:vt quia multis periculis interfector manet adhuc expositus, aut quia sibi in eo magnũ exhibuit amoris signum:adeout promissio facta non sit intuitu actus peccaminosi, sed alicuius alterius rei coniunctæ, tenendum est promissum:nisi aliunde vitietur.

Obiter denique aduerte ex Petro à Nauarr. *in lib. 4.De restit.cap.2.num.126.& 127.* si quis iurasset se nunquam lucrum seu munus vel stipendium accepturum pro aliquo opere perficiendo ; peccare quidem mortaliter accipiendo cùm fiat periurus, non teneri tamen ad restitutionem, si alter donarit voluntariè : quia cùm non iurauerit restituere vel non retinere, sed tantùm non accipere:neque aliàs ipse retinens incapax sit ex aliqua lege, vel ex iuramento retentionem prohibentibus, non tenetur abs se abdicare rem acceptam. Nu.188.

Explicatio alterius partis propositæ difficultatis.

ALtera propositæ difficultatis pars est, Cuinam facienda sit restitutio, cùm id quod acceptum est ob rem turpem patrandam, restitui debet iuxta antedicta:nempe vel quia res ipsa turpis perpetrata non est : vel quia recipientem lex aliqua reddit inhabilem ad retinendum acceptum : sicut per cap. Veniens. De simonia, Religiosi inhabiles sunt ad retinẽdum illud quod ab aliquo extorserint pro ingressu in ipsorum religionem.

Sunt autem variæ Doctorum sententiæ:alij enim, *de quorum numero est Angelus Restitutio 2.§.4.* volunt esse in potestate recipientis, acceptum restituere, vel pauperibus, vel danti. Id quod videtur carere probabilitate:quia vel de iustitia debet restitutio pauperibus fieri, & tunc iniustè fiet danti : vel debet fieri ipsi danti,& tunc iniustè fiet pauperibus absque consensu saltem tacito illius. Alij verò, *de quibus est Caiet.in verbo Restitut. cap.quarto*, volunt restitutionem faciendam esse illi, in cuius iniuriam patratum est delictum. Quod nec videtur rationi consentaneum: quia res non est iure naturali debita alicui eo ipso, quòd in iniuriam ipsius data sit : quia solùm debetur ei reparatio damni illati. Panormitanus autem ad cap. Quia plerique De immunit.Eccles.num. 34. & Palud.in 4.&Medina Cod.De reb.restitut.*ille distinct. 15.quæst.3.art.3.concl.3.& hic quæst.2.§. De eo quod secundo loco*,sensérunt talem restitutionem esse faciendam pauperibus Quod nec admodum probabile esse videtur : cùm declarari nequeat quis pauperibus tribuat ius in aliquid taliter acceptum ; & iuxta receptam sententiam, nunquàm de iustitia pauperibus quidquam debeatur,nisi ipsum vel à lege aut iusta sententiâ, vel certè domini expressa voluntate sit eis applicatum,quorum neutrum contingit in casu proposito. Nu.189.

Itaque post Sotum lib.4.De iust.& iur.quæst.7.art. 1.ad 2.cum Petro à Nauarra in citato cap.2.num.146. restitutionem esse faciendam danti, dicere magis placet:quia cùm is, vt supponimus,nullibi sit factus inhabilis ad resumendam rem suam, cuius dominiũ non abdicauit à se, nisi vt in recipientem transferret:consequens sanè est,illi faciendam esse restitutionem, quamdiu per iustam Iudicis sententiam aliud non definitur. Si obiicias ipsum ob turpitudinem commissam indignum esse cui fiat restitutio. Respondetur, id solùm conuincere, quòd rationi Nu.190.

consen

Universidad de Deusto
Biblioteca

consentaneum sit, vt per sententiam iudicis definiatur, debeatne ipsi restitutio fieri: non autem quod ante talem sententiam alteri quàm ipsi, illa fieri possit. Neque aduersatur D. Thomas 2.2. quæst. 62. art. 5. ad 2. quia solùm voluit taliter dantem mereri amittere id quod dedit, illúdque conuertendum esse in pios vsus.

Si rursus obiicias. Quandoquidem causa propter quam datum est, secuta est (sic enim iam loquimur) eum qui dedit omnino amisisse dominium: quia tantum fecit quantum ex se requisitum erat ad illud amittendum; & proinde nullam esse rationem cur ei fiat restitutio. Respondetur, quòd etsi ex parte dantis tantum sit factum, quantum sat erat ad perdendum rei suæ dominium: attamen quia non est alia intentione factum, quàm vt datum transiret in potestatem accipientis: qui cum ex lege, *vt supponimus*, incapax fuerit acquirendi talis dominij, effectus transferendi ipsum, non est secutus. Vnde apud dantem perinde remansit idipsum dominium, ac si is nihil omninò fecisset. Neque obstare quòd in foro ciuili non concedatur ei actio ad recuperandum taliter datū, ostendunt tradita à Couar. ad Regulam Peccatum par. 2. §. 2. num. 6.

Aduerte autem quoties aliquid pro delicto patrando acceptum est, si delictum tale sit, quod à Republica punitioni subiiciatur: quantumcumque nulla sit lex quæ accipientem reddat inhabilem, acceptum posse repeti in iudicio: non quidē à dante: quia in pari causa turpitudinis melior est conditio possidentis; vt habetur lege penult. ff. De condictione ob turpem causam; sed à fisco cui adiudicabitur in pœnam turpitudinis eius qui accepit; iuxta legem Lucius Titius ff. De iure fisci.

Ex his ita generaliter resolutis multa in particulari deduci possunt, sed contenti erimus illud attingere quod communiter in hac materia Doctores solent in exemplum sumere, de pretio quod meretrix pro sua prostitutione accipit. Cætera enim vel magnam difficultatem non habent, vel si habeant, erunt propriis locis postea tractanda.

De eo quod meretrix accipit pro sua prostitutione.

Nu. 191. EX antedictis ergo deducitur publicam meretricem, id quod in pretium moderatum suæ prostitutionis ei datum est, posse licitè retinere, nec teneri restituere (quod sentientes magno numero Thomas Sanchez refert de matrimonio lib. 4. disput. 11.) quia nulla lege redditur inhabilis ad acquirendum dominium rei sibi datæ; immo si quid ei fuit antea promissum, actio ipsi datur ad illud petendum in foro exteriori, cogiturque fornicator reddere pretium prostitutionis: immo verò etiamsi nulla promissio præcesserit, vt habet Petrus à Nauar. *lib. 4. De restitut. cap. 2. num.* 113. Consequenter inquirens, quonam titulo possit illud à meretrice accipi vel retineri: quod omittimus, quia non ita conducit ad praxim, vt necesse sit nos in eo immorari. Addendum est ergo potius, quòd si meretrix postquam sui copiam fecit, pretium recipiat, non censeri in tali receptione turpiter facere: quia tunc receptio ipsa, quantum est de se, caret omnino culpâ. Sin autem aliquid ante patratum delictum, recipiat intuitu eiusdem patrandi, acceptionem peccaminosam esse quidem, & ad eamdem fornicationis speciem malitiámque reduci, ad quam idipsum delictum: eam tamen, quia toleratur in foro exteriori, non turpem censeri eo nomine, quòd accipiens non puniatur restitutione eius, quod taliter accepit. Sicque intelligendus est textus in lege quarta §. Sed quod & meretrici ff. De condictione ob turpem causam: cùm dicitur meretricem turpiter facere quòd sit meretrix: sed non turpiter accipere, cùm sit meretrix.

Nu. 192. Hæc autem non solùm in publica meretrice, sed etiam, ac multo magis in fornicaria occulta locum habent; itavt sit etiam tenendū (quidquid aliqui contradixerint quorum meminit Petrus à Nauar. in seq. num. 120.) quòd cùm maioris valoris sit copia quam talis facit sui, quàm copia quam facit publica meretrix; & nullibi sit in iure definitum, fœminam hoc casu, inhabilem reddi ad acquisitionem dominij rei sibi ea de causa datæ in pretium moderatum; aut, *si fœmina sit celebris, aut non exposita in eo misero officio*, tantum, quantum ipsa æstimare velit; & cum altero, *seclusa fraude*, conuentum fuerit: non est quòd ad restitutionem teneri dicatur: vt probat Petrus ipse à Nauar. *in eodem cap. 2. num.* 118. & 119. quia seclusa fraude & necessitate ad vitam, res tantum valet, quantum venditor æstimat, & sine coactione emptor consentit pro ea dare. Atque *ex hypothesi*, talis mulier tāti æstimat vsum sui corporis, quanti vult illum vendere fornicatori, cui liberum relinquit emere, aut non emere, tanquam ad vitam minimè necessarium. Immo si quid ei promissum fuit, subsecuta turpitudine; promittens tenetur etiam in foro conscientiæ illud ei dare. Quod idem est dicendum de pretio à virgine vt sui copiam faceret, accepto aut ei promisso; & de eo quod coniugata accipit, aut ei promittitur, prout nobiles authores tanquam certam & communem sententiam tenent quos memoratus author refert in seq. num. 121. Et certè in iis omnibus eadem ratio militat.

Nu. 193. Vtrùm autem coniugata teneatur reddere tale pretium marito, & filiafamilias patri; Sotus resoluit in lib. 4. De iust. & iure *quæst. 7. art. 1. ad secundum vers. Virum autem maritata*: perinde eas teneri illud eis reddere, ac si aliter laborando acquisiuissent; est tamen occultè reddendum vt propriæ famæ consulatur, & alia mala vitentur.

Cæterùm si fornicariæ quid acceperint ab iis qui non habent potestatē alienandi, vt Religiosi, qui nihil proprij habent; filiifamilias, minores, serui, & vxores in casu in quo non possunt alienare, tenentur eis restituere: vt plenius docet idem Petrus à Nauar. *consequenter num. 122. & 123.* nam si tale quid licito contractu daretur ab eiusmodi persona non valente donare, retineri non posset: multominus ergo poterit si ab eadem persona accipiatur ob turpem actum.

Idem quoque dicendum est, si fraude, aut dolo aliquid superflui extorserint, ab eo etiam qui potestatem alienandi habebat; quia non aderit libertas voluntatis ad donationem requisita. Quod autem blanditiis extorquetur, cùm sponte ac voluntariè datum censeatur; perinde ac cùm quis sciens & volens rem suam prodigit (vt contra Medinam & Caietan. vrget Petrus à Nauar. *in seq. num.* 124.) non tenebuntur restituere: quod etiam Sotus docet loco cit. versu Sed si falso.

CAPVT XIV.

De restitutione bonorum incertorum an sit, & cui sit facienda.

SVMMARIVM.

194 *Bona quorum ignoratur dominus, quæ licitè sine illicitè accepta, quando non possint alij quàm eidem domino restitui.*

195 *Restituta pauperibus cùm facta diligenti inquisitione, inuenire non potuit verus dominus, non sunt denuo huic restituenda, si compareat.*

196 *Restitutio illicitè acceptorum, cùm non potest fieri vero domino, facienda est pauperibus: idque non naturalis sed positiuo iure.*

197 *Qui in hac re intelligantur nomine pauperum.*

198 *Pauperiores & meliores non sunt necessario aliis præferendi, sed tantùm egentiores.*

199 *Si reuera pauper est is qui tenetur ad restitutionem, potest sibi tantum retinere quantum exigit ipsius egestas, idque interdum propria authoritate.*

200 *Casus in quibus potest Episcopus vsurpare sibi munus distribuendi bona quorum ignoratur verus dominus.*

201 *Conditiones requisitæ, vt licita sit compositio, quæ super iisdem bonis fit authoritate Papæ.*

202 *Sibi retinens eadem bona ad subueniendum suæ necessitati, non liberatur ab obligatione restituendi ea.*

203 *Cui facienda sit restitutio cùm scitur rem deberi vni ex pluribus, sed cui eorum, sciri non potest.*

204 *Quòd non possit fieri pauperibus.*

205 *Cui facienda sit restitutio damni illati toti communitati, aut minutatim pluribus illati.*

206 *Bona quæ nullius vnquam fuerunt, restituenda non sunt, nisi consuetudo alicubi sit in contrarium.*

207 *Idem iudicium est de bonis quæ constat quidem fuisse alicuius, sed cuius, nulla potest esse memoria, vt de thesauro.*

208 *Idem quoque iudicium est de bonis quæ à domino habentur pro derelictis.*

209 *De quorum numero non sunt occasione tempestatis abiecta in mare, nec delata vi fluminis.*

210 *Sententia existimantium inuenta retineri posse, si post factam inquisitionem diligentem non inueniatur verus dominus.*

211 *Probabilius est danda esse pauperibus.*

212 *Quod dicitur de inuentis, pari ratione dicendum est de debitis ex licito contractu: quæ nequeunt restitui creditoribus.*

NOMINE bonorum incertorum generaliter hìc intelliguntur ea, quæ nullum habent particularem dominum: vel si habeant, ignoratur quis ille sit. Eorúmque alia sunt illicitè accepta; per rapinā scilicet, vsuram, vel alium similem modum: alia non item, vt inuenta & commodatò aut in pignus vel depositum accepta quorum dominus non comparet. Ac rursus illicitè acceptorum nonnumquam vnus est creditor, cui debent restitui, sed quis sit ignoratur; nonnumquam verò sunt plures, qui in genere quidem cognoscuntur, sed in particulari ignorantur: *vt contingit in iniusto bello*; vel cùm quis plures defraudauit per venditionem, vel vsuras, sciens defraudatos de hac vel de illa ciuitate esse, sed nesciés in singulari quinam illi sint. Vnde tripartitam propositæ difficultatis explicationem esse oportet: agendo primùm de restitutione incertorum illicitè acceptorum, cùm creditor vnus est, isque omninò ignotus: secundò, de restitutione incertorum illicitè acceptorum, cùm plures sunt creditores, qui ignorantur in particulari; tertiò, de restit. inuentorum, & cæterorum licitè acceptorum, cùm d mini ignorantur.

Nu. 194. Sed priùs quædam notanda sunt. Primum est, *in quo omnes consentire meminit Petrus à Nauar. lib. 4. De restit. cap. 2. num.* 38. quòd si dominus rei acceptæ viuit, nec ad eum (quia nimis longè distat) commodè mitti potest: tunc debitorem non excusari omnino à solutione debiti: neque hoc pauperibus erogandum esse, sed reponendum in aliquo loco tuto, vt eidem domino conseruetur: qui de tota re monendus est.

Secundum est: debitorem incertorum, ab eorum solutione non liberari ex eo, quòd dominum mortuum esse compererit: quoniam adhuc facienda est hæredibus qui personam ipsius representant.

Tertium est: non esse alienanda incerta, etiam dando ea pauperibus, quamdiu spes est probabilis vero domino restitui posse: quod glosa tradit ad cap. Cùm tu, De vsuris, verbo Non superstitibus: confirmátque ex cap. Sicut dignum §. Eos De homicidio & ex cap. Eam te De iureiurando.

Quartum est, *quod traditum à Caiet. 2. 2. quæst. 62. art. 5. ad 3. Petrus à Nauar. in sequen. num.* 39. *approbat*: non posse alteri, quàm vero domino restitutionem bonorum incertorum fieri, nisi is sit omnino ignotus: vt esse non antè censeri debet, quàm de eo facta sit inquisitio diligens; seu qualis homo diligens faceret secundùm prudentis arbitrium, pensata quantitate, & qualitate valoris bonorum. Nimirum inuestigando accuratè vbi, quando, per quos, & à quibus dominum, aut hæredem eius, ratio dictat cognosci posse. Vnde vt iidem authores inquiunt: si quis ante talem inquisitionem factam (nisi in aliquo casu prudens meritò iudicauerit diligentiam fore inutilem) bona ipsa incerta distraheret, etiam largiendo ea pauperibus; inuento postea domino, teneretur illa ei restituere: sibique ipsi deberet imputare quod imprudenter alienum distraxisset. Idem iudicandum est de eo qui nullis vero similibus coniecturis ductus, rem ipsam alienam tradiderit fingenti se esse verum illius dominum. Nam & is tenetur adhibitā diligentiā inquirere verum dominum & inuento restituere suum, si recuperari possit: aut illius iustum pretium, si non possit. Non inuento autem, restitutionem panperibus facere nomine ipsius: in totum quidem si certò constet illum alterum non fuisse verum dominum: in partem verò pro quantitate dubij, si facta in inquirendo diligentia, de veritate certò constare non potuit. De qua re Molina in tract. 2. De iustit. & iure disput. 744. num. 4.

Aduerte verò ex eodem Caietano illos qui damnum intulerunt, non excusari in hac re, ob difficultatem inquirendi, aut faciendi alia requisita: quoniam ipsi suâ culpâ talibus difficultatibus exposuerunt se, inferendo iniustè damnum aliis. Vbi aduerte item ex Soto in lib. 4. De iust. & iure *quæst. 7. art. 1. ad 3.* si bona incerta iniustè accepta sint, accipientem teneri propriis sumptibus facere supradictam inquisitionem.

Nu. 195. Aduerte porro ex Sylu. Restitutio 8. quæst 4. debitorem qui facta diligenti inquisitione creditoris, pauperibus iuxta iuris dispositionem elargitus est bona incerta, non teneri ad eorum restitutionem si creditor postea compareat: quia bona fides qua talia bona ab se abdicauit, excusat ipsum à tali restitutione, sicut etiam excusat pauperem qui illa in eleemosynam accepta consumpserit: imò vt probabile videtur (tenétque Henriquez in lib. De Indulgentiis cap. 34. num. 8.) & qui illa adhuc habeat: quandoquidem per donationē legitimam, *eleemosynam scilicet in ipsius domini bonum rationabiliter factam*, acquisiuit illorum dominium: prout ad eleemosynæ meritum requiritur. Qua ratione Sotus *ibid. versus finem*, ait: quando authoritate Prælati, aliqua eleemosyna ex bonis incertis applicatur alicui tanquam pauperi, is ad pinguiorem fortunam veniens non tenetur restituere illud quod ei applicatum fuerit: quia per eam applicationem factus est dominus illius. Quanquam contingere

Universidad de Deusto
Biblioteca

tingere potest,vt applicatio fiat cum conditione, vt si dominus rei compareat,ea illi restituatur:tuncque dubium non est quin extans adhuc , restitui debeat.

De restitutione incertorum illicitè acceptorum cùm creditor vnus est,& omnino ignotus.

Sectio I.

*Nu.*196. VT autem his ita prænotatis primam partem propositæ difficultatis explicare aggrediamur, Doctores omnes fatentur(vt Petrus à Nauar.aliquos eorum commemorans inquit *in lib. 4. De restit. cap. 2. num.* 40.) pauperibus faciendam esse restitutionem incertorum bonorum, cùm persona particularis cui debentur cognosci non potest. Quod probatur per cap. Cùm tu De vsuris : vbi Alexander 3. præcipit vsuras restitui iis à quibus sunt extortæ,vel ipsorum hæredibus , vel his non extantibus erogari pauperibus.Quódque de vsuris expressè dicit extendendum est ad omnia iniustè accepta , sicut extenditur ratio illius textus : quæ est(ex D. Augustino)non dimitti peccatum nisi restituatur ablatum.Ad quam accedit, quòd cùm nemo ex iniuriis,& peccatis ditescere debeat,oporteat debitorem eo quo potest modo, restituere creditori. Quando autem hic ignotus est, ille nequit aliter restituere, quàm conuertêdo debitum in vtilitatem ipsius,siue viui siue defuncti,per largitionem pauperibus factam pro anima ipsius.

Ex qua ratione aliqui inferre voluerunt eiusmodi restitutionem esse necessariò faciendam, iure tam naturali quàm positiuo.

Verum melius idem author sentit *in sequen.nu.*44. faciendam esse tantùm ex dispositione iuris positiui:seu ex speciali præcepto Principis:qui cùm sit caput populi , ad ipsum spectat talia bona incerta meliori modo,quo fieri potest distribuere.

Etenim si de iure naturali obligatio esset pauperibus pro anima domini illa erogare: Summus Pontifex nequiret , *quod est contra morem in Ecclesia seruatum*,aliquid de illis debitori remittere,componendo vt is certâ eleemosynâ datâ ad pias causas , liber sit ab onere restituendi. Non posset inquam; quia tota quantitas deberet pro creditoris salute expendi,cùm tota sit illius , nec quidquam authoritate Pontificis aliis attribui. Accedit etiam quod fieri possit,vt creditor mortuus sit in peccato mortali:quo casu consentaneum non est dicere , naturalem rationem dictare:seu *quod idem est*,ius naturæ præscribere:vt quę illi debentur , pauperibus dentur pro anima ipsius, cui nihil possunt prodesse.Itaque talia bona retinentes iniuste agunt:non quidem faciendo iniuriam domino,sed Reipublicæ & pauperibus, quibus ea erogare tenentur ex legis positiuæ dispositione.

*Nu.*197. Porro nomine pauperum in hac re , quodlibet pium opus comprehendi, omnes fatentur , *vt memoratus author notat in prius citato num.* 40. Quod sic intelligendum est iuxta eumdem in seq.num.45.vt debitor non teneatur debitum alicui certo pauperi,vel operi pio applicare;tanquam habenti ius ad illud:sed satisfaciat,illud cuicumque pauperi vel operi pio attribuendo ; quia lex dat ius ad tale bonum, pauperibus generaliter,non item aliquibus particulariter;vt v.g. iis qui sunt de parochia vel ciuitate creditoris. Quibus restituere magis quidem consonum videtur præsumptæ voluntati eiusdem creditoris : tamen ad satisfaciendum obligationi restituendi, sufficere potest,si distribuantur pauperibus alterius loci;ex Sylu. *in verbo Restitut.*8. *quæst.*3. Addit Petrus à Nauarr. in num.50.(quod etiam Nauar.*in Enchir.cap.*17.*num.*93. attigit) in numero pauperum de quibus hic agitur, censendos esse non solùm eos , qui tam pauperes sunt vt cogantur mendicare ab aliis : sed etiam eos qui egestate premuntur notabili , attenta conditione ipsorum, vt multi artifices , & personæ etiam altioris conditionis , quæ ægrè admodum vitam sustentant,tantóque miserabiliores sunt,& dignæ quibus per eleemosynam subueniatur , quanto ipsarum miseria est minus nota.

*Nu.*198. Aduerte autem,quod iidem authores docent,Nauar.quidem in eod. num.93. & Petr.à Nauar.in sequ. num.59.non esse necessarium, siue ad peccatum vitandum,siue ad restituendi obligationem tollendam in hac re;vt in erogatione bonorum incertorum eligantur pauperiores,& meliores:sed satis esse,vt verè pauperes eligantur : quia bona ipsa incerta, pauperibus debentur tantùm ex dispositione iuris positiui, prout antè notatum est.Iure autem positiuo non decernitur ea esse pauperioribus conferenda, sed pauperibus. Quanquam vt addit Petrus à Nauar. *consequenter nu.* 60. si ex vna parte esset indigens communiter,ex alia verò grauiter indigens , & ex alia indigens extremè : huic conferenda essent, prætermissis duobus prioribus;itémque grauiter indigenti, communiter indigente prætermisso : cùm illi , etiam de nostro, subuenire positum sit in præcepto, non item subuenire huic : iuxta communem doctrinâ de eleemosyna facienda,traditam à nobis in præced. lib. 4. num.253. & 257. Itaque posse cuiuis pauperi etiam non adeo indigenti erogari bona incerta,intelligendum est seclusa extrema & graui necessitate.

*Nu.*199. Quod si is qui tenetur restituere , sit reuera pauper , neque per auaritiam fingat paupertatem (nisi fortè debitum tanti valoris esset, vt secùdùm rectam rationem , tacitámque creditoris voluntatem pluribus communicari deberet)totum sibi aut partem potest retinere pro ratione suæ necessitatis. Nam vt Caiet.2. 2.*quæst.*62.*art.*5.*ad* 3.rectè argumentatur : ex eo quod ipse oneretur debito, non efficitur deterioris conditionis quàm cæteri pauperes. Nec etiam eoquod fuerit in culpa , cessat in eo ratio paupertatis , quæ causa sit sufficiens cur applicatio ei fieri possit.

An autem ad id illi necessaria sit authoritas Episcopi,vel Parochi, vel saltem Confessarij prudentis, dubium est:quod Petrus à Nauar.bene tractat lib. 4. De restit.*cap.*2.*num.*50.*& aliquot sequentibus*: concedés non esse necessariam , quando ipse certus est se verè pauperem esse ; necessariam verò esse quando ipsius indigentia non est adeo certa : ne scilicet iniquitas mentiatur sibi; néve amor sui,aut pecuniarum mentem obnubilet,decepti óque contingat.

Cæterùm quamuis sententia communis (vt meminerunt Medina & Nauar.*ille in Cod. De reb. restitut. quæst.*3.*causa* 10.§.*Esto igitur:hic verò in Enchir. cap.* 17. *num.*92.) vniuersè habeat, in distributione bonorum incertorum facienda pauperibus,non esse opus consilio Episcopi aut alterius , quando ille qui ad eam tenetur potest per seipsum legitimè eam facere: non est tamen reiiciendum,sed sequendum in praxi consilium Soti *in* 4.*De iust. & iure quæst.*7. *art.*1. *ad* 3. vt exquiratur iudicium Confessarij : immo aliquando etiam Episcopi : vt quando res debita , ingentis pretij fuerit, ne facilè capiat quis licentiam fingendi sibi vel consanguineis suis paupertatem pro ratione sui status;sicque pauperes suo iure fraudentur.

*Nu.*200. Rursus concedendum est , quòd possit Episcopus in aliquibus casibus , speciali ratione vsurpare sibi munus distribuendi dicta bona. Primus est,quando ille qui debebat distribuere,mortuus est,nec reliquit hæredem , aut executorem qui ea distribueret. Secundus est, quando ille cui incumbit distributio suspectus esset,id est, verosimiliter crederetur non erogaturus paupèribus. Quo pacto in cap. Cùm sit De Iudæis præcipitur vt malè parta per Iudæum,ex officio quod gesserit inter Christianos, diuidantur arbitrio Diœcesani. Idémque esset dicendum de vsurario , de quo meritò crederetur quòd malè parta non restitueret. Ei enim & cuicumque alteri qui nollet restituere, Episcopus potest præcipere vt sibi ad restituendum tradat quæ debet ; vel ea reddat scientes, vel videntè ipsomet Episcopo ; aut alia persona ab ipso deputata.

Præterea si Episcopus intelligeret aliqua indebitè distribui, posset cogere vt debitè distribuerentur: etiam illa per seipsum distribuendo si opus esset. Ita docent Sylu.in verbo Restitutio octauo,& Nauar.in Enchir.ille quæst.5.& hic in cit.num.92. Præmittens quòd licet Episcopus nequeat aliter quàm dictum est , prohibere quominus is qui bona incerta possidet, illorum distributionem per seipsum pauperibus faciat;posse tamen sibi reseruare absolutionem peccati mortalis,quod talis commisit,vel in accipiendis dictis bonis , vel in differenda præfata restitutione: posse item præcipere Confessariis non exemptis , ab ipsius iurisdictione , vt de talibus bonis nihil disponant , sed dispositionem ad se remittant , vt melius fiat,& euitentur abusus & scandala, quæ solent accidere dum per imperitiam aliqua indebitè consulunt; aut per cupiditatem,iubent talia sibimet dari.

*Nu.*201. Ad hæc circa supradicta duo aduertere oportet Alterum est de compositione(qua Summi Pontificis authoritate debitor incertorum , tributâ certâ eleemosynâ ad causas pias , liber fit ab onere illa restituendi)duas ex Nauar.in sequen. num. 93. conditiones requirere,vt non restituens sit tutus in conscientia. Prior est , vt eadem compositio sit de bonis verè incertis,seu quorũ verus dominus ita ignotus est,vt diligentiâ in inquirêdo accuratè positâ,inueniri non potuerit.Posterior est,vt non sit indiscreta,sicut esse censeretur remittendo viginti millia pro tribus,aut quatuor millibus:quarũ prior iam nota est ex antedictis.Posteriorem autem Sotus loco cit.rectè probat; quiaSummus Pontifex tanquam pater pauperũ,facit talem compositionem in bonum ipsorum hoc nomine,quòd remedium ad egestatem ipsorum leuandam institutũ,quod differretur diutiùs,præsertim eis citiùs. At verò quando modicum tantum illis daretur , maiore parte debitori condonata , non fieret compositio in ipsorum bonum. Addit autem vterque memoratus author, eos qui tales compositiones procurant esse in peccato mortali donec eas adepti fuerint,si cùm possint, non dét talia bona pauperib. Immo *addit Nauar.* etiam postquam eas adepti fuerint , si voluntatem retineant non restituendi talia debita,quantumcumque non essent condonata.

Porro non esse illicitam talem compositionem rectè ostendit Med.in Cod.De reb.restit. *quæst.*3.*causa* 11. satisque patet ex eo, quòd pauperes non habeant aliud ius ad ea de quibus agimus bona , quàm quod eis tributum est iure canonico , in quo Papa dispensare potest (& ita obligationem ea illis restituendi tollere consequenter) neque tale ius tantum sit , quantum est illud Episcoporum & Curatorum ad decimas percipiendas:quod tamen Summus Pontifex aliquando sæcularibus applicauit.Qui plura de eadem compositione volet scire legat Ludouicum Molinam De iust. & iure tract. 2. disput. 748. Nam

*Nu.*202. prædicta possunt ad nostrum institutum sufficere.

Alterum quod aduertere oportet est de debitore incertorum,qui sibimet tãquam pauperi ea attribuit; si indigens sit tantùm ad tempus,non posse talia sibi retinere,nec à restitutione liberari : sed solummodo posse restitutionem differre , vt pro instante necessitate remedium sibi quærat. Ratio est:quia talis non potest verè dici pauper , cùm non sit simpliciter in necessitate : vtpote qui est in proxima spe habendi, etiamsi tempore præsenti egeat.

De restitutione incertorum, cùm plures sunt creditores , in particulari ignoti.

Sectio II.

DE hac bene disserit Petrus à Nauarr.*lib. 4. De restitut.cap.*2. *dubit.* 8. cuius doctrina ad has propositiones reducitur.

Prima.Cùm debitum scitur esse vnius ex duob.vel *Nu.*203. tribus , sed sciri non potest quis ex illis sit verus dominus;tunc vel rem inter ipsos diuidendam esse, vel si non potest diuidi, sorte aut alia ratione alicui applicandam esse; ita tamen vt nihil fiat nisi de ipsorum communi consensu & voluntate. Hæc est Soti lib.4.De iust.& iure quæst.7.art.primo ad 3.& Caiet. 2.2.quæst.62.art.5.ad 3. ac Iosephi Angles in quæst. 2.de restitut.art.1.difficult.4.Et probatur quia in tali casu id agendum est,quo debitor liberatur ab obligatione restituendi. At liberatur , si id faciat quod dicta propositio præscribit. Non enim obligabitur amplius ratione rei acceptæ, cum in nullo ditior factus maneat.Nec ratione iniustæ acceptionis , cùm iam restituerit , modo quam potuit optimo : nempe facta prius diligente veri domini inquisitione,& seruata voluntate eorum qui ad rem debitam ius aliquod habere videbantur. Vt quando caupo meminit se fraudem fecisse quibusdam suis hospitibus , & inquirendo reperit factam alicui eorum trium qui apud ipsum certo quodam die hospitati sunt ; déque ipsorum voluntate debitum vel inter ipsos diuidit, vel alicui applicat. Vbi obiter aduerte, quod docet Molina De iust.& iure tract.2.disput.745.nu.2. transactionem de communi consensu factam in proposito casu,habere rationem venditionis , in qua quisque transigentium , pro iure dubio quod in illa re prætendit, sic contentus est eo, quod illi obtigerit modo inter ipsos conuento, vt nec se aliis , nec alios sibi velit obligatos ad illius restitutionem , sed illud absolutè facere suum. Vnde fit,vt si comperiatur postea ad quem illorum ea res attinuerit , cæteri non teneantur ei reddere quod ipsis obtigit : ne quidem is cui contigit vt totam eam rem forte obineret.

Secunda propositio. Cùm aliquo modo noti sunt *Nu.*204. damnum passi,restitutionem eius quod illis debetur, non nisi de illorum volũtate fieri posse pauperibus. Ratio est,quia in tali casu ab ipsis in paupères rei debitæ dominium translatum non est , neque iure naturæ,neque iure positiuo.Vnde infertur quod habet Caiet.loco cit. cùm restitui debet acceptum in bello iniusto,si aliquo modo noti sunt damnum passi:vt quando cognoscuntur esse de certo aliquo pago,aut vrbe,illud non posse dari pauperibus , vel applicari ad ædificanda monasteria,aut hospitalia , nisi iidem passi damnum ita velint.

Tertia propositio.Id quod per iniuriam toti communitati simul factam , acquisitum est , aut destructum; vt in deuastatione iniusta ciuitatis ; ita restituendum esse,vt vel in homines talis ciuitatis distribuatur,vel in communes eiusdem ciuitatis vsus ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pendatur secundùm arbitrium Episcopi, & aliorum qui ipsius ciuitatis curam gerunt. Hanc Iosephus Angles habet loco cit. ex D. Thom. in 4. distinct. 15. quæst 1. art. 5. quæstiunc. vltima, ad 3. eámque se approbare Sotus loco cit. indicat. Pro qua facit quòd verosimile sit maiori saltem parti damnificatorum placere, compensationem damni accepti, fieri per eiusmodi distributionem, vel expensionem in communes vsus.

Quarta propositio. Id quod per iniuriam singularibus ciuibus factam minutatim, acquisitum est, vt per minutas venditiones olei, vini, tritici, aut similium, restituendum esse ipsis singularibus ciuibus, nō autem pauperibus, si quis modus sit quo, ad ipsos vel ad maiorem ipsorum partem debitum peruenturum esse verosimiliter existimetur. Ratio est: quia tunc dominus in rem restituendam ius suum retinet, nec in pauperes, *cum ille non sit omnino ignotus*, translatum est. Cæterùm talis modus potest esse: quòd si coniectura sit, ementes qui defraudati sunt, aut hæredes ipsorum plus minus perseuerare veniendo ad emendum; defraudator tantumdem adiungat in pōdere aut mensura vel diminuat in pretio, quousque æqualitatem in repub. quantùm fieri potest constituat: tantumdem refundendo iis qui post veniunt ad emendum, quantum abstulit ab iis qui ante veniebant: quoniam præsumi potest multos ea ratione esse recompensandos.

Consentaneum est tamen vt reseruet suas portiones iis quos recordatur emisse, nec videt accedere ad denuo emendum. Item vt aliquid de tota summa quam tenetur restituere, seponat illudque distribuat pauperibus pro animabus eorum quos defraudauit, & ignorat quinam illi sint, quando fuerit moraliter credibile, nec ipsos nec ipsorum hæredes, ad denuo emendum accessuros.

De restitutione inuentorum & aliorum licitè acceptorum cùm dominus ipsorum omnino ignoratur.

SECTIO III.

Nu.206. DE inuentis dicendum est primò: quòd si agamus de illis bonis inuentis quæ in nullius potestate vnquam fuerunt, inueniens non teneatur ea restituere: cùm enim effecta sint primò accipiētis, sunt ipsius. Ita D. Tho. 2.2. quæst. 66. art. 5. ad 2. & ibid. Caiet. Abulens. ad cap. 6. D. Matthæi. quæst. 42. Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 170. Sotus lib. 5. de iust. & iure quæst. 3. art. 3. ad 2. Sylu. in verbo Inuenta in principio. Huius generis bona sunt lapilli in litore maris inuenti ex §. Item lapilli Instit. De rerum diuisione: aues quoque & bestiæ feræ, ex §. feræ ibidem.

Nu.207. Dicendum est secundò: quòd si agamus de bonis inuentis quæ aliquando fuerunt in alicuius potestate: sed ob temporis diuturnitatem, quâ possessoris nulla extat memoria, desierint habere dominium: quale bonum esse thesaurus censetur: vt patet ex §. Thesaurus lege Nunquam ff. De acquiren. rerum dominio. Dicendum inquam est, iure quidem naturæ talia bona esse inuentoris, tanquam primò occupantis ea, quæ nullum habent dominum: iure tamen ciuili aliud constitutum esse: Principe illa quę communia sunt, siue ex toto siue ex parte sibi vel alteri pro sua potestate applicāte, prout viderit reipublicæ expedire. Enimuero cùm thesauri temporibus his, ita rarò inueniantur, vt magis curiosum sit, quàm necessarium in ea tractatione immorari, illam omittemus. quæ, *si forte opus fuerit*, videri poterit apud Nauarr. in Enchir. cap. 17. numero 172. & aliquot sequen. & Couarr. ad reg. Peccatum par. 3. §. 2. atque Summularios in verbo Inuenta.

Dicendum tertiò: quod si agamus de bonis quæ *Nu.208.* à dominis habentur pro derelictis, ea vt iure gentium, ita & ciuili Romanorum esse primò occupantium, vt patet ex §. Qua ratione, Instit. De rerum diuisione. Vnde qui accipit ea, non est restitutioni obnoxius. Pro derelicto verò habetur, vt in eodem §. additur, id quod dominus ea mente abiecerit, vt in numero rerum suarum esse nolit. Quando verò non constat rem aliquam esse derelictam; coniecturis agendum est: vt si domino facile sit eam recuperare, & is tacet, negligítque eam quærere, signum est probabile, quòd eam derelinquat ac contemnat. Item si quis librum apertum tempore tempestatis in mare proiiciat, signum est quod habeat pro derelicto; secus si clausum proiiciat, ex Nauarr. in præced. num. 170. Aduerte tamen, quòd si librum apertum quis proiiciat, qui a periculū in quo versatur, non tribuit spatium claudendi: vel quia spem non habet recuperandi illum: casu autem aliquo conseruatus, debeat restitui domino, nisi aliunde constet, dominum à se hunc abiecisse. Qua de re nulla melior potest regula statui, quàm vt in casibus occurrentibus prudentis arbitrio, inspectis circunstantiis, definienda relinquatur.

Aduerte etiam, quæ tempestatis tempore alleuian- *Nu.209.* dæ nauis causâ proiiciuntur, aut ex naufragio abripiuntur, non esse habenda regulariter pro derelictis ex memorato §. Qua ratione, & ex lege Qui leuandæ ff. Ad legem Rhodiam De iactu. Vbi id ex eo probatur, quòd qui tales res proiiciunt, si post inuenerint, auferant eas; síque suspicati fuerint, in quem locum sint reiectæ, eas requirant: perinde ac si quis onere pressus in via, abiecerit rem, quam mox cum aliis reuersurus auferat. Vnde iniquæ sunt leges quorumdam locorum statuentes, quòd huiusmodi bona tanquam oberrantia; sint domini loci ad quem appulerint: quas meritò damnant Couarr. ad reg. Peccatum part. 3. & Caiet. in verbo Excommunicatio: ille §. 1. nu. 5. & hic cap. 23. in fine. Neque vt derelicta retineri posse ligna, & cætera quæ vi fluminis delata inueniuntur Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 176. eadem ratione cōfirmat. Addens talia pro derelictis haberi posse, si inueniens ea in prædio suo, petat à domino vt inde auferat, aut pro derelictis habeat, vel per sententiam Iudicis faciat illi tempus constitui, quo debeat auferre, nihilque talium ille curet.

Aduerte postremo, quoad bona inuenta, de qui- *Nu.210.* bus præsumptio est, quòd habeant dominum, sed ignoratur quis sit: Sotum lib. 5. de iustitia & iure *qu. 3. art. 3. ad 2.* in eā sentētiam inclinare, quòd si factâ debitâ diligentiā reperiri nequeat illorum dominus, is qui illa inuenit possit sibi retinere, etiamsi diues sit. In quam sententiam aliquos Doctores Hispanos Petrus à Nauar. citat in *lib. 4. de restit. cap. 2. num. 75.* in eámque ipse propendet duplici ductus ratione. Altera est, quòd ante ostensum sit bona incerta non deberi pauperibus iure naturali, nec vllum sit ius positiuum quod inuēta, pauperibus eroganda esse disponat; sicut disponit de illicitè acceptis in cap. Cùm tu De vsuris. Altera est, quòd, vt paulò antè diximus, thesaurus & alia similia iure naturali, *secluso positiuo*, sint primò inuenientis. Ergo pariter erunt cætera inuenta, postquam factâ in inquirendo omni diligentiâ, dominus eorum non apparuerit. Confirmatur, quia differentia non est alia, quàm quòd illa de antiquo, & hæc de recenti fuerint in alicuius potestate. Id autem parui refert, cùm inueniri non posse dominum

dominum, factâ omni diligentiâ possibili in inquirendo, sit id ex quo bona censentur incerta, & communia iure naturæ.

Nu.211. Dicendum nihilominus videtur quartò: quòd si facta in inquirendo debitâ diligentiâ, dominus bonorum inuētorum, aut illius hæres non compareat, ea sint restituenda pauperibus, erogandáue in pios vsus, animo iuuandi dominum ipsorum. Quam Doctorum fere omnium sententiam esse fatetur Petrus à Nauarr. in præced. num. 74. plures eorum commemorans: communémque esse post Sylu. in verbo Inuenta num. 2. meminit Couarr. ad regulam Peccatum 3. par. §. 1. num. 2. Et confirmatur: quia talia bona, perinde ac illa quæ illicitè accepta sunt, dominū habent reuera, licet ignoretur quis ille sit. Nam si dominus ipse postea compareret, inuentor qui debitam diligentiam fecit in inquirendo, nec ipsum inuenit, nō teneretur eiusmodi bona restituere: quod aduersatur rationi. Cui proinde consentaneum est, quod si idem dominus non compareat, illa ipsa bona, tanquā sua, ei restitui debeāt meliori quo fieri potest modo; atque adeo secundùm ipsius voluntatem præsumptam, quæ sanè non potest alia rationabilius coniici, quèm ea, vt applicatio fiat pauperibus, aut aliis piis operibus in bonum ipsius. Deinde si ex eo, quòd dominus non comparet, post factam in inquirendo diligentiam, bona inuenta putanda sunt, *tanquam dominis carentia*, fieri primò occupantium: putari pariter debebunt bona per vsuram, aut aliàs malè acquisita; quorum dominus factâ similiter in inquirendo diligentiâ non comparet. Quod si admittatur, admittendum erit consequenter, aliquem ex sua iniquitate reportare lucrum, & per acceptiones iniustas posse licitè ditescere: quod absurdum est. De iis verò quæ ad eiusdem sententiæ confirmationem ex vtroque iure adferri possunt videri potest Couarr. loco cit.

Ad rationes autem Petri à Nauarr. antea pro contraria propositas, respondēdum est. Ad priorem quidem, quòd etsi iure positiuo nihil sit specialiter statutum de bonis inuentis, cui restitui debeant, sicut est de illicitè ablatis; tamen consuetudinem quæ vim habet legis, obtinuisse vt pauperibus darentur, quando omnino ignotus est eorum dominus. Cuius consuetudinis sufficiens testis est dictus Doctorum communis consensus: ostendens communem vsum esse, vt homines timoratæ conscientiæ erogent pauperibus à se inuenta, aut ad alia pia opera applicent postquam factâ omni diligentiâ, domini eorum inueniri non potuerunt. Ad posteriorem verò rationem respondendum est, quòd inuenta de quibus agimus, præsumantur certos adhuc dominos habere, etiamsi incertum sit, quinam illi sint. De thesauris autem, & aliis id genus antiquis bonis inuentis, non sit talis præsumptio. Cæterùm si quis nolit acquiescere, sed obiiciat bonos esse authores qui dicant inuentorem retinere posse talia bona. Occurrendum est, eosdem ipsos authores id dicere dubitanter, vt patet ex Soto *loco cit. sub finem*, & ex Petro à Nauarr. qui suam disputationem num. 83. claudit his verbis: Hæc omnia dubitando à me dici & ab aliis accipi volo.

Nu.212. Quod attinet ad reliqua bona licitè accepta, quorum veri domini inueniri nullo modo possunt; qualia sunt debita ex licito contractu, hoc est, ex emptione, depositō, mutuo; &c. idem sentiendum est ac de inuentis, vt fatetur Petr. à Nauar. *in eod cap. 2. nu. 47.* cui proinde non est assentiendum in præced. nu. 46. dicenti, *idque timidè*, posse talia debita retineri à debitore, qui facta omni diligentia, nequit creditorem inuenire: neque ipsum teneri ea pauperibus, vel in pia opera erogare. Contrarium enim de eō, sicut de inuentis sentiendū est, quorū ratione illa induunt.

CAPVT XV.

De quantitate in qua, & de modo quo facienda est restitutio.

SVMMARIVM.

213 *Quantum sit restituendum explicatur distinctione.*
214 *Debitor restitutionem facere potest vt per se, sic & per alium; quo infideliter agente, aliquando manet, aliquando tollitur obligatio ad restitutionem.*
215 *Debitum occultum, occultè restitui debet.*
216 *An liberetur ab obligatione restituendi qui Confessario, aut alteri dedit debitum tradendum creditori, si ille non tradat, sed sibi retineat.*
217 *Non liberatur ab obligatione restituendi qui remissionem debiti à creditore obtinuit per vim aut fraudem.*
218 *Secus si obtinuit precibus, & suasione: nisi coniecturæ, coactionem, & inuoluntarium indicent.*
219 *Voluntas non restituendi in debitore, non obstat de se quominus remissio ei liberaliter facta valeat.*
220 *Quando remissio debiti possit per Principem fieri.*
221 *Quando possit vel non possit absolui debitor, qui non nisi per partes soluere vult debitum.*

Nu.213. QVÆ pertinent ad quantitatem in qua restitutio facienda est, possumus breuiter cum Nauar. *in Enchir. cap. 17. num. 27.* explicare distinctione. Vel enim quantitas rei ablatæ, aut damni illati est certa, vel est incerta; si certa sit, tantum est restituendum, quantum est ablatum: *vt omnes fateri notat Petrus à Nauar. lib. 4. De restit. cap. 1. num. 52.* Sin sit incerta, vel id contingit quia res ablata incorporea est, vt accidere potest in actione iniuriarum ad aliquam reparationem honoris, & famæ: cuiusmodi restitutio non est facienda ad arbitrium partis læsæ, sed boni viri. Vel contingit, quia res ablata vel destructa non peruenit ad maturitatem, vel perfectionem ad quam sperabatur ventura: vt quando destruuntur sata vel arbores fructiferæ, vel vineæ, antequam fructus perueniant ad maturitatem; tūneque restitutio facienda est iuxta pretium quod valuissent res ipsæ destructæ, si ad suam perfectionem vel maturitatem peruenissent. Deductione tamen facta, tribus his consideratis. Primò quidem expensis & laboribus qui insumendi erant antequā res tales peruenissent ad maturitatem. Secundò verò, periculis impedimentorum quæ interuenisse poterant, ne ad talem perfectionem peruenirent. Ac demum, modo quo damnum est illatum: videlicet, casu tantùm, ac bona fide: an potius dedita opera, malāque fide. Ex horum igitur consideratione arbitrio bonorum & expertorum virorum constituenda est quantitas & pretium restitutionis; qui si nequeant arbitrari quantum requiritur ad æqualitatem, saltem ad eam accedant quàm proximè poterunt, vt ibidem rectè monet Nauarrus.

Quod autem Sotus voluit in tali iudicio esse quoque spectandam animi molestiam, quam dominus capit ex rei suæ destructione, Ludou. Molina De iust. & iure tract. 2. disput. 728. nu. 4. reiicit, ea maximè ratione: quòd iniuria illata, ea ex parte compensationem requirat tantùm ex iustitia vindicatiua, quâ delictū puniatur authoritate legitima Superioris: non autem ex iustitia commutatiua, quâ per restitutionem compensetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si quæras an in proposito iudicio habenda sit adhuc ratio incrementi aut decrementi quod res accepissèt si destructa non esset: vt v.g. quòd pullus equinus occisus, duplo plus valuisset sequenti anno: quòd domus combusta reddidisset census annuos ex locatione, &c. Respondetur congruenter iis quæ idem author habet in præced. num. 2. & 3. sufficere eatenus rationem rei haberi, quatenus valor eius ita cõpensetur, vt in ea damnificatus nihil minus habeat, quàm habuisset si destructa non esset. Restituto nimirum ei æquialente: vt v. g. pullo equino æquè bono: aut domo æquè bona, & addita compensatione totius interesse lucri cessantis aut damni emergentis, quod inde prouenisse iudicatum fuerit prudentis arbitrio. Vbi aduerte obiter ad tale damnum minimè pertinere fructus qui ex re destructa, percipi poterant: quia cum nihil essent actu extra rem, in eiusdem compensatione facta ad æqualitatem sui valoris, illi censentur pariter compensati existẽtes tantùm in potentia.

De modo quo facienda est restitutio.

PLures authores de hoc differentes citat Petr. à *Nauarr. in cod. lib. 4. initio cap. quinti.* Is autem tribus propositionibus declarari potest.

Nu. 214. Prima est. Restitutionẽ debitor facere potest, non tantùm per se, sed etiam per alium. Cui ab omnibus concessæ, *teste eodem Petro à Nauarr. ibid.* duplex additur moderatio. Prior est, quòd quãdo sit per alium, is debeat talis esse, qui communiter existimetur fidelis: non enim excusaretur à restitutione, qui deciperetur ab eo qui vulgo habetur infidelis: quia cùm ipse fuerit in lata culpa, debet sibi imputare quod euenit. Posterior est, vt quando quis restituit per aliũ qui existimatur fidelis, & ab eo decipitur; multum interest, an ipse ad talem restitutionem teneatur ratione rei acceptæ: seu quia rem alienam adhuc habet eamdẽ numero: an verò ratione tantùm acceptionis.

Nam si tenetur ratione rei acceptæ, remittens rem ipsam per nuntium fidelem, liberatur ab obligatione restituendi iuxta legem Argentum ff. Commodati vel contra: quidquid illa pereat, neque restituatur. Et confirmatur: quia res quæ casu, omnique culpâ seclusâ perit, domino perit. In casu autem proposito debitor fecit quod debebat, cùm non teneretur per seipsum reddere. Sin autem remittens teneatur ad restitutionem ratione acceptionis, non est liber: sed iterum restituere tenetur. Ita D. Anton. & Syluest. *ille in 2. part. tit. 2. cap. 4. §. 1. & hic in verbo Commodatum quæst.* 10. quorum sententiam approbat Nauarr. *in Enchir. cap. 27. num. 67.* inquiens id confirmari ex interpretatione cap. Significante. De pignoribus: quæ potest videri apud Petr. à Nauarr. in cit. cap. 5. num. 8. & 9. qui eamdem quoque sententiam approbat. Itaque is, v.g. qui rem commodato acceptam, *vt vias*, transmittit per nuntium qui putabatur fidelis, si is fraudulenter agẽdo, aut certe quòd res casu in ipsius manibus perierit, non restituat: ille qui transmisit manet liber ab obligatione restituendi. Sin autem transmisisset pecunias mutuò acceptas, vel pretium alicuius rei emptæ, tali nuntio non restituente, debitor ipse teneretur denuo pretium soluere, & transmittere. Nam vt bene ait Sylu. obligatus est ad solutionem in genere: quæ obligatio non tollitur nisi pretium tradatur ei, cui debetur. Quod tamen aduerte non procedere, quando is cui debitum restituendum fuit, iussit remitti per talem nuntium: quia tunc idem contingit, ac si Titius mittat mecum famulum, qui reducat equum suum, mihi commodatum.

Secunda propositio. Res occultè accepta non debet manifestè restitui sed occultè, vt per interpositam personam. Ratio in promptu est: ne scilicet qui accepit, se infamet restituendo. *Nu.* 215.

Tertia propositio. Is qui tenetur aliquid in solidum, seu integrè, & sine diminutione restituere: non satisfacit si per partes idipsum restituat: sed debet totum simul, & eodem tempore restituere. Ratio est: quia retineretur alioqui iniustè res aliena; nisi forte dominus consentiat in talem restitutionis modum; aut subsit rationabilis causa cur restitutio non debeat tota simul fieri: si enim ob rationabilem causam tota ipsa restitutio suspendi potest, iuxta post dicenda de causis excusantibus à restitutione, multo magis ob eamdem causam poterit pars differri.

Dubia de modo faciendi restitutionem.

DVbitari autem primò, potest, An quando faciẽda est restitutio per aliquam interpositam personam iuxta 2. propositionem, liber sit debitor, si Confessario, vel alicui alij debitum tradat restituendum, & is non restituat, sed perfidè sibi retineat. De qua re Petrus à Nauar. *in eodem cap. 5. num. 6.* quosdam religiosos ac doctos viros sensisse refert, talem esse liberum ab obligatione restituendi: quia si creditor sciret debitorem sine infamia soluere non posse per seipsum, certè consentiret, aut consentire deberet, vt res debita daretur Confessario, vel cuicumque alteri pro fideli habito, qui restituat pro ipso. Iam si in id actu saltem debito consentiat, rẽsque casu pereat apud eum cui tradita est, vel ab eo malitiosè retineatur: alter ad nullam amplius restitutionem tenetur, sicut nec, *iuxta supradicta*, tenetur is qui debitum ad creditorem mittit per eum quem ille voluit. *Nu.* 216.

Verùm quia idẽ consensus præsumi similiter potest, cùm res est licitè debita (cùm enim per primam propositionẽ debitor talis rei possit quoque restitutionem illius facere per alium, creditor consentire debet vt ea ratione faciat, si velit) videtur antè tradita distinctio, hic etiam locum habere; vt dicendum sit, quòd si res eadem numero restitui debeat, procedat sententia liberantium debitorem à restitutione; quandoquidem nulla ipsius culpâ periit res ad creditorem transmissa: sin restituenda sit diuersa numero, non procedat talis sententia, quia nulla ratio est, cur eius generis debitor, melioris conditionis censeri debeat, quàm is qui debitor est ex licito contractu.

Dubitari secundò potest, An securus sit modus ille restituendi, quo precibus, vel alia eiusmodi ratione obtinetur à creditore remissio, aut dilatio solutionis debiti. De qua re pro praxi ex iis quæ Petr. à Nauarr. disputat in memorato cap. 5. à nu. 21. vsque ad finem, documenta quædam tradi possunt.

Primum est: in tali re, omnem vim, & fraudem abesse debere; alioqui remissionem non valere, tanquam habẽtem mixtum inuoluntarium. Exemplum est, quo Sotus vtitur lib. 4. de iustitia & iure *quæst.* 7. *art.* 4. *ad* 2. *arg.* si ad inducendũ creditorẽ vt debitum tibi remittat, dicas te minus debere quàm debeas; aut non tanta æquitate, quanta apparet te in talia debita esse dilapsum, aut te ostendas maiore premi egestate quàm premaris: aut mineris te non soluturum illud, etiamsi non remittatur. Quodquidem procedit non solùm quando creditor ita deceptus esset per debitorem, *Nu.* 217.

rem, sed etiam quando per tertiam personam: quia remissio similiter contineret inuoluntarium.

Nu. 218. Secundum est, Remissionem à creditore obtentam precibus siue debitoris, siue Confessarij, aut alterius mediatoris, validam esse; quia liberaliter, & sine coactione fit. Preces enim & suasiones non cogere, ex eo patet: quòd pauperes eleemosynam per preces etiam importunas obtentam, non teneantur restituere, vt intelligitur ex eo, quòd in cap. 11. D. Lucæ Dominus consulat talem modum petendi ea quæ sunt nobis necessaria. Hoc documentum Nauarr. *in Enchir. cap. 17. num.* 45. post Adrianum, & Caietanum approbans, notat consequenter ipsum procedere, dũmodo coniecturæ non arguant contrarium; hoc est, coactè potius, quàm liberaliter remissionem fieri. Exemplum ponit si postulãtes sibi debitum remitti, sint Principes, aut magnates quorum preces pro mãdatis habentur: eoquod soleant per se, vel per alios vexare sibi non obsequentes. Addi potest, *quod Petrus à Nauarr. in sequente num.* 22. omnes fateri ait; si talis sit creditor, qui per metum, etiam tantummodo reuerentialem, remiserit debitum: quia in tali quoque casu remissio censetur inuoluntaria esse, nec facta liberaliter. Addit etiam ex Caiet. Nauarrus, non esse necessarium ad validitatem remissionis, vt pecunia, vel alia res restituenda offeratur creditori retinenda sibi si velit, vel non retinenda. Id quod omnes fateri Petrus à Nauarr. admonens, consequenter numero 25. habet: ex communi quoque sententia requiri, vt remittens sit persona quæ donare possit, nec remissio sit annullata à iure. De qua re dicetur in sequen. cap. 18. cùm de secunda causa excusante à restitutione.

Nu. 219. Tertium est. Debitorem si humiliter à creditore petat remissiouem, quamuis sit eo animo, vt nolit restituere si petita non concedãtur, liberum manere ab obligatione restituendi, quando illa ipsa facta fuerit liberaliter à creditore. Ita docent Sylu. *verbo Restitutio 7. quæst.* 2. & Couar. ad regulam Peccatum *part.* 2. *in initio num.* 5. alios magno numero commemorans: quos Petrus à Nauarr. secutus in eodem cap. 5. num. 27. istud eorum fundamentum esse ait: quòd etsi in ea re, quoad peccati rationem attendenda sit voluntas debitoris: quoad obligationem tamen restituendi non spoliatoris, sed spoliati attendi debeat voluntas; itaut parum referat quòd debitor non habeat animum restituendi, dummodo creditor verè ex animo ei remittat: prout facere censendus est, quando ipsemet id affirmat: qui solus est certus testis sui cordis. Neque refert, quòd creditor non remitteret cognita in hac re fictione, & malitia debitoris: quia id tantùm est motiuum remissionis minus principale. Nam principale est, vel amicitia, vel cognatio, vel certè misericordia: cuius vim illud non euacuat, quod alter sibi interiùs proponit: licet tale propositum in se peccatum sit mortale, incapacémque faciat absolutionis sacramentalis quamdiu perseuerat.

Nu. 220. Quartum est. Modum quoque restituendi securum posse aliquando esse, si Princeps debitori remittat debitum. Hoc patet; quia cùm debita sunt incerta, potest id facere iuxta antedicta in præced. cap. Deinde etiamsi Princeps non possit debita certa, cõtra creditoris voluntatem sine causa remittere, potest tamen cum causa, vt Sylu. *Restitutio 7. quæst.* 2. *dicto* 5. docet, aliis in eamdem sententiam citatis. Qui cùm non declaret, quænam esse debeat talis causa, Petrus à Nauarr. *in sequen. num.* 30. id supplens, ait relinquẽdum esse arbitrio boni viri: qui debet attendere neminem, nisi sit vrgens causa maximè publica, suo iure esse facilè spoliandum: cùm iustitiæ repugnet tale quid fieri, etiam authoritate publica: nisi maius aliquod vrgens bonum, & maximè publicum, quid tale exigat.

Dubitari tertiò potest, An mortaliter peccet nec absoluendus sit qui sine rationabili causa & inuito creditore, vult debitum soluere solùm per partes. Ad quod dubiũ Nauar. *in Ench. cap. 17. num. 66.* ex Adriano respondet, talẽ mortaliter peccare nec absoluendũ esse. Quod Petrus à Nauar. *lib. 4. de restit. cap. 4. num.* 67. adhuc aliis citatis approbat. Addens nihilominus ex communi doctrina: quòd si Confessor probabiliter crederet futurum esse, vt negata dilatione eiusmodi, nusquam aut non ita vtiliter debitum restitueretur, is posset talem dilationem ei concedere de tacito consensu creditoris, cuius negotium in eo vtiliter gereret: dummodo tamen debitor ipse non habeat conscientiam, quòd ea ratione obligationi suæ non satisfaciat: in quo casu tanquam perseuerans in peccandi proposito, non esset absoluendus. Sin bona fide putet se satisfacere, quia credit totum simul se non posse soluere absque sua magna, vel suorum incõmoditate, etiamsi fortè fallatur, eoquod reuera sit tantùm quædam apparens incommoditas, fundata in turpi cupiditate eam imaginantis; videri potest quòd ignorantia ipsum excuset, remoueatque obicem quem voluntas peruersa ponit absolutioni. Ad quod confirmandum idem author adfert, quòd alioqui maior pars hominum esset in statu damnationis, cùm pauci admodum inueniantur, qui vel testamenti impletionem, vel debiti solutionem tali prætextu non suspendant. *Nu.* 221.

CAPVT XVI.

De tempore ac loco in quo facienda est restitutio.

SVMMARIVM.

222 *Statim facienda est restitutio: neque eam pro arbitrio differre licet.*

223 *Quando mora in restituendo censeatur contingere sufficienter ad peccatum.*

224 *Restitutionem esse statim faciendam, quomodo intelligi debeat.*

225 *Status malus nolentis restituere dum viuit, & contenti eam in testamento suo commendare hæredibus.*

226 *Quo modo debeat Confessarius procedere cum eo qui pollicitus restituere, non restituit cùm potuit.*

227 *Peccatum quod committitur non restituendo, augetur toto tempore quo talis omissio continuatur.*

228 *Modi quibus eadem discontinuatur, & consequenter multiplicatur numero; quòdque mora posita in illa, debeat explicari in confessionibus.*

229 *Quando anticipari possit restitutio, & quando ob recusationem creditoris, debitor maneat liber.*

230 *Vbi restituenda sit res debita ex contractu, & vbi aliæ quæ possidentur bona fide.*

231 *Cuius expensis res habita bona fide, restitui debeat.*

232 *Cum res detinetur mala fide, restituenda est sumptibus detinentis.*

233 *Quædam notanda pro praxi circa antedicta.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.222. QVOD de tempore restituendi quæritur est, Num statim facienda sit restitutio, nec illam differre liceat. Atque teste Petro à Nauar. *lib.4. De restit. sub initium cap.quarti*, fatentur omnes, quòd oporteat restitutionem statim facere, vel inducias obtinere à creditore: quia licet præceptum de restituendo sit affirmatiuum; habet tamen annexum negatiuum de non retinendo alienum inuito domino: prout notant Caiet. in verbo Restitutio cap.sexto, Sotus in 4. De iustitia, & iure, quæst.6.art.2.& qu. 7. art.4. & Nauar. in Ench.cap. 17.nu.62. & pătebit ex dicendis in seq. lib.23. in initio. Iam verò præcepta negatiua obligant, & pro semper, & ad semper (vt dici solet) ideoque & ad statim.

Quare mortale est, non restituere statim; quando restitutio sub mortali facienda fuerit, nisi legitima excusatio adsit. Id quod procedit non solùm quando debita contracta sunt ex iniusta acceptione per furtum, rapinam, &c. sed etiam cùm orta fuerint ex contractu licito; vt ex venditione, vel mutuo, si detur mora in restituendo: vtrobique enim eadem est ratio prout Nauar. in seq. num.58. ex eo probat, quòd quamuis illa duo debita, quoad originem suã differant (in vnius enim origine peccatum est, non in origine alterius) similia tamen sunt, *saltem in foro conscientiæ*, quoad præsentem effectum: quandoquidem vtrobique pariter est obligatio ad restitutionem.

Circa obligationem faciendi statim restitutionem notanda pro praxi.

SECTIO I.

Nu.223. CÆterùm in restituendo moram dari contingit, statim ac incursa est obligatio, si ea nascatur ex delicto; sique dominus in dilatione inuitus est rationabiliter. Quod addo, quia quantumuis dominus in dilatione restitutionis faciendæ dissentiat; tamen si aliqua iusta de causa debeat consentire, talis elicitus dissensus iniustus, curandus non est: sed potius iustus & rationabilis ille consensus qui adesse debet.

Si verò obligatio nascatur ex licito contractu, mora contingit statim ac transiit terminus solutioni definitus; etiamsi debitor non admoneatur à creditore: cùm dies statuta interpellet pro domino ex cap. finali De locato & conducto. Quod si terminus non fuit definitus, tunc mora contingit cùm dominus ipse debitum petit, non ante. Etenim quia de voluntate contrahentium sic est contractum, vt nihil conuentum sit de tempore, restitutio differri potest vsquequo creditor petat debitum, quia vsque tunc præsumitur non esse in illius retentione inuitus. Quæ omnia de mora, expresse docet Medina in Cod. De restitut. *quæst.2.dub.4.in fine.* Cui addendum est cum Petro à Nauar. *in lib.4. De restit.cap.3.num.12.* quòd si debitor vehementes vel probabiles habeat coniecturas, quòd creditor non consentiat, vel ex obliuione quadam, aut ignorãtia, vel timore, aut alia impotentia, debitum non petat; tenebitur illud ei offerre: vel rem totam significare, vt declaret quid fieri velit: alioqui contra domini voluntatem alienum retinere censebitur.

Nu.224. Porro cùm dicimus restitutionem esse statim faciendam, quoad animi quidem præparationem aduerbium, *Statim*, accipiendum est mathematicè iuxta Caiet. & Sotum locis citatis: vt sensus sit statim habendum esse animum non retinendi alienum inuito domino, atque adeo paratum esse opportunitate data, restituere cuique quod suum est. Id quod esse necessarium ad exeundum à peccato, constat ex regula Peccatum non remittitur, nisi restituatur ablatum De reg.iuris in 6. quandoquidem ea verificari debet, minimùm in restitutione quæ fit animi præparatione. Quoad executionem autem restitutionis, non mathematicè, sed moraliter & ciuiliter accipiendum est idem aduerbium, *Statim*, itaut possit debitor expectare restituendi opportunitatem: absque dolo tamen & fraude iuxta Caiet. & Sotum in iisdem, locis ac Nauarr. in Enchir. cap. 17. nu. 55. Nec enim, *inquiũt illi*, tenetur quis media nocte è lecto surgere ad restituendum debitum, quod tunc illi venit in memoriam: nec à mensa discedere, aut ab Ecclesia: sed potest in opportunum tempus differre.

Aduerte verò eum qui cùm statim restituere possit, restitutionem differt in tempus mortis, vt suis hæredibus eam iniungat, non esse immunẽ à peccato mortali, proindéque non esse absoluendum: quia cùm de præsenti opportunitatẽ habeat nec velit per se restituere, committit iniustitiam debitum retinẽdo: præsertim cùm doceat experientia plerumque ab hæredibus nunquam, aut tardissimè tales restitutiones fieri, ac lites creditoribus excitari testamento occultato, aut aliter non apparente. Quæ est expressa sententia Soti *in 4. De iust.& iure & Nauar. in Enchir. illius in quæst.7. art.4. & huius in sequen. num.68.* atque aliorum quos refert & sequitur Petrus à Nauar. in cit. lib.4.cap.4.num.72. Qui ex ea infert, quòd etiam si talis rem certam & signatam ad id relinquat (nisi propositum habeat restituendi statim ac potuerit) non sufficere ei ad salutem, atqueadeo ipsum non mori securum, sed in statu damnationis. Vnde in seq. num. 73. commendat quod dixit Iosephus Angles: existentem in articulo mortis, qui cùm possit non restituit, absoluendum non esse; etiamsi promittat restitutionem: quia non præsumitur verum propositum restituendi habere si superuixerit, cùm in tali periculo constitutus, non exoneret suam conscientiam, cùm possit. Qua in re, vt rectè ait D. Anton. *2.par.tit.2.cap.1.§ 25.* mira est ignorantia. Nam tales homines volunt gratiam qua spoliati sunt reddi sibi, & tamen pauperi restituere nolunt illud propter quod gratiã ipsã priuati sunt: cùm pauperem prius spoliarint temporali substantia, quam ipsi priuati fuerint spirituali gratia. Verumtamen negandum non est, quin si restitutio aliter fieri nequeat, quàm per propositam iniunctionem factam hæredibus, locus sit excusationi; cùm nemo ad impossibile obligetur.

Nu.225.

Nu.226. Cæterùm quando quis semel cum proposito restituendi absolutus fuit ante factam actualem satisfactionem, nec satisfecit obtenta absolutione: si iterum ad confessionem accedat, etiamsi propositum restituendi habeat, non est absoluendus priusquam actu restituat aut restitutionis dilationem à creditore obtineat, ex Caiet. *in verbo Restitutio cap.6. sub finem*: id quod ante eum sensit D. Anton. *in seq. cap.8. col.antepenult.* Et probatur quia Confessarius obuiare debet peccato probabiliter futuro; cuius probabilitatis argumentum datur abundè, cùm quis promissam fidem violauit. Quod tamen aduerte solùm procedere, quãdo ille in secunda confessione posset statim restituere, neque dilatio ipsius legitimè excusaretur. Quando enim Pœnitens in secunda vel tertia confessione accedit excusatus restituere, ob aliquam ex causis de quibus dicetur in sequen. cap.18. absolutio non est *illi* neganda eoquod non restituat statim; quantumcumque antea pluries iussus restituere, negligentiã suã id non fecerit.

Verumtamen diligenti Confessario, *si videat proficuum fore in futurum*, curæ esse debet aliquantulum differre absolutionem, vt talis eo timore perculsus, offerente se postea restituendi commoditate, eam nó negligat. Debet etiam Confessarius semper curare, vt Pœnitens, si aliquid tunc potest commodè restituere, id faciat. Adhæc si idem Confessarius probabiliter credat, quòd Pœnitens statim, & sine mora restituet de facto (vt credere potest quando aduertit restitutionem non fuisse, eã seueritate qua par erat, ei iussam à præcedentibus Confessariis) videtque circumstãtias adesse ex quibus meritò sibi persuadeat, quod restituturus sit, non erit peccatum eidem, firmũ restituendi propositum habenti, absolutionem impendere, non præmissa actuali restitutione ex Nauar. *in Enchir. cap. 17. num.59.* cui Petrus à Nauarro assentitur *in citato cap. 4. num. 78.* in eam sententiam citans Palud. & Bartholomęum Medinam. Rationémque reddens: quia ex rei natura, non videtur ob primam negligentiam præsumendum, quòd non restituet: cùm sæpius homines in vnam, aut alteram negligentiam incurrant, habentes nihilominus verum propositum faciendi quod debent. Secus est verò si multoties restituere proponens non restituat: quia tunc coniici meritò potest non habere verum propositum restituendi, vt idem author notat in seq. num. 79.

Explicatio dubij. De peccato quod committitur non restituendo statim.

SECTIO II.

Nu.227. DVbium hîc occurrit, Num is qui alienum longo tempore detinet iniustè, vnum tantùm peccatum committat, an verò plura. De quo sententia est Caiet. *2.2.quæst.66.art.3. circa solut.tertij argumenti*, talem non peccare toto tempore quo non restituit, sed solùm perseuerare in statu peccati præteriti; toties verò de nouo peccare mortaliter, quoties de nouo elicit internum voluntatis actum, aut non restituendi rem ablatam, aut vtendi illa in præiudicium domini, aut alienandi illam, illámve consumendi.

Item quoties vel ea vtitur contra domini voluntatem, vel eam alienat, aut consumit. Attamen quia nuda etiam omissio restitutionis, eo tempore quo debet & potest quis restituere, contraria est præcepto de restituendo, seu de alieno non retinendo; nihil deest ei quominus sit peccatum, nisi inaduertentia inculpabilis excuset negligentiam. Vnde dicendum est peccatum committi contra præceptum de restituendo, non tantùm quando elicitur actus internus, aut externus, quo quis alienat, aut consumit rem alienam, eáve vtitur cum iniuria domini: sed etiam cum restitutio, cessante legitima excusatione voluntariè omittitur: sicut fit ab eo qui tempore opportuno, ad eam in obligatione positam aduertit, aut aduertere debet; esto nullũ volitionis, aut nolitionis actum exerceat. Ratio est, quia per talem omissionem præceptum restituendi violatur eo tempore, pro quo obligat.

Cuiusmodi peccatum vnum numero cẽsetur esse, quamdiu perseuerat quis in voluntaria omissione non restituendi, aduertens aut aduertere debens se teneri restituere, idque negligens. Quod verum est quantumcumque actus supradictos, siue internos siue externos, omissionem ipsam comitantes, multiplicet: quoniam tales cum ea constituunt vnum numero peccatum; perinde ac cùm quis ensem capit & foras egressus inimicum quærit, inuentúmque interficit, vnum numero homicidium committit; per tradita à Nauar. in Enchir. cap. 6. num. 16.

Et verò, quia omissio ipsa restitutionis sæpe desinit esse peccatum; siue quia desinit voluntaria esse, *vt potest per actum deliberatum pœnitentiæ, contrariamve voluntatem*: siue quia ille qui tenetur restituere factus est impotens ad tunc restituendum, *quodquidem sufficit ad ipsum tunc excusandum à peccato*; siue quia per notabile temporis spatium, *quod relinquitur prudenti determinandum ex inspectione circunstãtiarum*, nequiuit aduertere quod teneretur restituere, sicque excusatio sit à peccato per ignorantiam. Quia inquam hæc ita sunt; fit etiam plerumque vt tale omissionis peccatum discõtinuetur ac denuo recurrens, ipsum multiplicetur: itaut peccata numero distincta constitaantur: non modo per internum actum voluntatis non restituendi, aut per externum actum vtendi re aliena in domini præiudicium; sed etiam per nudam omisionem restitutionis, oblata commoditate faciẽdi eam, nec interueniente causa legitima, quæ ab ea excuset. Cuius multiplicationis ratio in promptu est: nempe quòd tunc verum sit dicere, detentorem de nouo fieri actu peccantem ex non peccante actu. At non fit nisi dato peccato nouo, distinctóque ab alio.

Nu.228.

Iam quod ad confessiones attinet: etiamsi ille qui rem longo tempore detinuit, vnicum tantùm numero peccatum commiserit, *quod raro contingit*, diuturna tamen illa mora restituendi, est de necessitate exprimenda in confessione: quia est circunstantia notabiliter aggrauans peccatum: quã ignoratã, non intelligitur sufficienter status Pœnitentis; sicut nec si quis furatus esset decem millia aureorum, satis aperiret statum animæ suæ, dicendo se furatum esse, tacitã quantitate furti: quod etiam notat Sotus *in lib.4. De iust.& iure quæst.7.art.4.* Et accedit quòd iniusta dilatio solutionis debiti, inducat nouam obligationem restituendi: nempe resarciendi lucrum cessans, & damnum emergens ex ea creditori: de qua obligatione vt Confessarius plenè iudicet, nota debet ei esse mora facta in eadem dilatione. Aduerte verò quoad lucrum cessans, ipsum esse resarciendum, non quantum futurum erat, sed quantum spes illius valuit prudentis arbitrio, perinde ac de satis, dictum est sub initium proximè præcedẽtis capitis. Quæ doctrina est D. Thomæ 2.2.qu.62. art.4. cuius meminit Lud. Molina De iust.& iure tract.2.disput.726.nu.5.

De anticipatione restitutionis.

SECTIO III.

Nu.229. OCcurrit adhuc aliud dubium, An si debitor anticipet solutionem, creditor teneatur illam acceptare: & an creditor possit ante terminum repetere debitum. Ad cuius priorem partem Med. Cod. De reb. restit. *quæst.2.dubio 4.in fine & quæst.3.causa 6.* Sylu. & Angelus in verbo Solutio ille quæst.6. & hic num. 25. respondent: si terminus appositus sit in fauorem debitoris, hunc posse anticipare solutionem, & creditorem teneri illam accetapre.

Ad posteriorem verò partem Sylvest. & Angelus ibid. respondent negatiue, ex cap. vnico, De plus petitionibus: excipientes tamen duos casus. Prior est, quando debitor venit ad inopiam: posterior quando suspectus est de fuga: tunc enim cogi potest cautionem dare, nisi tempore contractus fuerit similiter suspectus.

Adhuc aduertendum est ex Medina loco citato, quòd si debitor rem determinatam & certam, creditori offerat opportunè: v.g. adueniente termino: vel statim tradendo illam, cùm ex delicto debetur; cre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditore verò nolente accipere, ea deponatur apud fidelem custodem, aut ipse debitor agens vicem depositarij, eam fideliter reseruet, non tenebitur illam restituere si res casu, aut certè sine sua lata culpa pereat. Ratio est, quia tunc debitor non est in mora: & res illa determinata & certa creditori oblata; tum habita est, tum etiam seruata, tanquam ad ipsum spectans: quòdque opportunè oblatâ accipere noluerit, sibi debet imputare iacturam factam. Secus esset verò, si res debita; vel in genere creditori oblata esset, vel non opportunè. In genere quidem; quia non est satis dicere creditori. Accipe debitum, vel veni acceptum. Ex quo enim res certa, & signata ei ablata non est, si ea quę danda erat, peccat: debitori peribit. Non opportunè verò, quia si ante terminum præfixum vel in loco, vel cum alia circunstantia minimè conuenienti offerat debitum accipiendum, non liberabitur debitor si res pereat: quia creditor non tenebatur sic oblatam accipere: quo fit vt rei casus non debeat ipsi imputari: nisi forte terminus appositus esset in fauorem debitoris, quia tunc etiam ante terminum ipse dicetur opportunè offerre, vt in mutuo, & in commodato.

Vbi & cuius expensis facienda sit restitutio.

Sectio IV.

Nu.230. De hac re dicendum est primò, illam regulam fori iudicialis, pro verissima habendam esse (vt dixit Iosephus Angles in 2. par. florum Theologic. *De restit. art. 1. diffic. 9. concl. 2.*) Quòd quicumque aliquid debet ex aliquo contractu facto in loco certo, teneatur in eodem soluere, nisi alius locus solutioni assignetur. Ratio est, quia contrahentes censentur de eodem loco pacisci, nisi ob aliquam causam aliter expresè sit inter eos conuentum. Nam æqualitas retinenda in contractibus postulat, vt sicut restituendum est idem, ac acceptum; ita etiam restituendum sit eodem loco: secundùm quem; vt res quæ datur æstimanda est, sic & res quæ restituitur, quasi substituendo vnam in locum alterius, prout fit in mutuo, venditione, & locatione.

Dicendum est secundò: quòd cùm aliquid restituendum est non ex delicto, nec ex præcedente aliqua mora restituendi iniusta; sed solùm, quia vel inuentum est, vel casu venit ad manus possessoris; vel quia comperitur ad alium pertinere, cùm antea possessum esset bona fide: tunc ibi restitui debeat, vbi ipsum est; sique is cui facienda est restitutio sit absens, ei significandum sit vt illud veniat acceptum; aut significet cui sit dandum quidve sit de eo faciendum; vel certè allecurandum sit, aut Iudicis authoritate in depositum tradendum, quousque ille veniat; aut significet quid de suâ re fieri velit: vel denique expensis ipsius ad eum mittendum, prout videbitur magis expedire.

Nu.231. Atque si qui sumptus in aliquo horum præstando sint faciendi, creditor cuius negocium agitur tenebitur illos ferre iuxta legem secundam ff. De negotiis gestis. Hinc equum tibi commodatum teneris quidem expensis tuis restituere in loco in quo ipsum accepisti; non tamen mittere eò quò fortè dominus commigrauit: quia illius absentiæ aut longinquitatis loci non es causa, ex qua tibi incumbat noua obligatio. Item rem apud te depositam teneris representare in eo loco in quo eam accepisti custodiendam; sed si nullâ tuâ culpâ latâ inde auferatur, sumptus qui faciendi sunt ad eam recuperandam, incumbent domino quia in eo negotium illius geritur.

Iam si in talibus faciendi essent sumptus maiores quàm res valeret; neque spes esset, quòd res sine sumptibus seruata in loco in quo est, tandem deueniret ad manus domini; itaut quasi ei perdita putaretur; neque dominus significaret quid vellet de ea fieri: tunc, *præsertim si parua esset*, tradi posset pauperibus, aut insumi in pia operæ: sicut suprà de rebus incertis dictum est. Sed si aliqua spes esset non modica, quòd ille ad eum locum reuertetur, aut quòd significabit quid de eadem sua re fieri velit: sitque persona talis, de qua verosimiliter credatur, quòd non esset contenta, vt res ea pauperibus tradatur; sanè consilium foret illam tradere alicui hospitali, vel alicui pio loco; cum onere quòd si dominus veniat, aut significet cui tradi debeat, teneatur restituere. Hæc doctrina est Caiet. 2.2. quæst. 62. art. 5. & in verbo Restitutio cap. 5. Sylu: Restitutio 4. quæst. 4. Angeli Restitutio 2. num. 7. 8. 9. Medinæ Cod. De reb. restit. quæst. 2. dub. 5. Couar. ad reg. Peccatum par. 1. num. 7. Nauarri in Enchir. cap. 17. num 42. & 43. atque aliorum nonnullorum quos refert & sequitur Petrus à Nauar. lib. 4. De restit. cap. 3. num. 2.

Aduerte tamen, quòd si possidens, postquam sciuit cui res esset restituenda, eam secum detulit in alium locum, aduertens aut debens aduertere inde inferri præiudicium domino cui sumptus ea de causa necessarij erunt ad rem suam recuperandam: tunc ipsum, tanquam cum qui tali damno causam dederit, teneri tales sumptus ferre, atqueadeo rem ipsam sumptibus suis restituere, prout præcisè requiritur ad seruandum dominum indemnem. Quod si quis in ea re se bona fide, inculpatéque gerat; vt quia non potuit commodè rem deponere apud aliquem qui restituat; sed cogatur eam auehere, eoquod ibi periclitaretur, non sumptibus ipsius, sed domini, *cuius in eo negotium vtiliter gessit*, facienda tunc est restitutio.

Aduerte etiam ex Couar. loco citato communem doctrinam Canonistarum esse, quando à loco in quo res est accepta creditor recessit manente debitore; illius non huius expensis, faciendam esse restitutionem. Quando verò manente creditore, debitor recessit; huius non illius expensis faciendam esse. Talémque doctrinam procedere quidem cùm debitum ex licito contractu prouenerit: quia vnus contrahentium non debet ex eo pati incommodum, ex quo alter suæ vtilitati consulit. Non procedere autem cùm debitum ex delicto ortum fuerit, quia non est consentaneum vt creditor damnum patiatur in recuperanda re sibi ablata iniustè: sed potius debitor, qui debet sibi imputare, quòd ob suum peccatum sibi eat tale onus ex obligatione iustitiæ, qua tenetur indemnem reddere eum quem damnificauit.

Aduerte tertiò, quod ex Iosepho Angles habet Petrus à Nauar. *in eod. cap. 3. num. 8.* quòd si is qui debitor est ex licito contractu, meritò timeat expensas debitas non esse à creditore sibi soluendas, non teneri cum illis restitutionem facere: immo ex eodem authore *in seq. num. 15.* creditor nequit absque vsura, obligare debitoré, siue ex mutuo, siue ex venditione, siue ex locatione, vt debitum trãsmittat suis expẽsis, quocumque loco fuerit ab ipso repetitum. Ratio est, quia vi talium contractuum, extorqueret lucrosam obligationem: atqueadeo habentem vsurariam conditionem. Quæ cum sit periculosa in emptione census: obiter aduerte: ex vi talis contractus pensionem annuam soluendam esse, vbi est res in qua constitutus est census ipse: ibi enim proferuntur fructus in pensionem debiti. Quod si census personalis sit seu constitutus immediate in ipso debitore, *si aliud non est deductum in pactum*, ibi soluenda est pensio, vbi idem debi

debitor cõmoratur: nisi tam procul discedat, vt emptori graue damnum inde oriatur in exigenda pensione sibi debita, cum quo noluisset vnquam censum eiusmodi emere.

Nu.232. Dicendum tertiò, quòd cùm quis tenetur ad restitutionem eoquod rem iniustè detinuit, existendo culpabiliter in mora: nempe non soluendo creditori, cùm est elapsus terminus solutioni præfixus; vel cùm dominus iustè repetiit: ille debeat eam restituere in loco in quo accepit, vel detinuit; vel in quo tenebatur eam soluere ante iniustam detentionem. Quod si ab eodem loco ipse discedat, vel rem debitam aliò transferat, tenetur expensis suis, in ipso priore loco eam restituere. Sin creditor ab eodem loco discesserit, debitor tenetur suis quoque expensis restituere in eo loco in quo creditor fuerit. Quæ doctrina etiã est Doctorum memoratorum in præced. nu. 231. Et ex eo confirmatur, quòd dominus sine sua culpa grauari aut damnificari non debeat ex restitutione sibi facienda; sed potius iniquus debitor.

Quamquam tamen vt bene ait Medina in Cod. De reb. restit. *quæst. 2. dub. 3.* si creditor aliquid insumpturus erat in eadem re transferenda ad locum in quo illam venditurus erat, id potest deduci. Exempli gratia: Spoliasti aliquem in itinere: auferendo triticum, aut vinum quod vehebat in ciuitatem; ita teneris illud tuis expensis in eamdem ciuitatẽ mittere, vt deducere possis expensas quas spoliatus erat facturus in portando. Quoad cætera verò reddere ipsum indemnem, prout lex iustitiæ exigit. Ratio est, quia ille solùm tenetur hunc seruare indemnem: itaut nullum lucrum ei cesset, aut damnum emergat ex perpetrato delicto. Id autem debitor præstat, etiamsi illud quod dictum est detrahat. Quam Medinæ doctrinam approbat Petrus à Nauar. *in eod. cap. 3. num. 6.* Addens vlterius ex Sylu. verbo Restitutio 4. in fine: quòd si dominus nullas expensas vel paucas facturus erat casu, vel industriâ, aut amicitiâ alterius, nihil esse tunc deducendum: sed simpliciter, & integrè soluendam esse deportationem; alioqui enim creditor innocẽs damnum sentiret: quia priuaretur eo quod haberet, si ei gratis aut modico pretio sua res translata esset, vt futurum erat. Quod autem ex cap. Redintegranda 3. quæst. 1. habetur, spoliatori satis esse si ad eum locum vbi damnum fecit, rem ipsam reduxerit: idem author *in seq. num. 8.* post eumdem Medinam ait verum esse, quando dominus spoliatus rem suam non erat aliò translaturus.

Nu.233. Cæterùm pro praxi ad antedicta addenda sunt nonnulla. Primum est, Quæ debentur ex donatione, vel legato, aut testamento, ibi reddenda esse vbi fuerunt cùm donarentur; nisi aliud expresè dispositum sit à donante. Extra quam dispositionem, non censetur intendisse aliud, quàm vt donatarius si velit accipiat sibi donatum, vel relinquat: cùm ex vi donationis absolutè facta, ipse donans nihil aliud intendisse videri possit. Quo fit vt donatarius suis sumptibus illam recuperare debeat.

Secundum est. Quando res est restituenda expensis creditoris, eas deduci posse ex ipsa re, si nulla alia suppetat commoda via: nempe vendendo eamdem; siue ex parte, vt residuum mittatur: siue ex toto, si diuidi non potest, *veluti equus*, vt pretium mittatur deductis expensis.

Tertium est. Dubitantem an debeat aliquid nécne, non teneri illud alteri offerre, sed posse expectare donec idipsum illius esse certificetur; siue in iudicio, siue extra iudicium: quia in dubio melior est conditio possidentis, quod idem quoque author notat ibidem num. 10.

Caput XVII.

De ordine quo facienda est restitutio.

Summarium.

234 *Non est necessarius ordo cum debitor est soluendo omnibus creditoribus.*
235 *Alias, res aliena quæ extat apud ipsum debitorem, reddenda est soli domino.*
236 *Non esse idem dicendum de re quæ empta est, necdum solutum est pretium, Petr. à Nauar. probabiliter docet.*
237 *Duo obseruanda ne in ea re peccetur.*
238 *Restitutio bonorum certorum præponenda est restitutioni bonorum incertorum: in hacque ordinem seruari non est necesse.*
239 *Quæ debentur titulo gratioso, postponenda sunt in restitutione, iis quæ debentur titulo oneroso.*
240 *Extra iam traditos casus, seruandus est ordo præscriptus lege speciali loci; aut si nulla sit, ordo iuris communis.*
241 *In quo, iis quorum res extat eadem numero, proximè succedunt hypothecarij, deinde is cui debetur dos, tum fiscus.*
242 *Qui deinde alij.*
243 *Probabile esse cum paria suus cætera, non esse necessarium seruare ordinem inter creditores, quorum aliis debetur ex delicto, & aliis ex contractu.*
244 *Expensæ moderatæ pro funere, præferendæ satisfactioni creditorem, excepto eo cuius res extat eadem numero.*
245 *Cùm plures creditores concurrunt præferendi sunt, qui secundùm antedicta sunt priores iure.*
246 *Ex iis verò qui pares sunt, diligentiores in petendo.*
247 *Sique plures simul petant facienda est illis diuisio pro rata.*
248 *An id verum sit cùm alij sunt aliis priores tempore.*
249 *Ordo antedictus seruandus est sub pœna peccati, quod regulariter est mortale.*

Nu.234. Doctorvm de hac re differentium, *quos deinceps commemorabuntur*, communis consensus est, cùm debitor habet vnde soluat omnibus creditoribus, non esse necessarium, vt in restituendo seruet aliquem certum ordinem, sed id relinqui ipsius voluntati: quia ex immutatione ordinis, nullus creditorum defraudabitur eo potiori iure quod habet: nisi aliunde ipsi fiat iniuria. Cùm verò non habet vnde soluat omnibus, itaut aliqui ex creditoribus remansuri sint absque solutione: tunc necessarium esse vt consideret quo ordine, seu cui prius, & cui posterius facienda sit restitutio: nam grauiter peccaret, si tunc non seruaret debitum ordinem, faciens iniuriam iis creditoribus qui erant aliis præferendi.

Nu.235. Is autem ordo intelligitur ex sequentib. regulis. Prima est, *recepta omnium consensu teste Sylu. Restitutio 6. quæst. 5.* Res alienæ quæ extant in propria specie, id est, quæ manent eædem numero apud debitorem, sunt primò omnium restituendæ propriis dominis: quocumque modo, id est, siue iustè per commodationem, depositionem, &c. siue iniustè per furtum, rapinam, &c. acceptæ fuerint. Nam cùm non computentur inter bona restituentis, *in quem earum dominium nunquam est translatum*; illas restituendo aliis, veri domini priuarentur suis rebus iniustè.

Procedit autem hæc regula, etiamsi bona sint incerta,

Universidad de Deusto
Biblioteca

certa,id est, quorum certus dominus omnino ignoretur:tunc enim restituenda sunt iis quibus de præsumpta eiusdem domini voluntate debentur (pauperibus nimirum, vel Ecclesiæ iuxta tradita in præced.cap. 14. sicut communem sententiam habere notat Petrus à Nauar.*lib.4.De restit.cap.vlt.num* 5.Cui doctrinæ Caiet. in verbo Restitutio cap.8. addit, idipsum similiter esse intelligendum de re vendita creditò, itaut inuenta apud debitorem,qui pretium nõdũ soluit,debeat reddi vẽditori:quia licet dominium rei translatũ sit in emptorẽ; ea tamen remansit obligata solutioni,quãdiu apud ipsum perseuerat. Quod idem cum Sylu.loco cit.tanquã equitati naturali cõsentaneum,tenent Nau. in Ench.& Med.in cit. Cod. ille cap.17.num.49.& hic quæst.2.dub.5.dicto 3.

Nu.236. Sed Petrus ipse à Nauarrus in sequenti numero nono & aliquot sequentibus non sine ratione contradicit. Quamuis enim æquitas naturalis ita faciendum esse postulet ; & Iudex si auxilium ipsius imploretur, id iubere debeat : de iure tamen , *nisi forte sit aliquod particulare alicuius loci* , id non est necessarium. Nam nullum ius positiuum statuens tale priuilegium,dicti authores pro se adferunt : & iure naturali rem creditò venditam , factâ iam emptori traditione , non esse magis obligatam venditori, quam venditam præsenti pecuniã,Medina loco citato fateri cogitur hac ratione:quia eo ipso,quòd venditur res,&emptori traditur,siue pretium illico reddatur,siue differatur,sufficitur emptoris ; & inter bona propria ipsius computari potest : nullo iure reali ad rem venditam manente in ipso venditore , plusquam ad alia bona eiusdem emptoris. Accedit ex communi sententia,teste Nauarr.*in seq.num.*50.quòd si res non esset eadem numero, sed aliæ essent loco illius,per permutationem subrogatæ , aut ex illius pretio emptæ;eæ non sint obligatæ solutioni creditoris. Vnde sequitur,neque rem ipsam fuisse obligatam:quandoquidem eadem conditio , qua esset obligata,esset pariter alia quę per permutationẽ,aut venditionem in locum illius subrogatur. Accedit etiam quòd par sit ratio rei , quam quis sibi emit tua pecunia , & rei quam à te emit creditò. Illa autem non est tibi obligata. Ergo nec ista. Quod verò illa non sit obligata,nihilque iuris habeas in ea , patet : quia emens,tantùm sibi,non tibi eam acquisiuit:pro quo glosa finalis ad cap. Cùm tu De vsuris citat aliquot leges ciuiles, inter quas est aperta lex Si ex ea Cod. De rei vendicatione:ex qua Sylu.*in verbo Emptio quæst.* 22. idipsum confirmat.

Addens illud fallere in empto ex pecunia Ecclesiæ:quod non in ementis,sed in Ecclesiæ dominium transit;itaut hæc possit,illud sibi vendicare,prout patet ex cap. Inquirendum De peculio Clericorum, cuius verba sunt : Inquirendum est si quis Presbyterorum de reditibus Ecclesiæ , vel oblationibus , vel votis fidelium,alieno nomine res comparauit : quia sicut nec suo,ita nec alieno nomine Presbyter fraudem facere de Ecclesiasticis facultatibus debet ; quia hoc sacrilegium est,& par crimini Iudæ furis:qui sacras oblationes asportabat, & furabatur. Ex quo canone, quòd Sylu. loco cit. asserit , taliter emptum transire de facto in dominium Ecclesiæ,reprehenditur à Petr.à Nauar. *in memorato cap.vltimo num.*16. qui vult transire tãtùm de iure,postque Iudicis sententiã; quia is canon non exprimit transire de facto.Reprehendit etiam *in sequen. num.* 17. illum ; quòd dixerit Clericum non posse prædium de fructibus Ecclesiæ emptum dare intuitu pietatis. Nam potuit tali intuitu dare pecuniam ex qua emptum est, vt ipsemet Sylvester non negat. Porro si cui probetur istiusmodi doctrina Petri à Nauar.ipse admittere debet,quod ille in memorato num.9. attigit,si ex re empta,cuius pretium nondum est solutum, satisfaciat quis alteri suo creditori,non committere de se in eo peccatum mortale , neque eiusmodi rem esse necessariò restituendam ei qui vendidit.

Verumtamen duo obseruanda sunt ad peccatum *Nu.237.* in tali facto vitandum. Alterum est, quod idem author habet consequenter num. 10. quòd si qua res alicui solutioni specialiter obligata sit,siue per oppignerationem,siue per hypothecam specialem aut generalem; ex ea primò omnium satisfaciendum esse creditori,qui habet ius illud pignoris aut hypothecæ,alteriúsue assecurationis : alioqui enim fieret ei iniuria,priuando ipsum iure suo. Id quod significatur per illud quod aliqui pro regula vsurpant. Debita realia prius personalibus restituenda esse ; vocantes debita realia,quando creditor habet actionem directè & immediate in aliquas res debitoris,vt quãdo sunt illi expresè obligatæ. Personalia verò appellantes, quando creditor habet actionẽ directè, & immediatè in debitoris personam:in res autẽ ipsius non nisi indirectè,& consequenter,vt in mutuo. Alterum est,de quo idem adhuc consequenter num.12. si emptor prauo animo rẽ acceperit,vt statuẽdo non contrahere, vel non soluere,*cùm id sit furtum, ideòque dominium maneat apud creditorem*:talem rem esse restituendam venditori,quãdo pretium non est solutum.

Addiderim pari ratione,quando venditor eo animo fuit,vt nollet dominium rei suæ in emptorem transferre, nisi reipsa solutum fuerit pretium ; quali animo fuisse censendus est , cùm nec pignus , nec fideiussorem ab emptore accepit , nec secutus est illius fidem , tanquam pretium non solutum habens pro soluto.Quo modo potest accipi id quod habetur ex §.Venditę Institutis De rerum diuisione.Res venditas & traditas non aliter acquiri emptori , quàm si venditori pretium soluerit.

Secunda regula est. Quando ex debitis quædam *Nu.238.* sunt certa, id est , quorum creditorem debitor cognoscit:quædam incerta quæ licet debitor sciat se debere,ignorat tamen cui debeat;tunc priùs soluenda sunt certa omnia,quàm incerta: nisi horum quædam extent eadem numero:quoniam talia iuxta regulam præced.restituenda sunt iis quibus debentur, id est,pauperibus , vel Ecclesiæ. Hanc esse omnium Doctorum,sententiam Sylu.expressit *inverbo Restit.*6. *quæst.*5. pro qua Caiet.in verbo Restitutio &Medina in Cod. De reb.restitut. *ille cap.8.& hic quæst.2. dub.5.* rationes afferunt.Optima autem videtur illa , quòd quando debitũ est certum, interueniat ius naturale : quando verò debitum est incertum,interueniat tantùm ius positiuum : cuius dispositione tale debitũ applicatur pauperibus:vt in præced.cap. 14.sect.1. habitum est.In concurrentia autem duorum præceptorum, ex communi Theologorum sententia, illud quod est iuris naturæ , præfertur ei quod est iuris positiui.Quare cùm obligatio restituendi certæ personæ sit iuris naturæ,ea præferenda est obligationi faciendæ pauperibus,quæ nascitur ex solo positiuo iure humano ac dispositione Principis. Vnde colligitur,quod Sylu.& Caiet.in iisdem locis,ac Nauarr. in Enchir.& Fumus in verbo Restitutio:*ille cap.*17.*nu.* 48.*& hic num.*34. annotarunt ; eos errare qui cùm nequeant debita omnia restituere , quærunt pro incertis componere cum Ecclesiæ Prælatis : tanquam proprium de cætero possessuri ; quantum æquialet iisdem incertis restituendis,& sic eludere certos creditores,qui præponendi erant.

Quanquam,vt *Nauarr.& Fumus addunt*, si res incerto domino debita maneret eadem numero apud debitorem, is posset illam vel pauperibus erogare, vel pro ea cum Prælato componere , vt si vas argenteum furatus es,factáque diligenti inquisitione dominum cognoscere non potuisti ; illud poteris vel pauperibus dare, vel tibi,si verè pauper fis, seruare, vel compositionem pro eo facere : quia non teneris de alieno creditoribus satisfacere ; sed vel de suis determinatè,si adhuc apud te extent ; vel de tuis, si aliqua habeas;atq; adeo de memorato alieno quod tibi applicatum fuerit,cùm factum sit tuum per applicationem. Nota autem obiter in restitutione incertorum non esse ordinem aliquem necessarium. Nam,vt loco cit.rectè ait Medina,ius pauperum , & Ecclesiæ ad talia bona,est generale : itaut dando ea pauperibus, non autem Ecclesiæ,non fiat huic iniuria; vt nec fit pauperibus dando Ecclesiæ : nec item fit pauperibus quibus non datur,dando aliis similiter pauperibus.

Nu.239. Tertia regula est, debitum titulo gratioso , seu ex promissione libera,in solutione facienda,cæteris debitis postponendum esse:quantũuis ipsum tunc contractum sit ; cùm promittens erat soluendo omnibus suis creditoribus. Huius ratio est , quòd debitor ad talis debiti solutionem teneatur tantùm, inquantum facere potest,vt habetur ex lege Inter eos ff. De re iudicata.Nó potest autẽ oneratus aliis debitis;quibus absolutè tenetur satisfacere ; vt teneri censetur quando contracta sunt titulo oneroso.puta emptione,mutuo,vsurpatione illicita rei alienæ.

Ex qua regula deduci potest illud,quod Petr.à Nauarr.habet *lib.4.de restit.cap.vlt.num.*7. priùs soluenda esse debita certæ personæ,quàm legata,etiam pia,facta certæ personæ vel Ecclesiæ , quia hæc debentur tantùm titulo gratioso,& illa titulo oneroso.

Deduci quoque potest id quod habet Sylu.*in verbo Restitut.sexto quæst.*6. debita contracta per defunctum, debere in restituendo præponi legatis etiam piis Secus est verò , secundùm eundem ibidem,de debitis per hæredem contractis sua tantùm,& non defuncti causà:quoniam ex lege 1. Cod. Communia de legatis,bona legantis sunt legatario tacitè hypothecata. Id quod Petro à Nauar.non placet:quibus rationibus qui volet apud ipsum videat *in sequen. num.* 48. Nam sufficit nobis in ea re videndum esse quid consuetudo loci ferat,aut quid statuant leges in eodem vsitatæ:quia illud sequendum erit in conscientia,etiamsi repugnet legi à Sylu. citatæ,cui præponderare debet tanquam posteriore lege constitutum. Inter legata autem soluenda,ea quæ pia sunt videri præferenda, expressit postea idem à Nauarr.num.50.& est rationi consentaneum, dictanti curam præcipuam cuiusque debere esse salutis animæ.

Nu.240. Quarta regula. Extra prædictos casus,si aliqua sit lex municipalis,aut regni vel prouinciæ seu loci in quo facienda est restitutio,præscribẽs ordinem restituẽdi seruandũ à debitoribus,ex tali præscripto agẽdum esse. Hanc habent Caiet. Et Nauarr. *ille in cit. cap.8.& hic in Enchir.cap.*17.*num.* 50. Et confirmatur, quia talis lex obligat in conscientia per communem doctrinam de obligatione legis ciuilis tradendam suo loco in sequen.lib.13. dummodo tamen ea non repugnet iuri naturali, *vt attigit Caiet.* Tunc enim seruanda non est : vt si bona quæ certò constat aliena esse,& extant eadem numero,promiscuè ex lege municipali computarentur inter bona debitoris.

Quinta regula. Si nullus in hac re ordo fit particulari lege,aut consuetudine præscriptus;obseruandus est ordo iuris communis : qui ex Baldo *ad legem Pro debito.Cod. de bonis authoritate Iudicum possidendis*, talis est (vt videre licet apud Nauarr. *in eod. cap.* 17.*num.*49.*& aliquot sequen.* & Sylvestrum in præced.quæst.5.) primum locum inter creditores obtinent illi, quorum bona extant in propria specie, seu eadem numero.

Secundum locum verò,*ex lege Eos Cod. Qui potiores* *Nu.241.* *in pignore habeantur* , creditores hypothecarij, hoc est, quibus ad securitatem futuræ solutionis, bona debitoris sunt expresè oppignerata; & inter hypothecarios,illi qui habent specialem hypothecam super rem aliquam,præferendi sunt quoad eam,illis qui habent generalem super omnia bona. Quod intellige nisi hi fuerint priores tempore:cùm regula iuris, Qui prior est tempore potior est iure, ad quemcumque hypothecarium (prout Sylvest. ibidem fatetur) pertineat, tanquam indifferenter & sine determinatione concepta.

Inter eos verò qui habent speciales hypothecas, præcedunt illi qui mutuo dederunt pecunias quibus res hypothecata , *vt domus , vel nauis*, construeretur, vel restauraretur , si in eum finem dederint, ex lege Interdum ff. Qui potiores in pignore. Ratióque est quia sine tali mutuo,eiusmodi res non extitisset,aut certè periisset,ideóque prior creditor parum, aut nihil ex ea habuisset commodi. Vnde ægrè ferre non debet ei,cuius mutuo salua est,prius ex illa satisfieri. Quod idem,*vt videre est apud Couarr. lib. 1. variarum resolut.cap.7. num.*3. dicendum est de eo qui mutuo dedit pecuniam ad emendam domum vel prædium, vel aliam rem cum pacto expresso, vt ea res sibi maneat hypothecata pro debito. Nam talis præfertur aliis creditoribus habentibus hypothecam generalem in omnibus bonis debitoris, etiam comprehendentem bona in futurum ab ipso acquirenda. Pro quo facit lex Licet Cod.Qui potiores in pignore habeantur.

Tertium locum tenet ille cui debetur dos : idque in fauorem matrimonij. Immo aliquando iste præfertur hypothecario. Nam ex Sylu.*in verbo Dos quæst.* 12.*dicto* 3.cùm donatio doris præcessit hypothecam, illa debet solui antequam soluatur hypothecario: quia postquam dos est constituta,non potuit in eius præiudicium expressa hypotheca consignari ; sicut cùm hypotheca præcessit dotem , hypothecario satisfaciendum est antequam dos soluatur : quia fieret illi iniuria , vtpote qui priuaretur iure expresso hypothecæ:seu quod habebat in bonis debitoris ex pacto cum eo expresè facto. Qua de re post Sylvest. agens Petrus à Nauarr. *in præced.num.*22. & 23. addit in num.24. priuilegium dotis, quia non est personale sed reale , transire ad hæredes mulieris, siue sint ipsius filij,siue alij.

Quartum locum tenet fiscus ratione contractus cum eo initi,aut tributi nondum soluti:qui tamen si prior tempore fuerit, præfertur ex Sylu. *in verbo Restit.6. quæst.5.dict.* 2. tanquam habens simile priuilegium cum vxoribus : de cuiusmodi priuilegio latè Couarr.in cit.cap.7.

Quintum locum tenent habentes tacitam hypo- *Nu.242.* thecam super bona debitoris,hoc est, quibus obligata sunt bona debitoris;non quidem expressa obligatione,sed secùdùm iuris interpretationem.Quo modo bona omnia Prælati tacitè obligantur suæ Ecclesię,pro mala illius administratione;& bona viri obligantur vxori pro dote recepta:aliáque quorumdam aliorum:vt tutorum & curatorum;itemque administrantium bona ciuitatis:adde & patris administrantis bona aduentitia filij pro mala sua administratione.Videri potest Lud. Molina satis fusè persequens quæ ad tales aliósque hypothecæ tacitæ modos spectant in tract.2.De iust.&iure disput.536.

Sextum locum habent illi qui commodarunt vel deposuerunt aliquid apud debitorem , quod culpâ ipsius amissum est. Hos ex eodem Sylvest. tanquam

Universidad de Deusto
Biblioteca

non habentes hypothecam; postponendos esse antè memoratis; præponendos verò post memorandis, tanquam habentes actionem realem. Petrus à Nauar. annotat in sequenti num. 28.

Septimum locum tenent priuilegiati, hoc est, illi qui ex priuilegio habent quod inter creditores personales (quo nomine significantur illi qui nullum proximè ius habent ad rem, sed solummodo actionem in personam debitoris) primo omnium illis satisfieri debeat. In exemplum horum proferri possunt ex Molina loco citato num. 29. illi qui deposuerunt pecunias apud nummularium non percipiendo inde vsuras. Itémque pupilli, minores, prodigi, fatui, surdi simul & muti, qui priuilegium personale habent, vt de bonis tutoris vel curatoris priùs soluatur eis quàm cæteris creditoribus.

Octauum locum tenent cæteri creditores, quibus debitor obligatur ex iusta acceptione, seu licito cõtractu, prout sentiunt Caiet. in verbo Restitutio cap. 8. & Nauarr in Enchir. *cap.* 17. *num.* 53. Consequenter tribuentes 9. locum illis quibus restitui debẽt vsurę, furta & rapinæ. Sed post D. Bonauenturam, Medina in Cod. de reb. restit. *quæst.* 2. *dub.* 5. *dicto* 4. contra putat esse prius soluenda debita quo nascuntur ex iniusta acceptione, vt vsuras, furta, & rapinas, quàm quæ nascuntur ex iusta acceptione.

Nu. 243. Quam vtramque opinionem reiicit Petrus à Nauarr. in eodem cap. vltimo, dubitatione octaua (& cum eo recentiores vt Lessius De iustitia, & iure lib. 2. capit. decimoquinto dubitatione tertia) sentitque *si cætera sint paria*, quòd debitum ex iusta vel iniusta acceptione sit, non facere vt vni creditori, priusquam alteri fieri debeat restitutio: quia id nulla lege statutum est, nec vlla ratione conuincitur. Nam debitori sua bona similiter manent, siue ex delicto, siue ex contractu licito debitum contraxerit; similitérque aduersus ipsum agere, & ad ipsius bona ius sibi quærere creditores possunt. Vnde in foro externo (inquit ipse à Nauarr. ibid. num. 41.) nulla habetur ratio debiti ex delicto, vel ex licito contractu, quando in debitores est tantùm actio personalis, neque vllus creditorum hypothecam habet vel priuilegium. Id autem illicitum esset, si debitum ex contractu iure naturæ deberet præferri debito ex delicto.

Si obiicias in facienda restitutione maiorem iniuriam præferendam esse. Respondetur, quidquid sit de acceptione, eamdem esse iniustitiam, ac peccatum eiusdem speciei, debitum ex contractu non soluere inuito creditore; & non soluere debitum ex rapina vel furto, quia æquè vtrumque inuito domino; ideoque inducit æquam obligationem restituendi detentum, tanquam æquè debitum ex iustitia, & æquè curæ domino, vt sibi restituatur. Quod verò aliqui senserunt bona vsurariorum esse tacitè hypothecata soluentibus vsuras; & ideo tales esse præferendos in hac re: idem author *in præced. num.* 33. ex eo reiicit, quòd nullus detur textus, ex quo talis hypotheca habeatur: eáque dicatur tacita hypotheca, quam lex inducit: sicut expressa dicitur ea quæ ex contractu inter partes inito, prouenit.

Vltimum demum locum habent illi quibus incerta bona debent restitui. Quod cùm nitatur ante tradita regula 2. non est magis quàm ea certum.

Nu. 244. Aduertendum est autem, quòd si quis moriatur relictis paucis bonis ex quibus nõ potest satisfieri omnibus creditoribus, deducendæ sint primò omniũ expensæ moderatæ funeris, & exequiarum ex lege penultima ff. De religiosis, & sumptibus funerum; itémque promulgationis testamenti, additionis ad hereditatem, confectionis inuentarij, custodiæ supellectilis, & aliorum huiusmodi ex lege Scimus §. In cõputatione Cod. De iure deliberandi. Et ratio est: quia non debet hæres sentire detrimentum ex suscepta hæreditate. Id verò non procedit, *vt bene monet Petr. à Nauarr. in eodem cap. vlt. dubit.* 2. quando omnia bona debitoris sunt aliena, extantia eadem numero. Nam tunc nihil de illis sumi potest sine licentia data à creditoribus: nisi extrema necessitas vrgeret, vt quia defunctus alioqui non humaretur.

Sexta regula est: Quando plures creditores concurrunt in eodem ordine, semper in restituendo reliquis præferendos esse à debitore eos, qui secundùm antedicta sunt priores iure; itaut restitutio nunquam sit ab eo facienda minus priuilegiato, *etiamsi prior petat*: relicto magis priuilegiato: ne quidem si hic ditior sit, & ille pauperior. Ratio est: quia fieret alioqui iniuria, qua quis suo iure priuaretur contra iustitiam commutatiuam: attendentem, non eãdem personam sed rerum æqualitatem. Pro quo faciunt quæ habet idem Petrus à Nauar. in sequenti dubit. nona. Nonnullas iuris subtilitates de hac materia, habet Lud. Molina. De iust. & iure tract. 2. disput. 336. num. 34. 35. & 36. apud quem videat qui volet. *Nu.* 245.

Septima regula: Si quis creditorum in iudicio vel extra iudicium aliis qui non sunt magis priuilegiati quàm ipse, diligentior sit in debito petendo, prius illi quàm aliis satisfaciendum est hoc nomine, quod prior petierit, etiamsi posterior sit tempore: siue (vt Sylu. loquitur Restitutio. 5. quæst. 5. versic. Post hos) non attenta prioritate contractus. Neque, *vt Nauar. in Enchir. cap.* 17. *num.* 52. *expressit*, peccat creditor accipiendo debitum, quod petit diligentiùs quàm alij, qui non sunt magis priuilegiati; quia cùm sit illis par iure, non facit eis iniuriam, sicut nec faceret qui cùm distribuitur eleemosyna, petendo præueniret eos qui diutiùs quidem expectarunt: sed minus diligenter petunt. Tam hanc quàm præcedentem regulam consensu omnium receptam esse notat Petrus à Nauarr. lib. 4. De restit. cap. vltimo num. 42. & 52. *Nu.* 246.

Octaua regula est: Quando sunt plures creditores, quorum vnus non est diligentior alio in petendo, nec magis priuilegiatus: id quod ex bonis debitoris restat, est inter eos diuidendum pro rata: nempe recipiendo, vel amittendo, v.g. solidum pro libra. Hanc attigit Nauarr. & ante eum Sylu. *ille in præced. num.* 51. *& hic in sequen. quæst.* 8. Admonens, quòd si debitor velit alicui ex creditoribus gratificari, debeat id aliis omnibus communicare, & ab omnibus licentiam obtinere. Quod pari ratione iudicandum est, si contingat, plures ex priuilegiatis concurrere, qui sint in eadem causa: vt quando plures concurrunt ad eumdem nummularium apud quem deposuerunt suam pecuniam. Non enim præfertur is qui in deponendo prior fuit tempore: sed ei pro rata, sicut cæteris soluendum est: & sic de aliis, quando concurrunt habentes priuilegia prælationis; neque iure habetur expressum quis sit præferendus. Pro hac regula facit lex Priuilegia ff. De rebus authoritate Iudicis possidendis; cuius verba sunt. Priuilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa: & si eiusdem tituli fuerunt, concurrunt; licet diuersitates temporis in his fuerint. *Nu.* 247.

Nona regula est. Creditori priuilegiato, qui iuxta antedicta præponendus est aliis, soluendum esse in totum, non obstante incommodo quod alij sensuri sunt. Hanc Petr. à Nauarr. *in eod. cap. vlt. dubit.* 5. ex eo probat, quòd si talis creditor est priuilegiatus, habendo rei dominium, aut hypothecam, ius naturæ exigat, vt res ipsa, cuius est dominus, tota ei detur, aut quæ ei assignata est in assecurationem, applicetur ad totaliter ei soluendum: itémque exigat vt ad commune

mune bonum seruetur priuilegium, quod legis beneficio fuerit alicui concessum.

Nu. 248. Cæterùm quando nullum est priuilegium: sed omnes actiones sunt ex æquo personales, vt eorum quos vocant chirographarios, Medina in Cod. De reb. restit. *quæst.* 2. *dubit.* 5. *dicto* 5. sentit antiquiorem creditorem esse præferendum; nempe illi priusquam cæteris, soluendo debitum. Fundamentum ipsius est, quòd qui prior est tempore, potior sit iure ex 54. regul. iuris in 6. Sylu. verò in memorata quæst. versu Post hæc, & ante eum D. Anton. 2. part. tit. 2. cap. 7. §. 3. contrarium iudicat: hoc est, debitorem ob solam debiti antiquitatem non teneri alicui tali creditori soluere in totum: sed cuique in eadem causa existentium, debere satisfacere pro rata: atque adeo ob creditorum cumulum, facere priorum partem deteriorem: quodquidem Petr. à Nauar. in fine eiusd. cap. vltimi approbat, per legem 1. §. Ex contrario ff. De separationibus bonorũ. Neque obstat citata regula iuris, quia dici potest eam procedere in habentibus ipsam rem sibi hypothecatam: vt duæ vxores habẽt bona mariti ratione dotis acceptæ: & ideo ex eiusdẽ regulæ præscripto, satisfaciendum est doti prioris matrimonij antequam satisfiat doti posterioris: & ita (vt Sylvester notat *in ead. quæst.* 5. *dict.* 2.) filij ex priori matrimonio agentes de dote materna contra nouercam, huic præferuntur. Cæterùm videdum erit & sequendum si quid ea de re speciales leges loci disponant: cum autem nihil eiusmodi habetur, tenẽda est in praxi opino posterior vt magis accõmodata ad æqualitatem retinendam, quæ in repub. per iustitiam commutatiuam constituitur, suum cuique tribuendo quantum fieri potest.

Nu. 249. Vltima regula est. Ordinem per præcedentes regulas præscriptum, seruandum esse in conscientia, tanquam ex æquitate naturali (secus si ex falsa præsumptione) ob commune bonum præscriptum. Hanc habent Sylu. & Nauar. *ille in seq. quæst.* 7. *& hic in supra memorato num.* 52. Qui inde infert peccare generos, & nurus, de bonis socerorum id accipientes & retinẽtes quod eis debetur, scientes deberi magis priuilegiatis. Vbi nota patrem non habere potestatem dandi filiæ aliud, quàm quod potest sibi reseruare, & de quo potest pro libito disponere. Vnde promissio dotis intelligitur sub ea tacita conditione, si ea pertingat ad illud quod patet qui promittit, potest sibi seruare. Neque socer tenetur dotem genero soluere, nisi in quantum potest: quia promissio liberalis, *qualis est illa*, non tenet, vbi promissum desinit esse in promittentis potestate. Inferri etiam potest debitorem cognoscentem statum suum labentem, non posse creditori non præferendo, debitum integrè soluere, vt gratificet ei. Nam postponens ei priores iure, facit his iniuriam: dato quòd ea de causa ipsi fraudãdi sint debito suo; siue in totum, siue ex parte.

Porro peccatum illud quod committitur transgressione prędicti ordinis, esse mortale, nisi paruitas materiæ, aut probabilis ignorantia iuris vel facti excusset: Petrus à Nauarr. expressit in eodem cap. vltimo dubit. vltima. Quãquam (vt de iust. & iure tract. 2. disput. 536. in fine Molina indicat) excusationi locus esse potest ex iusta causa: qualis est quod à Iudice compellatur, aut breui compellendus sit, non sine graui molestia in litigando, & iacturâ bonorum in expensis faciendis. Et certè cùm non obstent debita, quin debitor sit adhuc bonorum dominus, potest ex illis sibi subuenire quando necessitas ipsum vrget, neque contrarium creditores vellent rationabiliter. Verumtamen, vt idem author addit, tali consulendum est vt eiusmodi incommodo obuiet cedendo bonis, quando nulla spes esset ita peruenturum ad pinguiorem fortunam, vt omnibus suis creditoribus plenè satisfacere possit.

CAPVT XVIII.

De causis quæ debitorem excusant à restitutione.

SVMMARIVM.

250 *Diuersus à diuersis constituitur numerus causarum excusantium à restitutione.*
251 *Inopia excusat quamdiu perseuerat.*
252 *Conditiones requisitæ, vt remissio creditoris excuset.*
253 *Cessio bonorum quomodo excuset.*
254 *Causæ aliæ excusantes, nempe vitæ periculum, restitutio facta creditori creditoris, interitus rei debitæ: & sententia iuris vel Iudicis cum duabus conditionibus.*
255 *Ingressus religionis quomodo excuset.*
256 *Quomodo excommunicatio.*
257 *Aliæ causæ: incertitudo creditorum, compositio, & compensatio.*
258 *Conditiones necessariæ ad licitam compensationem.*
259 *Quæ ignorantia excuset à restitutione.*
260 *Quomodo excuset euentus, quo pari modo res periuraverat apud verum dominum.*
261 *Duæ aliæ causæ: compensatio per aliquod obsequium, & præscriptio vel vsucapio.*
262 *Propositæ causæ quamdiu durant excusant, vt à restitutione, sic & ab excommunicatione generaliter lata, non item à lata specialiter.*

TVT pro certo habeatur ab omnibus, obligationem præcepti de non retinenda iniquè re aliena, non expectare tempus, sed statim vrgere, *quandoquidem ea est præcepti negatiui, obligantis pro omni tempore*: æquè nihilominus omnes pariter agnoscunt subesse posse nonnullas causas, ob quas excusetur quis à peccato non adimplendo eam ipsam obligationem.

Nu. 250. Illæ autem diuersò modo à diuersis numerantur. Namque Caiet. *in verbo Restitutio cap.* 6. numerat tantùm tres generales ad quas reuocentur cæteræ tanquam speciales, Nauarrus verò in Enchir. *cap.* 17. *nu.* 75. *& aliquot sequentib.* munerat nouem, Medina autem in Cod. De reb. restit. quæst. 3. proponit duodecim, & demum Greg. à Valen. 2. 2. disput. 5. quæst. 6. punctõ 7. adfert quindecim. Ego ad sexdecim conflituerim: quarum aliæ sumuntur ex parte debitoris, aliæ ex parte creditoris, aliæ ex parte rei alienæ retentæ, & aliæ ex parte publicæ potestatis. Duodecim primas eo ordine tradam quo Medina loco citato.

Nu. 251. Prima igitur causa excusans à restitutione, est inopia; seu cùm quis non habet actu, vnde restituat, nec probabile est posse propriâ industriâ vel labore; aut aliter acquirere. Tunc enim, vt habet Couarr. ad reg. Peccatum *par.* 1. *num.* 2. receptissimum est à restitutione debitorem excusari: quia nemo ad moraliter impossibile obligatur: neque tenetur ad id, quod proprias vires excedit: atqueadeo cùm ex impotentia debitoris detentio reddatur inuoluntaria, tunc sufficit coram Deo, debétque sufficere corã hominibus voluntas parata ad satisfaciendum. Intelligendum tamen est istud, quamdiu debitor in ea necessitate manet: quia si ad pinguiorẽ fortunam postea venerit, tenebitur tunc ad restitutionem à qua hæc causa excusat, non quidem tollendo obligationem, sed impediendo ne peccetur illius transgressione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.252. Secunda causa est, remissio creditoris siue expressa; *vt quæ indicatur verbis*: siue etiam tacita: vt quę probabilibus indiciis cõijcitur. Quando enim creditor debitum remittit debitori suo: quia talis remissio donatio quædam est; qua rei dominium transfertur; hic ab obligatione restituendi liberatur: etiamsi non habuerit propositum restituendi, peccaritque non habendo. Ita notant Medina causa 2. Sylu. restit. 7. qu. 2. Couar. ad Reg. Peccatum, 2. par. in initio num. 5. Nauar. cap. 17. nu. 77. & Caiet. in verb. Restitutio cap. 7. Ratio est, quòd totũ id negotium pendeat ex libera voluntate remittentis. Tres tamen oportet adesse conditiones, vt eadem remissio sit valida. Prima, vt non sit iure prohibita, sicut est in tribus casibus: quorum primus habetur in cap. Statutum *De rescript. in 6.* quando Iudex delegatus à Sede Apostolica accipit munera contra prohibitionem illic factam §. Inuper, & sequenti; vbi legi potest. Nam tunc remissio eius qui munus dedit, non prodest ad liberandum ab obligatione restituendi: vt ibidem exprimitur in §. Si quid, & sequenti. Secundus habetur in Clemen. 2. De hæreticis: quando Inquisitores hæreticorum iniustè munera extorquent, vel bona Ecclesiastica confiscãt. Tertius habetur in cap. 2. & 3. De censibus in 6. renouatus in Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. De reformatione; quando visitatores Ecclesiarum ab eis accipiunt aliquid, etiam in munus quocumque modo oblatum, præter sumptus qui necessarij sunt ad vitã, illis diebus quibus visitant: tenentur enim ad restitutionem sic accepti faciendam intra mensem: alioqui si Archiepiscopi sint, vel Episcopi; eis interdicitur ingressus Ecclesiæ. Sin inferiores sint, suspenduntur ab officio & beneficio, quousque de duplo Ecclesiis ipsis grauatis plenariam satisfactionem impendant: nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate seu gratia valitura, vt in fine citati cap. 2. textus habet. Addi potest iisdem casibus ex Concil. Trident. in seq. cap. 12. canonicum qui non interest diuino officio, si distributiones accipiat, ita teneri ad restitutionem, vt ei non prosit remissio cæterorum, quibus illæ accrescunt.

Secunda conditio est: vt remissio fiat ab illo qui potestatem habet remittendi. Non enim satis est si remittant vxor, filiusfamilias, pupillus, aut furiosus qui donare non possunt. Tertia est, vt remissio sponte, liberéque fiat: quam libertatem impediunt vis, ignorantia, & metus: itaut inualida sit remissio cùm fit violenter; vt quando potentes renuunt soluere mechanicis, aut mercatoribus; vel quando creditori tot in solicitanda solutione exhibentur molestiæ, vt cogatur remittere vnam partem debiti ad aliam partem obtinendam. Vbi nota ex Caiet. Med. Couar. & Nauar. locis antea citatis, sufficere quòd remissio sit absolutè libera & absque admixtione inuoluntarij, etiamsi creditor precibus debitoris vel alterius personæ ad eam inducatur, nec offeratur pecunia præsens, quam accipiat in solutionem si lubeat: nisi forte preces tam importunæ essent, quòd mallet quis sua re carere, quàm tanta importunitate solicitari; tunc enim rẽdemptio vexationis potius, quàm libera remissio censeretur. Item cùm interuenit ignorantia, eáque talis quæ sit principalis causa remissionis; vt quando quis debitũ remittit alicui, quia putat ipsum esse pauperem, cùm reuera diues sit, neque remisisset si diuitem esse sciuisset. Ac denique cùm metus interuenit. Nam in conscientia omnis ille metus, etiãsi ex Nauar. in Enchir. cap. 17. nu. 4. minor sit, quàm ad eam inualidandam, fórum externum requirat) qui est principalis causa remissionis: efficit eam inualidã: dummodo tamen in eum finem, *hoc est, vt remissio fieret*, sit incussus, idque iniustè. Quod addo quia ille qui debitum alicui remittit timens ne ipsum accuset, quando iustè potest, nequit repetere id quod remisit: quia talis remissio est valida, tanquam voluntaria. Hoc notans Nauar. in eodem cap. 17. num. 14. duo addit nu. 15. obiter notanda pro antedictis. Prius est in externo iudicio (secus quam in interno) pacta censeri, sponte consentire, & per metum leuem consentire. Posterius est blanditias nequaquam impedire libertatem, quæ requiritur ad remissionem validam. Cæterùm locum habere istiusmodi excusationem, etiam in vsurario quoad vsuras, Couarr. ad regulam Peccatum 2. par. initio, nu. 5. expressit pluribus aliis in eamdem sententiam citatis.

Tertia causa: Cessio bonorum: de qua titulus habetur Cod. Qui bonis cedere possunt, & ff. De cessione bonorum. Ea autem est vis illius ex lege 1. Cod. eodem: vt si bonæ fidei debitores soluendo non sint, liberentur à carcere, & aliis pœnis iuris, si cedant omnibus bonis suis, & ea relinquant arbitrio Iudicis distribuenda creditoribus, secundùm ordinem restitutionis expositum in præced. cap. Neque si aliquid acquirant post eam cessionem, posit eis auferri quãdo necessarium fuerit ad suam vel suorum sustentationem, ex lege Is qui bonis, & lege Qui bonis ff. De cessione bonorum: & Institutis §. vlt. De actionibus. Quod si postea venerint ad pinguiorem fortunam, tenebuntur id restituere, quod non potuit ex bonis ipsorum prius restitui; ex lege 1. & lege Cùm & filiifamilias Cod. Qui bonis cedere possunt: quasi debitum per cessionem bonorum consopiatur quidem, donec ventum sit ad pinguiorem fortunam: non tamen omnino extinguatur. Quamuis autem Nauarr. in sequenti num. 86. existimet cessionem bonorum causam esse à restitutione excusantem in foro tantùm externo, non item in foto conscientiæ; probabilius tamen videtur, quod Sotus in 4. De iust. & iure & Couar. lib. 2. Var. resol. *ille quæst. 7. in fine & hic cap. 1. num. 6.* sentiunt habere etiam locum in conscientia. Nam lex humana potest priuare particulares bonis propriis, quando id publica vtilitas exigit; sicut facit præscriptione, & vlucapione: ac proinde qui bonis cessit, liberatur in conscientia (pro quo facit etiam cap. Odoardus De solutionib. & cap. 2. De pignoribus) ab obligatione restituendi donec veniat ad pinguiorem fortunam: sub qua conditione lex illum à restitutione liberum facit. Hocque procedit ex Couar. loco cit. etiamsi bonorum cessio facta sit cum aliqua ceremonia ignominiosa: vt v. g. sedendo in loco publico cum corbe imposito capiti. Nam talis pœna non infligitur ei vt liberetur omnino à solutione; sed vt plectatur culpa quam censetur admisisse, contrahendo debitum cùm esset impotens ad solutionem. Nu.253.

Quarta causa, est periculum vitæ (nempe quia interficietur, aut fame peribit, vel grauiter vulnerabitur aut infirmabitur) cum quo ex communi Doctorũ consensu, teste Petro à Nauar. *lib. 4. De restit. cap. 4. nu. 19.* debitor non tenetur restituere alienum, etiamsi illud iniustè acquisierit. Ratio est, quia in eo casu iustitia non læditur, cùm creditor non possit rationabiliter inuitus esse, si proximus ad tale damnum vitandum restitutionem ei faciendam differat, vel omnino omittat, eádẽ causâ semper manente. Namque lex charitatis obligat illum etiam de bonis iis familiaris; iuxta antedicta lib. 4. cap. 20. sect. 3. agendo de obligatione faciendi eleemosynam. Itaque ea quibus quis indiget grauiter ad conseruationem vitæ suæ & suorum, non tenetur restituere. Dixi, *& suorum*, quia idem ius est illorum vitam conseruandi ac propriam. An autem differri possit restitutio creditori Nu.254.

tori aut aliis nocitura, in seq. cap. exponetur.

Quinta causa, est solutio facta creditori vel creditoribus creditoris: de qua iam sufficienter in præced. cap. 13. sect. 2. dictum est.

Sexta causa, interitus rei debitæ, si debebatur ratione rei iustè acceptæ. Quæ causa iam est satis nota ex dictis in præced. cap. 5.

Septima causa est, sententia iuris seu Iudicis, legum authoritatem ac naturalem æquitatem secuti, atqueadeo ferentis eam seruato eiusdem iuris ordine, ex sufficienti scientia: non autem ex sola præsumptione, vel falsa testium depositione. Ratio esse potest, quòd ita fieri expediat bono communi. Requiritur verò vt eiusmodi sententia non modo permittat non restituere (vt fit quando negatur repetitio, aut non conceditur actio in foro exteriori) sed etiam vt rei dominium transferat in debitorem. Idque, vt habet Medina *in explicatione huius causæ*, propter aliquam iustam rationem: vt propter iniuriam tali mulcta dignam, quam à creditore passus est debitor, aut quia ille vsucepit aduersus illum. Nu.255.

Octaua causa, est ingressus religionis. Nam cùm quis religiõem ingreditur, debet cedere bonis suis; & postquam cesserit liber est ab obligatione restituendi. Ac quamuis manendo in sæculo posset suo labore & industriâ omnibus suis creditoribus satisfacere successu temporis: tamen si hoc longum esse oporteat cum periculo salutis, ac damni spiritalis; in fauorem religionis & animæ, permissum est vt possit statim religionem ipsam ingredi; factâ modo supra posito bonorum omnium cessione; ex D. Thom. 2. 2. quæst. vlt. art. 6. ad 3. & ex multis aliis, quos refert & sequitur Petr. à Nauar. in seq. num. 91. Addens id procedere siue quis ex delicto, vt ex furto, vel rapina: siue ex contractu, vt ex mutuo vel emptione: siue ex promissione, aut voto vel iuramento sit obligatus ad soluendum. Probatur verò quia nemo tenetur rem alterius restituere, cum magno suo dispendio in bono altioris ordinis (quale est spiritale respectu temporalis, & maximè salus æterna, respectu diuitiarum terrenarum) præsertim cùm non habens actu bona, nec existens in propinqua potentia ad habenda, censeatur moraliter impotens ad soluendum. Contraria autem sententia Medinæ in expositione huius causæ, *Nempe quòd malè agat debitor qui in sæculo posset creditoribus satisfacere, si per ingressum religionis se impossibiliter ad satisfaciendum*; rationibus nititur quibus sufficienter persuadeatur: eam (nisi obstet interueniens grauis necessitas spiritalis) præcedenti præferendam esse in praxi. Nam vt cæteras taceam *quas habet Lud. Molina De iustitia & iure tract. 2. disput. 758.* constat id quod est præcepti, præferendum esse in praxi, ei quod est tantùm consilij. At debitum soluere suo tempore creditori, est præcepti iuris naturalis; & religionem ingredi, tantummodo est consilij. Illud igitur huic præferendum est in praxi. Accedit quòd creditori perinde fiat iniuria, quando ipso rationabiliter inuito non soluitur ei iustè sibi debitum, ac cùm aliquid ei furando surripitur: neque is magis teneatur debitori ad ingrediendam religionem debitum remittere, quàm ei parem summam tali nomine numerare.

Quocirca debitor non est liber relinquendus sed cõpellendus debitis satisfacere: & maximè ne religio impedimentum iustitiæ, & fraudis ac iniquitatis occasio existat, aut existere appareat. Quo tamen non obstante, si is mancipet se religioni debitis non solutis, traditio erit valida, si persona sit sui iuris, perinde ac si rem aliam donasset positam in sua potestate, etiamsi peccet ea donatione, reddendo se impotentem ad soluendum suo creditori. Quod verò nihilominus teneatur in monasterio laborare ad lucrandum quod soluat (quidquid contradicat Sylu. Religio. 2. quæst. 4.) ratio hæc suadet: quia cum debitor iure naturali teneatur soluere suo creditori, non liberatur à tali obligatione per votum nuncupatum Deo: cui gratum non est id, quod exhiberi nequit quin admittatur aliquid iuri naturali repugnans: proùt repugnat omissio solutionis iustè debitæ cùm ad eam faciendam, licita se offert via. Id tamen cum Rayuero cuius Syluester loco citato meminit, sensim temperandum, vt debitor non debeat ideo diuinum officium negligere: aut à regulari obseruantia abstrahi cum suo spiritali notabili damno & aliorum scandalo.

Nona causa, est excommunicatio, non quidem debitoris qui ex sua malitia commodum reportare non debet ex cap. Intelleximus De iudiciis; sed creditoris, idque in duobus tantùm casibus ad quos non extenditur priuilegium Extrauagantis Ad euitanda de qua egimus *lib. 1. cap. 9. sect. posteriore*: nempe cùm creditor est excommunicatus nominatim aut ob notoriam Clerici percussionem: quia in aliis casibus, per dictũ priuilegium licitum est cum excommunicato communicare. Immo nec in illis duobus, excommunicatio liberat omnino à restitutione: sed tantùm quamdiu creditor manet excommunicatus. Nam statim ac ille fuerit ab eo vinculo absolutus, obligatio restituendi reuertitur. Adde nec certum esse an talis causa sit sufficiens. Etenim quòd non liberetur quis ab obligatione iustitiæ, quam habet reddendi rem alienam ei cui debetur in excommunicationem lapso, pluribus pro se citatis contra Adrianum ac nonnullos canonistas Couar. docet ad Regulã Peccatum 1. par. num. vltimo. Idque non minus probabile esse quàm cõtrarium habet Molina De iust. & iure tract. 2. disput. 758. Et ratio est, quia si debita tantùm ex charitate & pietate, reddi possunt excommunicato, iuxta cap. Quoniam 11. quæst. 3. possunt maiori ratione reddi debita ex iustitia, iure naturali. Nu.256.

Decima causa est, Incertitudo creditorum. Cùm enim creditores cognosci nequeant, res est restituenda pauperibus, vt traditum est in præced. cap. 4. Nu.257.

Vndecima causa est, Compositio, vel dispensatio Prælati, quæ ordinarie ad Papam spectat. Sic autem accipi debet hæc causa, vt non habeat locum si debita certos habeant dominos. Nam tunc nemo potest componere vel dispensare super iisdem, nisi in casu in quo verus talium bonorum dominus potest illis priuari ob scelera sua, vel ob Reipub. necessitatem. Ratio est, quia Princeps neque dominus, neque dispensator est bonorum suorum subditorum: sed solùm defensor iuris vniuscuiusque, & criminum Iudex ac vindex. Itaque tunc demum causa proposita locum habet, cùm bona debita pertinent ad incertos dominos, secundùm antedicta in eod. cap. 4.

Duodecima causa est, Compensatio, vel deductio iuxta cap. Bona fides, §. Sanè, De deposito: hoc est, quando debitor retinet debitum, eoquod si tantumdem ei à creditore debeatur. Atque si retineat totum illud quod ei debetur, dicitur compensatio: sin vnam tantùm partem, dicitur deductio.

In hac autem re ad vitandum peccatum, præter eam quæ in cit. cap. habetur (vt scilicet debitũ quod retinetur non sit res deposita, quoniam contra bonam fidem est, rem depositam retinere) obseruandæ sunt sex illæ conditiones quas passim authores notant obseruandas esse, vt is non committat furtum, qui ab alio accipit rem ipsius occultè. Nu.258.

Prima est, vt ei certò constet rem sibi debitam esse ex iustitia. Vnde si debitor dubitet, an creditor sibi tantumdem debeat, quantum se illi debere nouit: non potest compensatione vti: quia melior est con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditio possidentis. Item si sciat sibi tantùm ex gratitudine deberi cum ipse debeat ex iustitia. Oportet enim parem esse vtriusque conditionem. Vnde intelligitur famulos non posse ex bonis dominorum occultè accipere in compensationem; eo nomine, quòd stipendia sua sint iusto minora: nisi reuera constet iudicio prudentis id ita esse: neque lege tantùm gratitudinis, sed & iustitiæ plus ei deberi: ad quod diiudicandum, quæ habet Nauar. in Enchir. *cap.* 17. *num.* 109. *& aliquot sequen.* vsui esse possunt.

Secunda conditio est, vt necessitas adsit, hoc est, vt non possit quis aliâ viâ rem suam habere; aut certè non sine magnis expensis, cùm res modica sit, aut absque notabili molestia, vel amissione beneuolentiæ, & fauoris: qua conditione interueniente locus est compensationi: siue res hinc inde debitæ, eiusdem sint rationis, siue differentis: dummodo is qui eiusmodi compensatione vtitur, suo debitori satisfaciat, si forte inde aliquod interesse patiatur: vt etiam Medina in explicatione huius causæ ante primum dubium docet. Id quod extendi potest ad delicta hinc inde commissa: quæ cum paria fuerint, iniuriam per ea illatam tolli mutua compensatione, habetur ex cap penult. & vltimo De iniuriis.

Tertia conditio, ne alij detrimentum patiantur, vt serui eius à quo res accipitur, vel alij qui debeant talem rem custodire, vel is ipse à quo accipitur adhuc restituat à se debitum. Nemo enim locupletari debet cum alterius iniuria ex regula 48. iuris in sexto.

Quarta conditio, vt caueat, ne plus accipiat quàm suum sit: sed vel rem eamdem numero, vel certè æquiualens. Quinta, ne periculum sit, quòd tota res patefiat, ipséque ideo famæ detrimentum vel vitæ dispendium patiatur. Sexta, ne ea ratione exponat se alicui periculo peierandi, aut aliter peccandi.

Aduerte autem circa memoratum Canonem Bona fides, ipsum non obstare quominus si res deposita ignoraretur ab aliis, & adessent sex istæ conditiones, debitor possit illam retinere in compensationem. Et ita cùm is qui rem deposuit iam mortuus est, nec hæredes quidquam sciunt de depósito; ille qui rem depositam habet, potest sibi eam retinere quando nequit alio modo compensationem obtinere eius quod sibi iuste debetur paris valoris. Ratio autem cur ille Canon non obstet est, quòd ex glosa *ad verbum Contra*, is spectet ad forum externum in quo locus est præsumptioni, aut si ad internum quoque pertineat, malam fidem in eo qui depositum retinet præsumat inesse, seu reuera, seu aliorum existimatione: itaut ratione saltem scãdali, nequeat tale quid fieri. Quod cùm ita sit: si absint mala fides, & scandalũ: concurrántque conditiones antedictæ, poterit in tali casu tutâ conscientiâ retineri depositum in debiti iustam compensationem. Quæ est doctrina Syluestri in verbo Furtum quæst. 12. & 13.

Hîc occurrit dubium quod idem Syluester tangit, An liceat tibi vim adferre debitori, si aliter nequeas rem tuam obtinere. De quo videntur tria statuenda.

Primum est, non licere absolutè: quia talem vim inferre spectat ad magistratum: cuius authoritatem sibi vsurpare, non licet. Secundum est, si ob exortam perturbationem Reipub. aliter rem tuam in sua specie extantem, vt equum, vestem, &c. nequeas recuperare: non esse improbabile, quòd possis eam, vi etiam adhibita auferre: cùm in eo non videaris propriè aggressor esse, sed rei defensor, ac propulsator iniuriæ, quæ tibi iniquè infertur. Tertium est, si res tibi debita non extet in sua specie, te non posse prædicto modo aliam pro ea tibi vendicare: quia cùm non sis talis rei dominus, debitor cuius illa est, ius habet resistendi tibi, si nitaris illam vi auferre: túque censeris aggressor, tanquam inuadens rem alienam: & ille defensor, tanquam suibi conseruans suam.

Decimatertia causa, est ignorantia probabilis siue iuris siue facti, *ex Nauar. in Enchir. cap. 17. nu. 82.* quæ illustratur exemplo eius qui emit rem alienam ab eo, qui videtur fidelis & probus. Nam existimans eam esse illius, cùm non sit: laborat probabili ignorantia facti: cùm verò consulit viros doctos super aliquo contractu, vel obligatione ad restitutionem; qui respondent illam esse licitam, & hanc nullam esse; cùm tamen contrario modo res se habeat: tunc laborat, probabili ignorantia iuris. Non est autem excusatio si ignorantia fuerit crassa: qualis censetur esse illius qui rem aliquam emit ab homine nullius fidei, vel indoctos tantùm consulit de contractu quem vult inire. *Nu.* 259.

Decimaquarta causa, est euentus, quo res debita eodem modo apud creditorem peritura erat, quo periit apud debitorem: tunc enim nullum fit creditori præiudicium per non solutionem, cùm non habeat minus in fortunæ bonis quàm alioqui esset habiturus, si res ante interitum reddita esset; dempta vtilitate si quam ex re ipsa ante interitum restituta, percepisset. Ad quam vtilitatem compẽsandam morosus debitor tenetur: sicut & ad restitutionem rei, si verus dominus eam habitam venditurus erat ante interitum. Vide dicta in præced. numero 47. Et adde ex Petro à Nauar. *lib. 4. De restitut. cap. 1. num. 26.* si post tempus quo res peritura erat apud verum dominum, pereat apud iniustum detentorem, etiam casu fortuito, eam restitui debere: alioqui enim omnibus qui ad subueniendum incendiis, naufragiis aliisque huiusmodi damnis, liceret surripere quod vellent, dicendo se non peccare, eoquod tales res essent apud verum dominum perituræ. Id autem est contra rationem: quia vbicumque res salua consistit, domini est, & ei reddenda: itaut illam retinens ipso inuito, furti reus sit: perinde ac si illa reddita, vellet eodem inuito, iterum sibi vsurpare. Nam possideret illam, cuius dominium alter à se nunquam abdicauit, non amplius expositam periculo.

Decimaquinta causa, est recompensatio facta creditori per aliquod commodum æquiualens ei collatum: vt per procurationem beneficij pro eo; non quidem Ecclesiastici *vt rectè monet Nauar. in Enchir. cap. 17. nu. 81.* quia hoc vel gratis datur, & tunc non potest auferre obligationem restituendi; vel datur tanquam pretium temporalis debiti, & sic simonia committitur: sed beneficij sæcularis, vt Notarij vel alterius similis, quod potest pecunia vendi. *Nu.* 261.

Decimasexta causa, sunt præscriptio & vsucapio, inter quas differentia constituitur communiter, quòd hæc sit bonorum mobilium & illa immobilium: item, & hæc triennio cõpleatur, illa multò plures annos requirat cum aliquot conditionibus, quas nimis longum esset hîc persequi, ideoque peculiare de ea caput proximè sequens subiiciemus per modum appendicis ad præsentem tractatum.

Cæterùm propositis causis interuenientibus, sicut peccatum non est restitutionem ad tempus differre: ita nec est, nunquam restituere, si eæ nunquam cessent. Nec enim ratio est, cur quis hodie magis quàm cras excusetur, eâdem rationabili causa excusationis perseuerante, vt rectè argumentatur Petrus à Nauar. *lib. 4. De restit. cap. 4. numero 55.* Cui adde, quòd quando *(vt solet frequenter)* excommunicatio fertur in non soluentes debita, vel non restituentes: si quis indubitanter per aliquam ex iisdem causis, excusetur à restitutione, ipsimet non ligari coram Deo; sique excommunicatio sit generalis, & res lateat, nihil teneri facere; neque *Nu.* 262.

opus esse, vt non restituens compareat coram Iudice; sed potest id omnino dissimulare. Sin autem excommunicaretur nominatim, resque cognosceretur ab aliis, debere coram Iudice comparere, & declarare causam iustam quam habet non restituendi: alioqui incurreret in excommunicationem, non quidem quia non restituit, sed quia non paret Iudici, prout tenetur ad vitandum scandalum aliorum, qui pro contumaci, & inobediente ipsum alioqui habẽt. Adde etiam non esse reum periurij similiter excusatum, si sub iuramento interrogatus à Iudice, Num talem rem acceperit vel habeat; neget mente subintelligendo se non accepisse, vel habere eo modo quo idem Iudex intendit: nempe iniustè, vsurpandóve sibi eam non debitam ex iustitia. De quibus Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 114. 115. & 116.

CAPVT XIX.

De quæstionibus quæ mouentur circa debitoris excusationem à restitutione.

SVMMARIVM.

263 *A restitutione excusatur qui nihil habet, aut qui per eam redigeretur ad extremam necessitatem.*
264 *In extrema necessitate potest debitor seipsum præferre creditori; non item in aliis necessitatibus, quæ pares fuerint in vtroque.*
265 *Notabile damnum debitoris secuturum ex restitutione excusare ab hac statim facienda, quidam negant: sed videtur concedendum cum aliis.*
266 *Regula notanda pro confirmatione.*
267 *Periculum peccandi excusat à restitutione statim facienda; non tamen omne.*
268 *Differri potest restitutio, quando debitor ex ea magnum sentiret damnum, & creditor solummodo modicum.*
269 *Quod tamen non procedit cùm debita fuerint magna.*
270 *Lucrum faciendum à debitore non excusat ipsum à restitutione, nisi id sit in commodum creditorum.*
271 *Dilatio restitutionis non est licita, si vergat in detrimentum creditoris: qua in re quando sufficere possit propositum seruandi ipsum indemnem.*
272 *Debitor non tenetur restituere, cum propriæ famæ detrimento notabili.*
273 *Cum modico autem, si debitum sit magnum, teneri videtur.*
274 *Adultera non tenetur manifestare delictum suum, si aliter impediat ne spurius succedat in hæreditate: aut si tali manifestatione nihil profutura sit.*
275 *In casu quo spurius matri credere tenetur, credere debet legitimis hæredi: atem, nisi legitimè præscripserit.*
276 *Adultera tenetur crimen suum detegere, cùm detrimentum famæ quod inde accipit, adæquat, aut non multum excedit illud, quod filij legitimi alioqui patientur.*
277 *Cui damno si in totum obuiare nequit, debet qua ex parte potest.*
278 *Adulter ad restitutionem tenetur sicut adultera.*
279 *Facienda est restitutio hospitali in quo spurius exponitur: & quod de adultera dicitur, dicendum est quoque de ea, quæ alienum supposuit.*
280 *Differri potest restitutio, cùm creditor id quod sibi debetur, exigit ad nocendum alteri. Id quod patitur aliquam exceptionem.*
281 *Differri item potest cùm redundaret in damnum boni communis.*
282 *Et cùm creditor exigit ad damnum sibimet inferendum.*
283 *Aut cùm ad peccatum aliquod perpetrandum excepiis nonnullis casibus.*
284 *Quando possit, & quando non debeat restitutio differri sine facultate creditoris.*
285 *De quæstione an debitor teneatur restituere cùm non potest, nisi excidendo ex suo statu sententiæ oppositæ.*
286 *Tenetur cùm debita fuerint contracta ex iniusta acceptione; non item cùm ex iusta: nisi obstet creditoris necessitas, aut ille ideo non sit soluendo, quòd consumpserit flagitiosè suas opes.*
287 *Ratio talis doctrinæ.*
288 *Leges ei non aduersantur.*
289 *Quædam aduertenda circa eamdem rem.*
290 *Quando is qui se soluturum iurauit, possit vel non possit vti compensatione.*

QVÆSTIO I.

Quænam impotentia sit sufficiens ad excusandum debitorem à restitutione.

DE hac re constat, quòd cùm quis nihil omnino habet, non teneatur restituere; cùm id sit ei impossibile, nemóque ad impossibile obligetur. Similiter excusationem esse à restitutione; quando statim restituendo, debitor in extrema necessitate constitueretur. Creditor enim tenetur illi in tali casu, ex suis bonis indigenti subuenire. Adde (quod notat Petrus a Nauar. *lib. 4. De restit. cap. 4. num. 16.*) cum debitum fuerit rei extantis, & cuius dominium creditor retineat, vt in depósito, & in commodato, ac etiam in furto, quando res furtiua apud debitorem eadem numero perseuerat: ipsum extingui omnino si ad subueniendum tali necessitati ea ipsa res consumpta sit: adeout debitor ad pinguiorem fortunam veniens, non teneatur magis æquiualens restituere, quàm si quodcumque aliud eiusmodi necessitate pressus, consumpsisset. Namque non tenetur ex re accepta, quæ non est amplius: neque ex iniusta acceptione, quia licitè consumpsit: cùm in eo euentu omnia sint communia, saltem quoad vsum. Secus est verò in reliquis debitis, quæ tantùm sopiuntur: quoniam rei debitæ dominium, est penes debitorem, cui proinde, non autem creditori, perit si consumatur; neque extinguitur obligatio, quæ ex contractu processit, quamuis sit suspensa ad tempus per extremam necessitatem superuenientem. *Nu.* 263.

Difficultas autem est, An si creditor in eadem extrema necessitate qua debitor, constituatur; nisi ei fiat restitutio, hic teneatur illi statim soluere cum suo pari periculo. De qua in vtramque partem authores citat Petrus à Nauarr. *in cod. cap. 4. dubit. 5.* ac partem negantem meritò sequitur; quia cùm in eo articulo cesset ius gentium, quo introducta sunt & diuisa dominia rerum, hæcque ideo tunc maneant intra limites iuris naturalis, secundùm quod communia sunt omnia: fit vt tunc etiam conditio debitoris tanquam possidentis, potior sit, quàm creditoris. Atque adeo cùm ille vitæ suæ prius consulere possit, quàm alienæ, nihil est cur tali necessitate pressus, negetur posse restitutionem omittere ad sibi consulendum ex debito. Id quod procedit (vt Sotus habet *lib. 4. De iust. & iure quæst. 7. art. 1. ad 4.* etiamsi iureiurando *Nu.* 264.

Universidad de Deusto
Biblioteca

se adstrinxisset soluere tali die : quia rationabiliter id intelligebatur cum exceptione extremæ necessitatis.

Quoad alias necessitates autem, in quibus debitor & creditor pares sunt , hunc illi præferendum esse communis sententia est teste Petro à Nauarr. *in sequ. dubit.* 9. quia creditor si æquè magnum damnum passurus est ex dilatione restitutionis ac debitor , potest rationabiliter velle vt is patiatur potius, quàm ipse qui omnino est melioris conditionis, potiusque ius habet exigendi solutionẽ ex iustitia debitã,quàm debitor illam negandi:præsertim cum illi haud cæteræ necessitates tribuant facultatem , quam diximus extremam tribuere, faciendo omnia communia quoad vsum. De eo autem quod Sotus addit problema esse in vtramque partem probabile, An debitor teneatur in restituendo rationem habere potius creditoris extremè indigentis , quàm sui parentis eâdem necessitate oppressi:quid in praxi sequendum videretur expositum in lib. 4. cùm de eleemosyna ageretur num.316.

Qvæstio II.

An excusetur à restitutione statim facienda is qui inde magnum patietur detrimentum bonorum suorum pecuniariorum.

Nu.265. DE hoc aliquorum opinio fuit , quos referunt Sylu. Restitutio 5. quæst.1. & Petrus à Nauarra lib. 4.cap.4.dubit. 7. Debitorem teneri restituere alienum cum quocumque rei familiaris detrimento vsque ad suam,& suæ familiæ mendicitatem : reseruatis solùm necessariis ad extremam vitæ sustentationem. Pro quibus facit quod excepta debitoris extrema necessitate , restitutio sit facienda creditori: quãdoquidem potius est ius veri dominij quàm alieni:támque est cõtra præceptum Non furtum facies, retinere alienum inuito domino, quàm accipere: quod extra necessitatem extremam illicitum esse dubium non est. Quo argumento in eam sententiam adducitur Medina *in Cod. De rebus restit. quæst. 5. dub. 2.* Aliorum verò plurium,quos loco cit. commemorat Petrus à Nauarra , & ante eum Couarr. *ad reg. Peccatum* 1.*part.num.*2. sententia est,debitorem non teneri restitutionem exequi cum notabili rerum suarum detrimento; cum nullo verò,aut certè longè minore creditoris.

Nu.266. Ad quam sententiam stabiliendam vt meminit ibidem Petrus à Nauar. pro regula fundamentali sumitur:quòd in hac materia , quandocumque dominus rei rationabiliter debet velle restitutionem differri , vel omitti , id possit fieri : licet ipse quadam cupiditate vel passione ductus , nolit consentire. Hinc enim est quod si gladium depositum furiosus petat,se vel alium iugulaturus , reddi non debeat; quia inordinatè petit , nec debet petere ex cap. Ne quis 22. quæstione 2. Et confirmatur, quia dominus tunc non est consensu debito inuitus, quantumuis sit consensu elicito. Quocirca non fit ei iniuria: cùm omnis iniuria semper sit contra rectam rationem. Restitutionis verò dilatio de qua agimus,sit rectæ rationi naturalique æquitati consentanea , & sine Dei offensa:licet sit cum offensa hominis : qui contra rectam rationem potest multa velle , siue ob stultitiam ex parte intellectus , siue ob deordinationem & defectum compassionis & misericordiæ erga proximum,ex parte voluntatis:itaut offensa eiusmodi censenda sit scandalum,quod Theologi vocant acceptum:quo rectè agendo offendimus homines. Id quod nõ esse curãdum habetur ex cap. 15. D. Matth. vers. 14. Cæterùm congruenter eidem regulæ sequentes propositiones statui possunt, ac teneri in praxi.

Prima.Eum non teneri statim restituere,qui ex sua restitutione timeret se aut suos prolapsuros in aliquod peccatum. Cùm enim magna sit animorum infirmitas,quàm difficile est vincere , sæpe contingit homines pressos egestate *(maximè autem mulieres)* peccata admittere:vt furta,& prostitutiones,aliaque flagitia,ac nonnunquam etiam in desperationem incidere. Id quod à Sylu. *restit. 5. quæst.* 3. & à Nauarr. *in Enchir. cap.17.num.63.* traditum,Petrus à Nauar.*in seq. num.* 38. monet intelligendum esse , quando debitor sic esset infirmus,vt probabiliter timeret suam ruinam in peccatum ex quadam vehementi passione: quia creditor debet cõsentire, vt tunc non restituat, cùm & debeat illi donare de suis temporalibus, quãdo necessarium est ad ipsum liberandum ab imminenti peccandi periculo , cui ex infirmitate exponitur. Quod si non sit valde infirmus,nec vehementer tétatus:itaut possit resistere tentationi, non est locus excusationi à restitutione;quia vel voluntariè exponitur tali damno spirituali,quod facilè vitare posset, passione & infirmitate ipsum non multum vrgente: adeo vt sibi imputare debeat illud quod acciderit, non autem creditori suum repetenti. Nu.267.

Secunda propositio quam habent etiam Sylu. & Nauarr. *ille loco cit. & hic in præced. num.* 57. itémque Caietanus 2.2. & Med. Cod. De reb. restit. *hic quæst.* 2. *dub.*4. *& ille quæst.* 62. *art. vltimo.* Differri posse restitutionem,si dominus ex ea parum iuuaretur,& debitor magnum detrimentum acciperet;vt quia ad soluendum oporteret ipsum vendere domum, vel possessionem pretio quod sit notabiliter minus iusto ; aut distrahere instrumenta suæ artis , vel relinquere artem ipsam, ex qua victum sibi comparat , aut plus æquo expendere in transmittenda pecunia ad creditorem, vel probabili periculo illam perdendi se exponere. Non enim potest creditor rationabiliter velle propter paruum suum commodum,ita grauiter debitorem incommodare. Hocque *ex Nauarr. ibid. num.* 58. locum habet siue debitum sit ex licito contractu, siue ex delicto,vt ex furto. Quia licet duo illa debita differant quoad originem suam,non differunt tamen quoad effectum,de quo agitur,excusationis ab illorum restitutione,propter impotentiam debitoris. Similiter enim impotens est debitor, siue ex iusta , siue ex iniusta acceptione teneatur : ideóque in foro etiã conscientiæ similiter excusandus est ob impotẽtiam. Quod etiam Couarr.docet ad reg. Peccatum 1.parte num.2.in fine: Nu.268.

Verumtamen si circunstantiæ fuerint tales,vt nisi restitutio nunc fiat,nunquam facienda sit (quia scilicet debitor talis est de quo præsumendum sit potius, in dies ipsum minus habiturum, quàm bona conparaturum quibus restituat : tunc res iniustè ablata statim restituenda est, etiam cum magno debitoris damno,quod suæ iniquitati attribuere debet : quia ex naturali æquitate tenetur creditorem quem damnificauit indemnem tandem aliquando reddere. De re autem licitè accepta quæ sit diuersa ratio intelligi poterit ex dicendis in sequenti quæst.5.

Tertia propositio. Si magnum damnum quod debitor patietur,non esset in ipsius bonis propriis,eo modo quo propositum est:sed quia debita quæ oportet restituere magna sunt : ipsum tunc non excusari à restituendo statim.Hanc ex Caier.verb.Restitutio, cap.6.habet Nauarr. consequenter num. 59. & tum ex eodem,tum ex aliis Petrus à Nauar.lib.4.De restit. cap. Nu.269.

cap.4.num.47. Probatur verò, quia tunc debitor ex restitutione cogitur,non quidem pati bonorum suorum damnum, sed ab iniusta alieni retentione cessare:alioqui enim si ex eo quod restituenda est res magnæ quantitatis,debitor excusetur à restitutione statim facienda , melioris conditionis esset ille qui multum fraretur , quàm qui parum ; & ex maiori suo delicto commodum reportaret.

Nu.270. Idem dicendum est etiam,quoad casum quo debitor per restitutionem alieni impediretur multum lucrari;non enim potest inde à statim restituendo excusari,prout habet Caiet. & post ipsum Nauarr. vterque loco citato. Ac probatur,quia per talem restitutionem debitor nihil de suo amittit,sed tantùm desinit lucrari ex alieno, seu alteri debito:quo ipsum carere vt tu lucreris ; naturalis æquitas non patitur Quanquam (*vt Petrus à Nauar. in sequenti numero 52.notat ex Corduba & Medina* , si quis vt paulatim soluat multis creditoribus,quibus nequit simul soluere, solutionem differat ad lucrandum,quò satisfaciat omnibus, non malè facit : quia contra rationem est,vt quis velit sibi statim restitui cum aliorum creditorum notabili incommodo,quod dilata solutione vitari posset.

Nu.271. Quarta propositio. Si restitutionis dilatio vergeret in magnum damnum creditoris , oportere eam statim fieri,quantumuis restituens,tale damnum inde patiatur in bonis propriis , quale ante dictum est. Hanc bene confirmat ratio antea num.265.allata pro priore opinione:quia in tali casu creditor rationabiliter inuitus est,sibi non restitui debitum.

Quæri potest autem,sufficiátne in tali casu restitutionem differre cumvoluntate refarciendi creditori omne damnum quod ei fuerit datum differendo, itaut indemnis seruetur. Atque Caiet. quidem & Fumalis *ille in citat. cap. 6. & hic in verbo Restituio num.* 33. significant affirmatiuè respondendum esse ; cùm dicunt absolutè , quòd quando dilatio est damnosa creditori,debitor teneatur vel restituere statim , vel seruare illum indemnẽ. Sed existimarim congruenter antea traditæ regulæ, esse distinctione vtendum: vt si creditori tantum damnum aut ferè idem sequatur ac debitori,non sit satis quòd hic velit illum seruare indemnem:sed statim fieri debeat restitutio:nisi creditor ipse in dilationem expresè consentiat.Sin creditoris ex dilatione secutum , leue tantummodo fuerit,& debitoris magnum:licitam censeri posse dilationem restitutionis, *prout ex dictis patet*,damno inde proueniẽte creditori,restitutione refarcito,prout ratio dictat:quæ non patitur,vt velit quis cum alterius iactura proprium damnum vitare.

Aduerte autem quòd si debitor restitutionem differat excusatus ex aliqua in præced. cap. memoratarum causarum rationabilium, quæ moram purgant: non imputari ei damnum vel interesse creditoris: quia non est in culpa;vt nec est ille qui nondum elapso termino constituto non soluit debitum ex mutuo vel ex alio contractu licito. Ita docet Petrus à Nauarr.*in cit.cap.4.num.*56.Addens quòd etiamsi nulla talis causa subesset , creditor tamen ex dilatione non damnificaretur;quia diues est, vel alia de causa, solutionem posse aliquantulum differri : nisi constaret de eiusdem creditoris voluntate contraria. Pro quo facit quòd paululum illud facilè excusari possit, tanquam pro nihilo reputatum. Quanquam vt

delinquere in eo facile est, sic opus est procedere cum magna cautela & maturo iudicio.

Qvæstio III.

An si quis nequeat statim restituere sine notabili detrimento propriæ famæ,possit propterea, tanquam impotens differre restitutionem.

AD hanc affirmatiuè respondendum est ex Innoc.Panormit. & aliis Canonistis ad cap. Officij De pœniten.& remiss.Scoto & Gabr.& aliis quos refert & sequitur Couar.ad reg.Peccatum,*par. 1.nu. 6 vers. Quartũ in hac decseptatione*:quibus addi possunt non modo Nauar.*in Enchir.cap.16.num.44.& cap. 17. num.*89. sed etiam omnes ferè Doctores in hoc , *vt notat Petrus à Nauarr.in eodem cap. 4. dubit. 6.* consentientes : quòd cum periculo famæ (quia scilicet detegetur crimen occultum) res etiam furto sublatæ, non debeant restitui;ne quidem ab eo qui habet amplum patrimonium. Fundamentum est, quòd cùm sint tres bonorum temporalium ordines:in quorum primo,& supremo sunt vita,& quæ ad vitam spectãt, vt sanitas,libertas,& membrorum integritas : in secundo verò & medio,fama,& honor : ac demum in tertio & infimo , bona pecuniaria seu res externæ. Cùm inquam sint hi ordines : nullus teneatur restituere bona inferioris ordinis cum detrimento bonorum superioris ordinis,quæ recta ratio dictat esse preferenda.Vnde patet,quòd cùm notabile detrimentum in rebus externis , vt ante dictum est,sufficiat ad dilationem restitutionis,sufficere etiam à fortiori,notabile damnum quod infama incurretur,statim restituendo. Nu.272

Interea tamen omnium confessione , *vt addit Petrus à Nauar. aliquot citatis* , tenetur debitor operam dare vt restitutio secretò fiat : in quo si negligens sit non excusabitur à mortali , differendo illam aut omittendo. Porro quamuis Nauar. *in cit. num.* 89. & *seq.* velit cum Caiet. debitorem nunquam cum damno famæ teneri restituere damnum inferioris ordinis, quale est pecuniarium ; idque habeat probabilitatem suam : tamen tenendum videtur oppositum cum Soto in lib.4.De iust.& iure *quæst. 6. art.3. ad* 4. & Couar. *in cit.num.6.versic. Sed & 2.loco* , qui volunt debitum pecuniarium posse esse tantum , vt famæ præualeat;sicut,*inquit Couar.* quamuis aurum pretiosius sit argento ; potest tamen argentum esse in tam magna quantitate , & aurum in tam parua , vt illud multo maioris valoris esse censeatur. Vnde consequens est aliquando , etiam cum famæ præiudicio, refarciendum esse absque dilatione , debitum pecuniarium. Ex qua doctrina explicari possunt aliqua in particulari : quorum illud vnum omittendum non est,quod communiter solet à Doctoribus disputari de obligatione quam habet adultera detegendi filium à se susceptum ex adulterio,ne is iniustè succedat in hæreditate. Nu.273

Explicatio difficultatis de adultera , num teneatur reuelare crimen suum cum detrimento propriæ famæ,ne filius spurius in hæreditate alsena iniustè succedat.

DIfficultas hæc locum non habet quando adultera potest aliter damnis secuturis prouidere , quàm detegendo suum crimen:vt potest,*quemadmo-* Nu.274

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum habet Nauarr.in Enchir.cap.16.numero 47. per bona si quæ habuerit parapharnalia, seu vltra dotem, de quibus possit libere disponere; aut certè procurãdo, vt talis spurius antequam adeat hæreditatem profiteatur religionẽ incapacem hæreditatis. Tunc enim consensu omnium, non tenetur se prodere: sicut nec cùm talis reuelatio nullam allatura est vtilitatem: nempe quia filius fidem ei non adhibebit; vt adhibere communiter non tenetur ex Medina in Cod. De reb.restit.*quæst.3.causa 4.versic. An autem*, & Soto in 4. De iust.& iure *quæst.7.art.2.versus finem*, ne quidem si iuramento reuelationem confirmauerit, vt Sotus addit, & deducitur ex cap. Per tuas. De probationibus. Immo neque si sciret matrem commisisse adulterium, vt ad idem cap.& ad leg. Filiũ ff.De iis qui sunt sui vel alieni iuris, omnes fateri ait Couarr. *ad regulam Peccatum, parte 1.num 6. versic. Secundo illud est*, &c. quia ipsum esse conceptum de adulterio nõ sequitur ex eo quod mater fuerit aliquando adulterata, etiãsi probaretur quòd tempore conceptionis adulteraret tur, dummodo vir eius cohabitaret tunc cum ea. Ad quam rationem accedit textus in leg. Miles §. Defuncto ff. ad legem Iuliam de adulteriis.

Nu.275 Quanquam interdum ob coniecturam & circunstantias occurrentes tenetur acquiescere: vt ille qui conuincitur tempore sui conceptus patrem putatitium abfuisse: vel alia ratione omnino constat, quo tempore conceptus fuit, matrem suam ab eodem patre putatiuo non fuisse cognitam. Item cùm tam vehemens est matris persuasio, vt filius conuincatur credere adulterium, prout contingit, *ex Medina loco cit.* cùm mater ipsa alias talem filium amanter tractauit, & est moribus reformata, timoratæque conscientiæ, & amans propriæ famæ, nec mentiri solita: maximè si in mortis articulo id faciat, aut in tempore sacro, puta in hebdomada sancta, suum crimen filio spurio reuelet. Quo casu is tenetur hæreditatẽ à se abdicare, etiamsi in foro exteriori fuerit ipsi adiudicata: quia sententia niteretur falsa præsumptione, nisi iam adierit hæreditatem, & bona fide illam pacificè possederit tanto tempore quanto opus est, & sufficit ad præscriptionem. Nam non tenetur tunc ei hæreditati cedere, vt expresserunt Angelus & Sylu. in verbo adulterium: *ille nu.6. & hic nu.5.* Vnde nec mater tenetur delictum suum manifestare, ne quidem tali filio suo: quia manifestatio seruiret tantùm ad illum perturbandum, & ad seipsam infamandam sine emolumento. Et ita quod dixerunt Palud. & Adrianus, adulteram teneri se detegere filio spurio, etiamsi hic illi credere non teneatur, nec verosimile sit, quòd cedet hæreditati: reiiciunt Alfonsus à Castro, & post ipsum, *alios adhuc ciuans*, Couarr. *ad regulam Peccatum 1.part.num.sexto*, doctrinam quam proposuimus amplectendo tanquam communem, eamque confirmando.

Nodus difficultatis.

QVa supposita tantùm restat difficultas, An cùm verosimiliter speratur quod si mater detexerit se filio, is abstinebit ab hæreditate, quam bona conscientia retinere non potest: an inquam ipsa teneatur ad talem reuelationem. Et quidem si filius est adeo timoratæ conscientiæ, vt credatur non diffamaturus matrem, aut ipsa iam sit de adulterio infamata, & existimet, quòd sine corporis vel animæ periculo; immo cum profectu reuelare possit, debet id facere vt communem conclusionem esse Innocentij, & aliorum ad cap. Officij De pœnitent.& remiss. Nauar. habet *in Enchir. cap.16.num.46.* Si autẽ talis concurrat conditio filij, vel quidpiam aliud, vnde ex reuelatione delicti impediatur quidem damnum futurum, sed sequatur infamia adulteræ; illam teneri ad talem manifestationem, debet negari ab eo qui cum Caiet. admiserit absolutè & sine restrictione (sicut Nauarr. admisit *in Enchir.cap.17.num.89.*) quòd nemo teneatur restituere, cum amissione bonorum superioris ordinis: qualis est fama respectu bonorum pro quibus adultera in casu proposito tenetur satisfacere.

Sed quia cum Soto & Couar. illud restringendum esse censuimus: consequenter cum iisdem (cum illo in lib.4. De iust.& iure q.7. art.2. ad 2. & cum hoc in cit. num.6.) potius dicimus; quòd si damna quæ seu quuntur marito, & hæredibus ipsius, sint arbitrio prudentis, maiora vel æqualia famæ, quam manifestando crimen suum amitteret adultera: ea teneatur se prodere, quando nequit aliâ viâ impedire, aut cõpensare eadem damna; talisque manifestatio profutura creditur probabiliter. Quod rarissimum est: cùm filius non teneatur credere matri suam turpitudinem proferenti in præiudicium ipsius, ex glosa ad citatum cap. Officij: & quamuis animo interius credat, facilè negaturus sit exteriùs; omniáque mixturus tumultibus potius, quàm hæreditate cessurus, ipse qui communi opinione habetur legitimus; ideo & capax illius. Nu.276.

Pro nobis autem in hac re facit: quòd ratio postulet, vt qui sua culpa dãnificauit alterum, ad eum indemnem reddendum, sustineat potius damnum resarciendo ipsum cum pari, aut aliquanto maiori suo incommodo, quàm damnificatus cogatur illud sustinere inuitus. Quod si ponamus infamiam per se, aut certè adiunctis aliis damnis, *qualia sunt odia, rixæ, opprobria, & alia id genus*, ex reuelatione secuturis longè præponderare damnis, quæ sequuntur ex eo, quòd spurius in hæreditate succedat: sentiendum est iuxta regulam in præcedentis quæstionis explicatione propositam; quòd adultera tunc nõ teneatur crimen suum reuelare. Quia verò plurimùm cõtingit, vt nulla ex tali reuelatione vtilitas sequatur: ideo in cap. Officij De pœnitent.& remiss. Pontifex absolutè statuit, adulteram non esse compellandam suum crimen detegere, tanquam tradens regulam de eo quod frequenter accidit; non autem vt approbans, quod Caiet. sensit, infamiam absolutè excusare à facienda restitutione: ad quod proinde confirmandum idipsum cap. efficax non est.

Aduerte verò adulteram, quamdiu prudenter dubitat an sua reuelatio sit profutura, non teneri famam suam prodere, crimen occultum pandendo: quandoquidem in dubio melior est conditio possidentis.

Cæterùm quando adultera neque resarcire potest integrè damna, quæ sequuntur ex eo quod crimen suum celet, neque ea impedire secundùm antedicta: non manet omnino libera: sed tenetur tantum restituere, quantum potest eo modo quo in Enchir. tradit Nauarr. *cap.16.num.47.* nempe augendo bona mariti, seu ita laborando vltra quàm obligatur per matrimonium, & ita minuendo sumptus in victum & vestitum suo statui honestè conuenientem, si commodè possit: vt illud quod per talem parsimoniam residuum fecerit, adæquetur damno per filium spurium illato vel inferendo. Si autem id non fuerit satis, ei sufficere contritionem & voluntatem integrè restituendi si posset, idem author cum Scoto meritò sentit: quia nemo ad impossibile obligatur. Nu.277.

Explicatio

Explicatio alterius difficultatis, Vtrum adulter ex quo susceptus est spurius, teneatur sicut adultera, ad resarciendum damna subsecuta.

Nu.278. DE hac difficultate cum præcedenti coniuncta, sunt sententiæ oppositæ. Nam Sotus lib. 4. De iust.& iure quæst.7.art.2.sub finem, partem negantem sequitur. D. Anton. autem 2.part.tit.2.cap.7. sub finem, Caiet.verbo Adulterium in principio, Sylu. & Fumus eod.verbo: ille quæst.5.& hic num.7. affirmãtem tenent: eámque communem sententiam esse notat Nauarr. in Enchir.cap.16.num.49. Ac longè veriorem esse ostendit ex eo maximè, quòd adulter nõ minus quàm adultera sit causa talis damni. Intelligẽda est autem procedere (quod iidem authores expresserunt) quando adulter credit vel meritò credere debet eum de quo agitur esse filium suum. Nam si res sit dubia, meritóue ipse dubitare possit sitne suus; tantummodo pro quãtitate dubij, arbitrio prudentis tenebitur ad restitutionem maioris vel minoris partis damnorum. Is verò qui non tenetur credere filium esse suum: immo potest oppositum meritò credere, vt quia mater est leuis, & solita cum aliis adulterari: aut quia ipsamet dubitat sitne filius adulter; an verò mariti sui, aut certè illa mentiri putatur; non est quòd ille ad satisfactionem compellatur, vt ibidem Nauarr. expressit.

Nu.279. Si quis hic quærat, Quid inris sit, si adulterina proles exponatur hospitali vt illius sumptibus alatur: Respondẽdum est primò, id licitum esse, ad occultãdum delictum, & ad alia damna impedienda, quæ alioqui sequerentur: dummodo tamen cautela adhibeatur ne proles ipsa ideo pereat, quòd ita exponatur. Addendum est deinde quod si paupertas non excusset adulterum & adulteram, ij teneantur soluere hospitali expensas sustentationis. Quæ doctrina est D. Antonini, Sylu. & Caiet. locis citatis, & post ipsos expressa Nauarri in præced. num. 48. Cæterùm per hæc quæ dicta sunt quoad adulterum; resoluenda est quæstio de coniugata, quæ sibi partim alienum supposuit in præiudicium mariti & hæredum ipsius. De quo casu textus est in ante memorato cap. Officij De pœnitent.& remiss. Et de eo resolutionem superiori omnino conformem tradit Nauarrus in cit. cap. 16. num. 43. & 44. quem si lubet consule.

QVÆSTIO IV.

An possit quis excusari à restitutione statim facienda, eo quod illam nequeat sic facere, quin sequatur magnum detrimentum, siue alicuius tertij, siue reipub. siue ipsius creditoris.

Nu.280. HVius explicationẽ complectemur aliquot propositionibus. Prima. Quãdo creditor illud quod sibi debetur exigit, ad iniustitiam aduersus alterum committendam, non peccat debitor differendo restitutionem: immò si restituat, tenetur ad damnorum inde secutorum compensationem. Huius probationem repetere potes ex præced. num. 172. & interea aduertere eam veram esse regulariter, seu posse pati exceptionem: quia fieri potest vt debitor restituere compellatur authoritate Iudicis. Itémque vt ex eo quod differatur restitutio; debitori tanquam infideli, aut alicui alij, aut etiam reipub. (tanquam fauenti illi aut fouenti illum) sequatur notabile detrimentum, quod prudentis arbitrio à culpa excuset factam restitutionem: non obstante iniustitia quam creditor cõmittit. Est enim actus restitutionis ex se actus intrinsecè tunc malus non est: sed potius indifferens, aut etiam bonus: nec potest cẽseri malitiam habere, nisi extrinsecè, nempe ex mala intentione, ad iniustitiam abutentis re, quam petit & accipit: cuiusmodi malitia non debet danti imputari: quia non inducit ad eam, sed solùm permittit eam exire in actum, quem non potest commodè impedire.

Secunda propositio. Si restitutio in damnum boni communis redundet, ea potest differri. Nam creditor in talem dilationem debet consentire: neque curandum est, quid in contrarium actu velit: iuxta regulam *num.266.* traditam. Exemplum est. Si ex castelli restitutione, bella essent oritura; & ex solutione debiti regij, bellum iniustum esset fouendum; vel ex restitutione armorum apud te depositorum, militis qui deposuit impediretur opera in hoste propugnando necessaria. Ita post Scotum D. Anton. Syluest. & Medinam habet Petrus à Nauarr. lib. 4. De restitut. *cap.4.num.37.* Nu.281.

Tertia propositio. Quando creditor illud quod sibi debetur, exigit ad aliquod damnum corporale sibi inferendum, debitor restitutionem differre tenetur ex charitate; nisi sibi aut aliis ex ea dilatione immineat notabile damnum, cum quo non teneatur, ne quidem charitatis lege, illi obsistere. Cuius propositionis prior pars (quam attigerunt Fumus in armilla & Nauarr. in Enchir. *ille verbo Restituio num.30. & 31. & hic cap.17.num.63.*) patet ex eo, quod communiter conceditur non esse reddendum ensem furioso, aut ira percito qui creditur eo se, vel alium interfecturus: fundatum in eo, quòd talis redditio censeatur propinqua cooperatio. Item ex eo, quòd quisque teneatur ex Christiana charitate obuiare alieno damno, quando potest sine suo notabili detrimento. Posterior verò pars probatur, quia volenti non fit iniuria: ideóque ipsi creditori nulla præcisè damni subsecuti restitutio debetur, quòd ipso vrgente, redditum sit ei instrumentum quæ damnum sibi intulit. Nu.282.

Quarta propositio. Quando creditor illud quod sibi debetur exigit ad peccatum aliquod perpetrandum, licitum est solutionem differre: immo obligatio est ex lege charitatis eam differendi, quando peccatum tali via impediretur sine debitoris notabili damno. Hæc probatur: quia tenemur ex charitate impedire proximi malum spirituale cùm commodè possumus, iuxta illud Ecclesiastici 17. Mandauit illis vnicuique de proximo suo. Secus est verò, quando ex dilatione restitutionis, peccata non impediuntur: nimirum quia aliunde creditor habebit pecuniam ad peccandum, vel si illi negetur hodie, similiter eodémque animo cras petet, & ita pluries: quòd erit occasio illi committendi plura peccata (saltem peruersæ voluntatis iteratis actibus) quàm commisisset si statim ei soluta fuisset sua pecunia: tunc enim debitor posset atque etiam deberet statim restituere: nisi fortè inde sequeretur ruina spiritualis tertiæ personæ, quam ille esset tali pecuniâ inuitaturus ad peccandum: non inuitaturus si ea tunc non traderetur. Etenim ex charitatis lege, esset tunc obligatio differendi restitutionem, si posset differri sine notabili damno, iuxta illud quod ex Ecclesiastico citatum est. Per quod constat, debitori salutem spiritualem sui creditoris, ita debere curæ esse, vt restitutionem ei faciendam differat, cùm id fuerit necessarium ab Nu.283.

præser

Universidad de Deusto
Biblioteca

præsetuandum ipsum à peccato. In quo casu creditor ipse dilationi dissentiendo non nisi irrationabiliter potest inuitus esse: nec cum debeat consentire, non est curandum de illius actuali dissensu, iuxta regulam antememoratam num.266.præced.

*Nu.*284. Vnde porro consequens est, quòd in casibus in quibus restitutionem differre, licitum esse dictum est, necessarium non sit petere à creditore facultatem differendi. Aduerte tamen, id tantummodo esse verum, cùm debitor certus fuerit causam dilationis sufficientem esse: si enim de ea superesset aliquid dubitationis: non solùm salutare consilium esset facultatem prædictam per se, aut per alium petere, *vt Sotus voluit in lib.4.De iust.& iure, quæst.7.art.4.ad 2.* sed etiam deberet absolutè ita fieri: ex *D.Thoma 2.2.quæst.62.art. vlt. ad 2.* ne ex causa de qua dubitatur an sit ad dilationem sufficiens, differatur restitutio contra præceptum de non retinendo iniustè alieno: quod cùm sit negatiuum, ad semper seu pro omni tempore, obligat.

QVÆSTIO V.

An debitor teneatur restituere, cùm non potest nisi excidendo à decentia sui status.

*Nu.*285. SEcundùm doctrinam Medinæ in Cod. De reb. restit. *qu.5.versic. Est iam dubitatio*, & aliorum quorum meminit Petrus à Nauar. lib. 4. De restit. *cap.4. nu.* 30. Respondendum est affirmatiuè ad hanc quæstionem. Docent enim debitorem teneri alienum restituere, cum quocumque rei familiaris detrimento, vsque ad mendicitatem suam, & suæ familiæ: reseruatis solùm necessariis ad vitæ necessitatem extremam. Hócque fundamento nituntur, quòd in præcepto Non furtum facies, tam prohibeatur rei alienæ detentio quàm acceptio. Cùm ergo pro sustentanda natura aut statu, aliena inuito domino auferre non liceat, nisi extrema necessitas premat: sanè ob eamdem rationem nec licebit aliena retinere. Nauar. autem in Enchir. *cap.17. num.63.* pluresque alij, *quorum consequenter num.31. meminit Petrus à Nauarra*, sentiunt eum qui statim restituendo non posset pro dignitate sui status decenter viuere; *vt si nobilis cogatur priuare se omni obsequio famulorum & equorum, aut ciuis primarius, obire artem mechanicam sibi insuetam*: posse restitutionem differre, dummodo retineat animum restituendi quamprimum poterit; & curet ne quid in alios vsus quàm necessarios ac decentes impendat: vt sic, aliquid subinde reseruando, possit fieri soluendo. Vnde, *inquit D. Anton.2.par.tit.2.cap.8.col.antepenult.* non debent qui tales sunt ita lautè viuere, nec pomposè vestiri cum suis familiis, nec filias suas cum magnis dotibus nuptui tradere: sicut si minimè grauarentur ære alieno, nec tenerentur ad restitutionem: sed parcè viuere debent, ac filiabus dotes modicas tradere, & eas artificibus ac plebeiis matrimonio coniungere, si non possint nobilibus, aut mercatoribus diuitibus, debéntque alia superflua resecare.

*Nu.*287. Cæterùm videtur post Sotum in lib.4. De iust. & iure *quæst.7. art.4 post medium*: cum Petro à Nauar. *in cit.cap.4.num.42.& 58.* esse vtendum distinctione inter eum qui iustâ acceptione, & eum qui iniusta acceptione contraxerit debita. Nam qui per furtũ, aut vsuras aliásve iniurias, est in ære alieno: qualecumque citra extremam necessitatem damnum patiatur, tenetur illico restituere, etiamsi à statu suo excidere, & nouam rationem vitę degendæ inire cogatur. Qui verò per iustam acceptionem debita contraxerit: si quidem in pauperiem inciderit, eoquod bene possessa in lusus, ebrietates, scortationes, & alios vsus illicitos & profanos expenderit: idem quod de præcedenti dicendum est: teneri inquam, statim restituere, nec posse vt sui status decentiam conseruet, bona creditoribus in solutionem tradenda, retinere. Sin autem casibus, aut aliis humanis successibus ex improuiso cõtingentibus, *vt nonnunquã fit*, in pauperiem coniectus est quis, licitè potest de bonis iustè possessis retinere quantum ei necessarium est, ne à decentia sui status, quem iustè obtinet, excidat: dummodo tamen creditor dilationem ferre possit, nec etiam ipse inopia laboret: cùm extra necessitatem extremam melior sit conditio creditoris quàm debitoris.

Horum autem ratio sumitur ex regula tradita in præced.num.266. de consensu creditoris debito, excusante dilationem restitutionis, quantumcumque consensus elicitus interueniat in contrarium. Nam quando debitor sine vlla sua iniquitate, aut notabili culpa necessitatem patitur, non potest creditor (nisi ipsum quoque aliqua non leuis premat necessitas) rationabiliter velle vt ille statim restituat excidendo à suo statu. Cùm verò debitor effectus est dines, siue ex furto siue ex vsuris, aut ex alia iniusta acceptione (vt nonnulli mercatores plus iusto pretio vendentes, vel officiales plus, quàm par sit pro executione sui officij exigentes, vel in administratione bonorum alicuius Prælati aut Principis fraudem faciẽtes) non est quòd creditor debeat velle differre talium debitorum restitutionem, ne is à suo statu excidat: quia talis status non est suus, vt nec sua sunt aut fuerunt ea per quæ in illum se euexit: vnde ab illo excidens, non excidit à suo statu, dúmque in eo esse vult, in suo esse non vult vt Sotus rectè notat.

Idem dicendum est de debitore cuius status est quidem suus, & quem deserere coactus, verè statu suo excidere censetur; sed tamen, quia tale quid ideo accidit, quòd prodigè, luxuriosè, ac vanè sua expenderit, creditor est rationabiliter inuitus, talem statum nutriri bonis de quibus iustitia postulat restitutionẽ sibi fieri. Vnde vt bene monet Petrus à Nauar. *in cod. cap.4.nu.43.* debent suæ conscientiæ consulere mercatores, & alij qui lucris excessiuis iniustis repente euadunt diuites: ob idque magnum sustẽtant statum: quia tenentur eum imminuere, non solùm parcè viuendo: sed, si id non sufficiat, omnino restituendo: quia in eo non afficientur damno, sed à damno inferendo ipsi cessabunt.

*Nu.*288. Neque obstat, quòd fortè non simul, sed paulatim tot debita contraxerint; nam nihil refert, quod simul, aut quod paulatim aliquem spolies. Nec item obstat beneficium cedentium bonis; cùm intentio Principum non sit, per leges in fauorem cedentium bonis in Republica latas, talibus inuasoribus alienorum, iniustè facere potestatem fraudandi creditores parte debitorum: quæ necessaria sit ipsis ad statum malè acquisitum, aut malè conseruatum, sustentandum. Immo, vt idem author consequenter docet *in nu.60.* nec talis lex posset esse iusta: nisi idipsum creditores rationabiliter debeant velle. Non enim putandum est Principem habere potestatem pro libito disponendi de rebus subditorum; sed tantùm pro ratione necessitatis, qua ad commune Reipub. bonum ipse indiget bonis priuatorum: vt ad hostium incursum propulsandum, vel ad ingruens bellum, vel ad alia, quorum est vrgens necessitas in Repub. Quo in genere poni non potest, vt illi de quibus agimus, retineant suum statum: cùm potius ad bonum commune pertinere videatur, ne decens sustentatio illis relinquatur; vt præcidatur ipsis occasio debita illicitè contrahendi, aut sua bona turpiter expendendi ob talem spem.

Verum

Verumtamen tales circunstantiæ interdum concurrere possunt, vt is quoque compassione dignus sit, qui ob incidentem ex improuiso calamitatem, in eas angustias redactus est, vt debita olim ex delicto conflata, dissoluere non possit. Qua in re sequendum est boni prudentisque viri iudicium.

Existimat verò idem Petrus à Nauar. ibidem nu. 58. tales debitores perinde ac alios, postquam bonis cesserunt, si necessaria ad decentiam sui status licitè deinde acquisierint, posse illa ipsa retinere ad eiusdem status tanquam licitè acquisiti conseruationem. Pro quo facit quòd leges in præced. cap. num. 253, relatæ, tale beneficium conferant absolutè, & sine restrictione ad eos, qui postquam bona fide contraxerunt debita, magnam iacturam rerum suarum propterea fecerunt, quòd suscepta ab eis grauia negotia, ex quibus lucrum sperabant, non successerunt.

*Nu.*289. Aduerte autem quod idem habet in præced.num. 48. ex Iosepho Angles: non modò debitores ex delicto, sed etiam debitores ex contractu teneri restituere aliena, quæ apud ipsos extiterint eadem numero: etiamsi ex ea restitutione cogantur mutare statum: quia cùm non acquisierint talium rerum dominium, non possunt magis ad sui status sustentationem illis vti, quàm aliis, quas non possident.

Aduerte præterea (quod bene notat Molina De iustitia & iure tract. 2. disput.754.col.3.) non carere probabilitate etiam debitorem ex contractu, compelli posse ad statim soluendum, quantumuis ei decidendum sit à suo statu: si quidem ex dilatione solutionis, non sit spes ipsum aliquando soluturum, eo quod tales sint circunstantiæ, vt præsumendum sit potius in dies minus habiturum, quàm acquisiturum bona ex quibus soluat. Ratio est, quòd creditor non videatur teneri consentire, vt bona ipsius detineantur, ad hoc vt detentor non decidat à suo statu: præsertim cùm humana conditio ferat, vt homines sicut prospera fortuna vsi, ab inferiori statu ascendant ad superiorem: sic aduersa pressi, à superiori statu descendant ad inferiorem. Accedit quod vix alioqui excusari possent, quæ in foro externo fiunt subhastationes bonorum omnium debitoris, quando magnitudo contracti æris alieni exigit eas fieri, ad plenè satisfaciendum creditoribus.

Aduerte tertiò, quod cùm difficillimum sit, *prout attigit Couar. ad regulam Peccatum, prima parte num.2.* in particulari statuere, quando iuxta prædicta detrimentum notabile debitoris, cum modico creditoris concurrat: Confessarium in agendo cum Pœnitente obligato ad restitutionem quam omisit, debere ob oculos habere documentum quod D. Anton. 2. par. tit.2.cap.8.col.antepen. tradidit his verbis Cum multa prudentia hoc negotium agendum est: & cùm efficaciter videntur (debitores intellige) facere quod possunt ad restituendum, & in aliis se bene habere & cum timore Dei: credo quòd possint absolui & communicari.

Aduerte tandem quod ex Medina & Soto habet Lud. Molina De iust. & iure tract.2.disput.756. nu.1. non esse liberum Confessario facere debitori potestatem restituendi paulatim, differendíve integram solutionem. Nam id spectat ad creditorem: cuius ille non constituitur procurator, itaut possit nomine ipsius dilationem restitutionis concedere: neque ipsius munus, est arbitri inter creditorem ipsum & debitorem, ad ferendam sententiam de eorum negotio: sed munus Iudicis in causa Dei ad absoluendum à peccatis, inuentum verè pœnitentem.

* * *

QVÆSTIO VI.

An in casibus in quibus debitor se soluturum iurauit, possit vti compensatione quâ tantumdem remittat creditori.

*Nu.*290. PRo parte negatiua facit quòd iuramentum de re licita factum, seruari debeat iuxta secundum præceptum Decalogi. Pro parte autem affirmatiua, quòd æquiparentur remittere debitum, & debitorem se à debito liberare, tantumdem creditori condonando. Distinguendum est autem cum Medina *in Cod. De reb. restit. quæst.3 sub finem*: ac dicendum: quòd cùm in foro conscientiæ iuramentum non obliget nisi secundùm voluntatem iurantis: si intentio ipsius determinata fuerit ad numerandum creditori decem, tunc compensationem non habere locum; quia iuramentum determinatè factum obstat. Si verò intentio ipsius non fuerit determinata ad dandum creditori decem: tunc siue decem soluerit, siue debitum æquale remiserit, satisfacere iuramento. Quodquidem procedit siue alter ille esset iuranti debitor tempore iuramenti, siue postea factus fuerit; & siue hinc inde eodem modo, siue diuersimodè contracta sint debita: vt v.g. vnum ex reali mutuatione, alióve contractu: & alterum ex promissione firmata iuramento. Qua de re fusius idem author disserit: sed de iuramenti vi alias ex instituto, in sequenti lib.18.

CAPVT XX.

De præscriptione siue vsucapione, tanquam speciali causa excusante à restitutione.

SVMMARIVM.

291 *In quo consistat præscriptio, siue vsucapio excusans ab obligatione restituendi.*
292 *Quòd ea requirat possessionem, & quam.*
293 *De bona fide, cum qua debet esse talis possessio.*
294 *De ignorantia inducente ipsam bonam fidem.*
295 *Titulum ad præscriptionem requisitum, sufficit præsumptum esse, quòd sit verum.*
296 *De continuatione possessionis bonæ fidei, per totum tempus à lege constitutum ad præscribendum.*
297 *De tempore à lege constituto ad præscribendum rem mobilem.*
298 *De constituto ad præscribendum rem immobilem.*
299 *De præscriptione immemoriali.*
300 *Completa præscriptione legitima, non manet in conscientia obligatio restituendi rem, per eam acquisitam.*
301 *Quomodo possit quis rem taliter omissam, recuperare per restitutionem in integrum.*

DE præscriptione & vsucapione præter cæteros eruditè & copiosè differunt Couar. ad regulam Possessor De regulis iuris in 6. & Lud. Molina De iust. & iure tract. 2 disput. 60. & aliquot sequentibus; qui & alios citant. Quæ autem ad institutum nostrum faciunt, complectemur aliquot propositionibus.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De eo in quo consistit præscriptio seu vsucapio.

Nu.291. PRima est,Præscriptio seu vsucapio,prout est causa excusans à restitutione, consistit in acquisitione dominij vtilis,vel directi rei alienę,per continuatam possessionem bonæ fidei, spatio temporis à lege definito.Vbi aduerte primò, secundùm vulgarem & communem vtriusque iuris interpretum loquendi modum; inter nomina præscriptionis , & vsucapionis , non aliter differre , quàm quod illud dicatur de acquisitione rei alienæ immobilis:vt prædij, vel domus : & hoc de acquisitione rei alienæ mobilis : vt equi, vestis, pecuniæ , &c. Aduerte secundò , dominium vtile dici illud , quod quis in rem habet , tantùm in ordine ad fructus : & ideo tanquam continés tantùm vtilitatem rei, vocatur dominium vtile. Directum verò dominium illud vocatur,quod quis habet in rem,non etiam in fructus:istiusmodi est dominium feudi ; cum quo licet concessa sit rei vtilitas seu fructus ; retenta est tamen illius proprietas. Aduerte tertiò, iis quæ sequuntur hac in propositione, indicari cõditiones in præscriptione requisitas,vt ea vim habeat excusandi à restitutione : pro quarum explicatione subiiciuntur sequentes propositiones.

De possessione bonæ fidei requisita ad præscriptionem.

Nu.292. SEcunda igitur propositio est,Præscriptionem excusantem à restitutione rei alienæ,requirere eiusdem rei possessionem bonæ fidei.Hæc patet ex regula secunda & tertia iuris in 6.huius enim verba sunt. Sine possessione præscriptio non procedit ; illius verò,Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit. De quo est etiam præclarus textus in cap. finali De præscriptionibus. Ex quo adhuc habetur abrogatas esse leges ciuiles, statuentes procedere triginta aut quadraginta annorum præscriptionem cum mala fide. De qua re est alius textus expressior in cap.Vigilanti,eodem titulo.

Intelligitur autem ex hac propositione , eum qui non est capax possessionis alicuius rei , nec posse illá præscribere:sicque filij(quod Molina aliis citatis habet sub finem disput. 62.) vt laicus, quia capax non est possessionis rerum sacrarum , nequeat illas præscribere. Id quod de decimis proprio nomine exigendis(eo scilicet modo quo spectat ad Ecclesiasticos)cõstat ex cap. Causam De præscriptionibus.Fieri similiter vt Religiosus professus, qui ob votũ paupertatis non est capax dominij,quo aliquid possideat nomine proprio , nequeat præscribere. Vbi aduerte ex eo quod possidere proprio nomine,requiratur ad præscriptionem , item fieri (quod idem quoque author in eadem disput. habet) vt colonus , conductor, depositarius , & alij similes , qui iusto titulo quidem, non tamen proprio nomine res aliquas possident, eas nunquam præscribant. Itémque vt Tutor,Curator,Procurator,seruus, filiusfamilias, prout aliis acquirunt:quatenus tales,non præscribant sibi , sed iis qui per ipsos possident. Fieri demum vt vsufructuarius:quia fructus tantùm rei possidet proprio nomine , non autem rem ipsam , possit illos præscribere, non item hanc.

Nu.293. Porro bona fides , de qua mentio est , consistit in hoc, quòd quis indubitanter & quietâ conscientiâ credat rem quam possidet esse suam. Vnde si ex aliqua probabili ratione(non item si ex leui,seu ex qua prudens nihil moueri debeat) conscientia ipsum remordeat,quòd talis res non sit sua,desinit bona fides requisita ad præscribendum. Ratio est , quia vt quis rem quam antea non habebat incipiat iustè sibi vsurpare,debet determinatè iudicare:vel esse nullius , & ideo fieri primò occupantis ; vel certè suam esse, quantumuis id antea non aduerterit. Nam dubitans sitne sua an aliena , iniustè agit eam sibi arrogans, cùm ipsius conditio non sit melior , quàm alterius. Aduerte verò , vt quis bonæ fidei possessor esse , atque adeo præscribere posse censeatur:non sufficere si indubitãter credat rem quam possidet suam esse;nisi meritò id sibi persuadeat. Si enim vel ex ignorantia affectata,vel quacumque alia ratione crassa , persuadeat sibi eam esse suam , non dicitur bona fide possidere : cùm in eo committatur peccatum acceptionis rei alienæ,inducens obligationem ad restitutionem; non autem ab ea excusans iure canonico, à quo perinde reprobatur,ac si interuenisset notitia rei alienę. Ita communiter Doctores sentire meminit Molina disput.64.sub initium.

Nu.294. Quod consequenter ille tractat, An ad inducendam bonam fidem sufficientem ad præscriptionem, valeat non tantùm ignorantia facti , *qualis est si rem acceperis à fure nesciens esse furem*: sed etiam ignorantia iuris , *qualis est cùm quis emit à Prælato,nesciens requiri consensum Capituli*: tractant etiam tum ante eum Couar.ad reg.Possessor 2.par.§.7.à num.7.tum post eum Leon.Lessius de iust.& iure lib.2.cap.6.dubit.5.Contenti esse possumus pro praxi attigisse triplex illorum dictum.

Primùm est:Iuris clari ignorantiam , etiam inculpatam , non sufficere ad præscriptionem. Ratio est, quòd præscriptio constet tantùm lege humana:ideóque posit per hanc circumscribi ac restringi : sicut fit per legem Nunquam ff. De vsucapionibus , *atque alias quas ijdem authores commemorant*. Illius enim verba sunt, Nunquam in vsucapionibus,iuris error prodesse potest.

Secundum est : Ignorantiam ipsam iuris inculpatam sufficere posse ad præscribendos fructus percéptos ex re per illam possessa. Pro quo, *citatis Nauarro & Couar.* Lessius adfert ; quòd talis ignorantia censeatur facti potius,quàm iuris : vt pote quâ possessor putat se ex re sua fructus percipere.

Tertium est : Ignorantiam iuris verè dubij,seu de quo vtrimque sunt diuersæ multorum sententiæ, sufficere posse ad inducendam bonam fidem,requisitam ad præscriptionem. Pro quo facit quòd in praxi possimus vtramlibet dubij partem probabilem sequi. Sic ergo ille qui comparauit sibi aliquid contractu ambiguo , seu de quo in vtramque partem sunt nobilium Doctorum sententiæ , potest illud præscribere.

De titulo,cum possessione bonæ fidei, ad præscriptionem requisito.

Nu.295. TErtia propositio est. Ad præscriptionem , cum possessione bonæ fidei , requiritur titulus , seu ratio & causa aliqua, ex qua nasci possit dominium. Hæc patet:quia si talis causa,*qualis est donatio,testamentum , vel successio ab intestato , emptio , vel permutatio, &c.* defuerit; nihil erit cur quis sibi rei dominium vendicet:eamque tanquam suam bona fide possidere censeatur potius,quàm quiuis alius. Non est autem necessarium,titulum esse verum,seu validum: quoniam qui cum tali possidet,non eget præscriptione;vtpote per eum verè adeptus dominium: sed sufficit vt probabiliter putetur verus , etiamsi reuera sit inualidus: quia licet non transferat dominium in possidentem; ipsum tamen efficit habilem ac dispositum ad tanto vel tanto tempore præscribendum, sibíve acquirendum dominium authoritate iuris humani : habentis locum in conscientia , cum sit fundatum in naturali æquitate.Namque ratio illius statuendi est bonum commune vt expressum est in lege 1.ff. De vsucapionibus ; habetúrque ex cap. Vigilanti , De præscriptionibus. Atque naturalis æquitas postulat vt communi bono prouideatur , quantum fieri potest sine peccato: prout potest per præscriptionem bonæ fidei ; non verò per præscriptionem malæ fidei : quæ proinde iure canonico abrogatur omnino in eodem cap.Vigilanti.

Iam titulus præsumptus sic illustratur exemplo. Emptio,permutatio , donatio, &c. sunt ex se veri tituli:si tamen is qui vendit, permutat, aut donat rem aliquam,non fuerit illius legitimus dominus, iidem tituli desinunt esse veri , ac quibus transferatur dominium:attamen sunt tituli præsumpti , per quos is qui rem ipsam possidet , ignorans probabiliter illorum conditionem,idoneus est ad præscribendũ:liceat iidem non sufficiant ad transferendum dominium.

Ad hæc , quòd eiusmodi titulus debeat cognitus esse quando ius commune repugnat præscribenti(sicuti censetur cùm prohibet ipsum possidere rem de qua agitur , vt laicum decimas , iuxta cap. Causam, De præscriptionibus:& hæredes vsurarij vsurariè ab eo accepta iuxta cap. Tua nos , & cap. Michaël, De vsuris)argumento est,quòd in cap.1.De præscript.in 6.talis debeat allegare & probare suæ præscriptionis titulum.Qua de re videri potest glosa ad cap. Si diligenti , De præscriptionibus , verbo Iustus titulus. Non esse verò necessariam talem notitiam , quando ius commune non repugnat præscriptioni , consequens est ex eo quod eadem glosa habet, & *pluribus persequitur Couar.ad regulam Possessor par.2. §.8. num. 1. & 2.* tunc ad præscriptionem sufficere posse , quòd quis rem bona fide possideat. Quodquidem dictum fundari censetur in eo,quòd necessarium non sit, vt quisque nouerit quo speciali titulo res suas possideat: alioqui enim cùm plerumque contingat multa in rebus haberi,non recorãddo vtrum ex emptione, vel donatione , aliáve ratione possideantur,oporteret talia à se abdicare,quod nimis durum est.

De continuatione possessionis bonæ fidei , per totum tempus à lege constitutum ad præscribendum.

Nu.296. QVarta propositio est.Ad præscriptionem minimè sufficere , possessionem rei bona fide inchoari:sed requiri, vt eadem bona fides continuetur per totum tempus constitutũ à lege.Hæc haberur ex 2.regula iuris in 6.secundùm vtrumque sensum quã eam habere,glosa ad eamdem notat;& ex cap. Vigilanti,De præscriptionibus. Ex ea autem consequens est,quod communiter tradunt Doctores , si quando contingat possessionem bonæ fidei interrumpi , totum tempus præcedens perire præscribenti : síque postea bonam fidem iterum acquirat, debere de nouo incipere,ad hoc vt tempus lege definitum habeatur.Cuiusmodi interruptio,quã vel possessio,vel bona fides,vel vtraque deest,dicitur naturalis : eoquod sit spectantium ad naturam præscriptionis. Præter quam alia constituitur,quæ ciuilis vocatur , eoquod fiat per actum fori ciuilis,vt per litis contestationem vel citationem,de qua pluribus Couar.in eadem 2. par.§.12.à numero quarto, & post eum Ludou. Molina De iust.& iure tract.2.disput.78. sed ad nostrum institutum minus accommodatis.Ideoque illis omissis addemus quod ad ipsum magis facit:nimirum ratione cessationis,interdum præscriptionem censeri, non quidem interrumpi : sed solùm non currere seu dormire:túncque tempus in quo incepit , tanquam continuatum posse computari cum tempore quod sequitur , postquam ea dormire desiit : itaut ex vtroque tempore constituatur vnum integrum necessarium ad præscribendum.

Cæterùm nouem sunt tempora in quibus præscriptio non interrumpitur; dormit tamen, nec currit:quæ ex Panormit. refert Syluester in verbo Præscriptio 1. quæst.9. apud quem passim obuium relinquemus videnda ei qui volet:contenti monere quòd penè omnia reducantur ad tempus in quo datur impedimentum agendi in iudicio fori externi. Memineris autem ex eo quòd rei possessio transeat ab vno in alterum : si quidem vterque bona fide possideat, non interrumpi , nec dormire præscriptionem : sed vtrumque tempus illud computandum esse ad constituendum vnum integrum, ad præscriptionem necessarium. Id quod Molina admonet in fine citatæ disput. 78. & habetur ex lege vnica Cod. De vsucapione transformanda.

De tempore à lege constituto ad præscribendum.

Nu.297. QVinta propositio est. Ad validitatem præscriptionis necessarium est spatium temporis ab humana lege constitutum.Ratio huius est,quòd præscriptio vim quam habet transferendi dominium, accipiat toram ab ipsa lege humana , quæ ad illam determinat certum temporis spatium: de quo sic accipe. Cùm duplex sit præscriptio siue vsucapio : vna rerum mobilium,id est,earum quæ loco moueri possunt: vt animalia , vestes , pecuniæ,ex altera verò rerum immobilium,vt prædiorum:ad ptioris validitatem(ex initio tituli De vsucapionibus Institutis & ex lege Vnica Cod. De vsucapione transformanda) requiritur possessio bonæ fidei continuata per tres annos. Idque si cum possessione bonæ fidei coiunctus sit titulus, qui allegari probarique possit: vt ex lege Celsus ff.De vsucapionib. & ex l. Nullo,Cod.De rei vendicatione,Couar.ad reg.Possessor *par.2.§.5.nu.2.* notat aliis citatis.Ex quo in præced.§.2. num.5. adde iuxta communem sententiam,id locum habere, non modo in rebus priuatorum , sed etiam in rebus Ecclesiæ;ex Authentica.Quas actiones Cod. De sacrosanctis Ecclesiis. De cuius Authenticæ authoritate constat ex cap. penult. & vltimo 16.quæst.3. Sine titulo autem quod allegari possit,præscriptionem validari spatio 30. annorum Molina in cit. tractatu disput.68.concluſ.8.probat:quia cùm per tantum spatium temporis præscriptio rerum immobiliũ sine titulo validetur,vt post dicetur:multo magis codẽ tẽporis spatio rerum mobiliũ præscriptio validabitur.

De tempore lege constituto ad præscriptionem rerum immobilium.

Nu.298. VT autem validè præscribantur res immobiles, ex initio tituli De vsucap. Institutis ; & ex lege Cùm in longi.Cod.De præscript.longi temporis,requiritur cum titulo longum tempus; quod est decem

Universidad de Deusto
Biblioteca

annorum inter præsentes, eósue qui in eodem territorio habitant,& 20.annorum inter absentes, siue eos qui habitant in diuersis territoriis. Sine titulo autem requiritur tempus longissimum: quod respectu priuatorum est 30. annorum ex cap. Sanctorum De præscriptionibus: & 40. annorum respectu Ecclesiarum, aliorúmque locorum piorum. Namque tantum spatium requiri ad præscribendum contra Ecclesiam,patet ex cap.De quarta,eodem titulo. Similiter ad præscribendum contra alia loca pia, *qualia sunt hospitalia,& monasteria*, habetur ex Authentica Quas actiones Cod.De sacrosanctis Ecclesiis. Ex qua adhuc habetur singulare Ecclesiæ Romanæ priuilegiũ,quo bona illius immobilia præscribi nequeũt spatio minore quàm centum annorum. Id etiam habetur ex iure canonico.in cap. Ad audientiam, & sequenti. De præscriptionibus.

Cæterùm contingunt in his nonnullæ varietates: siue respectu quarumdam personarum,quibus ius fauet:vt pupillis & minoribus ob ætatem, & Principibus ob dignitatem:siue diuersarum rerum.Nec enim ipso rerum immobilium nomine prædia tantùm & id genus alia bona,comprehenduntur:sed etiam iura & actiones ad illa:itémque beneficia,census, reditus seruitutes, vsusfructus, & eiusmodi alia : quæ ad instar rerum immobilium fructum commoditatémve adferunt. Verùm quia tales iuris ciuilis quasi apices,ad iurisconsultos proprie spectant, tantùm monebimus de illis scire volentem, posse recurrere ad Ludouicum Molinam,qui in memorato tractatu 2.De iustit.&iure,de iisdem copiosè disserit à disput. 69.ad 80. & breuius apud Leonardum Lessium lib. 2. De iustitia & iure. cap. 6. dubit. 8. & sequentibus.

Nu.299. Porro præter prædictas, datur præscriptio immemorialis (de qua idem Molina disput. 76.) seu de cuius initio non extat memoria: prout censetur cõtingere,cùm initium illius excedit memoriam senũ, qui modò sunt:etiam quoad ea quæ ex auditu & traditione suorum maiorum acceperunt. Sícque (vt ex Couarr. alios citante habet Molina ibid. versùs medium) illius probatio facienda est per testes qui asserant se possessionem talis rei,apud talem semper audiuisse & vidisse, nec vnquam audiuisse aut vidisse contrarium; de illáque semper fuisse communem opinionem & famam:&neque extare,neque apud suos maiores extitisse memoriam de contrario, aut de initio eiusdem possessionis. Non est autem dubitatio,quin talis, tanquam longissimi temporis, valida censeri debeat.

Responsio ad quæstionem. An præscriptio penitus tollat obligationem ad restitutionem.

Nu.300. HÆc continetur duabus propositionibus. Prior est:Possessione bonæ fidei continuata per spatium temporis lege definitum, præscriptionem ita compleri,vt dominium in rem præscriptam transferat à priori vero domino,in alium, etiam in foro cõscientiæ:neque post eam completam, manere obligationem restituendi rem possessam: quantumcumque possidens euidenter sciat alienam fuisse. Hanc tenet Sotus lib.4.De iust.&iure quæst.5.art.4 & cum eo aliis citatis Couarr.ad regul. Possessor part.3.§.2. num.3.& recentiores communiter. Probatur autem ex eo,quòd præscriptio completa, *ex lege* 1. *De vsucap.* sit acquisitio dominij. Vnde sequitur, quòd per eam res desinat esse aliena, & restitutioni obnoxia. Deinde si quid esset propter quod negari debeat leger ciuiles de præscriptione locum habere in conscientia,maximè esset:vel quòd sint iniustæ,vel quòd foueant peccatum,vel quòd aduersentur rectę rationi.Quorum primum dici non potest: quia latæ sunt iusta de causa,quæ est bonum publicum, exigens talem modum acquirendi, ne dominia rerum semper maneant incerta;& infinita multitudo litium exoriatur. Nec item secundum, quia id minimè contingere prescriptioni bonæ fidei,*de qua tantùm loquimur*, manifestum est ex eo, quòd sit per sacros canones approbata, vt patet ex supradictis. Nec denique tertium:quia ratio dictat, Principẽ posse per suas leges subditum,etiam absque ipsius culpa, priuare dominio suæ rei, si bonum commune ita fieri postulet:sicut propter causam paulo ante tactam, postulat per præscriptionem completam acquiri dominium.

Nec est quòd quis obiiciat postquam constiterit rem esse alienam cessare bonam fidem,qua innititur præscriptio. Nam post completam præscriptionem, constare quidem potest rem fuisse alienam, sed ille qui præscripsit verè, bonáque fide, indicat iam esse rem suam,quæ fuit aliena.

Cæterùm allata propositio tam quoad directũ dominiũ,quàm quoadvtile locum habet:tum quia vtrúque ius absolutè,& sine restrictione loquitur de dominio. Tum quia in cap. Clerici 16. quæst. 3. dominium per præscriptionem acquisitum vocatur proprietas:quo nomine dominium directum solet significari.

Posterior propositio est: præscriptionem non ita *Nu.301* tollere restituendi obligationem, quin aliquando ea recurrere possit per restitutionem in integrum: quia is qui rem suam amisit,restituitur in illius dominium authoritate Iudicis. Hæc patet per latiùs tradita à Couarr. ad reg. Possessor.3.part. §. 3. nempe, quòd minoribus ilsue qui nondum attigerunt 25. annum, Ecclesiis, aliísve piis locis, tale remedium concedatur,etiamsi præscriptio fuerit 40. annorum, ac ipsis scientibus ac valentibus resistere,facta sit.Concedatur,inquam, per quatuor annos postquam sciuerint contra se completam esse præscriptionem.Concedatur item maioribus ætate in decem & 20. annorum præscriptione, dummodo probent cum sua iusta, ac probabili ignorantia,aut omnino absque negligentia sua,eam contigisse.Qui etiam habent quatuor annos aut eo dum tali remedio postquam sciuerunt completam contra se præscriptionem. Leges & authores ex quibus hæc,*in foro externo tractari solita*, habentur, videri possunt apud eumdem Couarr.aut apud Molinam in ante memorata disput.88.

TRACTATVS IV.

De obligatione ad restitutionem in ordine ad diuersas eius species.

CVm restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, quo satisfacimus proximo à nobis læso in suis bonis;tot illius primariæ species cõstituuntur, quot bonorum in quibus proximus lædi potest. Ea autem sunt vel interna,vt bona animæ, & corporis: vel externa,vt bona honoraria & pecuniaria; ideoque vna restitutio dicitur esse damni illati in bonis animæ, altera illati in bonis corporis, tertia illati in bonis honorariis, & quarta illati in bonis pecuniariis: ad quas singulas est sua specialis obligatio, quæ restat consideranda, vt intelligatur quid vltra antedicta, cuique earum sit proprium ac peculiare.

CAP.

CAPVT XXI.

De obligatione ad restitutionem damni illati in bonis animæ.

SVMMARIVM.

302 *Varietas bonorum animæ,& quæ sit obligatio ad restitutionem damni illati in bonis animæ naturalibus.*
303 *De obligatione eius qui alteri causa est ignorantiæ.*
304 *Lædi potest proximus in bonis animæ supernaturalibus directè,aut indirectè; positiuè, aut negatiuè, inducendo ad malum, aut reuocando à bono.*
304 *Graues est peccatum lædentis proximum in bonis spiritualibus.*
305 *Aliquando licet reuocare proximum à bono spirituali,vt ab ingressu religionis.*
306 *Obligatio illius qui vi,dolo,aut fraude nocet proximo in bonis spiritalibus.*
307 *Non est eadem illius, qui sine vi, dolo, aut fraude nocuit.*
308 *Obligatio illius, qui alium retraxit à religione.*

Nu.302. BONA animę quædam sunt naturalia, seu insita nobis à natura:vt memoria, intellectus, & voluntas:quædam verò acquisita: quæ rursus vel parta sunt nostro labore,vt scientiæ & artes; vel nobis diuinitùs infusa:vt gratia iustificans,fides,spes,charitas, & dona Spiritus sancti. Sed vt Petrus à Nauar. ex Caiet. & quibusdam aliis notat *in lib.2.de restit. cap.2.dubit.1.nu.4. (& sequitur Molina de iust.&iure tract.4.disput.50.num.1.)* quoniam eadem prorsus, in hac materia ratio est bonorum animæ naturalium, ac corporeorum bonorum: *quandoquidem vt quisque ius habet iustitiæ, ne lædatur in corpore, ita & ne lædatur in anima*: ideo fit vt de obligatione ad restitutionem damni illati proximo in bonis animæ naturalibus nihil occurrat specialiter dicendum:sed satis sit in genere monere,ad eam debere applicari,quæ dicuntur de obligatione ad restitutionem damni illati proximo in bonis corporis.

Vnde multa inferre licet;nonnulla in exemplũ proposuisse sufficiet. Primũ est:quòd non minus, quàm si manum abscidisset, is qui potionibus vel dæmonũ præstigiis aliquem redderet mente captum, teneatur restituere quantùm æstimabitur tale damnum prudentis arbitrio,attentis omnibus circunstantiis concurrentibus: ac etiam resarcire omnia alia damna, si quæ sint vlterius inde secuta.

Secundum est:quòd ille qui causa fuerit culpabiliter,vt alius per ignorantiam, aut vim vel metum peccet,teneatur damna illi aut aliis inde secuta resarcire,tanquam eorumdem causa iniusta.Addidi *culpabiliter*, quia in eo casu excusatus à culpa, excusabitur & à pœna obligationis restituendi, quamdiu laborauerit tali ignorantiâ. Qua cessante, *quia cessabit excusatio*:damna quæ deinceps sequentur ex tali causa,imputabuntur illi;nisi curet quantum potest eam tollere: informando scilicet de veritate, eum qui peccat per ignorantiam:& restituendo libertati suæ illum qui per metum aut vim inducitur ad peccatum.

Nu.303. Tertium est:eum qui falsam doctrinam docuit teneri lege iustitiæ proximum reuocare ab eo errore, *& sic restitutione resarcire damnum quod illi intulit*, nisi fortè voluntariè deceptus sit:vt potest multis contingere,qui auidi nouitatum, & prurientes auribus in hæresim pertrahuntur,quia volenti nõ fit iniuria: aut nisi deceptus aliunde cognoscat veritatem, cui ex malitia nolit adhærere:nam tunc error ipsius non tribuetur amplius deceptori, nisi hic fortè animum illius ad errorem inflexerit variis suasionibus; tunc enim tenebitur ipsum reuocare ab errore, quantum in se fuerit: tollendo inclinationem in talem errorem,quam ei suis suasionibus impressit.

Quartum est:eum qui habens docendi officium, suâ negligentiâ discipulum seu tyronem ignorantem fecit: siue docere debuerit scientiam,vt Theologiâ, vel Philosophiâ:siue artem liberalem vt Grammaticam vel Rhetoricam: siue artem mechanicam vt texendi, suendi &c. teneri non modo damna inde secuta resarcire:sed etiam vtilem illam doctrinam & cognitionem tradere,ei quem ex officio erudire debuit. Secus autem esset si quis non debuit docere ex officio. Nam is omittens docere verum, etsi peccet contra charitatem,quando cognitio est supernaturalis proximo necessaria ad æternam salutem:non peccat tamen contra iustitiam;& ideo nec incurrit obligationem ad restitutionem,quę est actus iustitiæ cõmutatiuæ. Immo quando est cognitio naturalis alicuius scientiæ,vel artis;ille qui non tenetur ex officio illam docere,potest prudenter occultare, & suis filiis eam tradere. Nam neque ex iustitia, cùm non accipiat stipendium,neque ex charitate, cùm non sit extrema necessitas,tenetur illam manifestare; nisi quid occurrat simpliciter necessarium in repub. vt quãdo communibus remediis,vel aliâ viâ subueniri non posset præsenti necessitati.In quo casu nolle docere modus quidam esset iniustus conspirationis & monopolij.

Obligatio inferentis proximo damnum in bonis supernaturalibus.

DE restitutione autem cæterorum bonorum *Nu.304.* quæ communiter, bonorum spiritualium nomine intelliguntur. Obseruandum est primò: in talibus bonis,non posse quidem directè,& immediatè, *sicut in bonis externis*, noceri proximo:posse tamen indirectè,& remotè: nimirum monendo voluntatem ipsius.Id quod potest tribus modis fieri:1.solo exemplo, seu offensione & scandalo: 2. non tantùm exemplo,sed & verbis, hoc est, consilio, & persuasionibus malis: 3. vi, dolo, fraude,aut minis.

Obseruandum secundò, posse quem in eisdem bonis bifariam proximo nocere,vno modo positiuè, seu efficiendo vt amittat illa,quæ iam habet: sic hæretici nocent catholicis,quos peruertunt,& à catholica fide excidere faciunt:sic etiam nocent homines improbi hominibus piis, quibus persuadent vt pium vitæ institutum relinquant.Altero modo priuatiue, nempe impediendo proximum ipsum ne consequatur huiusmodi bona,quę alioqui consecuturus esset; vt ne recipiat fidem catholicam, aut non agat pœnitentiam,vel non redeat ad virtutis viam, quando ab ea aberrat.

Obseruandum tertiò, posse aliquem nocere proximo in dictis bonis spiritualibus; vel inducendo illum ad peccatum,per quod destruuntur bona gratię, vel auocando illum à meliori bono,vt à perfectionis statu;qualis est religionis;aut ab aliis quę sunt supererogationis, & consilij Euangelici.Ac cùm hæc ita sint,conueniunt Doctores in tribus.

Primùm est:quòd grauiter peccet ille, qui in bono *Nu.305.* spiritali nocet proximo, etiam solo exemplo malo:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam qui ei nocet in temporalibus grauiter peccat *vt manifestum est*, nisi rei paruitas aut ignorantia excusetur: minúsque peccatum est cæteris paribus, in tẽporalibus, quàm in spiritalibus proximo nocere; iuxta cap. Ex meritò & cap. Deteriores 6. quæst. 1. vbi deteriores esse dicuntur qui vitam morésque corrumpunt, iis qui substantiam, & prædia diripiunt.

Nu. 306. Secundum est; quòd ille non peccet, qui alium à statu perfectiori retrahit propter causam legitimam: vt ille qui dissuadet alteri, ne ingrediatur religionem ad quam est omnino ineptus. Nam tale consilium est salutare, habita ratione circunstantiarum loci, tẽporis, & conditionis, qualitatísque personæ: nempe quia parentes habet in extrema necessitate constitutos, quibus tenetur prouidere; aut quia est ingenij valde mutabilis; aut quia probabiliter putatur non perseueraturus; aut quòd plus detrimenti quàm vtilitatis ex ipsius ingressu capiet religio, aliaue simili de causa. Quanquam generatim dissuadere religionis ingressum, magna impietas est: præsertim si id fiat ex hæresi; quâ quis sibi persuadet statum secularem esse religioso statu præstantiorem.

Nu. 307. Tertium est, quòd is qui vi, dolo, fraude, aut minis nocet alicui in bonis spiritualibus, *cùm ei inferat iniuriam*, teneatur talem vim, vel fraudem, vel dolum, vel minas remouere: vt is qui vi impedit religionis ingressum, tenetur vim ipsam remouere. Item hæretici qui fraude, vel dolo catholicos peruerterunt, dum conuertuntur debent his fraudem patefacere, vt & ipsi conuertantur. Id quod locum habet in illo etiam, qui ex ignorantia seu vincibili seu inuincibili damnum intulit. Sic enim ille qui ex ignorantia etiã inuincibili induxit alium in hæresim, tenetur ea recognita, illi quem induxit contrarium ostendere. Similiter Confessarius qui respondit Pœnitenti aliquid licere, quod non licet; tenetur postea illum de veritate instruere: & vt habet Nauarr. in Enchir. *cap. 14 num. vlt.* qui alterum vi, dolo, aut fraude induxit ad peccandum mortaliter, tenetur pro viribus eniti vt bonum gratiæ, quod suâ operâ perdidit, ipsi restituatur: nempe inducẽdo ipsum ad pœnitentiam, & excitando ad bona opera, orandóque pro illo, per se, & per alios: quia si iniuria facta proximo in bonis temporalibus resarcienda est quantum potest, multo magis facta in bonis animæ.

Nu. 308. Vnum autem est quod inter ipsos Doctores versatur in controuersia: nimirum ad quam restitutionem teneatur is qui proximo in spiritalibus nocet: non quidem vi, dolo, aut fraude, sed exemplo tantùm aut persuasionibus, vel consilio. Ac plures *quos lib. 4. cap. 2. dubit. 1. Petrus à Nauarr. refert*, senserunt teneri tale damnum resarcire, vel dissuadendo illud efficaciter; vel si non possit, orando Deum pro malè suaso; vel denique se vel alium tradendo religioni cum ab illius ingressu aliquẽ retraxit. Sed melius Sylu. &alij, *quos idem ibid. consequenter Petrus refert, & sequitur*: eum qui inducendo proximum ad peccatum, nocet illi in spititalibus sine vi, aut dolo, aut fraude, ad nullam restitutionem teneri ex iustitia; sed tantùm ex charitate: eo scilicet modo quo tenetur iuuare quemcumque proximum ratione præcepti de correctione fraterna: inducendo illum ad pœnitentiam, & ad alia bona opera piis monitionibus, & precibus pro ipso ad Deum fusis. Cui sententiæ Molina in citata disput. 50. num. 6. subscribit. Probatur verò tum ex iure ciuili per illa verba in lege 2. §. vlt. ff. mandati. Nemo ex consilio obligatur, etiamsi non expediat ei cui datur, quia liberũ est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium. Tum ex iure canonico per regulam 62. iuris in 6. Nullus ex consilio (dummodo fraudulentum non fuerit) obligatur. Ad quam videri potest glosa. Tum demum aperta ratione: nempe quòd obligatio ad restitutionem, sequatur ex illata iniuria, quæ non fit scienti & volenti, ex reg. 27. iuris in 6. omnísque amissio gratiæ scienter fiat, voluntariáque sit: quam qui recuperare non vult, sed perseuerare in peccato, ostendit se de damno accepto non curare: sicut nec si persuasus rem suam abiicere in fluuium, quam si velit recuperare potest, censetur eam non curare.

Nu. 309. Quæ ratio ostendit etiam; teneri posse, quod ex Soto *in lib. 4. de iust. & iure quæst. 6. art. 3.* approbat Petrus à Nauarr. *in eadem dubit. 1. num. 12.* eum qui sine vi fraude vel dolo aliquem retrahit à religione, etiam professum, non obligari eo nomine religionem ingredi: neque ex iustitia ad vllam restitutionẽ teneri per se, seu quatenus retracto nocet in spiritualibus. Nam tali, *vtpote scienti & consentienti*, non fit iniuria; & per consequens nec respectu illius peccatur contra iustitiam, sed solùm contra charitatem. Respectu autem religionis, illud quod Sotus addit, eum qui retrahit aliquem à religione, cui valde vtilis est teneri ad restitutionem, eoquod religioni ipsi in temporalibus noceat. Illud inquam, partim concedi potest, partim negari. Concedi quidem si retrahat illum qui iam obligatus est religioni per votum in ea emissum, & acceptatum prout fit in professione. Nam tunc reuera infert iniuriam: quandoquidem sicut seruus legalis, si aliquid temporale habeat, acquirátue, illud habet vel acquirit domino suo, non sibi: ita & Religiosus non sibi sed religioni habet, vel acquirit. At verò quando is qui retrahitur nondum adstrictus est religioni, sed tantùm habet, propositum adstringendi se, non est obligatio ad restitutionem: quia tunc dissuasio non est contra iustitiam, sed tantùm contra charitatem. Nam in eo iniuriam non fieri religioni, patet: quia religio ante votorum acceptationem non habet ius in proponentem illius ingressum, neque in res ipsius. Vnde fit, vt perinde in eo contingat, ac in legato: à quo faciendo, qui aliquem sine vi, fraude, vel dolo auertit, non infert iniuriam legatario, qui non aliter ius habebat quàm intercueniente libera voluntate legantis. Pro qua doctrina faciunt habita in præced. num. 150. & aliquot sequentibus. Eam persequuntur consequenter Petrus à Nauarr. & Lud. Molina in disput. 51.

CAPVT XXII.

De obligatione ad restitutionem damni proximo illati in bonis corporis.

SVMMARIVM.

310 *Homicida aut mutilator tenetur agro refundere tam lucrum ei cessans, quàm damnum emergens, idque in integrum.*

311 *Nisi quod in recompensatione lucri, quod occisus facturus erat tota vita, spectandum sit tantummodo quale probabiliter foret.*

312 *Ex quo nihil deducendum est ob cessationem à labore operandi ad lucrandum.*

313 *Talis restitutio facienda est læsis, non modo pauperibus, sed etiam diuitibus: aut hæredibus eorumdem.*

314 *Hæredes alij necessarij, alij non necessarij: illis facienda est restitutio sustentationis, quam accepissent à defuncto: non item his.*

315 *Homicida non tenetur restituere creditoribus occisi, quæ illis soluisset, si vixisset.*

316 *Qui*

316 *Qui punitur pœna talionis, nihil tenetur restituere pro vita erepta.*

317 *Nec item in conscientia teneatur, si hæredes defuncti talem compensationem remittant.*

318 *Immo nec si non remittant, debet illis aliquid restitui in vitæ erepte compensationem.*

319 *Debet autem Deo, & defuncto: & quid.*

320 *Obligatio homicidæ transit ad ipsius hæredes, & procedit siue occisio iniusta fiat priuata authoritate, siue publica: & siue committendo, siue omittendo: & quantumuis esset ab alio perpetranda.*

321 *Ex iusta occisione non oritur obligatio ad restitutionem.*

322 *Nec cùm quis prouocatus ad pugnam occidit defendendo se, etiamsi forte debitam moderationem defensionis excedat.*

323 *Secus si non sit prouocatus, etiamsi inuasus.*

324 *Nisi seruet debitam moderationem defensionis: quâ seruata excusatur à restitutione, etiamsi ob aliquam iniuriam illatam inuasus fuerit: nisi inuasio sit licita; qualis est criminosi authoritate Iudicis.*

325 *Ad quid teneatur homicida innocenti, cui crimen ipsius falsò imputatur.*

326 *Nihil restituendum est virgini cuius stuprum peractum est de eius libero consensu.*

327 *Quod procedit etiamsi precibus, & blanditiis ad consensum inducta sit.*

328 *Nisi stuprator aduertere potuerit, non consentire liberè, tantumque ex verecundia vel metu non resistere, quantum deberet.*

329 *Tenetur ad restitutionem, qui per vim aut fraudem defloruit virginem.*

330 *Ad quam teneatur cùm non intercessit promissio matrimonij.*

331 *Ad quam verò, cùm talis promissio intercessit.*

332 *Ad quid teneatur cùm promisit quidem matrimonium, sed animo deceptorio.*

333 *An teneatur aliquid restituere patri puellæ defloratæ.*

334 *An teneatur ad aliquid si quæ vulgo putabatur virgo, reuera non fuerit, & quid tenendum sit de eo qui obstrictus voto ingrediendi religionem, nuptias promisit puellæ.*

LÆsio proximi in corpore, contingit occisione, mutilatione membri, vulneribus, verberibus, detrusione in carcerem, aut in alium simílem locum: ac etiam cõstrupratione; per illámque inferri potest damnum tum in bonis naturalibus, vt in vita, membris, libertate, pulchritudine seu decore corporis: tum etiam in bonis externis, vt quia læsus, propterea desiit lucrari: vel quia cogitur facere aliquos sumptus; tum demum in honore propter dedecus quod aliquando sequitur ex infami percussione. Obligatio autem ad restitutionem quam talis læsio inducit specialem difficultatem habet tẽtùm, quatenus nascitur ex homicidio, vel mutilatione, aut ex virginis defloratione, namque ex iis quæ ante dicta sunt, aut quæ post dicentur, omnis de aliis difficultas tollitur. Hoc igitur caput duabus partibus distinctum, complectetur priore parte quæ spectant ad obligationem restituendi natam ex homicidio vel mutilatione: posteriore verò eam quæ oritur ex virginis construpatione.

*

PRIOR PARS CAPITIS.

De obligatione restituendi, prout nascitur ex homicidio, vel mutilatione.

Nu. 310. QVi iniustè & contra 5. decalogi præceptum, suo loco in sequenti parte tomo 2. explicãdum, interficit aut mutilat proximum, tenetur restituere damna omnia, in temporalibus per eam iniustitiam data; inter quæ damna computatur lucrum cessans in eo qui per acceptam iniuriam impeditur ab vsu officij lucrosi: computantur etiam ante mortem cõsumpta pro Chirurgis, Medicis, medicinis, & cibis: ac in vniuersum quęcumque aliæ expensæ ea de causa factæ; detrahendo tamen illa, quæ percussus aliàs consumpturus erat in cibo & potu: cùm percutiens solius incrementi fuerit causa iniusta. Itémque restringendo ad sumptus, qui attenta qualitate personæ occisæ, aut vulneratæ rationabiliter facti sunt. Licet enim homicida quoad superfluos fuerit occasio, non fuit tamen causa. Atque horum (in quibus Doctores conuenire notat pluribus citatis Petrus à Nauarr. in lib. 4. De restit. & Lud. Molina in tractatu. 3. de iust. & iure, *ille in cap. 6. dub. 10. initio, & hic disp. 83. sub initium*) Ratio est, quia iure naturali quilibet tenetur ad restitutionem damnorum quæ in temporalibus iniustè intulit, ex cap. Fin. De iniuriis & damno dato.

Aduerte autem, *quod idem à Nauarra ex Soto addit*, restitutionem de qua agimus, esse quidem faciendam in integrum, respectu præteriti lucri cessantis: non tamen respectu lucri futuri, seu quod occisus vel mutilatus fecisset per operas lucrosas, quas toto vitæ tempore exercuisset. Prior pars probatur: quia vbi est certa quantitas damni, huius reparatio debet fieri integra; alioqui iustitiæ æqualitas non seruaretur. Itaque is qui percussit rusticum, ideo coactum per mensem domi manere, mercedes dierum quas certò accepisset laborando, perinde tenetur restituere, ac si illum vi vel dolo detinuisset.

Nu. 311. Posterior pars verò probatur, quia talium operarum iacturam damnosam, per restitutionem resarciri necessarium est quidem, non tamen secundùm quantitatem lucri ex eis prouenturi, sed secundùm probabilem expectationem eiusdem lucri: quod cùm impediri potuerit multis viis, minus in illa valet, quàm valeat in re: sicut & fructus terræ plus valet in se, quàm in flore vel in semente. Vnde optima procedendi regula in ea re videtur esse, vt arbitrio prudentis fiat eiusmodi restitutio; habitâ ratione circunstantiarum, personæ, loci, temporis & aliarum: scilicet vt non soluantur omnes operæ quot, quot possent futuræ esse: sed quas probabile est fore faciendas. ab occiso, si superuixisset; vel à mutilato, si mutilatus non fuisset: suppositâ ætate ipsius, & impedimentis quæ potuissent ipsum ab operando reuocare: Similiter vt aliquid detrahatur eo nomine, quòd lucrum ex talibus operis, non fuerit actu; sed tantùm in spe, multísque successibus aduersis expositum. Siquidem occisus vel mutilatus poterat vitæ institutum mutare, detrudi in carcerem, ægrotare, vel breui mori: vnde fit vt talia minus valeant, quàm si extarent actu. De quibus in citata disputatione 83. & in sequenti 87. Ludouicus Molina plenius: in quibus non immorabimur ob rationem paulo post subiiciendam.

Nu. 312. Cui præmittere oportet ad dubium: *Vtrum sit ali-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid detrahendum, eoquod tales operæ futuræ essent cum labore, qui non datur in occiso: negatiuè respondendum esse cum Soto in lib.4.De iust.& iure,*quæst.6.art.3. in explicatione ter. argumenti*,& Couar.in lib.2.var.resolut. cap. 10. num. 7. quia si illi qui labore manuum victitat ademeris laborem, nihil ei relinquis : quandoquidem cessans ab opere, nihil lucratur. Adde quòd talis liberatio à labore,non sit grata læso,vt debeat inde aliquid ei deperire.

Aduertere oportet etiam, antedictis congruenter esse concedendum, quòd si occisus aliquos habebat redditus, qui solummodo ad vitam ipsius durabant (puta quia gerebat officium Curiæ, aut quid simile) tale quoque damnum ex morte emergens resarciendum esse, prout prudens arbitratus fuerit : attentis circumstantiis debitis, consideratáque ætate occisi, & an esset robustus vel debilis, &c.

Cæterùm (vt ad rationem cuius meminimus veniamus) quia in his difficillimum est, *moraliter etiam loquendo*, arbitrium ad vnguem,iuxta rationem iustitiæ cómutatuiæ exercere, atque sic ad effectum perducere,vt restituendo assignetur cuique damnificato quod ei debetur : optimum consilium est vti transactione & compositione cum eo ipso,cui facienda est restitutio:præsertim cùm sic soleat aliquid de taliter debitis remitti, & creditor esse contentus certâ rationabili summâ sibi vtro oblatâ. Quam tandem rationem Molina approbat in fine citatæ disput.83.

Explicatio difficultatis de eo cui facienda est istiusmodi restitutio.

Sectio I.

*Nu.*313. Scipetas cui facienda sit restitutio eorum quæ hactenus dicta sunt. Respondendum est,faciendam esse mutilato,& occisi hæredibus tanquam in locum ipsius succedentibus ; vt quoad obligationes, ita & quoad iura:siue ipsi per testamentum,siue ab intestato succedant.Idque non solùm cùm ij fuerint pauperes, sed etiam cùm fuerint diuites : quandoquidem istiusmodi res spectanda non est ex qualitatepersonæ, sed ex inæqualitate facta in rebus ipsis : in qua consistit iniustitia, quæ radix est, & causa obligationis ad restitutionem : Vnde homicida perinde hæredibus interfecti diuitibus, non minus quàm pauperibus restituere tenetur : ac ille qui furatur à diuitibus non minus,quàm qui à pauperibus, tenetur ad restitutionem taliter accepti.

*Nu.*314. Iam cùm hæredes duplices esse possint:alij necessarij hoc est, qui nequeant in totum ab hæreditate excludi per testamentum;vt filij,& vxor: alij non necessarij qui succedunt quidem ab intestato, sed excludi possunt per testamentum,vt fratres, & alij cognati : quæstio est, An si tam hi quàm illi sustentabantur ab occiso dum viueret, teneatur occisor vtrosque sustentare in restitutionem damni dati. De qua re Scotus *in 4.distin. 15. quæst.3.* cuius sententiam Nauar.approbat *in Enchir.cap.15.num.22.*& post eum, *alios adhuc citatis*, Petrus à Nauar.in lib.4.De restitut. cap. 1. num.74. existimat istiusmodi restitutionem faciendam esse vtriusque generis hæredibus, quia vtriusque illatum est nocumentum. Sed melior videtur sententia Soti in citata explic. argumenti tertij sub finem:& aliorum quos refert sequiturque Leon. Lessius *lib.2. De iust.& iure cap.9. dubit.26.* vt & Lud. Molina *in memorata disput.83.num 6.* esse faciendam, hæredibus necessariis,non item aliis. Ratio est,quia obligatio ad restitutionem ex iniustitia tantùm, non ex liberalitatis defectu nascitur. Illud autem quod per homicidium hæredibus nó necessariis aufertur, *vt alimenta quæ ab occiso accipiebant*, non debebatur illis ex iustitia,sed solùm ex liberalitate : cùm non conferétur vna persona cum occiso, sicut censetur filius cum patre,nepos ex filio cũ auo,& vxor cum marito.

Qui nexus strictissimus causa est cur filiis, nepotibus ex filio, & vxori damnum sustentationis quod patiuntur ex patris seu mariti occisi morte,occisor teneatur ex iustitia resarcire ; tanquam is qui ipsis illud intulerit,auferendo quod erat pars quędam ipsorum :perinde ac si mutilasset aliquo membro, vnde impedirentur laborare ad se sustentandum. Quo tali nexu, cùm cæteri careant, nihil eis occisor debebit ex iustitia, vt nec occisus eis debuit. Rationi autem allatæ in contrarium respondendum est : aliud esse inferre nocumentum alicui,& aliud efficere vt esset commoditas quam ipse habet:quorum illud,quia est contra iustitiam inducit obligationem ad restitutionem:hoc verò,quia est tantùm contra liberalitatem, non inducit. Homicida autem solùm facit vt esset commoditas hæredum non necessariorum nata ex liberalitate ; non secus ac quando occisus centum pauperes alebat ex misericordia;ille qui facit vt talis corumdem commoditas cesset, eis damnum contra iustitiam minimè infert.

Si quis scisciteretur, An istud quod dictum est de obligatione resarciendi damnum sustentationis hæredibus necessariis, procedat cùm sunt per alium sustentandi æquè commodè ; vt filij à patrono vel ab alio amico, vxor à marito cui secundò nupsit, apud quem æquè commodè ac apud priorem se habebit. Responderi potest negatiuè : quia tunc non minus cessat dispendium sustentationis, quàm si ad eam sufficientes opes occisus illis reliquisset.

Si quis præterea scisciteretur, An homicida teneatur ad aliquam restitutionem faciendam creditoribus interfecti. Responderi quoque potest negatiuè cum Soto & aliis communiter: vt Molina fatetur, licet in contrariam partem propendeat, *De iust.& iure tract.3.disput.83.num* 8. quia creditor non habet ius in debitorem ; nisi quantum extendunt se bona quæ actu habet, vel verosimiliter habiturus erat : quæ vtraque ad hæredes transeunt : illa quidem aditione hæreditatis ; hæc verò, restitutione per homicidam ei facta, *iuxta antedicta*, illorum quæ interfectus lucraturus erat probabiliter. Vnde solutio debitorum ipsius, incumbit hæredibus : non autem homicidæ: nisi ea intentione occidisset,vt debiti restitutionem impediret. Tunc enim tanquam peccans contra iustitiam,damnum secutum resarcire teneretur;atque adeo hæredibus non valentibus aut nolentibus restituere,vicem debitoris supplere : perinde ac si alius vi vel fraude, aut dolo eamdem restitutionem impediuisset. *Nu.*315.

Explicatio alterius difficultatis Num vltra iam, dicta, teneatur homicida restituere aliquid pro damno vitæ, quod intulit illam iniustè eripendo; & quantum eo nomine restitui oporteat,ac cui facienda sit talis restitutio.

Sectio II.

Hanc latè persequitur Ludouicus Molina De iust. & iure *tract.3.disput.84.* & 85. Quid autem in particulari tenendum sit ea de re,sequentibus propositionibus declarabitur sufficienter ad nostrum institutum,ac pro quotidiana praxi.

Prima

*Nu.*316. Prima est : Quando aliquis in pœnam homicidij damnatus est pœna mortis,non tenetur ad aliam restitutionem in foro conscientiæ pro damno vitæ quod dedit. Probatur quia tunc in compensationem talis damni aufertur ab eo æquiualens in eodem bonorum genere,nimirum vita. Sed peculiare dubium est,an quo casu occisor ita punitur;superfit adhuc ei obligatio ad restitutionem damnorum quæ dedit in temporalibus : puta expensarum factarum in curatione defuncti ante ipsius mortem,& cæterarum, de quibus ante dictum est. Pars autem affirmans cum Nauar.in Enchir.*cap.15.num.22.*& Couar. lib. 2. var. resolut. *cap.10. num. 7. circa medium*, tenenda videtur : *vt Molina tenet disput.84. num.8. iisdem & aliquot aliis citatis*,quia obligatio quâ homicida lege naturali tenetur resarcire damna illata,non tollitur per punitionem quæ in publicam vindictam irrogatur : cùm sit tantùm compensatio iniuriæ illatæ Reipub.vt argumento est, quòd etiamsi ex morte iniusta nullum sequeretur detrimentum in temporalibus,nihilominus eodem modo homicida iustè puniretur morte temporali, in compensationem mortis quam iniustè intulit.Ergo quando damnum simul dedit in temporalibus,idipsum in conscientia illi restat soluendum; ita vt ab hæredibus ipsius, hæredes occisi talem solutionem exigere possint.

*Nu.*317. Secunda propositio : Si hæredes occisi, illiue ad quos pertinet prosequi accusationem loco defuncti, remittant homicidij compensationem, ad nullam aliam restitutionem homicida tenetur in conscientia,ratione damni vitæ interfecto iniustè ablatę.Probatur;quia cum talis compensationis emolumentum spectet ad ipsos, si condonauerint defuncti mortem, quoad ea quæ pro compensatione ipsi poterant exigere (prout est condonandi vsus apud viros honestos,pœnæ talionis acquiescentes,qua videatur Iudicis ministerio iniuria sufficienter compensata) liber manet homicida ab omni obligatione ad compensationem,ratione mortis interfecti à se iniustè. Idem iudicandum est,si percussus percussori ante mortem remittat expresè eamdem compensationem. Aduerte tamen quod si dicat in vniuersum se delictum ei remittere,non ideo ipsum liberum esse ab obligatione resarciendi damna secuta ex tali percussione:quoniam intelligetur remissio facta solùm quoad iniuriam & vindictam, etiam per Iudicem : non autem quoad damna pecuniaria, quæ non censetur eoipso pati velle,quod iniuriam remittat, nisi & id ipse explicet.

Aduerte etiam obiter : homicidam,si per homicidium causa fuerit,vt pro occiso non fiant tot sacra & opera pia quot fieri præcepisset, nisi ea ratione mortem obiisset : cogendum esse à Confessario vt propriis orationibus,aut Missæ sacrificiis,aut eleemosynis procuret talia compensare, quia cùm in eo damnum intulerit animę occisi,curandum est,vt illud resarciat quoad potest. Nam ea ex parte, quantumuis defunctus nulla in re defraudatus esset, & mors condonata fuerit homicidæ, semper tamen consentaneũ est & de naturali æquitate,huic in pœnitentiam aliquid pro anima illius iniungi. Nõ tamen de iustitia, vt loco citato notat Sotus : & ratio est, quia bonum spiritale non potest esse pretium rei temporalis, cùm sint res diuersi ordinis,non habentes in quo æquiualere censeri queant.

*Nu.*318. Tertia propositio:Quando homicida non punitur pœna talionis,etiamsi hæredes defuncti,quorum est aduersus ipsum agere,illam non condonent,nihil tenetur dare eis in compensationem vitæ occiso ablatæ. Ita tenent locis citatis Nauar. & Couar. & alij quos refert & sequitur Petrus à Nauar. *in lib. 4. De restit. cap.1.num.80.* Probatur autem quia statui non potest,quid ille dare teneatur.Nam vita non est æstimabilis pecuniâ: vtpote Superioris ordinis, perinde ac fama de qua Prouer.22. Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ. Quæ verò sunt diuersi ordinis compensari non possunt, nec in eis constitui potest æqualitas; quam restitutio requirit ex iustitiæ regula, posita in eo vt idipsum quod ademptum est,aut saltem æquiualens restituatur. Accedit,*vt alias rationes omittam*, quòd bonum vitæ non sit, *vt ita dicam*, transmissibile ad hæredes:quod satis arguit, non esse pro illius speciali damno faciendam ipsis restitutionem.

Quod igitur ratione damni defuncto illati in vita,aliisque bonis corporis,à Confessario debet commendari homicidæ, est vt per opera pœnitentiæ satisfaciat Deo, quem grauiter offendit: itémque defuncto idipsum damnum passo,compensationem faciat : quæquidem de probabiliter præsumpta voluntate ipsius, facienda est in piis operibus, prout prudens arbitratus fuerit, spectatâ qualitate defuncti. Esset tamen hæredibus ipsius facienda compensatio in pecunia,si ille id expresserit,vel de volũtate ipsius id esset potius credendum, quàm aliud: vt si disposuisset sufficienter quid pro anima sua fieri vellet ; & hæredes relinquat filios pauperes. Plenius de talium damnorum restitut. differentem vide Molinam in sequen.disput.88. *Nu.*319.

Aduerte autem deduci ex cap. fin. De sepulturis, talem homicidæ obligationem restituendi, transire ad hæredes ipsius. Quod & ratio postulat,quoniam ea est debiti iure naturali, ex damno iniustè dato contracti : quandoquidem corporis damna non minus sunt vere damna recompensanda, quàm damna rerum externarum (vt patet ex iis vexationibus & molestiis corporis)quæ quis pertulerit iniustè detentus in carcere,aut in exilium missus.Vnde ad recompensationem quoque illorum, bona eius,à quo illata sunt,obligata manent post mortem ipsius, nisi viués tali suo debito satisfecerit.Quia igitur hæredes vt in lucrosis,sic & in onerosis succedunt:si homicida non fecerit in vita propositam satisfactionem ad quam tenebatur ; hæredes ipsius tenentur defectum illius supplere. *Nu.*320.

Aduerte præterea procedere,non modò cùm quis proximum iniustè occiderit priuata authoritate; sed etiam cum authoritate publica; vt Iudex per sententiam iniquam,& testis per falsum testimonium, aut malitiosè tacitam veritatem:tam enim hoc,quàm illo modo contra iustitiam peccatur. Item non modo cùm occiderit cómissione homicidij, sed etiam cum omissione defensionis, quam ex officio exhibere tenebatur proximo,nec exhibuit cùm posset.Ratio est, quia subtrahit illi quod suum est, in eóque perinde facit illi iniuriam,ac detrahendo aliud,per quod vitæ suæ consuleret.

Aduerte adhuc procedere;quantumcumque alius tunc esset eumdem occisurus, nisi ipse occidisset: quoniam ea circunstantia non impedit, quominus verè sit causa damni iniustè illati: licet enim inferretur sine ipso,non est tamen ab alio, sed ab ipso illatum. Verumtamen vt bene notat Petrus à Nauar. *in præced.num.* 77. si occisus tunc erat alioqui morte iusta de medio tollendus,non esset obligatio restituendi:quia ipsum tunc occidendo etiam iniustè,non infertur damnum pecunia æstimabile (nisi fortè ex accelleratione incurreretur aliquod detrimentũ quod vitaretur morte iusta) cùm tam breui tempore nihil esset lucraturus : neque vitæ momentum quod tunc ei præreptum est, alicuius talis æstimationis censetur dignum. Superest difficultas,An prædicta locum

Universidad de Deusto
Biblioteca

habeant in eo qui occidit defendendo se, sed modum defensionis excessit.

Explicatio tertiæ difficultatis, Ad quam restitutionem teneatur, qui alium occidit defendendo se quidem, sed excedendo modum iustæ defensionis.

Sectio III.

*Nu.*321. HÆc continetur sequentibus propositionibus quas habent etiam Lud. Molina tract. 3. & Leonard. Lessius lib. 2. De iust. & iure: *hic cap. 9. dubit. 21. & ilie disput.* 81. Quibus præmittendum est, eum qui aggressorem seu volentem priuata authoritate mortem inferre, aut res alienas iniustè tollere, occidit ad necessariam vitæ suę vel alienæ defensionem iustam, non teneri restituere: quia cùm vnicuique sit iure naturæ permissum vitam suam & alienam defendere aduersus aggressorem iniustum; non fit ipsi iniuria, si occidatur, cùm id fuerit ad eamdem defensionem necessarium. Vnde intelligitur nec incurri tunc obligationem ad restitutionem; cùm non interuenerit iniustitia. Aduerte verò obiter, quod dicitur de iusta vitæ defensione in hac re, intelligendum pariter esse de iusta defensione rerum. De qua vtraque quando contingat, in sequen. libro 21. cum exponetur ratio De peccatis iudicandi ex Decalogi præcepto Non occides.

*Nu.*322. Prima autem propositio est: A restitutione excusari eum qui prouocatus ad pugnam occidit prouocantem, quantumcumque defensionis modum excedat. Ratio est, quia licet talis occisio iniusta sit respectu Dei, qui est vitæ Dominus: & Reipub. cui ciuis adimitur: non est tamen respectu occisi, qui cùm voluntariè exposuerit se periculo talis damni, censeri potest renuntiasse iuri petendi illius restitutionem.

*Nu.*323. Secunda propositio est: Occidentē eum qui sine prouocatione dat iniustam occasionem rixandi ac pugnandi: si ita iustam defensionis moderationem excedat vt mortaliter peccet, obligari ad restitutionem. Huius ratio est, quòd tali modo occidenti, damnum illatum imputetur, tanquam ei qui dolo, seu latâ culpâ illud intulit, vtpote qui ab eo inferendo non cauerit sibi, quantum potuit & debuit. Quamquam si in foro externo, Iudicis sententiâ iustâ absoluatur, ad damnorum restitutionem minimè teneri in foro conscientiæ latè docet Molina in cit. disput. 81. à numero 7.

Tertia propositio est: Eumdem teneri quoque ad restitutionem si persuadens sibi alium velle desistere à pugna, ipse desistere nolit. Ratio est, quia tunc nullam habet necessitatem ad defensionem suam inferendi damna aggressori. Quapropter ex tunc secuta, tanquam ab ipso iniustè illata, tenetur resarcire.

*Nu.*324. Quarta propositio est: Non teneri ad restitutionem eum qui ab altero inuasus illum occidit defendendo se cum debita moderatione, etiamsi potuerit fugiendo, aut alia simili ratione declinare pugnam. Ratio est, quia quantumuis contra charitatem peccauerit non declinando periculum vitæ proximi: non tamen contra iustitiam: quia nemo ex sua malitia qua vult alterum inuadere, acquirit ius per quod ad fugam aut aliud eiusmodi, inuasus obligetur ex iustitia. Postquam igitur pugnare cœpit, interficiendo aut vulnerando cum moderatione inculpatæ tutelæ, non lædit ius alienum, sed vtitur suo.

Adde ex Molina sub initium disputationis 81. si in eiusmodi cuentu contingat inuasum occidi aut vulnerari ab aggressore, hunc aut hæredes ipsius (non obstante quod ab illo in conflictu maiora forte damna acceperit) teneri ad integram restitutionem damnorum quæ eidem inuaso intulerit. Ratio est: quia iniustè illata resarcienda sunt restitutione: neque censenda sunt compensari per ea quæ inuasus inuasori intulerit: quia iustè illata, nullam compensationem requirunt ex iustitia. Qua de causa vt tractat Molina in sequen. disput. 82. duellantes licet confligendo peccent grauissimè; tamen non tenentur sibi mutuo resarcire damna, quæ alter alteri sic confligendo intulerit. Et confirmatur quia volenti non fit iniuria; vterque autem vult pari ratione exponere se periculis damnorum, quæ ex tali certamine subsequuntur.

Quinta propositio est: Nec ad restitutionem teneri eum qui inuasioni causam dedit per cōtumeliam, aut aliam iniuriam: si ipsemet inuasus, defendendo se cum moderatione inculpatæ tutelæ inuasorem occidat. Ratio est, quia talis ex iustitia tenetur tantùm offerre satisfactionem pro illata iniuria; non autem permittere se alterius voluntati sine defensione propriæ vitæ: sibi ita permissa, vt si in ea debitā moderationem seruans, occidat inuasorem, non peccet contra iustitiam. Ratio est, quia vtitur iure sibi à natura concesso defendendi vitam suam contra volentem iniustè eam auferre. Nec obstat contumelia aut alia iniuria illata: quoniam ea non dat ius occidendi authoritate priuata; nec adimitit ius vitam defendendi. Talis enim ademptio iuris contingit tantummodo, cùm quis ob crimen admissum capitur authoritate publica à ministris iustitiæ: in quo casu licitè impugnatus, illicitè se defendit. Idem aliis citatis Petrus à Nauar. docet *lib. 2. De restit. cap. 3. num.* 362.

*Nu.*325. Superest monendum quod idem Molina tractat in cit. tract. 3. disput. 86. cùm contigerit homicidium imputari innocenti, homicidam ex iustitia teneri refundere ei quidquid consentaneè ante traditæ doctrinæ, compelletur soluere pro damnis per idem homicidium datis; non item resarcire cætera illius detrimenta ac damna: siue factorum à se sumptuum ea de causa, siue lucri cessantis, aut damni emergentis; siue perpessarum molestiarum aut torturæ, aut etiam mortis: nisi occidendo intenderet talem imputationem: aut vteretur ipso inuito, aliqua re, *vt ense, ipsius*, vnde ortum sit indicium aduersus illum, propter quod criminis author habeatur. Cuius moniti prior pars probatur, quia tunc innocens soluit id quod non debet, sed homicida: quem cùm leuet onere restituendi, tanquam negotium ipsius gerens soluendo, is sanè tenetur refundere pro se solutum.

Pars verò altera probatur: quia homicida suo illo homicidio, non fuit innocenti causa, vt homicidium illi imputaretur, ac patereturomnia illa detrimenta: sed solùm fuit occasio eiusmodi imputationis, ex qua secutum est, vt ipse talia pateretur. Qui autem est solùm occasio, vt alicui ab aliis damna inferantur, non item causa, etsi peccet contra charitatem non euitando talem occasionem, sicut deberet: non tamē contra iustitiam; ideóque non tenetur ad eorumdem damnorum reparationem.

Exceptio autem addita, Nisi intenderit, &c. probatur quoad priorem partem: quia homicida occidendo eâ intentione vt homicidium alicui certò imputetur, non solùm habet rationem præbentis occasionem damnis inde illi sequentibus; sed etiam causæ moralis eorumdem damnorum. Nam cùm actus morales à fine ac intentione speciem sumant; executio homicidij eo fine & intentione facta vt imputaretur alteri, qui adduceretur in discrimen damnorum, quæ ex ea imputatione sequi nata sunt, mora

moralitérque sequentur: iniustitiam continet, non tantùm respectu occisi, sed etiam respectu innocentis cui homicidium imputatur, & ob eam imputationem varia damna inferuntur. Quare inducit obligationem hæc resarciendi restitutione, perinde ac illata interfecto. Quoad posteriorem partem verò, eadem exceptio probatur quia homicida ad occidendum vtens gladio, aut alia re alterius ipso inuito (saltem præsumptè, vt regulariter fit) iniustè illū exponit periculo, vt talis rei indicio imputetur illi homicidium, vnde fiat vt afficiatur diuersis damnis: quæ cùm secuta fuerint, is tanquam iniustus author eorum, tenebitur illa resarcire.

Pars altera capitis. De obligatione ad restitutionem ob constuprationem Virginis.

*Nu.*326. AD huius explicationem aliquot propositiones trademus. Prima est, Si stuprum cum deliberato puellæ consensu peractum est, nullam esse obligationem faciendi ei restitutionem. In hac conſentiunt D. Anton. 2. par. tit. 5. cap. 6. Nauar. in Ench. cap. 16. num. 16. Sotus lib. 4. De iust. & iure quæst. 7. artic. 1. ad 2. quos in lib. 2. De restit. cap. 3. num. 434. Petrus à Nauar. sequitur: quia vt habet regula Iuris in 6. Scienti & consentienti non fit iniuria, neque dolus. Obligatio autem ad restitutionem est ob iniuriam resarciendam. Neque est quod quis opponat virginem non esse simpliciter dominam clausiri virginalis, ideóque iniuriosam esse defloratione ipsius, quantumcumque fiat ipsa consentiente. Facilè est enim respondere, quòd cùm in talem iniuriam si qua ei fiat, ipsa consentiat, nulla oriatur restitutionis obligatio: sicut nec qui alteri brachium amputat de ipsius consensu tenetur ad vllam restitutionem, quantumcumque consentiens, brachij sui non sit dominus.

*Nu.*327. Secunda propositio: Si consenserit virgo blanditiis & precibus prouocata, nec tunc dari obligationem ad restitutionem. Hęc conceditur quidem communiter si preces fuerint leues: sed si fuerint importunæ, *præterquam quod in foro exteriori defloram condemnatur ad satisfactionem faciendam, secundum dispositionem cap. primi De adulteriis*: non desunt qui in foro quoque interno ad eam teneri existiment, vt meminit Petrus à Nauar. in seq. num. 443. Verùm cum eodem consequenter nu. 444. & Molina De iust. & iure tract. 3. disput. 106. concl. 1. tunc etiam prpcedere allatam propositionem: neque defloratorem obligari ad cōpensationem faciendam virgini, quam tantùm precibus munusculis, & blanditiis assiduis induxit ad consentiendum sibi: quia talia non minuunt sed potius augent liberum, cùm non inferant vim, sed alliciant. Sicut ergo qui precibus assiduis & munusculis officium aut aliud huiusmodi obtinet, nec committit iniustitiam, nec tenetur ad restitutionem: ita nec qui puellam similiter induxit ad sibi consentiēdum; quandoquidem ipsa talem habuit consensus libertatem, qualis sufficeret ad pecuniarum donationem, quam quis fecisset existens sui iuris, & donare valēs.

*Nu.*328. Quæ tamen doctrina, *vt idem à Nauar. nu. 445. seq. monet*, non procedit, quando prædictæ preces essent assiduæ hominis à quo puella nequiret dissentire sine incommodo, vt si is esset dominus à quo beneficia sperat: vel Princeps à quo fauorem: quoniam tūc censetur interuenire metus quidam reuerentialis; qui, esto non causet innoluntarium; minuit saltem liberum, iuxta illud quod preces principum; iussa dicuntur esse arq; cogere. Quinimo licet puella cōsenserit omnino liberè, naturali tamen æquitati consentaneum est, vt aliquid ei detur, præsertim si alioqui nequeat maritum inuenire, prout loco cit. habet Sotus. Si quæras, An eadem propositio locum habeat, quando puella naturali verecundiā, metuve insito à natura, neque extrinsecus incusso, id negare non audens, copiam fecit sui, stupratore tale quid satis aduertente. Respondetur negatiuè: quia tunc non est consensus liber. Quodquidem si stuprator aduertere non potuerit, inuincibilis ignorantia excusaret eum à restitutione, vt & à peccato iniustitiæ: quale se committere, nullo modo scinit; nec satis potuit scire.

*Nu.*329. Tertia propositio: Quando per vim aut fraudem virgo defloratā est, tunc defloratorem teneri ad restitutionem. Hanc D. Thomas attigit 2. 2. quæst. 154. art. 6. ad 3. & tenēt D. Anton. & Nauar. citati, itemque Syluester & Couar. ille in verbo Luxuria quæst. 5. & hic in Epitome 4. decret. par. 2. cap. 6. §. 8. num. 15. per cap. 1. & 2. De adulteriis. Et confirmatur ratione: quia tunc puellæ per iniuriam damnū irrogatur; in quod, *cum non consentiat*, resarciendum est restitutione. Qualem verò oporteat eam esse, explicatur sequentibus propositionibus. Quibus præmittendum est, quòd stuprator, vel stupratæ nihil omnino de matrimonio cum ea contrahendo promiserit; vel de eo illi fidem dederit: & rursus, vel vero animo promittendi, talem fidem dederit, vel animo tantùm deceptorio.

*Nu.*330. Quarta igitur propositio est: Quod si nihil de matrimonio actum est, deflorans teneatur solùm restituere virgini damna quæ ei intulit: nempe quantum arbitrio prudentis æstimabitur nocumentum esse, talem mulierem, attenta ipsius qualitate, corruptam esse; & quantum fama illius perielitatura sit, & quanto pluribus indigeat vt nubat æquè bene, quam si nō esset stuprata, aut quod debeat manere innupta; vel exponere se periculo verecundiæ & molestiæ, quam ea de causa per exprobrationes & contēptus pati poterit à marito. Hæc propositio de se patere videtur: nisi quod in contrarium obiici possit ex cap. 1. & 2. De adulteriis: quod debeat illam accipere in vxorem. Cui obiectioni satisfit per illud quod notatum est à Syluestro ante memorato: sic accipiendos esse textus illos, vt obligent tantùm post sententiam Iudicis.

Porrò si omnia damna prædicta cessarent: *vt quia stuprum fuit secretum, & stuprata aquè bene nupsit, ac si non fuisset violata: neque vir suspicatus est stuprum*, illorum pēriculum cui puella exposita fuit, non inducere obligationem ad restitutionem, docent Petrus à Nauar. in lib. 2. De restit. *in 4. parte tertij cap. dubit. 4. & Molina iu sequen. concl.* 8. & 9. Et ratio est, quia nec iniuria à damno præcisa, nec periculum damni hoc non secuto reipsâ, inducit obligationem ad restitutionem: etiamsi illud antequam transiret, potuerit deduci in pactū, sicut deduci solet periculum lucri cessantis aut damni emergentis, vt pro illo subeundo, accipiatur pretium soluendum, siue damnum fuerit reipsa secutum, siue non. Adde cessantibus aliis damnis, compensationem iuxta prudentis arbitrium faciendam esse pro clausiro virginitatis rupto. Hoc enim vt perinde ac cætera corporalia damna, æstimabile est pecuniâ, ideóque perinde compensandum est: quod à Francisco à Victoria notatum, commendat Nauar. in Enchir. cap. 16. num. 19.

*Nu.*331. Quinta propositio est. Quod si virginem defloras, se eam in vxorem ducturum promisit animo promittendi, etiamsi nulla vis illi fuerit allata, tenebitur omnino adimplere promissum; itaut non satisfaciat si aliter, *vt pecuniâ*, totū illud damnum velit ei compensare; nisi ipsa tali compensatione sit contenta. Probatur: quia illi non consensit in stuprum pro pecunia, quâ damnum compensaretur: sed vt stuprator contra

Universidad de Deusto
Biblioteca

contraheret cum ea matrimonium, ideóque rationabiliter est inuita in eo,quòd nolit aliam compensationem acceptare:sed gaudere velit iure ad ipsum matrimonium sibi quæsito per promissionem: quæ cùm habeat modum cõtractus adimpleti ex sua parte,debet quoque impleri ex parte alterius. Hæc autem locum habent etiamsi defloratus sit valdè inæqualis ac superioris conditionis: quia cùm sponsalia ab inæqualibus contracta de se valida sint: præsertim in proposito casu, in quo excessus non impedit, vtpote quem donat is qui illum sciens, vult nihilominus contrahere, ipsáque sponsalia in compensationem stupri celebrare. Vbi aduerte, quod Thomas Sanchez tractat *libro primo disputatione decimaquarta* ideo sponsalia non obstante excessu conditionis valida esse,quod illius donationem facere censeatur is, qui probè eumdem sciens, nihilominus vult eo non obstante contrahere.

Quando igitur ob stuprum promissio fit de contrahendo matrimonio,& fœmina implet quod ab ea exigitur,stuprator tenetur stare promissioni, atque adeo illam ducere in vxorem. Quod si aliam ducat de facto,aut sacros ordines suscipiat:aut scandalum, aliúdue iustum impedimentum taliis matrimonij interueniat,non sufficiet vt impleat illa quæ in superiori propositione notata sunt: sed tenetur stupratæ tantùm in compensationem addere, quantum eius intercat habere ipsum in matitum, propter nobilitatem ipsius vel diuitias, aut quoduis aliud commodum. Ratio est quia fœmina per promissionem sibi factam acquisiuit ius ad rem promissam, tanquam ad aliquid sibi debitum ex iustitia. Vnde stuprator contraueniens tali iuri,reddendo impossibilem promissionis executionem, tantum damni iniustiè intulit,quantùm fœminæ intererat habere ipsum in virum. Ergo tenetur idipsum illi compensare, nisi forte contigerit eam cum alio fornicari: quia per superuenientem fornicationem extingueretur obligatio eam ducẽdi: cùm matrimonij promissio fiat subintellecta conditione,quòd non frangetur fides,fornicando cum alio.In dubio autem an ea fregerit illi fidem,tenetur implere promissum, nisi mulier valde infamata esset de tali culpa, & infamia esset multùm verisimilis. Idem dic de ea quam nuptias promittens putabat virginem esse nec erat: cùm si corruptam sciuisset, nunquam talem promissionem fecisset. Damna verò inde secura debet ipsa sibi imputare eo nomine, quòd pactum inierit mala fide celando suum defectum.

Nu.332. Sexta propositio est; quod si defloratus virginem, ei promisit quidem, sed animo deceptorio se illam acceptarum in vxorem, tenebitur in conscientia stare promisso: nisi ex coniecturis illa potuerit facilè aduertere ipsum nihil seriò promittere: sicut potest ex eo quod loquatur inconstanter, aut vtatur verbis ambiguis,vel nimiis exaggerationibus: adeout ipsa potius deceptionem fingere præsumenda sit, quàm decepta esse.Pro qua propositione, plurimos authores Thomas Sanchez citat in eodem libro disput. 10.quæst.1.

Probatur verò, quia tunc celebratus est contractus inter puellam & stupratorem,vt pro eo quod ei promittitur faciat copiam sui: vnde ipsa implente contractum ex vna parte, obligatio est implendi illud quod in compensationem promissum fuit: non obstante quod promittens deceptoriè egerit; cui sua fraus commodo,& alteri sincerè agenti incommodo esse non debet. Vnde ob rationem in præcedenti propositione allatam, neque in hoc casu stuprator satisfaceret, si fœmina renuente, vellet damnum compensare tantùm in pecunia.

Concedendum est nihilominus, quod si ille qui animo deceptorio matrimonium promisit ob stuprum,esset fœminæ adeo inæqualis, vt ea aduertere debuerit ipsum habere se deceptoriè: non esse obligationem ducendi illam in vxorem. Quod post D. Anton. & Syluestrũ à Nauarr. in Enchir.*cap.16.num.* 18. notatum probatur: quia cùm fœmina debuerit aduertere non seriò sed deceptoriè secum agi:neque in tali contractu seruetur æqualitas, non datur obligatio illam implendi, *nisi interuenerit iuramentum,quod seruandum erit ob Dei reuerentiam*: vt si Princeps aut alius valde nobilis promittat filiæ pauperis agricolę aut mœchanici,se ducturum illam in vxorem,si in stuprum sibi consentiat.

Cæterùm,licet in tali casu non teneatur quis deceptam ducere in vxorem, tenetur tamen pro damnis illatis satisfacere. Nam de tali fœmina non videtur iudicandum,quòd consensum in stuprum habuerit adeo liberum, vt iuxta præcedentem primam propositionem; pro dãnis inde secutis nihil sit ei restituendum:quin potiùs ea ratione consentiens,censenda est quandam quasi vim passa, tanquam tanto promisso reddita non satis compos sui; id quòd Nauarr. consequenter attigit. Addens idem esse dicendum de casu, quo promissio facta quidem fuerit ex animo;sed impleri non potest vel simpliciter, vel sine grandi scandalo, atqueadeo sine peccato: vt cùm is qui promisit matrimonium habet votum castitatis, vel habet aliud impedimentum dirimens matrimonium. Quæquidem tractata aliquanto plenius videri possunt apud Thomam Sanchez in citata disput.10. & apud Molinam de iust.& iure tract. 3. disput.106.concl.3.

Restant tria dubia. Primum est an defloratus virginem teneatur ad aliquam restitutionem faciendam patri,sub cuius curâ est eadem virgo. Ad quod D. Antoninus 2.part.titulo 5.cap.6. §.1. affirmatiuè respondet. Sed contrariam sententiam post Sotum meritò tenent Petrus à Nauarr.in lib. 2. de restitutione & Molina de iustitia & iure tract. tertio ille cap. 3. num. 438.& hic disput.106.citata,concl.2.Nempe si puella in stuprum consentiat,nullam restitutionem deberi patri. Ratio est quia licet patri facta sit iniuria,non est tamen commissa iniustitia specialis fundans obligationem ad restitutionem:quoniam puella sic fuit domina sui corporis, vt potuerit nuptiarum iacturam pati si vellet: adeout defloratori patri ipsi nihil abstulerit de suo:nisi agas de damno honoris paterni,aut de incremento dotis patri necessario ad æquè benè maritandam filiam, quàm si non esset constuprata; quod damnum videri potest restituẽdum ei à stupratore. *Nu.333.*

Verumtamen cur ipse potius,quàm puella teneri dicatur,nulla apparet ratio, cùm sint pares in crimine, ex quo tale patris damnum oritur solùm per accidens:seu quia accidit ipsum personam esse stupratæ, proximè coniunctam. Hoc ipsum ibidem notãs Molina, excipit casum in quo stuprator detegeret stuprum occultum:quia tunc censebitur talis damni causa per se. Qua eadem ratione responderi potest ad dubium. An adulter teneatur aliquid restituere marito adulteræ,quando partus non est secutus ex adulterio. *Nu.334.*

Alterum dubium est. An ille qui accessit ad eam, quæ in populo habebatur virgo,sed reuera non erat, teneatur ad restitutionem ante propositam.Ad quod videtur respondendum cum eodem Petro à Nauarr. *in seq.num.*448. & 449. quòd si talis fœmina sponte consensit,ille ad nihil teneatur:nisi factum fuerit occultum, ipséque eam prodiderit, vel alia ratione iniustè

iustè infamarit:maximè verò deceptam ficta promissione matrimonij:quia tunc tanquam iniustus damnificator tenetur ei prouidere de dote,vel aliâ viâ satisfacere. Idem iudicandum est de eo qui accessit ad viduam bonæ famæ.

Præcipua autem difficultas est,an teneatur accipere in vxorem illam, quam corruptam esse sciens, vt induceret ad consentiendum sibi, matrimonium ei promisit deceptorio animo, eáque illi fecit sui copiam. De qua difficultate Sanchez *in eadem disput.* 10. *quæst.*4. in vtramque partem authores citat: iisque meritò assentitur qui negantem sequuntur ob nimiã inæqualitatem inter iniuriam per vnam copulam cum corrupta, & compensationem per matrimonium cum ea contrahendum.Excipit ille vnum casum: nempe quando fœmina bonæ famæ tantam infamiam ex illa copula contraheret, vt ea redderetur inepta ad aliud matrimonium:quia damnum iniustè illatum non posset aliter resarciri,nisi accipiendo eam in vxorem.

Tertium dubium est, An si ille qui animo seu vero seu ficto promisit puellæ matrimonium si copiam sui faceret,& antea vouisset religionis ingressum teneatur stare promisso. Ad quod respondendum est, teneri,si puella ipsa de tali voto nihil omnino sciuit: quia illi iniuria fieret: ex qua eiusdem voti adimpletio redderetur illicita: perinde ac si vouisses in eleemosynam dare centum, quod præstare nequeas nisi frustrando me eo,quod debes mihi ex iustitia. Secus esset verò, si puella sciuerit promittentem habere votum religionis,quia mala fide contrahens non potest petere nuptias, quas sciuit iniri non posse bonâ conscientiâ.

CAPVT XXIII.

De obligatione ad restitutionem damni illati proximo, in bonis honorariis.

SVMMARIVM.

335 *Fama alteri ablata restituenda est sub mortali, cum omnibus damnis inde subsecutis: & quo modo.*
336 *Ad quid teneatur qui infamauit seipsum.*
337 *Obligatio ad restitutionem famæ requirit, tum vt fama sit læsa,tum vt iniustè sit læsa, tum vt non sit recuperata,nec condonata.*
338 *Condonatio infamatori facta,illicita quidem est, cùm infamatio vergit in damnum aliorum:est tamen valida.*
339 *Excepto casu quo famam sic perditam illi aliunde habuissent,quàm ex ipso condonante.*
340 *Decem casus in quibus non est obligatio restituendi famam ablatam.*
341 *Diuersus modus faciendi restitutionem,cùm quis infamatus est de falso crimine,& cùm de vero, sed occulto.*
342 *Difficultas an cùm infamator non potest famam restituere, teneatur compensationem facere in pecunia:cuius pars negans probabilior iudicatur.*
343 *Illius quædam moderatio,duos casus continens.*
344 *Interdum tanta,ac nonnunquam maior restitutio facienda est ob læsam famam dicendo verum,ac dicendo falsum.*
345 *Res inferioris ordinis, non sunt restituendæ cum iactura rerum superioris ordinis.*
346 *Res eiusdem ordinis restituendæ sunt cum iactura rerum eiusdem ordinis: quod in vno casu patitur exceptionem.*
347 *Quando fama possit, aut non possit restitui laudando infamatum.*
348 *Obligatio ad restitutionem famæ non transit ad hæredes infamatoris.*
249 *Accusatus in iudicio,si innocens sit,aut crimẽ ipsius occultum sit,non tenetur ad restitutionem famæ,si ob ipsius negationem accusator infamiam contraxerit.*
350 *Quod pariter dicendum est de denunciato, respectu denunciatoris; nisi ille criminosus sit, & hic iustè denuntiet.*
351 *Quid tenendum sit de restitutione famæ,per compensationem læsionis mutuæ.*
352 *Condonatio restitutionis famæ non colligitur sufficienter ex familiaritate.*
353 *Ad quid teneatur infamator, quando infamia ab ipso exorta, facta est publica.*
354 *Restitutio honoris condonari potest, neque ad eam de necessitate requiritur veniæ petitio.*
355 *Fieri debet non tantùm ab inferiori vel æquali,sed etiam à superiori, & quo modo.*
356 *Interdum ad eam aliquid amplius requiritur, quàm veniæ petitio.*
357 *Restitutio iustiusmodi, facienda est priuatim,cùm læsio honoris fuerit secreta, publicè verò cùm publica.*

RESTITVTIONE resarciendum damnũ infertur proximo in bonis honorariis, tum lædendo famam ipsius per detractionem, tum etiam lædendo ipsius honorẽ per contumeliam,contra 8.nimirum Decalogi præceptum:ideóque caput istud,sicut præcedens distinguemus bipartitò:acturi in priore parte de obligatione ad restitutionem famæ,& in posteriore de obligatione ad restitutionem honoris.

PRIOR PARS CAPITIS.

De obligatione ad restitutionem famæ.

QVatuor modis fama potest iniustè inferri: 1.falsum crimen imponendo: 2. detegendo crimen verum quidem, sed omnino occultum: 3. tegendo crimen nostrum verum,vt alter habeatur calumniator: 4. referendo alterius crimina audita, dicendóque se audita referre.

Qui autem famam aufert,tenetur ad restitutionem tam illius ablatæ, quàm aliorum damnorum ex infamia secutorum,tanquam is qui damni causam,& per consequens, damnum ipsum dederit ex cap. fin. De iniuriis. In qua re omnes conuenire notat Petrus à Nauarr. lib.2.De restit.*cap.4.num.*373. Addens dubium nihilominus esse,an teneatur ad integram restitutionem talium damnorum secutorum Quodquidem Nauar.in Enchir. *cap.*18.*num.*43. distinctione explicandum censet; nempe si talia damna illata sint in bonis iam acquisitis; *vt in officio quod ob talem infamiam ablatum est*, integram restitutionem faciendam esse. Si verò in bonis nondum acquisitis,vt cùm per infamiam, impeditur quis ab officio vel beneficio obtinendo, tunc esse faciendam restitutionem arbitrio boni viri:nisi fortè reuelatio facta esset ad debitum finem, & cum debitis circunstantiis arbitrio boni viri:quia tunc non esset detractionis peccatum iniuriosum, propter quod fama iniustè ablata restituenda sit ex iustitia. *Nu.335*

Non esse distinguendum in hac re inter eum qui falsum, & eum qui verum sed occultum dicendo

Universidad de Deusto
Biblioteca

do infamarit,patet:quia hic sicut & ille est principalis causa eiusmodi damni; quandoquidem non contigisset crimine manente occulto:itaut reuelans ipsũ perinde sit principalis causa eiusdem damni, ac ille est incendij, qui ignem probè tectum cinetibus detegit,& flante vento, proxima corripit & incendit.

Iam quòd obligatio restituendi famam, sit sub mortali,probatur a maiori:quia enim melius est nomẽ bonu quam diuitiæ multæ,Prou.22.certè si obligatio restituendi ablatas diuitias,est sub mortali,erit & restituendi famam ablatam:*in quam sententiam aliquot authores commemorat Petr.à Nauarr.in præced. num.* 364.Quam habere locum etiamsi crimen de quo alter infamatus est, verum sit; dummodo occultum: intelligitur ex eo,quòd infamator tunc quoque causa sit efficax damni ex infamatione secuti:non secus ac si feram, quam alter malè quidem in propriam domum induxisset,sed bene clausam seruaret,ille referato malitiosè ostio, emitteret: ei enim vt causæ principali imputaretur dãnum,quod fera ipsa inferret. Cuius exempli vis in eo est,quòd vt fera non reclusa,naturaliter damnosa est; sic & crimen euulgatum,moraliter sit aptum varia impedire commoda, & accersere incommoda.

*Nu.*336. Quod autem obligatio restituendi non habeat locum si quis non alterum,sed seipsum infamauerit: memoratus author *consequenter num.*367.docet ex eo, quòd talis non peccet contra iustitiam (*quæ est ad alterum non ad seipsum*) etiamsi peccet contra charitatẽ,si sit persona in dignitate cõstituta, ex cuius fama commodum,& ex infamia damnum subditis proueniat. Cui damno tenetur quidem obuiare, cessando à peccato publico,& satisfaciendo scandalizatis:non tamen ex iustitia,sed solùm ex charitate, contra quã reddidit se ineptum ad commodum proximi curandum:eadem scilicet ratione qua ille qui prælaturam recusauit:ex quo fit vt nequeat prodesse proximo,sicut acceptans profuisset.

Porro cætera quæ ad famæ restitutionem pertinent reuocari possunt ad tria capita: quorum primũ est de conditionibus quæ debent adesse, vt ille qui aliquem diffamauit,teneatur famam ei restituere, & damna secuta ex infamia,resarcire:secundum est, de casibus in quibus non tenetur quis famam ablatam restituere: tertium,de modo quo facienda est famæ restitutio.

De conditionibus requisitis ad propositam obligationem.

Sectio I.

*Nu.*337. TRes traduntur conditiones requisitæ ad obligationem restituendi famam, de quib. Lud. Molina de iust.& iure tract.4.disput.40. Prima est, vt fama ipsa fuerit verè ablata. Nam quantumuis dicantur verba diffamatoria, restitutio famæ non habet locum,si alterius fama non auferatur verè:sicut contingere potest;vel quia fides non adhibetur detrahẽti:vel quia id quod dicitur nõ censetur infamia apud illum de quo dicitur: vt cùm homicidium dicitur commissum à milite, apud quem id non est magis infamia, quàm si dicatur cœnam ab ipso sumptam esse:vel quia illi qui audiunt non credunt: vel quia persona de qua dicitur iam est diffamata; vt si quis dicat publicam meretricem fuisse cognitam ab aliquo nebulone.

Secunda conditio est, vt fama iniustè auferatur: nam si iustè auferatur, vt cùm in iudicio nocens punitur,nulla est obligatio ad restitutionem: cùm talem obligationem sola ea peccata inducant, quæ fiunt contra iustitiam. Difficultas est verò de eo qui bona fide existimans aliquid verum esse &publicum, narrando illud infamauit proximum, An obligetur ad restitutionem. De qua tenendum est: talem simul ac cognoscit se alienæ famæ detentorem esse (eo scilicet ipso,quòd in mente alterius prauam opinionẽ, *bonâ exclusâ*, reliquit) teneri ad restitutionem: non tamen cum propria infamia,vel magno fortunarum suarum damno:sed solùm cum modico, prout prudentia dictauerit. In quo idemmet differt ab illo qui diffamarit cum iniustitiæ culpa mortali (non, si cum culpa veniali,ex Molina loco cit.num.4.) tenetur famam ablatam restituere cum propriæ famæ detrimento; non item alter:sicut nec idem teneretur magnis expensus suis remittere rem alienam,quam sine culpa sua apud se esse deprehendit.Damna autem interea secuta ex infamia;tunc tali imputabuntur;cùm is procrastinando culpabiliter eam restitutionem, causam illis dederit: quia ex tunc incipiet esse causa iniusta infamiæ & damnorum ex ea prouenientium. Idem dicendum est de eo,qui aliquẽ in eo læsit quòd loquendo de vno,audientes de alio intelligunt.Nam & is ex iustitia tenetur veritatem aperire si potest; bonámque alterius existimationem perditam vendicare à perditione,cui causam verè dedit,etiamsi non voluntariè. Qua de re Petrus à Nauarra lib. 2. de restit.cap. 4.num.434.& 435.

Tertia conditio est, vt fama ablata nondũ recuperata sit,aut condonata. Nam si recuperata sit omnino,ille qui eam abstulit ad nullam restitutionem tenetur; quia restitutio non est instituta ad vitandum damnũ,quod reuera iam est vitatum. Quanquã si infamatus aliquas impensas in recuperanda fama fecerit,infamator eas restituere tenebitur,tanquã damnũ quod ipse iniustè dederit:quandoquidem ex cap. fin. De iniuriis,qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. Item si fama recuperata sit tantùm ex parte, infamator tenetur illud quod deest restituere.Similiter si infamia condonata sit omnino, infamator ad nihil tenetur:sin tantùm ex parte, tenebitur quod deest supplere.

*Nu.*338. Quamuis autem quilibet possit condonare famæ læsionem,quatenus est sibi nociua: quia ex probabiliore sententia(vt videre est apud ipsum Petr. à Nauarr.in eodem cap. 4. num. 108.)homo est dominus suæ famæ, vt & cæterorum bonorum extetnorum: (alioqui enim,nulla de causa liceret in famare seipsũ, vt nec seipsum occidere, quod refellitur ex Confessionibus D. Augustini) nihilominus tamen eamdem læsionem nequit condonare inquantum necessaria est ei, vel ad proximi ædificationem, vel ad vitandum illius scandalum, vel ad officium quo eidem obstringitur, ritè obeundum:prout necessaria est ei, cuius infamia nocet familiæ suæ, hoc est, filiis, aut aliis parentibus,siue ascendentibus siue descendentibus:qui inde viles habebuntur; vel cùm sit Superior,*vt Episcopus, vel alius Prælatus,vel Iudex*, infamia ipsius vergit in detrimentũ subditorũ, vt si sit his ea de causa defuturus in executione proprij muneris: vel cum sit Religiosus,infamia deriuatur in alios qui sunt de eodem monasterio aut collegio:vtpote quorum nomen ideo vilipenditur, & tota communitas ipsorum suspecta redditur.

Aduerte autem cum eodem authore ibidem,à nu. 385. etsi infamationem sui condonare cum notabili damno proximorum,sine consensu ipsorum, peccatum sit mortale: talem tamen condonationem esse validam:itaut infamato condonante, infamator excusetur

cusetur à restitutione famæ facienda de iustitia. Ratio est quòd ille ex cuius infamia alij notabile damnum patiuntur, dominus sit suæ famæ; etiamsi illam debeat seruare ob aliorum bonum. Vnde quantumuis contra charitatem peccet se infamando, aut infamiam condonãdo, nullam tamen facit iniuriam, cùm ipse *non alij* ius habeat &dominium proprię famæ:sicut si tempore famis haberem triticum, quo ex lege charitatis sub mortali teneor subuenire aliquorum extremæ necessitati,& illud alicui alteri nõ indigenti darem; etiamsi non excusarer à peccato; donatio tamen esset valida;nec quidquam dicta necessitate pressis, donatarius refundere teneretur ex iustitia.Quanquam si quis ita infametur,vt ipsius infamia vergat in infamiam aliorum,*sicut infamiam Religiosi videmus vergere in infamiam Religionis*: nec licitè nec validè fieri potest condonatio; sed infamator lege iustitiæ tenetur omnibus damnificatis restituere famam ablatam.

*Nu.*339. Nisi eadem ipsorum fama prouenisset immediatè ab ipso diffamato:quia tunc iste per quem illi bonam famam habuerunt remittente infamiam, infamator ad nihil tenetur,sicut teneretur si famam ablatam aliunde ipsi habuissent,vt ex rebus à se gestis vel ab aliis maioribus. Horum ratio est, quia cùm ex mea infamia cæteri vel non infamentur, vel si infamentur,famam quam amittunt per me,seu meã in illos redundante habebant,vel habituri erant: tunc ego solus sum dominus, habens perfectè possessionem famæ in qua illatum est damnum, vnde fit vt à me facta illius condonatio valeat. Cùm verò cæteri infamãtur,perdũntque famam, quam aliunde quàm ex me habebant,quia erant talis famæ domini,perfectum ius illius habentes,remissio à me facta non valet respectu illorum.Qua ratione remissio infamatori facta à Religioso infamato,nõ valet; eoquod infamia ipsius ita tangit religionem, vt ea damnum patiatur in fama quam non habebat ex ipso infamato, sed ex se,suisque maioribus:quorum res præclarè gestæ,vitáque acta integerrimè: eam illi conciliarunt. Vnde videmus honorem Religioso exhiberi,nõ tam ratione personæ,quàm habitus & instituti. Hincque est quod si Prælatus religionis, vel totus conuentus infamiam Religioso suo inustam remittat infamatori,valida sit remissio; etiamsi Religiosus ipse in eã non consentiat.Item quòd Religiosus ex iustitia teneatur famæ ablatæ restitutionem exigere, non vt sibi satisfiat;sed vt Religioni:quæ in illo detrimẽtum accepit circa bonum nomen, quod habuit aliunde quàm ex ipsomet infamato. Nota obiter cum Molina in eod. tract.4.disput. 48. in fine, infamatorem non obstante condonatione facta ipsi ab infamato, teneri ex charitate liberare hunc ab infamia, si id possit sine magno suo incommodo. Nam & quiuis alius ad idem tenetur.

De casibus in quibus non est obligatio restituendi famam ablatam.

Sectio II.

HI decem numerantur,quorum septem habent Sylu.& Angelus in verbo Detractio:ille quæst. vltima,& hic §.3.

*Nu.*340. Primus est, cùm quis famam ablatam restituere vult quidem,sed periculum est ne restituendo infamet potius,vt accidere potest cùm verba infamatoria iam sunt obliuioni tradita, aut infamia iam antiquata esse probabiliter existimatur,vt cùm infamatus recuperauit famam suis benefactis; tunc enim cessat obligatio restituendi: quandoquidem sublatum est totum damnum illatum; perinde ac si equum sibi surreptum recuperasset. Quod si contrarium probabile esset;vt quia tale crimen sæpius inculcatum esset,aut ipsum ex iis esset quæ diutius hærent memoriæ,maneret obligatio restituendi.Hunc casum (quẽ latiùs tractat Petrus à Nauarr. in sequen. dubit. 11. seu à num.420.& ostendit procedere etiamsi falsum sit dictum de alio) proponens in Enchir. Nauarrus *cap.*18 *num.*47. addit pro infamia nihilominus quàm vsque ad tempus recuperationis famæ passus est infamatus,faciendam esse aliquam satisfactionem iudicio boni viri,siue pecuniã,siue beneficiis, siue laudibus,aut etiam significatione doloris,& veniæ petitione,prout læsus velle existimabitur.Sed id necessarium non esse,ex eo probatur, quòd recuperatã omnino famã,nihil talium damnorum permaneat.Vide Lud. Molinã *de iust. & iure tract.*4.disp.42.per totã.Et aduerte nihilominus si interea temporis,ratione talis infamię damnũ aliquod permanẽs infamatus accepisset, vt impeditus esset à consecutione alicuius beneficij vel officij, obligationem dari ad illius compensationem. Aduerte etiam propositum casum pati exceptionem,cùm euidens periculum est ne infamia antiquata renouetur.De qua re Nauar.lo. co cit.

Secundus casus est,quando ex tali restitutione imminet periculum peccati mortalis, vel grauis scandali aliorum,vel periculum vitæ (*quod inte ligendum est iuxta* 3. *documentum sequentis sectionis*)aut mutilationis,ipsius infamatoris.

Tertius est,quando is qui infamauit aliquem, id fecit propter ipsius bonum spirituale:vt quãdo peccatum ipsius retulit Prælato,aut alteri qui poterat illum iuuare,nec vellet obesse.

Quartus est, cùm id quod de altero dixit, erat indifferens,& poterat accipi tam in bonam, quam in malam partem:sed qui audiuerunt interpretati sunt in malam partem.

Quintus est, quando quis solùm narrauit audita, & dixit se audiuisse, nihil addendo ex quo faceret credulitatẽ. Si quid verò adderet,aut si sua authoritate,ea quæ audiuit confirmaret, teneretur ad restitutionem,sicut is qui rem alienam in occulto inuentam,in propatulo exponeret,vbi posset à furibus surripi:quod est apertè contra iustitiam.

In quo tamen casu si secuta sit infamia, ad restitutionem tenetur quidem is, qui malo animo narrauit:non item is qui ex inconsiderata loquacitate,iuxta Sylu. in citata quæst.vlt. etiamsi & ipse videatur teneri ex charitate tali infamiæ obuiare si potest, quoties præter intentionem suam,*etiam ex ignorantia, inuincibili*, à se dictum infamare aliquem contigerit; prout Petrus à Nauarr. consequenter habet lib. 2. cap. 4.num.434.& 435.

Sextus est,quando ille, apud quem infamatus est aliquis,postea idipsum intelligit: publicato scilicet eo,quod antea erat secretum, itaut retractatio infamatoris existimetur nihil proficere posse. Nam talis publicatio cùm infamiam ipsam efficaciter foueat, facit vt fama restitui nequeat.

Septimus est:quãdo ille qui audiuit infamatorem, iam antea de eo de quo ille loquitur, peiora intellexit.Quẽ casum Petr.à Nauar.nu.440. eiusd.cap.4:lib. 2.reiicit quidẽ,sed procedere potest quando infamatus adeo infamis est, & vilis, vt tanquam nihil habens quod perdat, nullam notabilem iacturam faciat:quod ex Adriano habet Nauar. in Enchir. cap. 18.numero 49.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Octauus est, *quem cum duobus reliquis ipse Nauar. habet ibidem*; quando læsio parua fuit: putà quia is qui detraxit adeo leuis fuit, & ij qui audierunt adeo graues, vt parum, aut nihil hi dicto illius mouerentur: aut quia is de quo detractum est, sic est absque fama in ea materia, vt nullam notabilem iacturam inde faciat: vt si is qui parum exercitatus habetur, dicatur errorem in agendo commisisse.

Nonus est: quando quis ita narrat crimen alicuius vt simul narret pœnitentiam quam egit. Hûc Petrus à Nauarra in præcedenti num. 437. rectè monet procedere tantùm cum talis narratio gloriam Dei concerneret: tunc enim de consensu saltem implicito eius de quo refertur, licet peccatum & pœnitentiam referre. Sic enim D. Thomæ incredulitas, D. Pauli persecutio, D. Petri negatio, D. Magdalenę ac D. Matthæi crimina recensentur. Aliàs quantumuis pœnitentia honore digna iudicetur, reuera tamen in tali casu bonum nomen amittitur, mallétque criminosus pœnitentiæ honore carere apud homines, quàm de tali crimine infamari.

Decimus est: quando quis alterum infamat tantùm in occasione remota, & per accidens: non autem de iustitia; vt si quis iocans cum aliquo, illi obiiceret crimen quod putat non esse ab ipso commissum; atque ipse vociferando & indignando conqueratur vehementiùs, vnde fiat vt aliqui suspicentur, aut credant ipsum esse talis criminis reum.

De modo faciendi restitutionem famæ.

Sectio III.

Nu. 341. Ad huius explicationem proponemus aliquot documenta. Primum est: Qui alterum infamauit dicendo falsum, tenetur aliter famam restituere, quàm ille qui dicendo verum, sed occultum. Namque ex D. Thoma 2.2. *quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 2. is qui famam abstulit dicendo falsum, debet eam restituere, dicendo illis apud quos infamauit, se falsum dixisse. Qua in re multi, *quorum Petrus à Nauar. meminit lib.* 2. *De restit. cap.* 4. *num.* 375. D. ipsum Thomam sequuntur, & meritò: quoniam vix aliter potest iniuria illata reparari sufficienter, prout ab infamatore debet ex lege iustitiæ. Etsi interdum excessus maximus, quo talis satisfactio infamationem superat, ab eo modo restituendi excusat, vt si infamator Rex sit & infamatus sit plebeius. Nihil verò obstare videtur quominus, in proposito casu infamator possit sufficienter ad excusationem dicere: Tale quid de Titio retuli, sed re melius inspectâ, noui me deceptum esse. De qua tota re latiùs Molina De iust. & iure tract. 4. disp. 41.

Qui verò famam abstulit dicendo crimen verum sed occultum, debet eam restituere dicendo se malè dixisse, ac perperam locutum esse: immo vt vult Petrus à Nauar. se id falsò dixisse, hoc sensu intelligendo, quòd dixerit tanquam publicum, quod erat secretum (perinde nimirum ac reus crimen suum occultum, negat tanquam non publicum) aut certè intelligendo, quòd dixerit tanquam vnus ex iis de quibus habetur in Psal. 115. Omnis homo mendax: aut qui aliquando de facto mentitus sit, si ita esse recordetur.

Quodsi non possit quis famam hoc modo restituere, aut periculum est ne taliter restituendo infamet magis, debet coràm iis apud quos diffamauit laudare infamatum, virtutes ipsius commemorando, cùm præbuerit se occasio, nulla facta mentione criminis detecti, vt ait Nauar. *in Enchirid. cap.* 18. *nu.* 45. vel certè petere ab eo suppliciter, vt sibi condonet; vel aliâ viâ compensare, perinde ac is qui alium percussit aut manum ei abscidit: vt ex D. Thom. recepta sententia idem Nauar. habet in præced. nu. 43. Et probatur: quia regula generalis est, Quando damnum illatum non potest restitui in eadem specie: debere, si fieri possit, alio modo compensari.

Sed an is qui cùm alio modo non possit ob vitæ *Nu.* 342. periculum, aut seditionem, vel scandalum, vel quia ei se retractanti minimè credetur, teneatur compensationem pecuniarum facere, controuersia est quam tractat Petrus à Nauar. in eodem cap. 4. à dubit. 10. seu à num. 414. citatis pro vtraque parte authoribus: meritò assentiens iis qui sentiunt, dum fama nequit in suo genere restitui, infamatorem non teneri pecuniam pro ea soluere, nisi fortè damna aliqua pecuniaria secuta sint, quæ tenebitur pecuniâ resarcire. Nam fama nou est, *sicut nec vita*, pretio æstimabilis: sed est supra omne pretium iuxta illud Prouerb. 22. Melius est nomẽ bonum quàm diuitiæ multæ.] & illud Ecclesiastici 41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quàm mille thesauri pretiosi & magni.] Iustitia ergo commutatiua, quæ æqualitatem postulat, id est, vt idipsum quod ablatum est restituatur; vel æquiualens; non obligat ad pretiũ, quo ablata fama compensetur. Quod confirmatur: quia alioqui obligaret ad impossibile: quandoquidem non potest pretium dari, quo æquialenter fama compensetur. Nam si posset, fieret vt si infamator nollet famam in sua specie restituere, sed pro ea pecuniam dare, satisfaceret suæ obligationi: nec infamatus quantumuis opulentus, posset vrgere, vt ille se retractaret ad delendam infamiam: sed cogeretur contentus esse aliquâ pecuniæ summâ, *quandoquidem ei solueretur quod debetur ex iustitia*: atqueadeo miserabiliter manere infamatus: quod nimis durum est, neque videtur concedendum.

Itaque quando infamator sincerè & cum iuramento retractauit dictum suum, quo infamauit proximum: *tu aut ipse causam credendi eius innocentiam; tam, ac etiam magis sufficientem præbeat; quàm ante præbuerit credendi crimen*: si fides ei non habeatur, non tenetur pecuniâ aut aliis temporalibus bonis ablatâ famam restituere: quandoquidem in malitia audientium situm alioqui esset, infamatorem ipsum obligare ad restitutionem pecuniarum; aut ab eadem obligatione liberum facere: quod absurdum est. Et certè, quòd illi adhuc credant quod is retractauit, leuitati & malitiæ ipsorum tribuendũ est, non ei qui sufficientem deponendæ falsæ malæque opinionis causam illis dedit, per sinceram retractationem & iuramentum. Quocirca vel illi quod perperam ab eo dictum est adhuc audierũt aliunde, & ideo credunt: sicque non est censendus is de quo agimus, causa talis malæ opinionis: vel non audierunt aliunde, & ita peccant peccato temerarij iudicij. Quidquid autem sit infamator obligatur ex iustitia, nihil omittere eorũ quæ commodè potest adhibere ad reddendam suam reuocationem efficacem, talémve vt auditores meritò possint, & debeant ei credere, nec habeant occasionem suspicandi rem fictè geri.

Prædictis autem non obstantibus, fieri potest vt *Nu.* 343. ex quadam æquitate infamator debeat infamiam pecuniâ compensare; vt quando infamatus, est pauper desiderans talem satisfactionem, nec aliter videtur mœrorem depositurus: atque ille qui infamauit, diues est. Etenim illi molestiam patienti maximè tenetur subuenire, qui in eam illum coniecit: perinde ac maximè tenetur alium à peccato reuocare, qui ipsum in illud induxit. Præterea si infamator condemnetur ad satisfactionem pecuniariam: aut de ea cum infamato

mato paciscatur, tenebitur ex iustitia illam exequi: quia iustæ sententiæ Iudicis parere, & pactum legitimum seruare, iustitia obligat.

Nu. 344. Secundum documentum est, *de quo Petrus à Nauar. in præced. dubit.* 6. Non teneri semper ad maiorem restitutionem eum, qui infamauit dicendo falsum, quàm eum qui infamauit dicendo verum: quia in statuenda quantitate restitutionis, quantitas damni illati, seu iniustitia attendenda est. Licet autem is qui infamat dicendo falsum, plus peccet ratione mendacij: tamen is qui infamat dicendo verum, potest æquè peccare contra iustitiam, immo & plus, si plus nocumenti adferat. Quare potest ad æqualem, ac etiam ad maiorem restitutionem obligari.

Tertium documentum est: In iudicio de obligatione ad restitutionem famæ, locum habere duas regulas Caietani, quas aduersus Sotum propugnat Petrus à Nauarra in eodem cap. 4. dubit. 9. seu à numero 400.

Nu. 345. Prior est, Res inferioris ordinis non esse restituendas cum iactura rerum superioris ordinis. Res verò superioris ordinis esse restituendas cum iactura rerum inferioris ordinis. Vbi aduerte post animę bona, in primo bonorum ordine constitui vitam, & cætera corporalia: in secundo, honorem & famam: in tertio, pecuniam & cætera quæ dicuntur bona pecuniaria: itaut sensus traditę regulæ sit: non esse obligationem restituendi famam cum iactura vitæ, nec pecuniam cum iactura famæ: periculum verò mortis, in quod alterũ conieci, esse tollendum non obstante iacturâ meæ famæ, inde secuturæ; & infamiam quam alteri inussi delendam esse, quantumuis facturus sim iacturam meæ rei familiaris. Ratio horum est: quòd debitor tunc, non autem aliàs, excusetur à restitutione; cùm eam nequit facere, nisi cum notabili rerum suarum detrimento, longissimè superante damnum quod creditor accepit. Hinc enim Doctores communiter fatentur debitorem centum aureorum excusari à solutione, quam facere non potest, nisi vendendo mille aureis, domum valentem sex millia. Vnde memoratus author *in sequen. num.* 406, infert pro nullius etiam honoratissimi fama, multóque minus pro pecunia ipsius restituenda, vitam esse obiiciendam periculo. Ad quod confirmandum induci potest cap. Officij, De pœnit. & remiss.

Verumtamen contingere potest infamiam cum tantis totque damnis coniunctam esse, vt prudentis iudicio penè æquiparentur, damno vitæ infamatoris; quo casu hanc faciẽdam esse cum illius periculo: docet Molina in seq. disput. 47. num. 2. quia quisque detrimentum à se datum iniustè: tenetur restituere cum damno suo æquali aut penè æquali, etsi non teneatur cum longe maiori, nec debeat vita periculo exponi sine manifesta necessitate.

Nu. 346. Posterior regula est. Res eiusdem ordinis esse restituendas: cum iactura rerum eiusdem ordinis: vt si alterum in certum mortis periculum conieci, illámque possum cum vitæ meæ periculo eripere, debeo eripere. Item si meâ causâ patiatur infamiam, ego cum honoris mei dispendio, illam reparare teneor; similiter si à me datum est damnum, debeo cum pecuniæ meæ detrimento illud compensare. Ratio est, quia in pari causa melior est conditio innocentis. Non habet tamen locum hæc regula, quando oporteret debitorem ex restitutione iacturam facere famæ, notabiliter valde excedentis eam quæ ablata est creditori; vt quando infamator est Prælatus vel alius magni nominis vir, & infamatus homo est infimæ sortis; tunc enim (*vt Couar. ad regulam Peccatum*, 1. *par. num.* 6. *versu Tertiò adultera* argumentatur (non est rationi consentaneum in fama, *vt nec in pecuniis*, id quod modicum est cum ingenti detrimento restituti: adeout irrationabiliter inuitus sit infimæ sortis homo, cuius fama exigui momenti est, si ægre ferat hominem magnæ dignitatis ad famam ipsi restituendam non retractare se; confitendo cum magno famæ suæ detrimento, mendacem aut infamatorem, aut leuem se fuisse.

Quanquam negandum non est, quin infamator ipse, in tali casu teneatur dare operam (infamatum v. g. laudando in eadem illa materia in qua infamauit) vt ablatam famam restituat, vel certè ab eodem infamato petere, vt sibi condonet, oblata etiam ei pecunia: non quidem quâ iniuriam illatam compenset, *quod fieri non potest iuxta antedicta*: sed quâ promereatur dictam condonationem, quam efficaciter & fideliter petere tenetur; itaut si possit eam facilè obtinere oblatâ pecuniâ, debeat offerre: nisi infamatus viri boni iudicio nimium petat, aut omnino recusет condonare: quia infamator obligari non potest, nisi ad id quod rationabile est, eique possibile.

Quartum documentum est, *quod ex Nauarro habet* *Nu.* 347. *Petrus à Nauar. in præced. num.* 369. Restitutionem famæ non fieri augendo famam in alia materia. Ratio huius est, quod cùm de vno crimine reuera infamatus, simpliciter non præditus virtute, sed vitiosus reputetur: fit vt minimè ei bona ratione tunc restituatur; quandoquidem nihil prodest ad tollendam infamiam, quam alicui inussisti sacrilegij, aut homicidij, quòd dicas ipsum eleemosynam dedisse, doctissimum, aut prudentissimum esse, & sic de aliis. Quamquam negandum non est quin possit ea ratione tolli infamia quam alicui inflixisti narratione alicuius naturalis defectus ipsius: qui enim illum ideo paruifaciunt, magnificiendum iudicabunt si singulari virtute, aut doctrinâ ipsum nihilominus præditum esse aperias.

Quintum documentum est, *quod etiam habet Pe-* *Nu.* 348. *trus à Nauar. num.* 426. obligationem restituendi famam non transire ad hæredes infamatoris; sicut transit obligatio restituendi damna illata in bonis, pecuniariis. Ratio est: quia hæres non potest famam in sua specie restituere, nisi retractando dictum ab alio. Ei autem retractationi non magis fides habebitur, quàm si diceretur ab alio non hærede. Neque tenetur restitutionem facere in pecunia, cùm nec infamator teneatur iuxta antedicta. Accedit quòd talis obligatio cùm non sit ad aliquid dandum, sed ad aliquid faciendum, censeatur tantùm personalis; quæ non transit ad hæredes, cùm non afficiat nec respiciat bona in quibus ipsi succedunt, sed nudam personam. Quod autem in contrarium obiicitur ex cap. Parochiano, De sepulturis: hæredem obligari ad damna à defuncto data, etiamsi ei nullius vtilitatis extiterint: intelligendum est de damnis datis in re familiari: qualia communiter dantur per peccata quorum initio eiusdem cap. Fit expressa mentio: nempe per homicidium, incendium, violentam manuum iniectionem in personas Ecclesiasticas, violationem Ecclesiæ, & incestum.

Si quis quærat: An infamato vita functo facienda sit famæ restitutio? Respondendum est affirmatiuè; quia post mortem etiam, censetur homo famâ suam possidere, per quam viuit in memoria hominum, & immortalitatem quamdã (*cuius in hac vita cupidus inuenitur*) cõsequitur. Hæredibus autẽ ipsius non debetur, cùm nec bonum famę eis debeatur hæreditario iure.

Sextum documentum, *de quo Nauar. in Enchir. cap.* *Nu.* 349. 18. *num.* 48. *& Ludouicus Molina De iust. & iure tract.* 4. *disput.* 43. Cùm quis accusatus negat in iudicio crimen sibi obiectum; si illud falsum sit, ad nihil teneri

Universidad de Deusto
Biblioteca

accusanti, qui sibi debet imputare quod infamiæ damnum inde incurrat; non autem innocenti accusato. Quod etiam dicendum est, *vt omnes fatentur teste Petro à Nauarr. num.427.* cùm crimen obiectum fuerit verum, sed occultum, nec in iudicio probatum, ne quidem semiplena probatione. Nam si ipsum nudè negetur; & ideo accusator vocetur calumniator, vel mentiri, aut falsò accusare dicatur, non incurritur obligatio ad restitutionem: quia quando crimen est occultum, nec criminosus tenetur illud confiteri, ipse ius habet defendendi se, tegendo illud, acsi innocens esset. Nam qui est publicè innocens, est & iuste accusatus: vnde accusator, sibi imputare debet, si deficiens in probatione, calumniator habeatur: quia infamia iuxta cap.2. De calumniatoribus, inuritur, non tantùm ei qui falsò accusat: sed etiam ei qui illud de quo accusat probare non potest. Immo etiàsi accusatus dixerit talem accusationem esse calumniosam: adhuc idem tenendum esse contra Caiet. cum Richardo Scoto, & aliis Nauar. ibidem habet. Quod Petrus à Nauar. consequenter probat: quia si accusatus non tenetur crimen fateri, sed potest illud negare, tanquam non publicum; cùm de eo accusetur tanquam publico: sanè potest etiam dicere accusatorem calumniari ac falsò accusare: quia quod ille proponit tanquam verum publicè, caret veritate publica.

Nu.350. Atque quod dicitur in casu accusationis, locum habet etiam in casu denuntiationis, seu narrationis illicitæ, qua Superiori, aut alteri peccatum proximi, aut aliud occultum, priuatim reuelatur. Secus est verò, cùm licitè reuelatur, vt patet in duobus casibus, prout explicat Petrus à Nauarra in eodem cap.4. nu. 347. & seq.

Prior est, in quo secretum reuelatum, non est de peccato aliquo, sed de alia re, quam vnus commisit alteri, vt non secretam. Exemplum est: si Titius Sempronio dicenti se tanti emisse certas merces, aut viliori pretio alibi inueniri: idémque Sempronius dicens Caio, qui postea rem secus se habere cognoscens, exprobrat ipsi Sempronio mendacium: de quo vt se excuset ait se ita accepisse à Titio: quiquidem de eo interrogatus, tenetur fateri dictum à se: alioqui enim Sempronium infamaret iniustè, cùm is innoceps sit.

Posterior casus est, quando illud quod denuntiatur, peccatum est publicum, quod probari potest per testes: atque secretò factum est, id quod *iuxta Domini præscriptum Matth.* 18. debuit fieri in præmonitione, & correptione fraterna: cúmque nihil profectum esset, recursum est ad Superiorem qui proficere possit. In tali casu enim veritatem negare, est denunciatorem infamare iniustè, ipsi omnino innocenti mendacium attribuendo mendaciter.

Nu.351. Septimum documentum est: Difficultatem esse, An restitutio famæ possit fieri per compensationem, quâ infamatus vicissim infamet eum à quo infamatus est. Eam tractans Petr. à Nauar. in cod. cap. 4. p. 3. dubit. 8. partem negantem contra Sotum nonnullosque alios tenet cum Nauar. loco citato: quam relinquemus Theologis scholasticis discutiendam; contenti notare pro praxi non videri à ratione alienum, quod Sotus habet lib.4. De iust. & iure *quæst.6. art.3. ad 4. sub finem*: quòd si tu infamasti me & ego vicissim famam tuam læsi, nos posse non tantùm conuenire, vt vterque cum suo vulnere maneat, si personæ priuatæ simus: verumetiam licere, nolle tibi restituere; nisi tu mihi vicissim condignam solutionem facias, dummodo cætera sint paria: vt cùm duo socij sibi mutuo colaphum impegerunt. Hoc enim rationi consentaneum esse patet: quia tam in bonis pecuniariis quàm in bonis corporis, æqualis læsio excusat à restitutione per compensationem. Ergo & in bonis honorariis, *in quibus similiter peccatur*, eadem similiter excusabit, iuxta illud in cap. finali De adulteriis. Paria crimina mutua compensatione delentur.

Nec obstat quòd per vnam infamiam non tollatur altera, prout Nauar. in contrarium obiicit: quia nec per abscissionem tui brachij tollitur absciss̃io quam perpetrasti brachij alieni: nec combustione tuæ domus, tollitur combustio, cuius author es, domus alienæ. Quod si damna sint imparia: vt quia tu alteri multo grauiorem infamiam intulisti, quàm ipse tibi: si quidem illa diuisibilis sit, *vt illata detegendo plura crimina*, ipso etiam non restituẽte, teneberis facere restitutionem donec damnum à te illatum sit æquale ei, quod ipse tibi intulit. Sin autem infamia indiuisibilis sit, vtpote illata detegendo vnum aliquod crimen grauissimum, eam instar pignoris detinere potes, vt illum qui de alio minore crimine te iniustè infamauit, compellas ad restitutionem debitam tibi faciendam: perinde ac *instar quoque pignoris*, potes retinere alterius annulum aureum quem apud te habes, vt compellas ipsum soluere tibi aliquot argenteos quos tibi debet.

Adhęc quantumuis fatendum sit (quod etiam Sotus ibidem fatetur) illicitum esse in recompensam infamare eum qui te infamauit: quia id est illicitè se propria authoritate de accepta iniuria vindicare, quod ad publicam authoritatem spectat: non est tamen negandum quod idem addit: licitum esse reuelare crimen te infamantis, quantum est necessarium ad labefactandum illius contra te testimonium: quia omnia iura vim vi repellere permittunt: quod nec Petrus à Nauar. negat. Quod si criminis detectio nó sit vtilis ad famæ tuę defensionem, cẽsebitur illicita, tanquam vindicta, non verò defensio; & ideo si ipse tibi restituat, teneberis ei vicissim restituere.

Aduerte autem prædictam detectionem censeri posse non necessariam, quando tu aliâ viâ tueri potes famam tuam: vt v. g. interposito iuramento vel adhibitis testibus. Et quamuis ille indignus videatur, cui in eo parcatur: contra charitatem Christianam tamen est, ac forte etiam contra iustitiam, lædere ipsum infamiâ, nulla necessitate ad id te compellente.

Quæret aliquis: An licitum sit creditori qui te infamauit negare debitum pecuniarum, donec tibi famam restituat? Respondeti potest licitum esse cum restituere potest ac debet, nec vult. Instar enim pignoris retinebitur ad ipsum compellendum: aut si absolutè nolit, instar licitæ compensationis, prout Molinæ placet tract.4. De iust. & iure. disputat.49. in fine.

Nu.352. Octauum documentum est, *quod ex Nauarro habet quoque Petr. à Nauar. nu.399.* Si infamatus ab aliquo, versetur cum eo familiariter: licet iure existimetur iniuriam condonare, non tamen restitutionem ei remittere, prout patet à simili: quia debita alia, ob familiaritatem minimè censentur debitori remitti. Quod tamen exceptionem patitur, quæ in sequenti parte huius cap. tradetur propositione penult. in fine.

Nu.353. Nonum documentum est. Eum qui famam alterius, seu verè seu falsò læsit apud quinque v. g. vel sex, quorum vnusquisque rursus apud plures, & hi adhuc apud alios læserunt, itaut sit infamia publica; licet ad satisfaciendum suæ obligationi, non teneatur omnium & singulorum obire domos: vt se apud omnes retractet; quia id nimis durum & difficile, immo penè impossibile esset: teneri tamen data oportunitate se tam sæpe ac tamdiu retractare apud scientes, quamdiu necessarium fuerit ad

ad integram famæ læsæ restitutionem. Immo ex sententia cuiusdam, apud Petr. à Nauar. *in sequen. nu.443.* teneri per præconem, vel concionatorem, vel parochum, suam retractationem publicare; si id esset ad prædictam recuperationem necessarium. Quod tamen idem Petrus monet locum non habere, si illi qui primò audierunt, tales erant de quorum taciturnitate, & constantia in retinendo secreto non videbatur dubitandum: quia tunc ipsi soli tenerentur ad restitutionem: non autem ille primus, à quo audiuerunt, & ex cuius dicto sequutam esse tantam infamiam, casuale est.

Adde ex Lud. Molina De iust. & iure tract.4. disp. 30. numero 3. Eum qui auditum alterius crimen occultum, sic narrauit vt audientibus fidem fecerit, teneri tantùm restituere damnum famæ cui iniustè causam veram dederit, non autem cui dederit solam nudam occasionem: ad modum illius qui furando coram aliis dat eis occasionem furandi, nullo modo eos ad id prouocans. Atque ita prædictum narratorem, ad restitutionem damni secuti ex sua narratione, teneri quoad quantitatem, qua illud ex hac sequi natum fuit: non autem quoad incrementum, quod accepit ex malitia audientium: qui inde plus mali conceperint de proximo, quàm ex ea narratione natum esset concipi.

Posterior pars capitis De restitutione honoris per contumeliam ablati.

INter omnes conuenit, eum qui contumeliosis verbis vel factis, irrisione, sannis, colaphis, pugnis, fustis percussione, aliisque similibus modis honorem alicuius læsit, obligari ad restitutionem ei faciendam: quia non seruaretur alioqui ratio iustitiæ, reddendo alienum iniustè ablatum. Quam obligationem indicauit Dominus noster Matth. 5. cùm illis verbis Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennę ignis] subiecit, Si ergo offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.] Quibus verbis apertè significatur satisfactionem deberi pro illata contumelia. Immo verò ipso naturæ lumine notum est, cum qui causam offensionis dedit proximo, teneri quantum potest dare operam, vt sedet ipsum, ipsique reconcilietur, satisfaciendo si quid restitutionis ea de causa debeat. Quo autem modo fieri debeat talis satisfactio, non adeo constat. Ad cuius rei explicationem statuemus aliquot propositiones.

Nu.354. Prima est: In restitutione honoris remissionem seu condonationem locum habere, sicut in restitutione famæ, & pecuniarum. Probatur, quia vt homo est suæ famæ, & pecuniarum dominus: sic etiam est sui honoris ex probabiliore sententia, cuius fundamentum antea nu.338. attigimus, cùm tale quid de fama statueremus. Ergo sicut iniuriam sibi factam in fama vel in pecuniis remittere potest; ita etiam potest iniuriam sibi factam in honore: adeout is qui læsit, tutus sit in conscientia post talem remissionem; nec teneatur veniam petere, nec facere aliam compensationem non minus quàm si hæc iam sit aliàs sufficienter facta, aut damnum datum abolitum sit omnino. Qua de re Molina De iust. & iure tract. 4. disp. 46. concl. 1. pleniùs.

Secunda propositio est. Eum qui per contumeliam læsit alterius honorem, non teneri de necessitate veniam à læso petere, sed solùm illi, *siue tali viâ, siue ali à* restituere honorem ablatum. Ista est Caietan. 2.2. *quæst. 72. art. 3.* & aliorum quos citat & sequitur Petrus à Nauar. *De restitut. lib.2. cap. 4.1. par. dubit. 6. sub initium.* Probatur verò: quia licet præcipuus & conuenientissimus honoris læsi reparandi modus sit per genuflexionem, & veniæ petitionem, agnoscendo suum errorem: tamen si aliâ viâ possit fieri plena satisfactio (vt honorifica cõpellatione, & reuerentiæ signo sufficienti pro personarum qualitate) non est quisquam adigendus ad alium particularem satisfactionis modum. Non enim ad aliud tenetur restitutor, quàm vt reddat æquale ei quod ablatum fuit.

Aduerte tamen excipiendum esse casum in quo veniæ petitio debet esse pars satisfactionis: eoquod hæc sine illa plenè fieri minimè censeretur, quod prudentis iudicio relinquitur ex Soto lib. 4. De iust. & iure *quæst.6. ar.3. ad 5.* Quando enim is qui contumeliam intulit non reparabit honorem ablatum, quidquid aliud faciat, nisi veniam petat, tenetur petere: quandoquidem est quid ad reparationem illatæ iniuriæ necessarium. Quod si facere nolit, absoluendus non est: tanquamponens obicem remissioni peccatorum: cùm non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatũ, si potest restitui; ex quarta regula iuris in 6. Deducitur autem ex hac propositione, quod Sotus ibidem habet: quando mos non est inter nobiles, & illustres viros veniam petere, ipsos non esse ad id cogendos à Confessario: sed finendos esse, istiusmodi restitutionem facere more suo, dummodo is ab Euangelica lege non exorbitet, id est, non sit doctrinæ Christianæ contrarius.

Nu.355. Tertia propositio est. Non tantùm ab æquali, aut ab inferiori faciendam esse honoris iniustè ablati restitutionem, respectu æqualis, aut superioris: sed etiam à superiore respectu inferioris, quem læserit notabiliter: nempe à Prælato, respectu subditi: à patre, respectu filij: à viro, respectu vxoris: à domino, respectu serui: à magistro, respectu discipuli: minus tamen in superiore sufficere pro satisfactione, quàm in æquali, aut in inferiori. Hanc Petrus à Nauar. *loco proxime citato*, quoad priorem partem probat à simili: quia si Superior inferiorem corporaliter lædat excedens iustam punitionem, tenetur ad restitutionem damnorum. Ergo tenebitur quoque si notabiliter in honore iniustè lædat. Quoad posteriorem partem verò; quia sicut ex dignitate personæ iniuriatæ, & vilitate iniuriantis crescit iniuria, & illius restitutio: ita ex vilitate personæ iniuriatæ, & dignitate iniuriantis, decrescit. Vnde quò læsus, est inferior: & læsor, est maior: eò minor est iniuria, & maior est restitutio. Siue ergo quia iniuria facta à Superiore fuit minor; siue quia satisfactio eius est maior ratione suę dignitatis, non est idem genus satisfactionis ab ipso exigendum, quod ab aliis: satisque est si seruata dignitate personæ suæ, studeat per amicum v.g. & honorificam salutationem, aut compellationem, vel ostẽsionem beneuolentiæ, & exhibitionem seruoris extraordinariam placare læsum: neque tenetur ab eo veniam humiliter petere, aut genua flectere, vel alia similia subiectionis signa ostendere, vnde habeatur despectui.

Id quod intelligitur ex regula D. Augustini in fine tomi primi: cuius verba hæc sunt, Quando necessitas disciplinæ in moribus coercendis, dicere vos verba dura compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis; non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas: sed tantùm petenda est venia ab omnium domino, &c. Inde quoque Sotus deducit quod nec homo plebeius iusta ratione (propter inæqualitatem nimirum quæ esset inter satisfactionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

&iniuriam) possit à viro illustri, à quo contumelia affectus est, exigere restitutionem fieri illo modo; hoc est, per veniæ petitionem: sed satis esse si ei satisfiat aliâ viâ, quantum æquitas postulare videbitur. De magistro respectu discipuli, idem addit Molina de inst. & iure tract. 4. disput. 46. sub finem.

Nu. 356. Quarta propositio est: Veniæ petitionem interdum non sufficere ad reparationem iniuriæ per contumeliam illatæ. Hæc probatur experientiâ: quia non censebitur sufficienter satisfactum militi, qui colapho, aut fuste à commilitone percussus est, si hic ab illo veniam petat, sed aliquid amplius ad arbitrium boni viri requiritur, quod faciat: quale est se conferre aliò seu recedere à loco vbi affectus iniuriâ habitat: vel veniam petere ea forma verborum, *sine mendacio tamen*, quâ censeatur honorem ablatũ sufficienter reddere: dicendo, *verbi gratia*, se non armis, nec viribus fretũ percussisse ipsum, aut iniuriis affecisse, sed fretum potétiâ aut viribus amicorum circumstantium, aut quòd videret ipsum inermem. Ita Petrus à Nauarr. *in eadem dubit. num.* 91. Attamen ob nimiam difficultatem exhibendi satisfactionem exactè ad æqualitatem iniuriæ: interdum potest in conscientia sufficere, facta cum humili petitione veniæ, & signis veri doloris, tanquam innixâ misericordiæ, quam læsus debeat exercere Christi imitatione. Quod si ille ad totam compellat, Iudicis maximè authoritate, facienda est exactè.

Addit idem Petrus à Nauarr. contra Sylu. & alios nonnullos, *quos commemorat in sequen. num.* 92. consentiens Nauarro *in Enchir. cap.* 18. *num.* 46. *in fine*, non cessare obligationem ad restitutionem honoris, ex eo, quòd contumelia affectus, familiariter conuersetur cum contumelioso; quia ex tali conuersatione non liceret colligere remissionem rei familiaris ablatæ: multo ergo minus licebit colligere condonationẽ satisfactionis pro iniuria in honore illata. Quàm maiorem dolorem afferre, & cum maiore molestia ferri constat: nisi fortè iniuriatus, expressa & manifesta remissæ contumeliæ signa præberet; valde familiariter scilicet agendo, iocandóque cum eo qui iniuriam intulit. Nam extra eum casum censebitur familiariter agere: vel quia illius opera indiget viuens cum ipso; vel quia vult exhibere signa amicitiæ ne contra Dei præceptum odisse videatur; vel quia sapienter dissimulat ad vitandum aliquod malum: non autem, *nisi fortè iniuria leuis sit*, remittere satisfactionem: quam exigere à tali genere hominum, non rigoris sed misericordiæ est: vt seueritate curentur, qui lenitate deteriores fierent.

Nu. 357. Vltima propositio est: Contumelioſum si proximo contumeliam intulerit secretò, teneri priuatim per se, aut per interpositam personam, vt per Confessarium, reconciliari ei, & signa pœnitentiæ ostendere petendo veniam, aut alia ratione sufficienti satisfaciendo. Quæ satisfactio, quamuis non sit propriè restitutio, quando nullus alius ad contumeliam aduertit; quia non est facta iactura honoris: tamẽ ipsam faciendam esse satis patet ex verbis Domini Matth. cap. quinto antea allatis. Quod si contumeliam intulerit publicè, teneri quoque facere publicè satisfactionem per se vel per alium; intelligimus ex actis Apostolorum cap. 16. vbi D. Paulus acceptam publicè ignominiam flagrorum & carceris, voluit publicè à magistratibus reparari.

Aduerte, quòd cùm satisfactio possit iniuriæ æqualis esse: aut exactè & sine admixtione gratiæ, aut cum admixtione gratiæ; priorem æqualitatem constituere, committi Iudici: quia est valde difficile: posteriorem verò constituendi potestatem habet læsus, ex parte iniuriam condonans. Cæterùm eadem ratione quâ dictum est de obligatione ad restitutionem famæ, dicendum est de obligatione ad restitutionem honoris: eam non transire ad hæredes, nisi illi quoque fuerint contumeliâ affecti, aut aliquod aliud damnum inde patiantur: quo casu certum est eis etiam faciendam esse restitutionem debitam.

CAPVT XXIV.

De obligatione ad restitutionem damni illati in bonis pecuniariis venando, piscando, lignando, aut pascendo animalia.

SVMMARIVM.

358 *Obligatio varia ad restitutionem talis damni illati.*
359 *Animalium alia esse fera, alia mansueta, alia mansuefacta, & quod venatio iure naturali, & gentium licita, aliquot modis licitè prohibeatur.*
360 *Venatio quâ capiuntur animalia, quæ nullius domini sunt, non inducit obligationem ad restitutionem.*
361 *Inducit autem illa, qua capiuntur animalia habentia dominum: & quando fera censeantur habere dominum.*
362 *Quando sint restituenda, quando non restituenda animalia fera, capta in locis prohibitis.*
363 *Cum excusatione à restitutione accepti per venationem, potest esse obligatio ad peccatum, & ad restitutionem damnorum venando illatorum.*
364 *Excusatio à restitutione accepti per venationem, ob antiquam consuetudinem, vel egressum feræ ex loco in quo prohibitum est venari.*
365 *Quando fera vulnerata ab alio, debeat ei restitui.*
366 *Fera innexa laqueo, quando restituenda sit ei qui laqueum tetendit.*
367 *Lignationem in sylua communi, potest communitas prohibere.*
368 *Qui sunt de aliqua communitate, cedentes ligna contra ipsius statutum, tenentur quidem ad solutionem pœnæ impositæ, non tamen ad restitutionem: nisi graue damnum intulerint.*
369 *Non est obligatio ad restitutionem, sed tãtùm ad pœnam impositam, cùm duarum communitatum cives lignantur vltro citroque, alij in aliorum syluis.*
370 *Obligatur ad pœnam impositam, & ad restitutionem, qui lignatur in sylua alicuius priuati: vel communitatis, quæ non facit idem in alia: nisi interueniat consensus habentis talis syluæ dominium.*
371 *Aut nisi consuetudo excuset.*

Nu. 358. Atissime patet hæc obligatio: sed quæ ad eam spectant, *paucis exceptis*, iam nota sunt ex dictis in præcedenti 2. & 3. tractatu. Nam cùm vna sit quæ oritur ex contractu seu ex iusta acceptione, aut ex re iustè accepta; altera verò, quæ oritur ex quasi contractu, siue ex officio quod gerit quis, præsertim accepto publico stipendio, aut alia mercede conductus; tertia autem quæ oritur ex delicto, siue ex iniusta acceptione, aut ex re iniustè accepta; & demum quarta ex quasi delicto, seu ex illatione damni per seruos aut animalia propria: ea quæ ad primam speciem spectant, tradita sunt in præcedenti cap. 3. & 6. ac 13. Quæ verò ad secundam in cap. 9. num. 88. aliquótque sequentibus, & cap. 11. num. 138. & aliquot item sequentib. Quæ autem ad quartam, cap. 8. num. 77. & tribus sequentibus: vbi tractatur speciatim difficultas de columbariis. Cætera quæ in 2. tractatu & in tractatu 3. cap. 13. tradun-

tradũtur de obligatione ex re iniustè accepta aut ex iniusta acceptione, aut ex participatione in iniusta acceptione spectant ad tertiam speciem. Quibus restant addenda nonnulla particularia de obligatione ad restitutionem illicitè acquisitorum, aut damnorum illatorum siue venando aut piscando siue lignando aut greges pascendo illicitè, siue exigendo gabellas iniustas, aut non soluendo iustè impositas: siue ludendo illicitè, siue dando ad vsuram; siue demum vendendo rem spiritalem, aut spiritali annexam, vt fit per simoniam; de quibus supereſt dicendum, vt fiet in hoc & sequentibus capitibus.

PRIOR PARS CAPITIS.

De obligatione ad restitutionem damni dati illicitè venando, aut piscando.

Nu. 359. Præmittendum est primò, ex §. feræ & seq. Instit. De rerum diuisione, animalium quædam esse fera, vt lepores, ceruos, apros, grues, perdices, & alia syluestria, ac omnes pisces: quædam verò esse mansueta: vt oues, boues, sues, gallinas, anseres, & anates domesticas: atque ex illis quædam posse vsu mansuefieri, vt cuniculos, ceruos, pauones columbas, apes, & cætera, quæ domi nutrita retinent indolem syluestrem: ex his verò quædam posse in feras degenerare si absque gubernatore vllo educentur in syluis, vt sues, capras, aliáque nonnulla.

Præmittendũ est secundò, *pro quo multos tam Theologos quàm Canonistas citat Couar. ad Reg. Peccatum par. 2. §. 8. nu. 1.* Quãuis iure naturali & gentiũ licita sit venatio (idem iudicium est de piscatione) licitè tamen nonnunquam prohiberi. Primò enim licitè prohibetur personis quibus ea non decet. Sic in cap. 1. & 2. de Clerico venatore, illa quæ fit cum canibus & accipitribus prohibetur Clericis: non verò quieta, quæ sicut piscatio permittitur ipsis, necessitatis aut honestæ recreationis causa; vt notat Medina in Cod. De rebus restitut. *quæst. 12 sub initium: quod approbat Molina De iustit. & iure tract. 2. disput. 44.* Quid de Monachis ius statuat, licet videre in Clement. 1. §. Porro De statu monachorum.

Secundò, licitè certis anni temporibus venatio prohibetur: nimirum illis quibus feræ sunt grauidæ, suósque fœtus procreant; quia inde magna fit earum diminutio in reipub. detrimentum. Qua item de causa, licitè prohibentur certi venationis aut piscationis modi.

Tertiò, licitè à Principe venatio aut piscatio in locis communibus prohibetur, etiam pœnâ moderatâ venantibus constitutâ, quando libero populi consensu, ius venandi aut piscandi est ei delatum: aut ipse pro sua authoritate illud sibi sumit; iudicans id necessarium omnino esse, ad conseruandum statum suum, regníque onera sustentanda: Itaut in eo publica authoritate vtens, tueatur ius sibi le gitimè quæsitum; siue per liberam concessionem populi, siue quia illud ei in tali casu concedere debuit populus ipse; cui dictis de causis potuit etiam imponere tributum per quod magis grauaretur, quàm per eam, de qua agimus, vsurpationem & prohibitionem.

Quartò, licitè quisque in proprio fundo potest alios prohibere, ne ibi venentur, vt patet ex antecitato §. Feræ, & ex lege 3. ff. De acquirẽdo rerum dominio. Quod non procedit, si ius ibi venandi sit alterius; quia tunc ne quidem ipse proprietatem habens fundi, venari potest: vt patet de iis, qui possessiones habẽt in saltibus Principum. Pari ratione potest vnaquæque communitas prohibere, ne externi venentur in tertiis ipsi propriis. Potest etiam maiore ratione Princeps non recognoscens superiorem in locis quorum habet proprietatem, & dominium: immo etiamsi recognoscat superiorem, nisi impediretur ab eodem, præcipiente ob publicum bonum, ne quis venationem in suis agris prohibeat.

His præmissis (de quibus pleniùs Molina in eod. tract. 2. disput. 43. & aliquot sequentibus) prima propositio sit. Capta per venationem quæ ex eo tantùm illicita est, quòd sit indecẽs personis, aut quòd certis anni temporibus aut certis modis fieri prohibita sit, non esse restituenda: sed sufficere vt pœna, si quæ sit constituta, soluatur post Iudicis sententiam condemnatoriam. Ita Medina & Couarr. locis citatis aliique communiter tenent, teste Molina in sequen. disp. 49. quia tali venatione non capitur alienum, sed quod carens domino iure naturali aut gentium, est primò occupantis ex omnium consenſu receptissimáque regula, vt notat idem Molina in præced. disput. 41. Neque leges in talibus casibus inducunt inhabilitatem ad acquisitionem ferarum captarum (quod ad tyrannidem potius quàm ad iustam dominationem pertinere videretur inquit Medina) sed prohibent vsum venationis. Attamen si tantus abusus sit, vt ea in re notabiliter noceatur reipublicæ, reddendo infructuosum ius ipsius; vt cùm in fluuium iniicitur esca, ex qua piscium copia magna moriatur, tale nocumentum resarciendum erit restitutione. *Nu.* 360.

Secunda propositio. Quando venatio ex eo illicita, est, quòd capiãtur animalia, quorum dominium ad aliquem alium spectat, restituendum esse id quod captum fuerit. Hæc certa est: quia perinde est de eo ac de cæteris rebus furto ablatis. Aduerte autem pro plena illius intelligentia, animalia mansueta ordinariè habere dominos, ad quos pertineant: ac licet aberrent aliquando, eorum tamen dominium apud illos manere, iuxta legem Pomponius, De acquirendo rerum dominio; itaut etiam asportata à lupo, & semiesa, sint iisdem dominis restituenda à recuperante; compensato tamen labore cum expensis, quas fecerit recuperando. Animalia verò fera iure naturali & gentium, in nullius bonis esse. Quod intelligendum est secundùm dicẽda pro declaratione sequentis propositionis. *Nu.* 361.

Mansuefactorum autem dominium tamdiu retinetur, quamdiu domini custodiã coërcentur; vbi enim se in suam naturalem libertatem receperint, dominium eorum amittitur. Quam libertatem tunc censentur consecuta, cùm sic euadunt ex custodia, vt oculos domini seu custodientis effugiant: aut quãtumuis sint in eorum conspectu, difficilis est illorum persecutio, & comprehensio; ex eodem §. feræ, & ex lege 2. 3. & 4. ff. de acquir. rerum dominio. Sic aues quæ in caueis asseruantur nondum mansuefactæ, ex illis egressæ consecuntur libertatem, nisi ex accidenti facilis sit earum apprehensio: vt quia alas habent abscissas, aut quia certa voce aduocatæ consueuerunt redire, vt accipitres mansuefacti redire ad manum aucupis. Consecuntur item etiamsi longo tempore in cauea, adeóque mansuefactæ fuerint; si euadentes dispareant, nec nisi aucupio capi possint. Sic etiam apum examina ex suis aluearibus egressa, statim atque disparent, difficilisue est eorum comprehensio, dominium eorum amittitur, siúntque primò occupãtis vbicũque consederint. De quo Molina in ead. disput. 41. sub finem: & habetur ex §. Apum, Instit. de rerum diuisione. Adhæc si talia sint animalia quæ mansuefacta abire ac redire soleant, vt cerui nonnulláque alia: tamdiu eorum dominium retinetur quãdiu retinent consuetudinem redeundi: perditur verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm perdiderint consuetudinem redeundi ex lege Naturalem §. Ceruos ff. de acquirendo rerum dominio, & ex §. Panonum, versu In iis De rerum diuisione. Institut. Sic habens columbarium tamdiu retinet dominium suarum columbarum, quamdiu abire & redire solent, tanquam ibi commorantes.

Quamuis autem Sylu. in verbo Inuentum quæst. 2. dicto 3. velit quòd si prædicta animalia non impedita, desinant bis redire tempore consueto, censenda sint amisisse consuetudinem reuertendi; fierique capientis: tamen videtur potius id relinquendum prudentis arbitrio: quia si non fugiant longius in syluas, sed tanquam animalia mansueta euagentur per alienas domos; etiamsi per aliquot dies non reuertantur domum: non ideo iudicanda sunt exiisse ex domini potestate.

Tertia propositio. Quando venatio aut piscatio illicita est solùm ratione loci, seu quòd ius venandi aut piscandi in tali loco fuerit alicui attributù & cæteris interdictum: aliquādo esse, aliquando non esse obligationem ad restitutionē captarum ferarū. Ratio in promptu est: quia hæ aliquando habent dominum, aliquando non habent sed sunt primò occupantis. Quæ enim captæ aut quasi captæ continentur inclusæ in locis circumseptis, aut in viuariis, piscinis, stagnis & aliis similibus locis, quæque ibidem ex illis procreantur, dominum habent eum, à quo tanquam in custodia inclusæ retinentur, ex lege 3. §. Item feras ff. De acquirenda possessione.

Quæ autem in saltibus maximę vastitatis (quantæ nimirum sufficit vt fera tanquam retinens naturalem libertatem suam, possit cursu euadere cùm agitatur à venatoribus) continentur circumseptæ quidem, vt multiplicentur amplius, nec obnoxiæ sint iniuriis venatorum: nunquam tamen fuerunt captæ aut quasi captæ, sed semper manserunt in sua libertate, eæ non censentur esse domini saltus, etiamsi propter dominium loci solus habeat ius ibi venandi. Quod idem iudicandum est de piscibus qui in lacubus, & paludibus vasti spatij continentur vt multiplicentur, nullā adhibita humanā industriā. Quam doctrinam ex citato §. Item feras tradit Couarr. *ad reg. Peccatum 2. part. §. 8. in fine, & approbat Molina in fine eiusdem disput. 41.* Cui non obstat, quòd non sit liberum in eiusmodi saltibus lignare, quia cùm ligna adhæreant terræ tanquam fructus eius, sunt sub dominio illius cuius est terra: vnde non fiunt primò occupantis, sicut feræ, quæ non ex terra in qua commorantur, sed aliæ ex aliis gignuntur: & cùm sint in sua naturali libertate ac feritate antequam capiantur, ad nullius pertinent dominium.

Nu.363. Aduerte autem prædicta ratione excusatum à restitutione, non excusari similiter à pœna imposita, cùm fuerit à Iudice condemnatus. Immo nec à restitutione damni quod domino saltus secutum fuerit ex tali venatione, nisi idipsum resarciretur per solutionem, ad quam alter ille esset à Iudice condemnatus, aut et iamsi eadem illud non æquaret, tamen dominus probabiliter iudicaretur nihil amplius ex quadam magnificentia & generositate requirere: aut certè non leuis suspicio esset tyrannidis in tali prohibitione venationis: vt quando fama est quod tale ius non fuerit perpetuò possessum iusto titulo, aut quādo animalia ob multitudinem, vicinis prædiis damna grauia inferrent, nec dominus curaret ea includi aut ad minuendum eorum numerum occidi: aut omitteret competentem satisfactionem eorumdem damnorum. Ad quam, etiamsi Princeps sit, tenetur in conscientia, vt à Caiet. responsum commendat Couarr. *in cod. §. 8. num. 11.* & sequitur Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 120. cùm referens quinque necessaria, vt quis venationem iustè prohibeat; quartum ponit vt restituat omne damnum quod fecerint feræ alienis prædiis, si in illud domini horum non consenserint liberè: sicut existimandum est communiter non consentire, præsertim quando ille loca eiusmodi vsurpat sibi, non ad publicam necessitatem subleuandam, sed ad solam recreationem, etiamsi competentem compensationem addat (vt v.g. remittendo aliquod tributum) nisi verosimile sit populum ob magnitudinem compensationis consensisse, non tantùm in appropriationem iuris venandi, sed etiam in dāna quæ possent feræ prędiis adferre. Alioqui enim expectasse adhuc compensationem quam æquitas postulat; tum talium damnorum, tum etiam aliorum quæ segetibus, aut aliis rebus venatores intulerint per se aut suos famulos, aut per canes, vel equos, aliáue ratione. Videndus est Ludou. Molina in eod. tract. 2. disput. 47. 51. & 52.

Nu.364 Quarta propositio. Cùm quis ab antiquo, cuius initij non extat memoria, est in possessione venandi aut piscandi alicubi, non esse ei mouendum scrupulum alicuius obligationis restituendi. Hæc est Caiet. in verbo Venatio, & Medinæ in Cod. De reb. restit. quæst. 12. Et ratio est: quia potest rationabiliter præsumi, prædecessores ipsius illud ius habuisse iusto titulo: cùm potuerit alicui eorum bene merito de cōmunitate, à Principe dari pro se & suis, ad emolumentum aliquod inde capiendum, vel ad honestam recreationem.

Quinta propositio. Quando feræ nullo dolo, vel fraude venatoris, ex loco in quo prohibitum est venari egressæ, inueniuntur in alio, in quo licitum est venari: illas sibi capiens, nec ad restitutionem, nec ad pœnam capientibus impositam, tenetur. Ratio est: quia talis venatio; nec ex parte rei, nec ex parte loci, est illicita: itaut perinde sit de ea iudicandum, ac de venatione ferarum quæ in ipso loco non prohibito natæ sunt & educatæ. Quod si aliquæ cibo, aut alia arte extraherentur vt capiantur, obligatio ad restitutionem eadem erit, quæ est venantis in loco prohibito; de qua in præcedenti propositione tertia.

Nu.365. Sexta propositio est. Fera vulnerata & postea ab alio capta, non est vulnerantis sed capientis. Hanc habet Couarr. *in eod. §. 8. num. 13.* Ea autem probatur ex §. Illud quęsitum, Institut. De rerum diuisione. Intelligendāque est, nisi fera ita sit vulnerata, vt percussor eam insequens, sit certò moraliter apprehensurus eam: quia tunc ea censetur esse quodammodo in ipsius potestate, & quasi capta; ideóque alius non potest ipsum iustè in capiendo præuertere. Dixi certò moraliter, quia si moraliter dubitaretur an esset apprehensurus, ea censeri potest adhuc manere in sua libertate, & esse primò occupantis tanquam in nullius existens dominio.

Nu.366 Restat monendum: eundem Couarr. quidem & Nauarr. in Enchir. *cap. 17. num. 176. in fine*, existimare aues, aut alias feras in alieno laqueo inuentas, esse eximentis & capientis eas. Verumtamen ipsas adiudicandas esse illi qui laqueum ipsum parauit, prout post Ludouicum Molinam in citato tract. 2. disput. 42. Leonardus Lessius notat De iustitia & iure *lib. 2. cap. 5. dubit. 11.* Ratio est, quòd possimus sicut manibus, ita & instrumentis rem apprehendere, & in potestatem nostram redigere. Fera verò eo ipso quòd inserta est laqueo, censetur & capta, & libertate naturali priuata: idque per eum qui parauit laqueum. Quare & ipse eam cepisse, & in potestatem suam redegisse censendus est, & per consequens dominium eius consecutus. Et certè existimatur quis facere iniuriam illi, qui nassam in flumine posuerit ad capiendos pisces, si captos sibi sumpserit: eademque ratio est nassæ & laquei. Nauarri autem sententia videtur tenenda, si fera esset se extricatura: quia necdum capta esse nec libertatem amisisse censeretur: & ideo fieret alterius ipsam occupantis. Quanquam videtur consentaneum, compensationem aliquam illi fieri, pro allato adiumento ad capiendum: sicut & cùm alius feram persequens, ea in tuum laqueum incurrit.

POSTERIOR PARS CAPITIS.

De obligatione ad restitutionem damni dati illicitè lignando, aut pascendo animalia.

Nu.367. SVpponendū est ex Soto lib. 4. de iust. & iure *quæst. 6. art. 4.* quod communitas ob publicam vtilitatem possit lignationem in sylua communi, sub certis pœnis prohibere, etiam iis qui sunt de eadem communitate: ad hoc nimirum, ne vel illa destruatur, vel vt habeantur glandes, vel ligna vsibus aliis quàm foci accommodata. Qua de causa interdum prohibetur omnium in ea lignorum cæsio, cùm aliunde cōmodè haberi possunt: interdum certorum tantùm, interdum certi temporis, aut certi modi cæsio plantis pernicioſa. De qua re consulenda sunt municipalia statuta: & de obligatione ad restitutionem consequente illorum transgressionem, iudicandum iuxta sequentes propositiones sumptas ex Soto loco cit. & ex traditis à Lud. Molina de iust. & iure tract. 2. disput. 58.

Nu.368. Prima est. Illos qui sunt de eadem communitate, si contra legem ab ea constitutam ligna cædant in communi sylua, aut gregem pascant in cōmuni pascuo, teneri iustam pœnam impositam soluere si deprehendantur, & condemnentur: non teneri tamen ad vllam restitutionem communitati faciendam pro damno dato; nisi ipsum valde notabile fuerit *(quod arbitrio prudentis relinquitur ex circunstātiis expendendum inquit Molina concl. 3.)* Vt si fragem magnam fecerint v.g. notabilium stirpium excisione aut prostractione arborum ædificiis idoneārū: præsertim in sylua quæ modica est, aut in qua non facilè solet concedi facultas ligna aliqua cædendi.

Huius prior pars probatur: quia legi sententiæque iustæ parendum est. Posterior verò: quia extra casum illum prauæ stragis, non est probabile communitatem cum iis qui sunt partes ipsius, & syluæ possessionem habent cum cæteris communem, vti velle eo rigore, vt teneātur restituere illud quod sine aliorum detrimento notabili ex ea acceperunt, tanquam habentes ius inde subueniendi suæ necessitati, seu ex ipsa communi sylua sumendi ligna quæ eis necessaria fuerint ad communes, & quotidianas necessitates vel operas, si nequeant commodè habere aliunde.

Nota obiter, quòd dominus populi (cùm non sit dominus syluæ cæduæ eidem communi) licet possit in suo ordine & gradu vti lignis eiusdem syluæ sicut alij, non posse tamen excedere proportionalem cum his æqualitatem: sique excedat, teneri restituere cōmunitati damna in eo data, perinde ac quiuis alius de populo qui simile damnum dedisset. Videri potest Lud. Molina in sequenti disput. 59. concl. 4. & 5.

Nu.369. Secunda propositio est. Non esse obligationem ad restitutionem, si incolæ duorum oppidorū, aut duorum pagorum vicinorum habentium cōmunes suas syluas, hinc inde alteri in alterorum syluis lignentur. Hæc probatur: quia licet incolæ vnius loci non habeant ius lignandi in communi sylua alterius loci; quia tamen scitur passim contrarium ab vtraque parte fieri, censentur communitates vicissim condonare quod acceptum fuerit: interea tamen ad impediendum excessum imposita est mulcta, quam post Iudicis condemnationem soluant, in facto deprehensi.

Nu.370. Tertia propositio est. Eum qui lignatur in sylua alij, cuius particularis, vel cōmunitatis alienę, cuius ciues non possunt idem facere in sylua cōmunitatis, cuius ipse pars est; eum, inquam, obligari vt ad solutionem pœnæ impositæ *(quæ non corporalis, nec grauis pecuniaria debet esse, vt Sotus monet)* sic & ad restitutionem valoris lignorum ablatorum quantum æstimantur in ipsa sylua, antequam cædantur. Hæc probatur quia lex naturalis & diuina furantem, rapientem, & damnificantem obligat ad culpam mortalem, & ad rei ablatæ, ac damni facti restitutionem.

Aduerte nihilominus, & à peccato, & à restitutione excusationem esse, quando quid accipitur de eorum qui syluæ dominium habent consensu, siue expresso, siue etiam tacito: qualis præsumi potest cum scientes factum, non queruntur, nec possunt restitutionem quam possent vrgere. Item si non à peccato, *saltem veniali*, tamen à restitutione excusationem esse, cùm prædictorum mens fuerit; vt delinquentes teneantur solùm ad mulctam authoritate Iudicis petrogandam, si deprehensi fuerint; quia tunc quoque censentur ablatum condonare. Ea autem mens, bona ex parte deprehendi potest ex ipsorum agendi modo *(qualis est quod etsi nouerint eos qui ibi lignentur, taceant tamen, vel certè nullam ab eis exigant restitutionem cum possint*: vel ex forma statutorum editorum contra lignantes in eo loco. Quod si nihil de tali mēte constare possit, aut obtinenda est remissio; aut generalis regula tenenda: nempe iuxta quantitatem dāni dati faciendam esse restitutionem: idque siue alia pœna exigatur siue non. Pro quo faciunt quæ habet Medina in Codice de rebus restitut. quæst. 12. §. Est autem.

Nu.371. Addi potest quod Nauarrus in comment. de lege pœnali à numero 31. ad 41. contendit eamdem excusationem esse posse, quantumcumque defuerit memoratus consensus, si consuetudo legitima induxerit ius cædendi ligna in aliqua sylua, & asportandi impunè, quando cædens, & asportans non deprehenditur: & solutā certā pœna quando deprehenditur. Non enim est contra legem naturalem & diuinam vti re aliena inuito domino, quatenus subiicitur alicui seruituti in ea constitutæ legitimè: vt patet ex vsu, & vsufructu rerum alienarum, & ex seruitutibus prædiorum vrbanorum vel rusticorum legitimè constitutis: quibus vti etiam incuitis dominis concessum esse, patet ex Digestis toto titulo De vsufructu, & titulo. De vsu & habitatione & titulo de seruitutibus, ac duobus sequentibus: itēque ex communi agendi modo virorum etiam timoratorum.

Sicut igitur in his, ita & in lignatione ac in depastu animalium, ratio furti iniustæue vsurpationis rei alienæ cessat per consuetudinem publico consensu inductam, constituendo ius nouum vel conseruando antiquum, per quod eadem vsurpatio sit licita. Neque obstat quòd dominus detrimentum inde sentiat, cùm in eo non fiat illi iniuria: quandoquidem is qui iure suo vtitur nemini facit iniuriam; ex cap. Cùm Ecclesia Vulterana. De electione. Vidēdum est tamen ne corruptela habeatur pro consuetudine, quæ vt inducat ius, debet iuxta cap. Finale De consuetudine esse rationabilis, ac legitimè præscripta, prout in sequenti parte explicabitur lib. 13. cum de consuetudine agēdum erit ex instituto. Ad id dignoscendum autem, non parum iuuabit inspexisse titulos, & origines vnde domini possident syluas: taléne sint

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut eæ quib⁹ valeat aliqua ratione prohibere oppidanos à cæsione lignorũ in fyluis circumiacentibus.

Cæterum quæ dicta sunt de lignatione ob paritatem rationis intelligenda sunt, dicta quoque de animalium depastu: de quo qui volet legat Couar. in lib. Practicarum quæstionum cap. 37. & in libro 1. variar. resolut. cap. 17. num. 11. & Molinam De iust. & iure tract. 2. disput. 59. Restaret addendum aliquid de obligatione ad restitutionem illorum, qui mercede conducti ad impedienda damna quæ inferuntur per venationem aut piscationem, lignationem aut depastum animalium non impediunt, nisi quid sit de ea tenendum satis colligi posset ex traditis in præced. num. 96. & 98.

CAPVT XXV.

De obligatione ad restitutionem orta ex iniustitia commissa in gabellis, aut in ludo.

SVMMARIVM.

372 *Conditiones requisitæ vt impositio gabellarum sit iusta.*
373 *De causa legitima ad talem impositionem requisita.*
374 *Quatuor, quæ causa impositionis gabellarum debet habere vt censeatur legitima.*
375 *Quando exactor gabellarum, in dubio de causa earum legitima, teneatur ad restitutionem.*
376 *De iusto modo, ad eamdem impositionem requisito.*
377 *De gabellis impositis super rebus, quæ ad familiæ necessarium vsum emuntur.*
378 *Obligatio soluendi gabellas, quando sit sub peccato, & eo mortali.*
379 *De gabellis quarum ignoratur causa, & quæ cessent, quæque non cessent, cessante earum causa.*
380 *Gabellæ, quarum fraudario non inducit obligationem ad restitutionem.*
381 *Non tenetur subditus quærere exactorem gabellarum ad eas soluendas, nisi consuetudo sit in contrarium.*
382 *Pauperes excusari possunt non soluentes gabellas, cum vendunt res aliquas suas, ad solatium grauis necessitatis quâ premuntur.*
383 *Non obligatur ad restitutionem, qui emit merces ab iniuste fraudante Principem gabellis.*
384 *Quid sit ludus & vnde sit illicitus.*
385 *Tres conditiones, ex quibus ludus non modo illicitus est, sed etiam iniustus, sic vt acquisitum per illum, sit restitutioni obnoxium.*
386 *Explicatio quæstionis quæ quæritur, An lucrata per ludum vetitum possint tutâ conscientiâ retineri.*
387 *Quando is qui de victoria certus lusit, aut ludi pretium auxit, possit aut non possit retinere lucrum inde factum.*
388 *Quando is qui ludo prohibito lusit credito, seu promissa pecuniâ, teneatur in conscientia, aut non teneatur promissam soluere.*
389 *Explicatio quæstionis quæ quæritur, An non habens quod perdat in ludo possit in eo lucrari.*

PRIOR PARS CAPITIS.

De obligatione ad restitutionem, ortâ ex iniustitia commissa in gabellis, siue imponendis siue soluendis.

DVo docenda sunt ad intelligentiam propositæ obligationis: alterum quando ea contingat; & alterum, quomodo gabellas soluere teneantur illi, quibus eæ legitimè imponuntur.

Gabellæ autem nomine significantur generaliter onera imposita priuatis, authoritate publica, quorum variæ species referuntur à Syluestro in verbo Gabella.

Quando contingat proposita obligatio.

SECTIO PRIOR.

QVod attinet ad prius: certum est talem obligationem non contingere, quando impositio non fuerit iusta: cùm obligatio ad restitutionem nascatur tantùm ex violatione iustitiæ. Iam vt iusta sit talis impositio, quinque conditiones requiruntur, iudicio Caietani in verbo Vectigalia iniqua: sed iudicio Medinæ in Cod. De restitut. quæst. 13. sufficiunt tres: Vna, ex parte imponentis, vt is habeat legitimam authoritatem imponendi. Videnda sunt in præcedenti lib. cap. 16. dicta pro explicatione quintæ excommunicationis Bullæ Cœnæ Domini quæ fertur in imponentes noua pedagia & gabellas, vel eas augentes. *Nu. 372.*

Altera ex parte causæ ob quam imponitur: nimirũ vt ea sit legitima: prout censetur esse. Tum necessitas publica, seu aliquid quod ad bonum publicum valde expediat: vt stipendium militare, restauratio murorum, aliúdue eiusmodi: Tum etiam iusta vindicta, & compensatio sumptuum factorum, damnorumque acceptorum: vt cùm tributa imponuntur subditis, qui contra suum Principem inique rebellarunt, ac ei multorum sumptuum & damnorum causa fuerunt. Quæ impositio censetur iustam habere causam, tam culpam tali pœna dignam, quàm damna & sumptus quibus ea dedit occasionem. Tum denique conseruatio status Principis; qui sicut debet populum regere, iustitiam ei administrare, hostes arcere, ac temporalem tranquillitatem omni studio, & conatu ei procurare; ita vicissim populus ipse, debet illi præbere sumptus ad hæc necessarios: sique recuset, cogi potest. *Nu. 373.*

Enimuero oportet quatuor concurrere cum hac ipsa causa de qua agimus. Primum est, vt constet eam iustam esse. Nam si de eo dubitetur, oportet imponentem probabiles rationes habere ob quas prudenter statuere valeat, se hîc & nunc, ob eamdẽ posse imponere. Si enim tales rationes non habeat, sed tanquam cæcus procedat, nesciens vtrum iustè imponat: ipse tanquam faciens iniuriam populo, grauando eum quem deberet subleuare; tenetur illud quod ea ratione extorserit, restituere, tanquam mala fide acquisitum: nisi postea constiterit ipsi causam fuisse legitimam. Dixi *probabiles, non autem certas & euidentes*; quia iuxta communem Theologorum sententiam (& docebitur in seq. lib. 13. cap. 10.) sufficit ad securitatem conscientiæ conformare se probabili opinioni: cùm Deus vel ratio nõ cogat, vt in humanis actibus sectemur certam veritatem; quod frequenter est impossibile; iuxta illud quod Sapien. cap. 9. prudentiæ nostræ dicuntur incertæ. Eo enim significatur, quod experientia docet; nos in iudiciis nostris prudentialibus, dictaminibúsve practicis, rarò assequi veritatem euidentem ac omnino certam. *Nu. 374.*

Id quod plenius tractans Petrus à Nauar. *lib. 3. De restit. cap. 1. par. 3. dubit. 12.* inde infert num. 267. quoad subditos, si pro se habeant probabiles rationes, per quas sint moraliter certi, iniustas esse gabellas; ij possunt solutionem illarum omittere: quia cùm in dubio melior sit conditio possidentis, non tenentur se spoliare rebus suis.

Nec obstabit, quòd tales sint impositæ & exigantur sine peccato, ob rationes probabiles ob quas censentur iustæ: quia similiter ob probabiles rationes possunt sine peccato non solui: itaut ex vtraque parte sit quasi bellum iustum, ignorantiâ probabili excusante à peccato, dum tam Princeps, quàm populus in eo persequitur ius suum bona fide: vtpote ductus ratione ad moralem certitudinem sufficiente.

Secundum, quod cum propposita causa concurrere oportet, est vt eadem sit proportionata gabellæ: id est, vt gabella non sit maior quàm causa ipsa postulet: quâ enim parte excedet, erit iniqua.

Tertium est, ne quod ob eamdem imponitur, impendatur in alienos vsus: vt in conuiuia, & prodigas largitiones, aliásve expensas inutiles, siue publicas siue priuatas: ad quos populus non tenetur contribuere. Istud ex Caiet. loco cit. habet Petrus à Nauar. *in lib. 3. De restit. cap. 1. num. 255.* & tractat plenius. Sed nobis sufficit illud iniquè fieri. Aduerte autem ex Medina in Cod. De reb. restitut. quæst. 13. quòd si Princeps ærarium exhauserit suâ culpâ: nempe ludis, conuiuiis, largitionibus profusis, bellis inconsultè gestis, possit cùm nequit alia ratione malum publicũ auertere, nouas gabellas imponere: quandoquidem subditi tenentur in publica necessitate opem ei ferre; etsi Princeps ipse tunc teneatur temperare sibi à sumptibus parum necessariis, ac postea, quando res meliori loco fuerint, damnum illud suâ culpâ conflatum, resarcire populo.

Quartum est: vt impositio non continuetur diutiùs, quàm duret talis causa; nisi fortè alia noua superueniat, ob quam eadem impositio possit de nouo fieri: Per succedentem enim similem causam ita continuatur causa præcedens, vt nihil obstet effectum ipsius continuati. Adde etiam ex Alphonso à Castro in lib. 1. De lege pœnali cap. 11. nisi ea causa adiunctam habeat obligationem permanentem: qualis est perpetuo vindicandi mare à piratis, & itinera à latronibus. Non enim si aliquo anno piratæ aut latrones non grassentur, ideo cessant gabellæ: sed exigi possunt ratione obligationis qua Princeps tenetur paratus esse, & milites habere expeditos. Quod si pro occurrente necessitate transitoria, imponantur gabellæ, illa cessante, hæ pariter cessare debent.

Hæcque sunt, quæ si ex parte causæ non concurrant, in impositione gabellæ ipsa censetur iniusta, & imponentem obligat ad acceptorum restitutionem.

Nu. 375. Cui obligationi si non satisfaciat; exactor tenetur vicem illius supplere, tanquam cooperator talis iniquitatis: nisi quod locus sit distinctioni, quam habet Caiet. in verbo Vectigalia iniqua §. Occurrit: nempe si dubium sit iustæne sint gabellæ, an iniustæ: quibusdam scilicet affirmantibus esse, & aliis id negantibus: exactórque sit subditus Principis eas imponentis; atque ab eo compulsus easdem exigat; non peccat exigendo nec ad restitutionem tenetur; sicut nec miles qui cogitur ire ad bellum, quod ei nõ constat iniustum esse. In dubio enim melior est conditio Superioris, ius imperandi possidentis: cui proinde inferior debet suum iudicium submittere, nec obsequium debitum subtrahere. Secus esset si sciret Superiorem suum dubitare, dubitantérque imperare; quia consequenter sciret ipsum non habere ius sufficiens taliter imperandi. Sin autem exactor non sit subditus, aut non compellatur, non potest dubius se sponte offerre ad gabellas exigendas; nisi tantã Principis probitatem, ac prudentiam sciret esse, vt meritò debeat iudicio ipsius acquiescere: alioqui enim mala fide exiget: ac lata culpâ suâ inferet damnum; perinde ac ille qui debitum exigit ab aliquo de quo ambigit an debitor sit: ideoque & peccabit mortaliter, agendo contra conscientiam dubiam: & ad restitutionem tenebitur; nisi postea deprehendatur iustas esse gabellas.

Tertia conditio requisita ad iustam impositionem gabellarum, est ex parte modi imponendi. Debent enim imponi cum debita proportione: nimirum pro ratione facultatum cuiusque, ne pauperes grauentur præ diuitibus: & non mercatores præ mercatoribus; quandoquidem iniquum est si ad necessitates communes, aut statum Principis pauperiores cogantur conferre quantum ditiores: aut alij præ aliis immodicè grauentur. Id enim est contra iustitiam distributiuam, secundùm quam proportionaliter distinguenda sunt onera reipublicæ. *Nu. 376.*

Hinc Caiet. in memorato verbo Vectigalia iniqua, non longè à fine, meritò tanquam iniquas damnat gabellas constitutãs super rebus iis quæ ad necessarium familiæ vsum emuntur, aut venduntur, vel aduehuntur: quia in illis non seruatur iusta gabellarum forma: quę postulat, vt pauperiores non onerentur magis quàm diuites: sed quisque proportione suarum facultatum & lucrorum. In eo autem casu pauperes quibus modicæ sunt facultates, & nihil lucri faciunt ex negotiatione, magis grauantur: cùm, *vt plerumque solet*, pluribus liberis onerati, plura de suis rebus debeant vendere, & de aliis emere ad necessarium vsum. Diuites verò non cogantur sua vendere: possintque necessaria ad vitam, ex villis suis, sibi parare, ac tempus obseruare in quo res sunt viliores, tuncque magno suo commodo coemere. Certè in lege Vniuersi Cod. De vectigalibus, sub pœna capitis prohibetur ne ex rebus quæ ad vsum proprium inuehuntur, vectigalia exigantur. *Nu. 377.*

Dantur tamen aliquot casus in quibus censetur talis iniquitas cessare. Primus est, quando vrget necessitas publica, cui non sufficiunt alia vectigalia. Nam si pro bono communi cùm necessitas exigit, non modo fortunæ omnes, sed etiam vita est exponenda: multo magis soluendæ sunt propositæ gabellæ, cùm nequit aliter communi bono prouideri: non debent tamen maiores esse quàm ipsa grauis Reip. necessitas exigat. Secundus est, quando ex communi liberóque consensu populi statuuntur: quia quisque potest eo modo quo lubet, onus sibi imponere. Quod si qui vel coactè, vel nullo modo tunc consentiãt, nó est ratio cur dicantur ad idipsum onus obligari: cùm non imposuerint illud sibi, liberâ saltem sua voluntate. Tertius est, quando securitati prædictarum rerum deuectarum, alia ratione consuli non potest: quia satius est gabellarum onus sustinere, quàm iisdé rebus ad vsum familiæ necessariis carere. Quartus est, quando consuetudo cuius initij non est memoria, obtinuit vt super eiusmodi rebus vectigalia imponãtur. Tanta enim diuturnitas vsus, sine oppositione populi, indicat ipsam habuisse causam iustam, præsertim si in ea ratio habeatur pauperum.

Quomodo gabellas soluere teneantur ij, quibus imponuntur.

SECTIO POSTERIOR.

HOc exponemus aliquot propositionibus. Prima est. Quando constat gabellas iustè impositas *Nu. 378.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tas esse, nec iustam causam imponendi cessasse, eos qui fraudant in summa notabili, peccare mortaliter, cum obligatione ad restitutionem. Hanc Couar. *cum pluribus aliis quos citat*, tenet ad regulam Peccatum par. 2.§.5.num.5. Ea autem confirmatur: tum authoritate scripturæ per illud Matth.22. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo,]&illud ad Rom.13. Ideo & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal:]Tum etiam ratione, *quam illis verbis D. Paulus insinuasse* videtur: quia respublica lege iustitiæ debet Principi iustum administrationis tuæ stipendium, ac necessarium subsidium ad publicæ tranquillitatis conseruationem. Quando igitur obligatio ea fuerit in singulas Reip. partes distributa, cuique sua portione assignatâ, atque determinatis rebus, ex quibus soluendũ sit, singuli tenẽtur ex iustitia soluere. Qua enim obligatione Respublica tenetur communiter ad sumptus necessarios, eâdem particulariter singuli in ea tenentur, ad partem suam debito modo ipsis assignatam. Quæ assignatio, cùm fiat per gabellarum impositionem, huic satisfacere illi tenentur lege iustitiæ: peccantque mortaliter cum obligatione ad restitutionem, easdem gabellas iustas in quantitate notabili fraudando.

*Nu.*379. Secunda propositio. Gabellas quæ soluendæ sunt ex consuetudine cuius nescitur initium, nec memoria extat quando, aut quomodo sit introducta, coniunctam pariter habere obligationem ad peccatum mortale, & ad restitutionem. Hæc probatur: quia tales gabellæ non sunt pro prohibitis habendæ: vt expressum est in cap. Super quibusdã De verborum significatione, §. Præterea. Accedit quòd debeat *(nisi contrarium constaret quod vix potest)* præsumi; vel de libero populi consensu, vel aliquâ iusta de causa perpetuã, introductas fuisse: neque enim tamdiu alioqui eæ perseuerassent, populo ipso non opponente se earum exactioni, tanquam iniquæ.

Tertia propositio, Cessante causa iusta impositionis gabellarum, cessare obligationem eas soluendi. Hæc patet: quia sicut non potuerunt induci, nisi iusta de causa; ita nec possunt, sine iusta causa continuari. Aduerte tamen causam posse esse, vel temporariam, id est, necessariam ad breue solùm tempus: quales causæ sunt comitia, nuptiæ liberorum Principis, & id genus aliæ: vel perpetuam, cuiusmodi est securitas, & reparatio viarum. Quæ cessare potest dupliciter; vno modo casu, vt quia contingit latrones non grassari, aut vias non egere reparatione: altero modo ex negligentia Principum non satisfacientium suæ obligationi prouidendi securitati, & reparationi viarum. Quæ cùm ita sint, allata propositio absolutè quidem vera est, respectu habito ad causam temporariam; sed habito respectu ad perpetuam patitur exceptionem in eo, quòd pro tempore quo ipsa fortè cessat, gabellæ sint Principi soluendæ ratione perseuerãtis obligationis, quam habet curandi prædictam securitatẽ, & reparationem: neque obstet negligentia ipsius in tali cura, si paratus sit resarcire damna omnia inde secutura: quia obligatio ipsius est sub distinctione; vel assecurandi & reparandi vias, vel damna si ex sua negligentia inde sequantur, resarciendi. Quod si neutrum præstet, tenetur gabellas ipsas relaxare, & acceptas restituere tanquam iniquas ex defectu iustę causæ. Vide ri potest Medina in Cod. De rebus restituendis quæst.14.

*Nu.*380. Quarta propositio. Quandoque subditos ex lege iustitiæ, quandoque ex lege charitatis teneri gabellas soluere. Hæc patet, quia ex iustitia debẽtur, quæ exiguntur ad securitatem & reparationem viarum, pontium, aliorúmque id genus: aut in partem iusti stipendij Principi debiti ratione sui officij. Debentur verò ex charitate eæ quæ exiguntur ob propriam Principis necessitatem, vel aliquod commune Reip. commodum. Atque priore modo debitas fraudare, peccatum est cum obligatione ad restitutionem: quia in eo violatur iustitia: posteriore modo verò non est obligatio ad restitutionem, quæ ex sola iustitiæ violatione solet nasci. Immo interdum nec peccatũ est, vt cùm Princeps noluit imponere obligando in conscientia, contentus fraudatores earum, subiicere alicui pœnæ: vt præsumi potest cùm ipse in sua vel in Reip. necessitate, non adeo graui imposuerit gabellas, additâ certâ pœnâ, quâ plectantur subditi ipsi deprehensi non soluere illas.

Quinta propositio est. Subdito sufficere, *nisi consuetudo sit in contrarium*, merces suas pro quibus imposita est gabella vchere sine fraude, neque necessarium ei esse quærere gabellarum exactorem. Pro hac aliquot rationes videri possunt apud Tabienam in verbo Pedagium, quæst.8. sub finem. Et certè ea de se videtur satis rationabilis: præsertim temperata cõditionibus quas habet Sotus in lib.3. De iust. &iure prope finem: nempe si tale debitum non sit magni momenti, ac satis magno rigore exigi soleat. Consentaneũ est enim præsumere de iusta voluntate Principis, quòd contentus sit gabellam à se impositam, dum petitur, obedienter solui, nec fraudulenter agi abscõdendo merces, vel dolosè vehendo. Quod cùm fit, peccatur cum obligatione ad restitutionem: quia nulli sua fraus debet prodesse. Talique fraude, iniustè impedimentum obiicitur exactioni iustæ gabellarum: vnde inferatur damnum siue Principi, siue exactori, qui illas cõduxerit. Cui aduerte non fieri iniuriam aliàs nõ soluendo: quia cum gabellarum conditio sit vt debeant peti; id sciens quando illas conduxit, sua sponte voluit expositus esse periculo perdendi non petitas. *Nu.*381.

Sexta propositio, *pro qua Petr.à Nauar.lib.3.De rest. cap.1. num.236. plures authores citat.* Æquitati consentaneum esse, vt is qui rem aliquam defert, emit, aut vendit ad solatium suæ extremæ aut grauis necessitatis, non teneatur in conscientia ad gabellæ solutionem. Ratio est, quia respectu talis personæ, ea censetur immodica, & proinde carens debita forma iustæ gabellæ. *Nu.*382.

Septima propositio. Ementem à mercatore fraudante gabellas, non teneri restituere, ipso non restituente. Ratio est, quia onus soluendi gabellam non imponitur emptori, sed venditori qui res vehit, & proponit venales: cui emptor nõ censetur in ea fraudatione cooperari emendo ab illo: quia perinde vtitur iure quod habet sibi prouidendi de necessariis mercibus apud proponentem venales, ac de pecuniis mutuo accipiendis apud vsurarium paratum dare cum fœnore. Quæ in contrarium obiici posse videntur proponit & soluit Leonardus Lessius in lib.2. De iust. & iure cap.33. dubit.octaua. In sequen. nona docens creditorem Principis, posse sine obligatione ad restitutionem, fraudatione gabellæ compensare solutionem debiti, quam impetrare non potest: neque obstare detrimentum quod eiusdem gabellæ conductor inde accipiet. Quodquidem non facilè admiserim, quia in eo etiam casu censeri potest locum habere doctrina communis de compensatione debiti, excusante à restitutione: inter cuius cõditiones (propositas in præced. cap. 18. causa duodecima) illa vna est, ne alij nullâ exigente ipsorum culpâ detrimentum patiantur: quia vt habet reg.48. iuris in 6. locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura. Tenendum ergo videtur quod tutius est (& pro quo ipse Lessius nobiles authores refert) cum detrimento *Nu.*383.

trimento exactorum, non posse fieri eiusmodi compensationem: nisi fortè detrimentum esset tantùm lucri cessantis sine damno emergente: eoquod non teneatur quis alienum commodum præferre suo proprio.

POSTERIOR PARS CAPITIS.

De obligatione ad restitutionem ex iniusta acquisitione per ludum.

*Nu.*384. Ludus hîc accipitur pro pacto, quo inter se certantes pacisciuntur, vt res ab vtroque deposita tribuatur victori. Vnde continetur intra iustitiæ limites, tanquam habens rationem contractus faciendi vt facias: seu quo rem meam expono periculo, vt tuam similiter exponas. Licitus est autem ex communi sententia, *teste Couar.ad Reg. Peccatum par.2.§.4. num.2. plures in eam citante*, si vestiatur debitis conditionibus; quia sicut est in cuiusque potestate rem suam donare absolutè, ita & donare sub conditione, quam velit: siue ea pendeat à fortuna, siue ab humana industria. Illicitus est verò, vt ex defectu debitarum conditionum, sic & ex concursu malarum circumstantiarum: vt si proueniat ex affectu inferendi proximo notabilem iniuriam: vel is talis sit qui soleat ludentem inducere ad peccatum mortale: vt accidit aleatoribus, qui ex aleæ ludo, *in quo est plus euentus fortuiti, quàm artis & industriæ*: sæpe concitantur ad iram & blasphemias in Deum: accendunturque ad lites & pugnas, atque propriâ substantiâ exhaustâ, attrahuntur sæpe ad furta & latrocinia.

Quibus de causis iure ciuili id genus ludi prohibetur etiam laicis, Cod. De aleatoribus, lege vltima; & iure canonico Clericis, in Can.42. Apostolorũ, ac in sequenti (in quo fit etiam mentio laicorum) & in cap. Clerici officia, De vita & honest. Clericorũ, & in Concil. Triden. sess.22.cap.1. Circa quam prohibitionem occurrit notandum alearum ludos non ita prohiberi, vt nec ad honestam recreationem nec ad breue tempus vitãdi otij, aut fastidij causa, illos vsurpare liceat, quando fieri potest sine scandalo: sed tantùm vt lucri quæstusque gratia non abeant in consuetudinem assiduúmque vsum; vnde oriuntur illa mala, ob quæ eosdem ludos à iure prohiberi dictum est. Quando autem veniale tantùm, quando verò etiam mortale peccatum sit ei prohibitioni contrauenire, sufficienter explicatum videri potest apud Nauar.in Enchir.cap.19.fere per totum.

*Nu.*385. Circa obligationem autem nobis propositam notandum est, tres esse circumstantias ex quibus ludus non tantùm est malus, sed etiam iniustus, & ideo inducens obligationem ad restitutionem: tum eorum quæ per illum fuerint iniustè acquisita: tum eorum quæ colludens reipsa acquisiuisset, nisi iniustè impeditus esset: cum ea tamen moderatione quæ paulò inferiùs referetur ex Nauarro.

Prima circumstãtia est vis; quam adhibuisse censetur qui alterum inuitum ac inuoluntarium ad ludendum pertraxit: vt fecisse censetur qui per opprobria & conuitia, aut preces importunas, quibus alter non est ausus contradicere: aut adeò importunas vt maluerit rem suam periclitari, quàm tanta molestia affici: pertraxit ipsum ad ludendum. Quæ est D. Thomæ, & interpretum ipsius 2.2.quæst.32.art.7.ad 2. atque adeo communis sententia. Probatur autem quia talis per iniuriam est alteri causa damni, quod patitur perdendo. Id autem sufficere ab obligationem restituendi, patet: quia si per talem vim pertraham te ad ludendum cum tertio, ego tanquam moralis causa damni, quod incurris perdendo rem tuam: teneor ad eiusdem damni restitutionem. Quare similiter tenebitur collusor, si te similiter pertrahat: quia vtrobique eadem est iniuria. Quidquid autem nonnulli recentiores obiiciant (quibus Leonardus Lessius bene respondet De iust. & iure lib. 2. cap. 26. dubit.2.) sequenda est in praxi talis sententia tanquam secura, bonóque innixa fundamento: præsertim cùm in ludo, liber debeat esse consensus, rem à se depositam transferendi in collusorem, si victor euadat. Quæ libertas inest quidem in pertrahente inuitum ad ludendum, non item in pertracto.

Secunda circumstantia est fraus: quæ tunc committi intelligitur, quando aliquid fit contra communes iustitiæ, aut particulares ludi leges. Sic fraudem facit qui adulteratos taxillos supponit, aut cartulas furripit; qui vtitur mendaciis, qui fingit se imperitum ludi, cùm sit peritissimus; vt imperitum attrahat ad ludendum. Cæterùm ludi leges sunt eæ quas ipsi ludentes communi consensu inter se statuerint, siue bonæ sint, siue malæ: vt concedentes non obstante dolo & fraude lucrum facere. Ratio est, quia volenti non fit iniuria. Sunt item eæ quæ receptæ sunt apud eam gentem, cuius more statuerunt ludere. Ludus enim, vt ab initio diximus, rationem habet contractus: qui de se censetur celebrari secundùm consuetudinem loci in quo fit; etiamsi fortè alter, aut etiam vterque contrahentium, consuetudinem eam ignoret. Aduerte autem obiter, vtenti fraude, vel cogenti ad ludendum, si perdat, nihil deberi: sin lucretur, ipsum teneri restituere acceptum, etiam ante illius repetitionem. Fraus enim & vis qua vtitur, iustam causam dare censetur tali differentiæ.

Aduerte quoque ex Nauar.in Enchir.cap.19.num. 17. præbentem alicui culpabiliter causam perdẽdi in ludo, teneri non tantùm restituere id, quod ille amisit, ea ratione, alioqui non amissurus: sed etiam id quod ea de causa verosimiliter desiit lucrari: non quidem quantum idipsum in re valeret, sed quantum potest in spe valere prudentis arbitrio: sicut & is qui messem destruxit tenetur restituere, non quantum ea reddidisset in horreo (ex D. Thoma 2.2. qu.62.art.4.) sed quantum æstimaretur spes, quam præbebat sui.

Tertia circumstantia est, vt ludentes habeant dispositionem liberam rei, quam in ludum deponunt: quia nequeunt periculo exponere res alienas aut suas quas nequeant alienare. Istiusmodi sunt ex communi sententia *teste Nauar. in cit.cap.19. num.12.* stultus, puer, mancipium, filius qui adhuc est in patris potestate, prodigus, vxor, monialis, monachus, & quotquot non habent vsum liberum earum rerum pro quibus ludunt. Ad quod pleniùs intelligendum in particulari faciunt documenta tradita à nobis in præced. lib. 4. cap. 21. sectione priore de iis à quibus potest eleemosyna fieri.

Explicatio aliquot quæstionum ad rem propositam spectantium.

Plures moueri solent quæstiones, de iis quæ ad ludum spectant: præcipuas tantùm explicabimus, quia cæteris, quando occurrent, poterit satisfieri ex iam dictis, & deinceps dicendis: ac etiam ex habitis in præcedentibus tractatibus huius libri.

***

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIMA QVÆSTIO.

An lucrata per ludum iure vetitum, possint tutâ conscientiâ retineri.

Nu 386. CErtum est, quòd si ludus, & licitus & iustus fuerit, lucrum factum retineri possit: quia ludus est species contractus, per quem naturæ iure transferri potest dominium. Certum item est ex antedictis, quòd si iniustus sit, debeat in conscientia lucrum acceptum restitui, non expectatâ Iudicis sententiâ. Dubitatur ergo tantùm an cùm ludus est quidem iustus, sed lege prohibitus, *ideóque illicitus*, lucrum retineri possit bonâ conscientiâ. Cuius dubitationis pars affirmans meritò communiter tenetur cum Soto lib. 4. de iustitia & iure *quæst. 5. art. 2.* & Couarr. ad regulam Peccatum *part. 2. §. 4. num. 2. & 3. antiquiores citante.* Ratio est, quia sola res aliena, est obnoxia restitutioni: qualis non est acquisita per ludū, quo tanquam contractu legitimo, dominium illius transferri potuit de libero cōsensu colludentium. Non enim obstare prohibitionē iuris naturæ, hinc patet: quia etiāsi contractus aliquis prohibitus sit ac illicitus iure naturæ, non ideo tamen naturalis ratio censetur dictare, ipsum esse irritum prout constat ex matrimonio contracto post emissum castitatis votum, vel post sponsalia inita cum alia persona: itémque ex venditione rei quam Deo voueris, atque ex promissione facta meretrici pro vsura sui corporis. Nam aliud est contractum illicitum esse, & aliud esse irritum seu obligandi vi carere. Nec etiam obstare prohibitionem legis humanæ patet: quia leges, siue ciuiles siue Canonicæ (quarum num. 384. meminimus) sic prohibent alearum ludum, vt non reddant irritum ludi contractum: nec efficiant ludentes ad dominium transferendum inhabiles: etiamsi lex alearum Cod. De aleatorib. perdenti concedat repetitionem: quæ vt robur habeat, fieri debet in iudicio, & ad eam sequi Iudicis condemnatio, quâ victor restituere iubeatur. Vnde consuetudo, quæ est optima legum interpres, ita fert vt nemo existimetur teneri talia lucra reddere, nisi compulsus per sententiam Iudicis (dummodo per vim aut fraudem non impedierit, quominus Iudex ipsum de re conuictum, condemnaret) ne si quidem rationabili de causa, victus nolit perditū in ludo repetere ea ratione *(qualis causa potest esse, quod faceret notabilem iacturam sui honoris)* námque ob liberum consensum quo ipse voluit se exponere periculo perdendi rem suam ludendo, atque victus eam victori cedere, non habet aliud ius illā aut illius cōpensationem recuperandi; quàm quod conceditur lege, exigente condemnationem Iudicis.

SECVNDA QVÆSTIO.

An ad restitutionem teneatur, qui certus de victoria, cum altero id ignorante ludit, aut inuitat ad augendum ludi pretium.

Nu. 387. HAnc tractat Medina in Cod. de rebus restituēdis quæst. 22. sub finem; & pro responsione statuit sequentes propositiones. Prima est. Ex quo colludentium non est æqua conditio, sed alter cùm ludit, est in tuto, aut quasi in tuto, idque probè nouit: alter verò, vt plurimum est in periculo, & id ignorat; lucrum quod ille facit cum hoc ludendo, esse eidem restituendum. Ratio est: quia illud iniustè accipitur, vtendo fraude, qua certamen initur tanquam cum compari, cùm omnino inferior sit; itaut dolus causam det tali contractui. Secus esse autem, si is qui inferior est, excessum colludentis probè sciens, nihilominus velit cum eo ludere: quia tunc perinde est, ac si velit id quod amiserit donare.

Secunda propositio. Cùm duo sibi occurrentes de ludendo conueniunt, ignorando vnius excessum supra alterū in peritia ludendi; partim restituendum esse tunc lucrifactum, partimverò posse retineri. Probatur, quia acquisitum durante præfata ignorantia, iustè accipitur: cum vterque in ludum liberè consenserit, & æqua fuerit vtriusque conditio secundùm ipsorum existimationem; æqualitérque lucro, & dāno se voluntariè exposuerint: nec ipsi cauerint de restituendo, vbi constaret de alterius excessu. Vnde is qui inuenitur inferior; nequit rationabiliter conqueri de iniustitia, quam alter in ipsum ita exercuerit: vt acquisitum tali ludo teneatur restituere. Vbi autem is qui superior est, satis deprehendit suum excessum, quem inferior adhuc ignorat, tenetur iuxta præcedentem propositionem restituere quod deinceps lucratus fuerit.

Tertia propositio. In ludo chartarum, aut alio simili principaliter dependente ex fortuna; eum qui certò scit se in qualitate chartarum, aut in quantitate punctorum superare colludentem id nescientem, non teneri ad restitutionem excessus lucri quod fecit, augendo pretium ludi ob certitudinem quam habuit vincendi, etiamsi alter ex ignorantia auctionem admiserit. Rationem reddit Medina, quòd ipsi ab initio sponte contraxerint hac lege, vt qui de lucro sibi certus videretur, posset pretium augere: quæ lex cùm æqualiter pro vtroque ludentium posita sit, per vtrumque venit seruanda. Nec obstat quòd pro illa vice melior sit conditio lucrantis: quia sufficit quòd pro tempore quo ludus continuatur, sint in illa lege æquales. Nam quod vni tunc accidit, poterit idem alteri postea accidere.

TERTIA QVÆSTIO.

An vbi crediò, seu promissa pecunia luditur contra leges, is qui perdidit teneatur in foro conscientiæ promissum soluere.

PRæmittendum est, receptum esse primò, cùm *Nu. 388.* ludus licitus est & iustus, ex eo tanquam contractu valido, nasci obligationem præstandi illud de quo conuentum est inter colludentes. Secundò, cùm contrà illicitus, ac simul aliqua de causa ex antea memoratis num. 385. iniustus est: ex illo talem obligationem non nasci. Tertiò, cùm ludus ita prohibetur lege, vt simul decernatur domini translationem factam ea ratione, fore irritam: ex illo non nasci prædictam obligationem Quamquam si, *vt sæpe solet*, vterque colludentium iurauit, si vinceretur se victori soluturum illud, quod fuerit inter ipsos constitutum; victus ad eam solutionem tenetur ratione iuramenti, vt patet à simili: quia is qui addito iuramento promisit vsurario se soluturum vsuras, licet vi contractus mutui cū ipso initi, nō teneatur illas soluere, tenetur tamen ratione iuramēti: vt definitū est in cap. Debitores De iureiurando. Pari ergo ratione in proposito casu, tenebitur victus victori soluere, non obstante me morata irritatione; cùm iuramentum de re licita

licita factum alteri, necessariò seruandum sit ex cap. Quāuis pactum De pactis in 6. nisi ipsum relaxetur à Superiore habente ad id authoritatem, & causam sufficientem; obtenta enim relaxatione non tenebitur soluere, vt ex cap. 1. De iureiurando habet Nauar. *in Enchir. cap. 19. num. 17. in fine.*

Cùm autem hæc ita sint: quæstio proposita locum habet tantùm, quando luditur contra legem quæ ludum aliquem prohibet, non quidem tollendo translationem domini pecuniæ per ilum quæsitæ: sed cōcedendo illius repetitionem. Atque eam Couarr. *ad regul. Peccatum 2. par. §. 4. num. 8.* difficilem esse præfatus, propositis authoribus, & rationibus in vtramque partem; negantem sequitur cum Adriano: a quibus non dissentit Nauarr. in cit. num. 17. nec tamen contrariam Alphonsi à Castro *in lib. 2. De lege pœnali cap. 2. concl. 3.* improbat: tanquam insinuans liberum esse vtramuis sequi in praxi: hoc est, siue promissum soluere, siue non soluere. Quod posterius habet quidem in se plus periculi: nititur tamen ratione ad probabilitatem moralem sufficienti. Qualis est, quòd etsi is qui rem aliquam ludo acquisiuit post illius traditionem, libero perdentis consensu factam, ratione conuentionis, dominium eiusdem habeat, donec eo priuetur per condemnationem Iudicis: nihilominus ante traditionem, nullū ad ipsam rem ius habet: quandoquidem per legem ipso facto ptiuatur iure petendi eam, hoc nomine, quòd si cadetur danti concedatur, ius repetendi datam. Etenim qui potest iam solutam pecuniam repetere, potest sanè pari iure, nondum solutam retinere; vt patet ex promisso quod factum fuerit vsurario.

Quæ tamen ratio tantùm conuincit, quòd sicut licitum est solutam repetere, sic etiam nondum solutam negare Iudicis condemnatione interueniente: non autem, illud quod perditum est ludēdo creditò, posse pro arbitrio negari: quasi nulla sit in conscientia obligatio ipsum soluendi. Nam talis ludus, perinde ac is quo luditur præsenti pecuniâ, est contractus de se aptus ad dominium acquirendum; neque ludens ad id ineptus redditur per legem: quæ solùm pœnam lucranti constituit, vt quod acquisierit, possit in iudicio compelli restituere. Sicut igitur cùm lusum est præsenti pecuniâ, non licet priuata authoritate rem perditam, aut æquiualentem in compensationem surripere lucranti (*vt bene notatum est à Soto lib. 4. de iust. & iure quæst. 5. art. 2. sub finem*) ita nec licet propria authoritate negare solutionem ei, qui ludendo creditò, lucratus est: sicque Alphonsi sententia locum habet: quam Nauarr. meritò non est ausus improbare, quia non satis apparet quid possit ad propositam rationem responderi.

Restat autem monendum, ludentem habendo animum non soluendi, aut solutum repetendi, non posse lucrari: quia si colludens id sciret ludere nolle: itaut decipiatur per fraudem, quâ talem animum, gerens exponit se ludo, ostendendo paratum se esse dominium suæ rei in colludentem transferre, si ab eo vincatur. Quod si animo sincero luserit quis, nihil cogitans de non soluendo, aut de non repetendo amisso; immo animum habens soluendi nec repetendi, potest peracto ludo mutare eum animum, ac nolle soluere lusum creditò, vel iam solutum repetere, si lusum sit præsenti pecuniâ, ludo per legem prohibito.

QVARTA QVÆSTIO.

An ille qui non habet quod in ludo perdat possit in eo lucrari.

HVic satisfaciemus aliquot propositionibus. Pri- *Nu. 389.*
ma est. Eum qui non habens præsentem pecuniam ludit creditò, de consensu eius qui numeratā pecuniā cum ipso ludit, lucrari posse, si animum vere habeat soluendi, habita commoditate. Ratio est: quia colludens censetur iure suo exigendi parem conditionem, cedere hoc ipso, quòd sciens & volens ludat præsenti pecunia, cum eo, qui vult creditò tantùm ludere.

Secunda propositio. Eum qui nihil omnino potest in ludo perdere, nihil etiam posse lucrari. Ratio est; quia conditio ludi debet æqualis esse in vtroque ludente. At non est, si alter solummodo possit perdere: æquitas enim conditionis ludi exigit, vt sicut vnus colludentium liberè vult & potest perdere, aut lucrari: ita & alter debeat velle, & posse.

Tertia propositio. Ludentem cum eo qui non potest alienare id quod exponit ludo, teneri si lucretur illud verò domino restituere, cùm primùm scit alienum esse. Hæc patet à simili de eo qui emit equū furtiuum. Nam in illo casu sicut in hoc dominium acquisitum non est, ob defectum potestatis illud transferendi in alium.

Vbi pro praxi nota ex Nauar. in eod. cap. 19. num. 12. de studiosis qui sunt filiisfamilias aut monachi, cùm illi à parente, & hi à Prælato sustentantur in Academia, posse particulam aliquam summæ destinatæ ipsorum sustentationi, insumere in ludo honesto, honestæ recreationis gratiâ. Ratio esse potest, quòd ad alimenta pertineat quoque recreatio honesta, & ætati, statuique conueniens, ac passim concessa æqualibus. Quod si libros aut vestes ludant, non est locus excusationi à restitutione: quia talia nec dantur; nec præsumi possunt data esse ad eiusmodi vsum.

Aduerte autem, memoratum ludentem si perdiderit, posse ludendo cum eodem, tantumdem lucrari: non solùm per ludos continuos & similes: sed etiā tempore, & specie diuersos: dummodo lucrum apud colluſorem inhabilem adhuc maneat. Ratio est, quia lex ludi habet, vt totum lucrum hinc inde acquisitum ludo destinetur: necenim censentur colludentes sic voluisse alienare sua ludendo, quin postea possent facere compensationem: vitatis tamen circunstantiis ex quibus antea diximus ludum illicitum iniustúmque reddi. Neque in tali casu contingere, vt res aliena exponatur ludo: patet, quia tali ludo illicitè acquisitum, filius sibi non patri acquirit vt ex Bartholo habet Syluester in verbo Peculium 1. quæst. 14. Et probatur: quia si filius in eiusmodi ludis perderet, pater non teneretur soluere; & qui non sentit onus, non debet sentire commodum, ex regula 55. iuris in 6. Adde filium quoad illicitos acquirendi modos, non esse subditum patri, ne quidem iubenti.

Vltima propositio sit quam habet Leonardus Lessius lib. 2. De iust. & iure in fine cap. 26. Ē qui potest tātum deponere quatuor in ludū, non posse singulis commissionibus ab vno eodémque lucrari plusquam quatuor. Ratio est, quia debet esse par conditio ludentium, nisi alter sciens conditionem socij, iure suo cedat: vt censeri potest dies ludens cum paupere. Verumtamen si plures sint contra quos ludit vt tres quorum singuli deponant quatuor, poterit plus lucrari, *vt duodecim*: poterit item ab vno eodémque diuersis commissionibus plus lucrari quàm poterat perdere, vt cùm potuerit tantùm perdere quatuor, lucrifacere centum. Sufficit enim ad singulorum ludorum lucra vt alienare possit illud quod in vnaquoque eorum deponit.

Atque hæc hactenus de ludo, de quo si quis pleniorem tractationem requirat, eam post Nauarr. in memorato cap. 19. suppeditabit Ludouicus Molina

Universidad de Deusto
Biblioteca

de iust.& iure tractatu 2. à disput. 510.ad 522. Contenti erimus pro quotidiana praxi addidisse ex Gabriele in 4.distinct.15.quæst.13.art.3.dub. 3. cooperantes ad ludum mortaliter illicitum:siue concedendo domos, locáue ad ludendum; siue præbendo lumina & instrumenta ad ludendum,vt taxillos, chartas,aut alia eiusmodi, peccare quidem mortaliter, tanquam consentientes peccantibus; non teneri tamen ad restitutiona, nisi perditioni causam dederint dolo, aut alia ratione iniusta.Ratio est,quòd aliàs indifferenter se habeant ad vtrumque colludentem, sponte sua exponentem se periculo perdendi. Vnde non censentur perdenti facere iniuriam,quam restitutione resarcire teneantur.

CAPVT XXVI.

De obligatione ad restitutionem acquisitorum per vsuram.

SVMMARIVM.

390 *Interpretatio nominis vsuræ.*
391 *Definitio vsuræ.*
392 *Diuisio vsuræ,& quid sit vsura interior, quid exterior,quid mentalis.*
393 *Quid sit vsura realis; & diuisio illius in manifestam & palliatam.*
394 *Modi quibus vsura palliari solet.*
395 *Obligationem esse restituendi vsurariè accepta, ex multis canonibus habetur.*
396 *Ea locum habet,quamuis soluens iurauerit se non repetiturum:extenditurque ad hæredes vsurarij, & ad fructus, quos res vsurariè accepta protulerit.*
397 *Notanda de obligatione hæredum vsurarij,restituendi vsuras quas is recepit, nec restituerit in vita.*
398 *Quando contingat vsura mentalis.*
399 *Quæ intentio ac spes lucri constituat vsuram mentalem,opiniones variæ.*
400 *Resolutio difficultatis.*
401 *Corollaria inde deducta.*
402 *Quatuor modi, quibus contingere potest,vt mutuator aliquid supra sortem accipiat à mutuatario.*
403 *De quarto eorum (tunc contingente, cum mutuans prætendit lucrum ex mutuo, & mutuatarius ei liberè donat) difficultas est, an habeat annexam obligationem ad restitutionem: cuius pars negans tenerí potest.*
404 *Argumenta pro parte contraria, cum suis solutionibus.*
405 *Generalis regula de obligatione ad restitutionem incursa à cooperatoribus vsurariorum in exercenda vsura.*
406 *De obligatione illius ad restitutionem, qui consulit aut iubet,aut suadet mutuo dari ad vsuram, vel impedit ne detur gratis.*
407 *Quando pecuniam suam deponens apud vsurarium, teneatur ad restitutionem vsurariè acquisitorum ab eo.*
408 *Domini temporales,Iudices, & Aduocati, quando tanquam cooperatores teneantur ad restitutionem vsurarum.*
409 *Quando Tabelliones & Notarij conficientes contractus vsurarios.*
410 *Quando à restitutione,non item à peccato,excusentur Notarij conficientes vsurarium instrumentum:& quando testes in eo testificantes, aut Superiores ei subscribentes.*
411 *Quando teneantur negotiorum gestores, tutores, & curatores.*
412 *Quando teneantur famuli vsurariorum.*
413 *Quando proxenetæ.*
414 *Documenta quædam de cooperatoribus vsurariorum.*
415 *Vsurarius non acquirit dominium rei acceptæ per vsuram.*
416 *Vsurarius non acquirit fructus quos profert res per vsuram accepta.*
417 *Acquisita ex re vsuraria non fructifera,non sunt restitutioni obnoxia.*
418 *Vsurarius vendens rem acceptam per vsuram, non transfert illius dominium: & quatenus talis contractus validus sit.*
419 *An bona omnia vsurarij sint hypothecata pro solutione vsurarum,diuersæ sententiæ.*
420 *Tenenda negans hypothecata esse,eiusdémque probatio,& corollarium ex ea sequens.*
421 *Explicatio difficultatis, An vsurarius possit validè sua distrahere:ac primò quòd non possit rem vsurariè acceptam.*
422 *Quod verò possit non vsurariè acceptam.*
423 *Quid sit tenendum, cùm id fit in fraudem creditorum.*
424 *Qui aliquid ab vsurario accepit, vnde is factus est impotens ad soluendum, quando teneatur restituere acceptum,si à creditoribus intra annum non repetatur.*
425 *Quando acceptum ab vsurario in pretium, aut in stipendium restituere debeat ille qui accepit.*
426 *Quando vxor aut filij.*
427 *Quando gener acceptum in dotem vxoris.*
428 *Quando creditor qui ipsi vsurario mutuum dedit.*

QVATVOR sectionibus caput istud distinguitur: quarum 1. est de nomine, definitione & diuisione vsuræ: 2. de proposita obligatione: 3. de iis ad quos tanquam vsurarij cooperatores in exercenda vsura, extenditur eadem obligatio 4. de accipientibus:aliquid ab habentibus acquisita per vsuram.

De nomine,definitione, & diuisione vsuræ.

SECTIO I.

EXplicatio obligationis de qua dicere instituimus exigit horum notitiam: quæ alterius quidem loci est propria,sed huic ita necessaria,vt omitti nequeat commodè.

Sicut igitur cultura à cultu,ita vsura ab vsu dicitur: significans id quod ex vsu rei tanquam fructus eius accrescit. In qua significatione à Cicerone in libro De senectute dicitur; quòd terra nunquam sine vsura reddit quod accepit. Indéque à Theologis, Iurisconsultis, & Philosophis translatum est vsuræ nomen ad significandum illud quod ex vsu pecuniæ, aut alterius rei,quæ vsu ipso consumitur (*vt vinum, oleum, triticum &c.*) alicui accrescit. Id quod contingit tantùm in contractu mutuationis, dum propter rem vsu consumptibilem mutuo datam,pretium aliquod accipitur. Vnde ad cognoscendum vtrum contractus aliquis sit néne vsurarius: perpendendum est,an in eo inueniatur ratio aliqua mutui, pro quo pretium, seu pecunia aut aliquid pecuniâ æstimabile detur:vt si vendam alicui triticum 10. aureis, & vt expectem illorum solutionem,velim duos aureos addi,talis venditio vsuraria censenda est: perinde ac si decem aureos tibi darem mutuo, pro quibus post certum tempus restituas duodecim. Idem iudicandum est si eâdem de causa, tibi imponam obligationem,apud nullum alium emendi, quàm apud me. Nam omnis obligatio tollens libertatem, perinde atque alia quæuis nata ex conuentione, *iuxta legem Sicut Cod. De obligationibus & actionibus*, æstimabilis est pretio tanquam onerosa. *Nu.391.*

Cæterùm in verbo vsura à Caiet. paucis definitur vsura,inquiente esse lucrũ ex mutuo. Quæ definitio est vsuræ latè sumptæ;pro omni eo scilicet, quod ex mutuo,mutuanti accrescit vltra sortem: siue ex ipsa mutui vi: siue aliunde,vt ex lucro cessante, vel dãno emergente,vel ex alia simili causa:sicque sumpta vsura diuiditur à Iurisconsultis,in lucrativam in qua lucrum solummodo est ex mutuo: & in punitiuam, in qua pactum est de pœna aliqua soluenda, si mutuatarius fuerit in mora debitum reddendi tempore statuto;ac in restaurativam,in qua est pactum soluẽdi aliquid ex mutuo ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, vel periculi aut laboris, aut expensarum quæ probabiliter creduntur futuræ in recuperando mutuo. Angustius verò in præsentiarum sumitur vsura: vnde vt allata definitio fiat huius loci propria,addi ei debet particula,*vi mutui*, per quam à ratione vsuræ de qua hic agitur, excludum censeatur,si ex vi gratitudinis, vel amicitiæ vel alicuius alterius contractus quàm mutui, aliquod lucrum capiatur: aut si mutuum sit quidem conditio sine qua, non haberetur lucrum:non sit tamen causa cuius vi lucrum capiatur: sicut est cùm ipsum accipitur in pretium mutuationis:faciendę gratis,iuxta illud Domini Luc.6.Mutuum date,nihil inde sperantes.

Porro sicut furtum apud authores aliquando accipitur pro re aliena surrepta; aliquando verò pro actione qua res aliena surripitur: sic vsura aliquando accipitur pro lucro vi mutui facto, quod dicitur lucrum vsurarium ac turpe: & aliquando pro actione quâ ex mutuo lucrum acquiritur, & dicitur peccatum vsuræ: habens pro obiecto proprio prædictum lucrum. Atque priore modo sumitur, tum in proposita definitione,tum in cap.Plerique 14.quæst. 3.cùm dicitur,Quodcumque accedit sorti esse vsuram.Posteriore verò modo in cap.Vsura,eadẽ quæst. 3.cùm dicitur vsura est vbi amplius requiritur quàm datur:desinirique potest *dictis congruenter*, mutuatio ob quam pretium aliquod supra id quod datum est, petitur vel accipitur. Ad discernendum autem priorẽne an posteriore modo vsura sumatur, considerari debet,subiecta sermonis materia:cùm enim dicimus restituendam esse vsuram, patet sumi priore modo: cùm verò dicimus vsuram esse peccatum, sumi posteriore modo,& sic de similibus. *Nu.392.*

Duplex ex verò est vsura:vna interior, quæ committitur sola voluntate interiori, vt cùm mutuator proponit,sperátq; ratione mutuatæ rei, aliquid amplius accipere quàm dedit, nec accipit: altera exterior, quæ prædictæ voluntati adiungit opus externum,id est,actionem accipiendi. Atque de priore illud tantùm occurrit monendum, eam quidem peccatum esse mortale;vt suo loco docebitur, sed non inducere obligationem ad restitutionẽ,cùm in nullo lædat proximum.Posterior autem distinguitur rursus in mentalem,& realem.Mentalis est quæ quamuis fiat,non tantùm mente, sed etiam opere externo mentem ipsam ostendente: nullo modo tamen interuenit pactum vsurarium, seu quod mutuans cum mutuatario ineat siue expresè siue tacitè. Debet verò in eadem, sicut & in realí vsura, esse verũ lucrum proueniens ex mutuo. Ad quod (*vt notat Caietanus in verbo, Vsura,sub initium*) requiruntur & sufficiunt duæ conditiones:prior est, vt ipsum sit aliquid pecuniâ æstimabile,itaut possit rationem pretij habere: posterior est, vt ipsum non sit quid iam pertinens ad accipientem:adeout contingat hunc fieri ditiorem, per illius acceptionem. Quarum conditionum consideratione multas difficultates in hac materia solui posse admonet idem author, quæ explicabuntur in sequenti libro 23.cum de vsura dicetur, vt de peccato transgressionis septimi præcepti Decalogi. *Nu.393.*

Realis vsura est, quando quis mutuo dat cum pacto expresso vel tacito accipiendi lucrum ex mutuo. Quæ adhuc est duplex: vna vocatur tum formalis, tum manifesta;altera dicitur tum virtualis, tum palliata. Manifesta vsura est,quando pactum vsurarium significatur apertè,seu manifestis signis exercetur de lucro soluendo. Vbi nota generalem regulam esse: quòd quotiescumque accipiens mutuo pecuniam, aliquid æstimabile pecuniæ præter sortem soluit ex pacto,mutuum ipsum esse vsuram expressam: adeout id omne, *quidquid tandem sit*, quod pecuniâ æstimatur,possit vsuram efficere. Et ita cùm quis mutuo pecuniam rustico dat, cum pacto, quòd laborabit in agro suo,committit vsuram: etiamsi soluat ei iustam mercedem:quoniam ista obligatio est pecuniâ æstimabilis,cùm libertatem tollat, onerosaque sit. Similiter vsura est,cùm mercator mutuat alicui pecuniã, ea conditione vt merces iusto etiam pretio, emat ab ipso, non ab alio: quia talis quoque obligatio æstimabilis est pecuniæ. Verumtamen cùm obligatio vel onus sic adiectum, nó est magni momẽti,quamuis vsura sit, non est tamen peccatum mortale, ob materiæ leuitatem.

Palliata vsura est illa, in qua pactum aut saltem mutuum non explicatur apertè, sed velatur specie alterius contractus,quo ipsum continetur virtute. Id quod solet in particulari declarari, cùm sigillatim de vnoquoque contractu agitur. Quando autem non explicetur pactum, ideóque ipsum sit tacitũ,nullo negotio deprehendetur,ex contractu quo velatur,præsertim si is sit scripto mandatus.Quando verò mutuum tacitum contineatur, difficile est cognoscere: quæ difficultas tollitur explicatione dubiorum quæ de mutuo ipso mouentur, tradenda in lib. 25. cùm de eodem mutuo agetur ex instituto.

Hic sufficiet monere vsuram palliari seu occultari solere ex parte mutui quatuor modis,qui colliguntur ex cap. Consuluisti,De vsuris. *Nu.394.*

Primus est,quo occultatur mutuum per solam venditionẽ:vt cùm quis maiore pretio merces suas propterea vendit,quòd illud non statim sed post lõgum tẽpus soluatur.Secundus est, quo mutuũ occultatur, per solam emptionẽ,vt cùm quis emit merces viliori pretio,quia soluit ante tempus seu antequam merces ipsas accipiat.Tertius est, quo mutuũ occultatur per solutionẽ,vt cùm quis deberet soluere in fine anni 100.aureos soluit tantũ 80.quia soluit per quatuor autquinque menses ante finẽ anni:hæc enim omnia fiunt ratione dilatæ:vel anticipatæ solutionis, & sic includunt mutuum & lucrum ex mutuo, atque adeò vsuram.Quartus modus est,quo tam mutuum quàm vsura occultatur emptione simul & venditione, vt quando quis cogitur emere merces aliquas 30. aureis,& statim reuendere 20.vel 25. aureis.Sed obseruandum est, *quod insinuat Caiet.in verbo Vsura,cap.3. in fine*, non esse vsuram in hoc casu, nisi cùm emptor ea conditione emit, vt venditori statim reuendat minore pretio:tunc enim perinde est ac si illud quod ex pretio minuitur, acciperetur pro mutuo. Quod si contingeret vt mercator sincerè venderet, altérque reuenderet ei minore pretio,non esset vsura:

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt nec esset si idem liberè reuenderet tertio, viliùs quàm emerit.

De ipsa obligatione restituendi acquisita per vsurã.

SECTIO II.

*Nu.*395. OBligationem esse restituendi vsurariè accepta patet: quia talis acceptio est iniusta: vtpote quâ absque iusto titulo; immo contra omne ius, tam diuinum quàm humanum, res aliena vsurpatur. Ex iniusta acceptione autem, personam manere coram Deo obligatam ad restitutionem accepti, ita notum est, vt pro certissima regula habeatur Non remitti peccatum nisi restituatur ablatum. Idem quoque aperiè statuunt Canones in tit. De vsuris Extra: non tantùm quoad Clericos in cap. 1. sed etiam quoad laicos in cap. 2. etiamsi non sint Christiani, *vt Iudæi*, in cap. Post miserabilem & in cap. Quanto. Immo in cap. Cùm tu eodem titulo, vsurarij possessiones iubẽtur vendi, vt creditoribus satisfiat: & in Clemen. Ex graui De vsuris, excommunicantur ij qui statuta facere, scribere, vel dictare audent, continentia quod soluantur vsuræ, vel solutæ cùm repetuntur, non restituantur.

*Nu.*396. Sic autem extenditur hæc obligatio, vt locum habeat in casu, quo is qui vsuras soluit, iurasset se non repeturũ eas; vt ex Panormit. adfert Lælius Zecchi *in suo tractatu De vsuris cap. 4. num. 3.* Et ratio est: quia tunc quidem creditor debitum petere non potest, sed tamen alter tenetur restituere acceptum, tãquam alienum: vt argumento est quod is qui iurauit se vsuras soluturum, ita teneatur ad earum solutionem, vt possit eas repetere: ex cap. Cùm contingat De iureiurando. Extensionem etiam habet hæc obligatio tam quoad personas quàm quoad res. Quoad personas quidem, quia vsurarij hæredes in defectum ipsius tenentur restituere. Item si creditores mortem obierint, restitutio facienda est hæredibus ipsorum; síque non supersint hæredes, facienda est pauperibus, iuxta textum expressum in cap. Cùm tu, De vsuris. Quoad res verò, quia præter rem vsurariè acceptam, si fructifera sit, vsurarius tenetur restituere omnes fructus perceptos: immo & non perceptos suâ culpâ, & negligentiâ, quos verus dominus percepisset. Itémque resarcire damnum omne, ipsi vero domino inde emergens, aut lucrum cessans; ex communi doctrina de restitutione quam tradidimus in præced. num. 32.

De obligatione hæredum vsurarij.

*Nu.*397. CIrca obligationem autem hæredum vsurarij quatuor occurrunt monenda, quę Petrus à Nauar. persequitur in lib. 3. De restit. *cap. 2. num. 411. & aliquot sequentibus.*

Primum est, non esse dubium, quin si vsurarius defunctus non restituerit in vita acceptas vsuras, teneantur hæredes ipsius restituere pro viribus hæreditatis. Ita enim apertè decernitur in cap. Tua nos. & in cap. Michael De vsuris: immo ad talem restitutionem perinde cogendos esse in foro exterioti, siue sint filij, siue extranei hæredes, ac cogi poterat defunctus ipse, cùm viueret, habetur ex eod. cap. Tua nos. Et ratio est, quia ad hæredes generaliter transeunt obligationes soluendi debita defuncti; & compensandi damna quæ iniustè intulit; etiãsi nihil inde ad ipsos peruenerit; pro quo est textus in cap. finali De sepulturis, & in cap. In literis De raptoribus. Videri potest Couar. lib. 3. variar. resolut. cap. 3. nu. 7 Accedit quòd bona defuncti ita repræsentent ipsum, vt ex illis ante omnia detrahendum sit æs alienum: neque ipse aliter de illis disponere potuerit in tempus, subsequens suam mortem; in quo minimè futurus erat in statu acquirendi alia bona, quibus debita solueret.

Secundum est, quòd si hæredes succedant non solùm in bonis; sed etiam in crimine vsuratum; eorum vnumquemque teneri in solidum: quia, *vt patet ex traditis in præced. num. 113. & nonnullis sequentibus*: vnusquisque participantium in iniusta acceptione tenetur in totum; itaut cæteris deficientibus ipse integrum soluere debeat.

Tertium est, quòd si res per vsuram acquisita extet eadem numero, eam restituere oporteat, apud quemcũque sit: quia illius dominium apud priorem dominum perseuerat, nec translatum est in vsurarium. Eo verò apud quem talis res fuerit restituento, singuli cæterorum hæredum tenebuntur suas portiones illi refundere, *prout Sotus in lib. 6. De iust. & iure, qu. 1. art. 4. pag. 4. expressit.*

Quartum est. Eum qui in bonis quidem, non tamen in crimine, succedit vsurario; debiti tantùm partem pro parte acceptæ hæreditatis ei contingente (in qua sola repræsentat personam defuncti) nec teneri supplere, si alter cohæres partem suam non soluat ob impotentiam, vel alium causam. Ratio est, quia quilibet hæres, sicut in bonorum tantum partem, ita in debitorum quoque tantùm partem succedit: non autem in omnem obligationem, vt nec in omnia bona. Sicut enim æquitas ratióque postulat, vt qui sentit honorem & commodum totaliter, sentiat etiam onus & incommodum in totum: sic etiam iustitia exigit, vt qui bonum consequitur solùm ex parte, solùm etiam in parte obligationem sustineat. Hanc doctrinam Petrus à Nauar. tenet cum Medina in Cod. De restituendis rebus per vsuram acquisitis quæst. 4. in solut. quinti argumenti, & Soto loco cit. Sylu. Vsura 6. quæst. 10. & Caiet. in tomo 2. opusc. tract. 8. quæst. 5. Non obstat autem cap. Tua nos, De vsuris: quia ex eo tantùm habetur, quòd hæres teneatur restituere vsuras sicut defunctus si viueret; non autem quod si plures sint hæredes singuli teneantur in solidum; vt nec quod supra vires hæreditatis simul omnes teneantur; prout notatum est à Couar. in lib. 3. variar. resolut. cap. 3. num. 8.

Si quæras, An legatarij seu donatarij teneantur cũ hæredibus restituere. Respondetur negatiuè, cum Medina loco cit. Et ratio est, quia hæres non autem donatarius in locum defuncti substituitur, succedens in ius vniuersum ipsius, ex lege Hæreditas ff. De regulis iuris: & ideo in omne onus eiusdem. Quãquam rationabile est (quod attigit Lud. Molina De iust. & iure tract. 2. disput. 332. in fine) vt si bona hæredibus relicta titulo hæreditatis ad hoc non sufficiant, vt illi solutis debitis habeant suam legitimam, partémve iure ipso sibi debitam. Rationabile inquam est, legatarios, seu donatarios, quibus aliquid causa mortis donatũ est, debere seruata proportione sentire onus talium debitorum, quantum requiritur vt hæredes ipsi debitis defuncti solutis, obtineant illam suam legitimam, qua fraudari non potuerunt. De quo pro pleniore illius intelligentia, legi potest Syluester in verbo Legitima portio.

Porro cùm, *vt ante habitum est*, vsura quædam sit tantùm interior, & quædam exterior: hæcque rursus, quædam realis sit, & quædam mentalis: constat quidem, interiorem tantùm, non inducere, etiam exteriorem realem verò inducere antedictam obligationem: sed difficultas est de mentali, An inducat nécne: quam oportet consequenter tractare.

Notan

Notanda ad explicationem difficultatis, An vsura mentalis inducat obligationem ad restitutionem.

*Nu.*398. DE vsura mentali igitur difficultas est specialis, an inducat obligationem ad restitutionem: cuius explicatio continetur sequentium notandorum propositione. Primum est, mentalem vsuram contingere, quando nullum quidem interuenit pactum de lucro ex mutuo, ne quidem tacitum: is tamen qui mutuat id facit ea intentione, vt lucrum ex mutuo accipiat: quia nouit mutuatarium daturum illud, siue ob timorẽ, ne postea cùm egueris negetur ei mutuum, siue alia aliqua simili de causa. In quo (ob prauitatem scilicet intentionis iniustè habendi lucrum) peccatum vsuræ mentalis committi, tradunt Caiet. in tomo 2. opusc. tract. 8. quæst. 3. & in summula verbo Vsura cap. 4. & Sotus in lib. 6. De iust. & iure quæst. 1. art. 1. & Nauar. in comment. De vsuris nu. 12. Vbi rectè notat non distingui vsuram mentalem à reali perinde ac peccatum interioris cogitationis in aliis materiis, distinguitur communiter à peccato exterioris actus. In vtraque enim vsura, tam mentali scilicet, quàm reali, datur, & peccatum interioris cogitationis; & actus exterioris. Vt enim si quis voluntatem habeat quidem mutuandi propter lucrum, ac idem deducendi in pactum externum, sed nondum id mandet executioni, committit peccatum cogitationis vsuræ realis: síque tale quid mandet executioni, peccat peccato externo vsuræ realis: ita etiam, si quis habeat voluntatem dandi alicui mutuum ob lucrum, nullo inito pacto externo, sed eoquod scit illum soluturum esse lucrum, necdum talis volũtas prodeat in actum externum, committit peccatum cogitationis vsuræ mentalis: quando verò eadem voluntas in actum externum prodierit: vt exigendo vel accipiendo aliquid supra sortem, ratione mutui; committet peccatum externum vsuræ mentalis.

*Nu.*399. Secundum notandum. Non conuenire inter doctores quænam intentio & spes lucri faciat vsuram mentalem. Nam glosa & Innocentius ad cap. Consuluit, De vsuris, verbo Sperãtes, intentionẽ & spem lucri volunt tunc facere mentalem vsuram, cùm lucrum est principalis & primaria causa mutui; non autem cùm est minùs principalis, & tantùm secundaria. Id quod Angelus Syluest. & Tabiena in verbo Vsura primò sequitur, *non longè à principio*. Sentiúntque lucrum tunc esse principalem causam mutui, quando eo non existente non daretur mutuum: minus principalem verò causam tunc esse, cùm mutuum daretur nihilominus. Sed neque sententia, neque interpretatio ipsorum est tenenda. Sententiam enim Sotus *in sequen. art. 2. non longè ab initio*, propterea meritò reiicit, quòd vsuræ ratio (vt & ratio furti vel homicidij) sumatur ex obiecto: non autem ex eo quod intentio sit principalis vel accessoria. Quare sicut furtum est reuera, si rem alienam domino inuito accipias: siue ea principaliter, siue secundariò accipiatur animo habendi alienum: & reuera homicidium est, si aliquem siue principaliter siue secundariò percutias, animo vitam ei adimendi: sic etiam vsura est si lucrum ex mutuo intendas, siue principaliter, siue secundariò. Quod autem Sotus in hoc à Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 209. reprehenditur; immerito id fit, vt rectè ostendit Petrus à Nauar. lib. 3. De restit. *cap. 2. num. 200. & 201.* quia quod intrinsecè malum est (*vt lucrum ex mutuo vi mutui*) nec principaliter nec minus principaliter intendi potest.

Interpretationem autem propositam causæ principalis, idem Petrus à Nauar. in præced. num. 192. ex eo reiicit; quòd si causa sine qua non, esse nequeat minus principalis: Clericus qui non diceret horas Canonicas vel Missam, nisi aliquod stipendium acciperet: eo ipso censendus esset principali intentione ob pecuniam accipiendam, Horas vel Missam dicere: & ita simoniam mentalem committere. Id autem falsum est: quia Ecclesia alioqui nunquam tales largitiones induxisset, vt Clericos impelleret ad diuini officij, & Missæ celebrationem: ne præberet illis ansam peccãndi. Itaque, *vt in cit. num. 209. Nauarrus notat*, non sufficit ad finem principalem alicuius actus, quòd is sine tali fine non fieret: sed adhuc requiritur vt idem finis pluris aut tanti æstimetur, quàm finis alius, ob quẽ adhuc is ipse actus fit: atque ita pecunia quam Sacerdos accipit pro recitatione Horarum vel Missæ, non est finis principalis eiusdem recitationis, quandoquidem non æstimatur tanti à recitante, quanti honor Dei.

Medina verò in Cod. De restitu. rebus per vsuram acquisitis quæst. 1. versu Tertiò inquirendum est: vult vsuram mentalem esse, cùm spes lucri fuerit causa finalis mutui, siue principalis, siue secundaria: non autem cùm tantùm fuerit causa motiua. Quæ sententia quamuis acuta sit & docta, vt aduertit Petrus à Nauar. *in cit. cap. 2. num. 196.* in executione tamen, est periculosa: quia valde difficile est eum qui ad mutuandum mouetur ex lucro, non etiam intendere lucrum. Adde quòd cùm lucrum ex mutuo vi mutui, sit intrinsecè malum, nullo modo ipsum sectari licere, sicut nec furtum vel homicidium.

Conradus autem *de contractibus quæst. 29. concl. 2.* existimat vsuram mentalem esse quando beneuolentia ex mutuo sic intenditur, vt ex ea conciliata atque intermedia, lucrum expectetur. Quæ sententia videtur nimis rigida. Et refutatur; quia quamuis vsurariũ sit occasione, seu vi mutui lucrum immediatè intendere: tamen ex amicitia tanquam eius causã intendere immediatè, nullam habet vsuræ rationem, ne quidem mentalis. Nam sicut non posset dici mens furandi ea, quã quis intenderet aliquid ab amico dandum voluntariè, *quandoquidẽ non esset intentio vsurpandi sibi illud inuito domino*: ita etiam cùm quis non cupit lucrum tanquam pretium exactum vi mutui; sed solùm tanquam donũ profectum ex grata voluntate amici, non censetur vsura mentalis, cùm non sit iniustitia: quandoquidem ex eo animo nequit proximus rationabiliter dici læsus. Adde quòd non interueniente mutuo, possit quis licitè accipere oblatum liberaliter: neque is debeat per mutuum peioris conditionis fieri, sed potius melioris.

Superest igitur, vt cum Soto loco cit. & Caiet. 2. 2. *Nu.*400. quæst. 78. art. 1. ad 4. & in verbo Vsura cap. 4. & in tomo 2. opusc. tract. 8. quæst. 2. & aliis quos refert & sequitur Petrus à Nau. in memorato cap. 2. num. 199. & 200. teneamus (sicut tenet Ludouicus Molina De iust. & iure tract. 2. disput. 305.) quòd ad iudicandum de vsura mentali videre oporteat an lucrum aliquo modo intendatur ex mutuo: atque statuendum eam contingere eo ipso, quòd tale lucrum intenditur: siue principaliter, siue minus principaliter & secundariò; ac siue mediatè siue immediatè intendatur. Non contingere autem si tantùm intendatur beneuolentia mutuatarij, etiamsi ex ea conciliata aliquid temporalis commodi expectetur ac intendatur. Id quod patet satis ex antedictis. Et adhuc confirmatur: quia ratio vsuræ consistit in eo quod sit lucrum ex mutuo id est lucrum acceptum in recompensam, & pretium mutui. Inde enim inferre licet vsuram mentalem esse, quotiescumque eiusmodi lucrum quis intende-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rit,etiamsi minus principaliter tantùm, & mediatè: quandoquidem id quoque est reuera intendere.Non esse verò vsuram mentalem quando ex mutuo intenditur tantùm beneuolentia mutuatarij,etiamsi ex beneuolentia conciliata lucrum intenditur: quia nó intenditur eo ipso ex mutuo: sed ex beneuolentia, ex qua quod donatur liberalis doni rationem habet; non autem pretij extorti: quod ad rationem vsuræ requiritur iuxta dicta in præced.sectione.

Nu.401. Sequitur autem hinc primò, quòd si quis Episcopo timoratæ conscientiæ initio det intentione acquirendi beneuolentiam ipsius, nullam committere vsuram, etiamsi per viam gratitudinis inde expectet ab ipso beneficium Ecclesiasticum cuius est dignus: quod notat Sotus *lib.6. De iust. & iure quæst.1. artic.2. pag.* 2. idémque iudicium est in aliis similibus prout notauit Nauar. in comment. De vsuris num. 22. Inquiens non esse peccatum expectare lucrum aliquod ex mutuo mediante amicitia & gratitudine: seu tanquam quid gratuitum ex libera dantis voluntate proueniens.

Sequitur secundò,quod idem Nauar. tangit in sequen. num.23. & expresse docet Couar.in lib. 1. variarum resolut.cap.20.num.4. etiamsi quis non mutuaret nisi lucrum speraret (dummodo tamen ex beneuolentia & gratitudine tantùm illud expectet) ipsum non esse propterea condemnandum de mentali vsura: quia per id intentio ipsius non fertur in lucrum ex mutuo ratione mutui, *quod ad vsuram requiritur*, sed ex mutuo ratione amicitiæ, cuius causa liberaliter,& ex obligatione tantùm honestatis aliquid datur.

Sequitur tertiò, non esse vsuram mentalem cùm quis non vult mutuare alicui, quem putat ingratum esse:& libenter mutuat ei quem gratum videt. Hoc tradunt Caiet.in verbo Vsura cap. 4. versu Aduerte, & Fumus eodem verbo, nu. 36. Rationem addentes, quòd id non fiat spe lucri ratione mutui;sed ex naturali inclinatione, qua malumus beneficia conferre bene meritis,quàm aliis.

Sequitur quartò, etiamsi is qui mutuum dedit,excitet mutuatarium ad remunerandum beneficium mutuationis ab ipso acceptum; dicendo videlicet æquum esse vt illius non immemorem se ostendat, vel aliud simile, vnde mutuatarius excitetur ad aliquid supra sortem rependendum: ipséque mutuans accipiat illud, non inquinabitur propterea mentali vsurâ: dummodo reuera intenderit ea ratione ex liberalitate solummodo & gratitudine mutuatarij lucrum habere: & verosimiliter credat eumdem mutuatarium tali modo excitatum, non nisi ex liberalitate donare.Id quod à Caietan. traditum 2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 4. in speculatione quidem verum est:in praxi tamen est periculosum propter varias circumstantias, ex quibus ipsum potest esse inuoluntarium: de qua re Confessarius debet sollicitus esse: neque simpliciter credere dicenti, liberaliter donatum sibi esse: quia ob habendi cupiditatem facilè mentitur iniquitas sibi.

Tertium notandum, est quod habent Caietan. in verbo Vsura cap.4.& Sotus lib.6. De iust. & iure qu. 1. art.4. pag. antepenult. & Armilla in verbo Vsura nu. 35. quatuor modis posse contingere vt mutuator aliquid vltra sortem accipiat à mutuatario.

Nu.402. Primus est,quando mutuator nihil prætendit ex mutuo, & mutuatarius aliquid ei ex liberalitate donat: túnc que, nec vsuræ peccatum contingit, nec obligatio ad restitutionem; vt satis ostendunt rationes allatæ contra sententiam Conradi.

Secundus modus est,quando & mutuator prætendit lucrum ex mutuo, & mutuatarius illud dat, non ex liberalitate & gratis,sed vt pretium & compensationem mutui:vt cùm dat,quia inter eos ita fuit prius conuentum; vel quia ex signis & nutibus mutuatoris, nouit ipsum velle lucrum ex mutuo;vel quia timet ne ei vt ingrato, postea cùm egerit denegetur mutuum; vel datum statim repetatur cum suo incommodo: túncque omnium confessione, *vt notat Petrus à Nauar.in cit.cap.2.num.211.* constat mutuatorem committere vsuram,& ad restitutionem teneri: quia quantumuis suam mentem auaram celet: dum tamen scit aliquid sibi dari ratione mutui, planè scit non dari liberaliter, sed in pretium eius,quod non est pretio dignum, ideoque se rem alienam habere inuito domino.

Tertius modus est,quando mutuans non intendit lucrum ex mutuo nec mutuatarius donat illud ex liberalitate: quo casu mutuans non peccat accipiédo, etiam animo retinendi, cùm id faciat bona fide; vtpote credens donari sibi ex liberalitate: nec item retinendo, quamdiu talis bona fides durat. Postquam autem ei de animo illo mutuatarij constiterit, tenebitur id restituere,quod ex re accepta ad huc extabit, & in quo ipse factus est locupletior;prout locis cit. Caiet.Sotus & Armilla notant: & omnes in eo conuenire habet Petrus à Nauar. *in eodem cap.2.num.215.* Patétque ex communi doctrina de obligatione ad restitutionem ratione rei iniustè acceptæ antea proposita in num. 24. & aliquot sequentibus. Idem in commen.De vsuris num. 24.ex D.Anton. Syluest. & Caiet.habet etiam Nauarrus. Addens(quod ipse adhuc notat in Enchir. cap. 17. num. 209. & post eum Petrus à Nauar.in seq.num.230.) voluntatem prædictam liberaliter donandi in mutuatario, quæ ex natura rei nequit cognosci:coniiciendam esse ex qualitate rei datæ,ex signis amicitiæ,ex dantis paupertate vel copia,ex iactura vel lucro eiusdem in vsu rei mutuo acceptæ, & demum ex eo quod virtus gratitudinis exposcit.Immo,*vt ibidem vult Petr. à Nauarra*, ad scrupulos vitandos potest ad hoc sufficere,vt mutuans existimet liberaliter & causa gratitudinis sibi datum esse illud, quod vltra sortem accepit à mutuatario,si nulla ipse dederit signa voluntatis habendi lucrum:sed placidè omnino, promptè, ac libenter dederit mutuo: neque in mutuatario tristis vultus in dando;vel alicuius metus,aut coactionis signa appareant,quantumcumque ignoretur animus ipsius:nisi conscientia dictaret non dari liberaliter:quia etiamsi ea esset erronea,non liceret contrauenire ei (multo minus si esset dubia ob aliquas rationes probabiles in contrarium) antequam deponeretur iuxta communem doctrinam tradendam suo loco in sequenti libro decimotertio.

Quartus denique modus, quo contingit aliquid accipi vltra sortem, est quando mutuans prætendit lucrum ex mutuo, & mutuatarius liberè dat. *Nu.403.*

Postremũ ac præcipuũ notandum, est in hoc ipso quarto maximè modo consistere difficultatem nobis ad explicandum propositam.De qua sunt sententiæ oppositæ: pro quarum vtrâque plures authores citantur à Couar.ad regulam Peccatum 2.par.in initio num.4.& post ipsum à Petro Nauar. lib.3. De restit.cap.2.pro affirmante quidem,qua asseritur in tali casu mutuantem teneri ad restitutionem, nu.209. pro negante verò, qua idem à restitutione excusatur nu.221.Vterque autem posteriorẽ hanc partem amplectitur,vt & cæteri recentiores communiter. Neque immeritò,quia quantumcumque intentio sit lædendi aut damnificandi,si nulla sit exterior læsio,aut damnificatio, nulla est obligatio restituendi. At in proposito casu,nulla exterior læsio,aut damnificatio infertur à mutuatore: cùm animus lædendi non sit læsio efficax:neque mutuatarius ex eo quod mutuator malum animum habuerit, conqueri possit de illius acceptione,cùm ipse ei gratis dederit placidè, & voluntariè, nulla necessitate impulsus, nullo metu coactus,aut fraude deceptus.Vnde cùm taliter donatum, fiat donatarij: is sanè ad accepti restitutionem non tenetur ob prauum quem habuit animum accipiendi illud in pretium:vt neque is qui pallium Petri accipit animo illud furandi, tenetur restituere, si comperiat suum esse, aut Petrum liberaliter illud ei donare.

Accedit quod in cap. fin. De simonia, decernatur non esse restituenda accepta per simoniam,si pactum exterius absit. Cuius resolutionis ratio melior reddi non potest,quàm cùm dans tunc pecuniam,voluntariè eam det; non fiat illi iniuria eamdem retinendo. Quod verò Medina dixit eam resolutionem esse tantùm pro foro exteriori:vt in eo non compellatur restituere:is qui aliquid accepit per vsuram mentalem: Petr.à Nauar.in eod.cap.2.num.219.rectè reiicit,per illud quod ibidem dicitur. In eo casu sufficere delinquentibus,suo creatori per pœnitentiam satisfacere. Ea enim verba satis indicant Pontificem loqui de restitutione quoad forũ pœnitentiæ:indicando quoad illud, simoniam mentalem non inducere obligationem ad restitutionẽ faciendam proximo, qui liberaliter dedit:sed tantùm Deo per pœnitentiam.

Nu.404. Pro parte autem contraria affirmante, videtur facere illud quod in cap.Consuluit, De vsuris decernitur,eum malè agere,& ad accepta restituenda efficaciter inducendum esse qui licet omni conuentione cessante:eo proposito mutuam pecuniam dedit, vt plus forte recipiat,aliàs non daturus mutuo. Sed vt post Syluestrum & Couar. aduertit idem Petrus à Nauar.*in seq.num.223.*non constat sermonem ibi esse de eo qui praua intentione accepit, cùm esset liberaliter oblatum:immo præsumi meritò contrariũ:cùm expresse de eo loquatur qui non mutuasset nisi lucrum accepturus esset. Vnde vix fieri potuit quin taciturn illam suam intentionem insinuarit mutuatario,ita vt hic meritò præsumatur, causâ mutui potius,& inuitè quàm gratis & liberaliter donasse:proindéque Pontifex in foro conscientiæ statuit, talem inducendum esse ad restitutionem sic accepti.

Facere etiam videtur pro eadem parte hæc ratio: quòd quando aliquid bene datur, & malè accipitur, ipsum sit restitutioni obnoxium:vt patet de eo quod Iudex accipit vt iustam sententiam proferat, quod gratis facere tenetur.Sed facile est respondere, acceptionem, siue licita sit siue illicita; vt obligationem ad restitutionem inducat,debere includere iniuriam proximo illatam contra iustitiam commutatiuam, prout accidit in proposito exemplo de Iudice, qui pretium accipit pro eo quod tenetur gratis facere. Non autem in casu præsentis difficultatis, in quo gratis ac liberaliter datur illud quod accipitur,& per consequens absque dantis iniuria iuxta tritam regulam iuris,Volenti non fit iniuria. Et cõfirmatur à simili quia ex communi sententia, quod meretrix turpiter acquirit per corporis sui prostitutionem, non est restitutioni obnoxium, quando liberaliter datur ab eo qui donare potuit prout habitum est in præcedenti numero 191.Nonnulla alia quæ adhuc videntur facere;facilè soluuntur, vt videre est apud Lud. Molinam,De iustitia & iure tractat. 2. disputat. 306.

***

De iis ad quos tanquam vsurarij cooperatores in vsura exercenda proposita obligatio extenditur.

Sectio III.

Nu.405. De vsuriariorũ cooperatoribus in vsura exercenda,generalis regula est tenẽda. Quòd quicumque vere est causa, vt quis per vsuras alterum lædat, non modo peccet mortaliter verumetiam tanquam cooperator vsurarij:teneatur ad restitutionem in integrum, vsurario ipso non volente vel non valente eam facere.Pro quo facit communis doctrina,tradita in præced.cap.decimo. Et cõfirmatur per illud,quòd dans damni causam, damnum quoque ipsum dare videatur,ex cap.finali De iniuriis,& damno dato.Intelligitur autem ex ea regula; illos omnes qui efficaciter siue consulendo, siue procurando, siue scribendo,siue aliquid aliud eiusmodi faciendo;cooperantur ad exactionem vel retentionem vsurarum, teneri ad earum restitutionem in solidum, seu totalem: quia tales agendo rem vsurarij, causa sunt efficax vt ipse per vsuras lædat alterum. Secus esse verò de illis qui consulendo aut procurando, aut aliud agendo cooperantur ad mutuationem vsurariam de consensu expresso vel tacito mutuatarij in ipsius bonum:nimirum vt succurratur ipsius necessitati, vel ne mutuum illi denegetur postea, cùm egerit. Nam hoc non est lædere proximum, & cooperari iniustitiæ vsurarij,sed mutuatario indigenti consulere & cooperari in subleuanda ipsius necessitate: cui proinde nihil ille tenetur restituere, etiamsi ei fuerit author soluendi vsuras,& vsurario dandi ad vsuram. Quantumuis in hoc peccare eodem modo potuerit, quo potest mutuatarius ipse, *vt non paratum incitando dare ad vsuram*, tanquam is qui cooperatur peccato alieno. Atque hæc quidem certa sunt: sed quænam personarum genera sint quæ censeantur ad exactionem & retentionem vsurarum ita cooperari, vt obligentur ad earum restitutionem,vsurario non restituente dubitationem habet.

Nu.406. Dubitatur ergo primò de consulente,iubente,vel suadente vt mutuet quis sub vsuris, an teneatur ad restitutionem in solidum, vsurario non restituente, quantumcumque nihil accipiat de lucro vsurario. Pro explicatione autem videtur hac distinctione vtendum:quòd si consulas,aut suadeas, vt quis contractum vsurariũ celebret, vel vt mutuet sub vsuris, tunc obligeris ad restitutionem in solidũ: quia consilium tuum verè est causa damni. Quæ doctrina est Soti lib.6.De iust.& iure quæst.1.art.4. sub finem & Nauar.in Enchir.cap.17.num.265. Si verò consilium tuum solum sit post contractum vsurarium,sic vt nihil ad vsuras acquirendas contuleris,nullam contrahas obligationem restituendi, quia ante idipsum consilium tuum, iam existebat tota efficax causa damni. Neque refert quod fortè potueris impedire receptionem vsuræ:quia *ex hypothesi* ad id non teneberis ex officio;sed solùm ex charitate.Quod si consilium ipsum tuũ effecerit aliquid per quod vsurę acquirerẽtur,teneris ad restitutionẽ,tanquam cooperator.Idem iudicium est de Confessario, aut quocumque alio qui sine interrogatus siue non interrogatus, verbis suis est in causa vt vsurarius non restituat.

Nu.407. Dubitatur secundò, de deponente pecunias suas apud eum, quem nouit esse fœneratorem. Ad quod dubium D.Thomas 2.2.quæst.78.art.4.ad 3. respondet,illum ad nihil teneri,si fœnerator alias pecunias habuit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

habuit,quas mutuo dare potuit ; quia nullam tunc dedit occasionem fœnerandi. Teneri verò si fœnerator nullas alias habebat:quia, *inquit Sotus lib.6.de iust. & iure quæst.*1.*art.*5.*in fine*, perinde tunc est,ac si propositum tuum esset , pecuniam tuam fœnori dare: quod est iniquum propositum. Non videtur tamen hoc habere locum,si quis ob necessitatem vel vtilitatem aliquam suam, pecunias suas apud vsurarium deponeret:quia vteretur iure,quod habet deponendi apud ipsum,sicut habet petendi ab ipso mutuum, quantumuis sciat non nisi sub vsura daturum:de quo in sequen. libr. 23. cùm de vsura. Quòd verò vsurarius inde accipiat fœnerandi occasionem,prouenit ex malitia ipsius,non ex depositi liciti,aut mutui cõtractu , qui cum ipso initur. Attamen potest in ea re peccatum committi contra charitatem, non habendo rationem infirmitatis proximi , quantum eadem charitas exigit: perinde ac si luxurioso traderetur puella custodienda:aut guloso committerẽtur epulæ seruandæ. Atque hoc,quod de deponẽte dicitur, pari ratione dici potest de alio dante suas pecunias fœneratori , ex aliquo licito contractu celebrato cum ipso.

*Nu.*408. Dubitatur tertiò, quid dicendum sit de dominis temporalibus, Iudicibus, Aduocatis & quibuscumque aliis,qui statuto,præcepto,sententia,patrocinio, aut quouis alio modo iuuant vsurarios in exigendis vsuris à mutuatariis , aut in his ad solutionem illarum impellendis. Respondendum est verò,tales non tantùm mortaliter peccare;sed etiam vnumquemque eorum in solidum teneri ad restitutionem vsurarum, ad quarum receptionem cooperati sunt,& concausę fuerunt:nisi restituerint ij ad quos illę peruenerunt. Iudices præterea & domini temporales , quibus ex officio incumbit ius dicere, tenentur ad restitutionẽ vsurarum quas mutuatarij soluerunt si coram ipsis repetantur,nec iubeant eas restitui. Idem pari ratione tenendum est de quocumque impediente earum restitutionem.Quæ doctrina est Sylu.Vsura 7.quæst. 10. Angel. Restit.1.verbo Vsurarius §. 8. Nauarr. in Enchir. cap.17.num.275.& Soti lib.6.de iust. & iure quæ.1.art 4.versùs finem. Ratióque est, quia hi omnes causa sunt iniustitiæ , & damni quod mutuatarius patitur.

Adde per Clemen.vnicam de vsuris (quod præter glosam ibid. tractant D.Anton.3.part.tit.24.cap. 19. & in verbo Excommunicatio Caiet. cap.51.Angel.in 7.casu 43.Sylu. in 9. casu 82. dicto 45. Tabiena in 5. casu 50.Nauarr.in Enchir.cap.27.num. 45. versu 42. Suarez ad 3.part. D.Tho.tomo 5.disput.23.nu. 28.& sequenti)excõmunicationis sententiam incurrere cõmunitatum Potentes,Capitaneos , Rectores , Consules , Iudices,Consiliarios & alios quosuis Officiales,qui condiderint,scripserint , vel dictarint statuta quibus vsuræ permittantur exigi , & compellantur solui,aut prohibeantur repeti iam solutæ. Incurrere etiam eos,qui scienter & liberè iudicare præsumpserint,vt vsuræ soluantur. Item eos qui prædicta statuta auferre potuerint, si non fuerint sublata intra tres menses. Item eos qui talia statuta, vel similem consuetudinem seruauerint.

Vbi aduerte quoad statuentes , illos in hanc sententiam incurrere, qui suis suffragiis , alióve modo peccando mortaliter, concurrunt ad eiusmodi statuta. Quoad Iudicantes verò (quia tale iudicium in cit.Clemen. per se prohibetur) ipsos incurrere in eãdem censuram,etiamsi non ex prædicto statuto , sed ex abusu aut violentia iudicent. Quoad non auferentes autem eadem statuta, ipsos non excusari ex eo quod illa non fecerint:sicut nec à restitutione rem habens alienam ex eo excusatur,quòd non ipse , sed alius illam surripuerit. Quoad seruantes denique talia statuta & consuetudines eos esse officiales publicos, quorum primo loco mentio est in eadem Clemen. Circa eos enim continuari sermonem, indicãt verba illa *eamdem etiam sententiam incursuri* ; adeout plebeij seruantes , non incurrant talem censuram, quantumuis peccent.

Aduerte etiam, neque esse eidem censuræ obnoxios statuentes ne Iudæi,vel alij vsurarij certam vsuram (magnam scilicet) exigant: quia aliud est statuere ne magnæ vsuræ exigantur,aliud vt exigantur vsuræ. Nec item eos qui impunè permittunt vsurarios;seu qui eos non puniunt. Nam pœnæ non sunt interpretatione extẽdendę;& in dicta Clemẽtina excommunicatio non imponitur absolutè permittentibus vsuras , sed permittentibus per statuta. Et confirmatur ex eo quod Papa in terris Ecclesiæ , Iudæos vsurarios toleret,nec puniat.

Dubitatur quartò , Quid dicendum sit de Tabel- *Nu.*409.
lione & Notario conficiente instrumentum contractus vsurarij.Ad quoddubium,cum Angelo Restitut. 1. verbo Vsurarius num.6.Sylu.Vsura 7.quæst.7.Rosel.Restitut.6.num.4.Nauarr.in Enchir.cap.17.num. 275. Soto in lib. 6. de iustitia & iure quæst. 1. art.4. in fine,Petro à Nauarr. in lib. 3. De restitutione cap. 2.num.430.& aliquot sequentib.respondetur distinctione.Nam si instrumentum ita conficiatur,vt apertè in eo exprimatur vsura , Notarius in illius confectione peccat quidem , non incurrit tamen obligationem ad restitutionem. Ratio est, quia vi talis instrumenti,mutuatarius non potest in iudicio cogi ad soluendum vsuras:nisi fortè ibi consuetudo , aut lex esset vt vsuræ soluantur:quo casu cum peccato coniuncta esset dicta obligatio. Si verò instrumentum esset fictum,vt cùm dicitur, quòd Caius centum acceperit à Titio , cùm tantùm acceperit 95. (quia mutuatarius tunc cogitur soluere cùm non appareat vsura,tenetur restituere in solidum ea , quæ virtute talis instrumenti soluta iniustè fuerint à mutuatario; quantumuis ipse consenserit confectioni eiusdem instrumenti.

Addunt verò Sylu. Angelus & Nauarr.locis citat. *Nu.*410.
Notarium si ad petitionem mutuatarij , & tanquam partes illius agens , instrumentum conficiat,peccare quidem mortaliter , non teneri tamen ad restitutionem. Atque peccare mortaliter patet:tum quia facit contra iuramentum , quando creatus est notarius præstitum de non faciendo tali instrumento : tum quia tale instrumentum est testificatio veritatis:non cuiuscumque,sed talis , cuius vi postea exigitur & soluitur vsura. Vnde sicut vsurarius peccat non tantùm celebrando contractum vsurarium , sed etiam petendo vel accipiendo postea vsuras:ita etiam peccat is qui illi suppeditat instrumentum,cuius vi eadem petit & accipit:vt facere censetur Notarius cõficiens instrumentum in gratiam quidem mutuatarij,déque consensu ipsius : sed sic , vt vsurario faciat potestatem,quâ eiusdem instrumenti vi, possit etiam in iudicio vsuras petere : quod est præbere tali petitioni (quæ est peccatum mortale) auxilium. Secus esset verò si tale instrumentum nullam aliam vim haberet quàm excitandi mutuatarium ad soluendas vsuras promissas,quia excitatio eiusmodi non est de se peccatum:vt nec est vsuras soluere.

Quod autem in dicto casu non sit obligatio ad restitutionem patet : quia Notarius tunc agit tantùm partes mutuatarij:vnde sicut hic non committit iniustitiam petendo ad vsuram; ita nec ille *agens partes ipsius*, conficiendo instrumentum quo vsurarius reddatur securior; committit vllam iniustitiam in ordine ad ipsum mutuatarium. Ergo nihil tenetur restituere

tuere eidem tanquam per ipsum læso contra iustitiam.

Atque istud quod de Notario dicitur pari ratione dicendum est de testibus ex Angelo nu.7.Sylu.quæst. 9. Nauarr. num.177.locis citatis. Nempe cùm prædictum instrumentum absque testimonio non valeat:testes exhibendo se præsentes ad testimonium ferendum,& peccare & restitutioni obnoxios perinde fieri,ac Notarium , à quo idipsum instrumentum confectum est , adeout cùm Notarius ad restitutionem tenetur, vel ab ea liberatur, similiter teneantur vel liberi sint testes ipsi. Quod intellige ; si quidem scienter conuenerint ad conficiendum contractum vsurarium.Nam si bona fide conuenerint,inuincibiliter,aut probabiliter contractũ vsurarium esse ignorantes,prout sæpe contingit (secus si dubitarent, nec cum probabili ratione deponerent dubium vt rectè loco citato admonet Nauarrus) tunc ad nullam restitutionem tenebuntur.Non quidem ratione rei acceptæ:quia supponimus nihil ad eos ex vsura peruenisse:quod-si peruenerit,dubium non est teneri illud restituere : nec ratione iniustæ acceptionis,cùm non peccauerint tali concursu ob ignorantiam inuincibilem. Idem porro quod dicitur de testibus , dici potest de aliis personis subscribentibus contractui vsurario:cùm is ex illorum subscriptione habeat robur ad extorquendam vsurariam solutionem.

*Nu.*411. Dubitatur quintò. Quid sentiendum sit de negotiorum gestoribus,quos factores vocant , de tutoribus & curatoribus, & in vniuersum de iis qui aliorum nomine dant mutuo sub vsuris,eásque exigunt, Responsio est teneri ad restitutionem etiam in integrum,nisi ij quorum negotia gerunt,& ad quos vsuræ peruenerunt, illas restituant. Ita locis cit. Sylvest. quæst.4.Nauarr.num. 267. ac Sotus in ante memorato art.4. sub finem. Cæterùm ij quorum negotia geruntur,tenentur in integrum & principaliter vsuras restituere,cùm de ipsorum consensu eæ exercentur:aliàs tenentur tantùm restituere, quod conuertsum fuerit in ipsorum commodum.

*Nu.*412. Dubitatur sextò. Quid dicendum sit de famulis qui non cooperantur in contractu vsurario celebrando,sed solùm seruiunt post contractum factum: nempe quod mutuo datum est scribendo in libris: aut pignora vel vsuras recipiendo , vel illas petendo à mutuatariis , vel gestando, seruando,numerando, dando vel accipiendo mutuatam pecuniam. De qua dubitatione duæ sunt sententiæ : altera Soti & Sylu. locis cit.tales non teneri ad restitutionem;altera verò contraria Nauarri in citato num. 267. & Medinæ in Cod. De acquisitis per vsuram,quæst. 4. non procul à fine.

Videtur autem distinguendum cum Petro à Nauarr. *lib.3.de restit.cap.2. num.* 427. vt si famulus aut pecuniæ petitor vel collector,aliquo pacto, siue importunis verbis,& coactionibus, siue minis permoueat,aut cogat mutuatarium soluere vsuras, tenenda sit hæc posterior sententia:quia illa vexatio ad quam vexans non habet authoritatem , *cum nec dominus ipsius habeat* , est iniusta:vt & illa Iudicis , ad idem compellentis:propter quam is , *vt suprà diximus* , tenetur ad restitutionem in solidum.Si verò nullo modo compellat mutuatarium, sed tantummodo solutionem à iam determinato petat,& accipiat : neque domini ad vsuram dantis, mandatum exequatur in alio, quàm recipiendo pignus , aut tradendo pecuniam mutuam nomine ipsius; prior sententia est sequenda:quia talis nullatenus cooperatur ad iniustam exactionem , aut ad contractum vsurarium:cũ pretium exigendum , iam taxatum esset, ac de eo iam conuentum:itaut mutuatarius non possit rationabiliter de eo conqueri,tanquam de eo à quo sit iniustè læsus : præsertim cùm sciat ipsum non facere tale quid sponte,sed domini iussu:neque emolumentum inde ipsi prouenire:quod potest sufficiens motiuum esse ad condonandum nec cogendum ipsum ad restitutionem.

Dubitatur septimò.Quid dicendum sit de proxe- *Nu.*413.
netis, id est,iis quorum beneficio &interuentu inter vsurarium,& mutuatarium initur contractus mutui. Ad quod *iuxta antedicta* respondendum est : quòd-si tales agant mutuatariorum partes quærendo eis mutuum sub vsuris,non peccent nec teneantur ad restitutionem. Peccent autem & teneantur ad restitutionem,si agant partes vsurarij. Ratio manifesta est: quia in hoc posteriore casu,sua interuentione reuera cooperantur ad effectum iniustum:non item in priore:in quo mutuatarius de ipso, vt eo à quo læsus sit, conqueri non potest rationabiliter , vt de se patet. Ita tenent locis cit. Sotus & Nauarrus.

Porro quæ circa cooperatores in vniuersum idem *Nu.*414.
Sotus ibidem notat de supradicta obligatione ipsorum ad restitutionem , intelligenda esse nisi vsurarius restituerit,habetur ex communi doctrina de restitutione,secundum quam principali debitore restituente,cæteri ab obligatione restituendi liberantur. Monet etiam, quando nihil vsurarum ad ipsos peruenerit, debere pro sua virili operam dare vt vsurarij restituant : siquenihil profecerint , conueniant creditores à quibus obnixè debitorum , vel partis ipsorum remissionem precentur eo nomine , quòd nihil earumdem vsurarum ad ipsos peruenerit ; & vsurarij teneantur principaliter eis satisfacere in integrum. Ad quod monitum addiderim : si quoad aliquem ipsorum verosimiliter credatur , quòd mutuatarius nolit sibi restitutionem ab eo fieri,credi posse pariter,talem non esse restitutioni obnoxium:vt nec est is qui rem alienam surripuit , quam à domino sibi condonari probabiliter existimat. Adhuc notat,& bene,idem Sotus : eum ex cooperatoribus qui per ignorantiam excusatur à peccato, excusari quoque à restitutione. Cùm enim obligatio ad restitutionem vsurarum,exurgat vel ex iniusta acceptione,vel ex re accepta;neque is quem ignorantia penitus excusat à culpa , obligetur ratione acceptionis iniustæ , nec item ratione rei acceptæ, *supposito quòd nihil vsurarum apud se retineat* : sanè is qui vsurario per ignorantiam cooperans, excusatur omnino à peccato , obnoxius non est restitutioni vsurarum ab illo acceptarum.

De accipientibus aliquid ab habentibus acquisita per vsuram.

SECTIO IV.

DE his mouentur aliquot difficultates, quibus præmittenda est explicatio nonullorum dubiorum de acquisitis per vsuram.

Dubia de acquisitis per vsuram.

DVbitatur ergo primò, An vsurarius habeat do- *Nu.*415.
minium rei per vsuram acquisitæ. De hoc in vtramque partem plures authores citãt Sotus in lib. 6.de iustitia & iure quæst.1.art.4.Couar.in lib.3.var. resolut.cap.3.nu.6.Lud.Molina de iust. & iure tract. 2.disput.326.Gregor.à Valen.2.2. disput. 5. quæst. 2. puncto

Universidad de Deusto
Biblioteca

puncto 1. Petrus Aragonius 2.2. quæst. 78. art. 3. & Petrus à Nauarr.lib.3.de restit.cap. 2. num. 388. qui partem negantem amplectuntur:nec immeritò,quia nullo iure fit talis translatio dominij : cùm ius tam naturale quàm diuinum,& humanum, prohibitione vsuræ ei resistat;obligationémque imponat sine mora restituendi acceptum,neque patiatur illud retineri, sicut nec illud quod latro ab inuito extorsit:nã æquiparatur in furti, & iniustitiæ ratione ei iuxta cap. Si quis vsuram 14.quæst.4. in quo accipiens vsuram dicitur rapinam facere. Et meritò quia domino rationabiliter inuito, ac sine iusto aliquo titulo acceptum est & retentum;prout inductione probat Angelus vsura 2.num.18. Accedit,quod cùm mutuatarius , *vt supponimus* , non intendat per solutionem vsurarum gratis donare:non sit censendus plus iuris vsurario dare in eo quod soluit,quàm ei debeatur ratione mutuationis. At ea ratione nihil debetur ei, præter sortem. Ergo ex intētione soluentis nihil acquirit , neque in eum transfertur vsurarum dominium:sed tantùm fit externa traditio, de qua fuit data fides ad impetrandum mutuum ab eo , qui non erat alioqui daturus. Nec refert quòd talis traditio fuerit voluntaria;quia ex voluntate tradendi,non sequitur necessariò voluntas transferendi dominium, vt patet ex tradente pecuniam,aut aliam rem latroni,ad redimendam suam vexationem.

Non est tamen negandum,quin vsurarius per accidens acquirat aliquando dominium pecuniæ vsurariè acquisitæ;vt quando eam cum alia sua ita miscuit vt discerni nequeat argumẽto textus in §.Quod si frumentum,Institutis , de rerum diuisione; & aliarum legum quas adfert Petrus à Nauarr. *lib. 4. de restit.cap. 1.num.8.vbi & plures authores in hanc sententiam refert.* Ratio verò est,quia facta mixtione , non est maior ratio vnius partis totius cumuli quàm alterius vt ea dicatur aliena,non autem propria esse.Idem tenent Angelus in initio citati §. 18. & Sylu. vsura 6. in principio:vbi notant rerum vsu cõsumptibilium, *vt pecuniæ,frumenti , vini,olei , & caterarum quæ in pondere numero & mensura consistunt* : dominium perinde acquiri à possessore,quando eas ita permiscet suis similibus, vt nequeant seperari, ac si eæ ab ipso consumerentur.Quanquam quia talis permixtio non est consumptio realis , quamdiu eiusmodi pecuniæ aceruus perseueratidem numero, qui erat quando ei commixta est pecunia per vsuram accepta ; mutuatarius ius habet in re, atque realem actionem respectu prædicti acerui, *ad quemcunque is peruenerit*, vt inde ante alios creditores, sibi restituatur illud quod per vsuram soluit,tanquam ibi commixtum,& separabile per Iudicis designationé.Secus est verò,si aceruus ille in emptionibus, donationibus,&c. paulatim consumeretur:itaut apud neminem inueniatur idem numero qui erat,quando vsuraria pecunia alteri permixta fuit:quia tunc mutuatario competeret solùm actio personalis contra vsurarium,qua ad restitutionem vsuræ quam ei dedit compellatur. Qua de re Molina in memorata disput.326. num. sexto : consequenter latè persequens solutione m rationum quæ adferuntur pro parte affirmante proposito dubij.

Porro iudicio Petri à Nauarr. in lib.3. de restitut. cap. 2. num. 400. quod dicimus vsurarium non acquirere dominium rei per vsuram acquisitæ , sic verum est, vt locum habeat,etiamsi illud soluens , habuerit in voluntate transferre dominium:propterea quod talis volũtas est coacta,& ideo ad donationem, aut quamcumque promissionem in qua nihil accipitur in compensationem, minimè sufficiens : natura enim donationis,& prædictæ promissionis, *quæ actus est liberalitatis* , exigit vt procedat ex spontanea , & liberali gratáque voluntate.

Dubitatur secundò, An vsurarius acquirat dominium fructuũ quos profert res fructifera per vsuram accepta. Ad quod cum D.Thoma 2.2. quæst. 78. art. 3. respondetur negatiuè. Cuius negationis ratio est, quòd tales fructus pertineant ad mutuatarium : vtpote rei,quę illos protulit, verum dominium; cùm, vt habitum est in præced.dubio,dominium eius non transtulerit in vsurarium.Deducendę sunt tamen expensæ circa eosdem fructus factæ , sine quibus ij ad verum dominium non peruenissent. Adde quòd si per negligentiam vsurarius non perciperet fructus quos talis res protulisset in manu mutuatarij, teneatur ad eorum restitutionem, tanquam is qui ab illorum perceptione verum dominium iniustè impediuerit. Sin detur quòd mutuatarius ex tali re, fructus non esset percepturus , sive per suam negligentiam, sive alia de causa : dicendum est consequenter,quòd vsurarius tunc non teneatur restituere fructus per suam negligentiam non perceptos. Non enim tenetur ex re accepta,vt patet:neque ex iniusta acceptione:quia nullum quoad eos damnum intulit mutuatario, qui,*vt ponimus* , non erat fructus illos percepturus. *Nu.417.*

Dubitatur tertiò , An vsurarius acquirat dominium eorum quæ ex re vsuraria non fructifera sibi comparauit,vt ex pecunia vsuratiè accepta. Ad quod dubium respondendum est affirmatiuè : nempe acquirere:atque adeo ipsum non teneri tale lucrum restituere mutuatario , vero eiusmodi pecuniæ domino. Quæ responsio est D.Thomæ loco cit. & multorum aliorum,quos Couarr commemorat in lib. 3. variarum resolut.cap.3.num.6. & post cum Ludouicus Molina in sequenti disputatione 327.num.5.Probatur verò,quia tale lucrum non est fructus quem res ipsa proferat,sicut quando ea est fructifera ex sua natura:sed quem præcisè hominis industria proferat siue negotiando,siue emendo , siue etiam ludendo, aut aliquid aliud agendo : perinde ac si quis artifici surripiat instrumenta artis, & suâ industriâ artẽque, vtendo eis,aliquid acquirat. Nam non acquirit illud artifici,sed sibi : etiamsi teneatur domino restituere eadem instrumenta,&omne damnum inde illi emergens,aut lucrum cessans. Itaque si vsurarius ex pecunia vsuraria domum aut aliam possessionem emat, quamuis teneatur talem pecuniam restituere , non tenetur tamen domum aut possessionem,aut fructus ex ea perceptos, postquam effectus est dominus illius:perinde ac cùm depositarius aliquid emit ex pecunia apud se deposita , illud acquirit sibi iuxta legem Si ex ea pecunia Cod. De rei vendicatione. Itẽ si fur aliquid emat ex furtiua pecunia, illud quoque sibi acquirit,per legem qui vas §.fin.ff.De furtis. Cui doctrinæ suffragatur,cap.Cùm tu, De vsuris,dum in eo statuitur , non quidem vt possessiones ex pecunia vsuraria emptæ ttadantur iis , qui vsuras soluerunt, tanquam sint ipsorum:sed vt vendantur ad restituendum vsuras,eis à quibus sunt solutæ.

Dubitatur quartò,An si vsurarius rem siue fructiferã,siue ipso vsu consumptibilem,quam vsurariè accepit,vendiderit,aut cõmutauerit cum aliis,acquirat verè dominium illorum quæ pro eis accepit,siue pecuniã,siue quid aliud acceperit. Ad quod respondẽdum quoque est affirmatiuè congruenter proximè dictis.Nam si ex lege Qui vas §. fin. ff. De furtis, ad furem qui vendit rem furtiuam , *vt æquum* , pretium acceptum pertinet : non autem ad dominum equi: idem sanè pari ratione dicendum est de vsurario, qui equum vsurariè acceptum vendiderit. Licet autem contractus ille,quo venditur,aut permutatur res aliena,validus sit, iuxta legem Rem alienam ff.De contrahenda *Nu.418.*

trahenda emptione;per eum tamen non transfertur dominium rei vẽditę in emptorẽ, iuxta legẽ Ex empto ff. De actionibus empti & venditi. Ratioque est, quia semper apud dominum antiquum perseuerat dominium,cùm is illud à se non abdicauerit : vnde vbicumque rem talem inuenerit potest eam sibi vẽdicare. Valet nihilominus,*vt diximus*, talis venditionis contractus,itaut vi illius tanquam validi, venditor emptori teneatur de euictione prædictæ rei , seu de valore eiusdem existentis apud ipsum, quando ei aufertur, vero domino illam sibi vendicante. Itémque de damnis omnibus inde subsecutis. Circa prædicta autem aduerte,quòd etsi venditio rei furtiuæ valeat, quando solus venditor scit eam esse furtiuã: tamen si emptor quoque eam talem sciat , contractum ipsum venditionis esse nullum.Si verò emptor id sciat, venditor non item : hunc non teneri stare contractui. Hæc habentur ex lege Si in emptione §. Item si & emptor ff.de contrahenda emptione;

Explicatio dubij. An hypothecata sint bona vsurarij, ob accepta per vsuram.

Nu.419. DVbitatur quintò, An ob accepta per vsurã,bona omnia vsurarij sint tacitè hypothecata pro illorum restitutione Quodquidem non parum refert scire:quia si sint hypothecata , ad quoscumque peruenerint , transeunt cum eiusmodi hypotheca; quæ est obligatio realis , seu sequens rem , ratione cuius illa potest officio Iudicis vendicari , apud quẽcumque sit possessorem. Si verò non sint hypothecata,non transeunt ad alios cum obligatione reali pro vsuris soluendis : sed tantùm cùm obligatione personali, id est , qua vsurarius est personaliter obligatus ad restituendum accepta per vsuram.Quod cũ facere debeat ex quibuscumque suis bonis , fit vt sicut persona est obligata,sint etiam ipsius bona : non quidem de se,sed tantùm ex accidenti & consecutione quadam.

Tres autem sunt de re proposita sententiæ. Prima est authoris glosæ ad cap.Cum tu,& ad cap.Tua nos De vsuris,& ad cap. Quanquam eodem titulo in 6. atque aliorum apud Couarr.lib.3.var.resolut. cap. 3. num.6.omnia bona vsurarij esse tacitè hypothecata pro vsuris soluendis. Secunda est Medinæ in Cod. de acquisitis per vsuram quæst. 4. ad 4. principale in fine : solas res emptas ex pecunia vsuraria esse iure ipso hypothecatas,iuxta cap.Cùm tu De vsuris : vbi statuitur tales res esse vendendas,vt ex earum pretio soluatur mutuatariis quidquid per vsuram acceptum est ab eis.

Nu.420 Tertia est Canonistarum quos referunt Nauarr. in Enchir.cap. 17. num. 265. & Couar. loco citato qui etiam illam approbant; vt & Sotus in lib. 6.de iust.& iure quæst.1.art. 4. in solut. 3. argumenti & Caiet.in tomo 2.opusc.tract.8.quæst.4. & Syluest. Vsura 6. quæst.5. Est inquam, ne quidem ea vsurarij bona quæ empta fuerunt ex pecunia vsuraria , esse realiter hypothecata pro vsuris soluendis. Ratio est: quia talis obligatio realis in bonis vsurarij, non oritur ex interna rei natura,vt de se patet : neque oritur aliunde. Non quidẽ expresè:quia vsuræ alioqui deberent vsurario tradi sub ea specie ac conditione , vt bona ipsius pro illis restituendis hypothecarentur. Nec item tacitè:per legem aliquam hypothecantem realiter bona vsurarij pro vsuris restituendis : quod nusquam inuenitur iure statutum. Et certè si oppositum quod aliæ sententiæ habent verum esset; sequeretur quòd quantumuis vsurarij ex suo patrimonio diuites essent ; & quantumuis cum eis contractus celebrarentur bona fide; ac etiam quantumuis contractus essent onerosi , atque adeo quomodocumque bona ab illis acciperentur , ea manerent obligata pro vsuris soluendis apud quemcumque existerent,ex illisque hæ soluendæ essent, si aliunde non soluerentur:id quod nimis durum videtur.

Neque obstat his cap. Cùm tu de vsuris. Nam in eo Pontifex non loquitur De possessionibus per vsuriam pecuniam acquisitis , in tertium iam translatis : sed de taliter acquisitis adhuc manentibus apud vsurarum:quas in finem ibi notatum (liberationem videlicet à peccato commisso per extorsionem vsurarum) meritò statuit vendendas esse pro restitutione vsuræ : non quòd sint tacitè hypothecatæ , sed quòd quamdiu sunt apud vsurarium, sint per ipsius obligationem personalem,obligatæ pro tali restitutione. Quod si instes, bona omnia ipsius vsurarij obligata esse illã eãdem ratione : Pontificem autem aliquid particulare statuere de emptis ex pecunia vsuraria. Respondetur Pontificem tantùm voluisse,vt in executione restitutionis vsurarum , inciperetur à venditione talium rerum:non quòd essent ad hoc hypothecatæ , sed vt vsurarius in eo puniretur in quo deliquerat,expendendo pecunias quas restituere debebat.

Ex hac autem sententia,quam præferimus cæteris, consequens est quod loco cit. docet Sotus , mutuatarium quidem , quoad ea quæ persoluit ; si eadem numero maneant, actionem habere realem, atque adeo posse illa sibi vendicare, ad cuiuscumque manus peruenerint : quia penes ipsum perseuerat dominium illorum , iuxta antedicta in explicat. tertij dubij:sed quoad alia bona vsurarij, habere actionem tantummodo personalem in ipsum vsurarium qua compellatur restituere illud quod vltra sortem accepit. Aduerte tamen ratione personæ haberé actionem in bona quoque ipsius;quamdiu nimirum apud ipsum perseuerant. Quod addo quia illis alienatis, non datur actio in personam , *vt in illorum emptorem*, ad quam ea perueniunt : nisi per vltimam voluntatem perueniant ad hæredes defuncti. Quo casu, quia hæres repræsentat defunctum ; in eum transeunt actiones huius personales , tam actiuæ , ad comparandum sibi quidquid ipsi defuncto erat debitum : quàm passiuæ , ad soluendum loco defuncti quidquid ille debebat.

Explicatio dubij , An vsurarius possit validè sua distrahere.

DVbitatur vltimò,An obstent antedicta quominus vsurarius possit validè sua distrahere:itaut is qui aliquid ab ipso acceperit , non teneatur acceptum restituere. De qua re agunt Gabriel in 4. distinct. 15. quæst. 1. art. 3. dub. 16. Angelus verbo Restitutio 1.versu Vsurarius num.17. Nauarr. in Enchir.cap.17.num.266.Med.in Cod.De acquisitis per vsuram quæst.4.ad 3.argumentum,dub.vlt. & Sotus in 6.De iust.& iure quæst. 1.art.4.ad 3. Pro solutione autem adferemus aliquot propositiones. *Nu.421.*

Prima est:Si illud quod quis ab vsurario accepit, est ipsamet res vsurariè acquisita, eadem restituenda est mutuatario,etiamsi ipsa sit vsu consumptibilis:vt eadem pecunia numero quam vsurarius habuit per vsuras. Quæ propositio sic accipienda est,vt intelligatur,locum ei esse quantumcumque vsurarius habeat sufficienter vnde aliter satisfaciat; item quocumque titulo sit ab vsurario ipso in alium translata:id est,siue per donationem, siue per depositum, si-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ue per venditionem,&c. itemque siue mutuatarius talem rem ab ipso repetat & euincat, siue non. Probatur verò quia, *vt ante habuim est*, rei vsurariæ dominium manet penes ipsum inutuatarium; itaut is qui ab vsurario illam accipit non efficiatur dominus illius, sed teneatur illam restituere mutuatario; cui, *vtpote vero domino*, est debita.

Aduerte autem quòd si accipiens sciebat rem esse alienam, tanquam reus iniustæ acceptionis, teneatur acceptam restituere in integrum: si verò id ignorabat tanquam excusatus à prædicto reatu, teneatur restituere tantummodo quantum inde factus est locupletior: iuxta ea quæ communiter docentur de obligatione ad restitutionem ratione rei iniustè acceptæ, tradita in præced.cap.quarto.

Nu.422. Secunda propositio est. Si illud quod ab vsurario accipitur non sit res vsuraria: sed alia, cuius ipse habet dominium, neque per illius alienationem manet impotens ad restituendum: quia scilicet ei supersunt bona sufficientia quibus restituat vsurariè accepta: tunc accipiens ab eo, siue accipiat titulo oneroso, id est, cum onere dandi aut faciendi aliquid; siue titulo lucratiuo, id est, sine vllo prædicto onere: non solùm acquirit sibi dominium eius quod accipit: *licet vsurarius fiat postea impotens ad restituendum vsuras, aut etiam quæuis alia debita*: sed etiam ad nullam restitutionem tenetur creditoribus. Huius ratio aperta est: quia si quid possit in contrarium adferri, quod difficultatem in ea re faciat, est maximè: quòd vsurarij bona videantur pro satisfactione vsurarum tacitè hypothecata: atqueadeo transire cum eo onere ad quemcumque peruenerint. At nulla datur talis hypotheca, vt patet ex præced.dubij explicatione.

Nu.423. Tertia propositio. Si is qui aliquid accepit ab vsurario, nullo modo conscius fuit alienationem illius esse in fraudem creditorum: seu per quam vsurarius ipse, ad satisfaciendum eis, reddatur impotens; quocumque titulo ille acceperit, acquirit accepti dominium. Hæc ex eo probatur, quòd sic acceptum, *vt supponimus*, fuerit vsurarij dantis illud, nullo affectum onere reali, iuxta explicationem antecedentis dubij. Inde enim sequitur, quòd si titulus quo est alienatum, sufficiens de se fuit ad dominium transferendum in accipientem, *vt censetur donatio, venditio, &c.* Sequitur inquam, vt ipse accipiens comparet sibi accepti dominium: vtpotè in se translatum ab eo qui illud habuit plenè liberum ab onere reali, etiam respectu suorum creditorum.

Quarta propositio. Cùm quis bona fide aliquid titulo gratioso accepit ab vsurario sciente alienationem eam cedere in fraudem creditorum; tunc in vtroque foro tenetur restituere acceptum, si adhuc habeat illud: alioqui verò id in quo locupletior inde factus est, si à creditoribus petatur intra annum à die scientiæ alienationis factæ in ipsorum fraudem. Hæc ex eo probatur, quòd iura in tali casu concedât actionem ad cuincendum vendicandúmque sibi taliter acceptum: lege 1.& lege 6.§.8.ac lege 10.ff.Quæ in fraudem creditorum. Dictum est autem in propositione, *titulo gratioso*, quoniam is qui titulo oneroso in prædicto casu aliquid bona fide acceperit ab vsurario: vt v.g. in iustum pretium rei, quam ei vendidit: vel in iustam mercedem operarum pro eo præstitarum: vel in iustum stipendium famulatus ei exhibiti; non tenetur ad restitutionem: quia vsurarius tales habet pro creditoribus, sicut & eos à quibus vsuras exegit: & inter creditores vnus non est potior alio, quamdiu nullam ex contractu vel pacto habet hypothecam expressam vel tacitam, vel iuris priuilegium iuxta tradita in præced.cap.17.regula 5.

Quinta propositio est. Si res non petatur, vel petatur post annum probabile est, quòd is qui bona fide ab vsurario accepit aliquid vnde ipse factus est impotens ad soluendum creditoribus, non teneatur ad restitutionem. Huius ratio est, quòd iura nihil circa hoc disponant, nisi in casu præcedentis propositionis. Secluså autem lege positiua, nulla videtur in ea re dari obligatio restituendi: siquidem ea nasceretur vel ex iniustitia acceptionis, vel ex re accepta. At in tali casu acceptio non fuit iniusta ex parte accipientis, cùm illum ignorantia excusauerit à peccato. Res verò accepta non erat creditoribus hypothecata realiter iuxta antedicta in explicatione quinti dubij.

Sexta propositio. Cùm tam is qui accipit, quàm vsurarius qui dat, conscij sunt alienationem in fraudem creditorum fieri: quidquid sit de foro exteriori, siue intra siue post annum à die notitiæ alienationis, res à creditoribus petatur, accipiens tenetur in conscientia restituere acceptum aut illius valorem, si non existat, aut penes se iam non sit. Huic contradicit quidem Molina De iust. & iure tract.2. disputat. 328. sed approbata à Couar.lib.3.Variarum Resolut. cap.3.num.6.in fine. Bonam habet rationem in praxi: nempe quòd is qui in fraudem creditorum, suum alienat sciens, peccet contra iustitiam. Ergo & is qui illud accipit sciens: cooperatur enim executioni, & consummationi iniustitiæ, quæ tunc contra creditores committitur alienando. Nam eo ipso quòd accipit rem, cuius alienatione is à quo datur, efficitur impotens ad soluendum creditoribus: iniustitia prædicta consummatur. Si dicas id nõ esse cooperari malitiæ, sed eâ vti pro suo iure, seruiendo propriis commodis. Respondetur, nullum tale ius haberi in proposito casu cum ex regula 48.iuris in sexto, nemo locupletari debeat cum alterius iniuria vel iactura. *Nu.424.*

Difficultates quarum explicatione declaratur quid tenendum sit de accipientibus ab iis qui habent acquisita per vsuram.

Nu.425. PRima est, An vendens aliquid vsurario, teneatur ad restitutionem eorum quæ acceperit in pretium, sciens ipsum inde minus potentem reddi ad soluendum creditoribus. Cui satisfieri potest dicendo teneri, quantum vsurarius inde factus est minus potens, iuxta præcedentis dubij explicationem: excepto tamen casu notato à Sylu. Vsura 8.quæst. nona, in quo res quæ venditur esset vsurario simpliciter necessaria ad vitæ suæ sustentationem: quia obligatio soluendi debitum, cedit tali graui necessitati, iuxta ea quæ disputata sunt in præcedenti cap.19.

Secunda difficultas est. Vtrum famuli, qui vsurario inseruiunt, quem impotentem sciunt ad soluendum, teneantur restituere quæ ab ipso acceperint. Cui satisfaciendum est distinctione. Si enim sint famuli qui suis ministeriis tantum vtilitatis adferunt bonis vsurarij, *vt colendo agros, reficiendo domum, rerum curam habendo*, quantum ipse insumit in illorum victu, vestitu, ac stipendiis: tunc non tenentur ad restitutionem: quia vsurarius propter illos non est redditus impotens ad soluenda debita. Si verò non sint famuli prædicto modo vtiles, vt illi qui ad pompam solùm inseruiunt vsurario, immo ad quodcumque ex quo vtilitas vsurario non resultat, *quale est ipsum comitari, aut ipsi assistere in mensa*: eatenus ad restitutionem tenentur quatenus vsurarius ipse, inde sit ad soluẽdum impotentior. Ita docent Sylu. Vsura 8.quæst.6. Naua. in Enchir.cap.17.num.270. Talium enim eadem est ratio

ratio, ac illorum qui vsurariis vendunt ea quæ non ad vitæ necessitatem sed ad voluptatem spectant, vt tectè ibidem ait Syluester.

Nu.426. Placet nihilominus quod habet Molina in sequenti disput.330.sub finem: quando famuli bona fide cæperunt seruire ære alieno ita grauatis vt non sint soluendo; ipsos nec obligandos esse ad restitutionem acceptorum in suam sustentationem & stipendium moderatum: nec cogendos deserere talem commoditatem sibi necessariam: nam ad vitandum damnum secuturum creditoribus, id nihil iuuat, præsertim cùm non deessent qui deserentibus succederent cum simili damno.

Tertia difficultas est. Quid dicendum sit de vxore vsurarij, quæ nouit ipsum esse impotentem ad soluendum. De qua Sylvester quidem in præced. quæst. 2. ait, quòd teneatur restituere quidquid consumit. Sed melius Nauar.in præced.num.268.ait quod cùm maritus non minus sit vxori debitor sustentationis competentis iuxta qualitatem personæ ipsius, & quantitatem dotis eidem marito solutæ: quàm sit cæteris creditoribus, ea ad nullam restitutionem tenebitur: dummodo de iis solùm consumat quorum dominium maritus habet, nec plus consumat quàm à marito ei debetur. Ratio est, quia vxor quæ competentem sustentationem accepit à marito, id facit ad instar creditoris, cui debitum soluitur.

Aduerte autem, quòd si vxor aliquid, cuius dominium ad maritum non pertineret, sciens consumat, ad integram illius restitutionem teneatur proprio domino, quando maritus ipse non restitueret: quoniam ea ratione cooperaretur ad iniustam vsurpationem rei alienæ. Aduerte etiam quod si vxor suâ operâ & industriâ ita lucretur vt augeat mariti bona, possit tantumdem accipere, & retinere de mariti bonis, ac si esset soluẽdo suis creditoribus. Ratio est, quia maritus non redditur inde impotentior ad soluendum creditoribus: sicut nec cùm vestitus, victus, ac iustum stipendium datur famulo, iuxta quantitatem vtilitatis quam adfert bonis eiusdem vsurarij: vt antè dictum est.

Quarta difficultas est. Quid sit sentiendum de filiis qui à parẽtibus vsurariis aliquid accipiunt scientes eos propterea reddi impotentiores ad soluendum creditoribus. Huius solutio est: quòd si filij suo labore & industriâ, tantum acquirant bonis paternis, quantum consumunt: ad nullam restitutionem teneantur. Si verò non acquirant: iuxta Sylvestrum quidem loco cit.quæst.3.ad restitutionem teneantur. Sed iuxta Nauar. in cit. cap. 17. num. 269. sit distinguendum: vt si proprio labore, aut inseruiendo aliis possint seipsos sustentare, tunc teneantur ad consumptorum restitutionem: quia pater non tenebatur eos sustentare. Si verò nó nisi illo modo, hoc est, de bonis paternis aliquid accipiẽdo, sese sustentare potuerint, non teneantur ad restitutionem, quia pater tenebatur illos sustentare: & ideo, *sicut de vxore diximus*, computandi sunt suo modo in Creditorum numero. Si tamen aliquid amplius acceperint quàm esset ipsis necessarium in sustentationem à patre debitam, tenebuntur illud restituere.

Nu.427. Quinta difficultas est. Quid sentiendum sit de genero accipiente dotem à socero vsurario. Cui satisfaciendum est distinctione. Si enim socer possit aliũde vsuras restituere, dos ab eo accipi potest, adeóque retineri; quantumuis ipse postea pauper fiat nec sit soluendo; iuxta ante tradita nu.422.& 423.

Si autẽ non possit socer aliunde vsuras restituere, nõ potest dos ab eo accipi nec retineri. Quod Nauar. in Ench.c.17. nu.271.probat: quia caperetur ab eo qui nec donare nec dotare potest sine peccato, consistente in iniuria per id illata creditoribus. Et monet idipsum procedere, non solùm quando ipsæ res per vsuram acquisitæ dantur in dotem, & quando dos est extra modum: sed etiam quando in pecunia, aut in aliis rebus quarum dominium vsurarius habet, datur dos moderata. De obligatione tale quid restituendi, videre potes eumdem ibidem. Et addere generum si bona fide dotem acceperit à socero qui non est soluendo creditoribus suis, posse ex ea tantum retinere quantum ei necessarium est ad alendam vxorem: quæ in numero creditorum patris poni potest eodem modo, quo de filiis dictum est.

Sexta difficultas est. Quid sit sentiendum de eo qui mutuo dedit vsurario, cùm sciret, aut probabiliter præsumeret, quòd is mutuum peteret ad illud expendendum inutiliter in ludis, comessationibus, & aliis vanis, & inutilibus rebus. Cui satisfit dicendo talem mutuatorem non posse recipere suum mutuum, si intelligat vsurarium à quo recipit, inde reddi impotentem ad solutionem faciendam creditoribus à quibus vsuras extorsit. Ita vult Angelus Restitutio 1. verbo Vsurarius num. 22. & citatis Gabriele ac Sylvestro, Nauarrus in Enchir.cap.17.num.264. Secus verò sentiendum erit, *mutuum inquam ab vsurario restituum posse retineri*: si vel ei fuerat datum pro subleuanda extrema aut graui necessitate ipsius; vel si alia bona habeat ex quibus vsuras restituat. Nam hæ duæ conditiones faciunt, vt ab vsurario iustè debitum recipi possit, non obstante obligatione quam ipse habet aliis restituendi acquisita per vsuram prout satis ex antedictis intelligitur. *Nu.428.*

CAPVT XXVII.

De obligatione restituendi acquisita per simoniam.

SVMMARIVM.

429 *Simonia quædam mentalis, quædam conuentionalis, & quædam realis: quidque earum vnaquæque sit.*

430 *An acquisitum per simoniam mentalem sit restitutioni obnoxium sententiæ variæ.*

431 *Pars negans tenenda, & solutio rationum contrariarum.*

432 *Acceptum per simoniam non est iure naturali restituendum, sicut acceptum per vsuram, exceptis duobus casibus.*

433 *Datum temporale non accepto spirituali pro quo datum est, restitui debet.*

434 *Collatio spiritualis pro temporali nondum recepto, non est iure inualida: in foro tamen externo merito inualidatur.*

435 *Acquisitum per simoniam quamcumque realem restituendum est, iure humano non item naturali.*

436 *Restituendi pariter sunt fructus eiusdem.*

437 *Spirituale simoniace acceptum debet resignari in manibus Superioris.*

438 *Cui restitui debeat temporale acceptũ per simoniam in ordine, vel beneficio.*

439 *Cuinam acceptum per alias simonias reales.*

Nu.429. ARIÆ traduntur simoniæ diuisiones, inter quas præcipua est, quæ huic loco seruit in mentalem conuentionalem & realem: cuius meminerunt Nauar. in Enchir. cap. 23.num. 102. & Sotus lib. 9. de iustitia & iure

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæst.8.articulo 1. Mentalis dicitur quando aliquid temporale datur vel accipitur pro spirituali, sine pacto quidem externo, neque expresso, neque tacito: cum animo tamen dandi vel accipiendi temporale pro spirituali;vt cùm Prælatus alicui confert beneficium Ecclesiasticum, sine conuentione quidem vlla; cum intentione tamen, & animo accipiendi ab eo pro ipsa beneficij collatione, temporale aliquod emolumentum.Id quod ex Caiet.2.2. quæst.100.art. sexto ad primam obiectionem, tunc contingit cùm actus dandi & accipiendi ex iniquo illo animo prouenientes, secundùm suum modum & formam,exteriùs habet rationem donationis gratuitæ, non verò emptionis,& venditionis.

Atque iuxta eosdem authores,duplex est mentalis simonia:quædam purè mentalis,quando de facto nihil datur,vel accipitur:& quædam mixta,quando de facto aliquid temporale pro spiritali accipitur vel datur;sed sine conuentione. Vnde intelligitur simoniam mentalem tantùm dici per negotiationem declarationis iniqui animi;neque eam distingui à conuentionali & reali sicut in aliis materiis peccatum mentis, communiter distinguitur à peccato operis seu executionis: quandoquidem in ea quoque datur executio externa.

Conuentionalis dicitur, quando temporale pro spiritali dari vel accipi conuentum est per pactum siue expressum siue etiam tacitum,quod nondum est executioni mandatum. Vnde triplex cõstituitur,vna quando tantùm est conuentio,& promissio:sed nondum est aliquid datum vel acceptum. Altera quando iam est datum vel acceptum spirituale, nondum autem temporale: tertia quando contra iam datum vel acceptũ est temporale,non spirituale. Dixi (*siue etiam tacitum*) quia vt habet Caiet. in verbo Simonia sub initium cap. 2.nihil refert in hac re, vtrum partes disceptando,an primo verbo conueniunt, aut sciendo mutuum affectum, detur vel accipiatur pretium. Exempla istiusmodi pacti taciti petere potes ex Nauar. in Enchir.cap.23. num. 103.

Denique realis dicitur, quando vltra conuentionem aut pactum siue expressum siue tacitum; tam spiritale quàm temporale datum est & acceptum: vt sit quando ex conuentione aliqua, siue expressa siue tacitâ, beneficium Ecclesiasticum datur vel accipitur, datâ similiter vel acceptâ certâ pecuniæ summâ.

Quod aduerte ex Nauar.in sequ.nu.105.procedere quantumuis spiritale, & temporale, siue vtrũque siue alterutrum datũ sit & acceptum quoad aliquam tantùm sui partem; & non quoad totum. Item ex Caiet. in verbo Simonia cap.2. quod si quis accipiat spiritale, assignato statim pretio absque alia conuentione, simoniam realem committi: quia tunc contingit tacita,& implicita conuentio.

Atque pro triplici simoniæ genere, de proposita obligatione quæstio tripartita occurrit tractanda. Cuius prima parte quæritur: vtrum acceptum per simoniam mentalem sit in conscientia restituẽdum: v. g. confert quis alteri beneficium Ecclesiasticum, ob commodum temporale receptum ab eo: sine vllo tamen pacto,vel conuentione aut promissione tacita vel expressa: sed sola intentione simoniaca,dandi scilicet vel accipiendi temporale pro spirituali.

An is teneatur in conscientia temporale sic acceptum restituere, & alter beneficium sic ei collatum resignare.

***

De restitutione accepti per simoniam mentalem.

SECTIO I.

DE qua re duæ sunt sententiæ præcipuæ.Prior *Nu.430.*
Adriani quodlibeto 9.quæst.3.Med.in Cod.De rebus per vsuram acquisitis,quæst. 4. dubio circa 2. argumentum vers. Iam ad rationes. Item Soti in lib. 9.De iust.& iure quæst.8.art.1.ad 6.& aliquot aliorum quorũ meminit Petrus à Nauar.in lib.2. De rest.cap. 2.nu.401.qui affirmant in simonia mentali,tam eum qui recipit pecuniam, quàm eũ qui beneficium Ecclesiasticum acquirit;teneri illum quidem ad restitutionem pecuniæ: hunc verò,ad resignationem beneficij accepti. Eorum præcipuum fundamentum est, quòd restituere acceptum per simoniam,sit de iure naturali, cùm acceptum sit contra iustitiam; vtpote vendito & empto eo quod gratis dari accipique de voluntate veri domini debuit: quodque de se non est pretio æstimabile. Vnde fit vt perinde sit contra iustitiam, ac per vsuram acceptum: ipsúmque non minus quàm istud sit de iure naturali restituendum. Quod si ita est,omnino concedi debet acquisitum per simoniam mentalem esse restituendum, sicut acquisitum per vsuram mentalem restituendum esse conceditur per cap. Consuluit, De vsuris.

Posterior verò sententia est Syluestri in verbo Simonia quæst. 20. Caiet. 2.2. quæst. 100. art.6. & in summula verbo Simonia,versus finem Nauar.in Enchir.cap.23.num.102. Petri à Nauar.in cit.cap.2.numero 392. & aliquot sequentib. Gregor.à Val. 2.2. disput.6.quæst.16. puncto 6. & aliorum qui absolutè negant simoniacos mentales (ex praua quidem intentione, sed sine contractu recipientes pecuniam vel beneficium)teneri ad restitutionem.Eorum præcipuum fundamentum est, illud quod dicitur in cap. vltimo,De simonia his verbis: Et ad resignationes spiritualiũ & temporalium,quæ nullo pacto sed affectu animi præcedente, vtrinque taliter, *hoc est per simoniam*,acquiruntur:in hoc casu delinquentibus sufficiat per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori. Quibus verbis ita apertè proposita sententia definitur, vt de eadem dubitare, nimiæ cuiusdam audaciæ sit, vt inquit loco cit. Nauar. Reiiciens cæterorum glosas, quibus eadem verba detorquentur in alium sensum. Quod etiam post ipsum facit Petrus à Nauar.in cit.cap.2.à num.393.ad 399.

Atque hæc tenenda est tanquam communis,*vt esse* *Nu.431.*
loco cit. notat Nauar. atque benigna vt de se patet; ac etiam satis clarè definita ab Ecclesia vt constat ex verbis Canonis, in eiusdem sententiæ confirmationem allatis. Ad fundamentum autem prioris sententiæ respondendum est, negando quòd restituere acceptum per simoniam,sit de iure naturali. Nam alioqui Papa non posset in ea re dispensare: sicut nec potest in simonia iure naturali mala (vt censetur ea per quam spiritale datur pro temporali) adeóque, sicut ipse nequit facere vt licitè detur spirituale pro temporali:ita etiam nequiret dispensare,vt beneficij collatio per simoniam facta,valeat; nec posset efficere, vt ille cui beneficium simoniacè collatum est, non teneatur ipsum resignare: quod cùm dici nõ debeat, *vt consuetudo recepta in Ecclesia satis ostendit*: nec dicendum est acceptum per simoniam esse de iure naturali vel diuino restituendũ;sed de iure tãtùm humano: quale ius non datur imponens restitutionem accepti per simoniam mentalem,vt patet ex fundamento secundæ

cundæ sententiæ. Accedit quod in ea re non detur iniuria illata proximo, quæ ex lege commutatiuæ iustitiæ resarcienda sit restitutione: sed tantùm illata Deo,& rei sacræ: quæ per solam pœnitentiam compensari potest, nisi vlteriùs Ecclesia in pœnam aliquid restituendum imponat,sicut imponeret pro iniuria loco sacro illata.

Si instes spiritale collatum simoniacè accipi contra voluntatem Christi:qui vt iubet illud dari gratis, ita & accipi: quare non potest retineri. Negabitur consequentia; quia ex eo quod acceptum sit aliquid contra Dei voluntatem, non sequi necessariò, vt similiter contra Dei voluntatem retineatur (dummodo quis de mala acceptione pœniteat & bene vtatur accepto) patet: quia simoniacè, aut aliàs in peccato mortali ad sacros ordines contra Dei voluntatem promotus, vbi peccãtum illud pœnitentiâ deleuerit: in eis non manet,nec eos administrat contra Dei voluntatem,dummodo id debitè faciat.

Iam quoad temporale pro spiritali acceptum:vnde iure naturali nascatur obligatio illud restituendi, non apparet: cùm dans non nisi suum alienet: & accipiens non nisi à sponte dante accipiat.

Quoad spiritale autem constat ipsum dando vel accipiendo simoniacè, nullam de se fieri iniuriam proximo,sed tantùm Deo per irreligiositatem: cuius species quædam simonia est proprie,ex D.Thom.2.2. quæst.100.art.1.in fine corporis: non autem iustitiæ ex qua nascatur obligatio ad restitutionem.

Nu.432. Porrò cur dici possit acceptum per vsuram restituẽdum esse de iure naturali, potius quàm acceptum per simoniam, rationes variæ redduntur: sed illa Caiet.ad art. 6. eiusdem quæst. 100. sufficere potest; nempe quòd is qui vsurario dat aliquid vltra sortem, nihil recipiat pro eo quod sic dat: itaut meritò censeatur nullam habere voluntatem emendi, & per consequens nec dominium rei sic datæ,transferendi in vsurarium: qui ideo iure naturali tenetur illud quod accepit restituere tanquam alienum; ex cap.Si res 14.quæst.6.Is verò qui dat pecuniam pro re spirituali,aliquid vtique accipiat pro eadem pecunia;immo multo plus quàm det: quandoquidem res spiritualis superat omne pretium: quæ causa est cur vendi non possit: non autem quòd ea nihil omnino valeat,sitque infra pretium; prout sunt nonnullæ aliæ res ex quibus nihil omnino commodi capi potest. Quapropter necesse non est,vt eam emens censeatur inuoluntariè emere, negetúrque rei suæ dominium contractu venditionis transferre in alium. Quem aduerte,sic accipiendo non facere illi iniuriam;etiãsi peccet agendo contra obedientiam Deo debitam: perinde ac peccaret ille qui pro iusto pretio, venderet venenum,aut quiduis aliud ex iis, quæ respublica vendi prohibet:& nihilominus dominium acquireret pretij rei sic venditæ illicitè.

Sunt tamen duo casus in quibus iure naturali ipsum temporale restituendum est.Prior est cùm accipiens illud, promisit spirituale, nec postea stat promissis;tunc enim tenetur ipso iure naturali restituere acceptum; etsi in pœnam peccati,Superior possit vtrumque tali re priuare, applicando eam ad opus pium prout notat Caiet.in verbo Simonia sub finem.

Posterior est, cùm quis ab aliquo exigit pretium pro spiritali quod tenetur ex iustitia gratis ei dare, nec in eo ipsum vexare tunc enim facit illi iniuriam naturali iure diuinóque resarciendam restitutione. Qua de re pluribus Suarez in opere de virtute & statu religionis tractat. 3. libro 4. cap. 59.

De restitutione accepti per simoniam conuentionalem.

SECTIO II.

SEcunda parte quæstionis quæritur vtrum acceptum per simoniam conuentionalem sit restituendum.

De qua re tria tenenda sunt cum Nauar.in Enchir. *Nu.433.*
cap.23.num.103. Primum est:quando datum est aut acceptum temporale pro spiritali ex pacto vel promisso,nondum dato & accepto spirituali:in conscientia abstinendum esse à dando, & accipiendo spirituali, ne simonia conuentionalis fiat realis ex vtraque parte completa.Illud verò quod acceptum est, restituendum esse danti:non quòd simonia conuentionalis obliget ad restitutionem; sed quòd ius naturæ ita fieri postulet: quoniam datum acceptúmque fuit ex causa,quæ nec subsecuta est, nec subsequi debet. Ius autem naturæ dictat vt acceptum ex causa non subsecuta, restituatur ei qui dedit. In hócque Nauarrus consentientes habet Caiet. in verbo Simonia sub finem,& Sotum libro 9. De iust. & iure quæst 8.art.1.

Secundum est: quando spirituale pro temporali da- *Nu.434.*
tum acceptúmque est ex pacto,vel promissione.nondum dato,& accepto ipso temporali, collatio rei spiritualis non est ipso iure inualida. Itaut is qui tali ratione beneficium accipit nõ teneatur in conscientia illud in manu Superioris resignare ante sententiam Iudicis,quod antiquum Romanæ curiæ stylum obseruare habet Nauar. loco cit. & multo minus illud restituere ei qui dedit:cùm, *vt habet idẽ author ibidem*, id nequeat sine renunciatione præuia, & Superioris collatione subsecutâ.Ratióque est,quam loco cit.ante solutionem argumentorum Sotus habet: quia is ipse qui dedit nullum ius retinet; cùm per resignationem beneficij,quam in manu Superioris fecit, illud ei ablatum sit, & alteri à Superiore collatum. Temporale autem pro tali beneficio simoniacè promissum, is qui promisit nec tenetur nec potest dare:quià in malis promissis non expedit fidem seruari, *vt habet 69.regula iuris in 6.*sique det,simonia ex conuentionali fiet realis completa ex vtraque parte: per cámque incurret pœnam obligationis resignandi in manu Superioris simoniacè acceptum beneficium;ac cæteras canonicas pœnas:de quibus in sequenti lib. 23.cap.12.

Tertium est. Qui accipit beneficium Ecclesiasticum per simoniam conuentionalem,meritò in foro externo puniri priuatione accepti, vt & aliis Canonicis pœnis. Hoc Nauarrus habet sub initium citati numeri 103. Et probat,quia id peccatum est mortale graue,iuxta caput.Cùm esset,De simonia: quod in iudicio probari potest, cùm sit actus externus. Quod verò idem Nauarr. in sequen. num. 106. ad 3. docet contra Caiet. & Sotum,istud locum pariter habere in eo qui vt beneficium sibi conferretur centum nummos aureos facto publico instrumento promisit sine vllo animo emendi beneficium ipsum, aut soluendi promissum: ideo non videtur sequendum, quòd nulla cernatur in eo simonia: ad quam requiritur volũtas dandi aliquid temporale:quæ talis non est in illo casu, in quo solùm est voluntas faciendi fraudem, non obstante instrumento illo publico, quod non est pars pacti prædicti, sed tantùm attestatio promissionis,cuius falsitas quando ostensa fuerit in iudicio,non potest ex ea ferri sententia: vt neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex alio testimonio,vel indicio, quod fuerit bene refutatum.

De restitutione accepti per simoniam realem.

Sectio III.

Nu.435. TErtia parte quæstionis quæritur, An acquisita per quamcumque simoniam realem sint restituenda. Atque de acquisitis per simoniam realem in beneficio textus habetur ex cap. De hoc §. finali, De simonia: & de acquisitis per similem simoniam in ingressu religionis, habetur ex cap. Veniens eod. titulo: in quibus taliu restitutio est expresè imposita. De cæteris verò per eiusmodi simoniam acquisitis, videtur tenendum illud quod Sotus habet in lib. 9. De iust. & iure quæst. 8. art. 1. in solutione 2. dubij: omnem simoniam realem, seu in qua vtrumque, *temporale inquam, & spirituale*, datum receptúmque est, inducere obligationem ad restitutionem: non quidem iure naturæ & diuino, quod antea refutatum est: sed iure canonico per illud in cap. finali De pactis. Pactiones factæ à vobis, vt audiuimus, pro quibusdam spiritualibus obtinendis: cùm in huiusmodi omnis pactio omnísque conuentio debeat omnino cessare, nullius sunt penitus momenti. Ex qua definitione sequitur retineri non posse, sed restituenda, esse taliter acquisita: vtpote nullo iusto titulo possessa.

Quod autem Petr. à Nauarr. lib. 2. de restit. cap. 2. num. 416. putat per illam annullari non modo pactum dandi rem spiritalem pro pecuniâ, quo naturalis simonia committitur: sed etiam omnem alium contractum non gratuitum, quo committitur simonia tantùm positiua, ipse non satis probat. Verba enim quæ adfert ex cap. Præterea 1. De transactionibus, *Cùm igitur ipsa pactio simoniaca meritò videatur: respondemus quòd de iure non tenet*: intelligi rectè possunt cum restrictione ad simoniam naturalem: qualis est ea de qua illic agitur, vt patet legenti. Item quod ipse addit ex cap. Cùm vniuersorum. De rerum permutatione. Ipsi de iure non possunt per se Ecclesiastica beneficia permutare, &c.] manifestum est expresè dici tantùm de permutatione beneficiorum Ecclesiasticorum: vnde idipsum de omni contractu non gratuito intelligere, est interpretatione extendere pœnam quæ debet potius restringi, ex regula 49. iuris in 6.

Nu.436. Restitui autem debent, non solùm accepta per simoniam realem; siue spiritalia siue temporalia: sed etiam fructus tam percepti, quàm qui à diligẽti possessore percipi potuerunt: deductis tamen expensis causa eorum factis: aut quæ legitimè in Ecclesiæ vtilitatem fieri debuerunt. Id quod verum est non tantùm quoad eum qui simoniacè rem fructiferam scienter maláque fide accepit: sed etiam quoad eum qui ignoranter & bona fide: nisi quòd hic non teneatur restituere fructus bona fide consumptos; sed eos tantùm qui extant, aut ex quibus factus est ditior. Quæ doctrina est Soti in cit. art. 1. ad 3. post D. Thomam 2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 3. vbi addit ad resignãdum beneficium non teneri eum, cui collatum est simoniâ commissâ in ipsius fraudem, & vt cogeretur postea resignare illud: nisi fraude detecta consentiat pacto, soluens id quod promissum fuit. Ratio verò eiusdem doctrinæ hæc est: quòd cùm percipiens tales fructus, non fuerit iustus possessor ipsius rei fructiferæ, nequiuerit fructus illius facere suos. Aduerte verò quòd si ille non restituat, is qui causa fuit talis simoniacæ collationis teneatur eamdem fructuum restitutionem facere loco ipsius, prout probat Nauarr. in comment. de datis & promissis notab. 32. num. 45. quia dans causam damni tenetur ad illius restitutionem omissam ab eo qui principaliter illud intulit.

Quocirca illi qui conferunt vel conferri procurant beneficium excommunicato vel suspenso vel irregulari vel ob aliud impedimentum canonicum incapaci, aduertant se teneri ad restitutionem fructuum malè perceptorum à beneficiario, qui non vult aut non potest eos restituere. Atque quod in hac re dicitur de beneficiis, intelligendum est pari ratione de dignitatibus, personatibus & officiis Ecclesiasticis ex 2. Extrauaganti communi De simonia.

Dubium prædictis annexum, Cui facienda sit restitutio accepti per simoniam realem, ex vtraque parte completam.

Sectio IV.

QVoad acceptum spiritale, consentiunt authores illud esse resignandum in manu Superioris, ad quem spectabit collatio illius: siquidem ipsum sit tale, quod possit resignari: vt beneficium Ecclesiasticum. Nam nec retineri potest à possessore; cùm (ex cap. Si quis vltimò, prima quæst. 1.) nisi sponte relinquat, sit in æternum periturus. Neque restitui potest ei qui dedit: nam ne si quidem esset tantùm conuentionalis simonia, id fieri posset, vt in præced. sect. 2. ostensum est. Nec denique vlli de nouo conferri potest, nisi authoritate legitima Superioris. Ad quem proinde recurrendum est, & in manibus ipsius beneficium resignandum, vt illud pro sua potestate conferat idoneo. Nu.437.

Quoad acceptum temporale verò, controuersia est. Nam Sotus lib. 9. De iustitia & iure quæst. 8. art. 1. paulò ante solutionem argumentorum, affirmat ante Iudicis condemnationem faciendam esse restitutionem danti. Quod etsi locum habeat in duobus casibus ante propositis sub finem primæ sectionis: in quibus, cùm ipsi danti fiat iniuria, per talem acceptionem tanquam iniustam, eidem facienda est restitutio, tanquam debita naturali lege iustitiæ. Nihilominus extra casus illos alij communiter (vt Sotus ipse fatetur, & ante ipsum attigerunt à Victoria in posteriore parte relectionis De simonia nu. 6. & Sylu. verbo Simonia quæst. 20. dicto 2.) simoniacè acceptum existimant non debere restitui: quod consequens est ex habitis in eadem sect. 1. cùm ostensum est acceptum per mentalem simoniam, non esse obnoxium restitutioni de se, iuréque naturali.

Porro de iure canonico (quod latè tractat Suarez in sequen. cap. 60.) quando simonia commissa fuerit in iniuriam alicuius Ecclesiæ, vt solet commissa in beneficio: tenendum est cum D. Thoma 2. 2. quæst. 100. articul. 6. ad 4. restitutionem faciendam esse Ecclesiæ in cuius iniuriam datum est pretium, ex cap. De hoc §. finali, De simonia: vbi id, etiam ante Iudicis condemnationem procedere, significatur illis verbis: Cũ ea sine graui suæ salutis periculo retinere non possint. Et confirmatur per illud quod in cap. Audiuimus, eodem titulo præcipitur, vt si Episcopi aliquid exegerint, vt permittant in Ecclesiis sibi subiectis Clericos instituí, Monachos profiteri, mortuos sepeliri, restituant duplum applicandum in vtilitatem loci in cuius dispendium id factum fuerit. Si enim tale præceptum esset intelligendum suppositá Iudicis condemnatione, vix vllam haberet vim: cùm ordina Nu.438.

ordinariè non detur Iudex qui Episcopos de talibus condemnet. Quòd si Prælatus simul & omnes de eadem Ecclesia sint in culpa, tunc restitutionem Superioris authoritate faciendam esse, vel pauperibus vel alteri Ecclesiæ. Nauarrus in Enchir. cap. 25. num. 114. vers. 5. admittens (cum pluribus aliis quorum meminit Suarez loco cit. num. octauo) addit se non arbitrari dictam authoritatem esse in foro conscientiæ necessariam. Sin autem pecunia in nullius Ecclesiæ iniuriam data est, ea de consilio Episcopi distribuetur in pios vsus, vt habet à Victoria in cit. numero 6. Quod tamen consilium (cùm nihil de tali distributione habeatur iure statutum, vt notat Suarez in fine citati cap. 60.) si commodè haberi nequeat, nihil impedire videtur, quominus in eosdem vsus possessor illam rationabiliter expendere possit.

Atque deducitur ex dictis, illud quod loco citato Sylu. habet de eo quòd acceptum est per realem simoniam in collatione ordinis: quod si datum sit ab eo qui ad nullum Ecclesiasticum titulum ordinatus est, restitutio fieri debeat Ecclesiæ cathedrali: tanquam iniuria affectæ in eo, per læsionem in sua dignitate. Si verò ab eo qui ordinatus est ad titulum alicuius Ecclesiæ vel beneficij; eidem Ecclesiæ vel beneficio applicari debeat ob illius peculiarem iniuriam: perinde ac id quod per simoniam realem acceptum fuerit pro Ecclesiæ vel beneficij collatione, applicandum est eidem Ecclesiæ vel beneficio.

Nu.439. Deduci quoque potest accepta per alias simonias reales, quibus in nullius Ecclesiæ iniuriam pecunia datur pro re spirituali; vel non esse obnoxia restitutioni ante Iudicis condemnationem, vel esse conferenda in pios vsus: nisi quòd de acceptis per simoniam realem pro ingressu religionis, ratio sit specialis. Nam quando monasterium seu conuentus communicat in ea culpa, talia restituenda sunt ei qui dedit, vt in aliud monasterium ingrediatur, cùm non possit in illo permanere ob simoniam, ex cap. Veniés, & cap. Quoniam De simonia. Pari ratione, vt ex Panormit. habet Sylu. in sequen. dicto 3. acceptum per simoniam realem pro ingressu Ecclesiæ sæcularis, reddendum est ei qui dedit si non habeat vnde viuat, argumento citati cap. Veniens. Lege eumdem authorem.

Si quæras, An cùm quis acceptum bona fide restituit danti, cùm esset restituendum Ecclesiæ vel pauperibus iuxta antedicta; teneatur adhuc ad restitutionem. Respondetur negatiuè cum Francisco à Victoria in posteriore relect. de simonia num. 7. Ratióque negationis est, quòd talis restitutio debeatur tanquam opus pietatis, præceptum ab Ecclesia: de qua vt de pia matre credendum est, quòd sic bona fide restituentem, nolit ad aliquid amplius adstringere. Secus est verò de eo qui danti restitueret mala fide: quæ cùm non debeat cuiquam patrocinari, talis teneretur denuo restituere ei, cui iuxta antedicta, restitutio ipsa facienda fuit: nisi ille cui facta est, satisfaciat: receptum dando Ecclesiæ vel aliis quibus de iure tribuendum est. Ad quam satisfactionem non videtur teneri de præcepto, cùm non ipse qui dedit, sed alter qui accepit, iubeatur simoniacè accepta expendere in pios vsus.

LAVS DEO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRAXIS FORI

POENITENTIALIS AD DIRECTIONEM CONFESSARII IN VSV SACRI SVI MVNERIS.

PARS TERTIA: QVÆ EST DE PECCATIS TANQVAM REBVS AD EIVSMODI forum ſpectantibus.

Auctore P. VALERIO REGINALDO *Burgundo Sequano, è Societate* IESV.

PROOEMIVM.

HACTENVS de perſonis,& actionibus:deinceps de rebus ad pœnitentiale forum ſpectantibus dicendum eſt:quæ ſunt peccata, de quibus conteri & confiteri debet Pœnitens , & à quibus abſolui debet à Confeſſario,impoſita pro eis pœnitentiâ ſeu ſatisfactione. Modus autem de illis dicendi ad præſens inſtitutum accommodatè, hic eſt, vt tradatur ratio iudicandi an ſint,quænam & qualia ſint; nimirum vt ſciamus diſcernere inter illud quod eſt peccatum verè , & illud quod tantùm eſt apparenter:atque diſtinguere inter peccatorum ſpecies ; ac demum iudicare quod ſit mortale, quódque tantùm veniale. In quibus dubium non eſt,Confeſſarium debere eſſe verſatum,cùm confeſſiones,quas ex officio excipit , fiant de peccatis,proponendo illa ſecundùm ſuam ſpeciem & numerum : ipſéque teneatur confitentem dirigere ſi in aliquo erret:& qualia quátáque ſint ipſius peccata diſcernere,ne perperam vel abſoluat vel ſatisfactionem imponat ; quandoquidem nolenti emendare aliquod mortale , neganda eſt abſolutio:& pro qualitate peccatorum imponenda eſt ſatisfactio ex Concil.Trident.ſeſſ.14.cap.8.Iam talis ratio iudicandi;quædam eſt generalis,& quædam ſpecialis:eáque duplex,vna tradēda ſecundùm Theologiam practicam moralē;& altera ſecundùm Theologiam practicam Sacramentalem. Etenim practica Theologia aduerſus peccata, *ſicut medicina aduerſus morbos*,comparata ac inſtituta;habet duos vſus primarios in ordine ad ſpiritalem vitam;cuius ſeruit conſeruationi. Prior eſt (ex quo moralis dicitur) inſtruendi nos de ratione declinandi à malo & faciendi bonum:cùm dictum ſit 1. Petri 3. Qui vult vitam diligere & dies videre bonos,declinet à malo & faciat bonum.Poſterior vſus eſt (ex quo dicitur Sacramentalis)inſtruendi nos de ratione qua debitè ſalubritérque vſurpentur Sacramenta , in medelam animarum

Universidad de Deusto
Biblioteca

marum noſtrarum à Chriſto Domino inſtituta. Quæ cùm ita ſint: diſtinctio, quam hæc pars requirit, ob ingentem multitudinem ac varietatem tradendorum in illa, poterit commodè fieri in tres tomos: in quorum primo tradatur generalis ratio iudicandi de peccatis: in ſecundo verò, ſpecialis ratio iudicandi de illis ſecundùm practicam Theologiam moralem: & demum in tertio, iudicandi de iiſdem ſecundùm practicam Theologiam Sacramentalem.

PROPOSITÆ PARTIS
TOMVS PRIMVS.
DE GENERALI RATIONE IVDICANDI de peccatis.

PRÆFATIO.

SIcvt in ſpeculatiuis ſcientiis, iudicij omnis de propoſitionibus falſis, fundamentum primum ponitur illud communiſſimum principium, De nullo ſimul poteſt affirmatio & negatio eſſe vel vera vel falſa: ſic in practica Theologia, iudicij de peccatis actionum humanarũ (quo nomine ſignificantur eæ, quarum exercendarum homo æquè ac non exercendarum liberam habet poteſtatem) fundamentum primum ponitur, Declina à malo & fac bonum. Atque vt omnis illa propoſitio habetur pro falſa, quæ principio ſpeculatiuo memorato aduerſari cognoſcitur: ſic omnis illa humana actio peccatum eſſe iudicatur, quæ iſti præcepto practico repugnare deprehenditur: tanquam peracta non vitato malo, à quo declinandum: & omiſſo bono, quod faciendum fuit. Qua autem ratione id deprehendi poſſit, nobis propoſitum eſt in hac parte tradere, ac primò vniuersè. Ad quod antequam aggrediamur, pauca de peccati nomine & definitione præfari oportet.

De nomine & definitione peccati.

ATQVE de nomine ſciendum eſt ex D.Thoma 1.par.qu.63. art. primo, quamuis nomen peccati generaliter dicatur de omni eo quod deficit, nec cõgruenter propriæ ſuæ regulæ perfectum eſt; itaut extendatur tam ad ea quæ à natura vel ab arte ſunt, quàm ad ea quæ à libera hominis voluntate procedunt: vſum tamen communem, *quem hic ſequimur*, obtinuiſſe, vt quæ contra ſuam regulam ab arte fiunt, errores; quæ verò à natura, monſtra appellentur: peccatorum autem nomine, abſolutè intelligantur ea quæ à libera voluntate procedunt ſine rectitudine ſibi debita: id eſt, quæ non cõformantur ſuæ regulæ; quæ eſt lex æterna, de qua in ſequentibus. Vnde D. ipſe Thomas 1.2. quæſt. 71. art. 6. dixit peccatũ nihil aliud eſſe, quàm actum humanum malum: quaſi id nomen nihil ſpectaret ad ea quæ vel ab arte, vel à natura fiunt.

Ad exprimendam autem declarandámque peccati ſic accepti propriam rationem, multæ quidem definitiones excogitatæ ſunt: itaut vnus D. Bonauent. 2. ſent. diſt. 35. in expoſitione literæ, viginti referat, ſed vna ſufficere nobis poteſt ex D. Aug. lib. 22. contra Fauſtũ, cap. 27. approbata calculis, tum Theologorũ, *ſequentium in eo D. Thomã loco proximè citato*: tum Canoniſtarum *ſequentium gloſam penult. ad cap. Ille Rex De Pœnit. diſt.* 3. Quòd nimirum ſit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Qua definitione, nobis ſufficienter declarari peccati naturam, patet ex eo, quòd in peccato, vt ibidem notat D. Thom. duo diſtinguãtur: vnum vt materiale; nempe actus humanus: alterum vt formale; nempe obliquitas eiuſdem actus non congruentis cum ſua regula: perinde ac in claudicatione diſtinguuntur ambulatio tanquam materiale; & obliquitas eiuſdem, tanquã formale: prius illorum explicatur per priorẽ partem, *dictum, factum, vel concupitũ*, & poſterius per poſteriorem, *contra legem Dei æternam*.

Notanda ad pleniorem intelligentiam definitionis peccati.

VT autem hæc pleniùs intelligantur, nõtandum eſt primò, quod ex Gabriele habet Nauar. in Ench. prælud 7. nu. 8 dictum, factum, vel concupitum, non eſſe hîc accipienda pro rebus dictis, factis, aut concupitis: ſed pro actibus dicendi, faciendi, aut concupiſcẽdi; quaſi dicas; dictionem, factionem, aut concupitionem: itaut actus humanus prout intus à libera voluntate perficitur, vocetur concupitum; & vt intus latens manifeſtatur exteriùs, vocetur dictum: & demum vt executioni mandatur, vocetur factum.

Notandum eſt ſecundò. Cùm homo, ſicut peccat concupiſcendo, dicendo, aut faciendo malum, à quo declinare præcipitur: ſic etiam peccet non concupiſcendo, non dicendo, aut non faciendo bonum quod amplecti iubetur: ſub illis nominibus affirmatiuis; dictum, factum, vel concupitum: intelligenda eſſe negatiua: non dictum, non factum non concupitum ex D. Thom. in cit. art. 6. ad 1. Nam definitio non eſſet alioqui plena; ſiquidem non comprehenderet peccatum omiſſionis, in quod incurrit is, qui non præſtat illud quod poteſt & tenetur præſtare. Addo *& tenetur*, quia non peccat quis id omittendo; quod poteſt quidem, ſed non tenetur præſtare: vt dues (*quod eſt exemplũ Nauarri in eod. prælud. num.* 13. qui poteſt quidem ſed non vult dare centum aureos dicenti quòd occidet ſeipſum, niſi dederit: non peccat non dando: quia etſi poteſt, non tenetur tamen.

Notandum eſt tertiò. Quamuis præter legem æternam, ordinationémve diuinã de iis, quæ nos facere, aut omittere oportet, dentur: tum rationis iudicium, tum lex humana, tanquam actuum humanorum regulæ, ex quibus Philoſophi omnem illorum rectitudinem & obliquitatem iudicandam eſſe exiſtimarunt: Theologos tamẽ, vt D. ipſe Thomas expreſſit *ibidem ad vltimum*, ſpectantes peccatũ prout eſt Dei offenſa, de eo agere tantùm reſpectu habito ad legem Dei æternam, cuius tranſgreſſione ipſe Deus offenditur: neque ea quæ fiunt contra rationis iudicium aut legem humanam, aliter numerare in peccatis, quàm quatenus fiunt contra legem Dei æternam in ipſis incluſam: prout ſuo loco inferiùs declarabitur.

Cæterùm duo ſunt quæ in genere iudicari debent de peccatis: nempe quid ſit, vel non ſit habendum pro peccato: & quod peccati genus ſit illud, quod conſtiterit pro peccato habendum eſſe. De priore autem iudicium fieri debet ex ipſorum peccatorum cauſis & accidentibus: de poſteriore verò, ex eorumdem generali varietate. Cæterùm peccata cauſam efficientem, & finalem habent. Efficientem quidem, quia *ſecundùm ſuum materiale*, ſunt de numero actuum humanorum id eſt, eorum quos homo exercet prout rationis & liberæ voluntatis particeps. Finalem verò, quia tantis rationis & voluntatis liberæ ornamentis, fruſtra inſtructa non eſt à Deo anima noſtra: ſed in aliquem finem, in quo conſiſtat perfectio ipſius: & ideo debeat actiones ſuas ad eumdem dirigere. Habent quoque materiam & formam: non quidem ex quibus componantur, *vt nec reliqua accidentia habent*: ſed materiam in qua & materiam circa quam (illam ſubiectum, & hanc obiectum appellãt) & formam externam, puta regulam ad quam dictæ actiones dirigi debeant: legem inquam æternam: quæ propterea dici poteſt forma earumdem actionum, non ſecus ac Dialectica dicitur ſcientiarum forma: quandoquidem vt ad dialecticæ normam, definitiones & argumentationes ex quibus ſcientia cõficitur, dirigi debent, vt veræ ſint: ſic ad legem æternam dirigendæ ſunt actiones humanæ, vt ſint moraliter bonæ. Habent demum ſua accidentia quæ dici ſolent circumſtantiæ.

Cùm ergo ex his omnibus, & ex memorata varietate poſſit de peccatis iudicari; hic primus tertiæ partis tomus, in quo tradenda eſt generalis ratio iudicandi de peccatis, aptè diſtingui poteſt in quinque libros: vt primus ſit, de iis quæ ad iudicandum de peccatis conſideranda ſunt ex parte efficientis ipſorum. Secundus, de iis quæ ex parte finis. Tertius, de iis quæ ex parte formæ id eſt legis æternæ. Quartus, de iis quæ ex parte materiæ & accidentium, id eſt, obiecti, & circumſtantiarum. Ex ſubiecto enim, quod eſt anima rationalis, nullum iſtiuſmodi iudicium ſumitur. Quintus demum, ſit de iis quæ conſideranda ſunt ex parte generalis varietatis peccatorum. Cognitionem autem ſaltem rudem animæ humanæ, & facultatum, habituũ, paſſionum, actionúmque eius quam hæc doctrina exigere videtur, tanquam commune dicendorum fundamentum; quia vel trita eſt ex Philoſophia, vel facile eſt eã petere quantum ad hoc inſtitutum ſufficit, ex Nauar. in præludiis Enchiridij: viſum eſt non eſſe opus ſpeciali tractatu tradere, ſed prout res tulerit in ſequentibus, id attingere quod videbitur requiri ad noſtrum inſtitutum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER PRIMVS,
ET OPERIS TOTIVS VNDECIMVS.

DE IIS QVAE AD IVDICANDVM de peccatis consideranda sunt ex parte efficientis ipsorum.

PROOEMIVM.

PECCATI causa efficiens immediata ex D.Thoma 1.2.q.75. art.1. est voluntas in actum suũ exiens sine directione rationis & legis æternæ.Nam cùm peccatum sit liber actus hominis,necesse est vt proficiscatur à voluntate,per quam homo ipse est suorũ actuum dominus, liberam habens potestatem eos exercendi,vel nõ exercendi:hoc vel illo modo exercendi: vt ieiunandi vel non ieiunandi: & ieiunandi sumendo in cibum & potum panem tantummodo & aquam:vel seruando communem cæterorum ieiunantium consuetudinem. Quod dominium (fide credendum ex Conc.Trident.sess.6.can.4.5 & 6.)hæreticus negans homini,aduersatur tum apertis sacræ Scripturæ verbis Gen.4. Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius:] & Ecclesiastici 15. Deus ab initio constituit hominem & reliquit illum in manu consilij sui]& cap.31. Qui potuit transgredi, & non est transgressus;facere mala: & non fecit.] Tum etiam communi omnium notioni; nam omnes hoc vno separant hominem ratione vtentem,à pueris, amentibus, & bestiis,quod ille præsente cibo possit,etiam famelicus,cohibere se ab esu: pueri verò amentes,& bestiæ non possint; nisi violentiâ ipsis illatâ; vnde fit vt serui potius,quàm Domini suarum actionum censeantur.

Adhæc quia voluntas in suis actionibus sequitur iudicium intellectus; sicut appetitus sentiens,iudicium sensus: suo quoque modo intellectus causa est efficiens peccati:ex eóque munere dirigẽdi voluntatem, dicitur practicus:voluntas verò dicitur deliberata vel indeliberata pro diuersitate eiusmodi iudicij. Ipsum enim duplex est: vnum perfectum, quo intellectus antegressa deliberatione, *de qua paulo post*, iudicat aliquid esse agendum aut non esse agendum: alterum imperfectum quo sine deliberatione, & ex sola nuda apprehensione rei conuenientis vel non conuenientis, idem iudicat. Atque voluntas quatenus in functione sui muneris sequitur prius iudicium,dicitur deliberata:& actus ipsius, deliberatus: quatenus verò sequitur posterius iudicium, dicitur indeliberata; & actus ipsius,indeliberatus: per quem ipsa more cæterarum facultatum determinata à natura; in id quod obiicitur sibi,fertur necessario impetu: cùm per actum deliberatum tanquam libera suíque iuris,ad vnum ex pluribus propositis determinet se per seipsam.

Cæterùm ex cap.Sed pensandum est distinct.6. in perpetratione peccati cernitur

nitur progressus quem sanctus Iacobus in sua Canonica *cap.1. versu* 14.15.& 16. attigit. Primo quidem loco,est suggestio,id est, repræsentatio alicuius rei afferentis sensualem delectationem,aut dolorem,quæ vt plurimum prouenit à Diabolo,circumeunte quærendo quem deuoret 1.Petr.5. Vnde ille dicitur nos tentare, id est, suggerere nobis ea quibus sensualitas sic afficitur, vt intellectum & voluntatem inclinet ad ea persequenda, vel fugienda, contra legis æternæ præscriptum. Prouenit etiam plerumque à mundo, id est, à prauis hominibus, qui sunt cæteris exemplo malæ vitæ. Secundo loco verò, est oblectatio aut molestia, quam sensualitas experitur in eo quod suggeritur. Ac demum tertio loco est, voluntatis cum sensualitate consensus. Nam quando homo animaduersa culpa, ad quam sensualitatis affectus ducit, non terretur maiestate Dei, quæ inde offendenda est:sed victus blanditiis carnis & amore sui,eousque effertur,vt per summam superbiam neglecto Domini mandato, carnali affectui voluntate consentiat:perpetrat peccatum quod dicitur cogitationis: cui superadditur peccatum oris & operis, cùm homo ipse sine vllo sensu reatus, cui coram Deo obnoxius est, culpam intus latentem aliis hominibus aperit exteriùs, vel etiam in opus redigit. In quo progressu ex eodem cap. Sed pensandum est; nobiscum agitur sicut actum est cùm primo parẽte in perpetratione primi peccati. Serpens enim suggessit Euæ, quàm iucundus esset ille fructus de quo ne comederent,prohibuerat Deus:ex qua suggestione,delectata est Eua,aspectu & gustu eiusdem fructus: quæ demum traxit Adamum in consensum comedendi:sicque perpetratum est primum peccatum. Quæ cùm ita sint;quodam modo etiam Diabolus,praui homines, & sensualitas poni debent in numero causarum efficientium peccati.

Vt autem ad rem accedamus: ad iudicandum de peccatis ex ipsorum efficiente,quædam nobis consideranda sunt ex parte intellectus deliberantis: quædam ex parte voluntatis deliberatæ,& quædam ex parte sensualitatis allicientis voluntatem ad peccatum. Ex parte verò Dæmonis aut hominis deprauati, nihil speciale occurrit considerandum quod ad nostrum institutum faciat. Occurrunt verò multa iis,qui agunt de ratione fugiendi peccata:nempe Concionatoribus ac Scriptoribus librorum piorum.Contenti erimus dictis in libro secundo & in cap. quinto libri quarti: cùm maximè tanta hodie suppetat copia librorum, quibus abundantissimè instruimur ad cauendas talium hostium insidias propulsandósque impetus.

CAPVT I.

De deliberatione ad iudicandum de peccatis consideranda ex parte intellectus.

SVMMARIVM.

1 *Duo quæ deliberatio importat.*
2 *Quatuor gradus deliberationis.*
3 *Illorum differentia.*
4 *Iudicium intellectus,quod deliberatio importat, vniuersale esse potest aut particulare: per hoc que regitur voluntas in agendo:quod triplex esse potest.*
5 *Singulare iudicium practicum potest sub vniuersali vero falsum esse,& quomodo.*
6 *Regula de peccatis iudicandi ex deliberatione.*
7 *Duæ exceptiones quas eadem patitur.*
8 *Quæ non sunt in se deliberata, possunt esse in sua causa, & rationem peccati sortiri.*
9 *De cuius peccati grauitate, quomodo iudicari debeat.*

DVo ex parte intellectus deliberantis, sunt consideranda ad iudicandum de peccatis; deliberatio, & ignorantia.

De deliberatione autem notandum est ex Caiet. 2.2.quæst.88. art. primo, eam importare duo. Vnum est, per intellectum practicum facta collatio inter multa, saltem inter affirmationem & negationem: vt inter facere & non facere: alterum est determinatio ad vnum; quæ duplex est: vna intellectus practici in dictæ collationis conclusione, iudicantis prosequendum aut fugiendum esse illud de quo deliberatur; altera voluntatis acceptantis, id quod iudicio intellectus practici fuerit determinatum.Quam determinationem, perinde ac præcedentem, pertinere ad deliberationem: Caietan. ex eo confirmat,quòd quantumcumque aliquis iudicet sibi hoc magis quam aliud expedire,non adhuc tamen dicatur deliberasse donec vo- *Nu.1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

luntatem suam determinauerit ad illud quod iudicatum fuit: seu, quod idem est, in idipsum consenserit.

Nu.2. Quatuor verò sunt deliberationis gradus, vt idem author ibidem attigit. Primus est, deliberationis factæ cum manifesta & perceptibili collatione: qua scilicet rationibus hinc inde allatis (quas suppeditant circumstantiæ rerum quæ inter se conferuntur, argumentantes concludimus hoc potius, quàm illud esse faciendum: vt potius ingrediendum esse religionem, quàm ducendam vxorem.

Secundus gradus est deliberationis factæ cum collatione penè imperceptibili: qualis est cum alicui, ex improuiso occurrit hostis, cuius aspectu vehementer irà commotus, repente in eum irruit & occidit, Censetur enim id egisse ex deliberatione, quâ inter se contulerit occidere, tanquam bonum vtile, aut iucundum, quod suggerebat perturbatio: & non occidere, tanquam bonum honestum quod suggerebat conscientia, dictans illicitum esse occidere proximũ: illúdque voluit quod erat suæ perturbationi magis consonum. Idem iudicium est (*quemadmodum attigit Azor in 1. parte Moral. Institut. lib. 1. cap. 28. quæst. 5.*) cùm aliàs intellectus plura bona siue eiusdem generis; vt duo iucunda; aut duo honesta: siue diuersi, vt vnum iucundum & alterum honestum, voluntati proponit, ad hoc sufficienter, vt ipsa vnum liberè velle, amareque possit, & alterum non velle ac repudiare.

Tertius gradus est deliberationis, ex qua is censetur agere, qui postquam initio operis deliberauit, progreditur in eodem opere, actu deliberandi intermisso; exempli gratia qui scribit, non deliberat toto scriptionis tempore: sed tantùm initio illius, & tamẽ tota ipsa scriptio dicitur actio deliberata.

Quartus gradus, est deliberationis, ex qua is censetur agere, qui cognoscẽs se ex habitu seu consuetudine, vel ex aliquo prauo affectu, solere oblata certa aliqua occasione prolabi in aliquod peccati genus: negligit talem habitum extirpare vel affectũ prauum curare. Talis enim si oblata occasione in eiusmodi peccatum ruat, nulla etiam facta plurium inter se collatione censetur deliberatè peccare. Quod idem iudicandum est de eo, qui cùm tenetur, & potest deliberare, negligit deliberationem: vt accidit ei qui laborat ignorantia vincibili, de qua in sequenti capite.

Nu.3. Atque in horum quatuor graduum duobus primis, deliberatio est actualis, & in duobus aliis tantummodo virtualis: siquidem in tertio, deliberatio est tantùm virtute actus deliberandi, qui vsurpatus fuit initio operationis: & in quarto, tantùm virtute interpretatiui actus deliberandi, in eo qui negligit prauum habitum, aut prauum affectum corrigere: talis enim omittendo deliberationem adhibere, quam tenetur & potest, censetur deliberationi contrariæ adhærere.

Nu.4. Iudicium verò intellectus practici, quod ex ipso Caiet. deliberatio importat, potest esse vel vniuersale, vt illud quo absolutè iudicatur non esse committendum furtum: vel singulare, vt illud quo iudicatur hoc furtum: v.g. talis rei Deo dicatæ, non esse committendum: istúdque est, quo voluntas ad agendum applicatur: quandoquidem actus non exercetur in vniuerso genere, sed in singulari. Et potest perfici tribus modis. Primò, iudicando simpliciter non esse committendum tale singulare furtum; secundò, iudicando non esse committendum hic & nunc: postremò, iudicando peius esse ipsum committere, quàm aliquid aliud.

Nu.5. Porro quamuis iudicium singulare contineatur sub vniuersali, tanquam inferius sub suo superiori; ideoque videatur illi per omnia deberę in veritate & falsitate consentire; fieri tamen potest, etiam in eodem homine, vt generali iudicio existente vero, particulare sub eo contentum, sit falsum & erroneum; siue ex ignoratione alicuius circunstantiæ, quæ necessariò cognoscenda erat ad rectè de re proposita iudicandum in singulari (sicut accidit in iudicio erroneo Iacob cognoscentis Liam pro Rachele, Gen. 29.) siue ex insufficienti consideratione omnium circumstantiarum rei de qua agitur: vt solet in iudicio erroneo eorum, quibus infirmitas carnis, seu nimia perturbatio non permittit circunstantias rei propositæ, sufficienter considerare, sed facit præcipitare iudicium: siue denique ex ipsius rei propositæ comparatione cum aliis, quibus melior aut certè minus mala esse perperam iudicatur: vt accidit in iudicio erroneo peccantium ex malitia, qui nullum habentes ignorantiæ vel passionis impedimentum considerandi circunstantias rei de qua agitur, eas expendere nolunt suis affectibus indulgendo.

Regula generalis iudicandi de peccatis ex deliberatione.

EXpositis ad hunc modum iis, quę ad deliberationem pertinent, vna regula generalis statui potest iudicandi ex illa de peccatis; quæ est.

Nu.6. Ad rationem peccati, deliberationem iudiciúmve intellectus deliberatum ita requiri, vt vbi non adfuerit, nec peccatum adfuisse iudicari debeat. Hæc confirmatur primò, per cap. Sed pensandum est, dist. 6. vbi dicitur consentiendo ex deliberatione, peccatum perfici. Deinde ratione, quia actus voluntatis liber, quale est peccatum, requirit ipsum deliberatum intellectus iudicium. Ideo enim ex communi sententia (quod etiam habetur ex Clement. Si furiosus De homicidio) facta non modo puerorum antevsum rationis, & amentiũ, ac furiosorum, sed etiã ebriorum & dormientium, excusantur à peccato tanquam perpetrata sine vllo deliberato iudicio.

Nu.7. Excipe verò primò, nisi forte quis ebrietate aut somno vteretur tanquam instrumento perpetrandi criminis præcogitati: prout vsuenit ei (*quod exemplum ex D. Thoom. & Caiet. habet Nauar. in Enchir. cap. 16. nu. 8.*) qui dormiturus, se dedità operà certà ratione disponit, vt in somno polluatur; aut se vino obruit vt in ebrietate aliquem occidat. Nam talis non excusaretur à peccato, quasi egerit ex indeliberatione, quia tunc interuenit deliberatio tertij gradus, quæ facta est in peccati inchoatione ante somnum. Ea enim manet virtute, quo tempore in somno vel in ebrietate facinus perpetratur. De qua re præclarè disserit Caiet. 2. 2. quæst. 154. art. 5. Excipe secundò, nisi quis sciens se consueuisse in somno vel ebrietate facinus aliquod perpetrare; vt arma corripere ac percutere; non adhibeat diligentiam quam debet in præcauendo: vt in remouendo à se arma, ne dũ somno vel ebrietate corripitur noceat alicui. Nam nec talis si dormiens vel ebrius aliquem occideret, excusaretur à peccato per defectum deliberationis: quia illa quæ est quarti gradus interueniret, vt manifestum est.

Nu.8. Quas duas exceptiones Couarr. tractans ad Clement. Si furiosus, *initio 3. partis num. 6. & 7.* addit ex Diuo Thoma, & nonnullis aliis: facta dormientis, quę tanquam indeliberata non habent ex se rationem peccati, illam habere posse ex sua causa, in qua sunt deliberata; v.g. pollutionem contingentem in somno ob

no ob ingluuiem, aut turpes cogitationes diurnas, peccatum esse: quia etiamsi non sit actus directè in seque deliberatus; est tamen deliberatus indirectè, seu in alio, ex quo tanquam ex causa sequitur ordinariè: adeout acceptando illud, pariter ipsum acceptari censeatur: eo scilicet modo quo is, qui feruente sole vult in campo ambulare, censetur quoque velle æstuare. Quod quidem sufficere ad peccatum, Caiet. loco cit. ex eo confirmat: quòd euerteretur alioqui doctrina quæ de voluntario indirecto communiter traditur: ipsum nimirum esse liberum, ac laude vel vituperio, præmio vel supplicio dignum. Nec tunc erit locus excusationi per ignorantiam inuincibilem: quia cognitio causæ, ordinariè connexæ cum suo effectu, huius præuidendi motiuum occasionémque sufficientem præbet: quod non vsuenit; locúsque est prædictæ excusationi, quando ex causa effectus sequitur tantùm extraordinariè.

Num. 9. Aduerte autem obiter, factum in ebrietate, aut aliàs extra vsum rationis, ita esse peccatum, vt non excedat malitiam causæ in qua sola fuit liberè volitum: ideoque si ebrietas ex qua homicidium sequitur, fuerit solummodo peccatum veniale: erit & ipsũ homicidium; non autem mortale, sicut esset in se, nec solummodo in sua causa, volitum. Ad quod facit illud D. Augustini de Loth, *relatum 15. quæst. 1. cap. Inebriauerunt.* Culpandus est quidem non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa ebrietas meretur: hincque D. Thom. 1. 2. *quæst. 76. art. 4. ad 2.* ait homicidium commissum à sobrio esse grauius peccatum quàm commissum ab ebrio, & ipsam ebrietatem. Quod ita explicatur. Homicidium ex se, & vt à sobrio committitur, habeat ex hypothesi, malitiam octo graduum, & ebrietas malitiam duorum, quia homicidium quod per hanc committitur quódque tantummodo in ea est volitum, consequenter habet tantummodo malitiam duorum graduum: duplo certè plus malitiæ inerit in homicidio, quod à sobrio committitur: quàm in ebrietate simul & homicidio per eam commisso.

CAPVT II.

De ignorantia ad iudicandum de peccatis consideranda ex parte intellectus.

SVMMARIVM.

10 *De qua ignorantia agatur hoc loco.*
11 *Eiusmodi ignorantia, quædam est iuris, & quædã facti.*
12 *Hæcque rursus vel est facti in se, vel facti in sua circunstantia.*
13 *Distinctio ignorantiæ in antecedentem, comitantem & consequentem, quidque sit vnaquæque earum.*
14 *Duo modi quibus contingit ignorantia consequens: & quæ eiusmodi dicatur affectata, quæ prauæ electionis, & quæ supina & crassa.*
15 *Quæ ignorantia sit peccatum: & quæ scire teneamur.*
16 *Ignorantia quæ est peccatum, includit incuriam voluntatis.*
17 *Quæ ignorantia sit causa peccati.*
18 *Ignorantia augens vel minuens peccatum.*
19 *Ignorantia excusans à peccato.*
20 *Ignorantia relinquens peccatum in sua natura.*

HÆc consideratio, si quæ alia, magnum adiumentum affert ad iudicandum de peccatis: & quamuis amplissima sit (vt videre est apud Cordub. qui totum 2. lib. sui quæstionarij 30. quæstionibus distinctum in ea infumit) nobis tamen sufficiet pertrinxisse, quæ ad praxim attinent proximè.

Nu. 10. Notandum est igitur primò, ad morale institutum spectare tantùm ignorantiam eorum, quæ scire tenemur; neque referre an talis sit pura, an verò mixta, cum errore; vt cùm quis non modò nescit id quod res est; sed etiam de ea aliter quàm est, indicat: siue cum habituali cognitione (vt cùm quis non aduertit animum ad id quod iam didicit) itaut ignorantiæ nomine hîc complectamur, tam nescientiam: seu puræ negationis, *vt vocant*, ignorantiam; quàm deceptionem: seu, *vt vulgo nominant*, prauæ dispositionis ignorantiam, ac etiam inaduertentiam, & obliuionem.

Nu. 11. Notandum secundò, id quod scire tenemur vniuersaliter spectatum, significari nomine iuris: ac quędam comprehendere quæ scire tenemur, tantùm vt sciamus, nempe articulos fidei: & quædam vt agamus, nempe legum nos obligantium præscripta, quæ proprie dicuntur iura. Spectatum verò singulariter, significari nomine facti. Sicque ignorantia spectans ad hoc institutum, diuiditur adæquatè in ignorantiam iuris, quâ ignoratur illud quod lex vniuersè præscribit: & in ignorantiam facti, quâ licèt quis intelligat illud quod lex vniuersè præscribit, de aliquo tamen singulari ignorat, an præscribatur sub illo vniuersali contentum.

Nu. 12. Id quod potest dupliciter accidere: vno modo ignoratione facti in se, vt cùm quis nouit homicidiũ esse prohibitum lege diuina, & ignorat homicidium esse quod perpetrat, dum existimans se iaculari in feram, iaculatur in hominem. Altero modo ignoratione circunstantiæ facti, quâ ignoratâ cõmuniter ignoratur ipsum factum esse prohibitum. Cuiusmodi fuit ignoratio patriarchæ Iacob, cum ei pro Rachele supposita est Lia. Sciebat enim accedere ad non suam, seu fornicari, prohibitum esse lege Dei: sed ignorabat esse non suam, ad quam accedebat: quod est ignorasse circunstantiam personæ in suo facto: ex qua ignoratione consequebatur vt ignoraret idipsum factum esse de genere fornicationum, lege Dei prohibitarum. Idem iudicium est de aliis circunstantiis: itaut possit tot rationibus contingere facti ignorantia, quot esse possunt variæ circunstantiæ facti, quarum ignoratione, ipsum prohibitum esse ignoratur: prout Alfonsus à Castro bene annorat *in lib. 1. de lege pœnali cap. 14. vers. Ignorantia solium facti.*

Num. 13. Notandum tertiò, ex D. Thoma 1. 2. quæst. 6. art. 8. ignorantiam in ordine ad actum moralem seu liberum, tripliciter se habere posse: vno modo antecedenter, altero comitanter, & 3. consequenter; indéque illam distingui in antecedentem, comitantem, & consequentem.

Antecedens autem ignorantia dicitur quæ tollit cognitionem, qua posita actus peccati nullo modo perficeretur (*vnde censetur causa eiusdem*) saltem consentiente voluntate: qualis ignorantia est in eo qui displodit catapultam in hominem quem putat esse feram: nõ displosurus, si hominem esse cognosceret. Hæcque dicitur tum inuincibilis, cùm talis est, quam quis vincere non potuit adhibitâ diligentiâ quam tenebatur ad sciendum adhibere: tum vincibilis, cùm contra talis est, quam quis vincere potuit adhibitâ diligentiâ prædictâ. Comitans verò dicitur quę tollit cognitionem; quâ posita actus nihilominus fieret: & ideo nec antecedere tanquam causa, nec sequi tãquam effectus, sed comitari censetur: talis est cùm quis ignorat esse suum hostem in quem displodit catapultam, displosurus nihilominus si hostem esse sci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu. 14.

ret. Consequens demum dicitur illa, quæ voluntatis actum sequitur tanquam effectus suam causam.

Quod duobus modis fieri D.Thom.loco citat.docet: vno, quia voluntas illam directè vult: (vnde ignorantia affectata dicitur) siue ad malum vitandum; vt contingit in eo qui putat cognitionem oppositam sibi fore noxiam: velut in D. Paulo, qui ex cap. 1. prioris ad Timoth. nolebat audire Euangelium Christi, sed persequebatur illius præcones; eo quòd putaret discendo, se cum offensione Dei abducendum à paternis traditionibus, quarum æmulator abundantius extitit ex cap. 1. epist. ad Galat. siue ad malum faciendum, id est, ad peccandum liberius, prætexendámque peccato excusationem: vt illi de quibus Iob. 21. dicunt Deo recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus] & Psal. 35. Noluit intelligere vt bene ageret] & Isai. 30. Qui dicunt aspicientibus nolite aspicere nobis quę recta sunt loquimini nobis placentia.] Altero modo, quando voluntas ignorantiam ipsam vult indirectè: vt censetur velle, quando eam non vitat dum potest & debet. Síque in facto contingat, vt cùm aliquis ex passione, vel habitu, vel alia de causa qua inclinatur ad agendum, non consideret id quod potest & debet considerare, dicitúrque ignorantia prauæ electionis, & virtualiter volita: nempe volendo passionem vel aliam causam ex qua sequatur. Sin autem contingat in ture, vt cùm quis non quidem ex auersione quam habeat à cognitione, sed ex negligentia, non discit, quod potest & tenetur discere; appellatur ignorantia supina, & crassa, & volita interpretatiuè.

Generalis propositio seu regula iudicandi de peccatis ex ignorantia.

His ita positis, quomodo ex ignorantia iudicium de peccatis possit fieri, declaratur hac regula, seu generali propositione morali. Ignorātia est quādoque peccatum, quandoque peccati causa, quandoque auget peccatum, quandoque minuit illud, quandoque excusat à peccato in toto, quandoque solùm in parte, quandoque demum illud relinquit in sua malitia.

De ignorantia vt est peccatum vel causa peccati.

Nu. 15. PRima pars, quandoque scilicet ignorantiam esse peccatum, patet: quia ignorantia consequens ex D. Thom. 1.2. *quæst. 76. art. 2.* peccatum est quatenus prouenit à praua hominis voluntate; qua non vult adhibere diligentiam ad sciendum ius illud quod scire obligatur, vel ad considerandum factum suum, quod eidem iuri conformare tenetur: De quo peccato in priori ad Corinth. cap. 14. dicitur Si quis ignorat ignorabitur] & Psal. 24. Ignorantias meas ne memineris.] De eo verò iudicandi ex præcepto sciendi aliquid, ratio cadē est quæ iudicandi de cæteris peccatis ex præceptis quorum transgressione committuntur.

Aduerte autem quemque fidelium obligari scire, tum id quod explicitè credere tenetur, iuxta illud à Domino dictum Marci vltimo, Qui non crediderit condemnabitur:] vt 12. articulos symboli Apostolici: de quibus rudes instituendi familiarem modum tradidimus in præced. lib. 2. cap. 13. Tum etiam id quod seruare tenetur iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata:] non enim potest seruare ea quæ ignorauerit. Tenetur verò seruare primò præcepta decalogi, & cætera iuris naturæ, quæ ad illa reducuntur, prout in sequen. lib. 13. suo loco exponetur: Deinde præcepta de Sacramentorum suscep-tione quæ sunt iuris positiui diuini. Præterea ex iure humano positiuo, illa quæ specialiter dicuntur præcepta Ecclesiæ, nempe de non faciendo opere seruili, & de audienda Missa in die festo: de ieiunando, vel abstinendo à cibis vetitis certo tempore: de confitendo semel in anno, & sacrosancta Eucharistia quotannis recipienda circa diem Paschæ: Denique ea quæ ad proprium cuiusque statum pertinent: vt quæ ad statum & officium Episcopi, si Episcopus sit: & quæ ad officium statúmque Iudicis, si sit Iudex: & ita de reliquis: de quibus Institutis, De lege Aquilia §. Præterea, dicitur imperitiam in re ad proprium officium pertinente, non excusare: & ff. De rebus cred. lege Quod te mihi: Paria esse scire & debere scire.

Cæterùm ignorantia quæ est peccatum, vt D. Bonauen. *in 2. sentent.* admonet, *distinct. 22. art. 2. quæst. 2. ad 4. tradúnque alij de quibus Az. or post citandus.*) non tantùm dicit scientiæ priuationem, sed etiam voluntatis incuriam, negligentiamve acquirendi scientiam necessariam: quia solus ille peccat ignorando, qui obligatur scire quod ignorat, & negligit scire data commoditate. Atque inde fit, quòd notat Alfonsus à Castro *lib. 2. De lege pœnali cap. 14. versu Ignorantia solum facit*, vt malitia ignorantiæ mensuretur per magnitudinem aut paruitatem negligentiæ, & obligationis ad scientiam acquirendam: Sic enim, *inquit ille*, ignorantia censetur peccatum mortale, cùm obligatio ad sciendum fuerit sub pœna peccati mortalis: sicut est obligatio ad sciendum articulos fidei & præcepta decalogi: tantóque magis vel minus quis à tali peccato excusatur, quanto maiorem vel minorem adhibuit diligentiam ad sciendum quod scire tenebatur: sique nullam adhibuit, nullam quoque habet sui peccati excusationem: & iuxta Apost. in priori ad Corinth. 14. Ignorans ignorabitur.] Nu. 16.

Secunda propositionis pars, *quòd scilicet ignorantia quandoque sit causa peccati*, patet etiam: quia ipsa iam dicta ignorantia consequens, dū in ordine ad alium actum voluntatis accipit rationem ignorantiæ antecedentis; tollendo nimirum cognitionem, quæ si adesset, peccatum non perpetraretur, est illius causa: sicut & absentia nautæ tollendo eius præsentiam per quam naufragium impediretur, causa est eiusdem. Sic Titius, si ex voluntatis incuria ignorans simplicem fornicationem esse peccatum, fornicetur; id minimè facturus si peccatum esse sciret, dicitur peccare ex ignorantia: significando peccatum fornicationis ex ea procedere tanquam ex causa. Quòd si præsente cognitione, peccatum nihilominus perpetraretur, quia ignorantia tantùm esset comitans, ea non censeretur esse causa peccati: sicut nec absentia nautæ censetur causa naufragij, si hoc per præsentiam ipsius non esset impediendum. Vnde qui sic peccat ignorans, vt quantumuis illud quod agit sciret peccatum esse, ageret nihilominus, non dicitur ex ignorantia, sed ignoranter, seu cum ignorantia peccare: nimirum vt significetur, ignorantiam fuisse quidem peccati comitem, non tamen causam. Nu. 17.

De ignorantia vt auget vel minuit peccatum, aut ab eo excusat.

TErtia pars propositionis, *nempe ignorantiam quandoque augere, quandoque verò minuere peccatum,* Nu. 18.

tum, confirmatur: quoniam camet ignorantia consequens, peccatum auget quatenus ad malum faciendum voluntas illam vult in se, directéque: minuit verò, quatenus illam vult in sua tantùm causa & indirectè aut certè (quod potius videretur dicendum) maiorem vel minorem peccati malitiam indicat: quippe quæ directè volita, tanquam nata ex valde intenso (*& ideo aperiendo in confessione, ad plenè patefaciendum animæ statum*) voluntatis affectu perpetrandi peccati, ostendit peccatum ex ea procedens perpetrari cum maiore voluntatis malitia, quàm si procederet ex ignorantia indirectè volita: quæ dum impedit ne factum ex ipsa procedens sit híc & nunc directè volitum, ostendit ipsum exerceri cum minore voluntatis malitia, quàm si procederet ex ignorantia directè volita: adeóque peccatum esse minus.

Dixi, ad malum faciendum, quia secus res habet, cùm voluntas directè vult ignorantiam ad bonum faciendum, vt patet ex cap. 1. prioris ad Corinth. cùm dixit Apost. Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Quibus verbis indicat suam ignorantiam, quæ procedebat ex nimio affectu benefaciendi (qui erat obseruandæ legis veteris) effecisse peccatum suum leuius & magis dignum venia.

Nu. 19. Quarta pars propositionis, *ignorantiam videlicet quandoque excusare à peccato in toto, quandoque in parte tantùm*, confirmatur: quia ignorantia antecedens cùm est pura, hoc est, cùm nullam induit rationem ignorantiæ consequentis (vtpote neque directè neque indirectè volita) est ea quæ inuincibilis dicta, excusat à peccato, id est, in facto quod ab ea procedit impedit peccati rationem, *ex cap. 2. de constitut. & ex cap. Apostolica De Clerico excommunicato ministrante.* Et ratio est, quia factū ex ignorantia, cùm sit in se incognitum, non potest esse in se volitum, iuxta cōmune axioma, Nihil volitum nisi cognitum. Quare in sua tantùm causa, nempe in ignorantia, voluntarium esse potest; & per consequens, sicut non est magis voluntarium quàm ipsa ignorantia, ita nec est magis peccatum (siquidem de ratione peccati est à libera voluntate procedere) sique ea nullo modo sit peccatum, neque etiam erit quod ex eadem factum fuerit. Iam cùm rationem peccati ignorantia habeat ex defectu diligentiæ, quæ adhiberi debuit ad ipsam vincendam, necessariámque cognitionem parandam; sicut ipsa est peccatum maius vel minus, pro maiore vel minore defectu talis diligentiæ, ita nullum est peccatum, cùm nullus eiusmodi defectus fuerit, hoc est, cùm adhibita fuerit omnis diligentia, quæ adhiberi potuit & debuit ad parandam cognitionem vincendámque ipsam ignorantiam (sicut oportet adhibitam esse, cùm ignorantia fuerit inuincibilis, iuxta dicenda in sequenti cap.) ideoque illud quod per eam fit, à peccato excusatur: nonnunquam quidem in toto, nonnunquam verò in parte, prout factum eiusmodi potest ex ignorantia procedere, vel secundùm illa omnia ex quibus ipsum poterat cognosci peccatum esse: vel secundùm aliqua tantùm: quomodo ignorantia Patriarchæ Iacob cognoscentis Liam pro Rachele, ipsum excusauit omnino à peccato: ignorantia verò Iudæ cognoscentis nurum suam Thamar Genesis 38. quam nurum esse nesciens, suspicabatur meretricem: excusauit quidem factum ipsius à peccato incestus, non tamen à peccato fornicationis: quia licèt ignoraret inuincibiliter se accedere ad nurum: non ignorauit tamen se accedere ad non vxorem suam: quæ obseruatio est Caietani 1.2. quæst. 76. art. 6.

De ignorantia quæ relinquit peccatum in sua natura.

VLtima pars propositionis, *hoc est, ignorantiam quandoque relinquere peccatum in sua natura*, probatur: quia ignorantia comitans cùm est pura (vt illa qua quis dum venatur omnem quam debebat adhibuit diligentiam, ne quem hominem occideret, & putans se iaculari in feram, iaculatur in hostem: idem facturus si hostem esse sciuisset) relinquit actum in sua natura, hoc est, nec vllam dat ei peccati rationem, nec illum excusat à peccato, si aliunde peccatum sit. Nullam autem dare ei rationem peccati patet; quia nullam dat voluntarij: non quidem directi, quia tollit cognitionem per quam in se cognoscatur, vt directè volitus dicatur; nec indirecti, quia talis ignorantia excludit omnem negligentiam, in qua ille indirectè volitus esse censeatur. Nu. 20.

Neque verò excusare à peccato paret: quia non reddit actum inuoluntarium: sed solùm non voluntarium: ex eo scilicet, quòd supponat quidem voluntatem ad illum vólendum propensam: non item, *ne interpretatiuè quidem*, propensam ad illum nolendum, prout esse deberet, vt à peccato excusare posset. Id quod patet in ignorantia inuincibili, quæ excusans à peccato, facit ipsum non modò purè non voluntarium *per remotionem scilicet cognitionis & negligentiæ*: sed etiam inuoluntarium: hoc est, non voluntarium cum quadam nolitione mixtum; ob affectum nimirum, quo ipsum repudiaretur omnino, si peccatum esse cognosceretur.

Aduerte autem pratum affectum, ignorantiæ coniunctum, illiúsque quasi comitem, quando fuerit tantùm habitualis, nihil obstare propositæ excusationi à peccato, cùm nec obstet bonitati actus, sed eum in sua natura relinquat, vt patet ex eo quod Daniel in cap. 4. deprauatum Regem Nabuchodonosor hortatus sit ad faciendam eleemosynam. Quando autem prauus affectus fuerit actualis exiēritue in actum externum, interdum eidem excusationi ipsum obstare, prout exemplo declaratur ad hunc modum. Cùm quis displodendo catapultam in aliquid quod probabiliter existimat esse belluam, actu recordatur inimici, optando mortem eius, quem & fortè necat, putans necare belluam: talis necatio illi non imputatur ad peccatum, quoniam ea non processit ex necantis prauo affectu erga necatum, sed ex illius voluntate licita occidendi belluam. Quòd si ille cum tali affectu coniunctam haberet voluntatem committendi homicidium: vt si probabiliter quidem putet se occidere belluam, voluntatem tamen habeat feriendi positum in suo prospectu, siue bellua sit siue homo, & multò magis si existimet posse esse suum inimicum, & ideo displodat, reus est homicidij, non obstante quòd probabiliter existimet se displodere in belluam: perinde ac reus est adulterij, qui etsi sciat se commiscerī propriæ vxori, illam tamen cognoscit tanquam alienam, seu imaginando se commiscerī alienæ, quam concupiscit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT III.

De ignorantia inuincibili specialiter.

SVMMARIVM.

21 *Duo modi quibus ignorantia inuincibilis contingere potest.*
22 *Ius aliud naturale, aliud positiuum, aliud primarium, aliud secundarium.*
23 *Naturalis iuris primarij ignorantia inuincibilis esse non potest: secundarij potest.*
24 *Potest esse quoque iuris positiui siue diuini siue humani: ac etiam facti, tam eius quod fuerit contra ius naturale: quam eius quod contra ius positiuum.*
25 *Moralis diligentia adhibita ad habendam cognitionem, requiritur vt ignorantia tanquam inuincibilis censeatur excusare à peccato.*
26 *Requiritur etiam, vt cùm quis sibi non sufficit, consilium virorum proborum, doctorum, & Catholicorum exquirat.*
27 *Bona fide idipsum exquirendum est.*
28 *In leuioribus paucos, in grauioribus plures consulere conuenit: & quorum sententiæ sit standum.*
29 *Quid faciat destitutus ope virorum prædictorum, quos consulat.*
30 *Ad constituendam ignorantiam inuincibilem, quanta diligentia debeat adhibita esse in acquirenda cognitione.*
31 *Difficile esse discernere quando sufficiens adhibita sit.*
32 *Cogitatio aliqua de rei malitia, necessaria est vt quis ob defectum adhibitæ diligentiæ, negetur excusari à peccato per ignorantiam inuincibilem.*

VIA ignorantia inuincibilis quam dicimus à peccato excusare; multa requirit quorum ignoratione facile est labi in iudicio de peccatis, oportet illa persequi antequam veniamus ad alia.

Nu.21. Ac principio notandum est, duobus modis accidere posse vt homo inuincibiliter ignoret id quod scire tenetur: altero, itaut nunquam illud ei in mentem venerit, nec vlla dubitatio de obligatione acquirendi illius cognitionem, animum ipsius pulsauerit: aut pulsauerit quidem, non tamen venerit in mentem quòd medium occurrens tale esset, per quod acquirenda fuerit ipsa cognitio: vt si quis conniciens aliquam excommunicationem denunciandam esse, absit à vespertinis precibus, in quibus denuntiatur, censetur eam denuntiationem inuincibiliter ignorare, si adesse precibus vespertinis, nullatenus apprehenderit vt medium accommodatum ad tale quid sciendum. Altero modo verò: accidere potest hominem ita ignorare id quod scire tenetur, vt de eodem habeat dubitationem, aut sciat se illud ignorare. Atque de ignorantia prioris modi, cùm nullo modo sit in potestate voluntatis humanæ, constat eam esse inuincibilem & excusate à peccato.

Nu.22. Aduertendum est autem, id quod scire tenemur, esse aut ius, aut factum: ac ius rursus, esse aut naturale aut positiuum: quorum illud ratio naturalis ita suadet seruandum, vt iudicemus malum esse ei contrauenire, etiamsi nihil aliud nobis constet de voluntate Superioris (id est Dei) qua ad illud nos adstringere intendat. Hoc verò, nisi voluntate Superioris impositum esse constiterit, nulla ratio sufficienter ostendit ipsum inducere obligationem ad peccatum: quo modo præcepta de suscipiendis Sacramentis, dicuntur esse iuris diuini positiui: quia quamuis illorum aliqua ratio reddi possit, non tamen ita efficax, quin ad illorum obligationem affirmandam recurrendum sit ad manifestationem diuinæ voluntatis super ea re factam reuelatione Spiritus sancti. Adhæc ius naturale est vel primarium seu strictum, vel secundarium seu laxius. Ac primarium dicitur illud, cuius obligatio statim apparet omnibus. Secundarium verò dicitur, cuius obligatio non potest facilè videri, sed longiore discursu mentis opus est ad eam deprehendendam. De qua re plenior cognitio habebitur per ea quæ in sequenti lib. 13. tract. 2. cap. 1. dicentur.

Cúmque hæc ita sint, prior ignorantiæ inuinci- *Nu.23.*
bilis modus, ex D. Thomæ doctrina *in 1. 2. quæst. 93. art.* 4. quam tractat Sotus in 1. De iustitia & iure quæst. 4. art. 4. non potest quidem in iure naturali primario habere locum; potest tamen in iure naturali secundario, & in iure positiuo, in omnique facto. Nam ius naturale primarium tale est, vt obligatio illius cognoscatur; vel sine discursu sola apprehensione terminorum præcepti quo proponitur: vt Honestè, seu rationi congruenter viuendum esse homini: Non esse faciendum alteri quod tibi factum nolis; vel si discursum requirat, is est facilis omnibus: vt non esse furandum, cùm non sit faciendum alteri quod tibi factum nolis. Quo fit vt ipsum ignorari non possit, priori illo ignorantiæ inuincibilis modo; vtpote quod sic à natura inculcatur, vt discatur, etiam nemine extrinsecùs docente, aut intimante Superioris nomine.

Ius autem secundarium cùm tale sit, vt obligatio eius non facilè, sed longiore tantùm aliquo discursu (ad quem non omnes idonei sunt à natura) cognoscatur: ignorari potest inuincibiliter: vt ex mutuo deta pecunia lucrum reportare illicitum esse. Ad eripiendum alium à morte, non esse licitum mentiri: & id genus alia, quorum malitia potest quidem naturali ingenij lumine detegi, sed cum magna difficultate: ideoque possunt ab aliquibus rudioribus inuincibiliter ignorari, etiam per longum tempus.

Præterea iuris positiui non modo humani, sed etiã *Nu.24.*
diuini: eiusdem modi ignorantiam esse posse, patet ex verbis Domini Ioan. 15. Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.] Et confirmatur ratione: quia cùm ius positiuum siue diuinum siue humanum, naturali ingenij lumine disci non possit, quamdiu ab externo doctore nullatenus discitur, inuincibiliter ignoratur.

Denique eamdem ignorantiam posse quoque esse facti: tam eius quo contra ius naturale, quàm eius quo contra ius positiuum peccatur; manifestum est ex eo, quòd Loth potuerit cohabitationem cum propriis filiabus (quæ fuit contra ius naturale) inuincibiliter ignorare.

Dignum autem est animaduersione in hac re, quod *1. 2. quæst. 6. art.* 8. Caiet. attigit: in eo etiam qui ius nouit, facilè contingere ignorantiam facti (quam communiter inconsiderationem & inaduertentiam vocamus) inuincibilem: quoniam ea est imbecillitas humana, vt plerumque ad illud quod habitu nouit, non aduertat actu animum, & per inconsiderationem contra illud agat. Quam inconsiderationem in homine bonæ & timoratæ conscientiæ plerumque inuincibilem esse ideo iudicandum est; quòd cùm ille sic affectus, sit vt ius ipsum seruare intendat; existimari debeat, quòd si talis inconsideratio vincibilis fuisset, eam vicisset: ex odio quo peccatum prosequitur, & vo[illegible] tatem habet ab eo auersam.

Requi

Requisita ad constituendam in dubio ignorantiam, quæ tanquam inuincibilis excuset à peccato.

SECTIO PRIOR.

DE ignorantia posterioris modi, occurrit expliandum quid facere oporteat, vt censeatur inuincibilis, & excusare à peccato.

Nu.25. In genere ergo statuitur ex communi sententia, sufficere, vt quis ad eam vincendam adhibuerit moralem diligentiam, id est, tantum operæ, & studij posuerit in comparanda cognitione ea quam habere tenetur, quantum moraliter sufficit. Iam quantùm moraliter sufficiat, intelligitur ex ratione agendi virorum prudentium ac proborum, nec scrupulosiorum: itaut ille qui ad sciendum quod scire tenetur, fecerit quod vir prudens ac probus, non scrupulosior, solet in eo frequenter facere censeatur ignorantia inuincibili laborare, & à peccato excusari, sicut excusatus est Iacob dormiens cum Lia, etiamsi aliqua humana diligentia, *vt adhibito lumine*, sitam ignorantiam vincere potuerit: quia non oporter, vt quoties maritus ad lectum vxoris accedit cum ea dormiturus, lumine adhibito exploret: an ea quæ in lecto cubat, sit vxor sua: cùm viri prudentes id non faciant communiter, nisi aliqua se obtulerit iusta inquirendi occasio.

In particulari verò, ista statuuntur præstanda, vt diligentia moralis adhibita esse censeatur ad ignorantiam vincendam, vt dicatur inuincibilis.

Nu.26. Primum est, vt cùm quis non potest per se, propriáque meditatione assequi cognitionem eius de quo dubitat, & scire tenetur: non modo (*vt consultum est*) se Deo commendet, & animam suam præparet ad obtinendam ab eo cognitionem veritatis; sedetiam quoad potest consulat homines doctos, probos, & Catholicos: quibus neglectis, tantummodo recurrẽs ad Deum, perinde agit ac si æger spretis medicis, petat à Deo sanari, ipsius tentans bonitatem, & se illusionibus dæmonis exponens. Dixi viros doctos (quorum nomine exercitati in Theologia practica, intelligendi sunt: sicut cùm de corporeis morbis agitur: nomine virorum doctorum ij intelliguntur, qui in medicina sunt versati) quia si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.] *Matth.* 15. & *Luc.* 6.

Dixi, *& probos*, quia quantumuis dictum sit à Domino Matth. 23. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate & facite: secũdum opera autem eorum nolite facere [tamen consilium sanius à bonis, quàm à malis expectandum esse indicat Sapiens, cùm ait Ecclesiastici 37. Anima viri sancti enunciat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.] Immo si quis cognoscatur in re quapiam habere malam conscientiam: vt v. g. in retinendis sibi beneficiis Ecclesiasticis, non est super tali re consulendus: quia non potest facilè præsumi, quòd aliis melius, quàm sibi consulat; qui enim sibi nequam est, cui alij bonus erit? Ecclesiastici. 14.

Dixi denique *Catholicos*, vt significem tales esse consulendos, qui cum Romano Pontifice Christi Vicario consentiunt in doctrina: vt illi censentur qui sacros Canones, & quidquid aliud Sancta Romana Ecclesia approbat, sequuntur & habent pro primis principiis & fundamẽtis suarum resolutionum. Nam cum Summus Pontifex, *vt fides nostra docet*, in noua lege priuilegium hoc habeat à Christo, vt in definitione eorum quæ secundùm rectam fidem credenda sunt vel agenda ad consecutionem æternæ salutis, errare non possit: ita tutum est in dubiis stare iudicio illorum qui cum ipso consentiunt in doctrinâ; vt periculosum sit, nec tutum acquiescere iudicio illorum qui dissentire consueuerunt.

Secundum est: vt qui consilium petit, id faciat bo- *Nu.27.*
na fide; id est, ita affectus animo, vt omnino secuturus sit id ad quod se teneri didicerit. Nam si mala fide, & per hypocrisim interroget, statuens perseuerare in eo quod habet in animo, fiet vt exigente ipsius malitia, Deus permittat Doctores in respondendo hallucinari, iuxta illud Ezechiel 14. Qui posuerit immunditias in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & venerit ad Prophetã interrogans per eum me. Ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum] & 2. ad Thess. 2. Eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent: ideo mittet illis operationem erroris, vt credãt mendacio.] Aut quamuis Doctores non hallucinentur, sed vera respondeant; permittet Deus ipsum interrogantem decipi nec intelligere veritatem; vt indicant verba Psal. 68. Obscurentur oculi eorum ne videant] & Isaiæ 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude ne fortè videat oculis suis, & auribus audiat: & corde intelligat. Quæ verba in hanc sententiam citans Alphon. à Castro *in lib.* 2. *De lege pœnali cap.* 14. *versu Quarto modo*, notat non esse deprecantis, sed futura prædicentis.

Tertium est: stultum quidem esse ac scrupulosum, *Nu.28.*
cùm res leuis, paruique momenti est, multos viros doctos velle consulere: sicut & fatuum est, pro quouis leui morbo corporali, multos medicos conuocare: attamen cùm res est grauis magnique momenti, de qua non conuenit inter omnes; siue ignorantia sit iuris diuini siue humani, non esse satis vnum consulere, & illius consilium sequi, si alius oppositam sententiam docere audiatur: sed opus esse multos interrogare consilióque melioris partis acquiescere: perinde ac in graui morbo, non licet quis contentus esse vnius Medici consilio, sed pro morbi qualitate plures adhibet. Atque vt sequens eorum consilium, si medicamentum mortiferum sumeret, excusaretur à peccato; ita faciens quod multorum virorum doctorum proborum & Catholicorũ consilio didicit esse licitum; quantumcumque deciperetur, à peccato excusaretur per ignorantiam inuincibilem (prout Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 46. tangit) dummodo non nouerit contrarium opinari vel plures vel sapientiores vel meliores, cæteris paribus. Nam licet ex communiori Theologorum sententia licitum sit in agendo conformare se cuilibet opinioni probabili: id tamen quod paucioribus vel minus sapientibus videtur, non censetur opinio probabilis si plures vel sapientiores contrarium affirment. Quod si forte contingat Doctores pares numero, & doctrina, ac bonitate tenere opiniones contrarias, illa quæ videbitur minus periculi habere, suscipienda erit vt admonet citatus Alphon. à Castro.

Postremum est: si quis destitutus est ope virorum *Nu.29.*
doctorum quos consulat: aut certè non habet per quos depellere possit ignorantiam (vt accidere potest in casu quo hæsitans in materia fidei non haberet copiam Doctorum Catholicorum; nec per se posset meditatione, aut lectione sufficienter se ex tali dubitatione extricare) debet ad diuinum auxilium recurrere per emundationem conscientiæ, & preces, aliáque pia opera accommodata ad obtinendã à Deo, mentis supernaturalem illustrationem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod faciendum esse in rebus grauioribus, cùm humana præsidia desunt, indicatur per illud 2. Paral. 20. Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.] Atque vbi quis hæc fecerit, si adhuc ignorantia maneat, ea censebitur inuincibilis.

Nonnulla obseruanda circa rationem iudicandi de peccatis ex ignorantia inuincibili.

SECTIO POSTERIOR.

[AD vitandam autem conscientiæ inquietudinem, quam nimia solicitudo & anxietas generat, & ad retinendum salutarem timorem, quem nimia securitas labefactat, operæpretium est in praxi iam dictorum quædam aduertere.

Nu.30. Primum est, ad hoc vt ignorantia censeatur inuincibilis non esse necessarium, vt in acquirenda cognitione tantum adhibitum sit studium, quantum absolutè potuit ab homine adhiberi: sed sufficere tantum adhibitum esse, quantum consideratis personæ & negotij circumstantiis requiri recta ratio dictat, eo modo quo expositum est in præced. sectione atque adeo, *prout Nauar. ex Panormit. habet ad cap. Consideret, De pœnit. distin. 5. num. 72.* non esse opus, quemquam in inquirendo nimis curiosum esse: dummodo non sit desidiosus, nec perfunctoriè inquirat, sed seriò tanquam habens rem cordi, magnique faciens.

Quinetiam iuxta Syluestrum in verbo Ignorantia num. 10. sub finem, licet ratione defectus sufficientis diligentiæ adhibitæ, ignorantia fuerit vincibilis; peccatum tamen per eam commissum contra præceptum iuris humani, est tantummodo veniale. Immo & commissum contra præceptum iuris diuini aut naturalis: quando ad defectum ipsum detegendum requiritur aliqua ingenij subtilitas. Tunc nimirum excusante à mortali: tum diuinæ legis suauitate: tum humana imbecillitate, & sciendi difficultate: tum etiam aliquo obediendi affectu, in adhibente aliquam diligentiam ad acquirendam cognitionem.

Excipiendum est verò; nisi ignorantia fuerit affectata: vt cùm quis deditâ operâ ignorare vult, imitatione eorum qui ex Iob cap. 21. dicunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.] Aut nisi fuerit crassa & supina: vt cum quis ex negligentia lata, seu per quam aut nullam aut ferè nullam ad sciendum adhibuit diligentiam, nescit id quod scire tenetur, *prout in præced. num. 5. ex communi Doctorum sententia, idem Sylu. habet*: ex eóque crassa & supina videtur dicta, quòd eâ laborans, sit similis homini crasso & stupido, non aduertenti ad ea quæ coram se posita sunt: vtpote nesciens quæ passim sciunt cæteri. Itaque ille, qui prudétis iudicio (nec enim regula recta alia in hoc dari potest) qualitati præcepti, officij, & personæ proportionatâ, adhibet diligentiâ mediocrem ad cognoscendum, etiamsi non sufficientem ad depellendam ignorantiam, ex ea agendo excusatur à mortali, etiamsi non excusetur à veniali; quia diligentia quam adhibuit, aliquid negligentiæ admixtum habuit: quamquam non tantum, vt debeat sufficiens censeri ad diuinæ amicitiæ vinculum dissoluendum peccando mortaliter.

Vnde infertur, *prout à Nauar. post Angelum & Sylu. in verbo Periurium notatur in Ench. cap. 12. num. 6.* quòd ille qui per ignorantiam iurat falsum, nou peccet plusquam venialiter, si in periurio vitando adhibuit diligentiam mediocrem, non tamen quantam oportuit. Porro quò minor adhibita fuerit diligentia, eò manus erit tale peccatum veniale: nimirum crescente illius defectu per quem decrescit excusatio à peccato.

Secundum aduertendum, est ignorantiam tamdiu *Nu.31.* quidem esse inuincibilem, quamdiu quis de re ignorata nondum quidquam cogitauit; nec item de alia sic connexa cum illa, vt facile fuerit inde moueri ad quærendam illius cognitionem; tamen sicut plerumque difficile admodum est discernere, an intellectus noster fuerit ita sufficienter excitatus, vt in libera nostra potestate esset ad rei ignoratæ cognitionem procedere: ita etiam difficile sæpe esse cognoscere, an hac ex parte ignorantia sit inuincibilis: ideoque sæpe occasionem se nobis offerre vsurpandi illud Psal. 18. Ab occultis meis munda me Domine.]

Tertium est (pro quo authores magno numero citat Gabriel Vasquez ad 1.2. D. Thomæ disput. 107. cap. 3.) ratione ignorantiæ excusationem à peccato, *maximè mortali*, contingere quoties voluntatis consensum in aliquid mortaliter malum, nulla præcessit actualis consideratio moralis, siue talis malitiæ, siue periculi eiusdem: nec item vlla expresse dubitatio vel scrupulus. Ratio est, quia quantumcumque de re mala cogitemus quoad illius commoditatem & vtilitatem, si non offerat se nobis cogitatio aut dubitatio aliqua vel scrupulus de illius malitia, aut de periculo eiusdem malitiæ; non datur sufficiens principium de ea consultandi, ad habendam illius notitiam sufficientem. Cùm enim commoditas vel vtilitas rei sit diuersi generis ab eiusdem malitia, illa non est sufficiens principium de hac consultandi: sicut nec vnum negotium est sufficiens principium deliberandi de alio diuersi generis vt negotium literarum, de negotio belli.

Nu.32.

Ad hoc illustrandum memoratus author proponit exemplum de eo qui habitu quidem scit certo die, ieiunium præcipi: sed nihil de tali præcepto actu cogitans mane prandium sumit: etsi enim cogitet de bonitate & vtilitate ciborum appositorum: & quòd non sit illis malè vtendum, sed temperanter ac secundùm rectæ rationis præscriptum: tamen quia nulla menti ipsius cogitatio occurrit de præcepto icinnandi eo die, excusatur à peccato, transgressione illius commisso, nisi inconsiderationi occasionem dederit non vitando illius periculum à se præuisum: Vt cùm quis præuidit se non cogitaturum de Missa eo die audienda, si se det ludo, neque ab hoc abstinet: qui enim amat periculum peribit in illo Ecclesiastici tertio.

Si quæras an per ignorantiam excusetur à mortali qui cogitauit quidem tale quid esse malum, sed nullo modo cogitauit esse malum mortaliter. Respondetur non excusari nisi facta sufficienti consultatione, sibi aliqua de causa probabile videatur quòd non sit mortale: cùm alioqui exponat se peccati mortalis periculo, in quo contingit perire, quando ipsum non vitatur oblatâ sufficienter occasione. His de ignorantia inuincibili addendum esset quomodo reddat contractum inualidum, & quomodo immunem faciat, vt à peccati macula, sic & à pœna ei adiuncta: sed illud commodiùs traderetur cùm de contractibus: & hoc cùm de lege pœnali.

* * *

CAPVT

CAPVT IV.

De iis quæ ad generaliter iudicandum de peccatis considerandа sunt ex parte voluntatis: & primo de interiore consensu.

SVMMARIVM.

33 *Acceptio varia nominis consensus & in qua hic sumatur.*
34 *Consensus voluntatis triplex, formalis, virtualis, & interpretatiuus, & quid sit quisque eorum.*
35 *Triplex item contrarius dissensus, vt exemplis declaratur.*
36 *Liber voluntatis consensus, quando plenus, & quando semiplenus esse censeatur.*
37 *Iudicium aliud rationis inferioris, aliud rationis superioris, & quæ ratio inferior, & quæ superior dicatur: quæ item voluntatis inferior & quæ superior.*
38 *Obiectum consensus voluntatis est, tum actus arbitrio huius subiectus, tum cogitatio, tum etiam delectatio de eodem actu.*
39 *Idem actus potest ad ipsum voluntatis consensum se habere antecedenter, comitanter & consequenter: vnde habet vt interdum dicatur motus primo primus, aut motus secundo primus, aut motus secundus.*
40 *Cogitatio de tali actu alia speculatiua, alia practica.*
41 *Ratio cognoscendi quando delectatio sit de tali actu malo, aut tantum sit de illius cogitatione.*

EX parte voluntatis ad iudicandum generaliter de peccatis, considerandus est illius interior consensus per quem peccatum completur: itémque dominium illius in facultates eas per quas inter medias exercet actus illos liberos, qui imperati & consensus exteriores dicuntur.

Nu.33. Ac quoad interiorem consensum, notandum est primò, interdum nomen consensus dici de concordia iudiciorum inter aliquos super aliqua re: vt cum dicimus communem veterum philosophorum consensum fuisse, ex nihilo nihil fieri. Interdum verò dici de concordia iudiciorum simul, & voluntarum inter aliquos super aliqua item re, vt apud D. Paulū *in priore ad Corinth. 7.* Nolite fraudare inuicem nisi fortè ex consensu.] In qua duplici acceptione consensus est actio, non vnius tantùm, sed plurium hominum. Interdum denique dici de concordia voluntatis cum iudicio intellectus practici, in eodē homine: sicque porro, sumitur nonnumquam generaliter, pro quocumque actu liberè elicito à voluntate: seu quo voluntas liberè acceptat id, quod per iudicium intellectus practici proponitur ei: siue tanquam finis, & bonum propter se: siue tanquam medium, & bonum propter aliud: nonnumquam verò specialiter pro eodem actu voluntatis liberæ, quatenus versatur circa media: quomodo constituitur actus humani, seu liberi species distincta à reliquis illius generis speciebus: de qua ex professo D. Thomas disserit 1.2. quæst. 15. Cæterùm in hoc loco nomen consensus in priore illa generali significatione accipitur; nimirum pro omni voluntatis actu libero, quo ipsa sibi complacet in eo, quod intellectus practicus deliberatè iudicauerit: cui ex opposito respondet dissensus, *ad hoc negotium similiter pertinens*, sumptus pro omni actu voluntatis libero, quo hæc sibi displicet in eo quod intellectus practicus proponit, illúdque respuit.

Diuersitas consensus voluntatis.

NOtandum est secundò triplicem distingui consensum: vnum formalem, alterum virtualem, & tertium interpretatiuum. Formalis est, cùm quis formali, positiuóque actu voluntatis sibi complacet in eo quod intellectus practicus deliberatè iudicat: vt sit cùm quis actu vult castitatem, quam iudicat sibi conuenientem. *Nu.34.*

Virtualis verò duplex est. Alter, qui ex sua natura includitur virtute in aliquo consensu formali: vt accidit quotiescumque duo aliqua, vel plura sunt ita connexa, vt vnum sit alteri consequens; vel ex natura rei, vel ex hominum institutione. Tunc enim eo ipso quòd vni adhibetur formalis consensus, virtute quoque censetur adhiberi alteri, quod est ei consequens; velut hoc ipso quòd aliquis formaliter vult ordinem sacrum, virtute etiam vult castitatem, ei coniunctam ex Ecclesiæ constitutione. Alter est ipsemet consensus formalis præteritus, quatenus remanet virtute: postquam enim desiit à voluntate exerceri, vis ipsius durat quousque per contrarium consensum, seu dissensum tollatur: vel tantum temporis labatur, vt prudentis ac boni viri arbitrio ea ipsa vis nequeat censeri adhuc perseuerare: nam cùm sit finita habet necessariò aliquem terminum, de quo dari non potest certa regula, vt nec de aliis multis in materia morali; quæ ideo relinquitur definienda arbitrio boni, prudentísque viri.

Interpretatiuus demum consensus est, cùm quis circa illud quod offertur, dissensum elicere tenetur (vt censetur teneri cùm ratio aduertit illud malum esse) neque elicit, sed cohibet se, tam à dissensu quàm à consensu: vt cum mulier neque volens, neque nolēs formaliter, sed solùm permittens, opprimitur. Quia enim tenetur formaliter nolle, seu dissensum elicere, censetur interpretatiuè consentire.

Atque vt consensus, sic & dissensus ei contrarius, *Nu.35.* potest esse vel formalis, vt is quo respuitur cœlibatus; vel virtualis, vt is quo respuendo cælibatum, ordo sacer respui censetur: vel demum interpretatiuus, qualis censetur esse in eo, qui quo tempore tenetur elicere actum consensus, non elicit, sed cum cohiber: vt cùm paganus sciens, & prudens suscipit baptismum, neque volendo neque nolendo suscipere, sed solùm permissiuè habendo se: quia tenetur tunc velle suscipere, consensúmve in eam susceptionem elicere, à quo abstinens se, iudicatur nolle interpretatiuè, seu dissensum habere interpretatiuum.

Notandum est tertiò, consensum voluntatis li- *Nu.36.* berum interdum plenum esse, & perfectum: interdum verò semiplenum & imperfectum: atque ad plenum, requiri plenum de eo cui consentitur, rationis iudicium, quod esse non potest absque plena ad illud aduertentia; neque hæc absque libero interiorum sensuum vsu: qui dum omnino impeditur, *vt in amentibus, phreneticis, dormientibus: ebrijs, & infantibus*, nullum neque plenum, neque semiplenum potest esse rationis iudicium quod ad peccatum sufficiat. Dum verò non omnino, sed aliqua tantùm ex parte idem vsus impeditur (vt contingere potest in iis qui à somno excitati, adhuc semidormiunt; atque in iis qui vehementiore aliqua perturbatione corripiuntur) etsi plenum esse non potest, semiplenum tamen potest esse.

Adhuc Theologi scholastici, communiter cum D. *Nu.37.* Thoma

Universidad de Deusto
Biblioteca

Thoma 1.2. quæst. 74. art. 7. & in quæst. 15. de veritate, distinguentes in anima nostra, rationem superiorem, & rationem inferiorem (tanquam duo scilicet tribunalia, in quibus exercentur omnia iudicia de rebus à nobis agendis aut vitandis) iudicium rationis inferioris censent non plenum: quia ab eius, *tanquam inferioris tribunalis*, sententia potest ad rationem superiorē, vt ad superius tribunal prouocari. Quod si nō fiat, quando debet, & potest fieri, interuenire iudicatur interpretatiuus consensus, in peccatū, quod imputetur non prouocanti, tanquam negligenti id considerare, quod considerari debuit ad vitandum illud, de cuius malitia aliqua, dubitatio mentem pulsabat. Rationem inferiorem autem (omissa Theologorum altercatione de qua Gabr. Vasquez ad 1.2. *disput.* 105.) accommodatè ad nostrum institutum, interpretamur rationem ipsam, quatenus iudicat per considerationes humanas, seu inspectis ac consultis solis temporalibus principiis de vtili aut inutili: iucundo vel molesto, quibus mouemur ob insitam nobis naturalem propensionem ad commoditates temporales huius vitæ. Superiorem verò, quatenus iudicat per considerationes æternas, id est, considerando, num id quod agendum proponitur, sit aliquid legi æternæ consentaneum aut dissentaneum, licitúmue an illicitum: seu quod idem est, inspiciendo, quid lex naturalis seu recta ratio dictet aut quid lex positiua, siue diuina siue humana tanquam legis æternæ (vt in sequen. lib. 13. explicabitur) interpres. Sic ergo cùm quis iudicat non esse vacandum libidini, quia id vires corporis debilitat, ratio inferior suo munere vtitur: cùm autem idem iudicat, quia diuinæ legi aduersatur, & facit obnoxium æternis suppliciis, ratio superior suo munere fungitur. Vt autem ratio, sic & voluntas, prout illius iudicio regitur, in superiorem quoque & inferiorem diuiditur; illáque dicitur superior, quæ iudicium rationis superioris; & inferior, quæ iudicium rationis inferioris in eligendo sequitur.

Varietas obiecti consensus voluntatis.

Nu. 38. NOtandum est quartò, obiectum consensus, hoc est, id cui consensus adhibetur; vel esse actum, qui pro arbitrio volùtatis exerceri potest, vt possunt functiones, tum membrorum corporis, quæ sine resistentia, more seruorum obediunt voluntati: manum enim, exempli gratia, quando volumus, & in quam partem volumus, ipsa nihil resistente, mouemus: tum passiones appetitus sentientis qui voluntati obedit more ciuium, hoc est, itaut plerumque reluctetur ei (concupiscit enim caro aduersus spiritum, ad Galat. 5.) vel esse cogitationem de eodem actu: vel demum delectationem quæ de tali actu, siue exercito, siue mente concepto percipitur, id est, quæ ex eiusmodi actu sequitur, dum is reipsa exercetur: vel dum mente concipitur, habeturque tantùm per imaginationem, & mentis considerationem.

Nu. 39. Notandum est quintò, memoratum actum posse tribus modis habere se ad voluntatis consensum; nempe antecedenter, comitanter, & consequenter. Antecedenter quidem, cùm præuenit omnem aduertentiam rationis & consensum voluntatis: quomodo dicitur motus primò primus. Comitanter verò, cùm non exercetur quidem impulsu consensus voluntatis, exercetur tamen eo tempore quo voluntas illi consentire, vel illud repudiare potest: nempe eo tẽpore quo illum ratio aduertit: quomodo dicitur motus secũdò primus Exemplũ est, cùm quis debitè vacando rei licitæ, vt audiendo confessiones, patitur turpes cogitationes, quæ nullo modo ei placẽt. Quod si placerent, non iam motus secundò primus diceretur, sed primò secundus. Cõsequenter demum, cum per consensum voluntatis efficacem (qui dicitur vsus) facultates in membris residentes, aut appetitus sensitiuus, aut etiam intellectus ad functionem suam exercendam applicantur.

De cogitatione autem memorati actus, notandum *Nu.* 40. est, posse esse vel solummodò speculatiuam, id est, sine inclinatione ad agendum: vt accidit cùm à nobis ea vsurpatur absolutè vt est cognitio veri: exempli gratiâ ad cognoscendam adulterij propriam essentiam & deformitatẽ, ac ipsum aggrauantes circunstãtias, absque vllo affectu ad tale opus; sed solùm vt illius nuda cognitio habeatur. Vel esse practicam, id est, inclinantem ad agendum: sicut contingit cùm susципitur ex affectu ad opus: ita scilicet vt ille qui cogitat, propositum habeat perpetrandi ipsum: vel si non habeat, saltem ei placeat perpetrari posse: prout contingere potest, cùm quis de modo occidendi inimicum cogitat, adductus affectu vindictæ.

De delectatione denique notandum est, tunc *Nu.* 41. censeri esse de re illicita cogitata, cùm oritur ex affectu ad rem ipsam: esse verò de sola cogitatione, nõ de re, cùm oritur ex solo affectu ad cogitationem. Quod horum quando contingat, fere deprehenditur ex occasione quam ipsa delectatio habuit. Nam si quis delectetur eo quod disputaturus de fornicatione v. g. quærendo rationem malitiæ eius, vnam valde accommodatam inuenit: delectatio erit tantùm de cogitatione ac notitia veritatis. Sin autẽ delectetur occasione accepta ex affectu impudico, vel ex alia quam res turpis, vt turpis est suppeditet, delectatio iudicatur esse de re cogitata; cuius malitiam cogitatio ipsa sic contrahit, vt peccatum sit mortale, quãdo talis res fuerit peccatũ mortale, vt adulteriũ: veniale verò, si talis res fuerit tantùm peccatum veniale, vt mendaciũ iocosũ. Quæ doctrina est D. Tho. 1.2. & in quæst. 15. de veritate; illic quæst. 74. art. 8. & hîc art. 4. eámque Syluest. in verbo Delectatio, num. 2. post ipsum confirmat. Quia delectatio cùm non sit de se mala (alioquin enim nusquam licita esset) malitiam aliunde contrahat necesse est; quod facit maximè ab obiecto circa quod eam versari cõtingit.

His ita expositis aliquot regulæ iudicandi de peccatis ex parte interioris consensus voluntatis, tradendæ sunt, desumptæ ex D. Thomæ doctrina in locis citatis, quæ communis est Theologorum in 2. sentent. distinct. 24. & Summulariorum in verbo Delectatio, aliorúmque passim de eadem delectatione agentium.

CAPVT V.

De regulis iudicandi in genere de peccatis ex parte interioris consensus voluntatis.

SVMMARIVM.

42 *Necessarius est interior consensus voluntatis ad rationem peccati.*
43 *Ad eamdem sufficit non modò formalis, sed etiam virtualis, & interpretatiuus consensus.*
44 *Consensus rationem peccati contrahit ex malitia rei cui adhibetur.*
45 *Consensus in cogitationem de re illicita speculatiuam, non est de se malus.*
46 *Quid sit iudicandum de consensu in cogitationem practicam,*

eticam, cùm est sine aduertentia ad malitiam rei cogitatæ.
47 *Quid de eodem consensu, quando est cum tali aduertentia.*
48 *Et quid de dissensu, ac de cohibitione tam consensus quam dissensus.*
49 *Causa excusans à peccato, non reprimentem exortam de re illicita cogitationem practicam, quòd eam contemnat, non est satis tuta.*
50 *Duæ aliæ causæ eumdem excusandi: vna, si repressio officeret: altera, si adesset iusta occupatio, nisi ea coniunctum habeat probabile periculum ruendi.*
51 *Quod periculum non declinare, quando sit peccatum mortale.*
52 *Consensus in delectationem præteritam aut futuram de actu, quem conditio reddit licitum, quomodo peccetur mortaliter.*
53 *Quod dicitur de consensu, cùm prædicta conditio realis fuerit, dicendum est de præterita aut futura delectatione, cùm conditio de delectatione præsenti, imaginaria fuerit.*
54 *Quæ sit malitia consensus imperati: ac diuersi gradus consensus in idem obiectum.*

Nu. 42. PRIMA regula est: Sine interioris voluntatis consensu, nihil habere peccati rationem. Hæc confirmatur: tũ per illud Matth. 15. De corde (ideſt de voluntate) exeunt quæ inquinant hominem.] Tum per illud, quod Conc. Trident. definit sess. 5. Can. 5. Concupiscentiam in baptizatis ad agonem relictam, non consentientibus, sed vtiliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus, nocere non valere. Tum ex trito axiomate, quod ex D. August. refertur 15. quæst. 1. in princip. Peccatum adeò est voluntarium; vt si non sit voluntarium, non sit peccatum. Cui consonum est quod habetur ex D. Ambrosio ead. quæst. cap. Non est. Nemo nostrum tenetur ad culpam, nisi propria voluntate deflexerit. Tum denique per communem hominum notionem, existimantium peccatum esse actum liberum, à quo cùm agens se cohibere per voluntatem potuerit, nec fecerit, vituperio & pœna dignus censeatur. Vnde communiter ille qui nullâ suâ voluntate occidit hominem, non existimatur commisisse peccatum homicidij, aut violasse decalogi præceptum, Non occides.

Ex quibus consequens est motus eos, quos in præcedenti capite diximus primò primos vocari, cùm præueniant omnem voluntatis consensum, nullam habere rationem peccati, nequidem venialis: vt contra Caiet. & Alcalodorensem tractat Nauarr. ad cap. Super tribus De pœnitent. distinct. 1. multò verò minus habere peccati mortalis: quod aduersus sectarios disputare non est præsentis instituti (*videri potest Greg. à Valen. 1.2. disput. 6. quæst. 4. puncto 2.*) cui sufficit proposita regula abundè cõfirmata. Neque est, quòd præceptum Decalogi de non concupiscendo nobis obiiciatur; quoniam ex vnanimi Catholicorum sententia, illud quod in eo prohibetur non est motus concupiscentiæ, sed consensus in illum: vt sensus sit ille, quem apertè verba Ecclesiastici 18. indicant: Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.] Cuiusmodi est is consensus, de quo Dominus Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.] Et certè si ille etiam concupiscentiæ motus, qui præuenit omnem voluntatis consensum, prohiberetur, peccatumque esset: ille etiam qui in somno contingit (quo nihil est absurdius) peccatum esset; cùm eum excusandi non detur alia ratio, quam defectus liberi consensus.

Secunda regula est: Non modò formalem, sed etiã virtualem & interpretatiuum consensum voluntatis, sufficere ad rationem peccati. Probatur, quia sufficiunt ad voluntarium deliberatum: sicut enim consensus formalis & consensus secundo modo virtualis constituunt voluntarium directum seu volitum in se: ita etiam consensus primo modo virtualis, & consensus interpretatiuus constituunt voluntarium indirectum, seu volitum in alio. Vide tradita in præced. cap. num. 34. Deinde sicut homo peccare censetur, cùm aduertens in se motum illicitum, ei formaliter consentit: ita etiam censetur, cùm non dissentit; id est, ipsum non reprimit, nolendo cùm potest & tenetur nolle: vt cùm versatur in probabili periculo consentiendi: tunc enim amans periculum perit in illo. Id autem est interpretatiuè consentire. *Nu.* 43.

De consensu in rem illicitam.

SECTIO I.

TErtia regula est: Consensum esse malum, ratione- *Nu.* 44.
mque peccati habere, cùm illud cui adhibetur malum est, repugnátve legi ęternæ. Ratio est quia consensus cõtrahit malitiam eius rei cui adhibetur, iuxta illud Oseæ 9. Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.] Vnde consequens est, quod Sylu. annotat *in verbo Delectatio num.* 2. consensum vel non esse peccatum, vel tantummodo esse veniale, cùm id, cui adhibetur, vel nullo modo vel tantummodo venialiter illicitum est: esse verò peccatum mortale, cùm id, cui consensus adhibetur, est mortaliter illicitum. Quæ doctrina est Diui Thomæ 1.2. *quæst.* 74. *art.* 8. Pro qua facit cap. Hinc etenim §. *Ponderosus dist.* 49. Intelligenda est autem cum aliquo moderamine: nimirum si consensus sit cum pleno rationis iudicio. Si enim tantùm sit cum semipleno, quantumcumque id cui consentitur sit mortaliter illicitum, consensus ipse non est peccatum maius, quàm veniale. Rationem adfert D. Thom. *in seq. art.* 10. quia peccatum non est mortale, nisi sit contra legem Dei: consensus autem voluntatis vt sit contra legem Dei, exigit iudicium intellectus practici, quo illi proponatur id cui consentit, esse contra legem Dei. Nam voluntas in nihil ferri potest; nisi in id quod illi, & sub ea ratione, sub qua illi ab intellectu proponitur.

Sic ipse D. Thomas motum subitum infidelitatis, quo res ad fidem pertinens sub aliena ratione subitò occurrit, antequam lex Dei consuli possit, ait esse tantummodo peccatum veniale: vt motum quo quis resurrectionem mortuorum subitò apprehẽdit tanquam impossibilem secundùm naturam, & apprehendendo antequam tempus habeat deliberandi, seu considerandi tradi nobis credendum propter diuinam authoritatem, omni humana ratione infinitis partibus certiorem; remissior efficitur in credendo. Idem similiter dicendum est de motu sensualitatis, cui voluntas consentit antequam ratio superior possit de eo plenè iudicare consulta lege Dei. Dixi, antequam possit: quia si non faciat dum potest, defectus plenitudinis iudicij non impediet in voluntatis consensu, peccati mortalis consummationem: ad quam sufficit vt ratio superior iudicet, siue re ipsa, siue etiam interpretatiuè. Re ipsa quidem, vt cùm homo de eo ad quod amplectendum vel repudiandum appetitus inordinatus ipsum solicitat, iudicat inspectis consultisque non tantùm rationibus humanis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis,sed etiam æternis. Interpretatiuè verò, vt cùm homo indicat per solas rationes humanas,seu ostendentes vitæ huius temporalis commoda vel incommoda: & potest tenetúrque æternas seu legem voluntatémve Dei æternam ostendentes consulere;esseque suum iudicium conformare, quando habet rationis vsum plenè liberum; & voluntas ad motum ipsum illicitum sic afficitur,vt periculo transgressionis legis Dei exponatur.

De consensu in speculatiuam cogitationem de re illicita.

SECTIO II.

Nu.45. QVarta regula est: Consensum in speculatiuam cogitationem de re mala, & in delectationem ei annexam,absolutè vt speculatiua est *(quod idem est ac si dicas consensum in cognitionem veri absque vllo affectu ad rem cogitatam vel ad delectationem ex ea prouenientem)* non esse de se malum. Ratio est:quia de se nulla lege prohibetur. Deinde quia obiectum intellectus est verum:quod perinde inuenitur in actu malo ac in bono. Vnde sequitur,nihil alienum à natura intellectus committi, cùm is applicatur ad cognoscendum malum, sicut committitur alienum à natura voluntatis,quando ipsa applicatur ad volendum malum: eoquòd proprium obiectum ipsius,est bonum quatenus bonum.

Cæterùm ille ipse consensus potest esse tum bonus,tum malus:bonus quidem ex bono fine: nempe cùm quis talem cogitationem vsurpat propter bonum finem,vt ad concionandum, vel ad audiendas confessiones, vel ad disputandum, vel ad docendum in schola.Malus verò,*etiam nonnunquam mortaliter*, ex malo fine. Nam,vt in verbo,Delectatio annotat Caiet. quando talis cogitatio constituit hominem in periculo consentiendi in actum mortaliter malum, vel in delectationem illum sequentem;consensus in eam ipsam cogitationem induit rationem peccati mortalis:absente verò eo periculo, *vt idem author addit*, est peccatum veniale,quando caret pietate & necessitate, seu cùm est cogitatio otiosa vel nata ex vana curiositate:vt cùm fur cogitans nouos furandi modos,& inuento vno subtili,delectatur ex ea cogitatione. Nam non habens pro obiecto opus illicitum vt illicitum est;sed vt mirum est, non peccat mortaliter, sicut peccaret habendo, prout illicitum est. Peccat tamen venialiter,quia nec pietas nec necessitas ei suader talem mentis occupationem.

De consensu in practicam cogitationem de re illicita.

SECTIO III.

Nu.46. QVinta regula est: Si homo cogitatione aliqua practica occupatum habens animum, delectetur; sed non aduertat illud de quo delectatur tale esse vt de eo non liceat delectari; ipsum omnino voluntate auersaturus, talémque delectationem quantum posset repulsurus, si quid eiusmodi aduerteret, excusatur plane à peccato, quantumcumque per diē integrum cogitaret cum delectatione. Ita Caiet. *in verbo Delectatio*,& post ipsum Nauar. *in Enchir.cap.*11. *num.*9. habet expresse. Ratio verò est; quia quandiu intellectus non aduertit ad malitiam eius quod voluntati obiicitur, etiamsi de eo discurrat in ratione vtilis aut delectabilis, consensus in illud non est peccatum, propter ignoratam malitiam:nisi quis per negligentiam crassam, aut prauum peccandi affectum, ad hanc non aduerterit: quo casu ignorantia ipsa non tolleret omnem deliberationem ad peccatum sufficientem: poneret enim quartum deliberationis gradum,de quo in fine præced. numeri 2.

Iam si quis aduertere cœpit quidē,sed prævalente impetu concitatæ passionis, non aduertit perfectè, excusatur à peccato mortali,sed non à veniali. Rationem reddit Caiet. quia sicut pura inaduertentia omnino excusat à peccato, sic imperfecta aduertentia, quia tollit perfectum deliberationem,excusat à peccato perfecto,id est à mortali,& relinquit obnoxium veniali, quod *(vtpote imperfectum)* contentum esse potest imperfecta deliberatione.

Quod si quis plenè aduertat, distinguendum est: Nu.47. vel enim in talem delectationem consentit expresè, vel dissentit expresè,vel consensum simul & dissensum cohibet. Atque si consentit expresè in materia mortali, peccat mortaliter,sicut communiorem sententiam esse habet D.Thom.1.2. quæst.74.art.8. & iam communiter receptam esse tradit Nauarr. loco citato.Confirmatur autem ex verbis Domini *Matth.* 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Itémque ratione;quia in homine volūtas est domina affectuum & cogitationum interiorum animæ, sicut est actionum exteriorum corporis. Ergo sicut exhibere membra sua seruire immunditiæ ad iniquitatem, peccatum est mortale,ad Rom.6.ita & exhibere appetitum & intellectum: quandoquidem tales horum motus in rem illicitam, non minus sunt actus hominis ab ipsius libera voluntate profecti, & quibus ex deliberatione suas facultates illicitè applicat; quàm exteriores motus membrorum corporis. Intelligendum autem istud est iuxta D. August. lib. 12. de Trinitate cap.12.siue consensus sit cum intentione perpetrandi actum cogitatum,qui dicitur propositum peccandi:siue sit absque tali intentione,& cum sola voluntate delectandi se cogitando rem illicitam. Cuiusmodi delectatio dici solet morosa; non quidem ex mora temporis physici, *vt notatum est à D. Thom. in cit. quæst.74. art.6.in fine*) seu,quod idem est, non ex eo,quòd longo tempore continuetur,sed ex mora quam voluntas circa ipsam facit,dum pleno rationis iudicio sibi propositam tanquam mortaliter malam, non modò non repudiat, sed acceptat; quod breuissimo tempore facere potest. Aduerte autem obiter, istud propositi peccandi, & delectationis morosæ peccatum committi,non tantùm in carnalibus, sed etiam simili modo in reliquis materiis mortaliter illicitis,iuxta vnanimem Doctorum consensum,teste Nauarro *in cit.num.*9.

Sin dissentit expresè, vt facit ille qui excitatam Nu.48. turpem cogitationem & delectationem reprimit quantum potest; itaut non nisi inuitus illam patiatur, *vt D.Paulo contigisse intelligitur ex cap.* 7. *epist.ad Rom. sub finem*, certum est non peccare: sed ex virtute agere: quandoquidem recta ratio dictat talem non vituperio & pœna,sed potius laude & præmio dignum esse.

De cohibitione tam consensus,quàm dissensus in cogitationem aut delectationem de re illicita.

SECTIO IV.

QVod si tam consensum quàm dissensum cohibeat,ipsa cogitatio delectatióque illicita perseuerans,

seuerans, potest quidem rationem peccati venialis habere, virtute consensus semipleni,quem interpretatiuè saltem,adhibere censetur,dum non satis solicitè curat aduertere quid agat, non accipit tamen rationem peccati mortalis donec voluntas teneatur actu dissentiendo impedire quantum potest continuationem excitatæ cogitationis & delectationis. Cui tunc non dissentiens, censetur interpretatiuè consentire: sicut ille, *inquit Caiet.in verbo Delectatio*, qui à somno,excitatus potest & debet manum prohibere à prosecutione perpetrationis actus mali, in ipso somno inchoati,& non prohibet, censetur voluntariè prosequi, etiamsi nullam actu eliciat volitionem talis prosecutionis.Quod quando contingat D. Thom. *in quæst.*15 *de veritate art.*4 *ad* 10. declarat, dicendo hominem antequam ratio perpendat delectationem,vel eius nocumentum,non habere interpretatiuum consensum,etiamsi non resistat; habere autem, postquam ratio iam perpendit delectationem insurgentem, ac nocumentum eam consequēs; hoc est,cùm homo percipit se per huiusmodi delectationem inclinari penitus ac præcipitem ruere in consensum; nisi expresè resistat. Qui consensus etsi iuxta communem sententiam teste Nauarr. loco citato peccatum est mortale, *perinde ac expressus consensus*, quando homo continuationem cogitationis de actu,quem mortaliter malū esse plenè aduertit, ideo negligit cohibere,quòd persistere velit in fruitione delectationis,quam cogitans percipit:attamen secus accidit,quando aliqua rationabili de causa,omitteret talem cogitationem excitatam reprimere, vt idem Nauarr.adhuc ibidem annotat.

Nu.49. Qui & ea de causa à peccato saltem mortali excusat:primò cum qui talem cogitationem omittit reprimere,quia illam despicit, credens se adeo fortem ac firmum esse,vt per eam non sit trahendus ad consensum. Nam talis non censetur interpretatiuè consentire:quia, *vt Caiet.ait in verbo Delectatio*,apprehendit illam cogitationem delectabilem, non vt operationem quam actiuè continuet, sed quam patiatur tanquam tentationem, & hostem imbecillum ad se impugnandum. Peccat verò venialiter, *inquit idem Caiet.* quia sine ratione permittit in se delectationem illicitam: quam vt hostem periculosum à se propulsare debet quantum potest,iuxta illud Psalm.17. Persequar inimicos meos,& comprehendam illos donec deficiant.

Cæterùm quamuis talis excusatio bonam rationem in speculatione habere videatur,in praxi tamen debet esse suspecta: quandoquidem causa propter quam talis delectationis repressio omittitur,non solet tam esse,quòd ea nihili fiat, quàm quòd placeat. Adde illud quod Sapiens *Prouerb.*4. præcipit,vt omni custodiā cor nostrum seruemus:in hac delectatione habere maximè locum: per quam ad illicitum consensum aditus maximè patet, & ruinæ occasio datur: vt perinde sit eam non respuere, cùm plenè aduertitur;ac si quis videns alium admouentem ipsi ad pectus districtum gladium, negligat: nec cùm possit, præsens mortis periculum à se auertat:quemquidem nemo non damnauerit tanquam homicidam sui ipsius,si lethale vulnus accipiat. Saluberrimum est igitur de tali delectatione euitanda consilium, hoc versu artificioso expressum.

Hoc facies, facies Veneris,cum veneris ante:
Non sedeas, sed eas,ne pereas per eas.

Nu.50. Excusat secundò Nauarrus cum qui interea habens propositum firmum nunquā consentiendi,propterea non resistit,quòd credat futurum vt eò magis augeatur talis tentatio, quò magis aduersus eam pugnabit:vt ordinariè contingit in illecebris carnis, quas ideo fugiendo potius, quàm resistendo superari notatum est à D.Thom. 2.2. *quæst.*35 *art.*1 *ad* 4. & ante eum à D.August.serm.250.cap.2.super illud Apostoli in priori ad Corinth.cap.6. Fugite fornicationem.

Excusat tertiò eum,qui omittit reprimere,ne occupationem suam honestam, necessariam, vel vtilem deseruquat: qualis est studendi, vel legendi ea quorum consideratio ad huiusmodi delectationes prouocat;necessaria ad prælegendum in schola, vel ad concionandum: qualis item est audiendi confessiones de rebus impudicis. Huius excusationis ac præcedentis ratio est; quòd sic occupatus, ne interpretatiuè quidem,consentiat in delectationem; cùm non teneatur eam vitare nascentem ex huiusmodi causis, nisi adesset aliquod periculum consentiendi in ipsam:ad quod declinandum teneretur abstinere, *(vt item Nauarr.annotat in Enchir.cap.*16.*num.*7.) à dictis occupationibus, quantumcumque de se bonis: quia nulla de causa licet peccare. Nō tamen *(vt ostēdit Caiet. in tom.*1.*opusc.tract.* 22. ad declinandam pollutionem inuoluntariam,quæ siue in somno, siue in vigilia contingat, non est peccatum:quia omne peccatum est voluntarium:túncque eadem prout mala, vt supponimus, nec est volita directè,seu in se: nec irem indirectè,seu in sua causa: quam in tali casu habet bonam.

Cæterùm, *ex eod.Nauarr.in præced.cap.*11.*num.*9.vt Nu. 51. peccatum sit mortale non reprimere exortam delectationem,ad declinandum consentiendi periculum: oportet eum in quo exoritur, talem esse, vt habita ratione suæ imbecillitatis,ac præteritæ cōsuetudinis, teneatur meritò credere,nisi illam reprimat; se consensurum verè & realiter in opus ipsum malum, ex quo eadem delectatio nascitur, aut saltem in eam ipsam delectationem. Adde quod admonet Caiet. *in verbo Delectatio sub finē*:eos qui sic animo affecti sunt, vt malint mori,quàm peccare mortaliter, nunquam aut rarissimè incurrere in mortalē culpam per negligentiam reprimendi cogitationes delectabiles: quia ipsorum negligentia non est ex affectu ad delectationem quam cognoscunt illicitam:sed ex passione, quæ eos perinde in tali cogitatione detineret, si delectationem ea non haberet coniunctam. Excipe tamen quod idem author ibidem præmisit:nisi negligentia tam exorbitans sit, quòd quasi ideo neglexerit,vt delectaretur:tunc enim dici potest interpretatiuo consensu peccare mortaliter: sicut, *inquit ille*, quantumuis is qui detrahit sine intentione detrahendi non peccet mortaliter: tamen quando tanta est læsio famæ ex detractione, vt quasi intenderit detrahere,dum non curauit à tali lęsione sibi cauere, peccare potest mortaliter.

Porro cùm quis passus illicitas cogitationes,de iis delectatus est, neque certò scit an eis consenserit vel sufficienter restiterit,expedit,vt monet Nauarr.*in cit. cap.*11.*num.*12. vt seipsum de illis in confessione accuset dicendo, se dubitare an quantum debuit illis resistere contenderit.

De consensu in præteritam vel futuram delectationem de actu,quem aliqua conditio reddit licitum.

SECTIO V.

SExta regula est.Consensum in præteritam vel fu- Nu.52.
turam delectationem actus liciti, *qualis est copula coniugalis*, ex se non esse peccatum. Ratio est,quia cùm aliquid nulla lege prohibitum est; sicut non

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccat qui illud facit(nec enim peccat qui legem nõ transgreditur *cap. Qui peccat 23. qu. 4.*) ita nec peccat qui illud à se factum vel faciendum esse gaudet, & delectatur: vt Iudex, sicut licitè sumit supplicium de facinoroso; ita etiam licitè se sumpturum, aut se sumpsisse delectari potest. Particula autem, Ex se, propterea posita est in hac regula, quòd ex adiuncto ei aliquo probabili periculo, consensus possit esse peccatum mortale: quia is qui exponit se probabili periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter, iuxta illud *Ecclesiastici 3.* Qui amat periculum peribit in illo. Si ergo vidua quæ delectationem, quam habuit de licita coniugali copula, in memoriam reuocans gaudeat, & delectetur se illam habuisse: aut si sponsus absens cogitando de futura suo tempore copula licita cum sponsa, gaudeat se illam habiturum, non peccat mortaliter (etsi non excusetur à veniali, vacans rei quæ tum necessitate, tum etiam pietate caret) nisi præsentem aliquam ex tali memoria excitatam carnalem delectationem admittat, deliberatè de ea gaudens: vel eam adesse aduertendo, exponens se periculo consentiendi in eamdem, vel incurrendæ pollutionis non resistat talem repellendo quantùm potest: tunc enim peccat mortaliter contra præceptum, Non mœchaberis: quo ex communi Sanctorum consensu teste Nauar. *ad cap. Si cui, De pœnitent. distinct. 1. num. 3.* non solùm prohibetur actus exterior venereus, quem circunstantia coniugij non fecerit licitum: sed etiam voluntas fruendi voluptate venerea, alia ratione quàm licito vsu matrimonij.

Aduerte autem difficultatem esse, An sit censendus licitus matrimonij vsus, quo coniux absens delectatur carnaliter recordatione copulæ licitæ habendæ cum vxore, etsi enim constet peccatum esse veniale propter rationem antè allatam: dubitatio tamen est, an sit mortale. Cuius partem affirmantem Sylu. & Nauar. tenent, ille in verbo, Delectatio, num. 4. & hic in Enchir. cap. 16. num. 10. Negantem verò plures alij, quos refert Gabriel Vasquez ad 1. 2. D. Thom. disp. 113. cap. 2. eorum sententiam amplectẽs: quia per matrimonium actu existens, non minus censeri potest à mortali excusari delectatio eiusmodi, quàm ea, qua coniuges delectantur mutuo aspectu, aut osculis & tactibus, quæ à nemine damnatur peccati mortalis: cùm dicat D. Chrysost. hom. 17. in D. Matth. Si vis videre & ex visu capere voluptatem, aspice propriam coniugem, & illius vsque amore perfruere: hoc enim nulla lex prohibet omnino. Sententia verò contraria procedit, cùm talis delectatio fuerit coniuncta pollutioni, seu effusioni seminis extra vas, aut periculo eiusdem effusionis; nam eo modo peccatum est contra naturam: quodquidem tanquam alienum omnino à fine coniugij, nequit per ipsum excusari. Sed aduerte propositam excusationem à mortali, non habere similiter locum in vidua, & in sponso de futuro, quia neutrius matrimonium est actu: sed illud fuit tantùm: & hoc nondum est: vnde fit vt non operetur, nec valeat ad istiusmodi excusationem.

Nu. 53. Septima regula, præcedentis appendix, est; ipsam præcedentem regulam habere locum, siue delectatio sit de absoluto actu licito, siue de conditionato. Itaque cogitans de delectatione, quam haberet ex copula licita, si legitimo matrimonio alicui iungeretur, non peccat quidem mortaliter si gaudeat quòd esset eam habiturus, quia tale gaudium est tantùm de futuro idque sub conditione liciti, seu quo futura actio & delectatio approbatur sub conditione sub qua potest esse licita: peccat tamen mortaliter, consentiendo in præsentem delectationem carnalem, si quæ ex tali cogitatione in appetitu sentiente excitatur: vel non dissentiendo, cùm sufficienter aduertit inde adesse periculum pollutionis, aut dicti consensus. Ratio est quia delectatio illa præsens, non admittit prædictam conditionem, *qua est de futuro*, ideoque illicita est, perinde ac si nulla talis conditio interuenisset.

Quam doctrinam à Caiet. traditam in verbo, Delectatio: & in tomo primo opuscul. tract. 14. dubio 1. approbat Nauar ad citatum cap. Si cui, nu. 1. Quinimmo neque si cõditio esset de præsenti, impediretur peccatum mortale. Nam si quis, exempli gratia, cogitatione apprehendat fœminam aliquam esse suam vxorem & delectetur in cogitato actu venereo cum illa, ac si esset sua vxor, peccat mortaliter. Ratio est, quoniam talis conditio non subest actu, sed solùm fingitur per cogitationem: vnde fit vt delectatio sit de re licita solùm per imaginariam fictionem: illicita autem, tam secundùm veritatem, quàm secundùm scientiam eius qui delectatur: vpote noscentis rem esse aliam in seipsa, quàm imaginetur.

Nec est quòd obiiciatur cogitatam bonorum alienorum largitionem etiamsi illicita sit; non esse tamen peccatum de ea gaudere sub conditione, quòd fiat concedente vero domino, per quam redditur licita. Nam dispar est ratio, consistens in eo, quòd largitio non sit absolutè & secundùm se peccati materia, sed posita conditione, quòd fiat ex bonis alienis: ideoque delectatio quæ capitur sub conditione excludente illud, per quod largitio ipsa est materia peccati, non censetur illicita: sicut nec censetur cùm accipitur de re quæ tantùm mala est, quia prohibita: vt de esu carnium in die Veneris: aut quauis alia materia præcepti tantùm positiui, si excludatur conditio, quòd sit prohibita. Voluptas autem venerea de se sit materia peccati: nisi actu subsit conditio coniugij, per quam solam redditur licita.

Hinc Medina ad 1. 2. D. Thomæ *quæst. 74. art. 6. sub finem*, negat excusari à peccato eum qui consentit in delectationem quam percepit in pollutione inuoluntaria: quia quamuis hæc ex defectu consensus non fuerit peccatum; tam ipsa tamen quàm voluptas ex ea sequens est de se illicita: itaut deliberatè ei consentire, peccatum sit mortale, iuxta illud quod paulò ante ex Nauar. allatum est: communem Sanctorum sententiam esse, præcepto, Non mœchaberis, prohiberi omnem voluptatem veneream extra actum coniugij. Cæterùm quamuis peccatum sit gaudere de actu illicito: non est tamen gaudere de effectu inde secuto si bonus sit; vt de filio suscepto ex adulterio, licet gaudere; etiamsi non liceat de adulterio. Item de leuatione à morbo vel liberatione à tentatione carnis secuta ex pollutione, etiamsi non liceat de pollutione tanquam prohibita quia mala, seu tanquam inhabitam in sua substantia habens malitiam naturali iuri repugnantem: itaut illam velle, sit & eiusdem iuris velle euersionem, quod patet nullatenus licere.

Vbi aduerte ea quæ sunt illius generis, sicut non possunt cum præcisione malitiæ insitæ cogitari vere, ita nec posse placere, quin verè placeat illicitum. In quo differunt ab iis quæ tantùm mala sunt quia prohibita, *vt est esus carnium in Quadragesima*: quæ cùm habeant malitiam tantùm extrinsecam à qua possunt re separari, fit vt si præcisâ hac, illa cogerentur, cogitatio sit de re vt non mala, quæ proinde licitè placere possit complacentia conditionata, quam vocant velleitatem.

* * *

De consensu imperato.

SECTIO VLTIMA.

Nu. 54. POstrema regula est, Actum qui sequitur voluntatis interiorem consensum, seu qui imperatur à voluntate, eamdem habere peccati rationem cum ipso consensu: itaut differat quidem ab hoc, in genere naturæ: non tamen in genere moris. Hæc habetur ex D. Thom. 2. 2. *quæst. 20. art. 3.* Et patet: quia non habet aliam liberi rationem, ex qua moraliter iudicetur vituperio vel pœnâ dignus, quàm illam consensus, cuius impulsu exercetur. Neque enim quod fit naturæ impetu citra omnem voluntatis consensum, iudicatur moraliter laude vel vituperio, præmio vel supplicio dignum. Vnde peti potest causa eius quod admonet Nauar. *in Enchir. prælud. 7. num. 23.* in confessione satis esse exprimere peccatum externum; quia nimirum eiusdem est malitiæ cum interno: nec potest sine eo esse: ideóque ipso externo expresso, internum sufficienter indicatum esse intelligitur. Non verò contra: quia dari potest interior consensus, qui non exierit in actum externum: adeout actus exterior non censeatur sufficienter expressus, solo interiori expresso.

Atque ex dictis tandem intelligere licet, quòd consensus in vnum idemque obiectum moraliter illicitum varij sint gradus, secundùm quos crescente diuinæ legis contemptu, crescat peccati malitia. Primus est, semipleni consensus: qui peccatum est tantummodo veniale. Secundus pleni interpretatiui, qui est peccatum mortale. Tertius pleni expressi, sed absque proposito perpetrandi actum eum illicitum, cui consentitur. Quartus pleni & expressi cum eodem proposito. Quintus eiusdem, cum perpetratione operis: in quibus ratio peccati mortalis ita crescit, vt consensus in hoc quinto gradu sit peccatum grauius, quàm in quarto, & in hoc, quàm in tertio & demum in hoc quàm in secundo: sicut etiam grauius peccatum est coniunctum cum continuatione & frequentatione actus illiciti, quàm sit in quinto gradu: & grauissimum omnium sit, coniunctum cum pleno contemptu & impœnitentia; iuxta illud *Prouerb. 18.* Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. In quod miseriæ barathrum, quòd tam multos hodie ruisse videamus, causa meritò censeri potest, quòd plerique in iudicio de rebus agendis, rationes temporales & humanas, æternis ac diuinis anteponant. Euanescentes enim in cogitationibus suis, nec probantes Deum habere in notitia, id est, Deum nolentes agnoscere, tradidit illos Deus in reprobum sensum vt faciant quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate, &c. ad Rom. 1.

CAPVT VI.

De ratione iudicandi de peccatis ex parte dominij voluntatis in cæteras facultates hominis.

SVMMARIVM.

55 *Facultates in homine subiectæ voluntatis dominio.*
56 *De ratione, qua in agendo subiicitur intellectus voluntati. Et de ratione qua voluntas censetur sibimet in agendo subiecta.*
57 *De ratione qua cæteræ facultates eidem subiiciuntur.*
58 *Qui actus sortiri possint rationem consensus imperati in iudicio de peccatis.*
59 *Violentia duplex: quædam conditionalis, quædam absoluta.*
60 *Absoluta non potest inferri voluntati quoad actus suos internos; potest autem quo ad externos.*
61 *Ea excusat a peccato & a pœna peccato debita.*
62 *Ad eam requiritur resistentia, tum ex parte voluntatis, tum ex parte facultatum exteriorum.*
63 *De ea non est iudicandum ex inclinatione appetitus naturalis, aut sensitiui.*

Nu. 55. DE hoc dominio ad iudicãdum de peccatis duo cognoscenda sunt. Alterum quænam in homine facultates sint subiectæ voluntatis dominio, per quas tanquam dominus per subditos, exerceat eos actus liberos, qui imperati & consensus exteriores communiter appellantur. Alterum est violentia quæ eidem dominio aduersatur. Quod attinet ad prius: eiusmodi facultates in homine sunt, tum cognoscitiuæ, nempe intellectus & sensus: tum eæ quæ cognitionem in executione sui muneris sequuntur: vt voluntas & appetitus sentiens ac facultates exteriorum membrorum corporis. Inferiores autem facultates, vt vegetatiuæ & cæteræ quæ in suo munere non sequuntur cognitionem, tali dominio non subiiciuntur: licèt applicatio rerum ex quibus sequi possunt, vel impediri (*vt sumptio cibi vel potus ad nutritionem necessaria*) in voluntatis arbitrio sita sit.

Nu. 56. Ac de intellectu obseruandum est: in actu ipsius considerari posse: tum existentiam, quæ consistit in exercitio: tum essentiam quæ consistit in apprehensione veritatis vel falsitatis: & in iudicio, hoc est, in assensu vel dissensu. Atque quoad exercitium sui actus, intellectum voluntati subiici, experientia docet (*siquidem intelligimus, vel ab intelligendo abstinemus, quando volumus*) etiamsi habeat suos quosdam motus primò primos & naturales, anteuertentes liberum voluntatis consensum: & motio phantasiæ interdum sit adeo vehemens, vt intellectum ipsum secum rapiat, impediátque ne voluntas possit pro arbitrio illum mouere.

Quoad apprehensionem autem veritatis vel falsitatis non subiici intellectum voluntati, experientia quoque docet. Nec enim quoties volumus, veritatem aut falsitatem apprehendimus. Et ratio est, quia talis apprehensio pendet ex naturali vel supernaturali lumine, quod non habetur pro voluntatis arbitrio.

Quoad assensum verò & dissensum: in propositionibus quidem nobis euidenter notis; nec intellectum voluntatis arbitrio subiici, ex eo patet, quòd non sit in nostra potestate dissentire principiis vel conclusionibus euidenter veris, vel assentiri euidenter falsis: cùm ratio assentiendi, sit veritas, & dissentiendi falsitas. In propositionibus autem quæ nec veritatem nec falsitatem habent euidentem: seu de qua intellectus non conuincitur ratione efficaci; intellectum ipsum subiici voluntatis arbitrio, patet ex Catholicis assentientibus articulis fidei; & hæreticis dissentientibus ab iisdem. Attamen quia ratio assentiendi, est veritas; & dissentiendi, falsitas; vt voluntas moueat intellectum ad assensum vnius partis potius quàm alterius contrariæ, necessaria sunt quædam motiua seu rationes probabiles, aliquatenus ostendentes veritatem illius, vel falsitatem.

De voluntate aduertendũ est, eã hoc nomine censeri sibi ipsi subiici, & actus imperatos elicere; quòd possit per vnum interiorem consensum, applicare seipsam ad alium eliciendum: vt per eum qui est chari-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatis actus, ad eum eliciendum qui est actus misericordiæ: Verumtamen id non nisi impropriè dicitur: vt nec propriè talis actus ipsius, ponitur in numero ab ipsa imperatorum; sed potius in numero elicitorum.

Nu.57. De cæteris facultatibus obseruandum est: cùm sint organicæ; ex parte quidem sua, voluntatis dominio subiici prout experientia docet. Experimur enim quòd voluntas possit applicare imaginationem ad apprehendendam rem tristem, & consequenter excitare in appetitu sentiente tristitiam & dolorem: facultatésque externorũ membrorum mouere ad executionem piorum operum; per quæ æterni supplicij euadantur pœnæ peccatis debitæ. Ex parte tamen certæ qualitatis & dispositionis Organorum, quorum sunt facultates, non semper subiici dominio voluntatis, patet quoque experientiâ; Nam experimur aliquando ob aliquam corporis dispositionem, in appetitu sensitiuo exoriri tam vehementem passionem, vt voluntas, etsi possit non consentire, vix tamẽ possit eam cohibere, vel omnino non possit: iuxta illud Apostoli ad Rom. 7. Non quod volo bonum hoc ago: sed quod odi malum hoc facio.] Similiter expetimur aliquando imaginationem, nobis inuitis res quasdam illicitas repræsentare, & cogitationes excitare quas repellere vix possumus. Vbi tamen cauenda est negligentia; quia licet primo aditu difficile & interdum impossibile sit voluntati, tales muscas conscientiæ infectiuas abigere: eas tamen tandem subigere Deo iuuante, & domina euadere potest. Ac demum facultates exteriorum membrorum possunt aliqua horum infirmitate impediri, ne ad nutum, & interdum vt nullatenus voluntati obediant.

Discrimen autem illud *ex Aristot. 1. Polit. cap. 3.* quòd voluntas hominis, talibus facultatibus dominetur principatu herili, id est, sicut dominus seruis, qui nullam resistendi potestatem habent. Appetitui verò sentienti, principatu ciuili: sicut princeps ciuibus, qui potestatem aliquam habent repugnandi: pertinet ad easdem facultates secundùm se sumptas: qua ratione non sunt ex se sufficientes ad exeundum in actum, sed perinde ac instrumenta artium requirunt alterius impulsum: qui interdum quidem est ab appetitu sentiente; sed ratione dirigente imprimitur à voluntate, quando actus in quem exeunt, est de numero actuum humanorum. Appetitus verò sensitiuus ex se sufficiens est ad deducendum seipsum in actum, absque impulsu voluntatis: qua de causa potest sua passione eidem aduersari, iuxta illud Apostoli *ad Galat. 5.* Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur: vt non quæcumque vultis, faciatis.]

Nu.58. Cæterùm ista eò pertinent, vt intelligamus actus imperatos, in quibus ratio peccati iudicanda est ex regula vltima in præced. capite posita; posse esse, tum mentis cogitationes, ac phantasiæ imaginationes: tum passiones appetitus sentientis: tum demum functiones linguæ, manuum, ac reliquorum membrorum exteriorũ, quæ voluntatis arbitrio regi possunt.

Pars altera capitis, De vi oppositæ voluntatis dominio.

Nu.59. QVod attinet ad violentiam: ea duplex est ex D. Thoma *in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 1.* & colligitur ex cap. Sacris De iis quæ vi metúsve causa fiunt: vt ibidem Panormit. num. 1. obseruat: vna conditionalis: qualis est cùm quis ad aliquid agendum, quod alioqui ex iusta inclinatione non egisset, metu vel blanditiis inducitur (*quæ potius inductio aut persuasio quàm violentia dicenda est*) eiusque consideratio ad sequentia capita pertinet: altera absoluta; qualis est quæ ab externo principio infertur, passo non conferente vim, id est, persona patiente, quantum potest resistente, per internam inclinationem ad oppositum.

Nu.60. Ea autem ex D. Thoma 1. 2. quæst. 6. art. 4. non potest quidem inferri voluntati quoad interiorem consensum, actúmve ipsius elicitum: potest tamen quoad exteriorem, seu quoad actum ipsius imperatũ. Cuius rei ratio est, quòd voluntati conueniat, vt secundùm naturalem inclinationem se indifferenter habeat: tum ad contrarias actiones eliciendas, vnde dicitur libera libertate contrarietatis: tum ad easdem eliciendas vel cohibendas, vnde dicitur libera libertate contradictionis. Quo fit vt siue sit elicienda volitio, siue elicienda contraria nolitio: siue ab hac vel illa abstinendum, nihil accidat contra voluntatis inclinationem propriam: adeout neque in eliciendo, neque in non eliciendo patiatur violentiam. Atque licet Deus possit voluntati nostræ afferre necessitatem volendi aliquid, vel nolendi illud, vel cohibendi se ab eo volendo aut ab eo nolẽdo; iuxta illud Prouerb. 21. Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini quocumque voluerit inclinabit illud] non ideo tamen censendus est cogere, cùm talis siue volitio, siue nolitio, siue huius aut illius cohibitio, non aduersetur voluntatis inclinationi, sed secundùm eam fit.

Facultates autem subiectæ imperio voluntatis, per quas ipsa exercet consensum suum exteriorẽ, actúmve imperatum, non ita pendent ab ea in operando: quin ipsa repugnante possint ad operationem ab externo agente potentiore interdum applicari; vt accidit cùm aliquis potentior viribus, aperit alterius oculos vt videat nolens videre: vel certè possint impediri ne à voluntate ipsa applicentur ad operandum: vt cùm quis claudit alterius oculos, ne videat volens videre: quorum illud est positiuè, & hoc negatiuè voluntati quoad actum suum imperatum inferre absolutam violentiam.

Nu.61. Quæquidem, sicut ignorantia inuincibilis, omnino excusat à peccato, & facit ne actio vel omissio illicita, quæ per eam committitur, habeat rationem aliquam peccati. Sic enim in Cone. Aneyrano (*quod refertur distin. 50. cap. Presbyteros*) definitum est thuris oblationem factam Idolo, ab eo cuius manus ad id addacta est, ipso quantum potuit interius & exterius resistente, non fuisse peccatum. Et 32. quæst. 5. per totam, multis sanctorum Patrum authoritatibus propositis, confirmatur nihil peccare illam, cuius omnino renitentis virginitas violatur. Ratio autem est, in qua iidem Patres fundantur, quòd talis violentia tollat interiorem voluntatis consensum liberum, qui ad rationem peccati omnino requiritur iuxta primam regulam in præced. cap. traditam. Vt autem à peccato, sic & à pœna peccati excusari habetur ex cap. Sacris, De iis quę vi, &c. Ratióque est, quia effectus non ponitur, non posita causa.

Nu.62. Ne verò in iudicando de peccatis ex hac doctrina errare contingat, conuenit duo obseruare. Prius est: ad istud violentiæ genus necessariam esse duplicem resistentiam: vnam ex parte voluntatis, hoc est, vt ipsa nolit violentium inferri: si enim velit, aut neque velit, neque nolit sed neutro modo se habeat, non dicetur, violentia inferri. Alterum ex parte facultatis exteriorum membrorum: nempe vt is qui patitur, quantum potest externi agentis contra se conatum impediat: per fugam, aut clamores aut alios externos actus ad resistendum accommodatos. Vnde si Caluinianus ad suam concionem traheret Catholicum; siue

siue volentem, siue nec volentem, nec nolentem; sed tantùm permittentem in se fieri alterius voluntatem: siue nolentem quidem, compellenti tamen non resistentem exteriùs quantum potest, is non censeretur violentiam pati, & sic de similibus.

Nu.63. Posterius est: cùm de ratione violentiæ sit, vt is cui infertur resistat per interiorem inclinationem ad oppositum: de violentia homini ad actum aliquem illata, non esse iudicandum ex inclinatione seu appetitu ipsius naturali, aut sensitiuo: in quibus cum bestiis communicat: sed ex sola voluntate, quæ est inclinatio hominis propria: hoc est, actum hominis non esse censendum violentum ex eo, quòd sit contra appetitum ipsius naturalem: vt ascensus, est cõtra ipsius pondus: aut contra appetitum sentientem, vt est perpessio verberum: sed ex eo solùm, quòd sit contra voluntatem. Vnde cùm homini pœna aliqua infligitur; siue à se, siue ab alio contra appetitum naturalem aut sensitiuum, si voluntas illam acceptet, non dicetur violenta, sed voluntaria. Sic enim Christi & Martyrum passiones fuerunt voluntariæ; sic etiam opera pœnitentiæ pœnalia, vt ieiunia, verbera, & similia quæ sibi ipsi homo infligit, sunt voluntaria, quamuis illa excipiat contra inclinationem appetitus sentientis: quia suscipit ex inclinatione voluntatis.

CAPVT VII.

De generali ratione iudicandi de peccatis ex parte appetitus concupiscentis.

SVMMARIVM.

64 *Amor sui initium est peccati.*
65 *Triplex affectus illicitus ex eo prouenientes.*
66 *Mouent se mutuo voluntas, & appetitus sentiens; sed differenter.*
67 *Concupiscentia appetitus sentientis nonnunquam in actu voluntatis auget liberum, nonnunquam minuit, & nonnunquam omnino tollit.*
68 *Nonnunquam pariter auget peccatum, nonnunquam minuit, nonnunquam etiam omnino tollit.*

Nu.64. PRIMVM peccati initium in homine esse sensualitatem, seu vt D. Thom. habet 1. 2. *quæst. 77. art. 4.* amorem sui: D. Augustinus satis significauit cùm amorem sui vsque ad contemptum Dei ædificare ciuitatem Babylonicam dixit in cap. vlt. lib. 14. de ciuit. Dei: congruenter ei, quod Dominus monstrans viam quæ ducit ad cœlestem Hierusalem (in quam ex cap. 21. Apoc. nihil peccati sordibus inquinatum intraturũ est) primo omnium loco præscribit ei, qui illam tenere velit, vt seipsum abneget Matth. 16. & Luc. 9. quod est se amore sui exuere. Immo id Scriptura apertè declarat, cùm dicitur in Epistola ad Rom. cap. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.] Et cap. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.] Et Iacobi 1. cap. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit parit peccatum.] Accedit ratio: quia talis amor est quædam infirmitas animæ, prouenions à peccato originali: per quam velut incurua propendet ad bona temporalia, hoc est, *ex D. Thoma in seq. art. 5.* ad voluptates, quæ corporis: ad diuitias, quæ fortunæ: & ad honores, qui animi bona temporalia dicuntur: cùm præcepta Dei (quorum transgressione peccatur) eamdem animam erigant in contrarium, nempe in bona æterna.

Nu.65. Iam pro illo triplici bonorum temporalium genere affectus illicitus ex amore sui prouenions tripertitò diuiditur in Epist. 1. D. Ioan. cap. 2. in concupiscentiam carnis, seu amorem carnalium voluptatũ; concupiscentiam oculorum, seu amorem diuitiarum; & in superbiam vitæ seu amorem honorum. Et quia in homine amor seu prosecutio voluptatum carnalium, sicut & odium seu fuga contrariorum dolorum, est per se actus non tantùm voluntatis sed etiam appetitus sentientis: non autem amor seu prosecutio diuitiarum vel honorum (nec enim appetitum sentientem contingit diuitiis, vel honoribus moueri, nisi fortè per accidens: hoc est, quòd accidat hos vel illas adiunctam habere aliquam corporis voluptatem) fit vt ex parte sensualitatis, vltra ea quæ in præcedentibus cap. dicta sunt de consensu voluntatis, nihil speciale occurrat considerandum, quod attineat ad iudicium de peccatis, præter carnalium voluptatum prosecutionem, & contrariorum dolorum fugam: quæ quatenus passiones sunt appetitus sentientis, *illa quidem concupiscentis, & hæc irascentis*, non tantùm suppeditant voluntati materiam mali consensus, sed etiam illam impellunt ad talem consensum præbendum.

Nu.66. Etenim quia voluntas & appetitus sentiens simul sunt in eadem anima, fit vt in prosequendo bono vel fugiendo malo, se mutuò moueant: vnaque aliam, *perinde ac solet sphæra vna aliam sibi adhærentem*, secum rapiat: quamquam diuerso modo; Voluntas enim directè mouet appetitum sentientem, hunc scilicet applicando ad opus: quia est facultas superior; cæteras sicut princeps ciues, imperio suo applicans ad obeunda propria munia. Appetitus autem sentiens voluntatem ad consentiendum sibi mouet solummodo indirectè: eam scilicet alliciendo (vnusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus Iacobi 1.) Ratione cuiusdam affinitatis mutuæ, qua duæ illæ facultates, natæ simul esse, ac sociari in eadem anima, vniuntur inter se naturali quodam vinculo. Vnde fit vt quẽadmodum Principem ciues affinitate ei coniuncti, sic voluntatem appetitus sentiens interdum subuertat repræsentatione commodi, vel incommodi quod ipse sentit in voluptate, vel dolore corporis. Sic Danielis 13. Sanctus puer deprauato seni ait: Concupiscentia subuertit cor tuum.

Porrò de motu appetitus sentientis prout à voluntate imperatur, nihil superest hic addendum ad ea quæ in præced. cap. dicta sunt de actibus imperatis (ex quorũ ille est numero) nisi id quod attigit Caiet. 1. 2. *quæst. 17. art. 7.* quando corporis dispositio conueniens fuerit, facilè appetitum sentientem voluntatis imperio moueri, non item quando non fuerit conueniens. Vnde præsens consideratio est tota de codẽ motu, prout voluntatem ad consensum allicit. Et cum, *vt antè attigimus*, ille sit tũ voluptatis corporeæ prosecutio, cui specialiter nomen concupiscentiæ tribuitur: tum doloris contrarij fuga, quæ nomine tum iræ, tum metus significatur, in reliqua huius capitis parte trademus quodnam ex tali motu prout concupiscentia est, iudicium de peccatis in genere possit fieri: idem de eo prout metus est, exposituri in sequen. cap. Prout autem est ira, sufficit monuisse, ex illo, de peccatis eodem modo iudicari, quo dictum fuerit iudicandum esse ex concupiscentia: quia pariter vtroque modo inclinat voluntatem ad volendum, aut nolendum, aut non volendum.

Nu.67. Principio ergo notandum est quoad concupiscentiam, sic eam influere in actum voluntatis, vt in illo nonnunquam augeat, nonnunquam minuat, nonnunquam tollat rationem voluntarij liberi: nam au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

get,quando efficiendo vt obiectum appareat magis delectabile, magisque desiderabile, efficit consequenter vt voluntas maiore propensione,& affectu in illud feratur, quam alioqui ferretur. Minuit verò, cùm iuxta supra citata D. Pauli verba ex cap. 7. Epist. ad Rom. voluntatem inclinat,& quodammodo trahit ad vnum magis, quàm alterum acceptandum,vel repudiandum. Namque libertas consistit in indifferentia voluntatis ad acceptandum vel non acceptandum, aut etiam repudiandum illud quod ei fuerit ab intellectu practico propositum, tollit denique omnino : quia vt D. Thom. *1. 2. quæst. 10. art. 3.* docet; Concupiscentia interdum est adeo vehemens vt non modo impediat,sed etiam tollat penitus deliberatum rationis iudicium : sic nimirum mouendo corpus, vt ligentur sensus exteriores : atque adeo vt vigilantes variis phantasiis deludantur,sicut dormientes in somniis : vel etiam vt lædantur ipsorum sensuum interiorum organa : quorum impedito obsequio in subministrando rationi species rerum, impeditur eiusdem rationis vsus ; vt argumento sunt illi,qui ex nimia passione in amentiam vertûtur.Quia enim,etiam passione sedata, perseuerat in illis interiorum sensuum læsio : ex sublato horum obsequio debito, tollitur & rationis vsus. Iam verò sine deliberato rationis iudicio,actus voluntatis nequit liber esse, vt paret in amentibus & pueris, in quibus voluntas eodem modo sequitur id quod ratio absque disquisitione apprehenderit, quo appetitus sentiens in bestiis, sequitur id quod phantasia conueniens esse iudicauerit. Cùm igitur hæc ita habeant: & peccatum adeo sit liberum,vt si non sit liberum, neque sit peccatum:duæ regulæ ex D. Thom. *1. 2. quæst. 77. art. 6. & 7.*statuuntur ad iudicandum de peccatis ex parte appetitus sentientis quoad concupiscentiam.

Nu.68. Prior est, peccatum per concupiscentiam minui. Hanc præter antedicta, confirmat illud quod habetur ex cap. Sciendum quippe est,De pœnit.distinct. 2. Peccatum ex infirmitate, idest, ex concupiscentia vel ignorantia *(quarum illa carnis & hæc animi infirmitas est, 15. quæst. 1. cap. 1.)* leuius esse peccato ex malitia: vt iuuenem cæteris paribus ob ardorem concupiscentiæ, leuiùs peccare formicando, quàm senem, in quo is ardor deferbuit. Intelligenda est autem hæc regula ex D. Thom. *in eod. art. 6.* de concupiscentia, seu appetitus concupiscentis passionibus,prout antecedunt peccati perpetrationem ; nam prout hanc sequuntur,concupiscentia non minuit peccatum, sed tanquam effectus eius, ostendit quanta fuerit peccandi voluntas.

Posterior regula est.Concupiscentia quando aufert omnino rationis vsum, omnino excusare à peccato : quando verò non aufert omnino, neque excusare omnino à peccato. Ratio manifesta est ex antedictis.Sic autẽ accipienda est talis excusatio,vt etiã locum habeant in ea moderationes excusationis eorum, qui per ebrietatem, somnum, aut furiam priuantur rationis vsu, proposita in præced. cap. primo.

Adhuc de concupiscentia illud obseruatione dignum occurrit ex Nauarr. *in Enchir. prælud. 6. num. 8.* cùm actus humanus ex eo, quòd producatur concupiscentiâ ipsâ plurimùm impellente voluntatem;non modo non sit inuoluntarius, sed magis voluntarius; illud quod per blanditias agitur, non esse inualidum, nec inualidari posse : sicut est, & potest illud quod ex metu agitur, vt paulò post docebitur : itaut testamentum non valeat quidem metu factum, valeat tamen procuratum blanditiis,ex lege vltima ff. Si quis aliquem testari prohibuerit.

CAPVT VIII.

De ratione in genere iudicandi de peccatis ex parte appetitus irascentis quoad metum.

SVMMARIVM.

69 *Metus minuit quidem liberum, non tamen tollit ; nisi tollat vsum rationis ; eíseque potest aut leuis, aut grauis.*
70 *Mala quorum metus potest censeri grauis, seu cadens in constantem virum.*
71 *Metus potest minuere peccatum, non tamen faciendo veniale,illud,quod est suo genere mortale.*
72 *Metus leuis regulariter non excusat à peccato.*
73 *Nec item metus grauis, quando agitur contra præceptum naturale negatiuum.*
74 *Secus cùm agitur contra præceptum affirmatiuum, siue naturale, siue positiuum.*
75 *Similiter & quando contra præceptum humanum negatiuum.*
76 *Aliquot casus excepti.*
77 *Actus humanus metu extortus, inefficax, inualidúsque esse censendus est quoad forum internum.*

HÆc ratio, vt in præcedenti cap. attigimus, sumitur tum ex ira, tum ex metu. Ex ira autem iudicandi in genere de peccatis eadem est ratio (vt iã antea prænonuimus) quæ iudicandi ex concupiscentia,itaut regulæ in eodem præced. capite traditæ sufficiant ad illius cognitionem propter paritatem rationis. Vnde nobis restat solùm tradenda ratio iudicandi ex metu.

Nu.69. Qui oriri potest vel ab insito principio,vt ille quo ægrotus mori timet : vel ab externo, vt is quem latrones mortem minitando viatori incutiunt;Sic autem afficit voluntatem, vt non adferat absolutam necessitatem, sed solùm inclinet, vt ad aliquod malum vitandum, velit aliquid quod alioqui non voluisset; itaut minuat quidem liberum,inclinando scilicet ad aliquid acceptandum potiùs, quàm repudiandum : non tamen tollat,nisi tantus sit, vt rationis vsum auferat.

Atque siue ab interno, siue ab externo principio is oriatur, duplex esse potest : vnus leuis, & alter grauis; quorum ille, qui & dicitur cadens in inconstantem virum,est, quando malum quod timetur,leue quidem est in se, homini tamen meticuloso, & inconstanti,graue ex animi leuitate apparet : hic verò,qui dicitur cadens in constantem virum,est *ex D. Thom. in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 2.* quando malum est verè graue, quod vir constans meritò timeat : & certa existimatione iudicans imminere, eligat alia minora mala ad ipsum vitandum. Neque enim metus viri cõstantis censebitur, si vel id quod metuitur leue sit, vel solâ coniecturâ, ac suspicione tantùm immineat: vel si minus est alio malo, quod ad ipsum vitandum eligitur. Sic, inquit Couarr. in Epitome 4. Decretalium, par. 2. cap. 3. §. 4. num. 2. si dues ad vitandum periculum amittendi 100. nummos aureos nisi vxorem ducat Mæuiam, quam nullatenus erat alioqui ducturus,non censetur,vt vir constans vel prudens, illud quod minus malum erat,elegisse ad vitandum maius.

Nu7. 0; Admonet autem D. Thomas ibidem ad 2. mala quorum metus cadere potest in constantem virum, esse quædam corporalia,quibusdam aliis maiora; & præcipuè quæ pertinent ad personam : cuiusmodi sunt

sunt mors, & verbera,seu grauis cruciatus corporis, cap. Cùm dilectus,De iis quæ vi, &c. Item dehonestatio per stuprum, & seruitus; lege, Isti quidem,ff. Quod metus causa : ac demum vincula seu detentio in carcere ex lege, Nec timorem,& lege, Qui in carcere. ff. eod. tit. Quod referentes Angelus & Syluester in verbo,Metus,num. 1. addunt perinde esse, siue talia mala immineant personæ propriæ, siue filiorum, siue vxoris personis. Addunt item, eadem tunc facere metum grauem,seu cadentem in constãtem,cùm nequit quis facilè eis occurrere:si enim facilè potest, vt exempli gratia, recurrendo ad Superiorem,aut aliter ea declinando, non datur locus excusationi : vnde D. Thom. *ibid. quoque ad 3.* negat infamiam, quamuis sit magnum malum, facere metum cadentem in constantem virum : quia facilè ei occurri potest. Quod tamen Sylu. & Angelus *in eod. verbo: ille num. 4. & hic num. 5.* restringunt ; inquientes non habere locum si infamia sit iuris cum suo illo effectu, quo de crimine infamatus in iudicio, obnoxius est morti, vel cruciatibus,vel aliis huiusmodi. Non enim dubium est quin talis infamia inducere possit metum cadentem in constantem virum. Addunt denique eadem mala metum grauem causare, non modò cùm inferuntur, sed etiam cùm sunt tãtùm in comminatione illius, qui potest ea inferre, & illaturus probabiliter existimatur : aut sunt in imperio,vel supplicatione eius,qui consueuit tyrannicè tractare subditos non obsequentes suis petitionibus.

Iidem authores adhuc & cum eis Couar. *in citat. §. 4. num. 18. vbi alios idem sentientes refert*, in numero istorum malorum quæ regulariter causant metum grauem,ponunt tum amissionem bonorum omnium temporalium, aut certè maioris partis illorum,iuxta cap. Abbas,De iis quæ vi : &c. Et ratio est: quia talia bona sunt vitæ adiumenta, quorum iactura plerumque iudicatur grauior vinculis,& cruciatibus corporis:tum etiam maiorem excommunicationem : quia graue incommodum & seruitus quædã personæ est, inter homines esse & hominum carere commercio; sicut excommunicato vsuuenit. Hoc tamen, vt rectè monet Tabiena, *idem quod illi, tradens in verbo* Metus: intelligendũ est, cùm quis nõ habet facile remedium declinãdi ipsam excõmunicationẽ propter tyrannidẽ eius qui illã minatur,nolentis audire paratũ obedire,neque permittere vt ad Superiorẽ prouocetur.

Habet amplius Syluester in citato num. primo: memorata quidem mala esse, quæ regulariter causant metum cadentem in constantem virum : non esse tamen sola ; sed adhuc, malum omne maius respectu minoris:vir enim constans rectam rationem secutus consentit in minus malum vt vitet maius: Quod de malo pœnæ intellige : malum enim culpæ nullquam licet,neque vt eueniant bona, neque vt vitentur mala. Ista qui pluribus tractata habere volet, inueniet apud Thomam Sanchez in lib. 4. de matrimonio,vndecim primis disputationibus Nobis enim prædicta sufficiunt ad intelligentiam regularum continentium rationem de peccatis iudicandi ex metu nobis propositam. Quas regulas sequitur vt tradamus.

Pars altera capitis in qua traduntur regulæ declarantes propositam rationem iudicandi de peccatis.

Nu.71. PRima est.Peccatum metu minui.Quæ confirmatur:tum ex cap. Imprimis 2. quæst. 1. & ex cap. Sacris,De iis quæ vi,&c. tum etiã ratione,quia per metũ minuitur liberũ in actu peccãdi,peccatúmque ex metu habet quòd sit ex infirmitate, ideóque leuius quàm si esset ex pura malitia. Aduerte tamen quod expresserunt Angelus & Syluest. in verbo,Metus,ille num. 6. & hic num. 7. nunquam ita minui, vt illud quod est suo genere peccatum mortale, faciat veniale : quia nullum est malum cui peccatum mortale sic cedat, vt illius comparatione, huius malitia censeri possit in infinitum minui.

Nu.72. Secunda regula est. Metum leuem nunquam excusare à peccato,nisi forte, aut ignorantia tanta esset, vt leue malum inuincibiliter crederetur esse graue, aut metus talis esset qui rationis vsum tolleret. Probatur 1. ex cap. Meritò, 15. quæst. 1. Deinde ratione: quia illud quod metu leui fit, nisi interueniat aliqua ex proximè propositis conditionibus,est absolutè liberum : vnde quia est in voluntatis potestate ab eo abstinere, peccatum committitur non abstinendo, si sit aliquid lege prohibitum. Neque enim à legis obseruatione metus ipse leuis excusat, ex lege,Metum 2. & lege,Nec timorem,ff. Quod metus causa.

Nu.73. Tertia regula. Cùm præceptum cuius transgressione peccatur,sit vel negatiuum, id est, prohibens aliquid facere:vel affirmatiuum, id est, præcipiens aliquid facere:metum grauem nũquam tollere obligationem præcepti naturalis negatiui : & per consequens nec transgressorem illius excusare vnquam à peccato. Sæpe autem cæterorum præceptorum, siue diuinorum, siue humanorum obligationem tollere:& illis contrauenientem tum à peccato, tum à pœna debita peccato excusare communiter.

Prior pars confirmatur:quia id quod naturalia præcepta negatiua prohibent, est ex se & intrinsecè malum : vt patet ex mendacio, periurio, adulterio, & id genus aliis, à quibus rectam rationem abhorrere constat. Quare ipsum nunquam potest licere: vt nec potest malitiam exuere. Vnde quisque debet potiùs omnia mala pati quàm illi consentire, ex cap. Sunt quidam, 25. quæst. 1. & ex cap. Lotharius, 31. quæst. 2. & ex cap. Itáne. 32. quæst. 5. & ex cap. Sacris, De iis quæ vi, &c. Idque indicatum est à Domino per illa verba Matth. 10. & Luc. 9. Qui vult venire post me abneget semetipsum,tollat crucem suam & sequatur me. Significauit enim vitam propriam & cruciatus corporis esse postponendos transgressioni diuinæ voluntatis:cui Christum sequendo debemus nos cõformare in omnibus. Vnde addit idem Dominus, Qui amat animam suam perdet eam. De qua re plura Couarr. *loco cit. num. 3. & aliquot sequentibus.* Indeque est,quòd istiusmodi præcepta dicuntur obligare semper & pro semper:quódque nulla eorum transgressio libera excusetur à peccato : ne quidem ea, quæ prouenit ex metu mortis:qui iuxta antedicta minuit quidem, non tamen tollit omnino liberum : censeturque leuis, cùm ad vitandum aliquod aliud malum,eligitur ac perpetratur peccatum:quandoquidẽ teste Nauarr. *in Enchir. cap. 22. num. 51.* ex communi Theologorum & Canonistarum sententia ; culpa etiam venialis, malum est maius quocumque alio, quod non fuerit peccatum ; vnde consequens est nihil factum male, seu cùm peccato,etiam tantummodo veniali,dici posse factum metu cadente in constantem virum:cùm talis metus non contingat vbi maius malum eligitur ad vitandum minus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quando metus excuſet à peccato.

Nu.74. POſterior verò pars regulæ, probatur quoad præcepta affirmatiua, ſiue naturalia ſiue poſitiua. Hęc enim nó obligãt, *vt vulgò loquuntur*, pro ſemper: alioqui oporteret ſine intermiſſione exercere illud, quod in eis præcipitur: at id in hac vita eſt nobis impoſſibile, præſertim cùm non habeamus ſemper obuia obiecta. Obligant ergo tantùm pro eo tempore in quo neceſſitas iudicio viri prudentis, exigit ipſa ſeruari. Quæ neceſſitas iuxta cap. Si quando, De reſcriptis, locum non habet, quando rationabilis cauſa excuſat: prout cenſetur contingere, quando ea talis eſt, vt ſi legislator adeſſet, ſtatueret idipſum non eſſe ſeruandum; *ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 147. art. 3. ad 2.* Id quod Nauarr. habet *in Enchir. prælud. 9. num. 14. & cap. 23. nu. 43.* ſimúlque approbans quod Caiet. ad citatũ D. Thomæ locum ait cauſam quam quis bona fide putat eſſe iuſtam, etiamſi non ſit, excuſare à peccato mortali: immo & à veniali, ſi omnis negligẽtia abſit.

Et certè credibile non eſt Deum benigniſſimum, qui tantam animis noſtris indidit propenſionem cõſeruandæ vitæ propriæ, voluiſſe, *quantumuis potuerit*, obligare nos ad ſeruanda, cum vitæ noſtræ diſpendio, præcepta ab ipſo inſtituta, vt ea propter nos eſſent: non autem nos propter ipſa, iuxta illud Marci 2. Sabbathum propter hominem factum eſt, non homo propter Sabbathum. Sic ergo, etiamſi teneat præcepto affirmatiuo iuuare proximum conſtitutum in extrema neceſſitate: nihilominus ſi id præſtare nó poſſum ſine vitæ meæ iactura; non pecco non præſtando: quia non obligor cum tali conditione. Atque quod de Deo benigniſſimo dicimus, idem de Eccleſia præſumendum eſt, tanquam de pia matre, quæ in filios à cœleſti ſponſo accepit poteſtatem, in ædificationem, non in deſtructionem: ex poſteriori ad Corinth. cap. vlt. ſicut nec reſpublica ciuilis accepit. Quam non habere in ciuium vitam dominium liberum; ſed ex diuinæ voluntatis determinatione limitatum, argumento eſt, quòd Deus ſolus iudicatur eſſe dominus vitæ noſtræ, iuxta illud Sapien. 16. Tu es Domine, qui vitæ & mortis poteſtatem habes.]

Nu.75. Quoad præcepta autem negatiua poſitiua, eadem poſterior pars regulæ probatur; quia obſeruationis horum eadem eſt ratio, quæ affirmatiuorum. Neque enim ex parte rei prohibitæ (*quæ non eſt intrinſecè mala*) habent malitiam, ſed ſolùm ex Superioris prohibitione; quæ ex antedictis, non ita obligat de ſe, quin ad vitandum imminens mortis periculum violari licitè poſſit: itaut quod licitum non eſt in lege, neceſſitas faciat licitum, vt habet 4. regula iuris, Extra. Et confirmatur tum ex eo, quòd Dauid 1. Reg. cap. 21. eſuriens comedendo panes propoſitionis, quos comedere licebat ſolis Sacerdotibus, non peccauerit, ex cap. 12. D. Matth. Tum ex eo, quòd Mathathias 1. Machab. cap. 2. pugnans in die Sabbathi, præceptum de huius ſanctificatione licitè non ſeruauerit, propter imminens graue periculum mortis, quod pugnando propulſandum fuit.

Quod autem Caiet. 1. 2. *quæſt. 96. art. 4.* vult omnes leges humanas, quæ ad peccatum mortale obligant, ſeruandas eſſe cum periculo vitæ ex eo refellitur, quòd lex ieiunij obliget ſub reatu peccati mortalis: nec tamen culpa ſit illud frangere ad vitam conſeruandam, vt ipſe Caiet. negare non poteſt, cùm doceat 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 3, *dub. vlt.* ad conſeruandam ſanitatem vel ſtatum temporalem, vel vitandum notabile damnum, aut acquirendum aliquod rarò contingens, frangi poſſe ieiunium. Cùm autem ipſe obiicit haberi in cap. Sacris, De iis quæ vi, &c. cùm pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere, non eſſe licitum ob metum communicare cum excommunicato. Reſpondendum eſt, id eſſe intelligendum de communicatione ex qua plebs acciperet ſcandalum, ſuſpicans aut leges Eccleſiaſticas nullius vigoris ac momenti eſſe: aut ipſum communicantem eſſe inobedientem manifeſtum: in quo caſu iuxta poſt dicenda mori debet potiùs, quam tale quid facere. Quæ eſt explicatio Nauarri *ad cap. Inter verba 11. quæſt. 3. prælud. 3. num. 4.* cùm inquit intelligi de communicante in contemptum, vel negationem clauium, ſeu poteſtatis Eccleſiaſticæ. Videri poteſt Azor in 1. part. Inſtitut. Moral. lib. 1. cap. 11. quæſtione 1.

Nu.76. Cæterùm in eadem poſteriore parte regulæ, propterea dictum eſt, *ſæpe*, non autem ſimpliciter, metum grauem excuſare à peccato; quòd metus interdum non tollat obligationem præceptorum de quibus agimus: nimirum quando ea obligant etiam cum vitæ diſcrimine: vt obligare cenſentur ea, quæ præcipiunt aliquid quod ex ſe cõiunctum eſt tali diſcrimini: vt cùm Princeps exigente reip. periculo, præcipit militibus ne locum aliquem deſerant, vbi de vita periclitantur, & multa alia militaria. Nam quamuis Princeps non ſit abſolutè dominus vitæ, ſicut Deus: tamen ſalutis reip. cauſâ poteſt ſubditos morti exponere, prout totum exponit ſuas partes. Secundò, cùm verba præcepti oſtendunt obligationem cum ciuſmodi diſcrimine: vt illa quibus præcipitur confeſſio fidei Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus. Qui me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo. Tertiò, quando occurrit caſus in quo præcepta ipſa non obſeruare, eſt contra charitatem in Deum: vt quando contemptus diuini cultus inde inducitur. Quartò, quãdo non obſeruare, ſic eſt cõtra charitatem in proximum, vt detrimentum quod illi inde infertur, ſit ſecundùm ordinem charitatis magis cauendum à nobis, quàm illud de quo metus incutitur: quo modo ruina proximi in peccatum, eſt à nobis magis cauenda quàm noſtra mors.

Hinc eſt, quòd ex communi ſententia Doctorum, tranſgreſſio præceptorum ſemper cenſetur mala, cùm cedit in cõtemptum eorumdem, aut fidei, & religionis, contra Dei gloriam: vel quãdo generat proximi ſcandalum quo inducitur ad peccatum. Tunc enim præcepta ipſa poſitiua obligare cùm vitæ diſcrimine, oſtendunt exempla Sanctorum illorum, qui *ex cap. 6. & 7. lib. 2. Machab.* cùm ab impio Antiocho in contemptum diuinę legis, compellerentur ſuillam comedere, nullo ſuppliciorum & mortis acerbæ metu, ati tranſgreſionem præcepti, talem eſum prohibentis, ſe adduci paſſi ſunt. Cumque ex eod. cap. 6. Eleazaro ſeni proponeretur, vt ſolummodo ſimularet ſe tales carnes ad mandatum regis comedere: ipſe ne ſcandalum, ſeu occaſionem peccandi aliis daret, maluit mortem ſubire quàm oblatam occaſionem admittere. Sic ergo, *vt rectè Nauarr. annotat in cit. num. 4.* quamuis liceat metu mortis non dicere, vel non audire Miſſam: ſi tamen talis metus incuteretur (*vt ſolet ab hæreticis*) in contemptum eiuſdem Miſſæ: vel ad oſtendendum eam non eſſe celebrandam, vel in ea non conſecrari verum corpus Chriſti: non erit per illum excuſatio à peccato: quoniam aderit caſus profitendæ fidei, ac vitandi ſcandalum proximi. In quo caſu præceptum ſeruandum eſt, quidquid periculi inde immineat.

Hæcque hactenus de generali ratione iudicandi de peccatis ex ipſorum cauſa efficiente. *Quæ ratio ad ea ipſa pertinet prout ſunt actus liberi, in quo materialis generícáque ratio eorumdem conſiſtit.* Deinceps autem tradenda ex reliquis cauſis, pertinet ad ipſa prout ſunt actus mali: in quo conſiſtit formale & differentia ipſorum à cæteris actibus liberis: vt enim, quòd actus liberi ſint, habent ex eo, quòd à voluntate deliberata procedant; ſic ex eo ſunt actus mali, quòd ſuo fine debito, aut contra præſcriptam regulam, aut circa obiectum illicitum, aut etiam cum defectu circunſtantiarum debitarum exerceantur. Cæterùm quæ de metu addenda viderentur quoad vim quam habet reddendi quoſdam actus humanos ineſficaces, commodiùs traduntur ſuis locis, cùm de vnoquoque talium agitur ex inſtituto. Qui volet poteſt de illis videre Azorium 1. *part. Moral. Inſtit. lib. 1. cap. 11.*

In genere autem hîc occurrit monendum, quid- *Nu.77.* quid ſit de foro externo & coram hominibus: in foro interno & coram Deo, inualidum inefficacemque eſſe actum, metu graui iniuſtè incuſſo, extorum; prout ex communi ſententia Nauarr. habet *in Ench. cap. 17. num. 14. & cap. 22. num. 51.* quam ſequi ſolent Sũmularij in verbo Metus, & in verbo Reſtitutio ac in verbo Concuſſio. Itaque nulla donatio, tranſactio, remiſſio, translatio dominij valida eſt coram Deo, quando conſenſus prædicto metu extorquetur; teneturque ille qui rem accipit, illam reſtituere ei cui iniuriam facit accipiendo. Nam ibi eſt quoddam rapinæ genus, iuxta cap. Pœnale, 14. quæſt. 5. Abſimdum autem eſt exiſtimare, quòd per rapinam & iniuſtitiam, dominium rei coram Deo transferatur.

L A V S D E O.

LIBER SECVNDVS ET OPERIS TOTIVS DVODECIMVS.

DE IIS QVAE AD IVDICANDVM in genere de peccatis conſideranda ſunt ex parte finis.

PRÆFATIO DE RATIONE ET VARIETATE FINIS.

PEccatvm pro fine poteſt tantùm habere bonum: ſeu verum, ſeu ſaltem apparens, quod propter ſe expetitum faciat vt aliud propter ipſum expetatur. Ratio eſt, quia peccatũ eſt actus humanus, ſeu voluntatis liberæ; quæ tantùm fertur in bonum verum aut ſaltem apparens, vt experientia docet. Iam bonum vt rationem finis ſortiatur, debet propter ſe expetitum eſſe. Nam quod tantùm propter aliud expetitur, medium eſt quidem ad finem, ſed non eſt finis. Debet item facere, vt propter ipſum aliud expetatur. Nam niſi expetitum faciat vt aliud propter ipſum expetatur, non habet vim cauſæ finalis: quæ ad media propter ipſum expetita tanquam ad effectus ſuos proprios, ordinem reſpectúmque includit.

Diſtinguitur verò iſtiuſmodi finis in vltimum, & medium. Vltimus dicitur, qui expetibilis eſt propter ſe, & cætera propter ipſum: non autem ipſe propter aliquid aliud. Medius verò, qui & propter ſe, & propter aliud expetibilis eſt. Qui vterque rurſus diſtinguitur in verum & falſum. Vltimus verus, eſt ſolus Deus ſuper omnia diligendus Deut. 6. Matth. 22. Mar. 12. in quem voluntas noſtra, tanquam impetus quidam, animæ à natura inſitus, ſic tendit, vt in nulla alia re, tanquam vltimo omnium termino ſibi præfixo, penitus conquieſcat, iuxta illud D. Auguſt. ſub initium ſuarum Confeſſionum. Quia feciſti nos ad te, inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te. Vltimus falſus eſt, quem homo pro ſua falſa imaginatione, per ſummam impudentiam, & ſtoliditatem ſibi fingit, vel expreſsè

Universidad de Deusto
Biblioteca

presè vel tacitè: vt Epicureus voluptatem,iuxta illud ad Philipp.3. Quorũ Deus venter est. Medius verus,est bonum aliud à Deo,quod verè tum propter se,tum propter aliud amabile est.

Cùm autem bonum omne aliud à Deo,vel honestum sit, vel delectabile vel vtile: *vt confirmat D.Thom.in 1.par.q.5.art.6.* talis finis rationem habent.tum bonum honestum, *id est, vt D.ipse Thomas ibidem in solutione 2. argumenti interpretatur:* quod in seipso habet vnde desideretur, vt virtus & scientia : tum etiam bonum delectabile, *id est,ex eod.D.Thoma,* quod nihil habet vnde appetatur præter delectationem,quam procreat: cùm de reliquo sit nonnumquam inhonestum, & noxium vt patet in voluptatibus carnis. Quo non obstante, habere rationem boni per se,Caietan.ad primam secundæ quæst.4. art.2. confirmat ex eo, quòd in se habeat vnde simpliciter finiat ac terminet appetitiuum motum, absque ordine ad aliud tanquam ad finem.

Medius autem finis falsus,est ille qui vel non potest esse amabilis propter se: vt bonum vtile,qui non habet in se, *inquit D.Thomas in ead.solut. secundi argumenti,* vnde desideretur:sed desiderabile est solùm tanquam conducens ad aliud: sicut potio amara conducit ad sanitatem. In quo finis genere Nauar. in comment. de finibus actuum humanorum numero 5. & in sequen.24. expressit ponenda esse:tum bona pecuniaria,seu diuitias:tum etiam honoraria; *nimirum reuerentiam, laudem, honorem, famam, & gloriam:* tum demum bonum quod non potest esse amabile propter aliud:vt Deus Opt.Max cui repugnat habere aliquid maius,aut dignius:atque adeo ordinari in aliud,tanquam in finem.

Cæterùm ad iudicandum generaliter de peccatis ex parte finis actuum humanorum, duo maximè consideranda sunt:vnum est debita habitudo inter finem,& medium quo quæritur: alterum debita intentio hominis propter finem agentis. Quibus duobus in materia morali, finis effectum, *seu illud quod propter finem agitur,* oportet esse definitum,tanquam conditionibus quibus deficientibus ipsum deficere,moralitérque malum esse contingit;iuxta illud tritum ex D.Dionysio in cap.4.De diuinis nominibus,Bonum est ex integra causa, & malum ex singulis defectibus.] Cùm igitur actus humanus sit quidpiam quod agitur propter finem; vt de eo iudicetur, an malum peccatúmve sit, tales conditiones debent in eo considerari. Ad prioris ergo considerationem aggrediamur.

CAPVT I.

De habitudine debita inter finem, & medium quo quæritur.

SVMMARIVM.

1 *Peccatum committitur,cùm id quod de se bonum est, fit malo fine.*
2 *Medium ex fine bonitatem & malitiam acquirit.*
3 *Peccatum committitur quærendo bonum finem malo medio.*
4 *Quando possit pro regula vsurpari: Illud cuius finis est bonus,ipsum quoque est bonum.*
5 *Peccatum committitur, quærendo finẽ qui non est aptus medio quo quæritur.*
6 *In quo consistat eiusmodi aptitudo.*
7 *Actus humani finis,quidam est principalis, quidam minus principalis.*
8 *Duplex discrimen inter finem malum, & finem non aptum medio quo quæritur.*

DE hac habitudine docendum est, quando ipsa deficiat in actu humano; id enim est, per quod ex parte finis indicatur, num is malus,peccatúmve sit.Censetur ergo tunc deficere,cùm vel finis ipse malus est, vel medium quo quæritur est malum; vel quamuis tam hoc quàm ille sit verum aliquod bonum : tamen finis non est aptus tali medio,quo quæritur. Atque vt actum humanum constet per vnumquemque talium defectuum sortiri peccati rationem,regulas singulas de singulis constituemus addita confirmatione.

Peccatum esse,quærere malum finem bono medio.

SECTIO I.

Nu.1. PRima igitur est. Peccatum committi cùm finis malus est, etiamsi quæratur bono medio. Hæc confir

cõfirmatur primò ex cap.Cùm ministet,23.quæst.5. in quo statuitur ministrum iustitiæ, si damnatum à Iudice occidat sponte,homicidam esse: hoc est, peccare occidendo, Iudicis etiam iussu, si id faciat in finem priuatæ vindictæ : quia scilicet malum finem bono operi constituit. Confirmatur deinde & efficaciùs ex verbis Domini Matth. 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus,vt videamini ab eis.Ea enim apertè indicant actuum nostrorum bonitatem contaminari,cùm illi in malum finem referuntur. Confirmatur denique ratione quia in actu voluntatis, quo ipsa aliquid vult propter finem, prima ratio volendi est ipse finis:vt sanitas, volendi potionem. Vnde fit vt si iste sit malus,ille quoque sit, tanquam depromptus ex malo thesauro, iuxta dictum Domini,Matth. 12. & Luc.6. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum ; & malus homo de malo thesauro profert malum. Hinc̃que est quòd ad iudicandum de peccatis ex parte finis pro generali regula, axioma istud vsurpatur. Id cuius finis malus est,ipsum quoque est malum.

Nu.2. Obiter autem obseruandum est:quòd vt actus indifferentes,hoc est,qui de se nec boni sunt, nec mali, acquirunt bonitatem, vel malitiam per relationem ipsorum ad bonum vel malum finem ; ita eos qui de se boni sunt, relatione ad bonum finem acquirere nouam bonitatem:& de se malos,relatione ad malum finem,acquirere nouam malitiam: adeout furtum v. g.commissum ad fornicandum,præter malitiam quã de se habet repugnando præcepto, Non furtum facies;habeat adhuc aliam ex fine in quem refertur,repugnando præcepto,Non mœchaberis. Ad quod facit illud Aristotelis in cap.2.lib.5.Ethic,dicentis eum qui furatur ad mœchandum magis esse mœchum quàm furem. Eo enim apertè indicat vtriusque vitij malitia talem inquinari.

Peccatum item esse quærere bonum finem malo medio.

SECTIO II.

Nu.3. SEcunda regula est. Cùm finis bonus quidem est, sed medium quo quæritur est malum, actum humanum esse peccatum. Hæc confirmatur primò per cap. Forte, & cap. Denique 14. quæst.5. Vbi dicitur non excusari à peccato eum qui furatur ad largiendam eleemosynam. Et per cap. Primum est, & cap. Ne quis 22. quæst. 2. Vbi dicitur non licere mentiri pro saluanda cuiusquam vita:quod sacras literas prohibere notatur in cap.Super eo,De vsuris: vbi & additur non licere dare ad vsuram pro redimenda vita captiui.Confirmatur etiam per illud quod ex cap. 3. Epist.ad Roman. habetur, Non esse facienda mala vt veniant bona.

Confirmatur demum ratione : quia licet aliqua sint mala quæ suam malitiam exuere possunt & reddi licita propter maius malum vitandum : vt ea quæ aduersantur præceptis affirmatiuis, aut etiam negatiuis positiuis iuxta dicta in præced.lib. in posteriore parte cap.vltimi: quædam tamen, quia sunt intrinsecùs mala,vt mendacium,idololatria,odium Dei,& id genus alia;quæ nequeunt suâ malitiâ denudari, quocumque bono fine fiant malitiam suam retinent.Vnde intelligitur periculum eorum,quorum tam vehemens est desiderium acquirendi aliquem finem ; vt non inuento medio alio nisi malo,aut inepto:voluntas ipsorum tali desiderio impellatur ad eiusmodi medij electionem:vt cùm quis ex vehementi desiderio huius vitæ impellitur ad fidei negationem.

Intelligitur etiam generale axioma, quod paulò ante memorato adiungi solet. *Cuius finis est bonus,ipsum quoque est bonum:* vt pro regula possit vsurpari ad rectè iudicandum de peccatis ex parte finis; supponi debere, quòd exceptionẽ patiatur in iis actibus humanis, qui intrinsecùs seu ex obiecto mali sunt. Immo & in iis,qui non obstante bono fine,bonóque obiecto, ex aliqua circumstantia malitiam contrahunt: iuxta dicenda in sequen. lib.14.cap.2. Ratio verò cur in hoc potius, quàm in ante traditum axioma cadat exceptio,sumitur ex eo,quòd bonum,prout ex D.Dionysio suprà posuimus,sit ex integra causa, & malum ex singulis defectibus. *Nu.4.*

Quæ item ratio est,cur actus simpliciter bonus,& actus totaliter bonus,idem esse censeantur,non item actus simpliciter malus & actus totaliter malus : nimirum quòd cùm actus humani, bonitatem & malitiam trahant ex obiecto,ex fine, & ex circunstantiis: vt aliquis eorum bonus sit,requirat illorum omnium bonitatem ; cùm debeat esse ex integra causa : sicut corporis pulchritudo consurgens ex magnitudine, figura, & colore, requirit eorum omnium debitam proportionem. Quare eo ipso quòd actus humanus est simpliciter bonus, est & totaliter bonus : vt verò sit malus,sufficit vnicus defectus(sicut & ad corporis deformitatem, sufficit vnius antedictorum indebita proportio) siue ex parte obiecti, siue ex parte finis, siue etiam ex parte alicuius circunstantiæ: itaut non sequatur, si is simpliciter malus sit esse quoque malum totaliter:cùm id sit malum esse,& ex obiecto, & ex fine,& ex omnibus circunstantiis.

Peccatum quoque esse,cùm finis non est aptus medio quo quæritur.

SECTIO III.

Nu.5. TErtia regula est. Actum humanum esse peccatum,cuius finis non est aptus medio quo quæritur.Confirmatur:quia secundùm ordinem à Deo institutum(de quo ad Rom. 13. Quæ sunt à Deo ordinata sunt) inferiora subiiciuntur superioribus ex Extrauag.communi,Vnam sanctam, De maior.& obed. ideoque malum est superioribus inferiora præponere:ex cap. Solitæ, Extra,eod.titulo. Deinde violatur (& ideo peccatur) conformitas quæ in nobis cum Deo debet esse:quandoquidem natura, cuius ille author est,inde labefactatur ex cap.Flagitia 32 quæst.7.

Nu.6. Iam aptitudo illa de qua loquimur,in eo consistit, vt vel medium tale sit, quod suapte natura, seu quadam naturæ directione, tendat in talem finem : vel si tantummodo dirigatur per intentionem hominis,sibi liberè talem finem proponentis ; in eo consistit, quòd finis ipse non modo sit verum aliquod bonum, sed etiam melius eo medio quo quæritur ; ita nimirum vt hoc illi in genere bonorum amabilium, sit subiectum naturæ institutione. Itaque actus humanus,tanquam dissentaneus ordinationi authoris naturæ,iudicari debet malus,quando agens constituendo sibi pro fine minus bonum, refert in illud aliud maius:vt accidit ei qui diligit Deum propter diuitias. Quam doctrinam Nauar. in memorato commentario num.8. attingit, & in sequen. num.36. ponit duplex discrimen notatu dignum inter finem malum, & finem non aptum medio quo quæritur.

Nu.7. Ad quorum priùs plenè intelligendum prænotare oportet,quod in eod.comment.num.nono idem author habet;actus humani duplicem finem esse posse: vnum

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnum principalem alterum minus principalem. Principalem autem dici illum propter quem solum, aut propter quem tantumdem ac propter alterum, actus ipse exercetur. Cuius definitionis pars illa, *propter quē solum*, indicat quemdam finem principalem, esse totalem: vt est virtus, respectu actus, quem quis eo solo intuitu exercet, quòd sit honestus: seu quòd illum recta ratio dictet. Reliqua verò pars indicat quosdam esse principales fines partiales: vt sunt duo fines ieiunantis tempore Quadragesimę in Sabbatho quatuor temporum, ad satisfaciendum duobus præceptis, quibus ieiunium tunc præcipitur; nimirum præcepto de ieiunando quatuor tempora distinct. 76. cap. 1.2. & 3. atque præcepto de ieiunando Quadragesimam; De consecrat. distinct. 5. cap. Quadragesima. Minus principalem verò finem dici illum, quo voluntas disponitur seu impellitur ad faciendum aliquid propter aliud: sicut timore inferni aut spe paradisi disponitur impellitúrve ad amandum Deum propter ſc.

Nu. 8. Prius autem discrimen quod Nauar. ponit inter finem malum, & finem non aptum medio quo quæritur, est; quòd ille non possit esse finis, neque principalis, neque minus principalis, actus boni: hic verò licet non possit esse finis principalis, possit tamen esse minus principalis. Itaque, *inquit ille*, ieiunans vel orās principaliter quidem propter Deum, sed minus principaliter ob inanem gloriam, vel aliquid aliud quod sit malum culpæ, etiam tantùm venialis, peccat: eadem verò faciens, item principaliter propter Deum quamuis minus principaliter faciat propter temporale bonū quod sit inferius actu ieiunandi vel orandi, non peccat. Id quod plenius intelligetur per deinceps dicenda. Posterius discrimen est, quòd finis malus nulla relatione ad superiorem finem, possit fieri bonus: finis autem non aptus, possit fieri aptus per talem relationē. Vnde qui ieiunat vel aliquod aliud pium opus facit, vt furari possit ad dandum pauperibus eleemosynam, peccat: qui verò opus pium facit ad licitè acquirendam pecuniam, quam propter Deum eroget pauperibus, non peccat; sed bene meretur: quia talis pecuniæ acquisitio relata in erogationem faciendam pauperibus propter Deum, transformatur in finem charitatis, qui omnium bonorum operum sanctissimus finis esse potest. Porro quis finis malus aut medium malum sit, perinde ac de cæteris illicitis iudicandum est per ea quæ in sequen. libro docebuntur de lege æterna nobis patefacta: cuius transgressione culpa committitur. De fine verò non apto speciale iudicium ferri non potest, nisi cognito specialiter quod genus boni, ad quod aliud tanquam ad melius, ordinari aptè possit: quam cognitionem suppeditabunt proximè dicenda.

CAPVT II.

De intentione debita in constitutione finis vltimi.

SVMMARIVM.

9 *Series ac differentia actuum liberæ nostræ voluntatis, & intellectus practici eam moraliter dirigentis.*
10 *Qualis est intentio, talis est & humanus actus intentus, quatenus sit verum.*
11 *Præter finem operis, datur finis operantis.*
12 *Requisita vt intentio agentis sit debita.*
13 *Intentio semper est debita, quâ quis actionem, nec ex obiecto, nec ex circunstantia malam, refert in Deum vt finem vltimum.*
14 *Vt talis actio sit fructuosa seu meritoria, non est necesse eiusmodi intentionem esse actuale m, sed potest sufficere quod sit virtualis.*
15 *Actio non est eo ipso mala, quod in Deum non referatur ex intentione agentis.*
16 *Actu mala est quæ in alium finem vltimum refertur, quàm in Deum: aut qua Deus alicui bono postponitur.*

Nu. 9. PRÆNOTANDVM est primò, in rebus agendis cerni hunc progressum actuum liberæ nostræ voluntatis, & intellectus practici eam moraliter gubernantis: vt primò sit simplex volitio, deinde intentio, tertiò consilium, quartò electio, quintò imperium, sextò vsus, & postremò fruitio: vt exempli gratia; ægrotus primùm vult sanitatem, quæ est simplex volitio finis. Deinde vult eam per accommodata media acquirere, quod est intendere. Tertiò, consultat de mediis accommodatis, quod pertinet ad consilium, de quo in proximè præced. lib. dictum est sub nomine deliberationis. Quartò, eorumdem mediorum nonnulla vult præ aliis, talisque volitio dicitur electio. Quintò, facta electione sequitur imperium efficax intellectus, qui iniungit voluntati, fac hoc. Sextò subsequitur vsus, qui est actus voluntatis, facultatem exequentem applicantis ad operandum. Postremò, si voluntas finem præoptatum adipiscatur, fruitio est, tanquam requies quædam volùtatis in bono adepto. Intentio autem à sex reliquis distinguitur hac ratione: à consilio quidem & imperio, *qui sunt intellectus practici*: quòd sit actus voluntatis; ab electione verò & vsu, *qui sunt actus voluntatis circa media*: quòd circa finem versetur: & à simplici volitione denique, & fruitione, *quæ sunt etiam voluntatis actus circa finem*: quòd cùm voluntas tripliciter finem respiciat: primò absolutè, vt in se bonus est: secundò, vt est bonum, in quo habito voluntas conquiescit: tertiò, vt est bonum ad quod alia bona ordinantur; simplex volitio sit actus voluntatis, quo vult finem vt in se bonus est: & fruitio sit actus, quo in fine habito conquiescit: intentio autem sit voluntatis actus, quo per certa media vult finem consequi.

Nu. 10. Prænotandum est secundò: ex eo, quòd intentio versetur circa finem prout acquirendus est per media, fieri vt ipsa sit ratio volendi media: adeóque vt actio facta propter finem intentum, sit talis, qualis fuerit ipse finis: nimirum bona (nisi fortè aliqua ex obiecto aut ex circunstantia malitiam contrahat: quod qua ratione fieri possit, patebit per dicenda in sequen. lib. 14.) si bonus: & mala, si malus iuxta illud Matth. 6. Si oculus tuus simplex fuerit totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Vbi oculi nomine intentionem significari author est D. Augustin. lib. 2. De serm. Domini in monte cap. 21. quod D. Thom. 1.2. quæst. 12. art. 1. ex eodem citans in argumento 1. & 2. Addit in eorumdem solutione intentionem dici lumen & oculum: quia voluntas intendens supponit cognitionem finis, & mediorum per quæ is attingendus est, sicut proficiscens ad certum aliquem locum, supponit lumen & visionem.

Nu. 11. Prænotandum est tertiò, actum humanum præter eum finem in quem suapte natura dirigitur, & finis operis dicitur (quale est obiectum circa quod exercetur) multos alios tum principales, tum minus principales habere posse ex intentione agentis, actiones suas liberas referentis in alios fines, quàm referantur naturâ suâ & dicuntur fines operantis: vt v.g. ieiunium præter refrænationem appetitus circa cibum & potum, in quam suapte natura dirigitur, potest intentione

tione ieiunantis dirigi tanquam in finem, non modo in dictam refrenationem, sed etiam in acquisitionem abstinentiæ, in obseruationem præcepti Ecclesiæ, in satisfactionem pro peccatis, in amorem Dei aut aliud quidpiam: siue principaliter, siue minus principaliter pro arbitrio eiusdem ieiunantis. Quibus ita positis cùm ex intentione indebita (qualis esse censetur ea per quam homo actum suum humanum, refert in finem malum, aut illo minimè aptum) sicut ex vitiata radice, actus ipse humanus malitiam, peccatique rationem contrahat, ideoque ea consideranda sit ad iudicandum de peccatis: docere oportet quemadmodum intentio agentis censeatur debita, & quemadmodum indebita: propositis ea de re aliquot regulis: quarum aliæ erunt de intentione debita in constitutione finis vltimi: aliæ de eadem in constitutione finis medij, quarum illæ in hoc cap. deinceps: & hæ in sequenti tradentur.

Regulæ iudicandi de intentione debita in constitutione finis vltimi.

Nu. 12. PRima est. Intentionem agentis, vt debita sit, requirere non modò finem debitum, sed etiam debitum modum tendendi in illum per media accommodata. Hæc confirmatur per ea quæ in præced. cap. dicta sunt de proportione debita inter medium & finem. Illustraturque exemplo intentionis indebitæ, qua quis sic proximum amat, vt huic peccanti consentiat, ne talem amorem violet. Nam etsi amor proximi est affectus de se debitus; non est tamen, prout ad ipsum retinendum, aliquid illicitum perpetratur.

Nu. 13. Secunda est. Debitam esse intentionem hominis qua quamlibet suam actionem, *nisi ea ex obiecto, vel ex aliqua circunstantia esset mala*, refert ad Deum, vt ad vltimum finem. Probatur primò per illud ad Colosſ. 3. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, Deinde ratione: quia Deus est summum bonum nostrum: ideoque omnia alia nostra, tanquam inferiora, in supremum cui subordinantur, aptissimè referūtur.

Nu. 14. De qua relatione obseruandum est; esse quidem vtilissimum perinde ac piissimum, *vt patet ex proposita Apostoli cohortatione*, frequenter illam actu facere: non esse tamen ita necessarium, vt virtualis nullo modo sufficiat: vel omnis actio facta sine illa, debeat mala censeri. Nam si virtualis nullo modo sufficeret, cùm actualis nequeat esse absque actuali cogitatione, oporteret hominem semper actu cogitare de Deo vltimo suo fine; vt censeatur propter ipsum omnia sua opera agere. Id autem necessarium non est, vt D. Thomas expresit 1.2. quæst. 1. art. 6. ad 3. Et hæc exempla ostendunt: quia vt agricola censeatur arare, seminare, & huiusmodi alia facere propter messem, non est necesse ipsum de hac semper cogitare: similiter vt propter habitationem iudicetur quis ædificare, non est opus habitationem ipsam semper habere in mente.

Virtualem autem relationem *cum Nauar. in memorato comment. num.* 18. hìc dicimus eam quæ tacitè resultat ex actuali aliqua antea facta; siue generali, siue speciali; generali quidem, qualis est ea qua aliquis susceptione, status vitæ religiosæ, vel quomodocumque aliter, omnia vitæ suæ bona opera generaliter Deo dicauit, retulitve in Deum: dummodo postea mentem contrariam nequaquam habuerit: Speciali verò, qualis est ea qua ad Deum refertur totum aliquod opus, in cuius tantummodo initio, vel in alio præcedenti opere, ex quo natum erat sequi; Deo ipsi dicatum est. Cuius vtriusque modi, virtualem relationem perinde atque actualem, sufficere ad meritum D. Bonauen. *in 2. sent. distinct. 41. art. 1. sub finem tertiæ quæst.* bene declarat. Inquiens non esse necessarium ad meritum, vt opera singula in Deum actu referantur, sed sufficere vt habitu. Referri autem habitu, non eo quod anima prædita sit charitate, per quā habilis sit ad referendum: sed quòd in exordio illius operis, vel alterius ex quo illud sequitur, id rite Deo oblatum, dicatúmque sit. Exemplum ad rei illustrationem addit. Nam si cui propositum sit centum dragmas propter Deum elargiri, etiamsi in singulis largiendis nullam de Deo cogitationem habeat, non ideo tamen fit, vt omnes illæ dragmæ non sint fructuosè, seu meritoriè collocatæ. Addit item valere quid tale in Religiosis, qui initio suscepti status Religiosi deuouerunt se ad religionis pondus ferendum. Nam quidquid deinceps faciunt, quod disciplinæ suæ limitibus contineatur, conducit illis ad æternæ salutis meritum, ex primæ illius voluntatis impulsu, relationéque virtuali ad Deum: nisi contraria interuenerit voluntas, per quam cursus eiusdem primæ fuerit interruptus.

Nu. 15. Præterea quòd actio non sit mala eo ipso, quòd ex intentione agentis non referatur in Deum. Immo verò sit bona, *etiamsi meritoria non sit æternæ salutis*, si obiectum habeat per se bonum, nec apponatur malus finis, aut mala circunstantia: patet, quia existens in peccato mortali, *& per consequens priuatus charitate*, cùm dat eleemosynam constituto in necessitate, non peccat: etiamsi id faciat absque actuali, aut virtuali in Deum relatione: quandoquidem in ea re, nec cōtra luminis naturalis, aut fidei dictamen, nec contra humanæ legis præscriptum agit.

Accedit quòd non liceret alioqui hortari peccatorem ad agendum opera, quibus disponi possit ad recuperandam diuinam gratiam. Si enim quidquid ille agit, peccatum est per defectum relationis in Deum finem vltimum: quanto magis aget, tanto minus disponetur ad gratiam recipiendam, quia tanto magis peccabit, nec peccata eam dispositionem faciunt, sed impediunt.

Nu. 16. Tertia regula est. Indebitam esse intentionem, qua homo liberam suam actionem refert in alium finem vltimum, quàm in Deum, aut certè Deum alicui alteri postponit. Prior pars: patet quia vt esse primum rerum omnium authorem, ita & esse vltimum finem, proprium est solius Dei. Duo enim hæc se mutuo sequuntur, vt iudicatur per illud quod copulatiuè dicitur Apocal. 1. 21. & 22. Ego sum alpha & omega, principium & finis.] Quo fit vt æquè impium sit alium quàm Deum constituere finem vltimum, ac agnoscere alium primum rerum omnium authorem. Posterior pars similiter patet: tum ex verbis Domini Matth. 10. Qui amat patrem & matrem plus quàm me, nō est me dignus:] tum ex obligatione quam habemus diligendi Deum super omnia. Tum demum, quòd absurdum impiúmque sit subiicere Deum cuiquam alteri bono, tanquam meliori. Vnde consequens est, quod in comment. De fin. hum. actuum num. 21. Nauar. admonet: tories aliquem mortaliter peccare, quoties ita pecuniam, honores, amicos, cognatos, dominos, principes, Prælatos: immo & seipsum vitámque suam sic amat; vt malit gratiam qua Deo gratus est amittere, quàm prædicta bona vel personas, siue earum gratiam adeout ei discutiendo conscientiam sit inter cætera considerandum esse quoties talem voluntatem habuerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT III.

De intentione debita in constitutione finis medij.

SVMMARIVM.

17 *Intentio est debita, qua bonum honestum propter seipsum amatur, aut propter ipsum aliud bonum minus.*
18 *Indebita est intentio qua propter bonum delectabile agitur aliquid contra honestatem.*
19 *Indebita est intentio qua bonum honestum amatur propter vtile; non relatum in aliud bonum honestum nobilius.*
20 *Bonum vtile potest debita intentione constitui finis medius minus principalis.*
21 *Quid sit ipsum constitui finem minus principalem.*
22 *Bonorum vtilium appetitus, aut contemptus de se nec bonus est nec malus.*
23 *Tres fines ex quibus appetitus bonorum honorariorum accipit bonitatem.*
24 *Appetitus bonorum honorariorum inde est malus, vnde est vanus: quod contingit tripliciter.*
25 *De appetitu bonorum pecuniariorum, & contemptu honorariorum, quid sit iudicandum.*
26 *Indebita est intentio qua bonum honorarium aut pecuniarium expetitur siue relatione ad aliud, quod sit finis, eo aptius.*
27 *Duo casus in quibus id patitur exceptionem.*

FINIS medius dicitur, quoduis bonum aliud à Deo, quod in præfatione huius libri diximus distingui in bonum honestum, & vtile, ac iucundum. Ratio autem iudicandi de intentione debita in illius constitutione continetur sequentibus regulis.

Nu. 17. Prima est. Non tantùm intentionem debitam esse, cùm bona honesta in Deum referuntur, sed etiam indebitam non esse cùm vel illa propter se; vel inter ipsa, quæ minora sunt propter maiora amantur. Huius autem ratio est; quia cùm bonum honestum per se, seu per propriam sibique insitam bonitatem, sit bonum; habet in se, per quod secundùm suam naturam conueniat ei terminare amorem, eiusque finem esse. Præterea in coordinatione finium sicut medij, omnes ad vltimum referuntur, tanquam minora & inferiora bona, ad optimum & summum omnium: sic inter fines medios, illi qui sunt bona minora, ad eos qui bona sunt maiora tanquam ad finem, debitè referuntur. Quare debita intentione agere censendus est, non modo is qui expressa intentione Deo placendi reddit alteri quod suum est, vel fortiter se gerit in bello iusto: vel temperatè viuit, vel credit in Deum, vel sperat in eo; sed etiam is qui eadem facit (prout vsuuenire potest alicui existenti in peccato mortali, nihil cogitanti quod sit Deo placendum) quia honesta sunt, seu quia recta ratio humana, vel ratio diuina dictat illa: aut quia sunt actus virtutum præstantium; quarum vsus amari vsurparique debeat. Censendus similiter est is qui ieiunat vt expeditior sit ad orandum: quia actum inferioris virtutis, putà temperantiæ refert ad actum superioris, nempe religionis.

Si quis opponat actum abstinendi à nimio cibo, vel potu, qui est actus abstinentiæ, vel sobrietatis, licitè amari propter vitæ, & sanitatis conseruationem, quâ ille melior est; sicut peccatum quod est eiusdem actus priuatio, peius est morte quæ priuatio est vitæ. Respondendum est, quod Nauarr. in citato commentario nu. 32. attigit; finem aptum, esse eum etiam ad quem suapte natura, seu directione quadam naturæ, medium tendit: sicque abstinentiam à nimio cibo & potu ad vitæ, & sanitatis corporeæ conseruationem tendere: si non vt actum virtutis, saltem vt quidpiam suapte naturâ ad eamdem conseruationem conducens.

Secunda regula est. Indebitam esse intentionem *Nu.* 18. quâ contra honestatem, propter bonum delectabile aliquid agitur. Ratio est, quòd etsi bonum delectabile sit de numero eorum, quæ propter se amabilia sunt, vt habitum est in præfatione huius libri; tamen quando inhonestum propter illud agitur, intentio nequit esse debita: cùm per eam bonum rationis, *quale est honestum*, bono sensus, *quale est delectabile*, tanquam meliori subiicitur; quod est contra naturæ ordinem. Vnde concupiscentia, *quæ est prosecutio ipsius boni delectabilis*, quatenus cũ honestate pugnat, dicitur inordinata affectio, & cõstituitur peccati origo, prout expositum est in cap. 7. libri præcedentis.

Tertia regula est, Indebitam esse intentionem quâ *Nu.* 19. bonum honestum refertur ad vtile, tanquam ad finem principalem: ita nimirum vt illud ametur solummodo propter istud, quod in aliud per se bonum, rursus actu, vel virtute non referatur. Hæc probatur, tum quia bonum vtile, est tantùm propter aliud amabile, vt in præfatione annotauimus ex D. Thoma. Vnde sequitur non nisi minus principaliter, seu cum ordine ad aliud principalius, rectè amari posse: tum quia tali relatione bonum præstantius subiicitur deteriori: quandoquidem bona honesta, vt virtus, scientia, vita, sunt interna; bona vtilia verò sunt externa: vt de pecuniariis manifestum est. Et de honorariis ex eo probatur, quòd honor nihil sit aliud quàm externum signum datum ad testimonium excellentiæ, quæ vel est, vel præsumitur esse in aliquo. At interna nostra bona præstantiora sunt externis ex cap. Deteriores sexta quæst. 1. Immo ex verbis Domini Matth. 6. Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum?]

Neque aduersatur huic regulæ, quòd liceat petere à Deo temporalia, iuxta illud Prouerb. 30. Victui meo tribue necessaria:] & illud orationis Dominicæ, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.] Nec etiam quòd ea petitio sit actus religionis ex D. Thoma 2.2. *quæst.* 81. *art.* 6. quæ inde sequitur quidem bonũ tẽporale esse posse obiectũ actus religionis, & per consequens finem operationis: non tamen esse finem operantis: de quo fine sermo est, cùm agitur de intentione debita vel indebita. Certum est enim, illum indebito fine orare, qui orationi suæ, quæ cultus Dei est, alium quàm Deum finem principalem constituit: cum Deum propter aliud, quàm propter seipsum principaliter colat.

Neque etiam aduersatur, quod in cap. 3. lib. 4. Ethic. Arist. habet honorem esse virtutis præmium: quasi significet virtute præditum debere suas actiones ad honorem dirigere tanquam ad finem. Nam id non ita est: cùm tale quid non esse virtutis, idem philosophus *in præced. lib. 3. cap. octauo* satis indicauerit, quando inter species adulterinæ fortitudinis numerauit eam, quâ strenuè pugnatur metu pœnæ: vel dedecoris, aut ad consequendos honores. Malum autem esse, patet ex verbis Domini Matth. 6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis.] Itaque D. Thoma interprete 1. 2. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 1. honos ideo præmium virtutis dicitur, quòd homines nihil melius habeant, quod virtuti tribuant præmij loco. Diuitias verò deteriores esse

esse non modo virtute, scientia, & vita iuxta illud Ecclesiastici 30. Salus animæ in sanctitate iustitiæ, & melior est omni auro & argento: & corpus validum quàm census immensus: sed etiam honorariis bonis patet per illud Prouerb. 22. Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ.

De intentione qua bonum vtile constituitur finis medius.

Nu. 20. QVarta regula est. Debitam intẽtionem esse, qua minus principaliter propter bonum aliquod honorarium vel pecuniarium bene agitur: vt cùm quis bene agit proponendo sibi quidem principaliter Deum; sed minus principaliter aliquod commodum temporale. Probatur: quia si talis intentio esset indebita, maximè ex eo esset, quòd non seruetur in ea proportio obiecti ad actum: hoc est, quod res aliter ametur quàm sit amabilis. At seruatur, quia bonum quod non ex se, sed ab alio bonitatem habet, amatur non propter se: sed propter illud aliud à quo bonitatem habet.

Nu. 21. Vt autem hæc regula, *cuius vsus latissimè patet*, magis stabilita, pleniúsque explorata habeatur. Notandum est 1. bonum honorarium vel pecuniarium finem minus principalem ex eo censeri: vel quod non expetatur propriè vt finis; sed potius vt motiuum voluntatis ad appetendum aliud, sicut Dauid appetiuit retributionem, iuxta illud Psalm. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.] vel etiamsi appetatur vt finis, non tamen consistendo in ipso, sed ipsum referendo rursus, actu vel virtute in aliud.

Nu. 22. Notandum secundò, bonorum honorariorum siue pecuniariorum appetitum vel contemptum, de se suapteque naturâ, neque bonum, neque malum esse moraliter, quemadmodum tradit Nauarr. in eod. comment. de finib. human. actuum num. 54. Et confirmari potest ratione, quam D. Thom. 2.2. *quæst.* 132. *art.* 1. *ad* 3. attigit: quòd ipsa sint bona extra animam, ad eius perfectionẽ vel imperfectionẽ minimè pertinentia: quodquidem est, non habere in se id per quod voluntas humana moueatur ad ipsa propter se vel appetenda vel repudianda. Voluntas enim cùm sit in homine sicut pondus in re graui, ad ipsam promouendam in perfectionem naturæ suæ debitam; non est nata de se moueri ad id quod nullam hominis perfectionem importat. Iam quod ex se non est à voluntate expetendum, vel repudiandum; id neque ex se est moraliter bonum aut malum: sed solùm ex alio, vt ex fine in quem dirigitur. Huius ergo generis sunt bona honoraria & pecuniaria: & per consequens appetitus quoque vel contemptus ipsorum.

Nu. 23. Notandum est tertiò, ex D. Thom. in cit. art. 1. finem ex quo bonorum honorariorum appetitus bonitatem assumit, esse triplicẽ. Primus est gloria Dei, quam *ex D. Anton. 2. part. tit. 4. cap. 1. §. 1.* sibi proponit: tum is qui de suo bono complacet sibi, cognoscendo illud esse à Deo: vt Dauid cùm in Psal. 3. diceret: Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, id est, interprete ipso D. Anton. causa gloriæ meæ. Tum is qui sibi in bono suo complacet, eoquòd sit secundum Deum: vt D. Paulus cùm in 2. ad Corinth. cap. 1. diceret, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ; quòd in simplicitate & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus. Tum demum is qui eo fine agit, vt Deus glorificetur, iuxta illud Matth. 5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

Secundus finis est vtilitas spiritalis proximi, id est, vt bono exemplo vel aliqua alia ratione proficiatur proximo. Sic D. Paulus gloriam expetiit, cùm in priori ad Corinth. 9. dixit: Bonum est mihi mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet] & in posteriori cap. 11. Quoniam multi gloriantur secundùm carnem, & ego gloriabor. Hebræi sunt & ego, &c. Hinc idem Apostolus ad Rom. 12. & in posteriori ad Corinth. 8. admonet prouidere: bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Et cùm duæ res sint; conscientia & fama: quarum illa nobis, & hæc proximis necessaria est: qui confidens conscientiæ, famam negligit: crudelis esse dicitur 12. quæst. 1. cap. Nolo.

Tertius finis est vtilitas propriè animæ. Cùm enim homo teneatur magis seipsum diligere quàm proximum cap. Si non licet 23. quæst. 5. sane si appetitus laudis aut alterius boni honorarij bonus est ex relatione in vtilitatem proximi; multò magis bonus erit relatus in vtilitatem animæ propriæ; nempe vt in bonis, quæ quis ex testimonio laudis alienæ in se cognoscit, studeat perseuerare, atque crescere. Quod est iuxta Apostloum in priori ad Corinth. cap. 2. Quæ à Deo donata sunt nobis, scire, non spiritu huius mundi: sed spiritu qui ex Deo est.]

Notandum quartò ex D. Thoma *in eod. art.* 1. ap- *Nu.* 24. petitum bonorum honorariorum inde malitiam sumere, vnde habet vt vanus sit, & per consequens reprimendus; iuxta illud Psalm. 4. Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.] & illud Psalm. 118. Auerte oculos meos ne videant vanitatem] Vanum autem esse primò ex parte materiæ, hoc est, rei ex qua laus, vel aliud bonum honorarium expetitur: quando scilicet ea vel non est vera, vel solùm ementita quadam specie, vt virtutes adulterinæ: vel ita vilis est, vt nihil talium bonorum mereatur: aut certè non tantum quantum ex ea desideratur, *quo desiderio qui ducitur, merito dicitur quærere vanitatem & diligere mẽdacium*: vel demum est mala malitia culpæ: propter quam gloriari, graue crimen esse posse patet per cap. Quam sit graue, De excessibus Prælatorum: reprehenditúrque in Psalm. 51. cùm dicitur: Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate.] Deinde verò vanũ esse ex parte eius à quo laus vel aliud bonum honorarium quæritur: nẽpe cùm requiritur ab homine pro maiori ac certiori testimonio, quàm ipse dare possit: hoc est vt Caiet. *ad cit. locum D. Thomæ* interpretatur, cùm laus humana sit incerti paruique testimonij, desideratur tanquam certum & magnum, aut etiam vsideratur tanquam certum & magnum, aut etiam vsitimum testimonium excellentiæ. Postremò vanum esse ex parte eius qui appetit: nimirum cùm quis laudem vel aliud bonum honorarium appetit, non referendo illud actu vel virtute in Deum, vel in alium debitum finem.

Cæterùm hæc quæ dicta sunt de causis bonitatis *Nu.* 25. vel malitiæ appetitus bonorum honorariorum, accommodanda similiter esse ad appetitum bonorum pecuniariorum monet Nauarr. *in eod. memorato comment. num.* 61. Cùm priùs num. 60. monuisset illud quod de ipsorum bonorum honorariorum appetitu statutum est, statuendum quoque esse de eorumdem contemptu: nempe ipsum de se, nec bonum nec malum esse: constituátque ei pro fine gloria Dei vel vtilitate spiritali proximi, vel vtilitate propriæ animæ, bonum esse. Malum verò esse posse, tum ex parte materiæ: vt cùm quis laudem ex virtute & gratia Dei prouenientem contemnit: tum ex parte modi quo contemnitur, vt minoris habendo, quàm par sit, diuinum vel humanum de bonis suis testimonium: tum

Universidad de Deusto
Biblioteca

demum ex parte contemnentis, vt cùm quis in aliquem malum vel inordinatum finem contemnit,aut certè nullo bono & debito fine sibi præstituto:etiamsi nullus malus finis propositus habeatur. Ex quibus idem Nauarr. *sub finem cit. num. 61.* infert debere cõcionatores cauere,ne cùm reprehendunt abusus circa proposita bona, vel absolutè eorum appetitum vituperent,vel contemptum absolutè laudent.

Nu.26. Postrema regula est. Indebitam esse intentionem, qua bonum honorarium aut pecuniarium ita absolutè experitur,vt neque actu,neque virtute in alium aptum finem referatur. Probatur primò,quia in tali intentione deest proportio obiecti ad actum:cùm id quod propter aliud tantùm, amabile est, propter se simpliciter, & absque relatione ad aliud amatur. Probatur 2.quia omnis actus humanus,seu deliberatus carens bono fine,etiamsi malum finem non habeat, malus est:quandoquidem homo,eo ipso quòd agit deliberatè, debet agere propter aliquem aptum finem (quod est fundamentum D.Thomæ & Caiet. *1.2. quæst.18.art.9.* asserentium nullum dari actum humanum in singulari,quin sit bonus vel malus) aliosqui actus illius erit otiosus,& consequenter malus iuxta illud Domini, Matth. 12. De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines reddent rationem. Indicat enim actum humanum ex eò quòd sit otiosus,esse obnoxium punitioni diuinæ,& per consequens esse moraliter malum, peccatúmve. Actus autem quo bonum honorarium aut pecuniarium propter se expetitur,non habet finem aptum,cùm sit res minimè propter se amabilis.

Nu.27. Veruntamen duo sunt casus, in quibus hæc regula non habet locum. Alter est, *de quo Caiet. 2.2. qu. 131. art.1.* quando talia bona appetuntur, eo quòd sint debita: tunc enim quantumuis talis appetitus fuerit absque relatione ad alium finem, non ideo tamen erit malus: quia sicut iustitiæ actus est dare & accipere pecuniam debitam, eoquod debita sit: ita est & dare & accipere honorem debitum, eoquod sit debitus. Pro quo facit illud ad Rom.13.Reddite omnibus debita:cui tributum,tributum:cui timorem,timorem:cui honorem,honorem.] Alter casus est, *de quo Nauar.in Comment. de fmib. actuum humanorum sub finem num.55.* cùm eadem bona desiderantur,vel recipiuntur tanquam dona gratiosè per alium oblata ex amicitia, charitate, magnificentia, magnanimitate, vel humilitate: vt fieri passim solet, cùm is qui minor est, honorem sibi à maiore delatum, etiamsi iudicet eum sibi non deberi, recipit,prout gratiosè sibi defertur. Quam receptionem esse actum virtutis gratiæ, patet ex D. Thoma 2. 2. quæst. 106. articulo 1. ad 2.

CAPVT IV.

De notandis præter antedicta in iudicando de peccatis ex fine.

SVMMARIVM.

28 *Varietas bonorum in ordine ad debitam intentionem.*
29 *Remedium ad vitandam animi anxietatem de defectu intentionis debitæ.*
30 *Quomodo liceat superiores inferioribus præmia & supplicia proponant, vt eos ad actiones virtuum incitent, & ab actionibus vitiorum reuocent.*
31 *Specimen quod detur agilitatis,eruditionis & similium, quomodo licitè detur ad consequendum præmium siue honorarium siue pecuniarium.*
32 *Quomodo liceat ob honorem,plus dare in eleemosynam, quam daretur secretè.*
33 *Duo monita circa idem.*
34 *Casus in quibus appetitus bonorum vtilium est peccatum mortale.*

Nu.28. VÆDAM sunt antedictis annexa, quorum obseruatio ad rationem iudicandi de peccatis ex fine hactenus declaratam,multùm facit. Primum est, aliquid esse, quod nunquam licitè, nec propter se, nec propter aliud amatur:vt quæuis culpa, etiam tantùm venialis: & aliquid quod nunquam licitè amatur propter aliud: vt Deus, & aliquid quod, tum propter se absolutè, tum propter aliud licitè amari potest:vt bonum honestum & bonum delectabile, quod neque ex obiecto, neque ex circunstantia vitiatum fuerit : & demùm aliquid quod nunquam propter se absolutè, sed tantùm propter aliud licitè amari potest, vt bonum vtile,tum honorarium,tum pecuniarium.

Nu.29. Secundum est. Ad liberandum nos omni anxietate, & scrupulo in iudicio de peccatis:quo definiendum est,an humanus actus, qui de se bonus est, cõtaminetur per indebitam intentionem, remedium accommodatissimum esse, iuxta Apostolum ad Colost. 3. omnia siue in verbo, siue in opere facere in nomine Domini nostri Iesu Christi:seu in Deum tãdem vel actu, vel virtute referre.Nam finis nõ aptus, redditur aptus per relationem ad alterum aptum, prout expositum est sub finem primi capitis.Qua tamen in re aduertendum est ex Nauarr. *in memorato commentario num.62.* quòd etiamsi Deus constituatur principalis finis alicuius actionis, eiusdem tamen actionis minus principalem finem, constitui non posse bonum honorarium vel pecuniarium, nisi idipsum adhuc referatur ad aliud bonum eo aptum, hoc est,quod sit bonum honorario ipso vel pecuniario melius.Ratio est:quia vtilitas includit respectum ad indigentem:qualis esse Deus nullo modo potest.

Nu.30. Tertium est: quòd Deus multos ad iustitiam trahat amore bonorum, & timore malorum temporalium,iuxta illud Isaiæ 1. Si volueritis & audieritis me,bona terræ comedetis:quod si nolueritis, & ad iracundiã me prouocaueritis,gladius deuorabit vos. Deinde quod multa sint iuris tum Canonici,tum ciuilis decreta, quibus superiores metu pœnarum cogunt subditos ad agendum bona, & abstinendum à malis. Tertiò, quod in quibusdam Ecclesiis statutæ sint quotidianæ distributiones faciendæ iis qui horis Canonicis intersunt. Quartò, quòd in Academiis orbis Christiani, ipso etiam Summo Pontifice authore, instituti sunt quidam honores magisterij & doctoratus,quibus accendantur scholastici ad literarum & virtutis studium. Postremò, quòd viri boni passim subditos suos tum præmiis,tum suppliciis inuitare soleant ad officia hominis Christiani: vt cùm pollicentur confitentibus,vel ieiunantibus se aliquid certi daturos. Hæc inquam, & alia eiusdem generis, fidem faciunt,quòd liceat honores & bona pecuniaria appetere tãquam fines minus principales,seu motiua ad appetendum actum virtutis : non verò tanquam fines principales. Et ita, cùm ex D.Thom.2.2. *quæst.19.art.4.* malum sit bona agere principaliter timore pœnæ,iuxta illud, Oderũt peccare mali formidine pœnæ: neque liceat principalem finem bonæ actionis constituere,bonum honorarium, vel pecuniarium iuxta iam dicta, profectò superiores peccarent, si vel præmia,vel supplicia proponerent, tanquam principales fines propter quos subditi debeant actionibus bonis vacare.

Atque hinc,illud quod ex cap. Si officia,distinct. 59.&

59. & cap. Quid proderit distinct.61.& cap.Consuluit distinct.74.habetur,licitum esse Clericis seruire in Ecclesiis, ob spem ascendendi ad dignitatem illarum : glosa *ad idem cap. Quid proderit* interpretatur licitum esse,dummodo non seruiant ob id principaliter. Item illud quod ex Ciceron. Iactari solet, Honos alit artes,omnésque accenduntur ad studia gloriã.D. August.lib. 5. de ciuit. Dei cap. 13. approbat tantùm ea ratione, vt sectanda sint studia fine veri boni, non ventositate laudis humanæ;siue *quod idem est*, vt studiorum principalis finis nequaquam laus,vel aliud id genus constituatur.

Certè vt ista duo Christi præcepta *(Luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, Matth. 5. Et, Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus,vt videamini ab eis, Matth. 6.*] inter se consentiant:in priori,particula vt, sic accipienda est, vt indicet finem minus principalem;&in posteriori principalem. Itaut habeatur & Christi doctrina licitum esse laudem & gloriam quærere minus principaliter: illicitum verò omnino esse quærere principaliter.

Nu.31. Quartum est, *quod Nauarr.in cit.comment.num.68. expressit*, actus illos esse bonos quibus agilitatis, roboris,ingenij, artis,dexteritatis, eruditionis, industriæ,dotiúmque aliarum inditarum aut acquisitarum,specimen præbetur si principaliter fiant, vel vt Deo placeatur: vel quia rectæ rationi consentanei, honestíue sunt:etiamsi minus principaliter fiant vt obtineantur præmia honoraria, quæ magis idoneis promittuntur : dummodo rursus in aliquem finem bonum & aptum, ipsa obtenta referantur actu vel virtute.

Nu.32. Quintum est, *quod ex Gersone approbat in eodem comment. Nauarr. numero 72.* non malè immò bene mereri (nisi quid aliud obstet) eum qui minus principaliter tantùm, plus dat in eleemosynam quæ fit publicè,atque cæteris videntibus, quàm daret si fieret secretò ac nemine vidente : vel quia pro paupere exigitur ab amico, vel ab aliquo viro honorato:quàm si à paupere ipso, vel ab homine infimæ tantùm sortis exigeretur. Ratio est:quia eleemosyna bene fit, si fiat principaliter propter Deum : aut quia est actus virtutis, etiamsi minus principaliter fiat ob laudem propriam in aliquem debitum finem relatam. Accedit,tales circũstantias posse concurrere;vt qui publice eleemosynam facit, ad vitandam infamiam auaritiæ,vel fordiditatis,debeat plus dare quàm daturus fuisset secretò.

Nu.33. Duo autem super hac re consequenter admonet idem author: alterum,non facile,sed tantùm magna aliqua de causa vsurpandum esse propositum modum largiendi eleemosynam : quia cùm bona pars hominum sit pauper, & insueta humilitatis actibus, plusquam satis humanæ gloriæ cupida, exponitur periculo dandi principaliter ob inanem gloriam,vel ob pudorem ex quadam necessitate & tristitia:quam tanquam eleemosynæ defectum reprehendit Apostolus in cap. 9. poster.ad Corinth. Alterum est,hominibus parum assuetis in actibus humilitatis, ne illis contingat talem eleemosynam facere principalius,aut æquè principaliter, ob humanam gloriam, ac ob alium indebitum finem, consultum esse vt ad literam sequantur illam Domini admonitionem Matth.6. Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito.]

Nu.34. Postremum est: casus in quibus appetitus bonorum vtilium est peccatum mortale, hos esse ex eod. Nauarro *ibid.num. 59.* Primus, cùm honoraria bona appetũtur de eo quod est peccatũ mortale:vt accidit glorianti in malitia sua : quam gloriationem Dauid æquiparat ipsi malitiæ,cùm in Psalm. 51. ait : Quid gloriaris in malitia,qui potens es in iniquitate? Secundùs, cùm appetuntur constituendo in eis finem vltimum, aut interueniente mortali contemptu Dei,vt in Principe Tyri, cuius cor eleuatũ est.Ezech. 28.& dixit;Deus ego sum. Item in illis qui Ioan. 12. dicuntur dilexisse magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Tertius,cùm aliquid eorum appetitur, præponendo illud obseruationi legis obligantis ad peccatum mortale;quod vsuenit iis qui peierare,de iniuriis acceptis vindictam sumere, simoniam admittere,mortaliter peccantibus applaudere:&huiusmodi alia contra Dei præcepta,malint facere, quàm alicuius temporalis commodi aut humani fauoris iacturam facere. Quartus, cùm appetuntur ea referendo ad aliquod peccatum mortale;vt ad explendam carnis libidinem.

LAVS DEO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER TERTIVS, ET OPERIS TOTIVS DECIMVSTERTIVS.

DE IIS QVAE AD IVDICANDVM in genere de peccatis consideranda sunt ex parte legis æternæ.

DE IPSA LEGE ÆTERNA PER MODVM PRÆFATIONIS.

SVMMARIVM.

1 *Vt idea tanquam creatori, sic lex æterna tanquam moderatori vniuersi Deo attribuitur.*
2 *Bonitas nostra naturalis cum illa: moralis verò, cum hac conformitatem requirit.*
3 *Lex æterna manifestatur nobis tum per naturalem reuelationem.*
4 *Tum per reuelationem supernaturalem.*
5 *Tum etiam per iustam legem Superioris.*
6 *Lex æterna quatenus censeri possit varia.*
7 *Lex æterna non affert quidem necessitatem ad agendum: adfert tamen ad patiendum pœnam debitam transgressioni illius.*
8 *Lex æterna ex parte Dei immutabilis potest mutari ex parte materiæ.*
9 *Theologorum alia ratio tractandi de legibus, quàm Philosophorum, ac iuris ciuilis interpretum.*

Nu.1. DVo in Prouerbiis cap.8. diuinæ Sapientiæ attribuuntur: alterum, quòd ab æterno ordinata, antequã quidquam fieret à principio, Deo cùm rerum creationem moliretur, adfuerit, cum eo cuncta componens: alterum, quòd attingat à fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter: id est, res omnes creatas ad destinatos fines dirigat fortiter simul & suauiter: id est, modum aliquem necessitatis illis adferendo quidem, accommodatè tamen ad conditionem ipsarum naturalem: itaut rebus rationis expertibus tanquam definitis ad vnum, adferat absolutam agendi necessitatem: & præditis ratione, tanquam liberis solùm conditionatam: si videlicet ad finem sibi destinatum pertingere velint. Ex quibus duobus quasi officiis, ipsa diuina sapientia, tum idea, tum lex æterna nominatur. Nam quatenus est ratio & quasi ars diuina rerum producendarum, dicitur idea: quatenus verò est ratio res productas gubernandi, & in suos fines dirigendi, vocatur lex æterna ex D. Thom. 1.2. *quæst.93. art.1.* Itaque sicut conditi sumus ab authore nostro Deo, secundùm ideam quam in mente sua ab omni æternitate habuit: ita etiam ab eodem gubernatore, in finem nostrum dirigimur secundùm legem ipsius æternam: qua iam inde ab æterno statutum est, quid nos agere vel omittere oporteat ad consecutionem vltimi nostri finis.

Sicut item bonitas naturalis, perfectióque eius *Nu.2.* quod sumus, sic prouenit ex internis principiis, & accidentibus quibus constamus, vt inde sequi debeat conformitas cum idea hominis, quæ ab omni æternitate in mente Dei fuit; sique aliquid ad eam conformitatem desiit, deest & naturalis perfectio ac bonitas, vt in monstris: ita & bonitas, & perfectio moralis humanorum actuum, quibus in nostrum finem tendimus, sic oritur ex obiecto & circunstantiis ipsorum, vt inde sequi debeat conformitas cum lege æterna: sique ea non sequatur, peccatum per contrariam deformitatem constituitur: quod ideo definitur dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.

Cùm autem legi æternæ res omnes creatæ subsint, tam expertes quàm capaces rationis, & ideo omnibus ea intimari debeat: aliter his, & aliter illis fit talis intimatio. Nam expertibus rationis, fit per quandam impressionem: hoc est, indita naturali propensione ad determinatè exequendum quidquid illis iuxta suam naturam est à conditore suo constitutum. Istúdque est præceptum illud, de quo in Psal. 148. Dixit, & facta sunt, mandauit & creata sunt: statuit ea in æternum, præceptum posuit: & non præteribit. Capacibus autem ratione intimatio fit per manifestationem & ostensionem quamdam: ac beatis quidem facie ad faciem Deum videntibus, manifestatur in seipsa: sed nobis qui adhuc peregrinamur à Domino ostenditur tantùm in suis effectibus, vt in quadam sua irradiatione ex D. Thoma in seq. art.2.

Tres verò sunt ij effectus legis æternæ, per quos *Nu.3.* nobis ipsa innotescit. Primus est naturalis reuelatio: consistens in eo quòd ab authore nostro Deo impressum sit mentibus nostris lumen, quo eæ naturaliter inclinantur, & idoneæ sunt ad dictandum, ordinandúmque multa, quæ dictat & ordinat lex æterna. Hinc in Psal. 4. Dauid, cùm exhortationem ad bene viuendum posuisset, dicens, Sacrificate sacrificium iustitiæ: quæstioni multorum dicentium: Quis ostendit nobis bona? Respondet: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: indicans legem æternam (quam velut Dei vultum intueri debeamus, vt ad ipsius quasi nutum, vitæ nostræ actiones accommodemus, voluntatem nostram conformando suæ) reuelatam

uelatam nobis esse impressione eius de quo agimus luminis: ratione cuius opus illius, seu id quod illa præscribit agendum vel omittendum; dicitur in animis nostris inscriptum, tanquam decretum principis in charta; ex cap. 1. Epist. ad Rom. cùm Apostolus ait: Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium illis reddente conscientia ipsorum.

Nu.4. Secundus legis æternæ effectus, per quem nobis ipsa manifestatur, est supernaturalis reuelatio. Deus enim habita ratione nostræ imbecillitatis (cùm multa constituta essent per legem suam æternam, quæ à nobis naturali lumine cognosci nequeunt: itémque multa quæ licet absolutè possint cognosci, non tamen facilè ab omnibus: immo ne vix quidem, à nonnullis valde rudibus) pro immensa bonitate sua erga genus humanum, illa reuelauit, vt vel simpliciter, vel certè cum maiore certitudine cognoscerentur ab omnibus. Reuelauit autem in veteri quidem testamento, Prophetis, *ac imprimis Moysi*: in nouo Testamento verò Apostolis, per quos tradita sunt præcepta fidei & Sacramentorum nostræ religionis Christianæ.

Nu.5. Tertius eiusdem generis effectus, sunt iustæ leges Superiorum, qui Dei authoritate præsunt aliis. Eas enim ab æterna lege deriuari: & illius quasi radios quosdam esse D. Thomas *in 2. ad. quæst.93. art.3.* meritò statuit ex duplici capite: à. vero quòd potestas Superiorum necessaria ad leges condendas, sit à Deo: iuxta illud Apostoli ad Rom.13. Non est potestas nisi à Deo, & quæ sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Quæ verba satis ostendunt de lege humana iusta, à Superiore sufficiẽtem potestatem habente lata: rectè dici, quòd ipsa sit legis æternæ, seu diuinæ ordinationis deriuatio. Altero quòd illud quidquid est, quod à legitimo Superiore iustè decernitur, sit consentaneum cum eo quod in Dei mente constitutũ est. Cùm enim Deus, vt res alias, sic hominem gubernet ad suúmque finem dirigat: & ad gubernationem inferiorum adhibeat Superiores, tanquam instrumentum, oportet sanè vt quantùm cuique ad talem gubernationem est opus, communicet ipsis, explicétque latentem in mente sua ordinationem circa agenda. Sicut ipsum facere patet ex cap.8. Prouerb. verbis illis. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Vnde efficitur meritò legem humanam iustam censeri legis æternæ deriuationem quamdam, ac radium. Iustam dico quoniam iniusta cùm rectæ rationi aduersetur non potest ab æterna lege deriuari, nec veram legis rationem habere ex D. Thom. in eodem art. tertio ad 2.

Nu.6. Cæterùm quia ad iudicium de peccatis lex æterna non adhibetur secundùm se, cùm sit eã ratione nobis ignota (quę enim Dei sunt nemo cognouit nisi Spiritus Dei ex cap.2. prioris ad Corinth.) sed secundùm suam manifestationem: in huius tantùm consideratione immorabimur, contenti de ipsa lege æterna secundùm se pauca attigisse quæ ad hoc institutum sufficiant. Ac primò, etsi lex æterna vna, simplexque sit, sicut cætera diuina attributa: nostro tamen intelligendi modo cam varie distingui, pro varietate rerum quæ illi subiiciuntur: nempe vt quædam dicatur esse rerum necessariarum, quædam contingentium: quædam rationis capacium, quædam rationis expertium. Et ita intelligendus est D. August. in nono De ciuit. Dei cap.22. cum plurali numero dicit eternas & incommutabiles Dei leges.

Nu.7. Secundò legem æternam quidem, non ita adferre homini necessitatem, quin pro arbitrio possit agere vel non agere contra eius præscriptum (quandoquidem, vt antè notatum est, non imponit necessitatem rebus, nisi secundùm modum naturæ ipsarum) nihilominus eam transgredienti, necessitatem adferre subeundi pœnam tali transgressioni debitam; itaut hanc subire debeat ac pati, velit nolit. In quam sententiam D. Thomas 1.2. *quæst.93. art.6.* ait: quantum in peccatoribus deficit à lege æterna ex parte actionis, tantum suppleri ex parte passionis: prout scilicet in tantum patiuntur, quod lex æterna dictat de eis: in quantũ deficiunt facere quod legi æternæ cõuenit.]

Tertiò, quamuis lex æterna sit prorsus immutabi- *Nu.8.* lis ex parte Dei, qui ab æterno præscribit immutabiliter, quidquid præscribit: ex parte tamen materiæ, id est, rei quam præscribit, mutationem admittere: in eo videlicet, quòd res ipsa præscripta, non retineat semper circunstantias, secundùm quas præscribitur. Sic obseruationes veteris legis, *etiamsi per æternam legem constituta*, cessarunt: quia in illis deficit circunstantia temporis; secundùm quam præcipiebantur. Similiter quamuis lex æterna præscribat reddendum depositum: tamen si is qui apud te ensem deposuit agatur furiis, non debes reddere: quia deficiunt circunstantiæ secundùm quas redditio ea præscribitur. Porro cùm legis æternæ manifestatio, in qua nobis immorandum esse monuimus, fiat tum per naturalem reuelationem, *qua lex naturalis*: tum per supernaturalem, *qua lex diuina positiua* constituitur: tum etiam per legem humanam iustam. Qua de causa, libri huius primus tractatus erit de lege vniuersè. Secundus, de lege naturali. Tertius, de lege diuina positiua. Quartus, de lege humana.

Quibus illud obiter præmittendum est, quòd cùm *Nu.9.* de legibus tam philosophi, quàm iuris ciuilis periti disserentes ex instituto, attingant tantummodo spectantia ad legem humanam, & sub ea ratione, qua respiciunt moralem quemdã finem: nimirum tranquillitatem bonúmque reipublicæ statum Theologi de omnibus legibus tractent, idque sublimiori quadam ratione. Eas enim considerant vt à Deo profectæ, ordinant nos, dirigúntque ad veram nostram fœlicitatem, præscribendo actiones quibus æternam beatitudinem consequamur: neque de humanis illi aliter differant, quàm vt à diuinis authoritatem consecutæ, nos in conscientia obligant.

TRACTATVS I.

De Lege vniuersè.

IN hac vniuersali consideratione, methodo philosophica procedemus: explicando primò nomen & existentiam: secundò, naturam & causas: tertiò, qualitates & officia legis: sic tamen vt de vnoquoque eorum ea solùm attingamus paucis, quæ videntur adiumentum aliquod adferre posse ad iudicandum de peccatis.

CAPVT I.

De nomine & existentia Legis.

SVMMARIVM.

10 *Lex dicta est à ligando: quo nomine commodius in hac materia vtimur, quàm nomine iuris, aut præcepti.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

11 *Lex est necessaria necessitate finis.*
12 *Quomodo necessaria sit in ordine ad Deum.*
13 *Quomodo in ordine ad nosipsos.*
14 *Quomodo in ordine, tum ad alios homines, tum ad alias res.*

*Nu.*10. LVRES dantur notiones nominis legis, quæ videri possunt apud Sotum sub initium librorum De iust.& iure: inter quas probatur maximè illa quam habet D.Thomas 1.2.*quæst.*90. *art.*1.vt lex dicatur à ligando: quoniam de ea tanquam de vinculo quodam Scriptura loquitur: vt Psal.2. Dirumpamus vincula eorum]& Ieremiæ 2.A sęculo confregisti iugum: dirupisti vincula,dixisti non seruiam.Illud autem ipsum,quod dicitur lex,quia ligat, obligátve hominem ad aliquid agendum,vel non agendum:dicitur quoque ius,quia est regula statuendi iustum, seu æquitatem: dicitur item præceptum, quia verbo vel scripto subditis à Superiore traditur seruandũ. Vnde fit vt illa tria nomina apud authores notentur confundi.Nos verò in hac tractatione ad vitandam ambiguitatem, retinebimus nomen legis: quia nomen iuris, in materia etiam morali, dicitur adhuc tum de speciali obiecto iustitiæ,ex quo hæc initio Institut. Iustitiani,& ff. De iust. & iure lege 10. definitur constans & perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi: tum etiam de iurisprudentia, quæ docet æqualitatem in rebus statuere:vt cum ff.eod. tit. sub initium ius definitur ars æqui & boni. Nomen verò præcepti extenditur ad illud etiam, quod inferiori datur à superiore, cùm vterque est persona priuata:vt pater, & filius; dominus & seruus. Illud autem de quo sub nomine legis tractatur, tantùm est quod à persona publica toti communitati datur, vt patet ex lege 1.& 2.ff. De leg. Hæcque de legis nomine.

*Nu.*11. De illius existentia autem, quia notissima est non modò ex libris tam sacris,quàm prophanis:sed etiam ex quotidiano vsu: tantum occurrit explicandum, quem ad finem necesse sit legem existere. Etenim si aliqua est illius existendi necessitas,cùm nequeat esse absoluta, *quandoquidem nihil datur præter Deum, quod existere sit absolutè necessarium*: sanè ea est, ex hypothesi,seu ad aliquem finem.

Legis necessitas existendi.

*Nu.*12. EVm finem igitur non vnum sed varium & multiplicem assignare possumus ex quatuor capitibus: nempe ex ordine hominis ad Deum; ex ordine hominis ad seipsum; ex ordine hominis ad alios homines; & ex ordine hominis ad res sibi subditas. Primò enim homini necessaria fuit lex in ordine ad Deum: tum vt cognosceret in Deo imperante plenam authoritatem,& potestatem dominij: & in se,*sicut & in aliis rebus*, obediendi necessitatem; qua de causa in statu innocentiæ datum est præceptum Gen. 2. Tum vt intelligeret diuinam erga se prouidentiam in dirigendo se ad finem vltimum consequendum.

*Nu.*13. Secundò, lex necessaria fuit homini in ordine ad seipsum: tum quia est naturæ indeterminatæ ad bene vel malè agendum: ideoque opus habuit lege, qua dirigeretur, determinaretúrque ad bene agendum;prout conuenit ei qui ad imaginem Dei conditus est: ne bestiarum more sequeretur quidquid appetitus sentiens suggerit.Legibus enim tanquam habenis homo regitur, ac coërcetur, ne in peccatum præceps fuat. Tum vt seipsum cognosceret: nempe suam vilitatem, si factus ex limo terræ, comparetur cum Deo:ne superbè aduersus eum se extollat: suam verò dignitatem,si ad Dei similitudinem factus comparetur cum cæteris rebus corporeis; ne seruiendo eis,indignè se eisdem subiiciat.Itemque cognosceret illud quod fœlicitatem summam natum est ei conciliare;opera inquam iustitiæ consistentia in illa mandatorum obseruatione, de qua Dominus Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata] aut etiam è contrario, illud quod summam miseriam ei creare comparatum est,nimirum peccatum. Per legẽ enim cognitio peccati ad Rom. 5. Et peccatum nó cognoui, inquit *in sequen.cap.*7. *Apostolus*,nisi per legem.

*Nu.*14. Tertiò necessaria est homini lex,in ordine ad alios homines. Tum ad conueniendum cum illis: sine lege enim peruerterentur omnia, ac suo quisque arbitrio viueret,manerentque vitia impunita vnde tolleretur humanus conuictus. Tum ad decernenda præmia bonis, & supplicia malis: quod ita est necessarium in Rep.vt aliter status illius perturbetur & confusione labefactetur.Tum demum ad conseruandam iustitiam erga omnes,& obedientiam inferiorum erga superiores.

Postremo in ordine ad res inferiorés necessaria est homini lex:quia tenetur has omnes referre in Deum, tanquam in finem vltimum: ad quod est illi opus lege,per quam instruatur de ratione talem relationem faciendi rectè & congruenter diuinæ voluntati.

CAPVT II.

De natura & causis Legis.

SVMMARIVM.

15 *Definitio legis cum illius explicatione.*
16 *Lex in eo differt à consilio, quod obliget: obligat autem, tum ad culpam tum ad pœnam.*
17 *Lex coagmentatio est ex actu mentis; & ex actu voluntatis: hicque magis, quàm ille est ei proprius.*
18 *Lex quæ de se est actus, quomodo rationem habeat habitus.*
19 *Iniustitia quæ naturam legis destruit, locum habet tantùm in lege humana ex cuius causis omnibus nasci potest.*
20 *Quænam possit esse legis materia.*
21 *Quatenus lex Ecclesiastica feratur de actibus internis.*
22 *Promulgatio non est de legis natura, etsi ad illius obligationem requiratur.*
23 *Finis legis propinquus, est facere homines bonos: remotus bonum commune.*
24 *Causa efficiens legis est superior publicam potestatem habens in eos, quibus illa imponitur.*

*Nu.*15. ALIQVOT afferuntur à Dominico Soto initio librorum De iust. & iure legis definitiones:quibus omissis hac vna, *quæ apte sufficiemérque illius naturam declarare videtur*, contenti erimus.

Quòd sit iusta ordinatio superioris, publicam habentis potestatem, cum voluntate obligandi subditos ad aliquid agendum vel non agendum.

De spectantibus ad naturam Legis.

SECTIO I.

DIcitur autem *ordinatio*: quoniam lex est actus quidam rationis & prudentiæ ex Aristot. 10. Ethic.

Ethic.cap.9.id est,iudicium quoddã intellectus practici,consequens illius consultationẽ moderate virtute prudentiæ. Deinde dicitur, *iusta*, quoniã lex iusta *ex D. Augustl.lib.*1. *De lib.arbitrio cap.*5. ne nomen quidem legis meretur. Tertiò dicitur, *superioris*,quoniam lex ex Aristot. loco cit. vim habet non modo directiuam,quatenus præcipit bonum, & vetat malum: sed etiam coactiuam, quatenus transgressorem reddit pœnæ reum. Iam verò dirigere cum cõactione,est tantùm superioris:habéque rationem imperij: qua de causa non exprimitur per indicatiuum, sicut simplex ordinatio;dicendo hoc faciendum est, & ab illo abstinendum: sed per imperatiuum, dicendo: hoc fiat, illud non fiat. Imperare autem est superioris cùm par in parem non habeat imperium. cap.Innotuit,De elect. Quartò dicitur, *habens publicam potestatem*, quoniam vt D. Thomas 1.2. *quæst.* 90. *art.* 3. ostendit:condere legem pertinet vel ad totam multitudinem,vel ad personam publicam,quæ totius multitudinis curam gerit:vnde iussiones quæ fiunt à priuatis personis,non censentur leges, sed tantùm legum applicationes.

Atque his quatuor exprimitur illud, quod debet locum generis tenere in definitione legis. Illud autem quod sequitur,*cum volum.ae oblig.endi subditum ad agendum vel non agendum*, continet differentiam, per quam lex separatur à consilio, cui totum quod in definitione præcedit potest conuenire.

*Nu.*16. Nam ex D.Thoma in seq.quæst. 108. art. 4. consilium à lege in eo differt, quòd hæc vim habeat obligandi,imponẽdive necessitatem,vt sernetur id quod ipsa præscribit;illud verò non item:adeout ordinatio Superioris sine voluntate obligandi, sit quidem,immo tantùm sit consilium,nec adhuc lex: cum voluntate verò obligandi, non consilium, sed lex sit. Vbi aduerte legem dici obligare tum sub peccato, tum sub pœna; sub peccato autem obligare esse eam ita aliquid præscribere,vt necesse sit illud exequi ad supernaturalem beatitudinem consequendam,vel omnino,vt cùm obligatio est sub mortali;vel statim post mortem, vt cùm obligatio tantùm est sub veniali, quod non impedit quidem omnino, retardat tamen consecutionem dictæ beatitudinis. Sub pœna verò obligare, esse aliquid ita præscribere vt etiamsi præuaricatoribus pœnam non constituat reipsa, reddat tamen pœnã dignos, seu meritos à quibus legislator pœnam repetat.

*Nu.*17. Ex hac definitione legis manifestum est, legem non esse vnius naturæ per se,sed solùm per aggregationem:nempe esse ens morale, ad cuius constitutionem,*sicut ad constitutionem entis artificiosi*,plura in genere naturæ completa,concurrunt. Sicut enim domus coagmentatio est ex lapidibus & lignis,in ordine ad habitationem:ita lex,coagmentatio est ex ordinatione mentis;& voluntate obligandi in ordine ad actionem moralem. Si quæras, quod magis conueniat legi;esséne actum intellectus,an esse actum voluntatis? Respondeo cum Alphon. à Castro *in lib.*1. *De lege pœnali cap.*1. esse actum voluntatis (etiamsi Sotus in lib.1.De iust.& iure contrarium iudicet quæst. 1.art. 1.) nam in actu voluntatis, non autem in actu intellectus propriam legis rationem compleri; vltimámque illius differentiam consistere, ex eo patet, quòd secluso voluntate obligandi subditos, quantumcumque Superior multa ordinet,nullum eorum pro lege tenetur: quia, *vt rectè Alphonsus argumentatur*, Non quod Princeps nouit aut bene intellexit: sed prout *habetur in lege* 1.*ff. De constit. Principum*: quod Principi placuit,legis habet vigorem. Adde peccatum,*quod est legis transgressio*,magis aduersari voluntati Superioris quàm intellectui. Vnde fit vt illud quod contra legem Dei committit quis, dicatur idipsum facere contra diuinam voluntatem.

*Nu.*18. Cæterùm lex ita est actus, vt rationem habitus induat hoc nomine; quòd etsi (præterquam in Deo in quo nihil fluxum est) transeat breui tempore, more aliorum actuum humanorum: perdurat tamen virtute:hoc est,actus mentis ordinantis, & voluntatis obligantis,statim quidem in Principe possunt desinere esse: vterque tamen, etiam postquam desiit, eamdem erga subditos retinet vim, quam habuit dum actu esset;exerceretúrve:ideoque memorię gratia mandari solet scriptis,in quibus, tanquam in signis custodiatur: non quidem, quòd ea ad suam rationem tale quid exigat. Nam scriptæne sint leges an non scriptæ nihil interesse videtur, *inquit Aristoteles in eit cap.*9. sed quòd ita nostræ infirmitati expediat; vt deduci possit ex eo quod Decalogi præcepta etiamsi naturali lumine nota sint, Deus tamen in tabulis lapideis exarari voluerit.

*Nu.*19. Porrò iniustitia quam destruere legis naturam paulò superiùs insinuatum est; tantùm habet locum in lege humana: in qua, *vt post D. Thomam* 1.2.*quæst.* 96. *art.* 4. *tractant Syluester & Alphonsus à Castro: ille in verbo Lex num.*5. *& hic in sequenti cap.* 5. potest ex omnibus causis ipsius nasci. Ex fine quidem, si fiat tantummodo propter priuatum bonum. Dico (tantummodo) quia non est necessarium ad iustitiam legis,vt hæc in omnibus casibus respiciat bonum commune; sed satis est respiciat vt plurimùm: vel ita respiciat bonum priuatum,vt ipsum redundet in bonum commune. Adde si item ea fiat contra bonum commune,vel propter bonum quod ante quidem commune fuit,sed amplius non est. Pro quo facit cap. Erit autem lex,distinct.4. vbi cæteris qualitatibus, quas lex habere debet, congruenter legi primæ & secundæ ff.De legibus; hæc additur,vt nullo priuato commodo sed pro communi vtilitate ciuium conscripta sit.Ex efficiente verò, si statuens excedat in ea suam potestatem: nimirum legem imponendo vel nõ subditis, vel subditis quidem, sed de iis quæ operantur extra ipsius ditionem.

Pro quo facit illud in lege vltima.ff. De iurisdict. omnium Iudicum. Extra territorium ius dicenti, impunè non paretur.Adde & cap. Vt animarum, De constitut.in 6.vbi cad.sententia vsurpatur. Ex parte porro formæ:cùm per eam onera multitudini dispẽsantur non seruata proportionis æqualitate:ita nimirum vt cæteris paribus vnus plus quàm alius, aut omnes vel aliqui nimiùm grauentur, etiamsi totum ordinetur ad bonum commune. Ex parte denique materiæ:cùm per eam statuitur aliquid illicitum,hoc est, pugnans cùm lege naturali, vel diuina, aut cum humana à superiore posita. In quibus duobus posterioribus modis aperta est iniustitiæ ratio:in hoc quidem erga superiores, & in illo erga inferiores, itaut nulla sit opus alia confirmatione.

De materia & forma Legis.

SECTIO II.

*Nu.*20. MAteria Legis sunt ea,de quibus ipsa fertur:eáve quæ amplecti, ipsa præcipit vel prohibet. Cùm autem homo amplectatur tum intellectu,verum,vel falsum,vel probabile;vel id de cuius veritate aut falsitate nihil certò constat:tum voluntate, bonum vel malum vel quod indifferens est: seu quod ratio dictat nec bonum nec malum de se esse. Cùm inquam hæc ita sint;ordinariè quidẽ leges ferri nonsolent de iis

Universidad de Deusto
Biblioteca

iis quæ homo intellectu amplectitur: attamẽ de illis interdum feruntur; siue ad pacem & vnionem in Ecclesia conseruandam; siue ad vitandum scandalum aut aliud periculum. Sic Concil. Trident. sess. 13. Can. 11. cauet sub pœna excõmunicationis, ne quis pertinaciter teneat, aut publicè prædicet vel doceat, sacramentalem confessionem existenti in peccato mortali non esse necessariam ante communionem: quod inter Doctores prius versabatur in opinione.

De omnibus autem iis quæ homo voluntate amplecti potest, leges feruntur: de bonis quidem, præceptiuæ; & de malis, prohibitiuæ: de indifferentibus verò si aliunde ad bonitatem vel malitiam determinentur, eodem modo feruntur, quo de bonis vel malis absolutè: sin autem maneant indeterminatæ, itaut nihil de iis certò constare possit, sintne bona an mala: sed à quibusdam asserantur bona, & ab aliis mala, possunt leges de illis ferri siue præceptiuæ, siue prohibitiuæ, dummodo tales sint quæ vergant ad pietatem. Sic apud Carthusianos lex est de non edendis carnibus: ne quidem in periculo mortis ad vitam conseruandam: de quo non constat inter authores an sit de se bonum vel malum.

Nu. 21. Quæri solet, An lex Ecclesiastica ferri possit, sicut lex diuina, de interioribus actibus. Relicta autem Scholasticis subtili discussione, contenti erimus dicere quod vsus habet: Ecclesiam interdum de actu interiori legem ferre, non tamen absolutè & secundùm se sumpto: sed prout illi adiunguntur actus exteriores ab ipso procedentes. Quod duobus modis fieri potest: altero præcipiendo bene fieri opus externum, quod exigit bonam animi affectionem. Sic in cap. Dolentes De celebrat. Miss. & in Clemen. 1. eod. tit. lex fertur de celebrando officio diuino attentè & deuotè, quod est, ferri de attentione & deuotione (*quæ sunt actus interiores*) prout iunguntur diuinorum officiorum celebrationi, quæ actus est exterior. Altero modo, inhibendo ne tale opus externum fiat tali mala voluntate. Sic in Clement. 1. De statu Monachorum §. Quja verò: Monachis lex sub pœna excommunicationis fertur, de non adeundo curias Principum animo inferendi aliquod damnum suis Prælatis. Et in Clement. 1. §. Verum De hæreticis: Inquisitoribus hæreticorum lex sub pœna excommunicationis imponitur, de innocente non persequendo spe lucri aut odio. Quod non est prohibere spem lucri, aut odium sola, sed iuncta persecutioni, id est, incarcerationi, torturæ, aut simili vexationi innocentis. Aduerte autem quòd cùm Ecclesia non soleat eiusmodi leges ferre, nisi tales actus interiores, lege diuina debeant talibus exterioribus esse coniuncti: eas non censeri tam nouas leges, quàm superiorum legum, id est, diuinarum, declarationes ac determinationes.

Nu. 22. Forma legis, vt & cæterorum accidentiũ, est ipsius propria ratio declarata per definitionem antea traditam. Talé rationem verò, eam nõ obtinere antequam promulgata sit, sentit quidẽ Gratianus, in cap. In istis distinct. 4. inquiens: Leges instituuntur cùm promulgantur.] Sed contrariũ probabilius est, quoniã prius est legé esse quàm promulgari. Nã quod nõ est, promulgari nõ potest. Deinde quia lex diuina fuit ab æterno, nec promulgari potuit ab æterno, cùm nõ esset subditi quibus promulgatio fieret. Non ergo à promulgatione petitur, aut pendet propria ratio naturáue legis; sed ea tantùm requiritur ad hoc, vt lex subditos obliget iuxta legẽ, Leges, Cod. De legibus. Quæ obligatio non est de natura legis; nam etiamsi Superioris voluntas obligandi subditum, sit id quo propria legis ratio absoluitur ac perficitur, vt antè habitum est; obligatio tamen inferioris ex tali voluntate nascens, non est de ea ipsa ratione, quam præsupponit vt posterior, priorem se.

Ad quod plenius intelligendum aduerte, legem non obligare, nisi seruari possit: nec posse seruari, nisi ab eo cui ita sufficienter proponitur, applicatúrque; vt possit in agendo se cum illa conformare. Etsi autem rebus rationis expertibus, quæ aguntur in agendo, non sit opus alia propositione, quàm inclinatione, & instinctu naturali, quo impelluntur ad agendum: homo tamen rationis particeps, qui semet agit, impellitur in agendo, quique debet ex intentione quadam & obedientia obtemperare legi, opus habet propositione legis qua hæc illi manifesta fiat, vt posse cum ea conformare se in agendo. Hæc autem manifestatio sufficienter facta, significatur nomine promulgationis: ideóque ad obligationem legis promulgatio requiri dicitur.

De fine & efficiente legis.

SECTIO III.

FInis legis quidam est propinquus, & quidam remotus. Propinquus, vt habetur ex cap. 1. distin. 4. *Nu.* 23. est, coërcere humanam audaciam, & frænare nocendi facultatẽ: aut potius facere homines bonos, prout D. Thom. docet 1. 2. *quæst.* 92. *art.* 1. Remotus autem finis ex eod. D. Thoma *in præcæd. quæst.* 90. *art.* 2. est bonum commune: quod potest duobus modis tale esse; altero simpliciter: ita nimirum vt commune sit toti hominum generi, sicut est beatitudo æterna; altero modo secundùm quid, & quadam tantùm ex parte: vt scilicet commune sit eatenus tantùm, quatenus Princeps vel ciuitas illud sibi particulariter proponit in institutione legis; sique non sit verum bonum, & vt loquuntur, secundùm diuinam iustitiam regulatum (vt potest contingere cùm fuerit bonum delectabile vel vtile) talis lex faciet homines bonos, non simpliciter prout sunt virtute præditi, declinantes à malo, & facientes bonum: sed bonos secundùm quid, eo modo scilicet, quo aliqui vocantur boni latrones.

Causa efficiens legis, vt iam antè attigimus, est *Nu.* 24. Superior publicam authoritatem habẽs in subditos, quibus ipsa lex imponitur. Illius enim est prospicere bono communi, quod est finis in quem lex instituitur. Vnde viri docti possunt quidem normas viuendi & documenta quædam moralia tradere: & paterfamilias suam familiam statutis & ordinationibus tẽperare: ac quisque sibi potest viuendi normam præscribere: sed leges ferre, potest solus Superior publicam habens authoritatem; qualis est imprimis Deus comparatione totius mundi: Christus deinde quatenus homo, qui legifer noster dicitur Isaiæ 33. & in Concil. Trident. sess. 6. Can. 21. definitur esse non solùm redemptor, sed etiam legislator. Cuius leges extendere se ad omnes totius mundi homines; patet ex ipsius verbis Matth. vlt. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus. docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.] Præterea est Summus Pontifex Christi in terris Vicarius, comparatione totius Ecclesiæ: cuius generalis pastor constitutus est in D. Petro, cùm ei Dominus Ioan. vlt. dixit, Pasce oues meas: non distinguens, *vt notatur in cap. Solite, De maiorit. & obedientia*, inter has oues & illas: vt alienum demonstraret à suo ouili, qui Petrum & successores ipsius magistros non recognosceret & pastores. Ac demum Imperator & Principes, qui sibi imperatoria iura prę-

scripse

scripserunt, comparatione populorum qui sunt in ipsorum ditione.

CAPVT III.

De qualitatibus & officiis legis.

SVMMARIVM.

25 *Variæ qualitates legis.*
26 *Quomodo qualitates dentur legibus omnibus communes, cum aliæ aliis contrariæ inueniantur.*
27 *De officiis legis*, quæ sunt præcipere, vetare, permittere, & punire, *quo modo D. Thomas philosophetur.*
28 *Præmio afficere, an illis addendum sit.*
29 *Aliquid permitti lege, tribus modis intelligi potest.*
30 *Quo ex illis*, permittere, *censeri debeat legis officium.*

Nu. 25. GRatianvs distinct. 1. cap. Consuetudo, quatuor ponit qualitates legis: nempe quòd ratione constet, quòd religioni cõueniat, quod disciplinæ congruat, & quòd saluti proficiat, id est, quòd nec contra rationem, aut religionem sit, nec disciplinæ seu rectæ institutioni, aut saluti, seu beatitudinis consecutioni aduersetur. Distinctione verò 4. cap. Erit autem lex, ponit multo plures: nempe quòd sit honesta, quòd iusta, quòd possibilis, seu quæ impleri possit: quòd secundùm naturam, id est, rationi consentanea sit, *vt glosa ibidem interpretatur*: quòd secundùm patriæ consuetudinem, quod loco & tempori conueniens, quòd necessaria, quòd vtilis, quod manifesta, ne propter obscuritatem possit quis eam captiosè interpretari: quòd denique pro nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta sit. Quas omnes qualitates de lege demonstrare ex ipsius causis antea expositis, non esset difficile: sed nihil necesse est ad iudicium nobis propositum ea in re nos immorari.

Dubitari potest autem quomodo eæ valeant quadrare in omnes leges, quarum aliquæ sunt inter se contrariæ: vt patet ex eo, quòd secundùm leges in quibusdam regnis, reges eligantur, in aliis succedant iure hæreditario: & quod in quibusdam locis primogenitus habeat vniuersam hæreditatem, & in aliis hæc diuidatur æqualiter inter omnes fratres. Cùm ergo id quod est contrarium honesto vel iusto, *exempli gratia*, honestum aut iustum esse non possit videntur dictæ qualitates non posse in omnes leges quadrare.

Nu. 26. Cui dubitationi occurrendum est. Quia lex est regula agendi vel non agendi habito respectu ad bonum commune, in quod, vt in finem instituitur: ideo fieri vt interdum dentur leges, quarum vna obligat ad id agendum, ad quod euitandum obligat altera: quia cùm in variis locis variæ plerumque sint hominum naturales complexiones; ratione earum contingit, vt illud quod in vna republica conducit ad bonum commune, non conducat in altera: sed potius contrarium ipsius. Neque inde fit vt dentur leges honestę, & iustæ sibi mutuo contrariæ: vel vt non omnes humanæ leges iustæ, consentaneæ sint legi ęternæ, *in quam non potest contrarietas cadere*. Nam ad veram contrarietatem legum non tantùm requiritur vt eæ contraria præcipiant, sed etiam vt præcipiant, manentibus iisdem omnino circunstantiis: ita nimirum vt vna moraliter tollat quidquid altera ponit. Et quia Deus per legem suam æternam regit omnia accommodatè ad cuiusque naturam: eidem legi consentaneum esse potest, vt in vna republica lege sanciatur aliquid, cuius contrarium sancitum est in altera, ob diuersas temporis, aut loci, aut personarum circunstantias; ex quibus probabiliter iudicatur tale quid conducere ad bonum commune. Vnde lex æterna in se quidem est incommutabilis, sempérque eadem firma, stabilisque permanet: leges temporales tamen ab ea deriuatæ, variantur ratione temporum locorum & personarum: perinde ac altero pede circini permanente immobiliter in centro, alter pes secundùm circunferentiam variatur.

Legis officia quinque recensentur distinct. 3. cap. *Nu.* 27. vlt. præcipere, vetare, permittere, punire, & præmio afficere. De quibus D. Thomas 1. 2. *quæst.* 92. *art.* 2. ita philosophatur. Lex est directrix humanorum actuũ, qui sunt in triplici differentia; alij ex suo genere boni, vt actus virtutum; alij ex suo genere mali, vt actus vitiorum; & alij indifferentes aut penè indifferentes, seu parum boni vel mali. Atque respectu primorum, ponitur primum legis officium, nimirum præcipiendi: respectu verò secundorum, secundum, nempe vetandi: & respectu tertiorum, tertium, nempe permittendi. Quibus additur quartum puniendi; quia lex vel reipsa constituit pœnam præuaricatoribus, vel si non cõstituæ reipsa, reddit dignos pœnâ, quam legislator possit ab illis repetere.

Quintum, quod est præmio afficere, D. Thom. in *Nu.* 28. solutione 3. argumenti putat non esse reliquis annumerandum (sicut nec annumeratur in lege Legis virtus ff. De legib.) quia non est legis actus proprius: cùm quæcumque persona priuata possit præmium pro actu virtutis reddere. Verum potest reiici hæc ratio, dicendo esse quidem priuati hominis id facere ex charitate; sed facere ex officio, esse solius legislatoris, sicut ex officio concionari est solius pastoris. Adde quòd cùm homines non minus inducantur ad legis obseruationem spe præmij, quàm metu pœnæ, eadem ratione, qua punire dicitur legis officium, dici quoque posse, præmio afficere.

Porro de primo & 2. officio sufficit monuisse, ratione illius legem affirmatiuè poni, hoc est, præscribendo aliquam actionem: ratione verò huius, negatiuè: seu præscribendo cessationem ab actione.

De 3. officio autem obseruandum est ex glosa ci- *Nu.* 29. tati cap. vlt. tripliciter intelligi posse, quòd aliquid permittatur. Primò, quia legislator non modo non prohibet illud, sed potius declarat non esse lege prohibitum, ac pro non prohibito habendum: quo modo præceptum Apostoli in priori ad Corinth. cap. 7. de secundis nuptiis. Quod si non contineant (de viduis loquitur) nubant: permissio est secundarum nuptiarum: seu declaratio quòd eæ sint licitæ, *iuxta interpretationem D. Chrysost. quæ in cap. hac ratione* 31. qu. 1. refertur. Secundò, quia contra humanam constitutionem ipsum indulgetur, vt fit cùm alicui particulari relaxatur lex, vt quando permittitur Titio cõtrahere matrimonium cum Bertha in quarto gradu consanguinitatis. Postremò, quia non punitur sed toleratur: siue ad conseruandum aliquod bonum; iuxta illud, quod Dominus Matth. 13. prohibet zizania colligi antè messem, ne fortè cum eis eradicetur & triticum, siue ad euitandum aliquid magis illicitum: quomodo permittuntur comessationes in die Dominico, ex cap. Denique dist. 4.

Atque solo primo modo permissio censeri potest *Nu.* 30. officium legis. Secundo enim modo permissio, abrogatio est legis, tanquam voluntas liberandi ab obligatione quam lex inducit, adeout eius destructiua sit potius quàm constitutiua officij ipsius. Tertio verò modo tantùm est tolerantia, quę non stabilit, sed potius

Universidad de Deusto
Biblioteca

tius destruit legem: nam *ex cap. Cum iamdudum De præbendis*, multa per patientiam à Superiore tolerantur, quæ si in iudicium, *ad eorum scilicet approbationem*, adducerentur, non toleraret. Sine approbatione verò, seu voluntate expressa Superioris non constat lex. De quarto officio, quod est punire, monendum occurrit, legem ex ipso dici pœnalem: quòd scilicet præcipiat, vel prohibeat aliquid, imponendo, aut saltem taxando pœnam transgredienti. Atque hæc de lege in genere ad nostrum institutum sufficienter. Iam ad dicendum de lege naturali aggrediendum est.

TRACTATVS II.

De Lege naturali.

PROOEMIVM.

EX naturalis generaliter dicitur de inclinatione naturali, seu impulsu indito à Deo cuique creaturæ; quo in suum finem feratur, id agendo ad quod condita est: vt ignis ad calefaciendum, astra ad lucendum, & sic de aliis. De qua lege intelligendum est quod dicitur Prouerb. 8. Legem ponebat aquis ne transirent fines suos.] Specialiter verò dicitur de dictamine seu iudicio nostræ rationis, quo per lumen nobis ab æterna lege impressum, aliqua esse bona seu naturæ nostræ consentanea certò cognoscentes, statuimus ea agi debere: aut cognoscentes esse mala, seu naturæ nostræ dissentanea, miniméque congrua, statuimus debere vitari. Quod iudicium, quatenus est à Deo, qui indidit nobis naturam, secundùm quam ita iudicaremus; rationem habet legis, seu regulæ rectè viuendi, nobis à Deo ipso impositæ. Est enim tanquam exhibitio instrumẽti publici, quo lex Principis continetur scripta. Nam lumen illud, ex quo tale iudicium prouenit, est inscriptio quædam legis æternæ in animabus nostris iuxta illud quod dicentibus Quis ostendit nobis bona,] Dauid in Psal. 4. respõdet, Signatum est super nos lumẽ vultus tui Domine:] & illud Apostoli ad Rom. 2. Gentes quę legem non habent, *supple scriptam in tabulis aut membranis*, naturaliter quę legis sunt faciũt, &c. Qui ostẽdunt opus legis scriptum in cordibus suis.] Sicut igitur manifestatio decreti Principis per instrumentum publicum, legis nomine censetur: ita etiam censeri debet memoratum dictamen, tanquam manifestatio legis æternæ, ac diuini decreti, quæ fiat per naturale lumen. Atque de lege naturali posteriore hac acceptione tanquam de rectè viuendi regula, à qua discordando actus humani peccati rationem contrahunt, dicendum nobis est consequenter: exponendo primùm quænam sint rationis de rebus agendis, vel fugiendis dictamina, seu propositiones practicæ naturali lumine perspicuæ, constituentes legem ipsam naturalem. Secundo verò loco consideranda est synderesis, quæ est lumen illud quod antè diximus esse legis æternæ inscriptionem: & tertio loco spectanda est conscientia, tanquam applicatio quædam earumdem generalium propositionum ad actus humanos in particulari: vt illis tanquam propriis regulis, conformentur; oportet enim regulam applicatam esse iis, quæ eum ipsa conformari debent, vt si illi non conformentur, nec congruant, peccata iudicentur esse.

CAPVT IV.

De propositionibus practicis legem naturalem constituentibus.

SVMMARIVM.

31 *Lex naturalis, quæ vna est in synderesi, complectitur multitudinem propositionum, quæ omnes comprehenduntur vna communissima.*
32 *Triplex hominis inclinatio, ex qua pendet primaria varietas illarum.*
33 *Propositionum legem naturalem constituentium tres ordines.*
34 *Earumdem tres gradus, & quæ in primo ponantur.*
35 *Quæ ad secundum spectent.*
36 *Præcepta decalogi sunt de talium propositionum numero.*
37 *Sunt etiam quædam ex iisdem præceptis deducta.*
38 *Notanda peculiariter circa 9. & 10. præceptum.*
39 *Quæ propositiones constituant ius gentium, & quæ humanum, quæque ex eis ad ius naturale spectare censeri possint.*
40 *Iuris gentium collatio cum naturali & humano.*

PROPOSITIONES practicas naturali rationis lumine perspicuas, & euidentes, ex quibus lex naturalis iuxta antedicta cõstituatur, varias esse manifestum est experientiâ; itaut lex ipsa naturalis cùm sit vna in synderesi à qua promanat, multiplex sit in suis præscriptis: quorum tamen multitudo ex D. Thom. 1.2. q. 4. *art.* 2. reducitur ad vnam propositionem generalissimam; quæ est, Bonum, seu quod conueniens est inclinationi naturæ humanæ, faciendum esse: malum verò, seu quod est eidem inclinationi contrarium, non esse faciendum: perinde ac sub generali ratione boni ab intellectu dictati comprehenditur quidquid voluntas ipsa amplectitur: & sub ratione mali, quidquid eadem repudiat. *Nu.* 31.

Propositionum legem naturalem constituentium tres ordines.

SECTIO I.

PRædictæ verò propositiones sub eadem generali proximè distinguntur in tres ordines, iuxta triplicem naturæ humanę inclinationem; qua in iudicando intellectus practicus naturaliter determinatur. Cùm enim hominis, sicut & cæterarum rerum inclinatio naturalis, sit immediatè à Deo, vnamquamque rem ad debitum finem dirigente, ipsa non potest non esse secundùm legem æternam; itaut id quod intellectus practicus per naturale suum lumen congruenter tali inclinationi cognouerit, iudicauerítque agendum, vel non agendum: id legis naturalis rationem habere existimandum sit: nisi iudicium vitietur ex accidenti: nempe ex praua aliqua cõsuetudine, vel ex aliquo errore circa aliquid eius generis, aut etiam ex pertinacia, vel alio affectu excæcante intellectum ipsum, ac impediẽte quominus termini propositionum legis naturæ perpendantur prout oportet. Quemadmodum enim sapores habendi sunt tales, quales esse iudicant, non quidem ij, quorum gustatus prauo humore vitiantur, sed qui illum integrum habent: *Nu.* 32.

bent: sic eæ propositiones censendæ sunt legis naturæ esse, quibus assentiuntur homines bene dispositi, nec aliquo prædictorum accidentium præpediti incommodo.

Nu. 33. Quia igitur homini secundùm suam naturam inest 1. inclinatio, in qua communicat cum omnibus substantiis, nempe ad conseruandum suum esse; deinde inclinatio in qua communicat cum cæteris animalibus, nempe ad conseruandam suam speciem per propagationem: & postremò inclinatio ipsi propria, vt homo est: nempe ad bonum rationis, id est, ad habendum se rationabiliter: siue, *vt D. ipse Thomas in sequ. art. 3. exponendum indicat*, ad viuendum ex virtute. Quia inquam hæc ita sunt: vnus ordo propositionum practicarum legem naturalem constituentium ponitur, earum quæ sunt regulæ agendorum, vel fugiendorum in ordine ad vitæ propriæ conseruationem: alter earum quæ in ordine ad humani generis propagationem: tertius earum quæ in ordine ad habitudinem hominis rationabilem, & decentem: seu ad hoc vt rationabiliter, decentérque habeat se ad se, & ad alios.

Varij gradus prædictorum ordinum.

SECTIO II.

Nu. 34. IN quorum porro ordinum vnoquoque distinguntur gradus diuersi, per quos propositiones ipsę practicæ à generalissima antememorata descendunt. Primus ad eas pertinet, quæ cognita vocum significatione statim intelliguntur, & approbantur, quod fit vel ob necessariam connexionem attributi cum subiecto, euidentem ex se aut ex circunstantiis; aut ob experientiâ manifestam, quâ perinde ac ignem calidum esse, eas nobis certò persuademus: vel ob inclinationem voluntatis naturaliter determinatæ ad ea, quæ talibus propositionibus significantur: & ideo determinantis intellectum ad ipsas approbandas. In exemplum istiusmodi gradus dari potest ex primo ordine hæc propositio. Amplectenda sunt de se necessaria ad conseruationem vitæ propriæ, & auersanda contraria. Ex secundo verò, hæc. Qui non habent impedimentum legitimum, prohibendi non sunt matrimonium contrahere si velint. Ex tertio demum homini viuendum est ex virtute.

Nu. 35. Secundus gradus ad eas pertinet quæ ex præcedentibus consideratis absolutè, seu absque circunstãtiis, colliguntur necessariò & euidenter: sicut ex ea, quæ ex primo ordine proposita est in exemplum, colligitur malũ esse corpori denegare omnem cibi, & somni refectionem. Et ex ea quæ secundo ordine; licitam de se esse maris, & fœminæ coniunctionem. Illicitum esse contemnere liberorum educationem. Et demum ex ea quæ ex tertio ordine, Deum esse amandum super omnia, & proximos sicut nos ipsos, eisque non esse faciendum quod nobis fieri nolumus. Nam ratio cognito quod Dei nomine significetur bonum omnium eminentissimum à quo cætera omnia pendent, & tanquam à fonte vberrimo deriuantur: ac nomine proximi id, quod est nobiscum eiusdem omnino sortis & naturæ, statim quisque iudicat, quòd homo ad habendum se rationabiliter ad Deum, & ad proximum, debeat illum super omnia, & hunc sicut seipsum amare. Colligitur quoque ex eadem propositione hæc alia. Pars animæ inferior, hoc est, phantasia, & appetitus sentiens in bonis moribus, non præesse, sed subesse debere parti superiori, id est, rationi & voluntati. Namque homo cognito quòd pars inferior animæ ea dicatur, quâ cum bestiis communicat: & superior, quâ eisdem antecellit, & dominatur; dictam propositionem sibi statim persuadet tanquam proponentem quidpiam, quod necessarium est ad se rationabiliter habendum ad seipsum.

Ex qua porro, & ex præcedente absolutè quoque consideratis, eæ colliguntur quæ Decalogum constituunt (excepta ea quæ præcipiebatur sanctificatio Sabbathi, *quæ tantum fuit iuris positiui*) nempe non esse alteri quàm Deo supremum latriæ cultum deferendum, quod primo præcepto: neque esse peierandum, quod secundo cauetur: colligitur ex eo, quòd Deus sit super omnia amandus. Tali amori aperte repugnat contumelia, quam euidens est ipsi Deo inferri, deferendo alteri prędictum cultum, aut peierãdo: seu, quod idem est, Deum ipsum proponendo in falsum testem. Prętera honorandos esse parentes: Non esse occidendum: Non adulterãdum: Non furandum Non dicendum falsum testimonium contra proximum, quæ sunt alia Decalogi præcepta: aperte colligitur ex eo, quòd non debeat quisquam id alteri facere, quod sibi factum nolit. Ac demum non esse eundum post concupiscentias carnis, vel diuitiarum, vt duobus vltimis præceptis cauetur, sequitur ex eo, quòd malum sit, in moribus partem animæ superiorem inferiori subiicere. Nam ire post concupiscentias, idem est ac voluntatem quali ab appetitu sentiente captiuatam, cõsentire in affectum ipsius inordinatum, iuxta illud quod habitum est in præced. lib. 11. sub initium cap. quinti. *Nu.* 36.

Amplius ex ipsis Decalogi præceptis propositiones aliæ deducuntur: vt ex primo de cultu vnius Dei: damnabilem esse omnem idololatriam & superstitionem. Ex secundo, de non peierando: non esse blasphemandum: ex quarto, de honorandis parentibus, senes, magistros, reliquósque superiores honorandos esse. Ex quinto, de non occidendo, illicitam esse omnem corpoream proximi læsionem: & internũ odium. Ex sexto, de non adulterando, illicitum esse omne genus luxuriæ. Ex septimo, de non furando, illicitam esse omnem fraudem in venditione, commutatione, & cæteris pactis. Ex octauo, de non dicendo falsum testimonium: illicitum esse temerarium iudicium, detractionem & omne mendacium. *Nu.* 37.

Circa ea autem, quæ ad nonum, & decimum præceptum attinent, tria occurrunt breuiter notanda. Primum est, quia requiritur aliqua subtilitas ingenij ad comprehendendam partis superioris & inferioris distinctionem antememoratam, posse ignorantiam illorum esse inuincibilem in homine rudi; qui id nec per se nouisse potuit, nec ab alio audire, quod tamen vix contingit vbi vel minimum viget Christiana disciplina. Alterum est, concupiscentiam qua homo appetitu sentiente fertur in cibum & potum aut rem veneream: ante originale peccatum quidem, per iustitiam originalem tenuisse limites legis naturæ: itaut in homine ipso non procederet vlterius, quàm naturalis inclinatio ad propriam, aut ad speciei conseruationem exigeret. Post peccatum verò, per quòd homo compararus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, ex Psalm. 48. rupto iustitiæ originalis fræno, sæpe egreditur eos limites, voluntatémque sollicitat ad ampliorem, & frequentiorem vsum cibi, & potus, aut rei venereæ, quàm necessitatem vitæ conseruandæ, vel speciei propagandæ exigere lex naturæ dicter. Vnde est illa inordinata concupiscentia, cui voluntatis consensum adhiberi prohibetur nono præcepto. Tertium est, ex superbia primi parentis, quâ concupiuit esse sicut Deus, relictam esse in hominum cordibus elationem, qua ad *Nu.* 38.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dominium rerum, quas sensibus percipit propensus est: indeque nascitur illa earũ inordinata concupiscentia, cui consentire decimum præceptũ prohibet.

Nu. 39. Tertius gradus, est earum propositionum quæ sumptæ quidem secundùm se, & absolutè, nobis sunt obscuræ: sed consideratæ cum aliquibus circunstantiis, statim naturali ingenij lumine innotescunt omnibus: cuiusmodi est propositio. Quòd facienda sit rerum diuisio, vt quisque proprium aliquid habeat: Si enim hæc secundùm se, & absolutè consideretur, quid de ea tenendum sit lumen naturale non ostendit, vt experientia patet. Sin autem consideretur cum circumstantia, quòd res conseruentur hominum industriâ; & quæ sunt communia ferè semper negligantur ab hominibus: ea statim apparet approbanda. Eiusmodi quoque est propositio. Quod fieri debeant emptiones, & venditiones. De ea enim secundùm se absolutè nihil solo naturali lumine statui patet; posita verò circunstantiâ, quòd inter homines alij abundent rebus, quibus alij egeant, & contra, alij egeant rebus, quibus alij abundant, manifestè nota redditur. Inde enim apparet necessarias esse rerum permutationes, quæ quoniam facilè fieri nequeunt; cùm plerumque is, qui vnam tantùm rem habet, quam permutare possit, multis egeat; manifestum est instituendas fuisse emptiones, & venditiones per quas pecunia, *quasi omnium rerum pignus*, seruiret permutationi cum quacumque re, qua egeremus.

Quartus gradus est earũ propositionum practicarũ, quæ obscuræ quidem sunt ex se, sed nobis possunt naturali lumine ex aliquibus circunstantiis certò innotescere, non tamen facilè; eoquod tales circunstantiæ, non occurrant omnibus, nec nisi longiore discursu, possit haberi earum notitia. Qua de causa solent id genus propositiones dici notæ solis prudentibus. Tales sunt: nullo modo licitum esse, ex mutuo datâ pecuniâ lucrum aliquod reportare. Non esse licitum mentiri, ne quidem ad liberandum innocentem à morte. Diligendos esse inimicos.

Quintus gradus est earum propositionum, quæ non possunt certò, sed solùm probabiliter colligi ex principiis notis naturali lumine: vt Remp. gubernandam potius esse per vnum, quàm per plures. Regem potius nasci debere, quàm eligi.

Sextus, & postremus gradus est earum propositionum, quæ sunt legis naturæ determinationes quædam ad certum modum, vel tempus: vt lex ciuilis de suspendendo fure, est quoad modum determinatio legis naturalis, quod fures afficiendi sunt supplicio. Et lex Ecclesiastica de Missa audienda, déque abstinendo ab opere seruili die festo; est quoad tempus, determinatio legis naturalis; quòd constituendum sit aliquod tempus ad publicum Dei cultum. Cæterùm lex naturalis propriè dicta constituitur tantùm ex duorum primorum graduum propositionibus: sicut & lex humana propriè dicta, tantùm ex propositionibus duorum vltimorum graduum.

De propositionibus constituentibus ius gentium.

Sectio III.

Nu. 40. Quæ verò sunt duorum mediorum vt attigit D. Thomas 1.2. *quæst.* 95. *art.* 4. & 2.2. *quæst.* 57. *art.* 3. conistituunt ius gentium: quod tanquam species, comprehenditur quidem lege naturali, prout ipsa generaliter dicitur de omni propositione practica, quæ naturali rationis lumine certò innotescit: sed ab eadem propriè, & specialiter sumpta, distinguitur in hoc; quòd lex naturalis sit de iis, quæ secundùm absolutam suam rationem: & ius gentium, de iis quæ secundùm circunstantias suas considerata, naturali ingenij lumine conuenientia esse, certò iudicantur: vt bellum esse gerendum, si Remp. saluam velimus, quam hostes euertere parant. Item ex D. Thoma *loco citato*, ius ipsum gentium ponitur quidem species legis humanæ, prout hæc dicitur generaliter de omni propositione practica, quæ cùm non sit de se nota; humana ratiocinatione, & solertia indiget per quam ex circunstantiis veritas ipsius ostendatur. Distinguitur autem ab eadem sumptâ propriè, & specialiter; eoquòd raliter sumpta consistat in propositionibus practicis, quæ innotescunt ex circunstantiis tantummodo particularibus, ac pertinentibus propriè ad vnam tantummodo ciuitatem, vel prouinciam, vel regnum: cùm ius gentium consistat propriè in propositionibus practicis, quas circunstantiæ generales, seu gentibus omnibus communes, manifestant: qualis est necessitas permutandi res ad subueniendum indigentiæ humanæ; ostendens quòd fieri debeant emptiones, & venditiones.

Ex quibus licet intelligere ius gentium dici, non quod ad illud constituendum omnes gentes conuenerint; sed quòd recipiatur ab omnibus gentibus; ratione illud vbique terrarum, simili modo, similique de causa comprobante, ac dictante. Licet etiam intelligere ius gentium nec naturale, nec humanum absolutè esse: sed inter vtrumque medium, quia natura illud non dictat absolutè, sed suppositâ aliqua circunstantia, præsertim finis, quem homines sua voluntate sibi proponunt. Neque pendet ex sola hominum voluntate; quia supposito fine, quem voluntas ipsa præstituit; natura illud perinde dictat ac ius naturale. Hoc igitur discrimine inter se ius naturale, gentium, & humanum distinguuntur: quòd primum absolutè, & secundum ex suppositione alicuius circunstantiæ communis, notum sit: & ideo apud omnes homines idem sit: tertium verò ex particularibus circunstantiis loci, temporis, personarum diiudicetur. Vnde fit vt non idem, sed varium sit apud varias gentes, pro varia qualitate locorum, temporum, & personarum.

Discrimẽ verò illud quo in lege prima ff. De iust. & iure, ius gentium à naturali distinguitur, quòd illud sit humani generis proprium: vt Deum esse colendum, obtemperandum esse parentibus. Hoc verò, sit omnium animalium commune, vt vitam propriam conseruandam esse, liberos esse educandos. Illud, inquam, discrimen non admodum placet, quia secundùm ipsum, præcepta Decalogi, aliáque omnia, quæ secundùm hominis inclinationem propriam ratio dictat, vt. Honestè viuendum esse, dici deberent iuris gentium, quod videtur absurdum esse.

Caput V.

De obligatione Legis naturalis.

Summarium.

41 *Lex naturalis, sicut & positiua præcipit, prohibet, punit, & permittit.*
42 *Lex naturalis præcipiendo, ac prohibendo, obligat in conscientia omnes homines ratione vtentes.*
43 *Legem naturalem immutabilem esse, intelligendum est cum triplici restrictione.*
44 *Nulla est exemptio à lege naturali, per eius abrogationem.*

45 *Aliqua esse potest per declarationem: & quomodo.*
46 *Nulla esse potest per dispensationem propriè dictam.*
47 *Aliqua esse potest per dispensationem impropriam: & qua ratione.*

Quod ad iudicandum de peccatis potissimum spectatur in lege, est obligatio: ratione cuius ille peccat, qui præscriptum illius transgreditur. Vt autem intelligatur quænam obligatio sit legis naturalis, aduertendum est, eam per propositiones practicas ex quibus constituitur, exercere legis officia de quibus sub finem præcedentis tractatus egimus.

Quomodo lex naturalis exerceat legis officia.

Sectio I.

Nu. 41. Primùm enim præcipit multa honesta, secũdò vetat omnia turpia. Multa honesta dico, non autem omnia: quia etsi generalissima propositio: Bonum est sectandum, & malum fugiendum, imponat obligationem; vt si nobis sit moraliter operandum, operemur bene & conuenienter rationi: non autem malè & contra rationem: atque operatio bona, ac conueniens rationi, eadem sit quæ virtutis, atque honesta: operatióque mala & rationi contraria, sit eadem quę vitij ac turpis. Nihilominus non vt omnis actio vitij in particulari prohibita est lege naturali: ita omnis actio virtutis in speciali præcepta est eadem lege, quemadmodum notat D. Thomas 1.2. *quæst.* 94. *art.* 3. Et manifestum est ex eo, quòd multæ actiones virtutis, vt perpetuæ castitatis, paupertatis voluntariæ, & quædam aliæ in ipsa etiam sacra Scriptura positæ, sint in consilio: quod sequi, vel non sequi relinquitur liberum. Deinde quia sunt quædam actiones virtutum, quas ex præcepto humano suscipimus, *vt ieiunium Quadragesimale*, & ad quas eo sublato nemo se adstringi iudicaret: vnde patet, non omne quod est secundùm rationem, seu ex virtute censeri debere in præcepto esse: sed nonnunquam tantùm esse in consilio: quod qua ratione discerni possit intelligetur perdicenda in sequen. libro 16. cùm agetur de discrimine inter præceptum & consilium.

Tertiò lex naturalis punit suos transgressores remorsu conscientiæ, seu voluntatis tristitia proueniente ex testimonio, & accusatione propriæ conscientiæ murmurantis aduersus eam, eoquod in malum consenserit: iuxta illud Apost. ad Rom. 2. Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum: & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Postremò permittit indifferentia, dictátque minora mala posse à Magistratibus tolerari, ad vitanda maiora.

Quod Lex naturalis obliget omnes homines ratione vtentes.

Sectio II.

Nu. 42. Quod autem lex naturalis præcipiendo, & prohibendo obliget in conscientia, illiúsque transgressio peccatum non modo veniale esse possit, sed etiam mortale, patet ex cap. 1. Epist. ad Rom. cùm dicitur: Tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt, &c. Qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte.] Et ad Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, &c. quæ prædico vobis sicut prędixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.] Obligat verò lex naturalis omnes homines ratione vtentes cuiuscumque conditionis sint, & vbicumque agant: quoniam vt natura in omnibus hominibus eadem est, sic & lex naturalis eadẽ est apud omnes homines. Atque vt lex humana, quia ponitur hominũ voluntate, de se mutabilis est apud diuersas gentes: immo & apud easdẽ diuersis temporibus, diuersa inuenitur; pro iudiciorum, & voluntatum diuersitate, quæ facile contingit hominibus. Sic etiam lex naturalis, quia instituta est à natura constanti, ac semper sibi simili, immutabilis est; nec pro varietate personarum, locorum, aut temporum variatur: hócque est quod distinct. 5. in initio dicitur ius naturale non variari tempore, sed permanere semper immutabile.

Nu. 43. Quod tamen iuxta doctrinãm quam D. Thomas habet 1.2. *quæst.* 94. *art.* 4. 5. & 6. intelligendum est primò de variatione facta per detractionem, quâ sic ei subtrahatur aliquid, vt ipsum amplius non sit legis naturalis cùm ante fuerit. Alioqui enim ipsam variari per additionem, non est incommodum. Namque multa ei addi possunt ad vitam humanam moderandam (sicut addita est lex positiua tam diuina quàm humana) non tamen quæ contra eam sint; etiamsi præter eam esse possint; vt matrimonij clandestini inualiditatio, quam Conc. Trid. induxit, *sess.* 24. *De reform. matrimonij cap.* 1. est quidem præter legem naturalem, statuentem quòd de se licita sit maris, & fœminæ mixtio: non est tamen contra eam, quia non euertit illam: sicut & artem suppeditare vestes hominí, est quidem præter naturæ institutum, quæ fecit hominem nudum: non est tamen contra, quia inde non euertitur tale institutum.

Intelligendum est secundò, de lege naturali, ratione sui: nam ratione hominum variari, seu non eodem modo retineri ab omnibus hominibus, contingere potest. Ex aliqua enim tarditate ingenij, aut mala persuasione, aut deprauata consuetudine, ac corruptis affectibus, sic hallucinari possunt aliqui; vt non teneant pro naturalis legis præscripto, id quod ipsa præscribit: immo potius teneant illius contrarium: vt accidit eis, qui ex cap. 1. Epist. ad Rom. traditi in reprobum sensum, non sunt auersati peccata, quæ manifestè fiunt contra naturam. Accidit etiam Lacedæmonibus qui authore Plutarcho in Licurgo, furta non solùm non prohibuerunt, *vt debuisse, principium illud notissimum, Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris: ostendebat apertè*: sed etiam persuaserunt: hac tamen conditione, vt si quis in furto deprehenderetur tanquam negligenter, & ineptè executus suum munus, multis verberibus afficeretur. Accidit etiam quibusdam aliis, de quibus Alphonsus à Castro libro 2. De lege pœnali *cap.* 14. *versu Ignorantia autem iuris naturalis.*

Intelligendum est postremò de lege naturali secundùm ea quæ affirmatiuè ad ipsam pertinent: vt censentur quæcumque statuit præcipiendo, vel prohibendo; vt Honorandos esse parentes, Non esse furandum. Mutari enim potest secundùm illa, quæ ad eam pertinent negatiuè; vt censentur ea, de quibus nihil statuit, neque de eorum contrario: quo modo rerum omnium communio iuris est naturalis, dist. 1. cap. Ius naturale & dist. 8. in principio: quia nihil de illa nec de illius contrario, hoc est, de rerum proprietate, & diuisione lex naturæ præcipit, aut prohibet. Idem est iudicium de libertate: de qua similiter, nec de ipsius contrario, hoc est, de seruitute statuitur le-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ge naturæ, vnde in eis videmus varietatem: nempe apud quosdam, vt apud Religiosos, *sicut olim initio nascentis Ecclesiæ apud omnes Christianos ex Actis cap. 4.* vsitatam esse rerum omnium communionem: apud alios verò, vt communiter apud sæculares, vsitatam rerum diuisionem, & proprietatem. Item in quibusdam regionibus seruitutem mancipiorum esse in vsu, vt in Hispania: in aliis verò non esse, vt in Gallia.

De exemptione ab obligatione legis naturalis.

Sectio III.

Nu.44. QVæri autē solet, An possit quis ab hac legis naturalis obligatione eximi aliqua ratione. De qua re, ad nostrum institutum sufficiet hæc statuisse. Primum est, neminē ab obligatione legis naturalis eximi per eiusdem legis abrogationem: hoc est, ex eo quòd illa aliquando amiserit obligandi vim, quam prius habuerit. Nequit enim talem mutationem subire, cùm instituta, sancitáque sit hominibus à Deo, qui indidit ipsis naturam participem rationis, cuius dictamini voluit ipsos parere, quando, & quomodo oporteret. Vnde sequitur eam nullo humano statuto mutari, nulláque consuetudine abrogari posse: sed peccare omnes qui illam transgrediuntur, iuxta illud Isaiæ 24. Terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt, fœdus sempiternum, propter quod maledictio vorabit terram.] Quem locum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 8. ait intelligendum esse præcipuè de præceptis Decalogi, quæ legis naturalis esse constat. Neque dici potest Deum sua authoritate illam abrogare; ipse enim qui fidelis est, nec seipsum negare potest 2. *ad Timoth. cap.* 2. retractare nequit suum decretum. Retractaret autem si genus humanum; quod vt est rationis capax, voluit obligatum esse legi naturali; ab eadem postea ipsum simpliciter liberaret.

Nu.45. Secundum est, declaratione facta per ἐπιείκειαν (de qua inferiùs) quòd casus aliquis nō comprehendatur in aliqua lege naturali, tunc nō teneri quemquā tali legi ineo casu parére. Sic enim lege naturæ de reddēdoalteri, quod apud te depositum fuerit, nō teneris parére in eo casu, quo is qui apud te ensem deposuit agitur furiis: quia ratio sufficiēter ostendit ad talē casum dictam legem non extendi. Cæterùm in casu, quo propter defectū argumenti, dubium est, an quid certum, lege naturali præceptum, aut prohibitum sit recurrendum est ad Papam pro declaratione, tanquam requirente Spiritusſancti magisterium: aliàs verò quiuis sufficienti argumento innixus potest illam facere.

Nu.46. Tertium est, neminem per dispensationem eximi posse ab obligatione legis naturalis si propriè loquamur de dispensatione, quâ superior obligationem legis ab aliquo remouet in casu, quo ea vrget: itaut liceat illi facere absque peccato, quod alioqui ex lege vitare tenetur: vel omittere, quod alioqui ex lege tenetur facere. Neque enim talis dispensatio dari potest ab humanis Magistratibus: quoniam lex naturalis proposita est eis tanquā certa, & fixa regula; ad quam fuæ authoritatis vsum omnem, *sine quoad communitatem, siue quoad particulares personas*, exigant ac moderentur. Non autem, vt possint aliquid in ea immutare. Quod à Cicerone in lib. 3. De Republica obseruatum, laudibus effert Lactantius *lib. 6. Diuinarum instit. cap.* 8. inquiens ipsum diuina penè voce vim legis naturæ descripsisse his verbis. Est verò lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes; constans, sempiterna: huic legi nec prorogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet: neque tota abrogari potest, nec verò aut per Senatum, aut per populum ab hac lege liberari possumus. hæc ille.

Quod verò neque à Deo sit expectanda talis dis- *Nu.47.*
pensatio; qua scilicet per diuinam authoritatem, ille qui prius lege naturali certis conditionibus positis ad aliquid agendum, vel vitandum obligatus erat, postea iisdem conditionibus permanentibus, non sit ad id obligatus, patet: quia oporteret Deum per talem dispensationem retractare decretum suum æternum, quod impossibile est, vt constat ex antedictis.

Dispensatione autem generaliter dicta, qua legis obligatio remouetur ab actu, quem ea præcipit: potest quis eximi ab obligatione legis naturalis per remotionem conditionis, qua sublata ab actu, is non cadit sub eiusmodi legem: quemadmodum ab actu, quo Hebræi spoliauerunt Ægyptios Exod. 12. Deus conditionem vsurpationis rerum alienarum (per quam ceciderāt sub præceptum legis naturæ, Non furtum facies) sustulit transferendo in eosdem Hebræos talium rerum dominium. Quemadmodum item Summus Pontifex ab aliquo tollens legis humanæ impedimentum dirimens matrimonium, facit vt in illo ipso actus coniugalis non cadat sub præceptum Non mœchaberis; sicut caderet tali impedimento manente.

Cæterùm ex dictis intelligitur, quòd ea lex naturalis quæ præcipit aliquid secundum se (& non secundùm aliquam conditionem ipsius externam, quæ mutari possit) dispensationem non admittat. Quo in genere ponitur principium communissimum, quod ante attigimus: Bonū est faciendum. Habet enim annexam obligationem, seclusâ omni conditione variabili, adeout in quocumque casu, ac quocumque modo quis moraliter operetur, debeat bene operari; sique malè operetur, semper idipsum communissimum præceptum transgrediatur. Ponuntur item præcepta negatiua de rebus intrinsecùs, seu ex interiore suâ naturâ, malis: qualia sunt præcepta ea, quibus prohibentur odium Dei, aut idololatria, aut aliæ id genus actiones, quibus homo malè afficitur ad Deum vltimum suum finem: à quo exorbitando, impossibile est aliquid bene moraliter fieri. Vnde in talibus actibus, nulla datur alia via excusandi à peccato, quàm per ignorantiam inuincibiēl, qua redduntur indeliberati: de quibus, *vtpote necessariis, nec positis in libera potestate agentis*, præceptum non datur.

CAPVT VI.

De Synderesi, & conscientia.

SVMMARIVM.

48 *Quid sit synderesis, & quid conscientia.*
49 *Synderesis principium peccati esse non potest, nec errorem admittere.*
50 *Quomodo synderesis sit semper vera, cùm conscientia sit aliquando erronea.*
51 *Synderesis lumen est quod extingui quidem non potest; impediri tamen potest ab effectu illuminandi.*
52 *Vnde proueniat tale impedimentum.*
53 *Ratio cur aliqui grauiter peccantes non sentiant conscientiæ remorsum.*
54 *Officia varia conscientiæ, quorum alia tribuuntur ei, vt testi.*
55 *Alia vt Iudici.*

56 *Alia vt legislatori, vel consiliario.*
57 *Variæ appellationes quæ conscientiæ tribuuntur, ac singularium ratio.*

Nu.48. VÆDAM, vt facientia ad nostrum institutum, de synderesi & conscientia attingenda sunt. Primum est, synderesim & conscientiam ex D. Thoma 1. parte & in quæstionibus de veritate: *illic quæst. 79. art. 12. & 13. & hic quæst. 16. & 17. vtrobique art. 1.* inter se ita distingui, vt synderesis sit habitus, seu habituale lumen menti nostræ insitum à natura, quo clarè perciperet in seipsis prima principia practica, ex quibus posset ratiocinando iudicare in particulari de eo quod voluntati sequendum est tanquam bonum: vel fugiendum tanquam malum: sicut de eo quod approbandum est vt verum, vel reiiciendum vt falsum, eadem iudicat ratiocinando ex primis principiis theoreticis, quæ per intelligentiam, tanquam per habituale item lumen, innotescunt sola terminorum ex quibus constant apprehensione. Conscientia verò sit scientiæ applicatio ad actiones in particulari: seu particula re iudicium, quo mens nostra secundùm ea quæ per synderesin nouit, statuit in particulari aliquid agendum vel non agendum esse. Id quod post D. Thomam D. Antoninus *1. par. tit. 3. cap. 10. sub initium*, istiusmodi exemplo illustrat. Cognito per synderesim quod omne malum sit fugiendum, & per rationem superiorem, quod omne adulterium sit malum, quia lege diuina prohibitum: aut per inferiorem, quia turpitudinem apertam continet: conscientia iudicat, aut potius iudicium est, quòd adulterium illud ad quod voluntas solicitatur, sit fugiendum tanquam malum.

Duo de synderesi notanda.

Sectio Prior.

Nu.49. SEcundum est, synderesim in ordine ad peccatum, opponi sensualitati: cùm hæc alliciat voluntatem ad peccatum, à quo illa eam retrahit. Ex quo retrahendi munere, synderesi ipsi conuenit quod ei tribuitur, vt esse non possit principium peccati. Nam si de se, naturáque sua resistit peccato, ab eóque retrahit, fieri non potest vt ad illud inducat, & sit illius principium. Conuenit etiam consequenter quòd errorem in se recipere non possit: quandoquidem recipiendo, aut bonum aliquod tanquam malum, fugiendum esse dictaret: aut malum aliquod tanquam bonum sequendum, quodquidem esset ad peccatum inducere. Quod vtrumque docet D. Thomas in qu. 16. De veritate art. 2. & 3.

Si opponas conscientiam interdum erroneam esse, quod fieri non potest quin synderesis errorem admittat: cùm ex antedictis, conscientia sit particulare iudicium de aliquo agendo vel non agendo factum ex vniuersali propositione practica cognita per habituale lumen quod dicitur synderesis.

Nu.50. Respondetur cum D. Thoma in sequenti quæst. 17. art. 2. tale iudicium dupliciter fieri posse: vno modo applicando particulare vniuersali, sub quo directè in iisdem terminis continetur: vt fit iudicando istud quod malum esse scio, agendum non esse: quia manifestum est naturali lumine nullum malum esse agendum. Altero modo sub vniuersali propositione per synderesim nota, subsumendo aliquam minus vniuersalem quam suppeditet vel ratio superior, vel ratio inferior: vt synderesi proponente malum esse illud omne quod à Deo prohibetur: ratione verò superiore, subsumente vsuram esse à Deo prohibitam conscientia concludit, & iudicat, Non debeo hanc meam pecuniam dare ad vsurā. Priore igitur modo, vt synderesis, ita & conscientia errorem non admittit: sicut nec in Theoreticis contingit errare circa particularem propositionem, si non contingat error circa vniuersalem, sub qua directè continetur; vt circa hanc, Totum illud, est maius sua parte: perinde contingit neminem decipi, ac circa hanc, Omne totum est maius sua parte. Posteriore verò modo errare potest conscientia. Namque in practicis, perinde ac in theoreticis accidit, conclusionem falsam esse ex eo, quòd in syllogismo peccetur, vel ratione formæ, per malam consequentiam: vel ratione materiæ; nimirum sub maiore sumptione pertinente ad synderesim, semperque verā: subsumendo aliquam minorem falsam, vel malè intellectam In exemplum adfert D. Thomas hunc syllogismum quorumdam hæreticorum: Omne prohibitum à Deo, est malum, & fugiendum: Omne iuramentum est prohibitum à Deo, verbis illis Matth. quinto. Ego autem dico vobis non iurare omnino:] Ergo omne iuramentum est mihi fugiendum vt malum. Ex cuius syllogismi sumptione minore malè intellecta, formatur conscientia erronea de conclusione, quæ cùm falsa sit, putatur vera.

Tertium est, synderesim, quia naturalis est animæ *Nu.51.*
nostræ, tanquam lumen ei à Deo authore suo, inditum ad cognoscenda bona, *sicut & intelligentia ad cognoscenda vera*; non posse quidem extingui quoad se: vt patet ex eo, quòd maneat in damnatis, quorum vermis ex Isaiæ cap. vltimo, & Marci cap. nono, non moritur, id est, *vt D. Thomas ex D. August. habet in memorato art. 3.* in quibus est perpetuus conscientiæ remorsus, causatus ab insita synderesi, *quæ malo resistere nata iis quibus seruire non potest ad respiscentiam, seruiat ad pœnam*: posse tamen impediri quoad actum suum inducendi ad bonum, vel retrahendi à malo: sicut lumen Solis quod nequit quoad se extingui per Lunæ interpositionem, *vt patet ex ipsius eclipsi*, impeditur quoad effectum suum illuminandi.

Prouenit verò talis synderesēos impedimentum, *Nu.52.*
nonnumquam ex defectu in organo corporeo, cuius ministerium necessarium est rationi, ad liberum suū de rebus iudicandi vsum: qualis defectus est in infantibus, amentib. & huiusmodi aliis, iuxta antedicta lib. 11. 36. Nonnumquā etiam prouenit ex aliqua passione appetitus sentientis, vel ex aliquo vitioso habitu voluntatis, rationem ita deprimentis ad aliquod particulare, *vt quasi in eo absorpta*, decernendo ipsum esse agendum, non applicet ei generale synderesēos iudicium: aut certe (pro quantitate scilicet passionis aut habitus vitiosi) non applicet, tam plenè, tamque constanter quàm deberet. Itaut menti in hac re idem vsuueniat, quod lipientibus oculis respectu luminis lucernæ videmus vsuuenire: nempe vt quo magis eo vitio laborant, eò minus istud admittant.

Ex quo quasi fonte oritur: quod quidam iuxta *Nu.53.*
Psal. 52. Corrupti & abominabiles facti in iniquitatibus, peccent sine conscientiæ remorsu: etiamsi, & quoad rationem superiorem, lege diuina; & quoad inferiorem, bonis rationibus humanis in contrarium instructi sint. Causa enim est, quòd mente ipsorum inordinato affectu, aut vitioso habitu obuolutā, quasi densa caligine; synderesis impediatur suum quasi micantem radium diffundere vsque ad actum particularem, cui ineſt ratio peccati. Atque vt in Sanctis edomitā sensualitate, longo virtutis vsu; synderesis liberrimè suo munere fungitur: sic in sceleratis *prævalente sensualitate, longiore vitiorum vsu*, illa sic opprimitur, vt nullo suo munere vtatur: contingátque illud

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod in Prouerbiis cap. 18. dicitur: Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnet. Nonnunquam demum prouenit ex subsumptione falsa aut malè intellecta, quam ratio siue superior, siue inferior in syllogismo practico interponit inter syndereſim & conſcientiam: impediens ne per hanc, iudicium illius vniuersale ad actum particularem eo modo applicetur, quo paulo ante expositum est.

Vnde notat D. Thomas in eod. art. 3. ad 2. in hæreticis conſcientiam non remurmurare infidelitati ipsorum; eo quod error qui est in ratione superiore ipsorum, dum scilicet non credunt de aliquo articulo quod sit reuelatus à Deo, impediatne vniuersale syndereseos iudicium, quo dictatur malum esse non credere iis quæ à Deo dicuntur: per conſcientiam applicetur ad talem incredulitatem. Sicque quia conſcientiæ remorsus non est natus aliunde sequi, quàm ex istiusmodi syndereseos applicatione, mirum non est, si vbi ea non fit, nullus sit talis remorsus.

Duo alia notanda de conſcientia.

Sectio Posterior.

Nu.54. QVartum est, de quo D. Thomas in quæst. 17. de verit. art. 1. conſcientiam, quæ per syndereſim habetur, applicari tribus modis ad actum particularem. Primò, ad ferendum testimonium super eum, quòd sit vel non sit factus. Secundò, ad iudicium de eo ferendum, quòd sit bene vel male factus. Tertiò, ad præscribendum quòd debeat vel non debeat fieri de cætero: Vnde est quòd ipsius conſcientiæ officia constituuntur in triplici differentia: aliáque ei per modum testis tribuuntur, vt testificari pro nobis, & testificari contra nos; dictando scilicet nos feciſſe vel nó feciſſe aliquid; sic Gen. 43. dicitur, Non est in conſcientia noſtra quis posuerit eam (*pecuniam intellige,*) in marsupiis noſtris.] & Eccleſiastis. 7. Scit conſcientia tua quia tu crebro maledixisti aliis.] & ad Rom. 9. Testimonium mihi prohibente conſcientia mea.] & 2. ad Corinth. 1. Gloria noſtra hæc est testimonium conſcientiæ, quòd in simplicitate & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali: sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.] & demum in cap. Custodi 11. quæst. 3. ex D. Auguſt. Quando Deus erit Iudex, alius testis, quàm conſcientia tua, non erit inter iustum Iudicem, & conſcientiam tuam. Noli timere nisi causam tuam.]

Nu.55. Alia verò officia tribuuntur conſcientiæ, per modum Iudicis: vt accusare, defendere, redarguere, excusare, remordere; postquam enim per testimonium conſcientiæ aliqua facta esse conſtat; per eiusdem iudicium examinantur ad legis æternę regulam: inuentoque quod ab hac discrepent, accusantur, & voluntas eorum author, redarguitur. Vnde hæc tristitiam inquietudinémque concipit, quæ conſcientiæ remorsus nominatur. Inuento verò quòd conformia sint legi æternæ, defendit ea vel excusat: indéque sequitur voluntatis requies quæ conſolatio appellatur ex D. Anton. 1. part. titulo 3. cap. 10. §. 5. De quibus officiis mentio est Sapien. 17. cùm dicitur: Frequenter præoccupant peſſima, redarguente conſcientia: cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæua, perturbata conſcientia.] Et in epist. ad Rom. cap. 2. cùm dicitur testimonium reddente illis conſcientiâ ipsorum: & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium.] Adde illud ex D. Gregorio relatum 11. quæst. 3. cap. In cunctis. Quem conſcientia defendit, liber est inter accusationes, & sine accusatione esse non potest, si sola quæ interius addicit, *id est condemnat*, conſcientia accuset.

Alia denique officia tribuuntur conſcientiæ per *Nu.56.* modum legislatoris vel conſiliarij, vt obligare, retrahere, absoluere, mitigare & instigare. Nam quando conſcientia dictat aliquid agendum esse vel omittendum, dicitur obligare: quando verò dictat aliquid esse sub peccato, aut de conſilio omittendum dicitur retrahere: quando autem dictat nos nullo modo teneri ad aliquid agendum, vel omittendum, dicitur absoluere, quando porro dictat nos non teneri ad aliquid agendum vel non agendum, nisi de conſilio & quadam æquitate, dicitur mitigare: quando denique dictat aliquid agendum tanquam medium vtile ad aliud, aut tanquam securius, dicitur instigare.

Quintum est, conſcientiam ex variis conditioni- *Nu.57.* bus, quas admittit, varias sortiri appellationes. Ex vna parte enim dicitur tum bona, tum pura, tũ syncera, tum etiam tranquilla. Bona quidem, quatenus dictat bonum & retrahit à malo; purá verò, quatenus facta examinatione se inuenit vacuam à crimine; quo modo ad eam pertinet illud Eccleſiaſtici 13. Bona est substantia, cui non est peccatum in conſcientia: id est, substantia quæ neque acquisita neque retenta est iniustè. Syncerà porro, quatenus coniunctam habet simplicitatem intentionis, vt in D. Paulo ex citatis verbis 2. ad Corinth. cap. 1. Tranquilla denique, quatenus nec scrupulis, nec remorsu agitatur.

Ex parte verò contraria, dicitur tum mala, tum inquinata, tum cauteriata: tum etiam inquieta. Atque mala, quatenus dictat malum: & inquinata, quatenus facta examinatione, se inuenit cum peccato: quo modo ad eam spectat illud Apoſt. ad Titum 1. Inquinatæ sunt eorum mens & conſcientia: item cauteriata (quo modo vocatur ab eodem Apoſtolo in cap. 4. prioris ad Timoth.) quatenus corrupta est, & quasi adusta igne concupiscentiæ, estque metaphora sumpta à malefactoribus, quibus ferro candenti cutis inuritur in signum perpetrati delicti & infamiæ: ac demum inquieta dicitur, quatenus agitatur scrupulis vel remorsu, aut desperatione de salute, propter peccata commissa: aut præsumptione de malis sibi euenturis, iuxta illud Sapien. 17. Semper præsumit sæua, perturbata conſcientia.]

Præterea dicitur conſcientia tum recta, tum erronea; recta quidem, quatenus per illam homo de eo quod agere vel omittere debet, iudicat vt par est: sicut facere censetur, dum sequitur id quod certò & euidenter nouit aut saltem credit (*si tale est quod à viro prudente credi debeat*) agendum esse vel omittendum. Erronea verò, quatenus per illam, secus quàm par est, iudicat; vt solet facere ex aliqua ignorantia.

Denique conſcientia dicitur tum certa, tum dubia, tum etiam scrupulosa. Certa quidem, quatenus determinatè & absque hæsitatione iudicat aliquid esse agendum vel non esse agendum. Dubia verò minus propriè sumpta seu probabilis quatenus determinatè quidem iudicat aliquid esse faciendum, sed non sine hæsitatione ac formidine de contrario: nempe an potius non sit faciendum. Dubia verò propriè & presse sumpta, quatenus ita hæret fluctuátque circa aliquid an faciendum sit nécne, vt neutri parti assentiatur. Scrupulosa denique, quatenus adhæret quidem vni parti, sed ob leue aliquod argumentum, cuius non occurrit solutio, vel ex aliqua animi infirmitate, facit, id cum anxietate quæ animam ipsius torquet.

CAPVT

CAPVT VII.

De naturali obligatione conformandi voluntatem noſtram cum diuina.

SVMMARIVM.

58 *Ratio peccati reſpectu legis naturalis, vnde contingat in actione humana.*
59 *Diuinæ voluntatis distinctio in præcipientem, prohibentem, conſulentem, permittentem & operantem: ac noſtræ, in deliberatã & in indeliberatam.*
60 *Modi quibus poteſt noſtra voluntas diuinæ conformari.*
61 *Voluntas noſtra ex obligatione, conformanda est diuinæ præcipienti aut prohibenti, non item conſulenti.*
62 *Quatenus ex obligatione conformanda sit permittenti.*
63 *Eam in re volita conformare diuinæ operanti, non est obligatio.*
64 *Poteſt idem esse iuſtæ volitionis, & iuſtæ nolitionis obiectum: idque qua ratione.*
65 *Homo poteſt suam voluntatem diuinæ operanti conformare, etiam quando ea est contra particularem finem, quem ipse tenetur velle.*
66 *Voluntas noſtra à voluntate diuina poteſt in re volita diſcordare, tantùm conditionatè.*
67 *Voluntas noſtra diuinæ operanti, ex obligatione conformanda est, in actu volendi: non item in modo volendi: & quo modo in ratione volendi.*

Nu.58. RESPECTV legis naturalis, in actione humana ratio peccati ex eo cõtingit, quòd libera hominis voluntas teneatur in agendo conformare se diuinę voluntati obligatoriæ, tanquam supremo suo motori: quódque practicum iudicium de agendis, vel non agendis, tam vniuersale per syndereſim, quàm particulare per cõſcientiam, sit quasi præco à Deo destinatus ad significandam ostendendámque nobis illam suam diuinam voluntatem: vnde fit vt noſtram voluntatem teneamur eidem iudicio conformare: non quidem tanquam imponenti obligationem, sed tanquam ostendenti impoſitam: sicut præconi regio promulganti Regis edictum, obtemperatur, non tanquam imponenti, sed tanquam ostendenti, impoſitum à lege obligationem.

Quod tamen non obstat, quin à tali iudicio discordare, voluntati noſtræ poſſit contingere, propterea quòd ipsum non est semper ita verum & certum, vt sufficienter ostendat nobis Dei voluntatem obligatoriam: sed plerumque, est saltem dubium. Ac quantumcumque verum sit ac certum, plerumque tamen fit vt voluntas ipsa contrarium sequatur, ob naturalem societatem, quam habet cum appetitu sentiente; qui per intermediam phantaſiam excitat in intellectu practico, iudicium recto contrarium: quod ab eodem appetitu illecta voluntas, pro sua in agendo libertate, sequitur potius, quàm alterum rectum.

Id autem tripliciter fieri poteſt. Primò, cùm quis ante excitatam paſſionem rectè iudicauit de eo quod agendum vel non agendum fuit: sed illa excitata aliter iudicat. Secundò, cùm quis in vniuersali rectè iudicans, in particulari ex aliquo depraúato affectu malè iudicat: vt ille qui credens furtum de se malum esse; ex affectu inordinato quem ad rem aliquam habet, iudicat eam sibi hic & nunc furandam esse. Tertiò, cùm quis secundùm rectam rationem in particulari iudicat aliquid malum esse: vt in hoc tẽpore & loco malum esse comedere carnes, quia prohibitum est ab Eccleſia: secundùm sensualitatem verò, item in particulari iudicat contrarium: vt bonum esse hoc tempore & loco carnes comedere, quia id delectabile est.

Iam cùm non omnis Dei voluntas, etiam nobis patefacta, obligatoria sit, ac cui teneamur sub peccato voluntatem noſtram conformare in agendo: neque conſcientia illam quatenus obligatoria est, similiter, eodémue modo semper ostendat: sed interdum verè ac sufficienter, vt cùm est conſcientia recta & tranquilla; interdum falsò, vt cùm est erronea; interdum insufficienter, vt cùm est dubia; interdum denique cum aliqua hæsitatione anxietate, *atque* vt quando censetur scrupulosa. Cùm inquam hæc ita sint: ad plenam notitiam rationis iudicandi de peccatis ex lege naturali, restat vt quatuor doceamus. Primum est quatenus ex obligatione, voluntas noſtra debeat diuinæ conformari. Secundum, quatenus conſcientiæ erroneę. Tertium, quatenus conſcientię dubiæ. Quartum quatenus conſcientiæ scrupulosæ. Simpliciter debere conformari conſcientiæ rectæ, satis constat.

Quatenus debeat ex obligatione voluntas noſtra diuinæ conformari.

Sectio I.

Nu.59. PRænotandũ est primò, diuinam voluntatem, quæ in se simpliciſſima est, ex præcepto, prohibitione, conſilio, permiſſione, & operatione Dei (ex quibus tanquam ex suis signis innotescit nobis) distingui in præcipientem, prohibentem, conſulentem, permittentem & operantem. De qua re D. Thomas 1. *par. quæſt.* 19. *art.* 12. vbi Caietanus versum hunc habet eadem signa iudicantem.

Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet.

Prænotandum est secundò, voluntatem noſtram, quæ in se vna est, ex duplici modo quo in obiectum suum tendit: *nempe abſque deliberatione, & antegreſſa deliberatione rationis*; distingui in deliberatam & indeliberatam: de illáque tantùm sermonem hîc esse.

Nu.60. Prænotandum tertiò conformitatem de qua agimus, humanæ voluntatis cum diuina (*conſiſtentem in conſenſione illius cum hac*) posse esse aut in actu volendi; vt cùm volumus id quod Deus vult nos velle: aut in modo volendi, vt cùm sicut Deus vult ex charitate operari, ita & nos volumus ex charitate operari; aut denique in ratione volendi, seu in motiuo voluntatis: vt cùm volumus aliquid propter eumdem finem, propter quem Deus illud vult. Quibus ita posiris ad rei propositæ explicationem, sequentes regulæ seu propositiones practicæ statuuntur.

Reſponſio quoad diuinam voluntatem præcipientem, prohibentem, conſulentem, aut permittentem.

Sectio II.

Nu.61. PRima est, voluntatem noſtram deliberatam, debere ex obligatione conformari diuinæ voluntа-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ti præcipienti, vel prohibenti aliquid. Ratio patet; quia istiusmodi voluntas diuina, est ea qua Deus vult nos teneri ad aliquid agendum, vel ad non agendum; ac quæ præceptis ipsius est expressa, ac nobis intimata: voluntas quidem præcipiens præceptis affirmatiuis, & prohibens, negatiuis prout lib. vi. expositum est cap. 4. in declaratione regulæ. 3.

Secunda propositio est, hominem non obligari ad conformationem suæ voluntatis cum diuina consulente. Ratio est quia consulens nõ imperat, nec vult obligare ad obseruationem eius quod consulit; sed illud relinquit in arbitrio ex cap. Quisquis. 14. quæst. 1. alioqui nihil esset in quo consulens à præcipiente distingueretur.

Nu. 62. Tertia propositio est: voluntatem nostram, diuinæ mala permittenti conformandam quidem esse hoc nomine, quòd nobis placere debeat Deum illa permittere, pro ea quam gerit omnium rerum vniuersali prouidentia (per quam, Deut. 32. de illis tanquam mel de petra, oleúmue de saxo durissimo nouit multa bona elicere) non tamen hoc nomine, quòd talia mala nobis placere debeant, neque debeamus eis obsistere. Prior pars confirmatur: quia nolle, seu repudiare aliquid, quatenus Deus illud vult, est repudiare diuinam voluntatem: quod bene, & honestè fieri non potest. Cùm enim quidquid Deus vult, semper velit propter bonum aliquem finem, & sub ratione boni, nemo potest bene, & honestè nolle id, quod Deus vult, sub ea ratione qua illud vult. Posterior verò pars ex eo patet: quòd per talem permissionem, non innotescat nobis Deum velle, vt talia mala velimus; immo ex ipsius præceptis intelligatur oppositum: hoc est, velle vt nolimus talia mala: eáque quantum possumus impedianus. Sic etiamsi constet nihil in mundo accidere, nisi Deo permittente: non ideo tamen quis videns domum suam, vel proximi conflagrare, tenetur id velle, sed potius nolle, & quantùm potest cõflagrationem impedire, Sicut & filius videns patrem diuina permissione in necessitate constitutum, tenetur ei subuenire ad illam depellendam. Et maritus aduertens vxorem se aliis prostituere, tenetur eam impedire: & sic de aliis infinitis.

Responsio quo ad diuinam voluntatem operantem.

Sectio III.

Nu. 63. QVarta propositio est: non obligari hominem ad voluntatem suam cum diuina operatione conformandam in re volita: hoc est, non teneri velle aut nolle aliquid, eo ipso quòd Deus velit, aut nolit illud facere. Hæc manifesta est quando talis Dei voluntas fuerit incognita, cùm impossibile sit incognito conformare voluntatem suam, quæ fertur tantùm in cognitum, neque ad impossibile quisquam obligetur. Hinc Abrahamus rectè voluit immolare filium suum, quod Deus nolebat, vt euentus docuit. Et Dauid rectè voluit ædificare templum, & D. Paulus stimulo carnis carere, quod Deum nolle ipsis postea iudicatum est. Quando verò nota quidẽ fuerit voluntas diuina, sed non perfectè: vt quando non constat, comminandóne tantùm, an etiam asserendo Deus proponat se aliquid velle facere (prout accidit Niniuitis Ionæ 3.) neque hominem teneri ad dictam conformitatem, constat ex eo, quod Dauid 2. Reg. cap. 12. ieiunauerit, & orauerit pro filio suscepto ex adulterio, ne moreretur: cùm prius à Nathan propheta didicisset illum Dei voluntate esse moriturum.

Immo neque teneri etiamsi fuerit perfectè nota, patet per illud quòd Act. 21. Christiani bona voluntate nolebant D. Paulum Ierosolymam proficisci, ne paterentur ea, quæ per Agabum prophetam didicerant ipsum esse passurum. Et quòd idem D. Paulus *ex cap. 1. epist. ad Philipp.* cupiebat dissolui & esse cum Christo: sciens aliam esse Dei voluntatem, prout ipse insinuauit, cùm paulo post dixit: Scio quia manebo & permanebo vobis omnibus.] Accedit ratio: quia voluntas diuina, cui tanquam propriæ regulæ nostram conformare tenemur, non est ea qua ipse vult facere vel omittere aliquid: sed qua vult nos velle aliquid facere vel omittere: Quod à simili confirmatur. Religiosus enim tenetur suam voluntatem cum voluntate sui Prælati conformare in iis, in quibus subiicitur: sicut omnes homines tenentur in omnibus suam voluntatem conformare cum diuina. Quare sicut Religiosus non obligatur suam voluntatem conformare cum voluntate sui Prælati, nisi cùm hæc illi proponitur tanquam iniungens aliquid volendum, aut nolendum: faciendum, aut non faciendum: ita nec communiter tenentur homines suam voluntatem conformare cum diuina, nisi proponatur illis tanquam volens ipsos aliquid velle aut nolle facere; aut non facere.

Nu. 64. Hîc autem quædam obseruare oportet. Primum est, idem ob diuersos fines posse licitæ volitionis, & licitæ nolitionis obiectum esse: vt passio Christi quatenus fuit afflictio innocentis, est obiectum licitę nolitionis: quatenus autem fiat redemptio humani generis, obiectum est licitæ volitionis. Vnde intelligitur, quomodo id quod est obiectum rectæ volitionis diuinæ, possit quoque esse obiectum rectæ nolitionis humanæ. Nam id quod Deus, *respiciens vniuersalissimum finem rerum omnium, quarum habet prouidentiam*, iustè ac sanctè vult, homo respiciens finem aliquem particularem honestum, potest licitè nolle: sicut mortem homicidæ quam Iudex iustè vult respiciens, *vt ex officio tenetur*, bonum commune tanquam finem: vxor eiusdem homicidæ, *quæ non commune bonum reip. sed priuatum suæ familiæ ex officio respicit*, potest licitè talem mortem nolle.

Nu. 65. Secundum est, hominem posse licitè conformare suam voluntatem diuinæ operanti: volendo scilicet fieri, quod Deus facit. Ratio est: quia cùm certum sit, Deum qui operatur, idipsum velle propter motiuum honestissimum, & aliquem finem optimum; etiamsi ignoremus quodnam sit tale motiuum, ac quisnam talis finis: sanè sẽper possumus illud, quod Deus vult, eatenus velle, quatenus ipse idipsum vult: seu in communi velle propter motiuum, & finem propter quem Deus illud idem vult.

Tertium est: cùm id quod Deus vult, est contra particularem aliquem finem, quem homo tenetur velle, si talis diuina voluntas cognoscatur, eum cui cognita est, non teneri illud nolle, sed posse ipsi diuinæ voluntati contrariæ se conformare. Sic filius non tenetur velle æternam salutem patris sui mortui in hæresi, aut in alio peccato mortali: quem sit Dei voluntate absoluta, addictum esse æternæ miseriæ.

Nu. 66. Quartum est actus nostræ voluntatis, à voluntate diuina discordantis in re volita, non esse absolutos, qui explicentur per verba Volo, aut nolo id fieri: sed conditionatos, qui explicentur per verba, vellem, aut nollem id fieri. Ratio est: quia opera Dei non sunt fita in nostra potestate: nec vmquam voluntas nostra fertur absolutè in id, quod ei, vt non situm in sua potestate, seu vt impossibile proponitur, sed fertur tantùm

tantùm conditionatè: nempe si fieri posset: hoc est, vult tantùm cum hac conditione si per impossibile, alia, quàm est Dei voluntas, esset: vt vsuenit ei qui dicit vellem, aut nollem illud si ita Deo placeret.

Nu. 67. Quinta propositio est: voluntatem nostram debere diuinæ operanti conformari in actu volendi; hoc est, debere velle, aut nolle quidquid vult Deus, illam velle aut nolle, etiamsi id tale esset, quod Deus ipse nolit: vt Abrahamus debuit velle sacrificare filium suum; quod Deus voluit ipsum velle: quamuis, *vt euentus docuit*, ipse nollet talem voluntatem executioni mandari. Quam propositionem ratio confirmat, quia talis voluntas Dei, est regula ad quam tenemur nostram conformare: quandoquidem est ea quæ præcipientis vel prohibentis habet rationem.

Sexta propositio est; non obligari hominem ad voluntatem suam diuinæ conformandam in modo volendi: seu non teneri semper velle ex charitate, ex qua Deus vult. Hæc ex eo probatur, quòd talis obligatio nec sit ex natura rei: quia nihil alioqui homo charitate destitutus velle posset sine peccato, quod absurdum esse patet per antedicta, lib. 12. num. 15. nec item sit ex aliquo præcepto: quia nullum extat quod nos obliget ad volendum semper ex charitate.

Vltima propositio est; hominem obligari ad voluntatem suam diuinæ conformandam in formali ratione volendi. Cùm autem hæc duos sensus habere possit: alterum debere hominem quidquid vult, necessariò velle propter gloriam Dei: propter quam ipse vult omnia, quæ vult. Alterum debere hominem quidquid vult, necessariò velle propter aliquem finem Deo gratum: qualis est non tantùm ipsa Dei gloria, sed etiam quicumque alius finis honestus, & medio quo quæritur aptus: isto posteriori sensu illa intelligenda est iuxta fusiùs antedicta *in eodem & 12. præsertim cap. 3.* de fine debito actuum humanorum.

CAPVT VIII.

De conscientia erronea quatenus ex obligatione voluntas nostra debet ei conformari.

SVMMARIVM.

68 *Conscientia erronea quædam excusabilis, & quædam inexcusabilis est: & nonnunquam per modum consilij, nonnunquam per modum præcepti contingit.*

69 *Obligatio est non contraueniendi conscientiæ erroneæ, quantumcumque ea sit culpabilis.*

70 *Quale peccatum sit, quod committitur agendo contra conscientiam erroneam.*

71 *Obligatio est conformandi se conscientiæ erroneæ inuincibili præcipienti, aut prohibenti.*

72 *Id quod sit per talem conformationem, etiamsi dici possit opus bonum, ad illud tamen inducere non licet.*

73 *Non licet conformare se conscientiæ erroneæ vincibili præcipienti, aut prohibenti, sed ea deponenda est.*

74 *Liberum autem est sequi vel non sequi consulentem: & quæ sit obligatio eam deponendi.*

75 *Depositio conscientiæ erroneæ sine causa ex sola animi libidine, quatenus à peccato excusat.*

76 *Septem causæ ex quibus prouenit error conscientiæ.*

77 *Conscientiæ perplexitas nunquam contingit ex rei difficultate, sed tantùm ex hominis fatua opinione.*

78 *Quo modo ex cordis puritate error oriatur.*

PRÆNOTANDVM est, conscientiam erroneam procedere vel ex ignorantia vincibili, & dici culpabilem, siue inexcusabilem: vel ex ignorantia inuincibili, & dici inculpabilem, siue excusabilem. Ratio est, quoniam illa, sicut & ignorantia ex qua prouenit, contingit circa illud quod homo potuit, & debuit scire: hæc verò circa illud quod non potuit, vel non debuit scire. *Nu. 68.*

Prænotandum est secundò, conscientiam erroneam, iudicando de rebus agendis secus quàm par est, posse contingere dupliciter: primò quidem per modum consilij & liciti: nempe dictando bonum, licitúmque esse aliquid facere, cùm sit illicitum: vel contra. Secundò verò, per modum præcepti, vel prohibitionis; nempe dictando aliquid faciendum vel omittendum esse sub præcepto, & cum obligatione ad peccatum; vel contra: cùm secus res se habeat. Quod rursus potest contingere, aut circa actiones indifferentes: nimirum has proponendo tanquam præceptas à Deo, vel prohibitas, cùm non sint: aut circa actiones de se bonas; nempe dictando eas esse à Deo prohibitas: aut demum circa actiones de se malas, dictando eas bonas esse. Quibus ita positis sequentes regulæ, seu propositiones practicæ generales statuuntur ad rei propositæ explicationem.

Obligatio non contraueniendi conscientiæ erroneæ.

Sectio I.

Nu. 69. PRima est, vt conscientiam rectam, sic & erroneam non modo inculpabilem, sed etiam culpabilem obligare voluntatem ad non contraueniendum eis, itaut peccet contraueniens. Hæc probatur: quia non tantùm qui facit, sed etiam qui credit se facere id, in quo displicet Deo, contemnit voluntatem & legem Dei, contra quam se facere putat: & per consequens reus est culpæ in Deum: sicut & ille reus est læsæ Maiestatis, non modo qui Regem, sed etiam qui eum, quem regem esse existimat, percutit, iuxta illud quod in cap. Cum voluntate De sentent. excõmunic. habetur, voluntate, & proposito maleficia distingui. Ille autem qui vult agere, aut agit contra conscientiam erroneam dictantem per modum præcepti, vel prohibitionis, vult agere, aut agit id, in quo credit se displicere Deo, ipsiusque voluntati, & legi contrauenire, vt patet à simili. Si enim præceptum Regis non veniret ad populum, nisi per certum aliquem præconem: hoc denuntiante aliquid præceptum esse à rege, etiamsi non esset, reuera populus contraueniens haberetur contemptor Regis. Pari ergo ratione, voluntas ad quam præceptum Dei non venit, nisi intellectu illud instar diuini præconis proponente: tenetur ipsi intellectui non contrauenire, quoties is proponit aliquid per modum præcepti, vel prohibiti: etiamsi non esset reuera præceptum vel prohibitum: siquc contraueniat, peccat: vt ex D. Paulo *ad Rom. cap. 14. & 1. Corinth. cap. 8.* discimus, peccasse in primitiua Ecclesia eos, qui carnes idolis immolatas comedebant contra conscientiam dictantem (erroneè tamen) id esse eis illicitum.

Nu. 70. Cæterùm contra conscientiam agere (vt D. Thomas docet *in quodlibet 8. art. 15.*) peccatũ est tale quale esse conscientia ipsa dictat. Ratio est: quia in tali actione, agens, quantum est in ipso, vult quale esse conscientia dictat, peccatum committere. Vnde si

cui

Universidad de Deusto Biblioteca

cui conſcientia dictet peccatum eſſe mortale in templo ſpuere,peccat mortaliter ibi ſpuendo: ſin eſſe veniale,peccat venialiter;niſi vt idem D.Thomas excipit, materia fuerit mortalis,& error culpabilis, tanquam proueniens ex ignorantia rei, quam poteſt quis, & tenetur ſcire. Nam in tali caſu etiamſi conſcientia dictet certum quid agere,peccatum eſſe tantummodo veniale,agens tamen peccabit mortaliter: ignorantiâ ipſum minimè excuſante,ſicut ſi inuincibilis eſſet. *De qua in præced.lib.* 11.*cap.3.egimus.* Itaque qui fornicatur, inquit D.Thomas, culpabiliter credens ſimplicem fornicationem tantùm eſſe peccatum veniale; non venialiter, ſed mortaliter peccat. Similiter ſi quis in templo ſpuere, putet eſſe contra virtutem Religionis, & præceptum de cultu vnius Dei, peccabit contra eamdem virtutem, & contra idem præceptum:ſícque de aliis id genus.

Quod ſi cui tantùm in genere, conſcientia erronea dictet aliquid eſſe peccatum, non definiendo mortaléne ſit,an veniale: aut ſítne contra hanc,an contra illam virtutem, contra hoc, an contra illud præceptum;iudicabitur de eo tanquam de actu, quo apud ſe ſtatuit quis committere aliquod peccatũ,nõ determinando hoc,vel illud:nimirum peccatum eſſe tantùm veniale,perinde ac ſi expreſsè dictaret veniale eſſe,vt Nauar.in Enchir. *præludio 9.num.9.*tradit.Et confirmat quia conſcientia dictans aliquid, vel peccatum eſſe veniale,vel ſimpliciter peccatum eſſe,non effundit in ipſum mortalem grauitatem,quam nullo modo dictat. Idem ſentientes Thomas Sanchez refert in opere morali *lib.1.cap.11.num.6.in fine*,contrarium ſequens aliquot aliis citatis. Sed ſufficit notare, eſſe hîc quoque addendam exceptioné, cuius paulo ante ex D.Thoma meminimus:vt quod prædictum eſt non procedat,cùm quis tunc exponit ſe probabili periculo peccandi mortaliter; id neſciens quidem,ſed culpabiliter:cùm debuerit ſcire, & potuerit mediocri diligentiâ adhibitâ in conſideratione propriæ infirmitatis.

Obligatio conformandi ſe conſcientiæ erroneæ inculpabili.

SECTIO II.

Nu.71. SEcunda propoſitio eſt: vt conſcientiam rectam, ſic & erroneam inculpabilem, aliquid agendum eſſe,vel omittendum dictantem per modum præcepti,vel prohibitionis,non tantùm obligare ad non agendum contra; ſed etiam ad agendum ſecundùm tale illius dictamen. Ratio eſt: quòd cùm nequeamus eiuſmodi conſcientiam deponere (vtpote naſcentem ex ignorantia inuincibili;ſic dictâ quod vinci,ſeu depelli nequeat) vt non peccemus ei contraueniendo, neceſſe eſt,vt illud amplectamur, quod ipſa dictat. Si obiicias inde ſequi, actionem,vel omiſſionem factam ſecundùm conſcientiam erroneam, etiamſi obiectum malum habeat moraliter, bonam eſſe.

Nu 72. Reſpondeo id non eſſe incommodum,cùm proueniat ex bona fide,& mala non ſit *ex cap.Si virgo 34. quæſt.2.* Nec refert quòd habeat obiectum de ſe malum: quia cùm voluntas cæca ſit,tantúmque moueatur in id, & ſub ea ratione, ſub qua ipſum illi ab intellectu proponitur, non poteſt verè dici mouere ſe in obiectum malum: cùm intellectus conſideratis quantum potuit prudenter circunſtantiis, illud tanquam bonum ei proponat: ſicut in Patriarcha Iacob coniunctio cum Lia propoſita eſt tanquam coniunctio cum vxore.

Inſtabis indè ſequi licitum eſſe de tali actu,vtpote bono,gaudere poſt ſuperatam ignorantiam.Reſpondeo de eo quidem quòd perpetratus ſit per ignorantiam inuincibilem, & per conſequens ſine peccato, licitum eſſe gaudere:non tamen de eodem ſecundùm ſe,poſt cognitam turpitudinem,qua inficeretur, niſi ignorantia excuſaret. Adde pari de cauſa,nec licere aliquem inducere ad talem actum, etiamſi per ignorantiam inuincibilem excuſandus eſſet à peccato. Quamquam ille à quo is per ignorantiam inuincibilem exercetur,relinqui poteſt in ſua bona fide, dummodo id non præiudicet tertio. Immo ſi ex admonitione ſcandalum aliquod immineret, malè faceret qui ipſum admoneret:vt poſt Adrianum, Nauar.tradit,*ad cap.Si quis autem De pœnitentia diſt.7.nu.71.& tribus ſequentib.* confirmatque per cap. Quia circa, De conſanguinitate:ex quo habetur illum qui credit matrimonium inter aliquos non valere, poſſe cum eis diſſimulare,quantumuis ſuperior ſit: immo & debere,quando ſcandalum immineret ex admonitione.

Quid tenendum ſit cùm conſcientia fuerit erronea culpabilis.

SECTIO III.

TErtia propoſitio eſt. Conſcientiam erroneam culpabilem, aliquid agendum,vel omittendum eſſe dictitantem per modum præcepti,vel prohibitionis,ita obligare hominem ad non agendum contra illam *iuxta antedicta*: vt non obliget ad agendum ſecundùm illam;ſed ad illam deponendam.Hæc probatur: quia non obligare ad agendum ſecundùm illam ex eo patet, quòd conſequenter obligaret ad peccatum:vtpote dictans licitum eſſe,quod illicitum eſt,neque à peccato excuſans agentem ſecundùm illam:vt D.Thom.1.2.*quæſt.*19.*art.*6. rectè ex eo deducit,quòd illi qui Apoſtolos occiderunt peccauerint, quantumuis error ipſorum (ſi quis alius culpabilis) videri maximè potuerit excuſare ipſos: cùm ex zelo diuini honoris procederet:iuxta illud *Ioan.*16. Venit hora, vt omnis qui interficit vos,arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.] Et ratio in promptu eſt; quia talis conſcientia non eſt iudicium,quale diſpectis, vt par eſt,circunſtantiis,prouenit à prudente, dum determinat de honeſtate,vel turpitudine eorum, quæ poſita ſunt in voluntatis arbitrio. Iam verò ſi ſecundùm talem conſcientiam agere non licet,cùm nec liceat agere contra illam, per præcedentem propoſitionem primam;relinquitur ſanè eam eſſe deponendam, quandoquidem nulla ſupereſt alia via peccati vitandi. *Nu.73.*

Aduerte autem iudicium conſcientiæ erroneæ ratione aliquâ conceptum, deponi debere per contrariam rationem, quæ probabilis ſit ſufficienter ad contrarium mentis aſſenſum, & ad rectam operationem. Temerè verò id eſt ſine iuſta cauſa ſuſceptum, poſſe ſine cauſa deponi:vt ſi quid ſtatim ac hæſit animo, iudicatum eſt malum,ipſumque abſque ratione probabili ipſumque conſiderando meliùs, deprehenditur eſſe iudicium nulla probabili ratione innixum: nulla contraria ratione opus eſt ad illud deponendum.

Quarta propoſitio. Conſcientiâ erroneâ vincibili aliquid dictante ſolùm per modum conſilij, & liciti (vt v. g. licere furari ad dandam eleemoſynam: aut mentiri ad eripiendum aliquem à morte) hominem non *Nu.74.*

non obligari ſimpliciter & determinatè,ad illam deponendam (ſicut cùm dictat per modum præcepti, vel prohibitionis) ſed diſiunctiuè,ac indeterminatè, vel ad eam deponendam,vel ad non conformandum ſe illi. Ratio eſt,quia homo non peccat non conformando ſe illi,cùm ad id non teneatur,vt nec ad conformandum ſe diuinæ voluntati, conſulenti ex proximè præced.cap. propoſitione 2. Et confirmatur ex eo, quòd talis conſcientia non dictet per modum imponentis obligationem, ſed per modum oſtendentis, quid ſi habeat, poſſit quis agere. Quare vt poteſt ſe à peccato immunem conſeruare illam deponendo; ita & ſe ei non conformando. Quanquam habita ratione generalis pręcepti,quo quiſque tenetur vitare omnem errorem moralem, tanquam occaſionem propinquam peccati (*vnde monet Sapiens Eccleſiaſtici* 17. *Non demoreris in errore*) de omni conſciẽtia erronea videtur abſolutè dicendum quòd deponenda ſit: *prout notat Cordubenſis in lib.* 3. *quæſtionarij,quæſt.4.propoſ.5.*

Nu.75. Obſeruatione autem dignum eſt quod Caietan. docet 1.2.*quæſt.*19.*art.*5.*&* 6. nihil intereſſe ob quam cauſam aliquis deponat conſcientiam erroneam, aut eam non admittat,vt excuſetur à peccato, quod illâ admiſſâ,& retentâ,agens alioqui committeret contra conſcientiam.Sic inquit,illa mulier quę audiuit concionatorem dicentem peccatum eſſe mortale vti capillis alienis,& nihilominus vtitur eis, nihil perſuaſâ rationibus ipſius:adeoque putans in ea re non malè facere,non peccat mortaliter. Quod dictum Nauar. approbat & commendat *ad cap.Si quis autem De pœnitentia diſtinct.7.num.62.*& ſequuntur aliquot alij,quos Thom.Sanchez in citato cap.11.num.9.in fine refert.

Ratio verò eiuſmodi doctrinæ eſt, quod peccatum commiſſum agendo contra conſcientiam erroneam,dependeat ab errore,per quem conſcientia dictat aliquid fugiendum eſſe tanquam peccatum, vel tanquam mortale, quod tale non eſt. Quare ſi is error, vel non admittatur (vt in exemplo propoſito) vel admiſſus non perſeueret:nulla ſuppetet ratio,ex qua id,quod in contrarium fit, cenſeatur vel peccatum eſſe abſolutè,vel peccatum eſſe mortale.

Sed aduerſus Caietan.obiicit Cordubenſis *in ſequenti quæſt.* 12. Ad rectè agendum moraliter, vitandumque peccatum, opus eſſe agere ex iudicio prudente;cùm temere agens exponat ſe errandi periculo; quod qui amat peribit in illo Eccleſiaſtici 3. Ille autem qui ex quacumque cauſa, adeoque ex ſolo affectu,& libidine agendi, conſcientiam,aut deponit, aut non admittit, *præſertim cùm fulta fuerit ratione*, non agit ex prudente iudicio,ſed temere,vt patet.Cui occurrendum eſt ſi quid ea ratio probet;eſſe quod agẽs eo modo peccet ſaltem ex negligentia, & defectu rationabiliter iudicandi de agendis à ſe, vel fugiendis, contra illud Prouerb. quarto, Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos:] non autem peccatum tale committere, quale conſcientia erronea dictabat; & committeretur ſi eadem admiſſa retentáque eſſet.

Cauſa ex quibus prouenit error conſcientiæ.

Nu.76. CÆterùm ex ſeptem cauſis vt à D. Antonino in prima parte tit.3. cap.10.§.3. notatum eſt,error conſcientiæ prouenit. Primò quidem,ex ignorantia, id eſt, ex eo,quòd mens apprehendat malum,ſub ratione boni,& bonum ſub ratione mali. Secundò, ex negligentia, id eſt, ex eo quod aliquis propter laborem,aut aliquas occupationes negligat addiſcere,vel quærere ab aliis id, per quod liberaretur ab errore. Tertiò, ex inordinato amore ſui, id eſt,ex eo quod aliquis ſe nimium amans, conſcientiam inclinet, præcipitetque ad illud quod appetit.Quartò,ex cordis puſillanimitate: qua quis id timet quod ſecundùm rectum rationis iudicium timendum non eſt, *iuxta illud Pſal.*13. *Illic trepidauerunt timore,vbi non erat timor.*]Hæcque cauſa,inquit D.Antoninus facit conſcientiam nimis ſtrictam, ac dicentem bonum eſſe malum,damnantemque ſaluandum: ſicut præcedens facit nimis largam,ac dicentem malum eſſe bonum, ſaluantémque damnandũ.Quintò,ex ſuperbia,id eſt, ex eo, quòd aliquis non humiliet intellectum ſuum ad credendum melioribus, eruditioribus,& ſuperioribus:de quib. dicitur Matth.23. Quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite.] Sextò, ex conſcientiæ perplexitate, id eſt, ex eo quod videat quis ſe conſtitutum inter duo operabilia, quorum alterutrum oportet agere, & quodcumque egerit peccabit. In quo caſu *ex cap.1.diſtinct.*13. inueſtigandum eſt puræ rationis acumine, quod ex eis ſit leuius,illudque eligendum. Quodquidem in ſequen. cap. 2. *paulo ante finem* declaratur ſimilitudine his verbis: Dum mens inter minora,& maxima peccata cõſtringitur, ſi nullus omnino ſine peccato euadendi aditus patet, minora ſemper eligantur: quia, & qui murorum vndique ambitu clauditur, ibi ſe in fugam præcipitat,vbi breuior murus inuenitur.

Circa quod aduerte primò numquam hominem redigi in eum ſtatũ, vt quidquid agat,peccare neceſſario debeat: alioqui enim, *quod abſurdum eſt*, daretur peccatum non liberum. Itaque ſi duo peccata concurrant, quorum alterutro ſit neceſſariò contraueniendum,non poteſt tunc vtrumque ſuam obligandi vim retinere, ſed minus cedit maiori: vt poſitiuum, naturali: & humanum, diuino. Aduerte 2. quod Gloſa ad princip. citatæ diſtin.13. oſtendit, & poſt eam D.Anto.loco citato: numquam talem perplexitatem (vt ſcilicet quidquid agat peccare debeat) homini contingere quoad rem, ſed tantùm quoad fatuã opinionem ipſius, qui ſe perplexum inuenit,eoquod velit in altero eorum duorum firmiter permanere. Quo modo is qui iurauit ſe occiſurum aliquem, perplexus eſſe poteſt, formando conſcientiam quòd ſi non occidat erit periurus:ſíque occidat erit homicida: talis enim perplexitas naſcitur ex fatua exiſtimatione,qua falsò putat ſe periurum fore, ſi non occidat. Quo ſimiliter modo perplexus eſt is in Paſchate,qui non vult odium deponere: videns vna ex parte, quod ſi in eo ſtatu communicet, peccabit mortaliter: ex altera verò,ſi non communicet, ſimiliter peccabit:quia violabit præceptũ Eccleſiæ obligans ad mortale. Námque talis perplexitas naſcitur ex propoſito, quo vult in odio perſeuerare: quo depoſito illa ceſſaret. *Nu.77.*

Septimò, & vltimò,poteſt oriri conſcientiæ error ex cordis puritate, ob quam ex cap. vltimo diſtin.5. homines bonarum mentium ibi etiam culpas ſuas agnoſcunt,vbi culpa non eſt: quoquidem modo, *inquit D. Antoninus*, conſcientia reprehenſibilis non eſt,ſicut præcedentibus modis:ſed laudabilis, vtpote dictans voluntati non modo quod facit ad iuſtitiam, ſed etiam quod ad iuſtitiæ perfectionem. Quodquidem,cùm plerumque ſit tale, vt ad ipſum agendum, vel omittendum nullum præceptum obliget: ea de cauſa bonæ mentes dicuntur, ibi etiam culpas ſuas agnoſcere, vbi culpa non eſt: nimirum conſcientiâ ipſorum dictante aliquid faciendum fuiſſe,ad quod nullum præceptum obligabat, ſed ſolummodo perfectionis ſtudium inuitabat: tanquam ad id de quo eſt ſalutare conſilium. Nu.78.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT IX.

De conscientia dubia, quatenus voluntas nostra debet ei ex obligatione conformari.

SVMMARIVM.

79 *Dubium aliud speculatiuum, aliud practicum, & quid vtrumque sit.*
80 *Dubium practicum triplex, & vnde oriatur.*
81 *Licet rationabili de causa agere contra conscientiam dubiam dubio speculatiuo.*
82 *Peccat agens id de quo practicè dubitat an sit illicitum, etiamsi non dubitet speculatiuè.*
83 *Peccat agens id de quo speculatiuè dubitat, nisi ex rationabili causa credat sibi idipsum licere.*
84 *Peccat id agens, de quo practicè dubitat, certus licitum sibi esse ab eo abstinere.*
85 *Quale sit tale peccatum, & quomodo impediatur.*
86 *Cum dubium est æquale in vtramque partem, liberum est, vtramuis eligere cum fuerit malum æquale, & æquè probabiliter imminens.*
88 *Aliàs minus malum est eligendum ad vitandum maius.*
89 *Ratio faciendæ talis electionis: cùm vnum malum est grauius, & alterum magis imminet.*

Nu.79. PRÆNOTANDVM est primò dubium de rebus agendis distingui in speculatiuum, & practicum: ac speculatiuum dici, cùm quis dubitat an aliquid illicitum sit absolutè: aut respectiuè quidem, sed quoad alios, non item quoad se, ob aliquam causam. Nam fieri potest vt quis credat aliquid illicitum esse absolutè, nec aliis licere illud facere vel omittere; & simul iudicet idipsum licere sibi ob aliquam conditionem, in se verè, aut sua saltem opinione existentem, non in aliis: vt v. g. quòd liceat sibi in Quadragesima carnes comedere propter infirmitatem, quam in se; nō in aliis, existimat sufficientem esse, vt excusetur ab obligatione præcepti Ecclesiæ, quo talis esus prohibetur. Practicum verò dubium dici, cùm quis dubitat, an aliquid sibi illicitum sit: id est, an liceat sibi hic, & nunc aliquid agere vel omittere: istudque est dubium quod constituit conscientiam dubiam, de qua in præsentiarum agimus. Cùm enim conscientia sit illud particulare iudicium practicum, quo cuique propria ratio interiùs dictat, hic & nunc aliquid esse agendum vel omittendum: sanè conscientia dubia nihil aliud esse potest, quàm ea, secundùm quam dubitat aliquis, an liceat sibi aliquid hic & nunc agere, vel omittere.

Nu.80. Prænotandum est secundò, dubium practicum triplex esse posse: vnum sine assensu in alterutram contradictionis partem: itaut æquale sit in vtramque: prout accidit, cùm sic pendemus animo, vt in vnam partem non inclinemus magis, quàm in aliam: sed fluctuemus ac hæsitemus, cui potius assensum adhibere debeamus. Alterum est cum aliquo assensu in vnam partem eòque tenui, & infirmo: vt accidit cùm quis de vna parte sic incertus est (v.g. sibi non licere bellum gerere) vt aliquo modo in alterius partis (v.g. sibi licere bellum gerere) inclinet assensum.

Tertium est, cum firmiore assensu in vnam partem: prout accidit, cùm quis de vna parte sic incertus est, vt de contraria tutus sit: vt v.g. sic incertus est licere sibi bellum gerere, vt putet se tuta conscientia posse non gerere.

Prænotandum est tertiò, dubium practicum interdum oriri ex variis opinionibus, quas in mente ingenerant, vel variæ Doctorum decisiones quoad factum vniuersè: vel variæ ex circunstantiis petitæ coniecturæ, quoad factum particulare? interdum verò oriri ex nuda ignorantia, vt in eo qui sic dubitat an liceat sibi aliquid agere vel omittere, vt destituatur omni ratione probabili, ex qua ferat iudicium. Quibus ita positis statuuntur aliquot propositiones practicæ de re proposita.

De conscientia dubia dubio speculatiuo.

SECTIO PRIOR.

Nu.81. PRima propositio est: Eum qui dubitat quidem speculatiuè, an aliquid illicitum sit, sed rationabili de causa non dubitat practicè (vtpote prudenter ex tali causa iudicans id sibi licere) posse voluntatem suam cum tali iudicio conformare: quod idem est, ac dubium speculatiuum non impedire quo minus quis sequi possit id, quod conscientia ex aliqua rationabili causa dictat in contrarium. Hæc, *quam ex Caietan. habet Nauarrus ad cap. Si quis autem, De pœniten. distinct. 7. num. 61.* probatur per illud quod in cap. Quid culpatur 23. quæst. 1. definitur, milites dubitantes, an bellum quod gerere iubentur à suo principe sit. iniustum: si quidem illud gerere, sibi licitum esse iudicent ex rationabili causa (qualis est quòd teneantur obedire Principis sui præcepto, quando certum non est illud esse contra Dei præceptum) posse eidem iudicio conformare suam voluntatem, atque adeo tale bellum gerere. Probatur quoque ratione: quia nec ignorantia, nec scientia impediunt quominus ex rationabili causa possit homo iudicare, ac credere aliquid esse sibi licitum, atqueadeo rectè voluntatem suam cum tali iudicio conformare in agendo: vel omittendo. Quare nec impedit dubitatio speculatiua. Antecedens, quod attinet ad ignorantiam, patet ex cap. Si virgo 34. quæst. 2. ex quo habetur virginem nescientem quod nupserit viro alieno, seu cui non potuit nubere, non peccare, dum per copulam carnaliter ei iungitur: sicut neque is peccat retinendo fundum alienum, qui nescit alienum esse. Cuius rei causa rationabilis ibidem redditur: quòd cùm tamdiu quisque bonæ fidei possessor dicatur, quamdiu se possidere ignorat alienum: illa non malè sed prudenter iudicat & credit, licitam sibi esse talem copulam, quia licitum est copulari proprio marito: quemadmodum hic prudenter iudicat licitam sibi esse talem possessionem, quia licitum est propria possidere: aut quia in dubio melior est conditio possidentis: iuxta cap. Ex literis, De probationibus. *De cuius accommodatione ad hanc rem legendus est Thomas Sanchez lib. 2. De matrim. disp. 41. quæst. 2.* Quod verò attinet ad scientiam idem antecedens patet ex eo, quòd Iudex (vt D. Thomas confirmat 2.2. *quæst. 67. art. 2.* & sententiam esse frequentiùs receptam notat Nauar. *in seq. num. 129.*) quamuis euidenter sciat aliquem esse innocentem, ideoque absolutè illicitum esse illum condemnare: tamen ex rationabili causa (vt est quòd ipse persona sit publica, ideoque sententiam ferre debeat secundùm sententiam publicam ex allegatis, & probatis) prudenter iudicet & credat sibi licere illum probatum nocentem condemnare; neque peccet voluntatem suam conformando tali iudicio. Adhæc quia nomine conscientiæ significatur particulare illud iudicium, quo homini intellectus suus dictat licitum sibi esse, hic & nunc aliquid agere vel omittere: dici non potest

potest propriè quòd in casibus propositis, ac in aliis similibus agatur contra conscientiam dubiam, aut etiam aliquatenus contra conscientiam: immo potius dici debet quòd agatur secundùm conscientiā, & eam rectam: quandoquidem agitur homine ex rationabili causa iudicante, firmiterque credente hic & nunc tale quid licitum sibi esse.

Nu.82. Secunda propositio est Quamuis quis speculatiuè certus sit aliquid esse licitum, si tamen practicè dubius sit: hoc est, dubitet an hîc & nunc id sibi liceat (vt vsuuenit ei qui scit licitum absolutè esse docere in die festo: sed dubitat, an id sibi in hoc die festo liceat) peccare idipsum agendo. Ratio est: quia voluntas applicatur ad actionem nō per speculatiuum, sed per practicum iudicium: eáque applicatio reddit actionem deformem, seu defectuosam, si non fiat eo modo quo debet: vt censetur non fieri, quando fit cum vacillatione applicantis, iuxta cap. Qui bona 17. quæst. 1. atque illud D. Iacobi cap 1. Qui hæsitat similis est fluctui maris qui à vento mouetur & circumfertur.] Quibus accedit ratio: quia facultas non potest in actum suum rectè exire, nisi sit ad vnum determinata. Quæ est doctrina Nauarri *in supra citato num. 61.*

Nu. 83. Tertia propositio est. Eum peccare qui agit illud de quo dubitat speculatiuè, seu an absolutè, & in se sit illicitum: neque ex rationabili causa prudenter sufficientérque ad moralem certitudinem expensâ, iudicat & credit sibi idipsum hic & nunc licere. Hęc probatur ex eo, quòd iuxta cap. Dominus, De secundis nuptiis: ea quæ dubitat de morte prioris coniugis: & iuxta cap. Inquisitioni, De senten. excommun. ea quæ dubitat de aliquo legitimo impedimento matrimonij, debitū exigere non possit: hoc vno nomine, quòd nulla detur rationabilis causa, ex qua iudicet & credat talem copulam, cùm absolutè illicita sit, non esse quoque respectiuè illicitam: vt quoad alios, sic & quoad se. Absurdum est enim, dubitātem absolutè, an aliquid sit illicitum, non dubitare pariter an sit sibi illicitum; nisi rationabilem habeat causam, ob quam prudenter iudicet & credat, sibi peculiariter licitum esse. Nam vt is qui absolutè scit aliquid esse peccatum, consequenter scit & sibi esse: ita qui dubitat absolutè (quandoquidem re existente dubia, non est danda certa sententia *ex cap. Graue 11. quæst. 3.*) consequenter & quoad se dubitat, nisi occurrat causa aliqua rationabilis non dubitandi. Quare sicut homo non potest absque peccato id agere, de quo practicè dubitat, sitne sibi illicitum, vt paulo post ostendetur: ita nec potest illud, de quo dubitat speculatiuè, seu absolutè: si nullam rationabilem causam habeat sub tali dubitatione formandi prudenter conscientiam, quod idipsum quoad se, sit licitum.

De conscientia dubia, dubio practico.

SECTIO POSTERIOR.

Nu. 84. QVarta propositio. Eum qui agit id, de quo practicè dubitat an sibi sit hic & nunc licitum, cùm de illius contrario sit securus: hoc est, sciat licitū sibi esse illud non agere, peccare agendo. Quod est conscientiæ dubiæ voluntatē nostram conformari non posse in eo cuius contrarium licitum esse, certò constat. Probatur: quia quicumque sine rationabili causa id agit in quo exponit se probabili periculo peccādi, cùm sciat se posse aliter facere, peccat; iuxta illud Ecclesiastici 3. Qui amat periculum peribit in illo. Sed talis est ille de quo loquimur, vt manifestum est. Ergo

is peccat. Deinde quicumque in agendo postponit amorem Dei alicui creaturæ, peccat: inordinata enim voluntate agit. At ille qui ob amorem sui vel alterius creaturæ, agit dubitans probabiliter se in agendo displicere Deo, interim certò sciens quòd cessando à tali actione, Deo non displiceret: postponit amorem Dei amori creaturæ: vt patet à simili. Quia si quis ob amorem Petri id agit, ex quo se perditurum amorē Ioannis dubitat, cùm sciat se hunc integrum conseruaturum, non agendo: manifestè ostendit se postponere amorem Ioannis, amori Petri.

Aduerte autem primò peccatum quod ista ratione committitur, tale esse, quale ipsum esse dubitatur iuxta regulam quam ex Gersone habet Nauarrus *ad memoratum cap. Si quis autem nu. 56.* Exponens se periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter: & exponēs se periculo peccādi venialiter, peccat venialiter. Aduerte secundò quæ dicta sunt antea *cap. 5. nu. 70.* ad explicandū quale peccatum sit quod committitur agendo cōtra conscientiā erroneā, similiter dici posse de peccato quod committitur agendo cum ea, de qua loquimur dubitatione. Aduerte tertiò ex Nau. *in seq. numero 115.* dubitationis perinde ac erroris depositione rationabili impediri iltiusmodi peccati commissionem. Nu.85.

Quinta propositio est. Eum qui in vtramque partem practicè dubius est: hoc est, qui siue in agendo aliquid, siue in omittendo illud, timet sibi à peccato destitutus fundamento, ex quo se determinet: si adhibita quam potest morali diligentiā dubitationem nequeat vincere; rationabiliterque deponere; debere voluntatem suam conformare conscientiæ ad eum modum quo debet homo gerere se inter duo mala culpæ ita constitutus vt alterutrum eligere compellatur. Hęc de se patet: quia taliter dubitās, cùm vtrimque sibi à peccato timeat, perinde se habet ac ille, qui est inter duo mala culpæ constitutus. Nu.86.

Modus autem ille quo talis debet se gerere, explicatur distinctione: vel enim ipsum vtrumque malum est æquale, & æquè probabiliter imminet: vel licet æquale sit, non imminet tamen æquè probabiliter: vel contra non est æquale, sed æquè probabiliter imminet: vel demum nec vnum est æquale alteri, nec æquè probabiliter imminet: Atque si vtrūque æquale sit, & æquè probabiliter immineat, liberū est vtrumuis eligere: quia vna ex parte inter duo mala culpæ perplexitas nunquam datur verè, & simpliciter: sic nimirum vt peccetur quodcumque illorum eligatur: quandoquidem alioqui contingeret hominem aliquando obligari ad aliquid simpliciter impossibile: quale esset, in tali perplexitate vitare peccatum: cùm ex hypothesi debeat peccare, siue agat siue omittat illud quod proponitur. Adhæc nulla ratio datur, cur in tali casu homo dicatur obligari ad vitandum potius vnum illorum malorum, quàm alterum. Quare quodcumque libuerit potest sine peccato eligere.

Nu.87. Quòd si vtrumque malum sit æquale, sed non æquè probabiliter immineat; vel contrà non sit æquale, sed æquè probabiliter immineat: ad vitandum quod est maius, illud quod est est minus eligendum esse patet ex cap. 1. & 2. distinct. 13. in quibus ex instituto docetur ex duobus malis eligendum esse minus. *Quod qua ratione accipi debeat in præced. num. 77. annotatum est.* Confirmatur verò, quia homo aliter eligendo, temere contra charitatem & rectam rationem exponit se periculo spiritalis detrimenti animæ. Vbi aduerte malum eo ipso, quod probabilius certiúsve est, cæteris paribus censeri maius: sicut & bonū eo ipso quod est certius, censetur cæteris paribus maius. Vnde D. Tho. 2.2. *q. 62. art. 2. ad 4.* quia maius est lædere aliquem in eo quod iam habet quæsitum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

idcóque est certius bonum : quàm in eo quod sperat quærendum,bonúmque est incertum ; vtpote cuius acquisitio impediri potest:statuit lædentem non teneri ad restitutionem plenam eius quod speratur acquirendum(sicut tenetur lædens in eo quod iam esset acquisitum) sed solùm ad compensationem secundùm conditionem personarum & rerum ex arbitrio viri prudentis.

Nu.88. Denique si vnum ex duobus illis malis inter quæ homo constituitur, nec sit æquale alteri, nec æquè probabiliter imminеat:tunc habenda est ratio notabilis excessus quo vnum superat alterum.Iuxta quem excessum, excedens iudicatur esse maius malum, idcóque magis vitandum , quàm alterum, tanquam minus malum. Atque si vnum excedat alterum , tam quia malum est grauius, quàm quia magis probabiliter imminet ; nulla,vt patet , potest esse in electione difficultas. Sin autem illud quod excedit, quia est grauius ; minus probabiliter immineat quàm alterum:idcóque minus malum sit:aliqua difficultas est, ea ex parte in eligendo : pro qua tollenda duo statuuntur. Alterum est. Quando vnum ex duobus dictis malis fuerit multo grauius altero, etiamsi minus probabiliter immineat , ad ipsum euitandum posse alterum eligi. Quod ostenditur à simili : quia vnusquisque secundùm rectam rationem,adcóque instinctu quodam naturali, exponit se periculo amittendi membrum minus necessarium , *vt brachium* , ad euitandum periculum , *etiam minus probabiliter imminens*, amittendi alterius membri magis necessarij , *vt capitis*. Quare secundùm rectam quoque rationem est, vt ad euitandum id quod de se natum est maius detrimentum adferre,eligatur illud quod natum est adferre minus,idcóque est minus odibile.Exempli gratia:si quis inuincibiliter dubitet an teneatur officiose mentiri pro saluanda vita alicuius hominis , itaut sibi timeat à reatu homicidij si non mentiatur : & à reatu mendacij si mentiatur:formatâ bonâ conscientiâ,quòd per ignorantiam quam vincere non potest, à peccato excusabitur,eligendo id quod de se minus malum est,vt vitet maius:mentiri poterit; quia citra controuersiam. mendacium officiosum , quantumcumque probabiliter immineat , malum est minus homicidio ; cùm istud sit de se mortale & illud tantùm veniale. Immo, & debebit, ne fiat reus homicidij , quod conscientia illi dictat se intali casu commissurum, non mentiendo.

Qua in re,aduerte esse excusationem à peccato, per interuenientem ignorantiam inuincibilem,quæ tollit liberum,ad rationem peccati necessarium. Namque talem in proposito casu contingere , ex eo constat , quod , *vt supponitur* , homo tunc non possit vincere suam dubitationem , nec certò scire vtrum sibi hîc & nunc illicitum sit , mentiendo subuenire proximo in tanta necessitate constituto : síque iudicando tale quid sibi esse tunc licitum , facit idipsum prudenter, aut saltem sine errore culpabili : vtpote ductus,ea probabili ratione;quòd non debeat manere perplexus,nec aliud remedium habeat liberandi se à perplexitate , quàm vt ex duobus malis propositis eligat minus. Alterum quod statuitur est. Quando vnum ex duobus malis inter quæ homo constituitur , fuerit quidem paulo grauius altero, sed multo incertius,itaut excessus grauitatis vnius, præponderet excessui certitudinis alterius,tùc ad illud quod certius est vitandum tanquam maius malum;eligendum esse grauius , tanquam minus malum. Hoc deducitur ex cap. Dominus De secundis nuptiis , & ex cap. Inquisitioni. De sentent. excomm.vbi definitur mulierem dubitantem an is cum quo contraxit sit legitimus maritus; vel quia audit, quòd prior maritus adhuc viuat, quem existimabat defunctum:vel quòd hic posterior sit consanguineus in gradu in quo matrimonium est irritum:definitur , inquam quòd teneatur debitum exigenti reddere,etiamsi ipsa exigere non possit:quia scilicet in tali dubio multo certius imminet peccatum iniustitiæ,negando debitum cõiugi habenti ius petendi (sicut habet quandiu est in bona fide) quàm peccatum fornicationis reddendo debitum : quamuis fornicatio peccatum sit grauius quàm peccatum illud iniustitiæ.

Atque hæc quidem de obligatione conformandi voluntatem nostram conscientiæ dubiæ; sed quia vt de rebus agendis,sic & de conscientia contingit dubitari , hoc est, sicut dubitat quis an aliquid licitum sibi sit, ita dubitare possit, an conscientia dictans aliquid licitum sibi esse,tuta sit , & cui tanquam rectæ possit voluntatem suam tutò conformare; antedictis addendæ sunt regulæ , per quas cognoscamus , an tutam de re dubia formauerimus conscientiam.

CAPVT X.

De regulis iudicandi, an in re dubia tutam formauerimus conscientiam.

SVMMARIVM.

89 *Non est tuta conscientia quæ fundatur in opinione improbabili , nisi ignorantia excuset, aut perplexitas aut necessitas.*
90 *Tuta est conscientia quæ fundatur in opinione probabili ac moraliter certa.*
91 *Quid ad formandam tutam conscientiam requiratur, & sufficiat rudi.*
92 *Quæ sententia pro communiore sit habenda.*
93 *Propria opinio bene fundata teneri potest contra communem.*
94 *Liberum est eligere quam velis dubij partem, quando vtraque est probabilis.*
95 *Causa dubitandi , num licitum sit sequi sententiam probabilem relicta probabiliori.*
96 *Esse licitum cum tantummodo est periculum turpitudinis,seu malitiæ moralis.*
97 *Corollarium inde deductum pro praxi.*
98 *Non esse verò , cum simul est periculum irreuerentiæ circa res sacras, aut damni proprij vel alieni.*
99 *Quædam inde deducta.*
100 *Non licet contra conscientiam dubiam agere id quod à Superiore præcipitur , nisi illa prius deponatur.*
101 *Quando contra propriam opinionem liceat sequi alienam.*
102 *Vnius doctoris authoritas non facit probabilem opinionem,communi contrariam.*
103 *Opinio non est probabilis , cùm definitioni fidei : aut cùm legi,vel consuetudini legitimè receptæ,est contraria.*
104 *In odiosis benignior : in aliis probabilior opinio est anteponenda.*
105 *Quæ opinio tanquam communis sit anteponenda.*

Nu.89. PRIMA regula est ad rectum voluntatis actum non sufficere iudicium practicum opinioni improbabili innixum ; seu, quod idem est, non esse tutam conscientiam quę fundaturin opinione improbabili:qualis cēsetur (*per tradita à Conrado contractu in tract.7.qu.100.concl.1.*) opinio , quæ aut leui tantùm ratione confirmatur , aut contra sacras literas vel Ecclesiæ definitionem esse deprehenditur (cap. Sicut distinct. 14.) aut scandali,alteriúsue peccati præsertim mortalis, periculum in praxi habere ostenditur. Huius probatio in promptu est; quia nemo dici potest prudenter, sed temere tantùm, agere ex tali iudicio.Quanquam & tunc locus excusationi esse potest:tum per ignorantiam inuincibilē,cùm quis de tali improbabilitate nihil dubitare vel iudicare potuit:tum per fortè offerētem se perplexitatem:cùm quis inter duas opiniones constitutus , quas inuincibiliter putat improbabiles:potest ex alterutra earum agere iuxta antedicta *in præced.num.86.*tum demum per necessitatem vrgentem: hæc enim facit vt quod aliàs non iudicaretur probabile, tale esse censeatur propter periculum quod ex oppositо sequeretur. Id quod (citatis Soto & Nauarr.) vsurpans Thomas Sanchez *in lib.2,de matrimonio disput.36.num.8.* in confirmationem adfert: quòd videamus baptismum conferri in extremitate digiti quando partus periclitans, illam extrahit. Et quod secundùm multos, ostendenti signa contritionis absente Sacerdote,possit (si de eo fide digni attestentur) ab eodem,cum vocatus aduenerit, Sacramentalis absolutio impendi in articulo mortis. Quæ opiniones & aliæ similes sustinentur , non tam vt ratione vel authoritate satis fultæ, quàm vt suadente eas necessitate : cui subueniendi obligatio est ex lege charitatis.

Nu. 90. Secunda regula est.Tutam esse conscientiam,quæ fundatur in opinione probabili , & moraliter certâ, seu admittente aliquam formidinem de parte contraria, ob inconstantiam rerum moralium.Probatur verò talis regula:quia secundùm eam agens non temere & irrationabiliter , sed ex prudentia (quæ est actuum humanorum regula) rationabilitérque agit. Iam opinio ea censetur probabilis,quæ graui authoritate vel ratione magni momenti nititur.Atque grauis authoritas,*iuxta ea quæ loco cit.tradit Conradus* : intelligitur esse eorum doctorum , qui in aliis opinionibus ad moralia pertinentibus , inueniuntur frequenter veritatem attingere,ab eáque rarò aberrare: item quos commendat vitæ morúmque integritas; præterea qui multum laboris & studij in examinandis opinionum fundamentis ponunt : ac demū quos apparet non esse ad talem opinionem inductos ex aliquo inordinato affectu. Ratio verò magni momenti intelligitur esse argumentum validum,aut sacræ Scripturæ testimonium , aut Ecclesiæ decretum, quo talis opinio stabiliatur.

Nu.91. Tertia regula est, quam tractat Nauarr. ad cap. Si quis autem *De pœnitent.distinct. 7.nu.48.& sequentibus.* Illum qui non est ea eruditione,vt per se opinionum fundamenta librare valeat , in tuta conscientia esse posse, si bona fide & seriò (non autem quasi aliud agens & ludens super re nihili:vt solent , *inquit Nauarrus* , magnates , vnde incautas responsiones referunt in suam & respondentis perniciem) virum aliquem pietatis & eruditionis famâ clarum consulat, & motus authoritate ipsius, opinionem quam is approbat veram esse credat & sequatur in agendo.Hæc patet de se:& locum habet quantumuis non petat actu consilium,si sciat eam esse talis viri opinionem; & secundùm illam formet sibi conscientiam : dummodo tamen non negligat ea quæ in præced. lib.11. cap.3.à num. 25. dicta sunt,requiri vt censeatur quis moralem diligentiam adhibuisse ad vincendam ignorantiam : quia deficiente tali diligentia , conscientia non esset inculpabilis , si eam erroneam esse contingeret,prout annotat Conradus in citata quæst. 100. concl. 2.

Nu 92. Quarta regula esse potest,illud quod tradit idem Nauarr. *in Enchir.cap.27.num.289.* Si in delectu opinionum vna sit alteri anteferenda hoc nomine,quòd sit communior sententia , accipiendam esse pro cõmuniore sententia illam,quam plures de re proposita ex professo differentes elegerint , & approbarint adhibito iudicio:non autem illam quam amplectuntur plures,qui id quod à prioribus traditum est sequuntur sine iudicio:non secus ac oues solent alias se præcedentes sequi : de qua re plenius Conradus *in præced.concl. prima.*

Quinta regula est. Virum prudētem facta diligenti *Nu.93.* discussione , optimèque examinatis vtriusque partis fundamentis , si contra communem aliorum opinionemsibi persuadeat aliquid licitum esse:adductus quantum videre potest satis validis rationibus , aut non obscuro sacrę Scripturæ testimonio,vel Ecclesię definitione, posse secundùm illam suam opinionem agere. Hanc aliis citatis Sanchez in opere Morali libro 1. cap.9. numero 9. probat ex eo , quòd talis non temere , sed adhibitâ ad sciendum diligentiâ sufficienti,quantáque à prudente requiritur,agat bona fide. Accedit quod,etsi contra Dei & Ecclesiæ authoritatē , fidémue Catholicam , ratio humana probabilitatem non possit facere , possit tamen contra authoritatem humanam,eíque præponderare:vt post Geminianum & Ioann. Andream habet Sylu.in verbo Opinio num.2.

Sexta regula est. Cùm in vtramque partem, ex ra- *Nu.94.* tionum & authoritatum momentis , non autem ex affectu aliquo humano, aut ex aliqua vehementiore passione (quæ plerumque est in causa vt vigilantes variis phantasiis , sicut dormientes insomniis deludantur prout attigit Caier. *1.2.quæst.17. art.7.ad 3.*) opiniones iudicantur æquè probabiles , liberum esse iuxta quam libuerit agere vel non agere. Hæc ex eo probatur:quòd non sit ratio cur vnam potius, quàm alteram sequi teneamur:nisi fortè ex vna parte periculum aliquod immineat , ad quod vitandum, prudentia dictet alterum eligi debere.

Explicatio difficultatis , An in re dubia liceat sequi opinionem probabilem relicta contraria probabiliore.

SECTIO I.

Nu.95. DIfficultas autem est:num hæc regula locum habeat quando vtraque pars est quidem probabilis & euidens sufficienter ad moralem certitudinem: sed vna probabilior est quàm altera:itaut liberum sit agere secundùm eam quæ minus probabilis est. Dubitandi verò causa esse potest, quòd tutior pars in dubiis sit eligēda,ex cap.Iuuenis De sponsal. cap. Ad audientiam. cap. Significasti 2.De homicidio & cap. Illud,De clerico excommunicato ministrante. Pars autem probabilior sit tutior, cùm ille qui eam sequitur minùs exponat se periculo peccandi , quàm ille qui minùs probabilem. Sicque sentientes refert longa serie Thom. Sanchez in opere morali lib. 1. cap. 10.num.10. Ex altera parte verò, si aliqua opinio est probabilis, consequéter conformis est rectæ rationi, & existimationi virorum prudentum, eam certè sine reprehensione sequi in praxi possumus,tanquam minimè nobis conscij,quòd agamus contra rectam rationem. Nec refert quod detur alia opinio probabilior:quia non est positum in præcepto,sed tantùm in consilio,sequi quod melius & perfectius est : vt ex eo patet,quòd bona vitæ religiosæ , perpetuæque castitatis , meliora sint & perfectiora bonis vitæ sæcularis & matrimonij,ex cap. Nuptiæ 32.quæst. 1.homi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ni tamen qui nondum se voto adstrinxit hæc eligere licet, illis relictis ex cap. Integritas cad. quæst. Itaque D. Anton. & Nauarr. *ille 1. parte tit. 3. cap. 10. §. 10. in 6. regula: & hic in Enthir. cap. 27. num. 280. & ad cap. Si quis autem De pœnitent. distinct. 7. nu. 34.* & aliquot alij quos refert Thomas Sanchez *in sequenti num. 11. in fine* (inter quos est Suarez *in 3. par. to. 5. quæst. 40. sect. 5. à num. 14 ad 18.*) eamdem partem tenentes, id quod allatum est pro parte opposita: nempe, In dubiis tutiorem partem eligendam esse: aiunt tantùm esse consilium: & ideo quominus partem quæ tuta est eligere possimus, haud obstare, quòd pars opposita tutior sit, nisi iusta causa forte vrgeret, in aliquo casu, aut ius aliquod specialiter iuberet amplecti tutius: qua de re vt Suarez, sic & Sanchez à cit. num. 11. ad 16.

Nu.95. Cæterùm videtur distinctione sufficienter explicari pro praxi: eáque talis est. In facto de quo in vtramque partem sunt opiniones probabiles, sed altera probabilior: aut tantùm est periculum turpitudinis; aut præter turpitudinem imminet in eo periculum alicuius notabilis irreuerentiæ erga res sacras, aut alicuius damni item notabilis à nobis vel à proximo incurrendi, quod ex iustitia vel ex charitate vitare teneamur: atque si tantummodo sit periculum turpitudinis seu malitiæ moralis, dubiúmque in eo consistat, an factum aliquod sit licitum vel illicitum dici potest cum authoribus posterioris sententiæ non esse necesse partem tutiorem sequi, si altera sit tuta; hoc est, si nitatur fundamentis sufficientibus ad moralem certitudinem. Sic enim (inquiunt D. Antoninus & Nauarrus) quamuis id quod D. Bonauent. docuit, lapsum in peccatum mortale, teneri sub pœca noui peccati, de illo confiteri, statim ac copiam habet Confessarij, tutius sit quàm oppositum, seu quàm non ita teneri (quod D. Thomas docuit) tamen istud posterius communiter tenetur, quia tutum est; & moraliter certum propter ipsius D. Thomæ authoritatem, & rationes quibus ipse vtitur. De qua re iam dictum est à nobis *in præced. lib. 5. cap. 2. sect. 3.* Sin autem cum periculo turpitudinis, antedictum damni periculum sit coniunctum, sequenda est prior sententia memorata: tenendo cum Caiet. *in verbo Opinio*, & Soto *De iust. & iure lib. 3. quæst. 6. art. 5. ad 3.* atque Azorio in 1 part. moral. Instit. lib. 2. ca. 12. tunc sequendam esse partem tutiorem. Intellige, non modo cum opinio illi fauens, probabilior fuerit: sed etiã cum minus probabilis: quandoquidem periculum damni secuturi non pendet ex probabilitate opinionis, sed ex facto de quo est opinio, nato illud creare.

Nu.96. Istiusmodi autem bipartitæ responsionis pars prior confirmatur; quia non minus nocet homini errare in articulo fidei, qui nondum est ab Ecclesia declaratus esse de necessitate credendus: quàm nocere potest error in facto morali, de quo non constat irrefragabili ratione aut sacræ Scripturę testimonio, aut Ecclesię determinatione, ipsum esse illicitum; Fides enim tam necessaria est, immo & magis, quàm virtutes morales: quandoquidem vbi sana fides non est, iustitia esse non potest. 24. quæst. 1. cap. Vbi. Sed in iis quæ ad fidem pertinent, sunt que inter doctores controuersa, liberum est ante Ecclesiæ determinationem, vtram libuerit partem amplecti; dummodo tamen bona fide procedatur; nempe sentiendo illam non damnari vt erroneam & talibus fundamentis niti, quę à temeritate iudicandi liberẽt ei assentientem. Pari ergo ratione in dubiis ad mores pertinentibus, cùm tales conditiones interuenerint, liberum est, quam ex oppositis libuerit sequi opinionem probabilem. Hanc rationem ex Gersone adfert Nauarrus *ad cap. Si quis autem De pœnit. distinct. 7. num. 55.* Cui accedit alia; quòd lex non obliget, sed relinquat hominem in sua libertate agendi, quando non est sufficienter promulgata: sicut non esse meritò censetur, proponens aliquid illicitum esse, quod probabiliter ostenditur licitum esse. Id enim est ostendere nullam talem legem vere esse, & commentitiam censeri posse. Itaque illud quod bona fide putamus probabile, tutúmque esse, non prohibemur amplecti, eoquod contrarium ipsius videatur probabilius & tutius.

Atque ex his colligitur; eum qui nixus non leui- *Nu.97.*
bus fundamentis, bona fide contra communem opinionem persuadet sibi aliquid esse licitum, posse consilium petenti, dare illud secundum ipsam communem opinionem: etiamsi contrariam ipse iudicet probabiliorem: ac eiusdem communis opinionis rationes aptè dissolui posse putet. Neque eam tanquam improbabilem (maximè si plus vtilitatis & facilitatis habeat) dissuadere posse hoc nomine, quòd contraria magis ei probetur: præsertim cùm in rebus agendis prudentiæ sit aliorum commune iudicium suo proprio anteponere. Quanquam si quis consuleretur non quidem absolutè de aliqua re, an ea liceat: sed quid de ea sibi videatur probabilius; respondere debet, id quod iudicat, alioqui mentiretur.

Colligitur etiam ex dictis ratio eius quod tractant Nauarr. & plenius (aliorum dicta referens) Gabriel Vasquez: *ille ad cit. cap. Si quis num. 66. & aliquot sequentib. & hic ad 1. 2. D. Thomæ disput. 62. cap. 7.* Confessarium posse absoluere Pœnitentem qui ex duabus opinionibus probabilibus, eam quam Confessarius ipse minus probabilem putat, vult tenere, nec illi in contraria tutiori acquiescere. Ea enim ratio est, quòd Confessarius tunc videat Pœnitentem bona conscientia operari: cui propterea non possit tanquam male disposito absolutionem denegare. Immo secundùm eumdem Nauarr. *in seq. num. 73.* nec denegare debeat, quantùuis iudicet ipsius opinionẽ non esse simpliciter tutam (de quo Greg. à Valen. 2. 2. disp. 5. quæst. 7. puncto 5. in fine) dummodo iudicet in tali homine hic & nunc id tutum esse: nempe quia ipse secundùm mensuram cognitionis quam consequi potest, prudenter statuit sibi tale quid licere; sequens viros quos bona fide credit pietatis & eruditionis fama claros, cùm ipse non sit ea eruditione, vt per se possit opinionum fundamenta librare. In tali enim, ignorantia meritò præsumitur inuincibilis esse.

Posterior pars autem propositæ distinctionis pro- *Nu.98.*
batur: quia quisque ex charitate tenetur facere quãtum in se est, ne ex sua operatione sequatur graue aliquod damnum. Id autem non facit, quando pensatis omnibus, non operatur eo modo quo verosimilius est nullum damnum sequuturum: & per consequens, cùm non operatur ex opinione dictante id, in quo minus est periculi, non modo malitiæ moralis; sed etiam irreuerentiæ erga res sacras, aut alterius grauis incommodi. Quare non licet tali opinione relicta, operari secundùm contrariam minus probabilem; immo nec liceret secundùm opinionem æquè probabilem.

Vnde colligitur primò. In administratione Sacra- *Nu.99.*
mentorum non esse licitum, quoad ipsorum formam aut materiam, aliáue ex quibus pendet ipsorum validitas, sequi probabilem aliquam opinionem probabiliore relicta (sicut nec licitum est, relictâ certâ) vt quamuis valde probabile sit conferri posse baptismum sub hac verborum forma, Ego te baptizo in nomine ingeniti, geniti, & ab vtroque procedentis; non est tamen licitum conferre actu, ob periculum irreuerentiæ circa Sacramentum: præsertim cùm detur alia de qua non tantùm est probabile, sed etiam certum, quòd sit vera baptismi forma: itaut nulla sic conferen

conferendi vrgeat necessitas.

Colligitur secundò, in foro externo Iudicem teneri sententiam ferre in fauorem eius partis quæ in probatione facti, probabiliora habuit testimonia, etiamsi contraria testimonia sint probabilia. Similiter & ius pro eo dicere, cui probabilior sententia in iure fauet, si cætera sint paria. Qua de re plurib. agetur in seq. lib. 23. num. 41. 42. 43. Et certè si Iudex ad id non teneretur, cùm vt plurimùm in causis forensibus opiniones contrariæ sint probabiles, ipse posset pro sua voluntate sententiam ferre, nec teneretur pondus rationum & testimoniorum expendere; quod absurdum est:

Colligitur tertiò, medicum sequi debere opinionem quam rationibus & praxi pensatis seriò, censet probabiliorem seu accommodatiorem ad ægri sui curationem. Quodsi post adhibitam vt par est diligentiam, maneat in vtramque partem æquè dubius de aliquo medicamento, sitne profuturum an obfuturum, debẽt ab eo abstinere: nisi apertè ei constaret de morte alioqui secutura. In quo casu illud porrigens prudenter agit, beneque prospicit ægro, cui nocere non potest, vtpote iam de vita penè desperato: prodesse autem posse, aliquid probabilitatis habet. Quæ duo quando concurrunt in medicamento, illo vti medicus debet: prout post Greg. à Valen. 2. 2. disput. 3. quæst. 10. puncto 2. col. penult. annotat Sanchez in opere Morali lib. 1. cap. 10. num. 42.

Explicatio alterius difficultatis, an in dubio liceat alienam opinionem sequi contra propriam.

Sectio II.

Nu.100. De inerudito quòd tutâ conscientiâ possit in agendo sequi eruditi opinionem, habetur ex præcedenti num. 91. De erudito verò proponitur difficultas, Num in dubio tenens vnam opinionem esse veram, possit in agendo contrariam aliorum sequi. Pro cuius explicatione videtur dicendum, neminem licitè agere illud, de quo probabiliter dubitat an sit peccatum nécne, durante ipsa dubitatione: ne quidem si à Superiore præciperetur. Quod Nauarr. *ad cap. Si quis autem De pœnitent. distinct. 7. num. 81. & aliquot sequentibus*, confirmat pluribus: sed hæc vna manifesta ratio sufficere potest, quòd nullum Superioris præceptum eximat hominem ab obseruatione iuris diuini; siue naturalis siue positiui, ex cap. Non semper cap. Si dominus cap. Iulianus 11. quæst. 3. At vitare illud de quo dubitatur an sit peccatum nécne, iuris est naturalis: namque notum est lumine naturali, Deum esse colendum & amandum super omnia: nec coli & amari super omnia ab eo, qui ne offendat Superiorem, exponit se probabili periculo offendendi Deum: prout accidit ei qui præcipiente suo Superiore, id agit de quo dubitat an sit peccatum seu Dei offensa. Nam si quis amore & reuerentiâ erga Ioannem, id agit per quod iudicat se exponi periculo probabili offendendi Petrum, minus sanè amat & reueretur Petrum, quàm Ioannem. Quare ne quidem præcipiente Superiore, potest quis licitè id agere, de quo dubitat an sit peccatum, quamdiu dubitat.

Cùm autem hoc ita sit; vt agatur tutâ conscientiâ, deponendum est dubium, rationabiliter formatâ conscientiâ; id est, statuendo apud se ex causa aliqua rationabili, & ad moralem certitudinem sufficienti, quòd illud, de quo mentio est, licitum sibi sit hîc & nunc. Cuiusmodi causa, *quando Superior*

præcipit subdito aliquid de cuius turpitudine nihil euidenter constat, potest eidem subdito esse, quòd Superioris imperantis vocem, tanquam diuinæ voluntatis, *cui nostram conformare tenemur*, interpretem audire debeat, iuxta illud Luc. 10. Qui vos audit me audit: & qui vos spernit me spernit.] Adeout nisi constiterit illi apertè, quòd Superior vtens imperandi iure accepto à Deo, perperam interpretetur diuinam voluntatem (sicut constat cùm aliquid imperat, quod euidenter patet turpe malúmve esse) licitè potest se tali imperio conformare: vt miles præcipiente suo principe; pugnare potest vt in bello quod certum est non esse contra Dei præceptum: ita & in bello de quo vtrum contra Dei præceptum sit, certum non est; ex cap. Quid culpatur 23. quæst. 1. Quod & ratio confirmat; quia cùm inferior in humana societate habeat se ad Superiorem; sicut in humano corpore membra alia se habent ad caput: certè in dubio debet ipse iudicium Superioris potius quàm suum sequi. Ad quod facit etiam illud D. Bernardi præclarè dictum *sub initium tractatus de præcepto & dispensatione.* Siue Deus, siue homo Vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curã: vbi tamen Deo contraria non præcipit homo] Quæ vltima verba indicant in dubio, debere probabiliter constare subdito, illud quod præcipitur esse sibi licitum. Hoc enim est, non esse Deo contrarium.

Cæterùm si propria opinio non obstat quominus *Nu.101.*
quisque possit Præpositi sui præceptum sequi contra eamdem propriam opinionem: nihil etiam obstabit quominus pariter possit sequi opinionem alterius viri docti, non Præpositi sui. Namque opinionum contrarietas non cessat ex eo, quòd vna earum sit inferioris, & altera superioris. Atque si opinionum contrarietas non obstet, quominus inferior possit contra propriam, in agendo Superioris opinionem sequi: nec obstabit quominus similiter possit quis contra propriam, sequi opinionem alienam, si eam (vt debet ad euitandam temeritatis & imprudentiæ labem) probabilem esse iudicet non leuiter, sed bona ductus ratione: qualis est, quòd rerum moralium sit magna incertitudo, illáque opinio suæ propriæ opposita, authores habeat doctos valentes ingenij acumine, ac iudicij maturitate. Neque ipse, ex eo, quòd occurrat illi argumentum quod soluere non potest, debeat singulari suo iudicio existimare sententiam ipsorum improbabilem esse. Cuiusmodi ratio sufficere potest ad formandum prudenter iudicium practicum, tutámue conscientiam faciendam: non obstante contrario iudicio nostro speculatiuo: cuius fundamenta non fuerint demonstrationes vel authoritates euidentes, quæ illi alteri iudicio probabilitatem auferant, nec nos illi acquiescere permittant.

Documenta notanda ad iudicandum, num in re dubia tutam formauerimus conscientiam.

Sectio III.

CIrca hoc autem, & alia quæ spectant ad tutam in re dubia conscientiam formandam, iuuerit sequentia documenta notare.

Primum est, *quod habet Gabriel Vasquez ad 1. 2. Tho.* *Nu.102.*
disp. 62. cap. 4. nu. 17. vt opinio aliqua censeatur ad hoc sufficienter probabilis, vt possimus eam sequi cõtra propriam; non debere esse vnius doctoris tantummodo: nã patet non esse prudentię, ob vnius authoritatem, secundùm aliquam opinionem operari contra propriam aut aliorum cõmunem. Neque refert

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod illa authori suo possit esse probabilis sufficienter ad agendum secundùm eam: quia id propterea fit, quòd rationes habeat quæ probabiliter persuadeant illi eiusmodi opinionem, etiamsi communi opinioni
*Nu.*103. opponatur.

Secundum est, quod variis exemplis Azor illustrat *in 1.par.Moral.institut.li.2.cap.9.* opinionem quæ nititur, fulcitúrque definitione fidei, aut ei maximè accedit, sequendam omnino esse tanquam certò veram, quorumcumque doctorum sententiâ posthabitâ. Ratio est, quia definitio fidei nullam patitur dubitationem.

Tertium est, inter opiniones, præferendam esse eam quæ magis in legis, iurísve sensu, & intelligentiâ innititur, aut magis recepta rationabili consuetudine comprobatur. Tales enim maximè sunt quæ aperiunt quid ex obligatione sit agendũ, aut fugiendum.
*Nu.*104. Quartum est. Inter duas aut plures opiniones eam quæ benignior mitiórque est amplectendam esse in rebus ad odia, non ad fauores, spectantibus: quod patet ex regula 15. iuris in 6. Odia restringi & fauores conuenit ampliari. In cæteris rebus verò probabiliorem esse vt plurimum anteferendam. Ad quod faciunt antedicta in præced. sect. 1.

*Nu.*105. Quintum est. Communem doctorum opinionem nisi antiquata sit, singulari alicuius doctoris opinioni anteponendam esse in rebus agendis. Ad quod facit illud quod dici solet, Plus vident oculi quàm oculus. Aduerte autem cum Azorio *in eod. lib. 2. cap.13.* nonnumquam vsuenire vt scriptores dissentiant, aliis dicentibus vnam opinionem; aliis verò contrariam esse communem: túncque in anteferenda vna alteri, videndum esse si quid de re proposita certi haberi possit ex aliqua lege, vel ex recepta consuetudine; vnde vna alteri meritò præferenda videatur; síque nihil inueniatur, in delectu procedendum esse iuxta ante traditas regulas.

Aduerte item quod idem author ex Nauar. *in Enchir. cap.27. num.* 289. habet: ex pluralitate doctorum classicorum, eorúmve quorum authoritas in scholis est approbata, iudicandum esse quæ sit sententia communis, nempe talem censendam esse quando respectu illorum qui eam tenent, pauci sunt authores classici (qualium Authorum Catalogum & distinctionem habet idem Azor in seq. cap.14.) qui cõtrariam sequantur: vt v.g. si septem aut sex ex instituto quæstionem aliquam tractent, & quinque eorum vnum opinentur, vno aut altero docente cõtrarium, communis est opinio, quam quinque vnanimi consensu tradiderunt, ideoque præferenda: nisi vnus ille aut alter inueniatur suam sententiam meliori, subtiliori, ac firmiori ratione comprobare iuxta cap. Capellanus De feriis. in quo ex duabus opinionibus propositis, posterior eligitur: reddita ratione quòd meliori & subtiliori ratione niteretur. De qua re plenius idem Azor in sequenti cap.16. quæst.6.

Addiderim, aut nisi religio & pietas in Deum, aut grauis nostra vel proximi necessitas exigeret secundùm eam agi, quia tunc adesset sufficiens causa sequendi opinionem minus probabilem relicta probabiliori. Videri possunt quæ docet Gabriel Vasquez *ad 1.2.quæst.19.disput.63.*

Aduerte demum quoad antiquationem opinionis communis: interdum contingere vt antiquiores scriptores non notarint aliquod argumentum, aut decretum, maximam vim habens contra ip sorum opinionem: eo verò à recentioribus notato, hos in contrariam opinionem adductos esse: illámque vt improbabilem repudiasse: & ideo non haberi amplius pro communi: immo nec pro probabili, itaut antiquata censenda sit.

CAPVT XI.

De conscientia scrupulosa, quatenus debeat voluntas nostra ei conformari.

SVMMARIVM.

106 *Scrupulus diuersum quid est, tum à syndaresi tum à dubitatione.*
107 *Differentia quâ differt à conscientia & à dubio.*
108 *Oriri possunt scrupuli, tum ex frigida complexione corporis, tum ex mania.*
109 *Item ex tentatione Diaboli: & qua ratione.*
110 *Aliæ causæ ex quibus oriri possunt scrupuli.*
111 *Argumenti occurrentis contra conceptam opinionem, vis alia; atque alia: & quomodo.*
112 *Quando liceat agere contra conscientiam scrupulosam.*
113 *Quando non liceat.*
114 *Scrupulus propriè dictus contemni potest, non item impropriè dictus, sed rationabiliter deponendus est.*

*Nu.*106.

PRÆNOTANDVM est scrupulum à quo dicitur conscientia scrupulosa, homines improbos malè confundere cum syndaresi in huius libri cap.3. descripta; cùm viros probos eiusdem syndaresis ductum sequentes in agendo, solent scrupulosos appellare: Si enim tale intellectus dictamen esset pro scrupulo habendus: sicut scrupulus comprimendus est, syndaresis quoque esset opprimenda, quod nemo nisi nequam & insanus dixerit: cùm ea sit lumen vultus Dei super nos signatum ex Psal. 4. Malè etiam nonnulli eoquod nomen scrupuli per metaphoram à lapillo qui in calceo pedem pungens remoratur, & molestiâ afficit ambulantem, translatum sit ad animum: scrupulum confundunt cum dubitatione quæ nos in actionibus animi item remoratur, nec sinit esse quietos. Etsi enim aliqua sit vtriusque affinitas, non sunt tamen idem propriè: sed dubitatio dicit ignorantiam per quam animus instabilis fluctuat & anceps hæsitat, quid consilij capiat, aut sequi debeat. Scrupulus verò dicit animi *postquam firmam de aliqua re opinionem concepit*, motionem in contrariam partem: quæ ipsum promptum & alacrem hilarémque in agendo esse non sinit: sed angit, perturbat, angustiísque quibus- *Nu.*107.
dam premit, & hærentem cunctabundúmque reddit.

Vnde differentia hæc est inter conscientiam, dubium, & scrupulum, quòd conscientia sit, quando iudicium de agendo aut non agendo, firmatum est in vnam partem potius, quàm in alteram oppositam: síque fuerit iudicium verum, recta: sin falsum, erronea conscientia dicitur. Dubium verò propriè sit quando tale iudicium non fuerit firmatum in vnam partem potius, quàm in alteram: ac demum scrupulus propriè sit vt notatum est à Nauarro, *ad cap. Si quis autem De pœniten. distinct.7.num.*17. non quidem iudicium sicut conscientia, sed potius apparentia contra iudicium: cuius non tollit certitudinem, sicut dubiũ; sed solùm mentem sollicitat ad illud exuendum: vel nouum induendum. Is autem contingit, quando antegressa deliberatione iudicatum est aliquid esse faciendum: aliud se in contrarium offert, itaut mens fluctuet. Quæ fluctuatio interdum sic augetur vt de concepta opinione mentem deiiciat: atque contingens ante rei iudicatæ executionem, faciat vt aliud agatur quàm ante agendum videbatur: aut certè cœptum

ptum opus intermittatur ac deseratur. Contingenverò post executionem (vt cùm postquam aliquid fas ctum vel dictum vel cogitatum est, oritur in nobis peccati admissi suspicio) animus sic pulsatur, vt licet putemus nos non peccasse, in ea tamen opinione constantes non simus, nec securi: sed inquieti, & timore perculsi molestiâ afficiamur: de qua intelligitur illud 1. Regum 25. Non erit tibi hoc in singultum & scrupulum cordis Domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium.

Causæ ex quibus proueniunt scrupuli.

SECTIO PRIOR.

*Nu.*108. PRænotandum est secundò, dictam motionem quæ significatur scrupuli nomine, non prouenire semper ex aliquo argumento in oppositum eius quod iudicamus & sequimur: sed etiam, *vt cum D. Anton. 1. par.tit.3.cap.10.§.9. annotant Syluester in verbo Scrupulus & Nauar. in Enchir.cap.27.num.*281. procedere primo ex complexione corporis, reddente hominem propensum ad timorem: qualis est complexio frigida, vt apparet in fœminis, & in melancholicis. Frigoris enim est constringere; constrictióque cordis quæ vergit ad timorem, disponit imaginationem ad facilem apprehensionem mali futuri, quod est proprium timoris obiectum. Vnde fit, vt qui sunt complexionis frigidæ, facilè ominentur ibi imminere malum, vbi nullum imminet; atque vt tales in bello corporali, incursus hostium vbique timent: sic in spiritali vbique metuunt Dæmonis insidias.

Secundò, procedere ex mania inficiente anteriorem cerebri cellulam, in qua est sedes imaginationis, suppeditantis intellectui sensibilium similitudines. Ob talem enim infectionem plerumque fit, vt intellectui repræsentetur tanquam malum, quod tale non est. Idemque dici potest de aliis vitiosis humoribus, quibus cum repletur cerebrum; actiones mentis impediuntur; & iudicium efficitur aut paruum, aut prauum.

*Nu.*109. Tertiò, ex tentatione Diaboli, qui Deo permittente potest humores melancholicos & phantasmata sic mouere in homine, vt huius imaginatio turbetur, & erret in repræsentandis intellectui rebus; suggerendo ea etiam quæ numquam antea in mentem venerunt, aut quæ videbantur perpetua obliuione sepulta: aut quæ præ subtilitate, mens humana vix excogitare posset: Addens interdum motum quemdam corporis, palpitationem cordis, & capitis, ac sensuum grauedinem: vnde tantas rixarum interiorum molestias adfert, vt interiorem pacem, & suauem cordis consolationem eripiat. Quinimò vlteriùs pergens, cùm videt hominem tranquillitate priuatum, suadet laxam viuendi libertatem, in qua nihil tale experiatur. Cui verò id suadere non potest, eum ita vrget scrupulorum importunitate, vt vitam acerbam agat, angatur perpetuò, impatiens fiat, ac melancholicus: contra Deum à quo videtur derelictus identidem murmuret, hominum consuetudinem odiosam habeat, lucis & vitæ tædium sentiat; immo eousque progrediatur improbitatis; vt de inferenda sibi vi, mortéque concipienda cogitare incipiat, & ad extremum omnium malorum, *desperationem inquam*, tendat, séque reprobum & æternæ damnationi addictum existimet.

*Nu.*110. Quartò, procedere ex malo corporis regimine: hoc est, ex immoderata abstinentia, aut vigilia, & id genus aliis indiscretis corporis macerationibus debilitantibus cerebrum: quæ improbantur De consecr. dist.5.cap.Non mediocriter.

Quintò, ex societate & consuetudine hominum, aut lectione librorum scrupulosorum: qua vtentes redduntur his similes iuxta illud Psal.17. Cum Sancto Sanctus eris & cum peruerso peruerteris.] Itaque in delectu librorum spiritualium & Confessariorum, cauendi sunt scrupulosi, & nimium seueri; qui æquitate in definiendis fori conscientiæ controuersiis, vti nesciunt quando & vbi oportet.

Sextò, ex ignorantia coniuncta cum negligentia se commendandi Deo: vnde fit frequenter vt timeatur tanquam peccatum, quod non est peccatum. De qua re in Psal. 13. Dominum non inuocauerunt illic trepidauerunt timore vbi non erat timor.] Adde & cum negligentia conscientiam examinandi super re de qua agitur: aut post examinatam, consilium petendi ab aliis, quando sibi ipse non valet quis satisfacere. Adde & cum superbia: familiari plerisque nolentibus sapientiores ac prudentiores consulere, nec parere cùm consuluerint, sed suum sequi sensum: aliorum tutas vias relinquendo, ac singulare, solitariúmque sequendo iter.

Septimò, ex malo more, quo nonnulli in iis quæ deliberata sunt, constantiâ vti non assuescunt: vnde fit vt in agendo instabiles sint, & leuibus quibuscumque dubitationibus moueantur ex vehementi imaginatione, quâ anteuertitur & peruertitur rationis iudicium.

Postremò, ex intenta consideratione quæ suscipitur cum solicitudine nimia cauẽdi illud omne quod potest malum esse, & in via Domini nocere. Sicut enim qui in angusta semita ambulans, nimis attentè considerat profundum in quod labi potest, aut circum se vndique acclamari audit, *Caue, cades*, multo magis timet lapsum, quàm alioqui faceret: ita qui nimis solicitus est de cauendo peccato, vt censetur ille qui omnia venialia & minima quæ homo vix in hac vita vitare potest, solicitè considerat: & phantasiæ vndique suggerenti, & quasi clamanti malum adest, caue cades: intellectus suas quasi aures nimis intentè accommodat, timore magis concutitur, seque in agendo exponit periculo peccandi contra conscientiam erroneam culpabilem. Ad hanc causam reduci potest: tum nimius ardor ac indiscretus zelus nonnullorum, qui puritatis adeo amantes sunt: vt minimas etiam maculas perhorrescant, & maximarum loco ducant: tum etiam nimius ac inordinatus Dei timor, quem aliqui concipiunt ex consideratione seueritatis diuinæ iustitiæ in puniendis peccatis. Cui timori obnoxius animus, variarum difficultatum obiectu, tanquam procellâ, perinde agitatur, ac cùm meticulosus in tenebris inania quædam, horrendáque spectra, sibi videre videtur.

Prænotandum tertiò, argumentum ex quo proce- *Nu.*111.
dere potest scrupulus, seu motio animi in partem contrariam eius, de quo firmum habetur iudicium; interdum tantum roboris esse, vt meritò ex priori sententia deducat in contrariam, ostendendo improbabile esse id quod ante probabile esse iudicabatur; interdum verò leue admodum esse, & interdum esse quidem alicuius roboris, sed non tanti, vt excitare possit in mente fidem tam firmam, quam prius conceptam; aut quæ illam vincat. Quod cùm ita sit motio ex primo argumenti genere proueniens, non nisi impropriè dicitur scrupulus; cum sub ea iudicium non maneat firmum. Quaquidem impropria scrupuli acceptione dicere solemus iniectum esse alicui scrupulum; quando rationibus vrgentibus ostensum est ei, aliquid illicitum esse, quod putabat licitum. Ex aliis verò argumentorum generibus motio proue-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nitens,est & dicitur propriè scrupulus. Qui qua ratione possit cum iudicio firmo consistere, explicatur similitudine deducta à naturali & supernaturali certitudine,ad moralem.Etenim persuasus euidenti mathematicorum demonstratione (quod est exemplum Nauarri *ad cap.Si quis autem, De pœniten.distinct.7.num.64.*) quòd triangulus habeat tres angulos pares duobus rectis, etiamsi in contrarium adducatur ratio quam soluere non possit, non deducitur tamen de sententia;nec minus quàm antea illud credit.Deinde contra fidei articulos interdum se offerunt rationes nobis insolubiles,ex quibus tamen nullatenus in dubium reuocamus,quæ credimus: alioqui efficeremur infideles, cùm dubius in fide, infidelis sit,De hæret. cap.1. His ita prænotatis aliquot de re proposita regulæ,propositionésve practicæ statuuntur.

Regulæ ostendentes quatenus debeat conscientiæ scrupulosæ voluntas nostra conformari.

SECTIO POSTERIOR.

*Nu.*112. PRima est.Licitum esse agere contra conscientiam scrupulosam,scrupulo qui nullo argumento nititur. Ratio est,quoniam agens contra eiusmodi conscientiam, nulli periculo peccandi se exponit: cùm scrupulus eiusmodi tantùm sit motus & anxietas animi,quæ non obligat nos ad agendum: sed potius ad non agendum secundùm illum;præsertim cùm de se à bono opere sæpe retrahat: vel certè efficiat ne homo tam fortiter, quàm oporteret illud aggrediatur. Accedit,quòd talis scrupulus non inducat dubitationem practicam,quæ iudicium contrarium ita reddat incertum aut imprudens, vt voluntas non possit ei tutò conformari.

Secunda regula est.Licitum esse agere contra conscientiam scrupulosam,scrupulo qui nititur leui tantùm argumento,aut certè non ita valido, vt non patiatur secum iudicium contrarium constans & firmum sufficienter ad moralem certitudinem. Ratio est;quia si propter quodcumque argumentum, quod facit me formidare de eo quod probabiliter iudico, non liceret mihi illud agere;etiam iudicio ipso,firmitatem suam retinente sufficienter ad moralem certitudinem:sequeretur quòd quicumque aliquo modo hæsitaret an teneatur omni die Sabbathi à cœna abstinere, non possit tutâ conscientiâ cœnare: etiam manente probabili & moraliter certo priore iudicio, quòd possit tunc cænare, & sic de multis aliis similibus:quod esset onus intolerabile. Accedit quòd omnium confessione certitudo moralis ad licitè agendum sufficiens,secum patiatur aliquam formidinem: quia vt Arist.in 1.Ethic.cap.3.docet:in rebus agendis seu moralibus non inest ea stabilitas & firmitas (vt nec in salubribus)quæ in materia subiecta requiritur vt certa scientia haberi de ea possit:constatque experientiâ non esse humani ingenij in talibus rebus sic assequi veritatem,vt de contraria falsitate nullo modo formidet. Vnde talis scientia, humano modo habenda,non potest prudentes exigi ab homine: quandoquidem talis exigeretur, qualem vix vnquam potest sibi comparare. Quinimo,*vt notatum est à Nauar. ad cap.Si quis De pœnit.distinct.7.num.*78.quamdiu quis rationabili de causa sibi persuadet, se tutò posse aliquid amplecti,non debet curare quòd apparentiæ occurrant in contrarium, aut etiam argumenta quæ dissoluere nequeat; cùm maximè probatum sit in præced. cap. sect. 1. liberum esse tenere opinionem probabilẽ relicta probabiliore:nisi contingeret argumentum illud tale esse quod rem redderet dubiã nec tutam:quia nõ licet id agere de quo tutúmne sit nec illicitum dubitatur: nisi dubium fuerit rationabiliter depositum:quod etiam ibidem notat Nauarrus.

Tertia regula est. Non esse licitum agere contra *Nu.*113. conscientiam scrupulosam scrupulo impropriè dicto,id est,qui tam valido argumento nititur, vt iudicium ante susceptum reddat infirmum & destitutum certitudine ad moralem probabilitatem sufficiente. Hæc probatur quia ageret id de quo sibi licere, nullam;& non licere aliquam habet certitudinem moralem:ideoque peccaret; quandoquidem recta ratio dictat peccare eum qui agit id de quo dubitat, cùm certus sit de contrario,prout patet ex confirmatione quartæ propositionis traditæ in præcedenti cap.9.

Ex his regulis deducitur,scrupulum propriè di- *Nu.*114. ctum contemni posse, ac pro arbitrio deponi:cùm liceat contra ipsum agere,nec contineat sufficiens motiuum respuendi aliquid tanquam illicitum, quod aliàs rationabili de causa licitum esse creditur. Scrupulum verò impropriè dictum nec contemni nec pro arbitrio deponi posse. Sicut enim aduersus hunc agi non potest, quia nititur ratione probabili:ita nec deponi potest prudenter & sine temeritate,nisi habita ratione sufficienter ostendente licitum tutúmque esse amplecti illud, contra quod est exortus. Vnde Cordub.lib.3.quæstionarij quæst.12.propos.2.admonet non excusari à peccato illos qui postquam aliquid licitum esse persuaserunt sibi, sic afficiuntur ad illud,vt contemnant rationes quantumcumque probabiles,quæ in contrarium se offerunt: siue contemptus sit formalis, vt cùm quis attendens se dubitare, ac putare probabiliter illud ipsum ad quod afficitur illicitum esse:agit nihilominus; nihili faciens rationem quam habet dubitandi probabiliter: siue etiam contemptus sit interpretatiuus;vt cùm quis cõscientiâ probabiliter dictante, suggerétéque illicitum esse id ad quod afficitur, auertit intellectum à tali consideratione,vt sine remorsu & molestia agat idipsum quod ei placet. Tales sunt qui ex Iob cap. 21. dicunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus:& ex Isaiæ cap.30.Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt;loquimini nobis placentia. Aut certè applicat quidem intellectum ad considerandum: sed enatæ dubitationi occurrit ex leui tantùm causa, nec scrupulum probabili fundamento innixum deponit sufficienti ratione. Aduerte obiter ad istiusmodi interpretatiuum contemptum reuocari posse inaduertentiam, ac obliuionem culpabilem, nec à peccato excusantem: qualis est cùm quis prius debitè præparatus ad confitendum omnia peccata sua mortalia, sic aliis negotiis implicat se antequam confiteatur,vt probabiliter coniicere possit aliqua sibi excidisse memoriâ;& nihilominus absque alia præparatione confitetur: per inaduertentiam obliuionémve reticens partem aliquam dictorum peccatorum. Non enim excusatur ab eo peccato,quod committitur faciendo confessionem mutilam.

CAPVT XII.

De ratione cognoscendi quis scrupulus tanquam inanis carensque fundamento contemni possit.

SVMMARIVM.

115 *Talis ratio requirit, vt vel exquiratur eruditi iudicium, vel sufficiens diligentia in inquirendo adhibeatur.*

116 *Re-*

116 *Requiriti item vsum ἐπιεικείας, seu æquitatis, quidque hæc sit.*
117 *Ordinariè vtendum est eadem, legem interpretando.*
118 *Exceptio est, cum lex rigorem seruari præcipit, aut scandalum generaretur.*
119 *Cuius sit talem interpretationem facere.*
120 *Ad vitandum peccatum transgressionis, sufficit, secundum sensum benignum seruare legem.*
121 *Non obligat lex ad nimis difficile,nec ad id quod meritò faceret ridiculum.*
122 *Vita bonorum, vt & consuetudo rationabilis tolerata, haberi potest pro viuendi regula.*
123 *Bona fides excusat à mortali agentem contra legem.*
124 *Obiectiones quæ aduersus dicta videntur fieri posse, cum responsione ad eas.*

DVo sunt quæ in praxi traditarum regularum scitu & necessaria sunt, & difficilia, ideoque exponenda. Alterum est ratio cognoscendi, An scrupulus pulsans animum talis sit,qui vt inanis nullóque sufficienti fundamento nixus contemni possit.Alterum est ratio reducendi ad tranquillitatem animum scrupulis quasi tempestatibus agitatum. Hanc autè iam persecuti sumus in præcedenti lib. 2. cap. 9. & 10. Illa ergo tantùm restat hic persequenda in eorum etiam gratiam qui tranquillitatem animi,pacatámque conscientiam habere volent:vt scrupulum, qui tanquam inanis contemni potest,nouerint discernere à probabili dubio, eóve scrupulo impropriè dicto,qui cum nitatur sufficienti fundamento, non nisi rationabili de causa, vt ante habitum est,deponi potest.

Quæ sit eiusmodi ratio.

SECTIO PRIOR.

*Nu.*115. EA igitur ratio est;vt is qui fuerit ineruditus, vel eruditus quidem, sed quem perturbatio aliqua occupet,aut deludat phantasiis; consulat virum eruditum & pium, iudiciúmque ipsius sequatur: iuxta præced.cap.decimi regulam tertiam.Si autem res ferat,vt per se definire debeat, sequatur quod adhibita morali diligentia (de qua libro 11.num. 25. & aliquot sequentibus) inuenerit iudicaueritque sequendum: ita tamen vt primum omnium curet habere propositum non peccandi.

*Nu.*116. In tali verò iudicio vti debet æquitate quæ à Græcis dicitur ἐπιείκεια: estque (vt familiariter explicem) iustitia dulcore misericordiæ temperata,pensatis omnibus circumstantiis particularibus. Illius enim officium proprium est,in particulari actu discedere à verbis generalibus legis seruata huius intentione; sicut fit quando de agendis iudicium fertur non secũdùm rigorem verborum legis,sed secundùm intentionem quam in tali casu legislatorem habuisse aut habere debuisse recta ratio exposcit. Quem æquitatis vsũ, in iudicio quod ex diuina lege(multóque magis in eo quod ex lege humana) sit de rebus agendis, vsurpari posse & debere,indicant verba illa Ecclesiastis cap. 7. Noli esse iustus multum:neque plus sapias quam necesse est.] Ratio quoque cõfirmat.Nam vt 2.2.quæst. 120.art.1.D. Thomas recte ait: Propterea quod leges dantur de humanis actibus qui in singulari sunt contingentes, ideoque variari infinitis modis possunt: non fuit possibile aliquam legis regulam institui, quæ in nullo casu deficeret: itaut oporteat legislatores ad id attendere quod vt plurimum ad Dei gloriam, communéque bonum conducit: seruata inter omnes proportionis æqualitate,seu iustitiæ æquitate.

Cùm igitur sæpe dentur casus in quibus ob ali- *Nu.*117. quas circunstantias obseruantia legis foret contra bonum commune,vel iustitiæ æquitatem (vt obseruantia legis statuentis deposita reddi,foret in casu in quo is qui arma apud te deposuit,furiis agitur, aut in religionis vel patriæ perniciem aliquid molitur) manifestum est adhibendam esse ἐπιείκειαν, seu æquitate vtendum in iudicio, secundùm leges ferendo de rebus agendis,vel non agendis,ne contingat quod pro certo fine introductum est, contra eumdem finem militare: nempe legem quæ ad Dei gloriam bonúmque commune instituta est, contra Dei gloriam & bonum commune obseruare: aut quod verius est ipsam transgredi: cùm certum sit,ex vltima regula iuris in 6. quòd is committat in legem qui legis verba complectens,contra legis nititur voluntatem Itaque in lege Quod Ephesi ff. De eo quod certo loco dari oportet: statuitur debere Iudicem ante oculos habere æquitatem:& in cap.Disciplina,distinct.45.& in cap. Ponderet dist.50.damnatur disciplina aut sententia quæ est sine misericordia.

Quod tamen, vt rectè Cordubensis in lib. 3. quæ- *Nu.*118. stione 13.admonet,debet accipi cum hac exceptione: nisi iusta causa exigat vt rigor legis seruetur: quia cùm legis interpretatio actus sit ἐπιεικείας seu æquitatis tanquam cuiusdam virtutis,debet fieri non secundùm verborum rigorem: sed secundùm legislatoris intentionem,prudenter & attentè consideratis omnibus debitis circumstantiis: quæ interdum tales sunt,vt ostendunt non posse ex intentione legislatoris aliter quàm in rigore verba legis accipi: vt v. g. quando aliter accipiendo, meritò timetur malum exemplum, vel rigor ipse scriptus est, positúsque in præcepto.

Iam per ἐπιείκειαν leges interpretari vt D.Anton. *Nu.*119. annotat 1.par.tit.3.cap.10.§.10. in foro quidem contentioso,eius est cuius leges condere, aut sententiam ferre:in foro conscientiæ verò, pertinet ad quemlibet in facto suo, si doctus sit, nec prauè affectus, vt possit rationabiliter interpretari: alioqui enim consilium doctorum ac piorum exquirere & sequi debet. Septem sunt autem de ἐπιεικείᾳ regulæ vtiles cognoscendis scrupulis,quas notant tum D.Anton.& Cordub. antecitati: tum etiam Syluester in verbo Scrupulus q.4.& Nauar.in Enchir.cap.27.nu.283.& 284.

Regulæ ad propositam rationem spectantes.

SECTIO POSTERIOR.

PRima est.Eum non offendere, qui secundùm le- *Nu.*120. gislatoris mentem agit, etiamsi non agat secundùm verba legis. Nec item eum qui in benigniore sensu legem seruat, etiamsi in duriore illam violet. Ratio prioris partis est,quia satisfacit voluntati Superioris.Ratio verò posterioris,quia præcepta Dei & Ecclesiæ non sunt nobis imposita cum ea conditione, qua tollant omnem spiritualem dulcedinem, & conscientiæ requiem. Tollerent autem,si teneremur illa sequi in rebus agẽdis cùm dura seu nimis scrupulosa, timidáque interpretatione. Vnde in lege Nulla, ff.De legibus dicitur:Nulla iuris aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum,producamus ad seueritatem.

Secunda regula est. Quòd nec Deus nec Eccle- *Nu.*121. sia suis præceptis intendat quemquam obligare ad id quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod vix est illi possibile. Nemo enim potest ad impossibile obligari De reg. iuris in 6. cap. Nemo. Atque in noua lege pro moraliter impossibili habẽdum est, non modo quod absolutè nequit fieri : sed illud etiã quod nimiam habet difficultatem: cùm Dominus dicat Matth. 11. Iugum meum suaue est & onus meum leue.] Et certè cùm admoneamur sentire de domino in bonitate Sapien. 1. non est consentaneum vt putemus ipsum nobis imponere, *saltem sub pœna æternæ damnationis*, quod non nisi cum maxima difficultate aut graui detrimẽto nostro præstare possumus: prout in lib. 11. explicatum est plenius cap. 8. parte posteriore.

Tertia regula est. Quòd nec Deus nec Ecclesia intendat suis præceptis quemquam ita obligare, vt ea adimplendo sit vel appareat fatuus : hoc est, quòd præcepta siue diuina siue humana non obligent eo tempore & loco, quo obseruatio illorum faceret obseruantem ridiculum apud discretos & bonos viros: tollerétue vrbanitatem & conuictum honestum cum aliis hominibus. Confirmatur à simili: quia diuinum præceptum de reddendo vota sua Deo, non obligat cùm votum fuerit vanum aut stultum : quia Deus ex Psal. 30. odit obseruantes vanitates superuacuè : eique displicet stulta promissio Ecclesiastis cap. 5. Cauendum est autem, vt rectè admonet Cordubensis, ne ex hac & præced. regula ferentes iudicium, decipiamur putando impossibile esse aut graue malum quod non est. Ad quod iuuabit consideratio eorum quæ in priore parte citati cap. 8. habita sunt de malo graui. Iuuabit etiam vacuitas ab inordinato affectu ad id de quo iudicium quæritur.

Nu. 122. Quarta regula est. Quòd in dubiis vita communisque sensus virorum bonorum debeat aliis esse viuendi regula. Probatur, tum ex eo quod Dominus Matth. 5. suos discipulos dixerit esse sal terræ : significans ipsorum moribus, populi mores esse quasi sale condiendos. Tum ex eo quod viri boni meritò præsumantur rectum habere iudicium de rebus agendis, quia rectum habent affectum: sicut sanus censetur rectè iudicare de saporibus, quia non habet gustatum malè affectum.

Quinta regula *sumpta ex cap. vlt. de consuet.* est, quòd in iis quæ ideo mala sunt, quia prohibita iure humano, excuset consuetudo rationabilis & legitimè præscripta : vel (*vt Syluester loco cit. addit*) etiamsi præscripta non sit, rationabilis tamen est, & scienter tolerata à legislatore non reclamante cùm possit. Hæc confirmatur ex eo, quod habetur in cap. Cùm dilectus eod. tit. quòd consuetudo sit optima legum interpres. Adde & quòd possit tollere legem humanam ex cap. In istis distinct. 4.

Sexta regula est. Quòd homo vbi non peccat mortaliter, non incurrat in excommunicationem maiorem. Vide ante dicta libro nono num. 176. & aliquot sequentibus.

Nu. 123. Postrema regula est. In quouis casu omittentem facere id quod lex imponit, excusari posse à peccato mortali (non tamen à veniali prout ex Palud. Syluestro & Caiet. habet Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 43.) si bona fide & absque contemptu, iusta de causa, aut etiam (iuxta Caiet. in verbo Præceptum sub finem ex apparente ei excusatione) existimet se mortaliter non peccare omittendo, nullo modo omissurus si peccatum mortale esse existimaret. Quam regulam tanquam de se rationabilem & timoratis conscientiis fructuosam sine confirmatione memorati authores proponunt: nisi quòd D. Anton. insinuet posse confirmari ex eo, quòd ratione periculi quandoque agi possit contra legis verba: quod patet ex iis quæ dicta sunt in antè memorato cap. 8. parte posteriore.

Porro si consilium petenti aut danti secundùm has regulas tentator obiiciat illud Ecclesiastici, 3. Qui amat periculum peribit in illo. Occurrendum est, hominem sequendo traditas regulas, non exponere se peccandi periculo, sed potius eas nõ sequendo. Si secundo obiiciat illud ex cap. Ad eius, dist. 5. bonarum mentium esse ibi etiam suas culpas agnoscere, vbi culpa non est. Occurrendum est *ex glosa ibid. in verbo Cognoscere*: quòd sensus sit, quẽlibet posse, dummodo non credat contrarium, se peccatorem dicere: si non ex peccato, quod cognoscat, saltem ex aliquo occulto, cui ex humana fragilitate se obnoxium esse putare potest. Aut (quemadmodum post Gersonem D. Antoninum & Conrardum notat Cordubensis) sensum esse, quòd bonarum mentium sit præcauere culpam tempestiuè, eiúsque vitare occasiones antequam ipsa adsit. *Nu.* 124.

Adde ex Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 285. esse signum bonarum mentium, non autem constituere bonas mentes: sicut albugo innatans vino veteri, signum est boni vini, non bonum vinum. Si denique opponat, quòd consentaneum sit hominem facere illud omne quod constitutus in articulo mortis faceret aut se fecisse vellet. Occurrendum est, quamuis id haberi possit pro salutari consilio; non esse tamen tanquam præceptum ex obligatione seruandum: vt Syluester in verbo Scrupulus quæst. 3 sub finem probat ex eo, quòd talis obligatio adigeret hominem ad desperationem & insaniam. Adde quòd, vt rectè notat Cordubensis, homo in articulo mortis constitutus, quædam teneatur facere, quæ non tenetur in tota reliqua vita : quale est disponere de domo sua per testamentum. Non sunt tamen ista sic accipienda, quasi velimus negare beatos esse, qui ita esuriunt & sitiunt iustitiam, vt semper, quantum possunt, aliquid supererogent, & dent mensuram bonam & confertam & coagitatam: quia eadem mensurâ remetietur illis. Beatos item illos qui semper sunt pauidi, & timent ne minus fecerint, quàm debuerint: dummodo in ea re seruent prudentiæ moderationem; neque nimiùm iusti sint: ne fortè dum nimium emungunt, eliciant sanguinem.

TRACTATVS III.

De lege diuina, quæ lex est æterna supernaturaliter reuelata.

LEx diuina tribus modis dicitur. Primò, de omni ea quæ authoritate Dei lata est, & cuius transgressione Deus offenditur. Secundò, de ea quæ lata est à Deo, & intimatur nobis, non per naturalem instinctum, vel humanam authoritatem, sed per præcepta supernaturali fidei lumine nobis nota. Tertiò, pro tota religionis summa, quæ non tantùm supradictis præceptis, sed etiam promissionibus, cultu, doctrinâ, institutis, officiorum gradibus & id genus aliis continetur: quo modo accipitur Matth. 5. cùm à Domino dicitur: Non veni soluere legẽ sed adimplere. In secunda autem acceptione de lege diuina hic loquimur, vt & D. Thomas 1. 2. quæst. 98. & nouem sequentibus, vbi copiosè de ea disserit: & cum eo interpretes ipsius Caiet. Medina & Gabriel, Vasquez in suis commentariis, Sotus in toto lib. 2. de iust. & iure, & D. Anton. 1. part. titul. 14. & 15. Tantùm autem quæ ad nostrum institutum facere & sufficere videntur

videntur attingemus, & ad tria capita reuocabimus: quorum primum erit de ipsa lege diuina in vniuersè, secundum de lege veteri, & tertium de lege noua.

CAPVT XIII.

De diuina lege vniuersè.

SVMMARIVM.

125 *Quadruplex necessitas diuinæ legis positiuæ, indicata verbis Psalm. 18. Lex Domini immaculata, &c.*
126 *Definitio qua declaratur quid eadem lex sit.*
127 *Cur ante Christi aduentum data sit solis Iudæis, & post aduentum, data etiam cæteris.*
128 *Quæ propria sunt legis diuinæ positiuæ, quomodo proportione respondeant iis quæ propria sunt legis naturæ.*
129 *Qualitates quatuor diuinæ legis positiuæ.*
130 *Effectus eiusdem.*
131 *Diuisio illius in veterem & nouam qualis sit.*

DE diuina lege positiua vniuersè quinque explicanda occurrunt : existendi necessitas, natura, qualitates, effectus, & diuisio.

Necessitas diuinæ legis positiuæ.

Nu. 125. EXistendi autem necessitas esse potest, illa quadruplex quam ex verbis Psalm. 18. Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium fidele, sapientiam præstans paruulis] notant post D. Thomã 1. 2. quæst. 91. art. 4. D. Anton. & Sotus, ille in cit. tit. 14. cap. 1. & hic in cit. lib. 2. quæst. 1. art. 1. Tum vt tanquam immaculata, mala omnibus prohiberet, & bona omnibus præciperet, quod neque lex naturalis neque humana vel sciuit vel potuit. Solus enim Deus nouit quid vbique æquum sit & bonum omnibus & singulis : quidque expediat, atque solus circa illud potest humanæ infirmitati & ignorantiæ subuenire. Tum vt hominem quoad actus interiores, *vnde dicitur conuertens animas*, dirigeret: qua in re lex humana defectum legis naturalis supplere non potuit, iuxta illud cap. Erubescant distinct. 32. De manifestis loquimur: occultorum enim cognitor & Iudex est Deus. Tum vt haberet homo regulam certam & fixam, quâ firmaret iudicium suum de rebus agendis, plerumque incertum, ac etiã præposterum: propter obscuratum in eo naturale ingenij lumen per peccatum: indéque illa dicitur, *testimonium Domini fidele*. Tum demum, vt quò ratio humana pertingere non potest in iis quæ hominem ordinant ad suum supernaturalem finem; eò lex diuinitus tradita eam proueheret. Vnde dicitur *sapientiam præstans paruulis*.

Definitio diuinæ legis positiuæ.

Nu. 126. NAtura verò, definitione hac aptè declaratur: qua dicitur esse lex à Deo tanquam gratiæ authore, immediatè instituta, & supernaturali quodam lumine nobis nota. Ex cuius definitionis prima parte, *in qua lex diuina communicat cum naturali*, intelligitur ea, quæ de legis naturalis immutabili obligandi vi dicta sunt in præced. tractatu cap. 2. accommodanda quoque esse ad hanc legem, quæ sicut illa, est à Deo immediatè. Ex secunda parte verò, *A Deo tanquam authore gratiæ* (per quam separatur à lege naturali lata à Deo tanquam authore naturæ) intelligitur; quòd vt Deus per gratiam meritis Christi euexit hominem ad præcellentem statum, in quo regni cœlestis hæres constitueretur: sic legi naturali, supernaturaliter reuelatam addidisse, vt populus ad Christum ipsum spectans, prærogatiuam quandam sanctitatis, propter ipsius Christi reuerentiam, obtineret.

Hinc (*vt D. Thom. 1. 2. quæst. 98. art. 4.* annotat) lex vetus data est soli populo Iudæorum, propter promissionem à Deo factam patribus ipsorum: nimirum ex eis nasciturum Christum, iuxta illud ad Galat. 3. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius, &c.] Nempe, quia dicebat, *inquit D. Thomas*, vt ille populus ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali sanctitate polleret, iuxta illud Leuit. 19. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.] Quodquidem multo maiore ratione iam existimandum est de populo Christiano: *qui in ipsius Christi societatem vocatus, ex priori ad Corinth. cap. 1. debet quemadmodum ille ambulauit & ipse ambulare, 1. Ioan. 2.* tenetur ad maiorem morum integritatem & sanctitatem, vt patet per illud Domini Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum.] & illud Apostoli ad Hebr. 12. Si illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur: multo magis, qui de cœlis loquentem nobis, auertimus.] *Nu.* 127.

Ex vltima denique definitionis parte, *supernaturali lumine nobis nota*, intelligitur lumen fidei Catholicæ, respectu huius legis idem esse, quod syndereſis est respectu legis naturalis. Est enim legis æternæ inscriptio quædam supernaturalis, facta in mentibus fidelium, iuxta illud quod ad Hebr. 8. D. Paulus vsurpat ex Ierem. cap. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum superscribam eam.] Atque vt variæ dantur propositiones practicæ seu agendi regulæ per syndereſim notæ : sic etiam dantur per fidem notæ ; ostendentes quid ad supernaturalis finis consecutionem à nobis requiratur: quales magna ex parte, sunt in sacris libris expressæ. Dico magna ex parte : quia neque tales omnes, neque solæ, sunt iuris diuini. Nam in nouo etiam testamento multæ sunt leges humanæ : vt quòd mulier oret velato capite, nec tondeatur, in priori ad Corinth. cap. 11. Quòd Episcopus non sit neophytus aut bigamus 1. ad Timoth. 3. Abstinendum esse à sanguine & suffocato. Act. 15. & nõnullæ aliæ. Deinde leges de Sacramentorum formis & materiis diuinæ sunt : nec tamen omnes in sacris literis expressè continentur: quod idem est dicendum de aliis traditionibus diuinis. *Nu.* 128.

Porro dictamen practicum fidei perinde ac dictamen syndereſeos, applicatur per conscientiam ad iudicandum in particulari de actibus humanis, an peccata sint nécne: itaut super ea re nihil speciale occurrat addendum dictis in præced. tractatu.

Qualitates & effectus diuinæ legis positiuæ.

QValitates legis diuinæ positiuę sunt eę quarum antè meminimus ex Psalm. 18. nẽpe quòd immaculata sit, seu omnis erroris vitiique expers. Item quòd conuertens animas, seu reformatrix sit animarum: quibus interiores infirmitates ipsarum detegẽdo, facit confugere ad medicum qui eas sanet. Præterea quòd fidelis, id est, firma & immutabilis: vt pote *Nu.* 129.

ab eo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab eo instituta qui meritò dicit Malach. 3. Ego Dominus & non mutor. Denique quòd sapientiam præstans paruulis: id est, instructio sit supernaturalis abscondita à sapientibus & prudentibus, & reuelata paruulis; quámue capiunt, & sapidam experiuntur, non elati & opinionibus turgidi: sed humiles, & in obsequium Christi captiuantes intellectum.

*Nu.*130. Effectus eiusdem legis præcipui sunt. Ex parte quidem intellectus illuminare: iuxta illud citati Psal. 18. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos] Ex parte verò voluntatis hanc suaui affectu complere; iuxta illud quod ibidem additur: Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa, Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum.] Qui duo effectus constituunt illam huius vitæ fœlicitatem, de qua Psalm. 93. Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Beatus homo quem erudieris Domini, & de lege tua docueris eum.] Ad prioris autem effectus cõsecutionem disponimur imploratione diuini auxilij orando cum Dauid in Psalm. 118. Reuela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua.] Ad consecutionem verò posterioris, obseruatione ipsius legis: vt patet ex eo quod in cit. Psal. 18. ad verba illa, *dulciora super mel & fauum*, additur. Etenim seruus tuus custodit ea.]

De diuisione legis diuinæ positiuæ vniuersè sumptæ.

*Nu.*131. OBseruandum est ex D. Thom. 1. 2. *quæst.* 91. *art.* 5. cùm dupliciter possint aliqua distingui: tum vt specie omnino diuersa, sicut bos & equus: tum vt perfectum & imperfectum in eadẽ specie, sicut puer & vir: priore modo legem diuinam positiuam, vnam ac simplicissimam esse, ab vnico omnium moderatore profectam: & ad vnicum finem ordinatam: qui est hominis tam in hac, quàm in futura vita, coniunctio cum Deo: vnus enim est Deus, qui iustificat circoncisionem ex fide, & præputium per fidem; ad Rom. 3. Posteriore verò modo distingui in veterem & nouã: congruenter ei, quod ad Galat. 3. status veteris legis comparatur statui pueri existentis sub pædagogo, & status nouæ legis, statui viri, qui iam non est sub pædagogo. Quæ comparatio illustratur per illud quòd lex vetus maximè dirigeret actiones externas: idque pollicitatione bonorum corporalium & temporalium (qualis Exodi 3. facta fuit, terræ fluentis lacte & melle) atque incussione timoris pœnarum temporalium: perinde ac pædagogus solet puerum, ętate iudicióque infirmum. Lex verò noua dirigat imprimis actiones internas, & hoc pollicitatione spiritalium & æternorum bonorum: atque filiali erga Deum timore, quem parit charitas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum qui datus est nobis ad Rom. 5. prout regi solent, qui matura sunt ætate & iudicio.

CAPVT XIV.

De veteri lege.

SVMMARIVM.

132 *Cùm promissus sit Christus omnibus gentibus, cur soli populo Israelitico data sit lex vetus.*
133 *Ratio, quòd ipsi semen essent Abrahæ, de quo nasciturus erat Christus.*
134 *Lex vetus obligauit solos Iudæos, cæteriſque fuit tantum in consilio.*
135 *Præcepta veteris legis, triplicia: moralia, ceremonialia, & iudicialia.*
136 *Ceremonialia & iudicialia nunc neminem obligant.*
137 *Ceremonialia sunt mortifera, & cur.*
138 *Iudicialia non item, & cur.*
139 *Cur Christiani vetus Testamentum seruent & venerentur.*
140 *Quatenus in iudicio de peccatis, vsus sit illius.*

VAMVIS Christus non tantùm Israëlitis, *Nu.*132. sed etiam gentibus promissus fuerit, iuxta illud Isaiæ 49. Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ;] & illud D. Petri Act. 10. In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Diuina tamen voluntas fuit, legem veterem tanquam venturi Ecclesiæ sponsi figuram (iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 10. Omnia in figura contigebant illis) ad terram è cœlo transmittere tradendam vni populo Israëlitico: non quidem ob eius aliquas speciales iustitias, cùm durissimę ceruicis populus esset, ex cap. nono Deut. sed ob promissionem factam Abrahæ, ex quo ille traxit originem.

Fides enim & obedientia Abrahæ volentis Deo *Nu.*133 iubente vnicum filium suum dilectum immolare: meruit saltem de congruo, vt dato quòd Deus ipse statuisset filium suum carnem humanam assumere, ex eiusdem Abrahæ potius, quàm ex alterius semine nasceretur, prout potest non obscurè deduci ex illis verbis Gen. 22. Per memet ipsum iurauí dicit Dominus: eo quod feceris hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me: Benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo (ideſt in Christo, vt D. Paulus interpretatur ad Galat. 3.) omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Ex Abrahæ autem filiis, hæres dictæ promissionis constitutus est solus Isaac per illud Gen. 21. In Isaac vocabitur tibi semen.] Et ex filiis Isaac, solus Iacob per illud Gen. 25. Maior seruiet minori.] & illud Malach. 1. Iacob dilexi, Esau autem odio habui] Quare congruum fuit, vt præ cæteris, populus Israeliticus, totus ex posteris Iacob constatus, acciperet eam legem quâ mundo prænuntiabatur Christi aduentus; tradebatúrque specialis cultus religionis, quem Deus vsque ad eumdem aduentum, sibi exhiberi volebat. Sic D. Paulus ad Rom. 9. cùm talis prærogatiuæ populi Israelitici meminisset, inquiens, Optabam ego anathema esse pro fratribus meis qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, testamentum & legislatio, & obsequium & promissa.] causam illius fuisse supradictam promissionem iudicauit cùm subiunxit: Quorum patres ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Accedit quoque illa ratio, quã in precedenti cap. ex D. Thom. retulimus: quòd ob Christi reuerentiam congruum fuerit, populum ex quo nasciturus erat, prærogatiuam sanctitatis habere; ideóque legem accipere; quâ donec Christus perfectæ sanctitatis author veniret, in officio contineretur, prout solet puer à pædagogo iuxta illud Apostoli ad Galat. 3. Priusquam veniret fides, in lege custodiebamur cõclusi in eam fidem quæ reuelanda erat: Itaque lex pædagogus noster erat in Christo Iesu. At vbi venit fides, iam non sumus sub pedagogo.

Ex

Ex quibus D. ipse Thomas prima secundæ, quæst. 98. art. 5. infert, ad veteris legis obseruationem obligatos fuisse solos Israëlitas: *vnde & ipsis solis fuit promulgata Exodi cap. 20. & sequentibus*; cæteris autem populis fuisse tantùm in consilio: perinde ac laicis est status Clericorum: & sæcularibus status religiosorum: nempe vt perfectior & securior: non autem sic necessarius, vt extra eum salus obtineri non posset. Sicque accipiendum est illud Exod. 12. Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum eius; & tunc ritè celebrabit, erítque sicut indigena terræ. Quod cõsilium sequuti sunt illi, de quibus dicitur Esther 8. Plures alterius gentis & sectæ, eorum religioni & cæremoniis iungebantur.

De obligatione præceptorum veteris legis.

*Nu.*135. NOtãdum tamen est cùm lex ipsa vetus tria præceptorum genera contineret, *prout indicatur illis verbis Deut. 6. Hæc sunt præcepta, cæremoniæ atque iudicia quæ mandauit Dominus vobis.* primum moralium, de iis quæ naturali ingenij lumine cognoscuntur agenda esse vel fugienda: vt actus virtutum & vitiorum: secundum cæremonialium, de sacrificiis & cæremoniis quibus Deus specialiter coli volebat: tertium iudicialium, de iis quæ pertinerent ad humanam societatem ritè seruandam in populo, à quo ob Christi reuerentiam exigebatur prærogatiua sanctitatis: cuiusmodi præceptorum cognitio, naturali ingenij lumine haberi non potuit, sicut nec cæremonialium; etiãsi generaliter ratio doceat, in omni societate humana retinendum esse debitum ordinem hominum inter ipsos: deóque supremum cultum deferendum esse & sacrificium offerendum. Cùm inquam lex vetus tria hæc præceptorum genera contineret, moralia obligabant omnes, sicut & nunc obligant adhuc; non quidem vt præcepta veteris legis, & in veteri Testamento tradita, *vt bene notat Sotus in 2. de iust. & iure quæst. 5. art. 4. concl. 2.* sed vt præcepta legis naturæ; quæ vim & efficaciam habent ex ipso naturalis rationis dictamine.

*Nu.*136. Cæremonialia verò & iudicialia, solos Iudæos obligabant: & hoc non tantùm sub pœna in foro externo; sed etiam sub culpa in foro interno: vt argumento est, quòd in sacra Scriptura, passim illa quæ ab eis aduersus talia præcepta committebantur, arguantur tanquam peccata. Nunc autem neminem, ne quidem ex Iudæis, obligant vt D. Paulus in epist. ad Rom. & ad Galat. & ad Hebr. ostendit. Vnum argumentum ipsius attigisse sufficiet quod in cap. 8. epist. ad Hebr. sumit ex Ierem. cap. 31. vbi Deus pollicitus erat nouum Testamentum. Dicendo, *inquit D. Paulus*, nouum, veterauit prius: quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.]

*Nu.*137. Cæterùm sic mortua est lex vetus, vt præcepta illius cæremonialia facta sint obseruantibus mortifera; non item iudicialia. Rationem D. Thomas 1. 2. *quæst.* 104. *art.* 3. reddit: quòd cùm vtraque fuerint præfiguratiua Christi & Ecclesiæ Christianæ, ac Sacramentorum nouæ legis, *iuxta illud prioris ad Corin. cap.* 10. Omnia in figura *contingebant illis*: cæremonialia principaliter instituta fuerunt ad præfigurandã Christi & Ecclesiæ Christianę mysteria quatenus futura. Quo fit vt obseruari nequeant absque præiudicio veritatis fidei: quã profitemur illa mysteria iam esse completa. Et quia facere aliquid eum præiudicio veritatis fidei, peccatum est mortale: fit quoque, vt talis obseruatio sit mortifera, etiam vsurpanti illam ex deuotione, *vt circuncidenti se ex deuotione imitandi Christum*, prout contra Caietanum Sotus in cit. art. 4. versus finem, rectè ostendit. Et satis patet ex verbis Apostoli ad Galat. 5. Si circuncidamini, Christus vobis nihil prodest.]

Iudicialia verò non fuerunt principaliter instituta *Nu.*138. ad præfigurandu, sed ad ordinandum statum & formam populi, ex quo Christus nasciturus erat: minus principaliter tamen ac secundariò præfigurabant, (cùm illi populo omnia contingerẽt in figuris) ideóque post quam Christus venit, & pro humano genere dignatus est mori: illa cessarunt quidem, vimque amiserunt obligandi; quia mutatus est eiusdem populi status, ob quem retinendum & conseruandum obligabãt (ad quod facit illud ad Hebr. 7. Translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat) non tamen mortifera sunt sicut cæremonialia: quia cùm de se non ordinarentur ad præfigurandum; obseruatio ipsorum absolutè non præiudicat veritati fidei. Vnde si Princeps aliquis præciperet ea in suo regno obseruari, nec ipse peccaret præcipiendo, nec subditi obediendo: *ex eodem D. Thoma in cit. art.* 3. nisi fortè obseruarentur, vel obseruari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis institutione: quia ex tali intentione obseruatio esset mortifera eadem ratione qua obseruatio cæremonialium.

Consequens est ex dictis, Christianos in sacro ca- *Nu.*139. none obseruare ac venerari vetus Testamẽtum, non quod præceptis illius obligentur. Nam à tali obligatione perinde liberi sunt ac vidua (*quod est exemplum D. Pauli ad Rom.* 7.) à iure matrimonij libera est mortuo viro; sed quòd eis conferat ad notitiam mysteriorum Christi, quæ in illo prophetata fuerunt: ad illorúmque confirmationem vtiliter ipsum legatur & intelligatur; prout D. Aug. epist. 19. annotauit; congruenter ei quod Dominus dixit Iudæis Ioan. 5. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitã æternam habere; & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.] Et paulo inferius: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille, scripsit.]

Consequens est etiam quod cùm lex ex vi obligã- *Nu.*140. di habeat quòd sit regula iudicandi de peccatis: & vt Sotus notauit *in cit. concl.* 2. nullum testimonium veteris legis, prout tale, possit Christianis proponi tanquam vim habens obligãdi: consequens est inquam, nihil ad hoc nostrum institutum attinere, vt de illius præceptis dicamus: nisi de moralibus: non quidem vt illius, sed vt legis naturæ sunt præcepta: aut etiam nouæ legis. Ea verò Decalogo continentur vel ad eum reducuntur, ex quo de peccatis iudicandi rationem, ex instituto in sequenti tomo persequemur, iuuante Deo.

CAPVT XV.

De noua lege.

SVMMARIVM.

141 *Lex noua cur sic dicta.*
142 *Illius à lege veteri differentia, quòd omnes obliget, nec sit timoris seruilis, sed filialis.*
143 *Lex noua consistit potissimum in gratia Spiritus sancti & charitate.*
144 *Nouæ legis præcepta duplicia, & quæ sub eam cadant, quæque non cadant.*
145 *Moralia sunt eadem in noua lege quæ in veteri: sed facta auctiora.*
146 *Omnia reuocãtur ad præcepta Decalogi, & quomodo.*
147 *Lex noua vigebit vsque ad finem sæculi.*
148 *Potestas Papæ circa eam, quòdque non semper obliget ad mortale.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nu.141 LEx diuina positiua dicitur noua, respectu veteris ante descriptæ; quam euacuauit *ex cap.2.Epist.ad Ephes.* non quidem illam destruendo sed perficiendo adimplendóque: dum ei, *quæ erat vmbra futurorum ex cap.2. Epist. ad Colos.* superaddidit veritatem adumbratam: perinde ac imago carbone adumbrata, non destruitur superadditione viuorum colorum, sed perficitur. Hinc Dominus Matth.5. ait, Non veni legem soluere, sed adimplere; & Apostolus ad Rom.3. An igitur per fidem destruimus legem? absit, sed statuimus.]

Nu.142. Non solos autem Iudæos sicut olim vetus, sed omnes gentes lex noua obligat, dicente Domino Matth. vltimo Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritussancti: docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis] & Marci vlt. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.] Atque vt intelligatur quænam sint præceptorum genera, per quæ talis obligatio imponitur, aduertendum est id quod iam ante attigimus; statum nouæ legis à statu legis veteris in eo differre, quòd hic fuerit quasi paruulorum, qui nihil differunt à seruis ex cap. 4. ad Galatas: ille verò quasi virorum, eorúmque liberorum, *siquidem ex eodem capite, non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit*: qui ducuntur non timore seruili sed amore filiali. Vnde inquit idem Apost. ad Rom.8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.]

Nu.143. Quę cùm ita sint, fit (quod notatum est à D. Thom. 1.2.*quæst. 106. art.1.*) vt lex ipsa noua talem statum constituens, potissimum consistat, vimque suam positam habeat in gratia Spiritussancti, charitatéve, quæ fidelibus in Christum credentibus, nisi obicem ponant, datur: iuxta illud ad Rom.5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.] Et quia in tali animæ robore, quo voluntas humana ad conformandum se diuinæ præcipienti vel prohibenti, prompta expeditáque redditur: plus momenti inest ad vitæ sanctitatem, quàm in præceptis quibus verbo aut scripto diuinitùs tradito, diuina ipsa voluntas nobis proponitur ac intimatur: fit etiam vt status legis nouæ spectetur ex Spiritussancti gratia seu interiore charitatis affectu: quem legis nomine appellare nec alienum est à Scriptura sacra, cùm D. Paulus ad Rom. 7. inclinationem appetitus sentientis vocet legem membrorum: nec à communi loquendi vsu, cùm dicamus communiter ea quæ fiunt à rebus, inclinatione appetitus naturalis, fieri naturali lege. Atque eo modo spectatur is status Ierem.31. cùm de eo prædicitur (interprete D. Paulo ad Hebr.8.) Dabo legem meam in visceribus eorum & in corde eorum scribam eam. Item cùm in cap. 3. poster. ad Corinth. Apostolus ipse ait Manifestati, quòd Epistola estis Christi, ministrata à nobis & scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis cordis carnalibus.] Cùm igitur status nouæ legis, primò ac præcipuè pendeat ex gratia, quam Spiritussanctus infundit in corda: fit tandem vt omnia præcepta vltra fidei articulos (de quibus tamquam speculatiuæ considerationis hîc non agimus) diuinitùs tradita ad statum eum ordinandum, sint de operibus quibus ipsam gratiam oportet quasi stipatam esse, siue antecedendo in genere causæ: cuiusmodi opera, sunt vsus Sacramentorum: hoc est baptismi & aliorum, per quæ vt per canales quosdam, gratia à Christo perenni illius fonte, in animas deducitur: siue consequendo in genere effectus: cuiusmodi opera, sunt quæ fiunt præsidio eiusdem gratiæ seu fidei per charitatem operantis.

De nouæ legis præceptis & obligatione.

ATque ita nouæ legis præcepta ad quorum obseruationem obligamur, ad duo prima genera reuocantur: siquidem alia sunt de operibus iis quæ sunt vsus Sacramentorum; & alia de operibus iis quæ sunt vsus fidei per charitatem operantis: de qua ad Galat.5. In Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet neque præputium; sed fides quæ per charitatem operatur. Circa quæ præcepta occurrunt quædam hoc loco annotanda. Primum est, *quod insinuat D. Thomas in cit. art. 1. & in seq. 2.* In lege noua quæ est lex amoris & libertatis, tantùm dari præcepta de operibus, quæ cum antedicta gratia necessariam habent conuenientiam vel repugnantiam: Cætera verò quæ non habent, relicta esse determinationi humanæ, arbitrióve hominum: ea quidem quæ ad communem vtilitatem pertinent, arbitrio Superiorum siue temporalium siue spiritualium, iuxta cuiusque authoritatem: ea verò quæ ad vnumquemque singulatim spectant, arbitrio vniuscuiusque. Itaque non vt de Sacramentis, per quæ infunditur diuina gratia in animas nostras; ita & de sacramentalibus, hoc est, de dispositionibus ad Sacramẽta conficienda vel suscipienda, lex noua habet præcepta diuina: sed determinatio ipsorum est Ecclesiæ relicta à Christo. Similiter quia gratiæ opera, id est, quæ tãquam effectus sequi debẽt gratiam, sunt necessariò actus virtutum, lex quoque ipsa noua habet quidem, *sicut & lex vetus*, præcepta moralia de actibus virtutum, secundùm ea quæ de se ad rationem virtutis pertinent: non tamen ceremonialia de determinatione eorumdem actuum in ordine ad Dei cultum: neque iudicialia de determinatione item eorumdem, in ordine ad proximum: quia Christus Dominus dispositioni eorum qui sub ipso cum legitima potestate, curam cæterorum gererent, reliquit talem determinationem, non pertinentem de se ad rationem virtutis à qua procedunt illi ipsi actus cadentes sub legem diuinam. Non enim ad orationem, *exempli gratia*, prout ea est actus virtutis religionis, de se pertinet, vt fiat tali certo loco, vel tempore: aut cum illa certa corporis dispositione. Neque ad iustam restitutionem quæ actus est virtutis iustitiæ, pertinet vt fiat in duplum, vel in quadruplum & sic de similibus. Nu.144.

Secundum notandum est. Præcepta moralia nouæ legis eadem esse, quæ veteris: licet, quia referuntur ad ordinationem status perfectioris, facta sint auctiora, creueritque lex diuina, vt quoad credenda (siquidem quæ pertinent ad sacrosancta mysteria Trinitatis & Incarnationis, atque alia de Christo, multo explicatiùs traduntur in noua lege quàm in veteri) ita etiam quoad agenda. Nam cùm Dominus Matth.5. dixisset, Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum] præcepta moralia, prout requirebat maior iustitia, fecit auctiora: vt præceptum Non occides: inquiens, Audistis quia dictum est antiquis Non occides: qui autem occiderit reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iratscitur fratri suo, reus erit iudicio.] Item præceptũ Non mœchaberis. Ego autem dico vobis quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.] & sic nonnulla alia: vt videre est ibidem; dum Dominus ipse vltra ea quæ de se mala sunt, prohibet eorumdem occasiones: atque voluntatis nostræ intentionem in agendo, ordinat ad perfectionem; prohibendo ne in nostris actionibus humanam gloriam aut Nu.145.

aut diuitias quæramus. Inquiens in sequen. cap.6. Attendite ne iustitiam vestrã faciatis coram hominibus, & videamini ab eis:] & postea Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra vbi ærugo & tinea demolitur & vbi fures effodiunt & furantur, &c. Thesaurizate autem vobis in cœlo.] Denique ad præcepta de moderando affectu honoris, diuitiarum, & voluptatum, quo voluntas ad consensum peccati trahitur; addidit consilia obedientiæ, castitatis, & paupertatis perpetuæ: quibus voluntas talibus bonis se penitus abdicat.

Nu.146. Tertium notandum, *de quo D. Thomas 1.2.quæst.100. art.3.* Præceptis Decalogi, cætera omnia moralia cõtineri: generaliora quidem, tanquam principia in conclusionibus: specialiora verò, tanquam conclusiones ex eis deductæ. Quo fit, vt quemadmodum omnia rerum genera ad 10. summa reducantur, quæ categoriæ dicuntur: sic omnia præcepta moralia ad decem præcipua quæ decalogum constituunt reuocentur. Ex quorum etiam distinctione, sicut res ex distinctione summorum generum, inter se distinguũtur: ac consideratio cuiusque eorum in hac disciplina, reuocatur: tanquam pars quædam, ad considerationem illius præcepti Decalogi, ad quod reduci potest, tanquam conclusio ad suum principium.

Nu.147. Quartum est. Legis nouæ obligationem perseueraturam esse ad finem mũdi vsque: iuxta illud Matth. 28. Docentes eos seruare quæcumque mandaui vobis: & ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Et D. Thomas 1.2.*quæst.106.art.4.* confirmat ratione: quia Deus legem condidit vt per illius obseruationem perducat hominem ad beatitudinem: quod cùm lex noua perfectè præstet, non est expectanda illius in aliam mutatio; sicut expectata est veteris legis, quæ nihil ad perfectum adduxit ex cap. 7. Epist. ad Hebr. Post finem mundi verò euacuandam esse quoad materiam imperfectam, aliquorum præceptorum, *nempe fidei, & Sacramentorum significantium vitæ æternæ bona expectanda*: patet per illud Apost. 1. ad Corinth. 13. Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.

Porro perinde lex noua ac lex naturalis præferenda est omni consuetudini & constitutioni humanæ prout ex professo confirmat Gratianus distin. 8. & 9. itaut nulla consuetudine vel lege humana ei derogari possit: neque in ea cum quoquam dispensari à Papa, etiamsi tanquam generalis commissarius Dei, in plenitudinem potestatis assumptus sit cap. Qui se scit. 2. quæst. 6. Confirmatúrque ex eo, quòd Matth. 16. illi in persona D. Petri à Christo dicatur Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

Nu.148. Hoc ipsum de Papa ex D. Thoma referens Syluester in verbo Papa quæst. 19. admonet non esse intelligendum quoad particulares determinationes legis diuinæ: quæ vt ante diximus à Christo relictæ sunt humano arbitrio, itaut omnes tam in ordine ad Deũ, quàm in ordine ad proximum sint iuris humani; cùm tamen in veteri lege essent iuris diuini, constituentes præcepta ceremonialia. Nec item intelligendum esse quoad ea quæ etsi contineantur in doctrina Apostolorum, non sunt tamen statuta à Deo, sed ab ipsis Apostolis: vt à D. Paulo in priori ad Timoth. cap. 3. Ne bigamus promoueatur ad Episcopatum. In quo præcepto Papam dispensare posse patet ex cap. Lector distinct. 34. vbi glosa id notat & in exemplum adfert quòd Lucius Papa dispensauerit cum Archiepiscopo Panormitano, qui bigamus fuit. Nec denique intelligendum est quoad interpretationem authoritatiue (vt Syluester loquitur) datam. Nam Papam authoritatiuè, siue tanquam Iudicis authoritate fungentem, posse legem diuinam interpretari quoad præcepta viuendi: declarando scilicet in dubio, an in tali casu, tali tempore, vel loco vel in talibus personis vim obligandi habeant: vt v.g. præceptum aperiendi in confessione omnia sua mortalia peccata, in eo casu in quo mors inde immineret Pœnitenti. Patet ex eo, quòd possit ipsam diuinam legem interpretari quoad articulos fidei. Nam cùm circa illos, sicut circa hos, dubia oriri potuerint, vt experientia docet; non est negandum, quin potestatis plenitudo à Christo Domino concessa Papæ, tanquam summo omnium in Ecclesia Pastori, extendat se tam ad dicta præcepta, quàm ad ipsos fidei articulos: cùm fideles (quos tanquam Christi oues pascere debeat ac conseruare in sanctis moribus, sicut & in sana fide) vexari potuerint dubiis circa sanctos mores, sicut circa sanam fidem.

Postremum est, diuinam legem positiuam non obligare semper ad mortale, sed interdum tantummodo ad veniale: nempe cùm in materia leui versatur; vt cùm prohibet dicere verbum otiosum. De qua re plenius in sequen. lib. 15. cùm ratio distinguendi inter peccatum mortale & veniale exponetur.

TRACTATVS IV.

De lege humana per quam lex æterna tanquam, per quemdam suum radium nobis manifestatur.

VT ad legem naturalem meritò addita fuit diuina positiua: ita ad vtramque illam humana seu ab hominibus lata, addenda fuit. Primò, vt ea quæ diuina lege naturali vel positiua cõstituta essent, determinarentur ad certa tempora, personas, & modos: vt quod lex diuina positiua præcipit sumendam esse Eucharistiam, lex Ecclesiastica determinat ad tempus Paschale, & ad eos qui habent vsum rationis; in cap. Omnis vtriusque sexus De pœnit. & remiss. & quod lex naturalis docet puniendos esse fures, lex ciuilis determinat quoad modum punitionis: nempe vt fustigentur, vel suspendantur vel aliud patiantur. Secundò, vt consuleretur rudibus & ignaris, qui non possunt ex lege naturæ vel diuina positiua deducere omnia ad quæ obligantur: per legem enim, humanam de illis specialiter instruuntur. Tertiò, vt de multis quæ cùm ad humanam vitam spectent, probabiliter tantùm ex lege diuina, siue naturali siue positiua colliguntur, aliquid certi statueretur. Quartò, vt vtraque lex illa diuina, melius custoditetur; dum scilicet humana lex idem quod illa cauet, superaddita temporali pœna transgressoribus: qua de causa lex diuina dicitur murus, & lex humana antemurale cordis nostri, tanquam faciens ne Dæmoni ad illud pateat per peccatum aditus.

Legem autem humanam ferre, non est cuiusuis hominis: sed vel totius multitudinis, vel personæ publicæ seu habentis potestatem in totam multitudinem, vt D. Thomas 1.2.*quæst.90.art.3.* ex eo confirmat, quod finis legis sit bonum commune: Ordinare autem aliquid in bonum commune, sit vel multitudinis cui propositum est tale bonum: vel personæ publicæ quæ curam illius gerit. Atque sicut in populo Christiano duo sunt hominum genera ex cap. Duo sunt 12. quæst. 1. vnum Clericorum & alterum laicorum, ita duo sunt legum humanarum genera, Canonica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum seu Ecclesiasticarum: quæ partim quidem ex lege naturali, sed pro maiore parte ex diuina positiua deducuntur. Alterum ciuilium seu sæcularium, quæ ex lege naturali descendunt, vtpote per ratiocinationem probabilem collectæ ex principiis naturali lumine notis. Tam verò Ecclesiastica lex, quàm ciuilis, est aut generalis, toti multitudini communis; aut particularis, vnius de multitudine, aut paucorum propria: quale est priuilegium. Generalis rursus aut est scripta; quæ quatenus Ecclesiastica, dicitur Canon; & quatenus ciuilis, dicitur constitutio: aut non scripta quæ generali nomine dicitur consuetudo: & quatenus Ecclesiastica, dicitur traditio; quatenus verò ciuilis, dicitur mos. Ac denique tam non scripta quàm scripta distinguitur, in pœnalem & moralem: quarum illa est in qua additur pœna ab ipsius transgressore incurrenda. Hæc verò, tantùm ostendit quid sit vel non sit faciendum nec pœnam adiicit. Iam cùm lex humana vt generalis, vel vt scripta, vel vt moralis, nullam specialem difficultatem habeat, quin tollatur per ea, quæ vel tractatu primo dicta sunt in genere de lege: vel proximè dicentur item in genere de ipsa lege humana, occurrit in hoc tractatu dicendum primò, de lege humana in genere: secundò de lege Ecclesiastica seu iure Canonico; tertiò, de lege seu iure ciuili; quartò, de priuilegio; quintò, de consuetudine; sextò, de lege pœnali. Eam verò distinguemus per titulos vt locus sit ordini accommodato ad doctrinæ perspicuitatem.

TITVLVS I.

De lege humana vniuersè.

QVod in iudicio de peccatis de lege humana vniuersè, potissimum considerare oportet, & sufficit, est obligatio ipsius: ideoque omittentes cætera, vt illius originem, de qua Gratianus distinct. 7. & Pomponius ff. De Orig. iuris, lege 2. & alia non necessaria ad nostrum institutum, de eadem obligatione tractabimus quatuor capita; ad quæ reuocantur omnia ad illam pertinentia. Primum erit, De iis quæ lex humana requirit vt obligandi vim habeat. Secundum, de iis quos obligat. Tertium, de modo quo obligat. Quartum, de modis quibus tollitur eiusmodi obligatio.

CAPVT XVI.

De iis quæ necessaria sunt, vt lex humana obligandi vim habeat.

SVMMARIVM.

149 *Legem humanam oportet iustam esse, vt vim obligandi habeat.*
150 *Duo modi quibus potest esse iniusta.*
151 *Oportet item promulgatam esse.*
152 *Item post promulgationem expectatum esse aliquod tempus: non tamen in omni lege; quod in particulari declaratur.*
153 *An qui ante illud elapsum transgrediuntur legem, à peccato excusentur.*
154 *An in designatione talis temporis eadem ratio seruanda sit quoad Papales constitutiones, quæ quoad Imperatorias.*
155 *Quando constitutiones Papales obligent in prouincia in qua non sunt solemniter promulgatæ.*
156 *Quæ constitutiones Papæ non obligent ante earum promulgationem factam in prouincia.*
157 *Constitutiones Pontificiæ reuocatoriæ priuilegiorum non habent vim, donec denunciatæ sint iis quorum interest.*
158 *Quid tenendum sit de iis quibus irritantur contractus.*
159 *Quid item de nouis, quibus antiquæ reuocantur.*
160 *Explicatio conditionis requisitæ, vt lex vim habeat obligandi: nempe vt recepta sit.*
161 *Obiectio contra eamdem conditionem cum solutione.*
162 *Quando peccent qui non recipiunt legem iustam promulgatam.*
163 *In quo consistat non receptio legis, & quid intelligatur nomine communitatis cuius maiorem partem oportet non recipere legem, vt obligandi vim amittat.*
164 *Ad talem non receptionem, non requiritur scriptum, aut aliud simile signum reprobationis legis; sed contrauentio in casibus in quibus ea obseruari debebat: siue contrauenientes legem ipsam sciant, siue illam ignorent.*
165 *Lex in parte tantum recepta obligat tantum in ea parte.*
166 *Non est necesse legem vt vim habeat obligandi, scripto traditam esse.*

VT lex humana obligandi vim habeat necessarium est primò, vt iusta sit: quod D. Thomas 1.2.qu.96. art. 4. confirmat: quia vim eam accipit à lege æterna à qua derivatur. Non potest autem à lege æterna deriuari nisi iusta: vt illud Prouerb. 8. satis indicat. Per me reges regnant & legum conditores iusta decernunt. *Nu.149.*

Duobus verò modis lex humana potest esse iniusta (ad quod plenius intelligẽdum vide quod dictum est antea n.19.) vno per contrarietatem ad bonũ humanum: vt ea qua multitudini onera imponuntur: vel à non habente potestatem, vel non seruata proportionis æqualitate inter partes multitudinis; vel ob propriam cupiditatem; non ob communem vtilitatem. Altero modo per contrarietatem ad bonum diuinum: quo modo iniusta est omnis lex inducens ad idololatriam, immo ad quodcumque aliud, quod sit contra legem diuinam. Atque lex posteriore hoc modo iniusta, non solùm non obligat, sed nec licet illam obseruare: quia oportet magis obedire Deo quàm hominibus vt habetur Actor. 4. Priore autem modo, etsi non obliget de se, quia magis est violentia quàm lex: seruanda est tamen ad scandalum vel turbationem vitãdam; quandoquidem tali de causa debet homo iure suo cedere: iuxta illud Matth. 5. Qui angariauerit te mille passus, vade cũ eo alia duo, &c.] Ita de hac re loco citato D. Thomas. Videri potest Syluester in verbo Lex qu.9. exponens quatenus hæc Diui Thomæ doctrina regulariter vera, exceptionem aliquam patiatur: & in qu. 12. docens quomodo legem ferentes iniustam, peccẽt mortaliter, & tam ipsi quàm ipsorum hæredes teneantur ad restitutionem, id est, ad resarciendum damnum quod ex tali lege secutum fuerit: incurrántque in excommunicationem, si lex sit contra Ecclesiasticam libertatem. Quæ omnia cùm propriis locis tractanda sint, in illis nunc non immorabimur. *Nu.150.*

Secundò, *iuxta illud quod dicitur in cap. In istis, distinct. 4. Leges instituuntur cum promulgantur*, lex vt obligandi vim habeat, requirit vt sit promulgata publicè: vel certè ex cap. primo, De postulatione Prælatorum §. Verum (vbi Panormit. numero 9. id annotat) sit solem *Nu.151.*

solemniter edita. Ratio autem est: quia cùm lex imponatur omnibus, nec incognita seruari possit, *lege Leges. Cod. De legibus*; debet ita diuulgari, vt possit de facto ad omnium notitiam venire; sicut potest, si vel publicè & solemniter sanciatur: aut si priuatim edita sit, publicè & solemniter legatur, vel scripta in locis publicis affigatur, pro diuersa regionum consuetudine. Non esse verò necessarium, legem humanam vt vim obligandi habeat, ita publicari, vt auribus omnium inculcetur, expressum est in citato §. Verum. Et ratio est: quia lex alioqui numquam perfectè promulgaretur, cùm nulla sit quin aliquos lateat.

Nu.152. Tertiò, ad eamdem obligationem requiritur vt post dictam promulgationem aliquod tempus elapsum sit. Istud ad præcedens addendum esse ex communi sententia habet Nauar. in Enchir. *cap. 23. nu. 44.* Et patet, quando in ipsa lege præfixũ fuerit tempus, quo obligare incipiat: tunc enim lex quantumcumque iam promulgata, non obligat ante illud elapsum. Sic lex à Pio V. edita de diecndis horis canonicis secundum nouum breuiarium, & Romæ promulgata: nec Romani nisi post mensem, nec alij Itali nisi post tres menses, nec reliqui nisi post sex, se adstringi putarunt. Cum verò tempus non est præfixum; sed lex simpliciter loquitur; si ea sit generalis constitutio Imperatoris vel Regis, qui sub se habet diuersas prouincias, non obligat, nisi post duos menses ab illius promulgatione facta in eadem prouincia, in qua quis commoratur; vt habetur in Authentico Vt factæ nouæ constitutionis Collat. 5. Quod an sit quoque tenendum de generali constitutione Papæ, magna controuersia est inter Doctores, quos bono numero in vtramque partem citat Azor. *in prima par. Moral. Institut. libro quinto, quæst. tertia*, negantem tenens, vt & Gabriel Vasquez 1. 2. *disput.* 356. *cap. tertio*, Sed affirmantem in praxi tenere non est periculum, quam Glosa vltima ad sextum Decretalium, hac cõditione, *Nisi aliud in ipsa constitutione caueatur*, temperatam confirmat: quia, cùm vt leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita sacrorum statuta Canonum, Principum constitutionibus adiuuentur ex cap. 1. De noui operis nunciatione; illudque iuri ciuili sit consentaneum; nec in iure Canonico cautum sit contrarium: ipsum sanè seruari potest; præsertim cùm Papa, dum intendit statim obligare, soleat in sua constitutione id exprimere; vt videre est in cap. Cùm singula, De præbendis in 6. & in Clementina 2. De hæreticis.

De constitutionibus autem inferiorum, eorúmve qui in sua gubernatione Superiorem habent: *vt Capitulorum vel Vniuersitatum vel Episcopi*: Nauarrus loco cit. iuxta communem sententiam addit, & post eum Azor, eas obligare simul ac solemniter promulgantur & sciuntur. Cuius rei ratio est, ex Panormit. ad cap. Cognoscentes de constitut. num. 7. quòd inferiorum ditio angustior esse soleat, ideoque non sit consentaneum procrastinari obligationem; sicut in Papæ constitutione obligante vniuersam Ecclesiam. Aliam rationem adfert idem Nauar. in lib. 1. Consiliorum *tit. 2. Consil. 1. num. 16.* quòd nullo iure caueatur, vt differatur vinculum legis latæ ab eo qui est Princeps inferior. Verumtamen definitum est in cap. Vt animarum De constit. in 6. ab ea obligatione, non modo ignorantiam inuincibilem excusare; sed etiam vincibilem, nisi hæc crassa aut supina fuerit: cuiusmodi excusationem non habere locum in constitutionibus generalibus glosa ibidem annotat *ad verbum, Statuta.*

Nu.153. Duo sunt verò de quibus dubitatur. Alterum, an quod dictum est, legem Papæ, quemadmodum Imperatoris non obligare nisi post duos menses à promulgatione, ita sit accipiendum, vt censeri debeant à peccato excusari illi, qui eo tempore nondum elapso, illam trãsgrediuntur, scientes latam & promulgatam esse. Angelus enim & Syluest. in verbo Lex: *ille num. 12. & hic numero 6.* aiunt talem legem statim ligare scientes: & Sotus in 1. De iustitia & iure *quæst. 1. art. 4.* disertis verbis ait, legem Papæ vel Imperatoris à tempore promulgationis obligare: sed vsque ad duos menses quemque posse ignorantiã se protegere, quoad forum exterius, non quoad conscientiam. Vnde ex horum sententia antedicti censendi sunt peccare.

Nauarrus verò in Enchir. & apertius *in lib. 1. Consiliorum, illic in cit. num. 44. & hic, in sequenti num. 17. vbi & alios pro se citat*; censet non peccare: etiamsi consuetudo inualuerit (ait Nau. Romæ in eodem Consil. nu. 18.) vt secundùm talẽ legẽ statim ab illius promulgatione transgressores iudicentur, ac puniantur in foro externo. Quæ posterior sententia probabilior videtur hoc nomine: quòd tempus duorum mensium in supra citato Authentico præfixum obligationi legis post ipsius promulgationem, sit velut tempus inducendi quæ dantur subditis, vt suauiter ad legis obseruationem disponantur: & vt lex lata in communi pro omnibus, incipere possit eodem tempore omnes obligare: ne si alios obliget ante alios, nascatur confusio & rixa inter eosdem subditos. Licet ergo prior sententia probabilior sit in rigore, cùm lex ex ipso quòd lata est publicè, rationem habeat imperij: tamen ratio allata pro posteriore ostendit locũ esse benignæ interpretationi, intentionis Papæ, prædictum tempus concedendi quoad forum conscientiæ.

Explicatio difficultatis. An Papales constitutiones ad vim obligandi, tempus requirunt eodem modo, quo Imperatoriæ.

ALterum dubium est. An sicut in memorato Authẽtico; cùm lex est Imperatoris, duo dicti mẽses computandi sint ab ea promulgatione quæ facta est in prouincia in qua quisque commoratur: sic computandi sint similiter, quando lex est Papæ; itaut ea non censeatur quem obligare, *saltem quoad forum internum*, nisi elapsis duobus mensibus ab ipsius promulgatione facta in prouincia, in qua quisque moratur. Ac pro vtraque parte plures sunt authores, quos refert Azor. *in lib. 5. Moral. Institut. cap. 3. quæst. 3.* Affirmanti autem fauet, quòd Papæ plures, & remotiores prouinciæ subsint, quàm Imperatori; durumque videatur dicere omnes leges quæ passim motu proprio à Summo Pontifice fiunt Romæ, ligare statim à publicatione facta in Romana Curia. Negantem verò Syluest. in verbo Lex confirmat: tum quia non est necesse legem vt vim obligandi habeat, omnium auribus inculcari, ex cap. 1. De postul. Prælat. atque *(prout habet D. Thomas 1.2. quæst. 90. art. 4 ad 2.* illi coram quibus lex non promulgatur, ad eam obseruandam obligantur in quantum ad notitiam ipsorum per alios deuenit, aut potuit facta promulgatione deuenire: tum quia praxis ita habet quoad forum externum in Romana Curia, vt in præced. num. 53. ex Nauarra attigimus. *Nu.154.*

Accedit quòd cùm vix vllæ Decretales ex iis quæ iure scripto continentur promulgatæ sint in omnibus prouinciis; nullæ pene earum essent quæ obligarent in tota Ecclesia: quod absurdum est. Quo etiam argumento Nau. in lib. 1. Consiliorum vtitur in memorato Consilio, *num. 19.* Et ad id quod pro altera parte allatum est, respondet consequenter num. 20. quòd nisi consuetudo inualuisset in contrarium, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

staretur in solo iure scripto; eadem ratio in re proposita foret constitutionis Papalis & Imperatoris. Quam consuetudinem talem esse quæ fundamento legitimo nitatur, patet: tum quòd, *vt dixit quidam Ioānes Monachus*, Papa habeat pedes plumbeos non plumeos; hoc est, quòd Papa non possit ea facilitate percurrere siue per se, siue per suos Commissarios Christianum orbem, qua Imperator aut Rex potest suæ ditionis prouincias. Tum quòd Papa sit Vicarius Christi in spiritalibus, quorum cognoscendorum subditi maiorem curam habere debent, quàm temporalium in quibus Imperatori subiiciuntur. Tum demum, quòd Imperator potestatem suam habeat ab hominibus, qui se illi regendos tradiderunt, Institut. De iure naturali §. Sed & quod principi. Papa verò suam potestatem habeat à Christo dicente Matth. 16. Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis. Vnde consequens est magis cōsentaneum esse, vt lex Principis habentis suam potestatem dependenter ab omnibus suę ditionis prouinciis; in his promulgari debeat antequam obliget, quàm lex Papæ in omnibus Christiani orbis prouinciis, à quibus non habet suam potestatem.

Addit deinde Nauarr. non esse durum quod constitutiones Papales obligēt quidem ante publicationem factam in prouinciis, sed non ante tempus quod vir bonus & prudens arbitrabitur esse ad hoc sufficiens, vt subditi quibus imponuntur, illas sciant cōsideratā distantiā prouinciæ, & qualitate legis, & frequentiā hominum talis prouinciæ habitantium Romæ, aut venientium eò, & redeuntium inde. Si quos autem contigerit inuincibiliter ignorare publicationem, nemo negat eos excusari: inter quos numerandi non sunt, qui probè sciunt, aut scire facilè potuerunt aliā viā quàm per promulgationem factam in sua prouincia. Cęterùm dato, quòd, *vt notat Nauarr.* prior opinio magis sit conformis iuri scripto, & posterior consuetudini vsu receptæ; adferemus aliquot propositiones, quibus propositum dubium plenius pro praxi explicetur.

Propositiones quibus continetur proposita explicatio.

Nu. 155. PRima est. Constitutiones Pontificias vsu atque consuetudine receptas, non indigere promulgatione facta in prouincia. Hæc patet, quia leges contętæ in Decreto, & in quinque libris Decretalium, in Sexto, in Clementinis, & in Extrauagantibus, ex quibus corpus iuris canonici constituitur, non obligant ex aliqua earum promulgatione facta in prouinciis.

Secunda propositio est. Constitutiones Pontificias, quæ ex antiquo vsu, Romæ tantùm non alibi promulgantur, non requirere ad obligationem, vt in prouinciis promulgentur. Hęc patet ex regulis Cancellariæ, quæ (vt etiam habet Nauarr. in cit. num. 19.) non publicantur extra Romanam curiam, & ligant omnes degentes extra eam.

Tertia propositio est. Constitutiones Pontificias in quibus Papa exprimit se velle obligare ex eo tempore, quo Romæ facta fuerit publicè earum promulgatio, non requirere ad obligationem vt promulgentur in prouinciis. Hanc esse indubitatam, asserit Nauarr. in præced. num. 15. Et ratio in promptu est: quia tunc legislatoris voluntas obligandi ante factam promulgationem in prouincia, manifesta est: neque de eiusdem ad id potestate dubitari potest: cùm sicut legislatoris est determinare cæteras conditiones secundùm quas actum aliquem præcipit vel prohibet: ita etiam est determinare conditionem temporis ad quod vult sui præcepti vel prohibitionis obligationem referre.

Adde quòd constitutio solemniter edita liget eam scientes, aut scire debentes, antequam alia hat eius promulgatio, vt notat Panorm. ad cap. 1. De postul. Prælat. num. 10. Quod & ratio docet: quia sciens indubitanter legem impositam esse ab habente legitimam potestatem, & cum intentione obligandi ex tunc; nihil est cur nouam promulgationem expectet: quandoquidem eum qui certus est, certiorati vlterius non oportet, vt habet 31. Regul. iuris in 6. Et vt argumentatur Syluester in verbo lex quæst. 6. in fine; frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus. Adhæc constitutiones Concilij Trident. sicut & cæterorum Concil. generalium, editæ sunt solemniter præsentib. ex omni natione populi Christiani Prælatis, aliisque venerabilibus viris omni fide dignis, quorum authoritatem populus meritò sequi debeat: itaut ad illarum obligationem, postquam in plenam notitiam venerunt, opus non sit speciali promulgatione in prouincia. Et sic *ex Nauar. in sequenti num.* 30. ne Romæ quidem promulgatum vnquam est prædictum Concilium, sed tantùm est à Summo Pontifice confirmatum, & Bulla confirmationis publicata.

Quarta propositio est. Constitutiones generales Papæ, in quibus ipse non exprimit ex quo tempore *Nu.* 156. velit eas obligare; si quidem ius antiquum includant siue diuinum siue humanum, ad obligationem non requirere vt in prouincia promulgentur, cùm ius ipsum antiquum sufficienter talem promulgationem sua obligatione suppleat. Si verò non includant ius antiquum, sed nouum constituant, vt bulla Pij Quinti de censibus, & quædam aliæ, difficile esse statuere, an vt in foro externo, *iuxta vsum scilicet in Romana curia receptum cuius ante ex Nauarr. meminimus*, sic in interno obligent ante factam earum promulgationem. Quam difficultatem Nauarr. *in lib. 1. Consil. tit. 2. Consil. 1. num. 32.* satis indicauit cùm dixit illius determinationem requirere Summi Pontificis sententiam.

Et quamuis idem author significet obligare in foro etiam interno; tamen probabilitate nō caret (*vt fatetur Greg. à Valen. 2. 2. disput. 7. q. 5. punct. 5.*) opinio contraria Soti *in 1. De iust. & iure quæst. 1. art.* 4. existimantis non esse credendum, quòd summi Pontificis voluntas sit, vt sua constitutio obliget antequam promulgata sit in prouincia, nisi expresserit tempus in quo vult omnes obligare: vt dicēdo ex nunc, prout ex tunc: & ex tunc, prout ex nunc, omnes vbique obligari. Non caret inquam probabilitate: quia Summus Pontifex interdum exprimens suam constitutionem Romæ promulgatam, omnes statim obligare: aut etiam mittens eam ad Prælatos promulgandam in suis prouinciis, satis indicat quando nihil tale facit, se non habere in animo eos obligare quibus non fuerit facta promulgatio in ipsorum prouincia: præsertim cùm iuri scripto conformis sit supra memorata sententia, existimantium ad Papalis constitutionis, sicut & Imperatoriæ obligationem requiri promulgationem illius factam in prouincia: neque constet tali iuri hac in parte esse vniuersè derogatum contrariā consuetudine. Quodsi in aliqua fortè prouincia consuetudo inualuit, vt omnes Papæ constitutiones in ea recipiantur absque promulgatione ibidem facta; non negabimus eidem consuetudini standum esse in conscientia: sicut neque excusabimus à peccato illarum transgressores, si à maiori parte populi, etiamsi non promulgatæ in prouincia, sint receptæ.

Neque Nauarrus Soti sententiam tanquam probabilitate carentem reiicit. Si enim iudicaret carere ea probabilitate, quā tuta conscientia posset formari, non

ri, non definiret in eod. consilio num. 36 Doctorem, qui de censibus lecturus est, etiam ex officio, non teneri mentionem facere bullæ Pij quinti super ea re editæ, si promulgata non sit in ea prouincia in qua Lectoris munere fungitur. Nec item statueret in sequen. num. 37. non esse negandam à Confessario absolutionem ei Pœnitenti qui talibus bullis non obsequitur, iudicans se ad illarum obseruationem non obligari eoquod non sint in sua prouincia promulgatæ, ac Prælati, quorum esset illas promulgare, non modo non promulgent, sed etiam præbeant aliis exemplum contraueniendi. Quidquid sit autem, saltem idem Nauarr. ibidem num. 21. apertè admittit quod expressum est à Caiet. 1. 2. quæst. 90 art. vlt. ad ignorantiam inuincibilem, quæ à peccato excuset dictarum constitutionum transgressores eas nescientes, sufficere vt postquam Romæ promulgatæ fuerunt, Romana curia non curauerit promulgationem ad Ecclesias cathedrales peruenire: vel Prælati, ad quos illæ directè fuerint, non curauerint eas suis Ecclesiis insinuare.

Nu. 157. Quinta propositio. Constitutiones Pontificias quibus priuilegia & aliæ gratiæ reuocantur, non habere vim donec denuntiatę fuerint, extiterintve certò notæ, non solùm in eadem prouincia, verū etiam illis quorum interest. Hanc pro certissima habendā esse annotat Sotus *in 1. de iust. & iure, quæst. 1. art. vlt.* & communem esse sententiam interpretum vtriusque iuris habet ex Felino & Abbate Azor. *in 1. par. lib. 5. cap. 3. quæst. 6.* Addens eam sic intelligendam esse: vt si priuilegium datum sit priuato, non intelligatur sublatum, donec lex ipsum abrogans, sit ei denuntiata: vel manifesta: sin concessum sit ob certi pij loci aut seminarij commodū, non desinat quousque lex ipsum tollens, denunciata sit vel toti collegio, vel iis qui curam illius gerunt. Quod si toti alicui diœcesi aut prouinciæ fuerit concessum, non videatur extinctum donec abrogatio sit nota in locis quæ illic sint cæterorum capita. Verumtamen quia priuilegiorum vis pendet ex voluntate conferentis, si Papa expresè vellet reuocationem illorum statim valere, ea ante factam ipsius promulgationem iis quorum interest, valeret; vt habent Syluester & Fumus in verbo Gratia: ille num. 4. & hic num. 6. Sotus autem ex hac propositione colligit, habentem priuilegium per quod absolui possit à reseruatis, illo reuocato posse antequam reuocatio sit ipsi manifesta, vti eodem sine culpa, validéque absolui.

Nu. 158. Sexta propositio, *quam ex Panorm. ad cap. Cognoscentes De constitut. Sotus habet in citato artic. vltimo.* Lex rescindens contractum, vim habet statim ac facta est illius promulgatio: irritúsque est idem contractus, etiā factus ab ignorante inuincibiliter legem huiusmodi esse promulgatam Verūtamen, *vt idemmet Sotus addit*: quia inter contractus sunt aliqui, vt matrimonium & nonnulli alij, qui sine iniuria dissolui nequeunt: tales non debent interdici lege, nisi quæ vigere incipiat cùm promulgata fuerit in prouincia. Vnde concilium Trident. sess. 24. cap. 1. De reformat. matrimonij, decretum quod irritat clandestinum matrimonium, præcipit publicari, & explicari populo in singulis parochialibus Ecclesiis, & tempus obligationis eiusdem in vnaquaque parochia, decernit esse post triginta dies numerandos à die primæ publicationis factæ in illa ipsa parochia.

Nu. 159. Septima propositio. Constitutiones nouæ, quibus antiquæ, seu iam antea editæ, reuocantur, vim suam habent statim ac publicatæ sunt. De hac Azor. *in cit. cap. 3. quæst. 7.* Patet autem quia lex non obligat nisi ex voluntate Principis: vnde statim atque is vult & declarat se velle vt lex non obliget, cessat obligatio.

Quartum requisitum ad legis humanæ obligationem: vt sit vsu subditorum recepta.

HOc probatur ex cap. In istis distinct. 4 §. leges: vbi leges dicuntur firmari, cum moribus vtentium approbantur: & ratio optima tangitur. Nimirum, quia vt lex firmata abrogatur moribus vtentium in contrarium, id est, contrario vsu (*consuetudo enim rationabilis & legitimè præscripta tollit legem, ex cap. vlt. De consuet.*) sic moribus vtentium, seu legis vsu, ipsa firmatur, vimque accipit ligādi subditos: atque adeo non vsu, seu ea eo, quòd subditi se illi non accommodent, sed perinde agant ac solebant ante legem, suspenditur illius obligatio. Probatur item ex lege De quibus ff. De legibus: cuius verba sunt, Nam cùm ipsæ leges nulla alia de causa nos teneant, quàm quod iudicio populi receptæ sint.] Probatur denique ratione. Nam vt argumentatur Nauarr. lib. 1. consil. tit. 2. consil. 1. num. 23. tum in Enchir. cap. 23. num. 41. Lex fertur ac promulgatur cum conditione si per maiorem saltem populi partem recipiatur: prout est sentētia ab vtriusque iuris Doctoribus approbata, vt ex Abbate & Felino ad cap. 1. De treuga & pace habet Azor. *in eod. lib. 5. cap. 4. quæst. 1. idemque habet Couarr. in lib. 2. var. resol. cap. 16. num. 6. vers. 5.* Cuiusquidem sententiæ fundamentum esse potest, quòd non expediat reipublicę, homines quoad communitatem ita gubernari, vt renitentes atque inuiti adigantur ad aliquid faciendum, quod alioqui nec naturali nec diuina lege præstare tenentur. Item quòd præsumendum sit, legem, quæ à Rep. non recipitur, minimè eidem conuenire, nisi appareat contrarium. Accedit quòd iusta causa à peccato excuset transgressores legis humanæ, iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. *quæst. 96. art. 6.* Iustam causam autem videatur quis ex eo habere non seruandi legem humanam, quòd ea ab aliis nec seruetur, nec cœpta sit seruari. Cùm enim lex communem vtilitatem respiciat, conseruétque inter subditos æquitatem: author illius non est censendus velle, vnum aut alterum subditum obligare ad id seruandum, quod cæteri subditi non seruant, nec seruare cœperunt. *Nu.* 160.

Quòd verò aliqui dicunt conditionem istam habere quidem locum in constitutionibus Imperatoris & reliquorum Principum sæcularium: non item in constitutionibus Papæ: quoniam hic à Christo immediatè: & illi à populo suam authoritatem habent. Id inquam non nititur sufficienti fundamento. Nam licet laicus Princeps potestatem condendi leges acceperit à populo: eā tamen acceptā, ipse solus est superior, in quo ea residet ex §. Sed & quod Principi Institut. De iure naturali, gentium, & ciuili. Deinde Papa quidem à Christo, non à populo habet suam potestatem: sed, *sicut de sibi tradita loquitur in 2. ad Corinthios cap. 13.* D. Paulus, habet ad ædificationem, seu populi sibi commissi vtilitatem: non ad destructionem. Vnde tam in iure canonico quàm in ciuili, *quod ex dictis patet*, expressum est, ad obligationē legis requiri, vt sit vsu recepta: immo & ipsam receptam abrogari per contrariam consuetudinem, sicut habetur tum ex citata lege De quibus, tum ex cap. vlt. De consuetudine.

Sed obiciet aliquis: quòd si ad obligationem legis requiratur vt recepta sit à populo, sequatur potestatem Superioris, legem condentis pendere ex inferiorum arbitrio: quæ obiectio quærit explicationem dubij. An consensus populi legem admittentis, requiratur, vt ea post promulgationem obliget. De quo *Nu.* 161.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in vtráque parte authores refert Gabriel Vasquez *ad 1.2. D. Thomæ disput. 156. cap. 5.* negantem meritò sequens: quia si facta promulgatione lex non haberet vim obligandi nisi consentiente populo, talis consensus maioris virtutis esset quàm potestas Principis: quandoquidem posset in ipsius vsu eam omnino impedire. At id absurdum est; cùm Princeps tanquam caput populi, omne ius imperandi habeat, penèsque ipsum sit huius regimen, sicut in corpore humano penes caput est regimen cæterorum membrorum. Itaque propositæ obiectioni respondetur: quod dicitur ad obligationem legis requiri vt recepta sit à populo; non esse sic accipiendum quasi Superior sua lege obligare non possit, nisi intercedente subditorum cõsensu: sed quòd vt obligatio legis perseueret, ea firmari debeat moribus vtentium. Etenim Superior non obseruantes potest per suos executores cõpellere ad obseruationem: quæ compulsio si nullum sortiatur effectum, *remittendum scilicet malitiose subditis*, lex nihilominus obligabit quantumuis recepta non sit. Idémque iudicium est, si Princeps velit compellere; sed nequeat: quia non receptio, sicut & consuetudo, ad tollendam obligationem legis, requirit vt Princeps illam sciat, nec impediat cùm possit: sicque de illius voluntate, saltem tacita, talis obligatio cesset: alioqui perinde libera esset subditis obseruatio legis ac obseruatio consilij, nihilque interesset inter præceptum & consilium. Hæc doctrina, est Sylu. in verbo lex quæst. 6.

Responsio ad aliquot interrogationes quæ de non receptione legis fieri possunt.

Nu. 162. QVæri potest hîc 1. An peccent qui non seruant legem iustam promulgatam. Respondẽdum est peccare, nisi ignorantia inuincibilis, aut iusta aliqua causa eos excuset: vel non seruẽt Superiore sciẽte ac valente cogere, nec cogente seruare: in quoquidem casu Superior ipse videtur eam suspendere vel tollere, iuxta communem (*vt habet Nauarr. libro 1. Consil. tit. 2. Consil. primo nu. 25.*) sententiam Doctorum relatorum à Felino ad cap. 1. De treuga & pace num. 7. Itémque si totis decem annis à promulgatione nec seruata sit, nec cœpta seruari à maiori parte totius communitatis: non enim ligat lex quæ decennio recepta non est, vt asserit Nauarr. ibidem post Felinum in seq. num. 13. referentem alios in eamdem sententiam. Vnde Nauarr. ipse postea num. 32. infert constitutiones Concilij Trid. nouas (aliud est de antiquis per ipsum renouatis, quæ suam priorem obligandi vim retinent) non ligare in Polonia degentes, etiamsi eas sciant: non quidem eoquod non sint illic promulgatæ, sed eoquod non sint receptę à principio, neque per decennium postea.

Circa quæ aduerte ex Syluest. in verbo Consuetudo quæst. 7. non recipientes legem humanam sciente & tolerante legislatore, peccare duobus aut tribus primis actibus, quibus illam transgrediuntur, non autem reliquis: propterea quod ex præcedentibus illis, sufficienter apparet legislatoris voluntas, legem ipsam suspendendi aut tollendi. Qui verò transgrediuntur nesciente legislatore, vel non valente ad obseruationem cogere, cùm velit: per decennium peccant transgrediendo; postea autem (nisi lex eadem à Superiore innouetur) ob præscriptionem longi temporis, quale in proposito decennium censetur esse, excusantur à peccato.

Quæri potest 2. In quo consistat non receptio legis per quam obligatio ipsius suspenditur. Respondum est iuxta Nauarr. ibidem num. 26. consistere in desuetudine: seu in non vsu ipsius legis, dum accidit casus in quo obseruanda fuit: adeout lex non tollatur per ipsius non vsum, etiam plurimorũ annorum, cùm is fuerit absque illius cõtrauentione: legisque non receptio, de quâ hic agitur, contingat solùm dũ adest casus in quo illa obligat, nec seruatur à tota communitate: vel saltem, *iuxta receptam, vt habet Nau. in Ench. cap. 23. nu. 41. sententiam*, à maiori parte ipsius.

Quæri potest tertiò, Quænam communitas intelligenda sit in re proposita, cuius maiorem partem oportet recipere legem, vt ea obliget. De qua quæst. Gregor. à Valen. *ad 1.2. disput. 7. quæst. 5. sub finem punct. 5.* ait malle se audire, quam dicere sententiam: nam difficilis est: cùm ex vna parte videatur omnino intelligenda tota communitas populi cui lex imponitur: siquidem nemo negabit quin si lex imposita sit alicui collegio, ab omnibus vel à maiori parte illorum qui de eodem sunt, recepta esse debeat, vt obliget. Similiter si lata sit alicui diœcesi, debeat esse recepta ab omnibus vel à maiori parte illorum qui de ea sunt. Ex alterâ parte verò non videatur tota dicta communitas intelligi posse: cùm alioqui leges quæ à Summo Pontifice, vel à Concilio generali pro tota Ecclesia conduntur, nequirent tolli per non receptionem in aliqua prouincia, nisi maior totius Ecclesiæ pars non reciperet similiter: quod est contra communem existimationem: quam secutus Nauarrus dixit, vt ante retulimus, Polonos in Polonia degentes ab obseruatione nouarum constitutionum Concilij Trid. excusari per non receptionem illarum: non quidem in tota Ecclesia, sed in Polonia. Nec solùm est difficilis quæstio, sed tanti momenti vt Summi Pontificis explicationem optare potius, quàm iudicium præcipitare debeamus. Nihil autem obstat, quin tanquam probabile ad moralem certitudinem sufficienter, admittamus quod idem Greg. à Valen. respondet: communitatem in hac re intelligendam esse indistinctè, siue sit tota ea cui lex præfigitur; siue sit aliqua pars ipsius latè patens, quam sapientes probique viri attenta illius conditione, legisque ratione, sentiant inutile periculosúmque esse, obligari lege quam non acceptat. Itaque res hæc, vt & multæ aliæ in morali disciplina, pendet ex prudentium iudicio per inspectionem circumstantiarum, quæ variantur, nec semper vbique sunt eædem.

Nu. 163. Quæri potest 4. An ad eam de qua agimus non receptionem legis, requiratur necessariò; vt ea verbo vel scripto, alióue actu positiuo improbata reiectáque sit à maiori parte communitatis. Respondendum est, id non requiri necessariò, sed sufficere vt tempore ad id sufficienti, maior pars communitatis sit non vsa tali lege; casibus de quibus ipsa disponit occurrentibus: quia id etiam sufficit vt eadem censeatur non firmata vsu.

Nu. 164. Quæri potest quintò. An lex perinde cesset obligare ex eo, quòd per ignorantiam recepta non sit, ac cùm recepta non est: quia populus eam sciens noluit seruare. Respondetur ex eodem Nauarr. in eodem consilio 1. num. 27. perinde esse in hac re, siue non vsus legis cum contrauentione, *casibus de quibus disponit occurrentibus*, sit ex ignorantia, siue sit ex certa scientia: quia iura supra citata, ex quibus habetur legem eneruari per illius non receptionem à subditis, generaliter loquuntur, nulla facta distinctione, non recipientium scienter, vel ignoranter: & vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Quæri potest sextò. An paria sint legem reuocari à legislatore, & eam non recipi à subditis. Respondetur ex eod. Nauarr. in sequen. num. 28. non esse paria: quia lex à Principe reuocata extinguitur: vnde vt de illa, quoad legem humanam vniuersè. 681

de vt obligandi vim denuo obtineat, debet reuiuiscere, seu iterum à Principe ferri. Lex verò iam lata & promulgata, sed non recepta vsu, nondum extincta est: sed tantùm quadamtenus suspensa: itaut nihil sit opus à legislatore eam denuo ferri, si populus mutata voluntate illam recipiat.

Vnde idem Nauarr. deducit duo corollaria notatu digna. Alterum est, leges Concilij Trid. nouum ius inducentes, licet nondum sint receptæ in aliquibus terris, in quibus notum est eas esse constitutas, nõ periisse nec reuocatas esse quoad easdem terras, sed quadamtenus suspensas; itaut vim ligandi habituræ sint, simul ac communitates earumdem illas receperint. Alterum est, legem quæ non est recepta in aliqua terra, propterea quod in ea ignoratur, simul ac fuerit ibi nota & recepta, perinde obligare eos qui talem terram incolunt, ac si fuisset à principio recepta.

Quæri potest septimò, An requiratur expressus Principis consensus in non receptionem legis, vt hęc vi obligandi careat. Ad quod respondendum est per authores quorum meminit Azor. 1. *part. lib. 5. cap. 4. quæst. 2.* sufficere tacitum: quo sciens legem suam non recipi, non vrget illius obseruationem, prout posset si vellet.

Nu. 165. Quæritur octauò, An vt lex in nihilo recepta ad nihilum obligat, sic in vna sola parte recepta, ad eam solam partem obliget. Cui quæstioni ex Nauarra *in Enchir. cap. 23. num. 62.* respondendum est affirmatiuè: nempe legem in vna sola parte receptam, ad nihilum quoad reliquas partes non receptas, obligare: sicque fieri vt aliquot leges obligent quoad solam dispositionem principalem, illúdue de quo principaliter statuunt, non autem quoad pœnam quam adiungunt; aut etiam quoad vnam partem pœnæ, non quoad aliam: quia fieri potest, vt acceptentur quoad vnam, non quoad alteram: vt quoad irritationem contractus, non quoad pœnam excommunicationis vel exilij: vel quoad culpam, saltem mortalem. Vide exempla apud eumdem authorem.

Nu. 166. Restat adhuc explicatio quæstionis, An præter ante dicta, lex humana vt obligandi vim habeat necessariò requirat quòd sit scripto tradita. Quidquid sit de foro externo, ad quod maximè respiciunt iuris interpretes de hac re digladiantes, *vt meminit Azor. in eod. lib. 5. cap. 2. quæst. 5.* in foro conscientiæ talis conditio nullo modo videtur ad obligationem legis necessaria: Tum quia consuetudo vim habet legis in foro conscientiæ: nec tamen consuetudo scripta est: Tum quia ex cap. In istis distinct. 4. leges instituuntur dum promulgantur. Fieri autem potest vt lex sit solẽniter promulgata & non scripta. Tum demum quia in cap. Consuetudo distinct. 1. sic dicitur: Consuetudo est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur cùm deficit lex: nec differt an scriptura, an ratione consistat, quoniam & legem ratio commendat. Et in cap. Institutionis 25. quæst. 2. dicitur: Institutionis nostræ decreta, quæ sunt priuilegiis & ordinatione disposita, perpetua stabilitate & sine aliqua constituimus refragatione seruari: siue quæ scripto decreuimus, siue quæ in nostra præsentia videntur esse disposita.

Si opponas quod in cap. Lex, distinct. 1. dicatur: Lex est constitutio scripta: & Institutis De iure naturali, gentium & ciuili 6. Constat, dicatur: Constat autem ius nostrum quo vtimur, aut scripto, aut sine scripto. Scriptum autem ius, est lex, &c. Adde & poni communiter differentiam inter legem & consuetudinem, quod hęc non scripta, & illa scripta sit. Respondetur, hæc eo tantùm pertinere, vt indicent in quo lex ordinariè differat à consuetudine: quia ordinariè lex est scripta, & consuetudo non scripta. Perpetua verò inter vtramque differentia in eo potius constituti potest, quòd lex habeat vim suam ex ordinatione Principis valentis obligare suos subditos: & consuetudo ex legitima præscriptione, de qua in sequentibus cùm de ipsa consuetudine.

CAPVT XVII.

De iis quos lex humana obligat.

SVMMARIVM.

167 *Lex humana obligat omnes legislatoris subditos non modo peccatores, sed etiam iustos.*
168 *Quatenus obliget ipsum quoque legislatorem, & modus quo hic obligatur suis legibus.*
169 *Qua ratione soluenda sint quæ adferuntur ad reganda in Principe talem obligationem.*
170 *De eo, quòd lex dicitur non obligare subditum legislatoris extra huius territorium.*
171 *Modi quibus lex obligat non subditum legislatoris.*
172 *Peregrinus quatenus obligetur legibus loci in quo versatur.*

Nu. 167. DOctrina est D. Thomæ *in 1.2. quæst. 96. art. 5.* quòd cùm lex duo includat; nimirum esse regulam, & vim habere coactiuam: dupliciter aliquem subiici legi humanæ, illáque obligari: vno modo tanquam decretum, seu, *vt ipse loquitur*, regul .m: altero modo tanquam coactum. Et quoad priorẽ subiectionis modum, legem humanam ligare omnes qui subiiciuntur potestati eius à quo fertur, non item alios. Quoad posteriorem autem ligare quidem subditos malos quorum voluntas discordat à lege, non item bonos quorum voluntas cum lege consentit: quandoquidem coactio includit repugnantiam voluntatis: vnde in priori ad Timoth. cap. 1. ait Apostolus, Lex non est iusto posita, sed iniustis.

Quod caue accipere quasi sensus sit, iustos omnes liberos esse ab obligatione humanarũ legum. Is enim error est Beguardorum & Beguinarum, & postea Lutheri, damnatus: tum in Concilio Viẽnensi sub Clement. 5. in Clemen. Ad nostrum De hæreticis: tum in Concil. Trid. sess. 6. can. 20. Sensus autem verus est, quem ex D. Chrysost. homil. 2. in eam D. Pauli epistolam Alfonsus à Castro *in lib. 1. De lege pœnali sub initium sexti cap.* adfert, & præclarè confirmat: iusto non dari legem vt cogatur ad illius obseruationem, quia virtutis amore, non timore pœnæ mouetur ad bonum: hoc enim est quod idem Apost. ad Galat. 5. indicat inquiens Quòd si Spiritu ducimini, non estis sub lege, id est, sub coactione legis: nimirum vt non tam agatis, quàm agamini secundùm legem. Nam ex D. August. in Psalm. primum, aliud est esse in lege, aliud sub lege. Qui est in lege, secundùm legem agit: qui est sub lege, secundùm legẽ agitur. Sensus autem ille hæreticus refutatur aperte ex eo, quòd de omnibus sine vlla exceptione dicatur ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.] & ad Tit. 3. Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse, dicto obedire] & ad Hebr. 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.] 1. Petr. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti, &c.] Itaque mens D. Thomæ in hac re est, *vt rectè Medina in suo comment. interpretatur*, iustum seruare legem virtutis amore: quia ex

Psal.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.36.Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius:]non autem formidine pœnæ, etiam si huic perinde obnoxius sit ac alius.Tum si legem transgrediatur, vt indicant verba Apostoli in priori ad Corinth. cap. quarto. Quid vultis ? an in virga veniam ad vos,an in charitate?] Tum etiam, si nondum peruenerit ad perfectam charitatem quæ foras mittit timorem 1. Ioan. 4. Siquidem nondum perfectis, salutaris est timor, qui ad operandum ex charitate seruit illis sicut acus resarcienti vestem, seruit ad filum per pannum traiiciendum.

Explicatio aliquot dubiorum de re proposita; quorum primum est. An lex humana obliget non solum subditos legislatoris, sedetiam legislatorem ipsum.

Nu.168. DE hoc, vt certa distinguamus ab incertis, aduertendum est non negari quin obligetur Princeps in omni contractu vel quasi contractu cum subditis suis facto: quia contractus obligat ex vtraque parte. Vnde si vi contractus Princeps sibi obliget ciuem,ciuis quoque obligabit sibi Principem: qui in contractu rationem habet priuati hominis potius, quàm publici seu Principis. Istud docentes iuris tam ciuilis quàm canonici interpretes refert Azor.1.par. lib.5. cap.11. quæst. 1. non procul à principio. Nec item negatur quin statuta quæ conduntur à communitate,vt communitas est; *veluti Senatusconsulta,& plebiscita*, obligent singulos qui de illa sunt, adeoque conditores suos: quandoquidem communitas dicit singula membra ex quibus ipsa coalescit.Idem est iudicium de statutis Capituli,vel alterius collegij, siue Monachorum, siue Clericorum, siue Scholasticorum. Nec etiam negatur quin legislator teneatur seruare legem suam includentem aliam sui Superioris qua obligatur, aut quam nequit sine scandalo non seruare.Nec denique negatur quin legibus obligetur Superior ille, cuius authoritas tantùm est vt communitatem conuocet,primóque sedeat loco, ac primus suffragium det:talis enim cum cæteris subiicitur toti communitati legem ferenti.

Illud ergo de quo dubitatur, est: An Superior, siue sit supremus,vt Papa:siue alium supra se; *vt Episcopus Papam*,agnoscat: plenámque potestatem ad id habens, legem condat nullum continentem pactum cum subditis,obligetur ad eiusdem legis obseruationem. Sententia autem est D. Thomæ loco cit. ad 3. *quam ibidem pluribus explicant interpretes ipsius, Caiet.Conrad. Medina, Gabr. Vasquez. ac Sotus lib.1. De iust.& iure.quæst.6. art.7.* & Gregor.à Valen. disput. 7. quæst.5.puncto 5.ac Suarez de legib.lib.3.cap.35. approbátque Canonistis aliquot in eam citatis Couar. ad cap. Alma mater, *De senten. Excommunicationis in sexto 1.par.§.1.num.4.* Principem quidem legi à se latę subiectum non esse quoad vim coactiuam:itaut pœnam quam imponit non incurrat: esse tamen quoad vim directiuam,itaut illam seruare teneatur, peccétque non seruando. Ratio autem prioris partis est: quia nemo propriè cogitur à seipso. Nec refert quòd legislator potestatem suam acceperit à populo; quia eo ipso,quòd populus suam potestatem transtulit in aliquem, is in republica effectus est caput, ac superioris cuiusdam status, maioríque dignitatis quam cæteri; vt absurdum non sit, ipsum esse solutum lege,quà obligati tenentur cæteri: perinde ac in familia,dominus solutus est legibus seruorum: & pater, legibus suorum liberorum. Posterior pars verò probatur ex eo quod habetur in cap. Cùm omnes, De constitut.Quod quisque iuris in alterum statuit,ipse vti debet eo,vt dicit Sapientis authoritas, Patere legem quã tuleris ipse.Et in leg. Digna Cod. De legibus:Digna vox est maiestate regnãtis, legibus alligatum se Principem profiteri. Accedit quod Christus Matth.23.exprobret imponẽtibus onera grauia, quæ ipsi nec digito volunt mouere. Accedit etiam ratio, quam ex Baldo commendare solẽt iurisperiti (vt habet loco cit. Couar.)quòd Princeps sit animal rationale;ideoque licet ipse sit solutus à suis legibus,non sit tamen à dictamine rationis præscribentis vt legem patiatur quam tulerit. Etenim ratio naturalis dictat Principem debere moribus conuenire cum reliquo Reipub.mystico corpore: à quo discordans, viuendo iure alio quam populus, non tenet rectæ rationis regulam, secundùm quam Superior tanquam caput, debet conformari populo, tanquam membris eiusdem corporis.

Quæ autem in contrarium adferri possunt satis memorati D. Thomæ interpretes explicant. Cuius explicationis summa est: talia argumenta ostendere tantùm,quòd Princeps legem suam seruare teneatur solummodo ex æquo & bono: seu quòd melius sit, magisque deceat ab eo seruari,quàm nõ seruari; iuxta cap.Iustum est distinct.9. non autem quòd sua lex ipsum ad id obliget. Itaut obligatio quam Princeps habet seruandi suam legem, non imponatur ei per eamdem, sed per legem naturalem præscribentem, vt patiatur legem quam ipse tulerit. Etenim naturali lumine notum est, Principem cùm non sit extra rempublicam, sed sit pars illius tanquam caput, debere conspirare in bonum commune secundùm præscriptum suæ legis (vt scilicet aliis præeat non tantùm verbo sed etiam exemplo quod efficacius est) propter illud latæ: nisi ea esset talis, cuius ratio non haberet perinde locum in ipso legislatore,ac in aliis. Nam vt Sotus loco cit.ait. Si Rex præcipit neminem gladio accinctum aut sericis indutum incedere, non tenetur legislator talem legem obseruare, quia in ipso non est eadem quę in aliis ratio,cur debeat à talibus abstinere.Si verò Episcopus præcipiat ieiunium, tenetur (nisi rationabili de causa secum ficut cum alio faceret,dispensaret) suum præceptum seruare ex æquitate rationis, seu quia par æquaque in eo, ac in aliis est ratio. *Nu.169.*

Secundum dubium est. An lex obliget subditum legislatoris constitutum extra ipsius territorium.Respondendum verò est, non obligare ex communi Doctorum sententia, quos Couar. commemorat ad idem cap. Alma mater: *par.1.§.10.num.3. & post eum Sanchez. in lib. 3. De matrimonio disput. 18. quæst. 2.* Et constat ex cap. Vt animarum, De constitut.in 6. vbi habetur per statutum Episcopi,quo excommunicantur omnes qui furtum fecerint, non ligari subditos ipsius committentes furtum extra suam diœcesim: cùm extra territorium ius dicenti non pareatur impunè; lege vlt.ff. De iurisdict.omnium Iudicũ.Quod tamen ex Angelo in verbo Excommunicatio 1.num. 10. & Sylu. excomm.2. num.8. patitur aliquot exceptiones. Huic loco autem sufficiet annotasse in genere,requiri in ea re, non tantùm vt delinquens, sed etiamvt id in quo delinquitur sint extra territorium. Nam si aliquis Episcopus per suum statutum excommunicet omnes Curatos, qui non conuenerint ad synodum:ille qui adesse contempserit quamuis extra territorium sit, incurret in excommunicationem,quia censebitur deliquisse in territorio: quandoquidem delictum omissionis ibi committi reputatur,vbi quod omissum est executioni mandari debuit: *Nu.170.*

inquiunt bene Angelus & Sylu.

Nu.171. Tertium dubium est. An lex obliget non subditum legislatotis existentem in ipsius territorio. De hoc in vtramque partem plures authores & rationes adfert Thomas Sanchez in præced.quæst.1.cum quo negans videtur tenenda: quia subditis tantùm, potest ferri lex,cùm habeat rationem imperij, quod exercetur tantùm in subditos. Aduerte nihilominus ex cap.vlt.De foro compet.non subditum sortiri forum ratione delicti, id est, ob delictum effici subditum ei Prælato in cuius ditione illud cõmittit: itaut possit ritè coram ipso conueniri: ipséque possit iurisdictionem suam in illum exercere quoad tale delictum,iuxta cap.1.De priuil. in 6. Et ita peregrinus qui furatur in via, subiicitur pœnis quas imponunt leges loci in quo furatur.

Similiter ex vtroque illo eod.cap. Externus subiici potest iurisdictioni, & legibus alicuius legislatoris. Tum ratione rei, quam possidet in eius ditione: itaut possessionem vel domicilium habens extra patriam, ratione illius subiiciatur legibus loci in quo habet.Tum ratione contractus, adeout faciens contractum, teneatur facere secundùm consuetudinem & statuta loci in quo tunc versatur. Pro quo idem Sanchez plures authores commemorat ibid.num.10. In seq.num. 11. notans excipi contractum dotis in quo attenditur statutum loci vbi vir domicilium habet.

Nu.172. Aduerte præterea, etiamsi lex non obliget peregrinum existentem in territorio legislatoris: ipsum tamen iuxta cap. Illa autem distinct. 12. posse eam transgrediendo peccare: tum ratione Scandali quod dat:tum ratione damni quod infert tali transgressione:tum demum ratione conformitatis, quam in Republica retinendam esse recta ratio dictat, vt & vitandam esse contrariam deformitatem;ipso naturali lumine ostendente turpem esse omnem partem quæ suo vniuerso non congruit.

Id quod in cap.Quæ contra, distinct.18.vsurpatur: indéque probatur non modo ciuibus, sed etiam peregrinis illicitum esse violare particulare statutum loci in quo sunt. Quodquidem glosa,*ad verbũ Peregrini*, interpretatur de peregrinis qui ibi sunt animo habitandi: seu de peregrinis ibi moraturis,non autem de citò recessuris. Cum qua glosa consentit Sylu.in verbo Ieiunium num.7. statuens alienigenas venientes in aliquem locum animo habitandi, ex tunc,id est,ex prima die accessus ligari ieiunio isthic præcepto. Pro quo alios adhuc Sanchez citat *in ead. quæst.1. num.9.* non item si transeant, dummodo vitent scandalum.

Si quis scisciteturi quæ mora in oppido reddat peregrinum obnoxium legibus & consuetudinibus illius.Respondet idem Sanchez ibid.satis congruenter rationi:tunc teneri, cùm statuit ibi habitare per maiorem anni partem: id enim moraliter, seu prudentis arbitrio sufficit ad acquirendum quasi domicilium ad hoc sufficiens,vt statim fiat quis Parochianus idoneus ad Sacramenta necessaria percipienda in ea Parochia,ex eodem Sylu.in verbo Domicilium num. 2. De vagis autem, qui nullibi certam sedem habent:idẽ Sanchez in seq.nu.15.ex Soto monet eos teneti legibus & consuetudinibus loci,in quo obiter etiam reperiuntur, cùm nullum peculiare domicilium habeant:nec videatur consentaneum, vt

ab omnibus omnium locorum statutis & consuetudinibus sint exempti.

***

CAPVT XVIII.

De modo quo lex humana obligat.

SVMMARIVM.

173 *Duo casus in quibus lex humana obligat respectu præteritorum.*
174 *Lex humana obligat non tantùm in foro externo, & ad pœnam;sed etiam in interno,& ad culpam.*
175 *Ratio quã ad ostenditur.*
176 *Solutio eorum quæ in contrarium adferri possunt.*
177 *Vt lex humana obliget in conscientia, quæ mentio legislatoris requiratur.*
178 *Lex humana fundata super præsumptione non obligat in conscientia, cùm veritas est in contrarium.*
179 *Obligatio legis humanæ cessat in conscientia, cessante ipsius ratione.*
180 *Quæ cessatio contingere potest duobus modis.*
181 *Quid intelligendum sit nomine rationis legis.*
182 *Quando obliget lex humana cùm mortis periculo.*
183 *Inualida sunt quæ fiunt contra legem ipsa irritantem: id quod vnam exceptionem patitur quoad forum conscientiæ.*
184 *Quid tenendum sit de iis, quæ fiunt contra legem ipsa non irritantem.*
185 *Quædam regulæ eò spectantes.*

DE modo quo lex humana obligat, quatuor præsertim ad institutum nostrum accommodatè quæri possunt. Primum, An lex humana obliget tantùm respectu futurorum. Secundum, an obliget non tantùm in foro externo,& ad pœnam;sed etiam in foro interno, & ad culpam. Tertium, quatenus lex humana obliget. Quartum, an ita obliget, vt irrita sint omnia quæ contra ipsam fiunt: siue fiant expresse, id est,contra ipsius expressa verba: siue tacite, id est, secundùm verba quidem, sed contra mentem, seu in fraudem ipsius.

QVÆSTIO I.

An lex humana obliget tantùm respectu futurorũ.

STatuendum est per cap.Cognoscentes & cap.vlt. De constitut. legem humanam obligare tantummodo respectu futurorum: nisi quòd in duobus casibus obliget etiam respectu præteritorum. *Nu.173.*

Alter est expressius in cod.cap.vlt. quando ipsa lege aliquid nominatim de præteritis cauetur: vt cùm in cap. Ad audientiam, De rescriptis Papa præcipit irritari quasdam prouisiones factas ante eam constitutionem. Alter est, *quem ad idem cap.vlt. Glosa vlt.expressit;& ex aliis Canonistis refert Sylu.in verbo Lex num.* 23. quando lex humana est iuris naturalis declaratoria:tunc enim manifestat potius antiquam obligationem,quàm proponat nouam.

Cæterùm cùm lex est iuris naturalis declaratoria secundùm se totam, hoc est, tam quoad partem moralem,seu qua ostendit aliquid illicitum esse,vel licitum: quàm quoad pœnalem, id est, in qua ostendit pœnam esse transgressori impositam: tunc etiam extenditur ad præterita secundùm se totam:vt illa quæ in cap. Cùm tu De vsuris declarat, tum illicitas esse vsuras;tum impositã esse vsurario pœnam acceptũ in resti

Universidad de Deusto
Biblioteca

restituendi vel ei à quo acceperit, vel pauperibus si illum non cognoscat. Quod vtrumque recta ratio dictat: & ideo iuris est naturalis.

Cùm verò lex humana iuris naturalis declaratoria est secundùm partem moralem tantùm, ponens ius nouum secundùm pœnalem: tunc quoad moralem quidem extenditur ad præterita, nō item quoad pœnalem: nisi contrarium in ea exprimeretur. Ita docet Panor. ad cap. Quoniam simoniaci, De simonia. Cui in eandem sententiam Sylu. loco citato adiungit alios Canonistas. Vnde intelligitur leges Papæ imponentes excommunicationem, vel alias id genus pœnas, non obligare ad eas, illos qui ante easdem latas contra fecerunt: nisi id in illis exprimeretur. Adde quando præteritum pendet ex futuro quoad perfectionem, tunc legem quæ de hac fertur ad illud quoque extendi: vt si lex præmium statuat accipienti latronem, & exhibenti Iudicibus; illud ad eum etiam pertinebit, qui ante idipsum statutum latronem acceperat, & post exhibuit illum.

Qvæstio II.

An lex humana obliget non tantùm in foro externo, & ad pœnam: sed etiam in interno, & ad culpam.

Nu. 174. DE hac latè disputant Alphon. à Castro in lib. 1. De lege pœnali cap. 4. Medina in Cod. De ieiunio quæst. 7. Franc. à Victoria in relect. De potestate ciuili, Soto in 1. De iust. & iure quæst. 6. art. 4. alter Medina & Gabriel Vasquez ad 1.2. quæst. 96. art. 4. Gregor. à Valen. ibid. disput. 7. quæst. 5. puncto 2. & 6. & Bellar. in lib. 4. De Summo Pontifice cap. 15. & aliquot sequen. & lib. 3. De laicis cap. 11. Sed ad nostrum institutum sufficiet annotasse partem illius negatiuam, hoc est, legem humanam non obligare in conscientia, damnatam esse tanquam erroneam, in Concil. Viennensi, vt habetur in Clement. Ad nostrum De hæreticis; contra Beguardos & Beguinas, & in Concil. Constantiensi sess. 8. contra VViclefum, & in sess. 15, contra Ioannem Hus, & à Leone X. in Bulla contra Lutherum art. 27. Atque partem affirmatiuam esse sententiam communiter receptam non modò Theologorum; sed etiam Canonistarum teste Nauar. *in Enchir. cap. 23. num.* 48. Gersonem autem, *vt Alphons. à Castro annotat*, ab omnibus ferè Theologis fuisse reprehensum, quòd in lib. De vita spiritali sect. 4. senserit, nullam potestate humana posse ferri legem, quæ vi sua ad peccandum obliget: sed tantùm ex vi latentis in ea legis naturalis vel diuinæ, si aliqua talis, à Superiore per illam suam legem, declararetur subditis: sicut per legem Ecclesiasticam de confessione annua declaratur lex diuina de facienda confessione peccatorum mortalium, post Baptismum commissorum.

Nu. 175. Vna autem hac ratione veritatem propositam illustrasse, errorémque contrarium confutasse, contenti esse possumus. Id quod lex naturalis & diuina dictant faciendum esse, necessariò in conscientia, seu sub peccato, faciendum est. Sed parendum esse legi humanæ, *loquimur de iusta*, lex diuina & naturalis dictant. Ergo necessariò in conscientia legi humanæ parendum est. Consecutio est manifesta. Patet verò maior: quia lex naturalis & diuina sunt ipsa lex æterna, naturaliter vel supernaturaliter nobis reuelata: in cuius transgressione rationem peccati consistere, habitum est in præfatione huius libri. Minor autem probatur: quoad legem quidem naturalem: quia principium est per se notum, parendum esse præcepto Superioris: cùm esse superiorem sit authoritatem habere in alios, qui tanquam subditi debeant illi parere. Quoad diuinam verò: quia Dominus Matth. 23. cùm dixisset Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, inde intulit: Omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate & facite.] Et D. Petrus in 2. sua Epist. cap. 2. inter illos quos ait reseruatos in iudicium cruciandos, ponit eos qui dominationem seu potestatem humanam contemnunt.

Nu. 176. Quod si pro Gersone respondeatur, hæc vera esse de lege humana quatenus aliquam naturalem vel diuinam legem includit; id reiicitur: quia pari ratione quòd lex tam naturalis quàm diuina præscribit obtemperandum esse parentibus, deberet ita intelligi, vt filij non teneantur obedire parentibus in rebus indifferentibus, quæ nec iuris sunt naturalis, nec diuini. At id absurdum est.

Quidquid verò in patrocinium contrarij erroris adferri potest; vt quod de ratione peccati sit, transgressionem esse legis æternæ: quæ Dei tantùm lex est. Quòd peccatum mortale tollat gratiam, quæ purum Dei donum est. Quòd faciat obnoxium æterno supplicio: quo punire est solius Dei. Quòd in libertatem asserti simus ad Gal. 1. 4. cap. in fine Et prohibeamur fieri serui hominum in priori ad Corinth. 7. Facile erit reiicere, si aduertamus à lege æterna humanam deriuari, iuxta illud Prouerb. 8. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: vimque obligandi habere ex tali deriuatione, siue ex eo, quòd Magistratibus attributa sit diuinitus authoritas ferendi leges, secundùm legis æternæ præscriptum: itaut suam obligandi vim humana lex habeat quidem ab authoritate hominis, sed dependenter à lege æterna: quemadmodum naturalis effectus, habet quidem esse suum à secundis causis: sed id totum dependenter à prima causa. Vnde sicut productio naturalis effectus, simul tribuitur secundæ & primæ causæ; ita etiam obligatio legis humanæ tribuitur simul humanæ & diuinæ voluntati: quia ad illam vtraque simul concurrit, prout apertè indicant illa Dei verba ad Samuelem 1. Reg. 8. Non enim te abiecerunt sed me, ne regnem super eos.] Et illa Lucæ 10. Qui vos audit me audit: & qui vos spernit me spernit.] Et illa D. Pauli ad Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo: & qui potestati resistit Dei ordinationi resistit.] Et in priori ad Thessal. cap. 4. Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Iesum.] Et 1. Petr. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi quasi præcellenti, &c. quia sic est voluntas Dei.] Hic, quod maximè ad institutum nostrum facit, videretur dicendum, quando legis humanæ obligatio in conscientia, sit sub peccato mortali, & quando tantùm sub veniali: sed id commodiùs fiet in sequenti lib. 15. cùm agetur de distinctione peccati in mortale & veniale.

Qvæstio III.

Quatenus lex humana obliget.

Nu. 177. HÆc quærit declarationem nonnullorum notandorum pro praxi priùs propositæ obligationis. Primum est. Ad hoc vt lex humana obliget in conscientia, non esse necessarium, vt legislator eam expresè ferat cum intentione expressa obligandi ad peccatum: sed satis esse vt eam ferat secundùm totam rationem suæ authoritatis: nempe intendendo obligare subditos, quantum sua authoritate potest: vt tunc

tunc facere meritò præsumitur, cùm eam fert in re spectante ad communem Reip. salutem, aut addita pœna, vel verbis talem intentionem indicantibus. Nam & isto modo præcipienti, lex tam naturalis quàm diuina præscribit obtemperandum esse, si adsint cætera quæ lex iusta requirit, *iuxta ea dicta numero* 19.

Sicque D. Thomas 1.2. *quæst.* 96. *art.* 4. simpliciter concludit leges humanas cùm iustæ fuerint, obligare ex eo, quòd deriuentur à lege æterna. Attamen si legislatoris intentio fuerit non obligare in conscientia, sed solùm ad aliquam pœnam temporalem, transgressor legis non culpæ sed tantùm pœnæ reus erit: quemadmodum in quibusdam religiosis familiis, regulæ proprij instituti, ne ad venialem quidem culpā obligant subditos: sed solùm ad sustinendam pœnam quam Superior transgredientibus imponendam censuerit. Quod vsuuenire in statutis Dominicanorum habet ipse D. Thomas 2.2. *quæst.* 186. *art.* 9. *ad* 1. Similiter si intentio fuerit neque ad culpam, neque ad pœnam obligare, cessabit omnis obligatio: sed non erit propriè lex: cùm legi de se, *vtpote præceptiua*, annexa sit obligatio. Itaque vt rectè notat à Victoria *in relect. De potestate ciuili. num.* 20. tantùm erit ordinatio & regula directrix ad id quod bonum est: perinde ac nonnullarum confraternitatum ordinationes: quæ cùm positæ sint ab aliquo nullam habente legis condendæ potestatem, neque ad culpam neque ad pœnam obligant.

Nu. 178. Secundum notandum est, quod habent Angelus & Sylu. *in verbo Lex: ille num.* 4. *& hic num.* 9. humanam legem cùm fundat se super præsumptione, non super veritate; in foro conscientiæ non obligare, si veritas rei fuerit contra præsumptionem: quia in eo foro attenditur veritas, prout illam confitetur Pœnitens; cui propterea creditur, quòd de præiudicio tantùm animæ ipsius agatur. Itaque si lex, eum qui contraxit matrimonium per verba de præsenti, compellat in tali matrimonio manere, quoniam illa fuerit in præsumptione, quòd contraxisset cum interiore consensu, quem talia verba significant, non obligabit in foro conscientiæ illum, qui sine vllo interiore consensu contraxit: quod patet ex cap. Tua nos, De sponsalibus.

Nu. 179. Tertium est, cuius etiam ibidem meminerunt Angelus & Sylu. *ex D. Thom.* 1.2. *ac* 2.2. *illic quæst.* 69. *art.* 6. *& hic quæst.* 120. *art.* 1. legem humanam non obligare in foro conscientiæ, quando in hoc cessat eiusdem legis ratio. Quam cessationem, *inquiunt illi*, prudenter coniectare debemus, si expressa non sit. Addúntque non esse cuiusuis; proposito aliquo casu decernere, quòd in illo cesset legis ratio: sed id esse solius Superioris qui potestatem habeat dispensandi in ipsa lege: nisi de causæ cessatione totali constaret: argumento eorum, quæ in sequenti lib. 15. num. 58. & 59. tradentur. Aut, *ex Soto lib.* 1. *De iust. & iure quæst.* 6. *art.* 8. immineat; siue commune Reipub. siue priuatum alicuius periculum, quod non patiatur tantam moram, vt ad Superiorem ipsum haberi possit recursus. Nam necessitas non habet legem, sed ipsa sibi facit legem cap. Remissionem 1. quæst. 1. §. finali: Vel nisi manifestum sit, legislatorem in tali casu non intendisse obligare; vt eum qui legem tulisset de depositō siue morā reddendo, manifestum est non intendisse obligare in eo casu, quo reposceretur ad Reip. euersionem.

Nu. 180. Aduertendum est autem cum Francisco à Victoria *in seq. num.* 22. & Soto sub finem citati articuli octaui, ratione legis cessare dupliciter. Vno modo in vniuersum, itaut lex ipsa desinat esse Reip. vtilis: vt ea qua tempore belli cautum esset ne quis commeatum in aliquam ciuitatem inferret, vt ea compelleretur *ad* deditionem. Constitura enim parte, talis lex non obligaret; quia in vniuersum ratio illius cessaret, neque esset Reip. vtilis. Altero modo cessare potest in particulari quoad aliquem, non quoad omnes; vt illa qua prohiberetur, ne quis telum noctu portet propter pericula, quæ sæpe sequuntur ex armis nocturnis; cuiusmodi cessatio non obstat quin legis obligatio perseueret. Neque enim quia scit aliquis nullum esse propter se periculum ideo excusabitur à prædictæ legis obseruatione, quæ est Reip. vtilis propter alios ex quibus periculum imminet.

Nu. 181. Sed ne quis in hac re decipiatur: per rationem legis in vniuersum, debet intelligere, non id quod mouit legislatorem ad condendam legem: sed finem ad quem ipsa lex de se instituta est: hoc enim manente, etiamsi illud omnino cessauerit, lex perseuerat. Sic lex de ieiunanda Quadragesima obligaret, etiamsi omnes carnem edomitam haberemus: quia hæc tantùm est illius ratio quæ legislatorem impulit ad eam ferendam: non autem ratio tanquam finis in quem lex de se ordinatur: qualis temperanter viuere, est legis de ieiunando. Hinc item, si nulla esset paupertas & miseria, lex de danda eleemosyna cessaret: vtpote cessante ipsius fine proprio. Debet item intelligere, finem non quemcumque, sed totalem legis; quoniam lex quæ duas habet causas finales, vna cessante & altera manente, ipsa non cessat: sic in veteri lege etiamsi quis sanctificatus esset in vtero, parentes tamen ipsius tenebantur ipsum circumcidere, eoquod circumcisio esset, & ad delendum peccatum, & ad fidem Christi venturi protestandam.

Nu. 182. Quartum notandum, est disputari à Theologis, An lex humana sic obliget vt seruanda sit cum mortis periculo. De quo rectè sentit Sotus in 1. De iust. & iure *quæst.* 6. *art.* 4. *versus finem.* Ecclesiam sua lege tantùm obligare cum mortis periculo, quando contemptus eiusdem legis interueniret, vel iniuria fidei, religionisve; ciuilem verò potestatem, quando Reipublicæ necessitas id exigit, posse imponere præceptum in quo obseruando; periclitandum sit de vita. Vide antedicta sub finem libri vndecimi.

Qvæstio IV.

An lex humana sic obliget, vt irrita sint omnia quæ contra ipsius præscriptum facta fuerint.

Nu. 183. PRo huius explicatione duæ regulæ traduntur. Prior est, Ipso facto inualida esse quæ fiunt contra legem ea irritantem. Hæc inter regulas iuris in 6. ponitur. 64. sub his verbis: Quæ contra ius fiunt, debēt pro infectis haberi: vbi glosa eam illustrat exemplis: tum aliis, tum capituli Non solùm, De regularibus in eod. lib. per quod Religiosi mendicantes prohibentur quemquam ante annū probationis expletum ad professionem admittere: idque cum hac facti irritatione, vt si secus faciant, taliter receptus nullatenus sit alligatus ipsorum ordini.

Atque in foro quidem contentioso, nullam: in foro conscientiæ verò, vnicam hæc regula patitur exceptionem, quam Syluester in verbo Alienatio num. 13. attigit. Docet enim, quando lex aliquid iure alioqui naturæ validum, irritat propter defectum solemnitatis præscriptæ iure tantum positiuo: si ipsum fiat, validū esse in foro conscientiæ, donec rescindatur in foro externo: vt v.g. si facta sit electio prout ius naturæ requirit; *consentientibus videlicet omnibus quorum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

est suffragium ferre; sed non seruata solemnitate, ob cuius defectum electio ipsa irritatur iure humano: electus non tenetur in conscientia electioni renunciare, antequam illa sit irritata in foro externo.

Nu.184. Posterior regula est. Quæ fiunt contra legem non irritantem expresse factum contrarium; esse quoque vt plurimum inualida, Hæc confirmatur ex lege non dubium Cod. De legibus & ex cap. Imperiali 25. qu. 2. & ex cap. 2. De testibus: vbi dicitur quæ contra legem fiunt non habere firmitatem. In ea autem posita est, *vt plurimum*, quoniam quidam casus dantur, in quibus exceptionem ea patitur, validúmque est illud quod fit contra legem per quam non irritatur expresse. Quatuor numerantur in verbo lex ab Angelo num. 18. Sylvest. num. 28. Tabiena num. 35. & Armilla num. 9.

Primus est: quando lex aliquid prohibet ob causam temporalem, seu restrictam ad certum tempus, nec perpetuam: vt v.g. illa, quæ ob venerationem certi temporis, prohibet matrimonium in eo contrahi: in quo si contraheretur, non esset propterea matrimonium inualidum: vt patet ex cap. 1. De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ. Esset autem inualidum, si contraheretur intra gradus prohibitos: quia talis prohibitionis causa, non est ad certum tempus restricta, sed perpetua.

Secundus est, quando lex punit contrafacientem: tunc enim contra factum, nisi expresse irritetur, valida est: quod non esset, *addum idem authores*, si non puniret, sed tantùm prohiberet. Ratio esse potest, quòd pœnæ semper sint restringendæ, & legislator videri possit contentus ea, quam ipse expressit.

Tertius, quando lex facta est in fauorem eius qui contra illam agit: quia comparatione ipsius exhortatio potius est, quàm lex; eique ipse, tanquam cedens suo iuri, potest renuntiare.

Quartus, quando lex certum modum aliquid agendi præscribit ei, qui iure alioqui potest illud agere. Sic Ordinarius, qui potestatem habet absoluendi ab excommunicatione iuris, quam huius conditor nulli reseruauit: quantumuis præcipiatur ei vt non absoluat, nisi accepto prius iuramento & satisfactione ab excommunicato: validè tamen absoluit, etiàsi absoluat non seruato tali præcepto, Secus esset autem, si tantùm delegatam potestatem haberet, & in delegatione inungeretur talem formam seruari. Nam ea non seruata, ille nihil efficeret, tanquam excedens limites potestatis sibi commissæ.

Plenius disputatam propositam quæstionem qui volet potest videre apud Gabrielem Vasquez ad 1. 2. disput. 164. in cuius capite 3. alias regulas tradit, quas pro praxi parcis attingere non erit inutile.

Nu.185. Prima est, Quoties lex non prohibet substantiam actus, sed solum aliquas circunstantias ipsius, is validus est: vt contractus prohibitus fieri in die aut loco sacro; tunc, aut ibi factus, valet.

Secunda est, quando actus aliquis prohibetur intuitu alterius virtutis, quàm iustitiæ, id non obstat quin validus sit, retinerique possit quod per eum fuerit acquisitum: quale est acquisitum à Clerico per negotiationem, aut aliquod ministerium sordidum, sibi lege Ecclesiastica prohibitum: aut munus acceptum ab officiario recip. qui prohibetur etiam liberaliter oblatum accipere ob executionem sui officij: quorum illud prohibetur intuitu religionis, & hoc intuitu liberalitatis contra auaritiam. Fundatur autem in eo hæc regula, quòd obligatio restituendi acquisitum, non consurgat nisi ex læsione iustitiæ.

Tertia est. Lex statuens certum pretium rerum seruandum in contractibus, non reddit eos inualidos: sed solùm inducit obligationem ad refundendum id quod amplius acceptum fuerit: perinde scilicet ac cum pretium constitutum est communi æstimatione, cuius vice talis lex fungitur. Attamen inualidus est actus, si lex præcipiat aliquid ad ipsius formam spectans, quod non seruetur (quod congruenter antedictis num. 183. intellige procedere quoad forum, pro quo lata est eiusmodi lex) vt si testamentum is faciat qui non attigit annos pubertatis: aut bona sua alienet is qui adhuc est sub curatoribus: aut non seruetur numerus testium vel tractatuum lege præscriptorum pro forma contractus aut alienationis. Deficiente enim forma contrahendi, non oritur obligatio ex contractu, itaut formam contractui præscribere, sit consequenter irritare contra factum. De quo pluribus suo loco in sequenti libro 25. in quo de contractibus agendum ex instituto.

CAPVT XIX.

De modis quibus legis humanæ obligatio tollitur.

SVMMARIVM.

186 *Quatuor per quæ obligatio legis tolli potest.*
187 *Cuius sit ad tollendam legem, interpretationem illius vniuersalem facere.*
188 *Cuius sit facere particularem.*
189 *Qua ratione procedendum sit in interpretatione legis ad habendam eius veram intelligentiam.*
190 *Authoritatem dispensandi in lege habet, qui eam tulit, & successor ipsius.*
191 *De dispensatione facta alicui cum aliorum damno quid sit sentiendum.*
192 *Casus in quibus inferior Princeps, potest in lege ipsius dispensare.*
193 *Tres casus speciales, in quibus potest Episcopus dispensare circa generalem constitutionem Papæ, aut generalis Concilij.*
194 *Ad dispensationem debet cum legitima authoritate concurrere causa rationabilis, iuxta viri boni arbitrium.*
195 *Dispensatus sine iusta causa, qua ratione in conscientia tutus non sit.*
196 *Dispensatio in lege Superioris sine rationabili causa per inferiorem data, non valet.*
197 *In dispensatione quærenda, caueri debet tum surreptio tum obreptio.*
198 *De abrogatione legis.*
199 *De eiusdem irritatione.*

Nu.186. QVATVOR sunt per quæ censeri potest legis humanæ obligatio tolli: primum est ipsius legis interpretatio, quâ declaratur hominem, in hoc vel in illo casu, non esse obligatum lege. Secundum est, dispensatio, quâ is, qui alioqui vere esset obligatus, eximitur ab obligatione legis, authoritate Principis. Tertiũ est, abrogatio, quâ lex, quæ iam obligabat, tollitur secundùm se totam, sicut derogatione tollitur secundùm partem tantùm. Quartum est, irritatio quâ lex antequam obligare incipiat impeditur ne robur suum obligandi obtineat. Quæ descriptiones sunt Soti *in 1. de iust. & iure quæstione 7. art. 3.*

Primus modus per interpretationem.

SECTIO I.

DE interpretatione notandum est, duplicem eam esse posse: vnam vniuersalem pro toto populo vniuersáue repub. absolutè; alteram particularem, habito respectu ad certum aliquem casum, qui de lege ipsa occurrit decidendus.

Nu.187. Atque interpretationem vniuersalem iuris humani Ecclesiastici, pro toto populo Christiano pertinere ad Papam. Iuris ciuilis verò vniuersalem interpretationem quoad ea verò quæ laicos concernunt pertinere ad Imperatorem ex lege fin. Cod. de legib. vbi ratio redditur, quòd eius sit legem interpretari, cuius est condere. Quæquidem ostendit cæterorum quoque Superiorum siue Ecclesiasticorum, siue laicorum esse, leges suas interpretari, in ordine ad subditos suos vniuersaliter.

Nu.188. Particularem verò interpretationẽ pertinere ad Iudicẽ, cuius est de tali casu, causáue cognoscere, & sententiã ferre: nisi occurreret tanta difficultas, vt certa legis intelligentia, quoad talem casum dari non posset: quia tunc recurrendum est ad eum ad quem dare vniuersalem spectat, tanquam ad legis conditorem; iuxta legem, 1. Cod. de legibus: in qua Imperator sic ait: Inter æquitatem, iusque interpositam interpretationem, nobis solis & oportet & licet inspicere. Hanc de legis interpretatione doctrinã ex Panorm. ad cap. 1. De iuramento calumn. numero 2. communiter tradunt & approbant Summularij: vt Angelus, Sylu. Tabiena, Armilla, in verbo Interpretatio.

Nu.189. Notandum est secundò, *quod Sylu. in verbo Lex num. 16. confirmat.* In interpretatione legis, ad consequendam veram illius intelligentiam, sic esse procedendum, vt primo loco consideretur ratio seu finis legis, & secundùm eam fiat interpretatio, quidquid fortè verba repugnare videantur: quia verba seruire debent intentioni, non intentio verbis, ex cap. Humanæ, 22. quæst. 5. Quæ ratio si expressa non sit in ipsa lege, illam prudenter coniectare oportet, cùm sine ratione non sit lex; cap. Cõsuetudo distinct. 1. Id quod plenius in sequenti num. 17. idem Sylvester declarat. Quod si illam animo coniectare nó possimus, oportet recurrere ad verba legis, à quibus recedendum non est, si clara sint: sin autem sint ambigua, facienda est interpretatio per alias leges, quia cùm iura iuribus concordare debeant. cap. Cùm expediat, De elect. in 6. optima legis interpretatio, est per aliam legem. Atque si per alias leges apparere non potest intellectus, seu germanus sensus verborum legis, recurrendum est ad ciuitatis consuetudinem, quæ est optima legum interpres, ex cap. Cùm dilectus De consuet. & ex lege. Si de interpretatione ff. De legibus. Rursus si neque per consuetudinem loci appareat qui quæritur legis intellectus, recurrendum est ad similia, iuxta legem Non possunt ff. De legibus. Communiter enim receptum est, *vt ibidem notat Sylvester*, quòd dispositio, id est, constitutio, facta in vnum casum, trahatur ad alium de quo si disponentes cogitassent, vero-similiter idem disposuissent. Si denique nihil horum sufficere possit, recurrendum est ad Principem, cuius sicut est legem condere, ita est de ea aliquid in tali difficultate definire.

Monet autem ibid. Sylvest. Doctores quemadmodum Iudices, potestatem habere interpretandi leges, ex lege vnica. Cod. De professoribus qui in vrbe Constantinop. nisi quòd ex D. Anton. 1. *part. titul. 17. cap. vnico* §. 7. interpretatio Iudicis censeatur necessaria: & doctoris, tantùm probabilis. Duóque addit notatu digna. Prius est, vnius constitutionis vnũ tantùm esse intellectum, seu sensum verum: atque si quæ lex plures habeat, qui omnes possint esse veri, ipsam reputari inutilem, nisi illi probentur per alias leges. Posterius est, cum legis sensum magis esse tenendum, qui vitio caret, qui minus habet dubitationis, qui per meliores rationes & leges probatur; & qui proprietati sermonis, quo lex scribitur, magis est consentaneus. De qua re plenius Alphon. à Castro in lib. 1. De lege pœnali cap. 7.

Addi potest & tertium ex eodem Sylvest. ibid. nu. 24. nempe legem aliquid indulgentem per verba præteriti temporis, non esse interpretatione extendendam ad futura, quando ipsa esset delinquendi occasio: vt esse meritò censeretur, quæ indulsisset omnibus exulibus reditum in patriam, soluto pretio viginti nummorum aureorum. Sin autem cessaret talis occasio, legem loquentem per verba siue præsentis, siue præteriti temporis, posse interpretatione ad futura extendi. Videri possunt quæ pluribus Ferdinandus Rebellus de recta ratione interpretandi ius scriptum tradit in opere De obligationibus iustitiæ, part. 2. lib. 1. quæst. 6.

Secundus modus per dispensationem habentis legitimam potestatem

SECTIO II.

Nu.190. DE dispensatione notandum est, eam duo potissimum requirere vt legitima sit, nempe authoritatem, & causam sufficientem.

Authoritatem verò sufficientem habet is, qui legem ipsam tulit, eiusque successor pari præditus potestate. Vnde Papa dispensare potest in legibus Apostolorum; non quidem iis quarum Christus fuit principalis legislator, & Apostoli tantùm promulgatores non conditores; *quia tales sunt iuris diuini*: sed iis quas Apostoli tanquam Ecclesiæ pastores condiderunt: vt Episcopum debere esse vnius vxoris virũ. Potest similiter dispensare in legibus Concilij generalis seu totius Ecclesiæ. De qua re Couarr. & alij ab ipso citati *in Epitome 4. Decret. part. 2. cap. 6. §. 9. num. 6.* Quod autem habetur in cap. Contra, 25. quæst. 1. Sedis Apostolicæ authoritatem non posse aliquid condere contra statuta Patrum; idem *in præced. num. 5, post glossam*, ait esse intelligendum quatenus talia statuta ius naturale vel diuinum referunt. Authoritatem quoque sufficientem habet is, qui iuris concessione eam obtinuit; vel cui delegata est ab habente ordinariam potestatem. Sed aduerte in duobus casibus istud fallere. Nam quando lex Inferioris approbata est à Superiore approbatione qua robur ei addẽdo fecerit eam sibi propriam: inferior ipse qui tulit non potest in ea dispẽsare ex cap. 1. & 2. De confirmatione vtili vel inutili. Item quando legatus Papæ facit legem, non potest in ea dispensare postquam egressus est prouinciam sibi delegatam, quoniam expirat tunc iurisdictio ipsius, ex cap. vlt. De officio delegati.

Nu. 191. Notandum est præterea: non modo Episcopos, qui non habent potestatem dispensandi in iure cõmuni, editóue pro tota Ecclesia, ex cap. Dilectus De temporibus ordin. sed nec Papam, qui plenitudinem habet potestatis dispensandi in omni iurè Canonico, posse cum vno aliquo vel pluribus dispensare in lege, præiudicando cæteris subditis. Non enim potest superior subditos per dispensationem in lege, magis quàm per legem, grauare: nisi forte persona cum qua

Universidad de Deusto
Biblioteca

dispensatur, esset valde vtilis & necessaria reipub. & damnum illud aliunde compensaretur. Quod si nullo modo compensatio fieri posset, & necessitas, reip. dispensationem fieri exigeret, bonum commune posset præferri priuato, Videndus est Franc. à Victor. in relect. de authoritate Papæ & Concilij num. 16. & sequentibus: vbi explicat quatenus subditi possint resistere dispensationi quæ in ipsorum grauamen facta esset; vt ei per quem puer constitueretur ipsorum Episcopus.

Nu. 192. Annotant autem Caiet. & Med. ad 1.2. & Sotus in 1. de iust. & iure: *il i quæst. 97. art. 4. & hic quæst. 7. art. vlt.* eoipso quòd aliquis constitutus est rector multitudinis; ipsum accipere potestatem dispensandi cum suis subditis in lege Superioris. Primò quidē, quoad leuia, pro quorum dispensatione absonum esse videtur ad Principem recurrere. Secundò verò, quoad frequenter occurrentia: quia frequens ad Principem recursus, præcipuè distantem, nec præbentem ad se aditum facilem, onerosus est supra modum & intolerabilis. Postremò, quoad ea quæ sunt talis multitudinis propria: quia cùm rector ipsius, illa probè cognita habeat, merito ei relinquitur illorum moderatio. Leuia autem in hac re censentur, quæ nō sunt iniuncta per præceptum obligans ad peccatum mortale, sed tantùm per aliquod statutum, cuius transgressio non est peccatum maius quàm veniale. Eorum verò quæ frequenter occurrunt exemplum est ieiunium Quadragesimale, quod crebrò accidit soluendum ex aliqua rationabili causa, *saltem existimata*, siue infirmitatis, siue itineris siue alterius laboris suscipiendi: quæ quoties accidit, grauissimum onus esset pro dispensatione ad Papam recurrere. Quare consentaneum est vt proprius Episcopus illam dare possit; non tamen ad totam vitam, sed tantùm ad breue tēpus: in quo perseueret dicta rationabilis causa, prout admonet Sotus. Denique per ea quæ sunt propria multitudinis significantur, *vt Caiet. interpretatur*, ea quæ non redundant in communitatem totius regni vel reip. Christianæ, adeout Superioris lege ad vnam tantùm suæ ditionis ciuitatem spectante, Rector eiusdem ciuitatis possit in illa dispensare cum aliquo ciue; nisi forte casus tam notabilis esset, vt merito Superior consuli deberet; aut nisi talis lex extenderetur aliquo modo ad alias ciuitates: vt ea qua prohiberetur, ne quis ad doctoratum promoueatur in aliqua ciuitate, nisi hoc vel illud dederit suæ eruditionis specimen; quia doctor munus suum exercet, non tantùm in ea ciuitate in qua promouetur, sed etiam in aliis. Sunt præterea multi particulares casus, in quibus Episcopi & Religionū Prælati possunt cum suis inferioribus dispēsare. De quibus vide si lubet (tantùm enim generalia hic persequimur) Angelum & Sylu. in verbo Dispensatio, illum num. 5. & 8. hunc verò, quæst. 11. & 14. Qui posterior refert adhuc in præced. quæst. nona tres generales casus, in quibus potest Episcopus dispensare in generali constitutione Papæ, vel generalis Concilij, etiamsi id illi non concedatur expressè.

Nu. 193. Primus est, quando consuetudo præscripta habet, vt ipse possit dispensare: quia consuetudo facit valere dispensationem, alias non valituram. Secundus, quando exigit necessitas vel vtilitas recens orta, & verosimiliter inexcogitata tempore constitutionis; probabile est enim Papam cùm ad ipsum recurrendi facultas non datur: velle ea ratione animabus consulere. Tertius, quando constitutio expressè habet, dispensationem posse circa eam fieri, etiamsi id non indulgeat expressè; nam de dispensatione Papæ non intelligitur dictum: quandoquidem Papa ad dispensandum non eget tali indulgentia. Quare de dispensatione Episcopi intelligi debet.

De causa quæ cum legitima potestate debet concurrere ad dispensationem.

Sectio III.

Nu. 194. QVod attinet ad causam dispensandi, vt ea sufficiens sit, debet esse rationabilis. Nam cùm lex concernat totam communitatem; aliquem ab illa sine rationabili causa excipere à communi obligatione; offendit cæteros, quasi bonum commune non satis fideliter, aut non satis prudenter administretur: vnde sine rationabili causa dispensans, peccat: nimirum abutendo potestate, quam iuxta Apostolum in posteriori ad Corinth. cap. 13. accepit in ædificationem non in destructionem. Quanquam dispensando circa suam legem, peccat solùm venialiter, vt à Caiet. notatum, refert & approbat Nauarr. in Enchir. *prælud. 9. nu.* 12. dummodo tamen scandalum & notabile damnum alienum cesset.

Quæ verò causa censeri debeat rationabilis, potest quidem propositis exemplis illustrari: nempe dicendo, Causa rationabilis est, vt vtilitas spiritalis multorum, personæ qualitas aut meritum, scandalum imminens, & huiusmodi alia: regula tamen aliqua generali id doceri nequit, prout in verbo Dispensatio quæst. 1. Sylu. notat: addens ideo standum esse in ea re arbitrio boni viri: quo decernente, *vt ille subiungit*, rationabilem adesse causam dispensandi, Superior peccat non dispensando, quantumcumque, subditus non habeat ius aliud petendi dispensationem, quàm deprecatiuè.

Nu. 195. Porro is cum quo sine rationabili causa dispensatum est (prout ex Innoc. & Panorm. annotant in verbo Dispensatio Angelus & Sylvest. ille num. 3. & hic num. 5. Sotus item in 1. de iust. & iure quæst. 7. artic. vlt. ac Couarr. in Epit. 4. Decletal. parte 2. cap. 6. §. 9. nu. 11.) non est tutus quoad Deum, si is qui dispensauit, potestatem habeat tantùm ex commissione: quoniam commissio facta alicui vt dispenset, intelligitur, quòd eam exequi debeat ex legitima causa. Sin autem dispensans habeat authoritatem legislatoris, dispensatus censeri potest tutus, quantum ad reatum transgressionis talis legis. Ratio est, quia dispensat tanquam Princeps, qui potest vt legem condere, ita & eam destruere. Non est tamen simpliciter tutus: quia peccat, nolendo sine causa conformare se honestis moribus eorum quibuscum viuit, vt Nauarr. habet in Enchir. *prælud. 9. num.* 11. Quanquam, vt ille ex Caiet. consequenter addit, & Sotus quoque docet sub finem lib. 1. de iust. & iure, tale peccatum non est plus quàm veniale: nisi interueniat scandalum aut notabile damnum proximi. Par autem in hac re est ratio inferiorum Principum in suis legibus, ac Episcopi: & par supremorum Principum in suis, ac Papæ. Vnde Nauarrus ipse in seq. num. 14. tradit in inferiore Principe locum habere, quod Angelus & Sylu. annotant in verbo Dispensatio, vterque quæst. 2. non requiri necessariò causæ cognitionem in dispensatione per Principem, sed sufficere ipsius voluntatem. Item quod iidem ibidem docent Angelus num. 12. Sylu. quæst. 15. Superiorem assumendo aliquem ad officium ad quod nouit ipsum habere impedimentum (subintellige prouenientis à sua lege) censeri cum eo dispensare in eodem impedimento.

Porro quod dictum est non esse tutum in conscientia

scientia illum cum quo sine rationabili causa dispensatum est ab eo, qui tantùm ex commissione habebat dispensandi potestatem, extendēdum est ad omnem eum cum quo Inferior dispensauit in lege Superioris. Non enim valet dispensatio Inferioris circa legem sui Superioris, facta sine iusta causa: sicut nec dispensatio Summi Pontificis circa legem Dei; siue naturalem siue positiuam facta similiter sine causa iusta. Id quod Nau. ibidem num. 13. benè confirmat per cap. Cum inferior, de maiorit. & obed. Additque consentaneè eidem doctrinæ, non censeri factam ab inferiore dispensationem circa legem Superioris, nisi ipse id expressè dicat: quantumuis aliquid iubeat aut permittat fieri, quod nisi ipso circa talem legem dispensante, iustè fieri nequit. Deinde, quod non credatur ipsi dicenti se talem dispēsationem iusta de causa facere, nisi id probet, si quidem illa non sit facta cum causæ cognitione. Quanquam, vt idem Nauarrus notat ibidem num. 11. præcedenti, ille cum quo sine iusta causa dispensatum est; si bona fide, authoritate Superioris sui nixus, putet dispensationem iustā de causa sibi datam esse, excusatur, donec satis nouerit non fuisse sic datam.

Iam quod potestas dispensandi commissa alicui non expressis personis dispensandis, interpretanda sit latè tanquam Principis beneficium: strictè verò, expressis personis dispensandis tanquam priuilegium & recessus à iure cōmuni, qui est odiosus. Quod item eadē, tum potestas, tum dispēsatio duret post mortem eius, à quo siue hæc, siue illa fuit data; videri potest apud Angelum, & Sylu. in verbo Dispensatio *apud hunc quæst. 6. & apud illum num.* 14. De eo autem quod idem Sylvester quærit in seq. quæst. 7. An non tantùm in manifestis, sed etiam in occultis requiratur dispensatio; quid sentiendum sit Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. satis indicauit, cùm fecit potestatem Episcopis dispensandi in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario.

Nu. 197. Cæterùm in procuranda dispensatione cauenda est: tum surreptio, id est, narratio falsa, seu qua aliquid falsi dicitur vt dispensatio impetretur: tum obreptio, id est, narratio subdola, quæ fiat non expresso omni eo, quod exprimi debuit: sed tacito aliquo; quod si exprimeretur difficiliorem redderet dispensationem. Nam dispensationem cum tali conditione obtentam inualidam esse Sylvester in eod. verbo nu. 2. rectè confirmat ex cap. 2. De filiis presbyterorum in 6. vbi textus est satis apertus. Pro externa autem praxi quoad hæc, & alia spectantia ad procurationem dispensationis, ea quæ de rescriptis habet Azor. in 1. part. moral. institut. lib. 5. cap. 24. legi poterunt. Nec enim sic attinent ad nostrum institutum vt in illis nos immorari necesse sit.

Tertius modus per abrogationem: & quartus per irritationem.

Sectio IV.

Nu. 198. DE abrogatione legis notandum est: legem abrogari, tum per contrariam consuetudinem rationabilem & præscriptam (ex cap. vlt. De consuet. quod ex instituto declarabitur in seq. titul. 4.) tum per legem contrariam: posterior enim lex, propter mutatam in contrarium Superioris voluntatem, abrogat priorē legem contrariam: etiāsi de hac nulla mentio in illa fiat. Exceptis tamen statutis locorum specialium, & personarum singularum, id est, statutis quibus pars tantùm eorum, qui legislatoris ditioni subsunt, ligantur; eo ipso, quòd incorporati sint certò personarum collegio. Nām talibus statutis, *dummodo rationabilia sint*, in nullo derogari per nouam constitutionem; nisi id in ea expresè caueatur, vt solet per clausulam derogatoriam *Non obstantibus, &c.*] Ita habetur ex cap. 1. De constit. in 6. Vbi tamen glosa 1. admonet, cùm statuta specialia idem disposuerint ac ius illud commune, quod per legem nouam abrogatur; ipsa simul cum eodem iure abrogari: vt si Episcopus sua synodalia statuta ex iure communi sumat; statuátue idem ac ius aliquod commune: & à Summo Pontifice feratur lex noua, annullans idipsum ius, annullabit pariter eiusmodi statuta. Idem eriam *in verbo Lex*, habet Sylvester *num.* 26. & 27. Atque admonet abrogationem legis prioris per posteriorem contrariam, non impediri ex eo, quòd illa ipsa prior contineat clausulam derogatoriam legi in contrarium ferendæ: quia cùm Princeps omnes suas leges scire, & in scrinio pectoris sui habere cēseatur, ex cit. cap. 1. De const. in 6. sicut legem, ita & illius derogationem abrogare censendus est, constituendo legem contrariam.

Cæterùm cùm lex noua tantùm est diuersa, non autem contraria priori; vtraque seruanda est. Item cum legis abrogatio maiore de causa fieri debeat, quàm dispensatio; licet in omnibus legibus humanis iusta causa dispensandi possit se offerre: aliquæ tamen Ecclesiasticæ leges dantur tam sanctæ, tamque vsu receptæ, vt nulla possit esse causa sufficiens & iusta eas abrogandi: qualis est lex de ieiunio Quadragesimali. Denique cùm lex non obliget nisi ex Principis voluntate; hac mutata in contrarium, lex ipsa statim vim suam amittit, abrogatúrue. His ad pleniorem intelligentiam, qui volet, poterit adiungere tradita ab Azorio in 1. part. moral. instit. lib. 5. c. 16. ab initio vsque ad quæst. 8.

Nu. 199. De irritatione denique legis notandum est: legem irritari posse, tum à Superiore legislatoris nolendo eam confirmare; vt si rex legem à Senatu, aut gubernatore alicuius prouinciæ sibi subiectæ, vel Summus Pontifex ab Episcopali synodo constitutam quassaret. Id quod attigit Sotus in lib. 1. De iust. & iure *qu. 7. art. 3.* Tum etiam ab inferioribus & subditis, non recipiendo latam legem. Quam non receptionem impedire ne lex vim obligandi obtineat, patet per ea quæ antedicta sunt in nu. 160. & quatuor sequentib. Tantùm adde, quòd etsi potestas Principis sit à populo, quam hic illi supra se dedit, vt ea vteretur ad vtilitatem, non autem abuteretur ad destructionem ipsius; ideóque populus ipse non teneatur acceptare statim eam Principis legem, quam dubium est iniustam esse; possitque repudiare apertè iniustam, attamen legem quam constat iustam esse, teneatur statim acceptare, quia postquam transtulit suam potestatem in Principem, debet esse illi subiectus in omnibus manifestè iustis.

TITVLVS II.

De humana lege scripta.

HVc pertinet explicatio eorum quæ in genere nota esse conuenit de iure, tum canonico, tum ciuili; quorum illud leges humanas Ecclesiasticas, & hoc ciuiles complectitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XX.

De iure Canonico.

SVMMARIVM.

206 *Principia iuris Canonici assignata à Gratiano.*
201 *Ius Canonicum accipitur duplicitèr: nempe generaliter, & propriè.*
202 *Propriè acceptum pro doctrina quæ traditur in scholis, distinguitur quinque partibus.*
203 *De prima quæ est Decretum Gratiani quomodo distinguatur, citarique soleat.*
204 *Methodus qua Gratianus procedit in suo decreto.*
205 *Modus citandi cæteras iuris Canonici partes.*
206 *Methodus seruata in earum compilatione.*
207 *Quæ sit obligatio contentorum corpore iuris Canonici.*
208 *Iuris Canonici doctrina, sacraque Theologia ad institutum nostrum necessaria.*

Nu. 200. DE iure Canonico tractat Gratianus distin. 15.& aliquot sequentib.eiusque principia prima assignat. Primò,sacram Scripturam, contentam veteris & noui Testamenti libris quorum catalogus traditur in quarta sessione Concilij Triden.Secundò,traditiones Apostolorum, quæ ex Sanctorum Patrum scriptis collectæ , in Ecclesia Catholica recipiuntur : de quibus habetur decretum Gelasij Papæ in citata distinct. 15. cap. vlt. Tertiò,Canones Apostolorum:de quibus Gratianus ipse agit in quatuor primis capitib.distinct. 16.Quod autem in cap. 1. illos ex Isidoro dicit apocryphos: Turrianus in lib.1.pro iisdem Canonibus cap.15. nõ de illis quos Ecclesia recipit, sed de aliis confictis ab hæreticis intelligendum esse ostendit.Quartò,Concilia generalia de quibus idem Gratianus distin. 15. cap. 1. & distinct. 16. à cap.5. & distinct.17. Quintò, Concilia prouincialia,de quibus distinct.18. eorumque plura commemorantur in præced. distin.16.cap. Prima annotatio. Sextò, Decretales epistolæ Summorum Pontificum:de quibus distin.19. & 20. Non est autem huius instituti de illis disputare aduersus hæreticos : sed ea sumere tanquam satis communi Catholicorum consensu constituta, & aduersus eosdem Christianæ Religionis hostes, strenuè propugnata à plerisque, vt à memorato Turriano in libris pro Canonibus Apostolorum, & pro Decretalibus epistolis:à Melchiore Cano in locis Theologicis, & ab aliis,præsertim à Bellarm.in tom.1.Controuers.

Nu. 201. Accipitur autem ius Canonicum nonnumquam latè, vt opponitur iuri ciuili , & complectitur non modo eas Ecclesiasticas leges , quæ per vniuersam Ecclesiam obligant : sed etiam eas quæ alicuius tantùm prouinciæ aut diœcesis aut ciuitatis homines vinciunt:quales feruntur à legatis Papæ vel ab Episcopis aliisve qui super alicuius tantùm prouinciæ vel diœcesis aut ciuitatis homines , iurisdictionem habent spiritalem: itemque à Capitulis vel ab Vniuersitatibus.*Vide Sylu.in verbo Lex num.* 4. Nonnunquam verò accipitur propriè , pro lege Ecclesiastica obligante vniuersam Ecclesiam : qualis potest ferri tantùm à Papa , cui dictum est in persona D. Petri Matth.16. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis:] vel à generali Concilio,cui accommodatur id quod in sequen.cap 18. dicit Dominus,Quæcumque alligauerit is super terram, erũt ligata & in cœlis.] Hácque acceptione intelligi potest dictum à Gratiano distinct.18. in initio , Concilium prouinciale inualidum esse ad definiendum & constituendum : vt sensus sit, eiusmodi Concilij constitutionem non obligare omnes , aut certè non obligare nisi à Papa approbatam.Priore autem acceptione ius Canonicum non comprehenditur disciplinã: quia est propemodum infinitũ , mutatúrque in dies.

Nu. 202. Posteriore verò modo constituit doctrinam quæ ipso nomine iuris Canonici appellatur : distinctam, *vt hodie in scholis tradenda proponitur*,quinque partibus. Prima est Decretum Gratiani; ex variis Summorum Pontificum & Conciliorum sanctionibus, ac Sanctorum Patrum sententiis cõcinnatum, sedente Eugenio tertio , qui traditur illud publicis gymnasiis concessisse legendum, aliquótque abhinc annis iussu Gregorij 13. emendatum est, ea ratione quâ declarat epistola ad Lectorem eidem operi emendato prefixa, in illius editione.

Secunda pars , sunt Decretales , quas Gregorius IX. opera Raymundi Barcinonensis Pœnitentiarij sui compilauit. Decretales autem propriè dicuntur, Summorum Pontificum responsa ad aliquorum consultationes vel interrogationes : tanquam sint Epistolæ decernentes veritatem super interrogatione Summo Pontifici facta.

Tertia pars est Sextus, quem Bonifacius 8.edidit in Concil.Lugdun.Quarta pars,sunt Clementinæ à Clemente quinto editæ,potissimùm in Concil.Viẽnensi:promulgatæ verò ab ipsius successore Ioanne 22.Quinta & postrema sunt Extrauagantes quarum viginti sunt cõstitutiones ipsius Ioan.22.Cęterę verò sunt extrauagantes communes diuersorum Summorum Pontificũ, quas ediderint post Sexti editionem.

De Gratiani Decreto.

Nu. 203. POrro decreti volumen tribus sectionibus distinctum est;quarum prima, centum & vnam distinctiones continet. Secunda causas 36. cum suis quæstionibus.Tertia tractatum De consecratione quinque distinctionibus absolutum : cúmque distinctio vel quæstio vnaquæque plures habere soleat Canones;hi solent citari,non per numeros , sed per prima verba ipsorum:nisi quòd plerumque primus & vltimus,his suis nominibus,*primi,inquam, & vltimi seu finalis*,fere citentur.Quærendi sunt autem in 1.sectione quando cum illis citatur tantùm distinctio:vt dicendo distinct.1.cap.Omnes leges. Quando verò citantur causa, & quæstio (quod fieri solet tacito ipso nomine causæ,hoc modo 1.quæst.1.cap.Gratia) quærendi sunt in 2. sect. sicut & cùm nomini distinctionis additur De pœnitentia, hoc modo , De pœniten. distinct.1.cap.Petrus;per illa verba, *De pœnitentia*,indicatur 33.causæ eiusdem sectionis quæstio 3.quæ in septem distinctiones diuisa est. Cùm autem eidem nomini distinctionis , additur , *De consecratione* , hoc modo De consecr. dist.1. cap. Tabernaculum ; quærendi sunt in 3.sect.

Nu. 204. Methodus autem quam in hac doctrina tradenda Gratianus sequitur in volumine Decreti,est; vt postquam 20. primis distinctionibus dixit de iis quæ sunt prima illius fundamenta : tum in reliqua parte primæ sectionis ; tum in sequenti 2. sectione , vsque ad causam 23.agat principaliter de Clericis & eorum variis ordinibus aliisque spectantibus ad ipsos. Ab eadem verò causa, *exceptis septem distinctionibus De pœnitent.* vsque ad finem eiusdem sectionis, principaliter agat de laicis,& iis quæ ad illos spectant : nempe de bello,matrimonio , & aliis: ac demum in septem prædictis distinctionibus De pœnitentia,& in tota 3. sectione , ac etiam promiscuè in duabus præcedent.

sectio

sectionibus, *præsertim in secunda* , agat de iis,quæ spectant ad vniuersos Christianos:cuiusmodi sunt præcepta Dei,& Ecclesiæ,peccata, sacramenta , censuræ & aliæ pœnæ.

De Decretalibus, Clementinis, & Extrauagantibus.

Nu. 205. QVæ autem ad secundam partem iuris Canonici pertinent , citantur per titulos , *qui sunt* 185.& per capitula,in quæ quisque titulus distinguitur , idque positis primis verbis illorum : vt dicendo De Constitutionib.cap.Cognoscentes. Qui etiam modus citandi , seruatur in 3.parte ; nisi quòd ad distinctionem , Sextus, *cùm in eo quærendum est quod citatur*, exprimatur hoc modo. Cap. Licet De cõstitutionib. in sexto.Et cùm quærendum est in Clementinis aut Extrauagantibus;pro capitulo , nomen Clementinæ aut Extrauagantis vsurpatur hoc modo, Clementina Abbates De Rescriptis.InExtrauag.Ioan.22.Suscepti regiminis.In Extrauagãti Sancta Romana , De elect. Vbi aduerte cùm absolutè citantur Extrauagantes semper intelligi commmunes , & plerumque citari etiam addito ipso Communis nomine:vt dicendo in Extrauaganti communi Sancta Romana.

Nu. 206. Methodum autem fere eamdem obseruauit Raymundus *Gregorij IX. Pœnitentiarius*, in compilandis Decretalibus,& imitatione illius alij in compilandis Sexto,Clementinis,& Extrauagantibus,quam antea Trebonianus obseruauerat in compilando Iustiniani Codice.Nam vt in singulis titulis Codicis,Constitutiones Imperatorum digestæ sunt eo ordine,quo ipsi vixerunt:vt primo loco Adriani;deinde sequentium, & vltimo ipsius Iustiniani leges collocentur. Ita in Decretalibus , hic ordo Pontificum seruatur , vt primus omnium sit Alexander III. in quo fere finierat Gratianus:tum sequuntur alij vsque ad Gregor. IX. tunc sedentem. Et quemadmodum primus in Cod. titulus,est de summa Trinitate , & proximè sequuntur generales de iure:tam scripto,quàm non scripto: quibus subiiciuntur alij de Magistratibus & horum officiis : tum deinde alij de iis quæ ante iudiciorum explicationem sciri debent; postea de iudiciis,ac de rebus quo in iudicium veniunt & postremo de accusationibus ac de criminibus: ita & in primo libro Decretalium,titulus primus est de summa Trinitate, quem proximè sequuntur tituli generales de constitutionibus , de rescriptis , & de consuetudine : post hos alij de Ecclesiasticorum Magistratuum creatione,& ordinatione : postea alij de eorumdem officio: & postremò de iis quæ ante iudicium expediri tractarique solent ; vt pacta transactiones , Aduocati, Procuratores & Arbitri. In secundo libro verò explicatur tota praxis iudiciaria,incipiendo à Iudice & foro competenti; quod est in omni iudicio primum, vsque ad appellationes quæ sunt postremæ. In tertio autem libro agitur ante omnia de personis Ecclesiasticis & horum rebus propriis : vt de præbendis, earúmque collatione : tum de rebus quæ sunt ipsis communes cum laicis: vt de contractibus,testamentis,sepulturis, ac postremò de variis eorũdé iuribus: vt decimis , iure patronatus , & censibus , quibus interseritur tractatio de quibusdam pietatis officiis: vt de ingressu religionis, de conuersione coniugatorum,de cõuersione infidelium,de voto,de statu monachorum,& alia multa de Ecclesiis,earumque consecratione , immunitate & iis quæ in Ecclesiis sunt vel fiunt:vt de Baptismo, Eucharistia, Reliquiis. In quarto porro libro De sponsalib. & matrimoniis latissimè tractatur. In quinto demum exponuntur accusationes & pœnæ delictorum : præcipuè eorum quæ Ecclesia iudicat,& punit:vt vsura, simonia, hæresis:& vltimo loco sicut in Pandectis ponuntur tituli de verborum significatione,& de regulis iuris.

De obligandi vi eorum , quæ continentur corpore iuris Canonici.

Nu. 207. SI quis quærat,An omnia quæ sunt in iure Canonico vim habeant obligandi in conscientia. Respondetur nõ habere: quia multa abrogata sunt contrariâ consuetudine,vt videre est apud Sylu.in verbo Lex num.13. multáque Gratianus in decreto loquitur suo sensu, quæ communiter non tenentur : vtraque notat idem Syluester. Iam quæ in iure ipso Canonico ad peccatum mortale obligent , iudicandum est per ea quæ de distinctione peccati in mortale & veniale dicentur in sequenti lib.15.Illud hic monuisse sufficit obligationem iuris Canonici , & magnam esse,& transgressionem illius grauem,iuxta cap. Violatores 25.quæst.1. Atque eam de se extendi ad omnes Christianos , *quantacumque potestate aut dignitate polleant* ; patet per cap. Duo sunt ac multa alia distin. 96. & per cap. Solitæ De maiorit. & obedien. & per Extrauag. Vnam sanctam, eod. tit. vbi optima ratio redditur;quòd Summo Pontifici istius iuris præcipuo authori dictum sit generaliter in D. Petro Ioan. 21.Pasce oues meas,non singulariter has vel illas: vt intelligeretur vniuersas commisisse : alienúmque eum esse à suo ouili,qui Petrum & successores ipsius non recognosceret Magistros & Pastores.

Non extendi verò ad infideles qui sunt extra Ecclesiam;patet ex Apostolo dicente in priore ad Corinth. cap. 5. Quid mihi est de iis qui foris sunt iudicare,nonne de iis qui intus sunt iudicatis ? Nam eos qui foris sunt Deus iudicabit. Quod tamen intelligendum est tantùm quoad leges positiuas , ac purè Ecclesiasticas:*quæ ab eis nec consuetudine nec statutis ipsorum receptæ fuerint.* Nam quoad illas, quæ in se complectuntur ius naturale vel diuinum ipsos adstringens,& quoad illas quæ ab ipsis receptæ fuerint aliqua consuetudine vel statuto , obligantur & ad culpam & ad pœnam.

Nu. 208. Cæterùm vt intelligatur quantum ius Canonicum faciat ad nostrum institutum , notandum est eorum in quibus nos peccare contingit , quædam ad fidem Catholicam, & quædam ad mores Christianos pertinere: & horum rursus quædam esse communia Christianis omnibus,& quædam propria hominibus diuersorum statuum : atque vtrorumque adhuc quędam esse iuris naturalis, vt sunt præcepta Decalogi, restitutio,contractus , & eiusmodi alia , quæ ratione naturali definiri possunt;quædã verò esse iuris diuini positiui vt sacramenta: quædam demum iuris Ecclesiastici , vt sunt quæ dicuntur præcepta Ecclesiæ & pœnæ à Superioribus impositæ transgredienti aliquam legem siue diuinam siue humanam;item varij personarum ordines,gradus,& officia, multáque alia quorum dispositio à Christo relicta est Superiorum arbitrio.

Ac cùm hæc ita sint : ratione eorum quorum dispositio relicta est Superiorum Ecclesiasticorum arbitrio,nec diuina lege naturali vel positiua definiuntur:doctrina in qua versamur necessariò amplectitur ius Canonicum. Etenim nemo est tam temerarius, qui sine aliqua Canonum scientia definire velit, An, *exempli gratia*, quis in 12. regularitatẽ aut excõmunicationẽm, aliámve censuram incurrerit : An Episco-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pus in his vel in illis impedimentis dispensare; aut ab his vel illis censuris absoluere possit: An talis in pastorem legitimè electus sit, aut ritè ad sacros ordines promotus, & sic de multis aliis: in quibus turpiter errare necesse est contempto iure Canonico. Ratione verò eorum quæ ex lege diuina vel ratione naturali definiri possunt, *sicut & ratione pertinentium ad fidem*: illa ipsa doctrina amplectitur sacram Theologiam: cuius principia (*quibus ita nititur vt ex proprio munere illa & interpretetur, & aduersus impugnantes tueatur*) interna quidem, sunt propositiones supernaturaliter reuelatæ: Externa verò, propositiones naturali lumine notæ, tam Theoreticæ quàm practicæ de iis quæ ad Deum ducunt.

CAPVT XXI.

De iure ciuili.

SVMMARIVM.

309 *In quo ius ciuile à canonico, distinguatur potissimùm.*
210 *Ius ciuile subest Canonico.*
211 *Quis possit ius ciuile condere.*
212 *Diuisio præcipua iuris ciuilis in constitutionem Principis, Senatusconsultum, ius prætorium, & plebiscitum.*
213 *Diuisio iuris ciuilis prout in scholis docetur.*
214 *Modus quo citari solet.*
215 *Pleraque leges continet abrogatas, & quasdam non seruandas.*

Nu.209. IVs ciuile à Canonico, vt Panorm. notat ad cap. vltimum De consuetud. num. 5. in hoc potissimùm distinguitur, quòd cùm omnis iustæ legis finis, sit bonum publicum, quod est vel temporale huius vitæ, vel æternum vitæ futuræ: ius ciuile de se pro fine habeat bonum temporale, quia constituitur per potestatẽ, quam à natura acceptam, multitudo vel sibi retinuit, vel in aliquem vnum, aut plures transtulit ad conseruandum idipsum temporale bonum commune. Ius Canonicum verò pro fine habeat bonum æternum; quia constituitur per potestatem supernaturalem, *quam clauium vocant*, à Christo datam & institutã, vt Christiani dirigerentur ad eam, quam ab ipso sperant, æternam salutem. De qua re plura Francisc. à Victoria in relect. 1. De potestate Ecclesiæ: & Nauar. in comment. de finib. humanorum actuum, ille quæst. 3. & hic num. 29.

Nu.210. Vnde patet meritò in distinctione decima per totam, Gratianum statuere, ius ciuile subesse iuri Canonico: quandoquidem non modo bonum æternum maius est & melius quàm temporale: sed etiam ordinauit Christus vt temporalia subessent æternis, prohisque illa etiam contemnerentur. Quare cùm duæ dictæ potestates condendi ius, in Ecclesia Christiana sint tanquam in vno corpore Christi mystico, non est dubium quin in eadem (in qua tam laici quàm Ecclesiastici, Christo tanquam membra vni capiti vniuntur) ius per ciuilem potestatem constitutum debeat, *congruenter antedictæ Christi ordinationi*, subesse iuri Ecclesiastico: nempe tãquam fœlicitatem solùm temporalem respiciens; ei quod ad æternam fœlicitatem conducit. De qua re adhuc videri potest à Victor. in cit. relect. quæst. 6. & Sotus in 4. distinct. 25. quæst. 2. art. 1.

Nu.211. Iam ius ciuile condere, legémve ciuilem ferre, eatenus quiuis dominus temporalis potest in suis terris, quatenus iurisdictionem ad id obtinuerit, siue ex iure, siue ex consuetudine. Nam vt Syluester in verbo Lex num. 4. annotat ex Baldo: quantum quis habet de iurisdictione, tantum habet de authoritate condendi legem vel statutum; neque ea vlterius extenditur; nisi ij quorum interest consentiant. Quò consensu interueniente, lex condita, etiam à non habente sufficientem iurisdictionem, obligare potest. Sic enim Franc. à Victor. in relict. De potestate ciuili num. 23. ait leges quæ sunt conuenientes Reipub. obligare, etiamsi ferantur à Tyranno: non quidem, quia à Tyranno latæ; sed quia ex consensu Reipub. ideo admissæ, quòd melius sit illi, tales seruari, etiamsi latas à Tyranno, quàm nullas seruari tyranno ipso non permittente, vt aliæ seruentur.

Aduerte autem legitimum Principem qui nullum Superiorem recognoscit: posse, *nisi consuetudo sit in contrarium*, non requisito populi consensu condere legem: quia esset alioqui subiectus populo, nec omnino liber.

De diuisione iuris ciuilis.

IVris ciuilis plures diuisiones D. Thomas 1.2. *quæst.* Nu.212. *95. art. 4.* adfert ex Isidoro: sed inter cæteras notatu digna est illa: in constitutionem Principis, Senatusconsultum seu prudentium responsum, ius prætorium seu honorarium, & plebiscitum; sumpta ex diuersitate potestatis publicæ, à qua promanat. Namque potestas ea, vel in vno tantùm aliquo residet, secundùm formam regiminis, quod appellatur μοναρχεία seu regnum, vnde est constitutio Principis; vel residet in optimatibus populi, secundùm modum regiminis quod dicitur ἀριστοκρατία, id est, optimatum principatus: vnde est Senatusconsultum, seu prudentum responsum: vel residet in paucis diuitibus, & potentibus, iuxta regimen quod dicitur ὀλιγαρχεία, ideſt paucorum principatus; indéque est ius prætorum seu honorarium: vel denique residet in populo, iuxta formam regiminis quod dicitur δημοκρατεία, id est, populi principatus; vnde est plebiscitum. Hodie autem valde varium est ius ciuile in Rep. Christiana. Cuique illud curæ esse debet, quod in sua prouincia viget.

Olim verò circa annum Domini 530. commune Nu.213. pro omnibus prouinciis editum fuit à Iustiniano, quod adhuc hodie in scholis docetur; quódque in hac disciplina congruenter ei quod in cap. 1. De noui operis nunciatione dicitur sacrorum statuta Canonum, Principum constitutionibus adiuuari: & in cap. Super specula, De priuilegiis, Sanctam Ecclesiam, legum sæcularium non respuere famulatum) frequenter vsurpatur: præsertim cùm de rebus temporalibus difficultas decidenda occurrit. Quapropter paucis declarandum est quibus partibus distinctum sit, & quomodo vnaquæque pars, & quæ ad eam pertinent, citari soleant.

Habet igitur tres partes principales. Prima dicitur Digestum, Græcè πανδέκτης continens 50. libros diuisos in tria volumina: nempe in Digestũ vetus, Infortiatum, & Digestum nouũ. Secunda, dicitur Codex, continens nouem libros. Tertia dicitur Volumen, & complectitur primò tres libros vltimos Codicis 10. 11. 12. deinde Authentica seu Nouellas constitutiones: tertiò, librum seu Vsus feudorum: quartò, Institutiones.

Quæ autem ad primam & secundam partem spectant, tacito librorum nomine citantur per titulos, Nu.214. leges, & paragraphos: quando sicut vnaquæque eatum plures titulos habet, sic quisque titulus plures leges complectitur, quod fere semper fit: & vnaquæque lex plures habet paragraphos, quod nonnunquam, *varius tamen*, vsuenit. Atque ad indicandum Digestum vsurpatur communiter aut litera D, aut duplex ff, aut litera Græca π: & ad indicandum Codicem, litera C. Quibus subiungitur siue Digesti siue Codicis titulus, in quo habetur id quod citatur: tum deinde litera L, indicans legem, cuius prima verba loco numeri vt plurimum exprimuntur, exceptâ primâ & vltimâ, quæ per ipsa primæ & vltimæ seu finalis nomina, sæpius notantur; & ad extremum ponitur signum in formam duplicis SS, inflexi hoc modo §. ad indicandum paragraphum, si lex plures habeat: vt cùm citamus, Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit ff. De iustitia & iure l. 1. §. Ius naturale. Ex iis autem quæ habentur in Volumine, tres vltimi libri Codicis citantur cod. modo quo alij, nisi quòd addatur numerus libri dicendo v. g. Cod. De iure fisci leg. 1. lib. 10. Authenticæ verò citantur dupliciter vt notat & explicat Syluester in verbo Lex quæst. 2. sub finem: vno modo præfigendo titulo nomen Authenticæ ad hunc modum, In Authentica De lenonib. §. Sancimus: & interdum addita collatione ad hunc modum: in Authentica Vt factę nouæ constitutiones, collat. 5. Vbi aduerte obiter, *ex eodem Sylu. ibidem*, Authenticã in fœminino genere dici de lege, seu constitutione nouella: Authenticum verò in neutro genere, dici de libro earumdem constitutionum. Altero modo citantur proponendo ex Cod. aliquid sub nomine Authenticæ, vt si dicatur Cod. De Episcopis & Clericis, Authentica Statuimus; túncque quod citatur non est quærendum in Authenticis quæ comprehenduntur Volumine; sed in Codice sub titulo allegato. Vide eumdem Syluestrũ. Liber denique feudorum & Institutiones, citantur expresso nomine ipsorum, addito titulo, ac paragrapho, in quo quærendum est illud quod citatur: hoc modo, In lib. vel in vsibus feudorum, De prohibita feudi alienat. §. Satis bene. Item in Institutionibus, De iustitia & iure §. Iuris præcepta.

Nu.215. Cæterùm non omnes leges quæ habentur in iure Ciuili, obligant: quoniam multæ sunt abrogatæ in diuersis prouinciis per contrarias leges, vel consuetudinem contrariam: nonnullæ etiam seruari non possunt absque peccato: quod facit, *etiamsi veniale tantum sit*, vt non debeant seruari: ne quidem in foro externo, ex Felino ad cap. Ecclesia S. Mariæ De cõstitut. num. 41. vt pote quæ legi Dei, aut legi Canonicæ, *illas reprobanti*, aduersantur. Exempla multa profert Syluester in verbo Lex, quæst. 10. Videndus est Azor. in prima parte Moral. Institut. lib. quinto, cap. 20. & 21.

Quæstio an Ius ciuile, legésve ciuiles obligent perinde Clericos, ac Laicos, connexa est cum alia, qua quæritur: Quatenus Clerici ipsi exempti sint à Laicali iurisdictione. De qua, qui volet, videre potest Franciscum à Victoria in relect. priore de Ecclesiæ potestate, quæst. vltima. Sotum in 4. distin. 25. quæst. 2. art. 2. Couarruuiam in libro practicarum quæst. cap. 31. Medinam in Cod. De restitut. quæst. 15. Bellarminum tomo primo, in controuersia de Clericis cap. 28. & Azorium in citato lib. 5. cap. 12. 13. & 14. Quæ in præced. lib. 9. attingenda fuerunt pro explicatione aliquot Canonum Bullæ Cœnæ Domini, eodem pertinent.

***

TITVLVS III.

ET LIBRI CAP. XXII.

De priuilegio.

SVMMARIVM.

231 *Vnde dictum priuilegium, & quid ipsum sit.*
232 *Priuilegium aliud est diuinum, & aliud humanum; quod rursus est, aut generale, aut speciale, & verumque varium.*
233 *Quoddam est reale, quoddam singulariter personale, quoddam communiter personale, quoddam singulariter, & communiter corporale, quoddam communiter tantum corporale: & quid vnumquodque eorum sit.*
234 *Qui sint qui priuilegium concedere possint.*
235 *Quando priuilegium impetratum incipiat vim suam habere.*
236 *A quo, & qua ratione interpretandum sit priuilegiũ.*
237 *Aliquot regulæ considerandæ in interpretatione priuilegij.*
238 *Modi quibus cessat, imaliddmque est priuilegium.*
239 *Reuocatio prioris priuilegij per posterius, aut per ius commune.*
240 *Ea non debet sine iusta causa fieri, nec potest fieri ab Inferiore, qui priuilegium concessit, si illud fuerit confirmatum à Superiore.*

IN Decretalibus antiquis, & nouis, itémque in Clementinis & Extrauag. communibus habetur titulus De priuilegiis: de quibus in genere cum Hostiensi in sua Summa, eodem titulo: & cum Diuo Antonino 1. par. tit. 19. cap. 1. Summularij in verbo Priuilegium tractant aliquot quæstiones, tanquam ad hoc nostrum institutum spectantes, & quarum explicatione Confessarius sufficienter instrui possit ad mediocrem in ipso requisitam eruditionem. Quam si quis pleniorem optet: etiam plenissimam suppeditabit ei Suarez in libro 8. De legibus, vbi copiosè & accuratè eam persequitur. Contentus igitur Summulariorũ insistere vestigiis, talium quæstionum explicationem proponam paucis, memorato authore subinde citato in gratiam eorum qui desiderarint tractationem vberiorem.

QVÆSTIO I.

Quid sit priuilegium.

REsponsio est; si nomẽ spectes, Priuilegium idem Nu.231. est, ac priuata lex: sic dictum, vel quòd in priuato feratur, distinct. 3. cap. Priuilegium; vel quòd priuatam legem generet; 25. quæst. 1. cap. finali. Secundùm rem verò, definitur ab Hostiensi Priuatum, seu singulare ius, contra ius commune indultum.

Cuius definitionis priore parte priuilegium separatur à lege, quæ communis est omnibus legislatoris subditis, cùm priuilegium sit vnius vel paucorum proprium, ab illa exemptorum. Posteriore parte verò distinguitur à beneficio: nam, vt Sylu. habet in verbo Priuilegium: vbi aliquid (quod est non quidem cõtra, sed præter ius commune) conceditur sine præiudicio alicuius, nõ est propriè priuilegium; sed beneficium.

Adue

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aduerte autem necessarium non fuisse addi aliquid in ea definitione, per quod distingueretur priuilegium à rescripto aut dispensatione; quia cum his, aut conuenit in natura, aut non aliter differt quàm à beneficio. Differentia verò accidentalis in eo cernitur, quòd rescriptum, vt nomen indicat, requirat scripturam, priuilegium non item: & dispensatio sit quid ad modum facti transiens: & priuilegium admodum statuti, sit quid perseuerans. Videndus est Suarez lib. cit. cap. 1. & 2. Aduerte quoque ex eadem definitione colligi (quod habetur ex cap. In his, De priuilegiis, & ex cap. Abbate *De verborum significa. §.* Contra quod) priuilegium nõ esse, nisi aliquid indulgeat, adeoque ipsum ita interpretandum esse, vt aliquid operetur; id est, aliquid vtilitatis afferat impetranti. Sic, *prout statutum est in citato cap. In his*, malè interpretatum est fratribus Prædicatoribus, & Minoribus concessum, vbilibet celebrandi cum altari viatico: ita intelligendo illud, vt iidem fratres consensum Prælatorum priùs requirere debeant. Nam si id ita esset, nihil ex eo priuilegio consequerentur: quoniam cum tali consensu, idipsum licet quibuslibet Presbyteris.

Qvæstio II.

Quotuplex sit priuilegium.

Nu.232. VT quædam est lex diuina, quædam humana; sic priuilegium quoddam est diuinum, quoddam humanum. Nam diuinum priuilegium fuit Abrahæ & Iacob, plures vxores simul habere, *ex cap. Gaudemus De diuortiis*, & Israëlitis ex Ægypto exeuntibus, spoliare Ægyptios, *ex eod. cap. & ex cap. Dixit Dominus* 14. *quæst.* 5. Sampsoni, seipsum occidendi: adhuc ex eod. cap. Gaudemus *& ex cap. Si non licet §. Sed his exceptis* 23. *quæst.* 5. Præterea Apostolis, vti sortibus in electione D. Mathiæ 26. *quæstione* 2. *cap. Non statim*, nonnulláque alia per quæ indultum est aliquid agere contra diuinam legem communem: vt Oseæ, ducere vxorem fornicariam. De quibus dicere pluribus non est huius instituti.

Priuilegium verò humanum Hostiensis, *quem alij communiter sequuntur*, distinguit primò in generale & speciale: illúdque esse ait, quod continet in se plures articulos, vel pluribus personis, aut ratione plurium personarum, vel plurium rerum conceditur: hoc verò, quo alicui loco, vel vni personæ, vnus articulus conceditur.

Nu.233. Deinde vtriusque facit quinque species, inquiens aliud esse reale, aliud singulariter personale, aliud communiter personale, aliud singulariter & communiter corporale, & demum aliud tantùm communiter corporale.

Reale vocat, quod alicui loco, vel alicui rei, vel aliquibus personis occasione loci, vel cuiuscumque rei, conceditur. Atque tale, quia rei adhæret, perpetuum est: nisi fortè res ipsa destruatur. Quod aduerte intelligendum esse de destructione facta Superioris authoritate: quia, *vt D. Anton. loco cit. §. 2. ex Ioan. Andrea habet*, si locus destruatur ab hostibus, & ibi remaneant Clerici, vel authoritate Superioris ij transferantur in alium locum: vel alteri loco vniantur, retinent omnia sua priuilegia. Quod etiam ex aliis habet Syluester in verbo Ciuitas, num. 2. Porro vt priuilegium remanet cum re, sic cum ea transit ad personas, quæ in eiusdem rei possessionem aliæ aliis succedunt.

Singulariter personale vocat priuilegium, quod alicui vel aliquibus personaliter conceditur, certis & propriis nominibus earumdem personarum expressis: hócque personam sequitur, & cum ea extinguitur. Interdum etiam (prout in verbo Priuilegium, quæst. 1. Sylu. ait) ante illam, eoquod ipse abutatur. Ac proinde perpetuum non est: nec egreditur personam cui concessum est, itaut ad successorem non trãseat, nisi aliud in eo exprimatur: aut nisi concedatur ratione innatæ dignitatis, qualis est nobilitas paterna: quâ filij nobilitantur: perinde ac ex lege Fœminæ ff. De Senatoribus: vxor, *alioqui ignobilis*, coniuscat radiis mariti nobilis. Immo verò, si intuitu alicuius dignitatis concessum sit certæ personæ, non modo non egreditur eam, sed nec comitatur eamdem euectam ad aliam dignitatem: sicut nec si concessum sit cum determinatione loci vel temporis, extra illã, personam sequitur, *quemadmodum Sylvest. addit.* Quomodo autem hæc & præcedentia idem Hostiensis & post ipsum cæteri adstruant ex iure Canonico, possumus breuitatis causa omittere, cùm ad iustum vsum eorum sufficiat esse talia, quæ ab omnibus admittantur tanquam certa.

Communiter personale priuilegium vocat illud, quod certis de causis, certis personis communiter conceditur, non expressis ipsarum nominibus propriis: vt priuilegium restitutionis in integrum, quod datur minoribus 25. annis in iure ciuili. Obiter autem nota ex D. Antonino *in eodem §. 2. per glosam summariam 25. quæst. 2. circa medium*, cum dubitatur de priuilegio vtrum sit personale vel reale, præsumi potius personale quàm reale. De qua re, ac de ratione distinguendi inter priuilegium reale & personale, videri potest Suarez in citato lib. 8. cap. 3.

Singulariter autem & communiter corporale vocat, quod alicui corpori, id est, vniuersitati seu collegio ita conceditur, vt quilibet de eadem vniuersitate, possit singulariter se illo iuuare. Huiusmodi est priuilegium toti collegio Ecclesiastico indultum in cap. Si diligenti De foro competenti: vt Clerici ad iudicia sæcularia non trahantur: quo quilibet ipsorum potest se iuuare.

Communiter tantùm corporale demum vocat, quod sic competit corpori in communi, id est, vniuersitati, vt ipsa possit quidem se illo iuuare, non tamen singuli qui de eadem sunt. In huius exemplum ex lege Sed si §. Qui manu mittitur ff. De in ius vocando; adfertur priuilegium collegio datum, ne possit in ius à suo liberto vocari: quo priuilegio collegium potest se iuuare, non item singuli, qui sunt de eo. Propterea autem dicta sunt priuilegia corporalia, vt inquiunt Syluester & Tabiena: quia cum corpore, seu collegio, cui quasi inhærent, pereunt, ipsóque durante perseuerant: nisi idem obstet quod in realibus: vtrorumque enim eadem est ratio in hac re, ex D. Anton. in eodem §. 2. De cæteris diuisionibus quæ sunt huius primariæ, ratione diuersarum circunstantiarum, qusi appendices Videri potest Suarez *in eod. lib. 8. cap. 4. 5. 6. & 7.*

Qvæstio III.

Quis possit concedere priuilegium.

Nu.234. HVic initio memorati Auctores (*plenissimè omnium autem Sylu. in verbo Priuilegium qu.* 2.) respondent primò generaliter, quòd solus ille qui potest, & in quibus potest legem ferre, possit & priuilegium concedere. Ad illum enim solũ spectat exceptionem facere, ac limites ponere in ipsa lege: aut præter eam operari, facultatésque concedere, &c.

Secundò

Secundò specialiter respondent, quòd Papa semper possit priuilegium concedere in spiritualibus. Nunquam autem consueuisse id facere contra se. Cuius prior pars tam est manifesta, quàm Papam posse de spiritalibus legem ferre. Posterior verò accipienda est cum distinctione quam Suarez habet in seq. cap. 8. num. 8. scilicet vt procedat, si particulæ *contra se*, sensus sit: cótra suam dignitatem, quamquidem nec diuidere nec minuere potest. Aut etiam contra conuenientem vsum suæ potestatis, adeóque gubernationi Ecclesiasticæ contrarium, in quo abutereretur eadem sua potestate: quod non est de eo præsumendum. Non procedat autem, si sensus sit; contra se, ideſt, contra suum cómodum: vt patet ex eo, quod Papa ipse interdum potestatem faciat testandi de bonis, quæ ei alioqui acquirerentur: atque indulgeat facultatem conferendi beneficia, quorum collatio ad ipsum pertinet. In temporalibus autem idemmet Papa potest priuilegiũ concedere, nimirum in terris suæ ditionis: aut quando iurisdictio ad eum deuolueretur: aut temporalia ipsa fierent spiritalibus annexa.

Iam Imperator & cæteri Principes non agnoscentes Superiorem, possunt quidem in temporalibus dare priuilegium intra suas ditiones, sicut & ferre leges: sed nunquam in spiritalibus, de quibus nihil possunt statuere ex cap. Bene quidem dist. 96. Episcopus demum, sicut legem ferre, ita & proportionatè potest priuilegium concedere, iuxta cap. Constitutus, De religiosis domibus, & cap. Venerabilis, De censibus.

De cæteris Magistratibus autem occurrit in genere notandum cum Sylvest. verbo Priuilegium quæst. 9. ex Panormitano: & cum Tabiena eodem verbo quæst. 8. cum Ioanne Andrea: quamuis non solum Imperator, cæterique Principes non recognoscentes Superiorem: sed etiam Principes inferiores qui Superiorem recognoscunt, possint suis subditis priuilegium conferre immunitatis ab exactionibus aut tributis, quibus communitas oneratur: ipsos tamen ea conferre non posse cùm præiudicio eiusdem communitatis: sed tantùm in præiudicium suum: vt si constituerunt accipere centum, & eximant aliquem qui decem soluere debuerat, non accipiant nisi nonaginta. Ratióque esse potest, quòd tale priuilegium cùm non proficiscatur à potestate legislatiua, rationem habeat donationis *quæ debet fieri ex propriis bonis*: non autem priuilegij, habentis rationem legis priuatæ, vt constat ex illius definitione. Ab Imperatore autem, alióue Principe Superiorem non recognoscente, tale aliquod priuilegium concessum, *addum illi*, seruandum est prout sonat. Atque si præiudicium quod adfert tale sit, quo quis modicè tantùm lædatur, modicam læsionem ferendam esse æquo animo. Sin autem lædatur notabiliter, implorandum esse Principis concedentis remedium.

An detur priuilegium, non concessum expresè à Principe; sed vsu tantùm & consuetudine acquisitum: qui scire volet, videre poterit latè tractatum à Suarezio in octauo lib. de legibus cap. 7. nu. 3. & sequentibus.

Qvæstio IV.

An priuilegium suam vim habeat statim atque concessum est à Principe. An verò instar legis, solum postquam promulgatum est ei, cui conceditur, & admissum ab eo.

HAnc Thomas Sanchez tractans in lib. 3. De matrimon. *disput.* 36. in vtramque partem varia iura plurimósque authores adfert. Contenti esse autem possumus cum Sylvestro in verbo Priuilegium quæst. vltima, vti hac distinctione. Quando quis per se aut per suum procuratorem impetrat à Principe priuilegium, hoc statim atque impetratum est, vim suam habere: quia simul concurrunt voluntas concedentis & voluntas impetrantis intimata illi per petitionem ipsam priuilegij. Quando verò nec per se, nec per procuratorem ab ipso deputatum impetrat priuilegium: sed Princeps proprio motu, vel ad instantiam alterius, illud concedit: priuilegiatus non gaudet eo (nisi de contraria voluntate concedentis appareat) donec ipsum admiserit, de concesso certior factus per eum qui illud impetrauit: vel per nuntium ipsius, aut concedentis, vt Sanchez num. 7. notat. Hincque est, quòd is cui ignoranti priuilegium conceditur, dicitur habere quidem ius ad rem concessam, non habere tamen ius in re concessa; adeout sua ritè dici nequeat, donec priuilegium ipsum ratum habeat & acceptum, iuxta cap. Sitibi absenti De præbendis in 6. *Nu.235.*

Aduerte verò quod ex Couarr. habet Sanchez *ibid. num.* 4. aliqua priuilegia esse quæ ex mera concedentis liberalitate proueniunt, ad modum scilicet donationis rei propriæ: taliáque posse à concedente reuocari ante absentis acceptationem: quod argumẽto est, ne quidem ius ad rem esse inde acquisitum. Alia verò esse, quæ quamuis merè liberalia sint ex parte eorum quibus conceduntur, non sunt tamen talia ex parte concedentis, sed cuiusdam necessitatis: vt est collatio beneficij Ecclesiastici, ad quam Prælatus tenetur ex officio. De hócque genere priuilegij verum est paulo ante dictum, quòd concessum ignoranti detei ius ad rem: de eóque intelligendum est citatũ cap. Si tibi absenti. Pluribus de his differens videri potest Suar. in sæpe citato lib. 8. cap. 24. & 25.

Porro non requiri ad rationem priuilegij, vt scriptum sit, aut sigillo Principis munitum: vide apud eumdem Sylvest. quæst. 14. & apud Suarezium. in cit. lib. 8. cap. 2.

Qvæstio V.

A quo & quomodo interpretandum sit priuilegium.

AD hanc iidem initio memorati authores communi consensu respondent. Si verba quibus priuilegium conceditur obscura sint vel ambigua, non posse fieri interpretationem sine eo qui concessit: quia eius est interpretari cuius concedere, ex cap. Inter alia. De sentent. excommunic. §. Vt igitur: idcóque negotium suspendi debet quousque ille responderit, iuxta cap. Cùm venissent De iudiciis. Si verò verba non sint obscura, tenorem priuilegij diligenter considerandum esse iuxta cap. Porro & cap. Recepimus De priuilegiis: & potius intentioni concedentis quàm verbis insistendum: cùm non intentio verbis, sed verba intentioni debeant seruire, ex cap. In his De verborum signific. De qua Principis intentione seu voluntate concedendi, non esse præsumendum, nisi in tenore priuilegij exprimatur causa cur concedatur; aut ipsum dari ex certa scientia, vel motu proprio, docent Sylvester & Tabiensis *in verbo Priuilegium: ille quæst.* 3. *& hic num.* 4. Immo, *vt hic addit*, censendum est priuilegium per importunitatem obtentum. Cæterùm in hac priuilegij interpretatione per *Nu.236.*

consi

Universidad de Deusto
Biblioteca

consideratione tenoris eiusdem, notandæ sunt sequentes regulæ, quas Sylvester sub finem eiusdem quæst. habet.

Prima est, Priuilegium regulariter esse strictissimè interpretandum, iuxta legem Quod verò ff. De legibus. Et ratio est, quòd priuilegium aliquid iuri communi detrahat, & plerumque ius alterius diminuat: quo fit vt illud interpretari debeamus ita strictè, nisi consuetudo aliter interpretaretur, aut verba, à quorum propria significatione recedendum nō est, aliud exprimant) vt quam minimùm possibile sit derogetur iuri communi; neque ius alterius diminuatur, ex cap. Cùm dilectus §. finali De consuetudine. Hinc dispensatio illegitimi ad ordines, de minoribus ordinibus tantùm interpretanda est: per ea quæ Sylu. habet in verbo Clericus 1. num. 4. Et exemptus ratione sui Canonicatus, si aliud beneficium habeat, non censetur exemptus in iis quæ ad idipsum aliud spectant, ex cap. Cum capella De priuilegiis. Neque priuilegium concessum monasterio censetur capellis & Ecclesiis eidem monasterio subiectis concessum, iuxta cap. Ex ore, eod. titul. Ex hac autem regula intelligitur illud quod deduci potest ex cap. vlt. de prębendis, Priuilegium non posse ad aliud *quamuis simile* trahi & extendi.

Secunda regula. Priuilegium quod non est contra legem communem, sed tantùm contra priuatam; siue scriptam siue non scriptam alicuius loci, quam reducit ad ius commune, interpretandum esse latè, iuxta cap. Olim, De verborum significatione.

Tertia. Non esse sic strictè interpretanda priuilegia (nisi præiudicetur alioqui iuri diuino, aut præbeatur ansa peccandi liberiùs) vt nihil operentur. Ex hac, *quam iam num. 131. attigimus*, patet, quòd quando priuilegium est inutile priuilegato, nisi socij ipsius simul eo gaudeant, eosdem etiam illo gaudere, vt post Panormit. *Ad cap. Quàm sit De iudiciis* Sylvester congruenter cap. Licet De priuilegiis in Sexto, habet *in sequen. quæst. 6.* De quo Suarez lib. 8. de legibus cap. 11.

Cæterùm illa exceptione, qua proposita regula restringitur; indicatur *(quod etiam habendum est pro regula)* si priuilegium aliqua ex parte ansam, & occasionem præbeat liberiùs peccandi, vel videatur iuri naturali aut diuino vel gentium aduersari, aut appareat aliorum offensio ex eo secutura, strictè interpretandum esse: quia præsumendum est, mentem Superioris non esse peccata fouere aut aliorum offensionem. Sic facultas eligendi Confessarium, qui absoluat à reseruatis, interpretanda est de absolutione à præteritis peccatis, *nisi aliud constet de mente Superioris*, ne inde occasio accipiatur liberiùs peccandi.

Quarta regula. Priuilegium, quod sapit beneficium; quia scilicet iuri communi non repugnat, neque de alieno quidquam elargitur: esse latissimè interpretandum, ex lege Beneficium ff. De constitutionibus. Exemplum est in cap. Quia circa De priuilegiis, vbi remissio decimarum ab Episcopo facta monasterio, declaratur extendi non solùm ad possessiones acquisitas, sed etiam ad postmodum acquirendas. Excipit Sylvester ab hac regula beneficium ambitiosum, *cuiusmodi est dispensatio super pluralitate beneficiorum*; quia ipsum strictè interpretādum est, tanquam parcè vsurpandum. Adde, eam latam interpretationem fieri tantùm in præiudicium concedentis priuilegium. Nam si ipsum sit in præiudicium aliorum, facienda est strictè, etiamsi concessum fuerit causa pietatis; vt ex Panormit. *ad cap. Cùm dicat, De Ecclesijs ædificandis*, idem Sylvest. addit. Immo vt ex eod. Panormit. *ad cap. Cùm ad hoc De Clericis non residentibus*, ipse adhuc habet, si priuilegium enormiter lædat alium, non valet: nisi fiat mentio de tali enormi læsione: quia in dubio Princeps non præsumitur concedere aliquid cum alterius graui dispendio: *ex lege Quoties Cod. De precibus Imperatori offerendis: & ex cap. Suggestum, de Decimis.* De restrictione, & ampliatione priuilegij latè Suarez in cit. libro cap. 27. & 28. legendus est.

Quinta regula. Verba priuilegij Papæ esse interpretanda secundùm Canones, non secundùm leges.

Sexta. Priuilegium generaliter indultum, non includere casum in quo ipsum fuerit contra rempub. neque valere, si talem includat.

Postrema est. Priuilegia esse interpretanda secundùm qualitatem personæ. In cuius exemplum adfertur priuilegium, quo conceditur Episcopo celebrare tempore interdicti. Id enim interpretandum est, vt possit celebrare in Pontificalibus secundùm suam qualitatem. Cum qua regula congruit priuilegia cōcessa, vel ratione fidei seu religionis Catholicæ, aut gratia religiosarum vel miserabilium personatum, interpretanda esse latè. De personis quibus priuilegium concessum est, Suarez differit in cap. 9. & 10. citati lib. Id quod facere potest ad eam de qua agimus interpretationem, in qua illę cōsiderandæ sunt, vt materia priuilegij personalis: ficut res, vt materia priuilegij realis. Facere similiter potest quę idem latè persequitur ibidem nu. 12. & quinque sequentibus, de forma priuilegij, & eiusdem communicatione.

QVÆSTIO VI.

Quibus modis cesset inualidúmque sit priuilegium.

Nu. 238. IDem initio memorati authores aliquot referunt modos quibus cessat, inualidúmque est priuilegium. Primus est, cùm fuit per surreptionem concessum; id est, cùm impetrans subiecit falsam causam, ex qua tanquam vera, datum est priuilegium: aut tacuit aliquid, quod expressum reddidisset impetrationem difficiliorem: tunc enim inualidum esse, constat ex cap. Super literis De rescriptis: vbi habetur Quādo per fraudem & malitiam in libello supplici aliquid tacetur, quod si esset appositum, maiore difficultate id quod postulatur impetraretur: aut quando apponitur aliquid falsi, vt impetretur: nullam esse impetrationem. Quæquidem ex tacita veritate, obreptitia: & ex proposita falsitate, surreptitia dicitur.

Cæterùm si in impetratione priuilegij surreptio, vel obreptio ex simplicitate, aut ex ignorantia non supina contingat; valere potest priuilegium, quod Papa vel alius Princeps, expressa veritate, vel detecta falsitate, nihilominus concessisset; non item quod alioqui non erat concessurus, vt Panormit. ad citatum cap. ex eodem deducit num. 4.

Secundus modus est, cùm priuilegium datum est contra aliquam constitutionem, aut consuetudinem, aut sententiam, de qua nullam facit mentionem. Nam tale non valere, habetur ex glosa summaria. 25. quæst. 2.

Tertius modus *(quem Suarez latè persequitur in lib. 8. de legibus cap. 34. & 35.)* est, cum priuilegiatus facit contra illud quod exprimitur in priuilegio concessum. Quem modum Hostiensis §. *Qualiter amittatur*, vocat non vsum, vel vsum contrarium: explicátque exemplo eius qui cùm priuilegiatus sit, ne decimas det, ab ipso petitas dat; & eius qui exemptus est à iurisdictione Ordinarij; coram eo vocatus in ius, respōdet, nec allegat priuilegium exemptionis, aut nō ostendit allegatum; nemine quominus ostendat impediente. Nam vtérque sic abutens priuilegio concesso,

cesso, meretur illud amittere: & sic de similib. iuxta illud cap. Priuilegium 11. quæst. 3. Priuilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutetur potestate. Cæterùm iuxta Panormit. *ad cap. Cum accessissent, De constitut.* vnico primo actu contrario priuilegium amittitur, si ipsum sit ad non faciendum aliquid, vt ad non soluendum decimas: concessúmque sit priuatæ personæ, quæ possit ei renunciare: nō verò si concessum esset communitati, vel Ecclesiæ; quia tunc requireretur tempus sufficiens ad præscriptionem: de qua tractatum est in præced. libro 10. cap. 20. Suarez autem *in citato cap. 25 num. 11. & aliquot sequentibus*, reiicit illud de vnico actu: ostēdens ad cessationem priuilegij ad non faciendum, requiri tempus sufficiens ad præscriptionem, non minus quàm ad cessationem priuilegij ad faciendum. Id quod in praxi sequi nihil obstat: immo consultum est ad animæ pacem.

Quartus modus est; cùm priuilegij causa cessat: tunc enim ipsum quoque cessare debet, iuxta cap. Cum cessante, De appellation. Qua de re latè Suarez lib. 8. citat. cap. 30. Quintus modus est, cùm incipit esse iniquum ei cui concessum est, iuxta regulam 61. iuris in Sexto. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.

Nu. 239. Sextus modus est, per secundum priuilegium, quod plenam & expressā mentionem facit de prioti, quod ipsum non valeat. Tunc enim iuxta cap. Veniens De præscriptionibus §. Nō obstāte; posterius tollit prius: non item si de eo non faciat mentionem. Quod verum est ex supra citata glosa summaria; siue illud vtrumque priuilegium sit generale, siue vtrumque speciale, siue vnum generale, & alterū speciale. Quæ addit etiam in dubio, prius priuilegium potius præsumi non reuocatum, quàm reuocatum. Adde quoque cum Sylvestro in verbo Priuilegium quæst. 10. neque ius commune tollere priuilegium, nisi de eo expressam faciat mentionem ex cap. Cùm ordinem De rescriptis. Obserua item cum eodem ibidem: si concessum sit priuilegium cum clausula, quòd non reuocetur, nisi de verbo ad verbum fiat de illo mentio: ad reuocationē illius per posterius priuilegium, sufficere posse vt in hoc habeantur generalia verba plenissima, per quæ satis constet de intentione Principis volentis ipsum prius priuilegium reuocare: qualia censentur ista: Non obstantibus quibuscumque priuilegiis, etiamsi de verbo ad verbum debeat de illis fieri mentio. Hoc ex Panormit. habent Sylvest. adhuc in verbo Exemptio, & Tabiena in verbo Priuilegium, *ille numero 12. & hic num. 16.* confirmántque, quia si diceretur contrarium, indirectè diminueretur potestas Papæ. Cùm enim priuilegia in facto consistant: ideóque Papa possit illa probabiliter ignorare, iuxta cap. Licet De Constitut. in 6. impossibile est vt de omnibus specialem faciat de verbo ad verbum mentionem: ficque Papæ adimetur potestas quæcumque priuilegia reuocandi.

Nu. 240. Obserua adhuc cum eodē Syl. ibid. & D. Anton. in cit. cap. 1. §. tertio, in 8. defectu ex Host. in loco antè memorato: non nisi legitima de causa debere à Superiore priuilegia reuocari. Qualis causa esse censetur; quòd aliis fiat læsio enormis: vt in cap. Suggestum, De decimis: vel quòd is qui accepit priuilegium, non seruet priuilegia quę subditis suis concessa sunt: vt in cap. Dilecti. De priuilegiis: vel quòd malè vtatur priuilegio, iuxta illud in cap. 2. De cōcess. prębendæ in 6. Detestanda iniquorū peruersitas abstinere nesciens à vetitis, nec gaudere debito modo concessis; dignè plerumque officiū excitat præsidētis, ad ea quæ fue-

rant iusta consideratione concessa, cùm in abusum ea vergere circumspicit, discretione prævia, reuocanda. Adde & illud in fine cap. Cùm illorum De sentent. excomm. Priuilegium meretur amittere, qui sibi permissa abutitur potestate. Videndus est Suarez ea de re latiùs differens, *de legibus cap. 36. libri octaui.*

Obserua præterea priuilegium ab inferiore concessum non posse ab ipso reuocari, si à Superiore ex certa scientia confirmatum sit: & ita priuilegia concessa Ecclesiæ ab Imperatore, vel ab alio Principe, per Papam ex certa scientia confirmata, non posse ab eodem Imperatore vel alio principe reuocari. Vnde & inuiolata cunctis manere temporibus, nec vlla improbitate conuelli, aut nouitate mutari posse, decernitur 25. quæst. 2. cap. 1. & 2.

Obserua postremò reuocationem priuilegij, non habere vim suam extinguendi illud, ac tollendi: donec de ea facti sint certiores illi quibus erat concessum: nisi fortè Papa expresse vellet, ipsum tunc extingui: cùm nequeat valere contra eiusdem voluntatem à qua habet suam vim planè dependentem. De ea ipsa reuocatione plenius Suarez in memorato lib. 8. cap. 37. & tribus sequentibus.

Septimus modus est, per renunciationem expressam priuilegiati quā iuri suo renūtiat: quodquidem cuique facere liberum est: excepto casu quo renuntiatio tangeret ius Superioris: vt in cap. Cum tempore De arbitris: aut ius tertij, vt in cap. Si diligenti De foro compet. Ita ex Panormit. Sylvester in verbo Priuilegium quæst. 10. Latè autem de eodem modo Suarez in eodem libro 8. cap. 33. disserit.

Porro quòd priuilegium non cesset morte concedentis, prout in præcedentibus attigimus, tractat copiosè idem Suarez in eodem libro cap. trigesimo primo. Apud quem etiam relinquemus videndum, ab ipso copiosè quoque in præced. cap. vigesimo sexto tractatum, liceátne vt à Papa concesso priuilegio vbique vti, sic & concesso ab Episcopo. Quod vtrumque Azor in 1. par. Moral. Institut. lib. 5. tractat etiam; sed paucis in cap. 23. quæst. sexta. Vbi aliquot exemplis allatis in medium, resoluit habentes priuilegium ab Episcopo proprio, posse vti eo vbique, hoc est, non tantum in territorio eiusdem Episcopi, sed etiam extra illud. Et ita eum, cui proprius Episcopus dederit priuilegium legendi libros prohibitos, aut sibi eligendi Confessarium, aut vtendi cibis vetitis in Quadragesima, posse vti illo extra propriam Diœcesim. Et ratio est, quòd iurisdictionis Episcopi in suum subditum vsus non impediatur extra ipsius diœcesim: nisi talis sit, qui requirat ibidem iudicialem causæ cognitionem exerceri: quod non contingit in casu de quo agimus.

TITVLVS IV.

ET LIBRI, CAPVT XXIII

De consuetudine.

SVMMARIVM.

241 *Definitio consuetudinis cum sua explicatione.*
242 *Tria præcipua consuetudinis attributa: quorum pri-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mum, nempe vim legis obtinere, quinque conditiones requirit.

243 *De prima quæ est rationabilem esse, & secunda, quæ est nasci ex pluribus actionibus, & tertia, quæ est vt duret longo tempore.*

244 *Quarta quæ est, vt introducta sit ex certa scientia; & quinta, quæ est vt à maiore parte populi sit vsurpata.*

245 *Consuetudo optima est legis interpres, & quæ ad id illa requirat.*

246 *Consuetudo abrogans legem contrarium, debet esse tum rationabilis, tum legitimè præscripta.*

247 *Quando lex censeri possit legitimè præscripta.*

248 *An consuetudo valida possit oriri tantùm ex actibus licitis.*

249 *An interruptio consuetudinis eam euacuet, distinctione explicatur.*

250 *Quando non vsus inducat consuetudinem.*

251 *Consuetudo contra ius diuinum, nullam vim habet.*

252 *Quod qua ratione intelligi debeat.*

253 *An consuetudo contra legem humanam vim habeat, distinctione explicatur.*

254 *An lex improbans consuetudinem censeatur præcedentem tantùm improbare, an subsequentẽ etiam, declaratur aliquot propositionibus.*

255 *An consuetudine abrogari possit pœna quam lex imponit, lege ipsa non abrogata.*

Prior pars. De natura & attributis præcipuis consuetudinis.

De eo quòd consuetudo vim legis obtinet.

Sectio I.

Nu.241. IN cap. Consuetudo, distinct. 1. definitur consuetudo. Ius quoddam moribus institutum, quod pro lege susciputur cùm deficit lex. In qua definitione consuetudo à lege, quæ voluntate Principis instituitur, separatur per illud quod dicitur *Ius moribus institutum.* Morum autem nomine significatur plurium actuum similium frequentatio à tota communitate, aut maiore saltem illius parte. Ex qua frequentatione peti rationem propriam consuetudinis, patet per illud quod ex communi Doctorum sententia Couarr. habet, ad reg. Possessor par. 2. §. 3. num. 2. consuetudinem ex communi & promiscuo vsu constituere ius, & acquirere omnibus regionis & populi, illa scilicet vtentis, ciuibus: itaut specialiter nõ magis prosit vel obsit isti quàm illi. Qua in re consuetudo distinguitur à præscriptione, quæ certum habet vsum eius qui præscribit; eique ius priuatum acquirit, ac in priuatum ipsius commodum dirigitur contra aliquem alium certum: vt ex ead. communi sententia addit idem author. Quòd verò in definitione subiungitur, *quod pro lege suscipitur*, sensum hunc habet ex D. Anton. 1. *par. tit.* 16. §. 1. *sub finem*: quòd quando negotium tale emergit, cuius declaratio non reperitur in lege scripta: tunc ad consuetudinem recurratur, vt iudicetur illud de quo agitur, esse saltem consuetudine admissum, si lege cautum esse nequeat iudicari.

Nu.242. Multa autem consuetudini attribuuntur vt videre est apud eumdem D. Anton. in seq. §. 2. & Syluestrum ac reliquos Summularios in verbo Consuetudo: sed tria quæ præcipuè ad institutum nostrum faciunt attingere sufficiet. Primum est, quòd ipsa vim legis obtineat & obliget, ex cap. Dilecti, De arbitris; & ex lege De quibus, aliquótque sequentibus ff. De legibus. Secundum, quòd sit optima legum interpres ex cap. Cùm dilectus, De consuetud. & ex lege Si de interpretatione ff. De legibus. Tertium, quòd leges humanas abrogare possit, ex cap. Cùm tanto, De consuetudine.

ATque consuetudinem vim legis obtinere D. Thomas 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. ex eo confirmat, quòd vis legis sit ex voluntate legislatoris: talisque voluntas duobus modis ostendi possit: vno per verba aut scripta; altero per facta Principis. Atque vt ex voluntate Principis priore modo ostensa, constituitur lex, quæ dicitur ius scriptum: sic ex ostensa posteriori modo (*vt ostenditur quando princeps videt aliquid passim fieri nec prohibet cùm possit: siquidem tunc tacens consentire videtur ex cap. Qui tacet, De reg. iuris in 6.*) constituitur consuetudo: quæ ius est non scriptum. Quinque autem ex Panorm. ad cap. vltimum De consuet. & ex Summulariis in verbo Consuetudo, colligimus consuetudinis conditiones necessarias, vt ea vim habeat legis.

Prima, vt sit rationabilis: de qua plenius differens Syluester quæst. 1. tandem statuit tunc consuetudinem rationabilem censendam esse, cùm habuerit conditiones legis bene positæ, seu legis iustæ. De qua re, *vt admonet Hostiensis in summa De consuetud.* §. 1. certa regula dari non potest; sed id relinquitur prudentum arbitrio; qui in foro conscientiæ semper iudicabunt eam rationabilem esse, quæ tendit ad fœlicitatem animæ; sicut irrationabilem quæ eidem repugnat, aut nutrit peccatum, vel non congruit Religioni, aut disciplinæ Ecclesiasticæ; iuxta cap. Consuetudo distinct. 1. Quam sententiam, aliis adhuc in eam citatis, approbat Panormit. ad cap. vltimum De consuetud. num. 5. *Nu.243.*

Secunda conditio est, vt consuetudo nascatur ex pluribus actionibus, itaut vna actio sit quidem principium consuetudinis, non tamen consuetudo; vt ex Panormit. loco cit. sumptum, bene confirmat Syluester in verbo Cõsuetudo quæst. 4. Et præsertim, cùm consuetudo requirat assuefactionem, quæ non est contenta vno actu, vt patet. Excipit verò actum habentem effectum diuturnam, qui vnicus continuatus per temporis diuturnitatem eam quæ requiritur ad inducendam consuetudinem, potest inducere illam: vt ædificatio pontis supra vicum publicum ad transeundum ex vna domo in alteram. Etenim si talis pons tantum temporis quantum requiritur ad inducendam consuetudinem, maneat nullo contradicente; quando is corruerit, potest secundò ædificari virtute consuetudinis. Iam licet consuetudo magnam actuum frequentiam de se requirat, vt sciri possit à populo (cuius tacitus consensus cõsuetudinẽ ipsam inducit) tamen vbi de eod. consensu ex coniecturis constiterit, curandum non est de magna actuum frequentia, dummodo tot & tam notorij interueniant, vt verosimiliter ij existimandi sint in notitiam populi transiisse: quod loco cit. Panormit. num. 17. docet. Et intelligendum est de populo libero: quia consensus populi qui Principi subiicitur, non sufficit ad consuetudinem inducendam, prout D. Thomas 1. 2. *quæst. 97. art. 3. ad 3.* expressit, cùm dixit multitudinem hominum priuatorum consuetudinem introducentium, duplicis conditionis esse posse: aut enim liberam ita esse, vt sibi legem facere possit, aut condere sibi particulare statutum; sicque concensum ipsius sufficere vt cõsuetudo vim legis obtineat & obliget: aut non habere liberam potestatem condendi sibi legem vel remouendi conditam à suo Superiore: sicque consuetudinem eatenus tantùm vim legis obtinere, quatenus nota toleratur ab eodem suo Superiore: itaut consensus multitudinis ad id non sufficiat nisi tacitus saltem Superioris consensus interueniat. Ratio est, quia authoritas publica requiritur ad vim legis: populus verò principem habens, in eum illam transtulit.

Tertia conditio est, vt consuetudo duret longo tempore: quod tempus Syluester loco cit. cum Panorm. sentit debere tantum esse quantum, *quod postea declarabitur*, ad præscriptionem requiritur. Sotus verò *lib. 1. De iust. & iure quæst. 7. art. 2.* ait non esse iurè certum, quàm longum tempus in consuetudine sit spectandum, antequam ea vim legis obtineat: sed id pendere ex communi hominum iudicio: adeout consuetudo tunc censeatur vim legis habere, cùm ex communi hominum iudicio peccatum esset contra facere. Quæ sententia verior videtur, si consuetudo quæ introducitur nulli legi deroget, & sit tantũ præter ius. Si verò legem aliquam abroget, sitve contra ius, probabilior est sententia Panormitani: vt Azor quoque notat in 1. par. Moral. Institut. lib. 5. cap. 17. quæst. 9.

Nu.244. Quarta conditio est; vt consuetudo introducta sit à populo ex certa scientia, non autem per errorem (quandoquidem non esset alioqui voluntaria) itémque vt sciente illo qui publicam potestatem habens, potest ius condere: quia ex consensu ipsius deliberato, *qui esse nequit sine certa scientia*, consuetudo ipsa debet obligandi vim accipere. Lex enim proficiscitur à ratione & voluntate Superioris, vt rectè loco cit. D. Thomas docet.

Adde quoque, vt introducta sit cum intentione ita seruandi aliquid, vt ipsum de cætero in consuetudinem transeat: siue, vt Panormitan. loco cit. habet, animo introducendi consuetudinem. Quocirca bene Syluester notat in seq. quæst. 14. in iis quæ sunt meræ libertatis, non induci consuetudinem: nimirum ex defectu intentionis illam inducendi. Et ita si quis sua libertate absque intentione inducendi consuetudinem excepit peregrinos in domo sua, aut aliquod munus quotannis liberaliter domino suo obtulit, vel aliud eiusmodi fecit; non induxit consuetudinem ipsum obligantem. Quanquam in eo periculum inest, *vt Sotus loco citato admonet*, propterea quod vrbanitas vassallorum, statim à dominis arripiatur in cõsuetudinem, & gratia, in ius debitum: dum post primum actum, alter similitudine illius persuadetur, ac deinde tertius & plures: sicque consuetudo vires nanciscitur. Ex huius quartæ conditionis defectu, *vt ibid. notat Sotus*, obligatoriæ non sunt consuetudines introductæ tantùm ex deuotione, pióque affectu populi, non iudicantis esse necessariò, seu de præcepto obseruandas; quales sunt nonnullorum festorum & ieiuniorum in quibusdem locis: nisi succrescente deuotione postea transeant in præceptum & obligationem; vel populi consensu, vel Superioris mandato: quorum alterutrum præsumendum est in dubio, tanquam tutius: maximè cùm à maioribus accepta est consuetudo, aut initij illius non extat memoria.

Postrema conditio est; vt maior pars populi vsa sit tali consuetudine; vel illius vsum expresè, aut saltem tacitè approbarit. Minor enim pars populi sicut nequiret legem facere, ita nequiret inducere consuetudinem, vt loco cit. num. 18. argumentatur Panormitanus. Addens ad maiorem illam partem populi, non spectare; neque in eo computari debere mulieres, infantes, & furiosos: quia non habent consensum habilem ad legem inducendam; quæ est virorum prudentium consultum, ex lege 1. ff. De legibus.

De eo quod consuetudini tribuitur, quòd optima legis interpres.

Sectio II.

SEcundum attributum consuetudinis, *esse videlicet optimam legis interpretem*, de ea constituatur hac ratione: quòd Principis sit interpretari leges, quæ ab ipso vim authoritatemque habent: ac Princeps leges suas interpretetur non solùm verbis, sed etiam factis: nimirum tacita permissione voluntaria: cuius efficax argumentum est vsus, publicis moribus vsurpatus; vidente nec contradicente eodem Principe. Hinc autem consequens est, in consuetudine duo requiri, vt huius attributi particeps sit; siue vt legem interpretetur. Alterum est, sic publicam esse, vt neminem latere meritò possit. Itaque non sufficit vsurpari à multis, si id ita fieret in occulto, vt non valeat venire ad notitiam illius, qui eiusmodi legis condendæ habet potestatem. Alterum est, vt ille idem qui legis condendæ potestatem habet, consuetudinem ipsam approbet, vel expresè vel saltem tacitè: vt censetur facere cùm eam in vsu esse nouit, nec punit, cùm possit: aut nõ nouit quidem, sed ex circunstantiis valde probabiliter apparet, quòd vbi venerit in ipsius notitiam non aduersabitur illi, etiamsi possit. *Nu.245.*

Nota autem primò, cum Soto in memorato art. 2. ante solutionem argumentorum, cùm dissimulatio Superioris dicitur esse in causa, vt consuetudo vim habeat; intelligi de illo Superiore qui est legislator. Quia licet Prætor vrbis, vel Prælatus conuentus, aut Præfectus prouinciæ dissimulent legum transgressiones: inde tamen consuetudo non consequitur vires: quia non habetur inde consensus Prælati habentis potestatem legis nouæ inducendæ, per quam prius condita antiquetur. Nec enim talis dissimulatio in inferiore, sufficiens signum est consensus in Superiore; vtpote quæ ipso etiam nesciente (& ideo non consentiente) potest contingere.

Nota secundò, ex eo quod aliquid frequentissimè fiat, & ita fieri Princeps cognoscat ac patiatur, non constituit consuetudinem, quæ censeri possit fida legis interpres, si faciens delatus ad iudiciale forum, in eo puniatur: hoc enim sufficienter ostendit tolerantiam illam non esse voluntariam: iuxta cap. Cùm iamdudum §. finali De præbendis. Quapropter ex tali consuetudine non possumus rite legem Principis interpretari: vt si Princeps cognoscat & patiatur vltra pretium decreto suo taxatum exigi in hospitiis: si exigens cùm in iudicium vocatur, puniatur; satis ostenditur Principem nolle sui statuti interpretationem fieri secundum talem consuetudinem. Adde quòd si Superior aliquando reprehendat consuetudinem, etiamsi non puniat seueriùs, id sufficere posse, ne illa pro legis interprete admittatur, tanquam introducta consentiente legislatore. Adde etiam ex Soto in eodem art. 2. quando vsus contra legem non aliunde oritur quàm ex negligentia Principis; aut ex eo, quòd is non valeat malefactores punire: consuetudinem eiusmodi nunquam præscribere aduersus legem ipsam: sed tunc solùm cùm Princeps ipse potest abusum prohibere; neque ex vecordia, sed occultâ dissimulatione illam permittit.

Hæc ille.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De eo quòd consuetudini tribuitur abrogare legem.

Sectio III.

Nu.246. TErtium attributum consuetudinis; *quod est abrogare contrariam legem*, de ea confirmatur: quia lex voluntate Principis (non autem pòpuli subditi cui parere, non tantùm quoad singulos de eo, sed etiam quoad omnes simul, incumbit) lex abrogatur: talémque suam voluntatem ipse potest ostendere, vt ferendo legem contrariam, sic & consentiendo in consuetudinem contrariam: dum scilicet eam cognoscens, voluntariè tolerat, nec impedit puniendo; aut saltem non reprehendendo. Non sine ratione igitur consuetudini tribuitur legem abrogare posse. Ad quod ex cap. vltimo De consuetud. duæ conditiones sunt necessariæ. Altera, vt sit rationabilis, id est, habeat ea quæ lex iusta requirit, prout iam ante annotatum est.

Quo autem modo conditio hæc illi conuenire possit, meritò quis dubitet. Cùm enim ipsi quoque legi, quæ per consuetudinem aliquam contrariam abrogatur, conueniat rationabilem esse: duo contraria simul essent rationabilia. Cui dubitationi loco cit. satisfacit Sotus *in solut. 2. argumenti*. Inquiens legem humanam in multis casibus deficere, propter hominum mutationem: quæ facit vt cesset ratio, ob quam vtilis fuit; ideóque communitati aut iam sit inutilis, aut magis vtile sit contra eam; quàm secundùm eam agere. Quibus in casibus legi contraueniendo, non peccatur: dúmque tales multiplicantur, ostenditur per consuetudinem quòd lex eiusmodi non sit amplius vtilis. Atque tandem ea abrogatur: cum scilicet aduenerit altera conditio, quam hac ex parte consuetudo requirit: nimirum vt ipsa sit legitimè præscripta. De qua Medina ad 1.2. D. Thom. qu. 97. art. 3. regulam hanc tradit.

Nu.247. Tunc censeri potest consuetudo legitimè præscripta, seu introducta sufficienter ad vincendam abrogandámve legem, cùm viri boni & prudentes sufficienter introductam esse iudicant: vt solent iudicare quando ea sic inualuit, vt passim vsurpetur fine remorsu conscientiæ, sciente nec contradicente Superiore eo, qui legem contrariam tulit, aut qui eâdem cum illo potestate præditus est. Distinctiùs autem explicari potest, dicendo consuetudinem legitimè præscriptam censeri, quando præter illa quæ proposita sunt in expositione secundi attributi, adfuerit tempus ad præscriptionem requisitum: seu quòd consuetudo ipsa obrenta sit, tacitóve Principis consensu inualuerit, per cursum temporis requisiti ad præscriptionem. A quo tempore, *non autem ab aliquo dominio quod per eam acquiratur*, præscriptam dici notat Panormit. ad cap. vlt. De consuet. num. 7. Consequenter num. 11. quantum debeat esse tale tempus, docens: quod ex ipso ita refert Tabiena in verbo Consuetudo num. 7. Aut quæritur de iure ciuili: & sic communiter tenetur quòd requiratur tempus decem annorũ, etiamsi consuetudo sit contra ius: quod legistæ probant hac ratione. Iura requirunt longum tempus ad inducendam consuetudinem. Cod. Quæ sit longa consuetudo, per totum. Sed longum tempus secundùm ius ciuile est 10. annorum Cod. De præscript. longi temporis, item per totum.

Aut quæritur de iure Canonico: & ita dic, quòd aut consuetudo est præter ius ipsum Canonicum; & sufficit tempus 10. annorum ex glosa ad cap. finale De consuetud. in 6. verbo Consuetudo. Quodquidem videtur limitandum exceptione hac, Nisi consuetudo veniat ad detrahendũ iuri alicuius Ecclesiæ: quia tunc, *sicut in præscriptione*, requiritur tempus 40. annorum, 16. quæst. 4. cap. penult. & vltimo, & cap. Auditis De præscript. & cap. Olim De censibus; ita etiam requiritur in consuetudine. Aut consuetudo est contra ius Canonicum & requiritur tempus 40. annorum, sicut iuxta Canones citatos, in præscriptione, qua iuri Ecclesiæ detrahitur.

Idem ex eodem Panorm. referens Angelus in verbo Consuetudo num. 8. addit quòd si consuetudo esset contra ea quæ reseruata sunt Principi, tam iure ciuili, quàm Canonico, requiri tempus, de cuius initio non est memoria, ex cap. Super quibusdam, De verb. signific. Aduerte verò, ista locum habere: quando Princeps consuetudini consentire nescitur. Si enim de eo antè constiterit: nihil est, cur antedictum tempus censeatur expectandum ad consuetudinis validitatem: quæ tota pendet ex ipsius Principis in eam consensu: de quo proinde vbi primùm constiterit: nihil est cur tempus lõgius expectetur.

Porro, *vt ad sæpecitatum cap. vlt. De consuetudine Panormit. num. 24. habet*: cùm consuetudo fuerit generalis, generaliter tollit legem contrariam: & cùm fuerit particularis alicuius tantùm loci, in eodem tantùm loco tollit: neque hoc semper, sed solùm cùm fuerit & rationabilis & legitimè præscripta. Si quis opponat nec in eo loco particulari posse tollere: quia oporteret eam esse notam Papæ, tanquam legislatori; & pari ratione quascumque in diuersis locis introductas consuetudines: ad quod ille non sufficeret, etiamsi ad nihil aliud vacaret. Responderi potest primò, iuxta sententiam eorum quos Azor. sequitur *in 1. par. lib. 5. cap. 18. quæst. 7. 8. & 9. postque eũ Suarez in tract. De legibus lib. 7. cap. 13.* duas conditiones memoratas sufficere sine ea notitia. Responderi secundò potest: id quod Papa per se præstare nequit, debere per alios à se constitutos præstare ad habendam notitiam eorum, quorum dissimulatio ad consuetudinem roborandam potest sufficere. Quod si ipse omittat facere, & consuetudo ipsa sit ex munero earum de quarum initio non est memoria (quia ex lege Quod te, ff. De rebus credetis, æquantur scientes & scire debentes) censeri potest idem Pontifex, dum non inquisiuit, præbuisse consensum tacitum, dissimulando rem, tanquam parui fortè momenti ab ipso existimatam. Quæ responsio videtur aptior præcedente. Quæ ex eo reiicitur; quòd consuetudo vim legis habere nequeat absque aliquo Superioris consensu in eam: qui non contingit sine notitia aliqua proportionata. Qua de re pluribus Gabriel Vasquez 1.2. *disput. 177. cap. 3.* In nu. 20. reprehendens quorumdam recentiorum dictum: nempe ea conditione leges à Principe ferri, vt illæ ipso etiam ignorante tollantur longi temporis vsu in contrarium: in eóque consistere tacitũ consensum in consuetudinem. Verùm existimarim tali reprehensioni locum esse tantùm cum ageretur mala fide, curãdo ne talis vsus veniat in notitiam Superioris: neque vlla iusta causa eum excusaret. Aliàs enim consentaneum est de ipso Superiore sentire, quòd inferioribus procedentibus syncerè, bene consultum esse velit. in iis in quibus procedunt rationi congruenter.

Tollitur autem consuetudo; generalis quidem, per legem generalem contrariam: particularis verò alicuius loci, per eiusdem particulare authoritate Principis editum statutum contrarium; quantumuis in hoc non fiat de ea mentio. Per legem verò generalem contrariam non tollitur particularis consuetudo, nisi id de hac, expresè in illa caueatur ex cap. Licet, De constitut. in 6.

POSTE

POSTERIOR PARS CAPITIS.

De dubiis quæ circa antedicta moueri possunt.

Nu.248. PRimum est. An vt consuetudo vim habeat abrogandi legem, debeat tota constare ex actibus qui cessante ciuidem legis ratione, sint liciti. Cui vt satisfiat præmittendum est ex D. Thoma in 1.2. *quæst. 97. art. 3. ad 2.* quòd manente eadem legis ratione propter quam vtilis est; non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincat. Id quod *ex eod. authore in præced. art. 2.* intellige, quantumcumque aliquid vtilius occurrat: quoniam bono communi adeo conducit legem vtilem, iam esse vsu receptam (*& quod inde consequitur, facilem esse ipsius obseruationem*) vt ad illius iustam mutationem oporteat subesse causam quæ præponderet, tam illi vtilitati, quàm huic commoditati. Atque isti doctrinæ congruenter, ad propositum dubium respondetur affirmatiuè, per legem Consuetudinis Cod. Quæ sit longa consuetudo. Et per rationem hanc: quòd consuetudo ex illicitis actibus constans, non sit rationabilis: quandoquidem consuetudo in vniuersum, dirigit ad actus similes iis, ex quibus nata est: & ideo, quæ nata est ex illicitis, pro materia obiecta, habet actus illicitos: sicque illicita est, atque adeo irrationabilis. Vna tamen exceptio est, *quam D. Thomas loco cit. tangit*: nempe, nisi ita maluerit patriæ consuetudo, vt multitudo ab ea remoueri non possit: tunc enim etiamsi ratio legis perseuerauerit, peccetúrque agendo contra eam: postquam tamen consuetudo aduersus legem obtinuit vt admineretur ei vna ex conditionibus necessariis; nimirum possibilem esse respectu multitudinis cui imponitur, vincit abrogátque eam ipsam legem. Cui exceptioni Sotus in libro 1. De iustitia & iure *quæst. 7. art. 2. ad 2. post Caiet. ad D. Thomæ locum cit. & Sylvest. verbo Consuetudo quæst. 7.* alteram addit his verbis. Vt lex pristina antiquetur, consuetudo etiam illa quæ illicitum habuit ortum; potest, licet non apud eosdem homines, tamen apud posteros vim obtinere. Cœperunt v.g. antecessores nostri primò agere contra aliquam legem, nos autem in nostro sæculo inuenimus consuetudine abrogatam, non tenemur scrutari de consuetudine illa, qualia habuerit initia, sed liberi sumus ab eadem lege. Hæc ille. Sic cùm Clerici in cap. Statuimus & duobus sequentib. distinct. 4. inbeantur ieiunare ante Pascha per septem hebdomadas plenas: nempe inchoando à Quinquagesima: consuetudo à maioribus ad nos deriuata (siue per licitos siue per illicitos actus cœperit) ita inualuit in contrarium, vt non peccent Clerici inchoando ieiunium tantummodo cum laicis à feria 4. Cinerum: quod attingitur in fine eiusdem distinct.

Ex dictis liquet illud, quod Azor habet in prima par. Moral. Institut. *lib. 5. cap. 17. quæst. 6.* tempus præscriptionis, *de qua antea dictum est*, non posse computari ab initio consuetudinis inceptę ab iis qui primi contra legem agentes deliquerunt; sed ab illius continuatione per eos qui primis succedentes, sine peccato cœperunt facere contra legem, exemplum priorum bona fide secuti: quos peccasse, non debuerunt æstimare, nisi eis constaret quòd deliquerint, legi contraueniendo sine iusta causa. Quod autem nonnulli antedictis obiiciunt communitatem, *quæ sola inducit consuetudinem*, non posse legem inuincibiliter ignorare: concedi potest quidem, quoad aliquos de populo: non tamen quoad maiorem populi partem: quæ sufficit ad consuetudinem inducendam bona fide agendo. Esto verò, quòd rarum sit legem à maiori populi parte inuincibiliter ignorari, & per consequens, quòd rarò contingat, consuetudinem legi præualere: tamen id non est tantum incommodum, quin longè maius sit, quòd Princeps approbet actus suorum subditorum illicitos; prout concedendum est, concesso quòd consuetudo ex talibus orta, valeat aduersus legem: quandoquidem vt illa vim habeat, hanc abrogandi, requiritur vt Princeps, actus quibus illa inducitur, non modo permittat, sed etiam approbet.

Secundum dubium est. An interruptio consuetudinis per aliquem actum contrarium, vim illius euacuet.

HVic Panormit. ad cap. vlt. De consuetud. nu. 19. respondet: quòd si consuetudo nondum sit completa & perfecta; per vnum actum contrariũ ea interrumpatur: itaut sit necesse de nouo incipere; quia inde apparet de tacito populi consensu; quòd non velit consuetudinem inducere: vtpote qui fecerit actum contrarium. Secus esse autem, si iam sit completa, quia tunc non vno actu contrario tollitur: sed pluribus, ad eum modum quo est introducta. Ea enim iam habet rationem legis; & ideo tolli debet ad instar legis. Idem ex ipso Panor. habet Armilla in verbo Consuetudo num. 7. Nu.249.

Tertium dubium. An non vsu legis, sicut contrario vsu possit induci consuetudo per quam lex ipsa abrogetur.

HVic cum Ioanne Andræa & Panormit. *ad cap. Ioannes, De Cleric. coniug.* Syluester respondet, *in verbo Consuetudo quæst. 8.* non vsum legis de se non constituere consuetudinem: nisi talis sit, qui in se habeat actum, vsúmve tacitum contra eiusdem legis ordinationem: sicut Clericum non ferre tonsuram, habet contra legem de ea ferendã, per cap. Non liceat 2. distinct. 23. & cap. Clericis De vita & honest. Cleric. ideóque potest constituere contrariam consuetudinem: quæ si rationabilis sit & legitimè præscripta (*vt est quoad Clericos coniugatos quos oportet sæcularibus immiscere*) potest legem vincere, ex eod. cap. Ioannes. Tunc autem non vsus includit talem vsum tacitum, cùm lex fuerit de genere earum quæ imponunt necessitatem aliquid agendi. Non includit verò, cùm lex fuerit meræ facultatis, id est, quæ non necessiter ad agendum, sed tantùm tribuat facultatem aliquid agendi: vt ea quæ passo damnum concedit vt agere possit actione legis Aquiliæ: hac enim concessione vti nolens nihil censetur contra talem legem agere, quia non præcipit agere, sed tantùm dat facultatem agendi. Nu.250.

Quartum dubium. An consuetudo vim habeat contra legem diuinam siue naturalem, siue positiuam.

HVius communis resolutio est, quòd consuetudo contra ius diuinum nullam vim habeat ex cap. finali, De consuetud. quæ est expressa D. Thomę sententia 1.2. *quæst. 97. art. 3. ad 1.* Et probatur: quia nihil est quòd diuinæ potestati derogare in vlla re Nu.251.

Universidad de Deusto
Biblioteca

possit: neque in Deo idem locum habet quod in homine Principe, vt sciendo & tolerando consuetudinem, præsumatur velle tollere obligationem legis à se latæ in contrarium: quia cùm Deus quotidie toleret peccata hominum; præsumēdus esset velle tollere obligationem suorum præceptorum contra quæ peccatur; quod absurdum est. Tolerat autem expectans nos ad pœnitentiam iuxta illud ad Rom. 2. An diuitias bonitatis eius, patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

Intelligitur autem ex hac resolutione, merito dici in Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. corruptelam potius esse quàm consuetudinē, *etiamsi immemorabilis sit*, qua se excusari à personali residentia dicunt Episcopi, vel alij quibus animarum cura commissa est: cùm præcepto diuino ipsis mandatum sit oues suas agnoscere, pro eis sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum aliarúmque personarū miserabilium paternam curam gerere, &c.

Intelligitur item ex eadem resolutione, consuetudinē quæ inualuit, vt impunè exerceantur vsuræ, si in eis non excedatur certum pretium taxatum, non excusare à peccato & restitutione: quia præceptum Non furtum facies, cum quo ex aduerso ea pugnat, iuris est naturalis immutabilis. Intelligitur præterea nulla consuetudine posse induci, vt excommunicati qua ratione tales sunt, admittantur ad diuina officia & sacramenta, à quibus arcentur iure diuino positiuo, per illud Matth. 19. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus: quo indicatur prohibendos esse à diuinis excommunicatos, non secus ac Ethnicos & publicanos. Itaque corruptelæ censendæ sunt non consuetudines, quæ fuerint contra ius diuinum, repugnauerintque rationi aut alicui diuinæ institutioni.

Nu. 252. Aduerte verò eamdem resolutionem intelligendam esse de iure diuino sumpto strictè: seu extra casum in quo iusta causa ad sit agēdi contra ipsum: quia tali datâ vt Summi Pontificis dispensatione seu interpretatione, ita & consuetudine ab eodem Pontifice scienter tolerata, potest obtineri, vt taliter agendo non peccetur. Sic cùm multa habere beneficia, quorum vnum est sufficiens, sit contra ius naturale: *quandoquidem recta ratio dictat illud, quod in alimentum plurium constitutum est, non esse vni totum dandum*: si tamen iusta adsit causa, cur vni plura tribui debeant, vt propter nobilitatem vel literaturam insignem: sicut per dispēsationem Papę, plura simul talis habere potest: ita etiam potest per consuetudinem rationabilem & legitimè præscriptam, quamdiu ea non degenerauerit in corruptelam: vt degenerat, cum cœperit aduersari rectæ rationi, ex cap. vlt. De consuetud. atque adeo esse animæ perniciosa, prout habet Hostien. in sua summa tit. De consuetud. Sub finem primi paragraphi inquiens generaliter: Tibi trado, quòd vbicumque consuetudine seruata periclitaretur anima, non valet.

Aduerte etiam intelligendam esse de iure diuino positiuo nouæ legis. Nam contra posituum veteris, legis, quod per Christum abrogatium est, vt exposuimus in præced. num. 136. & 137. consuetudinem vim habere dubium non est. Sic cum Deut. 17. sanciatur vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; iam consuetudine introductum est vt in multis casibus requirantur 7. vel 8. testes. De iure gentium tanquam de naturali iudicandum est; consuetudinem contra illud inductam non valere. Pro quo aduerte, ius gentium, vt nomen ipsum indicat, ex eo dici quòd omnes gentes tanquam conficientes vnam communitatem totius humani generis, illud sibi cōstituerint, obligando singulos ad illa quæ eidem toti generi vtilia essent: ad eum nempe modum quo ciuitas, illiusue Princeps, lege sua ciuili obligat singulos ciues. Quo fit vt contra ius ipsum gentium, consuetudo valere nequeat, nisi interueniente approbatione communitatis totius generis humani, tanquam superioris, cuius legitima authoritate constitutum est. Fit etiam, vt sicut dici nequit qua ratione interuenire valeat talis approbatio, ita nec queat qua ratione consuetudo censeri debeat contra ius gentium inualuisse.

Quintum dubium est, An consuetudo vim habeat contra omnem legem humanam.

Nu. 253. CAusa dubitandi est, quòd vna ex parte consuetudo Canonicis institutis contraria, nullius sit momenti, cap. Ad audientiam. De consuetudine & distinct. 11. per totam. Quare consuetudo nullam vim habet, saltem contra legem Ecclesiasticam. Ex altera parte verò, quòd cōsuetudo vim habeat legis, vt patet ex antedictis. Vnde vt lex, ita consuetudo posterior, legem priorem ei contrariam tollit: quia iura posteriora prioribus prævalent. ex lege vltima, ff. de constitut. Principum. Soluitur autem distinctione tota dubitatio; dicendo consuetudinem quidem irrationabilem, aut non legitimè præscriptam, nullá vim habere aduersus legem: sed rationabilē & legitimè præscriptam habere; ex cap. finali. De consuetud. Nec obstat quòd in cap. Consuetudinis, distinct. 11. sic dicitur: Consuetudinis vsusque longæui non vilis authoritas est; verùm non vsque adeo valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem scriptam. Namque id intelligendum est de lege & consuetudine in dubio; seu cùm dubitaretur, léxne an consuetudo rationabilis sit, aut in vsu maioris partis populi posita, aut à Superiore approbata: tunc enim lex prævalet, quia in dubio melior est conditio legis, tanquam Principis authoritatem & voluntatem expressiùs de se referentis.

Cæterum irrationabilis consuetudo censetur primò, ea quæ peccatum aut peccandi causam fouet, ex cit. cap. finali, & ex præcedenti: in quo ponitur exēplum cōsuetudinis, qua mulier fide coniugij violata per adulterium, impudenter exigit & improbè obtinet medietatem bonorum quæ maritus adeptus est. Secundò, ea quæ Ecclesiis grauamen inducere cognoscitur, ex cap. 1. De consuetudine, id est, quæ onerat, multúmque lædit Ecclesias, vt glosa interpretatur. Talis enim consuetudo, vt ad idem cap. num. 1. Panormit. ait, cùm sit contra religionem, Deo & Sanctis debitam, rationabilis esse non potest. Tertiò, ea quæ est contra libertatem Ecclesiasticam vel contra publicam vtilitatem, vt ex Bartholo habet Syluester in verbo Consuetudo quæst. 6. Rationē hanc attingens, quòd neque lex illius conditionis, valeret. Quartò, ea quæ disciplinam Ecclesiasticam violat, iuxta cap. Cùm inter vos & cap. Cùm venerabilis De consuetudine. Ac demum nonnullæ aliæ, de quibus generalem regulam dari non posse iam antè ex Hostiensi admonuimus, sed relinqui virorum prudentum iudicio. Videri potest Azor. aliquot earum in particulari referens in 1. part. moral. Institut. lib. 5. cap. 19.

* * *

Sextum

Sextum dubium est, An lex improbans consuetudinem censeatur præcedentem tantum, & non subsequentem improbare.

Nu. 254. DE hoc propositis sententiis oppositis Couarr. *in lib. 3. variarum resolut. cap 13. num. 4.* statuit quatuor conclusiones, citatis pro vnaquaque authoribus.

Prima est. Lex vel canon decernens consuetudinem aliquam esse iniquam aut irrationabilem, non tantùm præteritam sed etiam futuram damnat: itaut talis, tanquam iniquitatis damnata per legem, nusquam admittenda sit. Hanc probat ex cap. vlt. De consuetudine; in quo ad consuetudinem requiritur vt rationabilis sit, & legitimè præscripta.

Secunda est. Consuetudo induci nequit, cùm lex vel canon eam in particulari reprobat simpliciter & absolutè: etiamsi non dicat absolutè iniquam esse, aut irrationabilem. Hanc esse communem opinionem ex Felino, & pluribus aliis Couarr. addit. Probatur verò, quia consuetudo vim obtinere nequit, nisi interueniente Principis consensu. Quando autem lex eam improbat, consensus seu voluntas Principis est in contrarium: quandoquidem lex, est principis voluntas. Cæterum tunc lex consuetudinem in particulari reprobat, cùm simpliciter factâ illius expressâ mentione dicit: Non obstâte quacumque consuetudine: vel non obstante consuetudine inueterata, aut cuius initij non est memoria.

Tertia conclusio est. Ex noua causa rationabili cōsuetudo induci potest contra legem, etiam expressè derogantem consuetudinibus futuris. Hanc Couarr. ait esse quoque communem sententiam: cuius fundamentum est, quòd noua causa tollat iniquitatem, quæ consuetudini inesse videbatur eo tempore quo lex eam vt iniquam reprobauit.

Postrema est. Quando lex non damnat consuetudinem vt iniquam & irrationabilem (quantumcumque prius existentem reuocauerit, abrogauerítque) eadem potest renata, denuo vires obtinere aduersus illam ipsam legem. Ratio est: quia tunc lex tollit consuetudinem eo modo quo nouæ leges tollunt antiquas, non eas reprobando, iudicandóve irrationabiles esse vel iniquas: sed eas infirmando ob causas quæ iustæ videantur secundùm personarum qualitatem, temporis conditionem, & rerum mutationem.

Vltimum dubium est, An consuetudine abrogari possit pœna quam lex imponit, ipsa lege non abrogata.

Nu. 255. DE hoc varias sententias refert Azor. *in eod. lib. 5. cap. 18. quæst.* 10. eámque approbat quæ statuit non abrogata lege, pœnam quam ipsa constituit abrogari posse consuetudine. Sicut enim ab initio pœna legis potuit tolli non receptione illius, lege ipsa recepta; sic etiam temporis processu potest consuetudine lex quoad pœnam tolli, non sublata ipsius obligatione ad peccatum. Eumdem authorem pro maiore explicatione qui volet videat. Cæterùm de obligatione consuetudinis in conscientia, cuius notitia ad hoc institutum nostrum peculiariter spectat, nihil aliud dicendum occurrit, quàm esse eamdem ac humanæ legis, cuius obtinet vim iuxta antedicta, atque adeo accommodanda esse ad eam, illa quæ constituta sunt in præcedentib. titulis quoad obligationem legis humanæ.

TITVLVS VLTIMVS.

De lege pœnali.

DE hac opus eruditum Alphōsus à Castro duobus libris distinctum edidit, in quo latè persequitur quæ ad ipsam pertinent. Quæ autem ad institutum nostrum faciunt reuocabimus in tria capita: quorum primum erit de definitione & diuisione legis pœnalis, Secundum de modo interpretandi legem pœnalem. Tertium de quæstionibus, quæ mouentur circa illius obligationem.

CAPVT XXIV.

De definitione & diuisione legis pœnalis.

SVMMARIVM.

256 *A qua pœna, lex nomen & naturam habeat pœnalis: quódque non sit sola ea, quæ ob culpam incurritur.*

257 *Quatuor diuisiones legis pœnalis; vna, quâ ex parte materiæ; & tres quib. ex parte formæ diuiditur.*

258 *Regulæ distinguendi inter legem pœnalem latæ sententiæ, & sententiæ ferendæ.*

259 *Varij modi deprehendendi in dubio, an lex pœnalis sit latæ sententiæ.*

Nu. 256. PRænotandum est, pœnam à qua lex pœnalis denominatur, dici physicè quidem, de cruciatu & dolore quem generant morbi aliæque causæ naturales quæ hominibus clades, & calamitates inferunt. Moraliter verò, de nocumento seu boni priuatione, quâ Magistratus tanquam causa moralis aliquos afficit, rationabili aliqua de causa. Qua posteriore acceptione hìc sumitur, cùm lex ab ea pœnalis denominatur. Quamuis autem Alphonsus à Castro in cap. 3. lib. prioris, eamdem acceptionem restringendam esse velit, ad pœnam quæ imponitur propter culpam propriam, iuxta illud D. Aug. in 1. Retractationum. cap. 9. Omnis pœna si iusta est, peccati pœna est: & illud in cap. Cognoscentes De constitut. Rem quæ culpa caret, in damnum vocati non conuenit. Merirò tamen Nauarr. in Enchir. & in Comment. ad cap. Fraternitas 12. quæst. 2. *illuc cap. 23. num. 56. & hic num.* 11. 12. 13. & 14. contrarium sentit. Tum quia interdictum Ecclesiasticum est pœna; & ex consequenti, lex illud imponens est pœnalis; quæ ligare potest non modo eos qui sunt, sed etiam eos, qui non sunt in culpa, ex cap. Si sententia De sentent. excommunic. *in 6.* Tum quia sanctè contrahens matrimonium cum vidua, patitur bigamiæ pœnam: per quam à sacrorum ordinum susceptione arcetur. Tum quia glosa ad 23. regulam iuris in 6. verbo Sine culpa, aliquot casus numerat, in quibus pœna incurritur sine culpa. Tum demum quia ipse Alphonsus sub finem eiusdem cap. tertij ait legem quę irrogat infamiam filiis pro parentum culpa, rectè dici pœnalem: & in sequen. cap. 9. circa medium, apertè docet ex obligatione legis ad pœnam, non rectè inferri obligationem ad culpam; quia potest sine culpa imponi pœna, ex qua lex imponens,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicatur pœnalis. Propositio autem allata ex D. Augustin. vera est regulariter, quia vt memorata glosa habet; regulariter nullus punitur sine culpa: quandoquidem pœna mensura est culpæ: & cùm mensura non habeat locum, vbi non extat mensurandum; sanè vbi non est culpa, nec est pœna.

Absolutè autem loquendo, pœnam non esse tantummodo peccati, patet ex cap. reg. 23. qua dicitur Sine culpa, nisi subsit causa, non cit aliquis puniendus. Indicat enim ita aliquem puniendum non esse sine culpa: vt si alia iusta causa subsit, possit sine culpa puniri: vt Clericus leprosus sine culpa quidem sua, sed tamen iusta de causa (nempe ad vitandum scandalum) priuatur Ecclesiâ, cap. Tua, De Clerico ægrotante. Quæ cum ita sint, pro definitione legis pœnalis vsurpari potest quod ipse Nauarr. habet in cit. num. 14. Legem pœnalem esse, non solum eam quæ ob culpam, sed eam etiam, quæ absque vlla ratione culpæ propriæ aut alienæ, ob aliquam tamen causam, quæ legislatori visa est in id iusta, pœnam imponit.

Variæ diuisiones legis pœnalis.

SECTIO I.

Nu.257. EX parte materiæ, id est pœnæ quæ lege imponitur, triplex distinguitur lex pœnalis: vna quæ statuit pœnam corpoream: vt mortis, verberationis, mutilationis, exilij, incarcerationis, & aliarum id genus: altera, quæ statuit pœnas ciuiles vt amissionem bonorum omnium, mulctam pecuniariã, infamiam, ignobilitatem, & similia; tertia, quæ infert pœnam spiritualem vt excommunicationem, suspensionem interdictum, degradationem, irregularitatem, depositionem ab officio, amissionem beneficij, priuationem Ecclesiasticæ sepulturæ.

Ex parte verò formæ & modi quem tenet in statuendis pœnis, diuisione triplici distinguitur. Quarum prima est, in eam quæ statuit pœnam, non exprimendo ipsius speciem: *quæ eo ipso censetur relinquere Iudicis arbitrio, qua pœna ille qui deliquit sit puniendus*: & in eam quæ pœnam certam taxat & exprimit. Quodquidem facit duob. modis; altero itavt eam non imponat, sed à Iudice imponi statuat; dicendo v.g. Quicumque tale quid fecerit, priuetur officio vel beneficio, aut mittatur in exilium: altero, itavt eam imponat, dicendo v.g. Qui hoc vel illud fecerit, sit priuatus bonorum suorum possessione vel sit excommunicatus.

Secunda diuisio eiusdem generis (quam Alphon. lib. priore, cap. 9. plenius explicat) est in purè pœnalem & mixtam. Purè autem pœnalis dicitur, quæ nihil præcipit aut prohibet facere: sed solùm imponit pœnam facienti aliquid vel omittenti: quales cẽseri possunt multi canones distinctionis trigesimæ, multæque aliæ constitutiones Ecclesiasticæ, vt illa in cap. Si quis, De vita & honest. Cleric. Si quis ex Clericis comam relaxauerit, anathema sit. Mixta verò dicitur quę præcipit vel prohibet aliquid facere, & insuper statuit pœnam contra transgressores. Talis est lex in cap. Omnis vtriusque sexus De pœnitent. & remiss. quæ præcipit sub pœna excommunicationis & priuationis sepulturæ Ecclesiasticæ, vt fideles de peccatis commissis confiteantur semel in anno, & sacrosanctam Eucharistiam in Paschate sumant. Ideóque mixta dicitur, quòd sub eodem verborum contextu misceantur lex purè pœnalis ante descripta, & purè moralis, quæ præcipit vel prohibet aliquid sine alicuius pœnæ temporalis impositione: vt lex Ecclesiastica de audienda Missa integra die Dominico in cap. Missas De consecr. distinct. 1.

Tertia eiusdem adhuc generis diuisio legis pœnalis est in comminatoriam, & latæ sententiæ. Comminatoria autem seu ferendæ sententię tunc lex pœnalis dicitur, cùm circa inflictionem pœnæ statuit aliquid, quod à Iudice est necessariò faciendũ. Tunc verò latæ sententiæ dicitur, cùm per eam Princeps perpetuam profert sentẽtiam contra delinquentem, nihil relinquens Iudici quod ad condemnationem spectet. Ita Alph. initio libri posterioris; vbi subiicit aliquot regulas, per quas cognosci possit, quando lex pœnalis sit latæ, & quando ferendæ sententiæ. Quas vt ad institutum nostrum accommodatas, subiiciemus.

Regulæ distinguendi inter legem pœnalem latæ sententiæ, & sententiæ ferendæ.

SECTIO II.

PRima igitur est, Quotiescumque lex pœnalis vti- *Nu.258.*
tur verbis quæ solam pœnæ comminationem exprimunt, ipsa censenda est non latæ, sed ferendæ sententiæ esse: comminatio enim nõ infert pœnam, sed inferendam indicat. Porro eiusmodi verba sunt hæc: Sub pœna, sub interminatione, sub interpositione excommunicationis, aut suspensionis, aut priuationis bonorum. Item sub excommunicatione, vel anathemate, vel priuatione beneficij, & similia; de quibus exempla ex iure canonico (quæ nimis longum esset recensere) adfert Alphonsus. Qui & admonet in lege conuentionali, *quæ similitudinem habet pœnalis*, cùm initur contractus interpositâ pœnâ, supradictas dictiones comminatorias indicare sententiam latam; non autem solummodo ferendam: vt si quis cum alio contrahens promittat se aliquid factu-rum sub pœna 100. aureorum, sententia lata, non autem solùm ferenda, exprimitur: non quidem ex vi talium dictionum, sed ex vi contractus. Vide infrà num. 283.

Secunda regula est. Omnis lex pœnalis quę circa irrogationem pœnæ quam statuit, vtitur verbo aut participio futuri temporis, præsertim si actionem significet, continet legem ferendam, non item latam. Hanc Alphon. communi consensu à Iurisperitis receptam esse notat: & prius illustratam exemplis, confirmat: quia verbum futuri temporis, nunquam ex sua vi significat rem præsentem aut præteritam, sed rem quæ nondum est, quęque fiet in posterum: ideóque ex se nunquam exprimit sententiam à iure latam, sed solùm ab homine ferendam.

Tertia est. Omnis lex pœnalis quæ circa inflictionem pœnæ vtitur verbo imperatiui modi, quamuis præsentis temporis, sententiam continet non latam, sed à Iudice ferendam. Hanc Alphon. probat: quia conditio & natura imperatiui modi hæc est, vt semper ad aliquem alium respiciat; quoniam qui imperat, non sibi, sed aliis imperat.

Quarta regula est. Quoties de aliqua dictione in lege pœnali posita meritò dubitatur, vtrùm sententiam exprimat ferendam, an verò latam: toties censendum est, ferendam tantùm, non latam sententiam in illa contineri. Ratio est: quia in pœnis benignior interpretatio est facienda De regulis iuris in 6. reg. 49. At multo benignior est interpretatio legis pœnalis, si dicamus illam contingere tantùm sententiam à Iudice ferendam. Cæterùm locum habent hæ regulæ,

regulæ cùm nihil aliud in lege ponitur, quod eam esse latæ sententiæ satis ostendat. De quo in seq. cap. 6. & 7. disserit Alphonsus; proponens octo modos quibus cognosci potest. Quæ lex pœnalis latam sententiam contineat.

Modi deprehendendi in dubio, An lex pœnalis sit latæ sententiæ.

SECTIO III.

Nu.259. PRimus est, Si ipsa lex postquam expressit pœnam pro aliquo crimine infligendam, simul exprimat, vt is qui tale crimen commiserit, eam pœnam incurrat absque aliqua Iudicis sententia. Secundus est, quando in ipsa lege dicitur quòd transgressor illius, obligatus sit in conscientia, pœnam in ea contentam soluere. Tertius, si lex ipsa decernat, vt nullus possit transgressorem ipsius absoluere à delicto commisso, donec pœnam ab ipsa impositam persoluat. Qualem legem non potest laica potestas condere; quia talis materia est purè Ecclesiastica: vtpote spectans ad sacramentum Euangelicum.

Quartus est, si lex pœnalis vtatur illis verbis præsentis temporis indicatiui modi; quibus vtitur Iudex cùm sententiam contra reum profert condemnando eum ad pœnam: qualia sunt hæc & similia. Excommunicamus, suspendimus, aut priuamus dominio bonorum suorum, aut damnamus ad talem pecuniæ summam, eum qui hoc aut illud crimen commiserit. Aut verba quibus sententiam proferri, aut prolatam esse declaratur, sic dicẽdo: Qui hoc vel illud crimen commiserit, declaramus aut definimus eum esse excommunicatum, aut amisisse dominium bonorum suorum. Aut demum verba quibus Iudici præcipitur, vt declaret denuntiẽtue reum incurrisse pœnam, vt in cap. Tam literis De testibus: cùm sub finem, de quibusdam dicitur. Ab officio & beneficio denuntietis esse suspensos, donec mereantur nostram indulgentiam obtinere.

Quintus modus est, Si lex pœnalis vtatur verbis quibus actio vel passio per ipsam interdicta, reddatur irrita & inanis in pœnam criminis: qualia verba sunt ista: Irritum sit & inane, careat robore; non obtineat vires, nihil, aut nullatenus, aut non valeat, non teneat, & alia similia: quæ denotant sententiam latã non modo cùm adiuncta habuerint signa illa vniuersalia, penitus, prorsus, omnino & similia, *vt dicendo sit prorsus vel omnino irritum*: sed etiam posita sine illis; quoniam talia signa addita negationi, siue expressè, siue inclusa in dictione priuatiua, *qualis est careat*; siue in negatiua generali, *quales sunt nullo modo, nullatenus*, nihil illam inuant, nec tantillum potestatem illius augent: quia illis sublatis, ipsa sola sufficit destruere quidquid post se inuenit: sed adduntur ornatus gratia, aut ad maiorem rei expressionem: sicut & quando illa eadem verba multiplicantur, aut illis adduntur alia quę latam sententiam indicare constet apud omnes: vt si dicatur, Sit ipso iure irritum & inane. Ratio autem horum est, quòd tollens omnia, sicut facit lex pœnalis per negationem, nihil relinquit post se tollendum à Iudice.

Sextus modus, Si in lege pœnali ponatur aliqua dictio quæ omnem dilationem & omne temporis spatium excludat ad pœnæ executionem. Tales dictiones sunt hæ; ipso facto, ipso iure, eo ipso, statim, confestim, ex tunc, *id est, à commisso crimine*, continuò post, incontinenti, sine mora, illico, protinus, extemplo, è vestigio, repentè, subitò: quia cùm reiciant omne temporis spatium, dicendum est exprimere latam sententiam: non autem committere Iudici ferendam: cùm vt Iudex sententiam iustè proferat multa requirantur, *vt reum citare, testes examinare, & alia*, ad quæ perficienda necesse est non modicum temporis spatium præterire.

Septimus modus est, Si lex pœnalis vtatur verbis, quæ nullum hominis ministerium exprimant, nullámque hominis actionem declarent. Ex illis enim apertè conuincitur, legislatorem voluisse vt sola lex satis esset ad talem pœnam infligendam, absque aliqua alia Iudicis sententia: vtpote ad id non requirens hominis ministerium. Itiusmodi verba Alphonsus ait esse primò; verbum sum; *quod cuiuscumque modi sit vel temporis, nullam actionem vel passionem significat, sed solam rei, cui adiungitur, existentiam*: quando per se ponitur, vt si lex diceret. Quicumque hoc vel illud fecerit, erit infamis: secus quando illi aliud additur, quod sententiam tantùm ferendam ostendit: vt participium futuri temporis, cùm dicitur: Qui tale quid fecerit, est excommunicandus, aut priuandus bonis.

Secundò, verba Subiaceo, incurro, incido, amitto, perdo, redeo, reuertor, quæ in lege pœnali, latam sententiam declarant, etiamsi ponantur in futuro hoc modo: Qui hoc vel illud fecerit, excommunicationi subiacebit vel in excommunicationem incurret aut incidet, vel bona omnia amittet aut perdet; vel testamento legata, ad hæredes redibunt. De verbo subdo, idem dicendum est ac de verbo subiaceo, nisi ei addatur nomẽ aliquod significans personam, per quam actio subiectionis sit facienda: vt dicendo: subdatur ab Episcopo, vel ab alio Iudice: quia apertum est tunc dicere tantùm sententiam ferendam.

Postremò verbum, *fiat*, vt hoc vti solent Pontifices; qui per illud non præcipiunt aliquid ab alio faciendum, sed declarant rem quæ petitur, fieri ab ipsis. Aliàs significare legem pœnalem, esse tantùm sententiæ ferendæ.

Octauus modus est, Si lex pœnalis ad inflictionem pœnæ vtatur verbo præsentis aut præteriti temporis indicatiui modi. Nam per verba illorum temporum indicatur, pœnam tunc infligi aut iam inflictam esse; ideoque non esse à Iudice expectandam sententiam, cùm illa iam sit à iure prolata. Quod etiam locum habet, quando verbum fuerit quidem futuri temporis, sed iunctum participio præteriti temporis: vt cùm in iure Canonico dicitur: Nouerint se esse suspensos, vel aliud simile. Quod indicare latam sententiam propositis prius ex iure canonico exemplis, Alphonsus confirmat, ex eo quod participium præteriti temporis vim habeat conuertendi in suam naturam verbum futuri, significando rei præteritionem. Atque hæc summa est doctrinæ, quam sumptam ex Felino ad cap. Rhodolphus De rescriptis, & ex Tiraquello ad legem, Si vnquam De reuocandis donationibus, Alphonsus ipse tribus capitibus satis prolixè persequitur de ratione cognoscendi, sitne lex pœnalis latæ an ferendæ sententiæ.

*

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XXV.

De modo interpretandi legem pœnalem.

SVMMARIVM.

260 *Quomodo interpretanda sit lex pœnalis.*
261 *Documenta obseruanda in interpretatione legis pœnalis.*
262 *De eo, quòd non sit interpretatione extendenda extra casum in ea expressum.*
263 *Attendenda quoad verba, in legis pœnalis interpretatione.*
264 *Attendenda quoad personas, quibus pœna imponitur.*
265 *Attendenda quoad actionem, propter quam imponitur.*

Nu.260. SIc interpretanda est lex pœnalis, vt pœnæ restringantur potius quàm amplientur, iuxta legem Si Præses, & legem De interpretatione ff. De pœnis, & 15. regulam iuris in 6. Odia restringi, & fauores conuenit ampliari: nisi quòd interdum in Reip. vel animarum fauorem, oporteat ampliari potius quàm restringi: *ex Panormit. ad cap. Ex tenore, Qui filij sint legitimi, num. 6. (de quo Syluest. in verbo Lex quæst. 19.)* sique lex duos admittat sensus, eligendus est benignior, iuxta reg. 49. iuris in 6. In pœnis benignior est interpretatio facienda: atque adeo, *quod ibidem notat Glosa*: quando pœna per legem imposita potest indifferenter intelligi de temporali, aut de perpetua, interpretanda est de temporali.

Documenta obseruanda in interpretatione legis pœnalis.

SECTIO PRIOR.

Nu.261. CIrca hæc autem Alphonsus in lib. priore cap. 7. tria documenta obseruanda esse tradit. Primum est. Vbi nulla haberi potest iusta dubitatio de legis intelligentia; non esse vim verbis ipsius faciendam, vt ea cogantur sensum habere benigniorem, quàm verè habeant.

Secundum est. Vt ea quæ generaliter & indistinctè dicta sunt, non restringantur ad specialem aliquem intellectum pro benigniore interpretatione faciendâ, duobus casib. exceptis. Vnus est, si fortè sit alia lex quæ talem restrictionem faciat. Cùm enim generi per speciem derogetur, *vt habet 34. regula iuris in 6.* lex quæ generaliter & indistinctè loquitur, necessariò restringenda est, iuxta dispositionem alterius legis specialis, quæ in particulari & distinctè loquitur. Exemplum sumi potest ex cap. Quia periculosum De senten. excommunic. in 6. in quo statuitur, Episcopos & alios Superiores Prælatos nunquam incurrere in sententiam suspensionis & interdicti, in qua de ipsis non fit expressa mentio. Per tale statutum enim interpretanda est lex generaliter indistinctéque imponens suspensionem vel interdictum: vt in ea minimè comprehendantur Episcopi & alij Prælati superiores.

Alter casus est. Si ex illa indistincta generalitate, iniquitas aut absurditas aliqua sequatur. Nam ad eam vitandam, generalis illa & indistincta locutio, restringenda est ad specialem aliquem & distinctum intellectum. Sic enim quod habetur ex cap. Ecclesiis De consecr. distinct. 1. & in cap. Si Ecclesia De consecrat Ecclesiæ & altaris: per quodcumque semen emissum pollui Ecclesiam: ad vitandam in eo absurditatem, interpretatione restringi solet ad solam illam humani seminis emissionem, quæ fit cum peccato, aut cum aliqua loci sacri irreuerentia. Si enim verba generaliter vt sonant acciperentur, dicendum esset Ecclesiam pollui emissione seminis facta in somno, quod absurdum est, cùm opus illud arbitrij libertate careat; itaut non sit maior ratio illi tribuendi talem effectum, quàm commixtioni bestiarum; præsertim cùm citati canones loquantur generaliter & indistincte de effusione seminis.

Tertium documentum est. Legem pœnalem nun- *Nu.262.*
quam esse extendendam vltra crimen, propter quod imponitur, aut personam cui imponitur; omninóve extra casum in ea expressum: etiamsi in aliis casibus, eadem quæ in illo inueniretur ratio. Hoc sumptum est ex cap. Pœnæ, De pœnit. distinct. 1. Cuius verba sunt. Pœnæ legum interpretatione molliendæ sunt potius, quàm nimis exacerbandæ; ideoque proprium casum non excedunt. Alphonsus causam talis documenti reddit, quòd lex moralis pendeat quidem omnino ex sua ratione, seu ex fine cuius gratia fertur, *ideoque in ea valet argumentum ab identitate rationis*: non tamen lex pœnalis, quæ præcipuè pendet ex legislatoris voluntate; vt ex eo patet: quòd etsi recta ratio dictet ac conuincat crimina debere puniri, non conuincit tamen tale, vel tale crimen, hac vel illa speciali pœna esse puniendum; sed id pendet ex sola legislatoris voluntate; quæ fundetur quidem in aliqua congruenti ratione; non tamen necessariò suadente talem pœnam potius, quàm aliam esse pro tali crimine statuendam.

Vnde consequens est, non posse concludi, in aliquo casu certam pœnam ideo incurri, quòd incurratur in alio, cuius est eadem ratio; nisi constet de legislatoris voluntate imponendi tam in vno quàm in altero casu.

Consequens etiam est, in pœnis non valere argumentum à simili quale est illud: Bis baptizatus, est irregularis. Ergo & bis confirmatus: Quia quamuis Sacramentum Confirmationis perinde ac Baptismi, characterem imprimat; nec sine sacrilegio iterari possit: tamen ob iterationem Baptismi imposita est à iure irregularitas, non ob iterationem confirmationis; & irregularitas incurritur tantùm in casibus iure expressis, ex cap. Is qui De sententia excommunicat. in Sexto.

Consequens est tertiò, non valere argumentum à maiori: vt legendo librum hæretici incurritur excommunicatio. Ergo multò magis incurretur audiendo hæretici concionem. Non enim valet consecutio, *etiamsi periculosius sit audire concionem hæretici, quàm librum ipsius legere*: quia pœnæ impositæ hominum voluntate, non sunt extra suum casum extendendæ. Idem iudicium est, si quis argumentetur: Sacerdos in excommunicationem incurrit audiendo ius ciuile. Ergo & illud docendo: non enim valet consecutio: quia ius in cap. finali Ne Clerici vel Monachi, tantùm audienti, non autem docenti eam pœnam imponit.

Attendenda in legis pœnalis interpretatione.

SECTIO POSTERIOR.

ADdi potest quartum documentum: quòd cùm *Nu.263.*
in legis pœnalis interpretatione hæc potissimùm

mùm consideranda occurrant; verba legis, persona cui pœna imponitur; & actio propter quam imponitur. Illud in verbis attendendum esse, vt non admittatur legis interpretatio, quæ sit illis apertè contraria: deinde vt ea sumantur in propria sua significatione. Sic quia hæreticus non dicitur propriè is qui resipuit ab hæresi, lex quæ decernit filios hæreticorum esse irregulares, non est interpretatione extendenda ad eos quorum parentes ante mortem resipuerunt & Catholici vitam finierunt. Similiter clausula Bullæ Cœnæ Domini, per quam excommunicantur fautores hæreticorum, non est interpretatione extendenda ad eos qui illis, non tanquam hæreticis, sed tanquàm amicis, aut sanguine iunctis fauent, sine præiudicio vllo fidei, vel Religionis Catholicæ.

Nu.264. In personis autem attendendum est, vt cùm lex imponit pœnam aliquid facientibus, non extendatur ad eos qui præceperunt, vel dederunt consilium, aut præbuerunt fauorem vel auxilium, antequam res fieret: quia præcipientes, consulentes & cæteri, non sunt propriè & verè facientes. Cùm enim præceptum, consilium, fauor, & auxilium præcedant factum, patet ea esse ab hoc diuersa, cùm nihil possit præcedere seipsum.

Ne igitur, *quod regula iuris vetat*, ampliemus pœnam legis punientis aliquid facientem, non debemus eam ita interpretari vt comprehendat præcipientes, consulentes, fauorem vel auxilium præbentes. Hanc rationem Nauar. *in Enchir. cap. 27. num. 51.* adferens, exceptionem addit: inquiens nihilominus extensionem eam debere fieri, cùm præcipientes consulentes & alij, voluntate legislatoris facientib. æquantur in pœna, siue expresè siue tacitè: atque expresè; siue in eadem, siue in diuersa lege. In eadem quidem, vt cùm in Bulla Cœnæ Domini excommunicantur hæretici & ipsorum fautores. In diuersa verò, vt cùm in cap. Nuper De senten. excommunic. statuitur in sententiam excommunicationis incurrere non modo eum qui patrat crimen propter quod imposita est: sed eum etiam, qui excommunicato in eo ipso crimine auxilium aut fauorem impendit. Tacitè autem cùm frustratoria, & inanis esset sententia, nisi tali ratione extenderetur: vt cùm in cap. Ita quorundam De Iudæis, excommunicantur deferentes arma ad Saracenos: nisi interpretatione pœna extenderetur ad eos qui deferri præcipiunt, talis lex frustra esset: quia idem incommodum est, siue quis per se deferat, siue per alium mittat.

Nu.265. In actionibus denique attendendum esse, quòd quantumuis lex pœnalis latam sententiam contineat, nunquam tamen in illius pœnam is incurrat, qui non consummauerit, *etiamsi inchoauerit*, actionem eam propter quam pœna imposita est ipsâ lege: sicque non incidit in excommunicationem impositam à lege, qui etiamsi conetur facere illud propter quod imposita est: nisi idipsum reuera perfecerit: vt nisi læserit vel aliud eiusmodi fecerit, quantumuis ipso conatu grauiter peccarit. Ita ex Panormitano, Decio & Ioanne Andræa annotat Alphonsus *in lib. posteriori De lege pœnali sub finem 7. capitis.* Confirmatur verò, per illud quod pœnæ sint interpretatione restringendæ ex 15. reg. iuris in Sexto.

CAPVT XXVI.

De quæstionibus quæ mouentur circa obligationem legis pœnalis.

SVMMARIVM.

266 *Diuersæ sententiæ de legis pœnalis obligatione ad culpam.*
267 *Probabilior sententia est mixtam obligare, non item purè pœnalem.*
268 *Obiectio in contrarium, cum solutione.*
269 *Lex purè pœnalis, moralis superaddita, non tollit illius obligationem ad culpam, nisi alia sit legislatoris intentio.*
270 *Pœnam legis incurrunt ignorantes eam inuincibiliter, cùm ignorantiâ non obstante, causa ob quam imponitur viget.*
271 *Ignorantia excusans aliquem à peccato, simul excusat à pœna propter illud imposita.*
272 *Quod interdum fallit in foro externo, vt & in interno: déque inaduertentia inuincibili qua excusatur is etiam qui scit legem.*
273 *Pœna legis humanæ inuincibiliter ignorata non incurritur, etiamsi illud propter quod imposita est, malum esse cognoscatur.*
274 *Ignorantia vincibilis pœna per legem humanam statutæ, non excusat ab ea.*
275 *Exceptio est, cùm imponitur scienter facienti aut præsumenti. Et quid tenendum de pœna, si culpa sit venialis.*
276 *Quædam certa de difficultate. An lex pœnalis obliget ad pœnam subeundam ante Iudicis sententiam.*
277 *De lege pœnali humana, quæ diuinam includit quid sit tenendum: ac de differentia inter humanas pœnas.*
278 *Legis pœnalis vis ea est, vt obligare possit non expectata Iudicis sententia.*
279 *Pœnæ per legem impositæ ipso facto vel iure: si de iis sint, quæ suam executionem secum trahant, incurruntur non expectata Iudicis sententia.*
280 *Exceptio in inhabilitate ex infamia.*
281 *Lex imponens pœnam, vt conditionem vel modum rei traditæ, obligat in conscientia ante Iudicis sententiam.*
282 *Ad pœnam testamentariam is cui imponitur tenetur ante Iudicis sententiam: quod idem iudicandum est de imposita collegialibus à fundatore collegij: & de imposita Magistratibus à Principe, danie ipsis stipendium.*
283 *Quid sit tenendum de pœna conuentionis, addita contractui.*
284 *Legis pœnalis obligatio, cum ipso iure vel facto imponit pœnam, quæ executionem requirit.*
285 *Vt liget in conscientia exigit sententiam Iudicis.*
286 *Cur quædam pœnæ ipso iure vel facto impositæ, sententiam Iudicis requirant, non item aliæ.*
287 *Pœnam à lege ipso facto impositam, non tenetur quis etiam post Iudicis sententiam exequi in seipsum, sed tantum pati executionem.*
288 *Quando teneatur quis præcipiente Iudice pœnam in se exequi.*
289 *De alienationibus bonorum factis postquam commissum est crimen, propter quod lex criminosum priuat illis ipso facto.*
290 *An cùm crimen sic notum est, vt nulla tergiuersatione celari*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne celari possit, ad pœnæ executionem sententia Iudicis requiratur.

291 *An iure ipso priuatus beneficio, possit illud retinere donec condemnetur in iudicio.*

292 *Gesta per eum, qui est officio priuatus ipso facto; quatenus teneant.*

293 *Ad quid teneatur reus, qui suum crimen negans in iudicio, pœnam euasit.*

294 *An ad aliquam restitutionem teneantur, qui cùm debeant curare executionem pœnæ in criminoso, non faciunt.*

QVÆSTIO I.

An aliqua sit legis pœnalis obligatio ad culpam.

Nu.266. DE hac re, *quam Azor tractat in 1.par. suæ summæ lib. 5. cap. 6. quæst. 4.* tres sunt sententiæ. Prima, *vt videtur Nauarri in Enchir. cap. 23. num. 56.* nullam pœnalem legem etiam mixtam, obligare ad culpam, nisi aliunde de legislatoris intentione obligandi, constet. Secunda est, Syluestri in verbo Inobedientia sub finem & Soti in 1. De iust. & iure quæst. 6. art. 5. non modo mixtam, sed etiam purè pœnalem obligare ad culpam. Tertia est, Henriei in quodlibeto 3. quæst. 22. *cuius prædicti authores meminerunt*, & Angeli in verbo Inobedientia sub finem, Driedonis de libert. Christiana *in Codice meo pagina* 171. Alphonsi à Castro in lib. priore de lege pœnali cap. 8. & 9. quibus assentiri videtur Couar. ad regulam Peccatum par. 2. §. 5. nu. 4. mixtam quidem, seu quæ aliquid facere vel omittere præcipit aut prohibet; & insuper imponit pœnam contrauenienti, obligare & ad pœnam & ad culpam; purè pœnalem verò quæ pœnam imponit absque aliqua præceptione vel prohibitione, *vt dicēdo Qui hoc fecerit vel omiserit decem aureos soluat*, non obligare ad culpam, sed tantùm ad pœnam: nisi aliunde constet intentionem legislatoris esse ad vtramque simul obligare: vt constare potest vel ex expressa declaratione ipsius, vel ex rationabili præsumptione, de qua paulo post.

Nu.267. Hæc sententia probabilior videtur. Nam aduersus primam, siue ea sit Nauarri siue non; legem mixtam obligare ad culpam patet: quia pœna non tollit rationem præcepti vel prohibitionis, sed potius virtutem eius corroborat. Lex ergo mixta, cùm verum præceptum vel prohibitionem cōtineat, etiamsi pœnam contrauenienti imponat, verè obligat ad culpā. Nec est quòd quis respondeat, ex intentione legislatoris eam non obligare: quandoquidem nihil est vnde possimus de tali intentione præsumere: quia verba legis mixtæ præceptiua sunt, ac feruntur non solùm in pœnam, sed etiam in actum qui præcipitur vel prohibetur. Quare meritò ex illis de intentione legislatoris præsumitur: quòd ea fuerit, vt imponendi pœnam: sic & præcipiendi vel prohibendi actum. Vbi verò est iustum Superioris præceptum vel prohibitio, ibi iure naturali & diuino obligatio est ad culpam; prout ante ostendimus in præc. cap. 18. qu. 2.

Aduersus Syluestrum autem & Sotum, quòd lex purè pœnalis de se non obliget ad culpam, probatur: quia talis obligatio imponitur per præceptum vel prohibitionem. Lex autem purè pœnalis ex vi verborum ipsius, nec præcipit, nec prohibet; sed tantùm pœnam imponit ac definit: sique aliquando ex qualitate rei ob quam imponit pœnam, obligare censeatur ad culpam; id fit quia præsumitur in legislatore præcipiendi voluntas, quantumuis verba illam non satis exprimant. Quæ præsumptio ex Alphonso & Couar. locis cit. meritò sit, quando res illa in quam lex pœnalis cadit, vel est actus pernicios⁹ ei Reip. cuius curam legislator gerit: vel certè est aliquid multum conducens ad commune bonum iudicio legislatoris. Cuius iudicij sufficiens signum censeri potest grauitas pœnæ, quam sua lege ipse imponit: vt si sit pœna mortis, vel exilij, vel amissionis bonorum omnium, vel aliud simile.

Quod verò Sotus obiicit pœnam habere tantam connexionem cum culpa, vt ne nomen quidem pœnæ mereatur, nisi pro culpa imposita sit. Vnde sequitur hoc ipso, quòd lex obligat ad pœnam, obligare quoque ad culpam. Hoc inquam ex eo soluitur quod antè ostendimus initio præced. cap. 1. quòd etsi regulariter pœna sit peccati; culpæve supplicium; non tamen semper: itaut esse possit statutum pœnam imponens agenti vel omittenti aliquid, cuius transgressione non peccetur: quale licet rarum admodum sit in iure communi, quod siue canonicum siue ciuile, vix pœnam purè imponit, nisi ob aliquid alio iure prohibitum, *quod notant Angelus, Alphonsus à Castro, & Couar.* tamen in iure proprio aliquarum cōgregationum, satis est vsitatum: vt patet ex regulis Dominicanorum quæ pœnam imponunt, etiamsi ad nullam culpam obligent, ex D. Thom. 2.2. *quæst.* 186. *art.* 9. *ad* 1. & ex statutis aliquorum aliorum ordinum & collegiorum, quæ ad instar dictarum regularum facta sunt, vt habet Nauar. in Enchiridio prælud. 9. num 8. Si quis dicat talia statuta non esse propriè leges, sed tantùm conuentiones & pacta quædam: occurrendum est ipsum mouere quæstionem de nomine: rem autem se habere prout exposita est: nempe sine culpa obligationem dari ad pœnam. *Nu.268.*

His duo addenda sunt: quorum prius Alphonsus in sequen. cap. 10. & posterius in cap. vlt. citati libri prioris declarat & confirmat. Illud est, legem purè pœnalem quatenus talis est, sicut non imponit culpæ obligationem nouam, ita nec antiquam tollere, si quæ per aliam legem diuinam vel humanam imposita fuerit, super ea ipsa actione aut omissione de qua statuit: nisi fortè legislator ipse plenam ad id potestatem habens, per suam legem pœnalem declaret, se obligationem eiusmodi tollere. Hoc autem est: legem purè moralem, quæ additione pœnæ sit mixta, retinere suam obligationem ad culpam, aliquando maiorem aliquando minorem; pro variæ intentione legislatoris eam augendi vel minuendi potestatem habentis. Quod vtrumque satis apparet rationi conforme esse: ideo non morabimur in proponendis quę latiùs idem author persequitur. *Nu.269.*

QVÆSTIO II.

An legis pœnalis obligatio extendat se ad eos qui illam ignorant.

HAnc fusè tractat Alphonsus à Castro in lib. posteriore de lege pœnali cap. 14. & fusiùs Thomas Sanchez lib. 9. De matrimonio disput. 32. Eius verò explicatio continetur sequentibus propositionibus.

Prima est. Nulla ignorantia hominem vsum rationis habentem excusat à pœna iuris, quæ incurritur iusta de causa quidem; sed sine ipsius peccato. Hanc loco citato, conclusione prima principali Alphonsus confirmat: pro fundamento sumens ignorantiam inuincibilem non tollere eas personæ conditiones, ob quas non vt culpas, sed vt quasdam indecentias, pœnæ imponuntur, Cuius generis conditiones *Nu.270.*

tiones sunt digamia, defectus natalium, defectus lenitatis in ministro iustitiæ damnantis sontem ad mortem, & id genus aliæ; propter quas absque peccato irregularitas incurritur. Neque enim qui spurius est, exempli gratia, ex eo quòd se talem esse inuincibiliter ignoret, desinit talis, id est, spurius esse: ac proinde nec desinit habere in se causam sufficientem per quam sit irregularis. Vbi autem est sufficiens causa, ibi quoque est effectus illius. Verba autem illa, *habentem vsum rationis*, propterea in propositione sunt addita: quòd pœna imponatur homini, vt vtenti ratione. Vnde irregularitatem non incurrunt infans, aut dormiens, aut plenè ebrius, aut mente captus, si homicidium committant: quod pluribus tractat Alphonsus; sed id non est huius loci, cui sufficit id haberi ex Clement. Si furiosus De homicidio.

Nu.271. Secunda propositio est. Omnis ignorantia quæ excusat aliquem à peccato, excusat etiam illum à pœna quæ à iure statuta est propter illud ipsum peccatum. Hanc quoque Alphonsus habet ibid. conclus. 2. principali: & communem sententiam esse habet Suarez *De legib. lib. 5. cap. 12. nu. 3.* Probatur verò, quia *vt in cap. 2. De constitut. dicitur*, res quæ culpa caret in damnum vocari non conuenit. Quare sicut ignorantia inuincibilis excusat ab omni culpa; ita in foro saltem conscientiæ, excusat ab omni ea pœna quæ non nisi ob propriam culpam imponitur: qualis est excommunicatio, ex cap. Si habes 23. quæst. 4. Itemque pœna qua quis corporaliter punitur, ex Felino ad cit. cap. 2. num. 2. alios referente. Accedit ad confirmationem propositionis, quòd fieret alioqui vt pœnam legis subiret quis sine peccato, quam lex ipsa non nisi ob peccatum infligit; quod est à ratione alienum, in foro saltem conscientiæ.

Nu.272. Dico saltem: quoniam vt annotat Alphonsus, in foro externo, vbi statur præsumptionibus, quando nequit de veritate constare, iustè quis pro culpa tantùm præsumpta punitur, iuxta cap. Cùm te De sentē. & re iudic. Addidi, *ob culpam propriam*: quia sunt aliquæ pœnæ quæ iustè infliguntur ob alienam, & nullam suam: velut interdictum Ecclesiasticum, quod propter peccatum domini imponitur subditis, prout 1. quæst. 4. ad proœmium, glosa annotat ex cap. Non est, De sponsalibus. Et ratio est, quia illud non est tam pœna, quàm incommodum: quod propter commune bonum tolerandum est, tanquam non sine causa impositum.

Cæterùm procedit eadem propositio, non solùm quoad eum qui absque vlla sua culpa, aliquid esse lege statutum ideo nescit, quòd non habuerit ex quo disceret: verumetiam quoad eum, qui quamuis legem sciret: per inaduertentiam tamen inuincibilem contra eam fecit. Hoc enim est quod docet Caietan. 1. 2. *quæst. 6. art.* 8. cùm ait ignorantiam malæ electionis, *quo nomine significat dictam inaduertentiam*, excusare à peccato & pœna peccati, eum etiam qui sciebat ius, aut de eo dubitabat.

Nu.273. Tertia propositio est. Eum qui scit aliquid esse iure siue diuino, siue humano prohibitum: sed inuincibiliter ignorat pœnam propter illud lege humana impositam, excusari à tali pœna, etiamsi non excusetur à peccato. In hac non omnes authores consentiunt, *vt videre est apud Alphons. ibidem consequenter, §. Sicut dictum est.* Sed quia particulariter de excommunicatione illi contendunt, vtriusque partis momenta rationum expendere non est huius loci: vbi ad confirmationem allatæ propositionis sufficere potest argumentum Felini ad cap. 2. De constitut. num. 6. Quòd vel lex humana quæ pœnam imponit sit purè pœnalis, vel mixta: sique purè pœnalis sit, non obliget ignorata inuincibiliter, sicut nec vlla alia, per idem cap. 2. De constitut. Nec refert quod culpa quam punit, forte nota sit aliunde. Nam id non impedit quominus ipsa lex puniens ignoretur inuincibiliter; cùm non sequatur aliquid eo ipso lege humana puniri, quòd ipsum sit malum, diuinæque legi aduersetur, *præsertim cum tranquillitati conscientiæ vix alioqui esset locus.* Atque licet is qui illud facit, diuinam legem contemnat: non contemni tamen humanam, quam penitus ignorat. Vnde quantumuis sit reus pœnæ contemptoris legis diuinæ, non est tamen contemptoris legis humanæ.

Sin autem sit lex mixta, etiamsi cognoscatur secundùm partem moralem, si inuincibiliter ignoretur secundùm partem pœnalem, non incurri in conscientia pœnam, patet: quia vt totius legis ignorantia inuincibilis excusat à tota obligatione illius: sic inuincibilis ignorantia partis excusat ab eiusdem partis obligatione. Quod Felinus ex eo confirmat; quòd dans operam facto damnato, & ignorans qualitatem propter quam deberet magis puniri, excusetur à pœna illius qualitatis. Vt in cap. Si quis cum duabus 33. quæst. 2. ei qui duas sorores cognouit, conceditur vt alteram earum in vxorem ducat, eo quod ignorauerit illas fuisse sorores, prout glosa, ad verbum Vxorem, interpretatur: cùm alioqui 32. quæst. 7. cap. Concubuisti; talis flagitij reus prinetur spe futuri coniugij: quodquidem ex eadem glosa, pertinet ad illum qui duas sorores sciens cognouit.

Quarta propositio est. Ignorantiam vincibilem pœnæ per legem humanam statutæ propter aliquid quod malum esse scitur, aut vincibiliter tantùm ignoratur, non excusare ab obligatione eiusdem legis, per quam ea statuitur. Hæc patet ex cap. vltimo distinct. 37. Et quia non est consentaneum rationi, cuiquam negligentiam suam patrocinari: qua vt discereat quod potuit & debuit, operam non dedit. Quam propositionem locum habere in eo, qui nouit quidem alicui peccato esse adiunctam pœnam humanam: sed quænam ea sit penitus ignorat, ostenditur à simili: quia vt seruus mandatum aliquod domini sui transgrediens, iustè patiatur aliquam specialem pœnam, qua Dominus ipse statuit eiusmodi transgressionem punire, non requiritur eam ipsam specialem pœnam, ipsi seruo esse expresse declaratam: sed sufficit propositam illi esse in confuso v.g. dicendo quòd nisi mandatum exequatur, pœnas daturus sit. Similiter vt is qui aliquod crimen commisit, iustè puniatur inferni supplicio, necessarium non est, vt idipsum distinctè nouerit. Igitur & ad incurrendam pœnam lege statutam, sufficere potest quòd ea cognoscatur confuse: vt censetur cùm generaliter scitur aliquid esse prohibitum pœnâ constitutâ contrauenienti: itaut excusationi locus non sit ex eo, quòd distinctè ac specificè, pœna ipsa non cognoscatur. *Nu.274.*

Aduerte tamen cum Nauarr. *in Enchir. cap. 27. num. 141.* legem quæ imponit pœnam aliquid facienti scienter, non obligare in conscientia eum qui fecerit ex ignorantia etiam vincibili: quia lex puniens facientem aliquid scienter, requirit dolum: à quo non modo ignorantia inuincibilis, sed etiam vincibilis excusat, nisi sit affectata: quæ tanquam sufficiens ad directam intentionem & temeritatem æquiparatur scientiæ: imò non est sine scientia, saltem periculi peceandi. Et certè qui facit aliquid ex tali ignorantia tantùm neglecta, nec affectata, nó facit verè sciēter: ideóque nec verè continetur lege lata contra fa- *Nu.275.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cientes scienter. Item ex eod. Nauarr. *in sequen. num. 155. & in comment. de restitut. spoliatorum, oppositione 8. nu. 32. & aliquot sequentib.* lex imponens pœnam ei qui præsumpserit aliquid facere non obligat illum, qui id bona fide ignoranter, imprudenter, inaduertentérque facit; quia verbum præsumpserit, *inquit ille*, importat dolum. Vnde & colligit in irregularitatem Extrauagantis Pij 11. quæ incipit: Cùm ex sacrorum, non incurrere eum, qui ante legitimam ætatem, vel extra tempora à iure constituta, vel sine literis dimissoriis, sacro ordine initiatus, in eo ministrauit bona fide; sine dolo putans id sibi licere; alioqui nullatenus facturus. Nam lex illa constituitur in eos qui præsumpserint: & quamuis talis præsumpserit suscipiendo ordinem; non tamen ministrando in suscepto.

Quinta propositio (quam ex Soto & Medina Suarez habet, *de legibus lib. quinto cap. 12. in fine*) Ignorantia quæ excusat culpam mortalem, *licet non excusare culpam venialem*, excusat à graui pœna legis humanæ. Ratio est, quòd hæc culpas leues, *quales sunt veniales*, non soleat graui pœna punire: præsertim quando non committuntur directa voluntate: prout accidit in iis quæ fiunt ex proposita ignorantia. Secus esset verò, si pœna imposita, leuis esset, quoniam ea potest iustè cadere in culpam venialem.

QVÆSTIO III.

An lex pœnalis obliget in foro conscientiæ ad pœnam subeundam ante Iudicis sententiam condemnatoriam criminis.

Nu.276. VT in quo difficultas cõsistat bene intelligatur, proponenda sunt quædam ad rem hanc pertinentia in quibus omnes conueniunt. Primum est, legem pœnalem quæ decernit pœnam à Iudice inferendam, siue illam specificet, siue illam Iudicis arbitrio relinquat, non obligare in conscientia ad talem subeundam ante sententiam & condemnationem Iudicis. Secundum est: quando lex pœnalis decernit pœnam in conscientia statim incurrendam absque vlla alia declaratione, talem incurri ante Iudicis sententiam. Exemplum est in Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de reform. vbi curam animarum habentes, si non resideant personaliter in sua Ecclesia, decernuntur non facere fructus suos pro rata temporis absentiæ: nec tutâ conscientiâ, *alia etiam declaratione non secuta*, posse illos sibi retinere. Tertium est: quando lex pœnalis statuit pœnam, *etiam specialem*, incurrendam, non quidem ipso facto, sed post sententiam & executionem Iudicis, pœnam ipsam non incurri ante talem sententiam vel executionem. Exemplo esse possunt excommunicationes monitoriæ, vel comminatoriæ. Et ratio est: quia lex quæ statuit pœnam à Iudice inferendam, non præcipit reo aliter eam subire, quàm post sententiâ in ipsum latam à Iudice. Quartum est: legem pœnalem quamcumque pœnam decernat, obligare: sicut Iudicem ad ad eam inferendam, ita & reum ad eam subeundam post Iudicis sententiam, condemnationémve: nisi hęc intolerabilis sit & aliquid atrocitatis habeat: nimirum quòd pœna ipsa non sit commensurata delicto; tunc enim lex non esset secundùm rectam rationem, & ideo nec iusta: sicut debet esse ad obligandum, & ad fundandam iustam sententiam: cui sicut alij iusto Superioris præcepto, oporteat in conscientia parere.

Nu.277. Quintum est: legem pœnalé humanam, quæ diuinam includit: ante sententiam Iudicis in conscientia obligare ad pœnam, quoad eam partem quæ lege ipsa diuina incurritur. Sic enim, vt rectè notat Sotus *in lib. 4. de iust. & iure, quæst. 6. art. 4.* si lex lata sit, vt qui damnum aliquod intulerit restituat quadruplum: is qui intulit non tenetur quidem ante condemnationem Iudicis quadruplum restituere; tenetur tamen nullâ aliâ expectatâ sententiâ, damnum ipsum resarcire soluto æquali pretio, iuxta legis naturalis præscriptum. Similiter cùm quis per votum vel iuramentum sibi legem pœnalem posuit, qua si hoc vel illud commiserit, obligetur erogare in eleemosynam certam pecuniam, statim ac votum vel iuramentum violauit, tenetur in conscientia ad talem pœnam subeundam: quia diuina lex de præstando id quod voueris vel iuraueris obligat absque alia Iudicis sententia.

Sextum est: pœnas quas lex humana imponit, esse in duplici differentia; aliæ enim sunt quæ requirunt aliquam actionem, & executionem infligentis ipsas, vt mors & alij corporis cruciatus, itémque amissio bonorum & cæteræ pœnæ pecuniariæ. Aliæ verò sunt, quæ non requirunt executionem vel actionem infligentis; solúmque consistunt in passione vel priuatione. Vt excommunicatio & reliquæ censuræ, quibus Ecclesia puniens aliquos, priuat ipsos bonis, quorum ipsa administrationem habet: itémque inhabilitates, vt irregularitas, priuatio vocis actiuæ vel passiuæ, priuatio iuris percipiendi fructus beneficij sui, & si quæ sunt aliæ. Quæ cùm ita sint, illud quod versatur in dubio inter authores, est. An cùm lex pœnalis est latæ sententiæ, imponítque pœnam ipso facto vel ipso iure incurrendam, ea obliget talem pœnam subire ante Iudicis sententiam: siue sit pœna requirens executionem infligentis, siue consistens in sola priuatione. Quod dubium fusè tractatur ab Alphonso in lib. priore De leg. pœn. cap. 8. & trib. sequen. & à Couarr. in Epitome 4. Decretal. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 6. & aliquot sequentibus, atque ab aliis recentioribus, vt ab Azorio in libro 5. moral. institut. cap. 7. qu. 1. à Gabr. Vasquez 1. 2. disp. 168. Aliquot autem propositionibus explicationem complectemur.

Propositiones per quas proposita quæstio explicatur.

SECTIO I.

Nu.278. PRima est. Tantam esse legis a pœnalis vim, quidquid loco cit. dicat Sotus, vt obligare possit in conscientia ad pœnam subeundam absque Iudicis sententia. Probatur primò exemplo: quia ex toto titulo de eo qui duxit in matrimonium eam quam polluit per adulterium: adulter inhabilis est ad contrahendum matrimonium cum ea, cum qua machinatus est mortem mariti: aut quam per adulterium polluit in eum finem, vt post coniugis mortem matrimonio ei coniungeretur. Cuiusmodi legis (*inhabilitantis inquam ad matrimonium*, ferendæ potestatem in Ecclesia esse, patet per definitionem Concil. Trident. in sess. 24. can. 3. & 4. Probatur deinde ratione eadem propositio: quia non minor est potestas legis, quàm Iudicis: quandoquidem illa est immediata potestas Principis, & hæc tantùm potestas à Principe delegata. Si ergo Iudex potest virtute legis participata à principe, obligare in conscientia ad pœnam subeundam; potest quoque Princeps immediatè sua lege: maximè cùm id possit sine lege, simplicique

cique præcepto; dummodo tamen lex sit secundùm rectam rationem, & tolerabilis, vt censetur esse, quãdo bonum commune exigit talem ferri. Quia enim oderunt peccare mali formidine pœnæ, nonnunquã ad inçutiendum eis terrorem, non sufficit pœnam committere Iudicis executioni; sed necessarium est eam lege & exprimi & infligi: vt fit in cap. Licet canon. De electione in 6.

Nu.279. Secunda propositio est. Pœnas ipso iure vel ipso facto per legem pœnalem impositas, incurri in conscientia ante sententiam Iudicis; si sint ex earum genere quæ executionem suam secum trahunt: vt excommunicatio, ex cap. Pastoralis De appellationibus, & cæteræ quibus homo redditur ad aliquid inhabilis vt suspensio, interdictum, irregularitas; aliæque inhabilitates quibus quis efficitur incapax alicuius actus: vt v.g. suscipiendi vel administrandi Sacramẽtum. Nam talis, nullâ sententiâ Iudicis expectatâ perinde tenetur ab eiusmodi actu abstinere, ac filius incapax bonorum paternorum, coquod spurius esse inuenitur, tenetur ab eorumdem bonorum possessione recedere. Hanc propositionem habent Felinus ad cap. Rodolphus De rescript. num. 38. in fine, Caiet. in summula, verbo Pœna Syluester in verbo Assassinus sub finem, Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 67. & Couarr. ad reg. Peccatum part. 2. §. 8. num. 6. Quæ extendenda est vt comprehendat etiam Canonem eum qui pœnam ipso iure imponit ex facto negatiuo, quando certum tempus fuerit appositum. Nam neque tunc sententia requiritur ad pœnã ipsam impositam incurrendam vt Syluester *in verbo Clericus 3. num. 5.* docet ex Geminiano ad cap. 1. De vita & honest. Clericorum in sexto: dicente, quòd per illud ipsum cap. Clericus iure ipso priuetur priuilegio clericali absque alia monitione vel sententia: quia ibi est pœna ex facto negatiuo, & certum tempus præfixũ: nempe si Clerici qui se iaculatores faciunt, non desistant intra annum, ipso iure careant omni priuilegio Clericali.

Nu.280. Cæterùm cùm multæ sint inhabilitates, quæ ipso iure vel facto imponuntur ei qui infamiâ maculatur, operæpretium est aduertere; quòd quia nota infamiæ, non nisi in hominum existimatione censetur esse, si factâ sufficienti & legitima inquisitione, aliquis inuentus sit apud homines esse absque vlla infamiæ nota: non sit iudicandus inhabilis ad id, ad quod per legem inhabilitantur ij, qui aliqua infamia notantur: etiamsi crimen ex quo infamia oritur, admiserit. Accedit quòd non obstante lege inhabilitante, talis non tantùm maneat in possessione suæ famæ; sed etiam retineat illius dominium (quæ causa est cur absque iniustitia infamari nequeat) infirmatum tamen hoc nomine, quòd ex vi huiusmodi legis, possit & infamiâ notari, & iis ad quæ ius ob illam inhabilitat, priuari de facto, per Iudicis sententiam criminis declaratoriam; quæ vsque ad diem eiusdem commissi retrotrahatur: ad eum modum qui tradetur in sequenti propositione quarta. Ita sentiendi ratio sufficiens est, quòd in materia odiosa, lex benignè & cum restrictione, quam verba patiantur, sit interpretanda.

De obligatione legis pœnalis, quæ pœnam imponit vt conditionem.

SECTIO II.

Nu.281. TErtia propositio est. Legem quæ pœnam imponit non propriè vt pœna est, sed vt quandam conditionem vel modum rei traditæ, obligare in conscientia ante sententiam Iudicis. Hæc est sententia Panormit. ad cap. Raynaldus De testam. num. 25. communiter recepta, teste Nauar. in tractatu De horis canonicis, cap. 21. num. 54. Qui ex ea infert legem Papæ per quam pœna vacationis beneficij ipso iure imponitur, obligare in conscientia ante Iudicis sententiam: quia constat, *inquit ille*, ex stylo Romanæ curiæ, Pontificum statuentium, vt in illo vel illo casu vacet beneficium ipso iure (quandoquidem, vacare beneficium, est ipsum carere iusto possessore) mentem esse vt peccato obnoxius sit, qui retinuerit illud ita perditum. Vnde infertur, *quod idem Nauarr. habet in sequen. num. 57.* eum qui post obtentam Ecclesiam parochialem, & habitam illius pacificam possessionem nõ promouetur ad Sacerdotium; illam ita perdere, vt sine Iudicis condemnatione reneatur in conscientia eam relinquere, per cap. Licet Canon De electione in 6. etiamsi non possit ab eo auferri possessio sine dicta condemnatione: perinde ac ille qui damnum intulit, tenetur quidem in conscientia illud resarcire non expectata Iudicis sententia: in foro tamen exteriori non potest ad id compelli, sine tali sententia. Idem quod de Curato non promoto ad sacerdotium intra annum, dici potest de electo in Episcopum, si non consecretur intra sex menses: nimirum priuari in conscientia suo illo Episcopatu per Conc. Trid. sess. 23. cap. 2. De reformatione.

Extendi potest hæc propositio ad pœnas testamẽ- *Nu.282.*
tarias, id est, quas testatores imponunt legatariis, hos priuando legatis vel eorum parte, si hoc vel illud fecerint, aut si omiserint. Nam ad eas incutrendas in conscientia, nihil opus est expectare Iudicis sententiam, vt docet Caiet. in summula verbo Pœna. Vnde ipse infert, *& cum ipso Couarr. in ante memorato §. 8. nu. 17.* quòd fœmina, quæ ex mariti testamento vsufructuria in bonis ipsius relicta est hac lege, vt castè viuat, teneatur in conscientia, non expectatâ Iudicis sententiâ, vsumfructum restituere eiusdem mariti hæredibus, ex quo castitatem non seruauit. Subintellige ex Nauarr. *in Enchir. cap. 23. num. 62.* fornicando realiter: quia secus esset, si tantùm mente, verbo, vel alio actu citra copulam lasciuo, castitatem violauerit. Rationem eius obligationis reddit idem Caiet. quia tunc ventum est ad eum casum in quo testator noluit sua bona ad illam transire: ideóque ipsa *Nu.256.* nullum ius tunc habet ad eadem bona: cùm quidquid habuit, ex sola testatoris voluntate habuerit.

Pari modo Sotus in 1. De iust. & iure quæst. 6. art. 6. ad 4. argumentum censet: si is qui ex bonis suis collegium constituit, statutum faciat, vt si quis foris pernoctarit, aut vxorem duxerit, aut quippiam aliud fecerit, perdat ipso facto iura collegij: cẽsẽt inquam, talia statuta vim habere in conscientia, perinde ac illud quod dictum est de vxore: quia collegij institutor potuit, si libuit, sua bona sub illa conditione largiri.

Censet quoque ibidem Sotus similem vim habere Principis statuta, quibus in conscientia subiicit certis pœnis Iudices, aliósque iustitiæ ministros, qui munera acceperint: quia cùm illos sua libera voluntate eligat, ac de suo ærario stipendia illis decernat, potest eos tali conditione eligere, vt obligentur in conscientia certorum criminum suorum pœnas pendere. Quam conditionem admittentes præstito iuramento (*quod de iure naturæ seruandum est*) tenentur ante omnem condemnationem ad talem pœnam.

Extendi quoque potest hæc propositio (iuxta Feli- *Nu.283.*
num ad cap. 1. De constit. num. 46. & alios quos Couar. refert in eodem §. 8. num. 11.) ad pœnam conuen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionalem appositam in contractibus; id est, de qua inter partes contractum aliquem celebrantes, conuentum est persoluendam esse ab eo, qui in aliquo defecerit. Quia enim illi se tali pœnæ, propria sua voluntate subiecerunt, perinde ad illam soluendam obligantur, ac si Iudicis condemnatio interuenisset. Verumtamen in tali casu; concesso, quòd non requiratur Iudicis sententia, fatendum est ex Nauar. *in cit. cap. 23. num. 67. & 68.* ad istiusmodi obligationem in conscientia, requiri petitionem solutionis, seu conuentionalis pœnæ: quia consuetudo obtinuit vt ea non soluatur nisi petita; quia non petita præsumitur honestè condonata. Addit autem inter cætera idem ibidem, eam nunquam peti honestè, nisi ratione lucri cessantis vel damni emergentis.

Cui affine est aliud in hac materia notatu dignum: nempe statuta eorum qui non habent authoritatem legis condendæ; vt statuta aliquarum congregationum vel collegiorum, quibus decernitur, vt qui nocte extra collegium manserit, vel aliud egerit, aliquid soluat, vel portionem sibi debitam amittat: statuta item aliquorum inferiorum dominorum aut populorum, quibus statuitur vt ad certam pecuniæ summam soluendam, obligetur is qui ligna communia absciderit, qui lepores, cuniculos vel volucres certo anni tempore, vel certis quibusdam instrumentis aut modis venatus fuerit: vel qui in tali certo loco communitatis, piscatus fuerit. Hæc inquam statuta, quę conuentionalia sunt potius, quàm verè pœnalia, non obligare in conscientia ad pœnam quam imponunt sustinendam à contrauenientibus, nisi hi capiantur: quamuis si notabile detrimentum communitati intulerint in talibus rebus, illud iure naturæ teneantur resarcire. Quæ doctrina est Soti lib. 4. de iust. & iure quæst. 6. art. 4. post 2. conclusionem.

commissi criminis: vt si quis tribus iam abhinc annis, hæreticus fuerit, & hæresim prodiderit exterius: nunc verò sententia in eum feratur, qua hæreticus esse declaretur, pœnæ confiscationis bonorum quam hæretico leges imponunt, subiicitur non tantùm à die datæ in eum sententiæ declaratoriæ criminis; sed etiam à die quo hæreticus esse, suámque hæresim prodere cœpit: itaut alienationes quas fecit bonorũ suorum, non tantùm à die latæ sententiæ, sed etiam à die perpetrati criminis, nullæ sint; possitque fiscus capere talia bona, apud quemcumque repererit.

Posteriorem autem propositionis partem, *reum inquam, ante Iudicis sententiam non teneri in conscientia subire pœnam ipso iure vel facto impositam*, Sotus *in præced. concl. 1.* propugnat aduersus contra sentientes, inter quos est Alphonsus à Castro *in lib. 2. De lege pœnali. cap. 8. & aliquot sequent. & lib. 2. De iusta hæretic. punitione cap. 6.* Quam contrariam sententiam Syluester reprobat in verbo Assasini, quæst. 5. pro se citans aliquot Canonistas facientes hanc generalem regulam, Omnia iura mundi quæ dicunt pœnam imponi ipso iure vel ipso facto, debere intelligi, dummodo secuta sit sententia declaratoria per quam declaratum sit commissum fuisse id, propter quod talis pœna veniebat imponenda: alias hanc, effectum & executionem non sortiri.

Certè eam esse communem Theologorum, & vtriusque iuris Interpretum ac Summulariorum sententiam, Azor notat *in lib. 5. moral. inst. cap. 7. qu. 3. cũ eoque Vasquez 1. 2. disput. 177. cap. tertio.* Probatur verò 1. ex consuetudine: vsu enim receptum est, vt quantumcumque lex ipso facto vel iure pœnam imponat, liberum non sit eam irrogare cuiquam, donec ipse auditus in iudicio, declaretur reus criminis puniendi. Nam patefieret alioqui aditus ad cędes, & latrocinia: dum quem lex ipso facto, vel morti adiudicat, vel bonis priuat, re non examinata, nec audita rei defensione, liceret ipsum vel trucidare, vel bonis spoliare. Id quod esse contra naturam, indicat Papa per illud in cap. 1. De causa possessionis. Nec nos contra inauditam partem, aliquid possumus definire. Illud enim verbum *non possumus*, ostendit id iure plusquam humano esse illicitum. Confirmatur 2. ex cap. Cùm secundùm leges De hæreticis in 6. vbi postquam commemoratæ sunt aliquæ leges ipso iure imponentes pœnam confiscationis bonorum, subiungitur non esse faciendam executionem seu bonorum occupationem, nisi sententiâ super crimine promulgatâ.

Confirmatur 3. ex natura legis pœnalis: quæ, *vt Sotus habet*, dirigitur quidem ad subditos, quatenus vetat vel præcipit aliquid fieri; sed quatenus contrauenienti certam pœnam ipso iure vel facto imponit, *vt quòd eo ipso bona omnia perdat*, ad Iudices iustitiæ ministros dirigitur, quibus imperat talis pœnæ inflictionem. Id quod de lege pœnali par est sentire potius, quàm contrarium: cùm pœnæ sint interpretatione restringendæ. Quamquam negandum non est in legislatoris potestate esse, si nimia peccandi licentia, vel alia iusta causa exigat, legem ferre in delinquentes, quâ in conscientia, aut absque vlla Iudicis declaratione, bonis, eo ipso priuentur, aut alij pœnæ subiiciantur: qualis vix reperitur, saltem vsu recepta.

Confirmatur denique ratione, quia naturale lumen dictat, legem humanam vt in conscientia obliget, tolerabilem esse debere & accommodatam hominis imbecillitati, cùm feratur lex, vt ab omnibus, quibus fertur, obseruetur: at talis cẽseri nequit lex, quæ ipso facto vel iure pœnam imponit, si sic accipienda sit, *præsertim crimine existente occulto, quod solutione pœnæ manifestaretur*, vt in conscientia obliget pœnam ipsam

De obligatione legis pœnalis imponentis pœnam quæ requirit executionem.

Sectio III.

Nu. 284. QVarta propositio. Lex pœnalis, qua ipso facto vel iure, imponitur pœna requirens executionem, sortiri quidem aliquem effectum ante Iudicis sententiam; non tamen eum, vt reus illam in conscientia subire nullâ expectatâ Iudicis sententiâ, teneatur. Huius prior pars, *in qua recentiores conuenire notat Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 66. additis aliquot antiquioribus eam approbantibus*, confirmatur per discrimen quo lex pœnalis latæ sententiæ distinguitur à pœnali, sententiæ ferendæ; nempe quòd vt hæc in conscientia obliget ad pœnam subeundam, requiratur non solùm sententia declaratoria criminis, sed etiam condemnatoria; seu qua Iudex condemnet reũ ad pœnam soluendam: vt verò illa obliget, sufficiat tantùm declaratoria; id est, qua Iudex declaret reum incidisse in transgressionem legis, ideóque in pœnam eiusdem incurrisse. Quæ doctrina est Soti *in 1. de iust. & iure quæst. 6. art. 6. concluſ. 3.* ac Felini ad cap. Rodolphus, De rescriptis num. 35. Ex qua manifestum est legem pœnalem, *prout in priore propositionis nostræ parte dicitur*, quæ ipso facto vel iure pœnam imponit, effectum aliquem sortiri.

Quod adhuc patet ex eo, quod idem Sotus habet, & Franciscus à Victoria ait: *ille in sec. 4. conclusione & hic in relect. 1. de Indis. sect. 1. num 12.* esse omnium sententiam; cùm crimen per Iudicem declaratur, condemnationem retrotrahi vsque ad articulum seu diẽ

ipsam subire nullâ expectatâ Iudicis sententiâ: vt patet in eo qui amplum habet patrimonium, si debeat se illo abdicare, illúdque fisco tradere, vel in exilium ire: exposita familiâ suâ summæ egestati & miseriæ. Quod non est adeo durum neque à suaui Christi iugo alienum, quando apud Iudicem accepta commoditate se defendẽdi, ac de crimine purgandi, conuincitur de eo, atque eo contaminatus esse declaratur. Quam declarationem rectè notat Sotus *loco cit. sub finem expositionis 3. conclusionis* condemnatoriam esse: hoc est, non tantùm declarationis, sed etiam condemnationis vim habere. Eo enim ipso, quòd Iudex declarat crimen contentum, & ipso facto punitum in lege: pœna quam hæc in vniuersali continet, ad tale crimen in particulari applicatur.

Nu. 286. Si quis quærat, cùm lex ipso facto, vel ipso iure imponit excommunicationem, vel aliam censuram, hæc statim incurratur in conscientia absque Iudicis sententia: cur nó incurratur similiter pœna confiscationis bonorum, vel alia eiusmodi, similiter imposita. Respondet ibidem Sotus in expositione secundæ conclusionis, rationem esse, quòd quandò Ecclesia excommunicatione vel alia censura aut inhabilitate punit aliquem, non priuet eum bonis suis propriis, quæ ipse iure peculiari possideat, sed bonis communibus: quorum dispensatrix constituta eadem Ecclesia, illorum participationem denegat reis nonnullorum criminum: sicut cùm paterfamilias statuit, vt si quis aliquid fecerit, non admittatur ad mensam & conuictum cæterorum de sua familia. Quando verò punit aliis pœnis, priuet bonis propriis, hoc est, iis quæ reus peculiari iure possidet: vt vitâ, patriâ, diutiis; talis pœna requirit executionem seu actionem per quam ab illo auferãtur eiusmodi bona. Ad quam actionem, siue sustinendam, siue exequẽdam, vt quis teneatur in conscientia, lex intelligitur sententiam Iudicis requirere ex intentione Principis, à quo rectę rationi congruenter lata est.

Nu. 287. Quinta propositio est. Latâ sententiâ condemnatoria vel declaratoria ante descripta, delinquentem, in quem lata est, teneri quidem in conscientiâ obedire Iudici ipsam sententiam exequenti, nec ei resistere: non tamen contra se eam executioni mandare. Quæ propositio non est adeo certa, quin sint qui contrà sentiant: vt videre est apud Couarr. *in Epito. quarti decret. part. 2. cap. 6. §. octauo* num. 10. versu 2. Meritò tamen idem author, *pro ea citans Felinum, Adrianum, & Caietanum*, illam amplectitur, tum propter ipsius Caiet. rationem 2. 2. *quæst. 62. art. 3.* quòd reus non teneatur ex lege, nisi ad pœnam; & pœna consistat in patiendo, non in agendo: ideóque secundùm legem absolutè condemnatus, aut declaratus reus criminis, tenetur quidem pati pœnam quam lex imponit: non autem eam in se exequi. Tum etiam quia pœnæ, ex communi axiomate, sunt restringẽdę. Itaque reus ad pœnam amissionis bonorum temporalium simpliciter condemnatus, vel declaratus contaminari crimine, propter quod lex ipso facto talem pœnam imponit, non tenetur seipsum spoliare iisdem suis bonis, executioni mandando sententiam. Nec enim fertur talis lex, vt reus sua bona tradat, vel officium aut beneficium relinquat: sed vt fiscus bona sibi adiudicata apprehendat: respublica ab officio publico amoueat, & Prælatus beneficium alteri conferat. Tenetur autem pati, se dictis bonis authoritate Iudicis spoliari, vt deueniant ad eum cui assignata sunt; itaut fisco, bona confiscata repetenti vi sententiæ, reus nihil eorum possit retinere vel occultare. Infert ex hac propos. Couarr. *in sequen. versu* 3. contra Syluestrum, pœnam, ne tunc quidem, cùm lex dicit ad eam incurrendam, nullam requiri sententiam, ita deberi in conscientia; vt eam reus ipse exequi tenetur. Nam & tunc in foro conscientię, necessaria est executio Iudicis, perinde ac lata sententia condemnatoria.

Nu. 288. Vltima propositio est. Reum quotiescumque iustâ sententiâ condemnatur ad pœnam, teneri parere, etiamsi agere, seu pœnam exequi ipsemet debeat, vt verbi gratia soluere pecuniam, in exilium secedere, vel in carcere perpetuo manere, nisi pœna esset mortis vel mutilationis membri, quia tunc tenetur tantùm pati, non autem agere. Hanc, *quæ est quoque in cit. artic. 6. vltima Soti*, Couarr. in prius memorato versu 2. approbat propter eiusdem Soti argumentum: quod est: pro priore quidem propositionis parte, vnumquemque debere potestatibus obedientiam, nisi iure aliquo diuino vel naturali ab ea excusetur: illic autem nullam esse talem excusationem. Cui argumento accedit; aliquas esse pœnas, quæ etiamsi actionem requirant; vsus tamen obtinuit, vt reus eas exequatur: sicut est patibulum ascendere: & in exilium ire: qui vsus fundatus est in ratione; à qua alienum est, vt qui iustè punitur exilio vel suspendio, violenter expelli aut trahi debeat. Pro posteriore verò parte facit, quòd ius tuendi vitam propriam nobis à natura concessum (quo tanquam naturali beneficio, nemo potest, *nisi tyrannice & intolerabiliter*, nos priuare) excusset nos, ne per obedientiam cogamur esse talium pœnarum in nos ipsos executores. Vnde colligitur, rationabilem quidem censeri posse sententiam qua reo præcipitur, vt in seipsum pœnam verberum à lege impositam exequatur: non tamen vt venenum sumat, vel venam sibi abscindat, ad se necandum, aut vt abstineat ab omni cibo ad pereundum fame.

De difficultatibus annexis propositæ quæstionis explicationi.

Sectio IV.

Nu. 289. IAm dictis annexæ sunt aliquot difficultates non dissimulandæ, cùm sint frequentes ac etiam quotidianæ. Prima est, An alienationes bonorum factæ ab iis qui admiserunt crimen, propter quod ipso facto per legem illis priuantur: sint ratæ & firmæ ac etiam licitæ. De qua ex Angelo in verbo Pœna, num. 3. Syluestro Hæresis 1. num. 14. Franc. à Victoria in relect. priore de Indis sect. 1. num. 14. & quatuor sequentibus, Couarr. in Epitome 4. Decretalium par. 2. cap. 6. §. 8. num. 9. ista tenenda sunt.

Primum est: dictas alienationes esse ratas ac firmas, nec alienantem peccare, si id faciat ad comparanda vitæ necessaria. Nam, *vt inquit Sotus in 1. de iust. & iure quæst. 6. articul. 6. concluſ. 4.* si cibum, vestitúmque citra fraudem emerit, talium pretia vẽditores repetunt non soluta: quoniam iure naturæ ei licebat vitam suam sustentare.

Secundum est: extra talem necessitatis casum, alienationes eiusmodi quodammodo ratas esse, quodãmodo verò non esse. Sunt enim ratæ & firmæ dependenter à declaratione criminis: quia quousque crimen declaretur, semper vim suam retinent. Non sunt autem simpliciter ratæ & firmæ; quia si crimen declaretur, vim omnem amittunt: sicut vota ea quæ possunt ab alio irritari, firma sunt dependẽter à voluntate irritantis, non item simpliciter: quia licet valeant quandiu non irritantur; tamen irritata, vim amittunt.

Tertium est: si crimen ita occultum sit, vt in iudi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cio probari nunquam possit: facientem dictas alienationes non peccare: tum quia liberam adhuc habet suorum bonorum possessionem & administrationem: nec in talibus alienationibus cuiquam infert iniuriam: non quidem fisco, quia fiscus ante criminis declarationem non habet ius in re quæ alienatur: nec item emptori, quia cùm crimen non possit in iudicio declarari, nec emptor ipse priuari poterit re quam emit, nec illius pretio. Idem iudicium est si crimen probari quidem possit in iudicio: sed venditor apud se statuat, & valeat indemnem seruare emptorem: aut certè eundem certum faciat de tali conditione & defectu rei quam vendit: quandoquidem scienti & consentienti non fit iniuria.

Si dicas, talem venditorem peccare, eoquod faciat contra legem irritantem eiusmodi contractus: Respondetur talem legem non dirigi ad contrahentem, vt prohibeat ipsum contrahere; sed ad contractum, quem vult irritum fore. Vbi aduerte, verba legis ad personas dirigi, quoties per ea actus aliquis prohibetur, aut præcipitur: hac enim ratione lex statuitur, vt ipsa sit regula humanorum actuum. Tunc verò dirigi potius in rem quàm in personas, cùm disponit super actus validitate: vt cùm exigit in actu testandi vt validus sit, certas solemnitates seruari: quasquidem qui non seruat, non ideo peccat: quia verba eiusmodi legis eò tantùm spectant, vt actui testandi robur tribuant vel auferant: non item vt aliquid præcipiant vel prohibeant.

Quartum est, Si eiusmodi alienationes sint gratuitæ, vt donationes: alienantem non peccare, quia nulli facit iniuriam: non enim fisco qui nondum habet ius in re; nec alteri qui accepit: quia si facta declaratione priuetur acceptis, non reddetur ex eo pauperior, quàm esset si non accepisset.

Quintum est: si dictæ alienationes sint cum aliquo onere vel damno tertij, quales sunt emptiones, vel venditiones, aut donationes dotis; alienantem peccare: non quidem contra fiscum qui nondum habet ius in re, sed contra tertium illum, quem periculo damni exponit: cùm si crimen in iudicio declaretur, fiscus apud ipsum aut alium, *si per plures manus transierint*, inuenta bona vendita capiet, nec restituet pretium, quia reus non habuit ius ea vendendi sine tali onere, sicut nec ius vendendi rem furtiuam. Non restituet inquam pretium, nisi venditio nondum perpetrato crimine facta sit, aut ipsum pretium reperiatur adhuc inter bona delinquentis, aut conuersum sit in aliquam vtilitatem, quæ ad fiscum deuenerit cum cæteris bonis: prout Couar. loco cit. notat excipiendum. Tunc enim fiscus tenebitur restituere pretium, sicut & debitis ante crimen commissum contractis satisfacere: quia ad illum, *sicut ad hæredes*, bona cum suo onere transierunt.

Atque istud, *vt annotat Iacob. à Graphiis lib. 2. decis. aure. cap. 11. num. 21. & quatuor sequen.* ita ampliatur vt locum habeat quoque in fructibus, qui ex talibus bonis percepti sunt à die commissi criminis: à quo tempore criminosus non ita facit fructus suos, quin illi debeantur fisco, eadem ratione qua ipsa bona; ex Felino ad cap. Rodolphus, De rescriptis nu. 38. Ampliatur item, vt dicta pœna transeat ad hæredes & filios (*quod idem à Graphiis num. 22. communem sententiam esse ait*) non quidem vt delicta parentũ in filiis innocentibus puniantur, quia non portabit filius iniquitatem patris] Ezech. 18. sed vt parentes propter affectum paternum à talibus criminibus committendis magis retrahantur; cogitantes de pœna, ne dum sibi sed etiam filiis suis insligenda. Ampliatur adhuc; vt ipsi quoque filij priuentur suâ legitimâ, prout idem à Graphiis in præced. num. 9. ex eo docet, quòd legitima sit quota bonorum, quæ pater habet tempore mortis. Ille autem cuius bona confiscata sunt, nihil eorum habet tempore mortis; perinde ac si antea essent ab ipso vendita omnia: vel ad soluendum æs alienum, essent vendenda.

Non est verò par ratio, *vt idem addit in sequen. nu. 24.* de criminosi vxore innocente; cuius bona quocumque modo acquisita, fiscus capere non potest: quia vxor pro marito puniri non debet Cod. Ne vxor pro marito, fere per totum. Id autem ratione cõfirmatur à simili: quia ex lege Cùm duobus, §. vlt. ff. Pro socio: si vnus ex sociis commisit delictũ pro quo mulctatus est pecuniariâ pœnâ, hæc solui non debet ex communi: sed solùm ex bonis propriis ipsius delinquentis. Dixi, *vxore innocente*, propter cap. Decreuit De hæretic. in 6. vbi fit exceptio casus in quo mulieres matrimonia contraxerunt cum viris, quos hæreticos esse sciebant tempore contractus.

Postremum est. Illum qui titulo donationis aut aliquo contractu, accepit rem quampiam à criminoso, teneri restituere eam fisco, quando per hunc euincitur post latam in ipsum criminosum sententiam: idque etiamsi res illa successu temporis facta sit melior: nempe quia creuit, siue in æstimatione hominũ, siue in sua perfectione, quam progressu temporis accepit. Ratio est, quia talis res in sua specie perinde obligata est fisco, inuenta apud alium, ac apud criminosum. At inuentam apud criminosum, fiscus quantumcumque meliorem factam, sibi iure vendicat. Ergo & inuentam apud alium. Quanquam tamen meliorationes factæ ex industria, vel ex bonis dicti possessoris, debent iusto pretio compensari: quia non est æquum, vt in eo absque vlla sua culpa detrimentum patiatur.

Cumque hæc ita sint, criminosus in conscientia tenetur post latam sententiam, sicut bona quæ adhuc possidet, manifestare fisco petenti; ita & quæ in alium donatione, vel aliquo contractu transtulit à die commissi criminis: & explicare an pretium quod accepit, versum sit in suam vtilitatem, & adhuc aliquo modo maneat, ne noceat creditoribus, qui de lata sententia certiores facti, tenentur bona ab eodem criminoso accepta, tanquam aliena restituere fisco.

Secunda difficultas est. An cùm crimen fuerit ita notum, vt nulla ratione possit negari, nec tergiuersatione celari, adhuc sit opus sententia declaratoria, vt reus teneatur in conscientia pati executionem pœnæ.

Nu. 290. DE hac re Felinus ad cap. 1. De constitut. nu. 45. *secutus Panormit. ad cap. Cùm non ab homine De iudiciis, & Dominicum ad cap. Cùm secundùm leges De hæretic. in 6.* sentit non esse tunc necessariam declarationem. Sed melior est opinio contraria quam amplectuntur Syluester in verbo Assassinus sub finem, *vbi ait Panormit. in hac re non teneri*: Caietanus 2. 2. quæst. 12. art. vlt. Sotus in 1. de iust. & iure, qu. 6. art. 6. in explicatione tertiæ conclusionis; & Iacobus à Graphiis in decis. aureis lib. 2. cap. 11. nu. 26. & aliquot sequentib. vbi rationes adfert. Optima autẽ est illa Caietani, quòd sententia declaratoria exigatur, non ob facti tantùm aut iuris incertitudinem, sed etiam ob authoritatiuam manifestationem: nimirum vt quod authoritas publica inchoauit lege, authoritas quoque publica, perficiat Iudice. Accedit, quòd euidentia facti, in iudicio locum teneat non Iudicis, sed accusatoris.

Nu. 291. Tertia difficultas est, An qui iuxta antedicta crimẽ commisit, propter quod iure ipso priuatur beneficio Eccle

clesiastico, ipsum retinere possit donec talis criminis reus declaretur in iudicio. Ad hanc antedictis congruenter, respondendum est posse retinere, ac fructus percipere quousque condemnetur in iudicio, *prout Sotus sub finem cit. articuli expressit, & Nauarrus indicauit in lib. 5. Consil. tit. De Simonia consil. 34.* nisi lex aliquid contineat vnde criminosus ipse obligetur in conscientia statim à commisso crimine, beneficium relinquere: vt si dicatur beneficium ipso facto vacet in conscientia: vel, delinquens eo ipso fructus suos non faciat in conscientia: prout ille qui per simoniam beneficium accepit, obligatur per secundam Extrauag. communem de simonia: in qua statuitur talem nullatenus acquirere ius, nec facere aliquos fructus suos: sed ad illorum omnium quæ perceperit restitutionem sub animæ suę periculo astrictum esse. Item per Concil. Later. sub Leone 10. sess. 9. canone nono, beneficiarij priuantur fructibus suorum beneficiorum illo die, quo officium diuinum recitare omiserint, itaut illos perceptos restituere teneantur, tanquam rem iniustè perceptam: quod est teneri in conscientia. Vide Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 122. vbi refert Bullam Pij V. de eadem re.

Quod si interea, ante sententiam Iudicis, cùm potest adhuc beneficium retinere, illud alteri resignet, aut cum alio permutet: resignatio vel permutatio eiusdem modi erit, cuius alienatio de qua dictum est in explicatione primæ difficultatis: nempe sicut alienatio bonorum facta ab eo cuius bona confiscata sunt, rata est tantùm sub conditione: sic & dicta resignatio, aut permutatio beneficij; hę etenim sicut illa, per sententiam Iudicis rescinduntur à die commissi criminis.

Quarta difficultas est. An cùm lex ob crimen priuat ipso facto aliquem publico officio quo fungitur, valeant per ipsum in eodem officio acta, ante declarationem criminis.

Nu. 292. HVic Syluester in verbo Hæresis 1. *num. 14. in fine declarationis tertiæ pœnæ*, & Angelus in verbo Pœna num. 3. satisfaciunt dicentes valere omnia talia acta & instrumenta publica, quæ ante declarationem criminis fecerit ex officio. Itaque si Iudex sit, valent omnes sententiæ ab ipso datæ: si Notarius, valent omnia instrumenta ab ipso confecta. Similiter si Parochus sit, iure ipso priuatus suo parochiali beneficio, valent, *si cætera adsint*, absolutiones à peccatis quas dederit antequam à Iudice declaretur criminis reus: quia illæ sunt quædam acta ex publico officio quod gerit. Item si Canonici ipso iure priuati sint suo Canonicatu, valent suffragia, & electiones ab eis factæ ante declarationem à Iudice factam criminum ab ipsis patratorum.

Quinta difficultas. An si reus iuridicè interrogatus à Iudice neget vel occultet suum crimen, indéque liberetur à condemnatione, teneatur in conscientia pœnam subire, ad quam fuisset condemnatus, si vt debebat, crimen fassus esset.

Nu. 293. DE hac videri potest, quòd satis sit reum ita esse præparatam animo, vt si iterum legitimè interrogetur, veritatem fateatur: quandoquidem ad nihil aliud in conscientia teneri censetur: cùm fiscus non acquirat ius capiendi bona ante Iudicis cõdemnationem, prout ex antedictis patet. Verùm Sotus *lib. 1. De iust. & iure quæst. 6. art. 6. ante 5. conclusionem*, statuit tunc reum in conscientia teneri pœnam legis subire, sicut & post latam sententiam. Cui ratio hæc fauere videtur, quòd reus perinde ac testis legitimè interroganti, teneatur ex iustitia veritatem fateri; adeoque dum crimen negando vel occultando, impedit sententiam, per quam aliquid ex iustitia debitum obtineretur, causa est damni contra iustitiam: quod proinde restitutione resarcire tenetur. Si ergo reus iuridicè interrogatus neget crimen propter quod Iudex bona ipsius adiudicaret fisco, tenetur illa huic restituere, non minus quàm teneretur Iudex, si secundùm allegata & probata cognoscens ipsum esse reum criminis, propter quod talem pœnam lex imponit; non condemnaret, sed iniustè absolueret.

Cæterùm distinctione vtendũ est. Nã si lex pœnalis non sit latæ sententiæ, sed tantùm ferendæ, reus à Iudice legitimè interrogatus crimen occultans, non tenetur in conscientia sustinere pœnam, quam illa imponit: sed sufficit vt animo paratus sit veritatem fateri, si denuò iuridicè interrogetur, & pœnam sustinere post sententiam Iudicis. Ratio est, quia talis lex non irrogat pœnam, sed irrogandam relinquit Iudici, ac proinde reus ad eam sustinendam non tenetur ante sententiam Iudicis; quæquidem sola, non autem lex, illam irrogat. Si verò lex sit latæ sententię, pœnam ipso iure vel facto irrogans, probabile est quod Sotus sensit, reum legitimè interrogatum, si crimen occultauerit, teneri in conscientia sustinere pœnam ad quam fuisset secundùm legem à Iudice condemnatus; non quidem quòd teneatur sua bona fisco offerre: sed quòd accipienti teneatur in conscientia parere, requirentique ea tradere: quia vt ante dictum est, sententiæ simpliciter prolatæ vis est, non quidem vt reus bona sua tradat: sed vt fiscus ius habeat illa accipiendi. Sic autem censuerim probabilem hanc Soti sententiam, vt nolim contrariam tanquam improbabilem reiicere: aut illum qui in praxi eam sequatur, peccati omnino damnare.

Nam præter fundamentũ ante positũ, aliud fortius dari potest: nempe quod tunc solummodo ad restitutionem teneatur quis, mendacio suo impediens consecutionem alicuius boni; cùm in ea re peccat contra iustitiam commutatiuam, prout accidit: tum ei qui suo mendacio facit mutari voluntatem testatoris, aut alterius donatoris, ne donet alicui quòd statuerat donare, etiamsi nondum acquisitum esset ius ad rem donandam: tum ei qui quærentem rẽ suam, mendacio auertit à via per quam posset illam recuperare. His enim & similibus casibus ne contra iustitiam commutatiuam, in humano conuictu seruandam, noceatur proximo, quisque tenetur veritatem dicere, aut saltem non mentiri. In casu autem proposito, reus mentiendo non peccat contra iustitiam commutatiuã, quia vocatus in iudicium tenetur dicere veritatem, non ob vtilitatem eius cui applicanda est pœna: sed vt Reip. pro commisso delicto satisfiat per pœnam. Institutum est enim iudicium publicum ac publica cõfessio, vt reus sustinendo pœnam, satisfaciat toti Reip. *vt patet quando pœna est corporalis*: non autem vt huic vel illi personæ per impositionem pœnę, comparetur vtilitas; nisi forte cõtingeret per delictum, talem personam fuisse læsam: quoniam reus tunc negans in iudicio veritatem, peccaret etiam contra iustitiam commutatiuam, & teneretur ad restitutionem eius quod per sententiam restituere deberet tali personæ priuatæ, habenti contra ipsum actionem. Rationi autem pro Soto allatæ satisfieri potest dicendo: tum testem, tum reum in crimine occultando, contra suũ officium iúsque ipsum peccare: itaut siue testis siue reus suam sententiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

reuocare debeat in foro conscientiæ, ac proinde eo animo esse oporteat, vt si legitimè iterum interrogetur (quod si Iudex non faciat ipsi imputatur non testi aut reo) crimen patefaciat & ingenuè fateatur; non verò soluat pœnam, quæ ex iustitia commutatiua non debetur ab illis, nisi fortè ex accidenti.

Sexta difficultas est. An qui ex officio publico tenentur reos manifestare, aut in eos sententiam proferre, si non faciant præter delictum quod committunt, non satisfaciendo eidem suo officio, obligentur ad restitutionem pœnæ, à lege ob crimen impositæ; quam alioqui eiusdem delicti reus fisco aut alteri applicandam persoluisset.

Nu. 294. SOlutio est secùdùm Angelum *in verbo Pœna num.* 26. obligari ad restitutionem: secundùm Nauar. verò *in Enchir. cap. 25. num. 34.* non obligari. Vera autem hæc esse videtur: vt Iudex vel alius dictum publicum officium gerens, non teneatur restituere pœnam à lege impositam, eoquod reum non manifestauerit, vel non condemnauerit: teneatur tamen resarcire damnum, quod vel Respub. vel priuata persona inde læsa accipit. Ratio est, quòd etsi Iudex, vel alius ex officio publico seu conuentione inita cum Rep. teneatur detegere crimina, & illa punire pœnâ legis: alis tamen obligatio solùm est erga Rempub. vt delictorum punitione, pax illius conseruetur; & quisque indemnis in illa seruetur: non autem erga eam personam priuatam vel fiscum, cui pœna pecuniaria esset applicanda, si crimen manifestaretur. Quia igitur ratione sui officij, ac fidei quam Reip. dedit; ad nihil aliud tenetur Iudex, vel alius publicus minister, quàm vt Rempub. immunem reddat à peccatis; & priuatas in ea personas indemnes seruet; obligatur quidem resarcire damna omnia quæ vel Respub. vel priuata persona læsa accepit ex eo, quòd ipse non manifestauerit aut sententiam in reum non tulerit: non tamen restituere pœnam lege impositam, quam reus manifestatus & condemnatus soluturus erat fisco, vel alij cui applicanda fuit.

Aduerte tamen, postquam crimen delatum est ad iudicium, & pœna pecuniaria petitur, siue à persona cui applicanda est, siue ab alia nomine fisci; Iudicem, si neglexerit mulctare reum pœnâ illâ pecuniariâ, teneri ad restitutionem faciendam ei, cui pœna de iure esset applicanda: quia Iudex tenetur ex officio prospicere bono publico, non tantùm puniendo peccata, sed etiam cuique reddendo, quod iustè in iudicio petitur. At quoties crimen propter quod à lege pœna imponitur, delatum est in iudicium, accusator vel alius cui applicanda est pœna, petit in iudicio idipsum crimen puniri, & sibi pœnam applicari, iustè petit. Ergo Iudex denegans eam applicationem, quam ex iustitia tenetur facere, ita peccat vt etiam ad restitutionem teneatur. De his pro maiore notitia diuersitatis opinionum, videri potest. Azor 1. par. lib. 5. cap. 7. & 8.

LAVS DEO.

LIBER

LIBER QVARTVS, ET TOTIVS OPERIS DECIMVSQVARTVS.

DE IIS QVAE COGNOSCENDA considerandaque sunt ad iudicandum generaliter de peccatis ex obiecto & circunstantiis actuum humanorum.

PRÆFATIO.

SIcvt in re naturali (inquit D. Thomas 1.2. quæst. 18. art. 3.) ad plenitudinem perfectionis, præter formâ substantialem, quæ constituit essentiam, requiruntur accidentia: vt figura, color, &c. quæ ad conuenientem ei, decentémque habitudinem faciunt: quorum si aliquod desit, sequitur imperfectio malúmque physicum: sic in actu humano ad plenitudinem perfectionis, præter obiectum ex quo specificam suam rationem, essentiámve habet tanquam motus ex termino in quem tendit, requiruntur debitæ circunstantiæ, quæ ad illius conuenientem decentemque habitudinem ita faciunt; vt earum aliqua deficiente, is malus sit moraliter: nempe ex defectu plenitudinis perfectionis, iuxta illud D. Dionysij in cap. 4. De diuinis nominibus: Bonum est ex integra causa, & malum ex singulis defectibus. Quia igitur peccatum nihil aliud est quàm actus humanus malus; ex obiecto suo & circunstantiis sumens propriam malitiæ speciem: manifestum est in hac disciplina præcedentibus libris, meritò istum adiungi de obiecto, & circunstantiis humanorum actuum, prout in hos moralis malitia ex illis deriuatur: præsertim cùm in pœnitentiali foro, ad cuius praxim hæc nostra disciplina ordinatur, non attendatur tantùm, quòd aliquid sit peccatum: sed etiam cuius ipsum sit speciei: quandoquidem in Sacramentali Confessione, vt integra sit, Pœnitens debet suum peccatum in propria specie exprimere, vt suo loco expositum est in præced. lib. sexto.

CAPVT I.

De obiecto humanorum actuum, prout ex illo, in hos moralis malitia deriuatur.

SVMMARIVM.

1 *Ex obiecto in actum humanum deriuatur malitia ipsius essentialis.*
2 *Tres modi quibus contingit talis deriuatio.*
3 *Duæ generales regulæ iudicandi de peccatis ex obiecto.*
4 *Vnum peccatum esse alio grauius cõstat ex sacris literis.*
5 *Ratio iudicandi ex ipso obiecto, quod peccatum sit alio grauius.*
6 *Ratio idem iudicandi ex virtutibus, quibus peccata repugnant.*

IN actum humanum ex obiecto, *Nu.* 1.
id est, ex eo circa quod exercetur, malitiam aliquam deriuari manifestum est ex verbis Oseæ cap. nono: Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Neque refert quòd actus exterior non sit malus moraliter sine interiori voluntatis, qui circa

Universidad de Deusto
Biblioteca

circa illum exercetur. Id enim propterea tantùm fit, quòd moralis malitia in actu humano libertatem requirat, tanquam conditionem ad esse morale necessariam: minimè autem tanquam malitiæ fontem. Atque ipsam malitiam ex obiecto in actum humanum deriuatam, esse primam adeóque essentialem malitiam eiusdem actus: ex memorata D. Thomæ doctrina ita cõfirmatur. Sicut in rebus naturalibus primum & essentiale malum, est si res quæ generatur non consequatur formam specificam; vt si fœtus in materno vtero generetur carens anima: sic primum malum in actu humano, est si non exerceatur circa obiectum conueniens; itaut inde aliam, quàm conueniat sortiatur speciem: quod cùm fit, is dici solet malus ex suo genere, sumpto nomine generis, *inquit D. Thomas*, pro specie, sicut cùm dicitur genus humanum, ad significandam totam humanam speciem.

Nu.2. Porro actum humanum, seu liberæ voluntatis, non exerceri circa obiectum conueniens, contingere potest aliquot modis. Primus est, quo ei tale quid contingit ex interna aliqua ipsius obiecti conditione (*vnde solet dici malus intrinsecè*) ex parte cuius repugnat honestati, id est, moderationi quam aliqua virtus secundùm rectæ rationis præscriptum sibi vendicat: prout crapula moderationi temperantiæ repugnat per excessum; tenacitas moderationi liberalitatis, per defectum. Vbi nota semper quidem peccata esse specie diuersa, quæ diuersis speciei virtutibus per se repugnant; non tamen semper esse eadem specie, quæ repugnant eidem virtuti. Nam nec extremè opposita, vt peccatum auaritiæ, & peccatum profusionis bonorum, sunt eiusdem speciei, etiamsi intermedia liberalitas sit vna specie. Nec item ea quę diuersissimo modo, *etiamsi non opponantur extremè inter se*, eidem virtuti aduersantur: adeout peccati vtriusque natura moraliter expensa, qui proclivis fuerit ad vnum illorum, non ideo pari facilitate, sit etiam ad alterum committendum. Sic detractio, & furtum quæ eidem virtuti iustitiæ per se repugnant: & periurium ac simonia, quæ eidem virtuti religionis per se opponuntur, diuersæ speciei esse censentur.

Secundus modus est, quo idem contingit ex conditione tãtùm externa: nempe ex sola prohibitione, qua speciali præcepto obiectum ipsum prohibetur: Exemplum datur de esu carnium in Quadragesima, qui non ex aliqua interna sua conditione, sed ex sola prohibitione facta ab Ecclesia, repugnat rectæ rationi. Atque ex hoc duplici genere conditionis, id quod moraliter malum est, distinguitur in illud quod dici solet prohibitum quia malum: id est, quod talis naturæ est, vt legislator sua lege debeat ipsum reprobare, nec vnquam possit approbare; vt odium Dei, mendacium, nonnulláque alia: & in illud quod dicitur malum, quia prohibitum: id est, quod antequam prohiberetur nihil referebat ipsum agi vel non agi, vt antedictus esus carnium.

Aduerte verò obiter, legẽ dum prohibet aliquid quod est ex se indifferens, facere illud alicui virtuti repugnans ac malum moraliter; sicut & dum præcipit aliquid eiusmodi, constituit illud in aliquo officio virtutis: contra quam proinde is peccat, qui transgreditur eiusmodi legem. Sic Ecclesia præcipiens Quadragesimale ieiunium, fecit ipsum temperãtiæ actum & officium: & præcipiens auditionem Missæ in die festo, eam fecit actum religionis: & præcipiens solutionem decimarum fieri Clericis, illam fecit officium iustitiæ: & ideo talia præcepta transgrediens, peccat contra tales virtutes.

Tertius modus, quo antedictum potest contingere, est ex inordinata voluntatis conuersione ad obiectum ipsum, id est, ex eo quod obiectum terminus sit actus humani in quem voluntas exit, contra rectæ rationis præscriptum: vt in blasphemia, quam imperando, voluntas conuertitur quidem ad Deum, sed inordinatè: sicut & cùm optat, aut imperat homicidium, inordinatè conuertitur ad proximum, & sic de aliis: quæ sicut cõstituuntur obiecta virtutum, quatenus termini sunt actuum voluntatis ordinatæ, seu sequentis in functione sua, rectæ rationis præscriptum: sic constituuntur obiecta vitiorum, quatenus termini sunt actuum voluntatis inordinatæ, id est, exeuntis in actum suum contra rectæ rationis præscriptum. Cúmque hæc ita sint, duæ regulæ statui possunt ad generaliter de peccatis iudicandum ex ipsorum obiectis.

Prior est. Actum humanum esse moraliter malum, *Nu.3.* primámque suam peccati speciem sortiri ex obiecto in quo terminatur contra rectam rationem. Hanc confirmant tam authoritas Oseæ, quam ratio ante proposita. Sequitur autem ex ea, quòd cùm eiusdem obiecti diuersæ conditiones esse possint, secundùm quas actus liberæ voluntatis exerceantur circa ipsum contra rectam rationem: sequitur inquam, interdum fieri, vt actus qui eiusdem sunt speciei in genere naturæ, sint in genere moris, actus & peccata diuersæ speciei: vt actus carnalis cum soluta, & actus carnalis cum maritata: quorum ille est simplex fornicatio; & hic est adulterium.

Posterior regula est. Quòd vnum peccatum in sua specie grauius sit quàm alterum in sua, prouenire ex obiecto ipsius. Hæc probatur: quia trahendo speciem ab obiecto, trahit & illa, per quæ siue secundùm excessum, siue secundùm defectum, distinguitur in sua specie ab iis quæ eiusdem sunt generis. De qua re nõnulla Theologi scholastici subtiliter disputant, ipsis relinquenda; additis aliis spectantibus ad vsum fori pœnitentialis nobis propositum.

Quorum 1. est: nõ omnia peccata esse æqualia, sed *Nu.4.* alia aliis grauiora, vt apertè colligitur ex sacris literis Matth. 5. vbi Christus constituit diuersos gradus peccatorum, & pœnarum eis debitarum; inquiens: Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, & cætera quæ ibid. sequũtur. Item cap. 10. cùm ait, Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum quàm illi ciuitati. Nec est quód quis dicat, ex eo loco tãtùm haberi, quędam peccata esse grauioribus pœnis punienda quàm alia. Namque iuxta mensuram peccatorum futurum in iudicio plagarum modum, patet per illud Apoc. 18. Quantum se glorificauit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Accedit quòd Dominus ipse Matth. 12. verbum quod dictum fuerit contra Spiritum-sanctum, faciat peccatum maius verbo dicto contra Filium hominis: & quod Ioann. 19. dicat Pilato: Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

Secundum est: quando obiectum actus liberæ vo- *Nu.5.* luntatis conueniens non esse contingit ex inordinata conuersione eiusdem voluntatis in obiectum ipsum; tunc ex D. Thomæ doctrina in quæst. 2. de malo articul. 10. grauitatem peccati sic esse attendendam ex obiecto, vt tanto grauius peccatum aliquod censeatur, quanto ordinationi amoris, *in qua virtus consistit*, magis aduersatur. Sic ergo quia ordinato amore debemus plus diligere Deum, quàm proximi vitam in actu: & hanc, quàm vitam in potentia: & hanc rursus, quàm bona externa, inquit D. Thomas idololatriam, blasphemiã & cætera peccata in Deum reputanda esse ex suo genere grauissima: & peccatum homicidij, quod tollit actualẽ hominis vitam, peccatum esse grauius peccato luxuriæ, quod opponitur vitæ hominis in potentia, per inordinationem quam

quam ponit in actu generationis humanæ: vltimum verò locum tenere peccata, per quæ proximus lædi-tur in bonis externis: siue honorariis, vt per infamationem & detractionem: siue pecuniariis, vt per furtum & rapinam.

Cúmque in singulis horum generum, varij sint gradus peccatorum, quæ à quibus superentur D. Thomas addit esse quoque ex mensura charitatis æstimandum: nimirum vt peccatum censeatur tanto grauius, quanto virtutis bonum cui opponitur, debet ex charitate magis amari. Cùm autem vnũ idéque est bonum virtutis, cui diuersa peccata opponuntur: vt quando ipsa sunt actus extremorum vitiorum, *in quorum medio virtus consistit*: vnúmque per excessum, & alterum per defectum tollit mediæ virtutis moderationem: tunc illud ex eis grauius est, quod virtuti ipsi mediæ magis repugnat: vt censetur illud, quod est actus vitij per defectum, quando virtus ipsa tanquam calcar, instituta est ad hominem impellendum, velut liberalitas: & ita peccatum auaritiæ censetur grauius peccato prodigalitatis. Quando autem virtus tanquam frænum instituitur ad retrahendum hominem: tunc actus vitij per excessum, censetur grauius: vt superbia quàm animi deiectio: quia humilitas virtus media, instituitur ad retrahendum hominem ab inani appetitione gloriæ.

Verumtamen sic accipienda sunt hæc, vt cætera debeant pária esse. Nam cùm ex eod. D. Thoma ibidem, grauitas in peccato attendenda sit non modo ex obiecto, sed etiam ex efficiente, id est, ex deprauatione voluntate: atque ex circunstantiis quæ essentiali malitiæ ex obiecto deriuatæ, accidentalem addunt: fieri potest vt peccatum quod in sua specie ex obiecto est minus graue, quàm alterum: sit magis graue ex deprauatiore voluntate vel ex circunstantiis. Sic enim peccatum homicidij grauius est quàm blasphemia: quæ profertur voluntate non plenè deliberata: & furtum quo reip. ærarium spoliatur, peccatum est maius homicidio, quo aliquis infimæ sortis homo occiditur.

Num.6. Tertium est: cùm virtus & peccatum ei oppositum versentur circa idem obiectum: atque vt grauitas peccati in sua specie, sic præstantia virtutis in sua sumatur propriè ex obiecto: peccatum illud in sua specie grauius dici à D. Thoma 1. 2. *quæst.* 73. *art.* 4. quod præstantiori virtuti repugnat. Id quod intelligendum est cæteris omnibus paribus; ac comparatione facta inter maxima peccata opposita iis virtutibus, quarum vna alteri præstare ponitur: vt verbi gratia inter iniustitiam qua cuertitur respub. & intemperantiam, qua peccatur contra naturam. Alioqui enim deceptio cõtingeret in tali comparatione: quia intemperantia qua peccatur contra naturam, peccatum est grauius quàm furtum vnius & alterius aurei: etiamsi illa opponatur temperantiæ, & hoc iustitiæ, quæ virtus est præstantior. Similiter infidelitas malum est grauius quàm odium proximi: etiamsi hoc charitati, & illa fidei, quæ minus præstans est, opponatur: quodquidem vsuenit quoties bonum quod destruitur per peccatum virtuti inferiori contrarium, maioris est momenti eo, quod destruitur per peccatum superiori virtuti oppositum; vt tota honestas castitatis, quæ destruitur per peccatum contra naturam, maioris momenti est, quàm æqualitas in rebus externis cum proximo seruanda, quæ tollitur per furtum. Similiter integra in Deum fides, quàm vnius hominis amor integer.

CAPVT II.

De circunstantiis in genere prout ex eis malitia in actum humanum deriuatur.

SVMMARIVM.

7 *De nomine circunstantiæ, vnde translatum sit ad hanc disciplinam.*
8 *Accidentia humani actus, quædam sunt naturalia, & quædam moralia: hæcque non illa significantur nomine circunstantiarum.*
10 *Quædam notanda pro iudicio de peccatis ex circunstantiis.*
11 *Explicatio singulorum nominum quibus circunstantiæ indicari solent.*
12 *Moralis effectus circunstantiæ circa actum humanum.*
13 *Circunstantia nonnunquam in finitum, nonnunquam in infinitum minuit peccatum.*
14 *Nonnunquam verò auget in infinitum, nonnunquam in finitum.*

NOtat D. Thomas *in* 1. 2. *quæst.* 7. *art.* 1. vocatas esse circunstantias, appellatione ab eis quæ sunt in loco, translata ad actus humanos. Propriè enim ea circunstare dicuntur, quæ rem in loco existentem extrinsecus attingunt, aut ei propinqua sunt. Itaque per quandam similitudinem Theologi circunstantias humanorum actuum vocant illa, quæ ad actus ipsos ita pertinent, vt essentiam ipsorum minimè attingant. Cúmque actus humani essentia consistat in hoc, quòd ab hominis libera voluntate exerceatur, circa aliquod obiectum; cætera quæ ad eumdem actum attinent vltra hominem ex libera voluntate agentem, & obiectum circa quod is agit, censeptur illius circunstantiæ, accidentiáve. *Num. 7.*

Naturalia quidem, si nihil ad hoc conferant, vt is *Num. 8.* ipse actus magis vel minus sit consentaneus rectæ rationi: aut contrà, ab hac magis vel minus dissentaneus sit: ficut censentur nihil conferre illa, ex quibus bonitas vel malitia ipsius, nec augetur nec minuitur. Moralia verò, si ad idipsum conferant aliquid: vt censentur ea, ex quibus augetur vel minuitur bonitas vel malitia. Atque ita: fieri dextrà aut sinistra manu, ante vel post meridiem, dicuntur accidentia naturalia furti: quia malitiam ipsius neque augent neque minuunt. Fieri verò in loco sacro, vel in magna quantitate, dicuntur accidentia illius moralia, quia augent malitiam ipsius. Sola autem moralia, *cum naturalia nihil faciant ad malitiam peccati*, sunt circunstantiæ, de quibus nobis institutus est sermo. Quarum considerationem in primis necessariam esse in praxi fori pœnitentialis, apertè constat ex cap. Consideret. De pœnitent. distinct. 5. & ex cap. Aut facta, in præced. distinct. 1. & ex cap. Omnis vtriusque sexus De pœnitent. & remiss. & ex cap. Sicut dignum De homicidio: ac demum ex Concil. Trident. in sess. 14. cap. 5. & can. 7. In quo cap. expresse habetur, eas circunstantias in confessione explicandas esse, quæ peccati speciem mutant: eoquòd sine illis peccata ipsa, neque à Pœnitentibus integrè exponantur, nec Iudicibus innotescãt; nequeátque fieri, vt hi de quantitate criminũ rectè cẽsere possint, & pœnã quã oportet pro eis imponere pœnitentibus. Qua de causa idem Concilium tanquam à ratione alienũ meritò reprehendit, quod imprudẽter aliqui dixerunt easdem circunstantias ab hominibus otiosis excogitatas esse.

Iam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Num. 9. Iam verò quot & quæ sint circunstantiæ D. Thomas explicat *in citat. quæst. 7. articul. 3.* inquiens septem à Cicerone assignatas esse hoc versu comprehensas.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

eísque Aristotelem addidisse octauâ, *circa quid*, quam Cicero complexus sit sub *quid*, atque octonarium illum numerum sic colligi posse. Circunstantia dicitur ex eo, quòd sit extra substantiam essentiámve actus humani: ita tamen, vt aliquo modo illum attingat. Attingit autem vel tanquam mensura, vt locus & tempus, in quibus homo actum ipsum humanum exercet: vnde oriuntur *vbi*, & *quando*: vel attingit tanquam modus quo homo agit; vnde sumitur *quomodo*: vel attingit tanquam ipsius causa: quæ vel est efficiens principalis, & constituitur circunstantia *quis*; vel est efficiens instrumentalis, & constituitur circunstantia *Quibus auxiliis*: vel causa finalis, & constituitur circunstantia *cur*: vel est causa materialis seu obiectum, & constituitur circunstantia *circa quid*: vel denique attingit tanquam effectus ipsius: vnde sumitur circunstantia *quid*. Sicque sunt octo circunstantiæ, tres ex parte actus secundùm se: quatuor ex parte causarum, & vna ex parte effectus eiusdem actus. Quod autem Palud. in 4. & D. Anton. 3. part. *ille distinct. 16. quæst. 3. & hic tit. 17. cap.* 17. §. 4. addunt *Quoties*, Caietanus ad cit. D. Thomæ locum reiicit ex eo, quòd numerus, nõ vnius sed plerium simul actuum sit accidens: & circunstantiarum nomine significentur accidentia quæ in vnum eumdémque actum cadere possunt. Quanquam meritò addi potuit, habita ratione eorum quæ ad integritatem confessionis spectant: quia Pœnitens non minus tenetur de secundo peccato confiteri, quàm de primo eiusdem speciei; nec minus de centesimo quàm de quocumque alio.

Prænotanda in iudicio de peccatis ex circunstantiis.

Sectio I.

IN praxi autem, iudicantem de peccatis ex circunstantiis, iuuabit sequentia prænotasse.

Nu. 10. Primum est: circunstantias dari, non tantùm consensus exterioris seu actus à voluntate imperati; sed etiam interioris consensus efficacis (*propositum peccãdi vocant*) in quem malitia actus externi, tanquam obiecti ipsius, tota deriuatur: sicque fit, vt quod in Concil. Trid. loco cit. habetur: dari inquam, circunstantias mutantes peccati speciem, vtrique illi consensui similiter conueniat. De interiori verò consensu inefficaci, qui dicitur simplex complacentia, non est eadem ratio: quia cum is consummetur in voluntate absque ordine ad actum externum, non ex hoc, sed ex propria repugnantia, quam habet cum aliqua virtute, malitiam peccatique speciem accipit: vt simplex complacentia in cogitatione turpi, ex repugnantia cum castitate.

Secundum est: non omnes memoratas circunstantias inueniri in quouis singulari actu humano: potest enim talis aliquis actus non habere finem externum, significatum per circunstãtiam *Cur*; vt patet ex amore quo Deus propter seipsum solum amatur, & ex actu temperantiæ, quem quis ideo solùm exercet, quod amet vitam temperatam.

Tertium est: circunstantias dici accidentia humanorum actuum, non quòd his inhæreant: quia nulli earum id contingit: nisi circunstantiæ, *Quomodo*, præterea quòd res & modus rei, vnum idémque sunt: sed quòd extrinsecus, illis quasi adiacendo, tribuant quoddam accidentale esse morale: id est, esse rationi consentaneum, vel dissentaneum; ex quo consurgit accidentalis aliqua bonitas vel malitia, iuxta antedicta.

Quartum est: circunstantiam *Quis*, significare per- *Nu. 11.*
sonam agentem: non quidem ipsam secundùm se, quoniam ea ratione ad actum humanum intrinsecùs requiritur: sed secundùm ipsius qualitatem seu accidentalem quandam conditionem statúmve, aliquid conferentem ad actus bonitatem vel malitiam moralem: quales conditiones sunt: Clericum esse vel laicum: religiosum vel sæcularem: magistratum vel priuatum; & aliæ, quæ fuerint similiter qualitates hominis ex deliberata voluntate agentis, augentes vel minuentes bonitatem vel malitiam actus quem ipse liberè exercet. Circũstantiam verò *Quid* significare effectum qui consequitur perpetrationem peccati: nimirum nocumentum, quod peccatum adfert, siue in bonis honestis per culpæ maculam, ac vitæ turpitudinem, aut studiorum iacturam, aliúdue simile: siue in bonis delectabilibus per plagas, mortem, ac alia corporis & vitæ incommoda: siue demum in bonis vtilibus, tum honorariis per dedecus & infamiam: tum pecuniariis per amissionem bonorum mobilium, euersionem ædificiorum, damnum in mercimonio, vel opificio, & aliud huiusmodi.

Circunstantiam verò *Vbi*, denotare locum, non quidem ipsum secundùm se, sed secundùm quandam suam qualitatem, conferentem aliquid ad bonitatem vel malitiam moralem actus humani: vt ipsum esse sacrum, vel prophanum: publicum vel priuatum. Præterea circunstantiam *Quando*, denotare tempus, non ipsum secundùm se, sed secundùm quandam qualitatem præcedenti similem: nempe ipsum esse sacrum vel publicum. Item circunstãtiam *Cur*, significare finem externum: qualis est cùm quis bonum aliquod vult proximè propter ipsius bonitatem, & remotè propter aliud: id est, vult referendo ipsum ad aliud. Exemplum est cum quis alteri quod suum est reddere vult, proximè quia id honestum est; & vlterius vult idem, propter Deum: in quo casu actus volendi duplicem habet bonitatem, vnam primariam ex obiecto suo; nempe bonitatem actus iustitiæ: & alteram secundariam ex fine externo, nempe bonitatem actus charitatis.

Porro circunstantiam *Quibus auxiliis*, significare externa adiumenta, quibus tanquam instrumentis actio perfecta est: ratione quorum, eiusdem actionis bonitas vel malitia augetur vel minuitur: sicut tentatam esse alicuius puellæ pudicitiam minus & verberibus, grauius malum est, quàm esse tentatam blanditiis, & muneribus. Deinde cùm ex Nauarr. *ad princip. cap. Consideret De pœnitent. distinct. 5. num. 5.* circunstantia hæc sit eadem cum illa quam aliqui vocauerunt *Per quos*, significare etiam personas eas, quas quis dum peccat facit peccare; itaut sit peccati illarum particeps. In quarum personarum numero poni possunt illi, qui adhibiti sunt mediatores ad malum perpetrandum, & illi cum quibus, pro quibus, aut contra quos perpetratum est, ex D. Anton. loco suprà citato.

Adhæc circunstantiam *Quomodo*, sic accipiendam esse, vt complectatur omnes illos humani actus modos, qui bonitatem vel malitiam ipsius augent vel minuunt: quales sunt ij quos ex eo accipit, quòd agens agat vehementiùs vel remissiùs: aut cum maiore vel minore scientia, vel libertate: aut ex infirmitate, vel ex pura malitia: aut demum ex ignorantia, vel ex plena deliberatione. Denique circunstantiam

Circa

Circa quid, significare obiectum, circa quod actus humanus exercetur; éstque vel aliqua persona patiens, vt in homicidio, adulterio, & nonnullis aliis, vel res aliqua, vt bonũ honorarium in detractione: bonum pecuniarium in furto: & sic de multis aliis. Atque persona aliqua, non quidem secundùm se, sed secundùm aliquam suam qualitatem, qua augetur vel minuitur bonitas, aut malitia actus humani: cuiusmodi sunt personæ dignitas, conditio, seu status: grauiùs enim cæteris paribus peccat, qui Sacerdotem, quàm qui laicum: & qui magistratum, quàm qui priuatum hominem vulnerat. Res item aliqua: non quidem secundùm se, nec secundùm conditionem aliquam ipsius necessariam ad constitutionem obiecti actus de quo agitur (*sicut ipsam rem esse alienam conditio est ei necessaria ad constituendum obiectum furti*;) sed secundùm quantitatem, id est, secundùm quod ipsa est in maiore vel minore quantitate: aut secundùm qualitatem non spectantem ad talis obiecti rationem: qualis conditio est, rem ipsam pretiosiorem esse, aut viliorem: aliúdue huiusmodi ex quo bonitas aliqua, vel malitia in humanum actum deriuetur.

Nu. 12. Quintum quod animaduertere oportet est: cùm quæuis circunstantia, quatenus circunstantia est, debeat actui humano tribuere aliquam bonitatem vel malitiam: cuilibet earum conuenire, vt actum ex se alioqui indifferentem reddat bonum, vel malum moraliter: cúmque repugnantia nequeant eidem simul inesse, nunquam circunstantiam tribuere actui vt bonus sit; quin priùs spoliet eum malitia contraria, si quam habeat: neque vt malus sit, quin contraria bonitate priuet: alioqui enim oporteret eumdem actum simul esse moraliter bonum, & malum, laude & vituperio, præmio & supplicio dignum: quæ inter se pugnant.

Sextum est: interdũ contingere vt accidens quod est pluribus actibus humanis commune, comparatione vnius eorum, habeat rationem circunstantiæ, non item comparatione alterius; vt exempli gratia, primum, manè, quod esse potest accidens tum homicidij tunc commissi: tum actus intemperantiæ, quo tunc aliquis ingurgitando se cibo, ieiunium indictum ab Ecclesia violat: comparatione prioris actus non habet rationem circunstantiæ, quia nec auget nec minuit ipsius malitiam: comparatione posterioris verò habet; quia eius malitiam auget.

Septimum est, circunstantiam ignoratam inuincibiliter; & quæ nullo modo præuisa est, aut præuideri potuit; quia in voluntatem liberam non cadit, habendam esse pro non morali, tanquam nihil conferentem ad bonitatem, vel malitiam moralem.

Nu. 13. Postremum est: circunstantias minuentes peccatum nonnunquam minuere tantùm in finitum: ita scilicet vt id quod mortale est de se, perseueret tale: velut furtum 100. aureorum ex eo quòd commissum sit ab inope, minus quidem est ex circunstantia agentis, quàm si commissum esset ab opulento; sed non ideo desinit esse mortale. Nonnunquam verò minuere in infinitum: cùm scilicet id quod esset alioqui peccatum mortale, faciunt peccatum esse tantùm veniale, aut etiam actum virtutis, vel saltem nullum peccatum. Quo modo furtum, quod est ex suo genere peccatum mortale: ex circunstantia obiecti, nempe ex paruitate rei, quæ surripitur, peccatum est tantùm veniale. Item quodcumque aliud ex suo genere mortale, sit veniale, ex circunstantia modi, quo exerceatur sine pleno rationis iudicio iuxta antedicta *lib. 11. num. 44.* Itémque occisio hominis, *quæ alias esset peccatum mortale*, actio est virtutis iustitiæ, ex debitis circunstantiis personæ tam agentis, quàm patientis, & finis externi aliarúmque circunstantiarum: vt ea qua per sententiam iudicis, reus tali pœna dignus, legitimè occiditur. Ac demum vsurpatio rerum alienarum in extrema necessitate, & occisio hominis, ad vitæ propriæ defensionem cum immoderatione inculpatæ tutelæ; & cætera eiusmodi, in quibus vrgens necessitas, vel alia legitima causa excusat, nullum peccatum sunt.

Similiter circunstantias nonnunquam augere ma- *Nu. 14.*
litiam tantùm in finitum, id est, solummodo venialiter: vt festinatio superaddita præposteræ sumptioni cibi, tanquam circunstantia modi, malitiam ipsius auget venialiter. Nonnunquam verò augere in infinitum, seu mortaliter: quod fieri potest, tum intra eamdem speciem, vt accidit in furto mille aureorum, cui quantitas (*quæ circunstantia est obiecti*) supra malitiam furti quam ipsum haberet in minori quantitate commissum, addit malitiam mortalem eiusdem speciei, nempe speciei furti: tum mutando speciem, id est, primæ, essentialique malitiæ ipsius addendo accidentalem alterius speciei: vt vsuenit homicidio, quod committitur in loco sacro. Illi enim ad malitiam suam essentialem circunstantia loci sacri addit malitiam sacrilegij, quod est peccatum specie diuersum à peccato homicidij. Sunt autem aliquot regulæ, per quas cognoscitur quando ex circunstantiis augeatur, vel minuatur peccatum, siue mutando, siue non mutando speciem: quas, antequam ad ea veniamus, quæ singularum circunstantiarum sunt propria, proponere oportet.

CAPVT III.

De generalibus regulis cognoscendi; quatenus peccatorum malitia ex circunstantiis augeatur, vel minuatur.

SVMMARIVM.

15 *Circunstantia ex qua augetur vel minuitur liberum, augetur vel minuitur quoque peccatum.*
16 *Circunstantia dissentanea rectæ rationi, actui cui accidit, tribuit primam malitiam, aut eam auget.*
17 *Quando circunstantia mutando speciem, & quando intra eamdem speciem augeat peccatum.*
18 *Ratio distinguendi inter circunstantiam mutantem & non mutantem speciem.*
19 *Ratio quà ex circunstantia minuitur peccatum.*
20 *Actus ex aliqua circunstantia malus, nulla superadditione aliarum circunstantiarum, potest censeri bonus.*

PRIMA regula est, Circunstantiam, ex *Nu. 15.*
qua augetur liberum in actu peccandi, augere etiam peccati malitiam. Hæc probatur: quia in actu malo ratio peccati sic sequitur rationem liberi, vt illâ sublatâ, hæc quoque tollatur 15. *quæst. 1. cap. 1.* illáque auctâ, hæc consequenter augeatur; & diminutâ, diminuatur. Augetur autem liberum in actu peccandi, per circunstantiam modi, prouenientis ex eo, quòd actus ipse exerceatur cum maiore voluntatis propensione, & libertate: aut cum pleniore iudicio, & aduer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tentiâ rationis iuxta doctrinam traditam in præcedenti lib. 1. fere per totum.

Nu. 16. Secunda est. Omnem circunstantiam rectæ rationi dissentaneam, conferre humano actui vel primam malitiam, vel illius augmentum. Hæc patet: quia nullam alioqui conferret, quod est contra rationem circunstantiæ, ex antedictis. Pro huius autem plena intelligentia quædam sunt notanda. Primum est, triplicem distingui posse actus humani bonitatem, vnam moralem, alteram naturalem, & tertiam supernaturalem. Atque vt naturalis in eo consistit, quòd actus ipse sit ab homine secundùm facultatem ipsius naturalem, *perinde scilicet ac frigefactio est ab aqua secundùm suum naturale frigus*; atque supernaturalis in eo, quòd sit secundùm habitum gratiæ & charitatis, sufficienter ad merendum apud Deum: sic etiam moralem bonitatem in eo consistere, quòd sit secundùm rectam rationem directricem morum, seu actionum liberarum hominis.

Secundum est, vnum eumdémque actum humanum habere posse varias repugnantias cum recta ratione; illásque contrahere ex iis ad quæ tendit ac se extendit, tanquam ad terminos suos, siue primarios: qualia sunt ea quæ constituunt eiusdem actus obiectum: siue secundarios, quales sunt circunstantiæ. Tam enim hæ, quàm illa per actum ipsum humanum volita, communicant eidem, illam quam continent repugnantiam cum recta ratione, suámve moralem malitiam; iuxta illud Oseæ 9. Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.

Tertium est: cùm bonũ sit ex integra causa & malum ex singulis defectibus ex D. Dionysio in cap. 4. De diuinis nominib. vnam solam circumstantiam prauam, seu alienam à recta ratione, etiamsi reliquæ sint bonę vel non malæ, facere actum malum: & quo plures fuerint eiusmodi, eo grauiorem esse malitiam.

Quartum est: sicut iuxta præcedentem regulam, malitia actus humani augetur per intensionem illius ex intensione liberi: sic iuxta hanc augeri per extensionem illius; prouenientem ex eo, quòd idem actus extendatur ad plura, quæ sunt aliena à recta ratione; vnde in eo malitiæ additur malitia: nempe malitiæ, quam ex obiecto suo contrahit, superadduntur malitiæ quas idem accipit ex suis circunstantiis. Quodquidem augmentum, vt iam ante attigimus, potest dupliciter fieri: vno modo, intra eamdem speciem; altero modo, mutando speciem: quod quando contingat necessarium est Confessario scire. Ad illud autem docendum statuitur sequens regula quam D. Thomas attigit in 1.2. quæst. 18. art. 11. & quæst. 72. art. 9. & quæst. 2. de malo art. 6. & 7.

Nu. 17. Tertia igitur regula est. Circunstantiam quæ secundùm se consideratæ, peculiarem aliquam, præter eam quæ obiecti est, repugnantiam habet cum recta ratione; augere malitiam in eodem actu, mutando peccati speciem: eam verò quæ secundùm se considerata, non habet talem repugnantiam; sed solùm suppositæ conditione obiecti, per quam ipsum pugnat cum recta ratione, malitiam augere intra eamdem peccati speciem. Ratio huius est, quia sicut actus humani malitia absolutè æstimatur ex obiectorum repugnantia cum recta ratione, ex quibus in eumdem malitia ipsa derivatur: ita & augmentum eiusdem malitiæ, æstimandum est ex simili repugnantia circunstantiarum, ex quibus ipsum prouenit: nempe si talis repugnantia circunstantiæ, fuerit diuersa ab alia priori, augeatur actus humani malitia mutando speciem: si verò diuersa non fuerit, augeatur intra eamdem speciem.

Nu. 18. Quod vt plenius intelligatur notandum est circunstantias peccati esse in duici differentia. Nam aliæ sunt, quę nullam quidem in se, absolutéque consideratæ, repugnantiam habent; cum recta ratione ex suppositione tamen alicuius conditionis obiecti habent aliquam: cuiusmodi est hæc furti circunstantia; rem quæ surripitur maioris pretij esse, quàm aliàm aliquam.

Tale quid enim absolutè quidem, nullum in se includit conuenientiæ vel repugnantiæ ordinem ad rectam rationem: ex suppositione tamen conditionis eiusdem rei: puta quòd sit aliena (*per quam est furti obiectum pugnans cum recta ratione*) ipsius habet repugnantiam, per quam sic augetur furti malitia, vt grauius peccatum sit furari rem maioris, quàm minoris pretij. Ac quæ huius generis sunt circunstantiæ, dicuntur augere peccatum intrà eamdem speciem. Aliæ verò circunstantiæ sunt, quæ absolutè consideratæ continent in se repugnantiam cum recta ratione: taléque augent peccatum mutando speciem; quia nimirum eidem addunt repugnantiæ ordinem, allum ab eo in quo consistit primaria ipsius malitia.

Quod quando contingat ex duplici signo cognoscitur. Alterum est, si actus humanus pugnet cum aliquo præcepto, cum quo sublatâ eâ circunstantiâ non pugnaret: prout furtum rei sacræ, præterquam quod pugnat cum præcepto Non furtum facies; pugnat etiam cum præcepto de tractandis cum reuerentia rebus Deo sacratis. Cuius signi fundamentum est; quòd cùm ratio rectitudinem accipiat ex præceptis: sanè quæ pugnant cum præcepto, pugnant etiam cum recta ratione: & quæ pugnant cum nouo ac diuerso præcepto, habent nouum ac diuersum proportionaliter repugnantiæ ordinem ad rectam rationem. Alterum signum est: si actus ob circunstantiam, peculiariter repugnet alicui speciali virtuti prout furtum factum ad tentandam puellæ pudicitiam, præterquam quòd ex obiecto repugnat iustitiæ, repugnat quoque castitati ex circunstantia finis. Cuius item signi fundamentum est, quòd sicut virtutes sunt inter se diuersæ rationis, ita & malitiæ actuum humanorum (*quas hi habent repugnando illis*) diuersæ sunt rationis: itaut circunstantia ex qua peccatum acquirit repugnantiam cum noua virtute, muter illius speciem, idest, nouæ speciei malitiam ei communicet.

Quarta regula est. Circunstantiam minuentem liberum in actu peccandi, minuere quoque peccatum. Huius eadem est, quæ primæ antecedentis ratio. Cæterùm circunstantia minuens liberum in actu peccandi, est circunstantia modi, consistentis in eo, quòd actus ipse cum minore voluntatis conatu & libertate, aut cum minore iudicio & aduertentiâ rationis exerceatur. *Nu. 19.*

Quinta regula est. Omnis circunstantiæ absentiam minuere peccatum, cuius præsentia illud auget. Hæc intelligitur de diminutione secundùm extensionem: sicut proximè præcedens de diminutione secundùm intensionem. Ex eóque manifesta est, quòd quoties aliquid ex alicuius positione crescit, ex eiusdem amotione minuitur. Aduerte autem istiusmodi diminutionem peccati cùm prouenit ex absentia circunstantiarum, quas ante diximus augere peccatum mutando speciem: non fieri, quasi tollatur aliquis gradus malitiæ, quam actus peccati habet ex obiecto suo: sed hoc tantum nomine, quòd eidem malitiæ non sit superaddita alia, quam actus ipse contraxisset ex præsentia circunstantiæ absentis: itaut idem sit tali modo minuere peccatum, atque non augere illud.

Postrema regula est. Actum humanum nullam posse recipere veram bonitatem ex suis circunstantiis *Nu 20.*

tiis rectæ rationi consentancis, si vel ex obiecto, vel ex aliqua alia circunstantia malus sit. Confirmatur hæc, per illud D. Dion. in cap. 4. De diuinis nominibus, Quod bonum sit ex integra causa. Inde enim consequens est tunc actum humanum veram bonitatem habere, vel non habere; cùm habet vel non habet integram causam bonitatis. Deinde is actus bonus est moraliter, qui exercetur prout secundùm rectam rationem debet hic & nunc exerceri. Hoc autem non accidit actui habenti aliquam malitiam vel ex obiecto, vel ex aliqua circunstantia. Quare non potest habere veram bonitatem, quantumcumque aliis bonis circunstantiis vestiatur. Potest tamen accipere illâ saltem malitiæ diminutionem impropriâ, quâ peccatum dicitur diminui per id, quo impeditur ne augeatur: vt censetur impediri per bonas circunstantias, quibus malæ excluduntur. Ad cuius rei confirmationem faciunt cap. Primum est, & cap. Mihi autem 22. quæst. 2. Atque ex dictis satis intelligitur cum qui de grauitate peccatorum tum secundùm se, & absolutè: tum comparatiuè, seu quod, quo grauius sit, iudicare velit: non modo considerandum esse obiectum, sed etiam circunstantias omnes: quandoquidem illud, quod ex obiecto leuius est, potest ex superadditis circunstantiis grauius alio; atqueadeo in se grauissimum esse.

CAPVT IV.

De circunstantia. Quis, *seu principalis agentis.*

SVMMARIVM.

21 *Duo casus in quibus peccatum mutando speciem, mortaliter aggrauatur ex circunstantia personæ agentis.*
22 *Definitio scandali cum diuisione eiusdem in actiuum & passiuum.*
23 *Quando scandalum dicatur purè actiuum, quando purè passiuum, & quando mixtum.*
24 *Scandalum actiuum peccatum est mortale nisi inaduertentia, aut leuitas materiæ excuset.*
25 *Quando scandalum quod per accidens tantummodo actiuum est, peccatum sit mortale.*
26 *Ad tale peccatum non sufficit actionem esse de se scandalosam, nisi ij coram quibus exercetur, occasionem accipiant ruendi.*
27 *Quando scandalum actiuum per se peccatum sit mortale.*
28 *Personæ agentis dignitas aggrauat peccatum intra eamdem speciem.*
29 *Aggrauatio peccati per scientiam, conscientiam vel etatem agentis.*
30 *Quod ea sit intra eamdem speciem.*
31 *Ex sanctitate agentis aggrauari peccatum, quo modo debeat accipi.*
32 *Ex authoritate peccantis aggrauari peccatum.*

VATENVS ex circunstantiis in actum humanum malitia deriuetur, præcedentes regulæ in genere edocent: sed quia non deriuatur similiter ex omnibus; adhuc de vnaquaque illarum sigillatim tradendum est, quatenus talem malitiam in actum humanum effundat. Ac de prima, quæ est principalis agentis, docendum est primò, quando aggrauet peccatum mutando speciem: deinde verò, quando aggrauet intra eamdem speciem.

PRIOR PARS CAPITIS.

In qua docetur, quando circunstantia, Quis, *aggrauet peccatum mutando speciem.*

INter casus in quibus contingit istiusmodi aggrauatio peccati, duo præcipuè obseruandi sunt; in quibus solis ea fit in infinitum, seu augendo peccatum noua specie peccati mortalis.

Alter est, cùm personæ aliquid necessariò incumbit ratione conditionis sui status: vt cùm quis ob votum, vel officium suum ad aliquid speciali præcepto adstringitur sub pœna peccati mortalis; sicut adstringuntur Religiosi ad seruandam castitatem, paupertatem, & obedientiam quam vouerunt: itaut in illis peccata luxuriæ, auaritiæ, & inobedientiæ ex circunstantia personæ agentis, aggrauentur noua specie peccati mortalis; nempe sacrilegij. Alter casus est, quando persona agens dat scandalum in casu in quo scandalizare est peccatum mortale. *Nu. 21.*

Vt autem intelligatur quando talis casus occurrat, prænotandum est, quod ex D. Hieron. ad cap. 15. D. Matth. habet D. Thomas 2.2. *quæst.* 43. *art.* 1. Scandalum definiri dictum vel factum vel omissum præbẽs alteri occasionem ruinæ spiritalis, seu lapsus in peccatum. Atque talem occasionem esse posse, vel datam vel acceptam: ac datam censeri, quando quis aliquid dicit vel facit quod malum est, vel speciem mali habet: acceptam verò dici, cùm aliquis de dicto vel facto alterius scandalizatur. Iuxta quam duplicem occasionem duplex distinguitur scandalum; vnum actiuum, & alterum passiuum. Quorum illud est, cùm alicuius dictum vel factum, alteri est de se causa peccandi: vt contingit quando quis dicendo vel faciendo, intendit inducere alium ad peccandum: aut etiãsi non intendat, dictum tamen vel factum ipsius tale est de se, vt inductiuum sit ad peccandum: vt censentur praua colloquia, de quibus habetur illud à D. Paulo citatum in priori ad Corinth. cap. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Hoc verò est, cùm alicuius dictum vel factum, alteri est per accidens causa peccandi: vt accidit cùm præter intentionem operantis, ac cõditionem operis, aliquis malè in se dispositus, ex alterius dicto vel facto inducitur ad peccanpum: vt cùm quis alterius rectè facta vel dicta videns velaudiens, tangitur inuidiâ.

In quo casu, scandalum est purè passiuum: sicut est purè actiuum, cùm aliquis dicto vel facto inducit alium ad peccandum, qui non consentit: & est scandalum mixtum ex vtroque, cùm ad inductionem vnius, alter peccat. Atque purè actiuum, est scandalizantis peccatum, oppositum correptioni fraternæ, qua proximus à peccando retrahitur. Passiuum autem est peccatum scandalizati: siquidem nihil est aliud quàm idipsum peccatum in quod quis ruit, accepta occasione ex alterius dicto vel facto. Vnde scandalum quidem actiuum, peccatum est speciale: vtpote contrarium speciali virtuti, nempe charitati, *iuxta illud ad Rom. 14. Si propter cibum frater tuus contristetur, iam non secundùm charitatem ambulas*: non autem scandalum passiuum, quod non importat specialem deformitatem speciali virtuti oppositam: sed per omnia peccata vagatur: aut potius est quodcumque peccatum, quatenus ex scandalo actiuo ortum ducit. Denique mixtum scandalum, est peccatum tam scandalizati quàm scandalizantis. Cùm autem hæc ita sint: quærere quando occurrat casus in quo scanda- *Nu. 22.* *Nu. 23.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

lizare sit peccatum mortale, idem est ac quærere quando scandalum actiuum, sit peccatum mortale.

Nu.24. De qua quæstione tenendũ est ipsum esse peccatũ mortale ex suo genere, prout patet ex Diui Matt. cap. 5. vers. 29. & 30. & cap. 18. vers. 6. & aliquot sequentibus; ex Epist. ad Rom. cap. 14. sub finem; ex priori ad Corinth. cap. 8. item sub finem, & ex eo quod ipsum genere suo sit charitati contrarium. Ex leuitate verò materiæ vel ex inaduertentia quæ reddat consensum voluntaris semiplenum & imperfectum, fieri veniale: quod quando contingat ex parte quidem dictæ inaduertentiæ intelligendum est ex præced. lib. 11. cap. 4. notab. 3. & cap. 5. in explicatione 3. regulæ. Ex parte verò leuitatis materiæ intelligitur ex doctrina quam D. Thomas habet in sequenti art. 4. quámque Angelus & Syluester reliquique Summularij communiter sequuntur in verbo Circunstantia. Ea est autem, quòd cùm scandalum actiuum duplex sit, vnum per se & alterum per accidens; cùm fuerit per accidens *(vt censetur quando est absque intentione inducendi alterum ad peccandum)* tunc peccatum esse tantùm veniale cùm quis leui, aliqua indiscretione committit actum venialis peccati; vel actum qui nõ est quidem de se peccatum, habet tamen aliquam mali speciem.

Nu.25. Tunc verò esse peccatum mortale, cùm quis committit actum peccati mortalis, aut contemnit salutem proximi: vt censebitur si pro ea conseruanda non omittat animo suo obsequi in agendo quod habet in voluntate. Exemplum est, si mulier quæ credens vel aduertens certam aliquam personam *(secus si tantùm generaliter, & indefinitè aliquam personam, ex Nauar. in Enchiridio cap. 14. num. 31. vers. Dixi sextò, & paulo inferius lit. D. vers. 7.)* ipsa aspecta habituram animum peccandi: illicitámve concupiscentiam, ille se sine rationabili causa, *qualis esset necessitas eundi ad Missam, aut conuersandi cum vicinis & affinibus, ne inurbana habeatur ex eod. Nauar. in præced. num. 30.* indifferenter se aspiciendam offert: non quidem vt illum in talem concupiscentiam inducat, quod peius esset, & per se peccatum, etiamsi alterius scandalum non sequeretur: sed vt satisfaciat suæ voluntati discurrendi per vias, manendi in ostio vel fenestra domus, vt sua pulchritudo laudetur, aut ob aliquam aliam vanitatem. Similiter vir qui habet nimiam familiaritatem cum aliqua persona suspecta, vnde existimat homines scandalizari, iudicando & loquendo nefaria de ipsis: neque de eo curans perseuerat in tali familiaritate, nulla necessitate cõpulsus: sed solùm quia ita placet. Tam enim hic quàm illa peccat mortaliter, *vt Nauar. expressit in cit. num. 30. & 31. post D. Anton. in 2. par. tit. 7. cap. 4. §. 4. non procul à fine*: Vbi id confirmat per verba Domini Matth. 18. Væ homini illi per quam scandalum venit. Nam, inquit ipse, particula, *væ*, importat damnationem æternam: & verbum, *venit*, absolutè indicat opus, quo alteri datur occasio peccandi.

Idem quoque haberi ex verbis illis Apostoli in cap. 8. prioris ad Corinth. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem: indicatur in cap. 2. De noui operis nuntiatione: vbi dè hac re præclarus habetur textus. Ratione etiam idem confirmatur: quia si talis mulier aut vir, sciret fore quòd quis aliqua sua pia monitione impediretur perpetrare flagitium, peccaret mortaliter; salutem proximi in ea re negligens. Quare pariter peccabit sciens impediendum esse; siue non transeundo ante ipsum, & transeat; siue abstinendo ab alicuius nimia familiaritate, nec abstineat, similiter peccat: quandoquidem similiter negligit salutem proximi.

Nu.26. Verumtamen ex Nauar. *ad cap. Consideret, De pœnit. distin. quinta §. Animaduertere num. 9.* ad constituendum aliquod dictum vel factum in vera scandali specie, non sufficit illud esse actionem ex se malam, & quæ suapte natura occasionem ruendi præstet aliis, *qualis est sermo vel gestus impudicus*, nisi qualitas illorum, coram quibus exercetur, reddat verosimile viri prudentis arbitrio, quòd ruendi occasionem dederit. Itaque si quis perpetret flagitium coram iis qui similiter parati sunt ad perpetrandum: itaut verosimile non sit, quòd id fuerit illis noua ruendi occasio; tale factum non constituetur in vera specie scandali. Hinc *ex eod. Nauar. in cit. num. 31. lit. D. vers. 7.* supradictæ mulieris peccatum non videtur fore plusquam veniale, si is quem nouit suo conspectu turpiter exardescere, nouerit quoque talem esse qui non solùm ex infirmitate, sed etiam ex malitia obnoxius sit tali passioni; captans occasionem excitandi ac fouendi in se illam, déque tali admittenda, vndecumque veniat, perinde solicitus sit ac vsurarius dedanda ad vsuram pecunia, à quocumque petatur.

Iam cùm scandalum fuerit actiuum per se: vt esse censetur coniunctum cum intentione siue directa, siue indirecta *(qualis est negligentis desistere ab eo, ex quo proximum scandalizandum præuidet)* inducẽdi alium ad peccatũ, tunc peccatũ est mortale; cùm quis intẽderit per actũ aliquem, inducere alium ad peccandũ mortaliter: quia in eo inest voluntas inferendi graue damnum proximo. Tunc verò peccatum est veniale, cùm quis intenderit per aliquem actum inducere alium ad peccandum venialiter. Ratio est: quia si tale quid per se committere, non est peccatum plusquam veniale; sanè nec erit ad illud inducere: nisi fortè per accidens: vt cùm inductio illa oriretur ex graui odio, vel fieret cum graui iniuria. Nam etsi tunc non esset mortale ratione scandali præcisè; posset tamen esse ratione alterius malitiæ adiunctæ: nempe odij, vel iniustitiæ. Aut nisi tale veniale esset de quo non corrigere proximum, sit peccatum mortale *(qualia esse possunt quædam puerilia errata quibus pueri disponuntur ad magnam morum deprauationem)* quia tunc vt non corrigere, sic à fortiori mortale esset ad tale quid inducere.

Nu.27.

POSTERIOR PARS CAPITIS.

In qua docetur quando circunstantia Quis, *aggrauet peccatum intra eamdem speciem.*

PEccatum intra eamdem speciem aggrauatur ex circunstantia, *Quis*, seu principalis agentis, ob dignitatem personæ, iuxta cap. Homo Christianus dist. 40. & cap. Nulli fas 25. quæst. 1. & cap. 2. De translatione Episcopi sub finem. Confirmatúrque ratione: quia quò persona dignior est, seu magis aucta diuinis beneficiis, eò reddita est obligatior ad obsequendum voluntati Dei, & ad parendum ipsius præceptis: itaut contraueniendo, magis peccet: propter maiorem ingratitudinem. Id quod nobis sacræ Scripturæ inculcant cùm docent iustitiam nostram debere abundare plusquam Scribarum, & Pharisæorum, Matth. 5. & cui multum datum est multum repetendum esse ab eo. Luc. 12. Deinde quòd à Deo aucti dignitate Christiana, magis simus obnoxij diuinæ vltioni, non audientes Christum nobis loquentem: quàm Iudei, non audientes loquentem Moysem ad Hebr. cap. 10. vers. 28. & 29. & cap. 12. vers. 25. Tria sunt autem in quibus censetur talis dignitas consistere: primum est, scientia, quâ comprehenditur tum conscientia, vtpote quæ nihil aliud est, quàm scientiæ seu cognitionis quam

Nu.28.

quam quis habet, applicatio ad suam actionem; tum etiam ætas, quia is qui ætate, scientiâ quoque alterum superare supponitur: secundum est morum sanctitas, seu virtus; & tertium potestas, quâ comprehenduntur status, honor, & diuitiæ.

Nu.29. Atque scientiam peccantis aggrauare ipsius peccatum: hoc nimirum nomine, quòd tollat ignorantiam, quæ, *nisi affectata fuerit*, ab illo excusaret, ex toto, aut saltem ex parte: iuxta antedicta in lib. 11. cap. 2. Patétque ex cap. Excellentissimus 11. quæst. 3. & ex verbis Domini Luc. 12. Ille seruus qui cognouit voluntatem domini, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius vapulabit multis &c.] Item ex illis D. Petri *in 2. Epist. sub finem 2. capitis.* Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.]

Conscientiam similiter agentis, siue erroneam siue dubiam, sicut & veram certámve, aggrauare peccatum ipsius; patet per illud D. Pauli ad Rom. 14. Omne quod non est ex fide peccatum est. Cuius sensus in cap. Omnes §. Illud verò 28. quæst. 1. traditur esse: omne quod contra conscientiam fit, ædificare ad gehennam: seu iuxta cap. vltimum De præscript. peccatum esse mortale. Intellige autem, non qòud semper peccatum sit mortale contra conscientiam agere; sed quòd etiamsi aliquid aliàs sit tantummodo veniale, aut etiam nullum peccatum; tamen quatenus conscientia dictat illud esse mortale, ipsum tale efficiatur; iuxta habita in præced. lib. 13. nu. 70. Idque nõ tantùm conscientiâ existente verâ, sed etiam existente erronea, vt glosa citati cap. Omnes, ad verbum Conscientiam, annotat ex cap. Per tuas 2. De simonia. Itémque existente dubiâ, prout D. Thomas Quodlibeto 8. art. 13. confirmat ex verbis Ecclesiastici tertio. Qui amat periculum peribit in illo.] Cuius sententiam in ea re ab omnibus receptam esse ait Nauar. ad princip. cap. Consideret De pœniten. dist. 5. num. 54.

Ætatem quoque agentis aggrauare posse peccatum ipsius, indicant verba Esaiæ in cap. 65. Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.] Et confirmatur ex eo, quòd ætas grandior, etiamsi non tollat ignorantiam excusantem à peccato, eam tamen minus iustam, minúsque excusabilem reddat.

Nu.30. Iam istiusmodi aggrauationem, esse intra eamdem speciem, patet: quia peccatum procedere ex ignorantia vel ex scientia, non mutat illius speciem vt Caiet. *1. 2. quæst. 76. art. 4.* rectè deducit ex eo, quòd D. Paulus in cap. 1. prioris ad Timoth. peccauerit ex ignorantia: & nihilominus fateatur se peccasse peccatis eiusdem speciei, cum illis quibus peccasset scienter: vtpote dicens quòd blasphemus fuerit, persecutor, & contumeliosus. Deinde nec circunstantiam conscientiæ, mutare peccati speciem Nauar. *ad cit. princip. cap. Consideret. num. 73. & sequen.* confirmat posito hoc fundamento: quòd ea tantùm circunstantia, quæ speciali lege prohibetur mutet peccati speciem. Lex enim generalis cum lege speciali concurrens, actui contra hanc facto, non dat deformitatem alterius speciei: vt homicidium factum contra speciale præceptum, Non occides: ex eo quod fiat etiam contra generale præceptum Declina à malo, non accipit nouam speciem. At lex de non contraueniendo conscientiæ est generalis. Quare ex eo, quòd actus speciali alicui legi repugnans fiat contra conscientiam, non accipit nouam peccati speciem. De circunstantia ætatis res clara est. Quis enim dixerit peccatum nouam speciem inducere ex eo, quòd sit à sene vel à iuuene commissum: præsertim cùm præceptum vtri-

que ex æquo imponatur?

Quod attinet ad sanctitatem peccantis, eam aggrauare peccatum, patet ex verbis illis citati cap. Consideret: Ingratus extitit qui plenus virtutibus, Deum omnino nõ timuit: in hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit. Et deduci potest tum ex antememoratis verbis D. Petri: tum ex illis Ierem. 11. Quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa, &c.] Ac demum confirmari ratione: quia quò quisque maior est virtute, eò facilius potest peccato resistere, eíque magis ingratus Deo, & plus malo suo exemplo destruit, quos ædificare deberet. Vnde sequitur in ipso magis culpabile, magisque graue esse peccatum.

Quod tamen aduerte intelligendum esse de sanctiore, qui peccaret ex malitia, aut ex contemptu, aut cum scandalo proximi, aut contra suum votum. Nam si peccaret ex infirmitate vel passione *(quarum illa animi & hæc corporis infirmitas dicitur 15. quæst. 1. cap. 1.)* & sine periculo scandali aliorum; ac in iis, quæ non sunt contra vota sua: peccatum cæteris paribus leuius committeret, quàm alius malus vel minus bonus, prout statuit D. Thomas *1. 2. quæst. 73. & 2. 2. quæst. 186. vtrobique art. vlt.* Et confirmat primò, quia cùm homo sanctus & religiosus peccat ex infirmitate, peccatum ipsius, *quia non ex habitu, sed ex surreptione seu repentino quodam animi impetu procedit*, minus voluntarium est: cùm voluntas non adeo se in illud effundat. Secundò, quia quidquid illud mali est; facilius absorbetur à multis ipsius bonis operibus, quæ Dei bonitatem ad miserendum propensam, multo plus conciliauit, quàm factum vnum exasperet; vt patet ex eo, quòd in 2. Paralip. cap. 19. à propheta dicitur Regi Iosaphat: Iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te.] Postremò quia sanctus & Religiosus ex surreptione peccans, instar eius qui fallente pede labitur, propter habitum virtutis, sustinet se quantũ potest: rursúsque se statim erigit: vt D. Petro cõtigit qui cùm dixisset Nescio hominem: paulo post, cùm Dominus ipsum respexisset, flere cœpit amarissimè. Malus verò & prophanus ob habitum vitij, instar eius qui se præcipitat: tum grauiùs alliditur, tum etiam de surgendo non cogitat.

Nu.31.

Potestatem denique peccantis aggrauare peccatum, habetur ex eo quod in cap. Præcipuè 11. quæst. 3. dicitur: Deterius in populis Prælati delinquunt, ac per hoc ipsi grauius, quam cæteri puniuntur. Id quod de Prælatis quoque laicis intelligi, patet ex eo quod ipsum dicatur à Nicolao primo, ad Lotharium Regem auocandum à consuetudine Gueldradæ pellicis. Accedit de illis apertè scripta verba haberi Sapien. 6. Audite Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ, &c.] quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Et certè cùm potestas custos sit virtutis (ad hoc enim datur vt subditi in officio contineantur) magis pugnat cum ratione, eum cui potestas commissa est, contra virtutem agere; quàm alium.

Nu.32.

Deinde cùm bona honoraria & pecuniaria dentur ad bonum vsum, quò plura accepit quis eò obligatior est ad bene vtendum eis: itaut magis peccet non vtendo eis bene, cùm necessitas exigit. Sic enim maius malum esset in diuite non facere eleemosynam quàm in paupere. Quando autem istiusmodi aggrauatio sit in infinitum nihil specialiter statuitur: sed relinquitur æstimandum iuxta regulas distinctionis inter peccatum mortale & veniale tradendas in sequen. libro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT V.

De circunstantia Quid, *seu effectu.*

SVMMARIVM.

33 *D. Thomæ doctrina communiter recepta de nocumento aggrauante peccatum.*
34 *Nocumentum formaliter intentum auget peccatum, etiamsi illud ex hoc non sequatur reipsa.*
35 *Nocumentum interpretatiuè volitum auget peccatum: non volitum autem absolutè, nihil ad illud confert, nisi data sit illius causa, de se efficax.*
36 *Qualiter de grauitate peccati iudicari debeat ex nocumento secuto: & quomodo ipsum excusetur à pœna quoad Deum, non item quoad homines.*
37 *Triplex discrimen inter nocumentum sibi, & nocumentum alteri illatum.*
38 *Quando nocumentum nec præuisum nec intentum sibi illatum, perinde augeat peccatum ac illatum alteri.*

IN cap. 2. annotatum est, effectum peccati, circunstantiam *Quid*, constituentem, esse nocumentum, quòd consequitur perpetrationem peccati. De quo nocumento quatenus aggrauet ipsum peccatum: ita docetur ex D. Thoma 1.2. *quæst.*73.*art.*8.

*Nu.*33. Nocumentum quod consequitur ex perpetratione peccati: vel infertur ipsimet peccanti, vel alteri: atque si alteri, vel præuisum est & intentum formaliter: vt cùm quis perpetrat peccatum animo nocendi, velut is qui subripit artifici instrumenta suæ artis, cum intentione impediendi lucrum quod facit ex suo artificio; tuncque certum est pro quantitate nocumenti sequentis, augere grauitatem peccati. Cùm enim tunc ipsum quoque nocumẽtum voluntati directè obiiciatur; perinde ac aliud obiectum malum effundit suam malitiam in eiusdem voluntatis actũ. Vel est quidem formaliter præuisum, sed non nisi interpretatiuè intentum: vt illud quod quis scienter infert segetibus per eas transeundo: non quidem studio eis nocendi, sed vt commodiùs aliquem ex insidiis adoriatur & trucidet. Atque tunc quoque nocumenti quantitas auget peccatum: quatenus scilicet peccans, ex voluntatis inclinatione ad facinus meditatum, non omittit id facere vnde nouit sequi tale nocumentum. Vel denique nec præuisum est nec intentum: & tunc si per se ex peccato sequatur (sicut scandalum pusillorum sequitur ex flagitio publicè commisso, etiamsi committens nihil forte de tali damno cogiter) aggrauat ipsum peccatum: quia quęcumque per se consequuntur peccatum, censentur eâdem, quâ ipsum voluntate fieri, essęque volita in ipso tanquam in sua causa. Qua in re quatenus ignorantia excuser, disces ex tradendis in proxime sequenti lib. num. 75.

Si autem nocumentum ex peccato sequatur tantummodo per accidens, *scilicet perinde ac impactio in lapidem forte obuium, sequitur ex alicuius cursu*, non aggrauat illud, etiamsi homini propter negligentiam considerandi nocumenta, quæ poterant ex actione sua sequi, in pœnam imputentur mala ea, quæ præter intentionem ipsius eueniunt, cùm operam dat rei illicitæ: vt si emittens incautè sagittam occidat hominem, efficitur irregularis. De quo dicemus in seq. lib. 30. tract. 2. cap. 10.

Iam si nocumentum, quod ex peccato cõsequitur, inferatur ipsimet peccanti; vel illud neque præuisum est neque intentum: vel præuisum quidem, non tamen intentum. Atque si nec præuisum nec intentum, ex peccato consequatur tantùm per accidens, *vt fit cùm quis currens ad interficiendum alterum sibi forte frangit pedem*, non aggrauat peccatum ipsum: sicut neque aggrauaret si esset simili modo illatum alteri: sin autem consequatur per se, *sicut nocumentum pœnarum inferni consequitur ex quocumque peccato mortali*, nec etiam aggrauat: quia non ideo homicidium est peccatum grauius furto, quòd illud grauiori, pœna quàm hoc puniatur in inferno: sed potius quia homicidium est peccatum grauius, ideo grauioripœna, in inferno punitur: itaut grauitas nocumenti proueniat ex grauitate peccati: non autem hęc ex illa. Si verò præuisum quidem sit tale nocumentum, non tamen intentum: tunc aggrauat peccatum cùm per se ex eo sequitur: quia quo maiores quis pœnas contemnit, vt suam peruersam voluntatem impleat, eo sanè deprauatiore voluntate peccat. Vnde peccata Christianorum scientium illa adiunctum habere reatum pœnarum inferni, cæteris paribus grauiora sunt peccatis infidelium, qui id ignorant. Hæc ex D. Thomæ doctrina communiter recepta: quibus addendæ sunt aliquot obseruationes, secundùm quas eadem intelligi accipique debent.

Prima est: nocumentum quod quis peccando alteri inferre intendit formaliter, malitiam peccati augere etiamsi ipsum non sequatur de facto ex huius perpetratione: quia illud, ratione cuius nocumentum auget peccatum, non est absolutè, quòd ex hoc illud sequatur actu: vt hinc patet; quia si quis prius fecit quod in se erat vt nocumentum euitaret, & ipsum ex actione sua fortè subsequatur, nulla accrescit malitia. *Nu.*34.

Secunda est: nocumentum præuisum censeri interpretatiuè volitum, cùm quis tenetur, & potest adhibitâ sufficienti diligentiâ illud cauere, nec cauet: Censeri verò absolutè non volitum: cùm est inuincibiliter, vel probabiliter ignoratum: aut quando nulla omnino præcessit dubitandi ratio, aut notitia: qua induceretur animus ad existimandum tale ex tali actione libera secuturum; aut si ratio dubitandi præcessit, factâ diligenti examinatione, adhuc rationibus probabilibus apparuit non secuturum: aut certè si nocumentum ipsum præcognitum est quidem, sed agens non tenetur omittere actionem suam (sicut Dominus noster non omisit suam ob mala secutura ex malitia Iudæorum) ne illud ex ea sequatur. Non tenetur autem quãdo actio ipsa est alioqui bona, aut saltem non mala; atque necessitas vel vtilitas agenti permittit vti iure illo, quod habet eam exercendi. De qua permissione iudicandum est secundùm doctrinam de obligatione ad eleemosynam spiritalem, traditam in lib. 4. cap. 25. Porro quia peccatum abest, si desit voluntarium, certum est nocumentum absolutè non volitum, nihil ad peccatum conferre. *Nu.*35.

Tertia est: vt nocumentum tanquam per se consequens ex peccato, censeatur ipsum aggrauare, non esse necessarium vt sit illius causa efficax, id est, ex qua semper talis effectus necessariò sequatur: sed satis esse, vt causa sit sufficiens: sicut flagitium publicè perpetratum, causa est sufficiens scandali; quia quantumcumque nemo ex tali perpetratione scandalizaretur; esset tamen peccatum cæteris paribus grauius ratione scandali, *cuius dandi fuit causa sufficiens*, quàm fuisset, si ipsum occultè commissum esset.

Quarta est: in iudicio de grauitate peccati ex nocumento quod ex ipso sequitur; rationem habendam esse, non tantùm quantitatis nocumenti, sed etiam negligentiæ commissæ in eo cauendo; ac modi quo *Nu.*36.

di quo illatum est: ad iudicandum scilicet de data aut non data sufficienti causa. Aliter enim aggrauari peccatum, quando ex eo tanquam ex causa sufficienti: & aliter cum tanquam ex causa non sufficienti, nocumentum sequitur; argumento est, quòd peccatum, *etiamsi tantum veniale sit*, malum est maius quouis alio nocumento, ex communi Theologorum & Canonistarum sententia, *teste Nauarr. in Enchir. cap. 22. num. 51. vers. 4.* Nec tamen alium induxisse ad venialiter peccandum, *vt nec venialiter peccasse*, aggrauet in infinitum: cùm tamen nocumentum decem nummorum aureorum aggrauet in infinitum. Cuius rei ratio est, quòd ex cap. Non est 15. quæst. 1. nemo possit esse causa sufficiens peccati alterius, cùm quisque sua sponte peccet: posset autẽ esse causa sufficiens, vt alter iacturam faciat 10. nummorum aureorum.

Quinta est: nocumentum quod per accidens ex peccato sequitur, si nec præuisum nec intentum sit, sicut non imputatur ad culpam (quo nomine dictum est à D. Thoma non aggrauare peccatum) ita nec imputari ad pœnam apud Deum: etiamsi apud homines interdum iustè puniatur is à quo illatum est: quia sæpe culpa in humano iudicio iustè præsumitur, quamdiu aliud palam non probatur.

*Nu.*37. Postrema est: triplex cerni discrimen inter nocumentum sibi, & nocumentum alteri illatum. Primum est: quòd detur nocumentum sibi illatum, consequens per se ex peccato, tanquam ex causa sufficiẽti, quod non potest facilè à peccante præuideri: vt patet de pœnis inferni, quas infideles peccantes ignorant: nullum autem detur nocumentum alteri illatum, quod ex peccato inferentis sequatur per se, tanquam ex causa sufficienti: quin simul possit cum peccato ipso facilè præuideri.

Secundum discrimen est, quòd cùm vix quisquam soleat esse negligens in procurando commodo vel in fugiendo incommodo proprio, iuxta illud ad Ephes. 5. Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam:] nocumentum proprium censeatur omnino euenire præter intentionem. Cùm verò sæpe soleat homo negligens esse in cauendis alienis damnis, nocumentum alienum censeatur interpretatiuè intentum. Tertium discrimen est, quòd bonorum nostrorum, in quibus nobisipsis nocemus, sæpe domini simus; non item bonorum alterius, in quibus ei nocemus. Quæ discrimina occasionem dederunt D. Thomæ, diuersum statuendi de nocumento dato alteri, & de nocumento sibiipsi illato: nimirum illud, etiamsi præuisum non sit nec intentum, aggrauare peccatum illud ex quo per se consequitur: illatum autem sibi, si nec præuisum nec intentum fuerit, non aggrauare peccatum, ex quo per se consequitur.

*Nu.*38. Aduerte autẽ interdũ hęc discrimina cessare: vt cùm nocumentum proprium potuit facilè præuideri, interuenitque negligentia in eo cauendo, quæ solet in cauendo alieno: ipsumque illatũ est in bonis quorum non sumus domini: nempe in vita, sanitate, autid genus aliis. Quod quando contingit, tunc nocumẽtum sibi, perinde ac alteri illatum etiam non præuisum, nec intentum aggrauat peccatum illud, ex quo per se consequitur. Hinc enim gulosus comedendo cibos, ex quibus sanitati suæ plurimum nocumenti adfert: & in dignitate constitutus committendo peccatum ex quo sequitur infamia ipsius, peccant grauiùs quàm si talia nocumenta non sequerentur peccata ipsorum: quia vterque eorum facilè potuit tale detrimentum præuidere: & perinde neglexit cauere, ac si alteri inferendum fuerit: sibique nocuit in re cuius non erat dominus: siquidem sanitas & excellẽtia cui honor debetur sunt Dei dona, quibus homines non permittuntur abuti pro animi libidine.

Cæterùm quòd circunstantia *quid*, sit de iis quæ mutãt speciem, ideo dici potest; quòd peccato cuius est effectus, sæpe addat malitiam lætionis charitatis, & sæpe etiam violationis iustitiæ.

CAPVT VI.

De circunstantia Vbi, *seu loci.*

SVMMARIVM.

39 *Circunstantia loci, quædam est loci sacri, quædam loci publici, & quis dicatur locus sacer.*
40 *Ratio cognoscendi in dubio, num locus sit sacer, an profanus.*
41 *Cur circunstantia loci sacri aggrauet peccatum mutando speciem.*
42 *Quando contingat talis aggrauatio.*
43 *Cùm talis non contingit, non deest alia, saltem venialis.*
44 *De aggrauatione peccati ex circunstantia loci iudicandum non esse ex causa, sed ex effectu, declaratur exemplo.*
45 *Aggrauatio peccati ex circunstantia loci publici.*

LOCVS, sicut alia quæ actum humanum circunstant, aggrauat peccatum secundùm conditiones ipsius, ex quibus habet vt magis rectæ rationi repugnet, ipsum ibi quàm alibi perpetratum esse: inter quas conditiones duæ præcipuè sunt, quæ aggrauant mutando speciem. Altera est, quòd locus sit sacer, ex cuius violatione sacrilegium nascitur; altera quòd locus sit publicus, ex qua scandalum oritur. *Nu.*39.

De priori autem notandum est primò, per locum sacrum seu religiosum, *ex Syluestro in verbo Loca, num.* 6. significari illum qui authoritate Papæ vel Episcopi, ad cultum diuinum deputatus est, iuxta illud quod habetur in cap. Adhæc, De religiosis domibus: Religiosum locum esse, authoritate Episcopi, etiam ad vsum hospitalitatis, deputatum. Vnde argumento à maiori infert Syluester, nomine locorum religiosocomprehendi templa, sacella, monasteria, etiam, *vt ille addit num.* 8. nondum consecrata, & in quibus nondum sunt diuina mysteria celebrata; dummodo fuerint deputata diuino cultui, authoritate Pontificis primarium lapidem per se vel per alium imponentis: comprehendi quoque cæmeteria in præced. numero 2. expressit; & numero 3. Oratorium constitutum authoritate Episcopi, perinde comprehendi ac hospitale.

Quando verò dubium fuerit de Oratorio, vel Hospitali, an sit locus sacer seu authoritate Episcopi fũdatus, idem author numero 4. & 5. admonet recurrendum esse ad præsumptiones ex circunstantiis talis loci: quarum aliæ possunt esse loci profani, & aliæ loci sacri. Illas autem ponit: esse Oratorium, vel habere Oratorium ædificatum in formam Ecclesiæ, in qua sit campanile erectum supra tectum: & campana, qua ibi pulsetur cùm celebratur: & altare in forma lapidea, hoc est, fixum: prout habere solent Ecclesię, & in quo publicè celebratio fiat. Has vero ponit; non habere cœmeterium vel signum sepulturæ: institutionem illius, & dationem fieri per laicos, non requisita authoritate Diœcesani: ex bonis illius, collectas solui communitati laicorum: regi per laicos: non habere campanile, vel campanam supra tectum. Itaque ex circunstantiis loci sacri, præsumetur lo- *Nu.*40.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cus sacer,& ex circunstantiis loci profani, præsumetur profanus. Quod si in idem concurrant aliquæ circunstantiæ loci sacri,& aliquæ loci prophani, ex potiorib. ferendum est iudicium : vt hospitale, non debet ex eo solo censeri locus prophanus,quòd non habeat campanile supra tectum, vel habeat nomen alicuius laici,non alicuius Sancti:vel quod per laicos administretur in temporalibus ; si cum talibus, diuinum officium ibi horis constitutis fiat per Clericos, ac Missæ ordinariæ celebrentur. Hæc Sylvester ex Archid. Aduerte autem obiter de monasterio, quòd ista ratione sacer sit, intelligi tantùm quoad partes eius,quibus prædictæ conditiones loci sacri conueniunt : vt satis indicatum est à Nauarr. *in Enchir. cap. 16. num. 3. sub finem*,cùm resoluit peccatum in dormitorio illius commissum, nõ esse perinde sacrilegium, ac esset commissum in Ecclesia aut in cœmeterio.

Nu.41. Notandũ est secundò:conditionem loci sacri propterea aggrauare peccatum mutando speciem,quòd peccare in loco sacro, specialem habeat repugnantiam cum recta ratione dictante,loca sacra non esse contaminanda,sed cultu debito prosequenda. Cùm enim ex primo Decalogi præcepto debeamus vnum Deum colere:consequenter debemus & loca ei dicata,iuxta illud Matthæi 23. Quicumque iurauerit in templo,iurat in illo,& in eo qui habitat in ipso.] & cap.21.Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.]

Nu.42. Notandum est tertiò, quod ex Caiet. ad 1. 2. & tomo 1.opusc. *illic quæst.7.art.1.& hic tract.* 31. *respon.* 12. admittit Nauarr.ad princip.cap.Consideret. De pœnit.distinct.5.num. 20. non omnia peccata in loco sacro commissa inducere nouam speciem ex circunstantia loci:sed solùm ea quæ directè opponuntur sanctitati aut immunitati eius,ad quod locus est sanctificatus aut factus immunis : nempe, *vt ipse Caiet.interpretatur*, quæ sunt contra sepulturam,vel contra diuinum cultum, vel contra libertatem confugientium ad illum,atque depositarum ibi rerum : sicut censetur esse, tum criminosa humani sanguinis vel humani seminis effusio ; tum fornicatio, tum sepultura excommunicati non tolerati,aut infidelis: quib. sacer locus, *prout Nauarr.explicat in Enchir.cap. 27.num.251.& seq.* polluitur:& consequenter cultus diuinus,ad quem deputatus fuit,impeditur : ex cap. Ecclesiis, De consecr. distinct. 1. & cap. Proposuisti De consecr. Ecclesiæ. & cap. vnico eod.titul.in 6.

Censentur præterea, tum fori cuiuscumque tumultus,& fœcularium iudiciorum strepitus : in cap. Decet De immunitate Ecclesiarum in 6. ibi fieri seuere prohibiti ; tum etiam mercatus aliáque profana clamorosa, quæ de se impediunt cultum diuinum. Censetur quoque furtum in tali loco commissũm, non modo rei sacræ : sed etiam non sacræ ex cap. Quisquis 17.quæst.4. Quod intellige, dummodo securitatis causâ ibi deposita sit,vt tuta esset ob reuerẽtiam loci sacri, cui Deus præsidet. Nam si non ob eam causam sit ibi posita, non videtur mortale sacrilegium committi potius per tale furtum, quàm per aliud mortale peccatum:quia non habet peculiarem repugnantiam cum loci sacri sanctitate: sed solùm generalem,sicut omnia alia peccata mortalia.

Censetur porrò extractio eius qui confugit ad Ecclesiam,prohibita per cap. Inter alia De immunitate Ecclesiarum,& per legem Præsenti Cod. De iis qui ad Ecclesiam confugiunt.De qua re plurib.Sylvest.*in verbo Immunitas per totum*:qui legendus est : vt & Nauarr. *in Enchir.cap. 25. num. 17. & aliquot sequentibus.* Quinimo vt idem Sylvester notat, *in verbo Circunstantia num. 4.* ex hac circunstantia loci sacri quidam actus sunt peccata, qui aliàs non essent : vt si Iudex forenses strepitus exerceat, aut suspendi furem, aut proditorem capite plecti faciat in Ecclesia:aut si vir vxori reddat ibi coniugale debitum ; nisi necessitas vitandi euidens periculum animę alterutrius coniugum, tale quid exigat : prout habet idem author in verbo Debitum coniugale, num.5.

Notandum est quartò, ex ea Caietani doctrina in- Nu.43.
telligi illud,quod Nauarr.consequenter attigit ad citatum princip.cap.Considereret, blasphemiam, periurium,inuidiam,aliáque peccata similia,*quæ scilicet cum loco sacro non habent ante memoratam peculiarem repugnantiam*, facta in Ecclesia non accipere sacrilegij speciem, de necessitate confitendam:*dummodo facta non sint in contemptum loci sacri* : sicut nec accipiunt ex eo,quòd sint facta in Dei præsentia Ea tamen veniáliter saltem aggrauari ex ipsa circunstantia loci sacri; etiam commissa tantùm voluntate, vt argumento à minori ad maius colligi potest ex eo, quòd Dominus noster Matth.21. Mar.11. Luc.19. e templo eiecerit vendentes & ementes:sicut Beda tomo 7. *in posteriore homil. Quadragesimali feria 3.post 1. Dominicã* colligit his verbis:Si Dominus nec ea volebat venũdari in templo quæ volebat offerri ; videlicet propter studium auaritiæ,siue fraudis, quod proprium solet esse negotiantium facinus:quanta putas animaduersione puniret, si ibi inuenisset aliquos risui vel vaniloquio vacantes,aut alij cuilibet vitio mancipatos. Si enim ea,quæ alibi libere geri poterant, dominus in domo sua geri non patitur:quantò magis ea, quæ nusquam fieri licet,plus cælestis iræ merentur, si in ædibus Deo sacratis agantur?

Notandum est quintò, Fumum *in Armilla, verbo* Nu. 44.
*Immunitas num.23.*ex proposita Domini,authoritate, cum Caiet. damnare peccati mortalis eos, qui in fixo certóque loco templi sedentes, exponunt imagines & candelas venales. Sed cum Angelo in verbo Immunitas num. 9. contrarium teneri posse : dato quòd absit scandalum,nec per strepitum impediatur diuinum officium;præsertim si tales personæ à Pastoribus vel Theologis non moueantur de aliquo præcepto,per quod tale quid sit illicitum,sed sinantur id agere.

Notandum est postremò,quod in loco cit. attigit Nauarr. ista quæ dicuntur de aggrauatione peccati ex circunstantia loci sacri mutando speciem, non esse spectanda ex parte causæ efficientis, sed ex parte effectus:itaut ille qui in Ecclesia proponit occidere hominem extra Ecclesiam, non committat peccatum diuersæ speciei ab eo quod committeret idem proponendo extra Ecclesiam. Is verò qui extra Ecclesiam proponit hominem occidere in Ecclesia,peccet peccato & homicidij & sacrilegij.

De posteriore conditione, *loci inquam publici*, ad ea Nu.46.
quæ in præced.cap.4. annotata sunt de scandalo,tantùm addendum est peccatum cęteris paribus grauius esse ex eo,quòd fiat in publico aut coram pluribus, probari per cap. Nemo,32.quæst. 4. Cùm culpa dicitur tolerabilior esse si lateat:id est, *vt glosa ad verbum tolerabilior, interpretatur*, maius peccatum esse peccare manifestè quàm occultè.Sic enim,*vt D.Thomas habet 1.2.quæst.73. art.* 8. qui publicè fornicatur, plus peccat propter plurimorum scandalum, etiamsi hoc neque intenderit,neque præuiderit.Cui scandalo aggrauanti,obnoxij quidem sunt omnes peccantes publicè; cùm sicut ex vna oue morbida grex vniuersus inficitur, ita etiam vno fornicante vel aliud quodcumque scelus committente,plebs vniuersa polluatur;ex cap. Sed illud distinct.45. maximè tamen Prælati, qui tot mortibus digni sunt, quot perditionis exempla transmittunt, ex cap. Præcipuè,11. quæst. 3.

CAP.

CAPVT VII.

De circunstantia Quibus auxiliis, *seu causæ instrumentalis;& Cur, seu causæ finalis.*

SVMMARIVM.

46 *Ex circunstantia* Quibus auxiliis,*augetur peccatum, tum per modum scandali, tum per modum, iniustitiæ:& quo modo.*

47 *Circunstantia mali finis auget peccatum mutando speciem, & circunstantia boni finis illud minuit.*

48 *Quomodo sit accipienda talis diminutio, & quid ex ea sit consequens.*

49 *Ad circunstantiam finis,reducitur aggrauatio peccati per affectum inordinatum quo perpetratur.*

Nu.46. RATIONE instrumentorum, seu adiumentorum quibus vtitur quis in peccando,peccatum ipsius nunquam aggrauatur, nisi per modum scandali, aut per modum iniustitiæ. Ac per modum scandali aggrauatur, cùm adiumenta ipsa inducunt alios ad peccandum ; vt cùm fidelis per infideles vexat fideles : tunc enim inducuntur alij ad blasphemandam & contemnendam religionem Christianam.Item cùm per aliquos, aut cum aliquibus, peccat quis:quia tunc vel vtitur auxilio, quod ei præstando alter peccat, vel ipse præstat auxilium alteri ad actionẽ peccaminosam, quam is sine ipso non exerceret : quod vtrumque includit inductionem alterius ad peccandum, vt quoddam scandalum actiuum.

Per modum autem iniustitiæ,ratione adiumentorum peccando,aggrauatur peccatum,quãdo aliquis, aut violenter cogit alterum ad ferendum sibi auxilium in perpetratione alicuius peccati:vt ad occidẽdum hominem, vel aliud scelus committendum:aut exercet peccatum suum,inferendo vim alteri. Vnde idipsum peccatum habere,vt cæteris paribus sit grauius, patet ex rapina quæ de se, *propter apertam scilicet violentiam quam includit*, grauior est *ex cap. Pœnale 14.quæst.5.* quàm furtum, quo res aliena occultè aufertur. Patet item ex eo,quòd cæteris paribus grauius peccatum sit tentasse minis pudicitiam mulieris,quàm solis blanditiis:siquidem hic non nisi contra castitatem, & illic contra castitatem simul & iustitiam peccatur.Quando autem hoc augmentum sit intra eamdem speciem,&quando mutando speciem, non est difficile statuere ex distinctione scandali & iniustitiæ à reliquis peccatis. Nec plura de circunstantia causæ instrumentalis occurrunt dicenda.

Nu. 47. De circunstantia finis verò, quam particula *Cur*, denotat,quæ tradenda viderentur satis intelliguntur ex iam dictis,tum in præced. cap. 2. tum maximè in toto lib.12. Quibus solùm addendum est paucis;circunstantiam mali finis augere peccatum mutando speciem : quia vt obiectum, sic & finis speciem bonitatis vel malitiæ tribuit actui humano, *ex D.Thoma in 1.2.quæst.18.articul.* 6. eámque diuersam ab illa quam accipit ex obiecto, prout idem in seq. art. 7.ex eo confirmat,quòd actus,qui vnius eiusdémque speciei est ex parte obiecti,ordinari possit ad infinitos fines:qui nati sunt,suâ malitiâ actum voluntatis inficere,illique suam peccati,speciem tribuere.

Circunstantiam verò boni finis, minuere peccatũ, iuxta illud quod in cap.Primũ est 22.quæst.2.statuitur Mendacium quod nulli obest & prodest alicui: vt mendacium eius qui mentitur nolens prodere aliquem ad mortem ab hoste quæsitum, minus malum esse eo mendacio,quod committitur sola mentiendi fallendique libidine. Item iuxta illud quod in cap. Mihi autem,cad. quæst.dicitur:non ita peccare, qui consulendi, quo modo illum qui voluntate nocendi mentitur. Neque est quod opponas ex cap. Fortè 14. quæst. 5. eum qui furatur à diuitibus vt tribuat pauperibus,non modo peccare:sed etiam totum tribuendo pauperibus quod abstulerat, addere potius peccatum quàm minuere. Nam inde tantùm sequitur : quia peccatum est, res alienas furto ablatas in eleemosynam largiri ; plus largiendo non minui,sed potius augeri tale peccatum:non quidem ex circunstantia finis,sed ex circunstantia obiecti, hoc est, ex maiore quantitate rei alienæ.

Cæterùm diminutio prædicta non est ita accipiẽ- Nu. 48.
da,quasi actus ex obiecto suo malus,propter bonum finem in quem dirigitur ab agente,admixtam habeat suæ malitiæ aliquam bonitatem : nullo modo enim se in eodem actu simul patiuntur bonitas & malitia moralis:sed quòd in eo exercendo, voluntas cæteris paribus minùs deprauatè se gerat, dum facit quidem malam electionem,sed bona intentione Quibus cõgruenter duo occurrunt notanda:alterum est, quando bona intentione aliquis eligit quod malum est, inuincibiliter ignorans malum esse, *vt accidit ei qui dicitur habere zelum,sed non secundum scientiam* : illius electionem, etiamsi per ignorantiam inuincibilem excusetur à peccato:in numero tamen actuum moraliter bonorum non poni per aliquam bonitatem quam accipiat ex fine, in quem ab agente dirigitur. Alterum est,cùm boni finis, intentio mala est vt accidit,prout expositum est in lib.12. *sub finem tertij cap.* quando ea talis est,vt voluntatem moueat ad malam electionem : sicut ea, qua quis ad vitam præsentem ita afficitur, vt inde moueatur ad negandam fidem Catholicam:tunc ex ipso bono fine peccatum non minui,sed potius augeri:quia prouenit ex voluntate, tum affecta ad malum,tum malè affecta ad bonum: dum nimirum istud amat aliter,quàm par est. Vnde amorem ipsum contrahere malitiam, patet ex cap. Origo.32.quæst.4.

Ad istius generis circunstantiam referri potest ag- Nu. 49.
grauatio peccatorum, prouenies ex aliquo inordinato,atqueadeo vitioso affectu : vt ex inordinato amore honoris, qui superbia : ex inordinato amore diuitiarum,qui auaritia : ex inordinato affectu vindictæ,qui peccatum iræ dicitur:aut ex odio Dei vel proximi:ex quibus & aliis id genus affectibus peccatum commissum, *vt verbi gratia homicidium*,aggrauatur noua specie peccati:siue superbiæ siue alterius in qua constituitur inordinatus ille affectus, à quo,*tanquam ab intentione finis*, agens mouetur ad perpetrandum tale peccatum.

CAPVT VIII.

De circunstantia Quomodo, *seu modi agendi.*

SVMMARIVM.

50 *Aggrauatio peccati per intensionem voluntatis peccandi in peccante.*

51 *Per continuationem peccatum aggrauari, & quòd ea aggrauatio sit intra eamdem speciem.*

52 *Aggrauari item peccatum iteratione, seu relapsu in idem.*

53 *Peccatum censetur continuatum, si continuetur actio exterior:etiamsi cesset interior voluntas,nisi id fieret per*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel per expressam mutationem intentionis.

54 *Est etiam vnum numero peccatum, perseuerante prauâ voluntate, quamuis externæ actiones, quæ ad illam implendam exercentur, sint interruptæ.*

55 *Actiones quæ ad aliquod peccatum ordinantur, tanquam viæ ad illud, idem numero peccatum cum illo constituere censentur.*

IRcunstantiam modi quo quis peccat, non num: quam augere peccatum ipsius, *raro tamen mutando speciem*, Nauar. admonet ad princip. cap. Consideret, De pœniten. dist. 5. num. 81. Modi verò aggrauant de peccatum intra eamdem speciem, sunt præcipuè intensio, atque extensio: tum continua, *quæ dicitur continuatio peccati*: tum discreta, *quæ vocatur iteratio peccati.*

Nu. 50. De intensione autem, obseruandum est: eam aggrauare peccatum intra eamdem speciem, quia est ipsamet peccati grauitas, in qua producitur à voluntate, quæ est ipsius causa efficiens proxima: & ad quam comparatur sicut fructus ad arborem: ex glosa ad illud D. Matth. 7. Non potest arbor bona fructus malos facere.] Obseruandum est secundò, eam intensionem à voluntate pendere ratione libertatis, & propensionis quâ ipsa agit. Nam quò pleniore libertate peccarum perpetratur, eò ipsum grauius esse censetur: vnde quia infirmitas, siue animi, id est, ignorantia; siue corporis, id est, perturbatio, *præsertim concupiscentia, & metus*, minuunt liberum in actu voluntatis, minuunt quoque peccatum, vt D. Thomas expressit 1.2. *quæst.* 73. *art.* 6. & pluribus expositum est à nobis in cap. 7. & 8. libri 11. præcedentis. Similiter, *vt ibidem habet quoque D. Thomas*, quanto maior fuerit propensio voluntatis ad peccandum, tanto grauius peccatum committitur.

Nu. 51. De continuatione verò seu extensione continua: quòd ipsa aggrauet peccatum; glosa ad memoratum cap. Consideret, *verbo Perseuerauit*, colligit ex illis verbis eiusdem capituli. Quantum perseuerauerit, & doleat quod perseueranter peccauit. Confirmátque per cap. Schisma 24. quæst. 1. cuius verba sunt: Nec leuigat crimen eorum; magis verò auget, quòd eos diu restitisse dixistis, ne Apostolicis sedibus communicantes, in sua communione reciperent. Confirmari quoque, & apertius potest ex cap. vlt. De consuet. vbi dicitur: tantò esse grauiora peccata, quantò diutius infœlicem animam detinent alligatam. Quocirca Panormit. ad cap. Cùm haberet. De eo qui duxit in matrimonium, &c. num. 4. illud quod ex eodem cap. apertè deducitur: nimirum diuturnitatem in peccato non minuere ipsum, sed augere: vult sic esse verum, vt quoad Deum & forum animæ diuturnitas temporis augeat peccatum, etiamsi non sit iteratione multiplicatum: quia peccator non pœnitendo, videtur contempsisse diuinum iudicium, & præceptum Ecclesiæ. Quod Panorm. dictum, Nauar. loco citato num. 122. approbans, infert magis peccare eum, qui voluntatem peccandi sine interruptione per horam cótinuauit, quàm qui per dimidiam horam: & qui vt alium occideret, huc illúcque sine intermissione obambulauit captando occasionem, & tandem occidit, quàm eum qui momento temporis & voluit occidere, & occidit. Talem verò aggrauationem fieri intra eamdem speciem patet, quia non importat specialem repugnantiam cum recta ratione, distinctam ab ea, quæ est ipsius peccati propria.

Nu. 52. De iteratione demũ seu extensione discreta; quòd ea etiam aggrauet peccatum, manifestum est. Nam secundùm eam, sicut secundùm continuationem, spectatur perseuerantia in peccato: quę, vt ante habitum est, ipsum aggrauat. Neque quòd pœnitentia de priori peccato, posterioris perpetrationem fortè antecesserit, ideo istiusmodi aggrauationem cessare, indicat illa verba Domini Matth. 12. Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, &c. tunc vadit, & assúmit septem alios spiritus secum nequiores se, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.] Quod etiam confirmat D. Thomas 3. *par. quæst.* 88. *art. primo*, quia homo secundò peccans, ex hoc grauiùs peccare videtur, quàm peccauerat priùs, quòd ab eo contemnatur Dei bonitas, quæ ipsum ad pœnitentiam expectare, & admittere dignata est. Inde enim aggrauari peccatũ satis indicat illud Apostoli ad Rom. 2. Secundùm diritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ iusti iudicij Dei.] Tanto autem magis contemnitur Dei bonitas, si peccatum post ipsius remissionem subinde iteretur, quanto maius beneficium est remittere peccatum, quam sustinere peccatorem. Ita D. Thomas. Ad quod faciunt antedicta num. trigesimo primo.

Porro licet inter continuationem & iterationem, istud maximè discrimen cernatur; quòd hæc sit perseuerantia in peccato cum interruptione, & illa sine interruptione; tamen ex Nauar. *ad cit. princip. cap. Consideret num.* 48. *& in Enchir. cap.* 6. *num.* 16. perseuerantia cum intestruptione censetur potius peccarum continuatum quàm iteratum in tribus casibus.

Primus est, quando exteriore operatione perseue- *Nu.* 53.
rante interior voluntas à qua procedit, & quæ per ipsam impletur, frequenter ex naturali obliuione interrumpitur, ac deinde repetitur: vt cùm quis vadens occisum aliquem, toto die ambulat. Nam is etiamsi cogitationem & voluntatem de occidendo sæpe ex naturali obliuione interrumpat, ac renouet: tamen vnum numero peccatum committit; etsi eo grauius, quo sæpius firmatum voluntate; ex Caietan. *in tomo 1. opusc. tract.* 31. *quæst.* 15. quia interruptio & renouatio illa contingit, non interrupta operatione externa, in qua tanquam in suo effectu, primus ille actus voluntatis cessans, perseuerat virtute. Secus esset autem, si cessaret per mutationem expressam intentionis: vt in eo qui pœnitens prępositi, ab alio persuasus, illud resumit denuo. Nec enim istud posterius cum illo priori continuatur, sed diuersum numero peccatum constituit, vt notat idem Nauar. in citato nu. 48.

Secundus casus est, quando durante eodem inte- *Nu.* 54.
riori voluntatis actu, opus externum ab ipso procedens, & quo adimpletur eadem voluntas, constat actibus interruptis. Licet enim diuersi sint in genere naturæ; tamen in genere morum, vnum numero peccatum constituunt, per ordinem ad vnam numero voluntatem ad quam implendam exercentur: sicut ligna & lapides, ac cætera eiusmodi, quæ res sunt diuersæ in genere naturæ, constituunt vnam numero domum in genere artificij, per ordinem ad vnam structuram habitationi hominum accommodatam constituendam. Ad quem casum illustrandum Nauar. sumit exemplum ex cap. Cùm pro causa, De sententia excomm. de eo qui verberauit Clericum in dormitorio, & postea eumdem verberando traxit per claustrum: qui quamuis dum verberando traheret, pluries percusserit, semel tamen incurrit in excommunicationem, quasi semel tantùm percussisset.

Tertius casus est: quando interrupti actus sunt *Nu.* 55.
tantùm vię ad aliquod peccatum vnum numero: nec aliam malitiam habent, quàm ab illo deriuatam, tanquam à fine in quem ordinantur sicut media destinata ad illud consummandum. Exemplum est de eo qui volens aliquem occidere, accipit arma, conscendit equum, famulos ad perpetrandum facinus iam paratos, conuocat, longum iter facit, & tandem occidit. Hæc enim omnia in genere morum mala sunt

sunt per vnam numero malitiam iniustæ occisionis, in quam cætera illa ordinantur, & ideo constituunt vnum numero peccatum homicidij: eriamsi in genere naturæ sint diuersæ, nec continuatæ actiones.

Cæterùm dubitari non potest, quin hic modus aggrauationis peccati, sit intra eamdem speciem perinde ac præcedens, cùm sit ipsa eiusdem peccati iteratio. An autem vtraque talis aggrauatio possit fieri in infinitum, ita scilicet vt de veniali per continuationem aut iterationem, fiat tandem mortale; differendum est in sequentem librum vbi id in cap. vltimo explicabitur.

CAPVT IX.

De circunstantia Quando, *seu temporis.*

SVMMARIVM.

56 *Conditio constituens circunstantiam* Quando.
57 *Peccatum commissum ex contemptu temporis sacri, inde aggrauatur, mutando speciem.*
58 *Circunstantia temporis tunc aggrauat peccatum mutando speciem: cùm id committitur, quod in eo fieri prohibitum est speciali præcepto.*
59 *Immo aggrauat quodcumque peccatum in eo commissum.*
60 *Controuersia, An talis aggrauatio sit in infinitum mutando speciem.*
61 *Ratio difficultatis.*
62 *Pars negans probabilior esse ostenditur.*
63 *Opus seruile, nec vt prohibitum in veteri lege, nec proprie sumptum, sic extenditur sua significatione, vt complectatur peccatum.*
64 *Præceptum de obseruatione diei festi, non iniungit animæ sanctificationem, sed ad eam vt ad finem instituitur.*

Nu. 56. VNA præcipuè est temporis conditio ex qua peccatum in eo commissum aggrauari censetur; nempe ipsum esse sacrum, seu destinatum cultui diuino, sicut sunt dies festi: in quibus ex speciali Ecclesiæ præcepto tenemur tum ab omni opere seruili abstinere, ex cap. Licet De feriis: tum Missam audire ex cap. Missas, De consecr. distinct. 1. Sunt etiam tempora in quibus ab Ecclesia ieiunium indicitur, vt Quadragesima de consecr. distinct. 5. cap. Quadragesima: & quatuor tempora distinct. 76. per plures Canones; itémque vigiliæ quarumdam solemnitatum per cap. 1. & 2. De obseruatione ieiuniorum.

Nu. 57. Cæterùm tria in hac re sunt certa. Primum est: omne peccatum in die festo vel deputato orationi, factum in contemptum temporis sacri, inde aggrauari mutando speciem. Ratio est, quia tunc peccato additur contemptus, qui dicitur positiuus & actualis, habens, *vt in sequen. lib. exponetur*, specialem & à cæteris distinctam peccati rationem. Sicque intelligi potest quod Nauar. docet *ad idem princip. cap. Consideret, num.* 33. Si quis die festo vel deputato orationi aut ieiunio mortaliter peccet, cum intentione ac proposito violandi festum, vel frangendi ieiunium vel orationem cui tale tempus deputatur reddendi mutilem: peccatum ipsius in aliam speciem transferri.

Nu. 58. Alterum est (*quod Syluester insinuat in verbo Circunstantia quæst. vltima*) illud peccatum ex circunstantia temporis augeri mutando speciem, cuius materiale ex tempore in quo perpetratur, repugnantiam habet cum aliquo speciali præcepto: vt in die festo euertere domum inimici, vel metere ipsius segetes furandi causa. Nam hæc peccata contra iustitiam commissa, pro materiali habent opus seruile, quod speciali Ecclesiæ præcepto prohibetur fieri in die festo. Idem est iudicium de peccato gulę in esu immoderato carnium die ieiunij: & de voluntaria, cogitatione vel confabulatione turpi, qua quis occupatus tempore Missæ, omittit attentionem & eleuationem mentis ad Deum, quam id tempus exigit.

Postremum est, *quod loco cit. Nauar. expressit*: pecca- *Nu.* 59.
tum commissum in die festo, vel deputato orationi, aut ieiunio, cæteris paribus esse grauius ex circunstantia temporis, propter quandam irreuerentiam. Id quod indicatur in eod. cap. Consideret cùm inter conditiones aggrauantes fornicationem, de quibus fornicantem pœnitere oporter, ponitur; si turpitudinem suam peregit tempore orationi constituto, aut in festiuitate Sanctorum aut in tempore ieiunij.

In controuersia autem versatur; Num istius gene- *Nu.* 60.
ris aggrauatio sit in infinitum mutando speciem: ita ut omnis ille qui peccat mortaliter in die sacro, duplex peccatum mortale committat, quorum vnum ex obiecto, & alterum ex ea de qua agimus temporis sacri circunstantiâ, contrahatur. Quam controuersiam fusiùs tractat Nau. ad princip. cit. cap. Consideret num. 21. & aliquot sequen. Itémque Franciscus Suarez in primo volumine operis de religione lib. 2. cap. 18. Corduben. in lib. 1. quæstionarij quæst. 6. vbi sequitur sententiam Alexandri Halensis & aliquot aliorum quos commemorat, *& post ipsum Suarez*, existimantium circunstantiam temporis sacri, peccatum in ipso commissum, aggrauare mutando speciem, Nauar. verò, *tum loco cit. tum etiam in Enchir. cap. 6. nu. 9.* contrariam sententiam amplectitur, sicut faciunt communiter recentiores cum Caiet. & Syluest. locis ab ipso Nauart. in Enchir. citatis: & adhuc quoad Caiet. in tomo primo opusc. tract. 18. quæst. 3. & quoad Syluestrum in verbo Confessio 1. quæst. 10. Item cum Soto lib. 2. De iust. & iure quæst. 4. art. 4. & Cano in Relect. De pœnitentia parte, sexta. Tabiena in verbo Circunstantia num. 11. Couat. ad cap. Alma mater 1. par. §. quinto num. 3.

Ratio autem difficultatis tota in hoc consistit, *Nu.* 61.
quòd speciali præcepto prohibeamur opus seruile facere in die festo; opúsque seruile dici possit non tantùm de mechanico, verumetiam de peccato: quod facere, seruorum esse constat per illud Ioan. 8. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Corduben sis ergo cum illis quos sequitur, nomine operis seruilis præter opus mechanicum, siue, *vt ille habet ex Abulensi*, præter operationem laboriosam executiuæ facultatis corporeæ, vult in ea prohibitione comprehendi peccatum: itaut tam hoc, quàm illud faciendo, violetur præceptum speciale de sanctificatione diei festi. Nauar. verò & cæteri negantes peccatum illo nomine comprehendi, pariter negant prædicti præcepti transgressionem, peccatum in die festo perpetratum aggrauari mortaliter speciem mutando.

Quæquidem sententia probabilior est: quia præ- *Nu.* 62.
ceptum de abstinendo ab opere seruili in die festo non est Christianis datum tam arctum, quàm datum fuit Iudæis, vt D. Thomas 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. *ad* 4. confirmat. Tum ex eo quòd nobis quædam liceant die festo quæ illis non licebant: vt cibos parare, iter facere, & quædam alia. Tum quòd in iis quæ die festo non licent, prohibitáque sunt, facilius propter necessitatem nobis cum dispensetur, quàm fuerit dispensatum cum illis. Et hoc, quia dies festus illis fuit figura futurorum: nobis verò non est. Atque figuram, *eoquod pertineat ad protestationem veritatis*, ne quidem in modico præterire oporteat. Iam verò Iudæis per

præce

Universidad de Deusto
Biblioteca

præceptum de abstinendo ab opere seruili, fuisse tantùm prohibitum opus externum, manifestum est ex cap. 20. Exodi, cùm dicitur: Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem die Sabbathum Domini est. Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus: filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Hæc enim verba, quæ penè eadem repetuntur in Deut. cap. 5. apertè indicant illa sola opera fuisse Iudæis prohibita in die festo, quę aliis diebus facere licebat.

Cùm ergo numquam liceat facere peccatum mortale; cap. Itáne 32. quæst. 5. sanè sub nomine operis quod speciali præcepto Iudæi prohibebantur in die festo facere, non comprehenditur; sed solum opus externum laboriosum: quod patri cum filiis, domino cum seruis, atque adeò cum iuuento commune est. Deinde in præceptis moralibus voces sunt accipiendæ in proprio sensu: maximè quãdo præceptum est pœnale: siquidem eæ pœnæ proprium casum non excedunt. ex cap. Pœnæ, De pœniten. distinct. 1. pœnaléque esse præceptum de non faciendo opere simili in die festo Nauar. *ad idem princip. cap. Consideret, num* 24. confirmat ex eo, quòd infligit transgressori pœnam æternam.

Iam verò opus seruile de peccato non dicitur propriè, sed solùm mysticè, & per quandam similitudinem. Ergo peccatum non prohibetur per præceptum de non faciendo opere seruili in die festo. Minor probatur: quia cùm seruile dicatur, quod ad seruum pertinet; seruile propriè eatenus aliquid dicetur, quatenus propriè ad seruum pertinet, vt rectè notat D. Thomas in eod. loco ad tertium. Peccatum verò non est quid tale cùm æquè sit liberorum, ac seruorum. Quod ergo Ioan. 8. dicitur. Qui facit peccatum seruus est peccati] intelligi debet non propriè, sed mysticè: sicut intelligitur quòd in epist. ad Ephes. cap. 5. auaritia dicitur idolorum seruitus] prout idem D. Thomas docet *in præced. qu.* 118. *art.* 5. *ad* 4. Intelligitur etiam illud quod dicitur à Beda lib. 3. in Lucam cap. 43. in fine, Magni Reges sunt qui tentationum suarum motibus, non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt. Sunt enim reges non quidem propriè, sed solùm metaphoricè, quandoquidem multi vitiis mancipati, Reges sunt propriè; & multi prædíti bonis moribus, sunt propriè serui.

Nu. 64. Postremò (*vt D. Thomas in corpore citati art.* 4. *argumentatur*) Quoniam homo ad cultum interiorem, qui oratione, ac deuotione constat, magis inducitur Spiritussancti instinctu, quàm exteriore impulsu: præceptum de sanctificatione diei festi datum est tantùm de cultu Dei externo, id est, de cultu secundùm aliquod sensibile signum; quod nobis ex Ecclesiæ determinatione, est tùm audire Missam: pro eo quod Iudæis fuit varia offerre sacrificia præsignificatiua illius incruenti quod in Missa offertur; tum cessare ab externo opere seruili. Quare interior sanctificatio animi, non pertinet ad tale præceptum, nisi tanquam finis illius externus: siue, *quod eodem recidit*, non est id quod præcipitur: sed tantùm id, quod à præcipiente intenditur; nempe inducere nos ad seruiendum Domino in sanctitate, ac mente requiescendum in illo, cum abstinentia ab omni peccato: prout omni etiam die, nec tantùm festo faciendum est; iuxta generalissimum præceptum declinandi à malo, & faciendi bonum.

Et verò si sanctificatio animæ non præcipitur specialiter per dictum præceptum de sanctificatione diei festi; nec per illud specialiter prohibetur perpetratio peccati mortalis ei contraria. Hæc enim se mutuò consequuntur, Aliquid præcepto aliquo præcipi: & quod illi contrarium fuerit per idem prohiberi. Nam eo ipso, quòd iubemur cessare ab opere seruili die festo, prohibemur facere opus seruile, quod contrarium est. Ac dato casu, *qualis est necessitatis sufficientis*, in quo Ecclesia non censetur illud iubere, nec censetur istud prohibere. Itaque si interior animæ sanctificatio non est de numero eorum quæ per dictum præceptum specialiter præcipiuntur, neque interior animæ contaminatio illi contraria, de numero est eorum, quæ per idem præceptum specialiter prohibentur: itaut dicendum non sit, peccantem mortaliter in die festo, committere duplex peccatum mortale: quorum alterum in transgressione præcepti de sanctificatione diei festi consistat.

Neque est quod quis opponat tali præcepto sanctificationem animæ satis præcipi: dum in eam tanquam in finem præcipitur ante memoratus exterior cultus. Nam vt communiter admitti notat Nauar. *ad sæpe memoratum principium cap. Consideret num.* 28. finis præcepti non est in præcepto: adeout sola præcepta de charitate (*quæ finis est præcepti ex priori ad Timoth. cap.* 1.) dentur de fine aliorum præceptorum, non item ipsa alia præcepta. De qua re D. Thomas 2. 2. quæst. 44. art. 1.

CAPVT VLTIMVM.

De circunstantia Circa quid, seu obiecti.

SVMMARIVM.

65 *Conditiones constituentes aggrauantem circunstantiam obiecti, cum ipsum res quædam est.*
66 *Constituentes, cum obiectum ipsum, est persona.*
67 *Ex tali circunstantia aggrauari peccatum, habetur ex doctrina D. Thomæ.*
68 *Eidem doctrinæ addita restrictio.*
69 *Qualiter iudicandum sit, An istiusmodi circunstantia aggrauet peccatum mutando speciem, vel intra eandem speciem.*

VM obiectum circa quod humanus actus exercetur sit, vel res, vel persona aliqua, vt habitum est in præced. cap. 2. Hæc circunstantia debet esse accidens vel rei, vel personæ circa quam peccatur. *Nu.* 65.

Atque accidens rei solet, cùm aggrauat peccatum, eiusmodi esse, ex quo res ipsa eminentiam quandam habeat. Id quod potest contingere primò ipsi rei in se consideratæ: sicut contingit bono vtili, tam honorario, quàm pecuniario; ex eo, quòd ipsum sit in maiori quantitate, aut maioris sit valoris: aut sit in maiori hominum æstimatione: per quæ aggrauantur furtum, detractio, & alia id genus peccata. Contingit item muniis, & officiis publicis ex difficultate maiore, ipsa rectè gerendi: per quam aggrauantur peccata eorum qui illa vel committunt indignis, vel admittunt indigni. Secundò, id contingere potest rei consideratæ in ordine ad Deum; vt contingit pecuniæ, vesti, aut alteri supellectili ex eo quòd sit consecrata Deo. Potest item id contingere in ordine ad proximum, ad quem res ipsa pertinet: vt pecunia vel aliud id genus, ex eo, quòd sit pauperis. Ex quo vtroque genere accidentis furtum aggrauari patet: quia peccatum censetur grauius, cùm est rei aliquâ conditione vestitæ; quàm cùm est alterius rei, omnino æqualis non vestitæ simili conditione. Sic furtum ipsum decem nummorum aureorum de pecunia Deo consecrata, aut de pecunia hominis pauperis, grauius est, quàm de pecunia prophana hominis diuitis: quia continet maiorem repugnantiam cum recta ratione.

Nu. 66. Accidens verò personæ in quam peccatur, aggrauans peccatum, solet esse aliquid in quo persona ipsa excellit. Cùm autem persona tribus modis excellere possit, primò in ordine ad Deum: nempe quia coniunctior est Deo ratione sanctitatis, vel officij ad quod obeundum consecratur Deo. Secundò, in ordine ad nos: nempe, quia nobis coniunctior est naturali necessitudine, vel collatis beneficiis. Tertiò in ordine ad proximum: nempe, quia est persona in qua plures læduntur.

Nu. 67. Cùm, inquam, hæc ita sint, D. Thomas 1. 2. *quæst.* 73. *art.* 9. peccatum aggrauari ex personæ, in quam peccatur excellentia primi modi, probat: quia iniuria illata personæ coniunctæ cum Deo ratione virtutis vel officij, redundat in Deum ipsum, iuxta illud Zachariæ 2. Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.] Vnde sequitur peccatum grauius esse, quàm cæteris paribus alias esset: ac tantò grauius, quantò coniunctior Deo fuerit persona contra quam committitur.

Ex excellentia item secundi modi aggrauari, docet: quia peccans in personam coniunctam sibi naturali necessitudine, aut beneficiis, aut quacumque alia coniunctione, censetur peccare in seipsum: & per consequens grauius, nequioréque voluntate peccare, quam cæteris paribus alias peccaret, iuxta illud Ecclesiastici 14. Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? Atqueadeo quò talis persona fuerit peccanti coniunctior, quàm alia, *sicut est pater, quam frater; & hic, quàm cognatus*: aut quo maiora beneficia contulit vna persona, quàm alia persona; aut quò est alia ratione magis coniuncta: eò peccatum in eam commissum grauius esse.

Si opponas; Nullum esse tam coniunctum, quàm quemque sibi ipsi; minus tamen quemque peccare sib i damnum inferendo, quàm alteri: vt occidendo equum suum, quàm occidendo alienum. Respondet D. Thomas *in solut.* 2. *argumenti*, id verum esse quoad damnum in rebus possessis, quæ sunt in possidentis potestate: non item quoad damnum in naturalib. vel spiritualib. bonis, quæ non subsunt dominio libero voluntatis nostræ. Sic enim grauiùs peccat qui occidit seipsum, quàm qui alterum.

Ex excellentia demum tertij modi aggrauari quoque peccatum, confirmat: quia tantò grauiùs peccatur, quantò peccatum plures tangit. Sic enim peccatũ quod committitur in personam publicam, vt in Principem qui totius multitudinis personã gerit, est grauius, quàm quod committitur in aliquam personã priuatã, prout indicatum est Exod. 22. cùm specialiter dicitur: Principi populi tui nõ maledices.] Similiter iniuria quę fit personæ magni nominis & famæ, grauior est cæteris paribꝰ quàm facta alteri; quia redundat in scandalum plurimorum. Hæc D. Thom.

Nu. 68. Cuius doctrinam restriximus per illa verba, *cæteris paribus*, propterea quòd eiusdem actus possunt esse plures malæ circunstantiæ; illéque actus qui ex aliquarum absentia videri potest peccatum minùs graue, ex aliarum concursu censeri potest grauius. Vnde aliqui soluunt quæstionem, An maius peccatũ sit occidere peccatorem, quàm iustum: inquientes quòd quamuis ex circunstantia personæ in quam peccatur, grauius peccatum sit occidere iustũ: tamen ex circunstantia effectus seu nocumenti consequentis ex peccato, nempe ex damnatione peccatoris (si occidenti constet hanc secuturam) peccatum grauius esse occidere peccatorem. In qua re & id genus aliis diiudicandis, considerandum est quando iustitię vel charitatis ordo, ob conditionem personæ in quam peccatur, magis peruertatur.

Nu. 69. Iam quando ex hac obiecti circunstantia aggrauatur peccatum intra eamdem speciem, vel mutando speciem, iudicandum est iuxta tertiam generalem regulam in præced. cap. 3. propositam. Nempe cùm inducit nouam cum recta ratione repugnantiam, aggrauare mutando speciem: cùm verò non inducit, aggrauare intra eamdem speciem. Itaque furtum rei sacræ ex circunstantia obiecti, nempe quòd sit res Deo sacrata: sicut & homicidium quo Sacerdos occiditur; ex eo, quòd sit personæ Deo sacratæ, accipit speciem sacrilegij: vt & homicidium quo pater necatur, accipit speciem parricidij, ex eo, quòd sit patris: quia tales conditiones habent specialem repugnantiam cum recta ratione: quandoquidem non tantùm malum est occidere Sacerdotem vel patrem, vt homo est, sed etiam vt Sacerdos vel pater est. Similiter malum est furari rem sacram, non tantùm quia aliena est; sed etiam quia sacra est.

Furtum autem rei pretiosioris, & homicidium personæ iustioris, ex talibus circunstantiis obiecti, aggrauantur intra eamdem speciem: quia repugnantia cum recta ratione, quam talia peccata ex eis accipiunt, eiusdem specici est, cum ea quam ex obiecto habent. Namque rem alienam pretiosiorem; siue vt alienam, siue vt pretiosiorem furtipere, malum est ob hanc vnam eamdémque rationem, quòd vetitum sit quodcumque alienum sibi vsurpare inuito domino. Similiter occidere hominem bonum; siue vt hominem, siue vt bonum: ob eandem rationem malum est: nempe quòd non liceat priuata authoritate occidere: & ita de aliis.

Quando verò istiusmodi aggrauatio sit vel non sit in infinitum, cognoscendum est per ea quæ in sequenti lib. tradentur de ratione inter se discernendi peccatum mortale & veniale. Atque hæc hactenus de circunstantiis. Quænam circunstantiæ debeant vel possint omitti in confessione, addendum esset nisi id iam traditum esset in præced. lib. 6. cap. 4. parte posteriore, dubio sexto. In alsignanda autem ratione distinguendi inter malitiam essentialem & accidentalem, nihil est quòd immoremur: quia id nihil facit ad grauitatem peccati diiudicandam in foro pœnitentiali: cùm ex accidentali, ea perinde constituatur & augeatur, ac ex essentiali: quandoquidem vtraque similiter includit repugnantiam cum recta ratione, legéque æterna.

LAVS DEO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER QVINTVS, ET TOTIVS OPERIS DECIMVSQVINTVS.

DE GENERALI PECCATORVM varietate, in qua consistit ratio quædam de illis in genere iudicandi.

PRÆFATIO.

GENERALIS ratio iudicandi de peccatis, duplex est: vna iudicãdi generaliter, an aliquid sit peccatũ, nécne: quam Deo iuuante hactenus persecuti sumus. Altera de eo quod constiterit peccatum esse, iudicandi generaliter cuiusmodi peccatum ipsum sit. Quę ratio consistit in cognitione generalis varietatis peccatorũ, deinceps Deo quoque iuuante à nobis tradẽda: propositis variis modis, quibus peccata generaliter inter se distinguuntur. Ex obiecto igitur distinguuntur peccata dupliciter: vno modo (iuxta illud *posteriorꝭ ad Corinth. cap.* 7. Mũdemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus) quòd alia sint carnalia, quæ flagitia: & alia spiritualia, quæ scelera dicuntur. Altero modo, quòd alia sint in Deum, alia in proximum, alia in nosipsos: quæ indicat Apostolus ad Tit. 2. admonens vt sobriè, *quoad nos:* iustè, *quoad proximum:* & piè, *quoad Deum:* viuamus in hoc sæculo. Ex causa verò efficiente dupliciter item: vno modo, quòd alia sint ex ignorantia, alia ex infirmitate seu perturbatione, & alia ex malitia. Altero modo, quòd alia sint cordis, alia oris, & alia operis. Ex ordine præterea ad præcepta quorum transgressione perpetrantur: quòd alia sint commissionis, contra negatiua: & alia omissionis, contra affirmatiua præcepta. Ex effectu denique, qui est reatus seu obligatio ad pœnam: quòd alia sint mortalia, & alia venialia: cuius postremæ distinctionis consideratio est huius instituti maximè propria. Cæteræ autem, *de quibus D. Thom. 2. 2. qu.* 72. ad illud, si penultimam excipias, non multum faciunt: ideóque nobis satis erit paucis eas declarasse: docendo scilicet quæ peccata dicantur carnalia, quæ spiritualia, quæq; cætera, quod fiet in 1. cap. In 2. verò explicabitur dicta disiunctio penultima in peccatum commissionis, & omissionis; & in 3. distinctio ipsa in peccatum mortale & veniale. Ac demum in 4. & sequentib. tradentur regulæ iudicandi de peccato, sítne mortale an veniale.

CAPVT I.

Quæ dicantur peccata carnalia, quæ Spiritalia, quæque nonnulla alia.

SVMMARIVM.

1 *Diuersi modi quibus nomen peccati carnis accipitur.*
2 *Explicatio diuisionis peccati, quod aliud sit contra Deũ, aliud contra proximum, & aliud contra nosipsos.*
3 *Quæ peccata dicantur ex ignorantia.*
4 *Quæ ex infirmitate.*
5 *Quæ ex malitia.*
6 *Tres modi, quibus distinctio peccatorum in peccata cordis, oris, & operis intelligi potest.*
7 *Quomodo eadem sit tantùm in diuersos gradus eiusdem peccati; & quomodo tale peccatum sit in confessione exprimendum.*

Num. 1. PECCATA carnalia dupliciter dicuntur: vno modo generaliter, de quibusuis peccatis quatenus nascuntur ex sensualitate (quo nomine intelligitur appetitus sentiẽs prout repugnat rectæ rationi) quæ à D. Paulo ad Rom. 8. carnis nomine significatur: eaque acceptione idem Apost. ad Galat. 5. inter opera carnis seu peccata carnalia numerat hæreses & inuidias quæ peccata sunt maximè spiritalia. Altero modo specialiter dicuntur de peccatis quæ delectatione carnis, id est, corporis perfici censentur: quia in illis voluntatis consensus, quo peccatum perficitur, terminatur in delectatione corporis percepta tactu vel gustu; cuius generis sunt luxuria & gula: hócque modo sumuntur peccata carnis cùm distinguuntur à spiritualibus: quorum nomine significantur ea in quibus consensus voluntatis terminatur in aliqua interiori delectatione animæ: cuius generis sunt superbia, ambitio, inanis gloria, ira, inuidia: immo & auaritia quæ quãuis habeat obiectum materiale: tamen delectatio cui voluntas consentit in illius perpetratione, est spiritalis, & interior animæ. Communi autem loquendi vsu peccatum carnis strictissimè accipi solet pro sola luxuria.

Num. 2. De peccatis in Deum, in proximum, & in nosipsos annotandum est: quamuis omne peccatum nostrum sit contra Deum, qui per illud offenditur; & contra nos ipsos; cùm noceat nobis: tamen ex ordine quem debemus in vita retinere, tum ad Deum, tum ad proximum, tum etiam ad nosipsos: aliud dicitur esse in Deum: nempe illud, quod repugnat virtuti nos ordinanti, seu bene afficienti erga Deum: vt infidelitas, blasphemia, desperatio, odium Dei, impietas, superstitio, impœnitentia, quæ sunt peccata contra fidem, spem & charitatem ac virtutes Religionis, & pœnitentiæ, quæ Deum habent pro obiecto. Aliud verò in proximum, quod scilicet directè pugnat cum virtute, quâ ordinamur benéue afficimur ad proximum: vt furtum, homicidium, immisericordia, quæ pugnant cum iustitia & misericordia. Aliud denique in nos ipsos, vt fornicatio, crapula, & quodcumque eiusdẽ generis, repugnans temperantiæ per quam ad nosipsos reddimur bene affecti. Ad quod peccati genus spectat illud, quod peculiari ratione dicitur peccatũ contra naturã: eoquod aduersetur nõ solùm rationis inclinationi, quæ est hominibus propria (qua ex parte contra naturam esse, commune est ei cum omni peccato) sed etiam inclinationi animalis, quã homo habet cum bestiis communem: vt peccatum nefandum, ex D. Thoma 1. 2. quæst. 94. articul. 3. ad 2.

Num. 3. Peccata ex ignorantia dicuntur, quæ ab ignorantia vincibili voluntarium diminuente procedunt, Dixi, ab ignorantia vincibili (de qua antea lib. 11. cap. tertiò) quia ignorantia inuincibilis excusat omnino à peccato. Dixi; voluntarium diminuente: quia quãdo in actu morali, ignorantia nihil ad voluntarium, vel inuoluntarium confert, vt ignorantia comitans, *(de qua in eodem lib. 11. cap. 2.)* vel quãdo auget volũtarium, vt ignorantia affectata *de qua ibidem*, peccatum non dicitur esse ex ignorantia, quia non habet primam suæ malitiæ radicem in ignorantia. Non quidem cùm hæc fuerit comitans: quia talis, sicut nihil confert ad voluntarium, ita nec ad peccatum, vt in eodem cap. 2. expositum est. Nec item cùm fuerit affectata: quia tunc primam radicem malitiæ habet in voluntate peccandi per quam ignorantia affectatur.

Num. 4. Peccata verò ex infirmitate dicuntur quę oriuntur ex passione seu motione appetitus sensitiui, allicientis voluntatem ad consentiendum (de qua in cap. quinto eiusd. libri 11.) atqueadeo libertatem illius in agendo minuentis. Quod addo, quia si talis passio sit remissa, quæ nihil fere voluntatem cõmoueat, nec quidquam perturbet rationem, non sufficit ad constituendum peccatum ex infirmitate: quia nihil fere diminuit liberum in voluntatis actu: ideóque malitia, non in ipsa passione, sed in voluntatis deprauatione primam suam radicem habere censetur. Quæ ratio etiam confirmat passionem, quæ propter consuetudinem vehementior est, non constituere peccatum ex passione; quando consuetudo est voluntaria: seu quando quis vult in consuetudine perseuerare: quia prima radix peccati, est potius voluntas praua, quàm passio. Si quem verò pœniteat præteritæ consuetudinis; ipséque faciat quod in se est ad repugnandum illi: peccatum ex tali consuetudine ortum, iudicandum est ex passione esse.

Peccata denique ex malitia dicuntur, quæ cùm *Num.* 5. non proueniant ex ignorantia vel ex passione, committuntur cum plena voluntatis libertate. Namque homo ex malitia peccare iudicatur iuxta D. Thomam 1. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. quando neque passione impulsus, neque ignorantiâ iuris aut facti obœcatus, probè sciens tum in vniuersali, tum in particulari rem malam esse, & nocere animæ: sponte tamen ac peruersè illam eligit, ob rationem alicuius boni minoris, quam in ea cernit: nempe boni vtilis vel delectabilis, quod anteponit bono honesto, quod maius est. Cuius praue electionis causas D. ipse Thomas *in sequent. art.* 3. tradit esse; tum prauum habitum, consuetudinémue; tum prauam aliquam corporis dispositionem; tum etiam præsumptionem de misericordia Dei; tum demum voluntatis libertatem.

Huius tripartitæ diuisionis peccatorũ D. Greg. meminit in expositione tertij Psalmi pœnitentialis, ad versum, Et qui inquirebãt, &c.] adferens in exẽplum peccati ex ignorantia illud D. Pauli dicentis in priori ad Timoth. cap. 1. Qui prius fui blasphemus & persecutor, sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. In exemplum secundi, peccatum D. Petri, qui timore mortis negauit Christum Marci 14. In exemplum tertij, peccatum Iudæorum, qui consilium inierunt quomodo Christum morti traderent, quem tot miracula facientem videbant.

Cæterùm peccatum commissum ex infirmitate, dici solet contra patrem esse, cui attribuitur potentia; & commissum ex ignorantia, esse contra filium, cui attribuitur sapientia: & commissum ex malitia, esse contra Spiritum sanctum, cui attribuitur bonitas. Quod Nauarr. *in Enchir. cap.* 23. *num.* 126. annotans; Addit sextuplex esse peccatũ in Spiritum sanctum, proponítque rationem eius quod Matth. 12. dicitur ipsum esse irremissibile: non quòd non codonetur verè contrito: sed quòd per eius generis peccata abiiciantur media quibus habetur remissio peccatorum. Sunt enim desperatio, qua spes veniæ: præsumptio, qua timor Domini: impœnitentia, qua dolor præteritorum: obstinatio qua cautio futurorum: impugnatio agnitæ veritatis, qua cognitio veritatis abiicitur. De qua re ex instituto D. Thomas 2. 2. quæst. 14.

De peccatis cordis, oris & operis notandum est ex *Nu.* 6. Caiet. 1. 2. q. 72. art. 7. distinctionẽ qua peccatũ in ea distinguitur, relatã in cap. Super tribus De pœnit. dist. 1. tribus modis posse intelligi. Primò, vt sit in speciebus distinctas, & completos: sicque peccata cordis dici quæ naturâ suâ perficiuntur in corde, seu interiore actu animæ: vt odium, auaritia. Peccata oris verò quæ perficiuntur in ore: vt conuitium & mendacium. Ac demum peccata operis quæ perficiuntur opere; vt homicidium, furtum, multáque alia.

Secundò intelligi posse, vt sit in diuersas species incompletas; & ita peccatum cordis dicitur, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm natum sit opere compleri, solo consensu committitur, vt turpis cogitatio in quam interiùs consentit quis, absque voluntate perpetrandi ipsum opus turpe. Peccatum autem oris dicitur, cùm ad consensum verba adduntur absque executione operis: vt cùm quis oblectatur verbis obscœnis, sed non habet propositum implendi opus carnis. Peccatum demum operis dicitur, cum consentiendo prorumpitur in opus. Nu.7.

Postremò intelligi posse, vt sit in diuersos gradus & quasi partes eiusdem peccati: quales censentur quę iam propositæ sunt species incompletæ, quando peccata cordis & oris ex intentione peccantis ordinantur ad peccatum operis: itaut ex eis conflетur vna actio in genere moris; vt cùm quis primùm cogitat de committenda fornicatione; & deinde verbis ad id sollicitat mulierem; ac tandem scelus meditatum opere compler. Peccatum enim ipsius est vnum in genere moris, ex D. Thoma *in cit. artic. 7. ad 3.* etiamsi partes habeat interruptas. Atque ad illud sufficienter declarandum in confessione, satis est quidem ipsum exprimere per vltimum suum gradum: nempe per opus; dicendo exempli gratia, commisi fornicationem: non tamen per alios, vt dicendo cogitationem habui de fornicatione cui consensi: aut sollicitaui mulierem ad fornicandum. Ratio est quam attigit Nauarr. *in Enchir. prælud. 7. num. 24.* quòd cùm in tali peccato opus externum supponat interiorem voluntatem deprauatam, & verba quæ inter hanc & illud intercedere solent: is qui de illo confitetur, de his quoque implicitè confiteri censetur: non autem contra; quia voluntas praua esse potest, tam cum verbis, quàm sine verbis: & tam quæ exeratur, quàm quæ non exeratur in opus.

CAPVT II.

De diuisione peccati in peccatum commissionis & in peccatum omissionis.

SVMMARIVM.

8 *Ratio distinctionis peccati in peccatum omissionis & peccatum commissionis.*
9 *Quomodo interdum vtrumque tale peccatum sit eiusdem speciei.*
10 *Omissio duplex, & de qua sit hic sermo.*
11 *Ordines quos omissio habet, tum ad actus quos impedit, tum ad eos ex quibus procedit.*
12 *Regula iudicandi quis actus sit causa omissionis malæ, & qui per eam vitietur.*
13 *Omissio mala non vitiat actus, qui comitantur quidem ipsius causam, sed non sunt ipsius causa.*
14 *An quando voluntati omittendi impletionem præcepti, causa omissionis superadditur, nouum peccatum committi censeatur.*
15 *Quando cum omissione, causa illius sit in confessione aperienda.*
16 *Difficultas de tempore quo committitur peccatum omissionis.*
17 *Resolutio difficultatis.*
18 *Excusatur à peccato exterioris omissionis, is quem de præcedente interiori pœnituit, antequam eadem exterior sequeretur.*
19 *Solutio obiectionum in contrarium.*
20 *Ex quibus spectanda sit grauitas peccati omissionis.*

QVM peccatum nihil sit aliud, quàm legis æternæ transgressio: ac legem æternam transgredi possimus, vel agendo quod ipsa, *per præceptum negatiuum declarata*, agi vetat: vel non agendo, quod *nobis per præceptum affirmatiuum manifestata*, agi iubet. Ideo peccata alia commissionis esse dicuntur: nimirum ea quæ sunt transgressiones præceptorum negatiuorum: vt exempli gratia horum Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies. Alia verò esse omissionis: nempe ea quæ sunt transgressiones affirmatiuorum præceptorum: vt De diligendo Deo: De honorandis parentibus: De ieiunanda Quadragesima, & aliorum eiusmodi, quando incumbit necessitas illa seruandi, Quod addo, quia cùm præceptum affirmatiuum non obliget (*vt loquuntur*) ad semper; quo tempore non incumbit necessitas illius implendi, non peccatur peccato omissionis. Indicantur autem duo ista peccatorum genera, *commissionis, inquam, & omissionis*, per illa verba Matth. 23: Hæc oportuit facere, & illa non omittere.] Nu.8.

Neque ea sic inter se pugnant, quin in ratione morum, interdum in vnam speciem conueniant: vt cùm proueniunt ex eodem motiuo, eidémque virtuti & eodem modo opponuntur: velut furtum & omissio restitutionis rei alienæ, ad eamdem iniustitiæ speciem pertinent; quia ex eodem motiuo proueniunt; nempe ex cupiditate augendi rem propriam: eidémque virtuti & eodem modo, *per vsurpationem scilicet rei alienæ inuito domino*, opponuntur. Atque de peccatis quidem commissionis, nihil speciale occurrit dicendum, quod addatur ad ea quæ ante de peccatis in genere tradita sunt. De peccatis verò omissionis occurrunt quædam specialiter obseruanda. Nu.9.

De peccato omissionis obseruanda.

SECTIO PRIOR.

PRimum est, duplicem esse omissionem: vnam eius quod quis potest, sed non tenetur facere: alteram, eius quod quis & potest & tenetur facere (prout quisque tenetur illud quod imponitur per præceptum affirmatiuum, quando iudicio viri prudentis, necessitas adest illius implendi) per solam hanc posteriorem constituuntur peccata omissionis. Ratio est, quia vt omissio imputetur alicui ad peccatum, non sufficit ipsum posse agere illud quod omittit: sed adhuc requiritur vt agere teneatur: prout patet ex eo, quòd alioqui Deo imputandum esset ad peccatum, quòd omittat impedire perpetrationes peccatorum, quas impedire potest. Id autem absurdum est. Itaque si quis videat vinctum proripientem se ex carcere, nec impediat cùm possit; omissio eiusmodi imputatur ei ad peccatū, si custos sit carceris: quia vt potuit, sic tenebatur impedire. Si verò non sit custos carceris, quia non teneretur impedire, talis omissio non imputaretur ei ad peccatum: sicut omissio gubernationis nauis (*quod est exemplum D. Thomæ 1.2.q.6.art.3.*) ex qua secutum est naufragium: imputatur quidem ei gubernatori qui potuit & tenebatur gubernare; non item ei qui quamuis potuerit, non tamen tenebatur. Nu.10.

Secundum est: omissionem ipsam, ex qua appellātur peccata omissionis, ordinem habere ad duplicem actū (quo actus nomine intellige non tantùm physicam operationem, sed etiā illud omne quod potest habere rationem actus moralis, & cadere sub præceptum: vt manere domi, vel in lecto, armatum esse, & similia, quæ non sunt operationes physicæ) nempe Nu.11.

nempe & ad eum actum ad quē aliquod affirmatiuū præceptum obligat: siue, *quod idem est*, ad impletionem alicuius præcepti affirmatiui, hīc & nunc obligantis: & ad actum qui causa est liberè omittendi seu non implendi præceptum affirmatiuum, quando est implendum.

Quodquidem aduerte posse dupliciter fieri: vno modo per se & directè: nimirum per actum voluntatis, qui in ipsam omissionem feratur, siue formaliter, vt cum quis non vult audire sacrum quando tenetur: siue interpretatiuè; vt cùm quis neque voluit, neque noluit audire sacrum: sed commoditatem audiendi sibi oblatam neglexit. Altero modo per accidens & indirectè: hócque rursus dupliciter: priore quidem modo, vt ille actus comitetur omissionem; sicut censetur, quando is est talis, vt cum eo non possit cōsistere obseruatio præcepti affirmatiui tunc implendi. Exemplum est, cùm quis die festo ludit eo tempore quo audiendum est sacrum. Is enim actus ludendi comitatur omissionem sacri; quia cum eo consistere non potuit obseruatio præcepti Ecclesiastici de audiendo sacro, tunc temporis implendi. Posteriore verò modo, vt actus ille antecedat omissionem: prout censetur, cùm allaturus est impedimentum agenti, ne ipse impleat præceptum affirmatiuum quando tenetur implere: vt si quis ad multam noctem potet, indéque fiat vt sequenti die dormiat eo tempore quo tenetur audire sacrum: illa enim potatio facta est potanti impedimentum implendi præceptum de audiendo sacro, quando audire tenebatur.

Tertium est, omissionem (iuxta illud Iacobi cap. 4. Scienti bonum & non facienti peccatum est illi) sortiri rationem peccati, eoipso, quòd sit priuatio actus, quem quis omittit tunc cùm tenetur aliquo præcepto affirmatiuo illum exercere; sicut & commissio, peccatū est, eo ipso, quòd quis exerceat actum à quo abstinere tenetur præcepto negatiuo. Nam quemadmodum præceptum negatiuum violatur perpetratione actus, per illud prohibiti: ita etiā violatur affirmatiuū, omissione actus per ipsum imperati.

Quartum est, omissionem malam effundere suam malitiam in actum alioqui licitum, à quo ipsa procedit tanquam ex causa. Sic studium, quatenus causa est omissionis sacri eo tempore, quo ex præcepto Ecclesiæ audiri debet, peccatum est. Nam aliquid malum esse eo ipso, quòd causa est peccati, patet: tum quia communiter ex eo probatur, Deum non causare peccatum; quòd alioqui malus esset & peccaret. Tum quia constat vitandas esse occasiones peccatorum, etiamsi non essent aliàs vituperabiles: vt v.g. vitandum esse ingressum in aliquam domum, si futurus sit aliis occasio scandali, aut tibi occasio ruinæ. Sic enim D. Paulus in cap. 14. epist. ad Rom. & in cap. 8. prioris ad Corinth. damnat esum carnium, *aliàs licitum*, per quem proximus scandalizatur. Tum quia circumstantia effectus seu damni secuti, afficit moraliter actum ex quo sequitur. Quare & omissio mala, quæ damnum est spiritale, malitiā suā afficiet actum ex quo tanquam ex causa sua procedit. Tum demum quia is qui vult actum aliquem quatenus est causa omissionis, vult etiam, saltem virtute, omissionem ipsam: atqueadeo vult illam mala volūtate, vtpote se extendente ad aliquid legi æternæ repugnās. Eodem enim affirmatiuo præcepto, quo actus aliquis directè præcipitur: indirectè consequentérue prohibentur ea quæ illum tollunt, quando poni debet. Nam vt præceptum obligat, ad seruanda omnia quæ sunt necessaria ad ipsius impletionem, sic & ad vitanda omnia, quæ eandem impletionem tollunt.

Nu.12. Cæterùm ad cognoscendum quis actus, causa sit

omissionis, indeq; malus: hæc regula obseruanda est. Illum actum esse talem censendum, qui & per se primò eligitur; & secundùm se, incompossibilis est cum obseruatione illius præcepti, cuius omissione peccatur. Talis enim verè erit causa omissionis malæ, etiasi aliàs bonus esset: nisi contingeret ipsum esse impletionem præcepti maioris illo, cuius obseruatio omittitur: quia tunc non vitiaretur ab omissione, sed omissionem à vitio liberaret. Sic quia præceptum maius est de subueniendo parenti extrema necessitate laborāti, quàm de audienda Missa in die festo: is qui, vt subueniat parenti taliter laboranti, non audit Missæ sacrum in die festo, non peccat.

Actus verò alij qui secundariò eliguntur cum primario illo, quē iupponimus esse omissionis causam; quia ipsi non sunt similiter causa (vt ex eo patet, quòd illis non positis, perinde ac positis, virtute solius eius actus quem comitantur, omissio ipsa sequeretur: si aliàs ex obiecto & circunstantiis, boni sint; non redduntur mali ex ipsa omissione mala: vt argumento est, quòd alioqui suaderi non posset omittenti, vt se in illis occuparet potius, quàm maneret omninò otiosus, quod absurdum est. Itaque si aliquis ob stigus, vel aliud eiusmodi, maneat domi quo tempore Missa ei audienda est ex præcepto; interímque dum domi manet, studet ne otiosus sit, vel recitat horas canonicas: mansio quidem mala est, non tamen studium & recitatio horarum canonicarum, illo tempore: quoniam mala omissio non est effectus horum, sicut est illius. Num.13.

Quintum est. Illum, qui post voluntatem præteritam omittendi impletionem alicuius præcepti, apponit causam ex qua sequitur omissio: committere nouum peccatum: vt Sacerdotem, qui cùm antea decreuisset nō recitare officium diuinum, proiicit Breuiarium suum in fluuium, vnde se reddit impotentem ad recitandum tempore eo quo tenetur. Ipsa enim proiectione committit nouum peccatum (siquidem in ea saltem virtualiter renouatur voluntas praua omittendi idipsum officium) ac peccatum numero distinctū à priore praua voluntate: eiusdē speciei tamen cum ea in genere moris: sicut & propositum occidendi, atque occisio sunt homicidia eiusdem speciei in genere moris. Quod si ex voluntate omittendi officium diuinum, statim abiiceret Breuiarium in fluniū, abiectio non cēseretur peccatum distinctum numero, sed vnum (quia non intercederet voluntatis renouatio) inde tamen propterea aggrauatum, quòd esset voluntas agendi aliquid ex quo sequitur occasio omissionum, quibus officium diuinum omittitur multis diebus. Namque vnus talis actus æquialebit multis peccatis omissionis numero distinctis, in confessione explicandis: sicut vnus actus quo quis multos homines simul occidit, æquialet multis homicidiis numero distinctis. Nu.14.

Sextum est, Cùm actus qui causa est omissionis, possit ex obiecto suo bonus esse, aut malus, aut indifferens; actum malum ex obiecto suo, censendum esse peccatum ab omissione ita diuersum, vt in confessione debeat simul cum ea exprimi: nec sufficiat dicere exempli gratia. Omisi sacrum die Dominico: sed illius etiam omissionis causa aperienda sit, si fuit actus habens ex obiecto malitiam mortalem, vt habent fornicatio, latrocinium, multíque alij. Ratio est, quia vtra malitiam accidentalem, quam contraxit ex omissione cui dedit causam; habuit essentialem ab obiecto proprio ab eadem omissione independentem. Actum verò ex obiecto suo bonum vel indifferentem, habendum esse peccatum ita coniunctum cum mala omissione, cuius est causa; vt sufficiat hanc in confessione expressisse. Ratio est, quia Nu.15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vtriusque malitia sic connexa est, vt posita ea quæ est omissionis, statim intelligatur posita ea quæ est causæ à qua processit: perinde atque posita malitia actus exterioris, vt furti; intelligitur posita malitia actus interioris; vt voluntatis furandi. Vnde sicut ad integritatem confessionis, nihil est opus cum actu exteriori exprimere interiorem: ita nec cùm omissione exprimere actum, quem, prout ab ipsa causatum, inficit suâ malitiâ. Quocirca ei qui aliquoties sacrum in die festo omisit vt studeret, satis est dicere. Ego omisi sacrum toties in die festo, nisi forte talem omissionis causam fuisse dicendum esset ad excludendas alias causas de se malas, ex quibus omissionem prouenisse Confessarius videretur coniicere. Aut nisi studendi affatus adeo inordinatus fuerit in illo, vt ad quiduis, etiam mortaliter illicitũ, determinatus esset potius, quàm ad omittendum studium. Inde enim constitueretur in statu hominis animo parati ad peccandum mortaliter: qui animus debet in confessione aperiri.

culpâ id facit vnde omissio nata est sequi, habet saltem virtuale propositum omittendi: seu, quod idem est, vult omissionem: si non in se, saltem in sua causa: quod cùm satis sit ad rationem peccati, iuxta secundam regulam in lib. 11. cap. 5. ante traditam, peccatum omissionis censendum est commissum non tantùm in eo instanti, in quo cõtingit id omitti ad quod tunc agendum, præceptum affirmatiuum obligabat: sed tunc etiam, cùm illud vnde omissio nata est sequi, fit culpabiliter: prout tunc fieri censetur, cùm faciens præuidit illud, vel præuidere potuit & debuit, atque vitare tenebatur, nec vitauit. Nam id quod quis præuidere non potuit, vel vitare non potuit præuisum, non imputatur illi ad culpam. Pro quo vide quæ habentur in seq. cap. vltimo num. 75.

Cæterùm cùm quis suâ culpâ sibi facultatẽ agendi adimendo, & per consequens propositum omittendi habendo, peccauit omissione interiori, si antequam omissio exterior sequatur, ipse de interiori præcedente pœniteat, exterior ipsa non habebit rationem peccati: quia opus externum, vel illius priuatio, non est peccatum, nisi interueniat interior voluntas mala, sine qua malitiam moralem, *sicut nec liberi rationem*, habere potest. Vnde vbi abest malitia actus interioris (vt abesse censetur postquam ea abstersa est per pœnitentiam) neque exterioris adesse potest. Sic Sacerdos qui suâ culpâ ademit sibi facultatem recitandi officium suum diuinum: vt v. g. negligendo ferre secum Breuiarium, cùm itineri se committeret: si ipsum talis culpæ præcedentis pœniteat, omissio quæ post eam pœnitentiam sequitur, non imputabitur illi ad peccatum, prout expressit Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 101. *Nu. 18.*

Nec est quod quis dicat talem omissionem esse malam propter obligationem præcepti cui repugnat: Nam obligatio præcepti cessat, cùm id quod præcipitur redditu est impossibile. Nemo enim potest ad impossibile obligari vt habet regula sexta de regul. iuris in 6. Ei autem qui sibi facultatem ademit aliquid agendi, impossibile est illud non omittere. Si quis instet sufficere, quòd liberâ suâ voluntate ante elegerit illud, ex quo erat necessariò secutura omissio: quandoquidem impossibilitas non omittendi, perinde locum habet non abstersâ, ac abstersâ per pœnitentiam mala voluntate præcedente. Respondendum est: ad rationem peccati non sufficere quodcumque liberum, sed requiri perfectum; quo actus ipse peccati perseueret esse sub voluntate: vt minimè censetur, non modo cùm voluntas ipsa & ab eo, & causa ipsius est auersa: sed etiam cùm ad eum articulum ventum est, vt iam amplius non possit reuocari à voluntate, à qua liberè processit. Ita enim pendet peccatum à libertate voluntatis, vt nonnisi hac incipiente, aut perseuerante, illud incipere aut perseuerare possit. Et certè si ad peccatum absolute sufficeret, prouenire ab eo quod aliquando voluntas liberè elegit; sequeretur eum qui semel alicui liberè venenum propinauit, & per pœnitentiam reconciliatus est Deo, continenter peccare toto eo tempore quo venenum operatur in eo cui propinatum est: quandoquidem tota ea operatio procedit à dicta propinatione libera. Similiter eum qui sibi per impatientiam vulnus lethale inflixit, non posse ita pœnitere; quin mors illi imputetur ad peccatum: & sic de huiusmodi aliis, quæ manifestum est nimis dura esse. *Nu. 19.*

Nec refert quòd infligens alteri vulnus lethale, etiamsi pœniteat, morte secuta teneatur ad restitutionem, & irregularis efficiatur, sicut alij homicidæ. Non refert, inquam, quoniam præcedens peccatum, sequuto tali effectu, etiamsi non imputetur amplius ad culpam, facit tamen delinquentem obnoxium dictis

Explicatio difficultatis. Quando censeri debeat commissum omissionis peccatum.

SECTIO POSTERIOR.

Nu. 16. SEptimum est: dubium esse quando censeri debeat commissum peccatum omissionis: an dum fit actus qui est illius causa, an verò in eo instanti in quo impletio præcepti omittitur. Ad illius autem explicationem aduertendum est, *de quo constat apud omnes*, nihil esse peccatum nisi voluntarium, dupliciterque aliquid voluntarium esse posse: vno modo in se, & altero in sua causa. Atque duo requiri, vt aliquid sit voluntarium in sua causa: alterum vt præuisum sit in ipsa sua causa: alterũ, vt qui illud præuidet, possit & teneatur ipsum præuisũ vitare. Rursus dupliciter aliquid præuideri posse, vno modo formaliter & explicitè; vt dum quis videt ex ebrietate vel alia simili causa imminere sibi periculum nõ audiendi sacrum, vel occidendi hominem: altero modo virtualiter & implicitè: vt cùm quis potuit & debuit præuidere aliquid sibi fore causam omissionis (vt posse & debere censetur cùm in se expertus est, vel in aliis, eiusmodi omisionem esse naturâ suâ talem, vt ex tali causa plurimùm sequi soleat) non tamen præuidit ex negligentia, aut quia noluit.

Nu. 17. Cùm igitur hæc ita sint, ad propositi dubij explicationem statuitur, peccatum omisionis committi. Tum quando fit actus qui est illius causa: seu quando quis suâ culpâ adimit sibi facultatem id agendi, ad quod obligatur per præceptum affirmatiuum. Nam ex parte sua, perinde in eo se habet, ac si reipsa omitteret: sicut & is qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatur eam in corde suo Matth. 5. Tum etiam in eo instanti, in quo necessitas adest implendi illud ipsum præceptũ, nec impletur: sicut peccatum commissionis perpetratur, & cùm fit propositum malum, & cùm id quod malè propositum est, executioni mandatur; vt peccatum homicidij: & cùm fit propositum occidendi, & cùm occiditur.

Et certè sicut internum propositum committendi aliquid contra præceptum negatiuum, malum est eâdem specie malitiæ, qua commissio externa: sic propositum omittendi aliquid (*internam omissionem vocare possimus*) contra præceptum affirmatiuum, malum est eadem specie malitiæ, qua omisio externa: eâve qua tunc peccatur, cùm actus præceptus adesse debet. Ratio in promptu est: quia cum eodem præcepto, eademque virtute similiter pugnat. Adhæc, ille qui suâ

ctis pœnis, sicut & pœnis ciuilibus.

Nu. 20. Postremum est, *quod Medina 1. 2. quæst. 71. art. 5. Dub. vlt. proponit*, grauitatem peccati omissionis, generaliter spectandam esse ex obiecto & circunstãtijs ipsius: sicut & grauitatem peccati commissionis: itaut ad illud quoque pertineant quæ in præcedenti libro dicta sunt. Specialiter verò æstimandam esse primò ex actu qui omittitur. Sicut enim omisio simpliciter mala est, ex eo, quòd sit priuatio boni actus; ita peior esse æstimanda est ex eo, quòd sit priuatio melioris actus; vt quia melius est diligere Deum quàm parentem, peior est omisio dilectionis Dei, quàm parẽtis.

Secundò ex obligatione exercendi actum qui omittitur: quò enim ea maior fuerit, eò cæteris paribus, grauius erit peccatum omisionis. Sic grauius peccat qui omittit facere illud ad quod tenetur, ex iustitia & ex charitate simul, vt egeno in extrema necessitate constituto restituere quod ei ablatum fuerit; quàm ad quod tenetur solùm ex charitate: vt egeno in ea necessitate subuenire, propria largiendo. Sic etiam cæteris paribus, grauius peccatum est id omittere quod à Superiore districtiùs præcipitur, quàm id quod minus districtè. Nam eo ipso, quòd Superior præcipit aliquid cum maiore significatione suæ voluntatis obligandi, eo maior censetur obligatio illud implendi tanquam maiorem obtinens boni rationem. Tertiò, ex difficultate quâ quis ab agendo retrahitur. Nam quò minus fuerit talis difficultas, eò cæteris paribus omisio iudicanda est peccatum esse grauius. Sic ille qui omittit corrigere proximum metuens ne ipsum contristet, grauius censetur peccare eo, qui propterea omittit, ne ab ipso verberetur.

Postremò ex efficacitate voluntatis, quia omisio quam quis vult expresè, & formaliter: cæteris paribus peccatum est grauius ea, quam vult tantùm interpretatiuè: vt non audire sacrum die festo quia non placet audire, grauius peccatum est, quàm non audire ex aliqua negligentia, aut inconsideratione culpabili. Similiter qui ex mera malitia non vult audire, grauiùs peccat quàm qui ex aliqua tentatione & perturbatione vehementiore.

CAPVT III.

De distinctione peccati in mortale & veniale.

SVMMARIVM.

21 *Peccatum distinguitur in mortale & veniale ex reatu, seu obligatione ad pœnam ex eo sequentem.*
22 *Quomodo peccans mortaliter, finem suum vltimum interpretatiuè constituat in creatura.*
23 *Peccatum mortale punitur æternâ pœnâ, ob Dei contemptum quem includit.*
24 *Quomodo includat talem contemptum, quòdque ipsum non contingat peccato veniali.*
25 *Quomodo verum sit peccatum veniale non esse contra legem Dei.*
26 *Peccatum veniale non excludit à regno cœlorum, nec à Dei gratia & amicitia.*
27 *Obiectio in cuius solutione docetur qua ratione definitio peccati conueniat venialì.*
28 *Diuisio peccati in mortale & veniale, quomodo analoga, & quomodo synonyma esse censeatur.*

Nu. 21. DIstinctio peccati in mortale & veniale expressa, & variis peccatis in exemplum propositis declarata habetur in cap. Vnum §. Criminis, distinct. 25. sumitur, vt antè mo-

nuimus, ex reatu: qui, *vt in Enchir. præliud. 7. nu. 15. Nauarrus ostendit*, non est peccatum: sed obligatio ad pœnam subeundam, natæ ex peccato: quæ cùm possit esse æterna vel temporalis; illud peccatum dicitur mortale, ex quo nascitur obligatio subeundi pœnam æternam: veniale verò ex quo subeundi pœnam solum temporalem. Cur autem mortale ad æternam & veniale ad temporalem tantùm pœnam obliget, D. Thomas 1. 2. *qu. 72. art. 5. & 2. 2. qu. 88. art. 1. & qu. 7. de malo art. 1.* aliique Theologi cõmuniter (post Richardum à S. Victore in tractatu de differentia peccati mortalis & venialis) rationem hanc adferunt: quòd homo, *iuxta illud Ierem. 2. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas*, per peccatum mortale, non autem per veniale auertat se à Deo, suo vero fine: & conuertat se ad creaturam; in hac finem suum vltimum interpretatiuè constituendo: nimirum eam plus amando quàm Deum.

Prout scilicet contingit illi in quem cadunt verba *Nu. 22.* Domini Matth. 10. Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non est me dignus] itémque iis, de quibus Ioan. 12. dicitur, Dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.] Cuiusmodi maiorem creaturæ, quàm Dei amorem, contingere in peccato mortali, hinc patet: quia charitas, seu amor Dei est, vt mandata eius custodiamus 1. Ioan. cap. 5. Cùm ergo in peccato contingat transgredi, seu non custodire mandatum Dei, voluntatique ipsius repugnare propter creaturam: contingit quoque plus amare creaturam quàm Deum: vtpote non verendo huic propter illam displicere: sicut Petrus in gratiam Pauli faciens id, quo se scit displicere Ioanni, ostendit apertè, se plus affici ad Paulum quàm ad Ioannem.

Quòd autem id sit interpretatiuè finem suum vltimum in creatura constituere, significatur per illud ad Philipp. 3. Quorum Deus venter est; & illud quod eius generis peccatum in cap. 5. epistolæ ad Ephes. versu 5. damnatur tanquam idolorum seruitus. Ratione quoque confirmatur: quia cùm necesse sit omnem actionem humanam habere aliquem vltimum finem, ad quem per illam tendatur; atque per actionem qua mortaliter peccatur, ad creaturam tendatur, recedendo à Deo: consequens est, cum qui mortaliter peccat, finem vltimum, non Deum, sed creaturam sibi constituere. Non quidem formaliter: quia non amat creaturam tanquam bonum omni ex parte sufficiens, quod propter se, & propter quod cætera omnia expetenda sint; sed tantùm interpretatiuè: nempe quod cùm mortaliter peccans plus amet creaturam quàm Deum, *vt ame habitum est*, ab hoc que auertens se, ad illam conuertatur: & consequenter ob eamdem, verum suum vltimum finem Deum relinquat: meritò interpretari possumus quòd ipse creaturam sibi pro vltimo fine constituat.

Ratio differentiæ inter peccatum mortale & veniale.

CVmque hęc ita sint, satis intelligitur cur peccatum mortale, non item veniale ad pœnam æternam obliget: nempe quòd mortale, non item veniale, includat apertum contemptum Dei: per quem diuina ipsius gratia & amicitia priuamur: ab eoque, in quo summa nostra fœlicitas consistit tanquam inimici reiicimur puniendi perpetuò tanquam tales (*diuina iustitia ipsius ita exigente*) nisi ei reconciliemur per pœnitentiam: quæ nulla post hanc vitam datur: *Nu. 23.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

adeout misera anima mortua, morte primâ, id est, priuatione diuinæ gratiæ per peccatum mortale, moriatur morte secundâ, id est, priuatione gloriæ, per condemnationem ad æternum supplicium: quæquidem mors irreparabilis est omnino, sicut sententia, qua peccator ad eam condemnatur, est omnino irrenocabilis.

Nu.24. Peccatum autem mortale memoratum contemptum tam ratione auersionis à Deo (quàm ideo continet, quòd mortaliter peccantes, transgrediendo præcepta diuina, interpretatiuè dicant Deo, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus ex Iob. cap. 21.) quàm ratione conuersionis ad creaturam; cùm hanc plus amando quàm Deum, eam sibi constituant finem vltimum.

Peccatum veniale verò neutrius rationem includit; vnde nec excludit à gratia & amicitia diuina: qua qui potitur, æternæ pœnæ obnoxius non est: iuxta illud Psal. 102. Non in perpetuum irascetur Dominus, neque in æternum comminabitur.] Neutrius dico, quia non includere rationem conuersionis ad creaturam, ex eo patet: quòd etsi homo per peccatum veniale inordinatè conuertatur ad creaturam, non ita tamen conuertitur, vt illum in hac finem suum vltimum constituere interpretari debeamus. Neque enim talis est conuersio quâ homo fugiat à Deo: sed qua non currat ad Deum, tepefactus ac retardatus inordinato aliquo amore creaturæ, vnde secundùm D. Bonauenturam *in 2. senten. distinct. 42. quæst. 1.* videretur dicenda potius retardatio profectionis ad Deum, quàm conuersio ad creaturam.

Nu.25. Nec item includere rationem auersionis à Deo patet: quia cùm peccatum veniale non sit simpliciter, sed tantùm secundùm quid contra legem Dei aut (*ex D. Thoma in 1. 2. quæst. 88. art. 1. ad 1.*) tàtùm præter legem Dei: supple eam cuius obseruatio ita est necessaria ad retinendam cum Deo amicitiam, vt transgressio illius, hanc tollat. Alioqui enim simpliciter dici potest esse contra legem Dei: eam nimirum quæ vtilis tantùm est, non autem necessaria ad dictam amicitiam retinendam: perinde ac leges quædam ciuiles tantùm sunt vtiles, non necessariæ ad conseruandam Reip. pacem. Sic ergo homo, prout habet loco cit. D. Bonauentura, dicendus potius est per peccatum veniale elongari à Deo, quàm à Deo auerti: perinde ac si quis facie conuersa ad solem, nonnihil retrocedat, dicetur elongari; non autem auerti à sole.

Quod verò peccatum veniale non sit simpliciter contra legem; confirmatur ex eo, quòd Concil. Trident. sess. 6. cap. 11. & Can. 18. anathemati subiiciat eos qui dicunt impossibile esse hominì iustificato seruare Dei præcepta. In seq. verò Can. 23. eos qui dicunt hominem semel iustificatum posse in tota vita vitare peccata omnia, etiam venialia; nisi id intelligant posse ex speciali Dei priuilegio: quale Beatæ Virgini concessum esse tenet sancta Ecclesia. Ex quorum decretorum comparatione intelligitur, peccatum veniale non esse simpliciter contra præceptum Dei; cùm alioqui peccans venialiter transgrederetur præceptum Dei; sicque homini iustificato impossibile esset, vt vitare omne peccatum veniale sine speciali Dei priuilegio; ita & omnia Dei præcepta obseruare.

Nu.26. Accedit quòd transgressor mandatorum Dei sit maledictus, iuxta illud Psal. 118. Maledicti qui declinant à mandatis tuis] non item peccans solùm venialiter; quia vt Concil. Triden. habet in cit. cap. 11. licèt in hac mortali vita, quantumuis sancti & iusti in venialia peccata quandoque cadant, non ideo desinunt esse iusti. Et in sequen. sess. 14. cap. 5. apertè dicitur peccatis venialibus, nos non excludi à gratia Dei. Quare peccans solùm venialiter, non est simpliciter dicendus transgressor mandatorum Dei: & per consequens nec peccatum veniale dicendum est simpliciter esse contra mandata seu legem Dei.

Accedit etiam, quòd transgrediens mandata Dei, excludatur à regno cœlorum, iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata.] Quare qui peccat venialiter, non transgreditur simpliciter diuina mandata: quandoquidem veniale peccatum non excludit à regno cœlorum ex communi Catholicorum doctrina: quam aduersus hæreticos tam antiquos Iouinianum & Pelagium: quàm recentiores Lutherum ac Caluinum ac reliquos eiusdem farinæ, rectè propugnat stabilitque Bellarm. in tomo tertio Controuersiarum *controuersia 2. generali, lib. 1. à cap. 4. ad finem vsque.* Qua in re immorari non est instituti nostri: cui sufficiet monere id apertè cõfirmati ex eo, quòd vir simplex & rectus & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam suam, *qualis diuino testimonio fuit sanctus Iob cap. 1. & 2. historiæ eiusdem*, non sit censendus de numero eorum qui à regno cœlorum excluduntur, sicut nec de numero inimicorum Dei. At talis potest habere peccatum veniale, vt patet de ipso S. Iob, cuius verba sunt *in sequen. cap. 7.* Peccaui, quid faciam tibi ô custos hominum.] Nec enim dici potest illud fuisse peccatum mortale, cùm idem Iob adhuc retineret innocentiã suam. Patet quoque de S. Ioanne Euangelista: qui cùm sub finem Euangelij à se scripti, vocet se Discipulum quem diligebat Iesus: plenusque fuerit Spiritusancto sicut cæteri Apostoli, iuxta tradita in cap. 2. Actorum: ait tamen in sua 1. Epist. cap. 1. *nec se nec alios Christi discipulos excludens.* Si dixerimus quia peccatum non habemus nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.] Vbi peccati nomine intelligi non potest mortale, quod in Christi dilectissimo, ac Spiritussancti gratiâ cumulatè dotato, locum habuisse repugnat: cùm Christi fideles, maximè autem pastores, crimine vacuos esse debere constet, per illud prioris ad Corinth. cap. 1. Confirmabit vos vsque in finem sine crimine] & prioris ad Timoth. 3. Ministrent, nullum crimen habentes] & ad Titum 1. Oportet Episcopum sine crimine esse.]

Nu.27. Sed obiici potest: rationem & definitionem peccati perinde conuenire veniali ac mortali. Nomen quidem, vt patet ex D. Ioan. authoritate citata. Definitionem verò quoniam ista: mendacium iocosum, furtum rei leuis pretij, & desiderium carnale sine plena deliberatione, dicuntur peccata venialia: quorum tamen primum est dictum contra præceptum Dei, in Ecclesiastico cap. 7. Noli velle mentiri omne mendacium. Secundum verò, factum contra præceptum decalogi Non furtum facies. Tertium demum, concupitum contra aliud præceptum Decalogi, Non concupisces vxorem proximi tui. Quare peccato veniali, perinde ac mortali conuenit peccati definitio: quæ est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.

Cui obiectioni vt occurramus notandum est, legis præscriptum spectari posse: tum secundùm se absolutè, tum secundùm finem in quem ordinatur, qui est Deus charitate dilectus, iuxta illud prioris ad Timoth. cap. 1. Finis præcepti est charitas.] Atque posteriore hoc modo spectatum, constituere perfectionem & complementum legis, iuxta illud ad Rom. 13. Plenitudo legis est dilectio:] quâ scilicet super omnem creaturam Deus simpliciter diligitur. Quia igitur peccatum veniale non est contra legis præscriptum tali modo spectatum, id est, quia non est contra charitatem (vt ex eo patet, quòd ipsum possit cum hac

hac consistere, cùm alioqui contra ante memoratos sacræ Scripturæ locos, mortem adferret animæ, dicente D. Ioan. in 1. sua Epist. cap. 3. Qui non diligit manet in morte) debet contra legem esse tantùmodo secundùm quid; non item simpliciter: seu secundùm illud, in quo plenitudo & complementum legis consistit. Vtpote feruori charitatis repugnans quidem, sicut infirmitas sanitati: non autem charitati ipsi, sicut mors repugnat vitę. Atque in hoc idem vsuuenit peccato veniali, ac accidenti quod non est simpliciter ens sed secundùm quid: quia non existit per se, & in eo existendi modo, consistit entis plenitudo & perfectio.

Quæ cùm ita sint: concedimus quidem, peccato veniali absolutè conuenire nomen peccati, sicut accidenti absolutè conuenit nomen entis; sed negamus ei conuenire simpliciter, quòd sit contra legem Dei; quia non conuenit ei esse contra charitatem, in qua consistit plenitudo legis: sicut philosophi negant accidenti conuenire quòd existat simpliciter, quia non existit per se.

Nu.28. Vnde ex D. Thoma 1. 2. *quæst. 88. art. 1. ad 1.* diuisio peccati in mortale & veniale, sicut & entis in substantiam & accidens, est analogi in suas species. Quod de peccato intelligendum est respectu habito ad finem vitæ humanæ, à quo deuiat. Nam absolutè consideratum secundùm genus suum moris; seu secundùm dissonantiam quam habet à recta ratione; tam de veniali, quàm de mortali simpliciter synonymè que dicitur. Concedimus etiam peccatum veniale esse verè ac propriè peccatum, vt rectè confirmat: tum ratio obiecta: tum quòd peccatum veniale sit materia sufficiens Sacramenti pœnitentiæ: sed negamus esse simpliciter & perfectè peccatum: quia non est simpliciter ac perfectè contra legem æternam: sicut accidens verè quidem & propriè est ens, cùm habeat existentiam; sed non est ens simpliciter & perfectè, quia non habet modum existendi in quo consistit perfectio entis. Et ita is qui furatus est tantùm vnum calamum, non dicitur fur simpliciter & perfectè: nec homo iustus (*qui septies in die cadet & resurget Prouerb. 24.*) committens peccatum veniale, dicitur simpliciter & perfectè peccator: præsertim cùm non auertatur à Deo: *in cuius amicitia perseuerat*: nec perfectè conuertatur ad creaturam. Quocirca peccatum ipsum veniale non est grauis Dei offensa, quandoquidem illius nobiscum amicitiam non dissoluit: sed solùm est leuis: ad eiusdem tamen amicitiæ dissolutionem disponens aliqua ratione, de qua inferiùs. Atque ex his satis intelligitur ad iudicandum quæ peccata pro mortalibus, & quæ pro venialibus sint habenda, considerandã esse charitatis Deo vel proximo vel nobis debitæ læsionem, contingentem legum transgressione. Cùm enim tanta fuerit læsio vt charitatem ipsam tollat: consequens est ex dictis, committi peccatum mortale: aliàs verò non committi plusquam veniale. Itaque deinceps dandæ sunt regulæ per quas cognoscatur quando legis transgressio talem læsionem habeat quæ charitatem tollat: seu, *quod eodem recidit*, quando lex cuius transgressione peccatur, obliget ad peccatũ mortale.

CAPVT IV.

De regulis iudicandi de peccato, sitne mortale an veniale.

SVMMARIVM.

29 *Quæ dari possit regula distinguendi inter peccatum mortale & veniale.*

30 *Peccatum suo genere mortale sit per accidens veniale, tum per rei paruitatem, tum per deliberationis imperfectionem.*

31 *Qualis sit hæc imperfectio, & qualiter deprehendatur interuenisse in peccato.*

32 *Peccatum quod est veniale ex suo genere, potest ex accidenti fieri mortale quinque modis.*

33 *Similitudo qua illustratur id quod dicitur peccatum esse tum mortale, tum veniale ex suo genere, & ex accidenti.*

REctè admonet Gerson *in libro De vita spirituali animæ lect. 5. lit. E*, exigere vnam aliquam certam regulam generalem, qua vniuersaliter possimus in vnaquaque morali actione peccatum mortale discernere à veniali, perinde absurdum esse, atque eiusmodi aliquam à Medico quærere, quâ possimus inter omnes cibos salubres & insalubres discernere. Etenim sicut in salubribus & in insalubrib. ob circunstantiarum mutationem, nihil inest firmitatis: adeout de illis generaliter statuta sæpe fallant, dum cibi genus vni homini salutare inuenitur alteri noxium: & quod in vno tẽpore iuuat, in altero nocere deprehenditur. Ita etiam in moralibus, in quibus contingit similis circunstantiarum mutatio, fallere possunt quæ generaliter decernuntur de mortiferis & venialib. Quanquam tamen non desunt obseruationes generales, quas pro regulis vsurpare possimus: quoniam ad actiones singulas applicatæ, probabiliter sufficientérve ad moralem certitudinem ostendunt, an malitiam mortalem habeant nécne: quod nobis sufficit cùm absolutè Deo soli notum sit, quid in vita humana sic displiceat ipsi, vt velit morte æterna illud puniri aut non velit. Quis enim cognouit sensum Domini, aut consiliarius eius fuit? ad Rom. cap. 11. *Nu.29.*

Peccatum quod mortale est suo genere, veniale fieri ex accidenti.

SECTIO PRIOR.

QVibus obseruationibus præmittendum est, peccatum dupliciter tum mortale, tum veniale esse: vno modo ex suo genere, altero modo ex accidenti. Mortale enim est ex suo genere, cùm ex interiori ordine, quem habet ad aliquod obiectum, tanquam motus ad terminum suum proprium, priuat hominem charitate, nisi imperfectio operis excusset: vt cõtingit excusare (hócque in omni materia actionéve morali, vt insinuatum est à Nauar. in Enchir. prælud. 9. num. 10.) tum per rei paruitatem, id est, illatæ iniuriæ leuitatem, tanquam per quandam materiæ imperfectionem: tum per defectum deliberationis, tanquam per imperfectionem quandã formæ. Hæc enim reddere peccatum imperfectum (*sicut imperfectio materiæ vel formæ, reddit rem naturalem imperfectam*) seu quod idem est, peccatum ex suo genere mortale, facere veniale per accidens, id est, per contingentiam talis imperfectionis, consensus est communis Catholicorum. *Nu.30.*

Et probatur de imperfectione materiæ; quia non est consentaneum peiorem, ac miseriorem in hac vita esse animę subiectionem, quàm corporis. Cùm igitur lex nunquam obliget hominem ad mortem corporalem, pro re seu læsione leui: nec obligabit ad peccatum mortale, quod est mors animæ. Itaque furtum, quod ex suo genere tollit charitatem proximo debi

Universidad de Deusto
Biblioteca

debitam, tantùm est veniale, si sit rei de facto leuis, seu quâ parum proximus lædatur de facto: vt vnius oboli. Dico *de facto*, ad excludendam rem de se quidem leuem, sed per quam ex circunstantia aliqua proximus grauiter lædatur; vt furtum vnius acus, quo pauper sartor impeditur aliquid notabile lucrari suo artificio. Itémque ad excludẽdam rem eam quæ adiunctam habet notabilem Dei iniuriam; vt mẽdacium iocosum iuramento confirmatum. Est enim periurium mortale, etiamsi in re leui; cùm leuitate ea non obstante, sit inuocatio Dei in testem falsitatis. Idem dic de quocumque peccato fidem, spem, aut charitatem in Deum destruente, vt de hæresi desperatione & odio Dei.

Nu.31. Quoad imperfectionem autem deliberationis probatur item: quia quæ fiunt ex repentino aliquo motu, & sine plena deliberatione, non sufficiunt ad rationabiliter conciliandam amicitiam: ergo nec censeri debent sufficere ad eam conciliatam dissoluendam. Sic ergo infidelitas, quæ ex se priuat hominem charitate debita Deo: & luxuria mentalis quæ charitate debita sibi ipsi: ex defectu plenæ deliberationis sunt tantummodo peccata venialia, prout expositum est in præced. lib. 11. num. 44.

Cæterùm defectus istiusmodi contingit ex inaduertentia ad malitiam eius quod obiicitur voluntati. Nam in actu voluntatis, plena deliberatio deficit, quoties hæc in illum exit, intellectu non aduertente plenè ad malitiam obiecti, repugnantiámue cum lege, vel honestate: etiamsi ab eo illud ipsum obiectum sub alia ratione cognoscatur & consideretur, vt v.g. sub ratione iucundi aut vtilis. Sola enim aduertentia ad malitiam obiecti, facit vt actus moralis sit dictum vel factum vel concupitum contra legem æternam: in quo natura propriáue ratio peccati consistit: neque est peccatum plenum & perfectum, seu mortale, nisi eadem aduertentia sit plena & perfecta; quantumcũque aliàs ex obiecto aut ex circunstãtiis, mortale esset, & tale apud homines iudicaretur.

Cæterùm aduertentia semper iudicatur non plena: tum in semidormientibus; tum in semiebriis: tum etiam in iis, in quibus simili modo imaginatio, *discursui intellectus practici seruiens*, impeditur, exorta aliqua vehementiore appetitus passione: aut intellectus ipse alicunde retrahitur ab attentione & cõsideratione dictæ malitiæ. Quod quando contingat quisque in seipso cognoscet, qui distractus post moram aliquã factã in cogitatione rei illicitę, ad se reuertitur, plenè aduertens ad eiusdem malitiam, atque cognoscit se omnino assensurum non fuisse, si priùs tali modo aduertisset: perinde ac dum omnino excitatus à somno, excutit turpem cogitationem in qua semidormiens immorabatur; satis cognoscit, se minimè immoraturum fuisse, si prius similiter cognouisset. Sed nota cum id in quo malitia reperitur, possit esse vel actus interior, vel omissio, vel actus exterior; circa hunc cùm perpetratur in vigilia, non facilè contingere inaduertentiam, aut imperfectam aduertentiam ad ipsius malitiam; quando ea fuerit manifesta, sicut est malitia actus fornicandi vel occidendi.

Peccatum, quod suo genere veniale est, fieri mortale ex accidenti.

SECTIO POSTERIOR.

Nu.32. POrro peccatum est veniale ex suo genere, cùm ex interiori ordine ad obiectum suum non priuat hominem charitate: vt mendacium iocosum, verbum otiosum: hæc enim vtpote de se leues offensæ, nequaquam natæ sunt amicitiam cum Deo dissoluere. Ex accidenti verò, id est, ex adueniente aliqua conditione, peccatum eius generis, mortale potest esse quinque modis, vt ex D. Thoma & aliis notat Sylu. in verbo, Peccatum quæst. 3.

Ac primò, si quis illud committat cum ea præparatione animi, vt quantumuis mortale, seu contra legem ad mortale obligantem esse cogitaret aut sciret: committeret illud nihilominus. In quo sensu Nauarr. *ad cap. Tres, De pœnitent. dist. 1. num. 7. & in Enchir. cap. 23. num. 17.* rectè monet accipiendum esse illud D. Augustini, relatum distin. 25. cap. Vnum, §. Criminis, nullum peccatum est adeò veniale, quòd non fiat criminale dum placet: non autem, *(vt quis fortè existimaret,* quòd sensus sit, venialia fieri mortalia eo ipso quòd placent. Nam inde sequeretur omnia venialia esse mortalia, cùm omnia placeant, voluntariáue sint: quia nullum peccatum est nisi voluntarium. Atque hinc intelligitur furtum pauculorum nummorum, quod committitur cum ea præparatione animi & affectu, vt si multi essent, perinde caperentur, peccatum esse mortale, quantumcumque cõmissum in re parua. Quod idem iudicandum est de percussione cum læsione leui, facta cum animo occidendi, & sic de aliis similibus. Secundò, si perpetretur in aliquem finem qui sit peccatum mortale: vt si quis dicat mendacium iocosum, vt alius blasphemet, peccat mortaliter. Hoc constat ex cap. Cùm minister 13. quæst. quinta. Ratióque est, quia actio talis est, qualis fuerit finis in quem fit: vt ostensum est lib. 12. præced. cap. 2. circa initium. Tertiò, si quis illud perpetret in cõtemptum legis aut legislatoris. In eo enim est superbia directè pugnans cum charitate, quæ debetur Superiori, illámque destruens. Id quod sufficit ad constituendum peccatum mortale, prout pleniùs postea declarabitur. Quartò, si illius perpetrationem sequatur graue nocumentum, siue animæ siue corporis. Tunc enim ex circunstantia effectus (de qua in proximè præced. lib. cap. 5.) directè pugnat cum charitate, itaut sufficiat ad eam tollendam, quæ est spiritalis vita animæ. Postremò, si quis peccatum ipsum veniale perpetret dubitando, aut credendo se facere peccatum mortale: quia tale, *mortale inquam*, efficitur ex dictamine cõscientiæ, iuxta tradita lib. 13. cap. 8. & 9. de cõscientia erronea & dubia. Secus autem contingeret, si absolutè dubitaret aut crederet se facere peccatũ sic animo affectus, vt si mortale esse existimaret, nullatenus faceret: quia tunc ex conscientiæ dictamine, non esset plus quàm veniale ex Nauarr. in Enchir. prælud. 9. num. 9.

Hanc quasi degenerationem peccati ex suo genere mortalis, in veniale ex accidenti; & venialis ex suo genere, in mortale ex accidenti. D. Thom. in quæst. 7. De malo, articul. 1. illustrat præclara similitudine. Sicut in vita humana, inquit, cibi aliqui sunt vitæ omnino cõtrarij, vt venenosi: aliqui verò, causant tãtùm malam quandam constitutionem; vt illi qui graues sunt & difficilis digestionis: fierique potest vt venenosi propter modicam quantitatem in qua sumuntur, non tollant vitam; & non venenosi propter nimiam copiam, & voracitatem sumentis, afferant mortem: sic peccatum quod ex suo genere tanquam animæ venenum, mortale est, potest ex accidenti esse veniale: & contrà. Iam cùm ex his satis cõstet, quodnam peccatum sit ex accidenti mortale, & quodnam ex accidenti veniale, deinceps tradendæ sunt regulæ ex quibus cognoscatur, quodnam sit ex suo genere mortale, & quodnam ex suo genere tantùm veniale. *Nu.33.*

CAP

CAPVT V.

De regulis iudicandi de peccato, sitne mortale an veniale ex suo genere.

SVMMARIVM.

34 *Regula iuris naturalis ad iudicandum de peccato, sitne suo genere mortale, an veniale.*
35 *Dictum Richardi à S. Victore, communiter approbatum, & ratio qua confirmatur.*
36 *Dari nequit generalis ratio statuendi de grauitate iniuriæ, ex qua peccatum sit genere suo mortale: ideóque relinquitur prudentis arbitrio.*
37 *Regula de peccato iudicandi ex Sacris literis, sit ne mortale an veniale.*
38 *Regula idem iudicandi ex lege humana.*
39 *Quod aliqua talis lex obliget ad mortale.*

Regula de naturali rationis dictamine.

Nu.34. PRIMA regula, quam ad ius naturale spectare propterea dicimus, quòd ratio naturalis eam persuadeat, ista est: Illud habendum esse peccatum ex suo genere mortale, quo grauem iniuriam Deo, aut proximo, aut nobis ipsis inferri naturalis ratio dictat: prout dictat de peccatis iis, per quæ debitus amor, debitáque reuerẽtia Dei tollitur: vt de odio Dei, de idololatria, blasphemia, periurio, & id genus aliis: itémque de iis quibus notabile nocumentum adfertur proximo: vt de homicidio, furto, adulterio, & aliis similibus: aut de iis quibus amor eidem proximo debitus tollitur: vt de odio, inuidia, & huiusmodi aliis: ac demum de iis per quæ graui damno afficimur in necessariis ad conseruationem salutis siue animæ, siue corporis; vt de iis per quæ tolluntur virtutes ad diuinam gratiam necessariæ: vt de infidelitate, desperatione, impœnitentia, & aliis similibus: aut per quæ sanitati corporis notabiliter nocetur; vt de crapula assidua, ac ebrietate, & luxuria.

Nu.35. Hínceque communiter à Doctoribus approbatur dictum illud Richardi à S. Victore, sub finem tractatus De differentia peccati mortalis & venialis. Mortale est, quod non potest à quouis committi sine grandi corruptione sui. Item mortale est, quod non potest committi sine grandi læsione proximi. Mortale nihilominus est, quod non potest committi sine magno contemptu Dei. Cætera verò omnia mihi videntur venialia. Hæc ille. Et fauet ratio: quia quò Dei bonitas maior est bonitate creaturarum, eo difficiliùs dissoluitur amicitia, quæ cum eo est, quàm quæ cum homine. At inter homines nemo nisi inhumanus ex leui tantùm causa, leuíue iniuria vellet amicitiam cum alio contractam rescindere: multo igitur minus id de Deo putandum est: nisi ea, quæ de se est leuis iniuria, aggrauetur in aliquo casu particulari ex circunstantiis: vt ex scandalo, alióue notabili damno quod adfert: nihil enim est tam leue, quin ex hoc possit censeri graue. Aut certè Deus ipse declarauerit, in re aliqua, etiamsi alioqui leui, se (quod potest) obedientiam tantam exigere, quanta exigeret in re graui: vt cùm prohibuit Adamo, ne comederet de ligno scientiæ boni & mali, addita comminatione, In quocumque die comederis ex eo, morte morieris] Gen. 2.

Iam ratio statuendi quando grauis & quando leuis iniuria per peccatum inferatur, nulla generalis & certa regula dari potest, propter varietatem circunstantiarum quibus vestiri potest, ac subinde mutari: vt videre est in furto, quo grauis iniuria censetur fieri, non modo cùm fuerit rei notabilis valoris; sed etiam cùm rei modici quidem valoris, sed quam persona cui surripitur tanti faciat, vt ex illius iactura magnam concipiat molestiam: vel inde necessitatem notabilem patiatur, quia pauper est: vel notabile damnum, quia ex illa quæstum faciebat. Cùm ergo in actibus singularibus nulla sit circunstantiarum constantia, sed perpetua mutatio: iudicium de grauitate, vel leuitate iniuriæ, quæ per illos infertur peccando, relinquitur viro prudenti faciendum, congruenter iis quæ excommuni doctrina, in proximè præced. lib. tradita sunt de circunstantiis: aut iam factum, petendum est ab authoribus, qui de tali re scripserint. *Nu.36.*

Regula de Sacrarum literarum authoritate.

SEcunda regula, spectans ad ius diuinum positiuũ, est; Ea peccata cẽseri mortalia ob quę sacra Scriptura hominem à regno cœlorum excludit: cuiusmodi multa esse patet ex cap. 1. epist. ad Rom. versu 29. & sequentib. & ex cap. 6. prioris ad Corinth. versu 9. & 10. & ex cap. 5. Epist. ad Galat. versu. 19. 20. & 21. & ex cap. 5. epist. ad Ephes. versu 5. Itémque ea ob quæ mortem temporalem eadem Scriptura proponit: vt apud Ezechielem cap. 18. vers. 10. 11. 12. & 13. de quibus erit sigillatim dicendum, cùm tradetur ratio particularis iudicandi de peccatis ex præceptis Decalogi. Ratio autem huius regulæ aperta est, quia pœna tam mortis quàm priuationis regni cœlorum, est grauissima. Ergo & culpa ob quam imponitur, cùm debeat pœna proportionari delicto, ex cap. Fœlicis De pœnis in 6. §. Verùm. Quando autem sacra Scriptura mitiùs de aliquo peccato loquitur, signum est ipsum esse tantùm veniale. Sic possumus existimare stultiloquium non esse peccatum mortale, sicut sunt fornicatio, immundicitia, & furtum; quia in cit. cap. 5. epist. ad Ephes. Apostolus de illo tantùm dicit ad rem non pertinere: cum de cæteris dicat, quòd omnis fornicator aut immundus aut auarus non habeat hæreditatem in regno Christi & Dei. Est etiam aliud signum, quando datur præceptum in materia leui, vt censetur illud cuius transgressio vi sua nulli potest inferre iniuriam, vel adferre detrimentum magnum. Sic peccatum solummodo veniale fuit, transgredi præcepta illa Deuter. 22. data de non arando in boue & asino; de non accipienda ex nido matre cum pullis; de non serendo agro duplici semine; de non vtendo vestimento lana linóque intexto: & in nouo Testamento Matth. 5. de non dicendo verbo otioso, nonnullisque aliis: de quibus D. Bernard. in lib. De præcepto & dispensatione. *Nu.37.*

Regula de lege humana.

TErtia regula pertinens ad legem humanam traditur fuséque explicatur à Nauarr. in Enchir. *prælud. 9. numero 7. & sequen. & cap. 23. num. 40. aliúsque sequẽtibus.* Est autem, Illum mortaliter peccare qui legem humanam ad mortale obligantem, iustam, promulgatam, ac receptam, nec abrogatam, elapso tempo *Nu.38.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempore ad obligationem requisito, trāsgreditur sine ignorantia inuincibili, aut aliâ iustâ causâ excusante, aut dispensatione valida. Hæc de se manifesta est, nec confirmatione indiget, sed tantùm explicatione singularum partium ipsius, quæ repeti potest ex præced. libro 13. in cuius cap. 16. ostensum est ad obligationem legis humanæ requiri: vt sit iusta, promulgata, ac recepta, certúmque tempus esse, in quo incipiat obligare. In sequenti verò cap. 18. quæst. 2. legem ipsam humanam obligare in conscientia.

Nu.39. Quam obligationem etiam ad mortale esse posse, communi consensu Catholici admittunt, vt constat ex Authoribus ibidem citatis, confirmatúrque abundè ab Alfonso à Castro in lib. 1. De lege pœnali cap. 4. Sed in re, de qua nobis dubitare non licet, contenti erimus proposuisse illud Domini Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus, &c.] quo satis apertè indicatur, peccatum contra Ecclesiæ præceptum, mortale esse posse: cùm pro tantùm veniali non videatur quis habendus tanquam Ethnicus & publicanus. Et illud Apost. ad Rom. 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.] Quod cùm ad potestatem etiam sæcularem pertineat, vt manifestum est ex iis quæ ibidem in textu antecedunt & sequuntur: omnino fateri oportet, legis quoque ciuilis transgressorem tanquam potestati sæculari resistentem, peccare posse mortaliter; quod Apostolus dicit damnationem sibi acquirere.

Quod attinet ad reliqua addita in proposita regula: ex lib. 11. præced. num. 74. constat ignorantiam inuincibilem excusare à peccato; & ex sequen. cap. 8. part. 2. causam iustam seu rationabilem, id est, ob quam excusaret legislator, si præsens adesset, excusare à legis obseruatione: seu, *prout Nauarr. habet in cit. pralud. num. 14. & in citato item cap. 23. numero 43.* excusare à peccato mortali. Quod idē ex eodem authore ibidem, censendum est de causa, quæ bona fide habetur pro iusta, cùm quis non faceret contra legem, nisi existimaret causam iustam esse contrafaciendi. Denique ex iis quæ antea lib. 13. cap. 19. sect. 2. tradidimus de dispensatione, satis constat dispensationem excusare à peccato eum qui agit contra legem, in qua dispensatum est cum ipso. Vnum ergo restat in proposita regula declarandum nouâ explicatione: nempe quænam lex humana censenda sit obligare ad mortale, & quibus modis ea distinguenda sit tum à consilio, quod non modo humanum, sed nec diuinum obligat ad peccatum etiam veniale ex sententia communiter, *teste Nauarr. in cit. cap. 23. num. 49.* recepta, per cap. finale 14. quæst. 1. nisi quis contra illud agat ex contemptu: quia tunc peccaret etiam mortaliter, vt in sequēti cap. declarabitur: tum etiam à præcepto obligante solummodo ad veniale. Dicta autem explicatio continetur sequentibus documentis.

CAPVT VI.

De documentis per quæ cognoscendum est: quæ lex humana obliget ad peccatum mortale.

SVMMARIVM.

40 *Lex humana potest dupliciter diuinam ad mortale obligantem in se continere, indéque ad mortale obligare.*
41 *Obligat sub mortali, cùm editur in materia graui, à Superiore intendente eiusmodi obligationem imponere.*
42 *Sine graui materia, Principis voluntas non sufficit ad hoc, vt lex humana obliget sub mortali.*
43 *Obiectiones in contrarium cum solutione.*
44 *In qua materia graui lex humana, vt ad mortale obliget, non requirat: & in qua requirat, legislatoris voluntatem taliter obligandi.*
45 *Extra casus etiam contemptus, & scandali, legem humanam obligare posse ad mortale: non modo ecclesiasticam, sed etiam ciuilem.*
46 *Ex quibus cognoscatur legislatoris intentio obligandi ad mortale.*
47 *Ratio quâ cognoscitur ex consuetudine.*
48 *Quomodo ex verbis legis cognoscenda sit.*
49 *De pœnis spiritalibus, quæ per legem impositæ, indicant ipsam sub mortali obligare.*
50 *Quòd pœnæ ciuiles non sint sufficiens signum talis obligationis.*
51 *Solutio obiectionum in contrarium.*
52 *Verba præceptiua de se non indicant sufficienter leges ea continentes, obligare ad mortale.*
53 *Exceptio in lege Ecclesiastica secundùm Nauarrum.*
54 *Eiusdem exceptionis moderatio.*
55 *Quod verba præceptiua non obstent, quin lex ecclesiastica benignam admittat interpretationem, quâ censeatur non obligare ad mortale.*
56 *Id exemplo declaratur, & ratione confirmatur.*
57 *Qua ratione responderi possit obiectioni factæ in contrarium.*
58 *Legis humanæ obligatio cessat cessante causa ipsius.*
59 *Circa idipsum quædam pro praxi notanda.*

Documentum de lege humana includente diuinam.

SECTIO I.

RIMVM documentum est: legem obligare ad mortale, cùm in se continet ius diuinum obligans ad mortale. In hoc omnes conueniunt, neque de eo dubitandi causa esse potest: quia si ius aliquod diuinum sine humano obliget ad mortale, multò magis obligabit ei coniunctum.

Pro illius autem explicatione notandum est, dupliciter posse contingere, vt ius humanum in se contineat diuinū: primò, ex parte materiæ, quando illud quod prohibetur lege humana, prohibetur quoque lege Dei; vel expresè, vt ne quis blasphemet: vel tacitè, vt quando lex humana talis est, cuius transgressio infert graue damnum proximo, vel est causa magni scandali: vel pro principali causa habet contemptum Superioris: vel est contra votum aut iuramentum transgressoris. Tunc enim continet legem Dei obligantem ad mortale, quia inferre graue damnum proximo per præcedentis cap. regulam primam; aut illum grauiter scandalizare, per illud Domini Matthæi 18. Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & mergatur in profundum maris:] aut in contemptum Superioris transgredi legem; per quintam regulam sequentis capitis vltimi; aut demum votum vel iuramentum violare per secundum præceptum Decalogi, peccatum est prohibitum lege diuina obligante ad mortale. *Nu.40.*

Secundo modo potest contingere ex parte finis, in quem

in quem lex humana dirigitur: quando is est aliquid iuris diuini obligantis ad mortale. Nam ratione talis obligationis, transgressio dictæ legis humanæ peccatum est mortale, si eo consilio illa admittatur, vt talis finis impediatur. Exemplum est cùm quis ideo Missam in die festo audire non vult, quòd nolit vacare Deo, & cultum ei debitum exhibere. Idem iudicandum est, quoties peccatur, vt charitas impediatur, quæ omnium præceptorum finis est communis. Rationem adfert Caiet. in summula, verbo Præceptum, quia transgrediens hoc modo præceptum humanum, proportionaliter se habet ad finem eiusdem præcepti, sicut transgrediens illud ex contemptu, habet se vel ad idipsum præceptum, vel ad præcipientem: vtpote qui finem præcepti respuit, sicut alter respuit præceptum.

Documentum de lege humana condita in materia graui.

SECTIO II.

Nu.41. SEcundum documentum est: legem humanam ad mortale obligare, quæ à legislatore condita est in materia graui, cum voluntate obligandi ad mortale. In hoc perinde ac in præced. Catholici omnes conueniunt. Cùm enim consentiant legem humanam posse habere vim obligandi ad mortale, vt in præced. cap. annotatum est; negare nequeunt id maximè vsuuenire illi in materia graui, & quando legislatoris voluntas est, taliter obligare.

Ad pleniorem autem illius intelligentiam notandum est, materiam legis dupliciter censeri grauem: vno modo ex se, suóque genere: quando scilicet eiusdem legis transgressio à quocumque fiat, iniuriam ac detrimentum notabile adfert: altero modo ex relatione ad bonum commune: nempe quando transgressio legis, si ab vno vel altero fiat, parum tantummodo nocere potest: sed si fiat ab omnibus, vel à pluribus, infert graue detrimentum Reipub. Vnde ea ipsa lex habet, vt de facto censeatur esse in materia graui. Exemplo sunt transgressiones legis ciuilis, quâ prohibetur frumenta exportari extra regnum vigente penuriâ: & legis Ecclesiasticæ, quâ Clerici prohibentur venari, aut quâ iubentur ferre tonsuram & vestem Clericalem. Nam frumenti aliquid ab vno vel altero exportari extra regnum, non potest de se magnum huic afferre nocumētum: exportari autem ab omnibus communiter, vel à pluribus, potest regno grauiter nocere. Similiter Clericum vnum vel alterum venari, aut habitum & tonsuram Clericalem non ferre, haud magnum quidem infert damnum Ecclesiæ: sed omnes venari, vel nullum eorum tonsuram & habitum Clericalem ferre, grauiter nocet Ecclesiasticæ disciplinæ.

Nu.42. Notandum est secundò: vt lex humana obliget ad mortale, grauitatem materiæ debere necessariò concurrere cum legislatoris voluntate. Vnde si constiterit eam conditam esse in materia neutro dictorum modorum graui; constabit quoque non obligare ad mortale, quæcumque fuerit voluntas legislatoris, *tanquam rationi dissona*: quia lex condita in materia vtroque eo modo leui: seu disponens de re nec magni momēti, nec multū necessaria reip. (vt cēsetur cōtingere cùm trāsgressio illius nec ex se, nec ex ordine ad bonū commune nata est adferre notabile detrimentum) non potest sufficientem habere causam imponendi obligationem ad mortale; vt Alphon. à Valerij Par. III. to. 1. Cestro *in lib. 1. de lege pœnali cap. 5. document. 2.* rectè ex eo confirmat: quòd alioqui peior, miseriórque esset in hac vita subiectio animę, quàm corporis. Nam lex humana nequit hominem pro re leui, ad mortem corporalem obligare; adeout ille verè tyrannus haberetur, qui constitueret talem legem: nimirum imponentem capitis pœnam pro re leui. Multo igitur minus obligare poterit ad mortem spiritalem, seu damnationem æternam, quæ infinitis partibus grauior est: præsertim cùm omnium legum cōdendarum potestas Principibus, tum Ecclesiasticis tum laicis concessa, sit in subditorum bonum, non in perniciem & animarum laqueum.

Si obiicias ex leg. 1. ff. de constitut. Principum: Quod Principi placuit, legis habere vigorem. Respondet Alphonsus; id esse intelligēdum, si iusta adsit voluntas: aliàs solam voluntatem Principis sine causa legitima non posse aliquem obligare in conscientia: quia iure naturæ quisque à tali obligatione eximitur, cùm sit contra rectam rationem. Quæ verò iuris naturalis existunt, Principi non licet tollere, ex Clemen. Pastoralis De sentent. & re iudicata §. Cæterùm. *Nu. 43.*

Si secundò obiicias ex Caiet. in summula verbo Præceptum; in Iure canonico esse quædam præcepta minima, seu de re leui sub mortali imposita; quale est in Extrauag. communi Detestandę, De sepulturis: de cadaueribus non exenterandis, & in frusta concidendis, vt ad alia loca transferantur. Ea enim exenteratio & concisio res est de se non magni momenti; & nihilominus prohibetur sub pœna excommunicationis maioris, & ex consequenti sub peccato mortali; quia excommunicatio maior imponi potest tantùm ob mortale ex cap. Nemo Episcoporū 11. quæst. 3. Respōdendum est, dici talia præcepta minima eoquod dentur de re leui ex suo genere. Ipsa autem imponi sub mortali, ob aliquam talis rei circunstantiā, qua in ordine ad bonum commune, illa sic aggrauetur, vt sufficientem Superiori præbeat causam iungendi sub mortali: sicut in casu proposito præbuit, quòd eiusmodi exenteratio & concisio abiisset in consuetudinem: quæ mentes fidelium horrore commouebat, & perturbabat auditum: vt sub initium memoratæ Extrauagantis habetur. Cuiusmodi causam, caritas annonæ item præbet præcipiendi ne frumentum ex vrbe efferatur: quod alioqui est ex se leue, seu nullam vi sua inferens iniuriam. Similiter bellum ingruens præbet causam præcipiendi, vt ciues sumant arma & portas ciuitatis custodiant, quod aliàs est quid ex se indifferens.

Quam responsionem Alphonsus loco cit. insinuauit, cùm postquam ex antedictis collegit, perperam sentire eos religionum Prælatos, qui putant se posse ad mortalem culpam subditos obligare propter solius silentij violationem: aut propter solam vnius lactucæ manducationem sine licētia: aut propter aliud simile, quod est ex se parui momenti; nec potest grauiter religioni nocere: subiungit posse his rebus paruis, talem támque grauē circunstantiam coniungi, *vt graue scandalum religionis, aut magnam occasionem trāsgressionis votorum* quòd meritò posset Prælatus res eiusmodi prohibere sub interminatione gehennæ.

Notandum est tertiò, Legem humanam hoc ipso, quòd fertur in materia graui priore modo, obligare ad mortale, etiamsi legislator non habuerit intentionem sic obligandi. Ratio est: quia ex voluntate quidem legislatoris pendet præcipere, aut non præcipere; tamen posito semel præcepto, vis & quantitas obligationis spectanda est, non ex illa voluntate, sed ex naturali iure, quo parendum est Superioribus secundùm rectam rationem præcipientibus, & ex *Nu.44.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rei quæ præcipitur grauitate: vt sicut non potest Superior in re leui dare præceptum obligans ad culpam mortalem prout ante dictum est; ita nec possit dare in re graui, obligans solummodo ad veniale. Quod illustratur exemplo vouentis aut iurantis se aliquid magni momenti facturum: qui ex naturali lege de voto & iuramento seruando, & ex materiæ grauitate tenetur sub mortali implere illud; non obstante, quòd in potestate ipsius fuerit non vouere, aut non iurare. De qua re pluribus Gabriel Vasquez ad 1.2. D.Thomæ *disput.* 158. *cap.* 4.

Quòd verò non sufficiat legem humanam conditam esse in materia posteriori modo graui, vt censeatur obligare ad mortale: sed simul requirat, vt à legislatore condita sit cum iusta voluntate imponendi talem obligationem: Alphonsus *in cit. cap. 5 docum.* 4. ex eo probat, quòd alioqui fatendum esset hominem legislatorem sua lege semper obligare ad mortale, quoties ipse potest; cùm in materia leui nunquã possit. Si opponas, videri antedictis repugnare, quòd lex in materia graui obliget tantùm ad veniale. Respondetur, antedicta esse intelligẽda de materia graui priore modo; in qua transgressio legis, etiamsi ab vno tantùm fiat, notabile damnum infert: adeout talis lex humana diuinam includat ad mortale obligantem, ex regula 1. in proximè præced. cap. tradita.

Hic autem agi de materia secundo modo graui; in qua transgressio legis, quæ purè humana est, si ab vno vel altero, vel paucis fiat, nullum adfert notabile detrimentum: licet adferret Reip. si fieret à pluribus, aut ab eodem nimium repeteretur. Lex igitur posita in tali materia, obligat ex intentione legislatoris; vel ad culpam mortalem vel tantùm venialem, vel etiam ad nullam: sed tantummodo ad pœnam temporalem, iuxta ea quæ dicta sunt in lib. 13. cap. 18. quæst. 3. Itaut lata lege cum intentione obligandi ad mortale, ne quis extra regnum pecuniam exportet, exportans peccet mortaliter: etiamsi ea ipsius exportatio parum noceret reip. prout in relectione de potestate ciuili num. 19. Franciscus à Victor. expressit. Lata verò cum intentione obligandi tantùm ad veniale, aut tantùm ad pœnam temporalem: non peccet, plusquam venialiter: aut ne venialiter quidem, sed tantùm reus pœnæ temporalis constituatur. Iam quòd talis obligatio ad culpam siue mortalem siue venialem, non requirat necessariò expressam intentionem legislatoris talem imponendi, sed sufficere possit tacita, in eodem loco antea docuimus.

Ratio cognoscendi. An legislatoris intentio fuerit obligandi ad peccatum mortale.

Sectio III.

Nu.45. QVæ verò sit ratio cognoscendi siue expressam siue tacitam legislatoris intentionem obligandi ad mortale, sequenti documento declaratur: cui duo præmittenda sunt cum Gregor. à Valent. 1.2. *disput. 7. quæst. 5. punct. 6. circa medium.*

Prius est: meritò Nauarrum in Enchir. cap. 23. nu. 55. improbare quod Imola, Felinus & Caiet. sentiunt leges humanas non obligare per se submortali, secluso contemptu vel scandalo. Nam nequeunt id asserere ob defectum potestatis in legislatore, in quo aliquam esse ad obligandum sub mortali; patet ex dictis in præced. cap. num. 39. cámque non definitam ad duos tantùm illos casus: vt constat ex communi existimatione fidelium, qui leges aliquas humanas secluso etiam contemptu & scandalo, censent ex iusta Superioris voluntate obseruandas esse sub mortali, vt leges de Quadragesimali ieiunio: de annali confessione & communione: De Missa in die festo audienda. Nec item possunt id asserere ob voluntatis defectum: quia impossibile est scire quòd Superiores, cùm possint, nunquam velint sua lege obligare ad mortale.

Posterius est: Leges ciuiles, sicut & Ecclesiasticas obligare posse sub mortali, quando legislator id vult iusta intentione. Hoc patet per illud quod de lege humana in genere ostendimus lib. 13. cap. 18. quæst. 2. eam in conscientia obligare ex iusta intentione legislatoris. Idem sentientes Alphonsus à Castro in lib. 1. De lege pœnali, & Nauar. ad cap. Fraternitas. 12. quæst. 2. *ille cap. 4. & hic num.* 17. id probant hac potissimùm ratione: quòd Magistratibus in ordine ad rempublicam, perinde obedientia debeatur, immo etiam magis, quàm parentibus in ordine ad rem familiarem: sed præcepta quæ à patre filio dantur in ordine ad rem familiarem, possunt hunc obligare ad mortale. Ergo poterunt & subditum obligare præcepta quæ dantur à magistratu in ordine ad rempub. Consequentia est manifesta. Maior probatur: quia quando potestates diuersæ sunt & subordinatæ, superiori potius quàm inferiori obediendum est. Potestates autem patris & Principis subordinatæ sunt: quia pater in rebus ciuilibus subditur Principi. Ergo & filius, qui vtrique subditur, potius Principi in re ciuili, quàm patri in re domestica obedire debet. Minor autem ex eo probatur, quòd D. Paulus ad Rom. 1. inter multa & grauia Gentilium peccata, quæ ibi enumerat, parentum inobedientiam ponat: & tandem omnibus enumeratis, dicat: Qui talia agunt, digni sunt morte:] quod idem est ac omnia peccata illic nominata, esse mortalia; adeóque inobedientiam parentum.

Nu.46. His ita positis hoc tertium documentum statuitur, An intentio legislatoris ferentis legem humanam fuerit, vt ea ipsa lex sub mortali obligaret: cognosci primò, & præcipuè ex legislatore ipso, si perspicuè eam esse suam intentionem declaret; itémque si legem ferat absolutè in materia graui: nec vllo verbo aut signo, alióve modo declaret se non habere intentionem obligandi in conscientia. Tunc enim locum habet illud Soti *libro primo, De iustitia & iure quæst. 6. art. quarto*, pro ratione materiæ, iudicandum esse, legem ex parte legislatoris obligare in conscientia sub veniali, vel sub mortali peccato. Et confirmatur quia cùm legislator ipse non limitat vsum authoritatis suæ, consentaneum est iudicare simpliciter, quòd ex tota authoritate sua legem condat, eique obligandi vim quam potest tribuat. In graui autem materia potest ad mortale obligare, sicut in leui ad veniale, per antedicta.

Nu.47. Deinde cognosci ex consuetudine, *vtpote legis interprete*, si quando scilicet ipsa lex humana à maiori saltem parte populi obseruatur, tanquam obligans ad mortale. Exemplo sint consuetudines eæ, quibus obseruantur leges de ieiunio Quadragesimali, de facienda peccatorum confessione semel in anno, & de sumenda Eucharistia in Paschate, nonnullæque aliæ. In quibus consuetudinibus diiudicandis & discernendis ab iis quæ non ostendunt obseruationem legis, tanquam obligantis ad culpam saltem mortalem (qualis est consuetudo dicendi salutationem Angelicam, cùm ad eam ter in die signum datur) standum est existimationi & iudicio prudentum ac bonorum virorum. Iam si neutro duorum illorum modorum constare possit, an lex ad mortale obliget nécne, recurrendum est ad ipsius verba: de quibus ex Nauarro in Enchir. cap. 23. numero 49. & ali

& aliquot sequentibus dantur duo sequentia documenta.

Ratio cognoscendi intentionem legislatoris ex verbis legis.

Sectio IV.

Nu.48. QVartum igitur documentum est. Secundùm communem sententiam, leges humanas etiam Canonicas, non obligare ad mortale, cùm non habent verba præceptiua, vel prohibitiua (cuiusmodi ista esse notat Alphon. à Castro *in lib. 1. De lege pœnali cap. 5. docum. 4.* præcipio, mando, iubeo, prohibeo, veto, interdico, & his æquiualentia: vt ista debeant, necessariò teneantur, necesse est, non licet, non potest) sed habent solum ordinatiua, vel constitutiua: qualia Alphonsus ibidem ista esse ait; decernimus, statuimus, ordinamus, volumus, sanctimus; etiamsi imperatiui modi sint: vt illa: facite, dicite, faciant, dicant; & similia, quæ secundùm intelligentiam communem nec præceptum significant, nec prohibitionem.

Cuius obseruationis rationem reddit Nauar. *in citato num.* 49. quia licet author talis legis, per eiusmodi verba significare videatur voluntatem suam esse, vt transgressio illius sit actus vitiosus, cùm antea fuerit indifferens (sicut & actus illam obseruandi, est actus virtutis ex indifferẽti, vt Sotus notauit *in lib. 1. De iust. & iure quæst. 6. art. 4.*) & consequenter vt sit peccatum saltem veniale: quia tamen per illa ipsa verba, nec præcipit nec prohibet; significat se nolle obligare ad mortale, nisi fortè lex ipsa contineat aliquid præsupponens peccatum mortale; vt si contineat pœnam excommunicationis maioris: quia etsi tunc lata non sit per verba præceptiua, aut prohibitiua, tamen, *vt Nauar. notat in sequen. num. 53.* censenda est voluntate legislatoris obligare ad peccatum mortale: cùm iuxta cap. Præterea, De officio delegati, is qui vult aliquid, censetur etiam velle aliud, sine quo illud esse nequit.

De pœnis in humana lege indicantibus eam sub mortali obligare.

Sectio V.

Nu.49. IVdicatur autem lex continere aliquid præsupponens peccatum mortale (quod pro quinto documento teneri potest) primò, cùm fertur sub pœna indignationis Dei, seu maledictionis æternæ. Hanc enim nemo incurrit nisi in statu peccati mortalis. Deinde cùm præcipitur vt transgressor impœnitens non absoluatur, vel ad alium mittatur pro absolutione Sacramentali: quia nulli neganda est talis absolutio nisi pro peccato mortali. Præterea si talis lex ponatur in materia, in qua lex altera obligat ad mortale: quia tunc, si non ratione sui, saltem ratione illius alterius quam continet, obligabit ad peccatum mortale. Demum quando transgressori lex imponit pœnam, quæ non nisi ob peccatum mortale incurritur: quales sunt, *vt loco cit. Alphon. à Castro* meminit, priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ, degradatio, & excommunicatio maior; siue ipsa sit latæ sententiæ, ipsóque facto incurrenda, siue sententiæ ferendæ, ac tantùm comminatoria: quod expresserunt Syluester in verbo Præceptum, & Caiet. 2.2. *ille quæst. 3. hic quæst. 186. art. 9. approbátque Nauar. in eodem cap. 23 num. 52.* quia nullum peccatum nisi mortale, est causa sufficiens feriendi aliquem excommunicatione maiori cap. Nemo, & cap. Nullus 11. quæst. 3.

Quanquam tamen, vt Caiet. ipse habet in Summula verbo, Clericus, approbántque Alphonsus, & Nauar. locis citatis si excommunicatio quam lex imponit sit tantùm cõminatoria, necdum per sententiam Iudicis fulminata: transgressor talis legis non est ex ea pœna iudicandus peccare mortaliter quousque transgressio peruenerit eò, vt ille resistens monitorio, tanquam plenè inobediens, sit dignus excommunicari. De quo latè Suarez tomo 5. disput. 18. sect. 3. à num. 20. Aduerte verò quod Vasquez 1. 2. disput. 158. cap. 5. monet: quando lex sub pœna excommunicationis fertur absolutè; non intelligi præmittendam esse monitionem nisi id exprimatur in ipsa lege de se alioqui admonens sufficienter.

De pœnis irregularitatis, suspensionis, & interdicti, difficultas est: de qua authores, & rationes in vtramque partem adfert idem Vasquez ibidem nu. 46. & sequen. affirmantémque contra Nauar. sequitur cum Syluestro, & Med. nempe cùm infliguntur à lege ob peccatum; eas esse sufficiens signum, quod illud peccatum sit mortale. De quo non videtur dubitandum cum notabiliter grauant, habéntque remedium difficile, *prout plerumque solet iuxta tradita communiter de illarum relaxatione.* Quapropter causæ ob quas imponuntur debent esse graues; adeóque si eæ sint peccata, debent esse grauia.

De pœnis ciuilibus difficultas.

Nu.50. POrrò quod ad prædictas pœnas, *quæ cum spirituales sint, imponi tantum possunt ab Ecclesiasticis Prælatis*, Alphonsus adiunxit mortem, carcerem perpetuum, confiscationem omnium bonorum, & infamiam: quæ possunt, *vt ibi & multæ aliæ temporales*, imponi à magistratibus laicis: immò & ab Ecclesiasticis excepta morte, & mutilatione. Adiunxit, inquam, tanquam signa sufficientia legis obligantis ad mortale: reiicitur per illud quod Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 55. & aliquot sequentibus confirmat: ex pœna temporaria, quam lex humana imponit, non duci argumentũ sufficiens ad ostendendũ in dubio, obligationem illius esse ad peccatum mortale: ne si quidem, *vt idem in numero 57. expressit*, sint graues illæ ex ipso Alphonso relatæ: nisi aliunde ex aliquo certo signo constet legislatorem voluisse eiusmodi legem pœnalem subditos obligare, non modo ad temporalem pœnam subeundam, sed etiam ad reatum peccati mortalis: nempe si lex Ecclesiastica pœnam spiritalem, quæ non nisi ob mortale incurritur, imponat simul cum temporaria: aut lex ciuilis lata à Principe cui subditi obedientiam, & fidelitatem iurarunt (sicut vt plurimùm solent Christiani 15. *quæst. 6. cap. 2. & sequentibus*) si feratur iniungendo, vel inhibendo aliquid in virtute præstiti iuramenti addita pœna aliqua temporaria transgressori.

Suam sententiam Nauar. num. 55. & 56. confirmat, tum ex consuetudine, ac existimatione communi hominum, qui siue nobiles, siue plebeij, siue docti, siue indocti persuadent sibi, legislatorem ad eam tantùm pœnam temporalem obligare voluisse, quam in lege solam expressit: neque ad spiritalem peccati mortalis, extendisse intentionem suam, quando eius rei nullum certum signum exhibuit: tanquam putans eam talis pœnæ temporalis comminationem satis fore ad deterrendum subditos à legis suæ transgressione. Tum ex authoritate eorum qui asserunt legem

Universidad de Deusto
Biblioteca

purè pœnalem nó obligare ad culpam: quorum sententiam secuti sumus in lib. 13. cap. 26. quæst. 1. Ex qua sequitur pœnam lege humana impositam, non modo non esse de se sufficiens signum obligationis illius ad mortale: sed nec esse sufficiens obligationis ad culpam, siue mortalem siue venialem. Tum demum hac ratione: quòd in dubio lex accipienda sit secundùm eum sensum quo est minus pœnalis; iuxta cap. In pœnis De regul. iuris in 6. & legem Si præses, & legem De interpretatione ff. De pœnis. Quando igitur in lege pœnam temporalem imponente nihil datur, ex quo intelligatur obligare ad mortale: ea sic accipi potest, vt censeatur talem obligationem minimè continere: præsertim cùm ille qui de duobus propositis vnum affirmat, alterum negare videatur. ex cap. Nónne De præsumptionibus: & ideo legislator qui ad pœnam æternam & ad temporalem obligare potest: hanc irrogando, illam de qua penitus tacet, excludere videtur.

Nu. 51. Sed duo obiici possunt. Alterum, quòd sit mortale, obiicere se probabili periculo amissionis vitæ, aut alicuius membri. Eum autem qui transgreditur legem imponentem transgressori mortis vel mutilationis supplicium, exponere se tali periculo. Alterum est, quòd talis lex iniusta esset, tam grauem constituens pœnam ob actum, qui non sit peccatum mortale. Priori autem, Nauar. in seq. nu. 57. occurrit; esse quidem peccatum mortale exponere se temere probabili periculo mortis vel mutilationis; quia violatur quintum Decalogi præceptum: sed transgredi legem quæ mortis vel mutilationis pœnam imponit, non esse de se, tali periculo se exponere: vt argumento est; quòd possit quis tanta cautione eiusmodi legem violare, vt non incurrat in probabile periculum pœnæ ab ea constitutæ. Posteriori verò idem in sequen. num. 58. occurrit: ad iustitiam legis satis esse, vt illius mortalis transgressio præsumatur in foro exteriori: *etiamsi forte in interno aliter iudicaretur*: vt præsumi potest cùm quis legem iustam, sine iusta causa violat: siquidè videtur per contemptum; siue eiusdem legis, siue legislatoris violare: quod est de se peccatum mortale, graui pœna dignum.

Accedit quod iam tradidimus loco citato; pœnam iustè constitui, non tantùm propter culpam, sed etiam propter causam: seu propter omissionem alicuius valde necessarij, aut vtilis ad commune Reipub. bonum: à qua omissione legislator velit subditos reuocare, solius grauioris pœnæ temporalis metu. Quo modo Nauar. ait *sub finem cit. num.* 58. aliquot exercituum ductores suo tempore laudatos fuisse; quòd propter minima furta, morte affecerunt aliquos milites, ad disciplinam militarem conseruandã.

Quibus obiectionibus addi posse videretur; impositionem pœnæ temporalis per legem, indicium esse, quòd legislator eam ferens, voluerit obligare subditos, quàm potuit seuerissimè: atqueadeo ad peccatum mortale. Sed necessarium non est id sentire: quia cùm præsumendum etiam sit legislatores velle suauiter, & quantum res patitur, sine periculo animarum gubernare subditos; coniicere possumus, dum leges ferunt comminatorias, solius pœnæ temporalis; ipsos existimare satis, fore prospectum bono communi per eas suas leges, si ad pœnam tantùm temporalem obligent: ideóque non intendisse aliter obligare.

De vi verborum præceptiuorum in lege.

Sectio VI.

SExtum documentum est: Nullum quidem vetbum in lege quantumuis præceptiuum, vel prohibitiuum, per significatum quod habet ex prima sua impositione, sufficienter ostendere, quòd intentio legislatoris fuerit obligare transgressorem ad peccatum mortale. Hoc Nauar. in eodem cap. 23. num. 50. & 51. cum Caiet. confirmat ex eo, quòd verba, præcipimus, obligamus, mandamus, vetamus, inhibemus, prohibemus, debeat, obligetur, teneatur: omnia ac singula sint generalia, tam apta ad inducendam obligationem ad peccatum veniale, quàm ad mortale. Nam ideo apta sunt obligationem inducere, quia sunt apta facere legem præceptiuam: quæ in hoc à consultoria distinguitur, quòd inducat obligationem ad aliquod peccatum, & consultoria ad nullum: vtpote quæ sit de bono, cuius contrarium non est malum: vt de virginitate, in priore ad Corinth. cap. septimo: cuius contrarium in vsu legitimi matrimonij, non est malum. Lex autem non obligat necessariò ad mortale, hoc ipso quòd præceptiua est: quia lex de non mentiendo iocosè absque damno alterius, aliæque multæ, præceptiuæ sunt: nec obligant ex communi Catholicorum sententia, nisi ad veniale. *Nu. 52.*

Accedit quòd ex sacræ Scripturæ vsu, ne ipsum quidem præcipiendi verbum, denotet obligationem ad peccatum mortale. Non enim, vt rectè ait Alphonsus, *in supra cit. docum.* 4. cùm Christus Marci 8. præcepit discumbere eos quos septem panibus refecturus erat: nec cùm præcepit Discipulis vt paucos quos habebant pisciculos apponerent: nec cum præcepit infirmis ab ipso curatis, vt nemini dicerent, putandus est talibus præceptis ad peccatum mortale voluisse illos obligare.

Addit nihilominus Nauarrus, talia verba in lege Ecclesiastica, indicare conditorem ipsius habuisse animum obligandi transgressorem ad peccatum mortale: nisi quid in ea expressum sit, quo contrarium sufficienter significetur. Idque confirmat ex Clemen. Exiui de paradiso §. Cùm autem De verborum significatione: vbi habetur, Sanctum Franciscum noluisse æqualiter obligare suos Religiosos ad omnia quæ regula ipsius continet: cùm ad quædam apponat verbum præcepti, vel ei æquipollens: quoad quædam verò non apponat. Quæ ratio vt valeat, farendum est, Pontificem præsupponere tanquam manifestum, quòd verba præceptiua, illisque æquipollentia in iure Canonico vim habeant exprimendi obligationem ad culpam mortalem. Vnde sumpta est communis, *vt à Nauar. dicitur*, Doctorum sententia: quòd intentio cuiuslibet legislatoris Ecclesiastici vtentis in sua lege verbo præceptiuo, aut prohibitiuo, *nisi contrarium per aliquod aliud indicium sufficienter significetur, communi prudentum iudicio*; sit obligare ad mortale. Maximè autem si tali verbo fiant additiones, per quas significetur obligationis incrementum: vt si dicatur districtè præcipimus: arctè prohibemus: in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus: sub obtestatione diuini iudicij prohibemus. Quam Nauarri sententiam qui reiicere volet tanquam duriorem, & fundamentum multiplicandi leges ad mortale obligantes: atque quodammodo nectendi animabus laqueum, patronum habebit Gabrielem Vasquez 1. 2. *disput.* 158. *cap.* 4. *Nu. 53.*

Sed placet potius illam admittere cum restrictione: nempe vt ea non obstante, approbemus quod Alphonsus notat in libro primo de lege pœnali cap. 5. documento 4. ex eo quod verba præceptiua, illisque æquipollentia in iure canonico vim habeant exprimendi obligationem ad culpam mortalem: non esse inferendum in omnibus aliis statutis idem etiam semper *Nu. 54.*

semper vsuuenire: quia, vt ostensum est antea, ne quidem in lege diuina, id perpetuum est; itemque existimemus legislatoris Ecclesiastici legem admittere benignam interpretationem viri prudentis, ex iusta causa præsumentis de pia præcipientis vel prohibentis intentione, quòd ea non fuerit obligandi ad mortale. Hinc, *quod Caiet. notat 2. 2. quæst. 186. art. 9. in responsione ad 2. dubium*: etiamsi D. Augustinus in principio suæ regulæ dicat Hæc sunt quæ vt obseruetis præcipimus in monasterio constituti: tamen non omnia quæ subiungit iudicantur obligare ad mortale.

Nu. 55. Deinde, vt Driedo habet De libertate Christ. *pag.* 174. *in Codice Louanij edito, anno* 1540. humana mandata & statuta seu decreta, etiam vniuersaliter prolata, nunquam ita generaliter intelliguntur, quin interpretationes & conditiones ciuiles seu non duras intelligentias suscipiant, prout sapiens rectè iudicabit: quantumuis sint iurata, aut in virtute præstiti iuramenti imposita, iuxta illud quod in cap. 1. De iureiurando in 6. definitur. Iuramenta sub quacumque generalitate præstita, vel præstanda super statutis vel consuetudinibus seruandis; ad licita, possibilia, & libertati Ecclesiasticæ non obuiantia tantummodo extendi: ipsósque iurantes, ad alia per præstationem iuramenti non teneri. Licita autem intellige cum eodem Driedone, non omnia: sed ea quæ non sunt abolita: quia licita, quæ per non vsum abierunt in desuetudinem, non intelliguntur generali statuto comprehensa ex ea parte, qua per consuetudinem contrariam abolita sunt, quæve statutum ipsum vim suam non retinet amplius: adeout intentio generaliter iurantis, se alicuius collegij aut communitatis statuta seruaturum, non referatur ad alia quàm ad licita non abolita; nisi is quoque expresse scientérque iuraret, se seruaturum licita, etiam abolita.

Nu. 56. In exemplum talis interpretationis ciuilis, seu non duræ, vsurpari potest quod idem author paulo superius habet. Statuta quibus Rectores in vniuersitatibus præcipiunt virtute præstiti iuramenti, vt omnes intersint congregationi à se indictæ, aut Missæ. solemni, aut aliud huiusmodi: interpretanda esse, præsumendo de pia intentione mandantis, quòd in talibus non magni ponderis, id est, non admodum necessariis ad finem in quem diriguntur, *qualis est Rectori honorem, & Vniuersitati decorem adferre, cui sufficere potest notabilium aliquot personarum præsentia*: nolit obligare ad reatum periurij: sed solùm reuocare in memoriam iuramentum præstitum; ne mandatum ipsius habeatur tanquam contemnendum; nam intentio esset alioqui irrationabilis: quippe quæ esset obligandi ad mortale in leui materia. Secus autem foret in materia graui; prout idem author satis indicat, cùm addit postea: dum Rector sigillatim singulos vocari facit pro causa & negotiis arduis, quæ merito exigunt præsentias, consensus, consilia, & deliberationes singulorum non habentium legitimam abessendi causam, tunc mortalem culpam posse continere.

Mitigari adhuc potest propositæ sententiæ rigor de obligatione legis Ecclesiasticæ ad mortale, per illud quod habet Caietanus in Summula verbo Præceptum circa finem. In qualibet Ecclesia seu religione, illa tantùm verba vim obtinere præcepti antonomasticè, *id est, obligantis ad mortale, vt ipsemet ibidem circa principium interpretatur*: quæ consueuerunt in illa intelligi habérive pro præceptis antonomasticè. Quæ verò non consueuerunt sic intelligi (quandoquidem id argumento est; vel non fuisse à Superiore posita, vel non fuisse à subditis recepta cum tam graui obligatione) non habere vim præcepti illius modi; etiamsi verba sint præceptiua: quæquidem accipienda sunt iuxta communem vsum, & receptam consuetudinem, quæ facere potest vt lex vel non recipiatur vel recepta abrogetur.

Quod si obiiciatur, Pontificem in cit. Clement. ostendisse rationem optimam interpretandi leges Ecclesiasticas, quod attinet ad earum obligationem sub mortali: ac proinde cùm determinet ibidem, quæ in regula S. Francisci statuuntur per verba præceptiua, obligare ad mortale; non videri consentaneum, vt alias eiusdem generis leges, interpretemur negando eis talem obligationem. Respondeti potest peculiarem fuisse causam rigidæ interpretationis, verbi præceptiui in regula S. Francisci: nempe, vt Nauarri *in cit. cap.* 23. *num.* 52. verbis vtar; quòd positum in ore tam magni sancti, & authoris tam sanctæ & arctæ regulæ, & ad subditos tantæ perfectionis & asperitatis; meritò iudicari debeat vsurpatum rigidè. *Nu. 57.*

De legis humanæ cessatione ab obligatione ad mortale, cessante illius causa.

Sectio Vltima.

POstremum documentum, quod habet Alphon. à Castro *in libro* 1. *De lege pœnali cap.* 5. *vbi illud facit tertium.* Legem humanam quæ propter aliquam causam obligat transgressorem ad peccatum mortale, cessante tali causa, non inducere amplius talem obligationem. Ratio est: quia vt lex iusta obligans ad mortale, ferri non potuisset, nisi iusta adfuisset causa talis obligationis: ita nec lata, manere potest cum tali obligatione, nisi manente tali causa: quia cessante causa cessat & effectus cap. Cum cessante De appell. Itaque si propter graue scandalum quod ex aliquo facto timetur, ipsum sub pœna peccati mortalis prohibetur, cessante omni talis scandali occasione, cessat & talis legis obligatio. Præterea si non extent amplius iustæ causæ propter quas constat lege esse imposita aliqua tributa, cessat & obligatio illa soluendi: vt Alphonsus plenius ibidem explicat. *Nu. 58.*

Qui etiam de duobus admonet. Alterum est, intelligendum esse hoc documentum de cessatione totalis causæ legis. Neque enim cessante causa partiali legem cessare: nisi fortè talis causa sit, ex qua legis obligatio ita pendeat, vt ea ad hanc inducendam, *omni alia causa secluſa*, per se sufficiat. Alterum est eam cessationem contingere posse, vel vniuersè, vt quando totalis ipsa causa legis, omnino tollitur: vel in aliquo particulari, vt quando aliquis habet rationabilem & sufficientem causam, cur à communi talis legis obligatione eximatur. De quibus videnda sunt antedicta lib. 13. nu. 180. & 181. Et addendum ex ipso Alphonso in sequenti documento quinto: siue cessatio vniuersè, siue in particulari contingat, posse licitè quemque contra legem agere; nisi forte ob scandalum vitandum oporteat ad Superiorem recurrere, ne obedientia debita ei denegari videatur. Illud autem intellige cùm res fuerit clara, id est, cùm apertè constiterit adesse rationabilem causam, ob quam si legislator præsens esset, omnino decerneret aut decernere deberet, legem suam non esse seruandam. Nam cùm dubia est cessatio causæ legis, vt contra hanc licitè agi possit, ne nos in nostra causa, *quod facile est*, decipi contingat: recurrendum est ad Superiorem qui potestatem habet in lege ipsa dispensandi. Quomodo Diuus Thomas 2. 2. *quæst.* 120. *articulo* *Nu. 59.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. *ad 3.* id quod habetur ex lege 1.Cod.de legib. nemini nisi Principi licere legis interpretationem dare;interpretatur inquiens, inrerpretationem locum habere in dubiis;in quibus nō licet absque determinatione Principis,à verbis legis recedere : in manifestis autē non esse opus interpretatione, sed executione. His autem documentis per modum appendicis addi potest,axioma esse apud Theologos & Iurisperitos vulgatum, Legem siue canonicam siue ciuilem fundatam in præsumptione , quæ veritati non consonat falsáque est ;non obligare in conscientia. Pro quo facit quòd in conscientiæ foro habeatur tantùm ratio veritatis. Eiusdem verò axiomatis variq à Doctoribus declarationes dantur, vt videre est apud Ioannem de Salas ad 1.2.D.Thomæ disput. 16. sect.7. Sed nobis sufficit illa,quâ (vt idem tangit sub finem eiusdem sectionis) resttingitur exceptione casus : in quo etiamsi lex in præsumptione,suspicionéue falsa fundetur:tamen Princeps eam ferens, reipsa vult, atque iustè vult propter bonum commune quod ex ea resultat: vt ea sortiatur effectum suum obligandi. Tunc enim ad obligationem , nec deest potestas sufficiens,nec debita intentio causáque iusta. Pluribus de eodem agens videri potest memoratus author in præced.disput. 10.sect. 4.

CAPVT VLTIMVM.

De reliquis regulis iudicandi de peccato an sit mortale an veniale,cum quibusdam additionibus eodem spectantibus.

SVMMARIVM.

60 *Pro regula iudicandi de peccatis haberi potest traditio virorum doctorum : & communis vsus piorum.*

61 *Duo documenta notanda de iis quæ in vsu varia sunt apud varios.*

62 *Transgrediens quancumque legem Superioris ex cōtemptu eiusdem legis , aut Superioris,peccat mortaliter.*

63 *Quod qua ratione probetur & restringatur.*

64 *Quomodo intelligi debeat diuisio peccati mortalis in superbiam,auaritiam,&c.*

65 *Quòd peccata venialia quantocumque sint numero, nunquam æquiualeant vni mortali.*

66 *Obiectiones duæ in contrarium,cum solutione.*

67 *Modus quo illud quod est de se leue , per iterationem mortale esse contingit.*

68 *Idem actus potest successiuè esse peccatum veniale & mortale.*

69 *Veniale ex suo genere,non fit ex circunstantia mortale intra eamdem speciem.*

70 *Modi per se,& per aliud,sicut non mutant speciem in genere moris:ita nec de veniali faciunt mortale.*

71 *Peccatum suo genere veniale non fit mortale per intensionem affectus voluntatis in illius perpetratione.*

72 *Peccatum ex suo genere mortale fit veniale,non per additionem aliquam,sed per detractionem.*

73 *Quomodo ex causa veniali, cogitatio aut delectatio genere suo mortalis,sit venialis.*

74 *Quod de cogitatione & delectatione in ea re dicitur, non habet pariter locum in operatione , & omissione.*

75 *De defectu aduertentiæ excusantis operationem , vel omissionem a mortali ; & nonnunquam simpliciter a peccato.*

76 *Quòd ob metum, etiam cadentem in constantem virum, peccatum non desinat esse mortale.*

Iudicium de mortali ex communi doctorum & proborum sentiendi & agendi vsu.

SECTIO I.

REGVLA quarta ad iudicandum de peccato sitne mortale, sumi potest ex communi iudicio & consuetudine virorum doctorum & piorum ; nempe illud peccatum quod communis virorum doctorum traditio , communisque virorum piorum vsus damnat tanquam peccatum mortale , pro tali habendum esse: non autem illud,de quo nullus solet ab illis fieri scrupulus. Hæc probatur:quia docti, *si qui alij*, possunt in dubio de lege aliqua ratiocinando cognoscere,nū imponat obligationem ad mortale:itaut id quod illi communi consensu dicunt esse peccatum mortale,ipsum cēseri debeat tale esse ; & confirmari optima ratione: vtpote quæ valuerit ad conciliandum inter homines iudicio præstantes vnanimem consensum. Meritò etiam piorum virorum vita communisque sensus sumitur pro viuendi regula, quia sicut rectum habent circa res agendas affectum, ita meritò præsumuntur de iisdem rectum habere iudicium. Ad quod facit 4.regula lib.13.num.122. *Nu.60.*

De eiusmodi autem,quæ varia variis in locis sunt in vsu,operæpretium est duo documenta obseruare: quæ Driedo de libertate Christiana pag.159. editionis memoratæ collegit ex D. August. in epist. 118. ad Ianuarium. Prius est,vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores , & habent aliquid exhortationis melioris vitæ, id est, valent ad mouendos & excitandos piè animos , accendendósque diuinæ dilectionis affectu : & ad excitationem , & custodiam fidei,diuinique cultus promotionem & augmentum : aut etiam ad Christianos inducendos in mysteriorum cœlestium reuerentiam , ac renouandam in illis , & inculcandam memoriam passionis Dominicæ , & beneficiorum per eam nobis impensorum. Quæ,inquam , istiusmodi sunt , vbicumque instituí videmus , vel instituta cognoscimus,non solùm non improbemus,sed & laudando, & imitando sectemur : nisi id aliquorum infirmitas ita impediat, vt maius detrimentum quàm lucrum sit ex eorum obseruatione expectandum. Atqueadeò in iis quæ per loca sic variantur,Non melior disciplina inueniri potest, quàm vt eo modo quisque agat, eúmque morem seruet , quo agere viderit Ecclesiam ad quā fortè venerit : inquit loco cit. D. August. & confirmat authoritate D.Ambrosij,qui cùm Mediolani ab ipso interrogaretur super consuetudine ieiunandi Sabbatho, respondit : cùm Romam venio ieiuno Sabbatho : Cùm hîc sum,non ieiuno:sic etiam tu,ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua , si cuiquam non vis esse scandalo , nec quemquam tibi. *Nu. 61.*

Posterius documentum est. Ea quæ nec sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur , nec in Conciliis Episcoporum statuta inueniuntur , nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt ; diuersorum autem locorum diuersis moribus ita variantur , vt vix aut omnino nunquam inueniri possint causæ, quas in eis instituendis secuti sunt homines:nihilque valere videntur ad exhortationem melioris vitæ:meritò cēseri rescindēda vbi facultas tribuitur:quia quantumcumque in eis non inueniatur, quòd

quòd ipsa sint contra fidem : religionem tamen premunt seruilibus oneribus , à quibus Dominus noster illam voluit esse liberam:non subdens amplius suos illi Mosaico iugo,quod (*vt Actorum 15. D.Petrus dixit*) neque patres nostri neque nos portare potuimus:sed suo iugo,*vt ipse vocat Matth.11.*suaui)& oneri leui. Vnde vt loco cit.sub initium ait.D.August. Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis , significatione præstantissimis,societatem noui populi colligauit. Quanquam tamen , *vt addit Driedo pag.161.* Ecclesia Dei nonnulla eiusmodi tolerat ad vitanda scandala:nisi sint contra fidem aut bonos mores:qualia nec approbat nec facit , nec dissimulat tacendo, sed reprehendit,auersatur,& damnat.

Iudicium de peccato mortali ex contemptu legis aut legislatoris.

SECTIO II.

Nu.62. QVinta & postrema regula spectans ad omnem legem, potest hæc esse , *quam Alphonsus tractat in lib. 1. de lege pœnali,sub finem quinti cap.* Lex omnis iusta quantumuis nullam aliàs inducat obligationē ad culpam, *vt consultoria*:aut certè ad solam venialem, semper ad hoc obligat sub mortali , vt non contemnatur ; seu , *quod idem est* , vt ei non contraueniatur ex contemptu.Cæterùm censetur tunc legi contraueniri ex contemptu,non quidem quoties quis,*etiam sciens* , ei non obtemperauerit:sed secundùm D.Thomam 2.2.*quæst.*186.*artic.*9.*ad* 3. *& alios quos refert Couar.ad cap. Alma mater De sentent.excommunic.in* 6. *parte priore §.*7. *num.* 6. quando ordinationi subiici renuit,indéque procedit ad agendum contra illam:ita scilicet vt, *Caiet.interprete ad citatum D. Thomæ locum*, simul concurrant transgressio legis tāquam effectus, & contemptus legis tanquam causa transgressionis; seu causa qua quis mouetur & inducitur ad legem ipsam transgrediendam. Quod si ex aliqua alia particulari causa trāsgressio proueniat, *addit D.Thomas*: vt ex concupiscentia , vel ex ira , alióue huiusmodi affectu ; non iudicabitur prouenire ex contemptu, ne quidem frequenter iterata,quidquid in contrariū plerique Canonistæ dixerint : quorum opinionem loco cit. Couarr. repudiat, istam D. Thomæ meritò cum Adriano & Alphonso approbans : quia cùm septies in die cadat iustus *ex cap.*24.*Prouerb.*iustus alioqui, *quod absurdum est*, dici deberet quotidie peccare ex contemptu , adeóque mortaliter,secundùm hanc nostram regulam.

Nu.63. Quæ à Caiet. in summula , verbo Contemptus; optimè ex eo confirmatur, quòd contra dilectionem Dei sit, nolle in aliquo ei subiici; & contra dilectionem proximi,quando subiectio ei debetur in aliquo, nolle tale debitum ei reddere. At ille, qui ex cōtemptu legem diuinam aut humanam iustam transgreditur,non vult Deo aut homini subiici cùm debet. Ergo talis actio ipsius , est contra dilectionem Dei vel proximi:ideóque contra charitatem directè , & per consequens peccatum mortale, vtpote charitatis destructiua. Itaque , *inquit Caiet.* peccatum est mortale,dicere verbum otiosum ex contemptu : hoc est, ideo dicere vt facias contra legem quę prohibet verbum otiosum. Similiter peccatum est mortale nolle institutum religiosum suscipere ex contemptu consiliorum Christi : id est,vt non subiiciaris , sed contrauenias consiliis Christi.

Admonet tamen idem Caietanus , non peccare mortaliter eum,qui propterea legem transgreditur, quòd eam cōtemnat;non quidem simpliciter; id est, non quod absolutè nolit legislatori obedire ; sed secūdùm quid ; nempe quòd illa sit in re leui,ob quam paruipendit non obedire:vt v.g. Si Prælatus subdito præcipiat; Claude ostium , & subditus contemnat obtemperare in eiusmodi re leui , *alioqui absolutè paratus obedire*, non peccat mortaliter; nisi fortè ex scādalo, vel ex alia circunstātia peccatū aggrauaretur in infinitum:quia non præterit mandatum Prælati , vt faciat contra illud absolutè prout est mandatum:sed cum hac additione, prout est mandatum de re leui. Quo fit,vt talis transgressio mandati,non proueniat simpliciter ex eo, quòd cōtemnatur mandatū ipsius, aut Prælatus mandans quatenus Prælatus:sed ex eo, quòd leue sit illud ; quod mandatur : itaut affectus quasi sustentatus à tali leuitate,non ruat verè in contemptum, perinde ac vsuuenit in eo qui aliquid parui momenti furatur, cuius affectus ita sustentatur à paruitate rei,vt habeat se , quasi non sit grauis transgressio præcepti Non furaberis:instituti maximè ad impediendam proximi notabilem læsionem in suis rebus. Atque hæc hactenus de regulis iudicandi de peccato num sit mortale,an veniale:quibus addendæ sunt nonnullæ obseruationes ad idem iudicium conducentes , ac in eo ponderandæ , cum iisdem regulis.

Obseruationes cum prædictis regulis coniungendæ in iudicio de peccato an sit mortale.

SECTIO III.

PRima est. Quod vulgò existimatur peccatū mortale diuidi in superbiam,auaritiam,luxuriam,inuidiam gulam,iram, & acediam;non esse sic intelligendum , quasi vel nulla sint alia peccata mortalia: id enim apertè falsum est. Vel quasi illa sint cæteris omnibus peiora;quoniam hæresis,*exempli gratia*,desperatio,& odium Dei,sunt peiora , quàm auaritia & gula. Vel demum quasi semper sint aut fæpius sint mortalia:nam quædam ex eis tantùm sunt venialia ex suo genere vt gula : & secundùm quandam acceptionem, tum ira, tum auaritia , tum etiam acedia sumpta generaliter pro pigritia:in quorum explicatione non est nunc immorandum : quia proprius de illis dicendi locus est, cùm ad præcepta Decalogi de singulis peccatis, habito ad illa respectu , tractatur, & inquiritur sintne mortalia. Vera autem ratio ita diuidendi peccatum mortale est,quòd prædicta omnia peccata,præterquam quòd possunt esse mortalia, hoc habeāt peculiare,vt possint esse multorum aliorum fontes & quasi capita:vnde & peccata capitalia dicuntur. Sic enim cùm quædam ex superbia vanáve gloria,tanquam ex infecto fonte scaturiant:& quasi ex parente originem accipiant,appellantur communiter filiæ superbiæ,seu vanæ gloriæ : quædam item simili de causa,filiæ auaritiæ ; quædam filiæ luxuriæ, & sic de cæteris, prout videri potest apud Nauar. in Enchir.cap.23.& suis locis declarandum est. *Nu. 64.*

Modi quibus veniale ex suo genere, contingit fieri mortale.

SECTIO IV.

OBseruandum est secundò , peccata venialia quantocumque sint numero , non posse æqui- *Nu.65.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ualere vni mortali: ſicut nec pœnæ temporales illis debitæ, æquiualere poſſunt vni æternæ, quæ huic debetur: cùm finiti ad infinitum nulla ſit proportio. Ita D. Thomas 1.2. *quæſt.* 88. *art.* 4. Et confirmatur, quia cùm peccata venialia non ſint contra charitatem, ea nuſquam hanc tollunt; etiamſi feruorem ipſius non nihil impediunt, dum per illa augentur affectus rerum terrenarum, quibus depreſſa voluntas non ſolet eſſe tam prompta, neque tam feruere in Dei amore, quàm alioqui poſſet: perinde ac puluiſculus in oculum iniectus non extinguit quidem, obnubilat tamen viſum. Ad conſtitutionem autem peccati mortalis requiritur vt ipſum ſit contra charitatem: hácque ſpoliet peccantem, & faciat æternæ mortis reum: quod omni peccato veniali negatur.

Nu.66. Si quis obiiciat ex cap. Tres, De pœnitent. diſtinct. 1. quæ humana fragilitate, quamuis parua, tamen crebra ſubrepunt, ſi collecta contra nos fuerint, ita nos grauare & opprimere, ſicut vnum aliquod grande peccatum. Reſpondendum eſt cum Nauarr. ad idem cap. num. ſexto, non eſſe ita intelligenda ea verba, quaſi plura venialia vnum mortale conſtituant: ſed quòd dum multiplicantur & negliguntur, animam ad mortale diſponant: ſicut vulnus curabile, ſi negligatur, fit incurabile. Vnde inquit D. Gregor. lib. 10. moral. cap. 14. Si curare parua negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audacter etiam maiora perpetramus: parua enim illa, ſunt quaſi caniculi latrantes, qui quamuis non mordeant, excitant tamen alios maiores domi dormientes, qui mordeant & deuorent, iuxta illud 19. Eccleſiaſtici. Qui ſpernit modica, paulatim decidet.

Simili modo ad illud, Peccata minima ſi negligantur occidunt (quod eſt D. Auguſt. exponentis verba Ioan. 3. Qui incredulus eſt Filio non videbit vitam) reſpondet D. Thom. loco citato ad 1. inquiens ſenſum eſſe, peccata venialia diſpoſitiuè cauſare peccatum mortale: nempe impediendo feruorem charitatis, reddendóque hominem tepidum: cui in Apoc. cap. 3. dicitur: Quia tepidus es, incipiã te euomere ex oremeo; aut etiã inducẽdo paulatim ad legis contemptum illum, de quo paulo ante dictum eſt. Sicque habere communem ſententiam Couarr. ait *ad cap. Alma mater De ſententia excommunicat. in 6. parte priore §. 7. num. 7.*

Quod autem Panormitanus ad cap. Nam concupiſcentiam De conſtitut. aliique nonnulli dixerunt, peccatum veniale per conſuetudinem & frequẽtiam eſſe mortale; iuxta illud quod in cap. Vnum orarium, diſtinct. 25. §. Criminis dicitur ebrietatem ſi aſſidua ſit, in eorum, *ſupple criminum capitalium*, numero computari. Idem Couar. ibidem, ex eo reiicit, quòd ſola iteratio actus non variet ſpeciem illius in genere morum; ſi ex parte operantis nihil aliud addatur, vnde talis variatio oriatur: itaut quintus ac ſextus actus, ſint eiuſdem ſpeciei in genere morum, cum tertio & quarto. Atque ita mendacium officioſum, aut verbum otioſum ſæpius iteratum, perinde eſt veniale centeſima vice, *ſi cætera omnia ſint paria*, ac prima vice prolatum. Illud verò capituli Vnum orarium gloſa *ad verbum Ebrietas*, interpretatur de frequenti actu bibendi; qui quamuis de ſe tantùm ſit peccatum veniale, ſeu (*vt in eodem §. Criminis habetur*) ad minuta peccata pertineat; attamen cùm ita aſſiduus eſt vt tranſeat in ſtudium & voluntatem inebriandi ſe, peccatum eſt mortale, iuxta cap. Ante omnia, diſtinct. 35. & cap. A crapula De vita & honeſt. Clericorum.

Nu.67. Quanquam ſi intentio agentis; ſiue in principio, ſiue poſtea per talis peccati iterationem deueniret ad aliquid in quo ſit materia ſufficiens peccati mortalis: vt per iterationem parui furti ad quantitatem notabilem rei alienæ, iniquè ſibi vſurpatæ: illud ex tali furtorum numero, per quod ad illam quantitatem notabilem attingitur, etiamſi non excedat præcedentia, ſitque perinde ac illa furtum rei valoris tantùm modici, vt vnius oboli: peccatum erit mortale, ratione præcedentium ſimilium, cum quibus in vnum coaleſcens, & continuatum intentione agentis, conſtituit ipſum reum notabilis iniuriæ proximo illatæ, atque, adeo peccati mortalis, iuxta 1. regulam ante traditam in cap. quinto.

Huius doctrinæ (quam Nauarr. attingit in Enchirid. cap. decimoſeptimo numero 140.) fundamentum eſt, quòd per talem continuationem paruorum furtorum ſibi inuicem ſuccedentium facta ſit vna notabilis detentio rei alienæ: adeout nihil in ea re minus ſit, quàm ſi is qui talia furta continuauit, totam ſummam ſimul ſumpſiſſet. Idem iudicium eſt de quouis alio caſu, in quo quis grauem proximo iniuriam in bonis ſiue animi, ſiue corporis inferre intendit per leues iniurias iteratas: aut in quo per omiſſiones leues iteratas tenditur ad notabilem Dei irreuerentiam. Illa enim omiſſio, cuius continuatione cum præcedentibus ad talem irreuerentiam pertingitur, peccatum eſt mortale: vt cùm quis vouit quotidie recitare vnam orationem dominicam cum ſalutatione Angelica, ſi negligit implere votũ, primę quidem omiſſiones ex paruitate materiæ, tãtùm ſunt peccata venialia: ſed illa quæ ratione præcedentium cum quibus continuatur, & in vnam coaleſcit; continet notabilem Dei irreuerentiam, peccatum eſt mortale. Quod intellige cùm intentio taliter vouentis fuerit applicare tempus ad rem voto promiſſam: id eſt, ita obligandi ſe ad aliquem dictarum orationum numerum, vt non debeat dies effluere, quin ſemel ſaltem eas recitet. Nam ſi intentio eſſet rem voto promiſſam applicare ad tempus, itaut obligatio vltra illud non progrediatur (perinde ſcilicet, ac obligatio recitandi officium diuinum aliquo die occurrens, non progreditur vltra illum diem) neque maneat eo elapſo; perinde centeſima omiſſio peccatum eſſet veniale ac prima: quia non continuaretur, nec in vnam coaleſceret cum præcedentibus. Cuiuſmodi intentionem ſi vouens non habuerit expreſſam, cenſetur habuiſſe tacitam, quando votum emiſit in reuerentiam diei aſſignati: vt quando vouit recitare ſemel dictam orationem Dominicam cum ſalutatione Angelica, omni die ſabbathi, quia is ſpecialiter Beatæ Virginis cultui dicatur.

Modi quibus mortale ex ſuo genere contingit eſſe veniale.

Sectio V.

Nu.68. Obſeruatio tertia eſt, Actum liberum qui in genere entis eſt idem numero, ſucceſſiuè in genere moris peccatum eſſe veniale & mortale. Quod de actu libero à volũtate imperato patet ex eo, quòd narratio fabuloſa, quæ ad inutiliter fallendum tempus inſtituta, initio fuit peccatum tantummodo veniale, in progreſſu relata ad finẽ mortaliter malum, fiat peccatum mortale: quia actio induit malitiam finis. Videri poſſunt antedicta lib. 12. cap. 1. Item ex eo, quòd motus ſenſualitatis, qui præcedens plenam deliberationem eſt tantummodo peccatum veniale, permanens & approbatus à voluntate poſt perfectam deliberationem, peccatum ſit mortale per tradita in

in præced. lib. 11. num. 44.

De actu verò elicito, ſeu interiore voluntatis actu, patet etiam: quia is exerceri poteſt circa obiectum mortaliter malum: prius quidem cum deliberatione & aduertentia rationis tantùm ſemiplena; & poſterius cum omnino plena: & per conſequens ſucceſſiuè eſſe peccatũ veniale & mortale per dicta ibidem. Neque eſt quod quis opponat tũc eſſe diuerſum numero actum voluntatis, ſicut eſt intellectus. Id enim nullam vim habere ex eo patet; quòd accedente de nouo cogitatione aliqua circa obiectum, non variet neceſſariò voluntatis actus circa ipſum: quia non omnis actus intellectus mouet voluntatem: vt argumento eſt, quòd hac amplectente aliquid, multi actus intellectus interdum aduerſus eam inſurgant reclamantes ad ipſam reuocandam, qui nihil efficiũt: ſed ipſa in obiectum ſuum ſicut antea, fertur contra propriam conſcientiam remurmurantem.

Veniale ex ſuo genere quatenus nequeat fieri mortale.

Nu.69. Obſeruatio quarta eſt: peccatum ex ſuo genere veniale (niſi fortè ex ſuperueniente conſcientiã erroneã iudicetur ipſum eſſe mortale) nunquam poſſe fieri mortale ob ſolam circunſtantiam non mutantem ſpeciem actus. Sic enim intelligendus eſt D. Thomas 1.2. *quæſt.* 88. *artic. quinto*, cùm abſolutè dixit, peccatum veniale nunquam poſſe fieri mortale ob circunſtantiam. Nam id conſtat falſum eſſe de veniali ex accidenti: ſeu ex imperfectione materiæ vel deliberationis: ſiquidem tali imperfectioni, ſuccedente perfectione, ex veniali fit mortale, vt manifeſtum eſt in caſu, quo furandi voluntas dilabitur à re modica ad magnam ſurripiendam: aut à conſenſu in fornicationem non plenè deliberato, ad plenè deliberatum. Falſum item eſt de veniali in ordine ad circunſtantiam mutantem peccati ſpeciem. Nam peccatum ex obiecto ſuo veniale eſſentialiter; ratione finis, vel alterius circunſtantiæ mutantis ſpeciem, effici poteſt accidentaliter quidem, ſed tamen verè mortale: vt viſio qua quis ſine concupiſcentia, mulierem curiosè aſpicit, peccatum eſt veniale curioſitatis: quæ perſeuerans vſque ad deliberatam concupiſcentiam: efficitur peccatum mortale ex ordinatione ipſius in finem mortaliter malum, à quo diſtinguitur ſpecie.

Nu.70. Ex qua obſeruatione intelligitur, peccatum ſuo genere veniale, nunquam fieri mortale; ex eo tantùm, quòd prius propter ſe, & poſterius propter aliud expetatur. Nam appeti propter ſe, aut propter aliud, modi ſunt, qui etiamſi faciant diuerſam ſpeciẽ in ratione entis naturalis. Illud enim facit intentionem finis, & hoc, electionem medij, quæ ſunt actiones voluntatis ſpecie differentes) non faciunt tamen in ratione entis moralis; cùm ex illis ſecundùm ſe non exurgat diuerſa deformitas ſeu repugnantia cum recta ratione, morum regulã. Sic igitur mendacium iocoſum nunquam ſit mortale, ex eo tantùm quòd prius expetitum propter aliud, & tanquam medium; poſtea expetatur propter ſe, & tanquam finis: niſi fortè expetatur tanquam finis vltimus; hoc eſt, omnia in ipſum tanquam in ſummam ſuam beatitudinem referendo. Talis enim appetitio nouam accipit peccati ſpeciem: nempe idololatriæ, vel infidelitatis. Quod peccatum cùm ſit mortale, *ex ordinatione ſcilicet mediorum in finem, Deo valde iniuriosa*, certum eſt in eo fieri de veniali peccatum mortale. Et quamuis eius generis appetitio vix expreſsè contingat ob illius abſurditatem: tamen videri poteſt tacitè contingere in iis qui ſtultè ad aliquid nonnunquam ita afficiuntur, vt decernant omnia referre ad illius conſeruationẽ, parati omnia iura violare ad illam conſequendam, vel retinendam. Quiquidem affectus peccatum eſt mortale, iuxta ſupradicta in numero 22.

Nu.71. Intelligitur adhuc ex eadem obſeruatione, quòd cùm peccatum per intenſionem affectus voluntatis non mutet ſpeciem, *prout habitum eſt in lib. 14. num. 50.* non fieri ex veniali mortale ob ſolam intenſionem actus & affectus voluntatis. Vnde non videtur aſſentiendum iis, qui docent verbum iocoſum poſſe ſecundùm libidinem qua voluntas ad illud afficitur ita creſcere, vt ſit peccatum mortale. Nam præterquam quòd id durum eſt, dátque occaſionem inquietudinis conſcientiæ (quandoquidem ſubinde eſſet dubitandum de peccatis ſuo genere venialibus, an in eorum perpetratione tanta interuenerit libido quæ ſufficiat ad peccatum mortale) ipſum reiicitur: quia peccatum veniale non alio nomine à mortali in infinitum diſtare dicitur, quàm quòd etiamſi per intenſionem circa ſuum obiectum creſcat in immenſum, non perueniat tamen ad mortale. Nam ſi perueniret, nullo modo in infinitũ ab eo diſtare diceretur. Quia igitur peccatum ex ſuo genere veniale manens intra limites ſuæ ſpeciei, *quantumcumque intendatur*, trahit omnem ſuam malitiam ab obiecto proprio; ex eóque nihil contrahit, per quod charitati oppoſitum, eam deſtruat (alioqui non eſſet ex ſuo genere veniale) non poteſt effici mortale niſi per additionem circunſtantiæ mutantis ſpeciem. De qua re, & in genere & in particulari ſatis multa dicta ſunt in præced. libro 14. ferè per totum.

Mortale ex ſuo genere quatenus fieri poſsit veniale.

Nu.72. Obſeruatio quinta eſt D. Thomæ 1.2. *quæſt.* 88. *art.* 6. peccatum quod eſt mortale ex ſuo genere, fieri poſſe veniale, non quidem per additionem alicuius, ſed per detractionem; aut deliberationis, vt cùm turpis affectus ex plenè deliberato, ſit ſemiplenè deliberatus; aut materiæ, vt cùm voluntas furandi, à re magna ad paruam reuocatur. Defectus enim deliberationis & paruitas materiæ, vt iam in præcedentibus docuimus, facit culpam leuem, quæ non diſſoluit amicitiam cum Deo; & ideo mortalis non eſt.

Nu.73. Obſeruatio ſexta eſt: motum cogitationis, vel delectationis ſecundùm ſe repugnantis præcepto, etiã obliganti ad mortale; ſicut ob aliquam circunſtantiam boni operis excuſatur omnino à peccato, per ea quæ lib. 11. cap. 5. in expoſit. quintæ regulæ dicta ſunt de iis qui patiuntur turpes cogitationes, in executione honeſti ſui muneris, *qualis eſt audiendi confeſſiones, vel ſtudendi ad concionandum, &c.* Ita etiam à mortali ex eo excuſari, quòd proueniat à cauſa venialiter tantùm illicita; vt exempli gratia, motum cogitationis vel delectationis carnalis, prouenientem ex verbis iocoſis & otioſis, aut ex aſpectu aliquo non moderato, aut ex actione aliqua curioſa, non eſſe iudicandum peccatum mortale, etiamſi præuiſus eſſet & cognitus ex tali cauſa ſequi. Dummodo tamen quis eiuſmodi cauſis venialiter illicitis non occupet ſe ea intentione, vt delectationem carnalem capiat ex cogitationibus inde prouenientibus. Nam ſi talis

delectatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

delectatio fuerit voluntaria, ea non solùm in sua causa,& indirectè sed etiam in seipsa,& directè mala erit:atque adeo non tantùm causæ suæ malitia veniali,sed etiam propriâ suâ mortali. Dummodo item dictæ delectationi præsenti non præbeatur consensus, complacendo sibi in ea : atque dum periculum consentiendi adesse aduertitur, eadem repudietur, nolendo omnino ipsam:ac cogitationem quoad fieri potest aliò transferendo. In quibus casibus non dari excusationem à mortali patet per ea quæ dicta sunt in cit. expositi. 5. regulæ. Ratio autem huius obseruationis sumitur ex humana fragilitate,ob quam tales cogitationis,& delectationis motus adeo facilè excitantur,vt non videantur in se voluntarij; ne quidem interpretatiuè, donec fuerit illis expresse adhibitus consensus: aut periculum adsit illis expresse consentiendi: vnde cùm in sua tantùm causa sint voluntarij, non habent plus malitiæ moralis, quàm eadem sua causa habeat.

Nu.74. Obseruatio septima est. Id quod proximè dictum est de cogitatione, & delectatione non posse statui de opere secundùm se illicito mortaliter : cùm eius perpetratio magis sit in potestate hominis : quàm motus cogitationis,&delectationis,neque homo cèseri possit habere se ad opus magis passiuè, quàm actiuè: sicut censetur ad motus cogitationis & delectationis.Hinc igitur fit,vt opus nihil habeat vnde à mortali excusetur:vtpote sufficienter quod ad mortale requiritur, habens siue ex parte intellectus, qui ex hypothesi plenè ad illud aduertit; siue ex parte voluntatis, quæ vult illud indirectè, seu in sua causa (quod voluntarij genus ad peccatum etiam mortale sufficere posse communiter conceditur) siue demum ex parte obiecti, quod ponimus esse mortaliter malum. Quod si tenuis tantùm, & aliquo modo confusa illius aduertentia, considerationve præcesserit:quia non erit plenè voluntarium,nec erit peccatum plusquàm veniale ex præced. cap. 4. Sicut nec erit peccatum, ne quidem veniale, si nulla penitus præcesserit illius consideratio,seu aduertentia actualis, etiamsi adfuerit habitualis : quia nullo modo erit voluntarium: ne quidem eo nomine interpretatiuum, quòd consideratio ipsa haberi debuerit, & potuerit. Quandoquidem prima consideratio circa obiectum aliquod,non est in hominis potestate,nec ab eo exercetur liberè : alioqui enim, ipsa deberet esse præconsiderata per aliam considerationem : & hæc rursus per aliam, & ita in infinitum, quod absurdum est.

Quatenus inconsideratio excuset à peccato.

Nu.75. VBi nota obiter, *quod in hac re silentio prætereũdum non est*, operationem vel omissionem de se illicitam cuius nulla præcessit consideratio, nequidem tenuis aut confusa, excusari à peccato tanquam indeliberatam; cùm omnis deliberatio sumat initium ab aliqua consideratione circa id, de quo deliberatur:itaut nulla omnino consideratione interueniente circa obiectum aliquod; neque interueniat deliberatio, quæ ad peccatum necessaria est per antedicta in præcedenti lib. 11. cap. 1. Itaque si toto aliquo die festo quis,sua libera voluntate domi maneat, etiamsi habitu probè sciat eum esse diem festum,in quo audienda sit Missa:sed nihil omnino de hoc actu cogitauerit excusatur à peccato transgressionis præcepti Ecclesiastici de audienda tali die Missa : siue causa domi manendi fuerit honesta, siue turpis iuxta illud quod docent Caiet. 1. 2. *quæst. 76. art. 3.* Alphonsus à Castro *in lib. 2. De lege pœnali cap. 14. propos. 2. circa 2. conclus.* & Couar. *in cap. Alma mater. parte priore §. 10. num. 16.* Euentum, *vt homicidium*, non imputari ad peccatum ei; qui illud inuincibiliter ignorauit,etiamsi vacando rei illicitæ, causam illi dederit : quia ad rationem ignorantiæ inuincibilis alicuius facti, nihil spectat quòd à causa licita, vel ab illicita prouenerit: sed tãtùm quòd humanâ diligentiâ præuideri non potuerit : sicut non potuit quando in mente nullo modo incurrit illius cõsideratio.

Quanquam tamen ex causa turpi sequens, imputabitur ad peccatum : non quidem in se ; sed in sua causa, seu quòd sit malæ causæ effectus, prout sub finem citati primi cap. expositum est. Quod si quis dum se applicare voluit alicui negotio, cognouit futurum ex tali occupatione, vt non aduerteret suo tempore ad præceptum audiendi Missam,non excusabitur à peccato;quia talis inaduertentia culpabilis est in eo,qui præuidens illius periculum,se sponte ei exposuit. Vnde eiusmodi inaduertentia contingens tempore omissionis, non impedit quominus omittens peccet : sicut is qui apud se retinens aliquid venenosum si scit periculum esse ne imprudenter alicui illud sumendum porrigat, non excusatur ab homicidio, ex eo, quòd postea porrigendo non aduerterit ad tale periculum : idémque iudicandum est si non sciuerit quidem ; probabiliter tamen nec tantùm scrupulosè,dubitauerit aut tenuem saltem, vel confusam (*sufficientem nihilominus ad consultationem inchoandam*) habuerit cognitionem de tali periculo & absque diligentia in eo inuestigando adhibita : nullum adesse sine probabilitate crediderit. Namque talis aduertentia habet tantùm rationem ignorantiæ vincibilis,cùm eam præcesserit sufficiens principium inuestigationis,per quam vinci potuisset : nimirum illa notitia tenuis vel dubitatio.

Secus esset autem, si solicitè inuestigans tale periculum, vtendo debita inspectione circunstantiarum personæ,temporis,loci,& occupationis: tandem iudicaret probabiliter, nullum tale periculum verè adesse : contrariámque dubitationem leuem esse, ac scrupulosam. Nam tunc inaduertentia rationem haberet ignorantiæ probabilis excusantis à peccato. Hinc intelligitur, si quis nullo modo cogitans, aut dubitans de periculo, proiiciat lapidem,quem putat esse pomum,& aliquem occidat, non esse reum homicidij : si verò cogitans,aut rationabiliter dubitans de periculo, absque alia inuestigatione proiiciat & occidat,reum esse homicidij, & sic de aliis similibus.

Aduerte autem quosdam esse euentus, quorum periculum, causæ ipsorum statim manifestant : vt displosio catapultæ in via publica, periculum homicidij : accensio ignis circa alienas segetes tempore messis,periculum conflagrationis earum:atque circa eiusmodi vix contingere inaduertentiam inculpabilem,à peccato excusantem. Nisi quòd interdum fieri possit vt operatio sit adeo subita, vt nulla aut saltem non plena præcesserit de periculo cogitatio, quæ rationem habeat deliberationis, requirentis aliquantulum temporis.

De peccato mortali respectu metus, & periculi peccandi obseruanda.

OCtaua obseruatio est. Id quod aliàs peccatum est mortale non desinere propterea tale esse, quòd fiat metu: vt prostitutionem pudicitiæ in puella, *Nu.76.*

la,non desinere peccatum esse mortale, eoquod hæc ad illam sit inducta metu mortis. Probatur: quia ratio voluntarij ad mortale sufficientis non tollitur per metum. Quamuis enim quod metu fit, *vt fuga ex prælio,vel mercium abiectio in mare metu mortis*,partim voluntarium, partim inuoluntarium esse dicatur: simpliciter tamen est voluntarium, & secundùm quid tantùm inuoluntarium: vt D. Thomas habet 1. 2. *quæst. 6. art. 6.* Et probatur : quia est magis voluntarium,quàm inuoluntarium: cùm dicatur & sit voluntariũ efficaci voluntate: id est, ex qua effectus est secutus:inuoluntarium verò,ex voluntate inefficaci, seu quæ nullum sortita est effectum : velleitásque fuit, non voluntas absoluta. At id quod maiori & meliori ex parte tale est, dicitur simpliciter tale : vt Æthiops simpliciter dicitur niger, quia maxima ex parte niger est : licet albos dentes habeat ex quibus secundùm quid albus dicitur. Quòd si metus grauis aliquando ab obseruatione legis excusat, *prout à nobis expositum est in lib.* 11. cap. vltimo ; id fit, non quòd metus de se tollat voluntarium sufficiens ad peccatum:sed quòd legislator non intendat subditos obligare cum dispendio illo graui, de quo concipitur metus cadens in constantem virum.

Nona obseruatio. Opus ex se veniale aut indifferens transire in mortale, si operantem constituat in proximo periculo peccandi mortaliter : quia is conuincitur suam spiritalem salutem contemnere,qui se illius amittendæ tam aperto exponit periculo : nisi tanta cautio adhibeatur, rerúmque status ita mutetur,vt iudicio prudentis non sit de periculo ipso metuendum:aut certè nisi causa aliqua grauis vrgeat illub subire,bona concepta spe de diuino auxilio ad vitandum lapsum,quod non deest in necessariis.Vnde in cap.Consultationi,De frigidis, coniugati quorum coniugium est occultè irritum;ratione scandali propriæque infamiæ vitandæ, permittuntur tanquam frater & soror simul habitare,non sine periculo tactuum impudicorum.

Decima obseruatio est. Sítne aliquid factum, dictum aut concupitum cum pleno aut non pleno consensu,iudicari posse his modis. Primò, si aduertens in se prauum appetitum, sic animo se affectum sentiat, vt illum exequi data etiam cómoditate plane nolit : signum est enim, non esse ei adhibitum consensum plenum ; quem secuta esset executio : cùm facultas executrix voluntati omnino obtemperet.

Secundò, si motus prauus insurrexerit, & statim ac mens prauitatem illius aduertit, voluntas illum excludere curat. Id enim signum est sufficiens non præstiti consensus saltem pleni.Quod habet maximè locum in iis qui ita dispositi sunt, vt decernant potius mori, quàm mortaliter peccare.

Tertiò,si quis dubitet an fecerit, dixerit aut concupiuerit aliquid cum pleno consensu voluntatis: tunc credendum est, si vir sit bonis moribus, & timoratæ conscientiæ, non consensisse plenè : secus verò de homine deprauato & cauteriatam conscientiam habente. Ratio est,quia prior ille,ingenti odio prosequens peccatum, si illud admisisset cum pleno consensu voluntatis, ad exosum tam turpem lapsum ita aduertisset, vt de eo nihil dubitaret. Hic verò posterior parui pendens peccatum, si non consensisset plenè,nullum in eo suboriretur dubium.

Laus sit mediatori Dei, & hominum Iesu Christo qui lauit nos à peccatis, in sanguine suo & eripuit à ventura ira.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD LECTOREM
BENEVOLVM.

IMportuna mole nolui tibi grauis esse, pie Lector, cuius vtilitati nō modo studeo; sed & fastidio incommodóque cautum volo. Excreuisset vtique plus æquo voluminis modus, si in hoc opere, quasi corpus vnum conflans, præcedentibus sequentia attexuissem. Quocirca visum fuit distinctione vti: cui adstipulatur tractatio ipsa rerum; quæ à generalibus quasi profecta principiis, hoc priore volumine comprehensis; per speciales velut alueos, sequenti posteriore deducitur ad singularum difficultatum cognitionem, quasi manu ducendo. Commoditate ergo hac vtere: decerpens quæ tibi ad fructum; animabus ad salutem: Deo ad gloriam sint cessura, confidis: laboréque nostro fruere, & faue. Vale.

IN PRIVS VOLVMEN
ALPHABETICVS
INDEX RERVM,
ET VERBORVM.

A

Abbas & Abbatissa.

ABBAS potest de iure Confessarium sibi eligere: non item abbatissa, lib. 1. num. 37
Abbatis in suos Religiosos potestas, rationem habet iurisdictionis Ecclesiasticæ: non item Abbatissæ potestas in suas moniales. libro 9. num. 116

Absens.

Absens nec confiteri nec absolui potest sacramentaliter, libr. 6. num. 5
Absens potest absolui ab excommunicatione, & qua ratione, lib. 9. num. 39. & tribus sequentibus.
Absens potest excommunicari, ibid. num. 149

Absolutio à peccatis primò tum secundùm sextum in ordine ad Confessarium. Lib. 8.

ABsolutio sacramentalis, *qua est actus iudicialis, & Sacramenti pœnitentiæ forma*, consistit in verbis. Absolute à peccatis tuis: prout ab eiusdem Sacramenti ministro proferuntur cum debita intentione, num. 1. & 2
Illa ipsa verba in sacramenti administratione mutare non licet. Et quæ sit intentio debita cum qua profetri debent: ac quatenus sint sacramenti forma, num. 3. & duobus sequentibus.
Quæ absolutio sacramentalis valeat, & quæ non valeat data sub conditione, num. 6. & tribus sequentibus.
Quando iterari possit absolutio sacramentalis super iisdem peccatis. Quòdque ea differri possit facta confessione, num. 10. & 11
Nulla est obligatio imponendi manum Pœnitenti dum absolutio ei datur, num. 12. seq.
In Confessario idoneo ad dandam sacramentalem absolutionem requiruntur qualitates explicatæ in primo libro, & quæ ipse debeat obseruare, antequam illam conferat, num. 13. & quatuor sequentibus.
Modus in absoluendo à peccatis, seruandus à Confessario. Quidque is agere debeat cognoscens Pœnitentem suum occasiones proximas habere peccandi de cætero, numer. 18. & 19
Quid etiam agere debeat cum Pœnitente, quem scit peccatum commisisse, negátque illud in confessione, de eo interrogatus, num. 20

Absolutio à peccatis secundò, in ordine ad Pœnitentem. Lib. 8.

NOmine Pœnitentis quis significetur, quódque nolens pœnitere, absoluendus non sit, num. 21. & 22
Extra necessitatem vigentem singuli pœnitentes sunt seorsim absoluendi. Quódque absolutio à peccatis non possit dari ad reincidentiam, num. 23. & 24
Æger qui nullum contritionis signum dedit, absoluendus non est. Et sufficiátne ipsum in genere dedisse signum contritionis tollendo v. g. manus aut oculos in cœlum. Et quid cùm fide digni attestantur paulo antequam rationis vsum amitteret, dedisse signa contritionis manifesta, num. 25. & tribus sequentibus. Documenta pro Confessario, qui ægro administrat pœnitentiæ sacramentum, numer. 29
Quid agendum Confessario quando vel absoluit à peccatis non absoluendum, vel non absoluit absoluendum, num. 30. & tribus sequentibus.
Non redditur quis incapax absolutionis sacramentalis ex eo, quòd peccauerit spe illam obtinendi, num. 34
De absolutione à peccatis in ordine ad pœnitentem religiosum, vide verbum Religiosus. *
Positne peccator à suo complice validè absolui, lib. 1. nu. 88.

Absolutio à reseruatis, primò quoad potestatem dandi illam. Lib. 8.

*QVis talem potestatem habeat ordinariam, quis delegatam, num. 40
Delegatio eiusdē potestatis potest à Superiore sine consensu Inferioris fieri; etiam quoad casus quos hic sibi reseruauerit, nu. 41. & quòd eiusdem Superioris mens in ea re sit cognoscenda, nu. 42
Quatenus peccet Superior, aut non peccet recusans facultatem absoluendi à reseruatis, nu. 43. & duobus sequentibus.
Quando excusetur eadem recusatio, num. 46. & duobus sequentibus.
Facilis potius quàm difficilis esse debet Superior in danda facultate absoluendi à reseruatis. Et quòd non cogatur dare generalem, quà liberum sit Pœnitenti, confiteri cuicumque velit, num. 49. & 50
Diuersitas quando facultas pro peccatis commissis, & quando pro committendis petitur, ibid. nu. 51. & 52

Absolutio à reseruatis secundò quoad illius commissionem. Lib. 8.

*FAcultas à Papa concessa absoluendi ab omnibus casibus reseruatis, non comprehendit hæresim. Nec concessa absoluendi ab omnibus pœnis ecclesiasticis, comprehendit irregularitatem ex delicto, nu. 53. & 54
Habens facultatem absoluendi à casibus reseruatis Papæ, habet & absoluendi à reseruatis Episcopo, nu. 55. & duobus sequentibus.
Habens prædictam facultatem, eâ vti potest tantùm in confessione sacramentali, num. 58
Absolutio à casibus reseruatis data virtute Iubilæi valet, etiamsi absolutus non faciat omnia quæ præscribuntur in ipso Iubilæo, num. 59. & 60
Tolli reseruationem per confessionem etiam inualidam factam Superiori, qui absoluere potuit, quomodo accipiendum sit, num. 61. & duobus sequentibus.
Si concessum sit Iubilæum lucrādum in vna ex duabus hebdomadis, is qui priore hebdomada illud est lucratus, potest lapsus in casum reseruatum, absolui in posteriore hebdomada, num. 64
Episcopus concedens facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, non censetur concedere absoluendi à censuris sibi reseruatis, num. 65
Is cui illam concedit, potest externos sibi de licentia proprij Sacerdotis confitentes, absoluere à peccatis reseruatis Episcopo ipsorum, num. 66
Quando Episcopus generali sua concessione audiendi confessiones, censeatur concedere facultatem absoluendi à sibi reseruatis, nu. 67
Extraneus habens casum in sua diœcesi reseruatum, non potest abeo absolui in aliena, in qua similiter reseruatum

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, sine licentia Episcopi eiusdem alienæ. In qua si non sit reseruatum, poterit absolui ; cum onere tamen præsentandi se Superiori suo : si quidem reseruatio fuerit cum excommunicatione, nu. 68. & duobus sequentibus.
Quos à casibus Papæ reseruatis Episcopus possit absoluere: & de potestate eius, extra illos absoluendi alienum, num. 71. & 72
Religiosi ex priuilegio quod à iure habent audiendi confessiones, nequeunt absoluere à reseruatis Episcopo. Et quòd Episcopus non possit plures casus reseruare illis quàm Parochis, num. 73. & 74

Absolutio à reseruatis 3, quoad illius exequutionem & exequutionis effectum. Lib. 8.

SVperior auditis in confessione tam non reseruatis, quàm reseruatis, tenetur ab vtrisque absoluere, num. 75
Rarò licere potest Superiori auditis solis reseruatis, absoluere habentem alia mortalia. Et quid agere debeat cùm ei non vacat omnia audire, numer. 76. & duobus sequentibus.
A casibus reseruatis, Inferior sine Superioris licentiâ absoluere nequit directè : immò nec indirectè, nisi iusta causa vrgeat, num. 79. & 80
Quando bona fides Pœnitentis faciat valere absolutionem à reseruatis, quæ alioqui non valeret, num. 81. & 82
Episcopi potestas absoluendi à casibus Papæ reseruatis qualis sit, num. 84
Quando ob mortis, vel scandali graue periculum, Inferior Episcopo possit à reseruatis absoluere, num. 85. & duobus sequentibus,
Qui per inferiorem à reseruatis absolutus est ex commissione Superioris, non tenetur se huic præsentare nisi in commissione id esset iniunctum, num. 88
Quid sit agendum cum habente casum reseruatum si possit Superior aditi, num. 89
Si Superior auditis solis reseruatis absolnat, & pro cæteris remittat ad Inferiorem, probabile est de illis cum iisdem cæteris esse huic faciendam confessionem, num. 90
Post factam Superiori confessionem de peccato reseruato, nihil obstat quin si de eodem confessio iteretur, simplex Sacerdos absolutionem super eo dare possit, num. 91
Reseruatio casuum potest per Superiorem tolli sine sacramentali absolutione. Quod cùm fit, non quiuis Sacerdos, sed tantùm ille, qui ex officio vel delegatione potuit ante reseruationem potest absoluere, num. 92. & 93
Habens potestatem absoluendi à reseruatis tantùm vt delegatus, nequit absoluere aliter, quàm in confessione, numero 94
Reseruatio casuum non tollitur nisi actu volente Superiore etiamsi velle debeat, num. 95
Quòd reseruatio tollatur 2o ipso, quòd sacramentalis confessio sit habenti ad id sufficientem iurisdictionem siue ordinariam siue etiam delegatam, ibid. nu. 96. & quatuor sequentibus.
Quando plures sunt eiusdem peccati reseruationes quomodo tollantur ac quomodo si fuerint excommunicationibus annexæ, num. 101. & 102
Tres casus, in quibus exceptionem patitur generalis faculas concessa absoluendi à reseruatis habentur, lib. 1. num. 106

Absolutio ab excommunicatione 1. in ordine ad eum à quo dari potest. Lib. 9.

AB excommunicatione reseruata à iure, is potest absoluere, cui reseruata est, aut Superior ipsius, vel etiam alius de alterutrius commissione, num. 1
A iure concessa Episcopo, facultas absoluendi à reseruatis, numer. 2
Quando Inferior facultatem sibi concessam absoluendi à reseruatis, possit concedere alteri, num. 3
Cum qua restrictione accipi debeat concessio facta generaliter, num. 4. & 5. Ac quando absolutio data illius virtute, tollat reseruationem oblitorum, num. 6
Virtute commissionis pro articulo mortis concessæ, absolui potest ab excommunicatione ille, qui non est capax absolutionis à peccatis, num. 7. & 8
Qui possint absoluere ab excommunicatione non reseruata à iure, numer. 12. Quódque iis annumerandi sint tum Parochi, tum etiam Sacerdotes simplices, qui facultatem habent audiendi confessiones; & quatenus, num. 13. & octo sequentibus.
Prohibitio in hac re facta Religiosis sub excõmunicatione, numer. 22
Quis possit absoluere ab excommunicatione ab homine, num. 23
Quòd possit ille qui eam tulit. Quod item ipsius successor, ibid. num. 24. & 25. Itémque eiusdem Superior, & delegatus, num. 26. & tribus sequentibus.
Ab excommunicatione generaliter lata ab homine potest absoluere, qui potest ab excommunicatione lata à iure, numer. 30
Casus in quibus is qui excommunicationem tulit non potest ab ea absoluere, numer. 31. & 32. Et quando is qui de mandato Papæ excommunicationem tulit, possit ab ea absoluere, num. 33
De absolutione quam dat is à quo lata est, nondum Sacerdos. nu. 34. Et quòd participans cum excommunicato ab homine, absolui possit tãtùm ab eo qui excommunicauit, vel ab ipsius Superiore, num. 35

Absolutio ab excommunicatione 2. in ordine ad eum qui absoluitur. Lib. 9.

INuitus potest ab excommunicatione absolui, & quando id liceat, ac quando talis absolutio valeat, etiamsi data illicitè. num. 36. & duobus sequentibus.
Absens potest ab excommunicatione absolui per procuratorem aut literis, ac etiam absque illis : itémque tale quid ignorans, num. 39. & duobus sequentibus. Excipe absentem, qui excommunicatus est nominatim in loco in quo demoratur, num. 42
Quatenus valeat aut non valeat absolutio ab excommunicatione obtenta ex falsa causa, vel ex veritate tacita, nu. 45. & duobus sequentibus.
Absolutio ab excommunicatione per metum grauem extorta nulla est, num. 48
Pluribus excommunicationibus irretitus non absolvitur ad sacramentalem confessionem sufficienter ab vna absque alia, num. 49. Et quomodo cognoscatur an talis sit absolutus ab omnibus, an ab aliquibus tantùm, num. 50
Qui plurium hominum excommunicationibus irretitus est, à quo absoluatur. nu. 51
Absolutio ab excommunicatione sub conditione de futuro, valida esse potest etiamsi illicita, nu. 52
Quando sine absolutione cessat excommunicatio lata in aliquem donec satisfecerit, nu. 53
Absolutio ab excommunicatione ad recidendum quid, & quotuplex sit, nu. 54. A quo dari possit, nu. 55
Impossibilitas satisfaciendi, à recidendo excusat eum, qui ab excommunicatione absolutus est ad recidendum, nisi satisfecerit, num. 56

Absolutio ab excommunicatione 3. quoad ea quæ obseruari debent vt legitimè collata censeatur. Lib. 9.

IVramentum exigendum. num. 57. Quæ sint virtute illius præcipienda, nu. 58. A quibus sit & ob quæ crimina exigendum, num. 59. & 60. Casus in quibus non exigitur, numer. 61
Non est de substantia absolutionis ab excommunicatione, numer. 62. Quando valeat vel non valeat ab solutio ab excommunicatione à delegato data omisso iuramento ipso, numer. 63
Absolutionem ab excommunicatione, debet satisfactio si possit reipsa præcedere, si offensa sit manifesta, num. 64
Si non possit, dari debet cautio, 65. Quam non implens, non recidit eo ipso in excommunicationem, num. 66
Quando offensa est dubia, sufficit cautio, num. 67
Ampliationes & restrictiones cum quibus intelligendum est, reipsa præmitti debere satisfactionem, quando offensa est manifesta, num. 69. & 70
An ob satisfactionem non præmissam absolutio ab excommunicatione sit inualida, num. 71. & 72
Ceremoniæ seruandæ in danda absolutione ab excommunicatione, nu. 73. & duobus sequentibus. Quódque illis omissis absolutio ipsa valere possit, nume. 76. Et causæ aliquot ob quas omitti possunt, num. 77
Nulla est determinata verborum forma eiusdem absolutionis ; & quæ sit vsitata, num. 78. & 79
In eadem absolutione seruandum, quando irretitus est quis pluribus excommunicationibus, num. 80
Mandata danda absoluto ab excommunicatione : sunt à relapsu cauere, & pœnam aliquam subire, seque Superiori præsentare, num. 81. & 82
Facienda est denunciatio collatæ absolutionis ab excommunicatione, num. 83
Absolutio ab excommunicatione quando & quomodo danda ad cautelam, num. 84
Non exigit ea quæ requiruntur, quando talis absolutio datur absolutè : nisi quòd interdum expediat exactionem iuramenti illi præmitti, numero 85. & tribus sequentibus.
Excommunicatio per obliuionem tacita in confessione, quando tollatur per absolutionem quæ in hac datur, numer. 89

De

De absolutione data cum nescitur, An incursa fuerit excommunicatio, num. 90 & duobus sequentibus.
Non sufficere cautionem, aut promissionem fieri pro satisfactione, cum quis absoluitur virtute potestatis absoluendi ab omnibus censuris concessæ in Iubilæis, aliisve Bullis Summorũ Pontificum, quo modo intelligi debeat, n. 93
Dubitans de aliqua excommunicatione vtrum in eam incurrerit, tenetur absolutionem petere, num. 93

Acedia.

Aduersus acediam inculcanda Pœnitenti, libr. 7. num. 62.

Adulter & adultera, Libr. 10.

ADultera non tenetur manifestare suum peccatum, si aliter impedire possit ne spurius succedat in hæreditate, aut si talis manifestatio nihil sit profutura, num. 274
In casu quo spurius tenetur matri credere, debet filius legitimis hæreditatem cedere, nisi legitimè præscripserit, n. 275
Adultera tenetur crimen suum detegere, cùm detrimentum famæ ipsius inde secuturum, non multum excedit illud, quod filij legitimi alioqui patientur, nu. 276. Cui damno si obuiare nequit in totum, debet ex parte qua potest, n. 277
Adulter pariter cum adultera tenetur ad restitutionem, quà idipsum damnum resarciatur, num. 278
Facienda est restitutio hospitali in quo spurius exponitur: quódque de adultera dicitur, dicendum est pari ratione de ea, quæ alienum fœtum supposuit, num. 279

Aduocatus.

Aduocati obligatio resarciendi damnum quod cliens passus est, culpâ ipsius, lib. 10. num. 98
De quibus idem interrogandus sit in confessione, libro 2. num. 38. §. 19.

Amor sui.

Amor sui initium est peccati, libr. 11. num. 64. Triplex affectus illicitus ex eo prouenies, num. 65

Appetitus sentiens.

Appetitus sentiens & voluntas mouent se mutuo idque diuersimode, lib. 11. nu. 66
Cõcupiscentia appetitus sentientis, in actu voluntaris quandoque auget liberum, quandoque minuit, quandoque tollit omnino, ibid. num. 67
Quandoque pariter auget peccatum, quandoque minuit, & quandoque tollit omnino, num. 68. sequent.

Approbatio Confessarij. Lib. 1.

APprobatio Confessarij, diuersa est à iurisd. in foro interno, num. 168. Et decretum Concilij Tridentini de eadem, num. 169
Quódque ea sit actus iurisdictionis, non ordinis Episcopalis, & qui eam dare valeant, nu. 180. & quinque sequentibus.
Quatenus in confessione peccetur ob illius defectum : cum quo confessio etiam facta bona fide, est inualida, numer. 170. 171. 172
Ea obtineri potest Episcopi ratihabitione de præsenti : & necessaria est vt aliis, sic & Religiosis habentibus priuilegium à Papa ad audiendas confessiones secularium : nisi aliud Papa ipse statuerit. Itémque habentibus publicum sufficientis scientiæ testimonium, num. 173. & quinque sequentibus.
A quo approbatum eligere debeat habens à Papa eligendi facultatem : & quando possit Episcopus alienum approbare pro sua diœcesi, nu. 186. & 187
Simpliciter approbatus à proprio Episcopo, aut adeptus parochiale beneficium, quamdiu illud retinet, idoneus est audiendis vbique confessionibus, si reliqua adsint. Et quid in hac materia nomine parochialis beneficij significetur, num. 188. & tribus sequent.
Approbatio non obtinetur eo ipso, quòd illa iniustè negetur, ibid. num. 192. 193. 194
Peccant eam negantes siue causa. Et quòd ea in Religiosis, tollat onus alias præsentandi se Episcopo, num. 195. 196
Notanda ad iudicandum quatenus approbatio valeat aut non valeat, num. 197. & quinque sequentibus.

Archiepiscopus.

Archiepiscopus non potest absoluere excommunicatum à Suffraganeo suo, nisi sit appellatum ad ipsum, lib. 9. nu. 28
Archiepiscopus quam iurisdictionem habeat in subditos suorum Suffraganeorum, lib. 1. num. 34

Articulus aut periculum mortis,

In articulo mortis necessitas dat omnib⁹ Sacerdotibus iurisdictionem ad absoluendum in quouis casu, & quis sit articulus mortis, libr. 1 num. 58. & tribus sequentibus, lib. 8. num 83. & lib. 9. num 9. & 10
Quando, in eodem articulo ab Inferiori absolutus à casu reseruato, debeat se præsentare Superiori, lib. 1. num. 62. libr 9. numero 11.

Attentio in oratione. Lib. 4.

ATtentio requisita in oratione, vt bona sit, num. 82
Qualem esse oporteat, numer. 83. Triplex esse potest orantis vocaliter, num 84. Quando & qualiter peccetur in oratione illius defectu, nu. 85. Attentionis interruptio impediens orationis fructum, numer. 87. Quando ea contingat tacita, num. 88. Quæ actio sit cum qua stare nequit, numer. 89. Quando censendum sit muratum propositum attendendi, num. 90. Quando ex tacita interruptione attentionis contingat mortaliter peccare in oratione, nu. 91

Attritio. Lib. 5.

ATtritionem constituunt defectus conditionum necessariarum ad veram contritionem, nu. 68. & quæ sint eæ conditiones, num. 69
Constituta ex defectu voluntarij, non sufficit cum sacramento ad peccatorum remissionem, num. 70
De ea quæ ex eo deficit, quòd non sit expresse de peccato tanquam offensâ Dei : sed de aliquo incommodo proprio. Quando cum sacramento sufficiat ad remissionem peccatorum, aut alias vtilis sit animæ, num. 71. & duobus sequentibus.
Dubium an vt sufficiat, fundari debeat in Christi fide, nu. 74
De ea quæ deficit in eo, quòd non sit summa, quatenus possit cum sacramento sufficere ad remissionem peccatorum, numero 75
Ea quæ deficit in spe veniæ à Deo consequendæ, non valet cum sacramento ad remissionem peccatorum, num. 76
Nec item ea quæ est sine firmo proposito emendationis, nu. 77. & 78. atque adeo sine firmo proposito confitendi & satisfaciendi, num. 79

Auaritia.

Aduersus auaritiam remedia, lib. 7. num. 64
Auaritia aduersatrix eleemosynæ, lib. 4

B

Bonæ fides.

Bona fides Pœnitentis quando suppleat defectum iurisdictionis ex parte Confessarij, faciatque vt absolutio sacramentalis sit valida, quæ alioqui non esset, lib. 8. numer. 81. & 82
Bonæ fidei possessor rei iniustè acceptæ, si hæc apud ipsum pereat, restituere tenetur tantùm id in quo factus est locupletior, lib. 10. nu. 35
De vendente bona fide rem iniustè acceptam : & de comedente ex ea, bona fide, ibid. num. 36. & 37
Bonæ fidei possessor, rei iniustè acceptæ fructus apud ipsum extantes tenetur restituere. Si autem nulli extent, etiam culpâ suâ, nihil ideo restituere tenetur, num. 38. & 39. seq.

Bona animæ. Lib. 10.

VArietas bonorum animæ & obligatio ad restitutionem damni dati in bonis eius generis, siue naturalibus siue supernaturalibus, num. 302. & 303
Modi quibus potest quis lædi in bonis supernaturalibus, nu. 304. & quòd talis læsio peccatum sit graue, num. 305
Interdum licet à bono spirituali reuocare, vt ab ingressu religionis, num. 306
Obligatio nocentis proximo in bonis spiritalibus, numero 307. & 308
Obligatio illius qui retraxit aliquem à religione, num. 309. seq. Boni operandi siue in ordine ad Deum, siue in ordine ad semetipsum, siue ad proximum adiumenta habes libr. 2. num. 192. & tribus sequentibus.

Bona externa. Lib. 12.

BOnorum vtilium appetitus vel contemptus, de se nec bonus est nec malus, num. 22
Bonorum honorariorum appetitus potest ex tribus finibus bonitatem accipere, num. 23
Item appetitus inde malus est, vnde vanus, quod contingit tripliciter, num. 24
Quid iudicandum sit de appetitu bonorum pecuniariorum, & contemptu honorariorum, num. 25
Quomodo licitè detur specimen agilitatis, eruditionis, & similium, intentione consequendi præmium honorarium aut pecuniarium, num. 31
Casus in quibus appetitus bonorum vtilium est peccatum mortale, num. 34
De excommunicat. lata in vsurpantes bona Ecclesiæ, vide verbum Bulla Cœnæ nono.*

Bona incerta. Lib. 10.

BOna quorum Dominus ignoratur quidem, non tamen omnino, non sunt restituenda alij quàm ipsi, num. 194
Cuius Domini facta diligenti inquisitione, si non potuit inueniri : ac bona quæ ei restituenda erant pauperibus data sunt : ipseque postea appareat, non est facienda alia restitutio, num. 195
Restitutio incertorum, cùm dominus omnino ignotus est, *de iure saltem positiuo*, debet fieri pauperibus, num. 196
Qui in ea re censeantur pauperum nomine, num. 197

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM,

Non meliores sed egentiores sunt in eadem re præferendi, num. 198
Quatenus qui aliquid restituere tenetur potest tanquam pauper ex illo subuenire suæ egestati, nu. 199
Casus in quibus potest Episcopus sibi vsurpare munus distribuendi talia bona, num. 200
Conditiones requisitæ vt licita sit compositio, quæ super iisdem bonis fit authoritate Papæ, num. 201
Ea ipsa bona retinens ad subueniendum suæ necessitati, cum indigens est tantum ad tempus, non liberatur ab obligatione restituendi, nu. 202
Cui facienda sit restitutio rei quæ scitur quidem deberi vni ex pluribus, sed cui eorum sciri non potest, nu. 203. & 204
Cui item cùm damnum illatum est communitati, aut minutatim plutibus, nu. 205
Restitutioni obnoxia non sunt: tum bona, quæ nullius vnquam fuerunt: aut licèt fuerint, nulla tamè memoria eius extat: nisi consuetudo aliubi sit in contrarium, num. 206. & 207. Tum ea, quæ domini habent pro derelictis, nu. 208
De quorum numero non censentur esse à nauigantibus occasione tempestatis abiecta, num. 209
Inuenta vtrùm retineri possint, an debeant dari pauperibus, num. 210. & 211
Quod dicitur de inuentis, dicendum est pari ratione de debitis ex licito contractu, quæ nequeunt restitui creditoribus, nu. 212

Bulla Cœnæ Domini primò, quoad se. Lib. 9.

MOdus peculiaris quo cessat illius obligatio, & obseruationes de casibus qui in eiusdem innouatione interdum aut detrahûtur, aut addûtur, nu. 227. & duob. sequent.
Excommunicationes in ea ipsa bulla positæ, nec propriè sunt à iure, nec ab homine, num. 230
Tripartita est eadem bulla, tribúsque de causis instituta est, num. 231. 232

Bulla Cœnæ secundò, quoad primam excommunicationem latam in hæreticos & eorum credentes, receptatores, fautores, libros ipsorum legentes, tenentes, vel imprimentes, ac in schismaticos. Lib. 9.

*IN quas personas talis excommunicatio feratur, nu. 233
Requisita vt quis in eam tanquam hæreticus incurrat, num. 234. & septem sequentibus, à Confessario expendenda sedulò.
Quis in eam incurrat tanquam credens hæreticorum, nu. 242. & 243
Quis tanquam receptator hæreticorum, num 244. & 245
Quis tanquam fautor hæreticorum, num. 246. & 247
Qui tanquam defensores hæreticorum, nu. 248. & seq.
In legentes libros hæreticorum duplex excommunicatio, & quæ requiratur ad quamque eatum incurrendam, nu. 249
Quæ ab hæreticis edita legi permissa sint, num. 250
Quando audiendo legi librum hæreticum incurratur excommunicatio, num. 251
Neque memoriter recitando accepta ex libris hæreticorum: neque ea legendo citata in libris Catholicorum, incurritur excommunicatio, nu 252. & 253
Ab excommunicatione excusant in tali lectione, tum ignorantia & materiæ paruitas, tum etiam licentia legitima: quam quis dare possit, num 254. & 255
Retinentes vel imprimentes aut defendentes libros hæreticorum, quomodo in hanc excommunicationem incurrant, num. 256. & 257
Quis tanquam Schismaticus in eamdem excommunicationem incurrat, docetur ea proponendo ex quibus intelligitur quis sit propriè Schismaticus, nu 258. & tribus seq.

Bulla Cœnæ tertiò, quoad secundam & duas sequentes excommunicationes. Lib. 9.

PEccata ob quæ & personæ in quas ex excommunicationes feruntur, nu. 262
Qui incurrant secundam latam in appellantes à sententia Papæ ad futurum Concilium, num. 263
* Qui significentur nomine Piratarum in quos tertia sequens excommunicatio fertur, num. 264
Eo nomine comprehenditur is qui animo nocendi ingressus est mare, etiamsi fortè non noceat: itémque is qui simul naufragantibus nocet. num. 265
Quid de eo qui illo animo prædatur in terra, vel in flumine, num. 266
Quid item de eo qui bona fidelium prædatur in naui infidelium: vel bona infidelium prædatur in naui fidelium, nu. 267
Notanda circa quartam excommunicationem latam in furipientes bona Christianorum naufragorum, num. 268
An eam incurrant qui talia capiunt animo restituendi sed non restituunt statim, num. 269
An item qui bona fidelium ex nauibus infidelium, vel horum ex nauibus fidelium electa surripiunt, num. 270
An etiam qui accipiunt ex nauibus à nautis proiecta ob tempestatem, nu. 271
An demum qui accipiunt reperta in nauibus quas nautæ deseruerunt metu submersionis, aut quæ sunt actu submersæ, nu. 272
Quando ab istiusmodi excommunicatione excusetur accipiens prædicta bona, nu 273

Bulla Cœnæ quarto, quoad quintam & duas sequentes excommunicationes. Lib. 9.

CAusa ob quam, & personæ, in quas fertur quinta excommunicatio, innodans imponentes vel augentes pedagia aut gabellas, num. 274
Communitates quomodo subiiciuntur eidem excommunicationi: & qui gabellarum exactores in eamdem incurrant, num. 275. & 276
Quid sint pedagium & gabella: & cùm varia sint onerum publicorum genera, ad quod ea pertineant, cod. lib. num. 277. & duobus sequentibus.
Vsus collectarum seu talliarum, nu. 280
Eas imponendo nouas sine legitima potestate excommunicatio hæc incurritur, nu 284. & 285
Noua pedagia imponêdi potestatem habêt vt Imperator, sic & cæteri Principes qui sibi iura Imperialia præscripserunt, nu. 281. & 282
Potestas eiusmodi qua ratione acquiratur consuetudine, nu. 283
* Causa ob quam, & personæ quibus imponitur sexta excõmunicatio innodans falsificantem literas Apostolicas, nu. 286 & quis dicatur fallere literas Apostolicas, Harúmque varietas. nu 287
Ampliationes & restrictiones eiusdem excommunicationis, nu. 288. & 289
Quod ea ipsa incurratur ob literas Apostolicas subreptitiè aut obreptitiè impetratas. Et quomodo ob mutationem in eis factam, nu. 290. & 291. & sequentibus.
Causa ob quam, & personæ à quibus incurritur septima excommunicatio, innodans ferentes arma infidelibus, nu. 292.
Non incurrunt iuuantes hos in bello iusto, nu. 293
In clausula verborum qua fertur proposita excommunicatio: quæ comprehendantur nomine equorum, nu. 294
Quæ nomine armorum, nu. 295. Quæ nomine ferri, & cuiuscunque metalli, nu. 296. Quæ nomine lignaminum & fumum. nu. 297
Qui tanquam ferentes aut transmittentes arma ad infideles eadem excommunicatione innodentur, nu. 298. & quatenus metus grauis in eo excuset, nu. 299
Quando Saracenos in suis nauibus transportantes in illam incurrant, nu 300
Duo casus in quibus excusatio est à tali excommunicatione, nu. 301
Quid tenendum sit de vendentibus arma infidelibus degentibus in terra Christianorum. Irémque de reddentibus infideles certiores de rebus Christianorum, nu. 302. & 304
Conditio notanda rerum quæ infidelibus deferuntur, eod. lib. nu. 303.

Bulla Cœnæ 5. quoad octauam, & duas sequentes excommunicationes. Lib. 9.

CAusæ ob quas & personæ in quas feruntur excommunicatio 8. innodans impedientes eos qui ad Romanam curiam victualia conuehunt: & 9. innodans lædentes eos, qui ad Romanam curiam recurrunt: ac 10. innodans eos, qui lædunt Romipetas, nu. 305
In octauam incurrunt, qui impediunt ad Romanam curiam deferri quæcunque necessaria ad vitæ sustentationem: nisi iusta causa aut bona fides excuset, nu. 306
Limitationes cum quibus id accipiendum est, nu. 307. De personis ob quarum vexationem incurritur nona excommunicatio, nu. 308
Sufficit vt tales sciantur ire vel redire aut commorari apud Sedem Apostolicam, nu. 309
Eos vexans ob crimina in terra suæ iurisdictionis commissa, non incurrit in talem excommunicationem, nu. 310
Quis dicatur Romipeta: & quæ requirantur, quæque non sufficiant vt lædendo ipsum decima excommunicatio incurratur, nu. 311

Bulla Cœnæ, sexto, quoad undecimam & duodecimam excommunicationem. Lib. 9.

CAusæ ob quas, & personæ in quas feruntur excommunicationes, vndecima innodans nocentes Cardinalibus vel Episcopis: & duodecima innodans lædentes eos, qui pro suis negotiis ad Romanam curiam recurrunt, nu. 312

In

ET VERBORVM.

In clausula qua fertur vndecimus, quomodo accipiendum sit nomen Episcopi: & quæ electio Episcopi inducat eandem excommunicationem. nu 313
Nonnulla in eadem item clausula quomodo sint accipienda: illiúsque comparatio cùm nonnullis canonibus, n 314
Requisita ad incurrendam excommunicationem duodecimam, num. 315
Declaratio aliquot verborum clausulæ, per quam eadem fertur, num. 316. & duobus sequentibus.
An tali excommunicationi sit locus cùm negotiorum in Romana curia prosecutio est iniusta, nu. 319

Bulla Cœnæ 7. quoad excommunicationes decimamtertiam & decimamquartam.

CAusæ ob quas, & personæ in quas fertur excommunicatio decimatertia innodans eos qui à grauamine vel futura executione literarum Apostolicarum appellant ad laicam potestatem, nu. 320
Friuola appellatio quæ causam dedit tali excommunicationi, num. 321
In quam quomodo incurrant prohibentes memoratam executionem fieri sine Principis sui beneplacito, n. 322. & 323
Recusans obedire literis Apostolicis si id faciat, eo quod non habeatur beneplacitum Principis, excusatur à tali excommunicatione. Et extra illum casum, quo modo in eam incurrat, nu. 323. & 325
Consensus Magistratus aut Principis pro executione literarum Apostolicarum; vel earum examen, quando sit sine incursione propositæ excommunicationis, nu. 326
De excusatione ab ea ipsa excommunicatione ob metum Principum, num. 327
Obseruanda de prohibitione, impedimento, & examine ob quæ imposita est eadem excommunicatio, nu. 328
Personæ à quibus emanare debêt literę quæ in clausula propositæ excommunicationis dicuntur Apostolicæ, nu. 329
Inter eas non numerantur Supplicationes Apostolicæ: nec literæ Pœnitentiariæ nec literæ Congregationis Cardinalium pro difficultatibus circa Concilium Tridentinum. nu. 330. & 331
Quædam notanda circa verba memoratæ clausulæ, nu. 332
Actiones ob quas, & personæ in quas fertur excommunicatio Decimaquarta innodans eos qui causas spirituales aut spiritalibus annexas auocât à Iudicib⁹ Ecclesiasticis, n. 333
De clausula verborum qua fertur eadem excommunicatio: & de cap. Quoniam, De immunitate Eccles. in 6. vbi eadem quoque fertur, num. 334
Requiritur authoritate publica agi, ad illam incurrendam, num. 335
Triplex prætextus quo aliqui se in hac re tegunt. Et an satis sit vnum ex illis interuenire ad incurrendam, nu. 336
De prætextu prohibendæ violentiæ, num. 337
De prætextu appellationis in tempore & formâ interpositæ, num. 338
De prætextu defendendi habentem in beneficio Ecclesiastico titulum coloratum, nu 339. & 340
Abusus est, quòd Iudices Ecclesiastici à laicis cogantur ad se mittere processus originales. Et cùm laicis non liceat se intromittere in causis spiritalibus quid illi agere debeant si in eisdem causis vexentur subditi ipsorum, n. 141. & 142
Quomodo prætextus supplicandi Papæ excuset ab ea de qua agimus quarta excommunicatione. nu. 143. & 144
Collatio Cap. Quoniam de immunit. Eccles. in sexto cum ista Bullæ Cœnæ Domini clausula. Et notanda circa Cap. vnicum de iis quæ vi in sexto, num. 345. & 346

Bulla Cœnæ 8. quoad excommunicationes decimamquintam & decimamsextam. Lib. 9.

CAusæ ob quas, & personæ in quas fertur excommunicatio decimaquinta innodãs Iudices seculares qui personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt, aut libertatem Ecclesiasticam tollunt, aut in aliquo lædunt, nu. 348
Statuta de eadem re, antiquo iure: quódque istiusmodi excommunicationi obnoxij sint etiam Ecclesiastici, numer. 349. & 350
Casus in quibus Ecclesiastici trahi possunt ad tribunal Iudicum secularium, nu. 351. & 352
Quando incurratur eadem excommunicatio, Clerico se vltro subiiciente Iudici laico, nu. 356
Quando per violationem libertatis Ecclesiasticæ, ibid. à nu. 357. ad 365. Vide verbum Libertas ecclesiastica.
Actiones ob quas, & personæ in quas fertur excommunicatio decimasexta innodans impedientes vsum iurisdictionis ecclesiasticæ, & eo nomine recurrentes ad forum seculare, num. 365
An ea incurratur impediendo vsum iurisdictionis delegatæ, numer. 366
Causæ meræ ecclesiasticæ, quas impediendo proposita excommunicatio incurritur. Et ratio eas distinguendi à causis fori mixti. ibid. num. 378
Quædam notanda de actionibus ob quas memorata excommunicatio imponitur, num. 369
Alia notanda circa excommunicationem latam in cap. Quicumque De sentent. excommunic. in sexto, nu. 370. & seq

Bulla Cœnæ quoad 9. excommunicationes cæteras eiusdem Bullæ, libr. 9.

ACtiones ob quas, & personæ in quas feruntur excommunicationes 17. innodans vsurpantes Sedis Apostolicæ & quarumcumque Ecclesiarum iurisdictiones, vel fructus, aut etiam sequestrantes: & 18. aduersus imponentes decimas & alia onera personis ecclesiasticis, Ecclesiis, monasteriis, nuii. 371
Earum prior tam ad ecclesiasticos Iudices, quàm ad laicos extenditur: & quæ eadem requirat, quæque Concil. Trident. de ea ipsa tradat, nu. 372. & 373
Ob quam sequestrationem eadem incurratur, num. 374
De materia excommunicationis 18. variæ iuris constitutiones, nuii. 375
Excusationes ab eadem excommunicatione, nu. 376 & 378
Non tantùm bona quæ percipiuntur ex beneficiis ecclesiasticis, sed etiam alia Clericorum propria, etiam patrimonialia, proteguntur tali censurâ, nu. 377. & 379
Quid tenendum sit in hac re quoad bona laicorum, quæ ad Ecclesiam deuenerunt, num. 380
Factum propter quod in hac materia, licèt non incurratur proposita excommunicatio, incurratur tamen alia, nu. 381
Quando Ecclesiasticus pro solutione onerum ad quæ tenetur possit aut non possit conueniri à Iudice laico, nu. 382
* Crimina ob quæ, & personæ in quas fertur excommunicatio 19. innodans Iudices & cæteros iustitiæ ministros, qui se interponunt in causis criminalibus contra ecclesiasticas personas, lib. 9. num. 383
Quid sit causa criminalis, quid processus, & quatenus hoc liceat possit laico aduersus Clericum, ibid. nu. 384
Personæ ad quas eadem excommunicatio extenditur, & casus in quibus excusatio ab ea datur, num. 385
Ob quam causam, & in quas personas feratur excommunicatio vltima innodans occupantes terras Romanæ ecclesiæ, & in illis supremam iurisdictionem vsurpantes, n. 386
Et quæ excusatio ab ea esse possit, num. 387
Explicatio difficultatis de inuadentibus terras Papæ sine animo eas sibi vsurpandi & retinendi, num. 388
De aliarum bullarum seu cõstitutionum Papalium promulgatione requisita ad earum obligationem, vide verbum Lex humana primo. *

C

Cardinalis.

CArdinalis potestatem habet eligendi sibi Confessarium & talem dandi iis qui sunt de ipsius familia, libro 1. numero 31
Cardinalem lædentes incurrũt in excommunic. lib. 9. n. 312

Casus reseruati. Lib. 1.

Casuum reseruatio vnde habeat originem, & in quo consistat: quódque sit strictè interpretanda, nu. 123. & 124
Qui casus, seu peccata possint aut non possint reseruari, nu. 125. & tribus sequentibus.
De iis qui Papæ reseruantur, n. 129. & quatuor sequentibus.
Quidam reseruantur Episcopo de iure particulari, & quidam de iure communi, num. 134
Qui sint posterioris generis, habentes censuram annexam, numero 135
Qui non habentes censuram annexam, num. 136
Quando & quatenus possit inferior absoluere à casibus Papæ reseruatis, num. 63. & 135
Casus in quibus Clerici perdunt priuilegium fori, libro 9. sub finem.

Causa damni. Lib. 10.

QVi est causa damni efficax, non item qui ineffica. tenetur ad restitutionem, num. 102
Quando excusetur à restitutione, furi accepturo rem maiorem, suadens vt accipiat minorem, num. 103
Quando item is qui volens damnum impedire, causam ei dedit, num. 104
Quando præterea, is qui dedit suffragium iniustum, aut omisit dare iustum, num. 105
Ad quam restitutionem teneatur qui furi volenti accipere 50. suadet capere centum, nu. 106
Ad quam prę terea is qui causa fuit, vt damnum datum sit citius, quàm esset alioquì dandum, nu. 107
Qui damni illationem suasit si suasionem suam reuocet antequam illud detur, excusatur à restitutione: non item si post damnum da tum, nu. 108
Duo modi quibus contingit aliquem sua causalitate attingere effectum damnosum, nec esse causam eius sine qua non, num. 109
Obligatio ad restitutionem non impeditur ex eo, quòd idem damnum alius intulisset, num. 110
Ad restitutionę tenetur is qui in actionę damnosam influxit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quantumuis non fuerit causa illius sine qua non; & ratio cognoscendi quando quis fuerit damni causa sine qua non, nu.111.& 112
Causa damni alia principalis, & physica, & alia secundaria,& moralis:& quando is qui causa est principalis teneatur, & quando non teneatur ad restitutionem, nu.113.& 114
Quæ sit obligatio ad restitutionem, quando plures ad damnum inferendum concurrunt;siue dependenter, siue independenter alij ab aliis, nu.115.& 116
Quid sit tenendum cùm plures causæ principales,ac physicæ concurrunt ad eumdem effectum damnosum, vna post aliam, nu.117
Quando is qui causa est tantùm secundaria & moralis, teneatur ad restitutionem in solidum, nu.118
Et quænam obligatio sit ad restitutionem, quando plures sunt damni causa moralis, nu.119
Ad restitutionem contribuere tenentur omnes qui concurrunt ad damnum inferendum, etiamsi dubitetur quis eorum illud intulerit, nu.120
De causa forensi annexam habente'excommunicationem, vide verbum Bulla Cœnæ 7.* & Bulla Cœnæ 8. ac Bulla Cœnæ 9.*

Christus. Lib. 2.

CHristi merita,qua ratione fiant nobis propria, nu.152
Cum Christo coniunctio animę tum per fidem,nu.162. tum per spem; quòdque diffidendum sit de nobis, & in Christo fidendum,nu.163.& 164.tum demum per charitatem coniuncta abnegatione sui cum dilectione Christi, nu.165.& duobus sequentibus.
Proponendi Christum ante conspectum nostrum necessitas ad tenendam viam salutis; & modus quo id fieri debet: & adiumenta tum remota ad id faciendum, tum propinqua, nu.168.& duobus sequentibus.
De præcipuo,*quod est charitatis*,quomodo foueatur, nu.172. & duobus sequentibus.
De necessitate humiliationis nostræ coram Christo, vide in verbo Humilitas.*
Propter Christum aduersa patiendi necessitas ad tenendam viam salutis:& quæ sint ad id adiumenta, nu.179
Quæ consideranda sint ad patienter ferenda quæ nobis inferuntur ab aliis, nu.180
Eorum etiam quæ ipsi nobis infligimus,quis modus esse debeat, num.181

Circunstantiæ humani actus primò generaliter. Lib.14.

VNde circunstantię nomen translatum sit ad disciplinam moralem, nu.7
Eo nomine significantur accidentia moralia actus humani, non item naturalia, nu.8
Quot & quæ sint circunstantiæ, nu.9
Notanda ad iudicandum de peccatis,ex illis, nu.10
Explicatio nominum quibus singulæ solent iudicari, nu.11
Moralis effectus circunstantiæ circa actum humanum, ibid. nu.12
Circunstantia peccatum auget,vel minuit; nonnunquam in infinitum, nonnunquam in finitum, nu.13.& 14.
Circunstantiâ ex qua augetur,vel minuitur liberum,augetur vel minuitur peccatum, nu.15
Circunstantia dissentanea rectæ rationi, primam malitiam tribuit actui cui accidit,aut illam auget, nu.16
Quando circunstantia augeat peccatum mutando speciem, & quando intra eamdem tantùm speciem, nu.17
Ratio cognoscendi quæ circunstantia mutet speciem,& quæ non mutet, nu.18
Qua ratione peccatum minuatur ex circunstantia, nu.19
Actus humanus ex aliqua circunstantia malus,nulla aliarum circunstantiarum superadditione fit bonus, nu.20

Circunstantiæ actus humani secundò particulariter. Lib.14.

DVo casus in quibus ex circunstantia agentis, peccatum aggrauatur mortaliter mutando speciem, nu. 21.& sex sequentibus.
De casu scandali vide verbum Scandalum.
Intra eamdem speciem aggrauatur peccatum ex agentis dignitate,scientiâ,conscientiâ,& ætate,nu.28.& duobus sequentibus.
Aggrauari ex sanctitate,quomodo accipi debeat,nu.31.Et quod ex authoritate aggrauetur, nu.32
Quæ spectant ad circunstantiam effectus, vide in verbo Nocumentum.
Quæ ad circunstantiam loci sacri, vide in verbo Locus sacer.
Aggrauatio peccati ex circunstantiis loci publici, nu.45
Quo modo peccatum augeatur ex circunstantia auxilij,nu.46
Circunstantia mali finis auget peccatum mutando speciem: & quomodo circunstantia boni finis illud minuat, nu.47.& 48.
Ad circunstantiam finis reducitur peccati aggrauati operi affectum inordinatum quo perpetratur, nu.49
Ex circunstantia modi peccatum aggrauatur:tum intensione voluntatis peccandi, nu.50. tum continuatione peccati, nu.51.tum illius iteratione, nu.52
Circunstantia temporis quatenus aggrauet peccatum,nu.56. & octo sequentibus.vide verbum Tempus sacrum.
De circunstantia in ordine ad sacramentalem confessionem, vide verbum Confessio 5.

Columbaria & Columba. Lib.10.

TRes conditiones requisitæ vt columbaria sint licita, nu. 77.Ratio qua docetur esse licita, eum solutione contrariarum, nu.78.& 79
Columbas occidentes quando ad restitutionem teneantur, & quando non teneantur, nu.80

Commissio.

Quando iurisdictio in foro interno censeatur acquisti per commissionem,lib.1.nu 55. Eam institutus Parochus potest committere ante susceptum sacerdotium, ibid.nu.56
Eiusmodi commissio facta ab excommunicato non tolerato, vel intruso vel priuato Pastorali titulo nulla est, eod.lib. nu.57
De commissione absoluędi à casibus reseruatis facta à Papa, vel ab Episcopo, vide verbum Absolutio à reseruatis 2.
Commissio generalis ad absoluendum ab omnibus excommunicationibus reseruatis, non includit eam quam ille qui committit negaturus esset in specie,lib.9.nu.4.Virtute talis commissionis data ab omni excommunicatione absolutio, tollit reseruationem oblitarum in confessione, ibid.nu.6
Commissio absoluendi ab omnibus peccatis & censuris pro articulo mortis,eodem lib.nu.7.& duobus sequentibus.

Compensatio. Lib.10.

COmpensatio excusans à restitutione, quas conditiones requirat vt censeatur licita, nu.258
Quando is qui se solucturum iurauit possit compensatione vti,aut non possit. nu.290

Complex.

Casus in quibus licet complicem reuelare in confessione, lib.6.nu.60
Interrogare Pœnitentem de complicibus, quatenus sit Confessatio licitum,lib.3.nu.69.& duobus sequentibus. Vide verbum Sigillum sacramentale 3.*

Compositio. Lib.10.

COnditiones requisitæ vt licita sit compositio quæ super bonis incertis fit auctoritate Papæ, nu.201
Compositio liberans ab obligatione restituendi, nu.257

Confessio sacramentalis, primò quoad illius naturam & necessitatem. Lib.6.

DEfinitio confessionis sacramentalis,lib.6.Ex qua infertur,quòd sacramentalis confessio non sit, tum facta in foro externo, tum etiam in interno si sit hypothetica,aut excusatio vel iactantia, aut nuda narratio, nu.1.& tribus sequentib.
Confessio facta absenti non sufficit ad absolutionem: Nec sacramentalis est facta Sacerdoti non habenti iurisdictionem: aut facta in alium finem quàm obtinendi absolutionem sacramentalem. nu.5.& duobus sequentibus.
Confessio sacramentalis iure diuino necessaria est ad salutem, nu.8.& 9
Præceptum Ecclesiasticum de eadem datum: idque sub grauibus pœnis,nec immeritò, nu.10. & tribus sequentibus.
Quæ de ea ipsa confessione à Concilio Trident. negari prohibeantur sub anathemate, nu.14.& seq.
Obligatio confitendi sacramentaliter est sub mortali,nu.15. & 19.
Nouem modi quibus contingit illius transgressio, num.16. quódque possit ei satisfieri per votum faciendi,si non possit actu fieri, nu.16.&17
Quatenus possit vel non possit in ea dispensari, num. 18.& duobus sequentib.

Confessio sacramentalis secundò, quoad tempus pro quo imposita est. Lib.6.

OBligatio confitendi non est pro omni tempore num.21. Certum est esse pro articulo mortis, nu.22.Item pro tempore,quo conscius sibi peccati mortalis habet copiam Confessarij, non habiturus postea vrgente necessitate, ibid.nu.25
Alia tempora in quibus per accidens eadem obligatio viget: itaut conscio peccati mortalis non sufficiat quòd is sibi videatur contritus, nu.26.& 27
Præceptum diuinum de sacramentali confessione obligat extra mortis articulum,nu.28. Et an obliget pro tempore quo vincenda est tentatio aliqua exurgens, nu.29
Non obligat ad confitendum statim post lapsum in mortale,nu.30.Nec ad scribenda peccata,ne obliuioni tradantur, nu.31.

Obligatio faciendi confessionem annuam,quomodo sit iuris diuini,extendens se ad delicta interna, nu.32
An sit pro aliqua determinata anni parte, nu.33.34.& 35
Quomodo computandus sit annus, intra quem fieri debet sacramentalis confessio, num.36
Qui in eo confessionem omisit,tenetur quamprimum potest eam facere. Qui verò iam semel fecit,non tenetur vi præcepti Ecclesiastici denuo facere eodem anno, etiamsi habeat mortalia nondum confessa,nu.37.38.& 39.40.& 41

Confessio sacramentalis tertiò quoad personas obligatas ad eam,& quoad requisita ad satisfaciendum eidem obligationi. Lib.6.

AD confessionem sacramentalem faciendam infidelis non tenetur. nu.42
Nec item fidelis qui post diligens examen conscientiæ, nullius aut venialis tantùm culpæ est sibi conscius, num.43. & 44.
Exceptiones quædam in ea re, quoad culpam venialem, num 45.& 46.& 47.
Ad confessionem sacramentalem obligantur omnes fideles conscij sibi peccati mortalis, num.48
Quomodo obligetur Papa, atque quando pueri incipiant obligari, nu.49.& 50
Quæ inopia Confessarij excuset ab obligatione confitendi, nu m.51.
Quando per confessionem imperfectam defectu integritatis, aut contritionis, aut examinis sufficientis non satisfiat;& quando satisfiat præcepto confitendi: siue diuino, siue Ecclesiastico, num.52.& duobus sequentibus
De obliuione & inaduertentia per quam talis defectus non obstat quin satisfiat, num.55.& 56.
Confessus nõ accepta absolutione,tenetur ite rum confiteri, & obiectio in contrarium cum solutione, nu.57.& 58

Confessio sacramentalis 4. quoad conditiones quas ad suam perfectionem requirit. Lib.6.

QVæ sint tales conditiones, lib.6.nu.59
De prima,vt sit simplex,nu. 60.& 61.De secunda,vt sit humilis,num.62. De tertia,vt sit pura,seu cum debita intentione, & sine alterius detractione, num.63.& 64. De quarta, vt sit fidelis. Et quando meutiri in confessione peccatum sit mortale,quando verò tantùm veniale, num. 65.& quatuor seq uentibus.
De quinta, vt sit frequens,nu 70.De sexta,vt sit nuda, nu 71.
De septima,vt sit discreta,num.72. De octaua, vt sit lubens, num.73.
De nona,vt sit verecunda, num.74.& 75. De decima, vt sit integra, num.76
De vndecima, vt sit secreta, quæ non obstat quin aliquando possit confessio publicè fieri,num.77.& 78.Excusat autem ab ea facienda per interpretem aut scripturam. Qua nihilominus tatione potest licitè fieri. nu.79.& 81
Cùm confessio non potest fieri verbis, facienda est nutibus. Neque hoc ipso modo facere,cùm potest illo fieri, peccatum est mortale, num.80.& 82
De peccato quod committitur cùm sine iusta causa confessio sit audiente tertio, num.83.& duobus sequentibus
De duodecima conditione,vt sit lachrymabilis, num.86.De decimatertia,vt sit accelerata,nu.87. De decimaquarta, vt sit fortis,num.88.De decimaquinta,vt sit accusans, num. 89. De decimasexta, vt sit parere parata, num.90

Confessio sacramentalis quintò, quoad ea de quibus facienda est. Lib.6.

DE omnibus mortalibus post baptismum commissis facienda est confessio, nu.91
De venialibus fieri non est necessarium, duobus casibus exceptis, nu.92.& 93
De iam confessis potest denuo fieri, etsi id necessarium non sit, num.94.& duobus sequentibus.
Eorumdem aliqua confiteri licet aliis tacitis. Et quædam confiteri vni Sacerdoti, quædam verò alteri, num. 97. & 98.
De omnibus mortalibus etiam occultis facienda est confessio:tam quoad numerum quàm quoad speciem & circunstantias speciem mutantes,& extensiones cum quibus idintel ligendum est, nu 99.& 100
Ratio faciendi confessionem, cùm Pœnitentem aut peccata ipsius Confessarius nouit, nu.101.& 102
Propositio complectens omnia de quibus facienda est confessio,vt censeatur integra, nu.103
Dubium, an peccata mortalia ante baptismum commissa confiten da sint de necessitate. num.104
Dubium, an humana lege præcipi possit confessio venialium? num.105.& duobus sequentibus.
Dubium,an præcepto humano possit quis obligari ad denuo confitenda peccata mortalia iam rite confessa, num.108. & 109
Dubium,an omnes peccatorum mortalium species etiam specialissimæ sint confitendæ, num. 110. & quatuor sequentibus.
Modus declarandi peccatorum numerum in confessione cùm is determinatè scitur, num.115.& quatuor sequentibus.
Modus declarandi eumdem cùm non scitur determinatè, num.120.& sex sequentibus.
Dubium,an solæ circunstantiæ in infinitum, seu mortaliter aggrauantes mutando speciem, sint de necessitate confitendæ. Ad cuius explicationem, primò proponuntur varia genera circunstantiarum aggrauantium lib. 6. num. 127.& quinque sequent. Secundò tractatur difficultas de circunstantiis aggrauantibus mortaliter intra eamdem speciem, vtrùm sint de necessitate exprimendæ in confessione, num. 133.& quinque sequentib. Tertiò, admonitio adiungitur de circunstantiis in particulari,num. 139. & 140.
Dubium,an oblitus confiteri circunstantiam,quæ de necessitate erat exprimenda,teneatur cum eadem denuo confiteri peccatum per eam aggrauatum, num.141,& duobus sequentibus.

Confessio sacramentalis sextò, quoad ea, per quæ redditur inualida. Lib.6.

CONfessio sacramentalis quædam valida est,quædam inualida:illáque rursus quædam informis est,& quædam formata, nu.144
Defectus ex parte Confessarij quibus cõfessio redditur inualida: & specialiter de defectibus attentionis & intentionis, num.145.&146
Defectus siue vsus rationis,siue examinis conscientiæ, siue attritionis saltem sufficientissex parte Pœnitentis, num. 147.& 148
Quando confessio inualida sit ex malo fine aut ex mutatione Confessarij, nu.149
Defectus integritatis confessionem reddens inualidam, quo modo contingat: quem iusta causa excuset: cuiusmodi est obliuio, & ignorantia inuincibilis, num. 150.151.& 152
Ad iterationem confessionis non tenetur,qui in ea omisit aliquod peccatum mortale,quod putauit non esse tale:aut qui numerum suorum peccatorum ideo non declarauit, eoquòd omnino ignoraret eum esse in confessione exprimendum, num.153
A defectu memorato excusat etiam:tum impotentia, nu. 154.& 155.tum imminens periculum graue damni ex confessione alicuius peccati, nu.156
Quòd damnum sit censendum graue: & ratio illud cauendi, num.157.& 158.
Quod iusta causa tacendi aliquod peccatum non excuset ab obligatione confitendi de aliis, num.159
Peccatum ideo in confessione tacere,quod Confessarius confitentem minoris faciet quàm antea,num.161. Licet verò tacere,si ex confessione periculum sit, ne sacramentale sigillum frangatur, num.162
Defectus propositi confitendi reddit confessionem inualidam:& modus quo hæc iteranda est, facta inualidè,num. 163.& 164
Defectus satisfactionis quidem non reddit confessionem inualid am: sed defectus propositi satisfaciendi, reddit in duobus casibus, nu.165.& 166
Difficultas, an is qui non impleuit satisfactionem impositam teneatur confessionem repetere, num.167
Quòd detur confessio valida informis, seu sufficiens quidem ad implendũ præceptũ de confitendo, non tamen ad cõsecutionem diuinæ gratiæ & remissionẽ peccatorũ, nu.168
Ratio quâ talis contingit, quáque postea, ipse sortiatur suum effectum collationis diuinæ gratiæ, & remissionis peccatorum, nu.169.& 170
Monitum pro Confessario de absolutione indispositi,nu.171
Aliquot propositiones,quibus explicatur quatenus in Pœnitente excommunicatio obstet quominus is validè confiteatur, num.172.
* De confessione facienda non Sacerdoti nullum datur præceptum: & quatenus talem facere sit licitum. Quódque eadem non sufficiat ad satisfaciendum præcepto dato de confessione, lib.1.num.5.& quatuor sequentibus.
Ad validitatẽ Confessionis non sufficit eam fieri alieno sub spe futuræ ratificationis proprij Sacerdotis, eodem lib.1. nu.89.Nec item sub spe quòd id illi placeat de præsenti, nu.90.Nec itẽ ex eo quòd præsumendi de cõtraria proprij Sacerdotis voluntate,nullum appareat indicium, num.91

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM,

Confessarius primò quoad potestatem in eo requisitam vt censeatur idoneus, Lib. 1.

REquiritur in Confessario idonea potestas ordinis sacerdotalis: quotuplex quæ ea sit, num. 1. & 2
Quidnam eadem sit, & vnde appelletur nomine clauiũ, nu 3.
Per ipsam peccata remitti à Sacerdote quomodo intelligendum sit, nu. 4
De confessione facta non Sacerdoti, vide verbum Confessio 6. in fine. *
* Requiritur etiã in Confessario idoneo potestas iurisdictionis: & quid rei sit iurisdictio, quámque varia sit, num. 10. & duobus sequentibus.
Spiritalis iurisdictio in foro externo esse potest sine potestate ordinis; & in quo ab hac differat iurisdictio spiritalis in foro interno, nu. 13. & 14
Iurisdictio spiritalis in foro externo ad actus varios extenditur, lib. 1. num. 15
In Summo Pontifice est cum tota plenitudine, in cæteris Prælatis est limitata, num. 16 & 17
A Christo per D. Petrum transfusa est in huius successores, num. 18
Iurisdictionem spiritalem in foro interno diuersam esse à præcedenti per quid ostendatur, num. 19
Quòd sit necessaria ad ministrandum Pœnitentiæ sacramentum, num. 20
Quòd tota sit in Papa, & in aliis dependenter ab eo; nec talis dependentia obstet quin iidem alij dicendi sint authoritate Dei absoluere à peccatis, nu. 23. & 24
Applicatio subditorum per quam iurisdictio acquiritur, quo modo fiat, num. 25
Iurisdictionis spiritalis in foro interno duplex diuisio, nu. 28 & 29. A Papali iurisdictione nemo eximi potest, num. 30
Quo modo habeatur in Papam & eius familiares, num. 31
Quis habeat in Cardinales & Episcopos, eorum denique familiares, nu. 32. 33. & 35
Quis in Prælatos Episcopo inferiores. Et qui comprehendantur Prælatorum nomine, nu. 36 & 37
Difficultas in hac re de Prouincialibus, Prioribus, Guardianis, & aliis similibus, num. 38
Quis iurisdictionem habeat in Clericos non exeptos, nu. 39
Quis in Religiosos non Prælatos & Moniales, num. 41
Quis in Imperatorẽ, Regẽ & alios Principes maiores nu. 42
Quis in minores Principes, & alios dominos seculares: ac quis in cæteros seculares, num. 43. & 44

Confessarius secundò, prout extraordinarius, requirit iurisdictionem delegatam. Lib. 1.

*DElegari potest iurisdictio in foro interno: & differẽtia in tali potestate, inter Papam, Episcopum, & Parochum. nu. 45. & 46
Quo modo suam iurisdictionem delegare possint duo cõstituti Parochi in solidum eiusdem Parochiæ, num. 49
Quis Vicarius siue Episcopi, siue Parochi possit aut non possit iurisdictionem delegare in foro interno, lib. 1. num. 47. 50. & tribus sequentibus.
De acquisitione iurisdictionis per commissionem, vide verbum Commissio.
De acquisitione per necessitatem cõstituti in articulo mortis: vide verbum Necessitas, & verbum Articulus mortis.
Acquisitio per libertatem qualis est vagabundorum, vel habentium tantùm peccata venialia, aut iam aliàs confessa, lib. 1. num. 64. & 65
Acquisitio per facultatem eligendi Confessarium, quæ quomodo sit interpretanda. Et quid de ea quam Religiosi habent à Papa audiendi confessiones, ibid. num. 66. & 67
De acquisitione per licentiam, vide verbum Licentia.
De acquisitione per consuetudinem, vide verbum Consuetudo, & verbum Viator.
Eum cui proprius Sacerdos malitiosè negat licentiam confitendi alteri, non acquirit illam eo ipso, num. 84. & tribus sequentib.
Absolutio à Parocho data alieno non valet; etiamsi hic tantùm habeat peccata commissa in Parochia illius, num. 92
Nec valet facta habenti impedimentum iuris naturalis aut diuini, num. 97
Nec item facta nullum legitimum titulum habenti à Superiore, nu. 98
Se cus si habenti quidem à Superiore, sed inualidum ob aliquod latens impedimentum, nu. 99
Itémque si cùm antea legitimum titulum habuerit, illud perdiderit, & amissio ignota est: secus si esset notoria, nu. 100
Bona fide confessus non habenti iurisdictionem in ipsum ad quid teneatur. nu. 101
Quid in foro pœnitentiali agi debeat ab eo qui iurisdictionem habet dubiam, num. 102. & duobus sequentibus.
Ob reuocationem iurisdictionis delegatæ, nisi illa intimata sit, confessiones auditæ non redduntur inualidæ, num. 105

Confessarius tertiò, quoad potestatem executionis, iurisdictionis in vsum non impeditum, in ipso requisitum. Lib. 1.

MOdi quibus potest in aliquo impediri vsus iurisdictionis Ecclesiastica. Et quis possit eum impedire, num. 108. & 109
Eiusdem vsus impedimentum per censuram Ecclesiasticam, num. 110. & tribus sequentibus.
Ab excommunicato nominatim denunciato, aut notorio Clerici percussore data absolutio est nulla, nu 114
Data verò ab alio excommunicato, valet. Qui nec peccat dando eam iuste petenti, nu. 115. & 116
Valet etiam nonnunquam data à denunciato aut notorio Clerici percussore. nu. 117
De reseruatione casuum impediente vsum iurisdictionis in foro interno. Vide verbum Casuum reseruatio.

Confessarius quartò, quoad scientiam & bonitatem ac Episcopalem approbationem in ipso requisitam. Lib. 1.

DE scientia in Confessario requisita, à num. 138. ad 154. Vide verbum Scientia.
Tres casus in quibus potest ignarus à peccato excusari audiens confessiones, num. 147
Quid tenendum de confessione facta ignaro bona fide, num. 148
Bonitas in Confessario requisita: & quæ ad eam pertineant, num. 154. & sex sequentibus.
Qui in peccato mortali audit confessionem, peccat quidem mortaliter, sed validè absoluit, si cætera ad id requisita ei adsint, nu. 161. & 162
Quatenus liceat aut illicitum sit tali confiteri aut ipsum ad Pœnitentiæ sacramentum ministrandum solicitare ibi consequenter tradit. Pro quo vide verbũ Sacramentum.
Spectantia ad Episcopalem approbationem Confessarij, à num. 168. ad 206. Vide verbum Approbatio.

Confessarius quintò, quoad prudentiam in ipso requisitam. Lib. 2.

MVltiplex est talis prudentia. Prima versatur in excipienda Pœnitentis confessione. Quæ præscribat seruanda, & quæ vitanda à Confessario, à nu. 1. ad 12
Secunda versatur in interrogando Pœnitente. Ad quam interrogationem quatenus Confessarius teneatur. Atque spectantia ad eamdem prudentiam, num. 13. & pluribus sequentibus. Vide verbum Interrogationes.
Tertia versatur in exhortando & admonendo Pœnitente. Quæ pertineant ad eam, nu. 39. & duobus sequentibus. Quid præscribat de admonitione facienda Pœnitenti ignoranter erranti, num. 42. & quatuor sequentibus. Eiusdẽ præscripti praxis in quibusdã difficultatibus, nu. 47
Quando admonitio sacramentali absolutioni præponi, & quando postponi debeat, ibid. nu. 48. & 49
Quarta versatur in disponendo Pœnitente ad contritionem: ad quam spectantia. Vide verbum Contritio 4. Quinta versatur in dirigendo Pœnitente ad contritionem executioni mandandam. Ac 1. erigendo illum in spem diuinæ misericordiæ, num. 78. & sex sequent.
Deinde reddendo eidem contritionem gratam, nu. 85. & tribus sequentibus.
Postremò dissuadendo contritionis dilationem, num. 89. & tribus sequentibus.
De ratione exercendi contritionem, tum de mortalibus, tum de venialibus. Vide verbum Contritio quinto *.
Sexta versatur in expẽdendo Pœnitentis proposito non peccandi de cætero: quod debet esse vitandi non tantùm peccatum mortale, sed etiam occasiones illius. num. 99. & 101
Pertinẽtes ad relapsum in peccatum. Vide in verbo Relapsus in peccatum.
Septima versatur in tranquillando scrupulis agitatum: ad quam pertinentia vide in verbo Scrupulus.
Octaua versatur in terrẽdo expertem timoris Dei. Vide verbum Libertinus.
Nona versatur in iuuando Pœnitente in pugna aduersus praua suas propensiones, num. 143. 144. 150. & 151
Itémque in dispositionibus ad gratiæ & virtutum in Pœnitente augmentum, de quibus vide verbum Dispositio ad spiritalem profectum.
Decima versatur in iuuando moribundum. Vide verbum, Articulus mortis.
Vndecima in erudiendo rudi. Vide verbum Rudis institutio.
Duodecima versatur in imponenda sacramentali satisfactione. Vide verbum, Satisfactio 2.
Decima tertia versatur in conferenda absolutione sacramentali. Vide verbum Absolutio à peccatis. 1.
De eo quod agendum est Confessario in quibusdam euentibus difficilibus, præsertim matrimonij. lib. 2. num. 47

Conformatio nostræ voluntatis cum voluntate diuina, Lib. 13.

VOluntas diuina distinguitur in præcipientẽ, prohibentẽ, consulẽtem, permittentẽ, & operantẽ. Nostra verò in deliberatam & indeliberatam: & modi quibus illa cum hac conformari potest, nu. 59. & 60
Nostram cum diuina præcipiente aut prohibente conformandi obligatio est, non item cum consulente, & cum permittente quatenus debeat conformari, nu. 61. & 62
Cum voluntate operante conformari in re volita, non est obligatio: nec item est prohibitum, nu. 63. & duobus sequentibus.
Nostra voluntas à diuina, conditionatè tantùm discordare potest, nu. 66
Eadem eidem operanti conformanda est ex obligatione in actu volendi, non item in modo volendi. Quomodo autem in ratione volendi, nu. 67

Conscientia. Lib. 13.

QVid sit conscientia, nu. 48
Ratio cur aliqui grauiter peccantes non sentiant conscientiæ remorsum, nu. 53
Officia varia conscientiæ, quorum alia tribuuntur ei vt testi: alia vt Iudici: alia vt legislatori vel consiliario, nu. 54. 55. 56
Appellationes variæ quæ tribuuntur conscientiæ, ac ratio singularum, nu. 57
Conscientiæ perplexitas non contingit ex rei difficultate, sed ex hominis fatua opinione, nu. 78

Conscientia erronea. Lib. 13.

CONscientia erronea est aut excusabilis aut inexcusabilis: & contingit interdum per modum consilij, interdum per modum præcepti, nu. 68
Obligatio est non contraueniendi ei. Et quale peccatum committatur contraueniendo, nu. 69. & 70
Obligatio item est se conformandi ei cum fuerit inuincibilis, præcipiens aut prohibens, nu. 71
Non licet inducere ad actionem alias illicitam, ex tali conscientia exercendam, nu. 72
Conscientiæ erroneæ vincibili non licet se conformare, sed ea deponenda est si sit præcipiens aut prohibens. Secus si tantùm sit consulens, nu. 73. & 74
Illa depositio facta tantùm pro animi libidine, quatenus excuset à peccato, nu. 75
Septem causæ ex quibus prouenit error conscientiæ, nu. 76.
Et quo modo ex puritate cordis error conscientiæ oriatur, num. 77. & 78

Conscientia dubia. Lib. 13.

LIcet rationabili de causa agere contra conscientiam dubiam dubio speculatiuo. Non item absque tali causa, nu. 81. & 83
Peccat id agens de quo practicè dubitat, an sit illicitum. Et quale sit tale peccatum, nu. 82. 84. & 85
Quando dubium est æquale in vtramque partem, liberum est vtramuis eligere, quando malum, & est æquale & æqualiter imminet, nu. 86
Aliàs minus malum est eligendum ad vitandum maius, nu. 87
Ratio electionis faciendæ quando vnum malum est maius, & alterum magis imminet, nu. 88
Quando in re dubia debeat, aut non debeat censori formata esse tura conscientia, nu. 89 & 90
Quid requiratur & sufficiat in rudi, ad formandam in re dubia tutam conscientiam, nu. 91. Vide verbum Opinio.
Non licet contra conscientiam dubiam agere illud, quod à Superiore præciperur nisi dubium deponatur, nu. 100

Conscientia scrupulosa. Lib. 13.

DE argumento ex quo otitur vacillatio conscientiæ vnde censetur scrupulosa, nu. 111
Quando liceat & quando non liceat agere contra conscientiam scrupulosam, nu. 112. & 113
Deponendi conscientiam scrupulosam ratio consistit tum in exquisitione iudicij eruditorum, aliáque diligentiæ adhibitione ad cognoscendam veritatem, nu. 115. Tum in benigna interpretatione legis nu. 116. & quinque sequentib. Vide verbum IGNORANTIA. Tum etiam in vita bonorum: & in consuetudine rationabili tolerata, nu. 122
Obiectiones quæ in contrarium videntur posse fieri cum solutionibus, cod. lib. nu. 124

Consensus.

Variis modis sumitur nomen consensus, nu. 33
Triplex voluntatis tum consensus tum dissensus: formalis, virtualis, & interpretatiuus, nu. 34. & 35
Quando voluntatis consensus censeatur plenus, quando semiplenus, nu. 36
Obiectum consensus voluntatis, est actus huius liber: ac cogitatio, delectatióque de eodem actu, nu. 38
Qui actus ad eum ipsum consensum potest habere se: tum antecedenter, tum comitanter, tum etiam consequenter. Vnde accipit vt dicatur, vel primò primus, vel secundò primus, vel secundus, nu. 39
Cogitatio de tali actu, alia speculatiua, alia practica, nu. 40.
Ratio cognoscendi quando delectatio sit de eiusmodi actu, & quando de eiusdem cogitatione. nu. 41
Consensus voluntatis requisitus ad rationem peccati, nu. 42. & tribus sequentibus.
Quid sit sentiendum de consensu in cogitationem practicam, nu. 46. & 47
Quid de dissensu: ac de cohibitione tam consensus, quàm dissensus, nu. 48
Causæ excusantes non reprimentem de re illicita exortam cogitationem illicitam, nu. 49. & duob. seqq.
De consensu in præteritum vel futuram delectationem, ac de actu quem aliqua conditio reddit licitum; quatenus in eo peccetur aut non peccetur mortaliter, nu. 52
Quæ sit malitia consensus imperati. Quódque circa idem obiectum mortaliter illicitum varij sint gradus secundùm quos peccati malitia crescit, nu. 53

Consuetudo. Lib. 13.

QVid sit consuetudo, nu 241. Illius præcipua attributa: quorum primum, quod est vim legis habere, quinque conditiones requirit, nu. 242
De 1. 2. & 3. nu. 243
De 4. & verò 5. nu. 244
Secundum attributum consuetudinis, esse interpretem optimum legis: ad quod, quænam ea requirat, nu. 245
Tertium attributum consuetudinis, abrogare legem contrariam ad quod requiritur, vt ipsa sit rationabilis, & legitimè præscripta, nu. 246
Quando censeatur legitimè præscripta, nu. 247
An vt valida sit debeat oriri tãtùm ex actibus liberis, nu. 248
Quando interruptio actuum, illam euacuet, nu. 249
Quando non vsus illam inducat, nu. 250
Eam non habere vim contra ius diuinum, qua ratione intelligendum sit, nu. 251. & 252
Quam habeat contra legem humanam, distinctione explicatur, nu. 253
De lege improbante consuetudinem propositiones aliquot, nu. 254
An consuetudine abrogari possit pœna legis, hac non abrogatâ, nu. 255
Consuetudo non dat iurisdictionem, sed est testis datæ, lib. 1. nu. 74
Ratio consuetudinis per quam Sacerdotibus liberum est eligere sibi Confessarium, nu. 75. & seq.
Quatenus excommunicatio possit censeri à consuetudine esse, lib. 9. nu. 99

Contritio primò, quoad eius naturam, & necessitatem. Lib. 5.

QVisnam actus sit contritio, nu. 1. & 2
Detestatio peccati illam constituens, debet esse actualis, exceptis aliquot casibus, in quibus eam esse virtualem sufficit, nu. 3. 4. & 5
Ratio nominum quibus eadem solet appellari, nu. 6
Propositum emendationis, quod cum ipsa detestatione ad contritionem concurrere oportet, actuale esse debet, nu. 7. & tribus sequentibus.
Quatenus necessaria sit contritio, nu. 11. & quatuor sequent.
Nunquam peccatum nostrum debet nobis placere: actu verò displicere, non est necessarium semper, nu. 16. & 17
Præceptum conterendi non est pro omni tempore, quo peccatum commissum venit in mentem: sed peculiariter pro articulo mortis: & pro quo Sacramentum aliquod administraretur aliquì, aut reciperetur in peccato mortali: vel votum aut iuramentum violaretur, nu. 18. & sex sequent.
Quomodo contritio cadat sub præceptum, cùm non possit à nobis exerceri, nisi ex dono Dei supernaturali, nu. 25

Contritio secundò, quoad detestationem peccati, quam in se includit. Lib. 5.

CONtritio ex parte detestationis, quam includit antecedenter requirit fidem in Christum, & odium peccati: consequenter verò dolorem de peccato ipso: & comitanter, vt sit tum voluntaria, tum propter Deum, tum etiam summa, nu. 26. & tribus sequent.
Explicatio modi quo summa esse debet, nu. 30. & septem sequentibus.
Comitanter adhuc requirit, esse cum spe veniæ. & prouenire ex amore Dei vt perfecta sit: vt autem imperfecta quidem, sufficiens tamen ad pœnitentiæ sacramentum, vt proueniat ex Dei timore, nu. 38. & duobus sequent.
Ad omne mortale, cuius se reum esse Pœnitens nouit, tenetur suam detestationem extendere, non item ad omne veniale, nu. 41. & duobus sequentibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM.

Displicentia de venialibus, requisita ad eorum remissionem, nu.44.& tribus sequentibus. Vide verbum, Veniale peccatum.
De iis de quibus dubitatur an sint mortalia habenda contritio,& qualiter hæc exerceri debeat, nu.48. & sex sequent.
De mortalibus oblitis, si in mentem recurrant sicut facienda est confessio, ita & habenda contritio, nu.55

Contritio tertiò, quoad propositum emendationis quod ipsa includit. Lib. 5.

PRoposítum emendationis ad contritionem requisitum non exigit vt pœnitens sibi persuadeat fore vt nunquam pecce t, nu.56
Casus in quibus sufficit ipsum esse virtuale, nu.57.& 58
Ad quæ peccata idipsum extendendum sit, & ad quas occasiones peccandi, nu.59.& quinque sequentib.
Eidem adiungendum est propositum de commissis confitendi,& pro eis satisfaciendi, & quale, nu.65.66.& 67

Contritio quartò, quoad defectus quos cum patitur, reddit sacramentum Pœnitentiæ inualidum. Lib. 5.

NOn omnis defectus conditionis requisitæ ad contritionem perfectam, reddit Pœnitentiæ Sacramentum inualidum. Et quæ sint conditiones quas ea requirit, nu. 68.& 69
De defectu primæ: quæ est voluntariam esse, nu.70
De defectu secundæ: quæ est de peccato esse, prout est offensa Dei, nu.71.& tribus sequentibus, in quibus declaratur statutum Concil. Trident. sess. 14. cap. 4
De defectibus aliarum conditionum quarum tertia est summam esse: quarta, esse cum spe obtinendi veniam à Deo: quinta excludere voluntatem peccandi de cætero, nu.75. & sequentibus vsque ad finem eiusdem libri quinti. Vide verbum Attritio.

Contritio quintò, quoad curam, quam illius debet in suo pœnitente Confessarius gerere. Lib. 2.

COntritio Pœnitentis Confessario nota esse debet antequam illum absoluat, nu.50
Cum non ostendente contritionem, qualiter debeat Confessarius procedere, nu.51
Contritionis aliquot signa, nu.53.& quinque sequentibus.
De lachrymis, nu.54 De amara confessione, nu.55. De alacri pœnitentiæ impositæ susceptione, nu.56
De aliquot effectis propriis contritionis, nu.57. De abnegatione sui, nu.58
Ratio ad contritionem, durum corde emolliendi: tum per preces, tum per propositionem indignitatis peccati mortalis, nu.59.& quinque sequentibus.
Ei qui non mouetur ad contritionem ex indignitate peccati inculcanda est diuinæ iustitiæ seueritas & quomodo, nu. 65.66.& 67
Ratio inducendi eum ex plagis, quæ per peccatum infliguntur, nu.73
Ratio adhuc eum inducendi ex debitis quæ per peccatum mortale contrahuntur, nu.74.& 75
Dispositio ad contritionem inculcatione miseriæ damnatorum, nu.76
Nolentis conteri duritiem non esse alterius, quàm Diaboli opus, nu.77
Contritionis dignitas,& facilitas per eam recuperandi dona diuina per peccatum mortale amissa, & euadendi mala quæ idem inuehit, nu.85.86.& 87
Contritionis fastidium, & rationes quibus dilatio eiusdem dissuaderi potest, nu.88.& quatuor sequentibus.
*Spectantia ad exercitium contritionis de mortalibus, & ratio illam rite exercendi, nu.93.& 94
Ratio eamdem exercendi de venialibus,& eorumdem peccatorum indignitas:& qualiter oporteat de illis coram Christo confundi, nu.95.96.97
Ratio percussionis pectoris qua communiter ea iudicatur, nu.98
Propositum emendationis ad contritionem requisitum expendendum est à Confessario: & quòd ipsum debeat esse non tantùm vitandi peccata, sed etiam vitandi eorumdem occasiones propinquas, nu.99.& 100

Culpa. Lib. 10.

CVlpa alia Theologica alia iuridica:& quid hæc sit, nu.17
Quódque triplex sit: lata, leuis, & leuissima, nu.18
Quòd præcedens rei acceptæ amissionem, inducat obligationem ad restitutionem, quæcumque ea sit, cùm amittens rem acceperit in suam tantùm vtilitatem, nu.19.& 20
Sin acceperit in dantis tantùm vtilitatem, sola lata inducit exceptis duobus casibus, nu.21.& 22
Sin autem rem acceperit tam in dantis vtilitatem quàm suam obnoxius est restitutioni, si res amittatur suâ culpâ latâ, aut leui, non item si solùm leuissima, nu.23

D

Debitum pecuniarium. Lib. 10.

NOn liberatur ab obligatione soluendi debitum pecuniarium, qui illius remissionem obtinuit per vim vel fraudem. Secus si eam obtinuerit per preces: nisi circunstantiæ adessent indicantes inuoluntariam esse, nu.217.& 218
Voluntas debitoris non restituendi, de se non obstat, quin valeat remissio debiti illi facta, nu 219
Quando Principis authoritate, remissio debiti fieri possit, nu.220
Vbi restituenda sit res debita ex contractu: aut alia quæ possidetur bona fide. Et cuius expensis restitui debeat res habita bona fide, nu.230.& 231
Quæ detinetur mala fide, restituenda est sumptibus detinentis, nu.232. Quibus nonnulla addita paucis pro praxi habentur, nu.233

Decalogus.

Decalogi præcepta qualiter sint propositiones legis naturalis,& specialiter notanda de 9.& 10. præcepto, lib.13.nu. 36.& duobus sequentibus.
Decalogi præcepta quatenus scienda ab homine Christiano, lib.2.nu.29

Decentia.

Decentia tam à Confessario, quàm à Pœnitente seruanda dum fit confessio, lib.2.nu.4.& tribus sequentibus.

Defunctus.

An defunctus excommunicationem incurrat ob mandatum quod viuens dederat percutiendi Clericum vel Monachum, lib.1.nu.217
Quatenus possit absolui ab excommunicatione, lib.9.nu.43. & 44
Excommunicari non potest. eod.lib.nu.136.& 137
Capax est indulgentiarum, & quomodo, vide verbum Indulgentia 4. sub finem.*

Delicati & debiles seu infirmi.

Delicati & magnates Clerici percussores, quatenus possint ab Episcopo suo absolui, lib.1.nu.249
Debilitas ob quam Clerici percussor potest à suo Episcopo absolui, lib.1.nu.245
Infirmitas percussorem Clerici liberans ab obligatione adeundi Romam pro sua absolutione, lib.1.nu.230

Delegatio.

Delegatio iurisdictionis in foro interno, cui & à quo fieri possit, lib.1.nu.45
Impediri potest à Superiore ne fiat ab Inferiore: non contrà, nu.46
Habens iurisdictionem præfatam, quando possit aut non possit eam subdelegare, lib.1.nu.50.& quatuor sequentib.
Delegatio potestatis absoluendi à reseruatis non nisi audita confessione potest exerceri, lib.8.nu.94
Exceptio triplex, quam patitur generalis facultas delegata ad absoluendum à casibus reseruatis, lib.1.nu.106. Vide notata in verbo Confessarius 2.

Deliberatio.

Deliberatio importat duo. Quatuor modi eiusdem,& illorum differentia, lib.11.nu.1.2.& 3
Iudicium intellectus quod deliberatio impottat, est aut vniuersale aut particulare; hócque triplex esse potest. Ac esse falsum sub vniuersali vero,& quomodo, nu.4.& 5.sequentibus.
Regula iudicandi de peccatis ex deliberatione: quæ duas patitur exceptiones, eod.lib.nu.6.& 7
Quæ non sunt deliberata in se, possunt esse in sua causa sufficienter ad rationem peccati. Et qualiter sit iudicandum de malitia talis peccati. lib.11.nu.8.& 9

Detrimentum.

Detrimenta quæ capiuntur recedendo à via salutis & qua ratione reparentur, lib.2.nu.159

Dispensatio. Lib. 13.

AVthoritatem dispensandi in lege, habet is à quo lata est,& eius successor, nu.190
Quid tenendum sit de dispensatione facta cum damno tertij, nu.191
Casus in quibus Inferior dispensare potest in lege Superioris, nu.192
Tres speciales casus in quibus potest Episcopus dispensare in generali constitutione Papæ, vel Concilij, nu.193
Ad dispensationem, cum legitima auctoritate debet concurrere causa rationabilis iudicio prudentis, nu.194
Sine

ET VERBORVM.

Sine tali causa dispensatus, qua ratione, tutus non sit in conscientia, nu.195
Non valet dispensatio in lege Superioris ab Inferiore data sine iusta causa, nu.196
In dispensatione quærenda, vitari debent surreptio & obreptio, nu.197

Dispositio ad spiritalem profectum.

Dispositiones ad diuinæ gratiæ & virtutum in nobis augmentum. Prima, earumdem acceptarum bonus vsus. Secunda, non abuti illis, sed ex eis proficere. Tertia, internorum quorumdam adiumentorum. Quarta, adiumentorum quorumdam externorum, lib.2.nu.145.& tribus sequentibus.
Dispositiones necessariæ in anima ad tenendam viam salutis præcipuæ, sunt bona voluntas, coniunctio cum Christo,& proprius conatus, & in quibus eæ consistant, eodem lib. nu.160.& 161

Documenta notanda à Confessario. Lib. 2.

DOcumenta desumpta ex sacris literis pro variis hominum statibus, lib.2.nu.196
Discretio & diligentia Confessarij in vtendo documentis traditis, parandisque sibi Sanctorum exemplis, ac in implorando auxilio diuino, nu.197.198.199
Documenta de ratione agendi cũ periclitante deuita, nu.205

Dominium voluntatis humanæ. Lib. 11.

FAcultates dominio voluntatis subiectæ in homine, nu.54
Qua ratione intellectus in agendo subiiciatur voluntati, nu.55
Quatenus hæc sibi ipsi: & quatenus eidem cæteræ facultates, nu.57
Qui actus tanquam à voluntate imperati possint rationem peccati sortiri, nu.58

Dubium.

Dubium aliud propriè, aliud impropriè dictum, lib.1.nu.101
Dubium de iurisdictione Sacerdotis proprij, quando obstet validitati sacramenti Pœnitentiæ, nu.102
Quòd dubium impropriè dictum eidem validitati non obstet, nu.103
Cum dubitante, An Clericum percusserit, quid agendum respectu excommunicationis impositæ ob talem percussionem, lib.1.nu.244
Cùm Pœnitens dubius Confessarium interrogat, hic tenetur aperire illi veritatem, quidquid incommodi sit inde secuturum, lib.2.nu.44
Dubium aliud speculatiuum, aliud practicum: illisque triplex, lib.13.nu.79.& 80

E

Ecclesiasticus.

ECclesiastici de quibus specialiter interrogandi in confessione, lib.2.nu.38.in principio.
Ecclesiastici nomine quæ personæ comprehendantur, lib. 9. nu.353.& duobus sequent.

Electio.

In electione quando possit aut non possit Confessarius suffragium negare ei quem ex sola confessione nouit indignum, lib.3.nu.33

Eleemosyna. lib. 4.

ELeemosynæ nomen variè accipitur, nu.237
Quid sit Eleemosyna, nu.238
Stipendium quod Clericis datur pro celebratione Missæ non est eleemosyna, nu.240
Eleemosyna quædam est corporalis & quædam spiritalis, quídque & quotuplex vtraque sit, nu.241. & duobus sequentibus.

Eleemosyna corporalis primò quoad obligationem ad illam. Lib. 4.

ELeemosyna corporalis est in præcepto, nu.244
Qui ab illius obligatione excusentur, nu.245.& duobus sequentibus.
Quòd vt eidem obligationi sit locus, requiratur in dante superfluitas, & in recipiẽte necessitas, nec detur alius quàm ille, qui huic succurrat. Ac quæ superfluitas requiratur & quæ necessitas, nu.248.& quinque sequentib.
Peccatum quod committitur corporalis eleemosynæ omissione quando sit, & quando non sit mortale. Et quando superfluum habere sit peccatum, nu.254.& quinque seqq.
Eleemosyna quando prorsus liberaliter sit danda, & quando loco eius sufficiat dare mutuo, nu.260.& tribus sequentib.
Per eleemosynæ omissionem diues non incurrit obligationem ad restitutionem. Et quando possit ad illam à iudice compelli: vel de rebus illius capi possit priuata authoritate, nu.264.& tribus sequentibus.
Qui de proprio necessitatem patienti potest subuenire ex toto: ne quidẽ ex parte facere debet eam ex alieno, nu.268

Eleemosyna corporalis secundò, quoad eos à quibus, & ea de quibus fieri debet. Lib. 4.

QVi possint eleemosynam corporalem facere non patienti extremam necessitatem, nu.269
Quando id possint Tutores & Curatores de bonis eorum quorum curam gerunt, nu.270
Quatenus vxor, filius, aut Religiosus, nu. 271. & tribus sequentibus.
De quibus bonis filiusfamilias & vxor possint authoritate propria eleemosynam facere, nu.275.& 276
Quando eleemosyna facta ab Inferiore sine authoritate Superioris inducat obligationem ad restitutionem, nu.277
Quatenus possit vxor ex bonis sibi cum marito communibus facere eleemosynam, nu.278.& tribus sequentibus.
Quando vxor ob mariti iniquum eorumdem bonorum vsum, possit aliqua ex illis accipere, nu.282
Quas eleemosynas facere possit is qui religiosæ familiæ caput est, nu.283
De bonis quæ in communi possidentur quatenus fieri possit eleemosyna, nu.285
Non potest fieri de bonis alienis, nisi constituto in extrema necessitate, nu.286
Nec item de illicitè acquisitis, quorum domini sciuntur. Cuius generis esse censenda sunt, tum acquisita per vsuram, tum exorta supra iustum stipendium, nu.287.& tribus sequentibus.
Quando acquisita per ludum possint dari in eleemosynam, nu.291
Quando & illicitè acquisita, nu.292.& duobus sequentibus

Eleemosyna corporalis tertiò, quoad eos quibus, & modo quo facienda est. Lib. 4.

ELeemosyna corporalis facienda est omnibus eâ indigentibus. Et quatuor casus in quibus potest quis ad eam non teneri, nu.295.& duobus sequentibus.
Conditiones cum quibus, & intentio cum qua fieri debet corporalis eleemosyna, nu.298.&299
Ordo in eadem seruandus. Et nouem rationes ob quas vnus debet alteri præferri ad duas reuocatæ. Quodque in particulari valde difficile sit statuere quis cui sit præferendus, nu.300.& duobus sequentib.
Quæ necessitas cui sit præferenda in eroganda eleemosyna corporali. Et quòd illius distriburor possit se & suos præferre aliis non pressis maiore necessitate, nu.303.& 304
Iustus peccatori, & interdum consanguineo præferri potest, nu.305.& 306
In extrema necessitate pater matri: & tam hæc quàm ille, támque vxor quàm filijsinterdum & fratres debent præferri cæteris: ac licéatne alios nobisipsis in eadem necessitate præferre, nu.307.& aliquot sequentibus.
Extra necessitatem extremam, vxor & filij præferri debent patri & matri: & in illa etiam vxor filiis, nu.312.& 313
Pater corporalis præferendus patri spirituali in eroganda corporali eleemosyna, nu.314.&315
Quando parentes, vxor filij, & forrè fratres in extrema necessitate præferendi sint creditori, nu.316
Quando coniunctiores carne præferendi sint coniunctioribus spiritu, nu.317
Ratio qua debet eleemosyna corporalis esse larga, siue ex parte dantis, siue ex parte recipientis, nu.318.&319
Eleemosynæ corporali aduersatrix auaritia: & quo modo eadem eleemosyna potior sit oratione & ieiunio: eiusdém. que vtilitas tum corporalis tum spiritalis, nu.320.& tribus sequentibus.
Eleemosyna corporalis vt sit meritoria & satisfactoria debet facta esse propter Deum: quódque soli facienti meritoria esse possit: satisfactoria verò possit esse alteri, num. 324. & 325
Vnde habeat maioris meriti, aut maioris satisfactionis rationem. Et dictum Theologorum de peccante ex infirmitate: cui familiaris est eleemosynæ corporalis vsus, num. 326.& 327
De eleemosyna data ob laudem humanam, quatenus excusari possit à peccato, habes, lib.12.nu.32.&33

Eleemosyna spiritalis. Lib. 4.

ELeemosynæ spiritalis septem genera. Et quæ, ac quorum sit obligatio eam faciendi, nu.328.& 329
Quatenus sit Inferiorum erga Superiores, nu.330
Materia præcipua, talis obligationis est peccatum pendens in futurum, nu.331.& duobus sequentibus.
Requisita ad obligationem cortipiendi peccantem, nu.334. & duobus sequentibus.

Quando

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM,

Quando sit, vel non sit omittenda correctio fraterna, num. 337.& quinque sequentibus.
Opportunitatis tã ex parte personæ, quàm loci & temporis habenda est ratio in fraterna correctione, nu. 343. & 344
Dilatio eiusdem correctionis quando sit aut non sit licita, num. 345 & 346
De mansuetudine coniungenda cum prudentia, faciendo ipsam correctionem, nu. 347
Quatenus homo priuatus teneatur spiritali necessitati proximi subuenire, nu. 348. & 349
Non licet peccare ad subueniendum spiritali necessitati. Et quomodo intelligi debeat minus malum eligendum, ad vitandum maius, nu. 350. & 351
Ad subueniendum spirituali necessitati proximi, quatenus liceat se exponere peccandi periculo, aut patiendi iacturam aliquam de bonis nostris spiritalibus, num. 352. & duobus sequentibus.
In omissione exercitiorum spiritalium cauendum est nobis ab affectu carnali: & quòd à charitate & obedientia profecta, non impediat eorum fructum, nu. 355. & 356
Necessitas spiritalis triplex; & quæ sit ad vnamquamque earum subleuandam obligatio, nu. 357
Pro spiritali proximi necessitate extrema, obligatio est communis omnibus exponendi vitam corporalem. Pro graui autem eiusmodi necessitate, eamdem exponendi particularis obligatio est eorum, quibus ex officio id incumbit, nu. 359. & 360
Laudabile valde est, citra obligationem exponere vitam corporalem ad subueniendum graui necessitati spiritali proximi, num. 361

Episcopus. Lib. 1.

Episcoporum facultas eligendi sibi Confessarium, & talem dandi suis familiaribus, nu. 33. 34. & 35
Episcopus potest absoluere à casibus Papæ reseruatis, cùm hunc adeundi impedimentum interuenit, num. 135
Episcopus in quibus casibus potest ab excommunicatione absoluere percussorem Clerici: potest & cæteros alia excommunicatione reseruata innodatos, num. 260
Episcopus de quibus interrogari debeat in confessione, lib. 1. num. 38. § 4.

Extrauag. seu aquitas. Lib. 13.

Quid sit *Extrauag.*, num. 116
Ea ordinariè vtendum est, legem interpretando: nisi lex præciperet rigorem seruari, aut talis interpretatio generaret scandalum, num. 117. & 118.
Cuius sit interpretationem huiusmodi facere, nu. 119
Ad vitandum peccatum sufficit legem seruare secundùm illius sensum benignum, nu. 120
Neque illa censenda est obligare ad nimis difficilem; nec ad id quod meritò faceret ridiculum, nu. 121

Errans. Lib. 2.

Errantes ignoranter ignorantiâ vincibili, Confessarius sub mortali tenetur admonere. Non item sub obligatione faciendi restitutionẽ ideo omissam, nu. 42. & 43.
Errantem ignoranter ignorantiâ inuincibili quando Confessarius debeat aut non debeat monere, num. 45. & 46
Exempla quibus declaratur non debere monere, quando nullus inde speratur fructus. num. 48
Errẽne Pœnitens in confessione ex malitia potius, quàm ex ignorantia, expendere debet Confessarius, antequam absoluat, nu. 49

Eremita.

Quis Eremita gaudeat Clericali priuilegio canonis, lib. 1. num. 214

Examen conscientia. Lib. 4.

Examen conscientiæ præmittendum confessioni à Pœnitente, num. 5
Quæ sit ratio illius instituendi, num. 6
Quanta in eo instituendo diligentia sit ponenda, nu. 7. & quatuor sequentibus.
Quòd defectus talis diligentiæ suppleri possit per Confessarij interrogationem, nu. 12. & 13
Quomodo procedendum sit cùm quis inuenitur non adhibuisse diligentiam sufficientem in examinanda conscientia, num. 14

Excommunicatio primò, quoad eius naturam & varietatem. Lib. 9.

Definitio excommunicationis declarata, num. 95
Eiusdem prima diuisio, in generalem & specialẽ, nu. 96
Secunda, in eam quæ est à iure, & in eam quæ est ab homine; & in quo differant eæ duæ species, eodem lib. nu. 97. & 98
Tertia in comminatoriam, & latæ sententiæ, num. 100
Quarta in Papalem, Episcopalem, & cõmunem, ibid nu. 101
Quinta in iustam, & iniustam. Et ttes casus in quibus ecclesiarum iniusta, num. 102. & 103
Sexta in validam & inualidam. Et quando aut ex parte excommunicantis, aut ex parte causæ propter quam fertur aut ex parte modi quo fertur, sit inualida, num. 104. & tribus sequent.
Septima in absolutam, & conditionalem. Et de conditionali quæ imponitur si aliquid non fiat intra certum tempus: hócque prorogetur, num. 108. & 109
Vltima in excommunicationem maiorem & minorem. Et ratio discernendi inter hanc & illam, num 110. & 112
Peccatum mortale non est species excommunicationis, num. 111.
Excommunicationis Papalis varietatem habes lib. 1. num. 130. & trib. sequen.

Excommunicatio secundò in ordine, tam ad eum à quo, quàm ad eum in quem ferri debet. Lib. 9.

AD validè excommunicandum, quæ iurisdictio requiratur, ac quis capax eius sit, aut non sit, nu. 113. & tribus sequentibus.
Episcopus eóque superiores excommunicare possunt ex officio. Nonnulli item inferiores, nu. 118. & 119. Qui ex ordine secularium possint: quique ex ordine Regularium, nu. 120. 123
Eadem iurisdictio delegari potest. Et notanda de tali delegatione, nu. 124. & 125
Nec maior excommunicatio (nisi sit denunciata aut incursa ob nororiam Clerici perculsionem) nec irregularitas, propositæ iurisdictionis vsum tollit: & quæ sint eiusdem vsus impedimenta, num. 126 & tribus sequentibus.
Idem vsus peccatum est de se mortale in eo, qui ad illum potestatem non habet, num. 130
In illo Ecclesiastici non pendent à laicis. Ac de eo quod nonnunquã is impediatur à potestate laica, nu. 131 & 132
Excommunicati non possunt Angeli etiam mali, num. 133
Nec bestiæ, nu. 134. Nec homines nondum baptizati, nu. 135. Nec vita functi, num. 136. & 137. Nec vniuersitas; etsi possint, qui de ea sunt, & qua ratione nu. 138. ac duob. sequent. Nec Papa, num. 141
Quatenus nec Episcopus, num. 142
Archiepiscopus potest excõmunicare suum Suffraganeum, non item eius subditos, num. 143
Modi quibus contingit aliquem subiectum esse alicui excommunicationi. Quódque vnus idémque subditus possit pluribus excommunicationibus à suo Superiore ligari, num. 144. & 145
Excommunicatio lata per statutum Episcopi ob aliquod crimen, non incurritur à subditis illud committentibus extra territorium. Et quo modo ille possit eosdem excommunicare, num. 146. & duobus sequentibus.
Committens crimen in alieno territorio, propter quod ibi per Episcopi statutum imposita est excommunicatio, in eam incurrit, num. 150. & duobus sequent.
An etiam incurrat si imposita sit per modum sententiæ: aut si crimen propter quod imposita est committatur intra territorium quidem excommunicantis, sed in loco exempto, num. 153 & 154
Quatenus possit quis excommunicari à proprio Episcopo existente extra suam diœcesim, num. 155

Excommunicatio tertiò quoad causam ob quam, & quoad modum quo ferri debet. Lib. 9.

NOn nisi ob peccatum proprium potest quis excommunicari: & corollaria inde deducta, nu. 156. & 157
An ob peccatum internum possit excommunicatio imponi, num. 158. & duobus sequentibus.
Quatenus pro peccato per accidens occulto, possit ferri excommunicatio. Et quod ad ferendam nihil obstet peccatorem esse occultum, nu. 161. & tribus sequent.
Quatenus excommunicatio lata secundùm allegata & probata sit valida, num 165. & 166
Mortale debet esse peccatum propter quod excommunicatio imponitur, & quale, num. 167. & sex sequentibus.
Idem habere debet contumaciam annexam, & quam, num. 174. & duobus sequentibus.
In non contumacem lata excommunicatio est nulla, numero 177
Excommunicatio non fertur pro culpa præterita aut præsenti, nu. 178
Excommunicatio lata ex inordinata affectione, sic est iniusta, vt non sit eo ipso inualida, num 179
Debet ferri cum intentione ligandi. Nec ligat exemptos intentione eam ferentis, aut eius in cuius gratiam fertur, num. 180. 181. & 182.
Debet præterea fieri prænonito eo, in quem ferenda est. Et quæ requirantur in tali prænonitione, nu. 183. & quatuor

ET VERBORVM.

tuor sequentibus
Quòd ea fieri debeat etiamsi crimen sit notorium, cùm excommunicatio est ab homine. Et quid si is sit tantùm delegatus. Non item cùm excommunicatio est à iure. Et quid si lata sit ab homine per modum statuti, pro culpis futuris, nu. 188. & tribus sequentibus
Nulla est excommunicatio lata sine causæ cognitione, nec lata sine præmonitione, exceptis duobus casibus, numero 192
Sola intentio interior non sufficit ad excommunicationem, sed requiritur vt eadem exterius exprimatur: & quo modo, num 193. & duobus sequentibus.
Formulæ verborum quibus eadem expressio potest, debétque fieri, nu. 196

Excommunicatio quartò, quoad causas excusantes ab ea incurrenda: & quoad rationem cognoscendi sine incursa, Lib. 9.

IGnorans, vt & absens, excommunicatione ligari potest, num. 197
Quæ ignorantia valeat excusare ab excommunicatione, nu. 198. & duobus sequentibus
Tractatio dubij an ignorantia iuris communis excommunicationem imponentis ob factum non illicitum, ab eadem excommunicatione excuset, num. 201. & 202
Quid, quando ignorantia fuerit statuti siue communis siue particularis excommunicationem imponentis ob factum illicitum damnatúmue diuina lege, num. 203. & duob. sequentibus
Impossibilitas excusans ab excommunicatione, numero 206
Exclusio aliquorum à sententia excommunicationis eosdem excusans, num. 207
Excusatio ab excommunicatione lata, vel vt aliquæ scripturæ proferantur in medium: vel vt bona aliena detenta restituantur; vel vt testimonium habeatur, num. 208. & duobus sequentibus
Bona fides ab excommunicatione excusans, num. 211
Speciales causæ excusantes ab excommunicatione lata ad habendam reuelationem, num. 212
Consideranda ad cognoscendum, an quis in excommunicationem incurrerit, num. 213
Considerandæ circa excommunicationem latam in aliquid facientes, num. 214. & tribus sequentibus
Considerandæ circa latam ad extorquendam reuelationem, aut satisfactionem, num. 218
Considerandæ, tum de tempore quod præfinitur in sententia excommunicationis, tum de iudice à quo ea fertur, num. 219
Considerandæ circa excommunicationem latam per Cameram Apostolicam pro solutione annuæ pensionis, num. 220

Excommunicatio lata in percussorem Clerici vel Monachi. Lib. 1.

EXcommunicatio lata ob iniectionem manus in Clericum vel Monachum à quibus incurratur, num. 205. & quinque sequentibus
Ad eamdem incurrendam, requiritur animus afficiendi iniuria Clericum vel Monachum, num. 211
Quis Clerici nomine in hoc negotio intelligatur, num. 212
Quando excommunicatio eiusmodi incurratur percussione non gestantis habitum & tonsuram clericalem, nu. 213
Quis intelligatur nomine Monachi, cuius percussione eadem excommunicatio incurritur, num 214
Eiusmodi excommunicationis extensio ad mandantes talem percussionem, aut dantes auxilium vel consilium aut fauorem præstantes exequenti illam, num. 215. & aliquot sequentibus
Quando non impediendo percussionem Clerici vel Monachi, talis excommunicatio incurratur, nu. 221
An eamdem incurrat Clericus vel Monachus subiiciendo se percussioni in satisfactionem, num. 222
Varij casus in quibus percutiens Clericum vel Monachum excusatur ab excommunic. num. 223. & plurib. sequentibus
Qui excusentur adire Sedem Apostolicam pro absolutione à tali excommunic. nu. 242. & aliquot sequent.
Obseruationes circa eamdem excommunicationem notandæ prout quoad Curati potestatem, nu. 255. & 256
Eamdem absoluendi potestatem sibi à iure commissam, Episcopus delegare potest. Possunt & reliqui Prælati, num. 258
Quatenus talem absolutionem debeat cum satisfactione præcedere iuramentum de parendo mandatis Apostolicis, num. 259
De specialiter lata in lædentes S. R. E. Cardinalem vel Epi-

scopum. Vide verbum Bulla Cœnæ 6.

Eucharistia.

DE Eucharistia administranda aut neganda peccatori, libro 3. num. 51. & 52.

F

Facultas, Lib. 1.

FAcultas Prælatis à iure concessa eligendi Confessarium & concessa Religiosis Mendicantibus audiendi confessiones quomodo sit accipienda, num. 66
Circa eamdem Mendicantium facultatem difficultas enata, ibidem
Quòd Papa eam concedere potuerit sine consensu Episcopi & Parochi, nu. 67

Fama. Lib. 10.

FAma alteri ablata cum omnibus damnis inde secutis restituenda est sub mortali: & quomodo, lib. 10. nu. 335
Ad quid teneatur qui seipsum infamauerit, num. 336
Requisita ad obligationem restituendi famam, nu. 337
Condonatio infamiæ quatenus valida sit, cùm infamatio vergit in damnum aliorum, num. 338. & 339
Casus in quibus non est obligatio restituendi famam ablatam, num. 340
Diuersus modus faciendi restitutionem cùm infamatio est de falso crimine: & cùm est de vero, sed occulto, num. 341
Probabile est infamatorem, cùm nequit famam restituere, non teneri ad compensationem in pecunia, num. 342
Quod intelligendum est cum moderatione, duos casus continente, nu. 343
Nonnunquam tanta (ac etiam interdum maior) restitutio facienda est ob læsam famam dicendo verum, quàm dicendo falsum, num. 344
Cum iactura rerum superioris ordinis non est facienda restitutio rerum inferioris. Est autem facienda cum iactura rerum eiusdem ordinis, vno casu excepto, num. 345. & 346
Quando possit vel non possit fama restitui laudando infamatum, nu. 347
Obligatio ad restitutionem famæ non transit ad hæredes infamatoris, num. 348
De crimine accusatus aut denunciatus falsò, non tenetur ad restitutionem; si per ipsius negationem, accusator aut denunciator infamiam contraxerit, num. 349. & 350
De restitutione famæ per compensationem mutuæ læsionis, quid sentiendum sit, nu. 351
Condonatio restitutionis famæ, non colligitur sufficienter ex læsi familiaritate cum læso, nu. 352
Ad quid teneatur infamator, quando ab ipso orta infamia, effecta est publica, num. 353

Filiusfamilias.

FIliusfamilias quatenus possit eleemosynam facere, lib. 4. num. 272. & tribus sequentib.
Filiusfamilias quatenus si Clericum percusserit, excusetur Romam ire pro sua absolutione, lib. 1. num. 252
Filiusfamilias de quibus interrogari debeat in confessione, lib. 2. nu. 38. § 7

Finis actuum humanorum. Lib. 12.

REquisita ad rationem finis actuum humanorum, eiusdémque varietas, in præfatione.
Actus humanus de se alioqui bonus, peccatum est si fiat malo fine, num. 1.
Finis in medium ordinatum ad eum, influit bonitatem vel malitiam, num. 2
Peccatur quærendo bonum finem malo medio, num. 3
Cuius finis bonus est, ipsum quoque est bonum, quatenus vsurpari possit pro regula, num. 4
Peccatur quærendo finem, qui non est aptus medio quo quæritur. Et in quo consistat eiusmodi aptitudo, nu. 5. & 6
Finis actus humani quidam est principalis, quidam minùs principalis, num. 7
Duplex diserimen inter finem malum, & finem non aptum medio, num. 8
Series & differentia actuum liberæ voluntatis nostræ & intellectus practici eã dirigentis circa finẽ & media. num. 9
De intentione debita in constitutione finis, vide verbum Intentio in constitutione finis.

Forum internum.

FOrum internum fortitur quis peccando in alieno territorio, lib. 1. num. 92

Gabella. Lib. 10.

CONditiones requisitæ ad licitam gabellarum impositionem, num 372
De causa legitima ad eam requisita, num. 373 & 374
Quando exactor gabellarum in dubio de causa eiusmodi legitima, teneatur ad restitutionem, num. 375
De iusto modo ad eamdem impositionẽ requisito, nu. 376

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

De gabellis impositis super rebus quæ ad necessarium familiæ vsum emuntur, num.377
Quando obligatio soluendi gabellas sit sub mortali, numero 378
De gabellis quæ soluuntur ex consuetudine : & iis quæ interdum cessant, cessante causa, num.379
Quando fraudatio gabellarum non inducat obligationem ad restitutionem, nu.380
Subditi non tenentur quærere exactorem gabellarum ad eas soluendas nisi consuetudo sit in contrarium, num. 381
Quando pauperes excusari possint à solutione gabellarum, num. 382
Non obligatur ad restitutionem qui emit merces ab eo qui Principem gabellis iniustè fraudat, nu.383
De excommunicatione quæ respectu gabellarum & eis affinium incurritur. Vide verbum Bulla Cœnæ 4.*.

Gubernator.

GVbernatores seu præfecti de quibus interrogari debeant in confessione, lib. 2.nu.38.&16

Gula.

ADuersus gulam remedia, lib.7.num.60

H

Hæretici.

HÆretici ac eorum credentes, receptatores, fautores, libróſque ipſorum legentes, retinentes, aut imprimentes excommunicantur. Vide verbum Bulla Cœnæ 2.

Homicida. Lib. 10.

HOmicida vel mutilator ad quam restitutionem teneatur, nu.310.& duob.sequentibus
Obligatio illius habet locum, siue læsus sit pauper, siue dives, num.313
Cùm hæredes talis possint esse aut necessarij, aut non necessarij: illis non item his, facienda est restitutio sustentationis, quam ab ipso læso incolumi accepissent, num.314
Homicida non tenetur creditoribus occisi restituere, quæ is restituisset si superuixisset, num.315
Nec tenetur aliquid hæredibus restituere pro vita erepta; Deo autem ac defuncto tenetur restituere, & quid, nu.316. & tribus sequentibus.
Homicidæ obligatio transit ad hæredes ipsius si occisio fiat iniustè: siue priuata, siue publica authoritate : & siue commissione siue omissione: ac quantumcumque alius eam perpetraturus esset, num.320
Ex iusta occisione non oritur obligatio ad restitutionem: & moderationes cum quibus id accipiendum est, num.321. & tribus sequentibus.
Ad quid homicida teneatur innocenti, cui crimen ipsius imputatur, nu.325

Honor. Lib. 10.

REstitutio honoris læsi condonati potest ; neque veniæ petitio ad eam de necessitate requiritur, num.354
Eáque debet fieri non tantùm ab inferiori vel æquali, sed etiam à Superiori : & quo modo, num.355
Interdum ad eamdem requiritur aliquid amplius, quàm veniæ petitio, num.356
Talis restitutio facienda est priuatim cùm læsio honoris fuerit secreta: publicè verò, cùm publica, nu.357

Humilitas. Lib.2.

*HVmiliationis nostræ coram Christo, necessitas ad tenendam viam salutis, & quæ ad eam inuent, quódque recta, magna & fortis esse debeat, 174.& 175
Ratio eam exercendi intra nos, & tam in ordine ad nos, quàm in ordine ad proximum, nu. 176.&duob.sequentib.

I.

Ianitor.

IAnitor percutiens Clericum quatenus possit ab Episcopo suo absolui, lib.1.num.251

Ieiunium Ecclesiasticum primò quoad se, & quoad necessaria, ad illius impletionem. Lib. 4.

NOminis Ieiunij acceptiones variæ, num.122.& duobus sequentibus,
Ieiunij Ecclesiastici definitio cum explicatione, nu. 125.& 126. Eiusdem diuisiones variæ, num. 125.126.& 127
Ieiunium quadragesimale & præceptum de eo datum ac eiusdem institutio, nu.128.& duob.sequent.
Ieiunium quatuor temporum & vigiliarum : & quam vim consuetudo habeat inducendi aut tollendi ieiunium Ecclesiasticum, num. 131.& tribus sequentibus
Ieiunia consueta seruari à secularibus, quando Religiosi, & aduenæ seruare teneantur, num.135 & 136
De diebus quibus ieiunari non solet, num.137 & 138
Necessaria ad implendū præceptum Ecclesiasticum de ieiunio: & ad quid prosit talis impletio, nu.139.& duob. seq.
De ciborum delectu diebus ieiuniorum, num. 142.& quinque sequentibus
De ratione seruandi aliud ieiunium quàm Ecclesiasticum, quatenus iudicetur ex consuetudine : numero 148.& 149
Non excusantur ab esu carnium qui excusantur à ieiunio, num. 150
Nec vinum nec alia quæ sumuntur tantùm in potum, nisi sumantur in fraudem ieiunij prohibita censentur, nu.151. & duobus sequentibus
De vnica refectione in die Ieiunij, déque hora ad eam requisita, nu.154.& quinque sequentibus

Ieiunium Ecclesiasticum secundo, quoad illius violationem. Lib. 4.

IEiunium Ecclesiasticum quomodo voluntate & quomodo opere violetur, num.160.& duobus sequentib.
Excessu in qualitate aut quantitate cibi, vnicæ refectionis, non violatur ieiunium Ecclesiasticum, nu.163.& 164
Neque est necesse tantam esse abstinentiam à cibis vt affligat fame, num.165
Vsus cibi vetiti in die ieiunij quatenus excusari possit, num. 166.& quatuor sequentibus
Quando is qui licentiam habet vtendi vno genere ciborum vetitorum possit vti cæteris, nu.170
Facultas qua conceditur vsus ciborum vetitorum, non tollit obligationem ad vnicam refectionem: nec impedit piscium vsum, num 168.169.& 171
Odoratione nidoris carnium non frangitur ieiunium, nec vsu vini & electuariorum, si fraus absit, num 172.& 173
Quando repetitione refectionis interruptæ frangatur ieiunium Ecclesiasticum, num.178.& duobus sequentibus
Numerus dierum quibus in Quadragesima fractum est ieiunium exprimi debet in confessione, num.181
Hora in die ieiunij determinata seruanda est, etiam ab eo qui facultatem habet bis tunc comedendi, num. 182
Eum anteuertens non liberatur ab obseruatione cæterorum spectantium ad ieiunium, num.183
Vespertina collatio permissa est de consuetudine, & cum qua cibi quantitate & qualitate, num.184.& 185
Quando possit manè fieri collatio & refectio serò, num.186
Ieiunium Ecclesiasticum vnus non potest implere per alium, nec excusari per eleemosynam; atque omissum vna die non est obligatio supplendi die sequenti, num.187.188
Quale peccatum sit quod committitur violatione ieiunij, Ecclesiastici, nu.189.190
Tres modi quibus ipsum committitur, & ratio qua debet explicari in confessione, num.191.&192
Modi quibus peccatur participando in ieiunij violatione, num.193
Quid tenendum sit de famulis aut ancillis parantibus mensam ieiunium violantibus : itémque de inuitantibus alios ad cœnam, num.194.& 195
Quid de patribusfamilias, qui familiaribus ; aut de hospitibus, qui hospitio exceptis dant cœnam, num.196.& quatuor sequentibus
Quid de compellentibus famulos ieiunium violare: & quid de habentibus venales cibos vetitos in die ieiunij ; num. 201.& 202

Ieiunium Ecclesiasticum tertiò, quoad causas excusantes à peccato violationem illius. Lib. 4.

IVsta causa excusat à peccato violationis ieiunij, num.204.
Quatenus ea locum habeat in adolescentibus, nu. 205.& tribus sequentibus
Quatenus in senibus & infirmis, num.209
Quatenus prægnantes & lactentes excusentur à ieiunio, num.210
Quatenus pauperes & in operibus laboriosis occupati : de quorum numero qui artifices censendi sint esse, num.211. & quatuor sequentibus
A Ieiunio excusatur is qui ieiunans nequit præstare quod ei incumbit, aut subire laborem ad quem tenetur, num. 217.& 218
Excusatio ab eodem ex causa pietatis: an aliqua sit talis, voluntarie peregrinantis, nu.219.& 220
Quando eiusmodi excusatio contingat ex causa amicitiæ vel metus, num.221
De contingente ex causa existimata, aut auctorizata, num. 222.& 223
Relaxatio ieiunij Ecclesiastici per Papam vel Episcopum: & quatenus, tum ab hoc, tum à Parocho, tum à Prælatis Religionum fieri possit cū ipsum est vniuersale totius Ecclesiæ, Ecclesiæ, num.224. & tribus sequentibus
Quatenus in causa dubia Parochus possit ieiunium relaxare: & quòd ne tunc quidem Confessarius vt talis, possit relaxare, num.228.& 229
Ad ieiunij obseruationem præter præceptum de eo datum, vrget nos Christi, & Sanctorum exemplum, nu 230
Eiusdem honestas, & iucunditas, & vtilitas triplex : vitia cōprimere, mentem erigere, virtutem langiri & præmia, nu. 231. & tribus sequentibus.
Eidem coniungenda vt sit meritorium : & quæ in eo seruari oporteat ; tanquam Deo, aut sibi, aut proximo debita, num.235.& 236

Ignorantia. Lib. 11.

QVæ ignorantia spectet ad morale institutum, num.10. Ea est aut iuris aut facti. Hæcque vel facti in se, vel facti in sua circunstantia, nu.11.& 12
Distinctio ignorantiæ in antecedentem, comitantem & consequentem: ac quid quæque earum sit, num.13
Consequens duobus modis contingit: & quando dicatur affectata, quando prauæ electionis; quando supina & crassa, num.14
Quæ ignorantia sit peccatum, num.15
Quòd talis includat incuriam voluntatis, num.16
Quæ ignorantia sit causa peccati. Quæ augeat vel minuat peccatum. Quæ excuset à peccato. Quæ relinquat peccatum in sua natura, num.17.& tribus sequentibus.
Ignorantiam esse inuincibilem, potest duobus modis contingere: eámque posse esse tam iuris, quàm facti, præterquam iuris naturalis primarij, num.21.& tribus sequent.
Diligentia adhibenda ad ignorantiam depellendam vt censeatur inuincibilis, num.25
Exquisitio consilij quam eadem requirit, num. 26. & tribus sequentibus.
Quantam ea ipsa requirat diligentiam adhibitam in acquirenda cognitione illi contraria. Quódque sit difficile discernere quando sit adhibita sufficiens, num.30.& 31
Vt quis ob defectum adhibitæ diligentiæ negari debeat à peccato excusari per ignorantiam inuincibilem, necessarium est vt aliqua cogitatio de rei malitia interuenerit, num.32.

Ignorantia pœnæ. Lib. 13.

IGnorantia inuincibilis pœnæ legis, nisi tollat causam, propter quam ea imposita est, non obstat quin ipsa pœna incurratur, num.270
Ignorantia excusans à peccato excusat à pœna ob illud imposita: nisi imponatur ob factum alienum, nu.271.& 272
Pœna legis humanæ inuincibiliter ignorata censenda est excusationem habere, etiamsi illud propter quod imposita est cognoscatur esse malum, num.273
Non item pœna eiusdem legis vincibiliter tantùm ignorata. Quod patitur exceptionem cùm pœna ipsa imponitur scienter facienti, aut præsumenti, nu.274.& 275

Ignorantia Confessarij. Lib. 1.

QVatenus ignoratia toleretur in Cōfessario, nu.146.147
Ignaro facta confessio quatenus valida censeatur, nu. 148

Incarceratio.

INcarceratio Clerici quatenus sit vel non sit causa incurrendæ excommunicationis, lib.1.num.227.& 228

Indulgentia primò, quoad se. Lib. 7.

NOmen indulgentiæ qua ratione accipiatur. cùm de indulgentiis agitur in ordine ad satisfactionem sacramentalem, num.94
Liberatus omnino à culpa, non liberatur eo ipso omnino à pœna, num.95
Quòd nullius quidem (excepto Christo) bona opera alteri meritoria esse, satisfactoria tamen esse possint, num.96
In Ecclesia est thesaurus satisfactionum non modo Christi, sed etiam Sanctorum: quæ nobis applicari possint, & quatenus, nu.97.& tribus sequent.
Potestas est in Ecclesia concedendi indulgentias, à Christo data, Quódque eæ concedi possint extra pœnitentiæ sacramentum, nu.101.& 102
Definitio indulgentiæ: & cur ipsa dicatur remissio, num.103. & 104
Cur dicatur pœnæ remissio, si aliqua detur à pœna, & à culpa num.105.& 106
Cuius pœnæ sit remissio. Quódque sit remissio extra sacramentum facta à Prælato Ecclesiastico ob rationabilem causam, nu.107.& 108
Indulgentiæ non sunt piæ fraudes, prout dicunt hæretici. Eáſque quærere, perfectorum etiam est, num.109.& 110
Ad legitimum, ac fructuosum indulgentiarum vsum requiruntur multa, quæ non facilè concurrunt, num.111

Indulgentia secundò, quoad earum concessionem. Lib. 7.

SOlus Papa indulgentias plenarias dare potest, num.112
Episcopis, & Prælatis superioribus infra Papam, quatenus competat indulgentias conferre, num 113.& 114
Nullus Episcopo inferior potest ex officio indulgentias conferre, num.115
Potest ex commissione Papæ, vel Episcopi conferre quivis Clericus, num.116
Quòd possit & laicus commissione Papæ, improbabile non est. num.117
Confessarius nequit propria authoritate indulgentias conferre. Nec valent concessæ ab Episcopo excommunicato non tolerato, nu.118
Quibus possit, & inquantum possit Episcopus indulgentias concedere, num.119.& 120
Facultas concedendi indulgentias, qualis sit legati Apostolici, & Summi Pœnitentiarij. Quódque nulla sit Vicarij Episcopi, aut capituli, Sede vacante, nisi ex commissione, num.121.& 122.
Episcopus ante suam consecrationem potest indulgentias concedere, confirmatus, vel prouisus à Papa, nu.125
Prælati religionum nequeunt indulgentias concedere, etiamsi possint facere participes bonorum operum quæ à se & à suis fiunt, nu.124.& 125
Quæ causa necessaria censeatur ad validam indulgentiarum concessionem, nu.126.& tribus sequent.
Difficultas de proportione requisita inter indulgentiam concessam, & eiusmodi causam, num.130
Quódque non sit necessarium talem causam ipsi indulgentiæ æquialere, num. 131
Quæcumque causa pia sufficit, vt indulgentia censeatur valida; non tamen vt censeatur discreta, num.132.& 133
Magnæ indulgentiæ concessæ pro causis quæ videntur paruæ, quomodo excuseatur. nu.134.& 135

Indulgentia tertiò, quoad modum eas concedendi. Lib. 7.

PEr indulgentiam remittitur pœna peccatis debita non solùm vt taxata à Confessario, vel à canonibus Ecclesiasticis: sed etiam vt à diuina iustitia, num.138
Indulgentia aliquot annorum, quomodo sit accipienda.
Et quo modo accipienda illius distinctio in plenam, plenioremi, & plenissimam, num.140.141
Quòd concessio indulgentiæ sit strictè interpretāda, nu.142
Indulgentia plena, seu plenaria quænam sit. Et quæ plenior, quæque plenissima: cum aliquot corollariis, num.143.& duobus sequentibus.
Indulgentia in forma Iubilæi quid amplius sit, quàm plenissima: quidque Iubilæi nomine significetur. Et quòd indulgentia non iuuet in foro externo : nequidem plenissima, num.146.& 147
Tres modi concedendi indulgentiam, relaxando tantùm partem pœnæ. Et quo modo accipiendum sit quod simul cum plena, datur aliquot dierum indulgentia, num.148 & 149
Indulgentia absolutè data, extenditur tam ad pœnas iniungendas, quàm ad iniunctas in confessione, num.150
Documentum vtile paranti se ad lucrandas indulgentias, num.151
Indulgentia datur tum viuis, tum defunctis, sed differenter, num. 152
Quædam immediatè datur à Papa, & quædam mandatur dari per alium. Quædam item datur cum determinatione ad certum tempus, vel locum: & quædam sine tali determinatione, num.153.& 154
Indulgentia perennis, ac longi temporis potest lucrifieri pluries: alia, tantùm semel, num.155
Indulgentia concessa, aut commissa concedi pro articulo mortis, nu.156.& 157
Indulgentiæ duratio num.158.& duobus sequentibus.
Reuocatio indulgentiæ, num.161.& tribus sequentibus.
Duratio indulgentiæ non requirit durationem causæ propter quam data est, num.165

Indulgentia quartò, quoad earum acquisitionem. Lib. 7.

REquisita ad indulgentiarum acquisitionem, numero 166
Expeditio literarum concessionis, necessaria non est ad earum validitatem, num.167

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM,

Status gratiæ necessarius est ad earum lucrationem, num. 168.& 169
Cùm nemo sciat an sit in statu gratiæ: quomodo existimare quis possit, se ob lucratam indulgentiam, liberum esse à satisfactione sibi per Confessarium imposita, num. 170
Quatenus confessio sacramentalis sit necessaria ad lucrandam indulgentiam, num. 171. & duobus sequentibus.
Quomodo requiratur satisfactio ad lucrandas indulgentias, num. 174.& 175
Ad easdem lucrandas, necessaria est executio pij operis ob quod sunt concessæ. Nec sufficit voluntas exequendi: nec executio partis, etiam ad partem lucrandam, neque impedimentum excusat, nu. 176.& 177
Non ante acquiritur indulgentia, quàm totum opus sit perfectum. Et tractatio dubitationis, An debeat totum perfici in gratia, nu. 178.& tribus sequent.
Facultates, quæ simul cum indulgentia conceduntur, eâ non acquisitâ, acquiri possunt, num. 182
Lucraturus indulgentiam debet opus pium ob quod ea conceditur, implere per seipsum, nisi aliud sit à concedente expressum. Ac implere secundùm formam in concessione expressam, nu. 183.& duob. sequent.
Quid iuris, cùm quid ad indulgentiam consequendam imponitur tantùm exhortando: aut imponitur quid indeterminatum, nu. 186.& 187
Quando indulgentiam acquirere impediatur is, qui peccat exequendo opus ob quod concessa est, num. 188
Relaxatio pœnarum per indulgentias, ad quas pœnas se extendat, num. 189.& 190
Eadem relaxatio facta pœnarum prioribus peccatis debitarum, non amittitur per relapsum in peccatum mortale, num. 191
* Non acquiruntur indulgentiæ extra statu gratiæ. Et quòd solus Papa possit eas conferre defunctis. Idque tantùm per modum suffragij: & quidnam hoc ipsum sit, num. 192. & 193
Quando prosint defunctis indulgentiæ. Et quòd non sit necesse, facientem opus propter quod eæ illis conceduntur in statu gratiæ esse. Et quòd possint illis concedi propter opera bona quæ egerunt in vita, num. 194. & duobus sequentibus.
Lucraturo indulgentiam expedit habere animum satisfaciendi Deo, nu. 197
Ob quæsitam defuncto indulgentiam non sunt omittenda ecclesiastica suffragia, pro eo facienda, & cur, num. 198
Superior capax est acquirendæ indulgentiæ, quam concedit, num. 199

Iniuria illata Clerico. Lib. 1.

Iniuriæ Clerico illatæ distinctio in grauem, mediocrem & leuem, nu. 239
Eiusdem iniuriæ grauitas seu enormitas vnde sit æstimanda num. 240
Quando eadem iniuria censenda sit mediocris, & quando leuis, num. 241

Inimicitia.

Inimicitia quatenus excuset percussorem Clerici, ne cogatur pro absolutione recurrere ad Sedem Apostolicam, libro 1. num. 247

Intentio in constitutione finis, Lib. 12.

QValis est intentio, talem esse actum humanum intentum: quatenus sit verum. Et quòd præter finem actionis, detur finis agentis, nu. 10.& 11
Requisita vt intentio agentis sit debita, num. 12
Intentio ea semper est debita, qua quis actionem neque ex obiecto, neque ex circunstantia malam, in Deum refert vt in finem vltimum. Cuiusmodi actio vt sit meritoria, potest contenta esse virtuali intentione, num. 13.& 14
Actio non est eo ipso mala, quòd non referatur in Deum ex intentione agentis, num. 15. Mala est autem eo ipso quòd in alium finem vltimum referatur, quàm in Deum: aut qua Deus posponatur alicui bono, num. 16
Intentio est debita, qua bonum honestum propter seipsum intenditur, aut aliud minus propter ipsum, num. 17
Intentio est indebita, qua contra honestatem agitur propter bonum delectabile. An, & quâ bonum honestum intenditur propter vtile, non relatum in aliud bonum honestum nobilius? num. 18.& 19
Bonum vtile potest bona intentione constitui finis medius minus principalis, nu. 20.& 21
Intentio est indebita quâ bonum honorarium aut pecuniarium expetitur sine relatione ad aliud, quod sit finis eo aptus: duobus casibus exceptis, nu. 26.& 27
Remedium aduersus anxietatem animi circa defectum intentionis debitæ, nu. 29
Quomodo sit debita intentio Superiorum proponentium inferioribus suis præmia aut supplicia, vt inducant eos ad bonas actiones & auocent à malis, num. 30

Interrogationes. Lib. 2.

INterrogare Pœnitentem, quatenus teneatur Confessarius: & omittendo, quatenus peccet, num. 13.& 14
Interrogationis istiusmodi obligatio quando contingat, num. 15.& 16
De difficultate an interrogationes sint præmittendæ confessioni, nu. 17
Interrogationes aliquot præmittendæ à Confessario, confessionis inchoationi, nu. 18
Faciendæ respectu habito ad contritionem necessariam in Pœnitente confitente, num. 19.& quinque sequentibus.
Cum malente interrogari, quàm peccata sua per se dicere qualiter sit procedendum, num. 32
Qualiter interrogandus Pœnitens dum actu confitetur, & de quibus interrogandus, num. 33
De modo quo interrogationes fieri oportet, obseruationes vtiles, num. 34
Interrogandi de peccatis carnis modus specialis, num. 35
Interrogationes faciendæ si opus videatur ad supplendum in Pœnitente defectum integritatis suæ confessionis. nu. 36
Interrogationes speciales faciendæ circa præcepta Decalogi, num. 37
Interrogationes faciendæ circa varios status hominum, num. 38

Inuenta.

De inuentis vide verbum Bona incerta, in fine.

Inuidia.

Aduersus inuidiam remedia, lib. 7. nu. 68

Ira. Lib. 7.

ADuersus iracundiam remedia, num. 70
Ratio patienter ferendi iram alterius, num. 71

Irregularis.

Irregulares censendi sunt de numero toleratorum ab Ecclesia, lib. 1. num. 163. sub finem

Ioculator.

Ioculator quando amittat priuilegium clericale, lib. 1. num. 235

Iurisdictio. Lib. 2.

IVrisdictio in foro interno, num. 13.& 14. ac num. 19. cum aliquot sequentibus.
Iurisdictio spiritalis in foro externo, num. 15. & tribus sequentibus.
Iurisdictionem habens in foro interno, siue ordinariam siue delegatam, potest in suos subditos vbiuis eam exercere, num. 93
Inter iurisdictionem Papalem Episcopalem, & Parochialem differentia & conuenientia, num. 29
Eiusdem iurisdictionis defectus quando reddat, & quando non reddat confessionem inualidam, num. 97. & quatuor sequentibus.
Non habenti iurisdictionem sufficientem confessus bona fide, ad quid teneatur, num. 101
Impedire iurisdictionis vsum in alio, quis possit aut nō possit, num. 109. Vide præterea verbum Confessarius, 1.& 3.

Leuitas.

Leuitas percussionis Clerici, ratione cuius percussor potest per Episcopum absolui ab excōmunicatione, lib. 1. nu. 255
Leuitas materiæ excusat à mortali, lib. 15. num. 30

Lex æterna. Lib. 13.

LEx æterna attribuitur Deo tanquam moderatori vniuersi, numer. 1. Cùm qua lege bonitas nostra moralis conformitatem requirit. num. 2. Eáque nobis manifestatur per reuelationem siue naturalem siue supernaturalem: & per iustam legem Superioris, num. 3 & duobus sequentibus. Eadem quatenus censeri possit varia, num. 6
Lex æterna non adfert quidem necessitatem agendi, adfert tamen patiendi pœnam debitam transgressori illius, numero 7
Lex æterna immutabilis ex parte Dei, mutari potest ex parte materiæ, num. 8

Lex derivata ab æterna. Lib. 13.

THeologorum ratio agendi de legibus, num. 9
Legis nomen, num. 10. Eiusdem necessitas, numer. 11.& tribus sequentibus. Definitio cum explicatione, num. 15
Differentia à consilio: & obligatio tum ad culpam tum ad pœnam, num. 16
Lex coagmentatur ex actu intellectus & voluntatis: & quo modo habeat rationem habitus, num. 17.& 18
Inter lege, sola humana obnoxia est iniustitiæ, num. 19
Quæ possit esse legis materia, num. 20.& 21
Promulgatio legis non est de illius natura, num. 22
Quis sit legis finis: & quæ causa efficiens, num. 23.& 24
Variæ legis qualitates. Quæ si communes sint, quomodo aliæ aliis contrariæ inueniantur, num. 25.& 26
Eiusdem officia ex D. Thoma, num. 27. Et an illis sit addendum præmio afficere. Et quo modo permittere illis addatur, num. 28.& duobus sequentibus.
Lex non obligat ad nimis difficile, nec ad id quod meritò faceret ridiculum, num. 121

Lex naturalis. Lib. 13.

ORdines & gradus propositionum legem naturalem constituentium, num. 31.& duobus sequentibus.
Eadem lex præcipiendo aut prohibendo, obligat omnes homines ratione vtentes, num. 42
Eam esse immutabilem qualiter intelligendum sit, num. 43
Quódque non admittat exemptionem, sed tantùm declarationem: nec dispensationem nisi impropriè dictam, num. 44.& tribus sequentibus.
Ratio peccati respectu legis naturalis vnde contingat in actione humana, num. 58
Quæ propositiones constituant ius gentium: & eiusdem iuris cum naturali & humano collatio, num. 59.& 60

Lex diuina positiua. Lib. 13.

QVadruplex necessitas diuinæ legis positiuæ & quid eadem lex sit, num. 125.& 126
Cur ante Christi aduentum data sit solis Iudæis: & post, data sit omnibus, num. 127
Quæ sunt legis diuinæ positiuæ propria, quomodo iis quæ legis naturæ propria sunt, proportione respondeant, num. 128
Qualitates & effectus eiusdem legis, num. 129.& 130
Diuisio illius in veterem & nouam, num. 131
Cur soli populo Israëlitico data sit lex vetus, numer. 132.& 133
Ea cæteris populis fuit tantùm in consilio, num. 134
Præcepta veteris legis distincta sunt in moralia, ceremonialia, & iudicialia, num. 135
Ceremonialia & iudicialia nunc neminem obligant, numer. 136
Ceremonialia sunt mortifera, & cur, nu. 137. iudicialia non item, & cur, num. 138
Cur Christiani venerentur testamentum vetus. Et quatenus sit vsus illius in iudicio de peccatis, num. 139.& 140
Lex noua cur sic dicta, num 141. Differentia illius à veteri, numer. 142. In quo potissimùm consistat, num. 143. Eiusdem præcepta duplicia; & quæ sub illa cadant, quæque non cadant, num. 144
Præcepta moralia in noua lege sunt eadem quæ in veteri, sed facta auctiora. numer. 145. Omniáque reuocantur ad præcepta Decalogi, & quomodo, num. 146
Lex noua ad finem vsque seculi vigebit, num. 147
Papæ circa eam potestas. Quódque ipsa non obliget semper ad mortale, num. 148

Lex humana 1. quoad illius vim obligandi. Lib. 13.

LEx humana non habet obligandi vim nisi sit iusta. Et duo modi quibus potest esse iniusta, num. 149.& 150
Debet item esse promulgata & post promulgationem elapsum esse aliquod tempus: etsi non in omni lege, nu. 151
Peccetne contraueniendo legi antequam tempus id elapsum sit. Et an in designatione eiusdem temporis sit eadem ratio seruanda, quoad Papales constitutiones, ac quoad Imperatorias, num. 152.& 153
* Quæ Papales constitutiones obligent, quæque non obligent ante earum promulgationem solemniter factam in prouincia, num. 154.& 155
Quid sit renendum de obligatione constitutionum, quibus reuocantur priuilegia. Quidque de iis quibus contractus irritantur, num. 156.& 157
Quid de nouis quibus antiquæ reuocantur, num. 158
Ad obligationem legis humanæ requiratur vt ea sit recepta, num. 159.& 160
Quando peccetur non recipiendo legem iustam promulgatam, num. 161
In quo consistat non receptio legis, per quam amittit vim obligandi, num. 162
Ea non requirit scriptum nec aliud signum externum: contenta vt legi contrauenientur in casibus in quibus ea obseruari debuit, num. 163
Lex humana recepta tantùm in parte, obligat tantùm ex ea parte, num. 164
Vt lex humana vim obligandi habeat, non requiritur vt sit scripto tradita, num. 165

Lex humana 2. quoad illos quos obligat, & quoad modos quibus obligat, ac quoad eos quibus eadem obligatio tollitur. Lib. 13.

LEx humana obligat omnes legislatoris subditos, etiam iustos: & quatenus ipsum quoque legislatorem, num. 167. & duobus sequentibus.
De dubio, An lex obliget subditum legislatoris constitutum extra huius territorium, num. 170
De altero dubio; An lex obliget non subditum legislatoris existentem in huius territorio, num. 171.& 172
Lex humana respectu præteritorum obligat in duobus casibus, num. 173
Quòd lex humana obliget non tantùm in foro externo, & ad pœnam; sed etiam in interno, & ad culpam, num. 174. & duobus sequentibus.
Vt ea ratione lex humana obliget, quæ intentio legislatoris requiratur, num. 177
Lex humana fundata super præsumptione quando veritas est in contrarium non obligat in conscientia, num. 178
Nec item cessante illius ratione: quod potest duobus modis contingere. Et quid per rationem legis intelligendum sit, num. 179.& duobus sequentibus.
Quædam circa eamdem cessationem pro praxi notanda vide, lib. 15. num. 59
Lex humana quando obliget cum mortis periculo, numero 182
Excepto vno casu, inualida sunt in conscientia quæ fiunt contra legem humanam illa irritantem, num. 183
Quid si fiant contra legem non irritantem, num. 184.& 185
Quatuor per quæ tolli potest legis humanæ obligatio, numero 186
De interpretatione legis: cuius sit eam facere vniuersalem: & cuius particularē: & qua ratione sit in ea procedendum, num. 187. & duobus sequentibus.
De dispensatione, num. 190.& septem sequentibus vide verbum Dispensatio.
De abrogatione & de irritatione, num. 198.& 199

Lex humana tertiò, prout libris iuris continetur, Ecclesiastica aque est aut ciuilis. Lib. 13.

PRincipia iuris canonici ex Gratiano, num. 200
Eiusdem diuersa acceptio. Et accepti prout traditur in scholis; distinctio in quinque partes, num. 201.& 202
De prima parte quæ est decretum Gratiani; quo modo citari soleat; ac methodus qua ille in ea procedit, nu. 203.& 204
Modi citandea quæ pertinent ad reliquas eiusdem iuris partes. Et methodus in illarum compilatione seruata, nu. 205.& 206
Quæ sit obligatio Ecclesiasticarum legum scriptarum in iisdem partibus comprehensarum, num. 207.
Lex Ecclesiastica quatenus feratur de actibus internis, num. 21
Iuris ciuilis à canonico distinctio, num. 209
Illúdque huic subest. Ac quis possit illud condere, num. 210.& 211
Eiusdem præcipua diuisio in constitutionem Principis, Senatusconsultum, Ius prætorium, & Plebiscitum, num. 212
Alia diuisio adhuc eiusdem prout docetur in scholis, & modus quo citari solet, num. 213.& 214
Idem continet quasdam leges abrogatas & quasdam non seruandas, num. 215

Lex humana 4. prout est pœnalis. Lib. 13.

AQua pœna lex pœnalis nomen & naturam accipiat, & quatuor diuisiones eiusdem legis, numer. 256.& 257
Regula distinguendi inter eam, quæ est latæ sententiæ, & eam quæ est sententiæ ferendæ. Ac modi deprehendendi in dubio sitne latæ sententiæ, num. 258.& 259
Quomodo interpretanda sit lex pœnalis, num. 260
Et documenta obseruanda in eadem interpretatione, num. 261. Déque eo quòd interpretatione non sit extendenda extra casum in illa expressum, num. 262
In eadem interpretatione quæ sint attendenda quoad verba, numer. 263. Quæ quoad personas quibus pœna imponitur, nu. 264. Quæ quoad actionem propterquam imponitur, num. 265

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

Tractatio difficultatis, An detur legis pœnalis obligatio ad culpam, num. 266. & duobus sequentibus.
Quòd lex pura pœnalis superaddita morali non tollat obligationem eius ad culpam, num. 269
Quando ob ignorantiam excusatio sit à pœna lege imposita, num. 270. & quinque sequentibus. Vide verbum, Ignorantia, versùs finem,
De difficultate, An lex pœnalis obliget ad pœnam subeundam ante Iudicis sententiam nonnulla certa, num. 276
Quid tenendum sit, si lex pœnalis humana includat diuinam, num. 277
Quòd ea vis sit legis pœnalis, vt possit obligare non expectata sententia Iudicis, num. 278
Quæ pœnæ ipso iure, vel ipso facto impositæ incurrantur non expectata Iudicis sententia, num. 279. & 280
Lex imponens pœnam tanquam conditionem, vel modum rei traditæ, obligat in conscientia ante sententiam Iudicis, num. 281
Idem dicendum est de pœna testamentaria, & de imposita collegialibus à fundatore Collegij, ac de ea quam Princeps imponit Magistratibus quibus solvit stipendium, numero 282
Quid tenendum de pœna conuentionis addita contractui, num. 283
Obligatio legis pœnalis ipso iure vel facto imponentis pœnam, quæ requirit exequutionem, num. 284. & 285
Cur quædam pœnæ ipso iure, vel facto impositæ requirant sententiam Iudicis, & non aliæ, num. 286
Pœnam ipso etiam facto impositam non tenetur quis in se exequi, sed tantùm pati executionem, num. 287
Quando præcipiente Iudice teneatur eam exequi, num. 288
Difficultas de alienatione bonorum facta per eum qui crimen commiserit, propter quod à lege iis priuatur ipso facto, num. 289
Difficultas, An quando crimen propter quod lex pœnam ipso facto imponit, ita notum est, vt nulla tergiuersatione cælari possit, sententia Iudicis requiratur, numero 290
Difficultas de beneficiario, An possit in conscientia retinere beneficium, si commiserit crimen propter quod à lege priuatur ipso facto, num. 291
Difficultas, An simili modo priuatus officio suo publico, possit validè illud exercere, num. 292
Difficultas, An si reus iuridicè interrogatus neget suum crimen, teneatur soluere pœnam ad quam fuisset alioqui condemnatus, num. 293
Difficultas, An qui ex officio tenentur reos manifestare, aut sententiam in eos proferre, si non faciant, teneantur ad solutionem pœnæ, quâ ille multatus fuisset, num. 294

Lex humana vltimò, prout obligat ad mortale. Lib. 15.

QVòd detur aliqua lex humana obligans ad mortale, numer. 39
Quòd lex humana possit diuinam includere dupliciter: indéque obligare ad mortale, num. 40
Lex humana sub mortali obligat in materia graui: & Superiore intendente talem obligationem imponere, numer. 41
Sine grauitate materiæ voluntas Principis non sufficit, vt lex obliget ad mortale, num. 42. & 43
Quando ad obligationem legis humanæ sub mortali cum grauitate materiæ requiratur legislatoris intentio taliter obligandi, ibid. num. 44
Quòd non modo Ecclesiastica, sed etiam ciuilis lex humana possit sub mortali obligare, extra casus contemptus & scandali, num. 45
Intentio legislatoris obligandi sub mortali quomodo cognoscatur, num. 46. Quo modo ex consuetudine, num. 47. Quomodo ex verbis legis. num. 48
Ex pœnis spiritalibus quas lex imponit trãsgressoribus, colligi potest obligatio ad mortale, numer. 49. non item ex ciuilibus, num. 50. & 51
Verba legis præceptiua non sunt signum sufficiens obligantis ad mortale, num. 52
Exceptio cum sua moderatione, num. 53. & 54
Quòd verba præceptiua non obstent quin lex Ecclesiastica admittat benignam interpretationem, qua censeatur non obligare ad mortale, num. 55. & duobus sequentibus.

Libertas Ecclesiastica. Lib. 9.

IN lædentes libertatem ecclesiasticam lata est excommunicatio, vide verbum, Bulla cœnæ, octauò.
Quæ dicatur libertas ecclesiastica: & quomodo lædatur per statuta laicorum. Quidque censendum sit contra eam esse, num. 357. & 358
Quod statutum censeri debeat factum contra libertatem ecclesiasticam, num. 359. & 360
Spectantia ad excusationem à proposita excommunicatione. Et quatenus incurratur faciendo statuta contra libertatem ecclesiasticam, aut illa scribendo, num. 361. & duobus sequentibus.
Quatenus excommunicationi subiiciantur Potestates, Consules, Rectores, & Consiliarij locorum in quibus statuta, aut consuetudines seruantur contra libertatem ecclesiasticam, num. 364

Libertinus. Lib. 2.

LIbertinis quæ scrupulosorum medicinæ vtiles, quæ pernicioſæ, num. 136
Vrgendi sunt propositione grauitatis, & multitudinis pœnarum inferni, in quarum proinde consideratione Confessarium versatum esse oportet, num. 137. 138. 139
Ratio qua earumdem pœnarum propositione, libertinis videtur dispони posse ad Dei timorem, num. 140
De eo quod libertinis est in ore, Quòd Deus nouerit quid sit de ipsis futurum, itaut nihil sit cur se vexare debeant, numero 141
Libertino penitus parato ad malè agendum qualiter suaderi possit malum minus agere omisso maiori, num. 142

Licentia. Lib. 1.

LIcentia alieno confitendi varia, num. 68
Non modo per specialem, sed etiam per generalem licentiam expressam, acquiri potest iurisdictio ad audiendas confessiones, num. 71
Idemque per tacitam, & per implicitam, num. 70. & 72. & 73
Licentia petita nec obtenta, non sufficit ad confitendum alieno, num. 87
Licentia eligendi Confessarium, quatenus extinguatur mortuo concedente, num. 95
Quòd non finiatur per primam electionem, num. 96
Quando licentia obtenta quidem, sed nondum notificata obstet, aut non obstet validitati absolutionis sacramentalis, num. 104
Licentia audiendi confessiones non cessat per illius reuocationem, nisi intimatam legitimè, num. 105

Lignatio. Lib. 10.

LIgnationem in sylua communi sub certis pœnis prohibere potest communitas, nu. 367. Contra quam prohibitionem facientes qui sunt de eâdem communitate, tenentur quidem ad solutionem pœnæ impositæ: non tamen ad restitutionem acceptorum sine graui damno, nu. 368
Quod idem iudicandum est, cùm diuersarum communitatum ciues vltro citróque, alij in aliorum syluis lignantur, nu 369
Obligatur ad pœnam impositam, & ad restitutionem qui lignatur in sylua alicuius priuati: vel communitatis, cuius ciues non lignantur in sylua alterius communitatis, cuius ille pars est. Excipe nisi interueniat consensus domini sylvæ, lib. 10. nu. 170. Aut nisi consuetudo rationabilis excuset, nu. 171

Ludus. Lib. 10.

QVid sit ludus, & vnde sit illicitus, num. 384
Conditiones ex quibus ludus non modo illicitus est, sed etiam iniustus, ideoque inducens obligationem ad restitutionem, num. 385
Explicatio quæstionis, An lucrata per ludum veritum, possint tutâ conscientiâ retineri, nu. 386
Quando certus de victoria lusit, aut ludi pretium auxit: lucrum inde factum possit, aut non possit retinere, nu. 387
Quando is qui ludo prohibito lusit promissâ pecuniâ teneatur, aut non teneatur promissam soluere, nu. 388
Explicatio quæstionis, An non habens quod perdat in ludo, possit in eo lucrari, nu. 389

Luxuria. Lib. 7.

ADuersus luxuriam puncta consideranda, nu. 57
Et cautelæ aduersùs eamdem adhibendæ, nu. 58

M

Magister.

MAgister, seu doctor de quibus interrogari debeat in confessione, lib. 2. nu. 38. §. 10

Maritus.

Maritus non est de numero eorum qui tanquam alieni iuris, non tenentur adire Sedem Apostolicam pro absolutione ab excommunicatione lata in percussorem Clerici, lib. 1. nu. 243

Medicus.

Medicus, & Chirurgus de quibus interrogari debeant in confessione, lib. 2. nu. 38. §. 12
Medicis imposita obligatio ægrotantes monendi de facienda confessione, lib. 6. nu. 23. & 24
Medici obligatio restarciendi damnum, quod æger pertulit culpâ ipsius, lib. 10. nu. 98
Medicus, in dubio qualiter debeat se gerere circa ægrum, lib. 13. nu. 99

Mercator.

Mercator de quibus interrogandus sit in confessione, lib. 2. nu. 38. §. 9

Meretrix. Lib. 10.

PVblica meretrix non tenetur restituere pretium quod accepit pro sua prostitutione, nu. 191
De meretrice occulta, idem quod de publica dicendum est; & quomodo eadem possit magnum suæ prostitutionis pretium acceptum retinere, nu. 192. Tale pretium filiafamilias, patri: & vxor, marito debet restituere, nu. 193

Metus. Lib. 11.

METus non tollit liberũ nisi tollat vsum rationis: quódque alius sit leuis, alius grauis, nu. 69
Quorum malorum esse debeat, vt censeatur grauis, nu. 70
Metus etsi peccatum minuere possit, non tamen de mortali facere veniale, nu. 71
Metus leuis regulariter non excusat à mortali, nu. 72.
Nec itemi grauis quando agitur contra præceptum naturale negatiuum, nu. 73
Secus quando agitur contra præceptum affirmatiuum etiam naturale, nu. 74. Et quando contra humanum negatiuum, exceptis duobus casibus, nu. 75. & 76
Actus humanus metu extortus inefficax, ac inualidus censendus est, nu. 77

Miles.

Milites de quibus interrogari debeant in confessione, lib. 2. nu. 38. §. 18

Miseratio Dei.

Miserationes Dei in peccatorem ex quibus ille erigitur in spem veniæ, lib 2 nu. 79. & quatuor sequentibus.

Missa.

Missam in malo statu celebranti ministrare non est de se illicitum, lib. 1. nu. 164

Mortis periculum.

In mortis periculo constitutus cum quanta prudentia iuuandus, lib. 2. nu. 200. Ad quæ hortandus, nu. 201. De quibus interrogandus, nu. 202. De quibus monendus, nu. 203
Circa morientes agenda, nu. 204
Notanda à Confessario vocato ad constitutum in articulo mortis, lib. 8. nu. 25. & tribus sequentibus.
Mortis periculum eximens percussorem Clerici vel Monachi ab obligatione adeundi Sedem Apostolicam, lib. 1. nu. 245

Mulier.

Mulier ratione sexus eximitur ab obligatione adeundi Sedem Apostolicam pro excommunicatione incursa ob percussorem Clerici, lib. 1. nu. 246
Mulier non est quidem capax iurisdictionis Ecclesiasticæ: eius tamen vsus aliquis illi committi potest, lib. 9. nu. 117

Mutus.

A muto qualiter facienda sit sacramentalis confessio, lib. 6. nu. 82

N

Necessitas. Lib. 1.

NEcessitas dans Iurisdictionem sufficientem ad audiendas confessiones, nu. 58. 59. & 60
Limitatio cum qua est accipienda Iurisdictio, quam necessitas dat, nu. 161
Non alia necessitas, quàm periculi mortis dat Iurisdictionem in foro interno, nu. 63
Necessitas excusans ab excõmunicatione percussorem Clerici, vel Monachi, lib. 1. nu. 224
An ea locum habeat cùm quis potest vitare eam fugiendo, ibidem.

Necessitas extrema. Lib. 10.

NOn est peccatum in extrema necessitate rem alienam accipere. Nec obligatio illam restituendi, si sit parui momenti, nu. 155 & 156
Res accepta in extrema necessitate post hanc perdurans, restituenda est, nu. 157
Ex re malè acquisita licet subuenire sibi in eâdem necessitate: non ideo tamen tollitur obligatio ad restitutionem illius mala acceptione contracta, nu. 158
Qui est in extrema necessitate solummodo per accidens: vtpote habens alibi sufficientes diuitias, tenetur ad accepti restitutionem, nu. 159
Explicatio difficultatis, An si is qui constitutus in extrema necessitate alienum accepit, veniès postea ad pinguiorem fortunam teneatur illud restituere, nu. 160. & tribus sequentibus.

Nocumentum. Lib. 14.

DOctrina D. Thomæ de nocumento, nu. 33
Nocumentum formaliter intentum auget peccatum, nu. 34. Interpretatiuè volitum item auget. Et quando etiam non volitum augeat, nu. 35
Qualiter ex nocumento secuto iudicari debeat de grauitate peccati. Et quomodo contingat nocumentum excusari quoad Deum, non quoad homines, nu. 36
Triplex discrimen inter nocumentum sibi, & nocumentum alteri allatum, nu. 37
Quando nocumentum non præuisum, nec intentum sibi illatum, perinde augeat peccatum, ac illatum alteri, nu. 38

Notitia, & Notorium. Lib. 1.

NOtitia requisita vt excommunicatio ob percussionem Clerici impediat executionē Iurisdictionis, nu. 120
Notorium aliud Iuris aliud facti: & quale requirat Concilium Constant. in suo priuilegio de non vitandis censura innodatis, nu. 121. & 122

Nouitius.

Nouitius irretitus excommunicatione reseruata à quo absoluatur, & quatenus valeat absolutio, lib. 1. nu. 245
Et quòd absolutus iuxta priuilegia religionis, si hanc deserat, in illam recurrat, lib. 8. nu. 38

O

Obiectum humanorum actuum. Lib. 14.

EX obiecto actus humani, eius malitia essentialis deriuatur, nu. 1. Tres modi quibus talis deriuatio contingit, num. 2. Ac duæ generales regulæ de peccatis iudicandi ex obiecto, nu. 3
Ex obiecto actus humani quo modo iudicetur de peccati grauitate, nu. 5. Et quomodo ex contraria virtute, nu. 6
Obiectum actus humani quas conditiones requirat ad constituendam circunstantiam peccatum aggrauantem, num. 65. & 66
De eâdem aggrauatione doctrina D. Thomæ cum illius restrictione, nu. 67. & 68
Quando eadem aggrauatio fiat mutando speciem, & quando intra eamdem speciem, nu. 69

Officiarius. Lib. 10.

PEccat quidem mortaliter officiarius aliquid accipiens ad agendum contra suum officium: sed non tenetur eo ipso ad restitutionem accepti, nu. 139
Ad fungendum officio suo accipiens supra stipendium sibi taxatum, peccat & tenetur ad restitutionem excessus: nisi liberaliter donetur, nu. 140. Et duo casus in quibus donatio eiusmodi non est censenda interuenire, nu. 141
Liberaliter donatum quando ab officiario retineri possit aut non possit, nu. 142
Quando possit officiarius licitè aliquid accipere supra stipendium sibi taxatum: etiamsi lex sui officij prohibeat quidpiam accipi liberaliter donatum, nu. 143. & tribus sequentibus.
Quatenus officiarius, qui percutiendo Clericum in excommunic. incurrit, excusetur Sedem Apostolicam adire pro absolutione, lib. 1. nu. 248

Opifex.

Opifex de quibus interrogandus sit in confessione, libro 2 num. 38. §. 8

Opinio. Lib. 13.

QVæ opinio sit habenda pro communiore, num. 92
Propria opinio bene fundata teneri potest cõtra communem, ibid. numer. 93. Liberúmque est quam velis dubij partem eligere, si vtraque sit æquè probabilis, num. 94
Minus probabilem sequi licet relicta probabiliori, quando

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM,

periculum est tantummodo turpitudinis moralis : non item quando periculum simul est irreuerentiæ erga res sacras: aut damni proprij vel alieni,numer.95.& quatuor sequentibus : in quibus quædam corollaria inseruntur pro praxi.
Quando liceat contra propriam sententiam , sequi alienam, num.101
Vnius doctoris auctoritas non facit probabilem opinionem communi contrariam, num.102
Opinio ea probabilis non est quæ definitioni fidei, aut legi vel consuetudini receptæ aduersatur, num.103
In odiosis benignior, in aliis probabilior opinio est anteponenda, num.104
Quæ opinio tanquam communior,sit præferenda,num.105

Omissio. Lib. 15.

OMissionis ordines ad actus quos impedit, aut ex quibus procedit, nu.11
Regulæ iudicandi de actu qui causa omissionis malæ, inde vitiatur, nu.12. Omissio mala non vitiat actus qui comitantur causam ipsius,sed non sunt ipsius causa, nu.13
An voluntati omittendi adimpletionem præcepti superaddere causam omissionis,sit nouum peccatum, nu.14
Quando cum omissione,causa illius sit in confessione exprimenda, nu.15
Difficultas de tempore quo committitur peccatum omissionis, nu.16.& 17
Excusatur à peccato omissionis exterioris is quem de omissione interiori pœnituit priusquam illa contingeret, nu. 18.& 19
Ex quibus spectanda sit grauitas peccati omissionis, nu.20

Oratio primò,secundùm se,& quoad effectus illius. Lib. 4.

ORationis nomen & definitio, nu.39.& 40
Orate quorum sit proprium,nu.41. & quatuor sequentibus.
Orationis diuisiones:tum in mentalem,& vocalem ; tum in bonam,& malam ; tum in obsecrationem , & orationem propriè dictam,postulationem,& gratiarum actionem,nu. 46.& quinque sequentibus.
Orationis effectus præcipuus quadruplex : déque merito & satisfactione, nu.52.& 53
Vt oratio sit impetratoria quæ requirat, nu. 54. & 55. fides requisita,nu.56.item spes,nu.57.itémque charitas, nu.58
Orationem peccatoris impetratoriam esse quibus modis contingat , & quæ peccata tali impetrationi peculiariter obstent, nu.59.& 60
Oratio vt impetratoria sit,requirit adhuc tum humilitatem & deuotionem,tum etiam perseuerantiam in petendo,nu. 61.& 62
De conditionibus,vt petamus pro nobis : & vt petamus necessaria vel vtilia, nu.63.&64
Oratio iusti facta siue pro viuis siue pro defunctis , quando sit fructuosa.Et quando oratio peccatoris,nu.65.& tribus sequentibus.

Oratio secundò, quoad obligationem eam vtendi , & rationem debitè vtendi. Lib. 4.

DE oratione datum præceptum diuinum , obligat sub mortali omnes Christianos, nu.69.& 70
Pro quo loco,& tempore,num.71. & tribus sequentibus. Et tempus necessitatis pro quo obligat , quando contingat, nu.75
Oratio Deo tantùm & Sanctis cum ipso repugnantibus in cœlo,est fundenda : & quæ spectent ad illius præparationem,siue remotam siue propinquam,nu.76. & duobus sequentibus.
Ad bonam orationem requiritur tum reuerentia,tum deuotio, nu.79.& duobus sequentib.
De attentione adhuc requisita, vide verbum Attentio.
Euagationes in oratione cohibendi adiumenta, nu.92
Orationis bonæ obiectum : & quòd liceat quædam bona petere absolutè, quædam verò solùm sub conditione : ac quo modo bona temporalia, nu.93.94.& 95
Depulsionem peccati licet absolutè petere , aliorum malorum solùm sub conditione, nu.96
Oratio in qua non exprimitur id quod per eam petitur, nu.97
Orationis bonæ finis debitus : & quando bonum honorarium sit aut non sit talis finis censendum,num.98. & quatuor sequentibus.
De orante lucri gratia,quid tenendum sit, nu.103
In oratione mentali exercitatio memoriæ , intellectus , & voluntatis,qualis esse debeat, nu.104.& 105
In eadem considerandi ratio seruanda,ac ratio coniungendi exercitationem voluntatis cum exercitatione intellectus, nu.106.& quinque sequentibus.
Ad orationis vocalis debitum vsum requisita, tum ex parte corporis tum ex parte animæ,nu.112. & duobus sequentibus.
Orationum iaculatoriarum vsus, nu.115
Orationis Dominicæ explicatio , nu. 116.& tribus sequentibus.
De recitatione Rosarij ac Coronæ B. Virginis , & modo recitandi, nu.121

Ordinibus initiatus.

Ordinibus maioribus initiatus , si discipulus sit , quatenus possit à Magistro suo percuti sine excommunicatione,lib. 1.nu.231

P

Papa.

PApa quo modo Ecclesiæ princeps dicatur, libro 1. num.22
Quatenus obligetur præcepto confitendi, lib.6.nu.49
In Papam & ipsius familiares quis iurisdictionem habeat in foro interno, lib.1.nu.31
Papæ reseruantur peccata ratione excommunicationis annexæ illis, lib.1.nu.124
Pauper Clerici percussor quatenus excusetur ab obligatione proficiscendi Romam pro absolutione, lib.1 nu.250

Pharmacopola.

Pharmacopola de quibus interrogari debeat in confessione, lib.2.nu.38.§.13

Parochus.

Parochi obligatio ministrandi subditis Sacramenta , quanta sit, lib.1 nu.81.& 82
Parochus recusans audire confessionem subditi ,non censetur eo ipso illi concedere licentiam confitendi alteri , ibidem, nu.83.& tribus sequentibus.
Intrusus non potest alteri iurisdictionem committere ad audiendas confessiones, lib.1.nu.57
Parochus de quibus interrogari debeat in confessione, lib.2, nu.38.§.2
Parochus non habet ex officio potestatem excommunicandi, lib.9.nu.121.& 122
Parochiale beneficium habuisse non sufficit ad audiendas confessiones sine Episcopali approbatione , libro 1. nu.189
Parochi nomine qui comprehendantur , non habentes opus approbatione ad audiendas confessiones, nu.190. sequenti.

Peccatum primò vniuersè. Lib. 15.

DIuersi modi quibus accipitur nomen peccati, nu.1
De diuisione peccati , quòd aliud sit in Deum, aliud in proximum,& aliud in nosipsos, nu.2
Quæ dicantur peccata ex ignorantia,nu.3. Quæ ex infirmitate,nu.4.quæ ex malitia, nu.5
De distinctione peccati quòd aliud sit cordis , aliud oris , & aliud operis, nu.6.& 7
De distinctione eiusdem in peccatum commissionis , & peccatum omissionis, nu 8.& 9
Omissio duplex:& de qua sit sermo in præmissa diuisione,nu. 10.Alia de omissione,vide in verbo Omissio.
Peccatum distinguitur in mortale & veniale ex obligatione ad pœnam sequentem ex illo, nu.11
Talis distinctio seu diuisio quomodo analoga , & quomodo synonyma esse censeatur, nu.28
Quæ dari possit regula distinguendi inter peccatum mortale & veniale, nu.29
Similitudo qua illustratur quod dici solet , peccatum posse mortale & veniale esse:tum ex suo genere, tum ex accidenti, nu.33
Regula iuris naturalis iudicandi de peccato,sitne mortale an veniale, nu.34
Regula idem iudicandi ex sacris literis, nu.37. Et alia idem iudicandi ex lege humana, nu.38
Traditio doctorum virorum , & vsus piorum haberi potest pro regula iudicandi de peccatis, nu.60
Duo documenta notanda de iis quæ apud varios varia sunt in vsu, nu.61
Idem actus potest successiuè peccatum esse veniale & mortale, nu.68
De nomine & definitione peccati,vide ad eius intelligentiam dicta in præfatione præmissa,lib.vndecimo.

Peccatum secundò, prout mortale. Lib. 15.

QVatenus peccans mortaliter censeatur finem vltimum constituere in creatura, nu.12

ET VERBORVM.

Peccatum mortale quomodo includat contemptum Dei, veniale non item, num.24
Peccatum mortale suo genere,sit ex accidenti veniale : tum per materiæ leuitatem , tum per deliberationis imperfectionem, num.30.& qualis sit talis imperfectio,qualitérque deprehendatur interuenisse in peccato, num.31
Quando contingat peccatum mortale , regula Richardi à S. Victore & illius confirmatio, num.35
Quòd nequeat dari generalis ratio statuendi de grauitate iniuriæ ex qua peccatum sit suo genere mortale : proindéque id prudentis arbitrio relinquatur. num.36
De legis humanæ obligatione ad mortale, vide verbum Lex humana vltimò.
Quamcumque legem Superioris transgrediens ex contemptu , peccat mortaliter : ac qua ratione id probetur , quáque restringatur, num.62.& 63
Quo modo intelligi debeat peccati mortalis diuisio in superbiam & reliqua capitalia, num.64
Peccatum ex suo genere mortale , sit veniale per detractionem , non per additionem, num.72
Quo modo ex causa veniali proueniens cogitatio vel delectatio genere suo mortalis, sit venialis, num 73
Dictum in ea re de cogitatione vel delectatione, non habet locum in operatione & omissione, num.74
A mortali inaduertentia excusat,& nonnumquam simpliciter à peccato, num.75
Peccatum non desinit esse mortale ratione metus , etiam cadentis in constantem virum, num.76

Peccatum 3.prout veniale. Lib.15.

QVomodo verum sit peccatum veniale non esse contre legem Dei, num.25
Quòd non excludat à regno cœlorum nec à Dei gratia & amicitia. Et qua ratione definitio peccati illi conueniat, num.26.& 27
Peccatum quod est genere suo veniale , potest ex accidenti mortale fieri quinque modis, num.32
Peccata venialia quantocumque sint numero , numquam æquiualent vni mortali, num.65.& 66
Modus quo contingit peccatum de se veniale , esse per iterationem mortale, num.67
Veniale suo genere, non fit intra eamdem speciem , ex circumstantia mortale, num.69
Modi per se,& per accidens, non faciunt de veniali mortale, numero 70
Peccatum suo genere veniale non fit mortale ex intensione affectus voluntatis quo perpetratur, num.71

Peccati venialis remissio. Lib.5.

VEnialis peccati remittendi modi, præter vsum sacramenti pœnitentiæ, num.43
Peccatum veniale non remittitur nisi displiceat , displicentia saltem virtuali : ac quænam hæc sit, num.44.& 45
Vnum veniale remitti potest sine alio, num.46
Quando veniale constituitur materia Sacramenti Pœnitentiæ , debet displicere cum proposito illud vitandi , & quali, num.47

Peccati continuatio. Lib.14.

QVatenus peccatum censeatur continuari ex continuatione actus exterioris, etiamsi prava interior voluntas cesset, num.53
Quatenus continuari, perseuerante prava voluntate : etiamsi interrumpantur actiones , quæ ad illam implendam exercentur, num.54
Actiones,quæ tamquam præambula ordinantur ad aliquod peccatum , constituunt cum eodem vnum numero continuatum, num.55

Peccati adiuncta. Ex lib.7.

POenæ grauitas quæ grauitati peccati respondet,est tum intensionis,tum extensionis, num.136
Grauitas intensionis magis conuenit pœnæ luendæ in purgatorio , quàm grauitas extensionis : non item pœnæ luendæ in hac vita, num.137
Soli Deo notum est quantæ extensionis esse debeat pœna pro peccatis luenda in hac vita : vt & quantæ intensionis sit futura , in purgatorio, num.139

Ex libro 2.

PEccati mortalis indignitas naturalis, num.60
Eiusdem indignitas ex inobedientia erga Deum,num.61
Ex odio,quo Deus illud prosequitur, num.62
Ex abusu diuinæ erga nos voluntatis, num.63
Ex Dei perfectione.& ex nostra nequitia, num.64
Per peccatum mortale facimus iacturam præteritorum meritorum, num.68
Cœlum nobis clauditur, num.69. Spoliamur diuinâ gratiâ, num.70. In maxima miseria constituimur, num.71
Per peccatum mortale infliguntur plagæ , 1. Corruptionis in substantia, 2. Cæcitatis in mente, 3. Obliuionis Dei in memoria, 4. Peruersitatis in voluntate, 5. Debilitatus in facultatibus exequentibus, 6. Infirmitatis in corpore, numero 72
Per peccatum mortale contrahitur debitum æternæ damnationis : & quam ea sit horrenda, num.74.& 75
Nulla peccatorum grauitas & multitudo tanta est,cuius desperanda sit venia,& qualiter ad spem peccator excitetur, numero 83
Aduersus peccandi affectus , victoria est quidem difficilis, sed quæ obtineri possit iuuante Christo,& quomodo aduersus eos pugna sit ineunda, num.150.& 151
Aduersus præsens periculum peccandi remedia: primum, oratio , num.184. Secundum,fides in Christum, qua resistamus diabolo,num.185.Tertimum,recursus ad Patrem spiritualem,nu.186. Quartmum,custodia cordis,nu.187
De piratorum atque eorum qui naufragorum bona surripiunt , vide verbum Bulla Cœnæ 3.*

Pœnitens ex libro 2.

PRæparatio per orationem & sanctos affectus , cum qua oportet accedere ad excipiendam Pœnitentis confessionem, num.1.2.& 3
Cum Pœnitente dum actu confitetur qua ratione sit procedendum,num.18.& quatuor sequentibus.
Qua specialiter ratione cum gerente inimicitias, num.19
Qua cum obligato ad restitutionem, num.20
Qua cum existente in statu peccati mortalis, num.21.& 22
Qua cum dissentiente ab ipso Confessario de peccato, à quo tamquam mortali ille abstinere debeat, num.23
Quid faciendum, si tam Confessarius,quàm Pœnitens dubitent , sitne peccatum aliquod tamquam mortale vitandum, num.24
Interrogationes faciendæ habito respectu ad confessionem siue antea factam,siue de præsenti faciendam,numer.25.& duobus sequentibus.
Quid agi debeat si pœnitens pœnitentiam non impleuerit, aut circa integritatem confessionis inueniatur defecisse, numero 27
Si Pœnitens inueniatur non fecisse sufficiens conscientiæ examen, quid agere debeat Confessarius, num.28
Interrogationes faciendæ Pœnitenti qui rerum diuinarum rudis apparet, num.29

Ex libro 4.

IN Pœnitente facturo confessionem requiritur tum vsus rationis , tum baptismus susceptus, tum notitia necessariorum ad salutem,tum demum intentio suscipiendi pœnitentiæ sacramentum,num.1.& tribus sequentibus. Adde & examen conscientiæ , de quo in verbo Examen.
Pœnitens qua ratione excitari possit ad vsum voluntarium sacramenti pœnitentiæ , numero 15.& quatuor sequentibus.
Pœnitens ad talem vsum debet concurrere cum dolore , pudore,& timore, num.20.& duobus sequentibus.
Debet item cum proposito non peccandi de cætero, numer. 23.& 24
Debet denique in confitendo seruare decentiam , ordinem, breuitatem,perspicuitatem : & qua ratione,num.25.& tribus sequentibus.
Pœnitens post susceptum pœnitentiæ sacramentum , debet facere fructus dignos pœnitentiæ : & quinam ij sint , ac quorum operum vsum requirant , num.29.& quatuor sequentibus.
De iis, quibus Pœnitens iuuari potest ad executionem propositi emendandi se, concepti in susceptione sacramenti Pœnitentiæ,num.34 & sequentibus.
De dubitanto an Clericum percusserit , déque habente impedimentum adeundi Sedem Apostolicam,habes,lib.9.nu. 254

Pœna.

Pœnâ meritâ Clericum aut Monachum puniendo, quando incurratur excommunicatio , libr.1.num.219

Potestas.

Potestas ordinis Sacerdotalis quid & quotuplex sit , libro 1. num.2
Quid item & quotuplex sit potestas iurisdictionis , ibidem numero 10

Prælati, Principes, Præfecti.

Qui Prælati Episcopo inferiores illi æquiparentur in facultate

Universidad de Deusto
Biblioteca

cultate eligendi sibi Confessarium, lib.1.num.36.37.& 38
Prælatorum potestas bona opera suorum subditorum communicandi aliis,& eiusdem communicationis comparatio cum indulgentia, lib.7.num.124.& 125
Prouinciales & sub eodem constituti Prælati immediati Religionum exemptarum, possunt eligere Confessarium, libr.1.num.38
Principes de quibus interrogati debeant in confessione, lib.2.num.38.§.14
Præfecti vrbis de quibus interrogati debeant in confessione, lib.2.num.38.§.17

Præscriptio. Lib.10.

PRæscriptio, siue vsucapio à restitutione excusans,in quo consistat,numer.291.Requirit possessionem,& quam, numero 292
Bona fides cum qua talis possessio debet esse , numero 293.
Ignorantia inducens eiusmodi fidem, num.294
Titulum ad præscriptionem ipsam requisitum sufficit esse præsumptum, num.295
Continuatio possessionis requisita ad præscribendum,n.296
Tempus talis continuationis,num.297.& 298. De præscriptione immemoriali, num.299
Completa legitimè præscriptione rei,non manet obligatio in conscientia eam restituendi, num.300
Quomodo res tali ratione amissa, recuperari possit per restitutionem in integrum, num.301

Priuilegium. ex Lib.13.

DE nomine,definitione,& diuisione priuilegij,num.231. & duobus sequentibus.
Qui possint priuilegium concedere, num.234
Quando priuilegium impetratum incipiat suam vim habere, num.235
A quo & qua ratione interpretandum sit priuilegium,num. 236. Et aliquot regulæ in tali interpretatione considerandæ, num.237
Modi quibus cessat priuilegium , inualidúmque efficitur, numero 238
Reuocatio prioris priuilegij per posterius, aut per ius commune, num.239
Ea non debet fieri sine iusta causa: nec fieri potest ab eo à cuius Superiore priuilegium ipsum factum est,aut confirmatum, num.240

Ex libro 1.

PRiuilegium Canonis, si quis suadente &c. quatenus amittatur ob dimissionem habitus,& tonsuræ clericalis, num.233
Quatenus ob gestationem armorum, & peccatum immiscendi se enormitatibus, num.234
Quatenus ob exercitium ioculatoris & mimi , num.255
Quatenus ob officiorum sordidorum exercitium, num.256
Priuilegium Concilij Constantiensis communicandi cum innodatis censura Ecclesiastica : exceptis nominatim denunciatis & notoriis percussoribus Clericorum, nu.110. & tribus sequentibus.
Priuilegium Mendicantium audiendi confessiones,num.67. Et quatenus eo illi vti possint, num.204
Priuilegia Clericorum multa & varia,ac quæ,lib.9.num.368

Procurator & apparitor.

Procurator,& apparitor de quibus interrogandi sint in confessione, lib.2.num.38.§.20.& 21

Puer.

Puer percussor Clerici non obligatur adire Sedem Apostolicam pro absolutione ab excommunicatione, libr.1.num. 247
Pueri obligatio ad confessionem sacramentalem , libro 6. numero 50

R

Ratihabitio. Lib.1.

PEr ratihabitionem quomodo acquiratur licentia audiendi confessiones, num.7
Quæ spes ratihabitionis proprij Sacerdotis requiratur , vt alienus validè absoluat, num.89
Ratam habendo Clericivel Monachi percussionem suo nomine factam,quando incurratur excommunicatio , libro primo num.218

Rationis iudicium.

Rationis iudicium aliud est superioris & aliud inferioris rationis. Quæque sit ratio superior & quæ ratio inferior. Ac quæ voluntas superior & quæ inferior illis respondens, lib.11.num.37

** Relapsus in peccatum. Lib.2.*

REcidisse in idem peccatum non esse sufficiens signum impœnitentiæ impedientis absolutionem sacramentalem, num.101
Quod procedit etiamsi quis pluries recciderit,dummodo adsit saltem emendationis inchoatio : & quid de ea pro praxi Nauarrus tradiderit, num.102 & 103
Remedia aduersus recidiuum, num.104
Remedia vndecim aduersus malas propensiones nostras recidiui cursus, num.143.& 144

Religiosus.

Religiosi ante 21.annum expletum , quatenus ad iciunium obligentur, lib.4.num.207
Religiosi quatenus possint eleemosynam facere de præsumpto Prælati sui consensu, eod.libro num.272.& duobus sequentibus.
* Religiosus habens tantùm venialia, aut mortalia de quibus iam absolutus fuit,aut in mortis articulo constitutus potest à simplici sacerdote sacramentaliter absolui, lib.8. numero 35
* Episcopalis approbatio non est necessaria ad Religiosi sacramentalem absolutionem, ibid.num.36
Per priuilegium Mendicatibus concessum absoluendi quoscumque ad se venientes,ab eis absolui nequeunt Religiosi ordinis à suo diuersi, eod.lib.num.37
Episcopus religiosum quem ei Superior ipsius subiecerit potest absoluere,ac cum eo dispensare in casibus sibi cõcessis, num. 38.& seq.
Religiosus per Papale priuilegium suæ religionis audiens confessiones : nequit suam illam potestatem alteri delegare, lib.1.num.54
Et quantum idem priuilegium operetur,eodem lib.num.94
Religiosus voto adstrictus , si puellæ nuptias promiserit, ad quid teneatur, lib.10.num.334
In quos illi possint iurisdictionem suam exercere , libro 1. numero 93
Religiosi adepta approbatione Episcopali quatenus vti possint priuilegio suo Papali audiendi confessiones , eodem lib.num.204
Religiosorum Prælati etiam generales , cur non valeant illos approbare sufficienter ad audiendas confessiones, lib.1. numero 182
Religiosi etiamsi doctores sint , egent Episcopali approbatione ad audiendas confessiones, lib 1.num.191
Religiosus qui alium Religiosum peremisserit , à quo debeat absolui ab excommunicatione quam ideo incurrit, libr.1. num.242.& tribus sequentibus.
Religiosus de quibus interrogari debeat in confessione,lib. 2.num.38.§.5
Cum eo qui apparet ad religionem idoneus, quomodo confessarius debeat se gerere, lib.2.num.149

Remissio peccatorum.

Remitti peccata à Sacerdotibus per claues quomodo accipiendum, lib.1.num.4
Remittendi peccata triplex potestas, ibidem.
* De reseruatione casuum vide verbum, Absolutio, à reseruatis.

Restitutio primò quoad se. Lib.10.

Inter restitutionem & satisfactionem sacramentalem conuenientia & differentia. Ac restitutionis definitio cum declaratione , in præfatione.
Necessitas restitutionis faciendæ ex sacræ scripturæ libris. Et modus quo necessaria sit restitutio, numer.1.& duobus sequentibus.
Obligatio ad restitutionem de se est sub mortali, num.4
Explicatio difficultatis , An id locum habeat,quando parum acceptum est quidem : sed multis aliis simiiter accipientibus illatum est graue damnum, num.5.& 6
Idem habere locum,si quis notabilem quantitatem acceperit à multis, quorum nulli damnum magnum intulit. Et quo modo restitutio ipsa sit tunc facienda,num.7.& 8
Habere item locum quando notabilis quantitas accepta est per modica furta commissa diuersis temporibus, siue cum magno, siue cum modico interuallo, num.9
Quintuplex sit causa , seu radix obligationis ad restitutionem,num.10
Vna est res iustè accepta ; altera res iniustè accepta : tertia acceptio iusta : quarta acceptio iniusta : & quinta participatio in iniusta acceptione , numer.11.& 12. Quæ postrema nouem modis contingit, num.13

Restitutio 2. quoad obligationem illius faciendæ ratione rei alienæ acceptæ. Lib.10.

AD restitutionem tenetur qui rem alienam retinet inuito rationabiliter domino,etiamsi iustè acceperit,n.14

Non

Non tenetur ad restitutionem ille apud quem res ab eo iustè accepta periit, num.15. Nisi conuentio fuerit in contrarium aut interuenerit mora culpabilis , numer.16.aut etiam culpa iuridica de quo vide verbum Culpa.
Restituenda est res iniustè accepta, etiam cad.num.si exter, num.24. Idque statim ac cognoscitur res esse aliena, nec vendi non potest etiam empta bona fide,num.25.fructus etiam eiusdem restituendi, num.27
De eo qui rem alienam emit animo eam reddendi domino, restituenti pretium datum,numer.26.& 27. Atque de eo qui bona fide vendit rem alienam, num.28.& 29
A restitutione excusant præscriptio & vsucapio, num.30
Quatenus excusat bona fides, num.31
Mala fides obnoxium facit restitutioni non tantùm rei iniustè acceptæ , sed etiam damnorum secutorum ex acceptione, num.32
Quis censendus sit mala fide accepisse,numer.33.Et quòd is adhuc teneatur ad restitutionem fructuum, num.34
De restitutione rei iniustè acceptæ,ad quam possessor bonæ fidei tenetur,numer.35.& quatuor sequentibus.Vide verbum Bona fides.
Tractatio difficultatis , An qui rem furtiuam emit , possit eam reddere furi ad recuperandum suum pretium , num. 40.& tribus sequentibus
Quid si nec furem nec dominum talis rei inuenire possit: quidque si eiusmodi rem permittat sibi auferri ab eo qui dedit, num.44.& 45
Quando malæ fidei possessor teneatur restitutionem facere in valore maximo totius temporis quo fuit in mora, num.46.& 47
Ad restitutionem tenetur qui damnum infert, quod alius intulisset,num.48
Quid sit tenendum de dubitante, An res accepta aliena sit, num.49.& duobus sequentibus
Quid de accipiente ab eo qui non est soluendo suis creditoribus,num.51.& duobus sequentibus.

Restitutio 3. quoad obligationem illius faciendæ, ratione acceptionis aut destructionis rei alienæ. Lib.10.

DVæ generales regulæ de obligatione ad restitutionem, ratione iustæ acceptionis rei alienæ, num.45.& 46
Fideiussoris obligatio restituendi quanta sit : & quòd principalis debitor teneatur ei non tantùm de capitali , sed etiam de omni damno quod ex ipsius culpa euenerit, num.57.& 58
De obligatione ad solutionem debitorum,num.59.& tribus sequentibus. Vide verbum Solutio.
Duæ generales regulæ de obligatione ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis rei alienæ, num.63.& 64
Ex alio peccato quam iniustitiæ oriri potest obligatio ad restitutionem,sed cum aliquo discrimine,& quo,num.65. & duobus sequentibus
Damnũ rebus proximi inferens sine dolo & culpa peccatóque suo , non tenetur ad restitutionem,nu.68. Nec item qui cum culpa quidem , sine peccato tamen , numer. 69. Aut etsi cum peccato , ex eo tamen opus damnosum non prouenit, num.70
Obligatio est ad restitutionem si opus damnosum proueniat ex culpa & peccato, num.71.72
Qui ex lata culpa damnum intulit , tenetur ad restitutionem in solidum : non item qui ex leui aut leuissima culpa. Et an is ipse ad aliquid teneatur , num.73.& 74
Ad restitutionem quibus modis teneatur is qui per aliquid suum,proximo intulit damnum.Et quando contingat talis obligatio.Atque ad quid ea sit, num.75.& 76

Restitutio 4. quoad obligationem illius faciendæ, ratione participationis in iniusta acceptione. Lib.10.

NOuem genera personarum obnoxiarum tali restitutioni. Et quid sit tenendum de dubitante an sit aliqua ex eis, num.81.& 82.
Quis tamquam iubens ad eamdem restitutionem teneatur. Et quòd non teneatur quis ex eo tantùm,quòd ratum habeat damnum suo nomine illatum esse , num.83.& 84
Quando , & ad quam restitutionem teneatur , in iniusta acceptione participans consulendo,aut consentiendo,aut adulando,aut recipiendo,aut auxilium ferendo, num.85
Quid agendum sit , ei ad quem fur cum spoliis refugit, numero 86
Qui immediatè illationi damni cooperatur,sicut is qui mediatè obligationem restituendi incurrit, num.87
Quatenus ille qui consilium damnosum dedit teneatur ad restitutionem damni secuti , numer. 88.& tribus sequentibus
De Confessario non procurante restitutionem à suo Pœnitente faciendam,quid sit tenendum. Quidque de alio participante actu negatiuo in iniusta proximi damnificatione, num.92.& 93
Quid etiam de accipiente mutuus, ne detegat inferentem damnum, aut ne eum impediat, num.94
Quatenus serui teneantur ad restitutionem , non impedientes damna dominorum. Et ad quam teneantur custodes mercede conducti non deferentes eos qui damnum inferunt, aut aliquos malè deferunt, nu.95.& duobus sequentibus
Obligatio restituendi Principum non impedientium illationem damnorum. Itémque testium atque impedientium alium ne obuiet damnis , numer. 99.& duobus sequentibus
De causa damni inducente obligationem ad restitutionem. Vide verbum causa damni.
De obligatione ad restitutionem in solidum notata quædam,numer.121. Et quid ea sit,num.127. Ac quando eadem,est plurium à quo debeat primo loco impleri,num. 122.& 123
Executoris obligatio ad restitutionem damni illati, ibidem num.124. Et quos ipsum executoris nomen comprehendat : ac quando plures sunt damni executores , quæ & quorum obligatio sit ad restitutionem, num.125
Quatenus ad restitutionem teneatur qui ad illationem damni incurrit tamquam consulens , adulator , receptator, mutus , non obstans , aut non manifestans, numero 126
Quando plures ad idem damnum inferendum concurrerint vno eorum restituente , ad quid cæteri teneantur, num.128.& tribus sequentibus
Liberatio à restitutione facta vni ex iis qui concurrerunt ad illationem damni , non censetur pariter facta cæteris: nisi is cui illa facta est,causa sit principalis,numer.132.& duobus sequentibus

Restitutio 5. quoad circumstantias illius quis, quid, & cui. Lib.10.

NOuem circumstantiæ ex quibus iudicandum est de obligatione ad restitutionem, num.135
De eo qui ad restitutionem obligatur generalis regula , nu. 136.& quòd varia ratione varij obligentur , num.137
Qui ex officio damnum impedire tenetur nec impedit, quatenus ad restitutionem teneatur, num.138
Quando ad restitutionem officiarius teneatur pro executione sui officij accipiens quod non debet, numer.139.& septem sequentibus. Vide verbum Officiarius.
De eo quod restituendum est generalis regula , numer. 147. Et quando cum re accepta restituendi sint illius fructus,nu. 148. Ac quando resarcienda damna secuta domino ex illius carentia, num.149
Quando ad restitutionem : & ad qualem & quantam tenea-turis qui impediuit alterum ab alicuius boni adeptione, nun. 150.& quatuor sequentibus
Quatenus rem alienam in necessitate accipiens teneatur ad restitutionem,nu.155.& octo sequentibus. Vide verbum Necessitas extrema.
Ei à quo res accepta est,si iustus eius possessor fuerit , restituenda est,num.164.Quædam inde collecta,numc.165.& num.166 casis excepti,
Difficultas , An aliquando liceat rem acceptam restituere proprio domino , quando ab alio iusto possessore accepta est,num.167. Et cautio adhibenda vt tale quid bene fiat, numero 168
De restitutione rei facta creditori eius à quo accepta fuit, quid tenendum sit, num.169.& 170
De restitutione rei facienda vel non facienda ei qui creditur illa malè vsurus, num. 171.& tribus sequentibus.
Restituenda sunt accepta de voluntate domini , quando lex annullat acquisitionem ex tali acceptione, num.175
Restituenda sunt etiam accepta contra domini voluntatem, etiamsi lex non annullet acquisitionem, num.176
Item extorta per fraudem , aut metum , aut concussionem, numero 177
Itémque accepta ab aliquo vt id faciat , quod ex præcepto tenetur gratis facere. Et quæ in particulari inde deducantur gratis, num.178.& 179
Quamus quis possit aliquando pretium accipere pro eo, quod debet facere gratis, lib.10.num.180
Ordinariè quod sic acceptum fuerit,restituendum est,etiamsi non repetatur,numer.181. Secus si donatum sit liberaliter num.182
Accetum ob turpe factum non perpetratum restituendum est, num.183
Aliud videtur dicendum de accepto ob facti perpetrationem,nisi lex aliqua obstet, num.184.& 185
Quatenus id quod perpetraturo promissum fuit , exigi valeat, num.186.& 187

Ac

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ac quando iurauit quis,se non accepturum, possit acceptum retinere, num.188
Difficultas cui facienda sit restitutio accepti ob turpem causam:quando ipsum est restitutioni obnoxium,numer. 189. & 190
De restitutione bonorum temporalium, quorum ignorantur domini,numer.194.& multis sequentibus. Vide verbum Bona incerta.

Restitutio 6. quoad cæteras eius circumstantias. Lib.10.

QVantum sit restituendum, num.213
Debitor soluens per alium qui infideliter egit, quando maneat aut non maneat obligatus ad restitutionem, numero 214
In periculo infamiæ restitutio fieri debet occultè. Nec liberum est per partes restituere quod ex toto debetur, num. 215. Et quando secus facienti negari possit absolutio, numero 221
Difficultas, An qui Confessario tradidit quod restituere debuit, si ipse sibi retineat, ille ab obligatione restituendi liberetur, num.216
Debiti remissio quando liberet ab obligatione restituendi, nu.217.& tribus sequentibus. Vide verbum Debitum pecuniarium.
Non licet pro arbitrio restitutionem faciendam differre, num.222. Et quæ mora in tali dilatione sufficiat ad peccatum,num.223. Ac quomodo intelligi debeat,quòd restitutio sit statim facienda, num.224
Malus status est nolentis restitutionem facere dum viuit: quasi sufficiat ei,hæredibus committere,vt illam faciant, numero 225
Quid Confessarius agere debeat cum eo qui promisit restituere, nec restituit, quando potuit, num.226
Peccatum quod committitur restitutionis omissione, augetur toto tempore quo hæc continuatur. Et modi quibus discontinuatur: repetitáque facit numerum peccatorum in confessione declarandum: sicut & prædicta mora,num. 228.& 229
Quãdo anticipari possit restitutio ea recusata & à creditore, debitor sit liber, num.229
Vbi debitum sit restituendum,num.230.& tribus sequentibus. Vide verbum Debitum pecuniarium.
In restitutione facienda nullus ordo requiritur cum debitor est soluendo omnibus creditoribus, nun.234
Aliàs hic seruari deber, Si res apud debitorem extet eadem numero, reddenda est soli domino, num.235
Quod item tenendum est de empta per ipsum debitorem, qui nondum soluerit pretium, num.236.& 237
Præponenda restitutio bonorum certorum restituricui bonorum incertorum. Et restitutioni bonorum debitorum titulo oneroso, restitutioni debitorum titulo gratioso, num.238.& 239
Ordo præscriptus iure positiuo communi est, vt post dominum rei,cùm ea extat eadem numero, succedat hypothecarius: huic verò ille cui debetur dos: deinde alii huic, suo ordine consequenter, num.240.& 241
Probabile est, non esse ordinem inter creditores qiorum aliis debetur ex delicto, & aliis ex contractu,nume.243.
Expensæ pro funere quatenus præferendæ, nun.244
Quando plures creditores concurrunt, præferendi sint potiores iure,num.245. Sique paresint,præfetri debent diligentiores in petendo, nun.246
Quod si plures tales simul petant, facienda est illis liuisio pro rata, num.247.& 248
Violatio ordinis præscripti peccatũ est, & regularite mortale, nun.249

Restitutio 7. quoad causas excusantes ab ea. Lib.10

TAles causæ assignantur variæ à variis, nun.250
Inopia quamdiu perseuerat, nun.251
Remissio creditoris,si adsint conditiones requisitę, nun.252
Cessio bonorum quatenus, nun.253
Vitæ periculum:restitutio facta creditori creditoris, ntertius rei debitæ: Sententia iuris vel Iudicis, interueniente duplici conditione, nun.254
Ingressus religionis quatenus, nun.255
Excommunicatio quatenus, nun.256
Incertitudo creditorum: compositio, nun.257
Compensatio quæ vt licita sit quas conditiones requirat, numero 258
Ignorantia quatenus, nun.259
Quatenus euentus quo res pari modo peritura erat apud verum dominum, nun.260
Compensatio per aliquod obsequium,& præscriptio vel vsucapio, num.261
Quamdiu causa excusans durat, tamdiu perseuerat excusatio & à restitutione, & ab excommunicatione lata generaliter in retinentem aliquid. Et quid si lata sit specialiter, num.262
Necessitas quatenus excuset à restitutione, numero 263.& 264
De dilatione restitutionis licita ob notabile damnum quod emergeret statim restituenti, num.265.266.268.& 269
Periculum peccandi quando excuset à restitutione statim facienda, num.267
Lucrum faciendum in alterius quàm creditoris vtilitatem, non excusat à restitutione statim facienda, num.270
Quando liceat dilatio restitutionis vergentis in detrimentum creditoris,facta cum firmo proposito seruandi ipsum indemnem, num.271
Quando ratione detrimenti famæ restitutio differri possit, num.272.& 273
Et de adultero & adultera quid in ea re tenendum, nu.274 & quinque sequentibus. Vide verbum Adulter & adultera.
Differri potest restitutio,tum quando debitum repetitur ad nocendum: quod tamen patitur aliquam exceptionem, num. 280
Tum quando in damnum boni communis, num.281
Tum etiam quando ad nocendum sibi ipsi:aut ad peccatum perpetrandum, aliquot casibus exceptis, numero 282.& 283
Quando possit,& quando non possit restitutio differri sine facultate creditoris, num.284
Difficultas, An debitor teneatur ad restitutionem quam nequit facere nisi excidendo à suo statu,num. 285.& tribus sequentibus
De præscriptione & vsucapione excusantibus à restitutione, nu.291.& decem sequentibus. Vide verbum Præscriptio.

Restitutio 8. quoad illius diuersas species. Lib.10.

REstitutio damni illati in bonis animæ, numero 301.& septem sequentibus. Vide verbum Bona animæ.
Restitutio damni dati per occisionem aut mutilationem hominis, num.310.& quindecim sequentibus. Vide verbum Homicida.
Restitutio damni dati per puellæ stuprum, numer. 326. & octo sequentibus. Vide verbum Stuprator.
Restitutio damni dati in fama,numer.335.& octodecim sequentibus. Vide verbum Fama.
Restitutio damni dati læsione honoris,nume.354.& tribus sequentibus. Vide verbum Honor.
Restitutio illicitè acquisitorum aut damnorum datorum per venationem aut piscationem, num. 359.& septem sequentibus. Vide verbum Venatio. Vbi indicata de venatione, intellige pari ratione,de piscatione.
Restitutio damni illicitè dati lignando aut depascendo, numero 367. & quatuor sequentibus. Vide verbum Lignatio: vbi indicata de lignatione, intellige pariter dici de depastu.
Restitutio damni ex iniusta impositione gabellarum, vel ex fraudatione iustè impositarum, num.372.& vndecim sequentibus. Vide verbum Gabella.
Restitutio iniustè acquisitorum per ludum, num.384.& sex sequentibus. Vide verbum Ludus.
Restitutio acquisitorum per vsuram, num.390.& sequentibus vsque ad 429. Vide verbum Vsura.
Restitutio acquisitorum per simoniam,num.429.& sequentibus ad finem vsque. Vide verbum Simonia.

Reuocatio.

Reuocatio mandati de percutiendo Clerico vel Monacho dati,quando excuset ab excommunicatione, lib.1.nu.216

Rudium institutio. Lib.2.

CVm rudi rerum diuinarum qualiter debeat Confessarius procedere, num.50
Rudem in fide erudiendi modus familiaris,num,153.& tribus sequentibus
Ratio informandi eum paucis de iis quæ spectant ad viam salutis,num.157. & duobus sequentibus.

S

Sacerdos. Lib.1.

SAcerdotum sæcularium facultas eligendi sibi Confessarium, num.40
Sacerdotibus sæcularibus adhuc est quidem liberum eligere Confessarium, sed non alium quàm approbatum, numero 179
Sacerdos proprius dicitur tripliciter: vnde triplicis propositionis sensus declaratur, num.26.& 27

Sacramentum. Lib.1.

SAcramentum administrans in peccato mortali, peccat mortaliter: & quid sit ei agendum, vt tale peccatum vitet, num.161
Sacramenti validitas non tollitur ex eo quòd administretur per contaminatum peccato mortali, num.162.& sequenti
Sacramentum suscipere, ministrante illud, non tolerato ab Ecclesia, peccatum est mortale regulariter, num.163
A tolerato ab Ecclesia quatenus sacramentum suscipere aut exigere liceat, num.164.& seq.
De habente ius exigendi,quid tenendum sit: & quòd non sit necessarium petentem sacramentum, scire quòd minister sit in bono statu, num.166.& 167
Ad sacramenti administrationem improbum ministrum nec paratum, nec se offerentem ad eam, non licet inducere, numero 165

Satisfactio sacramentalis 1. quoad illius rationem propriam & necessitatem. Lib.7.

SAtisfactionis sacramentalis definitio cum explicatione, numero 1
Ad reatum pœnæ manentis remissâ culpâ, delendum; illa instituitur: eidémque deletioni seruiunt etiam,contritio & sacramenti susceptio. num.2.& 3
Satisfactio sit per opera pœnalia, comprehensa nominibus orationis, ieiunij, & eleemosynæ, num.4.& 5
Satisfactio sacramentalis,vnde dicatur pœnitentia,& qualiter sit restauratio iustitiæ læsæ, num.6.& 7
Satisfactionis sacramentalis efficacia maior, quàm sponte susceptæ: quódque in peccato mortali perfecta, possit aliquid valere, & quo modo, numero 8.& duobus sequentibus
Satisfactionem Pœnitenti Confessarius debet de necessitate imponere, nisi ille nullam implere possit, aut iam sufficientem fecerit, num.11
Quando satisfactionem à Confessario impositam, Pœnitens possit, aut non possit recusare, numer.12.& quatuor sequentibus
Ad satisfactionem Confessarius ligare potest tantùm volentem: & quo modo censeatur eumdem ligare, numero 17.& 18

Satisfactio sacramentalis 2. quoad illius impositionem. Lib.7.

IN satisfactionem imponi possunt non modo bona pœnalia, sed etiam mala item pœnalia patienter tolerata, numero 21
Itémque opera interna, num.22
Ac omnia vitæ bona opera & mala tolerata patienter:& cur, num.23 & duobus sequentibus
Origo consuetudinis imponendi leues pœnitentias. Quódque magis satisfactoria sint opera in satisfactionem imposita particulariter, quàm imposita generaliter, num. 26.& 27
In satisfactionem possunt imponi opera aliàs debita, num. 28.& duobus sequentibus
In imponenda satisfactione caueri debet;tum prætiudicium tertij,tum manifestatio peccati in confessione expressij; tum ineptitudo seu ne impositio ineptè facta censeatur, num.31.32.33
Satisfactio imponenda est Pœnitenti contraria peccatis ipsius.num.34.& quam credatur impleturus, num.35
Nec nimis leuis, nec nimis grauis, num.36
Nec nisi leuem admittere voleus est reiiciendus, numer.37. & 38
Nec contra absoluendus est, si aliquid recuset ad quod sub mortali tenetur, num.39
Modus agendi cum bene parato ad satisfactionem notãdus.
Et qua ratione in ea imponenda sit agendum cum constituto in articulo mortis, num.40.& 41
Sacramentalis confessio debet præcedere impositionem satisfactionis. Quódque satisfactio vno tempore omissa,implenda sit alio, num.42.43
Satisfactio est imponenda iusta; soli Deo nota quidem: de illius tamen quantitate & qualitate determinare relictum est arbitrio Confessarij,& quatenus:quódque minor quàm iustitia ab eo imposita, non liberet a tota pœna, num.44. & quatuor sequentibus
Satisfactio & in remedium futuri, & in vindictam præteriti peccati esse debet, num.49
In arbitranda satisfactione consideranda, ex parte pœnitentis,& ratio arbitrandi ex eadem parte, num.50.& 51
Considerandа item,& ratio arbitrandi ex parte peccati,num. 52.& 53
Canones Pœnitentiales considerandi, num.54
Considerandа ex parte finis in arbitranda satisfactione, numero 55
Aduersus peccata remedia generalia quæ in satisfactionem imponi possunt, ibid.num.56
Satisfactio imponenda luxurioso, lib.7.num.59
Guloso imponenda in satisfactionem, num.60
Acedioso imponenda, num.63
Auaro imponenda, num.65
Superbo imponenda, num 67
Inuido imponenda, num 69
Iracundo imponenda, num.72
Imponenda blasphemis, num.73

Satisfactio sacramentalis 3.quoad illius adimpletionem, diminutionem, aut mutationem. Lib.7.

DVo casus in quibus adimpletio satisfactionis sacramentalis omittitur sine peccato, num.75
Pœnitentem non adimplere satisfactionem impositam à Confessario, & à se acceptatam peccatum est suo genere mortale, num.76
Quatenus idipsum peccatum sit ex accidenti veniale: tum per ignorantiam, tum etiam per materiæ leuitatem, numero 77
Impositio sacramentalis satisfactionis quæ non inducit obligationem ad peccatum, num.78
Quando elapso tempore pro quo imposita est satisfactio obligatoria, cesset obligatio ad eam exequendam, numero 79
Quatenus satisfactio sacramentalis impleri possit per alium, quàm eum cui est imposita, numer.80.& quatenus aliqua talis possit imponi à Confessario, ac esse fructuosa,num. 81.& duobus sequentibus
Satisfaciens pro alio, non satisfacit eâdem operâ pro se, numero 84
Duo modi quibus per interpretationẽ potest satisfactio sacramentalis relaxari, num.85
Mutari aut diminui potest sacramentalis satisfactio iusta de causa, num.86
Et quid amplius in eo possit Confessarius à quo imposita est satisfactio ipsa quam alius, num.87
Præter ipsum, eamdem satisfactionem iusta de causa mutare aut diminuere potest, non modo Superior eiusdem Confessarij,sed etiam quiuis Confessarius Pœnitentis legitimus, num.88.& duobus sequentibus
Casus in quo talis mutatio aut diminutio reseruata est Superiori, num.91
De satisfactionis relaxatione per indulgentias notanda pro praxi, num.92
Quòd ad relaxationem sacramentalis satisfactionis legitimè impositæ, requiratur iteratio Confessionis peccatorum pro quibus satisfactio ipsa fuit imposita, num.93

Scandalum. Lib.14.

DEfinitio scandali & eiusdem diuisio in actiuum & passiuum, num.22
Quando dicatur actiuum, quando passiuum, quando mixtum, num.23
Scandalum actiuum peccatum est suo genere mortale, numero 24
Quando idem contingat cùm fuerit actiuum solummodo per accidens,seu præter intentionem, num.25
Ad quod non sufficit actio de se scandalosa, nisi exerceatur coram iis qui inde accipient occasionem ruendi, numero 26
Cùm fuerit actiuum per se, seu cum intentione inducendi aliquem ad peccatum quando excusetur à mortali, nu.27

Scientia. Lib.1.

SCientiæ necessitas in Sacerdote ad audiendas confessiones, num.138
Quòd cum scientiæ necessariæ defectu audiens confessiones, pecceat mortaliter, nec excusetur, quòd id faciat ex obedientia, num.139
Quem Superiores possint tutâ conscientiâ exponere ad id munus obeundum, num.140
Quòd ex eodem defectu confessio sit inualida, numer.141. & sequent.
Ex scientiæ defectu inualidam fuisse confessionem, duplex ratio deprehendendi, num.142
Ad summam scientiam Confessarij quæ requirantur:& quòd de mediocri nequeat dari generalis regula,nu.143.& 144
Ad scientiam Confessario necessariam quæ peritia requiratur, num.145
Quæ scire debeat Confessarius de peccatis, num.146.& seq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM,

Scienda à Confessario de eo cuius excipit confessionem, numero 149
De Schismatico. Vide verbum, Bulla Cœnæ, 2.in fine

Scholasticus.

De quibus debeat scholasticus in confessione interrogari, lib.2.num.38.§.11

Scrupulus ex. Lib.13.

SCrupulus est quid aliud, tum à syndresi, tum à dubio. Et in quo differat à conscientia, & à dubio, numer.106. & 107
Causæ variæ ex quibus oriri possunt scrupuli,numer.108.& duobus sequentibus
Scrupulus propriè dictus contemni potest: non item dictus impropriè; sed est rationabiliter deponendus, num.114

Ex. lib. 2.

SCrupuli sunt libertinis vtiles, timoratis pernicioſi: & quæ damna afferant, num.105.& 106
Aduersùs eos medicina: tum præparatio ad diuinam gratiam, num.107
Tum librorum piorum lectio, num.108
Tum oratio cum ieiunio & aliis bonis operibus, num.109
Tum pharmaca aduersus humores iudicium debilitantes, numer. 110
Tum sequi prudentiorum & bonorum iudicium, num.111
Tum impugnatio eorumdem scrupulorum, num.112
Tum eosdem contemnere, num.113
Tum eis non cedere per pusillanimitatem: contra quam, qua ratione corroborandus sit animus, num.114.& 115
Ratio qua agendum est contra scrupulos, num.116
Quales medicinæ qualibus scrupulis censeantur accommodatæ, num.117
Scrupulorum duo prima genera, & duæ primæ causæ, numero 118
Scrupuli de cogitationibus & interioribus motibus illicitis quidem, sed indeliberatis: & remedia aduersus eosdem, num.119.& tribus sequentibus
Quando & qualiter de iis facienda sit confessio: & quòd considenter sit recurrendum ad Dei misericordiam, si in eis contingat peccare mortaliter, num.123.& 124
Scrupulus vexatorum inani suspicione, quòd in agendo peccarint mortaliter, num.125.126
Scrupulus, An habeatur dolor sufficiens de peccatis,& sufficiens propositum emendationis, num.127
Scrupulus de imperfectione confessionis,numer.128.& tribus sequentibus
Scrupulus de imperfectione orationis vocalis,numer.132.& duobus sequentibus
Scrupulus circa sacrosanctæ Eucharistiæ susceptionem, numero 135

Secularis.

Secularis factam confessionem sacerdoti non approbato, nec habenti parochiale beneficium tenetur repetere, libr. 1.numero 172

Seruus.

Seruus si Clericum percusserit, quatenus excuſetur Romam adire pro sua absolutione, lib.1.num.252
Seruus de quibus sit interrogandus in confessione, libro 2. numero 38.§.7

Sigillum sacramentale 1. quòad eius naturam & vim. Lib. 3.

SIgilli sacramentalis definitio, diuisio, institutio & vis, num.1.2.& 3.
Illius violatio sacrilegium est mortale suo genere, num.4
Ex quibus ipsum prouenire censeri debeat,num.5.& tribus sequentibus
Ea vis est ipsius, vt post mortem Pœnitentis seruari debeat nec ad vllius Prælati præceptum violari possit, aut ad vitandum quodcumque malum: etiamsi non fieret confessio digna absolutione,num.9.& quatuor sequentibus
Possitne generaliter moneri Superior de graui damno,quod suis imminere scitur ex confessione, num.14.& 15
An Abbas possit Monachum ab officio amouere, aut dominus seruum à se dimittere, ob intellectum ex ipsius confessione notabilis damni periculum, num.16.& 17
Non modo ad vitandum quodcumque graue proximi periculum; sed nec ad vitandam mortem propriam, aut ad aperiendum integrè statum animæ suæ, licet frangere sacramentale sigillum, num.18.1920
Sigillum sacramentale quando Confessarius frangat imponendo pœnitentiam: & quatenus ad illud seruandum debeat respondere de auditis in confessione interrogatus: aut quæ sunt sui muneris exercere, numer.21.& duobus sequentibus.

Sigillum sacramentale 2. quoad eos qui illud seruare tenentur,& quoad ea quæ sub ipsum cadunt. Libro 3.

AD eiusdem sigilli obseruationem tenentur quicumque quocumque modo audierint dicta in confessione,num.25.& tribus sequentibus
Obstat idem sigillum, ne Iudex siue Ecclesiasticus siue laicus ex notitia per confessionem habita,valeat in foro externo ad inquisitionem procedere etiamsi possit inde fieri vigilantior in suo officio, numer.29 & tribus sequentibus
Secretum naturale licet reuelare,id exigente bono publico, aut priuato, & cur. num.37
Non tantùm frangendo sacramentale sigillum: sed etiam audiendo confitentem id nescientem, graue peccatum committitur, num.34
Quænam sub sacramentale sigillum cadant, num.38.& tribus sequentibus
Quatenus liceat aut non liceat, audita in confessione prodere, num.42.& tribus sequentibus
De iisdem & parcè & cautè loquendum, ac locutiones aliquot quibus frangitur sigillum sacramentale,num 46.47. 48.& 50
Quomodo sine violatione sacramentalis sigilli Confessarius respondeat exprobrantibus: quòd audiat non emendantem se, num.49
De nolente id sciri, dicendum non est: Talis est mihi confessus, num.54
Sigilli sacramentalis obligatio exceptionem patitur: tum per licentiam reuelandi à Pœnitente datam Confessario: & qualis esse debeat talis licentia, numer.55.& quinque sequentibus
Tum per reuelationem eidem Confessario factam independenter à confessione, num.61
Tum per ius petendi consilium, absque vlla detectione personæ, num.62
Tum per notitiam aliam ab habita ex confessione, & quomodo, num.63.& 64

Sigillum sacramentale 3. quoad casus in quibus ipsum non obstat reuelationi auditorum in confessione, & quoad illius obseruationem in ordine ad complices. Lib.3.

SIgillum sacramentale quando oriatur ex confessione facta ab habente peccatum quod emendare non vult, num.65.& 66
Non sufficit ad ipsum sigillū, vt quis ad modum confessuri, se præsentet Confessario,& dicat, Aperio tibi in confessione, num.67
Quid agendum Confessario si ei obiiciatur quòd sigillum sacramentale violauerit, num.68
* Sub idem sigillum cadit peccatum complicis in confessione detectum perinde ac proprium pœnitentis, de cuius licētia illud reuelare licet,ad correctionem eiusdem complicis,num.72.& duobus sequentibus
Obstat sigillum sacramentale ne Confessarius notitiam quærat complicum ad eos corrigendos: non item ne Pœnitens Confessarij operā vtatur in eum finem,nume.75.& duobus sequentibus
Quando Confessarius teneatur complicem corrigere de licentia Pœnitentis: & hic vti illius opera, numero 78.& 79
Quando Confessario licet Pœnitentem corrigere, licet & eumdem denunciare denunciatione paterna non iudiciali. Et quando licet vti eiusdem operā ad corrigendum, licet & ad euitandum aliquod malum, vel ad acquirendum aliquod bonum, num.80.& 81

Simonia. Lib.10.

SImonia quædam mentalis quædam conuentionalis quædam realis: & quid quæque earum sit, num.429
An acquisitum per simoniam mentalem sit restituendum, num.430.& 431
Acceptum per simoniam non est restituendum iure naturali, exceptis duobus casibus, num.432
Restitui debet temporale datum pro spiritali, hoc non accepto, num.435
Non est quidem iure inualida, merito tamen in foro externo inualidatur collatio spiritalis, non recepto temporali, nu.434
Iure humano non item naturali restituendum est eum fructibus acquisitum per quamcumque simoniam realem, num.435.& 436
Spiritale simoniacè acceptum resignari debet in manibus Superioris,si resignabile sit, nu.437
Cui facienda sit restitutio rei temporalis per simoniam perceptæ, nu.438.& 439

Sodalis.

Sodales Clerici se mutuò pereuntes absolui possunt ab Episcopo suo,nisi percussio fuerit enormis, lib.1.nu.251

Solutio debiti. Lib. 10.

EX parte hæres obligatur debita soluere tantùm pro parte hæreditatis, nu.59
Solutio debiti non potest pro arbitrio differri,maximè legatorum piorum; quæ illam requirunt vt ipsa prosint defunctis, nu.60
Difficultas, An obligatio sit in conscientia soluendi debita quando superant hæreditatem, nu.61
Quando pater,filiorum:socius,socij:dominus,serui: mercator,proxenetæ debita soluere teneantur, nu.62

Stuprator. Lib. 10.

STuprator nihil tenetur puellæ cuius stuprum peractum est de libero ipsius consensu,nu.326.Idque etiamsi precibus & blanditiis ad consensum inducta fit,nu.327. Nisi stuprator aduertere potuerit,eam non consentire:sed tantùm ex verecundia, aut metu non resistere quantùm deberet, nu.328
Ad restitutionem tenetur qui per vim aut fraudem stuprum intulit puellæ,nu.329. Et ad quam teneatur quando non intercessit promissio matrimonij, nu.330
Ad quam teneatur cùm talis promissio intercessit, nu.331
Ad quid stuprator teneatur, cùm matrimonium promisit tantùm animo deceptorio.nu.332. Et an teneatur aliquid restituere patri puellæ stupratæ, nu.333
Quid sit iudicandum in hac re, si ea quæ vulgò putabatur virgo non fuerit. Quid item de stupratore qui obstrictus voto ingrediendi religionem, nuptias promisit puellæ, nu.334

Superbia.

Aduersùs superbiam remedia, lib.7.nu.66

Syndresis. Lib. 13.

QVid sit syndresis,nu.48.Quódque nequeat principium esse peccati,nec errorem admittere, nu.49 & 50
Lumen est quod extingui non potest,impediri tamen potest ab effectu illuminandi,nu.51.Et vnde proueniat tale impedimentum, num.52

T

Tempus sacrum. Lib. 14.

PEccatum commissum ex contemptu temporis sacri inde aggrauatur mutando speciem, nu.57. Aggrauatur eodem modo cùm id committitur quod tunc fieri prohibitum est speciali præcepto. nu.58
Ex temporis sacri circunstantia peccatum aggrauatur quidem,non tamen mutando speciem, nu.59.& tribus seqq.
Nomine operis seruilis in tempore sacro prohibiti non comprehenditur peccatum, num.63.& 64

Turpitudo.

Turpitudo Clerici excusans ab excommunicatione percutientem ipsum,in eā deprehensum, lib.1.nu.225

Tutor.

Tutorem & testamenti executorem de quibus oporteat interrogare in confessione, lib.2.nu.38.§.7

V

Vagus.

VAgorum libertas eligendi Confessarium, lib.1.num.64

Venatio. Lib. 10.

ANimalium alia fera, alia mansueta, alia mansuefacta. Quódque venatio etsi iure naturali & gentium sit licita,aliquot modis tamen licitè prohibeatur,lib.10.nu.359
Venatio animalium non habentium dominum, nullam inducit obligationem ad restitutionem. num.360. Inducit autem venatio habentium dominum, & quando feræ desinant habere dominum, nu.361
Quando sint,aut non sint restituenda animalia fera, in locis prohibitis capta, nu.362
Et quòd esse possit excusatio à restitutione captorum per venationem:quamuis non sit pariter à peccato:nec à restitutione damnorum illatorum venando, nu.363
Excusatio à restitutione capti per venationem: siue ob consuetudinem antiquam, siue ob feræ egressum ex loco in quo venari prohibitum est, nu.364
Quando fera restituenda sit ei à quo vulnerata est, nu.365. Et quando laqueo innexa restitui debeat ei qui laqueum tetendit, nu.366

Via salutis. Lib. 2.

SAlutis via in quibus consistat,& ratio vitandi periculum in ea, nu.182.& 183
Aduersus tale periculum remedia, vide verbum,Periculum peccandi.
Ad operationem boni(in quo altera ex parte consistit eadem via) requiruntur bona memoria, ac bonus intellectus, nu.188
Iterémque bona voluntas,nu.189. Atque bona executio:in qua quid curandum sit, & quæ ad eam conferant num.190. & 191

Viator. Lib. 1.

VIatores habentes alicubi quasi domicilium, vt Scholastici, & præsidiarij milites subiiciuntur Parocho illius loci, nu.79
Quid de aliis viatoribus, qui ad breue solummodo tempus domicilium relinquunt,sit tenendum, nu.80
Viatores priuilegio Eugenij quarti possunt obire sacramenta in Pascha te vbi se inuenerint, num.76
Cui confiteri possint extra Pascha viatores peregrinantes, & difficultas de peregrinantibus sine Sacerdotis sui licentia, num.77.& 78

Vicarius. Lib. 1.

VIcarius generalis Episcopi ponitur in numero ordinariorum:& quis dicatur vicarius generalis, num.47
Vicarius foraneus Episcopi, non est ordinarius. Est autem Vicarius Parochi perpetuus, non item temporaneus,ibidem sub finem.
Vicarij generalis Episcopi iurisdictio quibus modis cesset, num.48
Contra abusum assumendi ignaros in Parochiarum Vicarios, nu.152

Violentia. Lib. 11.

VIolentia quædam est conditionata quædam absoluta: hæcque voluntati inferri potest tantùm quoad actus ipsius externos, nu.59.& 60
Eadem excusat à peccato,& à pœna ei debita, num.61
Exigit resistentiam tum ex parte voluntatis, tum ex parte facultatum exteriorum, num.62
Qua ratione sit de illa ipsa iudicandum, nu.63

Voluntas præsumpta.

VOluntas præsumpta proprij Sacerdotis, seu quòd non sine indiciis & rationibus præsumatur gratum habere suos apud alienum confiteri, non sufficit ad acquirendam Iurisdictionem in foro interno, lib.1.nu.95

Vsura Lib. 10.

DE nomine & definitione vsuræ, nu.390.& 391
Eiusdem diuisio & quid sit vsura interior, quid exterior, & quid mentalis, num.392
Quid item vsura realis, eiusdémque diuisio in manifestam & in palliatam,num.393. Ac modi quibus vsura palliari solet. num.394
Obligatio restituendi accepta per vsuram locum habet quātumuis soluens iurauerit se ea non repetiturum: & extenditur ad hæredes vsurarij, & ad fructus acceptorum num.395.& 396
De eādem obligatione hæredum notanda, num.397
Quando contingat vsura mentalis, num.398.& tribus sequentibus.
Quatuor modi quibus contingere potest, vt mutuator ali-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid à mutuatario accipiat supra sortem, num.402
Difficultas,an quando mutuator lucrum prætendit ex mutuo, obligatio sit ad restitutionem si mutuatarius liberaliter ei donet, nu.403.& 404
Generalis regula de obligatione ad restitutionem incursa ob cooperationem in vsura exercenda, num.405
De obligatione consulentis, iubentis, aut suadentis dare ad vsuram,vel prohibentis ne gratis mutuo detur, nu.406
Quando apud vsurarium pecuniam suam deponens teneatur ad restitutionem acquisitorum vsurariè, num.407
Quando tanquam cooperatores,ad vsurarum restitutionem teneantur domini temporales, iudices,aduocati. Quando notarij conficientes contractum, vel vsurarium instrumentum. Quando testes testificantes. Quando domini subscribentes. Quando negotiorum gestores.Quando tutores & curatores. Quando famuli vsuratiorum.Quando proxenetæ, num.408. & quinque sequentibus
Documenta quædam de cooperatoribus vsurariorum, num.414
Vsurarius non acquirit dominium rei acceptæ per vsuram: neque eiusdem rei fructus, num.415.& 416
Si ea non sit fructifera,acquisita ex illa non sunt restitutioni obnoxia, num.417
Rem per vsuram acquisitam vsurarius vendens non transfert dominium:& ad quid valeat talis venditio, num.418
Difficultas , An bona vsurarij sint hypothecata pro restitutione vsurariè acceptorum, nu.419.& 420
Difficultas, An vsurarius possit,& quatenus possit validè distrahere bona sua. Quòd autem non possit acquisita per vsuram, num.421.& duobus sequentibus
Altera difficultas,An restituj debeat acceptum ab vsurario, qui non est soluendo suis creditoribus, nu.424
An acceptum in pretium aut mercedem, num.425
An acceptum ab vxore & filiis, nu.426
An acceptum à genero in dotem vxotis, num.427
An acceptum à creditore , qui ipsi vsurario pecuniam mutuam dederat, num.428

Vxor.

VXor quatenus possit eleemosynam facere,libro 4.num. 272. & duobus sequentibus, ac 276. & sex sequentib.

Deo Iesu Christo,æterni Dei æterno Filio , animarum nostrarum sponso suauissimo : ac ipsius beatissimæ Matri pœnitentium auxiliatrici misericordissimæ, honor sit & gloria in æterna secula, Amen.

ERRATA QVÆ LEGENTI DIFFICVLCATEM POSSVNT adferre.

Numerus prior, paginam: posterior, columnam indicat.

Tõum.Tum. 5. 1. iudicatæ. indicatæ. 25.2 aliis ciratus. aliis citatis 26.2. icentia licentia.27. 1. gratia factæ. gratiæ factæ. ibidem. irretitus, irretitus.43.1. opetatur. operatur.ibidem. authenticoque. authenticaque.48.2. delegate.delegatæ.51.2.Clericas.Clericos.57.2.Professus.Professos.58.2.

Lib. 2.

Forę. ferо.75.2.allorum.aliorum.85.2. familia. familia. 86.2. semet seruet.90.2 humanis.humani.95.1.odor mortem. Odor mortis in mortem.ibid.scandalizabitur.scandalizabitur.95.2.Patatus paratus 102.2.peruertit.peruertit.103.2 dicider.decider.111.1 sicuinciedo,siue iniciendo.ibid.reciduum.recidium.133.1. inconstanta.inconstantia. 116. 2. sfuctum. fluitum. 119.2. æternum. æternam. 123. 1. obstreticantem. obstericantem. 125. 1. amor. amoris.133 2. fiube.fibiue.134.2. operam. operum. 140.2. cæluitium.caluitium.142.1.

Lib. 3.

Rempubisiam.rempublicam.149. 1.confesione.confessionem.ibid.2. retinueris retinueritis.150.2. admonere. amouere. 151.1. procedere.præcedere. 158.2.

Lib. 4.

Sine.siue.166.1.libertalitatem liberalitatem.167.1.sanguino. sanguine 169.2.egentis egeritis.172.2 erat orat.179.2. quèm.quàm.181.2.selio. solio.192. 1. vniculis. vinculis.193. 1. precipurum.præcipuorum.193.2. semplena. semiplena 198. 2. quadrageſiam. quadragesima.206.1.somnium.somnum.209.1.principium.principum.214.2.arcan arcana.216.2.communis.communius.217.1.iustum.iustam.221.2.relegi.elegi.perticutis. percutitis. 225.2. probatum esse in præced. probabitur postea 230.1. dicuntur. dicunt 232. 1.partibus. patribus. diuturni. diurni.236. 1.quo. quæ. 242.1. parti patri. 246.1. meritorum.moritorum. 252.1.

Lib. 5.

Sotus. Scotus 263. initio sect.4. duraturus.duraturis.265. 2. summa summus.266.1. vtri perfecti. viris perfectis.ibidem.

Lib. 6.

Doctorem. datorem.279. 1. peccatorens. peccatorum.ibid. mortale. morale.281.1. Auorio. Azorio.284.1. sensu.sensi.289.1.teus. reus. 292.1. debitum. debitam. 301. 1. manifestari. manifestati 305.2. prælationi.prolationis. 306. 1. non sit valida. sit valida. 312. 1.

Lib. 7.

Colpa. culpæ.319.2. si. sit. 330.2. macerationem.macerationum. 331.1. deserant neque derelinquant. deseram neque derelinquam. 332.2. interstum.interdum.335. 1.indulgatias.indulgentias. 353.1.

Lib. 8.

Releuatione.reuelatione.372.1.alicui.alicuius. 373.2.ipsius.ipsomet. dele somet.374.2.

Lib. 9.

uris dictione. iurisdictione.391.2 quud.quin. ibidem. malò male.ibid.2 sumptò. sumptum.418.2. obierit. oberit. 426.1. citato. citatio,428.1. Impotientia. impotentia, 438.2. late. latæ. 439.2 cultum, culerum. 445.2. iudicis.indicis 448.2. vuit.vult. 449.2.secundos. scindendos. 460.2. dictione.ditione.464.2. murilantes. murilantes 464.2.puocunque.quocunque.491.1 proquositas propositas.492.2.

Lib. 10.

Motus.matris.495.1.oblatam.ablatam 501.2.purgant purgat.505.1.caput v.caput v1.506.2.monuetur.mouentur.517.1.leuissima lata.524.2.acquisi 2. acquisita. 533. 2. abiata.oblata.548.1.peccat. pereat.ibid.creditorem creditorum.549.2. recoranddo. recordando. 565. 1. monendo. monendo. 567.2.adimitit.adimit.572.2.interegat. interetat. 574.1. inferri. auferri.575.2. amicum.amicam.581.2. prostractione. prostratione.585.1. iustitiæ.iniustitiæ.605.1.

Lib. 11.

dera.data.618. 2.manus. maius.620.2. violentium. violentiam, 628 2.

Lib. 12.

alteru.alterum. 636.1.

Lib. 13.

inderatam indeliberatam.655.2.poeta.pœna. 664.1. Corintherio.Corinthios. 679.2. acceptum in.dele in. 683. 2. inungeretur. iniungeretur 686.1.credetis.creditis.700.2. posituum.positium. 702.1.præparatam.præparatum.715.1.

Lib. 14.

fecij. fecit. 718.1. duici.duplici. 722.1.ille se. illa. 724.1.conciliauit.conciliant.725.2.

Lib. 15.

aggrauant de. aggrauantes.730.1. diritiam.duritiam ibid.2 affarus.affectus.732.1. restingitur.restringitur.744.1.Alia adhuc deprehensa sunt; sed omissa tanquam legenti non paritura difficultatem in,intelligendo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LVGDVNI,

Ex Typographia Iacobi du Creux
alias Molliard, 1616.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca